MARTINI

# AZPILCVETAE

# DOCTORIS NAVARRI

## IVRISCONSVLTORVM

ÆTATE NOSTRA FACILE PRINCIPIS,

Conſiliorum & Reſponſorum, quæ in quinque libros, iuxta numerum & titulos Decretalium, diſtribuuntur,

TOMI DVO.

*QVAE QVIDEM IN HAC SECVNDA editione Conſiliis pene trecentis aucta & multo melius, quàm in priori editione digeſta ſunt.*

CVM QVIBVSDAM ANNOTATIONIBVS, QVÆ, ſi quando ſententia Doctoris minus probabilis viſa eſt, magis receptam, & præſertim à Concilij Tridentini Illuſtriſſimorum Cardinalium Congregatione magis probatam demonſtrant.

*ACCESSIT INITIO INDEX TITVLORVM TOTIVS Iuris Canonici, & numerus Conſiliorum, quæ ſingulis titulis aſſignantur, & alius præterea capitum & legum quæ hoc in opere pene ad verbum declarantur.*

ADIVNGITVR IN FINE INDEX TOTIVS OPERIS, generalia totius iuris axiomata, & ſententias, quas maximè vtriuſque fori iudicum ſcire intereſt, complectens.

*Primus tomus tres priores libros, qui tribus Decretalium reſpondent, continet.*





*LVGDVNI,*

SVMPTIBVS IOANNIS BAPTISTÆ BVYSSON,

*M. D. XCIIII.*

pcurator meus ꝫhit dicto
pactū q capiat fomentuz
.legatū nulli.ꝛ.d.l.si tibi.
rif.q: pcurator fūdat ꝟba
rim⁹.de ac.ꝛ ob.merito dr
e possit.l.si cū emptore.in
mentū a ꝫctu pcuratoris.
a e qñ dñs eēt pñs.q: sibi
d ssione.l.si pcurator pre
pc q: fm cōem sniaz actio
in ra.ꝛ dr dñi merito po
po tieē tñ coherētia dicti
tim icaē pactū appositū
blig coherētia ꝫctus ꝛ cō
n.d gl.i.d.l.i bone fidei.
s t ctus dr incōtinenti.
ntu tēs.C.eo.ff.de duo.
pl m bal. pone exēplū
est c ē rogatus.ꝛ imme
ar omā vñ cū ex eodez
facit.l. fundi ptem.

# CLARISSIMO VIRO D. BALTHAZARO DE VILLARS, REGIO CONSILIARIO, ET VRBIS, ET PROVINCIAE

Lugdunensis Præsidi meritissimo, nec non supremæ Dumbarum Curiæ Senatori dignissimo,

Ioannes Baptista Buysson S.

*VETVS mos fuit, clarissime Præses, iam inde ab ipsis iuris editi primordiis, & quasi incunabulis obseruatus, vt rudes & imperiti, qui aliqua inter se disceptatione de iure conserebant, peritos illius consulerent, quorum responsa ipsi tanti faciebant, ac si Sibyllæ alicuius carmina, vel quædam Apollinis oracula continerent. Non ero longus in re notissima cõfirmanda, quam quicumque non modo Canonicarum sanctionum candidatus, vel infimus iuris ciuilis discipulus abundè perspectam habet, sed quisquis humaniores litteras à limine salutauit non ignorat, & ad quam illustrandam non Latinorũ modo & Græcorum exempla suppetunt, qui in eo genere ex ipsis duodecim Tabularũ initiis Romæ floruerũt, vel Athenis post temperatã à Solone optimis legibus & institutis rempublicã, sed Hebræorũ etiam Doctorum, quos Scribas S. Scripturæ nominãt, qui sacras veréque diuinas leges interpretabantur. Hoc solùm dicam, quod ad meum institutum plurimùm facit, si in cæteris omniũ ætatum & sæculorum temporibus huiusmodi viri prudentes non defuerunt, nostro sæculo, quo nullum in omni genere doctrinarum fœlicius vmquam fuit, plerósque graues eruditósque viros adeo excelluisse, vt in eo genere nequaquam priscorum Iurisconsultorum prudentiæ & cognitioni cedere posse videantur. Quorum ego si iam aliquem vellem indicem contexere, præterquam quod sus aiunt Mineruam, vereor etiam ne nimis in longum nostra excresceret oratio, & ne si quos fortè ignarus ego præterirem, hi factam à me sibi aliquam iniuriã expostularent. Veniã igitur ad eum, quem præ manibus habeo D. MARTINVM AZPILCVETAM, qui cognomen NAVARRI, gentilitium ob nominis sui celebritatem sibi propriũ fecit, quem ego adolescens iam senem mihi cognitum summo honore prosequutus, mortuũ vt inter Diuos adscriptũ vir factus veneror & suspicio. Is autẽ cùm in Galliis nostris ius in primis didicisset & docuisset in clarissimis Cadurci & Tholosæ Academiis, postea magnis honorariis & precibus inuitatus in Salmanticensi primùm Academia, & postea Conimbricensi, quarũ altera principem in Hispania, altera in Lusitania Vniuersi scholarum locum tenet, supra triginta vel circiter annos ius magna cum laude docuisset, vel in ipsa Decretorum capita aliqua commentatus fuisset, vel de iure interrogatus sapienter respondisset, tandem eum quasi in quodam orbis angulo delitescentẽ, cùm Deus statuisset in orbis totius theatrum producere, Romã grauissimæ cuiusdã Ecclesiasticæ litis caussa destinatus (vbi maximæ, quæ toto orbe Christiano sunt, de iure & religione controuersiæ & disputantur, & dirimuntur) incredibile dictu est, quantùm homo peregrinus, & in speciem vilis & abiectus, ab omnibus omnium ordinum infimis, mediocribus & summis, aduenis & indigenis in cõmuni illa totius orbis patria honoratus, & in pretio habitus fuerit. Hunc in primis pauperes & mendici, ad*

quorum inopiam subleuandam, quicquid ei præter suam, & exiguæ familiæ sustentationem ex amplissimis cathedrarũ suarum Mineralibus, (quæ absens percipiebat,) reliquisque suis reditibus supererat, effundebat potius quàm dabat, tamquam communem parentem prædicabãt. Hunc artifices, & alij mediocris sortis homines, vt antiquæ Christianæ probitatis, & simplicitatis viuum quoddam speculũ obstupescentes contemplabantur: Hunc nobiles viri, & illæ veterum Equitum Senatorúmque Romanorum reliquiæ, tamquam aliquem è cælo lapsum, qui in tanta eruditione & auctoritate se suáque omnia tam parui faceret, attoniti suspiciebant. Hunc cuiuscumque ordinis religiosi, cæteríque Ecclesiastici, ob singularem eius in Deum pietatem & religionem summis laudibus efferebant. Hunc aduenæ omnes & peregrini, qui vel religionis ergò, vel alterius alicuius negotij Romam frequentes conueniebant, propter suauißimam eius in omnes omnium nationum homines comitatem & beneuolentiã amabant, & admirabantur. Nihil dico de Illustrißimis Cardinalibus, & ipsis Pontificibus Maximis, quorũ ille suis in scriptis ipsorum erga se studium & obseruantiam abundè testatam reliquit: sed hoc præterire non possum, eum semper peculiari quodam amoris & caritatis ardore, nostram Gallorum gentem esse prosequutum. Quod ipse sanè, vt semper in omni vita, tum sermone, tum libris à se editis præ se tulit, ita moriens sufficienter demonstrauit, quòd id, quod vnum homini post funus in hoc mundo, reliquũ est corpus dico, in sanctißimo gloriosißimæ Trinitatis Minimorũ cœnobio, à nostro Christianißimo Galliæ rege Carolo VIII. in monte Pincio ad preces B. Francisci de Paula eius ordinis institutoris in Vrbe fundato (quod vnum à fratribus eius ordinis nationis Gallicæ ex ipsius D. Francisci priuilegio, habitari, & gubernari debet) corpus inquam suum voluit ad extremum vsque iudicij diem recondi, & asseruari. Cùm ergo ibi esset, & in tali tantáque eruditionis opinione haberetur, ad eum quotidie tamquam ad alterum Scæuolam, vel Papinianum, aut potius Ambrosium, vel Augustinũ quæstiones ex omnibus ferè orbis Christiani deferebantur partibus, quæ quidem non de stillicidiis, de tigno iuncto, de aqua pluuia arcenda, vel aliis huiusmodi leuibus veterũ Iurisconsultorum quæsitis erant, sed de iis, à quibus maximè animarum salus pendet, & quæ quotidie in vita occurrunt, ob quæ qui aliquam curã habent in Christiana republica, in iis, quæ ad forum interius (vt vocant) pertinent, vel etiã ius exterius, tam ex Canonicarum sanctionũ præscripto, quàm ex legum imperatoriarum statutis dicunt, nonnumquã solent dubij, ancipitésque hærere: quibus ille meditatè sollertérque quantùm temporis angustiæ, vel valetudinis ratio patiebatur, ex scripto sine vlla personarũ ratione gratis omnino responsa edebat. Hæc igitur CONSILIA & RESPONSA, quãuis paulo antequã moreretur, auctor ipse colligere, & multis auctoritatibus & rationibus fulcire desideraret, morte tamen, quæ quãuis in ætate decrepita ei obtigerit, fuit tamen nimis matura pro iis, qui eius consiliis & doctrina iuuabantur, omnis illa cogitatio præcisa fuit. Non defuerunt tamen graues & docti viri, qui posthumum hunc auctoris fœtum, si non ita perfectum initio præsertim ediderunt, efformatum tamen aliquantulum, & in certos Canonici iuris titulos digestum in hominũ aspectum lucémque protulerunt. Veruntamen vt nihil ab hominibus exire potest, quod statim initio omnes suos numeros habeat, factum est, vt illa CONSILIA opera quorumdam etiam doctißimorũ virorum recognita diligentius, acutiúsque perspecta, & quasi in examine trutináque librata, multisque partibus locupletata rursus in lucẽ prodire desiderarent. Et sane typographi Romani illa iam à longo tempore publica facere meditabantur, sed nescio quo casu ipsi meditata perficere non potuerunt. Nos verò licet aliquoties intermissa, iã tandem Dei benignitate ad optatum finem perduximus, quibus etiam insuper adiun-

ximus

*ximus locupletißimos Indices, quos religiosus quidam D. NAVARRI studiosus, & tibi tuóque nomini vna cum illius familia addictißimus adornauit.*

*Quæ cùm perfecissem cogitare cœpi, cui potißimùm CONSILIA hæc à me nuncuparentur. Sed cùm te, clarißime Præses, qui meus es fidißimus defensor & dux, & cuius ego spe nitor, vt qui maximè contemplatus essem, dignum, cuius nomen in suo frontispicio opus hoc ferret, esse iudicaui. Recordor enim quantæ parens ille meus Gulielmus Rouillius (sic enim eum perpetuo nominabo) clarißimum virum patrem tuum D. Franciscum De Villars obseruantia coluerit, & quanti etiam te fecerit, Petri Rebuffi tibi opera quædam dedicans, ipse abundè indicauit: quem ego per omnia summopere imitari desiderans, te qui clarißimi viri patris tui vestigiis adeò inhæres, vt non dignitate modo eum superes, sed comitate etiam & æquitate insequaris, tuósque omnes obseruare, & honorare, & patris loco habere decreui. Ex quo accidit, vt cùm paulò post parentis mei D. Rouillij mortem, D. NAVARRI opera recens ex Rouilliana officina, cuius ego tunc eram socius, prodiissent, illa viro integerrimo & planè heroico fratri tuo D. Petro de Villars Archiepiscopo Viennæ fuerint dedicata. Quæ res etiam me impulit, vt hæc ipsa eiusdem auctoris CONSILIA nunc primum ex nostra officina prodeuntia, sub tuo nomine apparere voluerim. Nam si opera illa in quibus D. NAVARRVS, qui licet Iurisconsultum se tantùm esse profiteatur, Theologum tamen se esse magna ex parte demōstrat, & magnam in ea sacra facultate ætatis partem consumpsisse arguit, viro Theologo, & tali Theologo, qualis est tuus ille germanus, dedicare opportunū esse iudicauimus, cui potius quàm tibi hæc CONSILIA consecrare debuimus, in quibus licet plurima ex vtriusque iuris fontibus hausta sint, nonnulla tamen habentur ex vberrimis S. Theologiæ fluminibus sumpta, qui quamuis te tantùm Iurisconsultum esse profitearis, magnam tamen studij partem in diuinis Theologorum sanctorúmque Patrum libris legendis ponere consueuisti. Denique, me ad hoc opus tibi offerendum non parum commouit, quòd cùm non profanas modò & merè ciuiles in vestro tribunali lites tractare vobis sit necessarium, sed Ecclesiasticas etiam quandoque attingere vobis pro vestro officio incumbat, habebis sanè præ manibus Consiliarium, quem in his maximè caussis sequi poßis. Accipe igitur, clarißime Præses, qui simul cum tua iuris scientia S. Theologiam iungis, eum auctorem, qui eo maximè nomine commendatur, quod iuris prudentiam, quæ ante eum in quæstionibus ad quæstum spectantibus versabatur, ad res altiores diuinioréque traduxit: quem si vt speramus beneuolo æquóque animo te accepisse cognoscamus, aliqua alia præclariora & præstantiora opera Deo iuuante aliquando in tuo nomine emittemus. Vale. Idibus Maij CIↃIↃXCIV.*

# STVDIOSO LECTORI SALVTEM.

SVPERIORIBVS annis hoc Martini Doctoris eximij opus multorum efflagitatione, qui rem vrgebant, non sine quibusdã veluti næuis prodire coactum, nos quoque tanto celerius coëgit, vt idem diligentius expolitum, & ornatius denuo exponeremus. Nonnulla enim irrepserãt in tanta festinatione menda, nonnulla in Indicibus errata, nonnullæ quæstiones minus propriis, & congruentibus inscriptionibus, titulisque subiectæ; quædam etiam auctorum loca non satis rectè citata. Huc accedit, quod multa sunt inserta Consilia peruulgata, atque contrita, quæ vel ipsius D. Nauarri iudicio tollenda fuerunt; vt ex epistola, quam offendimus ipsius manu conscripta, cum qua nostram hanc iungimus, intelligere quilibet facile potest. Quare in hac secunda editione curatum est, vt & errata in multis Consiliis corrigerentur, ac suis in locis omnia collocarentur, & Indices ad commodiorem quoque rationem, vtilioremque reuocarentur. In quibus tamen Indicibus ratio potissimum est habita sacerdotum non doctissimorum, quorum causa maximè sunt adhibiti, nempe vt Consilia ipsa huiusmodi Indicibus, quoad eius fieri posset illustrarentur. Citata quidem omnia recognoscere penitus, vt optabatur, non licuit. Ea porro Consilia, quæ vel faciliora, vel leuiora videri peritioribus viris fortè potuissent, omitti non sunt passi confessarij, qui vt dixi, in hac scientia canonum non inter omnes excellũt; quinetiam alia multa præterea vt adderentur nos penè compulerunt. Licet enim præstantissimo cuique doctori nonnulla in his prope vulgaria videantur, magno tamen vsui minus peritis futura credimus, qui de huiusmodi rebus doctiores viros consulere sæpius cogerentur, qua molestia nimirum impressis iam profligatisque quæstionibus liberantur. Quocirca si quæ in his responsis non eam redolere doctrinæ præstantiam videbuntur, quam viri eruditissimi desiderant, nullã id D. Nauarro inscitiæ, vel incuriæ notam poterit, opinor, inurere; cùm præsertim sæpe subito res pendere cogeretur, neque illi recognoscendi spatium daretur, vt in quibusdam consiliis ipse testatur: quæ tamen cum ob eas causas, quas diximus, ipsa quoque promantur, non ita erunt accipienda, vt alia, quæ sunt omnibus numeris absoluta. Pro miserat quidem vir præstantissimus se, habito delectu, horum aliqua, vt rogabatur, editurum, multis rebus breuitatis causa resectis, nonnullis contra confirmandi causa additis; & in omnibus certe aliqua se receperat emendaturum, vt apertè in eius inchoata epistola, quam subiicimus, apparebit. Verum morte imminente, cùm id præstare ipse non posset, sibi non admodum probari significauit, si ita sine delectu omnia (præsertim verò quæ à se non essent antea recognita, emendata, expolita) proferrentur in lucem. Et sanè, quod in priore editione monitum te esse, Lector humanissime, meminimus, si illi tantisper vita suppeditasset, dum hæc ipsemet recognoscere omnia posset; multo aliter quàm nunc prodeunt, ab ipso res omnes conformatas prodituras fuisse existimamus. Tu tamen hanc nostram qualemcumque diligentiam, & propensam in te voluntatem, amice Lector, in bonam partem precor accipias. Vale.

*Exemplum epistolæ, quæ post primam huius operis editionem in Doctoris Nauarri scriniis est reperta; & fort asse non penitus absoluta, vel saltem emendata.*

A Plurimis rogatus, & à nonnullis etiã Cardinalitia dignitate, eisdemque Reuemis iussus, vt ederem saltem aliqua de plurimis, quæ priuatim super quæstionibus de animis lucrandis multo tempore in variis Academiis, & Regnis respondi, præsertim ab anno, à quo cœpi seruire in sacro sacræ Pœnitentiariæ prætorio fœlicis recordationis Pio quinto, & post eum occupando me in respondendo quæstionibus, quas de pane lucrãdo appellant, decreui hoc anno ætatis meæ nonagesimoprimo tam pium opus incipere, etiam canicula regnante, & non satis liber à catarro, qui me vnum circiter mensem vexauit: nè dum aptius tempus speratur, impediatur etiam facultas id præstandi, & doleam habuisse me vires, vel voluntatem parem ad hæc, licet facultas id perficiendi casu, aut fortuna (quæ nil aliud, nisi summa illa prudentia est) non concedatur. Quorum Consiliorum multorum multa gratia breuitatis abbreuiabo, nonnulla gratia confirmationis augebo, & in omnibus aliqua emendabo, declarabo, & vtiliora tam theoriæ, quàm praxi (superfluis allegationibus resecatis) efficere conabor: sperans fore, vt ad id opem diuinam à Deo, & Domino Iesu Christo optimo maximo, mihi impetret illa potentissima cœlorum Regina parthenometor, eadémque gloriosissima Theotochos, quæ non solùm inuocata, sed etiam sua sponte fauorem donat, & ad miseros maternas explicat vlnas; quod vt de more dignetur facere, etiam atque etiam supplicissimè, & obnixissimè oro, atque flagito.

*Et si dum hoc opus recognoscitur, de quibusdam admonendus obiter visus est Lector, vbi videlicet aut sacra Congregatio, aut alij graues auctores à D. Nauarro dissentiunt, atque alia generis eiusdem; non tamen idcirco cætera omnia eiusmodi esse Lector existimet, quin alia quoque multa eadem animaduersione digna prætermissa sint.*

# DVO EPIGRAMMATA ILLORVM DVORVM INSIGNIVM VIRORVM,

Quos regia Maiestas ex Gallia Conimbricam magnis honorarijs duxit, primis Auctoris operibus, ante quadraginta annos Conimbricæ adiecta.

*Alterum illius eruditißimi, qui tunc insignis Collegij bonarum artium Conimbricensis professor erat Primarius.*

## AD AVCTOREM.

*MActe animi, venerande senex, qui pectore sancto*
*Abdita secreti reseras penetralia Iuris:*
*Et veras recludis opes, vitiíque rebellis*
*Sæpe renascentem resecas rationibus herbam.*
*Non tu Dictæo mendacia callidus antro,*
*Auctoremque Iouem fingis, lucóve Capeno*
*Auia nocturnæ simulas commercia Nymphæ:*
*Nec tripodas Phœbi mentita oracula fundis:*
*Sed liquida veri puris de fontibus vnda*
*Pectora nostra rigas: moréſque in praua fluentes*
*Corrigis, & iustis legum compescis habenis,*
*Spes nimias, animósque feros moderamine flectis,*
*Pontifices tu per sacros, dominósque potentis*
*Ausoniæ, regesque doces discrimine certo*
*Nosse modum iuris, flexique obliqua doloso*
*Exigis ad Canones interpres commodus æquos.*
*Ergo velut dubiis Phœbea oracula rebus.*
*Aut Libycas sortes, aut Dodonæa petebant*
*Templa inopes veri, trepidoque instante tumultu:*
*Sic cum perplexis mentes ambagibus error*
*Implicat, & iuris sinuoso tramite fallit*
*Semita, tu dubios regis, errantésque reducis,*
*Confirmas trepidos, reuocásque in cæca ruentes,*
*Et mala ne serpant rabiosæ semina litis,*
*Ante caues: & iustitia præceptor inermis*
*Aurea compositis instauras secula bellis*

## ALTERVM IACOBI TEVII I. C. ELOQVENtisimi ad eundem.

*MEns, lingua, ingenium, Naturæ dona parentis*
*Sint licet, artificis munere cuncta nitent.*
*Pura quidem, & minimis mens candida sordibus vt sit*
*Natura, arte eadem purior esse potest.*
*Linguæ itidem sonitum præbet natura suauem,*
*Suauior vt fiat, postulat artis opem.*
*Quis neget ingenium nostra magis arte iuuari,*
*Vt solet assiduo vomere cultus ager?*
*Hæc data diuino tria sunt tibi munere dona,*
*Mens pia, & ingenij lumen, & oris opes.*
*Purius illa tamen studiis exculta nitescunt,*
*Et rude si quid erat sedulus arte dolas.*
*Sydera ceu claro debent sua lumina Phœbo,*
*Sic sua virtutum lumina terra tibi.*
*Sermo fluit facilis sapienti è pectore manans,*
*In sene doctiloquo Nestore qualis erat.*
*Testis erit linguæ, & mentis latißimus orbis,*
*At quale ingenium sit tibi scripta docent.*

## AD LIBRVM EPIGRAMMA.

*CArus ades, cunctísque omni pretiosior auro,*
*Rerum Nauarri pars bona, docte liber:*
*Ecce sinum pandit cupidus tibi lector amicum,*
*Ecce auidam extremo tendit ab orbe manum.*
*I felix, sat te magni tenuere Quirites:*
*I, strauit facilem fama benigna viam.*
*Nec moueat, si quis lachrymis te sumat obortis*
*Dulciter illa pio è lumine gutta fluet:*
*Sic gratus patris extincti bona suscipit hære[illegible]*
*Sic viduas arca dite recludit opes.*

DEO IESV CHRISTO ÆTERNI DEI æterno filio laus & gloria.

# D. NAVARRI STVDIOSVS LECTORI EIVSDEM STVDIOSO S.

QVONIAM singula ferè D. Nauarri Consilia in vtramque partem propositam sibi iuris controuersiam ( casum vulgo nominant) examinant, & quid de ea dicendum sit eruditè & sollerter concludunt, non visum nobis est, Lector studiose, in operis frontispicio, sicut in priore editione factum est, quæstiones in vtramque partem in hoc opere ventilatas præponere , ne vel aliquas ex his omitteremus, vel ipsum operis quasi vestibulū longiùs quàm par sit produceremus. Accedit quòd questiones ex facto plerumque emergunt, quod cum aliquando paucis verbis comprehendi non possit, breue aliquod problema ex eo commodè componi non potuit. Itaque satius visum est in hac editione quæstiones ad rerum indicem locupletissimum tamquam in proprium locum relegare, vbi cum necesse etiam fuerit auctoris ipsius sententiam & iudicium inserere, etiam quæstionem cui ipse respondet, præponendam iudicauimus. Hoc autem in earum quæstionum locum reposuimus vt titulos iuris Canonici, ad quos tamquam in proprias sedes hæc D. Nauarri Consilia spectare iudicata sunt, hîc enumeraremus, & quot in eorum singulos Consilia ab auctore conscripta sint referremus, vt qui iuri maxime Canonico student, vel aliis illud prælegunt, videant quomodo ab insigni iuris interprete ad particularia ipsa facta iuris definitiones & generales sententiæ accommodentur. Subiecimus etiam alium Indicem quasi prioris appendicem, in quo capita & leges aliquot vtriusque iuris recensentur, quorum verba in hoc opere explicare, & sensum iuris conditorum rimari Doctor noster diligenter & studiose voluit: vt ex altero nostri sæculi Scæuola, vel si mauis Panormitano iuris vtriusque mentem, si non semper, saltem aliquando penetrare posses. Vale.

# INDEX TITVLORVM IVRIS CANONICI, ET CONSILIORVM QVAE IN EOS

digesta sunt, in Titulum primum 1. Decretalium Sexti & Clementinarum de Summa Trinitate & fide Catholica, Consilium 1. pag. 1.

## IN TITVLVM PRIMVM 1. Decretalium.



## IN SECVNDVM LIBRVM Decretalium.



## IN TERTIVM LIBRVM Decretalium.



In titulum

## IN LIBRVM QVARTVM
### Decretalium.



## IN LIBRVM QVINTVM
### Decretalium.



CAPITA

# CAPITA DECRETI M. GRATIANI, QVÆ SVNT IN HOC OPERE EXPOSITA,

quæ asterisco notantur ad secundum tomum pertinent, quæ non, ad primum.



### CAPITA LIBRI DECRETALIVM *D. Gregorij IX.*



Cap. fin. de

## CAPITA LIBRI VI. DECRE- *talium Bonifacij .iij.*



## CLEMENTINAE ALIQVAE *& extrauagentes.*



## LEGES TAM DIGESTORVM *quàm Codicis.*



CONSILIO

# CONSILIORVM, SIVE RESPONSORVM MARTINI AB AZPILCVETA DOCTORIS NAVARRI,

## LIBER PRIMVS.

## DE SVMMA TRINITATE ET FIDE CATHOLICA.

SVMMARIVM.

1 *Fidem confiteri occultus Chriſtianus habitans inter infideles non ſemper tenetur, ſecus quando per omiſsionẽ ſubtraheretur honor Deo debitus, vel vtilitas proximo impendẽda.*

### CONSILIVM PRIMVM.

CVM multi infideles adulti baptizentur; & credant in Chriſtũ firmiter, tamen minimè publicè audẽt id publicare formidine pœnæ: quæritur, an poſsint ſaluari, quia non habent commoditatem relinquendi patrimoniũ, & patriam ob multos reſpectus.

1 Reſpondeo primò, quòd omnis Chriſtianus de præcepto tenetur confiteri fidem, iuxta illud Pauli.[a] *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem*, per quod id affirmat D. Thomas receptus.[b] Secundò, quod præceptũ de cõfitendo fidem eſt affirmatiuum, & ideo licet obliget ſemper, non tamen obligat, vt aiunt, ad ſemper, ſicut obligant negatiua ſecundum D. Thomam receptum à Theologis.[c] & Archidiaconum[d] receptum à noſtris vbique. Tertio, quod ex his ſequitur, illos, de quibus quæritur, non obligari ſemper, & in quolibet loco ad confitendum fidem, ſed ſic in aliquo loco, & tempore, quando ſcilicet per dimiſsionem huius confeſsionis ſubtraheretur honor debitus Deo, & etiam vtilitas proximo impendenda: puta ſi aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non eſſet vera, vel alij per eius taciturnitatem auerterentur à fide. quæ ſunt verba D. Thomæ,[e] & conſequenter non poſſunt ſaluari, niſi proponant firmiter confiteri fidem in omnibus prædictis caſibus, & confiteantur in illis occurrentibus, nec eos timor pœnæ excuſat.[f]

a ad Rom. 10.
b 2.2.q.3.ar.2.
c 2.2.qu.33.a.2.& d.q.3.art.2.
d In cap ſi peccauerit.2.q.1.& in ſumma de pœn.di.5.
e 3.q.artic.2.
f Arg.c.preſbyteros.50.di.

## DE CONSTITVTIONIBVS.

SVMMARIVM.

1 *Ignorantia tunc demum à peccato excuſat in totum, ſi ſit & ita iuſta, quòd non omiſit facere aliquid eorum, quæ homines ſuæ conditionis vt ſciant facere debent, & num. 2.5. & ita cauſa peccati, quod ſi ſciret, non faceret. & num. 3.*

2 *Ignorantia affectata, qua quis ideo vult laborare, vt liberiùs peccet, non minuit, ſed auget peccatum, at craſſa, qua quis ignorat quòd homines ſuæ conditionis communiter ſciunt, excuſat à tanto, ſed non à toto.*

3 *Ignorantia comes, & non cauſa peccati eſt, quando quis, etiamſi ſciret, non abſtineret, & hæc numquam à culpa excuſat.*

3 *Ignorans probabiliter legem promulgatam, etiamſi ſciat latam, excuſatur.*

3 *Promulgatio eſt de legis eſſentia, etiamſi ſit facta in Concilio, etiam cum Papæ confirmatione, nec antea ligat. 4.*

4 *Concilij etiam auctoritate Apoſtolica Papa abſente congregati lex lata, & promulgata non ligat, niſi etiam ab ipſo Papa fuerit confirmata.*

5 *Creditur in cõſciẽtiæ foro aſſerẽti ſe ignoraſſe, & iuſtè ignoraſſe.*

6 *Ignorantia præſumptiuè in foro exteriori probatur eo ipſo, quòd non probatur ſcientia: item probatur iuramento, & alijs veriſimilibus præſumptionibus. 7.*

7 *Iuramento noſtro etſi ſtaretur regulariter in ijs quæ dependent ab animo noſtro, hoc tamen fallit, quando contrarium per probabiles probatur coniecturas, vel iuris præſumptio contraria adducitur. ſeu alia qualitas aliqua.*

8 *Ciuiſſe legem, ad effectum vt ea ligetur, non dicitur is, qui de ea aliquid audiuit, num. 11. ſed nec requiritur vera per ſenſum corporis ſcientia, num. 10. ſufficit tamen talis auditio, vel relatio, quæ in audiente fidem & credulitatem inducit, vel inducere debet, num. 11.*

9 *Iobelæorum dies incipit poſt eorum in diœceſi publicationem.*

9 *Credere non tenemur quòd à quouis quomodolibet audiuimus, nec etiam chartæ impreſſæ, vel aduenis referentibus. 32. ſed ijs quæ inducere debent fidem & credulitatem. 11.*

11 *Lex Pontificis Romæ publicata ex ſtylo non deſinit ligare prouinciales, etiam antequam in eorum publicetur prouincijs: requiritur tamen, num. 12. & 23. quod ſit recepta à maiori parte populi, in quo quis tunc reperitur. num. 13.*

13 *Romæ cum fueris, Romano viuito more.*

14 *Lex certum tempus à conditore præfixum habens non ligat ante, poſt verò omnes etiam ignorantes quo ad ſolam actus irritationem; quod ſi certum non habet præfixum tempus, & ſit inferioris principe ſtatim ſcientes, nu. 16. ſi principis, habet de iure tacito menſes duos à die publicationis. 17. ex ſtylo tamen Romano ſtatim ligat omnes, niſi probetur ignorantia. 18.*

18 *Promulgatio legis facta in aula principis de iure communi non habet vim in prouincijs, in quibus non publicatur, ſecus de ſtylo quo ad leges Pontificis. 19. 20.*

19 *Regulæ Cancellariæ ligant etiam prouinciales, niſi probent earum iuſtam ignorantiam.*

20 *Legum Eccleſiaſticarum ſcientiam habere magis ſatagere tenentur homines, quàm ſæcularium, cùm à ſpiritualibus, quæ nota ſunt, non admodum diuerſa ſint.*

21 *Promulgatio legis in prouincia etſi non requiratur ad effectum obligandi, requiritur tamen quandoque ad effectum, vt incurratur pœna.*

21 *Intellectus cap. cum infirmitas. de pœnit. & remiſſ.*

22 *Ignorantia promulgationis legis ſi ſit probabilis, iure naturæ excuſat, aliàs non. & 21.*

23 *Lex quæ non eſt recepta per maiorem partem ciuitatis, cuius quis eſt, non ligat, cum ſub ea conditione cenſeatur promulgata, ſi recipiatur. num. 24. quod & de extrauagantibus & bullis etiam tenendum. num. 33.*

24 *Lex quæ decennio non fuit recepta, non ligat, ſed qui primi non recipiunt, peccant, niſi probabilis ignorantia, aut principis potentis cogere diſsimulatio excuſet, at reliqui legitimam non ſeruandi cauſam habent, ſi ab alijs nequaquam ſeruari cœptam non ſeruant.*

25 *Lex quæ etiam ob ignorantiam non fuit decennio recepta, ſeu obſeruata, modo acciderit caſus de quo lex ſtatuebat, eneruatur. 26. 27.*

25 *Deſuetudo illa tollit legem, quæ actum contra legem continet, & hoc etiam ſi dictus actus fiat ab ignorantibus legẽ. 26. 27*

28 Recepta quæ non fuit à principio lex, si vt potest postea ab vniuersitate recipiatur, vim legis quo ad futura obtinebit, at à principe reuocata, non potest nisi ab eodem viuificari. 29.

30 Concilij Tridentini decreta omnia in singulis prouinciis publicari debere nullibi præcipitur: degentes tamen in prouinciis, in quibus non fuit receptum, etiam si de illo scientiam habeant, ibi, non tenentur seruare. numer. 32. illorumq; si sint dubia, interpretatio Papæ seruatur.

31 Ieiuniorum & festorum obseruantiam possunt Concilia prouincialia & episcopi collaudante populo indicere.

32 Promulgare omittentes Prælati bullas Papæ ad ipsos transmissas peccant.

34 Monere non tenetur confessarius pœnitentem probabiliter ignorantem ius commune, cui contrauenit, potestque eum absoluere, ac dicere, quod sit in bono statu, immo & tenetur, quando scandalum ex contrario timetur. idem dic de superiore. 35.

36 Doctor legens aliquam materiam in aliqua prouincia non tenetur monere auditores de extrauagantibus, quæ prouinciales non ligant, sed nec tenetur tacere, modo moneat qua ratione illæ ipsos non ligent.

37 Confessarius potest absoluere pœnitentem probabili ratione tenentem sententiam, cuius contrariam ipse credit veram, secus si sine probabili ratione illam teneat. 54.

38 Plura beneficia habentes, vel conferentes debet monere confessarius habenti vnum sufficiens non licere habere aliud sine iusta consuetudine, vel dispensatione, & causa tollente deformitatem, quæ ex pluralitate oritur. 39. 40.

38 Commendatarius perpetuus æquiparatur titulari, excepto eo quòd per eius mortem non vacat beneficium per obitum, sed vt vacabat quando primo fuit commendatum. 39.

41 Canones prohibentes Episcopis, ne hæreticos, vel schismaticos abiurare volentes absoluant, vel dispensent, sunt seruandi, nisi prout sunt vel consuetudine derogati, vel vsu non recepti. 42.

43 Residentiam ne faciat in parochiali, cùm sit iuris diuini, nemo potest excusari sine causa legitima, quæ & quousque sufficiat iudex recta ratione ductus arbitrabitur. 44.

45 Ordinans sacris ordinibus aliquem sine titulo, ex quo viuere possit, subiicitur pœnæ cap. cum secundum. de præb. nisi ab ordinato sit deceptus: ordinatus autem absolutè sine titulo, est suspensus.

46 Illegitimus clerici filius non potest in Ecclesia, in qua pater habet, vel habuit beneficium, nedum vt minister in aliquo etiam sacristę vel cantoris officio ministrare, sed nec vt peregrinus celebrare.

47 Sacerdotis illegitimus filius per Cōcilium est factus inhabilis ad obtinendū de cætero beneficia in Ecclesia, in qua pater fuit beneficiatus: ante autem Concilium obtenta, post trimestre, nisi illa resignauerit, si pater adhuc erat beneficiatus, vacauerunt.

47 Incestus affinitatis taciturnitas non vitiat dispensationem impetratam super impedimento consanguinitatis 49.

48 Taciturnitas eius quod expressum redderet principem difficiliorem, vitiat gratiam, sed hoc tunc demum, quando iura exigunt illius expressionem num. 50. & 53.

48 Remissionem secundi delicti obtinens, tacita remissione alterius similis prius obtenta, est subreptitius: quia tacet id, quod iura saltem tacitè iubent exprimi. nu. 53.

48 Obligatum quem ipso iure ad aliquid esse non est dicendum sine iure ad id obligante.

49 Falsi expressio, qua princeps mouetur ad facilius concedendum, vitiat gratiam.

49 Duo patiens essentialia impedimenta matrimonij, super vno validam impetrat dispensationem, altera tacita sicut & absolutionem ab vna ex duabus excommunicationibus.

50 Beneficium secundum impetrans, de primo quod obtinet, tenetur mentionem facere, sed non de cura primo annexa.

51 Criminoso tacenti crimen facta collatio tenet, modo ex eo non inducatur irregularitas, vel inhabilitas.

54 Confessarius putans pœnitentem non se accusare de aliquo, non ob obliuionem, verecundiam, vel aliam iniustam causam, sed quia credit se ob iustam dispensationem, vel rationem, vel probabilem opinionem esse in peccato, potest eumdem de hoc non interrogando absoluere.

54 Eucharistiam cùm denegat sacerdos ei qui est in statu peccati quem non potuit absoluere, caueat ne dicat se ideo denegare, quia eum non absoluit.

55 Pontificis bullas ac diplomata supprimentes, vel ne publicentur prohibentes, nisi causam iustam excusantem ostendant, non videntur absoluendi.

56 Exigentes gabellas à religiosis, etiam ex mandato dominorū, & sub prætextu probabilis vel necessariæ causæ, aut ex inueterata consuetudine, sunt excommunicati, nisi probabilis eos excuset ignorantia, vel Pontificis concessio.

57 Cum Paganis ac etiam Iudæis, locando gabellas, modò eas per se non exigant, necnon & cum schismaticis & hæreticis etiam publicis non denunciatis, tamen licitè contrahitur. 58. & num. 60. nimia tamen familiaritas cum infidelibus vetatur. 59.

61 Abiuratio hæresis præmittenda est, antequam quis ab ea per habentem potestatem absoluatur: idem de schismate, si includat hæresim, alias non.

62 Schisma opponitur vnitati Ecclesiasticæ caritatis, hæresis fidei: & omnis hæreticus est etiam schismaticus, & non econtra.

63 Hæreticam si ducat Catholicus, peccat, nec tenet pactum vt aliqui ex filijs hæreticè nutriantur, quamuis matrimonium contractum teneat. & num. 66.

64 Hæreticos schismaticos non denunciatos ad scholas Catholici admittere possunt, itemque vota ab eisdem, dum sacra quibus intersunt, celebrantur, oblata recipere. 65.

66 Compaternitatem etsi contrahat hæreticus, & schismaticus, modò sit baptizatus, non tamen potest Catholicus horum infantes ritu ab Ecclesia non permisso baptizandos de sacro fonte lauare, nec eosdem admittere, vt ipsius Catholici filium ritu Catholico baptizandum leuent.

68 Græcos, & Armenos numerādos inter hæreticos non satis cōstat.

69 Moschouitis ac Ruthenis ab hæresibus recedentibus, licitè, dum apud nos sunt, in nostris Ecclesiis ritu nostro conferuntur sacramenta, licet reuersi apud suos sint ritu Græcorum priuilegio, vel consuetudine permisso vsuri.

69 Græcus in sua terra ritu Latino, sicut nec Latinus in Latinorum locis potest Græco ritu consecrare.

70 Hæreses omnes, etiam in mortis articulo constitutus, nisi saltem in genere detestetur, non potest absolui, nec ad alia sacramenta, nec ad sepulturam admitti.

71 Fructus ex prædio quotannis nasciturі, etiam cum pacto vt post singula quinquennia tantùm redimi possint, si emantur, licitè fieri potest, secus esset, si prædicti fructus ex mutuo, vel locato percipiantur, ita vt etiam capitale restituatur.

72 Vsuras, in quibus quis, dū esset pupillus, & ignorans, ex cōtractibus per tutores secundū cōsuetudinem regionis initis reperitur locupletior, tenetur restituere, nec aliter est absoluendus. 73.

74 Bulla Cœnæ vbi non est recepta, non ligat.

74 Libros per Bullam. sciens, aut scire debens, prohibitos legens etiam ob bonum finem, ligatur censura Papæ reseruata. 75.

75 Hæreticorum libros prohibitos, etiam ex causa, legendi licentiam non dat inferior Papa.

76 Missa vt dicatur priuatis in domibus etiam ob infirmos non potest concedere Episcopus in locis in quibus sacrum Concilium est receptum.

76 Consuetudo interpretatiua Concilij est attendenda.

77 Peste infectis tenetur parochus sacramenta ministrare, item & sanis petentibus, monitis tamen prius de periculo: nec potest recedere, nisi saltem dimisso vicario: non parochus autem potest & ipse, si velit, eisdem magno cum merito, etsi cum periculo vitæ, ministrare.

79 Eucharistia debet omissa processione occultè ad infirmos deferri vbi de dehonestatione arbitrio boni viri probabiliter timetur.

80 Decimarum iudicium potest in possessorio Ecclesiastica persona introducere coram laico, in petitorio non, etiam vt reus, nisi inuitus trahatur. 81.

81 Trahi se ad iudicem sæcularem super decimis, & alijs spiritualibus causis cum consentit clericus, ligatur bulla Cœnæ, vti dictæ actioni fauorem præstans. 82.

83 Ascriptitij coloni possunt quocumque iuerint ad similitudinem seruorum fugitiuorū vendicari à dominis etiā Ecclesiasticis. 84.

83 Oblati, & donati, licet non sint vere religiosi, tamen non possunt à monasterijs recedere.

85 Clerici sæcularem iurisdictionem obtinentes, si illam per se in causa sanguinis exerceant, peccant, & ob id sequuta morte, vel mutilatione fiunt irregulares, secus si illam exerceant per generales vicarios, vel delegatos particulares, etiam si sequatur iniustæ sententiæ exequutio. num. 86.

87 Hæretico notorio, sicut nec Iudæo, immo multo minus est concedenda in alios præeminentia.

## CONSILIVM PRIMVM.

*Continens quæstionum fere quotidianarum, seu casuum pro Vltramontanis decisiones 48. tum ad titulum de constitutionibus, tum ad alios spectantes.*

RESponsurus ad propositas mihi quæstiones, quæ sunt 41. præmitto septem alias, ex quibus, & ex illis constituuntur 48.

1 PRIMA QVÆSTIO. An, & quæ ignorantia legis excuset à peccato transgresionis illius? Respõdeo primò, quòd duo requirũtur, vt ignorantia excuset omnino, siue quod aiũt à toto, nempe quòd sit causa illius, & quòd sit iusta, siue vt Theologi vocant, inuincibilis, siue vt nos vocamus, probabilis, vt resoluit S. Thomas.[a]

Secundò, quòd illa ignorantia dicitur causa peccati, quæ tollit scientiam, qua existente non fieret illud, vt resoluit idem S. Thomas.[b]

Tertiò, quòd illa ignorantia dicitur iusta, siue inuincibilis, vel probabilis, quæ est de eo, quod quis non tenetur scire, vel non potest, adhibita diligentia, quæ ab aliis suæ conditionis arbitrio viri prudentis adhiberi debet, iuxta mentem S. Thomæ,[c] & probatur in §. notandum.[d] Cui consequens est, ignorantiam quam quis habet, quia non vult scire, quò liberius peccet, quę appellatur affectata, vel ob negligentiam laborandi, & efficiendi quod ad sciendum homines suæ conditionis arbitrio prudentis viri efficere debent, quæ appellatur crassa, non excusare, vt idem S. Thom. tradit[e] & probatur per illud Apostoli.[f] *Ignorãs ignorabitur.* quod intelligitur de eo *qui noluit intelligere, vt bene ageret,*[g] noluit inquam, aut optando non intelligere, aut non faciendo id, quod debet, ad intelligendum.[h]

2 Quartò, quod in Manuali confessariorũ,[i] hoc resoluimus in hæc verba. *Triplex est ignorantia, affectata, crassa, siue supina, & iusta. Affectata siue optata est, qua quis ignorat id quod scire tenetur: quia non vult scire, quò liberius absque suæ conscientiæ contradictione, vel alia de causa peccet, iuxta illud.*[k] *Noluit intelligere, vt bene ageret. quæ adeo non excusat, aut minuit peccatũ, vt etiam augeat ob circumstantiam mali desiderij. Crassa vero siue supina est, qua quis ignorat id quod communiter omnes sui ordinis sciunt, quod contingit per culpam latam, de qua supra*[l] *quæ excusat à tanto, sed non à toto. Iusta verò, quæ à Theologis inuincibilis, & à nostris probabilis appellatur, est, qua quis ignorat quod non oportet eum scire,*[m] *& qua communiter homines eiusdem ordinis adhibita debita diligentia laborant, iuxta S. Thomam*[n] *qualis est eius, qui petit consilium à viris habitis pro præditis scientia, & conscientia in id sufficienti, qui falsè illi consulunt. arg. cap. capellanus,*[o] *& eorum quæ tradit Alexander*[p] *& S. Antoninus,*[q] *& hæc omnino excusat, quando est causa actus. Ignorantia enim interdum est peccati causa, interdum non, sed eius comes est causa, quando actus non fieret, nisi ignoraretur: est solùm comes, quãdo peccaretur, etiam si sciretur: & hęc numquam à culpa excusat, illa verò interdum omnino, interdum ex parte, vt prædictum est.* Hæc ibi.

Quinto dico, quod ad hoc, vt quis dicatur legis transgressor, & ob id peccare, non sufficit vt sciat legem esse faciendam, vel fieri, nec esse factam, etiam in Concilio publico, vt rectè tenet Decius contra Panormitanum,[r] si nondum est promulgata: quia lex non ligat antequã promulgetur.[s] De essentia enim legis est promulgatio, vt S. Thomas receptus definit[t] neque si iam est promulgata, si probabiliter ignoret eam esse promulgatam, per prædicta.

a 1. 2. qu. 76. art. 8.
b d. quæst. 76. art. 1. & qu. 6. art. 8.
c In di. quæst. 76. art. 2.
d 1. quæst. 4. & in ca. 2. de constit.
e In di. art. 8.
f 1. Corinth. 14.
g Psal. 68. ca. ideo. 37. dist.
h Arg. le. magna negligentia. ff. de verbo. sign.
i Cap. 23. nu. 45.
k Psal. 68. relat. in ca. ideo. 37. dist.
l Ca. 17. num. 177.
m 1. quæst. 4. §. notandum est.
n Vbi supra qu. 76. art. 3.
o Iũcta gloss. 3. de feri.
p Cons. 1. col. 4. vol. 2.
q 1. par. tit. 3. qua. 10. §. 10.
r In cap. 1 de postul. prel. num. 19.
s §. leges. 4. dist.
t In 1. 2. qua. 90. art. 4.

4 Sexto, vltra omnes, quod non sufficit legem esse factam in Concilio œcumenico, vel promulgatam in eo, antequam confirmetur à Papa specialiter, & generaliter confirmando totum Cõcilium: quia quicquid alij dicant, leges Concilij quamlibet legitimè congregati non obligant ante confirmationem Papæ subsequutam, vt satis probatur in vltimo decreto Concilij Tridentini, & confirmatione ipsius à Pio IIII. petita, & facta, & ex stylo omnium Conciliorum œcumenicorum absente Papa, & præsentibus eius Legatis actorum & conclusorum. Nec obstat, quod in Hispaniis aliquot constitutiones Concilij Tridentini nondum perfecti, nec confirmati visæ fuerint obseruari: quoniam id factum est per errorem opinantium leges Concilij generalis vim habere ligandi ab eo tempore, quo in ipso Concilio promulgantur, aut quia fuerunt acceptæ in leges obligatorias à Prælatis, qui poterant eas suo iure ferre, & eis vim obligatoriam quo ad sua territoria indere.

SECVNDA QVÆSTIO. Quomodo potest constare de ignorantia? Respondeo primo, quod in foro Dei & conscientiæ statur dicto Rei,[a] & glossæ putatæ singularis,[b] cui similis in verbo *electio.*[c]

5 Secundò, quòd non sufficit etiam in foro conscientię, quod reus dicat se ignorasse, nisi dicat iustè, siue probabiliter, siue inuincibiliter ignorasse. Tunc autem sic ignorat, quando non oportebat eum id scire, vel si oportebat eum scire, non optauit id ignorare, neque neglexit adhibere ad id sciendum eam diligentiam, quam communiter alij suæ qualitatis prudẽtis viri arbitrio adhibere debent, per responsum ad præcedentem quæstionem.

6 Tertiò, quod ignorantia probatur quo ad forum exterius. Primò per præsumptionem iuris, quæ regulariter præsumitur donec scientia probetur, *ca. præsumitur,*[d] cuius glossa ponit alios tres modos probãdi, puta per iuramentum.[e] Secundo, probando aliquid, quòd necessario consequitur ignorantiam, vt quod erat infans, vel furiosus.[f] Tertiò, probando aliquid, quod verisimilis ignorantia consequitur, vt probando absentiam.[g]

7 Probatio autem iuramenti ideo admittitur, quia regulariter ea quæ sunt in animo aliter probari nõ possunt, iuxta glossam putatam singularem,[h] cui similis est in capitul. significasti.[i] & ignorantia in animo consistit, vt palam est. Quò fit, vt si contrarium probaretur, non crederetur iuramento iuxta glossas notabiles & receptas,[k] quæ addunt posse probari contrarium per coniecturas probabiles: nam per probationem, quòd erat publicè notum, tollitur probatio per iuramentum, vt ait glossa.[l] Tollitur item per præsumptionem iuris, si qua est contra iurantem, per regulam Bartholi,[m] scilicet, *iuramento eius, contra quem est præsumptio legis, non esse standum.* Tollitur etiam, quando qualitas personæ, vel alia indicia in contrarium mouent, secundum Baldum,[n] quem inter alios sequitur Decius.[o]

TERTIA QVÆSTIO. Quæ scientia legis sufficiat, vt quis ligetur ea? Respondetur, quòd hinc videtur, quòd quælibet sufficiat, eo quod nec canon, nec vlla lex videtur distinguere, nec restringere, & ita nec nos distinguere nec restringere debemus.[p]

8 Illinc autem videtur contrarium. Primò quidem, quod aliàs sequeretur, quemlibet morantẽ Romę teneri ad seruãdam legẽ, cum quoquo modo audiuisset eam à Papa in ea esse promulgatã. Secũdò, quòd etiam sequeretur, quòd quicũque Italus, Hispanus, Gallus, vel German⁹ audiuisset in sua patria legem aliquam promulgatam Romæ teneretur ad eam seruandam: & consequenter peccasse mortifere omnes prædictos, qui sciuerunt, vel audiuerunt, & non statim, vel saltem post duos mẽses seruarent formam pronunciandi horas Canonicas iuxta formam Breuiarij noui authoritate Pij V. compositi, in cuius prologo iussit, & præcepit vt omnes, paucis exceptis, qui ad pronunciandas horas Canonicas tenerentur, secundum formam in eo præscriptam eas pronunciarent, sub pœnis contra negligentes eas pronunciare constitutis: & quod prædicti omnes tenebantur statim quærere, & emere, & quantocitius possent facere deferri ab Vrbe ad suam patriam illa Breuiaria, quanticumque constitissent, quod nullibi

a Arg. c. humanæ aures. 22. quæst. 5.
b In clem. 1. in verbo non habita de priuileg.
c Ca. penult. de sentent. & re iudic. lib. 6.
d De reg. iur. lib. 6.
e Cap. pastoralis. de excep cap. si vero. 2. de sent. excomm.
f Capit. indutus. 3. quæ. 9. cap. cum dilectus. 2. de success. ab intest.
g Ca. fin. qui matrimo. accus. non poss.
h In §. aliam. qui aliàs incipit, sed istæ. Instit. de actio
i 1. de homici.
k In cap. proposuisti. 82. di. verb. nõ probatur. in cap. eos. verb. affectata. de tẽpore ordina. lib. 6.
l di. cap. proposuisti.
m In l. inter omnes. §. recte. ff. de furt.
n In l. 1. C. de collus. deteg.
o In dict. ca. 2. in lect. 2. n. 48. & seq.
p Leg. de pretio ff. de publ. in rem act. cu. si Romanorũ. 19. dist.

extra Vrbem seruatum esse credimus: nec vllos, vel paucos illius omissionis pœnituisse putamus.

9 Tertio facit & id, quod scripsimus alibi,[a] nempe non dici quidē scire, vel nosse aliquid, eo quod id quomodolibet, vel à quolibet audierit, iuxta illud Sapientis,[b] *Qui cito credit, leuis est corde.* quod satis probatur per cap. nō solum.[c] Quarto facit & illud, quod sæpe respōdimus circa indulgentias iobelæas, quæ ob varias causas solent mitti à Sede Apostolica in prouincias, quærēdas ab eis, qui prima hebdomada postquam eas scierint concessas, vel fuerint publicatæ, illa & illa pietatis opera fecerint, nempe quod non intelliguntur de prima hebdomada, quæ sequitur quamlibet primam scientiam illius concessionis & publicationis, sed de illa quæ est prima postquam sciuit eam per publicationem factam iussu Episcoi sui in ea ciuitate, vel oppido, in quo moratur seu inuenitur.

10 Quapropter dicendum est primò, quòd non requiritur vera scientia, quæ nascitur ex notitia intuitiua alicuius quinque sensuum, de quibus alibi,[d] quæ requiritur in teste deponente,[e] quamq; definiuimus alibi.[f]

11 Secundò, quòd non sufficit quælibet auditio, & relatio, sed requiritur talis, quæ inducat, vel inducere debeat fidem, & credulitatem in audiente, per argumentum pro posteriore parte formatum.

Tertiò, quòd non videtur requiri, vt per Præsules, vel alios prælatos in suis territoriis publicetur: quoniam in quæst. sequenti concludetur (attento stylo, & consuetudine Curiæ) sufficere publicationē, & promulgationem in Curia factam.

Quartò, quòd ex capite ignorantiæ non potest excusari à peccato transgresionis, qui iusta ratione firmiter credit legem esse in Curia publicatam, per responsa supra ad primam quæstionem, & infra ad quintam.

Quintò, quod excusari fortè posset ex eo capite, quod non sit recepta, nec scita à maiore parte populi, cuius ipse est pars: eo quod lex etiam iuste promulgata non videtur ligare, si maior pars eam non recipiat, per respondenda infra.[g]

Sextò, quod ex his infertur, vnam eandémque scientiam vnius eiusdémque legis, quæ sufficit, quo habens illam in vno territorio ea ligetur, non sufficere vt idem in alio territorio similiter ligetur. Quod confirmatur per c. illo[h] quatenus Ambrosius consuluit Diuæ Monicæ matri patris nostri Augustini, quòd ipsa sciens legē de Sabbato ieiunando tenebatur seruare illam Romæ, nō Mediolani.

14 QVARTA QVÆSTIO. A quo tempore incipiat ligare constitutio? Respondeo primò, quod lex non ligat ante lapsum temporis, ante quod legislator noluit vt ligare inciperet, quia ad illius vsque lapsum non habet virtutem ligandi, vt palam est: cum lex non habeat maiorem virtutem illa, quam legislator indit ei.[i]

15 Secundò, quòd non est dubium à quo tempore vult legislator vt sua lex incipiat ligare, quādo illud exprimit, vt in ca. cum singula[k] adeo quòd si lex dicat, vt liget ex nunc, ab ipso tempore promulgationis ligabit scientes, per glossam,[l] etiam iustè ignorantes quo ad irritationem actus, licet non quo ad peccatum, per responsionem ad primam quæstionem, & adnotata per Panormitanum cōmuniter receptum,[m] licet quo ad aliquid discedat ab eo Decius potius verbis, quam mente, si satis res perpēdatur.

16 Tertiò, quòd est grande dubium, an lex incipiat ligare ante lapsum duorum mensium post promulgationem eius, an solùm post lapsum illorum. Et respondendum est, quòd si est lex inferioris Principe, statim incipit ligare subditos à tempore scientiæ illius, secundum Panormitanum,[n] pro quo multa citantur ibi à Felino & Decio: sed plus monet hæc ratio, quòd nullo iure cauetur, vt legis inferioris Principe vinculum differatur, & ita non est dicendum.[o] Ad præsumendum autem scientiam quo ad forum exterius, tempus videtur esse arbitrarium, vt Panormitanus receptus concludit:[p] quia viciniores videntur citius scire, argum. c. quosdam. & cap. quanto. de præsumpt.

17 Quarto, quod solo iure scripto attento, Princeps nō videtur ligare ante lapsum duorum mēsium, etiam scientes eam factam & promulgatam, vt videtur tenere glossa vltima.[q] & Antonius,[r] quem cōtra Panormitanum, Imolam & Felinum sequuti sumus cum Decio ibidem,[a] qui idem tenet alibi,[b] & merito. Tum quia authentica,[c] tam in rubro, quam in nigro expresè habet, illam post duos menses, & non antea valituram, & cōsequenter ante illos duos menses eam nō ligaturam. Tum quia etsi bona pars causæ, quare datur dilatio duorum mensium, sit, ne ignorantes obligentur: tamen nō est sola, quia etiam datur, ne alios liget, antequam alios, & vt omnes incipiat eodem tempore ligare, & vt tollatur confusio, rixa, & imparitas subditorum, dum alij ante alios ligantur: per quod tolluntur argumenta Bonifacij à Vitalinis, quibus reprobat Paulum de Leaza tenentem idem quod nos,[d] argumenta item Philippi Franci.[e]

18 Tum quia vt scientia legis, donec promulgetur, non ligat, ita pari fere ratione sciētia legis promulgatæ, donec labatur tempus tacitè constitutū ad ligandum, non debet ligare. Et quāuis hæc pars solo iure scripto attento verior videatur; de cōsuetudine tamen & stylo videtur in Vrbe seruari, vt transgredientes legem Papę publicatam etiam ante duos menses, puniantur, nōn solùm qui confitentur, vel probantur sciuisse illius promulgationem, sed etiā qui non probauit iustè illam ignorasse: presupponendo, quod præsumitur scire. Quæ cōsuetudo & stylus restringi forte posset ad forum tantùm exterius, & Vrbicolas.

Quinto, quod vna opinio, quæ pauciorum est, tenet legem promulgatam in Curia Principis nō ligare prouinciales, hoc est subditos extra prouinciā, vbi est Curia, degentes, etiā post duos menses à publicatione facta in Curia, donec per Gubernatores prouinciarū in earū Metropolibus promulgetur. Primo quidē, quòd expresè habetur in prædicta authentica,[f] quòd lex noua non obligat Prouinciales, nisi post duos menses à publicatione in eorum Prouinciis facta, & iure Canonico nō est expressum contrarium: ergo illi standum est.[g] Secundo, quod Ioānes Andreas[h] receptus cōmuniter tenet id quod dicimᵒ esse verum de lege Imperatoris, & eadem ratio vel maior videtur de lege Papæ: quia hæc extenditur ad omnes Christianos, & cōsequenter ad multò plures Prouincias, quam lex Imperatoris: & ita durius esset, quòd hæc ligaret antequam publicaretur in Prouinciis, quam illa. Tertiò, quòd cap. cum infirmitas,[i] significat, illā constitutionem etiam factam in Concilio generali non ligasse ante publicationem eius à Prælatis factam. Quartò, quòd durum videtur dicere, omnes leges, quæ passim motu proprio Pont. Max. fiunt Romæ, ligare post duos menses à publicatione in Curia facta, vltimos quosque cultores Septemtrionis & Occidentis, Æthiopes item, & Indos. Quinto, quod Caietanus versatus in Curia sic scripsit.[k] *Quod si Romæ noua lex promulgatur, & nec Curia ipsa curat vt promulgatio ad Ecclesias Cathedrales deueniat, nec Prælati, qui ibi sunt, insinuant suis Ecclesiis, accusari nec apud Deū, nec apud homines ignorantiæ possunt absentes nescij.* Sextò, quòd lex naturæ, & diuina dictat, vt iustè ignorantes legem non ligentur illa,[l] & negari non potest Indos, Æthiopes Occiduos, & Hyperboreos iustè ignorare legem humanam nouam in sola Roma publicatam etiam post duos menses.

19 Altera verò opinio, quæ frequentior est, tenet contrarium, videlicet, quod lex ligat omnes etiā Prouinciales post duos menses à publicatione legis in Curia facta. Pro qua facit primò ratio prædictæ glossę vltimæ,[m] videlicet, quòd alioquin sequeretur, quod liber sextus solum ligaret in Prouinciis, in quarum Academiis prælegitur: quia non est publicatus in aliis. Secundò, quòd consuetudo, & stylus Curiæ, quæ vim legis habet,[n] seruat, vt iudices Vrbis iudicent cōtra omnes totius orbis Christianos secundum leges Papæ promulgatas in ea in locis ad id prestitutis: nisi iustam illam ignorantiam probent. Immo & multi Episcopi residentes in suis Ecclesiis deferri faciunt ad se extrauagantes nouas, quę promulgātur in Vrbe, & secundū eas decidunt causas suæ diœcesis. Tertiò, quòd regulæ Cancellariæ, quæ non publicantur extra Curiam, ligant omnes degentes extra eam, & in Francia, testante Bartholomæo Cassadoro,[o] & antea fuit decisum in Capella Tholosana.[p] Quarto, quod alioqui sequeretur, quòd bulla Cœnæ Domini in sola Roma publicata non ligaret extra Curiam & Romanam Prouinciam existentes, nec multæ

aliæ

---

a In ca. inter verba. 11. qu. 3. conclus. 6. coroll. 65.
b Eccles. 19.
c 11. qua. 3. & ea si quid vero. 86. dist.
d In dicto corol. 65. & in prælud. 2. Manual. confess. num. 1.
e Cap. testes. 3. quæst. 9.
f In ca. si quis autem de pœnit. dist. 7. nu. 10. & in rub. de iudic. nu. 43.
g Ad quæ. 5. & quæst. 6.
h Adiuncta gloss. 12. dist.
i Art. cap. fin. de reg. iur. li. 6. le. cōtra. §. fraus. ff. de legib.
k De prebēd. lib. 6.
l In clem. 2. verb. ex tūc. de hæreti.
m In dicto c. 2. de constitu. num. 7.
n Vbi supra.
o Cap. consuluisti. 2. qu. 4. & §. considerenus. authēt. de triēt. & semiss col la. 3.
p Vbi supra num. 8.
q In data Sexti.
r In dict. c. 2.

a In prima & secunda elect.
b In cap. 1. de postul prælat. num. 19.
c Vt factæ nouæ constitu. coll. 5.
d In procem. clem. in §. nūc igitur à num. 41.
e Super data Sext. sub finē.
f Vt factæ nouæ constitutiones.
g Arg. cap. 1. de oper. nou. nunciat. & c. si in adiutorium. 10. dist.
h Super gloss. data Sexti.
i De pœnitentia & remiss.
k In 1. 2. quæ. 90. art. 4.
l Capit. 2. de constit. & ca. proposuisti. 82. dist.
m In data Sexti.
n Cap. quam graui. de crī. falsi.
o Constit. 10. viso processu. colum. 5.
p Decis. 444. incip. itē fuit quæsitum an regula Cancellariæ &c.

aliæ extrauagantes magni momẽti in sola Curia Romana publicatæ ligarent alios, quã Romanos: & ꝙ si supplicarẽtur Toleti, ligarent tantũ Prouinciales, & nõ Hispalenses, nec Legionenses, si nec Legione, nec Hispali publicarẽtur & si publicarẽtur Parisiis, nõ ligarẽt Tholosates, nec Lugdunẽses, si nec Tholosę nec Lugduni publicarentur: & ita magna disparitas & cõfusio seminaretur in Prouinciis. Se queretur itẽ, quod non solũ liber sextus nõ ligaret vniuersos, vt ait prędicta glossa, sed quod nec liber Decretalium, nec Clementinarum, ligarent Prouinciales: quia nulla vel pauca eorum sunt hactenus publicata in Prouinciis. Quæ omnia videntur absurda, & ita non asserẽda. [a] Quinto, quod Thomas [b] ait, quod subditi absentes à legis promulgatione obligantur ab ea, illa ratione, quod illa deuenit, vel deuenire potest in eorum notitiam, nulla facta mentione de faciẽda promulgatione, siue publicatione in prouincia, vel capite prouincię. Per quę omnia videtur resoluendum, quod attẽto solo iure scripto prior opinio videtur verior. Attento vero stylo, & consuetudine Ecclesiæ, Curiæque Romanæ, posterior debet seruari quo ad leges Papæ, nempe quòd requiratur quidem promulgatio earum, sufficere autem quod fiat Romæ in locis ad id præstitutis, vt ligent etiam Prouinciales post duos mẽses, vel aliud tempus expressum in eis.

a *Le. nã quod absurdum ff. de bon. libert. ca. dudum 2. de elect. lib. 6.*
b *In dict. c. 2. quæ. 90. ar. 4.*

20 Non obstãt argumenta pro priore parte adducta. Ad primũ enim & secundum respondetur ea procedere iure scripto tantùm attento: hanc verò partem, quam defendimus, procedere consuetudine, & stylo Curiæ attentis, eo quod licèt vno respectu maior ratio suadeat, ne lex Papæ ad omnes terras sibi subditas extendatur per solam publicationem Romæ factam, quam lex Cæsaris per publicationem in eius Curia factam, vt secundum argumentum probat, alia tamen maior suadet cõtrarium, puta quod Papa minus discurrit: & ideo, vt ait Ioannes Monachus, [c] dicatur habere pedes plũbeos, & nõ plumeos: & quod vnus est totius orbis Christi Vicari⁹ in spiritualibus, de quibus noscẽdis maiorẽ curam debẽt habere subditi eius, quàm subditi Cæsaris de temporalibus, quibus ille præest: & quod statuta eius vt plurimũ nõ sunt tot, neque adeo diuersa à spiritualib⁹, quæ nota sunt Christianis, ac Cæsaris.

c *In reg. in gener. de reg. iur. lib. 6.*

21 Ad tertium, quod à nemine video solutum, respondeo, quòd prædictum cap. cum infirmitas. probat quidẽ, quod medici non debent arceri ab ingressu Ecclesiæ propter violationẽ illius canonis, nisi in terris, in quibus ille fuerit publicatus, non tamẽ probat, quòd canõ ille nõ debeat seruari in aliis donec in eis publicatio fiat. Nam canon ille duo continet: Alterum absolute, quod medicus corporalis ante omnia moneat infirmum, vt spiritualem accersat: & quo ad hoc non requirit publicationẽ: Alterũ sub conditione, quòd medicus si frangat illam legem, arceatur ab ingressu Ecclesiæ in terris, in quibus facta fuit publicatio illius à prælatis: & ita solum quo ad incurrendum hanc pœnam requirit publicationem, quam non requisiuisset, nisi specialiter id cautum fuisset. Vnde illud c. argumento ab speciali retorqueri potest pro parte posteriori, adeo non obstat illi.

Ad quartum respondeo, concedendo durum quidẽ, & durissimum esse dicere, quod omnes existentes extra prouinciam Romanam non seruando legem publicatã Romæ tantùm statim post duos menses peccant: sed negãdo esse durũ dicere, quod obligãtur post tẽpus, quod vir bonus siue iudex arbitrabitur esse sufficiens, vt illi, de quibus quæritur, sciant, attenta distantia Prouinciæ, & qualitate legis, & frequentia hominum illius Prouinciæ habitantium Romæ, & venientium ad eam, & redeuntium ab ea: quod est aptissimum temperamentum dictorum. [d]

d *In dict. c. 2. de constit.*

Ad quintũ respõdeo primò, quod Caiet. à cõtrario sensu idẽ quod nos sentit quo ad sciẽtes legem Romæ publicatam, dum solos nescios excusat, & consequenter idem dicitur sentire quo ad debentes scire: quia scire, & debere scire in hoc æquantur, [e] & ita clare sentit, quòd Prouinciales ligantur lege Romæ tantùm publicata, si id sciant etiam antequam in prouincia publicetur. Quo ad ignorantes autem probabiliter idem sentimus, quod ille, quòd non sunt rei, si iustè ignorant, vt supra in quæstione prima diximus, & postea in quinta & sexta dicemus.

e *Leg. quod te ff. de reb. credit.*

A 22 Ad sextum cõcedimus lege naturæ excusari iustè legem ignorantem, etiam in sua Prouincia publicatã: negamus tamẽ, omnes Prouinciales, vbicumque degant, iustè ignorare legem Romę tantùm publicatã. Tum quia sunt, qui illam scire debent quo ad vtrũque forum, vel alterum tantùm: & etiã secundum Caietanum scientes legem esse latã & promulgatã peccant, si eam non obseruant, vt prędictum est: & cõsequenter peccant, qui scire debent, cùm illi coæquentur scientibus, [a] & ita Prouinciales, scientes vel scire debẽtes nõ excusantur eis ex capite defect⁹ promulgationis in sua Prouincia, licet forsã excusari possent ex capite defectus receptionis in illa, vt infra, [b] tangetur.

a *Di. le. quod te. ff. de reb. cred.*
b *qu. 5. & 6.*

B 23 QVINTA QVÆSTIO. An lex non recepta liget? Respondeo primo quod non. §. leges, [c] ibi, *leges confirmantur, cùm moribus vtentium approbãtur.* & l. de quibus, [d] ibi, *nam cùm ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneãt, quàm quod iudicio populi receptæ sunt.* quod & tradimus in Man. [e] in hæc verba, *Lex antequam recipiatur, saltem per maiorem partẽ ciuitatis, cuius pars transgressor, non ligat: quoniã promulgata videtur cum conditione, si recipiatur, saltẽ per maiorẽ partẽ, vt singulariter dixit Dominicus,* [f] *per recẽtiores receptus,* [g] *& profundius Felinus.* [h]

c *4. dist.*
d *ff. de legib.*
e *Cap. 23. nu. 41.*
f *In d §. leges.*
g *Ibi, & in c. 2. de constit.*
h *In cap. 1. de treug. & pace. à num. 11. versicu. intellige quarto. & in nu. 13. consid. 2.*

24 Secundo, quod vltra rationẽ positam in Man. [i] quare lex non recepta non obliget, videlicet quod, præsumitur legislator ferre illã sub conditione, si fuerit recepta potest reddi alia, videlicet ꝙ iusta causa excusat à peccato violaC tionis legis humanæ, vt tradim⁹ alibi, [k] post S. Thomã, [l] & Archidiaconum, [m] & iustam causam videtur quis habere non seruãdi legem, quod ab aliis non seruatur, nec cœpit seruari: cùm enim lex respiciat vtilitatẽ communem, [n] nõ videtur eius lator velle vnum vel alterũ ligare ad seruandũ, quod alij cõsubditi non seruant, nec seruare incipiunt.

i *Num. 40.*
k *In d. ca 23. num. 43.*
l *1 2. quæ. 96. art. 6. & 2. 2. qu. 147. ar. 3.*
m *In ca. vtinam 76. dist.*
n *Ca. erit autem lex. 4. di.*

Tertiò, quòd qui dicunt peccare illos, qui non seruant à principio legem iuste promulgatam, asserunt tamen, quòd si sciẽte id superiore, & potente cogere, & non cogẽte seruare, non seruãt, non videntur peccare, eo quod videatur superior eam suspendere, vel tollere, iuxta glossam singularem & celebrem, [o] quam Panormitanus & cõmunis ibi, & alij alibi approbant, quos refert Felinus, [p] D asserunt item, non ligare illã quæ decennio non est recepta, vt post Calderinũ Cardinalẽ & Imolã tradit Felin⁹. [q]

o *d. ist. ca. 1. de treug. & pace.*
p *Ibid nu. 7.*
q *In di cap. 1. de treug. & pace. num. 13.*

Et addo omnibus, quod primi non recipientes possunt excusari à peccato ignorantię probabilis, qua legẽ probabiliter ignorauerũt, per resolutionem primæ quæstionis.

25 SEXTA QVÆSTIO. An lex non recepta ab eam ignorantibus ita eneruetur, sicut non recepta ab eam sciẽtibus: quæ quotidiana & noua quæstio est. Et pro parte quidẽ negante facit primò, quod desuetudo legis, quæ non implicat transgressionem eius, vt quia casus eius non occurrit, non tollit illam, secundum Ioannem Andream, [r] quod latè cõfirmat Felinus, [s] & quod cum ignoratur lex, E non videtur occurrere casus, in quo ea sit vtẽdum. Facit, quod actus agẽtium non operãtur vltra intentionem eorum, [t] & quòd non obseruantes legem, eo quòd ignorãt, non intendunt eam tollere, eo quòd non vtantur ea: voluntas enim, cuius actus est intentio, secundũ S. Thomam receptum, [v] nõ fertur in incognitum, vt ait Augustinus. [x]

r *In ca. Ioannes. de cleric. coniug.*
s *In cap. 1. nu. 10. de treug. & pace.*
t *Le. non omnis. ff de rebus cred. & cap. fin. de præbẽ.*
v *1. 2. quæ. 12. art. 1.*
x *Li. 3. de Trinit.*

26 Pro affirmatiua verò, quæ videtur verior, facit, quòd iustior est causa obseruantium legem, eo quod ignorant eam, quam eorum, qui scientes eam nolunt recipere, nec vti ea: & ratio quare lex non recepta nõ ligat, est, quia non est firmata vsu, vt sentit l. de quibus, [y] & hæc ratio æquè militat cum desinit seruari per ignorantiam, ac si desineret seruari per renutum, siue noluntatem, siue, vt ita dixerim, nolentiam seruandi.

y *ff. de legib.*

F Nec obstat primum argumẽtum in oppositum: cui responderi potest cõcedendo quod desuetudo, quæ non implicat vsum contrarium legi, non tollit eam, vt non tolleretur dispositio, *l. quæritur,* [z] disponens, vt hermaphroditus habeatur pro viro, vel fœmina iuxta sexum, qui in eo præualet, licet per mille annos nullus hermaphroditus nasceretur in aliqua Prouincia.

z *ff. de stat. hominum.*

27 Concedendo item consequenter, quod desuetudo, siue non vsus ignoratæ legis sine contrauentione ipsius non tolleret legem ignoratam. At negando, quod omnis vsus legis ignoratæ sit absque contrauẽtione ipsius: & ita negando, quod non tollatur per desuetudinem ignoran-

tiũ,& vtentium contra illã occurrentibus casibus:Ex quo sequitur,quod lex Papæ ignorata per omnes homines alicuius prouinciæ vel per maiorem partem eorum,qui in ea non sunt vsi tempore in id sufficienti,cõtraueniendo ei in casibus occurrentibus,censetur eneruata quo ad illam.

Nõ obstat etiã secundum argumentum: quia ad eneruãdam legẽ per nõ vsum eius,nõ requiritur, quod subditi noluerint eam recipere per actus positiuos voluntatis,sed sufficit, quòd non recipiant illam & vsu eorum non firmetur,per illa duo tam celebria iura.[a]

a §. leges. 4. dist. & leg. de quibus. ff. de legibus.

28 SEPTIMA QVÆSTIO. An paria sint legem reuocari à legislatore,& eã à subditis nõ recipi? Respõdeo nouã esse questionẽ,& satis quotidianã,& videri resoluẽdã esse negatiuè. Tũ quia legẽ esse latã, & promulgatã ea cõditiõe,vt nõ liget nisi recipiatur,& nõ esse latã nec promulgatã,nõ sunt paria:casu enim priore extat lex, licet nõ licet donec recipiatur:posteriore verò nõ extat lex,nec recipi põt.sicut in simili nõ sunt paria rescriptũ esse ipso iure nullũ,[b] & esse validũ,sed elidibile per exceptionẽ,[c] illud enim etiã aduersario non opponente,& consentiente est inutile,iuxta glo.cõmuniter receptã,[d] hoc verò parte non opponente valet,iuxta cõmunẽ.[e] Tum quod lex iam lata,& promulgata nõdum reuocata, licet à principio nõ recipiatur à subditis,põt tamẽ postea mutata volũtate recipi,quia substãtia eius durat, reuocata verò minimè, nisi denuo feratur à legislatore:quia iã substãtia eius periit: & quod extinctũ est,non põt reuiuiscere, nisi auctor potens illud denuo produceret.[f]

b Vt in cap. 1. de rescript. li. 6.
c Vt in ca. cæterum. de rescript.
d In dict. ca. 1.
e In dict. cap. cæterum & ca ex tenore. cum ei adnot. eod. tit.
f l. qui res. § aream. ff. de solut. & cap. quam periculosum. adiuncta glos. 7. q. 1.

29 Ex quo sequitur primò, ꝙ leges nouũ ius inducentes Cõc.Trid.licet nõdum sint receptę in aliquot terris, quibus notum est eas esse cõstitutas,nõ cẽsentur periisse, nec reuocatæ quo ad illas,sed quadãtenus suspẽsę, simulac vniuersitates illarum eas receperint vim ligandi habiturę. Secundo,legẽ,quę nõ est recepta in aliqua terra ob ignorantiã eius,simulac,habita eius sciẽtia,recepta fuerit, perinde ligaturam eos,qui terram illam incolunt,ac si à principio fuisset recepta,quo ad actus prędictam scientiam & receptionem consecuturos.

OCTAVA QVÆSTIO, siue prima propositarũ, Sint ne oẽs obligãdi in foro cõsciẽtię ad obseruãda decreta Cõc.Trid.quę ad mores & reformationẽ spectãt, cũ apud eos nõ sint promulgata ab ordinariis,nec synodaliter in vniuersa ꝓuincia recepta? Nõ quęritur aũt hic de iis,q̃ particularẽ ꝓmulgationẽ requirũt, vt decretũ primũ sess. 24.[g] sed de aliis.Ratio dubitãdi est. Tũ quia par omnium videtur ratio,cũ oĩa promulgari iubeat Cõc.Tũ quia si lex ẽt ꝓmulgata, nõ tamẽ obseruatione firmata,non obligat secundũ doctorũ sententiam,minus videtur obligare,quę ab ordinario prelato neq; est recepta, neque promulgata, neq; obseruata. Tum quia videmus vniuersales leges diuersimode à diuersis Prouinciis obseruari, alias etiam nõ omnino obseruari, vt est in ieiuniis,festis diebus, &c.

g De reformat. de matrimonio.

30 Respondeo primo,nõ videre me vllũ canonẽ in Cõc. Trid.quo iubeantur omnia in eo cõstituta in omnibus ꝓuinciis publicari, vt in propositione quæstionis dicitur, tametsi Pius IIII.in cõfirmatione tam simplici verbo facta,quàm bullata,præcepisset vt ab omnibus Christi fidelibus,tã presulibus,quam aliis, recipiantur & obseruẽtur, & per alias literas declarasset ea incepisse obligare à Kal. Maij 1564.& sub finem prefatæ cõfirmationis bullatę iussisset,vt literę eæ,& quędã alia publicarentur in quatuor locis Vrbis. Sed aliud est iubere vt recipiantur, & obseruentur,aliud vt publicẽtur in dictis quatuor locis, quod illico factum fuit,& aliud vt constituta in Conc.publicarentur in illis, quod numquã factũ est,nec iussũ vt fieret.

31 Secũdo dico,quod diuersa festorũ & ieiuniorũ obseruãtia in diuersis prouinciis parũ facit ad hoc. Tũ quia illa cõtingere põt,ꝙ diuersi prelati, & diuersa Cõcilia ꝓuincialia diuersa festa & ieiunia indixerũt,vt possi[...], iuxta c. ꝓnunciandũ [h] ibi,*& illæ festiuitates, quas Episcopi in [...]uis episcopatib. cũ suo populo collaud.uerint.*[i] Tũ quia fieri põt,[...] p cõtrariã cõsuetudinẽ seruata sint ĩ aliis ꝓuĩciis,& ĩ ali[...] nõ.[k]

32 Tertio,ꝙ huius questionis determinatio satis desiderat summã summi Pontificis sententiam. Tum quia interpretationem dubij contingentis Concilij Trid. requirit, & illa per prędictas litteras cõfirmatorias illi reseruatur.

h De consecr. dist. 3.
i & arg. cap. concilium. de obseruat. ieiun.
k C. illa 12. d. & ca. vtinã. 76. dist.

A Tum quia glossa vltima, [a] dixit declarationem summi Pontificis requirere quæstionem illam de tempore, à quo incipit ligare noua constitutio.

a In data Sexta.

Quartò, quòd salua eius interpretatione, videtur respondendum id quod colligitur ex decisione quæstionum præmissarum, nempe quòd constitutiones Concilij Tridentini nouæ, siue quæ ius nouum induxerunt, non ligant Polonos in Polonia degentes, qui eas ignorant probabiliter, per primæ quæstionis resolutionem, neque eos, qui eas sciunt, non quidem ea ratione, quòd illæ non sunt promulgatæ, sed ea, quod non sunt receptæ à principio, neque per decennium postea, per decisionem quæstionis quartæ, & quintæ.

B NONA QVÆSTIO, siue secunda. Idem quæritur de bullis Pontificum, v. g. de pœnis in non recitantes officium, de confidentiis, de non habendo officio B. Virginis lingua vernacula, de censibus, de cambiis. Item de bulla Cœnæ Domini, & de aliis, vtrum obligent omnes, etsi ab ordinario vel ignorentur, vel non promulgentur. Non obligare probantur primo, quia vt plurimum illi nesciunt ea authentica scientia, sed tantùm vel ex auditu ab aduenis, vel quia chartam impressam viderunt. Secundo, quia Caietanus dicit & alij approbant, quòd si Papa illas non mittit Metropolitanis &c. & illi vt subditi excusantur: si mittit, & ipsi non promulgant, ipsi quidem rei sunt, subditi tamen excusantur.

C 33 Respondeo, quod bullæ Papæ publicatæ Romæ, ligant Polonos scientes eas esse Romæ publicatas. Quod etiam ipse Caietanus citatus in propositione quæstionis præsupponit, dum solos nescios excusat, vt dictum est in tertia & quarta quæstione. Itaque ex defectu promulgationis non excusarentur, licet ex defectu receptionis excusari forte possent, iuxta dicta in quæstione quinta, & sexta.

*Aduerte quia dum responsio restringitur ad dicta supra quæst. 5. raro erit locus excusationi quo ad Bullam Cœnæ, quæ quotannis fertur. Et certè cùm processus Bullæ feratur potiùs in modum præcepti quàm legis, & sententia excommunicationis pluribus in locis* D *feratur contra illos, de quibus Papa certo scit quod nolunt mandata eius recipere, non potest dici illam ferri sub conditione si acceptetur, & cum singulis annis renouetur & feratur, vix potest accommodari, quod dicitur de lege non recepta.*

DECIMA QVÆSTIO. An peccantem contra bullam ex ignorantia, confessarius, qui eam scit, teneatur admonere, & instruere, cùm non sit cõfessarij bullas promulgare, sed ordinarij: videtur enim meliùs non instruere, sed relinquere ignaros, cùm idem in matrimonio prohibito, & in similibus casibus suadeant Doctores, maximè quod confitentes etiam docti ex eo vix emendentur.

E 34 Respondeo non teneri confessarium ad admonendum bullam, quam ille probabiliter ignorat: quia neque peccat ignorando, neque transgrediendo, iuxta responsa ad primam quæstionem: pro qua responsione est textus in cap. quia circa. [b] secundum intellectum Adriani, [c] quem late defendimus, & explicamus alibi, [d] *vbi adiicimus hæc verba: Est igitur in illo cap. quia circa. casus, in quo, qui credit matrimonium inter aliquos non valere, cum eis dissimulare potest, etiamsi sit superior, & eis licere in bono statu viuere: immo & debet quando scandalũ ex contrario facto nasci speraretur. Cui consequens est etiam confessarium posse absoluere confitentem, quem videt ignorantia iuris humani probabili à peccato excusari, & præsertim si suspicaretur eum veritatem monitum illam non amplexurum.*

b De consang.
c In 4. de cõfess. dub. 7. post 5. quæst.
d In c. si quis autẽ. de pœnit. dist. 7. nu. 73.

F VNDECIMA QVÆSTIO. An teneatur quis de iis alios docere, si illi docendi munus, siue sponte, siue ex officio incumbit. verbi gratia lecturus de censibus, an teneatur bullæ Pij V. facere mentionem, & secundum illam determinare, vbi non est promulgata, nec recepta, & sic de aliis siue in præsenti, siue in futuro?

36 Colligi potest responsio ex responsis ad quintam, quod non tenetur docere legem, quæ non ligat illos incolentes Prouinciam, in qua legit, sed si vult, potest, simul docendo rationem, qua eos ibi non ligat, quia nulla lege tenetur ad primum, nec prohibetur à secundo, & consequenter ita dicendum est.[e]

e Argu. capi. consuluisti. 2. q. 4. cap. 2. de translat. prælat. & eorum, quæ ad quæst. præcedentem respondimus.

DVODECIMA QVÆSTIO. Vtrum possint

absolu-

absolui, qui nolunt obedire his bullis, cum illis à confessa rio dicitur? Videntur enim non esse obligati confessario credere, sed suis prælatis, à quibus nihil horum audiunt, Et an sit salubre consiliũ tunc ad aliũ remittere pœnitẽtem, qui scilicet casum ignoret. Quod si alius cõfessarius non sit, an hic poßit deponere conscientiã, & absoluere, cùm pœnitens non videatur esse obligatus ad credendũ, vel si probabiliter credit quod illa sua admonitione nihil aliud efficiet, quàm quod illi odiosam apud monitos confessionẽ reddet, confitens autẽ non emendabitur. Tunc etenim omnino videtur abstinendũ, cùm & in matrimonio prohibito, & in alijs similibus casibus id suadeant Doctores.

37 Respõdetur, quòd cõfessarius potest absoluere confitentem tenentem opinionẽ, de qua dubitat ipse, si videt confessum niti auctoritate, vel ratione probabili, vt latè probauimus alibi [a] immo & si cõfessarius credat contrariã opinionem, cui ipse adhæret, esse verã, vt etiã late probamus ibidẽ [b] & cõsequenter cõfessarius, de quo in quæstione, poterit cõfesũ, de quo in eadẽ, cũ ratione probabili nitatur, absoluere: etiã si ipse cõtrariã credat esse verã.

DECIMATERTIA QVÆSTIO. Huc pertinent nominatim decreta Cõcilij, & bullæ & residentia, de pluralitate beneficiorũ, & multis alijs similibus, quibus paßim in illo regno & quidẽ valde communiter contrauenitur, partim ex ignorantia, cùm permultorum annorũ vsus, & cõsuetudo obfirmata hoc permiserit, & hucusq; tenere videntur, partim ex eo, quod multi, quãuis non ignorẽt prohiberi renouatis decretis, putant tamen eatenus se in conscientia liberos, ac securos esse, quatenus in foro exteriori idipsum illis permittitur: cùm non modo illa superiorum suorũ siue admonitione, siue mandato, siue iuriũ antiquorum, & decretorũ recentium executione cohibeantur, verum etiã vltro ab ipsis ordinarijs scientibus, & volẽtibus talia præmiorum, immo mercedis loco cõsequi soleant, vt in illis confirmentur, ac conseruentur. Proinde quæritur, num qui hæc vident, & norunt, teneantur in conscientia, quamuis ad officium illorũ non pertineat (puta quod sint simplices sacerdotes, siue etiã Doctores, aut cõcionatores, non tamen dignitates, officia, personatusq; gerentes) tam publicè, quàm priuatim prælatos, & subditos cõmonefacere, conscientias conferentium, & acceptantiũ perstringendo, & obligando, atq; pœnas in decretis & bullis contentas irrogãdo. Quorum in altero periculũ inest animarum, quæ ob negligentiam pereunt: in altero periculum publici scandali, quod inde diuersimodè exoriri poßit cõ motis, turbatisque Superioribus, & subditis, cum vtrique non nisi synodaliter receptis promulgatisque decretis reformari maximè circa inueteratas cõsuetudines debeant.

38 Respondeo, nil me posse respõdere appositius, quam quod scripsi breuiter, sed accurate cõprehendendo multa paucis in Manu. Cõf. [c] in hæc verba, *Mortifere peccat, qui habet multa beneficia diuisa in titulũ, quorũ vnum suo statui decenti sufficit, vel sine dispensatione, vel iusta consuetudine, iuxta glossam singularem* [d] *receptam à Panormitano & communi* [e] *& ab alijs, quos cito:* [f] *& probatur per ca. conquerente.* [g] *& sentit S. Thomas.* [h] *Dixi, diuisa: quia secus si legitimè vnita, aut annexa.* [i] *Dixi, in titulum: quia licet habere vnum in titulum, & aliud ad tempus commendatum ad sex menses tantum, si est ecclesia parochialis.* [k]

39 *Dixi, ad tempus: nam de commendato in perpetuum idem est dicendum, quod de dato in titulum: iuxta Cardinalẽ Alexandrinũ* [l] *& citatos per eum, & Maiorẽ* [m] *quod probauimus:* [n] *excepto quòd vacans per mortem cõmendatarij, censetur vacare eo modo quo vacabat tempore, quo fuit commendatũ, vt stylus Romanæ Curiæ hodiernus palam seruat. Dixi, quorum vnũ sufficit, alioqui secus: nam quamuis Concilium Tridentinum* [o] *quod approbat tacite prædictã glossam statuerit, vt vnum tantum conferatur vni, quale & quantumcumque sit illud, adijcit tamen, quod si illud ei non sufficeret, liceat sibi aliud simplex sufficiens, dũmodo vtrumque personalẽ residentiã non requirat, habere. Ex quo duo colligi possunt, scilicet, quẽ iuste tenere duo beneficia non requirentia residentiam personalem, quorum alterum non sufficiat, absque vlla dispensatione: quæ ante hoc Concil. fuit communis opinio.* [p]

40 *Et quod Concilium non prohibet retentionem plurium etiam requirentium residentiam personalem, per iustam dispensationem. Dixi, absque dispensatione: quia non sufficit habere iustã causam ea obtinendi, attẽto solo iure naturæ, & diuino, sine dispensatione iuris positiui id prohibentis, iuxta S. Thomam.* [a] *Dixi, aut consuetudine iusta: quia tantum (licet non plus) valeret illa, quãtum dispensatio, iuxta eumdem* [b] *vtraque enim posset iuri humano derogare, & neutra naturali, vel diuino.* [c] *Porrò iusta causa tenendi plura attento iure naturali, & consequẽter dispensandi, & consuetudinẽ circa id inducendi, est secundum eumdem circumstantia eiusmodi, quæ sufficiat ad tollendum deformitatem, quam multitudo beneficiorum præsefert. Plura siquidẽ beneficia tenere, vt ait ille, nec adeo suapte natura est malum, vt per nullã circumstantiam iustificari poßit, vt fornicatio, & alia id genus vitia, neque adeo indifferens, vt sine aliqua circumstãtia iustificari liceat. vt habere duo prædia, vel domos, vt supra* [d] *diximus. Talis autem est circumstantia eius, cui attenta suæ personæ qualitate non sufficit vnum beneficium ad honeste decentérque viuendum. talis item, tanta prudẽtia, sagacitas, & industria alicuius, vt speretur plus eis, quibus præest, profuturus etiã absens, quam communiter alius præsens, & potius accipit propter vtilitatem beneficiorum, aut subditorum, quàm propriam, iuxta Innocentium* [e] *receptum. Talis est etiam defectus aliorũ idoneorũ, iuxta Hostiensem* [f] *talis in super notabilis animi virtus, nobilitas, & sciẽtia,* [g] *quamuis hæc causa videatur includi in prima, quoniam ideo cum nobili & graduato dispensari posse videtur,* [h] *quia eius honesta sustentatio pluribus, quam alterius indiget, vt ibi diximus. Talis etiã visa fuit Cardinali* [i] *intentio tenentis plura beneficia non ad splendidiorem victum, vestitum & famulatum, & alia eiusmodi, sed ad largiùs erogandum in pauperes, & opera pia, retento sibi tãtùm ad vitam decentẽ necessario, & adhibita vera intentionis executione.*

DECIMAQVARTA QVÆSTIO. Quomodo procedendum sit cum ijs, qui post abrenunciatam hæresim reconciliationemque cum Ecclesia factam, ad beneficia Ecclesiastica & ordines admittuntur, immo verò etiam inuitantur ab ipsis Episcopis, cùm in talibus tam in admißione, quàm consequẽter in executione officij sacerdotalis, subsit, & multiplicetur irregularitas, interdum verò etiam incurratur excommunicatio. Illi enim excusari videntur, quod irregularitatem nesciant, & omnia ab Episcopis legitimè fieri præsumant, tantoque magis, cùm ab illis ipsis inuitãtur. Quod si qui irregularitatem sciunt, vel ob metum, & verecundiam, vel ob inopiam, vel ob itinerũ longitudinem, vel difficultatẽ ad rehabilitationẽ, vel ad absolutionem ab irregularitate petendam à Sede Apostolica venire non possunt, Episcopi verò altera ex parte in ea hucusque plerique sunt opinione, vt existiment reconciliationem publicam illis ad vtrumque sufficere, quod ipsum non rationibus, & auctoritate canonum, sed consuetudine recepta, euidentique fidei Catholicæ vtilitate, quę exinde speratur, metiuntur: Quid igitur sit faciẽdum cum istiusmodi tam promotoribus, quã promotis, siue antequã admittantur, siue postquam multo iam tempore admißi in officio sacerdotali fuerint. Et vtrum necessaria sit omnino rehabilitatio Pontificis. Item an commißio generalis pro rehabilitandis, à Pontifice dari ordinarijs, in illis partibus, aut obtineri poßit tantò diligentius resolutio petitur, quantò illic hoc accidit frequenter, quinimmo tanti ea res est momenti, vt, qui ex nobilitate, doctrina, vel singularibus dotibus animi in clero & præsentantur, & ad dignitates etiam maximas vocantur, ex eorum vt plurimum numero esse soleant.

41 Respondeo primò, certum esse lapsum in hæresim, vel schisma posse reconciliari Ecclesiæ. [k] Secundò, quòd iura, quę vetant Episcopis restituere aliquos lapsos, in aliquot casibus videntur esse leges humanæ, vt satis colligitur ex cap. si lapsis. [l] Cùm ergo iura humana tolli poßint consuetudine contraria præscripta, [m] consequitur quod in terris, in quibus habetur consuetudo pręscripta, vt lapsi etiam ob hæresim, vel schisma reconcilientur per Episcopos, poterunt reconciliari per eos, non obstantibus iuribus antiquioribus illa consuetudine. Pro quo facit, quòd licet excommunicatio ob hæresim videatur omnium ipso iure latarum antiquißima, [n] fuit tamẽ tempus, in quo hæreticus non erat excommunicatus ipso iure: & excommunicatio ob hæresim lata olim non erat reseruata Papæ, vt diximus in Manu. [o] Tertio, quod non obstat his innouatio canonum præcedentium facta in Concilijs, si ea non fuit recepta, per responsa ad quintam quæstionem.

42 Quarto, quod si in illis terris, in quibus proposita in quæstione fiunt, canones noui vel bullæ denegantes facul

a In d. cap. si quis autem. à num. 54.
b à num. 66.
c Capi. 25. à num. 125.
d In cap. dudum. 2. de elect.
e Ibidem.
f In capi. adhuc. de præbend.
g De cleric. non residen.
h Quolibet. 8. art. 19. & quolibet. 9. art. 19.
i Ca. vnio 10. quæst. 3. capi. cũ venissent. de restitut. spolia. cap. eã te. de ætate & qualitate, & cap. extirpandæ. §. qui verò. de præbend.
k Cap. nemo. de elect. lib. 6.
l In cap. cùm autem. 44. d. Gomesium in reg. de infirmis resig. qu. 13.
m In 4. dist. 24. quæst. 13.
n In capit. de multa. de præbend.
o Sess. 24. ca. 17. de reformat.
p In cap. cùm iamdudũ, & ca. extirpandæ. §. qui verò. de præbẽd.

a In di. quolibet. 9. ar. 15.
b Ibidem.
c Ca. fin. cum ibi late not. de consuet.
d Ca. 23. n. 1.
e Ca. cum iã dudum. nu. 4. de præben.
f Cap. graue. col. 2. eo. tit.
g dict. cap. de multa.
h Per dict. ca. de multa.
i In clem. gratiæ. de rescrip.
k Ca. vt constitueretur. cũ aliquot præced. & seqũe. 50. di. & gloss. in summa ei. & cap. miror. cum suis gloss. ead. dist. & ca. de lapsis. 16. quæ. 6.
m Cap. fin. de consuetud. & l. 2. C. quæ [illegible] long. cõsuetu.
n Iuxta cap. Achatius. 24. quæst. 1.
o Cap. 27. nu. 52. & in re cap. ita quorumdam, de Iudæis. not. de 11. num. 4 ab.

tatem reconciliandi Epiſcopis fuerunt recepti, & nõ ſunt legitimè per conſuetudinem abrogati, neceſſario ſeruandi ſunt, & qui incurrerunt in excommunicationes, & irregularitates reſeruatas Papæ, ab eo, vel eius Legato, vel in id delegato abſoluendi ſunt, non obſtante difficultate, & itineris longitudine, quamuis ob impedimentum veniendi abſolui poſſunt ab excommunicatione iuxta notata in Manu. [a] Quinto; quod an prædictis canonibus, & bullis in illis terris ſit derogatum, & an ſint recepti, nec ne, legitimè definiri non poteſt, niſi narratis illis, quæ ad id ſunt neceſſaria. ſed applicando reſponſa ad quæſt. 5.6.& 7. porit reſpõderi eis ab eo, cui neceſſaria facti narrata fuerint.

a Cap. 27. nu. 46.

DECIMA QVINTA QVÆSTIO. Poſsit ne dare aliquis parœciam abſenti, aliquoties tamen eam in anno, puta ad principalia feſta viſitanti, & vicarium idoneum habenti, quem certo ſcit plus profuturum propter auctoritatem, quàm aliam præſentem carentem hac auctoritate, præſertim ob generis nobilitatem, & amicorũ frequentiam, quorum aſpectu prouentus eccleſiaſtici, & libertates ſecurius, citiuſque conſeruantur, & ab hæreticorum violẽtijs, vel deceptionibus defenduntur, cùm in cõtrarium videatur eſſe Concilium Tridentinum ex altera vero parte eſt vtilitas Eccleſiæ, maximè ſi nemo inueniatur, qui parœciam acceptet, & inter ruſticos quaſi in perpetuo exilio habitet, niſi vel ipſe vicarius, vel illi ſimilis, qui facile à potentioribus opprimetur, & perdet fructus & decimas. Et vtrum in hoc poſsit Epiſcopus, vel ſaltem Metropolitanus diſpenſare, præſertim cùm vrget vel paucitas ſacerdotum, vel periculum, ne ab hæreticis, aut quibuſuis alijs occupetur, & deſoletur. Videtur enim poſſe ſecundum Concilium Tridentinum. [b]

43 Reſpondeo primò, quod prædictum Concilium Tridentinum videtur declaraſſe [c] beneficiariũ beneficij curam animarum habentis iure diuino reſidere debere in illo, cui conſequens eſt, neminem excuſari à reſidentia, niſi iuſta de cauſa, & eo modo quo dicitur ibidem. [d] Secundo, quod hoc non eſt inuentum Concilij Tridentini, idem enim iuris fuiſſe ante illud, cõmunis ſententia habet: vnde Felinus [e] dixit poſt alios, non poſſe induci cõſuetudine, vt quis non reſideat in beneficio curato; quod nulla ratione alia defendi poteſt, quam quia iure naturali, vel diuino reſidendum eſt in illo. Tertio, quod huic eſt conſequens, ſeruandum eſſe hoc etiam in terris, in quibus Concilium Tridentinum non ſeruatur, nec debet ſeruari. [f]

44 Quarto, quòd cum cauſa ſit iuſta non reſidendi, arbitrio iudicis definiendum ſit, [g] poterit huiuſmodi beneficiarius abeſſe à beneficio ea de cauſa, & tanto tempore, qua, & quanto videbitur Epiſcopos rectam rationem in arbitrando ſecuto, viſis circumſtantijs perſonæ, loci, temporis, & alijs, nec erit opus ſcripta licentia in eis regnis, in quibus nondum ſeruatur Concilium Tridentinũ, quia nec iure diuino, nec aliquo humano anteriori ea requiritur.

b Seſſ. 23. de refor. cap. 1.
c In cap. 1. de refor. ſeſſ. 23.
d In d. ca. 1. & in ca. 1. de refor. ſeſſ. 6.
e In cap. cum omnes de cõſt. num. 33.
f Ar. princip. 5. diſt. & §. ſed ius naturale. Inſtit. de iur. natu. gent. & ciuil.
g Arg. l. 1 ff. de iure de lib. & ca. de cauſis. de offici. deleg.

DECIMASEXTA. An in Concilio Tridentino [h] ipſo iure ſit ſuſpenſus is, qui abſque patrimonio ordinatur, vel habens quidem beneficium, ſed inſufficiens, & quas pœnas innouet Concilium, quando in prædicto cap. dicit, *Antiquorum pœnas ſuper his innouando?*

45 Ad hanc quæſtionem, quæ ſatis difficilis eſt, & fuit aliquando controuerſa in ſacro Pœnitentiariæ prætorio, reſpondeo primò, quod ordinatus ordine ſacro abſolutè, ideſt ſine titulo beneficij, vel patrimonij, eſt ſuſpenſus, ſecundum canones antiquos. [i] Secũdò, quod illa pœna mutata fuit ab Innocentio III. [k] in pœnam ordinantis, qua cogitur alere ordinatum. Tertiò, quòd illa mutatio videtur reſtringenda ad ordinatum, qui bona fide, ab Epiſcopo ſciente, vel debente ſcire eũ non habere quo ſe aleret, fecit ſe ordinari, non autem videtur comprehendere illum, qui per mendacia & fraudem, fingendo titulum, decepit Epiſcopum. Tum quia dolus & fraus nemini patrocinari debent. [l] Tum quia alioqui ordinãs ſine culpa puniretur, & ordinatus cum culpa à pœna eſſet immunis. [m] Tum per cap. per tuas. 3. [n] quatenus habet, eum qui ordinatus ad titulum patrimonij quæſitum cum pacto de reſtituendo illud poſt ordinationem, eſſe ſuſpenſum, donec diſpenſetur cum eo. Quartò, quòd renouatio pœnarum in abſolutè ordinatum, quam inducit. [o] Concilium Tridentinum intelligi videtur de pœna prædictorum canonum [a] & [b] quę ſublata fuit per mutationem prædictam. [c]

h Seſſ. 21. ca. 2. de reform.
i Cap. neminem. & capi. ſanctorum. 70. diſt.
k Ca. cum ſecundum. de præbend.
l Capi. ſedes. de reſcript. le. itaque fullo. ff. de furt.
m Contra ca. 2. de conſt. & le. ſancimus, C. de pœnis.
n De ſimon.
o Cap. 2 ſeſſ. 21.
a Neminem.
b Sanctorum.
c In d. cap. cũ ſecundum. de præb.

*Aduerte quòd ſacra Cõgregatio cenſuit innouatã tantũ pœnã d. c. cum ſecundũ. vt dictũ eſt in cõſilio 14. de tẽp. ord. & etiã conſ. 47.*

DECIMASEPTIMA QVÆSTIO. Cum Concilium Tridentinũ [d] prohibeat illegitimos filios clericorũ in Eccleſijs, in quibus illorũ parentes beneficiũ aliquod habuerint, vel habent; etiã quoq; modo miniſtrare, an prohibeat huiuſmodi illegitimos in prædictis Eccleſijs etiã ſacrũ facere, vel per accidẽs epiſt. aut euangeliũ, vel etiã ſacrũ cãtare ſolẽni ritu, denique ſacriſtæ, vel cãtoris officio fungi?

46 Reſpondeo, quod huiuſmodi filius illegitimus non poteſt ſubdiaconatus, vel diaconatus officio fungi, neque ſacriſtam, vel cantorem agere in tali eccleſia: quia negari non poteſt, eum, faciendo illa, miniſtrare aliquo modo in illa. [e] Maioris autem quæſtionis videtur, an liceat ei priuatim interdum, tamquam extero & peregrino, miniſtrare, ita quod non videatur Eccleſiæ inſeruire. Arbitror autem negatiuã partem eſſe veriorem, quia licet non videatur tam miniſtrare Eccleſiæ, quam ſuæ conſolationi conſulere, negari tamen non poteſt eum miniſtrare aliquo modo in illa Eccleſia in altaris miniſterio. Et cõſtat rationem fugandi memoriam incontinentiæ paternæ attingere aliqua ex parte celebrationem illam priuatam, & ratio legis eſt anima legis, vt ait Dynus [f] pro quo eſt c. Marciõ. [g]

d Seſſ. 25. cap. 15. de reform.
e Argu. rub. de cleric. non ord. miniſt. & gloſſ. in verbo offic. clemẽ. 1. de regula. & cap. perlectis. 25. diſt ibi miniſteria.
f In ca. fin. de reg. iur. lib. 6.

DECIMAOCTAVA QVÆSTIO. Si de facto ſacerdotis filius beneficium habeat Eccleſiaſticum in Eccleſia, in qua eius pater quondam aliud beneficium habuerit, an ſit ipſo iure priuatus, vel priuandus?

47 Reſpondeo, quòd beneficiũ quód filius habebat ante Concilium, non vacauit ipſo iure, donec laberetur trimeſtre, datum ad permutandum pro altero alterius Eccleſiæ. Si autem illud poſt Concilium quæſiuit, nil conſecutus fuit in illo, quia eſt factus inhabilis ad illud [h] in illis verbis, *non liceat, &c.* & adiunctis illis alijs, *quod ſi in præſenti, &c.* & collatio beneficij facta inhabili non valet. [i]

h 1. quæſt. 1.
g Per præfatũ ca. 15. ſeſſ. 25.
i Ca. cum in cunctis. §. fin. de elect. & c. inter cæteras. de reſcript.

DECIMANONA QVÆSTIO. Cum aliquis duo habet impedimenta eſſentialia, quorum alterum ſit publicum, alterum ſecretum, vt ſi contraxerit cum conſanguinea in quarto gradu, cuius ſororem carnaliter prius cognouerat, an ſatis ſit impetrare gratiam à Pontifice impedimenti publici conſanguinitatis, non narrando alterum impedimentum occultum, & poſtea impetrare gratiam ab aliquo, qui eam concedere poſsit pro occulto, etiam non narrando publicum impedimentum?

Reſpondeo, de queſtione hac vel alia ſimilis difficultatis controuerſiam fuiſſe in ſacro Pœnitentiariæ Prætorio, neque adhuc omnino ſopitam, quãuis mea ſententia pars affirmatiua ſit vera: & in ſumma continet, an valeat impetratio diſpenſationis ſuper vno impedimẽto matrimonij publico, non facta mentione de alio, præſertim occulto.

48 Et quòd pro parte negatiua facit in primis, quod taciturnitas eius, quod expreſſum redderet principem difficiliorem ad gratiam concedendam, reddit eam nullam, [k] & videtur quod Papa difficilius conceſsiſſet diſpenſationem, ſi nouiſſet aliud impedimentum. Secundò, quòd inceſtus impedit matrimoniũ contrahendũ. [l] Tertiò, quòd remiſsio pœnæ homicidij eſt nulla mentione nõ facta remiſsionis alterius ſimilis, ſecundum Gulielmũ de Cugnano [m] à Baldo, & alijs communiter ibi. & alibi rece[illegible]. Propter quod dixit Andreas Siculus [n] relatus à Felino [o] vidiſſe decapitari vnum homicidam, non obſtante remiſſione ſecundi homicidij impetrata, nõ facta mentione de priori, & non alia ratione, quàm quia difficilius princeps remiſiſſet ſecundum, ſi meminiſſet remiſsionem prioris.

49 Nõ obſtãtibus tamẽ his, pars affirmatiua eſt verior. Primò quidem, ꝙ nullo iure canonico, vel Cæſareo caueatur, ꝙ in impetratione diſpẽſationis ſuper vno impedimẽto matrimonij debeat fieri mẽtio de alijs, ad hoc vt valeat diſpenſatio quo ad impedimentũ, ad ꝙ illa impetratur; & nõ eſt inducẽda obligatio iuris ſine iure ad id obligãte. [p]

50 Secundò, quòd licet omnis expreſsio falſi, qua mouetur princeps ad facilius concedendam gratiam, faciat eam ſubreptitiam, & ipſo iure nullam, [q] non tamen omnis taciturnitas veri, cuius expreſsio retraxiſſet principẽ ad nõ tam facile concedendum, reddit gratiam nullam, ſed ſolũ

k Ca. poſtulaſti de reſcript.
l Cap. 1. 2. & ca. tranſmiſſa de eo qui cog. conſan. vxo. ſuæ.
m In l. 3. C. de Epiſco. aud.
n In ca. ſuper literis. de reſcrip.
o Vbi ſupra.
p Arg. ca. cõſuluiſti. 2. qu. 4. & ca. 2. de tranſl. prælat.
q Cap. ſuper literis. de reſcript. le. etſi legibus. Cle. ſi cõtra ius, vel vtil. publicã. quæ eſt §. ſub [illegible]. 25. quæſt. 2.

illa, qua tacetur verum, quod iura iubent exprimi in tali impetratione: quæ est resolutio Rotæ [a] & Egidij [b] & Felini [c] relata à nobis in Manu. conf. [d] pro qua facit glossa recepta [e] quatenus habet, in impetratione beneficij, faciendam quidem esse métionem de beneficio habito, sed non de cura, vel ordine primo illi beneficio annexo, licet mentio illorum difficiliorem redderet principem ad concedendum: quia id nullo iure præcipitur.

a De rescript. 31. in nouis.
b Decis. 698.
c In ca. postulasti. de rescript. col. 4.
d Cap. 22. nu. 86.
e In clem. 1. de præbend. in verbo vel alteri.

51 Facit etiam, quòd valet collatio beneficij facta criminoso, crimine non inducente irregularitatem & inhabilitatem ad beneficium, non facta mentione de illo crimine, licet expresio illius difficiliorem redderet principem ad conferendum; vt sentit Innocentius, [f] & resoluit Felinus post alios. [g]

f In cap. proposuit. de con cess. præbend. in verb. executore.
g In ca. 2. nu. 4. de rescript.

52 Tertio, quod valet impetratio absolutionis ab vna excommunicatione, non facta mentione de alia, secúdum glossam 1. communiter receptam. [h] Quartò, quòd passim contingit in Curia impetrari dispensationem super vno impedimento matrimonij, non facta mentione de alio, & postea impetratur dispésatio super alio, quorum vtraque iudicatur valida. Quintò, quòd incestus magna ex parte sunt occulti, cognatio autem magna ex parte publica, & si in impetratione impedimenti cognationis exprimendus esset incestus, cogeretur impetrans infamare se, & frequenter alium prodere contra ius naturale, quo vetamur nos, & alios prodere. [i]

h In c. ex parte. de officio ordina.
i Ca. quis aliquando. §. non tibi dico vt te prodas. de pœnit. di. 1.

Ad primum autem oppositorum respondet secundum fundamentum. Ad secundú verò respondetur concedendo, quod omnis incestus secundum aliquos impedit quidem matrimonium contrahendú, non tamen dirimit con tractum inter ipsosmet incestum committentes, & minus quo ad alios, quo ad quos non gignitur ex eo affinitas. concedendo item, quod expresio eius aliquando difficiliorem redderet principem ad concedendum: sed negando, quod ex eo sequatur dispensationé esse nullam: quia non tacetur verú, quod iubeatur exprimi, & quod sit necessariò exprimendum, per fundamentum secundum.

53 Ad tertium verò respondeo nouissime, & verissimè, licet à nemine quod sciam fuerit satis ei responsum, cócedendo quidem illud dictú Gulielmi, negádo tamen, quod id eueniat ex eo solo, quod tacetur verum, quo expresso difficilius remisisset princeps secundum, sed etiá eo quod tacetur verum, quod per illam l. 3. deberet exprimi in secunda impetratione veniæ. Nam prædict. l. 3. statuens ne crimina iterata remissionem habeant, significat necessariam esse expresionem remissionis criminis semel admissi, vt valeat remissio iterum admissi, quod à nemine, quem viderim, vidi animaduersum. In quæstionem autem proposita non agitur de remissione criminis, & minus de remissione criminis iterati, immo nec de relaxatione impedimenti iterati. Quæ solutio confirmatur euidenter, eo quòd nemo negat impetrationem veniæ homicidij valere non facta mentione de impetratione veniæ incestus, adulterij, furti, rapinæ, aut alterius criminis separatim, & dissimilis prius obtentæ.

VIGESIMA QVÆSTIO, Quomodo procedendú sit confessarijs circa absolutionem Episcoporú, vel aliorum dignitates & personatus gerétium, in ijs casibus, qui expressè in decretis Concilij Tridentini & bullis cótinentur [illegible] eorum propriam spectet personam, quod contraria committant, & debita omittat, siue ad reformationem aliorum, quod scientes, & valentes corrigere errantes, eos reformare respectibus humanis negligant, de quibus illi non confitentur, & confessor inquirere tenetur, maximè si publicè obaudiunt apud vulgus: vel si confitentur, ob non publicationem ad pœnas se putant non obligari, cùm si cófessarius pro conscientia sua illú vel nó absoluat, vel de suspensione, aut alia pœna admoneat, publicum scandalú, & multa inconueniétia exoriri possent.

54 Respondeo, quòd confessarius nó potest negare confesso absolutionem, ob peccata, quę sibi non est confessus, neque tenetur interrogare confitentem, nisi quando probabiliter credit cum per obliuionem, verecundiam, vel aliam iniustam causam taciturum aliquid, quod de necessitate est confitendum, vt dicimus alibi, [k] & ita confessarius non tenetur interrogate Episcopos, vel alios habentes dignitates, si putat eos ideo non se accusare de retentione illorum beneficiorum, quia credút se iusta dispensatione, vel ratione, aut auctoritate probabili à peccato excusari: quoniam per responsionem ad quęstionem 12. potest confessarius absoluere confessum nitentem opinione contraria ei, quam ipse habet. Si autem se accusarent de tali retentione, vel peterent consilium, teneretur eis dicere, quod sentit: & si absque vlla ratione, vel opinione cótraria nolunt ei obedire, potest denegare absolutionem, sed non debet dicere, se illam denegasse, etiam si peterent ab eo tamquam à suo parocho communionem, nisi illud, à quo noluit desistere, esset notoriè peccatum mortiferum: tunc enim posset illam denegare, non quidem dicendo, quod denegauit absolutionem; sed quia est necesse discedere à statu peccati notorij, etiam post confessionem, & absolutionem, quò possint communicare, iuxta ea quę diximus in Manu. confes. [a] post Bonauenturam, Paludanum, & alios ibi citatos.

k In cap. 1. §. diligés. de pœnitent. dist. 6.
a Cap. 21. nu. 55.

VIGESIMAPRIMA. Similiter quæritur, an sint absoluendi, aut quibus conditionibus regij consiliarij, & iudices, qui Romani Pontificis diplomata, seu bullas supprimunt, aut prohibent publicandas, vt bullam Cœnæ Domini, vel alias quascumque tam generales, quàm particulares, aut speciales?

55 Respondeo quæstionem esse generaliter propositam, non facta mentione de priuilegio, quod prætendunt habere, nec de modo, vel causa, & fine, quo, vel ob quem id faciunt: & indigere videtur decisione Papali, & vtinam illa sufficeret. Memini me aliquando denegasse absolutionem cuidam mihi confesso, donec proposuisset firmiter, se numquam id amplius facturum, consuluisse item aliquibus confessarijs, vt idem in similibus casibus facerent, iuxta ea, quæ magis insinuo, quam explico in Manuali confes. [b]

b Cap. 27. nu. 69.

VIGESIMASECVNDA. An gabellarum & pedagiorum exactores, qui indifferenter prædicta exigunt à clericis & religiosis commissione suorum dominorum, vel propria auctoritate, quocumque prætextu probabili, vel necessario, non habendo ad eam rem priuilegium à Sede Apostolica, vel principe proprio, nisi deprauatam consuetudinem, scientes excommunicationes, vel non scientes, sint excommunicati, necne?

56 Respódeo esse excómunicatos, nisi probabilis ignorantia eos excusaret, iuxta respósa ad primá quæstionem. [c]

c Per c. quáquam. de cen sib. libr. 6. & clem. penult. eo. tit. & eis adnot.

VIGESIMATERTIA. An qui gabellas, & alios reditus Iudæis, Paganis, vel schismaticis exigendas committunt, item locant, aut cum ijsdem societates mercimoniorum, & aliorum cómodorum contrahunt, pro excommunicatis censeri debeant: & quomodo absoluendi, si confiteantur, & mutare consuetudinem inueteratam non proponant, & si nunc confiteantur, quomodo cum illis agendum sit in locis, vbi municipalia statuta id permittunt, vel saltem non prohibent in foro ciuili, & Ecclesiastica iurisdictio suspensa est?

57 Respondeo primo, quod iure communi non prohibentur Christiani locare Iudæis reditus & gabellas, immo permittitur [d] modo Rex; vel dominus terræ deputet aliquem fidum Christianum ad exigendum illas, & non permittat, vt ipse Iudæus per se, vel alium deputatum à se, exigat, vt ibidem exprimitur, & Panormitanus & Anania declarant.

d In ca. ex speciali. de Iudæis.

Secundo, quod nec Christiani vetantur exercere regulariter mercimonia cum Iudæis, vt expressè dicit Panormitanus [e] per illum textum, argumen. à speciali sumpto ex eo, quod prohibet id eis in certo casu: quod ipsum probat alibi [f] & idé dicendum est de Paganis, & etiá de Sarracenis; exceptis armis, & alijs quę prohibêtur deferri ad eos. [g]

e In cap. post miserabilem. de Iudæis.
f In cap. cum sit nimis. eod. tit.
g In cap. ita quorumdam. de Iudæis.

58 Tertio, quod de schismaticis idem est dicédum, quod de hæreticis, de quibus in quæstione sequenti agitur, videlicet quod si sunt denunciati excómunicati, non potest Catholicus commercium habere cum illis, neque contrahere licitè, [h] adiuncta extrauag. *ad euitanda.* relata, & declarata à nobis in Manu. confes. [i]

h Cap. cú excómunicato. & alijs multis, 11. quæ. 3.
i Ca. 27. nu. 35.

Quartò, quòd videtur posse dici, licere Christianis contrahere, & commercium habere cum schismaticis, & hæreticis, qui non sunt denunciati excommunicati, licet sint

notoriè hæretici,& consequenter notoriè excommunicati,per dicenda ad quæstionem sequentem.

59 Quintò,quòd vetatur Christianis nimia familiaritas cum infidelibus,de quibus in cap.nullus.[a]

Sexto, quod ex his infertur modus, quo Catholicus se debeat habere cum prædictis infidelibus, & in absoluendo communicantes cum eis.

a & in c.omnes.28.q.1.& in ca. cum sit nimis.& in c. fin.de Iudæis. & in l.nemo. & in l.fin.C. eod.tit.

VIGESIMAQVARTA.Idem quæritur de hæreticis, quorum plena sunt omnia, cum quibus tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus personis quotidiana intercedunt commercia & conuersationes,coniunguntur matrimonia, & omnis generis interueniunt contractus, atque Catholicos multis in locis contingit illis esse subiectos: quo modo Catholicorum piorum conscientiæ hac parte assecurandę sint,maxime vbi nulla alia de hęreticis accessit declaratio,nullũ nominatim per Episcopos decretum, sed saltem illi nomine hæreticorum censentur, qui sua sponte ab Ecclesia se separant,& cum Catholicis in rebus spiritualibus,& in communione sacramentorum non cõmunicant. Videntur enim antiquorum canones,& Conciliorũ decreta etiã hac parte multos in bonis cõscientiis scrupulos iniicere,& excõmunicationis metum incutere.

Respondeo, nullam mihi occurrere rationem defendendi communicationem Catholicorum cum hæreticis, & schismaticis notorijs ætatis nostræ:quia omnes sunt excommunicati per cap.excommunicamus. [b] & per bullam Cœnæ Domini, de qua in dicto Manuali [c] præter illam, quam nouè posui [d] in hæc verba.

b De hæret. c Cap.27.nu. 52. d In d.ca.27. num.35.

60 *Nota tertio,quod hæc extrauagans nihil prodest quo ad excommunicatos manifestos, qui nullo modo possunt occultari: quod consequi videtur,peccare omnes Catholicos Galliæ, & Germaniæ, qui Lutheranis manifestis, immo & palàm confitentibus se tales, communicant. Tum quia sunt manifesti excommunicati propter hæresim notoriam per bullam Cœnæ, de qua infra. Tum quia non videtur prodesse dicere, quòd finis prædictæ extrauagantis ad euitanda,restringendus est ad excommunicatum ob percussionem clerici notorie iniustam, vt habet tenor relatus à Felino & Antonino & à nobis,* [e] *quia vel illa restrictio non fuit posita, vel postea fuit sublata in dicto Concilio Lateranensi & in dictis concordatis. Sed quia durum est damnare gentem in qua sunt tot viri eruditissimi, pientissimi,& Academię celeberrimę Parisiensis Tholosana, & Louaniensis probabiliter dici potest prędictam extrauagantem esse vsu receptam cum sola illa limitatione de excommunicatione manifesta percussionis clerici,iuxta tenorem antiquę, vel quod multitudo hęreticorum, & necessitas communicandi & negotiandi facit licitum,quod aliàs non esset.* [f]

e In di.ca.27. f Iuxta regulam, quod nõ est licitum.de reg.iuris.

VIGESIMAQVINTA.Item quæritur de schismaticis,quomodo sint à Catholica Ecclesia recipiendi?

61 Respondeo, vt respondi ad præcedentem, scilicet idem esse dicendũ de schismaticis,quod de hæreticis,quorum vtrique sunt excommunicati per prædictam bullam Cœnæ Domini: & ita non possunt reconciliari, nisi per habentem auctoritatem absoluendi eos à censura, neque ab illo, antequam abiurent suum schisma, si est tale quod implicat hæresim, vel nisi pœniteat, si est tale quod non implicat hæresim. quale autem sit tale, & quod non, declarauimus [g] in hæc verba.

62 *Hic significatur hæresim differre à schismate,& hæreticum à schismatico,& rectè quidem,vt colligitur ex ca.schisma.* [h] *& Thoma* [i] *loquente in hac verba,Hæresis & schisma distinguntur secundum ea, quibus vtrumque per se & directè opponitur. Nam hæresis per se opponitur fidei, schisma autem per se opponitur vnitati Ecclesiasticæ caritatis: & ideo sicut fides & caritas sunt diuersæ virtutes, quamuis quicumque caret fide, careat caritate, ita etiam schisma & hæresis sunt diuersa vitia: quãuis quicũq; est hęreticus sit etiã schismaticus,sed nõ cõuertitur,& hoc est, quod Hieronymus dicit.* [k] *Inter schisma & hæresim hoc interesse arbitror,quod hæresis peruersũ dogma habet, schisma ab Ecclesia separat.Hæc ille, ex quibus colligas quod schisma generatim sumptum est peccatum, quo quis se separat ab vnitate Ecclesiæ nolendo subesse ei, vel membris eius,quatenus sunt eius, licet credat esse vnam Ecclesiam,& vnum Vicarium supremum.*

g In di.ca.27. num.57. h 24. quæ.1. i 2. 2. quæst. 39.ar.1. ad 3. k In epist. ad Galat.

VIGESIMASEXTA. An fœminæ Catholicæ liceat nubere viro schismatico, qui illam permittit viuere secundum cæremonias & ritus Romanæ Ecclesiæ, filios tamen ex illa susceptos,vel omnes, vel aliquot, prout inter illos,quod ante contractum matrimonij facere mutuo solent,conuenerit,vel sibi masculam, illi fœmineam prolem educandam suo ritu,aut è contra deputando,baptizat in templo Græcorum, vel Armeniorum, educandósque tradit præceptoribus schismaticis? & contra viro Catholico num liceat ducere vxorem schismaticam fœminam, & permittere baptizari filios in Ecclesijs Græcorum? Communiter enim inter se faciunt pacta, vt si masculus nascatur, baptizetur in ea fide, cuius est suus pater,si fœmella,in matris fide.

63 Respondeo, quòd non licet Catholico contrahere matrimonium cum schismatica vel hæretica, neque Catholicæ cum schismatico, vel hæretico, [a] quamuis matrimonium contractum valeat, vt post alios diximus in dicto Manua. [b] Pacta vero illa in quæstione proposita non valent: quia sunt turpia,quæ non valent.[c]

a Cap. caue. & seq. 28. q. 1. b Capit.22.à num.48. c Le.iuris gentiũ. §. prætor ait.ff.de pact. & leg. generaliter. ff. de verbor. obligat.& ca.fin. de condit.appos.

VIGESIMASEPTIMA. An filij schismaticorum possint admitti ad scholas Catholicorum, & conuersari cum pueris Catholicis,de quibus dubitatur,aut parua admodum spes est conuersionis?

64 Respondeo,quòd tenendo considerationem prædictam, per quam diximus posse Catholicos cõuersari cum hæreticis non denunciatis pro excommunicatis in mercimonijs,in quibus non agitur de vlla conuersione illorum, à fortiori dicendum est licere communicare cum scholasticis sponte venientibus ad scholas Catholicorum,quod est via & gradus aptus ad eorum conuersionem.[d] Quamuis contra non liceat Christianis scholasticis adire scholas hæreticorum.

d Arg.authẽ. multo magis. C. de sacros. eccles.& cap. cum in cunctis.de elect.

VIGESIMAOCTAVA.Rudis plebecula,& vulgus schismaticorum offerens sua vota secũdum antiquas patriæ consuetudines,dum apud Catholicos celebrantur festa principalia Domini Saluatoris N.Beatissimæ Virginis Mariæ,& aliorum Sanctorum, & quando fiunt dedicationes,an illud vulgus,interdum verò etiam & magnæ dignitatis viri (qui item non minori zelo lubenter templa, ac festiuitates Catholicorum frequentant) arcendi sint à Catholicis templis,cum oblatis largissimis muneribus pro sua & suorum salute audiunt sacra,conciones,cęterisque cum deuotione intersunt cæremonijs, nulla tamen ratione à schismate se abduci permittunt, aut ad sanam Catholicæ fidei doctrinam reduci possunt?

65 Respondeo eius decisionem pendere à responsione decisionis quæstionis 24.& tenendo, quod non tenemur vitare hæreticos notorios nondum pro excommunicatis denunciatos,respondendum est licere prædictas oblationes accipere,& offerentes ad sacras conciones, & alia officia sacra,quibus voluerint interesse,admittere, & maiori ratione quam ad mercimonia, cum admissio illa ad sacra, gradus quidam sit & medium ad persuadendum eis conuersionem, & fidem Catholicam, vt dictum est ad quæstionem præcedentem:& in his quæ pertinent ad salutem animæ, etiam cum excommunicatis denunciatis possumus colloqui.[e]

e Ca.cum voluntate de sent. excõmu.

VIGESIMANONA. Item quæritur,an viro Catholico liceat leuare de fonte sacro eũ,qui ritu Gręcorum baptizatur, vel schismaticũ admittere in patrinũ,quando nostri infantes ritu Romano sacrũ suscipiunt baptisma?

66 Respondeo primò,licere Catholico leuare de sacro fonte baptizatum more Grecorum in [illegible], in alijs autem non: quia illud esset peccanti opẽ ferre,& consentire, quod est peccatum. [f] Secundò, quòd licet non baptizatus non possit esse patrinus, neque contrahere cognationem spirituale, vt probat S. Thomas [g] hæreticus tamen vel schismaticus baptizatus contrahit illam, si fuerit patrinus, secundum Siluestrum [h] & Sotum.[i]

f Ad Rom. & ca.1.de offic deleg. g In 4.di.42. quæst.1.art.3. h Verb. matrimonium 8. qu.7.ver. 12. i In eod.4.di. ead.

67 Tertio quod licet teneamus Catholicos posse communicare hæreticis,& schismaticis notorijs,si non fuerint denunciati excõmunicati,& vitandi per responsũ ad 24. sine 7.q.non tamen videtur licere admittere eos in patrinos: quia id esset cooperari eis ad peccatũ,[k] non enim licet eis esse patrinos,quãuis contrahant cognationẽ spiritualẽ,si admissi fuerint:sicut etiã,quãuis valeat matrimoniũ contractũ inter hæreticũ & Catholicã, peccant tamẽ contrahendo illud, secũdum S. Tho.cõmuniter receptũ [l]

k Contra di. ca.1.ad Rom. 1.& cap.1.de offic. delegat. l In 4.dist.39. q.1.ar.1.ad 5.

quod

quod ipsum etiam nos diximus in Manuali.[a]

TRIGESIMA QVÆSTIO. An Catholici sacerdotes in locis, vbi non promulgantur bullæ (scientes tamen vel opinantes de pœna excommunicationis) possint ingredi templa Græcorum, vel Armenorum, & interesse Missis illorum, & reliquis ceremonijs, non quidem vt eas approbent, aut sequantur, sed aut ex necessitate, cùm alia templa desunt, aut quando studiosè, vt deprehensis eorum erroribus, ac superstitionibus, verius, ac liberius eos reprehendere, & ad sanum dogma Catholicum reducere valeant. Idem quæritur de conuersatione cum eisdem Ruthenis, Armenis, &c. quid sentiendum? de qua & paulo superius facta est mentio.

68 Respondeo primò, quòd hæc quæstio præsupponit vnum, & quærit aliud. Præsupponit enim, Armenos, & Græcos esse annumerandos hæreticis: quod tamen non videtur constare, cùm appareat ex decreto Eugenij Papæ in Concilio Florentino dictato, eos dedisse obedientiam Romano Pontifici, & fidem Catholicam de Spiritu sancto suscepisse, & in Concilio generali, cui præfuit Innocentius III. dicatur Græcos redijsse ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ, vt habetur in cap. licet.[b] Secundo, quod præsupposito, quod aliqui eorum sint hæretici, cauendum est ab eis, sicut ab alijs hæreticis. Quatenus autem cauendum sit ab illis, dictum est supra.[c]

TRIGESIMAPRIMA. An Rutheni, & Moscouitæ recedentes ab omnibus hæresibus Græcorum, perseuerantes in illorũ consuetudinibus, puta in obseruatione ieiuniorum, non his temporibus quibus Ecclesia præcipit, item in sumptione Eucharistiæ in fermentato, aut sub vtraque specie, secundum quod illis est concessum in Concilio Florentino, possint tuto, ac sine scandalo Catholicorum admitti ad sacramenta pœnitentiæ & sanctissimæ Communionis ritu Romano, qui postmodum reuertentes ad suos viuunt more Græcorum, vtunturque suis cęrimonijs vt prius?

69 Respondeo primò, quod etiam hæc vnum videtur præsupponere, & aliud quærere. Præsupponit enim Moscouitas esse mundos ab omnibus erroribus Græcorum, quod mihi non constat, licet vel audisse gaudeam. Secundò, quòd hoc præsupposito, quod non habent alios errores aliorum hæreticorũ, admitti possunt ad pœnitentiam, & alia sacra in terris Catholicorum, licet vtantur in terris suis alijs ieiunijs, & alio modo cõmunicandi, & conficiẽdi sacramenti concessis eis per antiquissimã cõsuetudinem, vel priuilegium Apostolicum contra iura humana, quibus introducta sunt multa ieiunia quo ad modum & tempus præsertim, vt diximus in Manuali[d] & etiam ritus cõmunicandi sub vna tantum specie, & consecrandi in azymo, vt satis colligitur ex citatis in eodem Manuali:[e] nam Græcus peccaret consecrando in sua terra in azymo, & Latinus consecrando in sua in fermentato, vt declarat Thomas receptus[f] & sentit, licet non ita aperte, Panormitanus.[g]

TRIGESIMASECVNDA. Vtrum in articulo mortis, etiam si plenè errores suos non reuocent, aut aliquid de schismate retineant, si tamen Catholicos accersant sacerdotes, & illis confiteantur, & sacramentis instrui, petant, sepulturamque Christianorum Catholicorum postulent, à quibus sacerdotibus absolui, sacro oleo vngi, sepulturæque inter fideles ritu Catholico tradi possint: & maximè si contingat eos citius mori, quam vt instrui de his, quæ ad Christianam fidem pertinent, possint, aut animi sui intẽtionem tũ voluntatẽ prõptã declarare?

70 Respondeo primò, quòd non possunt absolui, neque ad sepulturam sacram admitti, neque aliorum sacramentorum participes fieri, qui explicitè in specie, vel saltem implicitè in genere non recedunt ab omnibus erroribus suis, licet recedant à bona eorũ parte, & fere ab omnibus: quia impium est dimidiam à Deo quem sperare salutem,[h] Secundo, quod si morbus, vel periculum mortis adeo vrget, vt non possint specialiter omnes errores detestari, nec de veritate cõtraria speciatim instrui, sufficit detestatio generalis, cum proposito speciatim detestandi, postquam fuerint instructi: quia licet teneamur aliqua explicitè credere, non tamen omnia, vt post Thomam[i] & alios diximus in Manuali.[a]

a Capit.22.à num.48.
b De baptismo.
c Ad qu.23. & 24. siue 16. & 17.
d Cap.21.nu. 12.
e Cap.21.nu. 37.
f In 3. par.q. 74.art.4.
g In cap. literas. de celebrat. Missarum.
h Ca sunt plures. de pœni. dist.3. & cap. defleat. cum glos. de regul. iuris.
i 2.2.quæ. 2. art.8.

TRIGESIMATERTIA. Sint ne cogendi ad restitutionem, qui data aliqua summa pecuniæ accipiunt fructus alicuius possessionis, vel in parte, vel in toto ad certum tempus, verbi gratia ad quinque annos? His enim elapsis summa reddi debet. Teneri ad restitutionem ex eo videntur, quia videntur facere apertam vsuram præfigentes tempus restituendæ pecunię. Non teneri autem, ex eo, quòd illi, qui sic pecunias collocant, essent vt plurimum contenti, vt illis nunquam restituantur. Tempus autem potius est affixum propter vendentem seu censu seu fructus, vt se possit post tot annos redimere. & ideò, vt plurimum addunt in contractibus, quod si non soluant, post quinquennium, nõ possint soluere ante aliud quinquennium, & sic deinceps. Quare quæritur, an ipse saltem, qui habuit animum numquam repetendi summam principalem, possit excusari ab obligatione restitutionis.

71 Respondeo hanc quæstionem obscurè proponi, eo quod non exprimitur in ea quo titulo datur illa pecunia, an emptionis, an conductionis, an mutui. Si enim datur in mutuum, clara vsura est,[b] & etiam si titulo conductionis, quia illa non patitur, vt pretium reddatur cõducenti, post conductionem perfectam. Si autem detur titulo emptionis, ita quod periculũ huius rei pertineat ad dãtem pecuniam intra illud quinquennium, & ipse fiat dominus eius, licet reuocabiliter, licitè posset dari, seruando ea, quę pòst alios seruanda diximus in d. Manuali.[c] in hæc verba, *Peccat mortaliter, qui emit aliquid cum pacto de retrouendendo simulatè, animo magis mutuandi, quàm emendi, & vsuram committit. Qui autem minoris iusto pretio, etiam dempta parte, qua illud pactum præfatum diminuit, peccat quidem peccatum iniustitiæ, sed non vsuræ coram Deo, licet aliquando coram hominibus præsumatur vsura, secundum omnes:* & alia quæ paulo inferius scribentur, memoranda, & quotidiana.

TRIGESIMAQVARTA. Simili ratione quæritur de pecunijs pupillorum, quę dãtur pro censu annuo, qui vulgo interesse dicitur, præstituto certo tempore restitutioni principalis summæ, vt ex eo censu interim, dum ad ætatem perueniunt, educari, ac sustentari possint, absque diminutione capitalis, vel saltem patrimoniũ eorum accrescere. Num igitur pro vsuris huiusmodi census reputandi sint, & vtrũ ad restitutionem teneantur, & vtrum tutores, an pupilli. Hi enim excusari videntur, quod non modo non consentiant, sed nec quid agatur, sciant: illi verò ex officio tutelæ, quo commodis pupillorum prospicere obligantur, præsertim quod vix alius securior & accõmodatior modus augendis, conseruandisque pupillorum bonis absque illorum præiudicio reperiri posse videatur: qui si alias licitus non sit, hoc tamen casu absque, peccato admitti posse existimatur ob pupillos, quibus diuinæ humanæque leges fauent. Quæritur itaque, si quis hoc casu, vel alioquouis sibi, aut alijs commodis procurando, pecuniam dederit, & censum acceperit, vbi & leges publicæ, & inueterata consuetudo hæc admittunt, vtrũ vsurę scrupulo conscientia illius sit perstringenda, quæ satisfactio imponenda, & vtrum absoluendus sit, si restituere nolit, aut non possit, aut quæ moderatio adhibenda cum iis, qui multo tempore huiusmodi censibus vsi sunt, & vtuntur.

72 Respondeo, nihil mihi occurrere aptius, quod respondere possim, quàm quod in d. scripsi Manuali.[d] *Notandum autem, quod periculum pecuniæ collatæ vitare potest eam conferens, facta cum socio conuentione, vt se faciat securum, siue (vt aiunt) assecuret, suscipiendo in se periculum eius, constituto ei pretio illo securitatis, quo eum tertius assecuraret, aut vt tantò minus de lucro communi accipiat. Nam qua ratione tertius potest eum assecurare, eadẽ potest & socius, vt rectè Siluester dixit.*[e] *Quæ confirmantur ex eis, quæ pridem respõdimus Vlissy pone contra quamdam maximi ponderis societatem iniquam oblata alia iusta, quæ colligi poterat ex Maiori*[f] *Caietano*[g] *& Siluestro*[h] *videlicet quod fierent tres contractus: primus societatis, in quam alius pecuniam, alius operam & industriam conferat: secundus, quo qui operam confert, assecuret alterius sortem iusto pretio accepto, aut altero tanto ex lucro remisso: tertius, vt ad tollendas suspiciones, & molestias rationum, qui operam præstat lucrum incertum lucro aliquo certo redimat, aut vt pro lucro verisimili, sed incerto tantundem certi retineat. Pro quo facit efficaciter, quod nemo negat, eum*

a Prel.4.nu. 19. & cap.11. num 18.
b Ca. consuluit. de vsur.
c Cap.17.nu. 248.
d ea.17.à nu. 254. in hac verba.
e Verb. societas.1.quæst.2.
f In 4.li.sent. di.15.qu. 49.
g In tom.1 opusc.tract.31. respon.11.
h Verb. societas 1.quæst.1.

qui con

*qui confert aliquam pecuniam in societatem, posse assecurari de sorte, & de aliqua certa parte lucri ineundo suos contractus assecurationis sortis, & lucri cum tertio; & qua ratione potest inire cũ tertio, eadem etiã potest cum socio, cessante omni fraude, & simutione. Addo quod possunt fieri eodem tempore, vt monstrat Maior,*[a] *& non solùm formaliter, & explicitè sed etiam æquipollenter, & implicitè. vt si quis negotiator, publice protestaretur se paratum ad accipiendam pecuniam à quocumque volente illi conferre illam in societatem cum pacto de asecuratione sortis ad rationem quatuor pro centum, & lucri certi quatuor pro duodecim incerti lucri. Itaque ex lucro incerto verisimili duodecim ex centum accipiat quatuor pro assecuratione sortis, & quatuor pro certificando lucro duodecim, & consequenter non teneatur reddere nisi quatuor. Et postea alius sciens hanc protestationem confert ei centum, dicens, Ego confero tibi centum in societatem negotiationis cum securitate sortis, & redẽptione lucri incerti, iuxta protestationẽ tuam. Pro qua præter prædicta vrget cap. per vestras.*[b] *sic nouè inductum: Ibi Papa iubet, vt marito vergente ad inopiam dos deponatur apud aliquem mercatorem, quo ex pacto lucri honesti onera matrimonij sustentet: & ita intentio eius fuit, vt dos salua seruaretur; siquidem ob hoc iubebat illam à marito auferri: & ita videtur noluisse, vt ad lucrum & damnum mercatori traderetur, quod erat eam periculo obijcere: voluit item certum aliquod lucrum inde prouenire ad matrimonij onera sustinenda. Ad hæc duo fieri non possunt sine assecuratione capitalis, & lucri incerti pro certa redẽptione. Ergo Papa tacitè voluit illa fieri. Facit etiam, quod in multis Galliæ locis, quando in ea prælegebamus, audiuimus, & nunc audimus in aliquot Italiæ partibus & montibus idem seruari, quod Ecclesiæ, & viduæ, & pupilli more antiquo conferebant suas pecunias, vt quatuor secura pro centum sibi lucrarentur. Quæ consuetudo defendi nullo modo potest per intellectum, quem Ioannes Andreas & nonnulli alij*[c] *assignant, scilicet quod in fauorem Ecclesiarum, viduarum, & pupillorum cum illo lucro mutuari poterat; quia esset vsura, quæ neque etiam ad redimendos captiuos admitti potest*[d] *nec vllo alio modo defendi potest, quàm dicendo quod exordium cœpit ab hoc societatis modo, quò fit cum securitate, & redemptione prædictis, & continuata fuit, vsque ad illud tempus. Ad quod conijciendum facit, quod vix tertiam partem lucri verisimilis sibi pro sua rata regulariter contingentem accipiebant Nam verisimile lucrum centum ad minus erat duodecim vel quindecim & non recipiebant nisi quatuor per centum: quod significat illos reliquas duas partes pro securitate eiusmodi & redemptione dubij pro certo relinquere. Pro quo etiam facit, quod Caietanus*[e] *scripsit. Intelligimus tamen hoc, cessante omni fraude, & simulatione, & vt coram Deo formaliter, aut æquiualenter prædicti tres contractus veri fiant. De quibus omnibus copiosius scripsimus alibi*[f] *respondendo ad quædam Soti argumenta. Equidem optarem, vt Episcopi, vel saltem Pontifices maximi declarent prædictam consuetudinem esse iustam, eo quòd præsumendum sit quod in terris, in quibus à tempore immemoriali illa inoleuit, habuit originem eiusmodi lucrum, & ita bona conscientia seruari posse: monitis præsertim pecuniam deponentibus & depositarijs, vt tres prædictos contractus faciant, vel habeant pro factis. Pro quo est, quod consuetudo immemorialis facit præsumi titulum requisitum ad eius valorem.*[g]

73 Hæc ibi: ex quibus colligi potest id quod respõdendum est prædictæ quæstioni. Si enim vsura fuerit commissa in casibus propositis, necessario restituendum est etiam à pupillis, qui non peccauerunt, postquam sciuerint per eum modum iniquum sua bona creuisse: nec absoluendus est qui noluerit sic quæsita restituere. Si autem non est admissa vsura propter huiusmodi tres contractus expresè vel tacitè initos, vel probabiliter præsumptos, vt credatur verus intellectus ille, quem nouè dedimus prædicto ca. per vestras. nihil erit restituendum, & absoluendus est etiam, qui noluerit restituere.

TRIGESIMAQVINTA. Vtrum omnes vniuersaliter incurrant excommunicationem propter lectos libros prohibitos, etiam illos qui ex professo nihil de religione tractant, cum iis de prohibitione non constiterit: & vtrum à simplici confessario absolui posint, etiam si libros illos tamquam minime periculosos, & sibi ad aliquam artem necessarios retineant?

74 Respondeo primò, eos, de quibus proponitur quæstio, non incurrere excommunicationem, si probabiliter ignorant prædictam prohibitioné retinendi illos libros,

*a In 4. di. 15. qu. 40.*

*b De donat. inter virum & vxorem.*

*c Dist. ca. per vestras.*

*d Cap. super eo. de vsur.*

*e In l 17. resp. 11. respons.*

*f In prædict. cõment. c. 1. 14. quæ. 3.*

*g Capi. super quibusdam. de verbor. signif. & l. hoc iure. §. ductus aquæ. ff. de aqua quotid. & æsti.*

per responsum ad primam quæstionem: eos autem, qui eam sciunt, vel scire debent, incurrrre illam, nec excusari eo quòd expediant eis ad aliquam artem exercendam: quia oportet obedire superioribus,[a] iuxta bullam Indicis Pij IIII. licet forte possent excusari ea ratione, quod non sit recepta, per responsa ad 5. quæstionem. Secundo, quod non possunt à simplici sacerdote absolui, etiã si eos combusserint, vel tradiderint officio Inquisitionis: quia absolutio eiusmodi excommunicationis est reseruata Papæ per bullam Cœnæ Domini, quam præsuppono ibi esse in hoc receptam.

*Aduertendum, quia modo bulla Cœnæ non comprehendit nisi hæreticorum libros hæresim continentes, vel de religione tractantes.*

TRIGESIMASEXTA. Simili modo quæritur de ijs, qui absque licentia legunt libros hæreticorum, inter quos versantur studio cognoscendi illorũ errores, vt eos lucidius populo explicare, ac refellere valeant: & maximè si illis obtruduntur, siue à Catholicis, siue ab hæreticis ipsis: & vtrum loci ordinarij posint dare facultatem legendorum librorum prohibitorum, quibus cum euidenti vtilitate Ecclesiæ id absque periculo concedi posit, an verò pro ea ad Sedem Apostolicam recurrendum. Videtur enim Concilium Tridentinum hanc auctoritatem, quamuis obscurius, Episcopis concedere inter alias facultates generaliter illis concessas.

75 Idem quod ad præcedentem respondeo: quamquam sunt aliqui qui contra sentiant, sed mihi semper visum est hoc verius, & nullos ordinarios posse facere facultatem in quæstione contentam, nisi ex speciali delegatione Papæ: quia inferior non potest legem superioris tollere,[b] neque absoluere à reseruatis Papæ.[c]

TRIGESIMASEPTIMA. Vtrum Episcopus posit dare licentiam celebrandi sacrum apud infirmum, non obstante Concilio Tridentino.[d] Videtur enim posse, præsertim si ante Concilium habuit hanc potestatem siue ex canone, siue ex consuetudine, quæ olim certa fuit. nam ibi Concilium videtur tantùm iubere, vt non fiat id sine vel ordinarij, vel absque Episcopi licentia.

76 Respondeo non posse, si Concilium Tridentinum in hoc est ibi scitum, & receptum. Tum quia in decretis[e] habetur, quòd sancta Synodus decreuit, vt ordinarij locorum curarent, & tenerentur seruare ibi subiecta, quorum vnum est, ne patiantur in domibus priuatis, vel extra Ecclesiam, aut oratorium in id dedicatum, celebrari Missam. per quæ verba obligauit Episcopos ad seruandum illud, quod frustraneum esset, si Episcopi id permittere possent. Tum quia ante Concilium poterant Episcopi hanc licentiam dare in suis episcopatibus, vt notant Ioannes Andreas, Panormitanus & communis[f] Francus[g] & si id possent etiam post Concilium facere, frustratoria fere esset prouisio supradicta Concilij, qualis esse non debet.[h] Tum quia consuetudo ita est interpretata prædictum Concilium & consequenter ita seruandum.[i]

TRIGESIMAOCTAVA. Quid facere debeant, qui peste infectis debent sacramenta administrare, vt posint sanis idem præstare, ne vel hos inficiant, vel illis viaticum desit.

77 Respondeo, quòd debent infirmis, qui sunt in maiori periculo, subuenire, sanis autem dare licentiam sumendi sacramenta ab alijs,[k] & si ipsi voluerint accipere ab eis, qui ministrant infectis, & hoc suo iure petierint, poterunt etiam ministrare illis, præmonitis tamen se nescire, an sint ita infecti, vt posint alios inficere, & quod eligant, vtrum maluerint.

TRIGESIMANONA. Idem quæritur de sacerdotibus, qui ad infectos morbis contagiosis vocantur, quibus absque suo periculo ministrare non posint.

78 Respondeo posse iustè, immò cum magno merito manere, immo & ingredi ciuitatem infectam ad iuuandos spiritualiter, vel corporaliter peste infectos, licet ad id non teneantur, vt expresè determinat Caietanus.[l] vbi etiam tacitè determinat alteram partem quæstionis, videlicet quod non possunt fugere illi qui tenentur infectis sacramenta ministrare, saltem non dimisis idoneis vicarijs: quod satis videtur colligi ex ipso S. Thoma[m]

*a Ca. 2. de maiori.*

*b c. cum inferior. de maio. & clemen. ne Romani. de elect.*

*c c. ad eminẽtiam. de senten. excom.*

*d Sess. 22. decreto adiuncto canonib⁹.*

*e De obseruãdis ses. 22.*

*f In ca. in his de priuileg.*

*g In c. fi. eod. tit. lib. 6.*

*h c. commissa. §. porro. de elect. lib. 6. & l. vltra. §. vbi autem puerilis. C. de bon. quæ l ber.*

*i c. cum dilectus. de consuetud. l. minime ff. de legibus.*

*k Arg. ca. vbi periculum maius. de elect. li. 6. cum suis cõcord. & cap. duo mala. 13. dist.*

*l 2. 2. q. 26. a. 5.*

*m Ibidem.*

& ex

& ex cap. aduersitas.[a]

QVADRAGESIMA QVAESTIO. Si contingat sacramentum Eucharistiæ ad ægros portare per loca, vbi inhonestatis periculũ propter hereticos vel alios, timetur, an præstet, non portare, an portando dissimulare, ne inde Catholicis scandalum, hereticis gaudiũ exoriatur, quorum vtrumque sepe comprobatũ est. Idem & de processionibus cum sacramento quæritur, num intermitti posśint, etiam contra instituta Ecclesiæ, ob easdem causas.

79 Respondeo, quòd si viri boni & prudentis arbitrio probabiliter timetur dehonestatio sacramenti, & quod non poterit ei à Catholicis resisti, iustè poterunt omitti processiones, & sacramẽti ad infirmos deportationes publicæ: quia licet ex iusta causa contrauenire legi humanæ, vt supradictũ est in responsione ad quæstionẽ 8. præmissam: & processiones & deportationes publicæ prædictæ iure humano sunt institutæ, vt palàm est.

QVADRAGESIMA PRIMA. Vtrum incidant in bullam Cœnæ Domini iudices sæculares, qui citatos ad se pro decimis iudicant, cùm in hoc beneficium præstent Ecclesiis: nam si illi recusauerint iudicare Ecclesiasticus decimis priuabitur, cùm postquã iudicium Ecclesiasticis sit ablatum, rei vt plurimum parum excommunicationes curent, & iudex sæcularis timoratus iudicare non audet, ne in bullam incidat: vnde videntur etiam hortandi, vt iudicent. Nec videntur obstare bullæ, cùm ipsi non trahant, sed tractos iudicent.

80 Respondeo primò, quòd Ecclesiasticus potest super decimis adire sæcularem per viam possessorij, seu interdicti retinendæ vel restituendæ possessionis, iuxta vsum receptum, & ea quæ scripsi in d. Manu.[b] vel per viam innouationis, vt significauit Ioannes Faber.[c] Secundò, quòd non audeo dicere, posse Ecclesiasticos directa via petitorij adire iudices sæculares super decimis, & aliis spiritualibus, quatenus spiritualia sunt.[d]

QVADRAGESIMA SECVNDA. Quid de illis, qui se trahi ad iudices laicos pro decimis patiũtur, incurrunt ne in bullam Cœnæ Domini? Videntur enim non incurrere, cùm non illi potestatem Ecclesiis abstulerint, sed legẽ factam à republica, fortè etiam spiritualibus cõsentientibus, vel saltem ob euidens commodum suum & Ecclesiasticum non repugnantibus, sequantur. In bullis vero non videntur excommunicari, nisi qui aliquam habeant iurisdictionem.

81 Respondeo non incidere illos in excommunicationem prædictæ bullæ Cœnæ, si trahantur inuiti, incidere autẽ, si trahantur de suo cõsensu, consilio, vel fauore: quoniã non solùm trahentes, sed etiam consilium, vel fauorẽ in id adhibentes excommunicat prædicta bulla Cœnæ.[e]

QVADRAGESIMA TERTIA. Idem queritur & de aliis, qui merè ad forũ spirituale spectant, & tamen malitia hominũ ad sæculare extrahuntur: quod ipsimet Ecclesiastici, ac sacerdotes sequi, ac comprobare coguntur, superiores verò permittere ob sublatam iurisdictionem Ecclesiasticam.

82 Respondeo idem esse dicendum de his, qui trahuntur in aliis spiritualibus causis, quod in causis decimarum: quia præfata excommunicatio 14. expresse fertur in trahẽtes in aliis causis spiritualibus, & eis annexis, ac in causis decimalibus, & beneficialibus, vt palam est ex littera.

QVADRAGESIMA QVARTA. Sint ne cogedi domini, ne suos subditos persequantur, cùm ex eorũ pagis alio habitandi gratia transmigrãt, cùm hoc illis lex, & consuetudo communis permittat: qua etiam lege & consuetudine cogunt filios subditorum ad idem, vel vt libertatem pecunia emant. Origo autem huius quasi seruitutis esse potuit, vel quia olim bello fortè capti fuerant, vel quia in principio cùm ad eos migrant, non pauca illis donauerant, vt domum, boues, vaccas, &c. quod etiam nũc obseruatur: ratione quorum sciunt se, suósque successores ad mansionem obligari, volenti autem non fit iniuria.

83 Respondeo primo, multiplices esse colonos, vt glossa magistralis declarat,[f] quorum quidam sunt adscriptitij, qui licet verè sint liberi, sunt tamen ferè serui: quia sunt addicti, & adscripti glebę terrę, quam ipsi, vel eorum maiores acceperunt colendam, quã non licet eis, inuitis dominis relinquere, de quibus in l. cũ satis & in l. cũ scimus. co. tit. de agricol. & cens. Quales nulli dicũtur esse in Frãcia & in Hispaniis, cùm tamen sint multi (vt aiunt) in Sabaudia, & aliis prouinciis. Secundo, quod domini terrarũ, quibus sunt aliqui coloni adscriptitij, possunt iustè vẽdicare illos, quocumque iuerint, ad similitudinem seruorum fugitiuorum, per prædictas leges, & alia multa.

QVADRAGESIMA QVINTA. Quod cùm à secularibus strictissimè obseruetur, de quibus quesitũ est, quæritur etiam, num Ecclesiastici in bonis suis, quæ plurima habent iisdem iuribus, & consuetudinibus subiecta, possint bona conscientia eodem rigore vti, aut similiter se gerere circa subditos, nec iisdem emigrandi alio, vel alterius vitæ suscipiendæ facultatem concedere?

84 Respondeo nihil obstare, quo minus Ecclesiæ, & Ecclesiastici viri eodem iure, quo seculares, in hac re vti possint, præsertim quòd etiã monasteria, & religiosi vbique gentium habeant donatos, & oblatos, qui non sunt verè religiosi, & tamen nequeunt iustè recedere à monasteriis, iuxta ea quæ leguntur, & notantur in ca. vt priuilegia,[a] cum vtrobique & alibi sæpe notatis.

QVADRAGESIMA SEXTA. Cùm omnes tã Ecclesiastici, quam sæculares in regno Poloniæ vno eodémq; iure vtantur, & quemadmodũ sæculares, ita & Ecclesiastici iuxta iuris municipalis, & consuetudinũ dispositionem in oppidis, villis, cæterísq; possesionibus, quas amplissimas habẽt, supremam in subditorum suorum vitas, bona, & omnia potestatem habeant absque vlla ad sęculares magistratus appellatione, quæritur, quomodo instruendæ sint hac in parte Ecclesiasticæ personæ, ne ob rigorosiorem, siue per se, siue per alios administrationẽ, iustitiæq;, quæ saltem illis insciis fieri non potest, executionem, in pœnas canonum, & irregularitates, siue scienter siue inscienter incurrant, aut quod sæpe fit, absque vlla Superiorum animaduersione sustineant.

85 Respondeo primò, quod peccarent huiusmodi Ecclesiasticæ personæ, quæ per semetipsos cognoscerent de criminibus, ob quæ sit imponenda pœna mortis, vel mutilationis, & fierent irregulares, si per eorum sententiam mors, vel mutilatio membri consequeretur.[b]

Secundò, quòd non peccant, immo benè merentur de Deo, & de Repub. huiusmodi Ecclesiastici, qui per alios suos vicarios generales, vel speciales delegatos cognoscunt de huiusmodi criminibus, & dicendo eis, vt faciant iustitiam, nec vllam ob hoc irregularitatem incurrunt, licet vicarius generalis, vel delegatus particularis sentẽtiã mortis, vel mutilationis ferat, & ex illius executione consequatur mors, vel mutilatio, vt contextus vtilis,[c] habet in hæc verba: *Episcopus, siue quicumque alius prælatus, vel clericus iurisdictionẽ obtinens temporalem, si homicidio, aut alio maleficio ab aliquibus in iurisdictione sua perpetrato, baliuo suo, aut alij cuicumque iniungat, vt super hoc veritatem inquirens iustitiæ debitum exequatur, irregularis censeri non debet: quamuis ipse baliuus, vel alius contra malefactores ad pœnam sanguinis processerit, iustitia mediante. Nam licet clericis causam sanguinis agitare non liceat, eas tamen, cum iurisdictionem obtinent temporalem, debent & possunt metu irregularitatis cessante, aliis delegare.*

86 Tertio, quod quamuis contextus prædictus habeat non incurrere ipsos irregularitatem, eo quòd delegatus ab eis *iustitia mediante* mortem intulerit, idem tamen est dicendum, etiam si contra iustitiam eam pati fecerit, vt adnotauit ibi glossa memorabilis & recepta per omnes,[d] ratione à se ibi reddita.

QVADRAGESIMA SEPTIMA. Quid dicẽdum de illis, qui in perpetuum vendunt, vel ad tẽpus sumptã pecunia concedunt possesiones suas hæreticis, à quibus periculũ imminet subditis venditis, vt oppignoratis, tũ verò Ecclesiæ in illis possesionibus existenti, quæ plerumque spoliatur: interdum verò ab illis, qui ad tempus vsumfructum habent, & sunt hæretici, coloni ad operas diebus festis, negligendásque deuotiones sacrorúmq; celebrationes coguntur. Vtrum, & quomodo tales sint absoluendi, præsertim si necessitate se adductos extremã id fecisse asseuerent, nec alteri, puta Catholico, siue venditionem siue oppignorationem huiusmodi, aut locationẽ facere posse ostendant?

---

a 7. q. 1.

b Cap. 27. nu. 69.

c In §. retinendæ. Instit. de interdic.

d Arg. c. bene quidẽ. 96. di. & cap. decernimus. c. quãto. de iudic. & bulla Cœna Domini.

e In excommunicatione 14. quæ ponitur in §. excõmunicamus omnes, & singulos cancellarios.

f In rubr. C. de agricol. & cens. lib. 11.

a De priuile. & ca. in præsentia. de probat.

b Iuxta c. clericus. & cap. sentẽtiam. ne clerici vel monachi.

c cap. Episcopus. eod. titu. lib. 6.

d In verb. iustitia mediante.

Respondeo, quòd, vt respondi ad 24. siue 17. quęstionē, satis defendi potest licere Catholico contrahere cum hæretico non denunciato pro excommunicato, per considerationem nouam ibidem relatam.

Secundo, quòd sicut non licet concedere, vel dare Iudæis officium, cui aliqua præeminentia sit annexa, per responsa supra,[a] ita immo minus est danda, vel concedēda, hæretico notorio: quia longè peior est infidelitas hæresis, quā Iudaismus vel Paganismus, vt tradit S. Thom. recep.[b]

QVADRAGESIMAOCTAVA. Cùm Conciliū Triden.[c] absoluendi ab heresi solis Episcopis, nō eorum vicariis concedat auctoritatem: quæritur, quando est raritas Episcoporū, & amplissimè patent diœceses, ita vt ad Episcopos reconciliationis causa plerique saltem cōmodè venire nequeant, multi etiam verecundia ob Episcoporum se notoriam dignitatem deterreantur, vtrū Episcopi possint pro vna, vel pluribus vicibus absoluēdi alicui personæ sibi gratæ concedere facultatem ex legitima causa, vel non. Item si illos vel ægrotare, vel abesse cōtingat, ita per se absoluere non possint, num subdelegatio illorum valeat, necne. An vero huiusmodi facultas à solo Summo Pontifice obtineri debeat pro personis aliquot in diœcesi idoneis.

88 Respondeo primo, quod prædictum.[d] Concil. Trid. de reform. solùm dat Episcopis facultatem absoluendi à contentis in eo, quo ad forum conscientiæ tantùm, & cōsequenter si absoluendus indiget absolutione in vtroque foro, recurrendum est ad Papam, vel legatum eius, qui habeat eiusmodi facultatem absoluendi in vtroque foro. Secundò, quod Episcopus potest absoluere per se, vel per alium suum subditum: quia omnis, qui habet potestatem ordinariam absoluēdi aliquem ex officio, potest absolutionē delegare per c. fin.[e] quod licet specialiter disponat de absolutione ab excōmunicatiōe canonis, *si quis suadēte*, ratio tamen huius habet locum in aliis, vt declarat Panormitanus & consequenter idem ius esse debet de illis,[f] nec obstat cap. fin.[g] quia disponit de habente potestatem ordinariam ex priuilegio, vt glossa singularis declarauit,[h] quam vtrobique Doctores approbant.

89 Tertio, quod non videtur posse Episcopus cōstituere vicarium, vel delegatum generalem ad absoluendum hæreticos: tum quia Concilium noluit dare illam facultatem vicario generali: tum quia prædictum ca. vlt. (quo nitimur)[i] non habet eum, qui competit ordinaria potestas absoluendi aliquos in certis casibus, ex priuilegio posse illam generaliter alicui delegare, ita vt habeat potestatē absoluendi pro suo arbitrio eos, qui videbuntur ei absoluendi, sed tantùm quod potest delegare absolutionem in illis casibus, cùm illi occurrerint, & possint exercere illū actum absoluendi de mandato ipsius. inter quę est magna differentia, vt declarat Felinus.[k]

90 Quarto, quod qui ob verecundiam, vel alia impedimenta, nō possunt adire Episcopum personaliter, possunt adire per confessarios, vel alios, vt de mandato eius absoluantur per alios.

In his vero quæ S. Inquisitionis officium vel decretorum sacri Concilij declarationem concernunt, tutius erit suprema Romæ tribunalia consulere, quorum censuræ quæ dicta sunt subiiciuntur.

SVMMARIVM.

1 *Papæ responsio, data vt à Doctore, aliorum non præiudicat opinioni.*

2 *Papa an responderit vt Doctor, an vt legislator, primò ex verbis est diiudicandum: quæ si non sufficiunt, recurratur ad alias coniecturas, & ad qualitatem sub qua fuit interrogatus.*

## CONSILIVM II.

QVibus signis cognoscitur, an Papa loquatur vt Papa, & legislator, an vt doctor?

1 Respondeo primò, Iurisconsultos ad hoc, vt certius respondeant, specialius esse interrogandos: quia vt ait S. Thomas,[l] *sermones in moralibus eo sunt veriores, quo specialiores*: licet in speculatiuis generaliores sint veriores specialioribus. & hæc quæstio adeo generaliter proponitur, vt vix ei satisfieri possit, nisi bona parte iuris perspecta.

Secundo, quod glossa solemnis,[m] ponit aliqua signa, per quæ cognoscitur, quis canon dicatur generalis cōstitutionis vim habere: cui parum vel nihil addunt doctores commentantes illud: & multa, quæ ad hoc aliquid faciūt, citat Felin.[a] vbi Innoc. IIII. in suo commento ad finem ait, *quod opinio Papæ, quam ponit vt commentator, non præiudicat opinioni alterius doctoris.*

Tertio, quod fortè clarius, & breuius, quā alius aliquis dixerit, dici posset; quod tunc dicitur statuere vt Papa, cū id expresse ait, & tunc vt Doctor, quando id exprimit: & ꝙ cùm respondet interrogatus vt Papa, videtur respōdere vt Papa, & cùm interrogatus vt Doctor, videtur respōdere vt Doctor, etiam si id non exprimat, per illā conclusionem, quæ colligitur ex cap. pastoralis.[b] & ornatur,[c] à Felino. Similiter id quod respondet Papa de iure, respondendo alicui quærenti vel interroganti eum super aliquo dubio iuris, censetur velle vt in similibus casibus idem respondeatur, & quod ex circumstantiis temporis, loci, modi, & causa respondendi, & interrogandi, & scribendi, & dictandi, facile colligi potest in dubio in qua persona loquitur, vel scribit, & melius ex particularibus verbis: nisi nisi cùm per illa expresse declaratur mens & intentio Papæ. Quare arbitror, quòd cùm quis super casu occurrenti consuleretur, vel interrogaretur, an illa vel illa dispositio censenda sit facta à Papa, tamquam Papa, vel tamquam Doctore, ante omnia circumspicere debet, an per verba dispositionis declaretur expresse, in qua persona id disponit: & si per illa id non declaratur, consideret, an de iure interrogatus vt Papa idfecerit, an interrogatus vt Doctor, & vir in illa materia eruditus: ponderatis etiam aliis circumstantiis facile cognoscet, quid sit ei probabiliter respondendum. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Extrahi equos lex sæcularis prohibens, laicos ligat, prout est recepta. num. 2. clericos autem non. num. 4. & 5.*

2 *Recepta an sit lex in foro conscientiæ, ab vsu doctorum confessariorum, & pœnitentium dignoscitur, ligatq; conscientiam, prout in eo foro est recepta.*

2 *Lex sæcularis sub pœna prohibens, aut iubens aliquid antea sub peccato nec iussum, nec prohibitum, non videtur obligare ad peccatum. sed & non recepta, vel solum in parte, non obligat, nisi prout est recepta.*

3 *Lex sæcularis generaliter loquens, si sit rationabilis & fauorabilis, canonibusq; non contraria, includit clericos, modo non sit concepta per verba præceptiua, vel prohibitiua. num. 5. nec habeat admixtam pœnam, vel aliter sit eis præiudicialis. nu. 5.*

4 *Statutum sæculare prohibens alienare in non subditum, nō includit clericum.*

## CONSILIVM III.

AN Lex principis sæcularis, quæ prohibet equos extra regnum suum asportari, obliget in foro conscientiæ clericos extrahentes equos suos in suis equitiis genitos?

1 Ad hanc quæstionem respōdeo, quòd illa semper mihi visa est magna, & quotidiana. Primùm quidem ea ratione, quòd viderim in regnis Castellę, vbi est lex huiusmodi ab antiquo instituta, perinde procedi contra clericos extrahentes huiusmodi equos, ac contra laicos.

Secūdò, quòd præsupponit, laicos, qui eos extraxerint, peccare mortaliter: quod numquam mihi fuit satis certū propter ea, quæ post multas interrogationes huic similes multo tempore factas & post responsum ad eas multo tēpore dilatum, tamdem in nostro Man. conf.[d] [illegible] seminaria, ex quibus diligens lector satis potest colligere huiusmodi quæstionum decisionem, licet ipse iusta de causa expresse eas non deciderim. *Et quibus est illud*,[e] *quòd lex principis sæcularis prohibens, vel iubens aliquid sub pœna temporali, non videtur ad pœnam æternam obligare, nec consequenter ad peccatum mortiferum, nisi cùm id quod prohibet, vel iubet, per aliam legem naturalem, diuinam vel humanam esset sub pœna peccati mortiferi prohibitum. vel iussum, illud item quod ponitur paulo post*,[f] *scilicet, quod dictum præcedens habet locum etiam cùm adiicitur pœna valde grauis, scilicet amißionis magnorum bonorū, famæ, vel vitæ. & illud quod ponitur inferius*,[g] *scilicet quod consuetudo est optima legum interpres, & quod illa videtur sic interpretata huiusmodi leges, & illud positum consequenter inferius*,[h] *& melius repetitum*,[i] *nempe, quòd lex humana etiam iusta, si non est recepta, non obligat, nec etiam si est recepta, quo ad illud, quo ad*

quod

a Ad qu. 23. siue 16.
b 2. 2. qu. 10. art. 6.
c Sess. 24. c. 6
d cap. 6. sess. 24.
e De off. ord.
f Cap. cū dilecto. de confirm. vtil. & leg. illud ff. ad l. Aquil.
g §. cæterū de off. deleg.
h In d. ca. fin. de offic. ordi.
i De offic. ord.
k Ibidem.
l In prin. 2. 2.
m In c. vt circa. in verbo perpetuo. de elect. lib. 6.

a In cap. 1. de consti. & in capi. per tuas 2. de simon.
b De except.
c Ibidem.
d Cap. 23. nu 48.
e Num. 54.
f Num. 57.
g Num. 59.
h Num. 40.
i Num. 62.

*quod non eſt recepta: & conſequenter quòd licet lex ſit recepta quo ad pœnam temporalem, non tamen obligat quo ad pœnam æternã, ſi non eſt recepta quo ad illam: & quod præfata lex, & huiuſmodi licet ſint receptę quo ad pœnam temporalem, & exteriorem fori exterioris, non tamen videntur receptæ quo ad pœnam interiorem interioris fori, quæ eſt æterna, quia nec confeſſarij, nec confitentes eruditi conſueuerunt huiuſmodi legum obſeruantiam iniungere, nec accipere in foro interiori, reputantes ſatisfieri legi ſoluendo pœnam temporariam, cùm deprehendetur eorum tranſgreſſio.*

3 Tertio, quod præſupponit difficultatem illam grandem in multis locis vtriuſque iuris tactam, & tractatam, an & quando leges ſæculares generaliter iubentes, vel prohibentes aliquid, includant clericos? vt colligitur ex Pan.[a] & ex plurimis, quæ adiecit Felin.[b] & Decius,[c] in qua communis reſolutio habet, quòd lex Imperialis generaliter loquens rationabilis, & fauorabilis, cui nõ contradicunt canones, etiam habet locum in clericis, ſecus ſi eſt præiudicialis.[d]

*a In repet. ca. eccleſia ſanctæ Mariæ de conſt.*
*b Ibidem à n. 37. per 20. qu.*
*c à nu. 24.*
*d Arg. c. 1. de noui operis nunciat. & c. ſi in adiutor. 10. diſt & aliorũ multorum, quæ prædicti vbi ſup. citant.*

Quarto, quod non eſt facile definire quæ lex dicatur fauorabilis, & quæ præiudicialis: quia varij variè id aſſerut.

His præmiſsis, ad queſtionem reſponderi poteſt primò quidem, quod qui tenuerit laicos præfatam legem tranſgredientes non peccare mortaliter in foro conſcientiæ iuxta ſupradicta, cogitur dicere partẽ negatiuã queſtionis ſcilicet præfatos clericos nõ peccare in foro cõſciẽtię, per illam regulam topicam, *Si quod magis videtur ineſſe, & non ineſt, ergo nec id quod minus.*[e]

*e Ex authẽtica multo magis. C. de ſacroſanct. Eccleſ & ca. cũ in cunctis. de elect.*

4 Secundò, quòd qui tenuerit prædictam legem eſſe præiudicialem, etiam tenebitur eamdem partem aſſerere iuxta præfatam communem reſolutionem, quæ habet legem Imperatoriam etiam generaliter loquentem, & nullam de clericis ſpecialem mentionem facientem, non includere clericos, ſi eſt præiudicialis.

Tertiò, quòd etiamſi eſſet fauorabilis, non obligaret eos, attento quòd loquitur per verba præceptiua, vel prohibitiua, quoniam etiã ſecundum receptiorem ſententiã lex ſæcularis, etiam fauorabilis, & generaliter loquens, nõ includit clericos, ſi prohibendo vel præcipiendo loquatur, vt poſt alios tradit Decius.[f]

*f In præfato nu. 27. inducens ſubtiliter ad id præfatũ capit. eccleſia ſanctæ Mariæ.*

5 Quarto, quod præfata lex videtur pręiudicialis, partim quia eſt pœnalis, & non ſtatuit de cõtractibus, nec de vltimis voluntatibus, nec de iudiciis: partim quia ſtatuit de delictis, & non de antiquis, ſed de nouis, quę ipſa nouè inducit: partim quòd nemo (quod ſciam) vocauit legem huiuſmodi fauorabilem: & meritò, quia eſt odioſa, & in odiũ delicti inducta, & ideo reſtringenda,[g] cum aliis multis: partim quod Doctores aſſerentes leges de contractibus diſputantes ſatis poſſe dici fauorabiles, cum aliqua difficultate id aſſerunt, ſignando contrarium dicendum eſſe de legibus diſponentibus de delictis, & pœnis eorum.

*g Cap pœna. de pœnit. d. ſi. 1. & le interpretatione. ff. de pœnis.*

Quintò, quòd ſtatutum prohibens alienare in nõ ſubditum, non includit clericum, ſecundum Ioannem And.[h] quem communiter eſſe receptum probat Felinus[i] referendo plurimos ei concordantes. Salua, &c.

*h In ca. fin. de immunit. eccleſ. lib. 6.*
*i Vbi ſupr. nu. 9.*

## SVMMARIVM.

1 *Donatio inter coniuges contracto matrimonio facta nõ valet, niſi ſit iurata. nu 10 at conſtitutio dotis & illius augmentum tenet, quia cùm fiat ob onera matrimonij, non eſt propriè donatio. numero 9.*

2 *Domicilium originis non perditur per domicilium habitationis alibi translatum.*

3 *Statutum ciuitatis ligat omnes illius ciues, hoc eſt habentes in ea domicilium, at inibi natos, alibi habentes domicilium, non ligat. nu. 7. 8. & 11.*

4 *Domicilium habitationis in loco poteſt habere filiafamilias nupta ex triplici capite primo ex domicilio patris, item & mariti, cum quo viuente decreuit viuere, ac etiam ex propria perſona conſtituendo in eo velle degere, quod acquiritur, ſimulac quis etiam filiusfamilias incipit in loco habitare eo animo, vt vitam inibi peragat, hicque animus ad cautelam poteſt explicari corã iudice, vel notario, num. 8. & eſt principalis, & magis attẽditur, quam domicilium originis. nu 5.*

5 *Diœceſis appellatione in dubio venit illa, quæ eſt domicilij. Vnde Florentinus eſt proprie is qui habet Florentiæ domicilium: hæcq; diœceſis, & nõ originis exprimitur ex ſtylo Curiæ in ſupplicationibus, quę Papę porriguntur. licet impropriè quo ad aliquos effect9 etiã Florẽtini dicãtur, qui ſola origine Florẽtini ſunt. n. 6. 7. & 12.*

13 *Domicilium viri prẹualet, & attenditur quo ad effectum repetitionis dotis.*

## CONSILIVM IIII.

SPoleti eſt ſtatutum iam pridem receptum, quòd pro nulla muliere ciuitatis Spoleti, vel eam habitãte poſſit dari, neque recipi dos maioris ſummæ mille florenorũ, ſiue quingentorum ducatorum: quod confirmatum eſt à Papa, & munitum pœna excommunicationis latæ ſententiæ. Quo ſtatuto ſtante, quidam Spoletanus origine venit Romam, vbi moratus eſt decem & amplius annis, & conuenit cum alio etiam origine Spoletano, qui venit ad Vrbem ante triennium cum propoſito eam inhabitandi, & cõſtituendi domicilium, vt duceret in matrimonium filiã ipſius, quæ manebat Spoleti: quam fecit deduci ad Vrbẽ, vt in ea contraheret matrimonium iam conuentum: & abhinc triennio contraxere per verba de præſenti, nulla dote conſtituta expreſsè, ſed nondum conſummauerunt, quia pater dicebat videri ſibi, quod non poterat cõſtituere ſuæ filię dotem vltra præfatos mille florenos, gener autem dicebat impenſas faciendas vxori inhabitaturæ Romæ eſſe longe maiores, quàm ſint faciendæ Spoleti: & quia ipſe intẽdebat degere Romæ, nõ poterat onera pręfati matrimonij ex dote tã parua ſuſtentare. Interim pręfatus ſponſus emit officiũ quoddam valoris 4000. ducatorum, vt honeſtè degere poſſet in Vrbe, & conſequenter mortuus eſt pater ſpõſæ, & legauit filiæ pro dote ſcuta 500. quæ mille florenis æquantur. Gener non eſt ea dote contentus, & ſponſa, cognatique eius vellent, ſi liceret, augere dictam dotem vltra ſummam in prædicto ſtatuto contentam. Quæritur an liceat eis eam augere, & ſponſo illud auctarium recipere?

1 Pro parte negante facit primò, quod non valet donatio facta ab vxore marito, neque econtra facta vxori à marito, conſtante matrimonio,[a] & auctio dotis videtur quędam donatio, ergo ea non licet.

*a l. 1. 2 & 3. & ex ſiſpon. ff. de donatio. inter virum & vxor.*

Secundo, quod Spoletanus origine habitans Romæ, etiam ſi conſtituat in ea domicilium, nõ deſinit eſſe Spoletanus origine, nec deſinit habere domicilium originis Spoleti, quia illud eſt immutabile.[b]

Tertio, quod ſtatutum alicuius ciuitatis ligat omnes ciues eius, ſecundũ omnes: at ciues origine ſunt verè ciues,[c] ergo præfatum ſtatutum ligat præfatos cõtrahentes, quia ſunt ciues Spoletani origine.

*b l. 1. l municeps. & l. fina. ad municip.*
*c l. ciues fa. 1. C. de incolis. lib. 10.*

4 Pro parte autem affirmante facit primò, quòd vterq; tam ſponſus, quàm ſponſa ſunt Romani domicilio habitationis: maritus quidem, quia trãſtulit domicilium, quod habebat habitationis Spoleti, Romam, quia venit ad eam animo vitam peragendi in ea, & habet habitationẽ in ipſa eo animo, & emit officiũ quatuor mille ducatorũ ad peragendam vitam in ea, vt in caſu præſupponitur: ſpõſa verò, eò quod ſponte ad mandatum patris venit ad Vrbem nuptura præfato ſponſo, prout etiam nupſit, animo vitam peragendi cum illo in Vrbe, & ita eſt Romana domicilio tã patris, qui erat domicilio Romanus per decennalem & longiorem habitationem, quæ ad hoc ſufficit,[d] quàm domicilio mariti, qui iam à triennio habet illud Romæ: tum ex perſona ſua, quæ ſponte iam à triennio cœpit habitare Romæ. & ad contrahendum domicilium habitationis in aliquo loco, ſufficit quod in eo incipiat habitare animo vitam in eo peragendi,[e] etiam ſi ſit filiusfamilias[f] & cõſequenter facti ſunt iam exteri & forenſes, quos non ligãt ſtatuta municipalia, iuxta legem finalem.[g]

*d Iuxta leg. 2 & 3. C. de incolis. lib. 10.*
*e l. 3. adiunct. gloſ. recep C. de incol. li. 10.*
*f Le. placet ff. ad municip.*
*g ff. de iuriſd. om. iud. & c. 2. de conſt. lib. 6.*

5 Secundo, quod licet domicilium originis ſit firmius & immutabilius domicilium, tamẽ habitationis eſt principalius, iuxta gloſſam celebrem,[h] quæ habet magis attendendum eſſe domicilium habitationis, quàm originis.

Tertio, quod gloſſa præfata cum Compoſtellano & Speculatore tenet, per diœceſanum, in dubio intelligendum eſſe diœceſanum domicilij habitationis. Vnde Philippus Francus colligit illam diœceſim dici propriè diœceſim alicuius, in qua ille habet domicilium habitationis: & Bartholus[i] tenet, repreſalias conceſſas contra Florentinos, non poſſe exequi contra illos, qui ſunt origine Florentini, ſed non habitant Florentiæ, nec munera ſubeunt ibi, & ſunt incolæ & municipes alterius ciuitatis. & ſty-

*h In ca. ſtatutum in verb. vnam dietã. de reſcript. li. 6.*
*i In tract. repreſa. in 7. q.*

lus Curiæ habet,vt orator exprimens diœcesim, cuius est, exprimat diœcesim,vbi habet domicilium,& non diœcesim,vbi natus est.

6 Quarto, quod contextus expressus l. prouinciales,[a] habet,[b] & non qui ex prouincia sunt oriundi: ergo non dicentur Spoletani, qui extra Spoletum habeant domicilium,& sunt municipes, quod planè verum est secundum communem vsum loquendi,vt dicebat Iacobus de Arena relatus,[c] per Bartholum:quæ significatio est attendẽda,[d] & regulariter sic sumitur,& quamuis illa lex habeat multos intellectus,vt per glossam Bartholi & Alciati,[e] habetur,genuinus tamen videtur esse, quod regulariter, & vt plurimum illi tantum dicuntur prouinciales, vel Florentini,vel Romani, qui habent domicilium habitationis in prouincia,Florentiæ,vel Romæ,licet quo ad aliquos effectus dicantur esse ciues locorum, vnde originem trahunt.

Quintò, quòd ex parte contraria negante sequeretur, quod si vir & mulier Spoleti nati haberent domicilium habitationis in Hispania ante 20.annos contractum, & vellent contrahere matrimoniũ ibi,ad viuendum ibidem, subiicerentur præfato statuto,quod est ridiculum.

7 Sextò,& peremptoriè,quod statutum Spoleti nõ potest obligare,nisi subiectos iurisdictioni Spoleti: quia cũ statuere sit iurisdictionis, solum obligat eos qui ei subiacent.[f] At qui nati sunt Spoleti, & habent domicilium habitationis in Hispania, Gallia, vel alia parte Italiæ extra territorium Spoleti,non subiacent iurisdictioni Spoletanæ:ergo statutum Spoletanum non ligat eos. Cum ergo præfati,de quibus quæritur, habeant domicilium Romæ, & sint propriè diœcesis Romanæ, & subiecti iurisdictioni Romanæ,& non sint propriè diœcesis Spoletanæ, nec subiiciantur iurisdictioni Spoletanæ, consequens profectò est, eos non ligari statuto Spoletano quo ad ea, quæ extra Spoletanũ territorium faciũt, vel facere prætendũt.

8 Septimò, quòd non est quæstio de dote antehac cõstituta,sed de dote posthac constituenda,& de auctario eius constituendo. & possunt præfati domini consulentes ad maiorẽ cautelam protestari se cõstituisse domicilium suũ Romæ,& habere illud Romę, & si quatenus opus est nouè constituere illud,volentes in præsentia in ea viuere,& mori:qua protestatione coram notario publico, vel iudice facta,postea sine vllo metu præfati statuti, & excõmunicationis ei adiectæ potest per aliud instrumentum ipsa mulier augere dotem,& ipse vir recipere illud auctarium, tamquam incolæ & municipes Romani, & subiecti legibus & statutis Romanis,quibus nõ vetatur præfatum auctariũ,nec cõstitutio dotis maioris,quàm mille florenorũ.

9 Non obstãt adducta in oppositum. Ad primum enim respondetur primò, concedendo quod regulariter donatio inter virum & vxorem non valet, sed negando, quod constitutio dotis, vel auctarium eius sit donatio propriè, quoniã fit ob causam dotis, & datur ad sustentanda onera matrimonij:& donatio ob causam, non est propriè donatio,[g] quod post alios ab eo citatos tenet & probat Ioãnes Lupus.[h] Secundò respondetur, quòd licet regulariter nõ valeat donatio inter virum & vxorem, fallit tamen in cõstitutione dotis: quia illa potest contractum matrimonij constitui,argumento l.si quis pro,[i] per quam & alia id tenet præfatus Ioannes Lupus.[k]

10 Tertiò respondetur, quod ad maiorem cautelam iurari potest constitutio dotis vel auctarij eius,per quod iuramentum firmatur, & fit valida donatio inter virum & vxorem,argum. cap. si vero [l] & per alia plurima, quæ cumulat præfatus Ioannes Lupus.[m]

11 Ad secundum concedimus Spoletanum origine,licet habeat alibi domicilium,dici quidem Spoletanum quo ad aliquos effectus particulares, sed non communiter, præsertim quo ad hoc, vt subiaceat iurisdictioni Spoletanæ, & consequenter statuto per illam iurisdictionem facto,de quo effectu in præsenti quæstione agitur.

12 Ad tertium respondetur eo modo quo ad secundum, scilicet quòd origo facit quidem ciues quo ad aliquos effectus,sed non quo ad hoc,vt sint subiecti iurisdictioni ciuitatis,vbi nati sunt,si habent domicilium habitationis in aliis regnis,vel alia ciuitate,vt domini consulentes habẽt.

a ff.de verb. signif.
b Prouinciales dici, qui sunt incolæ prouinciæ.
c Vbi supra.
d l.librorum. §.quod tamẽ Cassius. ff.de leg.3.
e Ibidem.
f Li.fin.de iurisd.om. iud. & capit. 2.de const.lib.6.
g Lib. 1.ff.de donat.
h In repet.ca. per vestras. de donat. inter virum & vxo. limit. 2. num 50.
i §. si vxor.ff. de donat. inter vir.& vxor.
k Vbi supra, limit.5.nu.53.
l Et cap. cum contingat. de iureiur. & c. quamuis pactum. de pactis,lib.6.
m Vbi supra, limit.3.nu.51.

A 13 Ad quartum respondeo primò,concedendo quòd attendendum est domicilium mariti quo ad sciendum, vbi mulier debet exigere dotẽ,sed negãdo,quòd in proposita quæstione agatur de exactione dotis:quia immo agitur de cõstitutione vel auctione eius. Secũdò negãdo, quod domicilium principale dicti consulentis mariti sit Spoleti: quia immo est Romæ, per supradicta. Et ita proculdubio nihil obstat præfatum statutum præfatis dominis consulẽtibus,quos Deus O. M. faciat sibi gratiosos in hoc seculo,& gloriosos in altero. Amen.

### SVMMARIVM.

B
1 *Constitutio noua non extenditur ad præterita, nisi cum agitur de effectu futuro,qui potest stare sine effectu præterito.*
1 *Indulta de promouendo,à quocumque ante Cõcilium obtenta, per illud censentur modificata.*

## CONSILIVM V.

QVidam ante Concilium Tridentinum impetrauit rescriptum à Papa,assumendi primam tonsuram, & quatuor minores,à quo mallet Antistite, & postquam assumpsit primam tõsuram,superuenit Concilium, quod[a] statuit, ne quis ordinaretur nisi à proprio Episcopo, vel de consensu eius,etiã virtute rescripti generalis, vel specialis. Quæritur an liceat huic accipere quatuor minores absque licentia Episcopi?

C Quidam responderunt,quòd sic,per dicta Dominici,& relatorũ ab eo,[b] sed nobis,salua eorũ pace,videtur contrarium verius, scilicet quòd non potest ordinari virtute prædicti rescripti sine licentia,vel consensu,vel literis cõmendatitiis sui Episcopi de probitate & moribus:quia licet constitutio noua non extendatur ad præterita regulariter,[c] fallit tamen,quando agit de effectu futuro, qui stare põt sine effectu præterito, iuxta glossam solemnẽ & à multis putatam singularem[d] & aliam æquè solemnem,& à multis putatam singularem & receptam[e] & alia multa, quæ nos adduximus alibi,[f] vbi etiam multa pro contraria parte adducta legi possunt.

### SVMMARIVM.

D
1 *Vtilitas publica iuuanda,& priuatæ preferenda.*
2 *Lex,qua solutio cambij sex menses differtur, est iniqua, & per illam datur occasio vsuras exercendi.nu.4.*
3 *Delinquendi,seu decipiendi materia non mandanda.*
5 *Lex prohibens præsenti pecunia vendi,iuri naturæ contraria.*

## CONSILIVM VI.

AN Liceat ciuitati Barchinonensi cum consensu Cæsaraugustæ,& Valentiæ,statuere, quod omnia cãbia, quæ fiunt in ea ad ciuitates Cæsaraugustæ, & Valentiæ, vel ab illis ad Barchinonensem,censeantur facta cum terminis soluendi infra sex menses à die præsentationis literarum currentes?

E 1 Respondeo primò, quòd pro parte affirmante facit, quòd dicitur à rerum peritis hoc esse valde vtile futurum præfatæ Barchinonæ, & toti principatui Cathaloniæ, & vtilitas publica reip.iuuanda est, immo & præferẽda priuatæ.[g]

2 Pro parte tamen negante facit primo,quod est iniquũ, vt is,qui dedit pecunias Cæsaraugustæ campsori pro literis cambij Barchinonam, nõ possit in ea petere pecunias in eis contentas vsque ad sex menses: & quòd peregrinũ venientem Romam,vel ad alias terras, qui Cæsaraugustæ dedit pecunias pro litteris cambij, oporteat manere sex mensibus Barchinonæ ad recuperandum suum viaticum, & perdere oportunitatem suorum negotiorũ Romę, vel

F alibi gerendorum,contra c.1.[h] quátenus probat peregrinos,& iter facientes iuuandos esse,& non molestandos.

3 Secũdo,quod non est danda materia delinquendi, & decipiendi alium,[i] & per huiusmodi statutum datur campsoribus materia delinquẽdi,& decipiendi eos,qui tradũt pecunias suas in aliqua prędictarum trium ciuitatum pro litteris cambij ad aliquam earumdem ciuitatum directis, accipiendo pecunias,& dando literas,per quas is,cui dantur,putat,statim intra paucos dies eas soluendas, & differtur ei solutio per sex menses.

4 Tertiò, quòd per viam indirectã datur occasio vsuram exercendi, vendendo merces carius propter solutionem dilatam, & emendo vilius propter eam anticipatã. Cæsaraugustanus enim, vel Valentinus importat merces

a In sess.23.c. 8.de refor.
b In ca.2.nu. 9. de concess. præben.lib. 6.
c Cap.fin. de constitut.
d In clem.vt hi qui.verb. in posterum. de ætate & qualit.
e In clemẽ.2. verb.vtetur. de vita & honest.cler.
f In relect.ca. si quando. de rescrip.excep. 21.à nu.40.
g Ca.3.de postulat. prælat. & ca.licet.de regular.
h De emptio.
i l. conueniri. ff.de pact.dota.c.ex parte. de consuet.

Barchinonam, & sciens quod pretium earum non potest extrahere à principatu Cathaloniæ, nisi per literas cábij, & quod per huiusmodi literas non poterit Cæsaraugustę, vel Valentiæ habere pecunias, nisi post sex menses à præsentatione literarum, longè carius vendit, quàm si intra octo dies à præsentatione literarum solueretur ei pretiũ in sua ciuitate, & contra Barchinonensis, si vilius poterit emere soluendo statim venditori, vel dando literas de statim, vel intra octo dies ei soluendo in sua ciuitate.

5 Quartò, quòd videtur contra ius naturale & gentium prohibere, ne quid Barchinonæ præsenti pecunia vendi posit,[a] & per prædictum statutum videtur indirectè quadamtenus id fieri, cùm non posit, vt dixi, habere litteras cambij, per quas differtur solutio ad sex menses. Per quæ non auderem affirmare partem affirmatiuam, neque dicere, quod præfatum statutum sit vtile Barchinonæ, & principatui prædicto Cathaloniæ, quoniam inducit maiorem victus & vestitus caritatem, & omnium mercium particulariter pauperibus & tenuibus vendendarum: & arbitror magis me Deo, & præfato principatui obsequi respondẽdo hoc, quàm contrarium, quod magis voluisset D. consulens, qui magis videtur id desiderare.

a Arg. totius tit. de contrahen. emp. & vend ff. & C.

SVMMARIVM.

1 *Statutum ne in Priores eligantur plusquam tres de vna natione, tenet, sicut & illud, quod certum genus personarum solùm habilitat, vel inhabilitat ad dignitates & beneficia obtinenda.*
2 *Indigni, vel minus idonei si sint vocati à statuto, vel testatore, loco horum alij possunt eligi.*
3 *Libertatem plenam non tollit omnis restitutio.*
3 *Plena libertas & sufficiens adhuc esse potest, etiam si in aliquo restringatur.*

CONSILIVM VII.

CApitulum Generale cuiusdam ordinis multarum nationum constituit, ne in Priores monasteriorum eligerentur plures, quàm tres de vna natione. Quæritur, an constitutio sit valida.

1 Respondeo, quòd sic: tum quia multis de causis potest esse rationabilis, scilicet, ne aliis detur causa superbiendi, aliis murmurandi, aliis tribuendi nimium suæ genti, vel nationi: tum quia statutis collegij Bononiæ, & aliorum multorum in Hispania illorum instar factis cauetur, ne ex eadem ciuitate eligantur plures collegæ, & ne ex eadem diœcesi plures, quam duo, &c. Tum quod valet consuetudo, vt Abbas certi monasterij eligatur solũ de certo monasterio.[b] Tum quia institui potest, vt beneficium conferatur alicui propinquo patroni illius, iuxta Dominicum receptum.[c] Tum quod in ecclesia Toletana statutum est, ne fiat beneficiarius eius descẽdens ex Iudæo, Sarraceno vel hæretico. Tum denique quòd non censetur tolli eligendi libertas, eo quod electio restringatur ad certum genus hominum, vt tradit Panormitanus communiter receptus.[d] Vnde & Papa de collegio tantum Cardinaliũ eligitur, & in Hispania nõ fiũt beneficiarij nisi Hispani, & in Gallia nisi Galli. Tũ ob alia, quæ breuitatis causa omitto.

b Ca. cum dilectus de consuetud.
c Cap. cum in eccles. sua. de præb. li. 6. n. s.
d In cap. cum terra. num. 4. de elect. & in ca. licet. num. 12. eod. tit.

Non obstat, quod prædicta constitutio videtur aliquibus contra bonum publicum, quia immo multis respectibus promouet illud, vt prætactum est.

2 Non obstat, quod prædicta lex videtur cogere ad eligend[illegible] negatur enim illud: quia quando non possent eligi omnes Priores digni de omnibus nationibus, nisi plures quàm tres eligerentur de vna, tunc posset eligi plures de illa, quia numquã est eligendus indignus, vt post S. Thomã,[e] diximus in Miscellaneis de oratione[f] & Sotum,[g] vbi dixit, quod stãte statuto fundationis beneficij, vt conferatur vni ex cognatis suis, si nullus inueniretur idoneus, posset conferri alteri.

3 Non obstat, quòd in electionibus debet esse plena libertas eligendi:[h] quia multis modis potest restringi libertas electionis, ita quod maneat tanta, quanta est necessaria ad hoc, vt electio valeat: sicut & in matrimonio carnali contrahendo debet esse plena libertas, potest tamen aliquo modo restringi, remanente ad id necessaria, vt tradit Panormitanus,[i] & alij alibi. Salua, &c.

e 2. 2. qu. 63. art. 2.
f Miscella 34. num. 3.
g Lib. 3. qu. 6. art. 2. col. 3. de iust. & iure.
h Arg. c. 6. de reformat sessione 25. Concilij Triden.
i Vbi supra.

SVMMARIVM.

1 *Statuta Papalia sunt, quæ Capitulum generale auctoritate Apostolica condidit: vnde nec ipsum, nec illud repræsentans potest ea tollere.*
2 *Sententiam definitiuam non potest reuocare iudex, qui illam tulit, etiam quod sit Capitulum generale, sicut nec alia irreuocabilia tollere potest.*
3 *Capitulum non generale, repræsentans Capitulum generale, habet eamdem potestatem, quam habet ipsum Capitulum generale; à quo, si quid iniuste faciat, ad Pontificem, cui immediatè subiicitur, recurrendum.*
4 *Capitulum, si is, ad quem spectat, conuocare negligit, ad iuris remedia recurrendum.*
5 *Suspicionis allegatæ causa, non coram ipso iudice allegato suspecto, sed coram electis arbitris est retractanda.*

CONSILIVM VIII.

QVÆritur primo, an Capitulum repræsentatiuũ Capituli generalis posit tollere facta in Capitulo generali auctoritate Papę, & si hęc nõ pōt tollere, quę posit?

Secũdo, an Præpositus Capituli repræsentatiui debeat proponere ea quæ iustè reuocari possunt?

Tertio, quid remedij adhiberi posit, quando is, ad quẽ spectat conuocare Capitulum, non vult illud conuocare?

Quarto, corã quo iudice sit tractãda causa suspicionis?

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo primò breuiter, quia non vacat pro dignitate quæstionis eam tractare, quod iuri propius videtur, quod Capitulũ repręsentatiuum Capituli generalis nõ potest tollere facta in Capitulo generali auctoritate Papæ: quia facta illa sunt facta Papæ, & inferior nõ potest tollere facta superioris: & consequenter statuta facta in Capitulis generalibus auctoritate Apostolica, quæ potest facere ordo virtute priuilegij, quod ad id habet, nõ potest tollere Capitulum repręsentatiuum, quia non posset illa tollere etiã Capitulum ipsum generale. is enim, qui facit aliquid auctoritate Papæ, non potest tollere illud auctoritate sua inferiori, per iura, quæ in hoc citat Felinus.[a]

2 Secũdo, quod neque facta irreuocabilia per Capitulũ generale potest reuocare Capitulũ repręsentatiuum: qualis est sententia definitiua prolata à Capitulo generali: quia sententia definitiua est irreuocabilis etiam ab eo qui eam tulit.[b]

3 Tertio, quod alia reuocabilia, quæ posset reuocari per aliud Capitulum generale, possunt reuocari per Capitulũ repræsentatiuum: quia eamdem potestatem habet, quam habet generale. &, si male reuocauerit, potest appellari ad Papã, sicut & posset appellari ad eũ, si Capitulũ generale iniustè reuocaret: quia ambo subiiciũtur immediatè Papę.

SECVNDÆ quæstionis solutio colligitur ex solutione ad primam, nempe quòd Præpositus præfati Capituli repręsentatiui, vel totum Capitulum debet proponere ea, quæ iustè reuocari possunt, licet sint tractata in Capitulis generalibus, non autem alia.

4 AD TERTIAM respondetur, quòd possunt, & debẽt fieri ea, quæ possunt, & debent fieri iure communi, quando is, qui debet vocare Capitulũ, non vult illud vocare: de quo Abbas Panormitanus,[c] Felinus,[d] & in aliis locis per eum allegatis.

5 AD QVARTAM, quod causa suspicionis nõ est tractãda coram iudice recusato, sed coram arbitris electis à partibus, iuxta formam cap. suspicionis.[e]

a In cap. cum accessissent. de consti. num. 9.
b Cap. in literis. de off. deleg. & le. iudex. ff. de re iud. cum adnot. eis.
c In ca. nobis. de elect.
d In cap. cum omnes. de const. nu. 34. & 35.
e de off. deleg. & ca. ab arbitris. eod. tit. lib. 6.

SVMMARIVM.

1 *Declaratio priuilegij concessi monasterio Vrbis in Cap. Minorũ Auenioni facta, ita intelligenda, vt dicto priuilegio nõ contradicat. num. 2.*
2 *Iura iuribus concordanda sunt.*
2 *Lex generalis per specialem illam limitantem limitanda.*
3 *Voluntas disponentis in omni dispositione attendenda.*
4 *Legis verba contra auctoris mentem non sunt interpretanda.*
5 *Nulla sunt, quæ lite pendente, vel parte cuius interest non audita, fiunt. & nu. 9.*
7 *Monasterium S. Trinitatis Minimorum contra suum priuilegiũ Generali obedire non tenetur.*
7 *Obedire oportet magis Deo, quam hominibus.*
7 *Regularis cõtra maioris præcepta prælato obedire non debet.*
7 *Monachus prælato secundum suam regulam præcipienti pareat.*
8 *Regularis à superiore grauatus appellare potest.*
10 *Professus in vno monasterio non potest iure cõmuni à superiore*

*ad aliud inuitus sine culpa & causæ cognitione transferri, volens autem ita demum, si adsit legitimi superioris auctoritas. fallit apud Dominicanos, & alios, quorum religiosi omnes faciunt vnum corpus: quia tunc etiam sine culpa, subsistēte causa, potest quis à superiore inuitus, etiam contradicente conuentu, transferri. nu. 11.*

12 *Monachorum & monialium creatio ad prælatum immediatum monasterij cum maiori parte conuentus iure communi spectat. Vnde solus mediatus superior alibi professum facere filium alterius monasterij contradicente immediato superiore, & aliis eiusdem monasterij, non potest. nu. 15.*

12 *Episcopus, etiam vt superior, monialem creare non potest.*

13 *Consilium alicuius sequi debet, qui illud requirit vt collega.*

14 *Statutum concedens immediato superiori creationem monachorum ita debet intelligi, vt non excludat mediatum superiorem, ac conuentum, sed vt simul cum illis creet.*

14 *Statuta & consuetudines iuxta commune ius intelligenda, vel ita vt inquantum minus potest ab eo recedatur.*

## CONSILIVM IX.

Excellentissime Domine Doctor, in comitiis generalis Capituli Auenioni celebrati 1578. à fratribus Minimis trium nationum, Italiæ, Hispaniæ, & Galliæ, quæ sequuntur fuerunt ordinata hac forma.

*Memores Patres, pace & vnione, minima maxima fieri, maxima verò odio & seditione decrescere, placuit tam Italis, quàm Hispanis, quo ad officium correctoriatus iura prætensa cedere, cùm ex Illustrissimo & Reuerendissimo Protectore coram Patribus declaratum extitit, voluntatem D. Francisci fuisse, quòd cōuentus Romanus quo ad correctoriatum regatur à fratribus Gallicæ nationis: quod fuit confirmatum eo præsente, totoq; Cardinalium Senatu, volunt tamē quod ad alia omnia sit cōmunis, & fratres mixtim ex omnibus nationibus sint in illo conuentu, induantur nouitij indifferenter, quarumcumque regionum fuerint.*

Priuilegium conuentus S. Trinitatis sequitur, quod perpetuò vsu fuit receptum à tota Religione, quæ etiam postulauit ipsius confirmationem, quæ fuit facta à Iulio III. ad instantiam Regis Christianissimi Henrici.

*Vniuersis præsentes has literas inspecturis frater Franciscus de Paula ordinis fratrū Minimorū humilis institutor, ac S. Sedis Apostolicæ gratia, & cōcessione, omniū eremitoriorū, & locorū, oratoriorū, & sororū eiusdē ordinis vbicūq; cōstitutorū, necnō cōgregationū fratrū religiosorum, & personarum aliarum sub regulari obseruantia in eisdem degentium superior, licet immeritus, ac generalis corrector salutem in Domino: Nos pie considerantes regiā maiestatem Franciæ nobis, & ordini nostro præfato cōparasse locū Conuētus nostri S. Trinitatis in monte Pincio in vrbe Romana, & ea propter ad ipsius beneficij per nos accepti memoriam, & vt fratres nostri ordinis in dicto Conuentu residentes in diuini cultus persolutione reddantur in futurum salutis animarū dictorum benefactorum memoriores, volumus, & ordinamus, quod à modò, & in posterū d. Conuentus in mōte Pincio in vrbe Romana regatur per fratres Gallicæ nationis, quādiu inueniātur, qui inibi residere, & cultui diuino insistere voluerint, sin autē nulli reperiantur, qui inibi residere voluerint, quia omnes in Christo vnanimes esse debemus, illud per alios regi, & inhabitari volumus, pariterq; si locus supportare poterit, vltra quam reperiantur habitantium Gallicæ nationis, alios secum aliarum nationum mixtim residere volumus. Datum, &c.*

Queritur primo, vtrū pēdente lite, quā nobis mouerāt Patres Zelosi Hispaniæ, & Italiæ ad annullandū priuilegiū corā Sanctiss. Domino 1576. nec dū lite decisa potuerint talia statuere in illo Cap. Auenion. quod videtur cōtra priuilegiū, præsertim cū cōuētus Roma. per procuratorē non cōparuerit, nec vocatus, nec audit⁹ fuerit in re tā graui, & ad illū spectāte, in qua statutū & voluntas S. Patris nostri Frācisci de Paula læditur, maiestati regiæ iniuria grauis fit, & toti nationi, immo & toti religioni, quæ confirmationē priuilegij postulauit à S. S. & obtinuit; graue dānū infert.

Secundo, vtrum fratres huius conuentus teneantur Generali obedire præcipienti, & facienti ad formam statuti Auenionensis, præsertim cum à Barcinonēsi Capitulo sequente fuerit conclusum nulla statuta ante nouem annos nō probata sortiri vim statuti permanentis, præterea tàm semper fuerit ab hoc cōuentu reclamatū pro grauamine.

Tertio; vtrum non relinqueretur huic conuentui sua actio in casu, quod probaretur huiusmodi constitutio in sequenti Capitulo, vel per appellationē, vel oppositionē.

A Quarto, vtrum iuxta formā priuilegij, si aliqui nostræ nationis voluerint hic Romę morari, & compatiatur locus, petita licentia, & non obtenta à Generali, possint à correctore recipi pro conuentualibus.

Quinto, vtrum nouitij etiam possint indui eiusdem nationis, modo habeantur sufficientes, petita licentia, & nō obtenta ab ipso Generali.

Sexto, vtrum fratres extranei, qui sine iusta causa, vel culpa, vel legitima causæ cognitione obtruduntur ab ipso Generali, vt occupent nostrorum sedes, possint recusari ad inhabitandum, & votandum in electionibus.

B Septimo, vtrum ipse Generalis possit fratres Gallicæ nationis amouere, vt alios extraneos inducat.

Octauo, vtrum ipsi Galli teneantur obedire præcipienti contra formam priuilegij, quod habent, quādiu voluerint inhabitare, nō accersitis aliis ad petitionē conuētus.

1 AD PRIMAM quęstionē respondeo primò, quòd declaratio facta Auenioni, pręsēte Illustrissimo Protectore, non est contraria priuilegio, nec intentioni Gallicę gētis, quatenus cōtineat Italos, & Hispanos cessisse iura prętēsa contra priuilegiū S. Frācisci, immo est eis consona, & commodissima, vt palam est. Secundò, quòd non est etiā contraria, quatenus statutū fuit, vt illud per Correctores gentis Gallicæ regatur, per ea multa, quę nos pridē pro illo allegauimus in lite cōtra prædictū monasteriū, & mo-C nachos Gallos mota. Tertiò, quòd etiā dici pōt, prędictā, declarationē nō esse cōtrariā prędicto priuilegio, & intētioni Gallicę gētis, quatenus cōtinet, quòd ex qualibet alia gēte possint in prędicto monasterio indifferēter recipi fratres, si intelligatur eo mō, quo debet intelligi secundū limitationē, & modificationē ipsiusmet priuilegij S. Frācisci, scilicet, quando locus supportare potest, & non reperiantur alij Gallicæ nationis. Non enim sunt contraria dicere: homines cuiuslibet gentis habitare possunt in hoc oppido, & homines cuiuslibet alterius gentis possunt habitare in hoc oppido, quando defuerint homines Galli: vtrumq; enim potest esse simul verū, quādo scilicet defue-D rint Galli, qui possint, & velint habitare in eo, vt palā est.

2 Secundò principaliter dico, quòd prędicta declaratio est intelligenda modo prędicto, ita vt non cōtradicat priuilegio. Tum quia expedit iura iuribus cōcordare.[a] Tum quia lex generaliter loquēs, siue pręcedat, siue sequatur, debet limitari per aliā legē illā specialiter limitantem iuxta iura,[b] & late tradit Decius post alios,[c] & probatur efficacissimè per duas glossas solēnes receptas, quartū altera est in l. *sciendum*[d] & altera in authen. *offeratur*,[e] quæ receptæ ab omnibus aiunt, prędictā authen. quę generaliter disponit debere actorē pręstare fideiussores reo, licet sit posterior, debere limitari per d. l. *sciendū*, quę habet eum, qui bona immobilia habet, non teneri ad dandū fideiussores. Cū E ergo prędicta declaratio generaliter dicat, posse in prędicto monasterio assumi indifferenter personas ex omni natione, limitāda est per prędictū priuilegiū disponens, tū id fieri debere, cū locus supportare possit, & desint Galli, qui possint, & velint ad seruiēdū prędicto monasterio assumi.

3 Tertiò principaliter dico, quòd prędicta declaratio limitanda esset, vt modò dixi, etiam si prędictum priuilegiū non sic limitasset. Tum quia in omni dispositione rectè intelligenda mens & voluntas disponentis debet habere primū locum, & illa eam regere debet.[f] Cum ergo palam sit, mentē, & voluntatem S. Francisci viri gratissimi con-F cedentis illud priuilegium prædicto monasterio fuisse ad significandam, & demonstrandam gratiam, quam ipse, & ordo suus debebant Regi Galliarū, & toti eius regno ob magna beneficia in eo recepta, & ob emptiōē amicissimè & gratiosissimè factā à Rege ipso loci ad ædificādū monasteriū prędictū in prędicto Mōte Pincio & acceptatio priuilegij ab eodem Rege, & toto suo regno facta, & executa tēpore lōgissimo, & cōfirmata à fœl. recor. Iulio III. & adeo solēmniter declarata per prędictū Capitulum generale, præsidente principe illo præcellenti, & Illustrissimo Cardinali Armeniaco primariæ, ac Regum regiæ nobilitatis ornamento, & Protectore. Cum ergò inquam palam sit, mentē, & voluntatem omniū prædictorū fuisse, vt prædictum monasterium regeretur, & gubernaretur semper, quatenus fieri posset, per Gallicæ nationis Rectores, &

a *Cap. cū expediat. de elect. li. 6. cum ei concord.*
b *Le. in toto. ff. de reg. iur & cap. generi per speciē derogatur. eod. tit. li. 6.*
c *In di. reg. in toto.*
d *ff. qui sa-tisd. cog.*
e *C. de litis contest.*
f *Le. in conditionibus. ff. de cond. & demon. cum concor.*

Correctores, consequens est, eorum mentem, & voluntatem fuisse, vt Gallicæ gentis monachi, & personæ fauorabiliter, & amore præcipuo assumerētur, & tractarentur in eo, vt nũquam, quoad fieri posset, deessent, qui possent, & vellent rectè regere illud ad gloriam Dei, & sui ordinis, & gentis Gallicæ, & consequenter, vt in eo inuenirentur tales, qui libentissimè eligerent Correctores, & superiores prudētissimos gentis Gallicæ, cùm verisimile sit (id quod experientia clarè postea docuit) fore, vt alienarũ gentium monachi ægrè, & ferè coactè eligerēt Correctores Gallicos, cum ob peccata fragilitatis humanæ etiã in societatibus eorum, qui religioni addicti sunt, non desint aliquot seminantes odia, & inuidiã inter diuersarum, immo & earumdē gentium personas. Tum quia prædicta declaratio, quatenus habet assumi posse monachos in prædicto monasterio ex aliis gentibus, intelligenda est, quando cōmodè, & salua dignitate fieri potest.[a] At nõ, post commodè, & salua dignitate monasterij prædicti, & priuilegij, & omnium prædictorum, qui confirmauerunt, & declarauerũt illud, fieri, vt omni tempore possint assumi in eo monasterio alienarum gentium personæ: quoniam alioquin paruo tempore contingeret, quòd nulli Galli essent ibi, quod est contra mentem, & voluntatem sancti Francisci, & aliorum prædictorum omnium, qui concesserũt, & declarauerunt prædictũ priuilegium. Ergo dicendum est id fieri posse, nisi quando locus supportauerit, & non inuenientur Galli, qui velint, & possint ibi seruire Deo. Tum quia puerile profectò, & paruæ prudētiæ virorum fuisset, velle, vt aliquod monasterium per vnius solius gentis & nationis viros gubernaretur, & nõ prouidere, quod concessa facultate assumēdi monachos ex omni gente, omni tempore non posset obseruari, quod ipsi volunt. Quare aut dicendum est prædictum Sanctum Franciscum, omnium consensu prudētissimum virum, & omnes, qui prædicto priuilegio fauerunt, fuisse paruæ prudentiæ, & puerilis iudicij: quod est absurdum, & ita non dicendum.[b] Aut certè dicendum est prædictam declarationem, quatenus habet, ex omni gente indifferenter assumi posse monachos in prædicto monasterio, intelligendam esse, quando locus supportaret, & deessent ex gente Gallica, qui assumi vellent, & possent.

4 Tum quia ita debent interpretari verba legis, & dispositio illius, vt eorum interpretatio non nitatur contra mentem eius, & auctoris ipsius, iuxta illã regulam penul.[c] *Certum est, quod is committit in legem, qui verba legis complectēs, contra legis nititur voluntatem.* quæ regula decerpta fuit ex l. *non dubium.*[d] & palàm est, quod qui declarationem prædictã Capituli Auenionēsis ita intelligeret, vt omni tēpore possent indifferēter assumi de omni natione monachi interpretaretur verba declarationis cōtra mētem & voluntatem prędicti priuilegij, & auctoris eius, & omnium, qui illud confirmauerunt, approbauerunt, & fouerunt. Quod etiam esset contra c. *Marcion*,[e] in illis verbis: *Nec putemus in verbis solùm scripturarum esse Euangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonũ foliis, sed in radice rationis.*

5 Quartò principaliter dico, quòd prædicta declaratio Auenionēsis sic, vt dicitur ab aliquibus, sed prauè, intellecta, vt omni casu, & tēpore possint, & debeãt ex omni natione [illegible] assumi monachi, sicut ex natione Gallica, & eos qui assumpti sunt in illud, posse dimitti ad alios conuentus, & loco illorum assumi ex aliis nationibus, perinde ac in aliis conuentibus eiusdē ordinis, est contrariissima priuilegio S. Frãcisci, & omnibus præcitatis, immo & ipsi Capitulo Auenionensi, quatenus Itali, & Hispani in eo cesserunt iuribus ab eis malè antea prætensis contra prædicta: quoniã palàm est eos eadem ipsa iura, quæ nunc intendunt, tunc prętendisse: & ita iudicandum est illa iam cessa esse, & sublata in prædicto Capitulo: & eos ab eis iam discessisse ibidem, & vereri debere ea iterum nõ sine pudore replicare: cui consequens est prædictam declarationem, in hoc reprobo sensu acceptam, esse ipso iure nullam. Tum quia lite pendente facta esset, contra rubricã, *vt lite pendente nihil innouetur.* Tum quia esset facta contra partem inauditam, cùm ad id non fuisset vocatũ monasterium, quod fieri non potuit, vt dicitur,[f] ibi, *contra partem inauditam nihil possumus definire.* Tum quia Regis Frãciæ, & totius regni, &

a *Leg. nepos Proculo. ff. de verb. sign. & cap. vt faciat. 22. qu. 2. cum ei concord.*

b *l. nam quod absurdi. ff de bonis liber.*

c *De reg. iur. lib. 6.*

d *C. de legib.*

e *Marcion. 1. quæst. 1.*

f *Capit. 1. de causa possess. & prop.*

maiestatis eorum plurimùm interest, vt prædictum priuilegiũ, & prædicta declaratio intelligantur rectè, & sanctè eo modo, qui intelligenda esse supra diximus, & consequēter non posset prędicta declaratio prauè intellecta eis præiudicare: quia res inter alios acta aliis nõ præiudicat.[a]

6 Quintò, quòd, vt nos in præcedenti eademque lata informatione diximus, non solum ordini prædicto, sed etiam sanctæ Sedi Apost. Romanæ, & Regi, & toti regno Franciæ, & gloriosæ ciuitati Romanæ, & deuotioni omnium Christi fidelium magnum refugium, & asylum est, vt prædictum monasteriũ in dies magis ac magis augeatur, & decoretur Gallicanis muneribus, & fauoribus, vt quotidie decoratur, quo religio Christiana Italorum, & Gallorum Romæ coniunctiore, & fortiore fœdere vnita totum orbem Christianum inuitet, & contineat, ac quadamtenus cogat ad perseuerandum in eadem verissima, eadémque firmissima fide Catholica.

7 AD SECVNDAM colligitur responsio ex responsione ad primam, scilicet prædictum monasterium, & Correctorem, ac conuentum eius non teneri ad obediendum Generali, qui aliquid contra prædicta præceperit. Tum quia, *oportet magis obedire Deo, quàm hominibus.*[b] Tum quia S. Thomas receptus ab omnib⁹ concludit.[c] non esse à monachis obediendum Prælato in omnibus, sed solùm in iis, quorum contrarium non præcipit, qui maior est eo, scilicet Deus, & iustitia eius, & in eis, in quibus habet potestatem præcipiendi secundum suam regulam.

8 At Generalis præcipiens cõtra prædicta, præcipit contra ea, quæ præcipit Deus, & iustitia eius, & extra ea quæ sibi sunt subiecta, & ideo non est obediendum ei, sed modestè appellãdum, & eo modo, quo religiosi grauati possunt, & debēt appellare, & adire superiorem, vt ab eo degrauentur, per quam appellationem, & per iuridicam Superioris auditionem suspendentur sententiæ, & censuræ Generalis, quas ausus fuerit contra ius proferre, vt nos tradimus in comm. de reg.[d] vbi efficaciter probamus religiosos appellare posse ab omni sententia iniusta Superioris, etiam à lata super Correctione, si modum excedat, & Superiorem, qui non admitrit appellationē, esse castigandũ, & alia id genus multa de appellatione religiosorũ.

9 AD TERTIAM respondetur id, quod responsum est ad secundam, scilicet, quòd per prædictam declarationem benè intellectam nihil detrahitur priuilegio: & quatenus per eam malè intellectam detraheretur aliquid, posset annihilari, & annullari per vias nullitatum supradictarum resultantium ex eo, quòd facta fuit lite pendente, & monasterio inaudito, & Rege, ac regno, quorum multùm interest, nullatenus vocatis.

10 AD QVARTAM respondeo, quòd non monasteriũ non potest recipere monachos eiusdē ordinis in aliis monasteriis professos, & filios eorũ factos pro conuētualibus filiis hui⁹ monasterij sine auctoritate legitimi Superioris. Tũ per notata in c. fi.[e] Tũ quia, sicut iure cõmuni antiquo monachus professus in vno monasterio, & filius eius per professionē factus nõ potest cogi, vt cõtra voluntatē suã transeat ad aliud monasteriũ etiã eiusdē ordinis sine culpa, & causæ cognitione, vt tradimus latè in com. de reg.[f] ita eadem ratione non poterit recipi etiam volēs pro filio, & conuentuali alterius monasterij eiusdē ordinis sine auctoritate legitima: quia correlatiuorũ eadem est ratio.[g]

11 Dixi, solo iure communi attento: quia iure speciali Dominicanorũ, vt puto, recepto ab aliis religiosis, potest Generalis, vel Prouincialis religiosorum faciētium vnum corpus, transferre suum subditum ad aliud monasterium eiusdem corporis sine culpa, subsistente tamē rationabili causa, vt latè tradimus nos in prædicto comm. de reg.[h] & consequenter in hoc ordine Minimorum, qui omnes, vt aiunt, faciunt vnum corpus, posset Generalis sine culpa ex aliqua magna iusta causa transferre vnum monachum sibi subditum ad aliud monasteriũ eiusdem ordinis, etiã contra voluntatē suam, & sui monasterij, sicut Generalis Dominicanorũ, sed si absque rationabili causa id faceret, posset appellari. Ex quo infertur, quod si Generalis huius ordinis Minimorum vellet aliquos Gallos trãsferre ex hoc monasterio in aliud etiã eiusdem ordinis sine iusta culpa, & legitima causæ cognitione, possent cõtradicere, & etiã

a *L. 2. C. quibus res iudic. non nocet.*

b *Act. 5. & c. Iulianus. & ca. resistit. 11. quæst. 3.*

c *In 2. 2. capi. 104. art. 5.*

d *Ca. non dicatis. nu. 62. & latius in c. nullam. n. 51.*

e *De regular.*

f *Super c. statuimus. n. 22.*

g *Cap. sciendum. 6. qu. 1.*

h *Super c. statuimus. n. 22.*

Corrector, & conuentus eorum, ne id faceret, & si ad faciẽdum pergeret, appellare, adiecta causa appellãdi, quod id faceret ad minuendam auctoritatem Correctoris, & conuentus, & ad hoc, vt non inuenirentur idonei Correctores, & fratres ex natione Gallicana ad defendendũ priuilegiũ prædictum, & vnitatem, & honoré eius monasterij, & Regis, ac regni Galliarũ, & totius Gallicæ nationis.

12 AD QVINTAM respondeo, quod communis obseruãtia omniũ religionum, quas ego ætate mea tractaui, habet, vt prælati immediati conuentuum particularium cum maiore parte eorum recipiãt monachos nouitios, & induant eos habitum religionis, iuxta glossam,[a] quam ibi sequuntur Archidiaconus & Ioánes Andreas, Lapus, Ancharanus, Dominicus, & Philippus Frácus ante quos omnes dicit ibi Ioánes Monachus, quòd iure cómuni creatio monachorum pertinet ad Abbatem, & conuentum: quem etiam ibi sequitur Philippus Probus & etiam prædictus Lapus,[b] dicens per hoc, quòd creatio monialium pertinet ad Abbatissam, & conuentũ monialium: adeo quod Episcopus, etiam si sit superior earum, nõ potest creare, neque præcipere Abbatissæ, & conuentui, vt recipiant aliquam monialem: in tãtùm quòd possent appellare ab illo iuste, si id eis præciperet: & idem tenet Calderinus,[c] allegando in id prædictum Ioannem Monachum.[d] Idem tenet Archidiaconus Cardinalis à Turrecremata.[e] Pro qua cõclusione optime facit ca. *cùm Ecclesia Vulterana*,[f] quatenus ibi Papa declarat nullam iniuriã fecisse canonicos Episcopo, eo quod noluerũt recipere canonicos ab eo solo creatos, ea ratione, quòd, qui iure suo vtitur, nulli facit iniuriam. Facit etiam,[g] quatenus probat, in ecclesia collegiata electionem prælati ad solum Capitulum pertinere, & ca.1.[h] quatenus habet, alienationem rei Ecclesiæ sine collaudatione Capituli esse irritam, immo & ca. ea noscitur.[i] quatenus habet, præsentationem beneficiorũ ad monasterium pertinentem faciendam esse à prælato, & cõuentu ipsius. Omnium tamen firmamentorum neruosissimum est prædictum ca. vlt.[k] quod expressè habet non posse Abbatem creare fratres monachos, sine consensu fratrum. Non obstat quod Panormitanus,[l] sentiat contrariũ. Tum quia ait consuetudinem, & priuilegium, si qua sunt, esse in primis obseruanda: & prædictum monasterium Romanum est in possessione seruandi communem opinionem. Tum quia ipsemet Panormitanus tenet, quod hanc creationem debet facere cum consilio conuentus: & quando datur alicui potestas à lege limitando eam à principio, eam exercere debet cum illa limitatione, vt tenet ipsemet Panormitanus quem sequitur ibi Felinus.[m]

13 Tum quia Bartholus communiter receptus tenet,[n] quòd non solùm est requirendum cõsilium, sed etiam sequendũ illud, quãdo est requirendum ab alio tamquam à collega, & à participe officij: vt in casu proposito lex dat potestatem creandi prælato cum consilio cõuentus, tamquã cum collega, & participe officij, qualis est in expediẽdis omnibus præcipuis secundum omnes: & consequẽter etiã Panormitanus tenetur confiteri creationé monachorũ iure cõmuni spectare ad prælatũ, & conuentũ, & quòd non potest alter sine alterius cõsensu creare, saltem ad effectũ obligãdi monasteriũ ad illũ retinendũ, & alendum.

14 Non obstat etiam cõstitutio quædam prædicti ordinis Minimorum, quæ videtur prædictam creationem concedere Vigili, Prouinciali, vel Generali. Tum quia est cõtraria iuri cõmuni, intelligẽdo quòd soli præfati sine consensu & consilio conuentuum possint eligere: & non potuit collector capitulorũ regulæ constituere aliquid contra ius commune, iuxta c. *quod super his*.[o] Tum quia potest intelligi, & verificari in cõuentibus alijs ab hoc Romano, ea ratione, quòd hoc nõ subest vlli Prouinciali, vt in facto proponitur. Tum quia statuta etiam confirmata à Papa, & consuetudines etiam præscriptæ, sunt intelligenda, vt sint conformia iuri cõmuni, vel quàm minimè distent ab eo,[p] & prædicta constitutio potest rectè ac planè intelligi, & seruari sine vlla violatione iuris communis, intelligendo, quòd prędicti Vigil, Prouincialis, & Generalis possint interesse creationi monachorũ cum Correctore, & cõuentu, hoc enim modo intellecta parũ contrariatur iuri communi, vt palam est. Tum quia absurdum est, & ideo nõ di-

a Ca. fina. de reg. li. 6. verbo pertineat.
b Alleg. 32.
c Cons. 16. tit. de regul.
d Et etiam in cõs. 3. de sent. excomm.
e In capit. fin. 16. quæst. 7.
f De elect.
g Capit. 1. de elect.
h De his quæ fiunt à prælatis.
i Eod. tit.
k 10. quæst. 7.
l In d. ca. cum Ecclesia Vulterana.
m In capit. ex parte. de const. num. 5.
n In lib. 11. §. si plures. nu. 7. de exercit. actio.
o De maior. & obed.
p Ca. cum dilectus de consuetud.

A cendum,[a] immò & indecorũ ordini adeo Illustrissimo, vt soli Vigiles, vel Prouinciales fortè iuuenes, & non adeo fortè moribus, & prudẽtia probati, creẽt quos, & quot volent monachos in monasterijs, refragantibus, & cõuentibus eorũ, in quib⁹ multi senes, & graues, & multi eruditi, sapientes, prudẽtes, & experti inueniũtur, qui longè melius nouerunt quid cõueniat suis cõuentibus augẽdis, honorãdis, decorãdis, & Deo, & populo placidiora faciẽdis.

15 AD SEXTAM respondetur, quod non potest Generalis solus recipere pro cõuentualibus & filiis huius monasterij alios monachos etiam eiusdem ordinis in alijs monasteriis professos, nolentibus Correctore, & B maiore parte conuentus huius monasterij, vt ex responsione ad quintam quæstionem colligitur, quia nec iure communi, nec speciali præfatæ constitutionis rectè intellectæ id facere potest, vt ibidem dictum est.

AD SEPTIMAM colligitur responsio ex responsis ad duas præcedentes, scilicet, quòd non potest Generalis amouere, nec transferre monachos Gallicæ nationis in alia monasteria sine iusta culpa, vel maxima causa, contra voluntatem eorum, vel Correctoris, & conuentus, & volenti id facere contradicere possent, & appellare, vt diximus supra in responso ad quartam quæstionem.

AD OCTAVAM etiam colligitur responsio ex responsione ad quartam quæstionem.

C

*SVMMARIVM.*

1 *Regulares exempti solennizantes matrimonia sine licentia parochi, non solum incidunt in excommunicationem contra ipsos per clementinam 1. priuileg. sed etiam in suspensionem generaliter contra omnes sacerdotes per sacrum Concilium Tridentinum latam. & num. 3.*

1 *Lex vetus stat, nisi in quantum per nouam ab ea receditur, vel tollitur, vel ei contrariatur.*

2 *Pœna vni facto imposita per legem antiquã, non tollitur per aliã pœnã eidẽ facto impositã per legem nouã, nisi aliter appareat mentẽ legis nouæ fuisse eã tollere, vt præsumitur quando statuentes per statutũ aliam imponũt pœnã, & præsertim dum exigunt à potestate, vt imponantur pœnæ statutariæ. nu. 4.*

D 5 *Pœnæ plures si reperiantur contra idem statutæ delictum, vtique si sint imponendæ, vna tantùm, quam iudex elegerit, est subeunda: at si sint impositæ ipso iure incurrendæ, vtraque incurritur: adeo vt pro eodem facto secundum gloss. duplex incurratur excommunicatio, num. 1.*

## CONSILIVM X.

QVæritur, an pœna excommunicationis ipso iure imposita religioso matrimonium solennizanti sine licentia parochi per clemen. 1.[b] sit sublata per pœnam suspensionis introductam per Concilium Tridentinum,[c] contra sacerdotem regularem, vel sæcularem, qui alterius parochi sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus sit.

E 1 Quæstio hæc materiam habet in multis locis tactam, & in raris, vel forte nullis satis resolutam, videtur tamen negatiuè resoluenda. Primò quidem, quòd à lege antiqua non est recedendum, nisi quatenus per nouã reperitur recessum,[d] & prædictum Concilium nullatenus recedit à d. cle. 1. Secundò, quòd posteriores leges nõ tollunt priores, nisi eas expressè tollant, vel eis sint contrariæ,[e] & præd. c. 1. non est contra præd. clem. Tertiò, quòd nouæ actionis inductio non tollit veterẽ, *l. quoties*,[f] per quam [illegible] relatus à Dominico,[g] quòd pœna à vetere lege imposita non tollitur regulariter per alterã pœnam à noua lege F impositam. Quartò, quòd sentẽtia excõmunicationis lata per Alexandrum,[h] non censetur fuisse sublata, sed potius duplicata per Clementem,[i] vt sentit glossa ipsius,[k] quatenus ait, eiusmodi deferẽtes arma Sarracenis duplici excommunicatione esse excõmunicatos, illa videlicet, quam tulit olim Alexander.[l] & Clemens,[m] ex qua glossa infert Ioãnes ab Anania esse verũ, quod ait Barthol⁹,[n] videlicet,

2 Quòd lex noua inducens vnam pœnam, non tollit alteram per veterem impositam: quod etiam Felinus non citato Anania ibidem tenet, & affirmat, limitans hoc non procedere quãdo de mente legem nouam ferentis appareret, quòd voluit eam tollere, iuxta Dominicum.[o]

3 Quinto, quòd nulla verba præd. c. 1. significãt expressè, nec tacitè voluisse Concilium tollere pœnam impositam

a Le. nã quod absurdum. ff. de bonis libe.
b De priuileg.
c Ca. 1. de reforma. matr. sess. 24.
d Le. præcipimus. C. de appell. cum suis concord.
e [illegible] 1. de const. 6.
f ff. de action. & oblig.
g In ca. eos. de tẽpor. ordina. lib. 6.
h In capit. ita quorumdam. de Iudæ.
i In cap. quod olim. de Iudæ.
k In verb. sup ponimus.
l In d. cap. ita quorumdam.
m Per d. cap. quod olim.
n In l. 1. ff. de vi bono. rap.
o In d. ca. eos.

à d.clem.immo sunt cõplura, quæ significant contrarium. In primis quidem, quod præd.clem.contra solos religiosos hoc statuit, illud autem ca. 1. etiam contra sacerdotes sæculares, contra quos non debuit imponi tanta pœna, quanta contra religiosos. Tum quia maior incõuenientia consequi posset excommunicationem parochorum, & aliquorum magnorum plebanorum, quam excommunicationem religiosorum, præsertim simplicium, vt palam est. Tum quia vt plurimũ religiosi sunt exempti, & canones grauius puniunt eos in eiusmodi rebus excedentes, quam non exemptos, iuxta Ioannem Monachum & communẽ,[a] quæ habet pœnam suspensionis illius capit. contra celebrantem coram excommunicato non habere locum, si celebrans non ex exemptus.

4 Non obstant illa multa, quæ post alios adducit Decius,[b] quibus concludit, per statutum ciuitatis, quo imponitur pro aliquo delicto noua pœna, videri tolli pœnam à iure communi impositam: quod etsi multi non satis aduertant, ratio est, quia videtur de mente statuẽtium esse illud. Tum quia ciuitates, quæ possunt recedere per particularia statuta à iure communi quo ad se,[c] facientes talia, videntur limitare ius commune quo ad se. Tum quia cõmuniter faciunt quod potestates iurent seruare sua statuta, & communiter, quòd imponant pœnas ab eis statutas: quia cum posśint imponere duas diuersas, censentur tollere pœnam iuris communis.

5 Non obstat etiam dicere, quod tam Bartholus quàm Panormitanus & alij fere omnes tenent, quod licet duæ pœnæ sint statutæ ab vna, vel à duabus legibus, iudex, qui vna earum reum punierit, nõ potest eum alia punire: quia hoc verum est in pœnis, quæ sunt imponendæ à iudice, non autem in his, quæ imponuntur à iure: quia vtraque punitur, vt præd. Anania quem nos iampridem retulim⁹, & secuti fuim⁹,[d] singulariter colligit ex prædicta glossa,[e] in hæc feré verba, *Illud Bartholi,*[f] *scilicet punitum à iudice pœna vnius legis prioris, vel posterioris, non posse puniri pœna alterius, limitandum est quo ad pœnas per sententiam iudicis infligendas, non quo ad alias ipso iure impositas.* Cùm ergo tam suspensio prædicti cap. Concilij Tridentini quàm prædicta excommunicatio præd.clem.ipso iure incurrantur, nihil inconuenit, vt idem regularis incurrat eas ambas, &c.

a *In c. 1. cum glos. verb. ingressum. de priuil. lib. 6.*
b *In capit. de causis de officio deleg.*
c *Iuxt. le. omnes populi. ff. de iustitia & iure.*
d *In repet. di. cap. ita quorumdam. de Iudæis.*
e *d. cap. quod olim.*
f *In lib. 1. ff. de vi bono. rapto.*

*SVMMARIVM.*

1 *Confidentiarum Pij IV. & V. constitutiones odiosæ sunt pœnales, & restringendæ, nec ad pensiones extendendæ. num. 7. modo non dentur in titulum. num. 8.*

1 *Lex omnis censeri debet odiosa, & restringenda, quæ in odium aliquorum, vel alicuius rei facta est principaliter, item & facta ad arcendum dolum. nu. 3. sicut & pœnalis vel exorbitans à communibus iuris regulis, num. 4. & 6. nec desinit esse talis, licet minus principaliter respiciat fauorem alicuius, num. 2. & publicam vtilitatem, num. 6. secus si immediatè vel principaliter respiceret publicam vtilitatem, quia tunc esset fauorabilis, num. 6.*

4 *Exorbitantes sunt constitutiones per Pium IV. & V. contra cõfidentiarios latæ, cum multa à communibus iuris regulis tam circa pœnas, quàm modum probãdi, inducant, & nu. 6.*

7 *Pensio quædam res temporalis est, & quæ in odiosis non venit appellatione beneficij, nisi agatur de illis, quæ dantur in titulum, & impetrabilem. num. 8.*

## CONSILIVM XI.

AN Bullæ Pij IIII. & V. super confidentiis censeantur odiosæ, an fauorabiles?

1 Respondeo, quòd debent censeri odiosæ, & restringendæ. Primo quidem, quòd lex facta in odium aliquorum, vel alicuius rei, censenda est odiosa, & restringenda iuxta, *l. qui de exceptionem*,[g] quæ probat, quod Senatusconsultum ad Macedonium inducit exceptionem pro filiisfamias ad arcendum dolum fœneratorum, & votum captandæ mortis alienæ, vt habet l.[h] est odiosum, & ideo restringendum, adeo vt tutus eius exceptione, si soluat, non repetat, licet regulariter tutus exceptione perpetua repetat solutum,[i] & præfatæ constitutiones fuerunt latæ ad excludendum & arcendum dolos, & fraudes, & vota captandæ mortis alienæ, quæ inducebantur per confidentias beneficiales illicitas: & constat præfatas constitutiones fuisse factas principaliter in odiũ simoniæ, & simoniacorum, & ad exterminandũ illam & illos ab Ecclesia, vt colligitur ex bulla Pij IIII. in multis locis, vt ibi: *pactiones illicitæ, &c.* quæ verba significant Pium IIII. motum fuisse ad edendam præfatam constitutionem contra confidentiam beneficialem ob odium, quo erat in illam, eo quòd esset delictum & crimen dignum, quod odio haberetur, & expelleretur ab Ecclesia tamquam pestis, quæ suo contagio multos inficiebat: quod ipsum etiam colligitur ex constitutione Pij V. ex illis verbis proœmij, quibus clare ait Piũ IIII. tulisse, *constitutionem contra confidentiam beneficialem, ad tollendam fiduciariæ mancipationis beneficiorum ecclesiasticorum corruptelam.* Per quæ verba clarè significatur, causam finalem, ob quam Pius IIII. fecit illam constitutionem, fuisse sublationem illius pestilentis confidentiæ, cùm sint verba proœmij, ex quo solet colligi causa principalis dispositionis.[a] Idipsum colligitur ex eadem constit. Pij V. ibi: *multorum peruersitas, &c* Per quæ omnia coniuncta colligitur, & probatur, causam principalem, ob quam motus fuit Pius V. ad muniendam constitutionem Pij IIII. & augẽdum pœnas eius, fuisse odium intensum, quo erat in crimen pręfatæ pestilentiales confidentiæ: & consequenter vtraque constitutio fuit facta in odium præfati criminis: cui consequens est illas esse de numero exosarum.

g *ff. de cond. indeb.*
h *1. ff. ad Maced.*
i *toto tit. de cõdict. indeb.*

2 Secundo, quod etiam cõstitutio, quæ partim est fauorabilis, & partim odiosa, debet reputari odiosa, si principaliter est facta in odium, licet minus principaliter respiciat fauoré alicuius,[b] & notant Dominicus & Francus.[c] At negari non potest pręfatas constitutiones saltem principaliter factas esse propter odium, per deducta in præcedenti argumento, ergo odiosæ censendæ sunt.

3 Tertio, quod lex disponens aliquid ad arcendũ & euitandum dolum, & malitiam, censetur odiosa, vt ait Baldus communiter receptus,[d] dicens, quod si ratio legis consistit in præsumptione doli, censetur odiosa.

4 Quartò, quod iura pœnalia sunt odiosa & restringenda.[e] At prędictæ constitutiones non solum sunt pœnales, sed etiam pœnalissimæ: ergo odiosæ, & restringendæ.

Quintò, quòd iura, quæ exorbitant à iure communi & regulari, odiosa sunt, & restringenda.[f] At prædictæ constitutiones exorbitant à iure communi inducendo pœnas irregulares, & nouas probationes, & præsumptiones contra regulas iuris communis, puta per testes singulares, & aliàs inhabiles, & quod intentio etiam vnius intendentis confidentiam sufficiat, & alia multa adeo dura, quod vix vmquam omnia vsu recipientur: ergo odiosæ, & restringendæ censeri debent.

5 Sextò, quòd non obstat dicere, quòd prædictæ constitutiones respiciũt vtilitatem publicam animarum, ne scilicet peccatis inficiantur. Tum quia non sufficit ad hoc, vt lex sit fauorabilis, quòd quomodocumque respiciat vtilitatem publicã: nam si hoc sufficeret, omnis lex, etiam Macedoniana, esset fauorabilis, quia omnis lex aliquo modo respicit vtilitatẽ publicam, quod colligitur ex definitione eius,[g] dum ait vnam conditionem legis iustæ esse, quòd nullo priuato cõmodo, sed cõmuni ciuium vtilitate fiat: quod tamen secũdum omnes est falsum. Tum quia secundum Fortuniũ,[h] omnes leges etiam ciuiles fiunt ad quęrendum fælicitatem æternam, quæ est omnium vtilitatum publicarũ & priuatarum maxima, & suprema: & ita nulla lex etiam sæcularis dici posset odiosa, quod est falsum secundum omnes. Et si replicetur, quod nos cum communi recedimus à sentẽtia Fortunij.[i] Respõdeo quòd nos cum communi sequimur glossam solennem,[k] quæ habet leges canonicas factas esse ad finem quærẽdi fælicitatem æternam: & ita sequeretur saltẽ, quod nulla lex canonica esset odiosa, si sufficeret ad hoc, vt esset fauorabilis, quod fieret quomodocumque propter vtilitatem publicam: quod est falsum secundũ omnes. Tum quia nulla lex iusta est adeo pœnalis, & exorbitans à iure communi, quæ non sit facta aliquo modo ob vtilitatẽ publicam: & si hoc sufficeret ad hoc vt esset fauorabilis, & extenderetur, vanè & inutiliter omnes Iurisconsulti dicerent in mille locis esse aliquã legem saltem canonicam odiosam, & restringendam.

6 Tum denique quòd tunc demum lex dicitur fauorabilis, eo respectu quo respicit vtilitatem publicam, quando respicit illam immediatè vel principaliter, & non

a *l. final. ff. de hæred. instit. cap. quia propter. de elect.*
b *Arg. l. quæritur. ff de statu hom.*
c *In d. c. sciãt cũcti. de elect. lib. 6.*
d *In l. penult. n. 5. C. de pactis.*
e *Cap. pœna. de pœnit. dist. 1. le. interpretatione. ff. de pœnis. c. in pœnis. de regul. iuris. lib. 6.*
f *Cap. quæ à iure. de reg. iur. lib. 6. cum concordant. à glos. cit.*
g *In cap. erit autem. 4. di.*
h *In l. de vlt. fine in princ.*
i *In commẽt. ca. inter verba. 11. quæ. 3. concl. 5. & in cap. cum minister. 23. qu. 5 num. 29.*
k *In cap. cum contingat. de iureiuran.*

quando secundario, & per quamdam consecutionem: eo quod plus respici debet id, quod principaliter agitur, quã quod secundario,[a] & quod dispositio potentius influit in immediata & propinqua, quam in remota, iuxta illud, *Quæ in continenti fiunt, inesse videntur*,[b] & quod non fit quis irregularis, propterea quod det causam remotam homicidij, iuxta glossam singularem,[c] & alia multa. Quibus est consequens, prædictas constitutiones, & alias multas pœnales non ideo debere dici fauorabiles, quod secundario, & minus principaliter inducant vtilitatem publicam, vel priuatam, sed quando fiunt immediatè & principaliter ad illam inducendam. Cùm ergo prædictæ constitutiones immediatè & principaliter sint factæ ad tollendas fraudes, dolos, & crimen odio dignissimum, & inducant pœnas grauissimas, & multa exorbitantia à iure communi regulari propter odium confidentiæ pestilentis beneficialis, censeri debent odiosæ & restringendæ: quamuis per quamdam consequentiam & secundariò respiciant vtilitatem publicam, & priuatam, quæ consistit in obseruandis legibus diuinis & humanis.

7 An autem casus de eo, qui per confidentiam transtulit pensionem in alium, comprehendatur in prohibitione pœnali, & odiosa, dicitur quòd non. Tum quia nullum verbum illarum loquitur de translatione pensionis: & dispositio non conuenit ei, cui verba non conueniunt,[d] & ibi Bartholus communiter receptus id adnotauit, & *capit indemnitatibus*,[e] quod ad hoc multi graues auctores commendarunt. Tum quia constitutio odiosa non debet extendi, sed restringi,[f] & prædictæ bullę continent odiosam, & pœnalem dispensationem, vt supra probatum est. Tum quia nõ est tanta ratio puniendi transferentem cum confidentia pensionem, quæ est quædam res temporalis, vt dixi in alio consilio quanta est puniendi conferentem, vel accipientem cum eadem cõfidentia beneficium, quod est spirituale,[g] vt palam est: & ita licet essent constitutiones fauorabiles, non possent ad hunc casum extendi. Tum quia, qui de duobus propositis dicit aliquid de vno, videtur illud negare de altero,[h] & prædictæ constitutiones puniunt expresse confidentiã beneficialem, & non translationem confidentialem pensionis. Nec prodest aduersanti, dicere, quod auctoribus earum non venit in mentem pensio: quia immo expresse meminerunt de illa, dicentes, *quòd eius constitutio non valet, quando fundatur in renunciatione, vel collatione confidentiali beneficij*.

8 Tum denique quod pensio non est beneficium: vnde regula de infirmo resignante beneficium, non habet locum in transferente pensionem, vt latè tradit Gomesius,[i] neque regula de annali possessore, vt ipsemet tradit,[k] & meritò, quia illa non est spiritualis, neque obligat ad dicendas horas canonicas, neque habet perpetuam durationem, neque requirit residentiam, quam beneficia omnia requirunt de iure communi,[l] & potest renunciari & remitti gratuito sine vllo superioris auctoritate, iuxta Cardinalem Alexandrinum communiter receptum,[m] immo & consueuit redimi pecunia cum Papæ auctoritate, cum qua tamen numquam audiui redimi pecunia vllum beneficium, nec magnum, nec paruum: & propter alia, per quæ plerique omnes tenent hoc pro indubitato, quáuis pauci parum librantes essentias beneficij & pensionis in contrarium leuissimè hallucinati sint, & potest eorum dictum procedere in pẽsione, quæ datur in titulũ vacabilẽ, & impetrabilẽ, qualis non est hæc de qua loquimur. Salua, &c.

a l. si quis nec. causam. ff. de reb. credit.
b L. e. lecta. ff. si certũ petatur.
c In ca. de cætero. de homi.
d L. 4. § quoties. ff. de dam no infec.
e §. [illegible] enul. de elect. lib. 6.
f Ca. odia. de regul. iuris, li. 6.
g Ca. dilecto. de præben.
h Ca. nonne. de præsump. l. cum prætor. ff. de iudic.
i In d. reg. qu. 16.
k In regu. de anna. qu. 22.
l Cap. cõquerente. & cap. fin. de cleric. non resident.
m In ca. Agathosa. 63. dist.

## DE RESCRIPTIS.

*SVMMARIVM.*

1 *Rescriptis ad lites & beneficia simplex sine dolo facta subreptio non obstat quoad ea quæ etiam sine ea concessa fuissent, priuilegijs autem sic obtentis obstat.*

1 *Indugentiarum concessio est restringenda.*

2 *Indulgentia indefinite cõcessa vt liberetur anima à pœnis purgatorij, non statim sequitur vt sit concessa plena, plenaria, vel plenissima, per quam anima ab omnibus pœnis purgatorij liberatur.*

## CONSILIVM I.

AN gratia de altari priuilegiato à Papa facta Ecclesiæ N. ad petitionem eius dicentis, quod erant in ea 20. sacerdotes, valeat, si non sint plures, quá 16. sacerdotes.

1 Respondeo videri mihi prædictam gratiam reformandam. Tum propter eorum opinionem, qui referente Felino,[a] tenent differentiam esse magnam inter literas ad lites & beneficia, & inter literas puri priuilegij: eo quòd in illis non obstat subreptio simplex sine dolo facta quo ad ea, quæ fuissent concessa, etiamsi subreptio non fuisset commissa, in literis autem priuilegij sic. Tum quia concessio indulgentiarum est restringenda, iuxta glossam regulæ Cancellariæ. Tum quia etiamsi prædicta gratia non esset reformanda ob prædicta, videretur reformanda, eo quòd non exprimitur in ea quantitas indulgentiæ, nec quantitas pœnarum, à quibus liberabit illa indulgentia ob Missam in prædicto altari dicendam: solùm enim conceditur in ea indefinitè indulgentia, vt liberetur anima, pro qua dicetur, indefinitè à pœnis purgatorij, & non ab omnibus: & non omnis indulgentia liberat ab omnibus pœnis purgatorij, vt palàm est, sed tantùm plena, plenaria, vel plenissima: & multæ indulgentiæ non plenariæ conceduntur pro liberatione animarũ à pœnis purgatorij indefinite. Quare reformanda videtur, ita vt dicat, plenè liberetur, vel quod ab omnibus pœnis, quas patitur, liberetur. Nulla enim Missa, etiam non priuilegiata, est, per quam ex opere operato non minuatur aliquo modo pœna purgatorij, &c.

a In ca. super literis. nu. 3. de rescript.

*SVMMARIVM.*

1 *Rescriptum restitutionis in integrum sine mandato impetrari non potest, nec ad lites, ad gratiosum, vt dispensationis, potest, num. 2. impetrationis beneficij, immunitatis, & priuilegij, restitutionis relegati. num. 3. & 4.*

1 *Beneficium alieno nomine acceptari non potest sine speciali mandato, impetrari verò alteri, etiam sine omni mandato, ac ignoranti & absenti potest. num. 3.*

2 *Concessum in materia permissiua cẽsetur, quod nõ prohibetur.*

4 *Mandatum nec ad priuilegia, nec ad restitutionem impetranda requiritur.*

## CONSILIVM II.

AN dispensatio possit impetrari sine speciali mandato?

Pro parte negante videtur casus, *in cap. innotuit.*[b] quem in hoc commendat Panormitanus ibidem. & Corsetus,[c] appellat ad hoc esse vnicum, & solitarium in iure: & antea idem tenuit Hostiensis, quem ibi sequitur Abbas,[d] & facit l. *illud*,[e] quatenus habet necessarium esse speciale mãdatum ad restitutionem in integrum petendam. Facit etiam cap. *nonnulli*,[f] quatenus habet, non posse impetrari rescriptum sine speciali mãdato. & Rota, *in tit. de rescript.*[g] habet, quod procurator generalis, vel coniuncta persona non potest acceptare beneficium sine speciali mandato.

2 Sed contrarium est tenendum. Tum quia nulla lege id cauetur, & ita non est dicendum,[h] præsertim ad inducendam prohibitionem, & obligationem in materia permissiua, in qua videtur concessum, quod non inuenitur prohibitum,[i] & resoluit glossa.[k] Tum quia prædictum capit. *innotuit.*[l] non probat id quod Abbas & communis aiunt, quia non loquitur de speciali mandato eius, pro quo erat impetranda dispensatio, sed de mandato Capituli. Immo neruosè vrget pro hac parte, quate[illegible] significat, sufficere speciale mandatum Capituli ad impetrãdam dispensationem, pro eo qui fuerat electus. Tum quia sunt duæ glossæ receptissimæ, altera in cap. *ad aures*, quam Abbas, Decius, & communis laudant, & altera in dicto cap. *nulli*,[m] prope finem glossæ magnæ laudatæ per Abbatem, Felinum & omnes ibidem,[n] quatenus habent non requiri vllum mandatum ad impetrandum beneficium Ecclesiasticum alij, quas Imola & Felinus,[o] dicunt facto seruari, quod & omnes curiales seruant.

3 Tum quia collatio beneficij facta à superiore absenti & ignoranti sine vlla eius vel alterius petitione valet.[p] Tum quia præfatę glossæ procedunt in impetratione priuilegiorum, & immunitatum, vt Felinus ibi post Romanum asserit, reddens rationem quare aliud seruetur in impetrando rescripto ad lites, & aliud in impetrando rescripto gratioso.

b De electio. sub fin.
c In sing. verbo mandatũ.
d In ca. suscitata. de restit. in integrum.
e §. si talis. ff. de minorib.
f §. sunt & alij. de rescript.
g decis. 60. in antiquis.
h Cap. legatur. 24. qu. 2. §. consideremus. authẽt. de triẽ. & semis. collat. 3.
i Cap. consuluisti. 2. [illegible]
k C[illegible] [illegible] inenitur. de translatione prælat.
l De elect.
m §. sunt & alij.
n De rescrip.
o Ibidem colum. 9.
p Capi. accedens. de præb. & cap. si tibi absenti. eodẽ tit. lib. 6.

4 Faciunt etiam ea, quæ tradunt Bartholus & alij [a] Doctores, [b] dum tractant, an beneficium, dispensatio, seu priuilegium à principe alicui ignoranti concessum, à tempore concessionis, vt scientiæ sortiri debeat effectum: non enim hoc in dubium Doctores verterét, nisi dispensationem, beneficium, seu priuilegium ab amico, vel quocumque alio impetrari posse pro certo tenerent: facit, quia ad impetrandam à principe relegati restitutionem nulla specialis exigitur commisio: textus est valde singularis *in l. quidam relegatus*, [c] quem extollit Baldus, [d] & ibi Siculus, [e] per quem textum Soccinas dixit, [f] *quod beneficium, quo nihil de nouo confertur, sed tantum impedimentum tollitur, & in pristinum statum reducitur, acquiritur ignoranti.*

a In l fin ff. de cõstitut. princip. & in l. qui absenti. ff. de acquirend. possess.
b In cap. 2. de cõstitut. & in dicto ca. si tibi absenti. de præbend. li. 6.
c ff. de rebus dubijs.
d In dicto ca. ad aures.
e In 4. col. de rescrip.
f Ibi. 4. notab.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatio licet sit stricti iuris, ad annexum & inseparabile extenditur.*
2 *Dispensatio ab vno coniugum alio ignorante impetrata vtrique prodest.*
3 *Dispensatio absque mandato impetrari potest.*

## CONSILIVM III.

QVæritur, an dispensatio impetrata ab vno coniugum super impedimento matrimonij, quod est inter ipsum, & aliam certam personam, prosit vtrique.

1 Pro parte negante facit, quòd dispensatio strictè interpretanda est secundum omnes, & consequenter non est extendenda de vna persona ad aliam. [g] Secundò, quòd non potest impetrari dispensatio sine mandato, vt videtur probare cap. *innotuit*, [h] ad quod illum textum tenendum esse mente, dicit ibi Panormitanus & commendat multum Corsetus. [i]

2 Sed pars affirmatiua tenenda est. Tum quia qui vult vnum, videtur velle id quod necessario sequitur ex illo. [k] At dispensatio concessa vni personæ ad contrahendum cum alia nihil valeret, nisi extenderetur ad illam, vt palàm est. Tum quia dispẽsatio extenditur ad id quod est necessario annexum illi, iuxta glossam notabilem. [l] At dispensatio vnius ad contrahendum cum alia est annexa dispensationi illius ad contrahendum cum eo, ergo, &c. Tum quia passim contingit, vt altera persona contrahentium sciat ante contractum, vel resciat postea altera ignorante impedimentum: & sæpe multis de causis conuenit, vt non reueletur dispensatio, neque impedimentum, super quo illa fit parti ignoranti, per ea quæ scribimus in *c. 22. nu. 70.* Manual. confess. Tum denique quia cum Papa dispensat cum altera persona contrahentium, intendit dispensare cum vtroque, [m] quia illę dispẽsationes sunt inseparabiles.

3 Ad primum oppositum respondetur per argumenta pro secunda parte allata. Ad secundum respondetur negando, quod dispensationis impetratio requirat mandatum, vt tenet glossa, [n] nec contrarium probat cap. *innotuit.* si satis ponderetur. Salua, &c.

g Arg. c. 1. & ibi gloss. de offic. deleg.
h De elect.
i In singularibus verbo mandatum.
k l. 2. ff. de iuris. om. indic. c præterea de offic deleg.
l In ca si quis in clero. 7. qu. 1. & ca. quia in tantum de præbend.
m Argu. cap. translato. de constit. cap. si quis abiecerit. 2. quæst. 3.
n In c. ad aures. & c. nulli. §. sunt & alij. de rescript.

SVMMARIVM.

1 *Agere in iudicio contra alium sine mandato nemo potest, nisi saltem præstet cautionem. num. 8.*
2 *Rescriptum pro alio sine mandato impetrari non potest, & hoc procedit in rescripto ad lites. num. 9. modo non sit coniunctus coniunctione carnali, num. 2. nec ex certa scientia Papæ, num. 6. nec eius motu proprio concessum. Immo hodie in Curia non admittitur hæc exceptio. num. 9.*
3 *Rescriptum gratiosum potest sine mandato impetrari, vt beneficiorũ, priuilegiorum, immunitatum impetratio, & super restitutione ad famam, nu. 6. item & dispensatio, vt attestatur etiam stylus, num. 7. licet Panorm. & Corsetus videantur contrarium sensisse. num. 3. & 7.*

## CONSILIVM IV.

REgularis, cum pro sua religione procuratoris in Curia officium ageret, & suum monasterium inquietaretur frequentius pro certa impositione, seu talea, absque monasterij mandato immunitatem seu priuilegium cum certa moderatione à Summo Pontifice impetrauit. Dubitatur an gratia sic sine speciali mandato concessa teneat.

1 Pro parte negante facit primò, quòd regulariter nemo agit pro alio sine mandato eius legitimo. [o] Secundò, quòd rescriptum impetratum pro alio sine ipsius mandato non valet, [a] vel saltem est elidibile per exceptionem. [b]

o Toto tit. ff. & C. de procurator.

2 Tertiò, quòd prædictus §. *sunt & alij*, quatenus habet coniunctam personam posse impetrare pro alia persona sibi coniuncta, solùm procedit in persona coniuncta carnali coniunctione, & non coniuncta spirituali tantùm, iuxta glossam notabilem, [c] quam Panormitanus, & communiter omnes sequuntur ibi, & multi alij alibi, quos congerit Felinus, [d] & ita licet prædictus religiosus esset coniuncta persona spiritualiter aliorum religiosorum eiusdem ordinis, non tamen videtur potuisse impetrare ea, quæ obtinuit pro illis.

3 Quarto, quod non potest quis impetrare pro alio dispensationem sine ipsius mandato speciali, vt videtur expressum in cap. *innotuit.* [e] quod ad hoc putat esse singulare Panormitanus, [f] & Antonius Corsetus. [g]

a Ca. nõnulli. §. sunt & alij. & c. ex parte decani. de rescript.
b Dict. ca. nõnulli. §. sunt & alij.
c In cap. cum M. de constit. verbo socijs.
d Num. 11.
e De elect.
f Ibi, & in ca. substituta. de restitut. in integ.
g In sing. verbi mandatũ.

Quibus non obstantibus, pars affirmatiua tenenda est, nempe quod est valida, & firma. Tum per l. *vniuersis*, [h] quatenus habet non referre à quo sit impetratum, modo à principe sit concessum, secundum Baldum ibi communiter receptum. Tum quia per prædictam l. *vniuersis*, determinat Bartholus in ea, quod quando reformatio fit in Concilio, non refert, an ille, qui fecit propositam, esset infamis, nécne, postquam apparet de consensu populi: quem referunt, & sequuntur Paulus à Castr. & D. Alexander, [i] quod rursus probat Iason. [k]

4 Tum quia impetratio beneficiorum potest fieri pro aliquo sine mandato eius, vt est casus in ca. *ex ore*, vbi Panormitanus communiter receptus, [l] & duæ glossæ putatæ singulares, [m] quòd ipsum est dicendum de impetratore priuilegiorum, & immunitatum secundum Ludouicum Romanum, quem refert, & sequitur Felinus. [n]

5 Quinimmo idem dicendum est de omnibus literis gratiæ, quæ non dantur ad lites, vt definit Rebuffus. [o] Tum quia coniunctus pro coniuncta persona potest impetrare etiã rescriptum ad lites, vt habetur in dicto §. *sunt & alij*, & prædictus religiosus est coniuncta persona spirituali coniunctione prædicto monasterio, ordini, & fratribus eorum. Et quamuis ad hoc responderi posit, quòd supra allatum est in tertio argumento pro contraria parte, attamen in nostro casu vltra coniunctionem spiritualem interuenit mandatum monasterij, & multæ literæ multorum fratrum eiusdem ordinis, & quod agebatur de interesse eiusdem religiosi impetrantis, & de vtilitate publica religionis, quæ omnia coniuncta possent multum in hoc operari.

h C. de precibus Imper. offerend.
i In libr. 1. in princ. ff. ad legem falcid.
k In dict. libr. vniuersis.
l De his quæ fiunt à maiori parte capi.
m In capi. ad aures. & in c. nonnulli. §. sunt & alij. de rescript.
n Dict. §. sunt & alij nu. 10.
o In praxi. benefic. in tit. de differentijs inter rescript. gratiæ, & iustitiæ.

6 Tum quia literæ ad restituendum aliquem ad famam possunt impetrari sine mandato, secundum Baldum receptum, [p] quem refert, & sequitur Felinus. [q] Tum quia rescriptum etiam ad lites ex certa scientia Papæ datum ad petitionem eius, quem nouit non habere mandatum, est validum, & firmum per hæc iura, [r] & alia, quæ tradit post alios Felinus, [s] & in specie de rescripto impetrato sine mandato determinat idem Felinus. [t] Et in casu nostro Sanctissimus D. N. nouit prædictum religiosum non habuisse aliud mandatum totius ordinis, quàm illud, quod tacitè colligi posset ex scripturis plurimis, quas ante suam Sanctitatem ipse præsentauit.

7 Tum quia iam parum curatur de exceptione defectus mandati ad impetrandum rescripta etiam ad lites, de quo in dicto §. *sunt & alij*, adeo quidem, quòd prædictus Petrus Rebuffus, [v] dixit se numquam vidisse illum in regno opponi, nec nos vidimus vmquam in Vrbe obiici post impetrationem factam. Tum quia etiam dispensatio potest ab alio pro alio sine mandato impetrari per textum in hoc mihi singularem, [x] quatenus irrefragabiliter probat potuisse Capitulum Vigoriense petere legitimationem pro illo, quem elegerat: qua ratione iure quis miretur Panormitanum commendantem ibi illum textum pro contraria parte, & magis Antonium Corsetum commendantem ob hoc Panormitanum, [y] præsertim cum quotidie videamus in Curia innumeras dispensationes impetrari pro absentibus sine vllis illorum mandatis. Tum denique, quòd Sanctiss. D. N. omnia ea, quæ fecit, ordinauit,

p In li. 1. C. de prec. Imper. offert.
q In di. § sunt & alij nu 50.
r Le. idem Vlpianus. ff. de excus. tutorum. & l. quidam consulebat. §. 1. ff. de re iud.
s In cap. cum inter de except.
t In di. § sunt & alij. nu. 51.
v Vbi supra.
x In ca. innotuit. de elect.
y In sing. ver bo mandatũ.

& concessit in vtilitatem & decorem sui ordinis, concessit proprio motu, & de certa scientia, vt suis literis testatur: & palàm est suam Sanctitatem potuisse omnia illa facere, & concedere sine vilius instantia, & petitione.[a]

8 Ad prius oppositum respondeo primò, concedendo neminem regulariter posse litigare in iudicio contra alium, non præstando saltem cautionem de rato, negando tamen, quòd non possit quis agere alterius negotia sine mandato eius, vt palàm probat toti tituli de negot. gest.[b] Respondeo secundò, negando etiam, quòd in casu proposito agatur de admittendo, vel non admittendo aliquo ad impetrandum aliquid ad litigãdum pro alio sine mandato, quia solum agitur de impetratione gratiarum reformationis, & id generis aliorum. Tertio respondeo, quod non tantùm agitur de valore impetratorum, quantùm de valore factorum, & concessorum à principe motu proprio, & ex certa scientia, ac de plenitudine potestatis, vt patet ex ipsis literis, quæ per supradicta valent, non obstante defectu personæ impetrantis.

a Arg. c. cuncta per mundum. 9. quæst. 3. & cap. 1. de constit. & ca. proposuit. de concess. prabend.
b ff. & C.

Ad posterius oppositum respondeo primò, quòd ille §. *sunt & alij*, facit primum pro nostra parte per locum à speciali, quatenus per eum ob aliquas rationes speciales statuitur. ne alius pro alio rescripta ad lites impetret. ergo regulariter potest quis alia pro alio impetrare.[c] Secundò, quòd ille §. non habet locum in rescriptis motu proprio, & ex certa scientia concessis, vt prædictum est, & de his quæritur in casu proposito. Tertiò, quòd tãtùm loquitur de rescripto ad lites exercendas, de quo non agimus. Quartò, quod ille §. non procedit in Curia, quæ regulariter non admittit huiusmodi exceptionem, præsertim in rescriptis Rotæ Auditoribus directis, vt Felinus qui fuit Auditor Rotæ, ibidem adnotat: & in casu agitur de actis in Curia.

c Ca. præsente. § loca. adiuncta glossa. verbo specialiter. de præb. lib. 6.

9 Quare proculdubio hæc pars est tenenda, & fouenda in gloriam Dei, qui nos omnes seruet, & foueat. Amen. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Licentia assumendi ordines nec morte, nec translatione concedentis expirat.*

## CONSILIVM V.

NOBTINVIT à suo Episcopo dimissorias, vt posset à quocumque Catholico antistite ad quoscumque etiã sacros, & presbyterij ordines promoueri. Deinde, antequam ordinaretur, prædictus suus Episcopus vita functus est. Quæritur an virtute illarum dimissoriarum ordinari possit.

1 Ad hanc quæstionem respondeo affirmatiuè, quòd sic, quia huiusmodi dimissoria concessa ab Episcopo non moritur, nec desinit valere mortuo, vel semoto siue trãslato Episcopo eam concedente, vt tradit Cardinalis,[d] cuius dictum multis fundamentis confirmauimus nos alibi,[e] secundum quod etiam aliàs sæpe respondimus.

d In clem. fin. de elect. qu. 5.
e In cap. placuit. de pœnit. dist. 6.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatus vt non obstante occulto sub diaconatu possit in genere vxorem ducere, impetrando postea vt possit ducere affinem, nõ tenetur de prima dispensatione mẽtionem facere.*

2 *Plures qui patitur defectus, potest super singulis, nisi aliud reperiatur in iure cautum, separatas impetrare dispensationes, absque eo quod in vna de altera mentionem faciat, nisi dicti defectus se contingerent, & alterum ex altero augeatur.*

## CONSILIVM VI.

SVBDIACONVS occultus, & malè ordinatus impetrauit à Papa dispensationem, vt posset vxorem ducere: deinde, nulla de huiusmodi dispensatione mentione facta, impetrauit, vt affinem ducere posset. Dubitatum fuit, an posterior dispensatio valeret, tacita priore.

2 Respondetur, quòd quamuis indulgentia secundi homicidij non valeat, non facta mentione de indulgentia prioris, secundum Guilielmum de Cuno,[f] relatum per Baldum ibidem, & quamuis dispensatio super pluralitate concessa illegitimo non valeat, non facta mentione de priore dispensatione, qua factus est habilis ad vnum,[g] attamen cùm id ideo procedat, quia lex illa 2. requirit expressionem iterationis, siue geminationis delicti, & illud ca. 2.[a] requirit illo casu illam mentionem ex ratione specialitatis, quod illæ dispensationes se contingunt, & sunt quasi circa idem: & tacitum auget delictum, vel defectum expressum, super quo dispensatur, sequitur vt si secunda dispensatio non sit circa idem, videatur non esse necessaria mentio prioris: & ita gratia facta de pœna adulterij non requirit mentionem de gratia pœnæ, periurij, lusus, vel homicidij, nec gratia pluralitatis beneficiorum facta illegitimo requirit mentionem gratiæ factæ ei de non ieiunando certis diebus, vel non soluendo pœnam periurij. Ex quo fit, vt similiter gratia ducendi vxorẽ facta subdiacono occulto, & male ordinato, non vitietur eo quòd tacuit, præsertim sine dolo, quod erat affinis vxoris, nec secunda gratia postea impetrata super affinitate, non facta mentione de dispensatione super ordine, quia sunt res separatæ, nec vna auget alteram, ideo nullo iure videtur requiri mentio alterius in altera.

f Leg. 2. C. de episc. audien.
g Ca. 2. de filijs presb. li. 6.
a 2. de filijs presb.

SVMMARIVM.

1 *Facultas edendi carnes in diebus ieiuniorum dicenti se nobilem, & infirmum, valet, licet non sit nobilis.*

1 *Copulatiuè etsi narrentur multæ causæ in libello, commissione, vel priuilegio, quæ omnes ad effectum qui quæritur non sunt de iure necessariæ, satis est vt vna verificetur sufficiens ad dictum effectum producendum.*

## CONSILIVM VII.

VTRVM dispensatio de comedendo carnes diebus ieiuniorum, cum adiectione, *extra Quadragesimam, & de consilio vtriusque medici*, dicenti se nobilem, & infirmum, valeat, esto quod non sit nobilis?

1 Respondetur primò, quòd facile quis posset defendere non valere.[b] Secundò, quòd defendi potest quòd valeat, saltem de æquitate. Tum quod S. Sanctitas omnibus petentibus, cuiuscumque conditionis sint, videtur concedere illam cum prędictis conditionibus. Tum quod clausula illa, *de consilio vtriusque medici*, non potest verificari per notabilitatem, sed tantùm per solam infirmitatem. Tum quod quando in aliquo libello, commisione, vel priuilegio ponuntur multæ causæ, etiam copulatiuè, quæ omnes non sunt de iure necessariæ ad operandum aliquem effectum, sufficit vt vna illarum, quæ illum operari potest, sit vera, iuxta glossam, & ea quæ latissime adducit Felinus super ea.[c] At constat, quod sola causa infirmitatis in casu proposito sufficiebat ad obtinendum hoc priuilegium. ergo, &c.

b Arg. ca. super literis. de rescript. & l. etsi legib. C. si cõtra ius. vel vtilit. public.
c In cap. 2. de rescript. à nu. 22.

SVMMARIVM.

1 *Subreptio per falsi expreßionem gratiam annullat quo ad illam partem, cuius fuit causa, & num. 3.*

2 *Exemptio per quasi possessionem 40. annorum præscribitur.*

4 *Religiosi ac eorum Abbates iure communi Episcopo subiacebant, licet postea acciderit, quod religiones fuerunt exemptæ. num. 5.*

5 *Religionis alicuius approbatio, seu erectio non debet censeri subreptitia ob leuem aliquam falsitatem sine dolo expressam.*

## CONSILIVM VIII.

AN GRATIA Pij V. qua congregationem sæcularem clericorum, & laicorum, ad educãdos & regendos orphanos institutam, fecit regularem sub regula sancti Augustini, sit subreptitia, & nulla, ita quod professiones factæ sint nullæ, propterea quòd in bulla dictæ gratiæ narratur prædictam cõgregationem exemptam fuisse à Paulo III. à iurisdictione ordinariorum, quod tamen non inuenitur in eius bulla.

1 Et pro parte quidem affirmante facit, quod subreptio præsertim illa quæ fit per expresionem falsi, vitiat gratiam in totum,[d] quia mendax precator debet carere impetratione, immo & puniri.[e] At Pius V. in sua bulla, quam non motu proprio, sed ad supplicationem præfatæ congregationis concesit, habet Paulum III. exemisse eam à iurisdictione, & auctoritate ordinarij, quod tamen videtur falsum, quoniam Paulus III. non exemit eam à tali iurisdictione, vt patet ex contextu bullæ ipsius.

2 Pro parte autem negante facit primò, quòd non concluditur

d Cap. super literis. de rescript.
e Cap. etsi legib. 25. quæ. 2.

cluditur prædictam congregationem non fuisse exemptã à Paulo III. eo quod in prædicta bulla eius non continetur: quia potuisset eximisse per aliam: & non probatur nõ esse, quod contingit abesse.[a]

3 Secundò, quòd prædicta congregatio videtur mansisse in quasi possessione exemptionis per quadraginta, & amplius annos, & sic eam quæsiuisse.[b] Tertiò, quòd subreptio non vitiat gratiam, nisi quo ad illud, cuius causa fuit: & gratia põt esse subreptitia quo ad aliquid, & valida quo ad aliud,[c] vt tradit Nicolaus Millis,[d] Pan. & omnes,[e] At prædicta expressio falsa exemptionis non videtur fuisse causa, vt Pius V. faceret eam de sæculari regularẽ, quoniam communi iure antiquo, & ordinario tam monachi religiosi, quàm Abbates eorum subiacebant Episcopis,[f] licet non possent ab ordinariis inquietari super quibusdam, de quibus ibi latè, præsertim cap. *quam sit necessarium* & ita posset dici, quod prædicta congregatio est quidem religiosa, & regularis sub regula sancti Augustini, quæ à Sede Apostolica approbata est, & clerici, & aliæ personæ professæ in ea, religiosi, & regulares ipsius congregationis religiosæ, siue illa, vel illi sint exempti, siue non.

5 Quartò durum videtur concedere prædictos presbyteros, qui expresſè etiam tria substantialia vota religionis emiserunt sub regula tam approbata, in congregatione adeo graui, magna, vtili, & sancta, posse ad statutum sæcularem redire absque Sedis Apostolicæ facultate, ea sola occasione, quòd non sint exempti: & dictũ fuerat in bulla Pij, quod erant exempti sine dolo, & malitia ipsius, quibus non est credendus vsus esse Pius ille, neque congregatio prædicta ab huiusmodi vitiis aliena, maximè cùm, vt prædixi, exemptio per accidens conueniat religioni, immo à principio, quando illa magis nitebat, non erat exempta. Quintò, quòd omnes rationes, quibus prędictus Pius motus fuit ad faciendam prædictam congregationem regularem, & ad constituendum, vt eius personæ profiterentur expresſè, & non esset locus professioni tacitæ, ita persuadent illa sine exemptione, ac cum exemptione: ergo exẽptio non fuit causa, vt prædicta institueret, cùm ex zelo, & moribus eius, & rationibus ab eo expressis satis colligatur, quod æquè facilè instituisset, & constituisset eadem in vno casu, ac altero. Per quæ omnia credo non facilè persuasum iri S.D.N. vt prædictis presbyteris, quam pretendunt, libertatem permittat, cuius tamen summæ auctoritati cum summa eruditione, summáque iustitia, & religione coniunctę prędicta, & alia omnia, meque ipsum humillime submitto.

*a Leg. neque natales. C. de probat. & ca. in præsentia. eodem tit.*
*b Ca. de quartacum ei annotatis, de præscription.*
*c Cap. si eo tẽpore. & cap. susceptum. de rescript. lib. 6.*
*d In ver. gratia. sub finẽ.*
*e In ca. super literis. de rescript.*
*f Cap. 1. 18. q. 2. & per totã quæstionem.*

SVMMARIVM.

1 *Subreptitius est, qui impetrans à Papa secundum beneficium, bona fide, & per simplicitatem tacuit primum, ex eo quod intendebat illud statim relinquere.*

2 *Ignorantia facti excusat, sed non iuris, præsertim clari, & quãuis excusaret à peccato, non tamen sufficit ad sanandam subreptionem. nu. 3.*

## CONSILIVM IX.

AN impetrans beneficium à Papa, tacito alio, quod obtinebat, eò ꝙ volebat statim illud relinquere, credens bona fide, quod non tenebatur ad illud exprimendũ, excusetur in foro conscientiæ, ita quod sine tituli reformatione possit illud licitè retinere?

1 Respondeo, quòd D. consulenti videntur fauere ignorantia, bona fides, & simplicitas, & quòd si dixisset Papæ se habere quidem canonicatum, sed velle statim renunciare illi, habito secundo, perinde concessisset secundum, ac si non habuisset alium: & quod ignorantia rei exprimendæ excusare videtur subreptionem.[g]

Sed contra eum neruosissimè facit, quod gratia beneficialis est ipso iure nulla, si taceatur beneficium prius obtentum, etiam sine dolo, & per simplicitatem, vt latè scribit Felin.[h] & est textus irrefragabilis in c. *si motu proprio.*[i]

2 Facit etiam, quod ignorantia prædicti Domini nõ fuit facti, sed iuris, non solùm regularum Cancellariæ, sed etiã antiquissimi decretalium,[k] & quod prædictum cap. *gratia* loquitur de ignorantia facti, & non iuris, quæ nõ excusat, præsertim adeo clari, atq; est hoc, de quo loquimur.[l] Facit etiam contra eum, quod cũ impetratio sit ipso iure nulla, videtur tenere canonicatum sine titulo, sine quo non potest licite teneri.[a] Quare non auderem dicere, quod non teneatur reformare prædictam gratiam, & obtinere aliquod,[b] quamuis credam ipsum non peccasse in sic impetrando, per ea quæ dixi supra ei fauere. Salua, &c.

*g C. [illegible] de rescript. 6.*
*h In ca. super literis. 1. & 2. concl. & etiã in cap. ad audientiam. 2. de rescript.*
*i De præben. lib. 6.*
*k Capit. cum adeo. & ca. si proponẽte. de rescript. lib. 6. & dist. cap. si motu. & clemen. 1. de præbend.*
*l Ca. ignorantia. de reg. iuris. 6.*
*a Ca. 1. de regul. iur. lib. 6.*
*b Perinde valere.*

SVMMARIVM.

1 *Subreptitius non est, qui vnica supplicatione quatuor beneficia, quorum nullum excedit valorem scutorum vigintiquatuor, impetrando, asseruit eorumdem valorem simul iunctum scutorum vigintiquatuor non excedere summam.*

## CONSILIVM X.

AN Impetratio plurium beneficiorum, quorum nullius valor ascendit ad summam vigintiquatuor ducatorum auri de camera, sit nulla, eo quòd in supplicatione, in qua petuntur quatuor talia, non exprimitur vera valoris summa coniunctim, ita quod omnium simul valor ascenderet ad triginta scuta, & nullius valor per se ad decem?

1 Respondi non videri nullam, quia valor beneficij non ascendentis ad summã vigintiquatuor ducatorum nõ est necessariò exprimẽdus, vt testatur Gomezius.[c] Salua, &c.

*c In regul. de valore beneficiorũ pag. 3.*

SVMMARIVM.

1 *Nominatus tamquam magis idoneus repertus in concursu ad parochialem in mense Papæ vacantem, & differens obtinere prouisionem, vt alius eamdem tamquam ad eamdem Sedem per Concilium Lateranense deuolutam impetret, si impetratio tenet, ad nullam monitionem faciendam tenetur, at si dicta impetratio sit subreptitia, vt putat auctor, num. 2. & sequent. tenetur monere vel Papam, vel Datarium, vel Episcopum, num. 5.*

2 *Subreptitius est, qui beneficium tamquam deuolutum impetrat, tacendo specialem modum deuolutionis, qui Pontificem à concedendo retraxisset.*

3 *Nominatus in concursu parochialis tamquam dignior, si morte, vel renunciatione, vel aliter ius suum, antequam instituatur, amittat, ad Episcopum redit integrum ius nouum concursum, & reliqua omnia vt prius faciendi.*

4 *Deuolutio beneficiorum ad sedem Apostolicam inducta per Concilium Lateranense contra ordinarios intra sex menses non conferentes, non habet locum in materia institutionis, nec nominationis ad parochiales, pro quibus factus fuit concursus, in mensibus Papæ vacantes.*

## CONSILIVM XI.

ECclesia parochiali vacante in mense Papæ Episcopus iuxta formam Concilij Tridentini admisso concursu nominauit digniorem, & iussit ei, vt audiret S. D. N. ad habendum titulum: qui licet à principio curasset aliqua ex parte illum habere, neglexit tamen per triennium: postea curauit illam tamquam tanto tempore vacantem, & sic ad Sedem Apostolicam per Concilium Lateranense deuolutam impetrari cuidam tertio ea digno. Quæritur an nominatus per concursum teneatur declarare Papæ, se fuisse nominatum ad illam per concursum, præsupposito quòd valuit prouisio Papæ facta dicto tertio.

1 Respondetur primò, quòd præsupposito valore prouisionis Papæ non tenetur D. consulens ad monendum Papam, nec Datarium, neque Episcopum, nec prouisum, quo suis conscientiis medeantur, per rationem in casu tactam.

Secundò, quòd non esset dubitandum de valore prouisionis, si cum impetraretur à Papa tamquam deuoluta, fuisset Sanctitati suæ narratus modus deuolutionis, scilicet, quod fuit decretus ab Episcopo concursus, & facta examinatio concurrentium, & nominatus dignior, & quod ipse erat contentus, vt conferretur alteri, Episcopo tamen id nesciente, nec consentiente: quia visus esset Papa derogare Concilio.[d]

2 Tertio, quòd si prædictus modus deuotionis non fuit Papæ narratus, sed solùm fuit ei dictum, quòd prouisio eius erat ad eum deuoluta, dubitari potest de valore prouisionis. Et mea quidem sententia, salua saniori, censenda est subreptitia.[e] Tum quia difficiliùs contulisset eam Papa, si præfata sciuisset. Tum quia Episcopus non fuit negligẽns in prouidendo Ecclesiæ præfatæ, quia fecit omnia, quæ ad ipsum spectabant.

3 Tum quia negligentia nominati non debet ei nocere. Tum quia, sicut electo ad aliquam dignitatem nolente

*d Arg. l. idem Vlpian*. ff. de excus. tut. & l. quidam cũ fallebat. ff. de re iud.*
*e Ca. postulasti. de rescript.*

consentire electioni de se factæ, vel renunciante iuri sibi quæsito, vel moriente, antequam electio confirmetur, ius eligendi redit ad primos electores, qui habebunt tantum tempus ad eligendum denuo, quantùm habuerunt ante primam electionem,[a] ita etiam ad Ecclesiam parochialem per concursum iuxta formam Cõcilij Tridentini nominato renunciante, moriente, vel aliàs ius quod habebat antequã instituatur perdẽte, potestas prouidendi per nouum concursum redit ad Episcopum, cuius iuri noluit Papa derogare, ignorando illud ei competere, vt ignorabat tempore, quo pręfatam Ecclesiam cõtulit, cùm nihil ei de præfato concursu, neque de nominatione virtute illius facta sibi fuisset narratum. Tum quia gratia principis intelligenda est sine præiudicio tertij,[b] & gratia præfata Papæ intelligenda est sine præiudicio Episcopi, & nominati, de quibus nulla fuit ei mentio facta.

a Capi. si electio. de elect. libro 6.

b Libr. 2. §. si quis à principe. ff. ne quid in loco publico fiat. ea. superior. de off. deleg.

4 Tum quia licet statutum sit certum tempus ad conferendum,[c] non est tamen institutum tale ad instituendum, vt Panor. communiter receptus docet,[d] & ita pręfatus D. consulens non perdidit ipso iure ius sibi per nominationem quæsitum per lapsum sex mensium: neque Episcopus poterat præfigere terminum Papæ ad instituendum: neq; tenebatur scire causas ob quas S. Sanctitas non instituit D. consulentem. Tum per alia quæ non vacat scribere.

c Ca. 2. de cõcess. præb.

d In eodem c.

5 Quarto respondetur, quod D. consulens potest suæ conscientiæ satisfacere renunciando iuri sibi quæsito per præfatam nominationem in manibus pręfati Episcopi per se vel per procuratorem, allegãdo in specie, vel in genere causas, ob quas non conuenit ipsi præfatam institutionẽ à Sede Apostolica quærere, idque poterit facere, Papa & Datario insciis: vel Episcopus per nouum concursum, & nouam nominationem prouideat Ecclesiæ suæ, perinde ac si antea minimè nominasset. Salua, &c.

*Aduertendum in casu proposito, non posse accommodari quod dicitur de deuolutione ad Pontificem facta, cum agatur de beneficio quod vacauit in mense eidem Pontifici reseruato.*

### SVMMARIVM.

*1 Parochialem adeptus, si per negligentiam etiam à superiore non monitus. nu. 9. cum iusto non detineretur impedimento, intra annum non accipit ordines, eam ipso iure dicto anno elapso perdit, fructúsque postea perceptos suos non facit, sed illos etiã in foro conscientiæ tenetur restituere, num. 2. & 10. immo nec perceptos in primo anno, si parochialem eo accepit & possedit animo, vt non promoueretur. nu. 10.*

*3 Fructus male percepti triplici modo restitui possunt remißiuè.*

*4 Expreßio defectus sufficienter fit per verbum* fortè, *vel* forsan, *& hoc stylo Curiæ.*

*4 Pensio reseruata resignanti beneficium, in quo titulum canonicũ non habebat, tacito dicto defectu, non tenet, nu. 5. nisi ex clausulis in supplicatione appositis talis sanetur defectus 6. 7. & 8.*

*6 Taciturnitas eius quod expressum retraxisset principem à concedendo, vel tam facile concedendo gratiã, etsi non semper causet subreptionem, nu. 6. illam tamen causat expreßio talis falsitatis. num. 5.*

*6 Mandatum de conferendo beneficium ab aliquo resignandum nõ se extendit ad illud, si talis prius moriatur, quàm resignet.*

*6 Pensiones quando collitiganti cedenti reseruantur, non inspicitur an ius habeat in beneficio, vel non, immo absolutè habetur pro validis. nu. 10.*

*9 Ignorantia iuris admodum noti non excusat illum, qui illud tenebatur scire.*

*10 Pensio reseruata resignanti, qui beneficij titulo erat priuatus, sustinetur ex mente Pontificis, si quæ colligi poßit ex verbis supplicationis. & 10.*

*10 Clausula illa, siue* prædicto, siue alio modo vacet, *facit, vt collatio facta resignatario, de beneficio resignato ab eo qui eodem prius erat priuatus, teneat.*

*11 Fructus ecclesiæ vacantis de iure in illius vtilitatem conuerti debent, vel primo legitimo successori tradi.*

*12 Execrabilis etsi sit is qui plures parochiales sine dispensatione obtinet, secus tamen est in eo qui easdem post priuationem ipso iure incursam retinuit, & num. 14.*

*12 Execrabilis ad beneficia obtinenda, non autem ad pensiones inhabiles fit. nu. 15.*

*12 Execrabilis beneficia vacantia, non omnia, sed vltimo loco obtẽta, sunt reseruata collationi Sedis Apostolicæ.*

*13 Intrusus in aliquo beneficio, ad illud tunc inhabilis fit, quando in eo sine titulo se intrusit, secus si illius poßeßionem à principio iusto titulo acceptam post amissum titulũ continuauit. n. 14.*

*13 Poßeßionem beneficij legitimo cum titulo acceptam post illum amissum continuans non fit intrusus, vt qui ab initio sine titulo illam apprehendit. 14.*

## CONSILIVM XII.

Quidam adeptus ecclesias aliquot parochiales intra annum non fecit se promoueri ad ordinem presbyteratus, & aliquot annos percepit fructus, & postea, vt satisfaceret Cõcilio Tridentino,[a] resignauit eas in alios, reseruatis sibi pensionibus. Quæritur quid agendum.

a De refor. c. 2. seß. 7.

1 Respondeo primò, conari eum debere reminisci, an per negligentiam suscipiendi ordines ipso iure perdidisset illas Ecclesias per lapsum anni,[b] nam si quod impedimentũ iustũ habuisset, nõ perdidisset eas,[c] & alioquin sic.

Secundò, quòd etiã debet conari meminisse, an sciret, & aduerteret, quòd per huiusmodi negligentiam perditurus esset illas Ecclesias, an ignoraret, vel nõ aduerteret.

b Iuxta capi. licet canon. & ca. commissa. de elect. lib. 6.

c Per dictum ca. commissa.

2 Tertiò, quòd secundum communem opinionem is, qui per huiusmodi negligentiam perdit Ecclesiam parochialem, non facit fructus suos receptos post perditionem iuris, & tenetur restituere eos etiam quo ad forum conscientiæ, quamuis regulariter pœna non debeatur in illo foro iuxta glossam singularem,[d] vt nos tradimus in comment. cap. non liceat.[e]

d In cap. fraternitatis. 2. quæst. 2.

e 12. qua. 2. §. 12. num 4.

f In dicto §. 12. à num. 2.

3 Quartò, quod prædictus D. consulens in restituendo vti potest vno de tribus remediis, quæ nos ponim⁹ latius, & profundius, quã aliquis alius,[f] quæ ibi videri possunt, & quod ad propositum casum est valde aptum illud, scilicet restituendi illos illismet familiaribus, in quorum fauorem renũciauit prædictas Ecclesias, & quod illi ratione gratitudinis possunt intuitu pietatis, vel paupertatis suæ, vel aliorum cognatorum suorum, remittere illos.

*Aduertendum, cùm hic agatur de fructibus beneficij quod modo habet legitimum successorem & administratorem non posse in hoc verificari omnes tres dictos modos restituendi, quia immo dicti fructus videntur restituendi dicto successori.*

4 Quintò, quòd magnæ quæstionis videtur esse, an reseruatio pẽsionum à Papa ei, qui renunciat beneficium, in quo non habet titulum canonicum, alicui, valeat nõ facta mentione quòd non habet & titulum canonicum: si enim faceret eam, vel saltẽ diceret se dubitare, vel habere scrupulum, valeret, quia satis fieret mentio de illo defectu, stylus enim Curiæ habet, vt defectus per verbum, *forte*, vel *forsitan*, expressus habeatur pro expresso. Quare consulendum videtur D. consulenti, vt quærat in registro supplicationem registratam super hac reseruatione pensionum, vt videantur omnes clausulæ eius, si quæ sint, quæ directè, vel indirectè, tacitè, vel expresè de hoc defectu tituli canonici mentionem facit.

5 Sexto contra reseruationem pensionum huiusmodi sine vlla expresione defectus facta facit primò, quòd difficilius concesisset Papa pensiones, si sciuisset non competere sibi ius in illis Ecclesiis, & gratia principis facta tacito illo, quod expressum retraxisset à concedendo, vel tam facile concedendo, est subreptitia.[g] Secundò, quòd licet taciturnitas veri, quod retraxisset principem à concedendo, non semper annihilet gratiam, expresio tamen falsi, quod faciliorem reddit principem ad concedendum, semper annihilat gratiã iuxta illud, *Mendax precator careat impetratis*,[h] & tradimus nos in Manu.[i] post Rotam.[k] & Felinũ.[l] At prædictus D. cõsulens renũciando illas ecclesias asseruit se habere ius in illis, quia priuatio præsupponit habitum,[m] ergo debet carere gratia pensionũ impetrata.

g Cap. postulasti. & ca. super literis. de rescript.

h Le. etsi. C. si cõtra ius vel vtil. publi. & ca. super [illegible] rescript.

i [illegible] cap. 22. nu. 80.

k [illegible] decis. 321 de rescript. in nouis.

l Cap. postulasti. col. 4. de rescript.

m Le. decem. ff. de verb. oblig. c. ad dissoluẽdum. de de spõsa. imp.

6 Tertio, quod sub mandato conferendi beneficium ab aliquo resignãdum non includitur beneficium eius, si per mortem ipsius resignatione non facta vacet.[n] Ergo nec pensio imposito beneficio propter resignationem valebit quidquam, si resignatio eius non valuit: at resignatio eius quod non est, non valet, quia non entis nullæ sunt qualitates,[o] ergo, &c.

n Capi. susceptum. de rescript. lib. 6.

o Le. si seruũ. §. 1. ff. de act. empt.

Pro valore autem gratiæ pensionum facit primò, quòd prædictus D. cõsulens ignorabat, vel saltem non aduertebat se perdidisse titulũ canonicum, quẽ habebat, propter

negligentiam accipiendi ordinē, & taciturnitas facta per ignorantiam non videtur nocere. [a] Secundò, ꝙ passim in Curia fiunt,& recipiuntur resignationes litigantiū,& cedentibus assignantur pensiones,nec curant partes, neque Cancellaria,an cedentes habeant ius,nec ne:& stylus Curiæ facit ius. [b] Tertiò, quòd communiter resignantes dicunt se resignare ex quibusdam causis animum suum ad id mouentibus:sub quibus verbis videtur posse comprehendi defectus boni tituli:& ita videri potest expressus defectus illius saltem in genere,quod videtur sufficere.

7 Sed quia expedire videtur, vt videatur copia supplicationis registratæ, suspendo super hoc articulo meam sententiam,donec illa monstretur.Salua &c.

Visa post hæc supplicatione prædicta,addo,quod ex illius tenore colligitur sufficienter esse factam mentionem Papæ de defectu tituli generaliter, vel specialiter. Primo quidem per illa verba,*Ex certis causis animum suum mouentibus.*Secundo per illa,*Reseruatis validè infrascriptis, & nō aliàs &c.*Tertio per illa,*Præmisso siue alio quouis modo vacet per resignationem coram notario, &c. aut per constitutionē execrabilis, vel assecutionem,vnionem,vel aliàs vacet, etiamsi deuoluti affecti specialiter,vel aliàs,ex quauis causa in literis etiam dispositiuè, vel conditionaliter exprimenda generaliter reseruata litigiosa, cuius litis statum,&c.existat.*& per illa,*Quomodolibet se intromittendo,molestando, perturbando.* & per illa, *Illaque ex quauis causa nulla,& inualida.*Per quæ omnia colligitur Papam voluisse reseruare prædicto D.consulenti prædictas pensiones,etiā si Ecclesiæ vacassent, & collatio fuisset reseruata Papæ, vel deuoluta ad ipsum,&c.

8 Ad argumenta in oppositum facta responderi potest illorum vim procedere,quando ex verbis ipsiusmet Papę, vel literarum eius non constat expresè vel virtualiter de ipsius intentione. [c]

POST HANC nostrā respōsionē proponūtur nobis aliæ tres,quę vidētur esse virorū egregiè doctorū,quę cōtinēt quędam contraria eis,quę nos supra diximus: & interrogamur,quid de illis nobis videatur, & an propter allegata in eis discedamus à nostra sententia, an verò perstemus in illa.

9 Ad quod respondemus primò,quòd nunc pro comperto habemus D.consulentem ipso iure perdidisse Ecclesias parochiales in eius fauorem resignatas, etiā ei à Papa collatas,per negligentiam suscipiendi presbyterium:licet in respōsione prima aliqua ex parte dubitassemus,an habuisset aliquod iustū impedimentū, quo minùs promoueri se faceret:nunc autē præsupponitur nō fuisse illi vllū impedimentū,& quando tunc,& nūc pro certo habebamus, & habemus,quod ad constituendum in mora & negligentia suscipiendi presbyteriū non requiritur monitio vlla Superioris,vltra illam quæ iure communi fit, [d] atq; ita ignorantia iuris,quod ipse tenebatur scire, fuit improbabilis, & crassa,quę nón liberauit à pœna iuris tam noti, quodq; tam clarè obligātur scire omnes qui quærunt,vel accipiūt & conferunt Ecclesias parochiales;& quod in talibus paria iudicantur scire,& scire debere. [e]

10 Secundo,quod ex hoc sequitur prædictum consulentem non potuisse iustè capere fructus, qui post annū primū ei obuenerunt,& interim teneri ad restitutionē eorū, & etiā ad restituendū fructus primi anni,si recepit & pos[illegible] intendendo se non promoueri facere intra illū per prædictum c.*commissa* [f] vt in vna responsionū prę fatarum rectè respondetur. Tertiò, quòd collationes Ecclesiarum factæ familiaribus D.cōsulentis per resignationem istā in fauorē illorū fuerūt validæ,& legitimę,quoniā ex literis Papę constat,quod fuit ei animus conferendi eas illis,quomodocumq; & ex quacumq; causa vacassent, etiā si reseruata,litigiosa,& deuoluta fuissent, vt rectè tāgitur in vna prædictarū responsionū. Quartò, ꝙ reseruatio pēsionum facta prædicto D. consulenti fuit valida, eo quòd ex tenore supplicatiōis à Papa signatę,& prouisionis factę colligitur,Papā voluisse illam sibi reseruare, etiā si nullū ius in beneficiis habuisset,quæ renūciauit, vt supra respōdimus post copiam supplicationis visam. Nec obstant cōsiderationes in contrarium adductę:quia solum procedūt quando ex literis Papæ non colligitur mens vlla eius contraria, vt in nostro casu clarè colligitur ex literis prædi-

a Ca. gratia. de rescript. li. 6.

b Cap. quam graui. de crimine falsi.

c Arg.l.idem Vlpianus.ff. de excus. tut. & le.quidam consulebāt.ff. de re iudicata.

d Per ca. licet canon. & ca. commissa. de electione li.6.

e Le.quod te. ff.si certū petatur.

f §.cæterum [illegible]

ctis,& ex stylo Curiæ,secundum quē quotidie fiunt concordiæ, per quas litigantes resignant in fauorem collitigantium reseruatis pensionibus,de quibus numquam dubitatum est, an desinant valere eo solo, quòd resignantes non haberent ius in beneficiis resignatis. Quinto, quòd prædictus D.consulens potest, & debet restituere prædictus fruct⁹ male perceptos post annum primum,& etiam quos percepit intra illum, si recepit,& possedit Ecclesias intendens non assumere presbyteratum,præfatis familiaribus, in quorum fauorem resignauit eas, & quibus Papa eas contulit: eo quod fructus ecclesiæ vacantis debent conuerti in vtilitatem eius, illa vacante, vel tradi primo successori, [a] quod profundius aliis ( secundum quod dictum est )tradimus in comment.cap.non liceat. [b]

11 Post hæc omnia iterum mihi propositus fuit idem casus in hac quæ sequitur forma. Ex trib⁹ parochiis,quas dictum est D.consulentem per decennium habuisse absque ordine presbyteratus, vnam ( parendo decretis Concilij Tridētini)resignauit in manibus Papæ ad fauorē Ioannis cum reseruatione omnium fructuum, demptis 50.ducatis pro dicto Ioanne, reliquas verò liberè & simpliciter in manibus ordinarij, qui eas contulit duobus familiaribus ipsius consulentis.Qui postquam de illis fuerunt prouisi, & habuerunt possessionem,consenserunt auctoritate Apostolica reseruationi duarum pensionum super fructib⁹ suarum parochialium ad fauorem dicti consulentis cum accessu & regressu in euentum,quod pensiones prædictæ ex quauis causa nullæ & inualidæ existerēt, prout in supplicatione,cuius copia datur,supplicatur videri in iure an prædictus consulens non promotus, per retentionem vltra annum dictarum parochialium fuerit factus inhabilis, & incapax beneficiorum obtentorum & obtinendorum: ita vt sine dispensatione non potuerit tuta conscientia ea retinere, & similiter reseruationes pensionum, quas ex causa resignationis in manibus ordinarij factæ fuerunt concessæ. Præterea videndum est in iure an ordinarius potuerit conferre illas duas parochiales, quæ vacauerant ob non promotionem consulentis, & si erant deuolutæ ad Papam, prouisi indigeant noua prouisione.

Respondeo,quod hæ duæ quęstiones sunt graues,quarum decisio requirit hominem maiori otio, quàm quod est mihi,fruentem, præterquam quod votis meis ex parte repugnat earū digna tractatio.Pro reuerentia tamen,qua sum in eum, qui mihi eas imperat, respondeo hæc pauca.

12 ET AD PRIOREM quidem quæstionem primò,esse distinguendū,an prædictus consulens obtinuisset eas cum Papæ dispensatione, an verò sine illa. Secundò, quòd si absque dispensatione obtinuit eas, fuit factus inhabilis ad illas, & alia quæque beneficia obtinenda per extrauag.*execrabilis*.Ioannis XXII. [c] & quod illa tantùm postremo loco adepta fuit reseruata collationi Papæ, secundum glossam celebrem quam habet dicta extrauagans quam nos sequimur in repet.c.accepta. [d] licet glossa Gulielmi quā habet inter extrauagātes communes,patet etiam alias esse reseruatas,& consequenter solus Papa potuit de illa prouidere. Tertio,quod magna quæstio est, idem sit dicendū si prædictus cōsulens obtinuit prędictas Ecclesias cum dispensatione sufficienti ad eas obtinēdas.

13 Nam pro affirmatiua facit primò,quòd videtur æquè malum,aut maius, retinere parochiales ecclesias,quarum titulos ipso iure perdidit, & in quibus nullum ius habuit, quam retinere illas canonicè collatas absque dispensatione. [e] Secundò, quòd intrusus in aliquo beneficio est inhabilis ad illud, secundum Panormitanum [f] & ipsummet, & alios multos alibi citatos à Felino, [g] & quod qui retinet possessionem beneficij iure ipso perditi acceptam virtute canonici tituli censetur intrusus secundū Felinū. [h]

Pro negante verò facit primò, quòd prædicta extrauagans,*execrabilis*,facit magnam differentiam inter eum, qui malè possidet beneficium cum dispensatione sufficienti, & inter illum,qui possidet sine vlla dispēsatione:& quod pœnæ de vno ad alium casum non sunt extendendæ, [i] & præfata extrauagans loquitur de possidēte sine dispensatione:ergo non est extendenda ad possidentem cum illa.

14 Secundo,quod multùm interest inter eum qui accepit possessionē sine aliquo titulo, & eum qui eam accepit

a Cap.cū vos. de offi.ord.& ca. quia sæpe. de elect.lib.6.

b 12.qu.2.§. 12.num.2.

c §.porro. de præbend.

d Opposit.10. num.3.de restit spol.

e Arg.c.1. de reg.iur.lib.6. cū ei concord.

f Cap.cum iā dudum.de præbend.

g In capi. nostra. corol.2. de rescript.

h In dicto ca. in nostro. corolla 2.de rescrip.

i Ca pœna.de pœnit.dist.1.

cum titulo,& continuat eam post titulum ipso iure perditum,per ea quæ in dicta repetit. [a] diximus, per quæ videtur, quòd licet accipiens possessionem beneficij absque titulo sit intrusus, & fiat inhabilis ad illud, non tamen fit talis, qui cõtinuat possessionem quęsitam cum titulo perdito ipso iure. Tertiò,quòd nullibi videtur probari dictũ Bartolomei Brixiensis,[b] quo solo nititur Felinus vbi supra ad dicendum,quòd possidens beneficium cum titulo ipso iure perdito est intrusus ad effectum inhabilitandi eum ad dictum beneficium : immo Gomezius, [c] dicit de stylo Rotæ illum solum dicendum intrusum quo ad illam regulam,qui est talis vno trium modorum, quorum nullo est possidens cum titulo ipso iure perdito.

Et hæc pars in præsentia mihi videtur verior, per præfata & alia multa,quæ,[d] scripsimus,quę ibi videri possunt, & nunc nec vacat,nec pro voto licet hic ea rescribere,nec adducere multa quæ pro dignitate quæstionum adduci possent.

15 Quartò principaliter dico,me arbitrari prædictũ consulentem non esse intrusum propriè, ita vt per intrusioné sit factus inhabilis ad prædictas Ecclesias obtinendas:& quòd si eas obtinuit cum sufficienti dispẽsatione, vt puto obtinuisse,non est factus inhabilis ad eas eo solo,quòd eas retinuerit post titulos ipsarum ipso iure perditos:& quòd sola Ecclesia vltimo loco recepta fuit reseruata Papæ: & quod ordinarij potuerunt alias conferre:& quòd licet incurrisset inhabilitationem ad prædictas Ecclesias obtinẽdas,eo quòd sine dispensatione eas accepisset,non tamen propter hoc factus fuisset inhabilis ad obtinendas pensiones sibi à Papa reseruatas:quia pensiones non sunt beneficia,& ideo inhabilitatus ad illa per constitutionem pœnalem,non videtur inhabilitatus ad pensiones.Salua quæ iustior,&c.

*Aduertendum id quod dicitur nu.10.pro validitate pensionis esse admodum dubium in foro conscientiæ,cum causa ne ex huiusmodi resignatione nimium patiatur,verè non subsistat,& clausula illa siue prædicto,siue alio modo &c.non respiciat suppletionem defectuũ nullitatis pensionis.*

SVMMARIVM.

1 *Pensionarius,cui bona fide narranti beneficij fructus esse scutorũ 300.reseruata fuit pensio scutorum 200.cũ clausula,modo resignatario remaneant scuta 100. si postea reperiet, tunc fructus verè fuisse minores,rectè fecit remittendo pro rata, nec eũ excusaret, quòd postea fructus sint aucti:modica tamen læsio, puta si eidem solum remansissent 90.non noceret.nu.3.*

2 *Valor beneficij verus per locationis instrumentum non probatur, estque difficilis probationis.*

## CONSILIVM XIII.

Qvidam habens beneficium valoris, vt ipse bona fide putabat,300.scutorum renunciauit illud in fauorem alterius,& ei dicenti illud esse valoris 300. reseruata fuerunt 200.pro pensione, cum clausula *modo remanerent 100. resignatario*, qui locauit illud 275. Quæritur an resignans possit accipere 200.pensioné à resignatario illa sibi sponte soluẽte, auctis postea eius reditibus ad 300.& amplius.

1 Respondeo primò,quòd pro parte negante facit,quod omnis gratia, quæ fit expriméti falsum, quod mouit principem ad eam concedendam,est ipso iure nulla. [e]

Secundò respondeo, quòd pro parte affirmante facit, quod consulens bona fide per ignorantiam expresit illũ valorem,vt præsupponitur in facto:& ignorantia excusat à subreptione,[f] de quo late Felinus. [g]

2 Facit etiam,quod verus valor fructuum beneficij non probatur per instrumentum locationis fructuum, vt latè tradunt Cassadorus,[h] & Gomezius in q.11.[i] quamuis credulitas inde nata excuset à pœna expresionis falsi valoris,eo modo quo ipsi tradunt, & ita eo solo quod renunciatarius locauerit fructus beneficij 275.scutis, non sequitur,quòd non valerent 300.quoniam fructus beneficiorũ locantur,seu arrendantur aliquando pluris, aliquãdo minoris,quam verè valeant,& modica pars excessus, vel defectus non videtur nocere, vt prædictus Cassadorus, [k] tradit.

Tertiò dico resoluendo,quòd si prædictus pésionarius bona fide, vt ponitur in facto, credebat, tempore renunciationis, prædictos fructus valuisse 300.scutis,non tenetur ab illa fide & credulitate discedere,eo solo quod fuerint locati, seu arrẽdati semel solum 275.quoniam multis de causis quis locat seu arrendat minoris vni,quàm alteri, & vno tempore,quàm altero,ratione cognationis,amicitiæ, vel certioris solutionis, vel anticipationis pretij, vel quia putat, quòd melius conseruabit, vel meliorabit, seu reddet vtilius id,cuius fructus locat: necessitatis item, & fertilitatis,vel sterilitatis anni,& aliis rationibus:difficulter enim probatur verus valor, vt prædicti testantur, & alij multi, in quibus sunt Panormitanus & Felinus, [a] & omnes, [b] neque debet formare scrupulum eo solo, quòd modicus fuerit defectus,ob illa, quæ prædicti Cassadorus & Gomezius tradunt.

3 Quartò, quòd si verè coram Deo putaret prædictus pensionarius,quòd secundum communem æstimationem non valerent pluribus, quàm 275. & quòd si locarentur, vel arrẽdarentur 300.vel 290.locatio esset iudicáda iniusta notabiliter, rectè faceret remittendo renunciatario tantam partem suæ pensionis, quanta deesset ad hoc, vt deberet putari iusta acceptio residui 100.scutorum.

Quintò,quòd multũ faceret ad certius respondendum, scire quibus de causis pensionarius consulens credebat, cùm renunciaret,esse beneficium prædictum valoris 300. ducatorum, & an locari, vel arrendari potuisset, vel fuisset antea arrendatum pluribus,quàm 300.vel 290.vel circiter:quoniam multùm iuuarent hęc ad iudicandum quid debeat credere coram Deo,quibus perspectis fortè paulò aliter responderemus, ad gloriam Dei. Salua,&c.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium per superueniens homicidium irregularitatem inducens non vacat.*

2 *Gratia habilitationis in genere ad beneficia victui necessaria quærenda & obtinenda, tacito quæsito,non vitiatur.*

3 *Expreßio falsa eius,quod faciliorem principem ad concedendum reddit,vitiat quidem gratiam,secus de taciturnitate, quæ non vitiat,nisi in casibus,in quibus contrarium in iure cautum est.*

4 *Irregularis in choro canere, & alia officia facere, quæ laicus, potest.*

## CONSILIVM XIIII.

Qvidam homicida iam diaçonatu legitimè insignit[9], habés & possidens vnam canoniam Ecclesiæ cuiusdam collegiatæ, impetrauit à Papa dispensationem obtinendi beneficia simplicia nõ requirentia ordiné, quæ suo victui sufficerẽt,quæque sine altaris ministerio posset tenere,non facta mentione,quod haberet prædictam canoniam. Quæritur primò,an prædicta dispensatio valuerit.

Secundò, an esto valuerit, vel non valuerit, posit deseruire prædictæ canoniæ.

1 Pro parte affirmatiua primæ quæstionis facit primò, quòd præfatus consulens non perdidit ipso iure illum canonicatum, quem ante homicidium legitimè quæsiuit, [c] Innocentius & communis,[d] Felinus,[e] & alij alibi sæpe:& ita non indigebat dispensatione ad retinendũ,sed tãtùm sublatione irregularitatis ad se ordinádũ,& ad alia beneficia obtinẽda.Secũdò,quòd nõ obstat,quòd in impetratione beneficij quærẽdi sit faciẽda métio de beneficio iã quęsito,[f] quia in casu proposito nõ loquimur de impetratione beneficij,sed de rehabilitatione [illegible]

2 Tertiò, quòd etiam non obstat, quod in impetranda dispẽsatione ad beneficia debet fieri mentio de beneficio quæsito,[g] quia illud c.non agit de impetratione habilitatis, vel rehabilitatis ad beneficia, sed de impetranda dispensatione ad secũdam pluralitatem beneficiorum,& ita de alio genere dispensationis, ex quo nõ potest inferri ad aliud. [h] Quartò,quòd non obstat dicere, quod Papa difficilius cõcessisset prædictam dispensationem, si expressisset quod habebat canoniam.Tum quia nõ videtur id esse verum: quoniam verisimilius est,quòd potius cõcessisset retentionem illius,quàm obtentionem nouam aliorum.[i] Nec obstat quod non concessisset habilitatem ad noua quærenda:quia id negari potest,eo quòd solùm concessit ad quærenda vnum vel plura simplicia, quæ sufficerent ei ad honestè viuendum, quod concessisset,etiã si expressisset quod habebat canoniam:quia si illa ei sufficiebat,nihil

concedebat,

a Opposit. 7. num.16.

b In repertorio verbo intrusus.

c In regul.de trien. possess. quæst.47.

d In prædicta oppositione 7. [illegible] 10.

e Ca postulasti. c. super literis. de rescript.

f Ca.gratia. de rescrip l.6.

g In ca.super literis. à nu. 1.eod.tit.

h Decisi. 20. super regu.9. Cancell.

i Super regu. Cancella. de valore exprimendo.

k In di.decis. 20.

a In cap. cum causa. de testib.

b In c.cum dilecti.de empt. & vẽd. & in le.2. C.de rescind.vendi.

c Ca.clericis. verbo priuetur.ne cleric. vel monach.

d Cap.cũ nostris.de cõcess. prabend.

e Cap. [illegible] script

f [illegible] si propone ste. de rescript.c.si motu.de praben. lib.6.

g Ca. non potest.de prabẽ. lib.6.

h L.Papinianus.ff.de minorib.

i Arg.c.quẽadmodum.de iure iurando.

concedebat,& si illa non sufficiebat, tantò minùs concedebat,quantò minùs egebat habendo illam canoniam.

3 Tum quia licet omnis expresio falsa,quæ mouet principem ad facilius concedendam gratiam,efficiat eam ipso iure nullam,[a] non tamen omnis taciturnitas veri, de quo iure cautum non est,vt non expresso illo gratia sit nulla,vt resoluit Rota,[b] & Felin.[c] quos sequimur in Manu.conf.[d]

AD SECVNDAM respondetur,quod,vt prędictũ est,per homicidiũ, & irregularitatem superuenientem nõ vacauit canonia, & quod irregularitas per se sola separata ab excommunicatione,interdicto, & suspensione, non videtur impedire actum canendi, & psallendi, nec alios, qui non sunt peculiares,& appropriati actui ordinum,secundum mentem Innocentij, [e] nullo enim iure videtur probari, quòd irregulari non liceat canere, & psallere in choro, & pronunciare per se, & cum aliis officia diuina, modo abstineat se ab actibus propriis ipsorum ordinum. Tum quia per definitionẽ eius à nobis traditã in d. Man. confess.[f] constat, irregularitatem esse idem impedimentũ ad accipiendum ordines, & ad vtendum vsu acceptorum, quatenus sunt ordines,non tamen ab vsu eorum officiorũ, quo laici vti possunt:at laici licitè possunt canere,& psallere in choro,& extra illum officia diuina:ergo & irregularis idem facere posset. Tum quod nemo dicet illegitimum,cæcum,monoculum,manu,pede,aut aliquo alio mẽbro mutilatum peccare canendo, vel psallendo in choro, vel extra illum: nec vsus communis vrbis & orbis contrarium seruat,&c.

a Le. & si legibus.C.si cõtra ius,vel vtil.pub.ca.super literis. de rescript.
b In nouis decis. 31. de rescript.
c Cap.postulasti. coll. 4. eo.titu.
d ca.21.n.86
e Cap.fin. de excess.prala.
f Cap.27.nu. 191.

*SVMMARIVM.*

1 *Mẽdax precator impetratis carere debet,si dolosè,vt faciliùs moueret concedentem,falsum expresßit.nu.3.nam si per simplicitatem,vel ignorantiam,non vitiat,nisi quatenus fuit causa cõcessionis,num.2.& 3.*
2 *Subreptionem non inducit expreßio falsa qualitatis, quæ concedentem reddit difficiliorem,nec taciturnitas illius,quo expresso æquè faciliter princeps concesßisset.nu.2.*
3 *Mendacium dictum per procuratorem minus nocet,quàm dictum per ipsum principalem.*

## CONSILIVM XV.

Quidam professus ordinem Minorum Conuentualium cum omisso habitu sui ordinis in apostasiam incidisset aliquibus de causis,quæ visæ fuerunt Papæ rationabiles, causa cognita per quemdam Cardinalẽ Illustrisimũ, cui causa commissa fuit,fuit absolutus ab ordine cũ facultate viuendi in aliquo eremitorio, vel aliquo loco pio sub obedientia ordinarij : qua facultate multis annis vsus est. Nunc autem iniecerunt ei quidã scrupulũ de subreptione breuis Apostolici, quo ei fuit facta prædicta facultas, eo quòd in eo per inaduertentiam vel sollicitatoris ignorantiam nominauit se esse fratrem ordinis Minorum de Obseruantia,cum tamen esset frater ordinis Minorũ Cõuentualium. Quæritur an expresio falsa prædicta reddiderit gratiam subreptitiam.

1 Pro parte affirmatiua facit, quod *mendax precator debet carere impetratis.*[g] Sed pars negatiua videtur verior.Primò, quòd expresio falsa qualitatis, quæ principem reddit ad gratiam concedendam difficiliorem,nõ vitiat: vt cũ quis impetrat beneficium,quod verè est simplex, dicẽdo quod est curatum,valet impetratio,vt sentit Rota, [h] quã sequitur inter alios Felinus. [i]

2 Secundò, quòd taciturnitas eius, quo expresso æquè princeps fecisset gratiam,non nocet.[k] At expresio, quod consulens erat ordinis Conuentualium, non mouisset ad difficiliùs concedendum : ergo à simili idem dicendum. Tertiò,quòd expresio falsi per ignorantiam,vel simplicitatem non reddit gratiam nullam, nisi quatenus est causa concesionis, [l] & expresio ,de qua in prędicto breui, est huiusmodi : nam Papa non consensisset difficilius, immo tantò faciliùs concesisset, si dictum fuisset ei prædictum professum esse fratrem ordinis Conuentualium, quantò altior est modus viuendi Minorum de Obseruantia, quã modus viuendi fratrum Minorum Conuentualium.

3 Quartò, quòd narratio falsi per sollicitatorem vel negotiorum gestorem facta non videtur tanti momenti, quãti facta per ipsãmetpartẽ, vt sẽtit Rota,[a] & in hoc casu dicitur impetratio facta fuisse per sollicitatorẽ,vel procuratorẽ. Quinto,quod nõ obstat illud pro parte negatiuã ci tatũ, *Mẽdax precator careat impetratis*; quia illud intelligitur de impetrãte dolose & malitiose exprimẽte aliquid falsũ, quò faciliùs & lubẽtiùs illi gratiam,quam petit,princeps concedat:nos autem loquimur de tacente per inaduertẽtiam vel ignorantiam aliquid , & non de exprimente aliquod verũ,quod expressum tãtùm abest vt redderet principem difficiliorem ad concedendum, vt potius redderet faciliorem,& non de eo,quod redderet principem difficiliorem ad concedendum. Salua,&c.

g Le.etsi legibus.C.si contra ius vel v... ca. super ... de rescript.
h Decij.7. de rescrip.in antiq.
i In di.ca.super literis.nu. 2.
k Ca.dudum. de prabẽ. l.6.
l Dist.c.super literis.vbi omnes id annotarunt.
a Titu.de rescriptis. decis 74.in antiq.

*SVMMARIVM.*

1 *Excõmunicat[9] ex multis causis,absolutus ex vna,nõ est ex aliis.*
1 *Condonatio ex vna causa non extenditur ad alias.& 3.*
1 *Beneficiarius,qui ex tribus causis fructus restituere debet,ex vna condonationem impetrans,nihil agit.& num.3.*
2 *Dominium quæri,& amitti ex pluribus causis non potest.*
3 *Subreptitius est,qui cum ex tribus causis fructus suos non fecisset,illorum condonationem vno tantùm defectu expresso obtinuit:si tamen beneficium ipsi postea immediatè iuste conferatur,sibi tanquam legitimo in illis successori restituere potest,& sic retinere,& num.4.*
3 *Condonatio fructuum ad causam expressam videtur restricta.*
3 *Voluntas non fertur in incognitum.*
4 *Fructus qui ex pluribus causis restituere debet,sic sibi caueat.*

## CONSILIVM XVI.

Quidam tribus de causis malè percepit fructus cuiusdam beneficij,nempe quòd accepit illud post irregularitatem contractam, & quòd vno anno horas non recitauit, & altero abfuit à beneficio, quod erat Ecclesia parochialis,& obtinuit à Papa reualidationem tituli,quẽ nulliter acceperat existens irregularis, cum cõdonatione fructuum,nulla facta mentione de prędicta omisione horarum,& absentia. Quæritur an posit absque aliqua condonatione fructus illorum duorum annorum retinere.

1 Pro parte negante facit primò, quòd excommunicat[9] ex pluribus causis licet absoluatur ab excommunicatione contracta ex vna causa, non censetur absolutus à contractis ex aliis causis iuxta iura, [b] & vtrobique glossam,quæ alia multa pro hac parte citat. Secundo facit, quod gratia subreptitia non valet,[c] & in præsẽti casu gratia condonationis fuit subreptitia,quia non tam facilè concesisset illam cõdonationem Papa,si sciuisset,quod ex tribus causis perdidit fructus,ac concesit,sciẽs quod ex vna tantùm,[d] nam qui debet aliquid ex pluribus causis, & liberatur ab eo,quatenus debet illud ex vna illarum,non videtur liberatus ab eodem,quatenus debet ex alia:vnde sententia liberans aliquem super vna re petita ex vna causa,non liberat eundem,si petatur ex alia causa.[e]

2 Pro cõtraria verò parte facit,quòd dominium quæsitum ex vna causa,nõ potest quæri ex alia, [f] ergo nec perditum ex vna causa potest perdi ex alia:quia quod operatur propositũ in proposito,operatur oppositũ in opposito,[g] ergo fruct[9] perditi ex vna causa nõ posũt perdi ex alia:& cũ prędicti fruct[9] essẽt perditi ex defectu tituli, non videtur potuisse perdi ex omisione horarũ,& absẽtia. Secũdò quòd aliud est debere aliquid ex duab[9] causis, quod pasim cõtingit;aliud perdere dominiũ alicui[9] rei multis de causis,quòd cõtingere nequit;cũ qui iã perdidit illud ex vna causa,non potest perdere illud, ꝗ iam nõ habet,ex alia; quia priuatio præsupponit habitum.[h] Tertiò quod Papa condonando ei fructus generaliter, videtur ei condonare illos,quoquo modo fuerit perditi; quia generalis dispositio ad omnia contenta sub genere extenditur.[i]

3 Resoluendo dico primo, quod præfatus consulens non liberatur ex præfata condonatione Papæ, per argumenta pro priori parte adducta. Non obstant adducta pro secunda: quia illa probant quidem, quod consulens fuisset securus,si condonatio valuisset;sed illa non valuit. Tum quia gratia illam cõtinens fuit subreptitia,vt prædictum est. Tũ quia condonatio illa restringebatur ad causam perditionis ex defectu tituli expresso in petitione , &

b Ca.ex parte.de ofic.ordin. & c.cum pro causa. de sentent.excõmunicat.
c Ca super literis. de rescrip.
d Cap. postulasti. de rescrip.cum concordantijs.
e L.cum quæritur.cũ duabus seq.ff. de exceptio. rei iudi.
f Leg.2. § ex pluribus ff.de acq.poss.
g Capi.sciendum.8.q.1.& le. etsi contra tabulas.ff. de vulg.
h L.decem.ff. de verbo. oblig.c. ad dissoluẽdum. de desponsi. impub.
i Arg.c.si Romanorũ.19. dist.l. de pretio.ff. de publ. in rem actio.

non ad alias non expressas: quia voluntas non fertur in incognitum, secundum August.[a]

4 Secundo dicò, quòd alia ratione est securus, videlicet quod qui possidet beneficium sine vllo titulo canonico, si ille ei canonizetur, videtur nouè succedere sibi ipsi, vel alij, qui postremo loco habuit titulum canonicum: & cùm fructus illo tempore, quo de iure vacabat beneficium, obuenientes debeantur futuro primo successori,[b] cùmque fructus præfati obuenerint tempore vacationis, quia collatio prius ei facta ob irregularitatem non valuit, ipse tāquam primus successor eius, qui habuit postremum titulū canonicum, potest retinere illos tamquam nouus successor ratione reualidationis sui tituli per ea quæ ipse clarius, altius, & neruosius quam aliquis alius scripsi in commentario ca. non liceat.[c] Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Dispensatio ad beneficium retinendum, expressa vna irregularitate, alia tacita, est subreptitia.*

## CONSILIVM XVII.

QVidam irregularis vna de causa obtinuit beneficium, & postea iterū factus irregularis alia de causa impetrauit commissionem à Papa ad quemdam, vt dispensaret super prima irregularitate, cum retentione beneficij: & cōmissarius habens potestatē dispensandi super secunda, dispensauit cum eo super illa, auctoritate quam habet sine illa commissione, & à prima virtute commissionis, cū retentione beneficij. Quæritur, an præfato dispensato liceat retinere præfatum beneficium.

1 Respondeo quod non: quia commissio Papæ de dispensando super retentione beneficij fuit subreptitia: quia fuit tacita alia irregularitas, qua expressā non fuisset tam facilè facta commissio de retinendo beneficio: & ita quo ad id fuit nulla, & consequenter commissarius non potuit virtute illius concedere illi retentionem,[d] cum nihil ex nihilo fiat,[e] Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Dispensatio presbytericidæ, dicentis simpliciter se hominem occidisse, est nulla.*

## CONSILIVM XVIII.

QVidam occidit voluntariè vnum presbyterum, absolutus postea à peccato per Iobelæum, impetrauit dispensationem super irregularitate, dicens se occidisse quemdam hominem, non facta mentione, quod occisus esset presbyter. Quæritur, an dispensatio sit valida.

1 Respondeo quòd non: quia tacuit non exprimendo id quod de iure exprimendum erat, & quod expressum retraxisset principem à concedenda dispensatione, quod facit gratiam subreptitiam.[f] Tacuit enim verum, non exprimendo satis specialiter Papæ delictum, quod commiserat: quia expressit, quod occidit hominem, & ipse occidit hominem presbyterū, quod est longè grauius. Non obstat, quod ipse dixi super extrauagantem,[g] & in Manu.[h] *quod non omnis taciturnitas veri, quod expressum difficiliorem redderet principem ad concedendum, reddit gratiam subreptitiam, sed solùm taciturnitas veri, quod iure mandatur exprimi*: non inquam hoc obstat, quia iura iubent exprimi delictum, ex quo nascitur irregularitas, super qua petitur dispensatio: quod non fuit factum hoc casu, cùm solùm fuerit expressum homicidium in genere, quod verificari potest etiā in homicidio laici, & in casu erat presbytericidium, & ita homicidium specialiter, & grauissimè qualificatum: & consequenter fuit admissa taciturnitas veri, quod iure debebat exprimi; & ita non solùm non est contra hoc, quod ipse vt supra dixi, immo pro eo. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Subreptitia non est petitio puellæ, quæ, vt obtineret dispensationē contrahendi cum affine, narrauit se incompetenter dotatam, quæ verè tunc erat talis, licet ipsa & sponsus haberent spem certam, quod à matre vltra partem debitam esset titulo donationis, vel alio voluntario acceptura magnum patrimonium.*

1 *Dotē tātā habere dicitur puella, quantū valet id quod n[illegible] habet & reliquit pater, ac quod à matre seu alijs etiam in[illegible]tis potest iure extorquere: illud autē, quod certo sperat tit[illegible]lo voluntario habere, nō auget eius patrimoniū, nec facit v[illegible] desinat esse pauper.*

a Li. 13. de Trini. leg Rutilia Polla. ff. de cō trah. emptio.

b Per cap. cū vos. de offic. ordin. & cap. præsenti. de elect. lib. 6.

c 12. quæ. 1. §. [illegible]. num. 4.

d Arg. ca. postulasti. de rescript. & not. per Guliel. de Cu. & Bal. in l. 2. C. de episc. aud. & Felin. in d. ca. postulasti. col. 4. de rescript.

e Ca. non præstat. de regul. iur. lib. 6. cum alijs similib.

f Ca. postulasti. & c. super literis. de rescript.

g De dat. & recept. n. 48.

h Cap. 22. nu. 80.

## CONSILIVM XIX.

IMpetrata fuit dispensatio à Summo Pontifice pro quadam puella sub nomine paupertatis, ad contrahendum cum sanguineo in tertio gradu: cui puellæ pater testamento relinquerat 100. florenos in auro huius monetæ, ita tamen, vt mater ipsius puellæ, quam maritus hæredem constituerat, & executores testamenti, nacti occasionem eam locandi, possent pro qualitate matrimonij augere, aut minuere dotem. Dicta dispēsatio cōmissa fuit officiali diœcesis, in qua habitant dispensati; qui, accepta debita informatione, dispensauit cum illis; & sponsus puellæ dotauit eam in quatuor mille solidis huius ciuitatis, prçter dotem quam habuerat. Hæc puella, etsi non habebat nisi tantùm prædictos centum florenos, sperabat tamen se habituram bona matris, & patris, cuius mater erat hæres constituta, quæ multo pluris valebant: & eamdem spem conceperat maritus puellæ; quoniam hoc ab ipsa puella, & ab aliis sępe audiuerat: itaque erant quasi certi de hac hæreditate obtinenda, quoniam mater & executores testamenti erāt male affecti erga alios fratres dictæ puellæ. vnde consummato matrimonio, mater cum vno ex executoribus testamēti donauit omnia bona sua & bona patris dictæ puellæ dubitatur modo, an quia puella habebat hanc cōfidētiā, quod mater & executores essent illi donaturi prædicta bona (quamuis esset hoc in libertate matris) dispēsati sint tuti in conscientia, cum in dispensatione dictum fuerit Pontifici, hanc puellam esse inopem: &, si non sunt tuti, quid remedij?

Declaret D. consulens, an in regno præfatorum dispēsatorum seruetur ius commune, vel Castellanum, quo certa legitima debeatur filiis, & quot fratres habebat prædicta puella, & quanta legitima cuique fratrum debebatur ex bonis patris iam mortui; & si haberi potest, habeatur copia dispensationis: & libenter respondebitur id quod iuri propius videbitur.

1 Visa copia præfatæ dispensationis, & testamenti patris præfatæ puellæ dispensatæ, & intellecto, quòd mater eius viuebat & quod nondū ei præfata filia successerat quò ad bona sua, quinimmo ipsa poterat, si voluisset, relinquere aliis bona sua, relictis præfatæ filię dispēsatæ quinque florenis, & vno terræ arabilis modio tātū, & quod prædicta mater, & executores testamēti patris nō obligātur per clausulam ipsiusmet testamēti dare in dotē præfatæ filiæ dispēsatę plusquā centū florenos, & vno cacabo, & vestib( cōsuetis, licet possent, si voluissent; iustè iudicata fuit dispēsata prefata inops, ad hoc, vt dispensatio esset valida: quia spes successionis, præsertim in terris, in quibus certa legitima nō debetur necessariò filiis, nec spes donationis vel applicationis bonorum, antequam donatio & applicatio fiant, non censentur esse bona illius, qui habet spem prefa tam successionis, donationis, vel applicationis prefatarū. & ita prefati DD. consulentes sine scrupulo possunt vti prefato matrimonio, & prefatis bonis, & aliis inter illos rectè gestis, in gloriam & obsequium Domini nostri Iesu Christi, qui nos omnes saluet. Amen.

*SVMMARIVM.*

1 *Mandatum Papæ, ac illius delegati tenetur exequi ordinarius, nisi quando adest iusta causa supplicandi ab eis; & si continet Dei offensam, peccat exequendo. num. 2. & 3.*

I *Ordinarius sententiam delegati Papæ [illegible]uocare non potest.*

3 *Exequutor merus non potest non exequi mandatum Papæ, & eius delegati; nisi quod præcipitur, sit in offensam Dei.*

4 *Indignum qui præficit ecclesiæ, peccat quidem; sed qui nō tolerandum diutius tolerat, magis peccat.*

5 *Contrauenire facto proprio licet nemo possit regulariter, nec allegare turpitudinem suam; fallit tamen quando agitur de salute animæ necessaria, num. 7. vel nomine Ecclesiæ siue Reipublicæ id facit. num. 8. & 9.*

7 *Malam à se factam alienationem bonorum Ecclesiæ reuocant clerici alienantes, & prælatus male à se factā cōfirmationem electionis.*

8 *Communem ob vtilitatem sæpe auditur is, qui ob suam repelleretur: vt excommunicatus, vel qui in eadem versatur turpitudine num 7.*

9 *Episcopus est iudex in causa suæ Ecclesiæ, etiam ad, instante procuratore fiscali, retractandum quæ ipse fecit.*

## CONSILIVM XX.

N. VALDE de formis corpore impetrauit à Papa commissionem dispensandi cum eo ad Episcopum originis ad ordines & beneficia, & ab eo dispensatus impetrauit Ecclesiam parochialem alterius diœcesis à Papa in forma *dignum*, scilicet vt ordinarius Ecclesiæ si reperiret eum idoneum, conferret eam illi, qui ordinarius licet à principio renuisset eam illi conferre propter magnam corporis deformitatem, tandem rogatus contulit, & iussit ei tradi possessionem, quæ tradita fuit.

Quæritur primò, an ordinarius Ecclesiæ præfatæ peccauerit eam illi conferendo.

Secundò, an peccet permittendo illum possidere.

Tertiò, quo remedio possit eū iure ab Ecclesia expellere.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respódeo pro parte negante vrgere primò, quod ordinarius tenetur exequi mandatum non solùm Papæ, sed etiam eius delegati, etiā si sit iniustū.[a] Secundò, quòd ordinarius nō potest reuocare sentētiā delegati à Papa.[b] At delegatus Papæ dispēsauit super præfati curati deformitate. ergo. &c.

2 Sed contrarium est tenendum. Tum quia *oportet obedire magis Deo, quam hominibus.*[c] At Deus iubet indignos sacerdotio arcere ab eo,[d] ergo, &c. Tum quia placet Papæ, vt sua mandata non exequantur, quando adest iusta causa supplicandi ab eis.[e] Tum quia irrefragabiliter Innocentius ab omnibus vtrobique receptus dicit,[f] quod is cui præcipitur aliquid à Papa, ex quo scit consecutura mala, peccat id exequēdo: ita quod non solùm non peccat cessando ab executione, sed etiam peccat exequendo, quando ex eo quod præcipitur exequuto sequeretur peccatum, quod post Andream Siculum, & Felinum grauiter confirmat Decius[g] & ex ministratione præfati adeo deformis sequeretur scandalum, & peccatum, vt præsupponitur in propositione quæstionis. ergo ordinarius non solùm poterat se abstinere ab exequendo mandato: sed etiam tenebatur non exequi.

3 Non obstant opposita in contrarium: quia procedunt in exequutore meram exequutionē habente circa ea, quæ fieri possunt absque legis diuinæ offensione: nos autē loquimur de exequutore mixto, & de re, quæ nō potest fieri absq; scādalo, & offensione Dei, quā vetat illud Matt. 18.[h]

4 AD SECVNDAM respondetur; quod sic; quia licet non sit tantum peccatum non eijcere, quantùm admittere cæteris paribus,[i] non tamen excusat omnino à peccato. Tum quia in hoc casu non solùm prohibetur admissio, sed etiam tolerantia. Tum quia peior est continuatio scandali per totam vitam duratura, quàm admissio momentanea.[k]

5 AD TERTIAM respondetur, quod pro parte eius negante facit primò, quòd tempus appellandi, & supplicandi à mandato supradicto facto ordinario est iam pridem lapsum. & illa sunt remedia ordinaria, quibus rescinduntur, vel impediuntur sententiæ, vel alia mandata per subreptionem impetrata.[l]

6 Secundo, quod non licet regulariter cuiquam contra sua facta venire,[m] & quod præfatus ordinarius iā pridem admisit & sustinuit præfatum prouisum. Tertio, quod nemo allegans turpitudinem suam audiri debet,[n] & ita ordinarius præfatus non videtur posse allegare, quod malè [illegible]fatum prouisum admisit.

Quibus tamen non obstantibus, contrarium est tenendum, tum per cap. *si quis presbyter.*[o] quatenus habet, ipsummet prælatum qui malè rē Ecclesiæ alienauit, posse illam repetere: & cap. *nosti.*[p] quatenus habet, electum qui male contulit beneficium ante suæ electionis confirmationem, post eam posse suam collationem reuocare.

7 Tum quia qui male cōtraxit matrimonium cum consanguinea, potest petere vt separetur ab ea.[q] Tum quia licet regulariter non possit quis venire contra proprium factum, nec allegare turpitudinem suá fallit tamen quando agitur de salute animarum necessaria, vt in cap. *venientes.*[r] & in iuribus proximè allegatis, vt resoluit Panormitanus communiter receptus[s] Tū quia canonici, qui sunt plurales in beneficijs, & possidēt plura beneficia, nō possunt nomine proprio, seu pro priuata vtilitate opponere prouiso, quod est pluralis in eis, quia *Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.*[a] possunt tamen opponere nomine ecclesiæ, & pro eius vtilitate, vt glossa ibi communiter recepta concludit post Vincentium ante Panormitanum, Felinum & Decium.[b]

8 Tum quia licet excommunicatus non audiatur in iudiciis,[c] fallit tamen cum excipit pro vtilitate Ecclesiæ,[d] & ita licet præfatus ordinarius non deberet admitti contra præfatum prouisum pro sua vtilitate, audiri tamen debet pro Ecclesiæ vtilitate. Tum quia agit etiam pro vtilitate publica, qui alioquin est inhabilis.[e]

9 Per quæ omnia resoluēdum est præfatum Episcopum posse agere contra præfatum prouisum, primò nomine proprio pro salute animarum, tam suæ, quam prouisi, & populi, qui ex ipsius administratione sacramentorum scādalizaretur. Secundò nomine Ecclesiæ, de cuius vtilitate, ac reuerentia, & honore agitur. Tertiò pro iure publico, & vtilitate publica, quæ in sacris & sacerdotiis versatur.[f] & quod probabiliter dici potest procuratorem fiscalem sui episcopatus posse petere hoc coram ipsomet Episcopo, qui potest esse iudex in causa Ecclesiæ suæ *cap. si quis erga.* adiuncta glossa vltima communiter recepta.[g] quod cap. in hoc propositum citauit Panormitanus communiter receptus.[h] Salua, &c.

a Capi. pastoralis. §. quia verò, de offic. deleg.
b Ca. cum inferior. de maiorit. & obedientia.
c Act. 4. & c. nō semper. & c. qui resistit. 11. quæst. 3.
d Cap. graue. de præben. cū multis aliis.
e Ca. si quādo. de rescrip.
f In c. inquisitioni. in fin. de sent. excom.
g In dicto ca. si quando. n. 3.
h Et ca. nihil cum scādalo. de præscript.
i Arg. c. quēadmodum. de iureiurando.
k Arg. ca. fin. de coniuct.
l Leg. 1. ff. de app. auth. quæ supplicatio. C. de precibus Imp. offeren. ca. si quando. de rescript. c. cū teneamur. [illegible] præbendis. [illegible] quod semel [illegible] [illegible] de reg. iu. [illegible] 6.
n Cap. cū super. de cōcess. præben. l. itaque fullo. ff. de furtis.
o De rebus eccle.
p De elect.
q Capi. lator. & ca. consanguinei. de re iudic.
r Et cap. ferrum. 50. dist.
s In d. cap. cū [illegible]r. & in d. ca[illegible]sti.

a Arg. l. 2. ff. de orig. iur. c. cū ecclesia. de except.
b Ibidem.
c Ca. intelleximus. de iudic.
d Cap. dilecti. & ca. dilecta. de excep. cum eis annotatis.
e Leg. si longius. §. 1. ff. de iud. cum alijs quæ in hoc citat Decius in d. cap. dilecti.
f L. 1. §. huius studij. ff. de iustitia & iure.
g 2. quæst. 7.
h In d. ca. nosti. sub finem.

### SVMMARIVM.

1 *Delegatus ecclesiasticus nec pro labore potest quicquam, ne vnum quidem denarium extra esculentum, & poculentum, licitè accipere.*

2 *Munerum acceptio, quæ etiam iure diuino naturali videtur iudicibus prohibita, etsi possit restringi ad magna, quæ obcæcare possunt: num. 3. attamen quando in indiuiduo prohibetur in aliqua causa, nihil potest accipi. num. 4.*

3 *Propinas ideo capiunt Rotæ Auditores, qui videntur assignari loco stipendij.*

4 *Delegati, vt sunt Episcopus, & Vicarius quibus cōmittuntur dispensationes matrimoniales cū clausula,* vt deposita omni spe cuiuscumq;, &c. *nihil nec pro labore, nec pro processu informatiuo possunt etiam sponte oblatum accipere.*

## CONSILIVM XXI.

CONSVEVIT in quodam episcopatu accipere Vicarius generalis eius vnum scutum pro labore, & occupatione accipiendi informationem testium præsentatorū à partibus ad verificanda narrata in commissione de dispensando: & cùm dubitaretur, an id ei liceret, responsum fuit ab aliquot eruditis affirmatiuè, de quo Episcopus nouè creatus videtur habere scrupulum, eo quod cōmissioni adiicitur hęc clausula, *Per Apostolica scripta mandamus, quatenus tu frater Episcope, seu fili Vicari, deposita per te omni spe cuiuscumque muneris, aut præmij, etiam sponte oblati, à quo te omnino abstinere debere volumus, de præmissis diligenter te informes.*

1 Ad hanc quæstionem videtur respondēdum, quòd nō licet Episcopo, neque Vicario, accipere præfatum scutum. Tum quia non licet vlli iudicū vendere iudicium.[i] Tum quia in specie statutū est, ne vllus iudex delegatus capiat aliquid aliud, quàm esculentum & poculentum, pro labore quem suscipit in expeditione causæ sibi delegatæ, cap. *statutum.*[k] cuius glossa recepta per omnes in verbo *esculentum.* dixit, quod nec vnum denarium pòtest licitè accipere extra esculentum & poculentum.

2 Tum denique quòd clausula præfata commissionis declarat, quòd in commissione, de qua quæritur, in indiuiduo nullum munus etiam sponte oblatum accipere debeat. cui non video quid satis apte respōderi possit. Tum quia munerum acceptio videtur esse vetita iudicibus iure diuino naturali, vt nos probauimus in comment. de datis & promis. quem nuper edidimus super extrauaganti S.D.N. Gregorij XIII. cuius caput est *Ab ipso.*[l]

3 Non obstat, quod responderi posset, hoc ius solú procedere in muneribus magnis, quę verisimiliter possūt obcæcare iudices, non autem de paruis, & illis quæ verisimiliter non nimis afficiunt eos parti ea offerenti, & quod etiam non procedit in illis iudicibus Ecclesiasticis, quibus pro quodam salario extraordinario permittuntur: qua ratione propinas, quæ R R. Dominis Auditoribus Rotæ dantur, saluaremus.

i Ca. nō licet. 11. q. 3. & ca. non satis. 14. q. 5. c. cum ab omni. de vit. & hon. cler.
k §. insuper. de rescrip. l. 6.
l Nu. 5. not. 3.

non ad alias non expressas: quia voluntas non fertur in incognitum, secundum August.[a]

4 Secundo dico, quòd alia ratione est securus, videlicet quod qui possidet beneficium sine vllo titulo canonico, si ille ei canonizetur, videtur nouè succedere sibi ipsi, vel alij, qui postremo loco habuit titulum canonicum: & cùm fructus illo tempore, quo de iure vacabat beneficium, obuenientes debeantur futuro primo successori, [b] cúmque fructus præfati obuenerint tempore vacationis, quia collatio prius ei facta ob irregularitatem non valuit, ipse tāquam primus successor eius, qui habuit postremum titulū canonicum, potest retinere illos tamquam nouus successor ratione reualidationis sui tituli per ea quæ ipse clarius, altius, & neruosius quam aliquis alius scripsi in commentario ca. non liceat.[c] Salua, &c.

a L. 13. de Trini. leg. Rutilia Polla. ff. de cō trah. emptio.

b Per cap. cū vos. de offic. ordin. & cap. præsenti. de electi. lib. 6.

c 12. quæ. 1. §. .. num. 4.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatio ad beneficium retinendum, expressa vna irregularitate, alia tacita, est subreptitia.*

## CONSILIVM XVII.

Qvidam irregularis vna de causa obtinuit beneficium, & postea iterū factus irregularis alia de causa impetrauit commissionem à Papa ad quemdam, vt dispensaret super prima irregularitate, cum retentione beneficij: & cōmissarius habens potestatē dispensandi super secunda, dispensauit cum eo super illa, auctoritate quam habet sine illa commissione, & à prima virtute commissionis, cū retentione beneficij. Quæritur, an præfato dispensato liceat retinere præfatum beneficium.

1 Respondeo quod non: quia commissio Papæ de dispensando super retentione beneficij fuit subreptitia: quia fuit tacita alia irregularitas, qua expressa non fuisset tam facilè facta commissio de retinendo beneficio: & ita quo ad id fuit nulla, & consequenter commissarius non potuit virtute illius concedere illi retentionem, [d] cum nihil ex nihilo fiat, [e] Salua, &c.

d Arg. ca. postulasti. de rescript. & not. per Guliel. de Cu. & Bal. in l. 2. C. de episc. aud. & Felin. in d. ca. postulasti. col. 4. de rescript.

e Ca. non præstat. de regul. iur. lib. 6. cum aliis similib.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatio presbytericidæ, dicentis simpliciter se hominem occidisse, est nulla.*

## CONSILIVM XVIII.

Qvidam occidit voluntariè vnum presbyterum, absolutus postea à peccato per Iobelæum, impetrauit dispensationem super irregularitate, dicens se occidisse quemdam hominem, non facta mentione, quod occisus esset presbyter. Quæritur, an dispensatio sit valida.

1 Respondeo quòd non: quia tacuit non exprimendo id quod de iure exprimendum erat, & quod expressum retraxisset principem à concedenda dispensatione, quod facit gratiam subreptitiam. [f] Tacuit enim verum, non exprimendo satis specialiter Papæ delictum, quod commiserat: quia expresit, quod occidit hominem, & ipse occidit hominem presbyterū, quod est longè grauius. Non obstat, quod ipse dixi super extrauagantem, [g] & in Manu. [h] *quod non omnis taciturnitas veri, quod expressum difficiliorem redderet principem ad concedendum, reddit gratiam subreptitiam, sed solùm taciturnitas veri, quod iure mandatur exprimi*: non inquam hoc obstat, quia iura iubent exprimi delictum, ex quo nascitur irregularitas, super qua petitur dispensatio: quod non fuit factum hoc casu, cùm solùm fuerit expressum homicidium in genere, quod verificari potest etiā in homicidio laici, & in casu erat presbytericidium, & ita homicidium specialiter, & grauissimè qualificatum: & consequenter fuit admissa taciturnitas veri, quod iure debebat exprimi: & ita non solùm non est contra hoc, quod ipse vt supra dixi, immo pro eo. Salua, &c.

f Ca. postulasti. & c. super literis. de rescript.

g De dat. & recept. n. 48.

h Cap. 22. nu. 80.

SVMMARIVM.

1 *Subreptitia non est petitio puellæ, quæ, vt obtineret dispensationē contrahendi cum affine, narrauit se incompetenter dotatam, quæ verè tunc erat talis, licet ipsa & sponsus haberent spem certam, quod à matre vltra partem debitam esset titulo donationis, vel alio voluntario acceptura magnum patrimonium.*

1 *Dotē tātā habere dicitur puella, quantū valet id quod n[illegible] habet & reliquit pater, ac quod à matre seu alijs etiam in[illegible]itis potest iure extorquere: illud autē, quod certo sperat ti[illegible]lo voluntario habere, nō auget eius patrimoniū, nec facit [illegible] desinat esse pauper.*

## CONSILIVM XIX.

Impetrata fuit dispensatio à Summo Pontifice pro quadam puella sub nomine paupertatis, ad contrahendum cum sanguineo in tertio gradu: cui puellæ pater testamento relinquerat 100. florenos in auro huius monetæ, ita tamen, vt mater ipsius puellæ, quam maritus hæredem constituerat, & executores testamenti, nacti occasionem eam locandi, possent pro qualitate matrimonij augere, aut minuere dotem. Dicta dispāsatio cōmissa fuit officiali diœcesis, in qua habitant dispensati; qui, accepta debita informatione, dispensauit cum illis; & sponsus puellæ dotauit eam in quatuor mille solidis huius ciuitatis, prętor dotem quam habuerat. Hæc puella, etsi non habebat nisi tantùm prædictos centum florenos, sperabat tamen se habituram bona matris, & patris, cuius mater erat hæres constituta, quæ multo pluris valebant: & eamdem spem conceperat maritus puellæ; quoniam hoc ab ipsa puella, & ab aliis sępe audiuerat: itaque erant quasi certi de hac hæreditate obtinenda, quoniam mater & executores testamenti erāt male affecti erga alios fratres dictæ puellæ. vnde consummato matrimonio, mater cum vno ex executoribus testamēti donauit omnia bona sua & bona patris dictæ puellæ dubitatur modo, an quia puella habebat hanc cōfidētiā, quod mater & executores essent illi donaturi prædicta bona (quamuis esset hoc in libertate matris) dispēsati sint tuti in conscientia, cum in dispensatione dictum fuerit Pontifici, hanc puellam esse inopem: &, si non sunt tuti, quid remedij?

Declaret D. consulens, an in regno præfatorum dispēsatorum seruetur ius commune, vel Castellanum, quo certa legitima debeatur filiis, & quot fratres habebat prædicta puella, & quanta legitima cuique fratrum debebatur ex bonis patris iam mortui; & si haberi potest, habeatur copia dispensationis: & libenter respondebitur id quod iuri propius videbitur.

1 Visa copia præfatæ dispensationis, & testamenti patris præfatæ puellæ dispensatæ, & intellecto, quòd mater eius viuebat & quod nondū ei præfata filia successerat quò ad bona sua, quinimmo ipsa poterat, si voluisset, relinquere aliis bona sua, relictis præfatæ filię dispēsatæ quinque florenis, & vno terræ arabilis modio tātū, & quod prædicta mater, & executores testamēti patris nō obligātur per clausulam ipsiusmet testamēti dare in dotē præfatæ filiæ dispēsatę plusquā centū florenos, & vno cacabo, & vestib( cōsuetis, licet possent, si voluissent; iustè iudicata fuit dispēsata pręfata inops, ad hoc, vt dispensatio esset valida: quia spes successionis, præsertim in terris, in quibus certa legitima nō debetur necessariò filiis, nec spes donationis vel applicationis bonorum, antequam donatio & applicatio fiant, non censentur esse bona illius, qui habet spem pręfatam successionis, donationis, vel applicationis pręfatarū. & ita pręfati DD. consulentes sine scrupulo possunt vti pręfato matrimonio, & pręfatis bonis, & aliis inter illos rectè gestis, in gloriam & obsequium Domini nostri Iesu Christi, qui nos omnes saluet. Amen.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum Papæ, ac illius delegati tenetur exequi ordinarius, nisi quando adest iusta causa supplicandi ab eis; & si continet Dei offensam, peccat exequendo. num. 2. & 3.*

1 *Ordinarius sententiam delegati Papæ reuocare non potest.*

3 *Exequutor merus non potest non exequi mandatum Papæ, & eius delegati; nisi quod præcipitur, sit in offensam Dei.*

4 *Indignum qui præficit ecclesiæ, peccat quidem; sed qui nō tolerandum diutius tolerat, magis peccat.*

5 *Contrauenire facto proprio licet nemo possit regulariter, nec allegare turpitudinem suam; fallit tamen quando agitur de salute animæ necessaria, num. 7. vel nomine Ecclesiæ siue Reipublicæ id facit. num. 8. & 9.*

7 *Malam à se factam alienationem bonorum Ecclesiæ reuocant clerici alienantes, & prælatus male à se factā cōfirmationem electionis.*

8 *Communem ob vtilitatem sæpe auditur is, qui ob suam repelleretur: vt excommunicatus, vel qui in eadem versatur turpitudine num 7.*

9 *Episcopus est iudex in causa suæ Ecclesiæ, etiam ad, instante procuratore fiscali, retractandum quæ ipse fecit.*

CO

## CONSILIVM XX.

NVALDE de formis corpore impetrauit à Papa commissionem dispensandi cum eo ad Episcopum originis ad ordines & beneficia, & ab eo dispensatus impetrauit Ecclesiam parochialem alterius diœcesis à Papa in forma *dignum*, scilicet vt ordinarius Ecclesiæ si reperiret eum idoneum, conferret eam illi, qui ordinarius licet à principio renuisset eam illi conferre propter magnam corporis deformitatem, tandem rogatus contulit, & iussit ei tradi possessionem, quæ tradita fuit.

Quæritur primò, an ordinarius Ecclesiæ præfatæ peccauerit eam illi conferendo.

Secundò, an peccet permittendo illum possidere.

Tertiò, quo remedio possit eũ iure ab Ecclesia expellere.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respõdeo pro parte negante vrgere primò, quod ordinarius tenetur exequi mandatum non solùm Papæ, sed etiam eius delegati, etiã si sit iniustũ.[a] Secundò, quòd ordinarius nõ potest reuocare sentẽtiã delegati à Papa.[b] At delegatus Papæ dispẽsauit super præfati curati deformitate. ergo. &c.

2 Sed contrarium est tenendum. Tum quia *oportet obedire magis Deo, quam hominibus.*[c] At Deus iubet indignos sacerdotio arcere ab eo,[d] ergo, &c. Tum quia placet Papæ, vt sua mandata non exequantur, quando adest iusta causa supplicandi ab eis.[e] Tum quia irrefragabiliter Innocentius ab omnibus vtrobique receptus dicit,[f] quod is cui præcipitur aliquid à Papa, ex quo scit consecutura mala, peccat id exequẽdo: ita quod non solùm non peccat cessando ab executione, sed etiam peccat exequendo, quando ex eo quod pręcipitur exequuto sequeretur peccatum, quod post Andream Siculum, & Felinum grauiter confirmat Decius[g] & ex ministratione præfati adeo deformis sequeretur scandalum, & peccatum, vt præsupponitur in propositione quæstionis. ergo ordinarius non solùm poterat se abstinere ab exequendo mandato: sed etiam tenebatur non exequi.

3 Non obstant opposita in contrarium: quia procedunt in exequutore meram exequutionẽ habente circa ea, quæ fieri possunt absque legis diuinæ offensione: nos autẽ loquimur de exequutore mixto, & de re, quæ nõ potest fieri absq; scãdalo, & offensione Dei, quã vetat illud Matt. 18.[h]

4 AD SECVNDAM respondetur; quod sic; quia licet non sit tantum peccatum non eijcere, quantùm admittere cæteris paribus,[i] non tamen excusat omnino à peccato. Tum quia in hoc casu non solùm prohibetur admissio, sed etiam tolerantia. Tum quia peior est continuatio scandali per totam vitam duratura, quàm admissio momentanea.[k]

5 AD TERTIAM respondetur, quod pro parte eius negante facit primò, quòd tempus appellandi, & supplicandi à mandato supradicto facto ordinario est iam pridem lapsum. & illa sunt remedia ordinaria, quibus rescinduntur, vel impediuntur sententiæ, vel alia mandata per subreptionem impetrata.[l]

6 Secundo, quod non licet regulariter cuiquam contra sua facta venire,[m] & quod præfatus ordinarius iã pridem admisit & sustinuit præfatum prouisum. Tertio, quod nemo allegans turpitudinem suam audiri debet,[n] & ita ordinarius præfatus non videtur posse allegare, quod malè præfatum prouisum admisit.

Quibus tamen non obstantibus, contrarium est tenendum, tum per cap. *si quis presbyter.*[o] quatenus habet, ipsummet prælatum qui malè rẽ Ecclesiæ alienauit, posse illam repetere: & cap. *nosti.*[p] quatenus habet, electum qui male contulit beneficium ante suæ electionis confirmationem, post eam posse suam collationem reuocare.

7 Tum quia qui male cõtraxit matrimonium cum consanguinea, potest petere vt separetur ab ea.[q] Tum quia licet regulariter non possit quis venire contra proprium factum, nec allegare turpitudinem suã fallit tamen quando agitur de salute animarum necessaria, vt in cap. *veniens.*[r] & in iuribus proximè allegatis, vt resoluit Panormitanus communiter receptus[s] Tũ quia canonici, qui sunt plurales in beneficijs, & possidẽt plura beneficia, nõ possunt nomine proprio, seu pro priuata vtilitate opponere prouiso, quod est pluralis in eis, quia *Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.*[a] possunt tamen opponere nomine ecclesiæ, & pro eius vtilitate, vt glossa ibi communiter recepta concludit post Vincentium ante Panormitanum, Felinum & Decium.[b]

8 Tum quia licet excommunicatus non audiatur in iudiciis,[c] fallit tamen cum excipit pro vtilitate Ecclesiæ,[d] & ita licet præfatus ordinarius non deberet admitti contra præfatum prouisum pro sua vtilitate, audiri tamen debet pro Ecclesiæ vtilitate. Tum quia agit etiam pro vtilitate publica, qui alioquin est inhabilis.[e]

9 Per quæ omnia resoluẽdum est præfatum Episcopum posse agere contra præfatum prouisum, primò nomine proprio pro salute animarum, tam suæ, quam prouisi, & populi, qui ex ipsius administratione sacramentorum scãdalizaretur. Secundò nomine Ecclesiæ, de cuius vtilitate, ac reuerentia, & honore agitur. Tertiò pro iure publico, & vtilitate, publica, quæ in sacris & sacerdotiis versatur.[f] & quod probabiliter dici potest procuratorem fiscalem sui episcopatus posse petere hoc coram ipsomet Episcopo, qui potest esse iudex in causa Ecclesiæ suæ *cap. si quis erga.* adiuncta glossa vltima communiter recepta.[g] quod cap. in hoc propositum citauit Panormitanus communiter receptus.[h] Salua, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Delegatus ecclesiasticus nec pro labore potest quicquam, ne vnum quidem denarium extra esculentum, & poculentum, licitè accipere.*

2 *Munerum acceptio, quæ etiam iure diuino naturali videtur iudicibus prohibita, etsi possit restringi ad magna, quæ obcæcare possunt: num. 3. attamen quando in indiuiduo prohibetur in aliqua causa, nihil potest accipi. num. 4.*

3 *Propinas ideo capiunt Rotæ Auditores, qui videntur assignari loco stipendij.*

4 *Delegati, vt sunt Episcopus, & Vicarius quibus cõmittuntur dispensationes matrimoniales cũ clausula,* vt deposita omni spe cuiuscumq; , &c. *nihil nec pro labore, nec pro processu informatiuo possunt etiam sponte oblatum accipere.*

## CONSILIVM XXI.

CONSVEVIT in quodam episcopatu accipere Vicarius generalis eius vnum scutum pro labore, & occupatione accipiendi informationem testium præsentatorũ à partibus ad verificanda narrata in commissione de dispensando: & cùm dubitaretur, an id ei liceret, responsum fuit ab aliquot eruditis affirmatiuè, de quo Episcopus nouè creatus videtur habere scrupulum, eo quod cõmisioni adiicitur hęc clausula, *Per Apostolica scripta mandamus, quatenus tu frater Episcope, seu fili Vicari, deposita per te omni spe cuiuscumque muneris, aut præmij, etiam sponte oblati, à quo te omnino abstinere debere volumus, de præmissis diligenter te informes.*

1 Ad hanc quæstionem videtur respondẽdum, quòd nõ licet Episcopo, neque Vicario, accipere præfatum scutum. Tum quia non licet vlli iudicũ vendere iudicium.[i] Tum quia in specie statutũ est, ne vllus iudex delegatus capiat aliquid aliud, quàm esculentum & poculentum, pro labore quem suscipit in expeditione causæ sibi delegatæ, cap. *statutum.*[k] cuius glossa recepta per omnes in verbo *esculentum.* dixit, quod nec vnum denarium potest licitè accipere extra esculentum & poculentum.

2 Tum denique quòd clausula præfata commissionis declarat, quod in commissione, de qua quæritur, in indiuiduo nullum munus etiam sponte oblatum accipere debeat. cui non video quid satis apte respõderi possit. Tum quia munerum acceptio videtur esse vetita iudicibus iure diuino naturali, vt nos probauimus in comment. de datis & promiss. quem nuper edidimus super extrauaganti S.D.N. Gregorij XIII. cuius caput est *Ab ipso.*[l]

3 Non obstat, quod responderi posset, hoc ius solũ procedere in muneribus magnis, quę verisimiliter possũt obcæcare iudices, non autem de paruis, & illis quæ verisimiliter non nimis afficiunt eos parti ea offerenti, & quod etiam non procedit in illis iudicibus Ecclesiasticis, quibus pro quodam salario extraordinario permittuntur: qua ratione propinas, quæ R R. Dominis Auditoribus Rotæ dantur, saluaremus.

---

a Cap. pastoralis. §. quia verò, de offic. deleg.
b Ca. cùm inferior. de maiorit. & obedientia.
c Act. 4. & c. nõ semper. & c. qui resistit. 11. quæst. 3.
d Cap. graue. de præben. cũ multis aliis.
e Ca. si quãdo. de rescrip.
f In c. inquisitioni. in fin. de sent. excom.
g In dicto ca. si quando. n. 3.
h Et ca. nihil cum scãdalo. de præscript.
i Arg. c. quẽadmodum. de iureiurando.
k Arg. ca. fin. de coniuct.
l Leg. 1. ff. de app. auth. quæ supplicatio. C. de precibus Imp. offeren. ca. si quando. de rescript. c. cũ teneamur. de præbendis. [illegible] quod semel [illegible] de reg. iur. [illegible] 6.
n Cap. cũ super. de cõcess. præben. l. itaque fullo. ff. de furtis.
o De rebus eccle.
p De elect.
q Cap. i. lator. & ca. consanguinei. de re iudic.
r Et cap. ferrum. 50. dist.
s In d. cap. cũ [illegible]er. & in d. ca. [illegible]sti.

a Arg. l. 2. ff. de orig. iur. c. cũ ecclesia. de except.
b Ibidem.
c Ca. intelleximus. de iudic.
d Cap. dilecti. & ca. dilecta. de excep. cum eis annotatis.
e Leg. si longius. §. 1. ff. de iud. cum alijs quæ in hoc citat Decius in d. cap. dilecti.
f L. 1. §. huius studij. ff. de iustitia & iure.
g 2. quæst. 7.
h In d. ca. nosti. sub finem.
i Ca. nõ licet. 11. q. 3. & ca. non satis. 14. q. 5. c. cum ab omni. de vit. & hon. cler.
k §. insuper. de rescrip. l. 6.
l Nu. 5. not. 3.

4 Non inquam hoc obstat: quoniam, in casu proposito in indiuiduo Papa ipse committens gratiam prouidet speciatim, & in indiuiduo, ne commissarius, siue delegatus quicquam etiam sponte datum accipiat, & quod gratis negotium expediat: cuius mandatum in hac forma expressè factum videtur diligenter seruandum,[a] & alia plurima, quæ afferri possunt. Per quæ videtur nobis hoc iuri propius: quamuis lubentius, si per conscientiam licuisset, contrarium respondissemus.

a Le. diligenter. ff. mādat. ca. cui de non sacerdotali. de præb. lib. 6.

## DE CONSVETVDINE.

### SVMMARIVM.

*1 Legi eidem potest etiam per desuetudinem ita in vna parte derogari, vt maneat firma in altera. & 2.*

*3 Lex tunc tollitur per non vsum, quando talis non vsus includit saltem æquipollenter actum legis dispositioni contrarium.*

### CONSILIVM I.

VTRVM stante statuto capellæ S.D.N. qui seruierit in illa vigintiquinque annis solum teneatur adire illam ad primum kyrie Missæ, nisi certis diebus, quibus si non adierit ad Primam, & Tertiam, mulctatur, obligentur moderni capellani, qui prædictis annis seruierunt, ad eundum prædictis diebus ad Primam, & Tertiam sub pœna prædictæ mulctæ: attento quod numquam prædecessores illorum à quadraginta annis ad illas iuerunt.

1 Respondeo, quòd pro parte affirmatiua videtur irrefragabiliter facere hoc dilemma, quod est validum argumentum, quod aut per non vsum est sublatum prædictum statutum, aut non, si non est sublatum, per ipsum obligantur, si est sublatum, obligantur per ius commune contentum in cap.[b] quod innouauit Concilium Tridentinum[c] scilicet vt qui non interest choris non lucretur distributiones illis constitutas.

b 1. de cler. nō residen. lib. 6.
c Sess. 24. ca. 12. de reform.

Pro astruenda verò parte negante dico primò, quòd vna eademque lex potest tolli quo ad vnam partem, & manere valida, & viua quo ad alteram, l. *derogatur.*[d] quæ habet tunc derogari legi, cum tollitur quo ad partem: sicut iurisdictio Episcopi potest tolli quo ad quędam, & quo ad alia manere,[e] tunc vero abrogari, cum tota tollitur.

c ff. de verb. signific.
d Ca. auditis. de præscript.

Secundò, quod statutum prædictum videtur habere duas partes: altera est, quod capellani, qui seruierunt vigintiquinque annis, nullis diebus regulariter tenentur ad capellam, nisi ad Missam ante primum kyrie: altera, quod certis diebus in ea expressis teneantur ire ad Primam, & Tertiam, sub pœna mulctæ: & ita altera pars eius tolli potest: altera manente, & consequenter posse tolli posteriorem, priore manente.

2 Tertio, quod lex potest tolli per desuetudinem, seu per non vsum eius,[f] & sic potuit præfatum statutum tolli quo ad vnam sui partem, & manere quo ad alteram. Nec obstat, quod per solum non vsum non tollitur lex, secundum Ioannem Andream communiter à Panormitano & aliis receptum[g] & ab aliis, quos refert, & sequitur Rochus[h] quia id verum de non vsu purè negatiuo nō implicante actum contrarium legi formaliter, vel æquipollenter, non autem de vsu implicante actum contrarium legi, vt in facto præsupponitur, & omnes declarant & limitant: & in casu proposito agitur de non vsu legis implicante actum contrariū illi, lex enim, de qua loquimur, disponebat, vt cantores, qui seruierunt viginti quinque annis, tenerentur adire certis diebus ad Primam & Tertiam sub pœna mulctę: & à tempore, quo illa fuit lata, prędicti cantores desierunt adire ad illas duas horas sine vlla pœna mulctæ, quod implicat actum contrarium legi mulctanti.

f Leg. de quibus. ff. de legib. §. l. 4. dist. & glo. sing. in c. 1. de treug. & pace.
g In ca. Ioannes. de cleric. coniug.
h In ca. fin. de consuetud. sectione 4. nu. 76.

Quartò, quòd cum prior pars sit seruata semper à tempore, quo illud factum fuit, ante quadraginta annos, & posterior numquam, sequitur quod prior pars manet, & posterior sublata est.

Quintò, ex his infertur, quòd cùm prior pars absoluat eos ab eundo ad officia, præterquam ad Missam ante primum kyrie, & posterior obligaret eos ad eundum ad alia officia certis diebus, & hæc est sublata, & illa durat, absoluti sunt ab aliis officijs, præterquam Missæ ante primum kyrie, & non erunt obligati ad eundum ad alia officia diebus præceptis per posteriorem partem.

Ad dilemma pro contraria parte oppositum, scilicet, aut statutum prædictum est sublatum per non vsum, aut non est sublatum, respondetur, quod nec est in totum sublatum, neque in nulla parte non sublatum, sed ex parte sublatum, & ex parte non sublatum, sublatum quidem quo ad partem posteriorem, quæ exonerat eos: quod concludit propositum nostrum. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

*1 Consuetudo in Ecclesiasticis rebus, adhoc vt liget subditos, si sit præter ius, decem, si contra ius, quadraginta annorum debet esse præscripta, & rationabilis.*

*1 Vocem in electionibus actiuam de iure communi omnes professi, si sint saltem subdiaconi, habent in monasterijs, in quibus professi sunt. 3.*

*2 Plurium suffragio magis expedit vt fiant leges & electiones, quā vt hæc facultas ad pauciores, etsi prudētiores, restringatur.*

*3 Vocem actiuam in eligendo non potest non habenti concedere Capitulum, nisi omnibus nullo discrepante consentientibus.*

### CONSILIVM II.

IN quadam religione est consuetudo à septem vel octo annis inducta, vt tantùm prudentiores re & ætate habeant vocem in Capitulo, & admittantur in electionibus Superiorum. Quæritur primò, an sit iuridica, & toleranda. Secundò, an maior pars Capituli possit communicare vocē, quę illi cōpetit in eligendo, his qui illā non habent.

1 AD PRIOREM quæstionem respōdetur primò, quòd præfata consuetudo non est bona, idest, quod est inualida ad hunc effectum, vt tanquam lex iusta liget subditos præfatę congregationis. Aut enim est contra ius canonicum, aut præter illud. Si est contra illud, oportet quod sit rationabilis, & pręscripta spacio quadraginta annorū,[a] consuetudo autem præfata, esto sit rationabilis, non est continuata per quadraginta annos, sed tantum per septē, vel octo annos, ergo non est valida ad pręfatum effectum. Neque etiam si est præter ius, quia vt consuetudo etiam præter ius valeat in rebus ecclesiasticis, & iure Pōtificio, requiritur vt sit continuata per decem annos, vt concludit Panormitanus communiter receptus.[b] Ego autem in præsentia inclino in eam partē, quæ habet, illam esse contra ius commune canonicum: quandoquidem iure communi canonico omnis religiosus professus tria vota substantialia in religione per Sedem Apostolicam approbata, simulac est professus, & subdiaconatu insignitus, videtur habere vocem in Capitulo, etiam in electionibus prælatorum.[c] Est etiam contra consuetudinem omnium religionum antiquarum ab antiquis Patriarchis inuentarum, & à sancta Sede Apostolica approbatarum, vt colligitur ex canonibus citatis à Petro Baisio[d] & consuetudo habet vim legis.[e]

a Cap. fin. de cōsuet. cum ei late adnotatis per Rochū.
b In dicto ca. fin. de consuetud. num. 11.
c Ca. ex eo. §. 1. de elect. l. 6. & clem. vt ij qui. de ætate & qualitate. cum multis, quæ in eis, & alibi sæpe notantur.
d In Directorio electionū. 1. par. cap. 2.
e Ca. consuetudo. 1. dist.

2 Secundò, quòd si dicamus eam esse contra ius, qualem ego in pręsentia esse iudicio, non est bona, neque seruanda: quia est contraria iuri canonico. Tertiò, quòd licet videatur bona illa ratione, quòd docet, vt prudentiorum, & eruditorum, ac maturiorum suffragia pluris æstimentur, quàm aliorum: alia tamen ratione non videtur esse talis, illa scilicet, quod pauciores facilius subornabuntur, quàm plures, & quòd vtile est, vt multi sint consultores, & habentes vocem in Capitulis. Vnde & leges, & plebiscita Romanorum, in quibus condendis maiores cum minoribus occurrebant, quadamtenus videbantur firmiora, iuxta illa, quæ habentur in cap. *plebiscita.*[f] & vnde sumuntur. Et experientia docuit, in omnibus per orbem dispersis Academijs electiones gymnastarum, & prælectorum factas ab omnibus auditoribus meliores esse, quàm factas à paucis. Quartò, quòd mea sententia securiùs esset, quòd omnes professi, & subdiaconatu insigniti haberent vocem in Capitulo, quàm solum quidam maiores, quo alijs superbiendi, & alijs inuidendi, & omnibus dissidendi occasio non parua datur.

f & ca. [illegible]

3 AD SECVNDAM iam alias respondi, non posse à maiore parte Capituli communicari vocem, quæ competit ei in eligendo, aliis, quibus ea non cōpetit, per glossam communiter receptam.[g] Et consequenter, si præsupponamus eos, qui non sunt assignati, non habere vocem in Capitulo, respondendum esset, non posse illis communicari à Capitulo, nisi concors fuerit, & nemo discrepauerit. Sed videtur per prædicta omnes professos esse assignatos Capitulis monasteriorum, in quibus professi sunt,

g In ca. quia propter in verbo vice omnium. de elect.

non obstante consuetudine prædicta, quæ nondum est satis præscripta. Salua, &c.

## DE ELECTIONE, ET ELECTI POTESTATE.

### SVMMARIVM.

1 *Electio facta præsente excommunicato non valet, si sit denunciatus, & constabat, erátque legitima excommunicatio, nec lata post præcedentem legitimam appellationem.*

### CONSILIVM I.

AN electio propter concursum excommunicati fiat irrita, & nulla, cum aliàs legitimè sustineri posset?

1 Respondeo, quòd electio est nulla eo solo casu, si excommunicatus erat denunciatus, & constabat illis, qui simul eligebant, & erat notoria, & legitima excommunicatio, & non fuit appellatum legitimè ante excommunicationem, per cap. fin.[a] vbi Innocentius, Cardinalis, Panormitanus & communis, [b] & conditiones adiectæ huic decisioni probantur per cap. *solet*.[c] Salua, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Electionem confirmandi, vel infirmandi qui ius habet, potest, & qui spectat ad publicam vtilitatem debet ex officio, etiam supplendo quæ sunt facti, inquirere de meritis electi, eligentium, & forma electionis. & 2.*

2 *Iudex in concernentibus publicam vtilitatem potest ex officio, ne dũ quæ sunt iuris, sed etiam quæ sunt facti, supplere: vnde cogit compromissarios ad edenda acta electionis. num. 3. & reum ad edendum propria instrumenta fisco, ac vbi vertitur animarum periculum, nu. 4. & notarium ad edenda acta, & hoc etiam quando intercessisset conuentio, vt seruentur sub secreto, nu. 5. & quod intercesserit iuramentum. nu. 7.*

5 *Acta, omnia coram notario, item & coram iudice facta, dicuntur publica.*

5 *Occultum vt remaneat id quod ratione publici interesse debet pandi, priuatorum facto fieri non potest.*

6 *Probari quod ex sui natura non potest nisi per paucas & certas personas, hoc habet priuilegij, vt alias priuilegiati coguntur, & inhabiles admittantur ad testificandum.*

7 *Occultum tenere aliquid qui iurauit, non obest quin iudex possit compellere ad testificandum.*

### CONSILIVM II.

CAPITVLVM Ecclesiæ N. per suos compromissarios A. in suum Episcopum elegit, quam electionem confirmare noluit is, ad quem spectat: propterea pro parte Capituli appellatum fuit ad Sedem Apostolicam. Quæritur an debeant constitui iudices commissarij, qui de causa electionis huiusmodi in partibus cognoscant.

1 Respondeo primò, quod si verbum *debeant* in quæstione positum significat necessitatem resoluendum est dubium negatiuè, scilicet quod non debent necessariò constitui iudices commissarij, siue delegati, qui de contentis in quæstione in partibus cognoscant. Tum quia nullo iure id cauetur. Tum quia per cap. *nihil.*[d] & alia multa[e] constat quod confirmator electionis non tenetur constituere cõmissarios, & delegatos ad decidẽdã electionis causam, sed quod potest per se illã decidere, agendo acta necessaria, per se, vel per aliũ ad partiũ instãtiã, vel ex officio suo.

Secundò, quod si verbum, *debeant*, positum in quæstione accipiatur pro iustè possint, resoluendum est dubium affirmatiuè, quòd sic, quia omnis iurisdictio, & omne imperium iure Pontificio sunt delegabilia, iuxta glossam solemnem & receptam. [f]

2 Tertiò respondeo, quòd iudex habens ius, & potestatem confirmandi, vel infirmandi electionem, potest & debet cognoscere de cõtentis in dubio per se vel per alium ad instantiam partium, vel ex officio suo. Tum quia potest & debet ex officio procedere & inquirere de ijs, quę pertinent ad vtilitatẽ publicã, *l. congruit.* [g] *l. si quis in hoc genus.* [h] quas citat in hoc Bartholus, [i] quem Ripa & alij sequũtur. & constat hanc de qua loquimur electionis cõfirmationem ad vtilitatem publicam spectare. Tum quia expressè hoc determinat Innocentius III. [k] cuius glossa [l] recepta à *Panormitano & alijs ait ibi probari iudicem confirmationis electionis posse ex officio etiam ea, quæ sunt facti, supplere:* & paulò inferius ait, *quod etiam si nihil obijciatur electio, ille qui confirmat electionem debet inquirere de modo electionis, an sit canonicè facta de persona etiam electi, an sit idonea* [m] & idem

a De procurat.
b In capi. illa. de elect.
c De sentent. excomm. li. 6.
d Cap. constitutis. cap. post petitam.
e De elect. & cap. vlt. eod. tit. lib. 6.
f Cap. peru[illegible] nit. 9. dist.
g ff. de offic. præsid.
h C. de Episco. & cleric. Leg. L. §. hoc autẽ iudiciũ. ff. de dãno infecto in 2. oppositione.
k Ca. cum nobis. de elect.
l In verbo ex offic.
m Per ca. ve[illegible]bilẽ. eod. ti[illegible] c. prius quã[illegible] dist.

A Innocentius III. in causa postulationi suppleuit, cap. *bonæ memoriæ.*[a] vbi glossa [b] ait *quod iudex potest supplere non solum ea quæ iuris sunt, sed etiam ea quæ sunt facti in spectantibus ad publicam vtilitatem:* & ita in hac causa electionis tam insignis Ecclesiæ, in qua de tam publica vtilitate agitur, meritò S. D. N. poterit, & debebit ad instantiam partium, vel ex officio suo per se vel commissarios suos facere omnia quæ opportuna fuerint ad sciẽdam veritatem de persona electi, & electorum, ac de forma eligendi habita, & seruata per Capitulum & compromissarios eius. Vnde idem Innocentius III. in quadam causa cõfirmationis electionis, de qua cap. *oblatæ.*[c] dixit *quod iudex superior, ad quem appellatum est super electionis confirmatione, potest, immo debet facere quæ conueniunt, ne gregi dominico diu desit cura pastoris.*

B 3 Quartò respondeo, quòd potest S. D. N. & debet propter publicam vtilitatem, quæ in hac causa versatur, compellere Capitulum, & compromissarios eius, & notarios ad edenda sibi omnia corã eis acta, quæ ad huius causæ iustã & breuẽ expeditionẽ pertinent: tũ per citatain 2. dicto.

4 Tum quia etiam reus cogitur edere instrumenta sua fisco actori, ratione publicæ vtilitatis, [d] vbi Bartholus & omnes hoc tenent, & tradunt Panormitanus & communis [e] & alij in alijs multis locis citati per Felinum ibidem. Tum quia eadem, immo firmiori ratione potest iudex cogere reum ad edenda sua instrumenta in causis publicis,

C & spiritualibus, in quibus tantùm & plus exuberat officium iudicis, quantum & plus vtilitatis publicæ, ac salutis, ac periculi animarum vertitur, quam in fisco, iuxta prę fatum cap. *oblatæ.*[f] tenet Panormitanus receptus ab omnibus. [g] Tum quia superior iudex potest cogere notarios publicos ad edenda instrumenta, & acta publica coram eis gesta ei, cuius interest, & magis ex officio suo ratione publicæ vtilitatis, præsertim spiritualis. [h]

5 Quinto, quod non possunt excusari ab editione præfatum Capitulum, & præfati cõpromissarij, & notarij eorum, eo quod conuenerint, vt vota eorum manerent secreta. Tum quia omnia acta coram notarijs dicuntur pu-

D blica, [i] cùm notarius ipse sit persona publica, vt per præfata iura tradit Decius post alios [k] sicut & acta coram iudice dicuntur publica. [l] Tũ quia non licet canonicis conuenire, vt electio maneat secreta, vt notat, Panormitan⁹, [m] citant ad id Compostellanum. Tum quia pacto priuatorum iuri publico derogari non potest. [n] Ergo nec pacto canonicorum fieri potuit, vt maneat secretum quod Reipublicæ interest, vt pãdatur. Tum quia quoties natura rei probandæ est talis, quod non potest probari, nisi per paucas & certas personas, illæ tenentur testificari, etiã si fuerint priuilegiatæ ad non testificandum, secundũ Hostiensem communiter receptum [o] & etiam si essent inhabiles, secundum Antoninum Butrio & Imolensem, [p] quos se-

E quitur Decius [q] & probatur per *l. consensu.* [r] cum ergo vota secreto pręstita coram compromissarijs, & notario suapte natura sint talia, quę non possunt probari aliter, quàm per acta coram ipsis, poterunt compelli ad edenda illa. Tum quia impossibile est scire, an cõpromissarij præfati seruauerint formam eligendi sibi à Capitulo commissam, nisi habita notitia de suffragijs, siue votis, quæ canonici singulatim alij alijs dederunt, quoniam ipsi tenebantur eligere illum, in quem maior pars Capituli consentiret, quod an seruauerint, sciri non potest, nisi facta fide de numero votorum, quæ fuerunt data illis, qui habuerunt aliqua suffragia, & vota. Cùm ergo superior possit, & debeat inquirere an forma electionis debita seruari fuerit serua-

F ta, & non possit hoc scire nisi compellendo notarios, vt acta coram eis gesta edant, necessario consequitur, posse & debere illos ad hoc compelli. [s] Tum denique, quòd iudex superior potest compellere ad testificandum eos, qui sciunt aliqua secreta (extra sacram confessionem) etiam si conuenerint inter se, vt teneantur secreta, & iurauerint non reuelare illa, etiam iudici iubenti, secundum S. Thomam [t] & Innocentium, [v] Panormitanum [x] communiter receptum, quem nos quoque sequuti fuimus pridem iure firmo & ratione probauimus cap. inter verba. [y] & in Manual. [z] ergo à forriori notarium ad exhibenda, & edenda acta & gesta coram ipso, tamquam coram persona publica coram iud[illegible] arbitro, cum arbitria sint redacta ad

a De postula.
b In verbo cu rauimus allegare.
c De appell.
d L. nec quisquam. ff. de edendo.
e Ca. 1. de proba.
f De appella. & c. nihil. & ca. ne pro defectu, de elect. & c. exceptionẽ. de except. c. 1. eodem tit. lib. 6.
g In d. cap. 1. de proba. nu. 21.
h Leg. 2. C. de edend. cum ei adnotatis, & cap. quoniam cõtra. de probat. & c. perpetuæ. adiuncta sua gloss. de fide instru.
i Vt in prædicta l. 2. & le. orphanotrophos. C. de Episcopis, & ca. quoniam contra. de proba.
k Di. ca. quoniam. notab. 7. sicut.
l L. 2. ff. ad exhiben. adiuncta glo. verbo in publico.
m Capi. quia propter §. fin. de elect.
n Cap si diligenti. de foro comp. & l. ius publicum. ff. de pact.
o Capit. 1. de test. cogend.
p Cap. tertio loco de proba.
q Cap. 1. eodẽ tit. nu 31.
r C. de repud. & c. veniens. 2. de testibus.
s Arg. c. praeterea. de offic. deleg d. l. 2. ff. de iurisdictio. omn. iud.
t 2. 2. quæ. 70. art. 1. ca. 2.
v Capit. qualiter. 1. de accusa.
x Ca. dilectus. de excess. prælat. sub finẽ. & d. ca. qualiter. & c. omnis. de pœnit.
y Conclus. 6. num. 218.
z Cap. 25. nu. 41.

simili

similitudinem & instar iudiciorum,[a] & in actis coram eo debeat seruari dispositio cap. [b] *quoniam contra.* [b] vt in eo Panorm. communiter receptus annotauit, & in alia informatione probauimus. Salua quæ iustior fuerit sententia.

a L.1.ff de recept. arbi.
b De proba.

*SVMMARIVM.*

1 *Religio non potest condere statutum contrariū dispositioni iuris communis etiam quo ad electionem superiorum faciendam, nisi hoc eis speciali sit concessum priuilegio.*

2 *Mutatio antiquæ legis, seu vitæ in religiosis solet esse ingrata, vnde eamdem inducere volenti facile contradicitur,*

3 *Electio prælati cuiuslibet monasterij de iure spectat ad eiusdem monasterij conuentum, expedit autem magis vt eligatur perpetuus, quam triennalis.*

## CONSILIVM III.

ORDO Eremitarū sancti Augustini in 35. prouincias diuisus est: quarum omnes, quæ in Italia sunt (sunt autem vigintiduæ) eam ab antiquo consuetudinem obseruant, vt Præsidens, Prouincialis, & Definitores in Capitulo facultatem habeant ad condendas, & reformandas sui ordinis leges.

Dubitatur primò, an in toto seu parte modum eligendi conformem iuri communi tollere absque expressa Papæ facultatem valeant.

Secundo, an eligendi prælatos modus aptior Hispanorum sit, quo à monasterio prælatus triennalis eligitur, an Italorum, quo à Capitulo generali perpetuus.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo primò, quod certum est prædictum Reuerendum Generalem cum prædictis Definitoribus non posse cum maiori parte sui ordinis tollere toti ordini, nec parti eius modum eligendi, quem iuri communi conformem habent, sine facultate expressa in id à Pōtifice Maximo facta, quia nulli ei inferiori licet edere legem contrariam iuri communi.[c] Secundò, quòd Celsus iure consultus ait [d] *inciuile esse, de lege, nisi ea tota perspecta iudicare,* ideoque oportere ad rectè respondendum huic quæstioni, videre facultatem, quam Pōtifex Maximus fecit prædicto ordini ad condendas, & reformandas leges sui ordinis, & etiam scire si aliquæ prædictarum prouinciarum habeant aliqua priuilegia particularia super suo modo eligendi.

c Ca. quod super his. de maior. & obediē. c. inferior 21. dist. clem. ne Romani de elect.
d In l. inciuile ff. de ll.

2 Tertiò, quòd etiā si facultas à Pontifice Maximo concessa Generali, & Definitoribus prædictis de rigore iuris se extenderet ad faciendam prædictam legem, qua omnes in vno modo eligendi conuenirent, vtile tamen multum esset, vt ab eius Sanctitate, quando tam propinqua est, impetrarent gratiam specialem eam condendi, quia, vt ait Imperator, [e] *difficilis & ingrata est vitæ mutatio:* & qui iam habent sua retia de more tensa in conuentibus particularibus, quò fiant Priores, vel alius generis officiarij, nihil non agent, vt contra talem legem appelletur, supplicetur, vel aliquo alio remedio iuris, vel non iuris iuuetur.

e In authen. de monachis. coll. 1. §. 1.

3 AD SECVNDAM quæstionem respondeo primò, quod iuri communi conformior est modus eligendi prædictus Hispaniæ, quam modus eligendi prędictus Italiæ, quia iure communi ad quemcumque conuentum cuiuslibet monasterij pertinet electio prælati illius. [f] Secūdo, quod, vt res humanę nūc se habent, crescente nimium honoris appetitu, & decrescente humilitatis amore, refrigescente caritate, logè aptior, & commodior est ambitioni reprimendę, factionibus sedandis, extirpandis odiis, detractionibus minuendis, & paci Christianæ conseruandæ, & augendæ, Deoque gratior est modus prædictus, quem prudētissima, eademque modestissima Italia seruat, quàm ille, quem Hispania seruare dicitur, per ea multa, quæ ipse nuper scripsi in comment. 3. de regula.[g] ad probandum q̄ nemo debet procurare, vt de Abbatibus perpetuis fiant triennales, si à suis monasterijs fuerint eligēdi. Salua, &c.

f Cap 1. cap. quia propter. & toto tit. de elect.
g Super cap. nullam 18. q. 2. à num 3.

*SVMMARIVM.*

1 *Scrutatores suffragia vni data alteri falso referentes, magna pœna arbitraria sunt puniendi, & præterea electio nō tenet.*

## CONSILIVM IV.

QVID dicendum de Generali cuiusdam ordinis, & scrutatoribus electis ad faciendam electionem Prouincialis; qui machinati sunt, ne scrutatores dicerent verè, quot suffragia habuit is, in quem maior pars consensit, sed tribuerēt maiorē partē alteri, qui electus fuit?

1 Respondetur, quòd grauissimè peccauerunt tam scrutatores, quàm Generalis, & quòd electio coram Deo nihil valuit, & digni sunt prædicti fraudatores magna pœna: tum quia rei grauissimæ falsarij fuerunt. Tum quia Concilium generale [a] statuit vt potestate priuarentur electores, qui contra formam illius cap. celebrarent electionem, etiam sine vlla fraude. Quantò magis debent puniri, qui tam graui fraude id fecerunt? Et quia pœna huius magni delicti non est determinata iure communi, arbitrio iudicis competentis (nisi in cōstitutionibus ordinis: quas nos nescimus, fuerit determinatum) relinquitur.[b] Salua, &c.

a In cap. quia propter. de elect.
b Argu. l. 1. ff. de iure deliberan. & ca. de causis. de offic deleg.

*SVMMARIVM.*

1 *Electionem à maiori parte factam non admittens peccat.*

2 *Electio metu facta est ipso iure nulla, sicut & matrimonium, & professio.*

3 *Metus minor iusto in foro interiori, si fuit principalis causa actus, vitiat.*

4 *Met⁹, vt annullet actū in foro exteriori, requiritur quod sit iustus.*

## CONSILIVM V.

EX sexdecim monialibus habētibus votum in electione Abbatissæ, nouem suffragatæ fuerūt vni, & septem alteri, & superior, qui aderat, volebat, vt duæ partes suffragantium conuenirent in vna, & fecit eas octies facere electionem, sperans, quod aliquæ ex suffragantibus vni, accederent alteri, quo duas partes haberet: & cum noluissent vllæ mutare sua suffragia, minatus est superior eis, quod nisi duæ partes consentirent in vnam, ille esset vocaturus vnam aliam monialem alterius monasterij: quo metu compulsæ omnes conuenerunt in vnam tertiam, quæ nullum antea suffragium habuerat, quæ confirmata à superiore rexit monasterium multo tempore, sed nondum triennio completo. Quæritur, an electæ à nouem, quæ maiorem partem Capituli constituebant, sit aliquod ius repetendi abbatiam.

1 Respondeo primò, præfatum superiorem peccasse, ac malè fecisse, nolendo acceptare electam à maiori parte, præsertim cùm toties eligeretur ab illa,[c] immo & cogendo eas ad toties eligendum, & magis adiungendo minas de vocando aliam, nisi conuenirent duæ partes, contra prædictum textum expressum.

c Iuxta c. indēnitatibus. §. 1. de electio. lib. 6.

2 Secundò, quòd facilè teneri posset præfatam electionem postremam fuisse inualidam, & nullam: quia omnis electio metu facta est ipso iure nulla, per textum puratum ab aliquibus singularem in cap. *vbi periculum.* [d] quatenus requirit etiam in electione Papę voluntatem liberam eligendi sic, quòd aliàs non sit futura valida, quæ communis est Doctorum sententia, & confirmatur primò, eo quòd etiam matrimonium carnale est ipso iure nullum, si metu contrahatur, [e] & matrimonium spirituale quo ad hæc æquiparatur matrimonio carnali, iuxta glossam notabilem & receptam. [f] Secundo confirmatur, quod etiam metus reuerentialis patris efficit profectionem religionis filij nullam, per textum adiuncta glossa. [g]

d §. cæterum. de electio. l. 6.
e Ca. cum locū. de sponsal.
f In ca. bona. de electio.
g Verbo patrem, in c. præsens. 20. qu. 3.

3 Tertio, quod omnis metus etiam non iustus reddit actum nullum, & inualidum quo ad forum conscientiæ, si principaliter fiat ob illum metum, vt nos efficaciter probamus in Manual. confess. [h] & consequenter si prædicta monialis, in quam consenserunt nouem propter prædictum metum, quo superior minatus fuit se vocaturum aliam de alio monasterio, cessit iuri suo iam quæsito per electionem, iudicandum est inualidè cessisse.

h Cap. 17. nu. 29. & eff...

4 Quartò, quòd in foro interiori opponetur ei, quod metus ille non fuit iustus, & quod ipsa non appellauit à mandato superioris, & quod rogata fuit, vt desisteret à iure suo, & quod potius fecit rogata, quam metu territa: & quòd altera est, & magno tempore mansit in possessione pacifica, & habita pro bona, & iuridica ab ipsamet, & id genus alia, per quæ difficile obtinebit pro se sententiam in foro, vt aiunt, fori, quamuis certe in foro quod aiunt, poli, prædictus superior, & prædicta loco eius electa merito magnis scrupulis cruciari possent.

*SVMMARIVM.*

1 *Electio secundum honestatem debet fieri de gremio collegij, facta tamen de extraneo tenet, debetque fieri à maiori parte, adeo vt, si solum sint vnus vel duo, non possint nisi exterum eligere. num. 4.*

2 *Collegium in sui erectione secundum ius ciuile ad minus tres, secundum canones duas requirit personas, at erectum sustinetur in vna persona, quæ sola posset eligere prælatum, eumque Pontificem.*

3 *Eligere seipsum nemo potest, sed nec pro se cum alijs suffragari, nisi esset vnus ex compromissarijs. num. 5.*

5 *Electores, etiamsi totum collegiũ sit redactum ad duos, non possunt cogi, vt alios accipiant collectores, sed possunt ipsi soli eligere.*

## CONSILIVM VI.

IN QVODAM cõuentu deficientibus fratribus, qui votum & vocem haberent pro electione Prioris dicti conuentus, Prouincialis misit illuc duos fratres, à quibus fieret electio alicuius extra conuentum existentis, qui schedulis secretis vnum elegerunt absentem, & nõ pertinentẽ ad illũ conuentũ. Dubitatur an sit legitima electio.

1 Ad respondendum breuiter, clarè, & aptè, præsuppono primo, quòd electio prælati iure communi non est necessariò facienda de aliquo, qui sit de collegio electorum, ad hoc vt valeat: quoniam licet honestius & sanctius sit eligere aliquem de collegio, quàm extraneum; [a] electio tamen facta de extraneo idoneo à toto collegio, vel à maiori eius parte, valet, vt satis efficaciter probat cap. *cum inter canonicos*. [b] & ita tenuit glossa Bartholomæi Brixiensis [c] & glossa Bernardi, [d] quorum opinionem sequuntur Innocentius, Hostiensis, Panormitanus & communis [e] eamque vsus Ecclesiæ seruat secundum eosdem.

2 Secundo præsupponendum est, quod licet nullũ collegium Ecclesiasticum possit constitui in vno, quia de iure ciuili requiruntur saltem tres. [f] & de iure canonico saltem duo, [g] constitutum tamen semel in multis potest totum: ius collegij venire ad vnum, & conseruari in illo; casus est in l. *sicut*. [h] & glossa solemnis [i] communiter recepta & declarata [k] per Panormitanum communiter receptum: adeo quidem, quod si omnes Cardinales exirent è conclaui, posteaquam ad eligendum Papam in eo conuenerunt, excepto vno, ille solus posset eligere Papam, vt asseruit glossa memorabilis [l] quam communiter ibi receptam magnificat Martinus Laudunensis [m] quem sequitur

3 Petrus à Baisio: [n] quamuis is vnus, in quem resideret ius collegij, non posset eligere seipsum, per ca. *per nostras*. [o] & per rationes tam ab auctore ipsius in contextu eius, quam ab aliis commentatoribus adductas. [p]

4 Tertio, quod ex hoc secundo præsupposito sequitur tertium, scilicet, quod præfati duo fratres, in quos recedit totum ius collegij, poterant eligere in prælatum aliquem extraneum, alioquin idoneum: quia poterant ambo ei suffragari, licet non potuissent eligere alterum de seipsis: quia maior pars, cum non essent nisi duo, non poterat suffragrari alteri eorum, quod requiritur ad valorem electionis, iuxta præfatum cap. *quia propter*.

5 Nec obstat cap. *cum in iure peritus*. [q] quod videtur probare quod electus consentiendo electioni suæ videtur augere numerum suffragiorum, quod ipsum videtur probare cap. *si compromissarius*. [r] quia illud est verum, quando electio fit per viam compromissi, idest, cum habentes ius eligendi compromittunt accipere in prælatũ eum, quem maior pars compromissariorum nominauerit, non autem cùm habentes ius eligendi, eligũt vt collegium per viam scrutinij, vt irrefragabiliter probat cap. *Cumana*, [s] & Panormitanus communiter receptus declarat. [t]

6 Quarto, quod consequitur prædicta, est quod præfati duo fratres non poterant cogi iure cõmuni ad suscipiendos socios, siue consortes suffragiorum, siue votorum ad eligendum suum prælatum. Tum argumento cap. *cum ecclesia Sutrina* [v] & eorum, quæ ibi adnotãtur, præsertim per Ripam. [x] Tum quia suo iure vtẽs nemini facit iniuriam. [y]

### SVMMARIVM.

1 *Eligentium de numero non censetur, qui schedulam albam in vrnam ponit, sicut & nec qui recedit de loco in quo ad eligendum conuenerunt, aut voto renunciauit.*

2 *Electio nisi statim post collationem suffragiorum fiat, est nulla, & hoc, si ex ignorantia, vel negligentia eligentium, vel electi malitia, secus si ex malitia eligentium procedat. num. 3*

4 *Scrutinio publicato nõ possunt variare electores immo cõpellendi sunt ad eligendũ illũ, qui iuxta vota publicata debet eligi.*

a *Iuxta c. nullus inuitis. & capit. obitum. 61. dist. & alia similia.*
b *De electio. & etiam cap. quia propter. eod tit.*
c *In d. c. nullus.*
d *In d. c. cum inter canonicos.*
e *Ibidem.*
f *L. Neratius. ff. de verb. signif.*
g *Cap. 1. de elect.*
h *§. final. ff. quod cuiusq; vniuersit. nomin.*
i *In ca. gratũ. verb. maiorẽ partem. de postulat prælat.*
k *Ibidem & in d. c. 1. de elect.*
l *In clemẽ. ne Romani. §. porro. verbo, omnes. de elect.*
m *In tract. de Cardinalib. concl. 22.*
n *In directorio de electio. 1. parte, ca. 2. num. 4.*
o *De iure patronat.*
p *Ibi, & in c. Cumana. de [illegible] alius [illegible] tatis.*
q *De elect.*
r *De electione, lib. 6.*
s *De elect.*
t *ibi, & in d. c. cum in iure peritus.*
v *De causa possess. & propriatat.*
x *Et in c. obeuntibus. 63. dist.*
y *Cap cũ ecclesia Vulterana. de elect. [illegible] le iniuriã. [illegible] de [illegible]*

## CONSILIVM VII.

IN quodam monasterio canonicè electus fuit Titius in Priorem: verum quia mox decretum non est firmatum, ita volente eo, ad quem pertinebat firmare, inuenta in vrna schedula alba, quam existimabat connumerandam inter voces eligentium, cum tamen mos sit in ordine huiusmodi schedulas connumerare inter renunciatiuas, sicque nihil ponere in numero: ideóque post aliquot dies iussu & auctoritate superioris firmatum fuit decretum ab alio scrutatore, cum præsumeretur ille, qui firmare debebat, malitiosè distulisse. Quæritur quid iuris?

1 Respondeo primo, quod qui præfatam schedulam albam immisit in vrnam, non videtur cõputandus esse præfati ordinis, vt computetur inter illos, qui suæ voci videntur renunciasse. Tum quia quando electores conueniunt ad eligendum, & aliqui eorum exeunt ex loco electionis, non computantur in numero electorũ, [a] quod ibi Panormitanus multum commendat. Tum quod glossa notabilis [b] determinat eum, *qui renunciat suo voto, non esse magis de numero electorum, quàm sit absens non vocandus, vel vocandus, sed nolẽs venire vocatus*: quod in hoc expresè approbat Bonif. [c]

2 Secundo respondeo Hostiensem, Ioãnem Andream, Panormitanum & cõmunem tenere, quòd electio debeat fieri mox, vel in continenti post collationem suffragiorum, eo quod de forma substantiali electionis sit, quod statim post collationem suffragiorum fiat secundum eosdem, & receptiorem intellectum cap. *quia propter* [d] vt tradit communis ibi. & aliàs facta declaranda est cassa, & nulla secundum Ioannem Andream, Panormitanum & communem [e] per illum textum licet Hostiensis putet esse cassandam.

3 Tertio, quod præfata conclusio limitanda est necessario, vt tunc solum procedat, quando fit ex ignorantia, vel ignauia quadam eligentium, vel fraude electi, non autem quando differretur per malitiam electorum, vel propter aliquam causam iustam. Tum quia non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, [f] neque sine caulpa priuari iure suo, [g] & ita ei, in quem maior pars Capituli consentit, non debet afferri conditio iniqua ab eligentibus differendo electionem, neque sine culpa debet priuari iure sibi iam quæsito saltem ad implorandum officium superioris, vt compellat electores ad eligendum.

4 Tum quia Gregorius IX. declarauit [h] quod publicato scrutinio non possunt variare, qui suffragati sunt, & quod compelli possunt ad eligendum eum, qui debet eligi secundum suffragia publicata, & certum est, quod non potest sine magno interuallo temporis fieri, vt petatur à superiore compulsio eligentium ad eligendum, & detur illa ab eo, & fiat eius intimatio, ergo necessariò est tenendum, quòd electio facta post moram interpositam per malitiam, vel dolum eligentium, vel aliam iustam causam sine fraude electi valet, & ita limitationem hanc puchrè tenet Panormitanus [i] & Petrus à Baisio, [k] & necessario elicitur ex præfato cap. *publicato* inducto modo præfato.

Quartò, quod ex præfatis sequitur, prudentissimè, iustissimèque fecisse superiorem iubendo vt eligeretur Titius. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Nocte fieri potest, quicquid eo tempore fieri non reperitur specialiter prohibitum: vnde contractus, testamenta, & collatio beneficij eo tempore facta valent, fallit in electione, in qua seruanda est forma cap. quia propter. num 2. & in omnibus actibus iudicialibus, qui fiunt sine consensu partium. num. 2. & 3.*

1 *Electio facta de nocte tenet, modo non requirat formam c. quia propter. num. 2. nec obseruantiam decreti Concilij Tridentini num. 4.*

2 *Electio, in qua, omißis requisitis iure humano, seruantur requisita iure naturali & diuino, tenet.*

3 *Diem artificialem non finiri occidente Sole, sed durare vsque ad tenebras verius est: & an factum in crepusculo dicatur factum in die, ex iudicis pendet arbitrio.*

## CONSILIVM VIII.

DEFINITORIVM alicuius Capituli seruatis alijs seruandis fecit electionem superioris sui nocte. Quæritur an illa valeat.

a *Capit. quod nobis. de elect.*
b *Clem. quod circa de elect.*
c *Num. 29.*
d *De elect.*
e *In cap. cum post petitam. de elect.*
f *L. nõ debet. ff. de reg iur. & c. denique. 14. quæst. 5.*
g *Ca. sine culpa. de reg. iur. lib. 6.*
h *In c. publicato. de elect.*
i *In d. c. publicato. & in ca. cum post petitam. de elect.*
k *In tract. de elect. par. 3. c. 34. num. 2.*

1 Respondeo quòd pro electione facit,quòd omnia quę specialiter non prohibētur fieri nocte, possunt quocumque tempore fieri.& quod omnis contractus,& omnis vltima voluntas potest fieri nocte, vt post alios tradunt Felinus & Decius [a] & quod collatio beneficij nocte facta valet, vt tradit Panormitanus [b] immo & electio, in qua non est seruanda forma cap. *quia propter.* [c] vt ipsemet ibidem dicit:& quòd non videtur in iure cōmuni textus qui prohibeat electionem per definitores faciendam noctu fieri,& quod tanta,vel maior potestas dari potest,& quotidie confertur per collationem, vel prouisionem alicuius abbatiæ,diaconatus,vel archidiaconatus,quam per electionem definitorum huiusmodi.

a In cap. consuluit. de offi. deleg.
b In cap. 1. vt ecclesiast. benefic.
c De elect.

2 Contra tamen pręfatam electionem facit primò,quòd licet responderi possit quod electio definitorum non est magis actus iudicialis,quàm collatio beneficiorū,&quàm electio beneficiariorum, in qua non est seruanda forma dicti cap. *quia propter:* replicari tamen potest,quod electio in qua est seruanda forma capit. *quia propter*, [d] non potest fieri nocte,vt determinat Panormitanus [e] quem sequitur Felinus [f] vbi communis opinio videtur idem tenere de omnibus actibus iudicialibus:& dies videtur solum durare Sole lucente super terram secundum Decium, & per eum allegata. [g]

d De elect.
e In d. c. 1. vt eccles. benef.
f In d. c. consuluit.
g In d. c. consului.

Quibus pro vtraque parte consideratis,resoluendo dico primò, præfatam electionem valuisse, si absque alia fraude facta fuit ante tenebras : tū per citata pro hac parte,tum per illud singulare dictum Innocentij [h] citato in præcedente concilio scilicet, *quod valet electio facta non seruata forma iure humano introducta, si concurrunt iure naturali & diuino requisita.* Tum quod etiam sententia iudicum, & alij actus iudiciales noctu facta valent,si de consensu partium fiāt,secundum Ioannem Andream relatum per Felinum [i] & probatur ratione valida per Salicetum [k] & quod electio præfata fuit de consensu eligentium facta. Tum quod licet aliqui dicant diem artificialem Sole occidente finiri, verius tamen videtur illum durare vsque ad tenebras, iuxta determinationem Cardinalis quā facit post disputationem in cap. *si perfodiens.* [l] concludens fere in effectu,arbitrarium esse, an factum in crepusculo sit factum in die:nam,vt ait, *etiā ante ortum Solis dicitur dies,quando iam albescit. An statim post signata præfata Aue Maria communiter absque candela vel alio lumine cernunt se homines, & discernūtur ab alijs,ita quod sine lumine videri possit:tunc enim Sol bene est ortus, licet nobis non appareat:quia radij sui iam operantur effectum quo ad nos , & de sero , donec fiant tenebræ : durant radij Solis quo ad nos:& Sol tunc propriè ex toto non occidit.* hęc ille Cardinalem sequitur Felinus. [m] & muniri potest eius dictum ea ratione,quod hoc habet communis vsus loquendi,qui seruandus est. [n]

h In ca. quod sicut de elect.
i In d. ca. consuluit. nu. 18. versic. tertio fallit.
k In l. non mi norem. C. de transact.
l Quæst. 2. de homicid.
m Vbi supra nu. 18.
n l. Labeo. ff. de supel. leg.

4 Secundo dico,quod si fuit facta post tenebras,& quādo iam sine candela non posset cerni,nec discerni,valeret quidem quo ad forum conscientiæ per prædicta,& etiam quo ad forum exterius secundum antiqua iura, quæ non requirebant præfatam formam eligendi secretè, sed non secundum Concilium Tridentinum & constitutionem ordinis super eius executione facta, secundum quam requiritur forma secretè suffragandi per schedulas, quæ cōmodè seruari non potest sine lumine artificiali, plusquam olim electio,in qua seruanda erat forma cap. *quia propter,* [o] quam nocte fieri nōn posse supra dictum est.

o De elect.

SVMMARIVM.

1 *Electionem non vitiat defectus occultus vnius de electoribus.*
2 *Electio si habeat eligentium consensum, qui solus iure naturæ requiritur, sustinetur.*
3 *Publicatio suffragij tunc vitiat, quando publice facta est, vel fuit vera, vel præsumptiua causa electionis.*
4 *Secretis suffragijs electus, vt requirit Concilium dicitur is, cui alij secretè suffragati sunt, licet ipse suum alteri datum sine fraude manifestauerit.*

## CONSILIVM IX.

CONGREGATIS quibusdam ad electi[o]nem secretò faciēdam, scriba, qui scribebat nomin[a] eligendorum in schedulis dandis electoribus, monstrau[it] alteri sine vlla fraude & malitia schedula[m] continentē [no]men, pro quo suffragabatur : alijque omnes suffragati fuerunt secreto ipsi scribæ,qui suum suffragium publicauit. Quæritur an electio valeat,stante [a] Concilio Tridentino.

a Ca. 6. de regul. sess. 25.

1 Respondeo,quòd valet electio. Primò, quòd defectus clandestinus vnius de Capitulo non debet nocere Capitulo id ignoranti,neque actui ab eo aliàs legitime facto.

b Cap. fin. cū ei adnotat. de procur.

Secundò,quòd alioquin sequeretur,quod vnusquisque electorum, posset pro suo arbitrio electionem reddere nullam, si conueniret illud eidem,posset enim dicere socio suo clam, pro quo suffragaretur, & electione facta dicere,quòd nō fuit secretò suffragatus, si conueniret ei iudicare electionem nullā,& tacere id,si placeret ei electio.

Tertiò,quòd ostensio præfata pręsupponitur non fuisse facta fraudulenter, vt esset causa vt alij suffragarentur pro eo , sed solùm vt sciret socius , quòd ipse scriba non suffragabatur sibi,sed alij:& ita non potest cassari ratione fraudis.

2 Quarto , quod electio , ad cuius valorem concurrunt requisita iure naturali,valet, licet forma iure humano inducta non seruetur,secundum singulare dictum Innocentij [c] & in casu proposito concurrit consensus eligentium iure naturali requisitus:quia omnes consenserunt in scribam præter ipsummet,qui alteri suffragatus fuit.

c In cap. quod sicut. num. 8. de elect.

3 Tum quod intentio,& mens Concilij fuit statuere,vt Capitula facerent electiones secretè in hūc sensum,quod non permittant fieri aliquid,ex quo publicari possint nomina eligentium : & si tale quid permiserint, & factum fuerit,electio non valeat. fuit item intentio eius,vt nullus capitularium manifestet suum suffragium alij publicè,nec secretè : & quod si manifestaret publicè,& Capitulum id permitteret, non valeret electio : si autem secretò alicui manifestaretur, castigaretur ille:& si illa manifestatio esset, vel præsumeretur fuisse causa cur talis electio facta fuisset, cassaretur illa,& alia nomine in sua potestate esset cassare publicando se manifestasse suum suffragium, vel ratificare id tacendo : quia nihil iure naturæ requisitum ob id deforet electioni.

4 Quinto,quod Concilium Tridentinum solum requirit,quòd omnes prælati eligantur per vota secreta : & D. consulens electus fuit per vota secreta:quia omnes,qui ei suffragati fuerunt,secretè id fecerunt,& suffragium publicatum nihil profuit ei vel alteri : & consequenter videtur satisfactum verbis Concilij, & non itum obuiam menti, & rationi illius,cùm nihil sit actum in fraudem legis,nec in iniuriam & præiudicium alterius. Salua. &c.

SVMMARIVM.

1 *Vicarius generalis dignitas impatibilis non est alij beneficio impatibili immo licet sit officium, ratione cuius præest, non tamen est beneficium. num. 5. 6.*
1 *Vicarius potest tolli, & mutari ad libitum constituentis, quando ab eo solo habet potestatem.*
3 *Prælati Minimorū tanto tēpore subsunt, quāto præfuerūt. & 4.*
3 *Vicarij generalis iurisdictio eadem est, quæ ipsius Generalis.*
4 *Vicarius generalis præest superiori locali, habetque superioritatem, & prælationem. 5. 6.*
5 *Generalis Minimorum quare immediatè fieri non potest vicarius, vel procurator generalis. & num. 9.*
6 *Delegatum etiā re incepta reuocari posse, similiter & vicariū.*
7 *Rationem diuersam diuersum ius suadere.*
8 *Stultus non debet esse melioris conditionis, quàm sapiens.*
8 *Iniuste qui detinet officium, seu beneficium, non est melioris conditionis, quàm si iuste possedisset.*

## CONSILIVM X.

QVÆSITVM fuit primo, an Generalis Minimorū finito triennio sui officij possit constitui Vicarius generalis durante sequente triennio. Secundo, an finito eodem triennio possit idem Generalis fieri Zelosus, siue Procurator generalis, attento tenore cuiusdam capituli regulæ, quod habet in summa, *Prælatos ordinis Minimorum tanto tempore debere subijci, quanto tempore fuerūt præfecti, nisi assumant gradū superiorem:* & attento tenore additionis Turonensis, quæ habet in summa, *Correctorem præsentem posse constituere Correctorem anni præcedētis Vicarium suum ad 15 dies, vel vnum mensem.* & attento tenore cap. correctorij, quod habet in summa, *Generales & Prouinciales ordinis Minimorum*

*posse delegare ad loca sibi subdita aliquas personas idoneas, cũ plenaria, vel limitata potestate*: attenta item ordinatione Tolosę facta, quæ habet in summa, *socios Generalis præcedentis posse deligi in socios sequentis,& etiam in officium Zelosi, Prouinciales autem non posse eligi in socios Generalis, sed sic in officium Zelosi.*

1 AD PRIOREM quæstionem respondeo, pro parte affirmante facere primò, quòd vicariatus generalis nõ est incompatibilis alij beneficio incompatibili: quia Decanus & Archidiaconus possunt esse Vicarij generales, immo & Episcopus potest esse Vicarius Papæ, Archiepiscopi,& etiam Episcopi.[a] Secundò, quòd Vicarius potest tolli,& mutari ad libitum eius, cuius est Vicarius, modo solùm habeat potestatem ab illo.[b] Tertio, quod Correctdor, finito suæ correctionis anno, potest fieri Vicarius noui Correctoris ad quindecim dies, vel vnum mensem, vt habet supradicta additio Turonensis: ergo eadem ratione poterit esse Generalis, finito suo triẽnio, Vicarius sui successoris saltẽ ad quindecim dies, vel mensem, immo etiam ad maius tempus, saltem interpollatum, sicut Corrector præcessor posset esse Vicarius successoris ad maius tempus interpollatum ob absentias successoris interpollatas, puta vno mense ob primam absentiam, & alio ob aliam, & ita posset esse saltem maiore parte anni. Quartò, quòd in Capitulo Turonensi videtur approbatum fuisse, quòd vnus Hispanus Corrector finito suo anno potuit esse anno sequenti toto Vicarius Correctoris noui: ergo eadem, vel maiori ratione tolerari potest, quòd Generalis suo triennio finito, sequenti triennio toto sit Vicarius generalis.

Pro parte autem negante facit primò præfatum cap. regulę, quatenus significat, quod Corrector anno suæ correctionis expleto non potest anno sequenti deligi Correctdor, nec ad aliam præfecturam, quæ sit inferior Correctoria. Ergo nec generalis suo triẽnio finito poterit eligi triẽnio sequenti, nisi ad pxæfecturam superiorem. At vicariatus generalis est minor præfectura, quam vt ita dixerim generalatus, vt palam est. Ergo non potest deligi in Vicarium generalem.

2 Secundo facit illud idem c. regulæ, quatenus probat, quod quilibet prælatus huius ordinis tanto tempore debet subiici, quanto fuit prælatus. At Vicarius generalis, quatenus est Vicarius, nulli est subiectus, quoniam iurisdictio eius est eadẽ, quæ ipsius Generalis: vtriusq; enim auditorium siue tribunal est idem.[c] Tertio facit idem c. per locum ab identitate rationis, quatenus probat Generalem finito triennio non posse fieri Generalem ea ratione, qua vetatur recipere denuo eamdem iurisdictionem, quã habebat, cum esset Generalis. At vicarius habet eamdem iurisdictionem, quam habet Generalis, quia eadẽ est vtriusq; dictum est: ergo non potest illam illo triennio habere.

3 Quarto facit idem c. regulę, quatenus probat quemlibet prælatum prefati ordinis tanto tempore, quo fuit prelatus, debere subiici Correctori locali: cui tamen non subiicitur, immo præest Vicarius generalis. Quinto, quod ex cõtrario sequeretur absurdum, scilicet, quod idem posset esse per totam suam vitam Generalis, vel Vicarius generalis: finito enim triennio generalatus, posset esse Vicarius generalis triẽnio sequenti,& illo finito posset esse Generalis alio triennio, & eo finito Vicarius alio triennio sequenti: & sic consequenter, dum vita ei maneret: quod est absurdum,& ita non dicendum.[d] Sextò facit, quod in Capitulo Turonensi, vt supra presupponitur, fuit cõclusum quod qui fuit Corrector vno anno,& Vicarius ob penuriã fratrum anno sequenti, non potuit eligi Corrector anno tertio: quod nulla ratione alia potuit fundari, quàm quia idẽ iudicandum est quo ad hoc propositũ de vicariatu & de ipsa præfectura, cuius est ille Vicarius: & consequenter sicut Generalis finito triennio non potest deligi Generalis, sic non poterit etiam deligi Vicarius generalis.

5 Per hæc posteriora fundamenta pars hæc posterior negatiua videtur verior,& æquior. Nec obstant opposita. Ad primum enim respondetur concedendo quidem, vicariatum Episcopi, vel alterius dignitatis non esse incompatibile beneficium alij beneficio incompatibili: negando tamen ex hoc sequi, probibitum præesse, siue superiorem esse, fieri posse Vicarium generalem: quia ratio, quare vicariatus non est incompatibilis alij beneficio incõpatibili, est quia non est beneficium nec compatibile nec incompatibile: ratio verò, quare Generalis finito triẽnio nõ potest esse Vicarius generalis, est, quia non potest esse superior, sed debet esse subiectus alio triennio: & vicariatus licet non sit beneficium, est tamen officium, quod facit habentem illud præesse, & esse superiorem aliis.

6 Ad secundum respondetur concedendo Vicarium posse reuocari à suo principali, sicut & delegatus, etiam post inceptam causam, vt determinat Bartholus,[a] negando tamen, quod ex hoc sequatur, eum qui prohibitus est, ne fiat superior gradus inferioris eo, quem præcedenti anno habuit, posse eligi in Vicarium in eodem officio, quod præcedenti anno gessit vt principalis, cùm non desinat quis esse superior, eo quod reuocari, vel priuari possit officio suo,[b] cum allegatis ibi per glossam. Et quæstio nostra non est de Vicario, an reuocari vel mutari possit, sed an prohibitus esse superior, sit prohibitus esse Vicarius generalis, qui habet eamdem superioritatem iurisdictionis, quam habet Generalis.

7 Ad tertium respondeo primò, negari posse illationẽ de Correctore ad Generalem ratione diuersitatis, quod frequentius accidit in particularibus monasteriis, vbi sunt paucæ personæ, vt nõ inueniatur idoneus ad hoc, vt sit Vicarius Correctoris, quam in Capitulis generalibus, in quibus fiunt Generales, & Vicarij Generalium, cùm in illis conueniat flos totius ordinis. Secundò responderi posset, quod illud argumentum solum probaret, posse Generalẽ finito triennio cõstitui ad aliquod paruum tempus Vicarium, sed non simpliciter, quod nostra responsio habet, & quæstio quærit.

8 Ad quartum respondetur, negando fuisse approbatum in Capitulo Turonensi, quod ille Hispanus legitimè fuerit institutus Vicarius toto secundo anno, sed solùm quòd ille vicariatus annalis fecit eum inhabilem ad correctoriã sequentis anni: non quidem ea ratione, quòd fuit legitimus Vicarius, sed ea quòd stultus non debet esse melioris conditionis, quàm sapiens iuxta cap. *eum qui*, de præbend. lib. 6. quod habet, *eum qui violenter accipit possessionem beneficij curati, perdere prius simile habitum, æque ac si iuste accepisset secundum*: ita etiam præfatum reuerendissimum Capitulum iustè decreuit, vt is, qui tenuit iniustè vicariatũ anno secũdo, esset inhabilis ad tenendam correctoriam anno tertio, sicut fuisset si vicariatũ tenuisset legitimè, quia non mansit subiectus vno anno, sicut fuit prælatus, vel superior altero, ne per stultitiam lucraretur plus, quàm per sapientiam.

9 AD POSTERIOREM quæstionem respondetur, Generalem triennio suo finito non posse fieri Zelosum, siue Procuratorem generalem. Tum quia officium Procuratoris generalis est minus generalatu, & durante triennio sequenti non potest deligi ad minora officia generalatu per præfatum cap. regulæ. Tum quia illo triẽnio durante debet esse subiectus Correctori: & præsupponitur in propositione quæstionis, Zelosum, seu Procuratorem generalem, nulli alij, quam Generali esse subditum. Tum ob alia quæ colligi possunt ex supra posita erudita quæstionum propositione.

a *Iuxta clem. 2. de rescript.*
b *Arg. ca. 1. de offic. Vicar. li. 6. & ca. si delegatus. & c. quãuis. de offic. deleg. eod. lib.*
c *Cap. non putamus. de cõsuet. lib. 6.*
d *L. nã quod absurdum. ff. de bonis lib.*

a *In l. vbi cœptũ. ff. de iudi.*
b *Arg. cap. cũ non liceat. de præscript.*

*SVMMARIVM.*

1 *Procurator generalis siue Zelosus Minimorum licet non habeat nec præfecturam, nec prælaturam, eximitur tamen à subiectione Prouincialium,& aliorum Correctorum.*
1 *Iudex vt quis sui iudicis sit, iuri exosum.*
2 *Elationis & superbiæ motus deprimitur, dum quis alteri se & in vilioribus subdit officiis.*

CONSILIVM XI.

QVoniam D. qui dignatus est consulere nos super prędictis,& D. qui ante paucos dies consuluit nos super fere eisdem, sunt eiusdem ordinis ordinatissimi, & reformatissimi, quos iure optimo præsumo quærere veritatem circa dubia occurrentia, vt eam seruent,& exequantur, cũ sint fere vnus ordine & conditione,& in sui ordinis conseruatione vnico ferè affectu, ideo respondeo D. in præsenti interroganti ea ferè quæ in summa latius respondi

præfato D. consulenti, & proponenti mihi alia quædam capitula, & ordinationes tam suæ regulæ, quam generaliũ Capitulorum sui ordinis, cum aliquantulo auctario, quod etiam protestor me illi, si petierit, exhibiturum, vt vtrique paria reddam.

Dico igitur respõdisse me primo illi D. Generalem sui ordinis nõ posse fieri Vicariũ generalẽ Generalis sequẽtis intra tantum tempus mediatè sequens, intra quantum fuit Generalis, per illud capitulum regulæ, quod tunc cõsulens monstrauit, quod habet in summa, *superiores præfati ordinis sanctissimi tanto tempore debere subesse, quanto præfuerũt.* Secundo respondimus eidem, Prouincialem posse fieri Zelosum & Procuratorem generalem, attenta ordinatione quadam Tolosani Capituli, quæ habet socios *Generalis præcedentis posse deligi in socios sequentis, & etiam in officium Zelosi, Prouinciales autem non posse eligi in socios Generalis, sed sic in officium Zelosi.* Tertio, Generalem suo triennio finito non posse sequenti triennio esse Zelosum, siue Procuratorem generalem. Tum quia per præfatum cap. regulæ debet tãto tempore subesse, quanto præfuit, nisi assumat gradum superiorẽ: & Zelosus nõ habet locũ superiorẽ generalatu, & nulli alij, quã Generali subest, vt vterq; proponit.

1 Tum quia licet non sit prælatura siue præfectura, est tamen officium, ratione cuius eximitur ab omnibus Correctoribus & Prouincialibus: & ita non videtur subesse vlli eo modo, quo regula iubet superiores tãto tẽpore debere subesse, quanto præfuerunt, nisi assumpti fuerint ad munere superiora. Quarto, Generalẽ finito triennio non posse cõstitui Vicarium in aliqua prouincia: ita vt subsit alicui Correctori alicuius monasterij, sic tamen vt in casibus sit superior ipsi Correctori. Tum quia exosum est iuri, vt iudex sit iudex sui iudicis. Tum quia ratione hac statutum est, vt Abbas non subsit monachis.[a] Tum quia Ioan. Papa serio scribendo ait,[b] *humani moris est illum vere cuius iudicio nunc erigitur, nunc deprimitur.* Tum quia licet apud Deum, cui omnia nuda sunt, aperta veritas præualeat, & ita licet coram ipso bona fide, & sincera mente, tã constituentis, quã constituti, fieri posset, vt Generalis cõstituere posset aliquem subiectum Correctori, cum potestate, vt vicissim ipse corrigat Correctorem: tamen apud homines, & summa prætoria Ecclesiastica & sæcularia præsumetur hoc fieri in fraudem regulæ, & mentis S. Frãcisci de Paula, qui ad deprimendum motum elationis & superbiæ, qui nasci potest ex regimine loci superioris, statuit, vt tanto tempore quis subsit, quanto præfuit.

2 Tum quia regula penul.[c] habet *certum esse eum committere in legem, qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem,* & Hieronymus ait[d] *Euangelium non esse in verbis tantum scripturarum sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in foliis, sed in radice rationis* præfatum autem sanctissimum Franciscum potuit mouere S. Synodus, quæ relata,[e] *habet exercitium humilitatis esse subdere se vilioribus officiis, quia contraria contrariis curantur.* vt habet glossa.[f]

a Cap. nullã. 18. quæst. 2.
b In ca. iustis. 16. quæst. 2.
c De reg. iuris lib. 6.
d In ca. Marcion. 1. quæ. 1.
e In cap. 1. de prændi. 2.
f Ca. effectũ. 26. quæst 7.

## SVMMARIVM.

1 *Electio facta, non vocatis habentibus ius suffragandi, non valet.*
1 *Conuentus in iis quæ ad eum separatim à prælato pertinẽt, immo & quælibet pars conuentus in iis quæ ipsam solam attingunt, sine consensu prælati procuratorẽ constituere põt.*
2 *Prælatus, & conuentus diuersa, adeo quod propriè prælatus non est de conuentu.*
2 *Conuentus cum Vicario seu Priore claustrali non à solo prælato, sed per electionem electorum creato, potest mortuo prælato constituere procuratorem in his quæ spectant ad conuentum, cũ facultate obligandi monasteriũ, & eius bona. n. 3.*
2 *Claustralis Prior, siue Vicarius nõ à solo prelato deputatus, sed per electionem electus, habet potestatem non à prælato, sed à iure, nec eius officium cessat per mortem, vel excommunicationem prælati.*
3 *Concesso vno, & illud conceditur, sine quo concessum, vel nullo modo, vel commodè nequit fieri.*
4 *Prouincialis procuratorem à conuentu legitimè constitutum reuocare nequit.*
5 *Reuocatio ad eum pertinet, ad quem constitutio, & contrariũ est iuribus exosum.*
6 *Procurator à conuentu constitutus agere causas potest, sicut & ipse constituens.*

## CONSILIVM XII.

CVm mortuus esset Prior conuentus, & electio ad cõuentum spectaret, conuentus ad electionem promouendam cum facultate suffragandi procuratores N. & M. dicti conuentus professos constituit, & quemdam Petrum ad lites & alia negotia conuentus cum facultate obligãdi res, seu reditus monasterij, quatenus opus esset, procuratorem creauit, & constituit: Prouincialis verò electionem non vocatis constitutis procuratoribus fecit, & procuratorem ad lites, seu res monasterij procurandas & defendendas reuocauit.

Quæritur primò, an electio, procuratoribus prædictis non vocatis, teneat?

Secundò, an conuentus sine prælato pro cõseruatione rerum monasterij procuratorem ad obligandum monasterij reditus constituere valeat.

Tertiò, an prælatus constitutionem procuratoris à cõuentu factam possit reuocare?

Quartò, an prælatus, reuocando procuratorem à conuentu creatum, peccet?

Quintò, an procurator à solo conuentu creatus agere valeat?

1 AD QVINQVE quæstiones ex ordine respondeo. Ad primam, videlicet, quòd non est electio canonica: quia veri procuratores cõuentuum, quibus erat ius vocis dandæ, siue suffragandi, non interfuerunt, per ea quæ infra dicentur.

AD SECVNDAM respondeo primò, quòd conuentus in his, quæ separatim pertinent ad illũ, potest constituere procuratorem sine consensu prælati, vt determinat Innocentius,[a] receptus ab omnibus: quin & quælibet pars Capituli in his, quæ ipsam solã attingunt, potest constituere procuratorem, secũdum Inno.[b] immo & quilibet monachus in his quæ pertinent ad se solũ, vt quia est spoliatus, vel alimenta sibi denegantur, potest agere per se, & cõstituere procuratorem, secũdum Inno. & omnes alios,[c] & tradimus in commen. cap. non dicatis.[d]

2 Secundo, quod conuentus est aliud à prælato, adeo quod prælatus non est propriè de Capitulo, neque de cõuentu, secundum gloss. cõmuniter receptam,[e] per textus, quos ipsa in hoc citat aptissimos.

Tertio, quod conuentus cum Vicario, qui solet appellari Superior in monasteriis quæ reguntur per Priores, & Prior claustralis in monasteriis quæ reguntur per Abbates,[f] cuius officium non vacat per mortem Abbatis, vel Prioris, iuxta clem. ne in agro,[g] legitimè potest cõstituere procuratorem in his quæ pertinent ad ipsum conuentum, vt probatur in d. §.[h] Nec obstat, quod mortuo, vel excommunicato principali prælato, Vicarius eius etiam quo ad officium moritur, vel suspenditur:[i] quia illud est verum de vicario generali prelati, qui à solo eo recipit iurisdictionem, non autem de prædicto Priore Superiore, vel Vicario claustrali, qui non à prælato, sed à iure recipit suam potestatem.

3 Quarto, quod illi, uci conceditur aliquid, cõcessũ videtur id, quod sine illo fieri nequit,[k] immo & quod fieri põt sine illo, sed nõ cõmodè,[l] per quas leges hoc tenet Aret.[m] quicquid glo. senserit.[n] Cum ergo conuentui, in his quæ pertinent ad eum, concedatur facultas cõstituẽdi procuratorẽ siue sindicũ, & hoc non possit facere saltẽ commodè, quia non admitteretur à iudicibus sine obligatione bonorũ suorũ, consequitur posse obligare se & sua bona, vel quatenus pertinẽt ad illũ in cõstitutiõe sui procuratoris.

4 AD TERTIAM respondetur non posse Prouincialem reuocare procuratorem à cõuentu aliquo legitime constitutum, arg. cap. 1.[o] *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem etiam dissoluitur.* Et ad omnem actũ faciendum est necessarium, vt potestas concurrat cũ voluntate,[p] & nullo iure nec communi, neque particulari regulæ habetur, quod Prouincialis potestatẽ habeat cõstituendi, neque reuocandi procuratorẽ cõuentuũ: & sicut lege cautũ est, vt quilibet regulariter possit constituere, & reuocare procuratorem suum,[q] ita nulla lege conceditur regulariter vni potestas reuocandi procuratorem constitutum ab alio. & cum regulæ sit standũ, donec mõstretur & probetur exceptio, iuxta glo. selemn.[r] & nõ monstratur prędictã

a In cap. edoceri. nu. 6. de rescript.
b Ibidẽ nu. 3.
c In cap. cum I. & A. de re iudic.
d 12. quæst. 2.
e In clem. vn. §. qui de ætat. & qualit. verbo. in eisd.
f Ca. cum ad monasteriũ. §. prior. de statu monach.
g §. si quis autẽ. verb. Abbate. de statu monach.
h Ver. Abbate.
i Ca. 1. de offi. vicar. lib. 6.
k Leg. 2. ff. de iurisd. omni. iud. & c. praterea. de offi. deleg.
l L. penult. ff. de vsufr. & l. quicumque. §. si ei q[illegible]
m [illegible] instit. act. [illegible] In c. de testibus. co[illegible]m.
de testibus cog. & d. cap. praterea.
n In ca. solet. de sent. excõmu. verb. per superiorem.
o De reg. iur.
p Cap. cũ super. de offic. deleg.
q Leg. 1. ff. de procuratorib.
r In le. omnis definitio ff. de reg. iur. & rubr. co[illegible]t. lib. 6.

regulam limitari in hoc casu, standum est illi in eo.

5 AD QVARTAM respondetur, prædictam reuocationem esse tyrãnicam, & omni iure respuendam multis nominibus iuri naturali, diuino, & humano nitẽtibus: quãdoquidem tollitur libertas à iure communi & particulari regulæ concessa, incutitur timor contra omnes leges contra metum iniustum incutientes latas, vsurpatur & aufertur ius proximo competens, contra iura vetantia ius suum tolli vlli sine suo consensu: quin & sine culpa puniuntur insontes, immo & sine causæ cognitione, cõtra omnia iura vetantia iudicibus, ne sine illa procedant, & cum magno scandalo ordinis, & cleri, vel populi totius regni, in quo talia fiunt, contra Euangelium, & iura statuentia, ne quicquam cum scandalo fiat.

6 AD QVINTAM respondetur affirmatiuè: quia nihil iuridicum potest contra id afferri, cum regula iuris sit omnem procuratorem legitimè cõstitutum posse agere illa, ad quæ est constitutus: regula, inquam, super qua fundantur, & quam præsupponunt omnes tituli de procuratoribus,[a] & tota praxis iudiciorum, & negotiorum.

a ff. C. decretal. sexti & clem.

SVMMARIVM.

1 *Curatum beneficium, non in actu, sed in habitu, quale est illud, cuius cura per vicarium ad vitam, vel amouibiliter necessariò ponendum exerceri debet, non subiicitur pœnæ ca. licet canon. de elect. 6.*

2 *Prioratum regularem curatum, etiam si cura per aliũ exerceatur, habens monachus tenetur se promoueri facere intra annum, secus est de non monacho obtinente similem prioratum, sæcularem tamen: immo secundum Federicum nec canonicus regularis ad id tenetur, etiam si tẽneat regularem sui ordinis.*

3 *Beneficia regularia si gubernentur per clericos sæculares vt sæcularia, efficiuntur sæcularia, & econtra sæcularia efficiuntur regularia.*

## CONSILIVM XIII.

QVidam habens prioratum, qui olim fuerat regularis, & conuentualis, & à centum annis redactus in simplicem Ecclesiam parochialem, cuius cura animarum regitur per capellanũ perpetuum, certa parte redituũ ipsius prioratus ad eius sustentationem applicata: Quæritur, an inciderit in pœnam cap. *licet canon,*[b] qua priuatur Ecclesia parochiali, qui se non fecit promoueri ad sacerdotium infra annum.

b De elect. li. 6.

1 Respondetur, quòd non. Tum quia præfatum cap. *licet canon,* solùm habet locum in eo, qui tenet Ecclesiam parochialem cum cura in actu, id est, qualem ipsemet tenetur exercere, & non in eo, qui habet curam tantùm in habitu, idest, exercendam per vicarium perpetuum, vel per temporalem necessariò apponendum. huiusmodi enim beneficium, quod habet curam in habitu, non cadit sub cap. *de multa,*[c] nec sub extrauagan. *execrabilis* Ioã. XXII. quę hoc probat,[d] & pulchrè tradit Felin. qui alios citat.[e] Tũ quia prioratus, cui est annexa cura exercenda per aliũ, & prioratus, cui annexa cura exercenda per eumdem, valde differunt, vt probat clem. *ne in agro.*[f]

c De praben.
d In §. quia verò.
e In ca. postulast colũ. 2. de rescript.
f §. caterũ. de statu monachorum.

2 Nec obstat ille §. quatenus habet, vtrumque esse promouendum intra annum sub pœna priuationis ipso iure incurrenda: quia loquitur tantùm de regularibus prioratibus, qui monachis conferuntur, non autem de sæcularibus conferendis clericis sæcularibus, qualis est prioratus iste, qui, vt præsupponitur, à cẽtum annis fuit gubernatus per clericos sęculares, & constat per gubernationem quadraginta annorum regularia fieri sæcularia, & ecõuerso.[g]

3 Tum quia non est mirandum, quod ille §. *cæterum,* sic restringatur: quoniam id fit argum. cap. *statutum,*[h] ne procedat in Ecclesiis sæcularibus, nam & Federicus,[i] consuluit non esse locum ei etiam in prioratibus canonicorum regularium, sed solum in prioratibus monachorũ nigrorum. Tum quia ex suppositis constat huic prioratui non inesse curam in actu, id est, exercendam per eius Priorem, sed in habitu, id est exercendam per capellanum, qui in effectu est vicarius perpetuus. Salua, &c.

g Ca. cum de beneficio. de prabend.
h De elect. in 6.
i Consil. 25.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi beneficia per consecrationem vel lapsum temporis ad id statuti vacant, & hoc modo episcopatus possessionem cum facultate percipiendi fructus apprehenderit, num 3. licet ex stylo statim ac Papa ei de illo prouidit, vacent, num. 1. Item fallit in Episcopo titulari, cuius beneficia non vacant, nisi adepta episcopatus possessione. nu. 3.*

2 *Episcopo beneficia conferri non posse, nullo iure cautum reperitur, immo ex causa legitima posse, verius est, nu. 4. & 6. & hoc modo non sint episcopatui incompatibilia, vt est præpositura. nu. 5. & 6.*

3 *Episcopus per adeptionem beneficiorum, de quibus in cap. de multa. non perdit episcopatum, immo nec potest illum relinquere, etiam vt accipiat aliud beneficium, sine Papæ consensu, nu. 7.*

## CONSILIVM XIIII.

AN collatio beneficij simplicis facta Episcopo titulari valeat? Respondetur primò, quod pro parte negãte facit primo cap. *cum in cunctis,*[a] quatenus habet Episcopum perdere beneficia priora ipso iure per consecrationem, vel lapsum tempus consecrandi, immo & per stylum curiæ statim per prouisionem Papæ, vt ibidem tradit Dec. Secundo facit cap. *cum nostris,*[b] quatenus videtur probare electionem de Episcopo ad quamdam præposituram factam non valuisse. Tertio, quod Panorm.[c] & communis[d] videntur significare, quod per solam indulgentiam dispensationis Papæ poterat Episcopus tenere prædictam præposituram.

a §. cũ vero. de elect.
b De concess. praben.
c Num. 4.
d Ibi.

2 Quarto, quod non licet quem à maiori dignitate ad minorem descendere, vt notatur in cap. fin.[e] vnde nec ab archiepiscopatu licet descendere ad episcopatum, vt notatur in d. cap. *cum nostris.*

e De transla. prælat.

His tamen non obstantibus contrarium est verius. Tũ quia nullo iure inuenitur hoc prohibitum, & quod patrũ decretis statutum non est, superstitiosa inuentione nõ est præsumendum,[f] Tum quia contrarium videtur probari per ca. *ad supplicationem* de renunciat. quatenus habet fuisse concessum beneficium Archiepiscopo, qui auctoritate Papæ suo archiepiscopatui renunciauerat.

f Ca. cõsului-sti. 2. quæst. 4.

3 Tum quia Panormitanus & communis tenent,[g] ibi probari non esse locum pœnæ ca. *de multa* in Episcopo, cui confertur beneficium aliquod de incompatibilibus illius ca. *de multa.* Tum quia etiam ante quæsita non perdit, nisi adepta possessione, & facultate percipiendi fructus, vt colligitur ex textu, & declarat ibi Decius pro quo est glossa[h] per quam dicit Staphilus,[i] tenuisse in Rota, quod Episcopus titularis non perdit ipso iure beneficia prius habita, donec adipiscatur possessionem sui episcopatus: quæ glossa licet non dicat illud in specie, elicitur tamen ex ea, quatenus habet, vt dictum est, per prædictum ca. *si tibi.* limitari prædictum §. *cum vero.*

g In d. c. cum nostris.
h In ca. si tibi cõcesso. de praben. lib. 6.
i In tract. de litteris aposto licis sub tit. de qualita. & stat. benef. n. 53.

4 Tum quia communis opinio habet,[k] posse conferri beneficium Episcopo ex causa legitima, puta ob necessitatem, quia non habet fructus sufficientes ad se sustentandum.

k In d. c. cum nostris. & in d. cap. ad supplicationem.

Ad opposita verò, & quidem ad §. *cum verò.* respondetur primò, quòd loquitur de beneficiis quæsitis ante episcopatum, & de Episcopo, qui quæsiuit possessionem, & fructus sui episcopatus: nos autem loquimur de quæsito post illum habitum, & de Episcopo, qui neq; possessionẽ, nec fructus episcopatus quæsiuit. Secundo, quod non est bona consequentia: Episcopus perdit beneficia ante promotionem habita: ergo à fortiori est inhabilis ad habẽda: nam accipiens vnum beneficium contentorum in d. ca. *de multa.* perdit omnia similia, quæ prius habebat, non tamen fit inhabilis ad habenda alia etiam similia: & per renunciationem perdit quis sua beneficia,[l] & tamen potest alia nouè adipisci, secundum omnes.

l Cap. quam periculosum. 7. quæst. 1.

5 Ad secundum respondetur negando, quod prædictum ca. *cum nostris.* probet quicquam contra hoc. Tum quia nõ loquitur de beneficio simplici, sed de præpositura, quæ est de numero beneficiorum incompatibilium comprehensorum in d. ca. *de multa.* nos autem loquimur de beneficio simplici. Tum quia non dicit electionem de Episcopo ad præposituram non valuisse, eo quòd erat Episcopus, sed alia ratione, vt ibi omnes declarant, significantes præposituram esse magis incompatibilem alteri beneficio curato vel dignitati, quam episcopatui, quatenus aiunt per illius adeptionem non vacare episcopatum, at aliud curatum, vel dignitatem sic.

6 Ad tertium respondetur primò, concedendo, quod Pa-

normit. & communis aiunt, per dispensationem Papæ potuisse Episcopum, de quo in illo c. retinere prædictã præposituram cum suo episcopatu: sed negando, quòd ea ratione ad id moueantur, quòd nõ liceat Episcopo accipere aliud beneficium, sed quia præpositura erat incompatibilis episcopatui. Secundò, quòd non dicunt id Episcopo licuisse per solam dispensationem Papę: immo Panor.[a] solũ requirit superioris auctoritatem cũ causa legitima, & postea,[b] ait causam legitimam, ob quã Episcopus potest accipere aliud beneficium, esse, quòd fructus sui episcopatus alij debētur, vel non possunt percipi ab ipso, quia exultat, vel est absens, quod in nostro casu contingit.

7 Ad quartum respondetur concedendo, quòd Episcopus non potest relinquere episcopatum, & accipere aliud beneficium sine auctoritate Papæ: quia illud esset descendere: sed nos loquimur de illo, qui retinẽdo episcopatum, accipit aliud beneficium ad se sustentandum, quod nõ est descendere, neque exuere, sed vestire & munire se ad honorandum episcopatum, quem habebat: quod licitum & sanctum esse, prædicta probant: & quod est decus Ecclesię honesta ei⁹ sustẽtatio, sicut esset dedecus eius mẽdicatio.[c]

a Num. 7.
b Num. 15.
c Ca. diaconi. primo. 93. di.

### SVMMARIVM.

1 *Episcopus quidem per consecrationem perdit beneficia habita, nõ tamen iure cautum legitur, quòd sit inhabilis ad alia habenda, præcipuè titularis, licet aliqui contrarium putent.*
1 *Cardinalis non est inhabilis ad beneficia saltem simplicia.*

## CONSILIVM XV.

QVæsitum est, an Episcopo consecrato possit conferri beneficium etiam simplex.

1 Respondeo, quod partem negatiuam tenet Panor.[d] eo quod per consecrationem perdit beneficia, quæ habebat, ergo minus poterit in futurum habere,[e] & Cardin.[f] ait ei qui renunciauit episcopatum, non posse sine causa & dispensatione conferri beneficium. Sed non videtur inueniri ius satis expressum, quo Episcopus, præsertim titularis tantùm, fiat inhabilis ad habẽda beneficia futura, etiam si debeat perdere præterita,[g] & quod Cardinalis non est inhabilis ad beneficia saltem simplicia, vt tenet Panor.[h]

d In ca. ecclesia vestra. n. 2. de elect.
e Argu. capi. quemadmodum. de iureiur.
f In c. ad supplicationẽ. de renũciat. n. 1.
g Arg. c. licet canon. & ca. commissa. de elect. lib. 6. & notatorum in ca. de multa. de preben.
h In d. cap. ecclesia vestra. num. 2.

# DE RENVNCIATIONE.

### SVMMARIVM.

1 *Episcopatui an deceat renunciare.*
1 *Episcopatui non renunciet, qui vegetus est, & vsui esse potest.*
2 *Renunciat qui episcopatui, occasionem peccandi tacitè quærit.*
2 *Voluptas & otium arma diaboli.*
3 *Gloria & bonum nomen vt conseruantur, & perduntur.*
4 *Famam quisque suam maximè publica persona seruare debet.*
5 *Scandalo ne simus, omnis lex vetat.*
6 *Pacta, & conuentiones seruari debere omnia iura clamant.*
7 *Insolita qui facit, dolo agere videtur.*
7 *Ingratus omnis malus, sed qui malum pro bono reddit, peior.*

## CONSILIVM I.

VTrum deceat, vel liceat Episcopo renũciare Episcopatui, & dignitati, qui adhuc est corporis, & animi viribus satis vegetus, & magno cum fructu concionando, prælegendo, consulendo, & sacramenta administrando semper præfuit?

1 Colligitur quòd nõ, primò ex illo dicto Alexand. III.[i] *Indecẽs omnino probatur prius soluere militiæ cingulum, quàm cedat victori aduersitas præliorũ.* hæc ibi. per quod sanctissimus ille Papa noluit facere facultatem renunciandi cuidam illam obnixè roganti, etiam senectutem ad hoc inculpanti.

Secundo, quod nõ decet Episcopum, qui tota vita magno cum fructu studuit, prælegit, concionatus est, consusuluit, & sacramenta præsertim pœnitentiæ ministrauit, viribus adhuc animi & corporis gratia Deo vegetum dare se otio, etiam contemplationis, vt Innoc. III. significauit.[k]

2 Tertio. quod ei qui verè ex animo Christianus est, nõ licet, nec decet quærere peccandi tentationes, & qui renunciat præsulatui, etiam in finem quietius contemplandi, videtur tacitè & per quamdam consequentiam quærere eiusmodi tentationes, vt doctissimus ille iurium vel- lum sanctissimus Innocentius III.[a] clare docuit, definiẽs: *ea ratione negandam esse facultatẽ cedendi episcopatui, ne in otiositatem, & voluptatem, quæ arma sunt diaboli ad miserandas animas captandas, incidat.*

i Ca. 1. de renunciat.
k In c. nisi cũ pridẽ. eod. tit.

3 Quarto, quod lege naturali & diuina tenemur cõseruare gloriam strenuitatis, & existimationis, quæ ad faciẽdum fructum in animas fidelium auget actionem, iuxta illud Apostoli.[b] *Bonum est enim mihi magis mori, quàm vt gloriã meam quis euacuet.* vbi ait S. Thom. *gloriam septẽpliciter amitti, & gloriam strenuitatis per accidiam, & pusillanimitatem, qua exploratores terræ promissionis laborarunt.*[c]

4 Quinto, quòd lege naturali & diuina tenetur quis saltem si est publica persona, conseruare famam suam, iuxta illud,[d] *Curam habe de bono nomine, &c.* immo est crudelis qui eam negligit, iuxta illud Aug. reprehendentis tales.[e] *Dicũt coram Deo sufficere sibi conscientiam, existimationem hominũ non solum impudenter verum etiam crudeliter contemnentes.* At si Episcopus renunciaret episcopatui, plerique dicerent illũ illi renunciasse, quia non poterat bona conscientia illud retinere ob aliquam irregularitatem, & inhabilitatem nõ qualem qualem, sed grauissimam, iuxta d. ca. *nisi*,[f] & illud Gregorij,[g] relatum à S. Thom.[h] *Hi quorum vita in exemplo imitationis est posita debent si possunt, detrahentium verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant.*

5 Sextò, quòd omni iure naturali, diuino, & humano tenemur abstinere ab scandalo dando,[i] at fieri potest vt in tali statu rerum Episcopus renunciaret Episcopatum, in quo scandalum præberet, & malè sentiretur de ipso.

Septimò, quòd quamuis liceat vnicuique re sua quatenus est sua pro libito vti,[k] omni tamẽ iure naturali, diuino, vel humano tenemur non diminuere publicam, vel alienam,[l] sed per renunciationem esse potest, vt lædatur populus amittendo, vel mutando pastorem. ergo.

6 Octauo, quòd lege naturæ, diuina, & humana tenemur pacta, conuentiones, & contractus seruare,[m] præsertim contractum matrimonij, qui est indissolubilis, iuxta illud.[n] *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* relatum in iure.[o] At Episcopus contrahit matrimonium spirituale cum Ecclesia, iuxta illud.[p] *Non debes deserere sponsam tuam.*

7 Nonò, quòd insolita, quæ rectè dici possunt insolita, vetamur facere, adeo quod qui illa facit, videtur fraudulenter & dolosè facere, vt sentit glossa quam ad hoc inducit ibi Baldus[q] at non solent homines, &c.

Decimò, quod omni lege naturali, diuina, & humana ingratitudo est peccatum, præsertim, qua malum pro bono redditur, vt probat S. Thomas,[r] & illud Poëtæ, *Nihil magis auertit cælum à telluris amore, Quam scelus ingratæ mẽtis.* Sed per renunciationem multis esset ingratus, &c. Salua, &c.

a In d. ca. nisi. §. verum.
b 1. ad Corinth 9.
c Num. 13. & 14.
d Ecclesiasti. 41.
e In cap. non sunt audiendi. 11. quæst. 3.
f §. personæ de renunciat.
g Super Ezech. homil. 9.
h 2. 2. qu. 72. arti. 3.
i Matt 18. & cap. nihil cum scandalo. de præscript.
k L. in re mãdata. C. mandati. l. sed si. §. cõsuluit. ff. de petit. hæred.
l Cap. si diligenti. de foro compet. ca. licet. de regul.
m Leg. 1. ff. de pactis. c. Antigonus. eod. tit.
n Matth. 19.
o In cap. 2. de transla. Epicop. & in cap. quos Deus. 32. quæst. 2.
p d. ca. nisi. §. verum.
q In le. si quis sub cõditione. ff. de condit. instit.
r 2. 2. q. 107. art. 1.

### SVMMARIVM.

1 *Episcopatus sine licentia Papæ etiam petita, sed non obtenta, renunciatio non tenet, etiam si fiat in manibus Capituli, ad quod spectat electio, nec causat vacationem, nec aperit viam vt possit procedi ad electionem. nu. 2. at si Capitulum admittat, & etiam procedat ad electionem, ob id non priuatur ipso facto potestate eligendi. num. 3. & 5 potest tamen priuari. nu. 8. etiam sine citatione, cum delictum sit notorium, num. 10. notorietate iuris. nu. 9.*
4 *Patronus nulliter & de facto conferens, ob id amittit ius præsentandi.*
5 *Priuationis pœna numquam ipso iure incurritur, nisi in casibus in iure expressis.*
6 *Eligentes indignum scienter, priuantur illa vice potestate eligendi. secus si nulliter eligant, etiam ex eo quòd non vacabat beneficium viuentis.*
7 *Renunciatio sine auctoritate superioris facta etsi non teneat, eam tamen potest superior ratam habere, & sic valebit.*
9 *Notorie cum est electio nulla, potest ea non cassata ad aliam procedi.*
10 *Citatio potest omitti in notoriis, quando constat aduersario nullam competere defensionem.*

## CONSILIVM II.

1 AD primam quæstionẽ, quod renunciatio episcopatus ab Episcopo facta in manibus sui Capituli, etiã si ad illud pertineat ius eligendi, non valet, si fiat absque licentia Papæ, per ca. *licet.*[s] quatenus habet inuiolabiliter

s De re[...]

esse seruandam illam regulam, quæ habet, ne quis episcopatui suo cedat sine licentia Papæ, in quem [a] Panormitanus recept. dicit non sufficere petitionem licētiæ, sed eius obtentionem esse necessariam.

a Not. 8.

2 AD SECVNDAM respondetur, quòd electio facta à Capitulo ad episcopatum renunciatum per suũ Episcopum sine licētia Papæ nihil valet: quia electio facta de episcopatu non vacante nihil valet, [b] & per responsionẽ ad quæstionem primam constat episcopatum renunciatũ sine licentia Papę non vacare: & consequenter electio facta de tali episcopatu, est facta ad episcopatum, non vacantem, & ita ad episcopatũ viuentis, quæ nõ pôt valere. [c]

b Arg. c. 1. de concessione præb.

c Arg. præfati. c. 1. de concess. præbend.

3 AD TERTIAM respondetur, quod Capitulũ non perdit ipso iure ius eligendi, eo solo, quòd admittit renunciationem episcopatus à suo Episcopo sine licentia Papæ factam. Tum quia nihil valet illa renunciatio, nec admissio: & regulariter actus nulliter & inualidè factus nullum producit effectum, iuxta illud Persij, *Ex nihilo nihil, in nihilũ nihil posse, reuerti*: & iuxta illam regulam. [d] *Non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum*: & gloss. recept. [e]

d Lib. 6.

e Ca. ex teno re. de rescript. verb. negotio.

4 Tum quia ca. vltimum, [f] probat quòd Capitulum habens ius præsentandi ad aliquod beneficium non perdit illud etiam pro prima vice, propterea quod malè conferat illud: ergo nec Capitulum perdet ius eligendi Episcopũ etiam pro prima vice, eo quòd malè eligat illum. argumẽto à simili, quod valet de iure. [g] Tum quia in ca. fin. [h] est casus, quod patronus, qui promittit præsentare ad beneficiũ viuẽtis, malè facit, sed potest præsentare postea post mortem illius viuentis.

f De iure patro.

g Capi. inter cæteras. de rescript.

h De concess. præben.

5 Tum quia numquam est dicendum pœnam priuationis esse ipso iure impositam, nisi cum aliquo iure id exprimitur, iuxta glo. recept. & à multis reputatam sing. [i] At nõ memini legere aliquem text. authenticum, qui exprimat Capitulum perdere ipso iure ius eligendi Episcopum, eo quòd admittat cessionem episcopatus à suo Episcopo factam: ergo non est dicendum ipsum ipso iure perdere ius eligendi etiam prima vice.

i In d. ca. vlt. de iure pat.

6 Tum quia non obstat ca. *cum in cunctis*, [k] quatenus habet canonicos priuari eligendi potestate, si contra formã illius ca. elegerint: quia loquitur in longè diuerso casu, nã loquitur de eligentibus indignum ad episcopatum vacãtem, nos autem de Capitulo malè acceptante & admittẽte renunciationem episcopatus: & lex pœnalis non debet extendi extra proprium casum. [l]

k §. fina. de elect.

l §. pœna. d. 1.

7 AD QVARTAM respondetur, quòd Papa potest ratam habere illam renunciationem, quam Episcopus fecit in manibus Capituli, sicut & renunciationes aliorum beneficiorũ factas corã notario & testibus sine superioris auctoritate, licet sine illa factæ non valeãt, [m] & derogare iuri eligendi, quod Capitulum posset prætẽdere, propter delictum quod commisit in admittendo & acceptando renunciationem, quã non poterat iure admittere, & propter irreuerentiam, quam fecit Papæ, & episcopatui, admittendo illam renunciationem.

m Cap. quod in dubijs. & c. admonet. de renunc. cum eis adnot.

8 Quia licet ipso iure non perdidit ius eligendi, vt dictũ est, tamẽ deliquit ita, vt posset eo iustè priuari per Papam: sicut simoniacus conuentionalis tantùm, & non realis, nõ perdit quidem ipso iure ius sibi quæsitum per collationẽ, potest tamen priuari eo propter delictum, vt nos probamus in Manu. confess. [n]

n Ca. 23. nu. 1[illegible]. vel 102.

9 AD QVINTAM respondetur, quod non est necesse cassare electionem, ad hoc, vt Papa conferat præfatũ episcopatũ cui volet: quia notoriè est ipso iure nulla: quia notorium iuris est Capitulum præfatum nulliter admisisse renunciationem, & nulliter elegisse, si elegit ad episcopatum non vacantem, & hominis viuentis, contra ca. 1. [o] & iura notissima omnibus etiam lippis & tonsoribus.

o De concess. præb.

10 AD SEXTAM tacitè ex prædictis resultantem, quòd Papa iustè potest prædictum Capitulum priuare iure eligendi præfato, etiam illo non citato: quia nõ solùm Papa, sed etiam alius iudex inferior potest procedere sine citatione, quando notoriè constat ei non competere defensionem, iuxta c. *cum olim*, [p] cũ ei adiectis per Pan. & Felinum, & in c. *causam quæ*. [q] cũ adiectis à Decio. Salua, &c.

p De re iudic.

q De rescript.

SVMMARIVM.

1 *Abiuratio propriè sumpta, per quam quis ab hæresi recedit, probat ipsum aliàs fuisse hæreticum, secus de impropria, quando quis de hæresi etiam vehementer suspectus illam se purgando abiurat. nu. 2.*

2 *Fautor hæreticorum regulariter solùm est suspectus de hæresi, at qui fauet credendo hæreticis, est verè hæreticus.*

3 *Resignatio beneficij in alicuius fauorem ab inquisito de hæresi, antequam tamen condemnaretur, facta, non vitiatur, licet resignãs priuetur beneficiis: at si declaretur ipsum beneficiis fuisse & esse priuatum, vitiaretur, si regula illa, res inter alios acta, &c. ei non posset suffragari.*

4 *Bulla Pij V. pœnam à iure contra fauentes hæreticis, eis credendo latam, ad fauentes hæreticis, officium inquisitionis, etiam mediatè, vel illius executiones impediendo, videtur extendere.*

CONSILIVM III.

A. Inquisitus beneficium suũ in fauorem certę personæ renunciauit, & postea tamquam fautor hæreticorum per sententiam condemnatus abiurauit, & inquisitores eum declararunt priuatum honoribus, dignitatibus, & beneficiis, & de illis insuper eum priuarunt. Quæritur, an renunciatio beneficij sit valida?

1 Quę sit in hac re mea sententia, dico primò, quòd abiuratio propriè dicta, per quã quis recedit ab hęresi, & accedit ad sanctã fidem Catholicã, à qua recesserat, probat abiurãtẽ verũ fuisse hęreticũ, & est maioris virtutis, quã abiuratio im℗priè dicta, qua negat quis se fuisse hęreticum, sed purgat se suspiciõe, qua laborauit, de qua ĩ c. *accusat*. [a]

a In princ. de hæret. li. 6.

2 Secũdò, ꝙ magna differẽtia est inter fautorẽ credẽdo, & inter fautorẽ alio modo cibãdo, potãdo, & aliis modis, qui fieri possũt & quotidie fiũt hereticis nunc in Galliis, Flãdria, & alibi. Ille enim est verè hęreticus, hic autẽ regulariter solũ suspectus: ita vt purgatione mũdetur, & licet alius sit leuiter suspectus, & alius vehementer suspectus, quãuis enim sit vehemẽter, & vehementissimè suspectus, non tamen est iudicandus hęreticus, iuxta c. *literas*. [b]

b De præsumptione. & d. c. accusatus.

3 Tertio, quod nunc ostenditur sententia iudicũ, qua fuit prædictus A. condemnatus, cũ abiuratione quã fecit ipse, quę dant magnã lucem decisioni huius causę, siquidẽ constat per eas non fuisse declaratũ hęreticũ, neq; credentem hęreticis, neq; fautorẽ eorũ credẽdo: adeo quod in forma suę purgationis acceptatę ab Inquisitoribus negat se vmquã credidisse cõtraria fidei Catholicę, neq; credere, & ℗mittit nũquã se crediturũ. Tenor aũt sententię habet, *quod per eã declarauerunt Inquisitores prędictũ A. esse priuatum honoribus, gradibus, dignitatibus, officiis, & beneficiis, insuper & de illis eũ priuãt*: quę clausula pôt habere duos intellect⁹. Alter est, ꝙ declaratur, ob prędicta, per quę in vehementẽ suspicionẽ hęreseos incidit, fuisse priuatũ ipso iure ante suã sẽtentiã: quia declaratio nihil noui inducit, sed solũ palã facit, quod erat obscurũ, [c] & secundũ hunc intellectũ prędicta sententia multũ lęderet prędictũ resignatariũ, nisi opponatur exceptio rei inter alios actę. Alter intellectus est, ꝙ per illam sententiã priuatur beneficiis, & declaratur priuatus: & secundũ hũc intellectũ parũ nocet ei: quia renunciatio beneficij pręcessit illã sententiã, à qua incepit prędicta priuatio, sed quia nõ satis noui stylũ suspiciendissimũ Inquisitionis vniuersalis, eiusdẽq; Illustrissimorũ Card. & prefectorũ, eorũ Dominationibus interpretationem remitto, iuxta illud, [d] *Eius est interpretari, cuius est condere*.

c Le. hæredes palam post prin. ff. de testamen.

d L. fin. C. de legibus.

4 Admoneo tamen ꝙ bulla Pij V. de re hac edita videtur extẽdere iura puniẽtia fautores credendo, ad aliquos fautores expressos in ea impediẽtes directè, vel indirectè officiũ Inquisitionis, vel eius exequutionẽ: prędicta tamen sentẽtia Illustriss. Card. nõ videtur exprimi saltẽ clarè aliquis modus in illa bulla contentorũ: & ita sententia prædicta, licet aliquibus videri possit extendi ad aliquot fautores aliter quam credendo, aliis tamen videri posset non extendi. Quare interpretationem illorũ sententiæ remitto etiam quo ad hoc, vt antea remisi quo ad alia, eorum emunctissimæ & canissimæ intelligentiæ, eo quod non sim in eorum stylo discernendo satis versatus.

SVMMARIVM.

1 *C[illegible]ulatiua dispositio ad sui subsistentiam requirit verificatio[illegible]em vtriusque copulati: fallit, quando vtrumque per se sufficit [illegible]d causandam ipsam dispositionem.*

2 *[illegible]enunciatio beneficij, tacito quod ad illius titulum fuerit ordina-*

*tus, si renuncians verè habet vnde aliunde viuat, in conscientia, & in tribunali iudicante secundum æquitatem tenet, aliàs contrarium iudicabitur.*

## CONSILIVM IIII.

DE eo, qui ad titulum cuiusdã beneficij ad sacros ordines promotus post multos annos nihil aliud vnde viuere posset habens illud renunciauit, reseruata sibi pensione cẽtum ducatorũ, nulla tamen facta mentione, quod ad titulum illius beneficij ordinatus esset. Quæsitũ fuit, an stante [a] Concilij Tridentini decreto talis resignatio valeret.

1 Pro parte negante, scilicet quod non valet, facit, quod dispositio copulatiua ad sui veritatem requirit, vt vtraq; pars sit vera.[b]

Pro parte vero affirmante, quòd valet, facit, quod ad veritatem dispositionis copulatiuæ sufficit verificari alterũ copulatiuum, quando vtrumque per se ad eam verificandam sufficit, iuxta glossam,[c] quam Felin. exornat latè ibi [d] & ad hoc vt satisfiat menti Concilij disponentis quòd, vt renunciatio valeat, fiat mentio de ordinatione ad titulum beneficij renunciandi, & quod remanet renuncianti id, quod ad victum eius sufficit, videtur sufficere, quod remaneat ei victus honestus: quoniam ideo fecit illud c. Cõcil. ne sacris initiatus indecorè mendicet, & in casu proposito ordinatus renuncians reseruauit sibi pensionem centũ scutorum, quæ sufficit ad eius victum.

2 Quibus præmissis, respondeo primò, credere me valere renunciationem quo ad forum conscientiæ propter rationem pro posteriori parte adductam, & alia multa, quæ posset adducere, cui vacaret id facere.

Secundo, credere me, Papam, & eius suprema prætoria ex bono & æquo iudicantia, & à quibus non appellatur, etiam censura eam validam quo ad forum etiam exterius: quamuis suspicer multos ordinarios, & delegatos particulares iudicaturos eam non valere, quia resignans de neutro fecit mentionem expressam, licet sic tacitam de secũdo, per argumentum pro priori parte factum, & alia iura, quæ aliquid de necessitate exprimendi statuũt. Salua, &c.

*Aduertendum referri sacram Congregationem censuisse eiusmodi renunciationem esse nullam, ex quo non fuit expressum resignãtem ad illius titulum promotum, quæ expressio pro forma requiritur.*

### SVMMARIVM.

1 *Confidentia præsumitur, si quid renuncians post collationem ex beneficio percipit.*

2 *Renunciatio facta coram tabellione sine auctoritate superioris non valet.*

## CONSILIVM V.

DE illo, qui renunciauit beneficium coram ordinario, nulla facta confidentia expressa, sed renunciatarius soluit renuncianti post contractum coniugium certis annis fructus eius ob pietatem, & misericordiam, quia pauper erat. Et de illo, qui renunciauit beneficium coram notario & testibus sine auctoritate superioris, an valeat?

1 AD PRIOREM quæstionem respondeo, quod in foro exteriori iudicabitur interuenisse confidentiam, quia Pius V.[e] determinauit censendum esse interuenisse illã, quoties post collationem beneficij renuncians aliquos fructus beneficij renunciati, vt patet in eius copia à nobis relata in Manu. nostro,[f] quamuis credam eã coram Deo, & quo ad forum interius non interuenisse, vt ipse adnotaui.[g]

2 AD ALTERAM, quod non valuit renunciatio eius facta coram tabellione sine auctoritate superioris.[h]

### SVMMARIVM.

1 *Possessionem beneficij à Sede Apostolica obtenti post expeditas literas, etiamsi nondum ad eius manus peruenerint, capere iure potest, prouisus, modo tenor literarum non obstet. & nu. 5.*

2 *Pensio reseruata alicui potest iure communi attento solui, etiam antequam literæ prouisionis expediantur, nisi literarum forma obstet.*

2 *Resignans valide beneficium post admissam resignationem etiãsi alteri non conferatur, non potest illud retinere: quia v[a]cauit, nec est amplius suum, nisi ei denuo conferatur: teneturq[ue] restituere fructus perceptos, deducto tamen stipendio quod [vi]cario seruienti deberetur. num. 6.*

3 *Consentiens facienti non peccat, quando nec qui facit peccat.*

4 *Fructus beneficij mei, quorum ego debeo esse administrator, redditurus rationem Deo, si consentio laico, vt eos sine iusta causa vel propria auctoritate vsurpet, incido cum ipso in excommunicationem per sacrum Concil. sess. 22. c. 11. latam. & nu. 5. & 6.*

## CONSILIVM VI.

LAicus, qui pro scutis octuaginta conductionis titulo solebat tenere bona cuiusdam parochialis, & ea sublocare maiori pensione, curauit illam conferri cuidã sacerdoti, pro quo etiam sua pecunia expediuit literas, quas penes se retinuit, vnde sacerdos sine illis possessionẽ accepit, permisitque, & permittit dictum dominum frui dictis bonis, à quo accipit dicta scuta octuaginta. demum resignauit beneficiũ: sed quia alteri non cõferebatur, perseuerauit, & perseuerat, vt supra. Quæritur quid agendũ?

1 Respondeo sequentia. Primum, quod præfatus rector, attento solo iure communi, satis defendi posset quo ad forum conscientiæ ad culpam accipiendi possessionem post præfatas literas expeditas, nondũ ei traditas,[a] nõ obstante quod communis opinio,[b] post & ante Rotam,[c] teneat, quod ante præsentationem rescripti non quæritur iurisdictio iudici, vel executori. quia dici posset, illud procedere in foro exteriori, & cũ non apparet de mente concedentis, vt prosit ei, cui conceditur, sicut in hoc casu satis videtur apparere, attento solo iure communi. Facit, quòd in practica Cãcellariæ, siue prouinciali habetur, quod potest solui pensio reseruata per signaturã, ab eo qui certus est illam esse concessam, ante literarum præsentationem, immo & ante illarum expeditionem, in foro conscientiæ: quam sequitur Gigas.[d] Faciunt & alia plura, quæ nos adduximus in repet. c. accepta.[e]

Secundum, quòd contrarium forte dicendum est, attenta forma literarum, & modi, ac conditionis in eis positorum, quam quia non vidi, non possum aliquid certi determinare.[f]

2 Tertium, quòd præfatus rector non potest excusari à culpa retinendi præfatam Ecclesiam post renũciationem, quæ in facto proponitur, si fuit facta in manibus superioris potentis illam admittere, ita quod per eam vacauit illa, licet non fuerit effectus alios sortita: quia graue peccatum est retinere rẽ alienam,[g] & beneficiũ, quod quis renunciauit, non est renunciantis, nisi denuo ei collatũ fuerit,[h] & quia beneficium sine titulo canonico non potest obtineri.[i]

3 Quartum, quod si præfatus dominus potest excusari à culpa & pœna præfati [k] Concilij Tridentini, ipse quoque rector excusari poterit ab eis: quia si principalis non peccat, nec fautor eius peccauit.[l]

4 Quintum, quod ad iudicandũ præfatum dominum incurrisse prædictã culpam, & pœnã, faciunt hæ coniecturæ scilicet quod videtur capere fructus præfatæ Ecclesiæ sine, legitimo titulo, & nõ qualitercumq; sed auctoritate propria, immo & laica, & quod nõ videtur permittere rectori eos capere, & pro suo arbitrio videtur disponere, & procurare, vt præfata Ecclesia detur & teneatur in quamdam cõfidentiam, & quod ipse expediuit bullas, & retinet eas, quæ omnia arguunt, eũ auctoritate propria & laica vsurpare fructus, & res Ecclesiasticas, & consequenter incidere in culpam & pœnam.[m] Quamuis pro contraria parte faciat, quod ipse fecit sumptus expeditionis bullarum, & quod soluit 80. aureos rectori seruienti, & emit ornamenta Ecclesiæ, & eius bona accepta in affictum, per sublocationem facit maiorum reditum.

Sextum, quod præfatus rector per se, vel suũ Episcopũ, vel confessarium eius deberet eum monere, vt consideret qua mente, quo titulo, qua auctoritate, & qua de causa accipit, & dispendit, præfatos fructus, & quod veritate facti narrata cõsulat aliquem virum sufficientis ad id scientiæ, & conscientiæ, qui ei libere dicat, an incidat in præfatum canonem, & interim idem rector debet etiam considerare, qua de causa permittit præfato domino administrare præfatos fructus, & desinit petere rationẽ recepti, & impensi tãto tempore, an aliquo pacto cõfidentiæ, vel donatione à se illi facta, vel de mãdato procuratorio à se illi facto, &c. quoniã ipse est administrator illorũ fructuũ, & tenetur

a Ca. 2. de reform. sess. 21.
b Le. si hæredes plures. ff. de hæred. instit. & ca. intercateras. de rescript.
c Ca. ex parte. de rescrip.
d à num. 23.
e In sua extrauag. de cõfiden.
f Cap. 23. nu. 110.
g In 1. not. super præfata extrauag. Pij V.
h Iuxta capi. quod in dubijs. & ca. admonet. de renunciat.

a Argu. cap. si tibi absent. de præbẽ. li. 6. & c. 1. §. ex parte. de concess. præbend.
b In ca. super eod. 2. de appell.
c In decis. 19. de concess. præb. in nouis.
d De pensio. qu. 34. nu. 4.
e Oppos. 8. nu. 24. de rest. spol.
f Iuxta le. vt responsum. C. de trãsact. & l. precibus. C. de impub.
g Capi. si res. 14. quæst. 6.
h Cap. quam periculosum. 7 q. 1. & toto tit. de renunciat.
i Ca. 1. de reg. iur. lib. 6. & c. 1. de eo qui mit. in possess. caus. rei seruan. eod. lib.
k Cap. 11. sess. 22.
l L. cum principalis. ff. de reg. iur. & c. accessorium. eod. tit. lib. 6.
m Præfati ... 11

netur reddere Deo ratione de illis: &, si scit præfatũ dominũ facere, quæ facit, animo conuertendi fructus in suos vsus, vel vsurpandi eos, vel ius accipiendi, & administrandi vel impediendi, ne eos accipiat rector, ad quem spectant, per ea quæ colliguntur ex c. *cũ vos.* [a] & ex bulla Cœnæ Domini, & præfato [b] Concil. Trid. & si inquam scit, & consentit eiusmodi vsurpationi, incidit in culpam & pœnas præfati c. [c] & ita est excõmunicatus, & quia talis existens celebrauit, est irregularis, cap. *si celebrat.* à contrario sensu, & communis. [d]

5 Septimum, quod ex primo & secundo dicto colligitur decisio primæ quæstionis, videlicet quod ob solã possessionis apprehensionem post expeditionem literarum non incurrit vllam censuram, attẽto solo iure communi; & quod an incurrerit ex transgresione formæ illarum, videndæ sunt illæ. Quod autem allegatur in ea pro ipso, scilicet quod dominus auctoritate propria capit præfatos fructus, cõtra ipsum facit, eo quod cõsentit, per dictũc. [e]

6 Octauum, quod ex tertio dicto colligitur decisio secũdę quæstionis. scilicet, quod si renunciatio Ecclesiæ valuit quo ad hoc, vt illa vacaret, & non fuit ei denuo collata, tenetur restituere quicquid ratione tituli relicti siue renunciati accepit, excepto eo quod fuisset dandum in salarium cuicumque vicario mercenario; & quod si renũciatio nõ fuit talis, non tenetur restituere præfatos 80. aureos, sed tenetur reddere ratione Deo de omnibus fructibus, quos dominus recepit, deductis quæ ille impendit in literarum expeditione, & in paramentis & ornamentis ecclesiæ, & etiam deducto auctario redituum, eo quòd sublocatio fiebat à domino; quia tenebatur impẽdere, quatenus essent sibi superflua, in vsus pios, & non ditando dominum diuitem, per ea multa, quæ nos diximus in Apolog. lib. de red. eccles. [f] Nisi iustus timor, vel aliqua alia causa excuset eũ à petenda ratione: nam confessio, qua forte consensit prę fatæ vsurpationi, magis grauat, per prædicta.

Nonum, quod ex quarto, quinto, & sexto dictis colligitur decisio tertiæ & quartæ quæstionis.

Decimum, quod ægro profecto animo his quæstionibus respondi; nec id fecissem, nisi magna auctoritas iubentis & rogantis in id me impulisset; quia factũ est intricatũ & implicitũ, & quo respõsio esset clara, maiori explicatione indigebat, vt ipsa præfata dicta satis significãt. Salua, &c.

*a De offic. ordin. & c. præsenti. eod. tit. lib. 6. & cap. quia propter. de elect. eod. libr.*
b Cap. 11. sess. 22.
c 11.
*d In cap. 2. de cler. excomm. minist.*
*e 11. relatum in 6. dicto.*
*f Q. 1. mon. 27. & 37. & seq.*

SVMMARIVM.

1 *Regula de infirmis resig. non habet locum in resignante sano, licet intra 20. dies à præstito consensu moriatur.*
2 *Beneficium in manibus Papæ resignatum per eius prouisionem subsecutam fit resignatarij.*

CONSILIVM XI.

A SANVS misit Romam mandatum ad renunciandum beneficium suum in fauorem B. & mandatarius statim renunciauit beneficium illud, & signata fuit supplicatio à Papa in fauorem d. B. sed non præstitit consensum ad expediendũ literas. Elapsis 20. & pluribus diebus à die resignationis Romæ factæ, & supplicationis signatę, mortuus fuit præfatus A. quod cum sciuisset mandatarius, præstitit consensum de more præstari solitum apud notarium, qui scripsit datam præstationis illius anteriorem die mortis resignantis per plures quam 20. dies, & expediuit literas cum data supplicationis signatæ: & quia resignans mortuus fuit in mense ordinarij, collatum fuit beneficium ab eo cuidam C. qui post possessionem acceptam, cum vidisset literas Papæ datas 20. & amplius diebus ante mortem præd. resignantis, cessit possessioni, quam resignatarius ignarus præfatæ antedatæ accepit, & possidet pacificè. Quæritur an præfata prouisio Papæ possit defendi quo ad forum conscientiæ.

1 Respondeo pro parte negante facere regulam Cancellariæ, [g] quatenus requirit, quod resignans beneficium viuat dies 20. à die consensus præstiti & in casu proposito obiit resignans ante consensum præstitum.

Pro parte autem affirmante facit primò, quòd regula præfata loquitur de resignante constituto in infirmitate; & in nostro casu sanus erat tempore resignationis. Secũdo faciunt omnia illa, quæ Cassadorus adducit [h] & approbat Gomez [i] & meritò; quia per resignationẽ in manibus Papæ factam, & prouisionem subsecutã verè vacauit beneficiũ, & verè fuit collatum resignatario: & nihil obstat prædicta regula. Tum quia, vt diximus, resignans non erat infirmus tempore resignationis; & illa loquitur de infirmo resignante, nos autẽ de sano resignante. Quare resoluendo dico, quòd nec mandatarius, nec notarius tenentur ad vllã restitutionẽ faciendã prouiso per ordinariũ: quia nihil iuris ei ademerũt, cũ ante mortẽ resignantis totũ ius in d. beneficio fuisset resignatario quęsitum. Salua, &c.

*g De infir. resig. quæ est 18.*
*h In Decis. 1. de renunciat. i In dict. reg. infir. resig. q. ... & 32.*

SVMMARIVM.

1 *Beneficia contrahentis matrimonium vacant ipso iure.*
1 *Publicationis omissio resignationem annihilat, nisi iusto impedimento detentus omiserit. num. 3. & seq.*
2 *Possessor triennalis beneficij dominium illius quarit, vel saltẽ ius illud retinendi.*
3 *Impedito legitime non currit tempus.*
4 *Impedimentum iustum est patris obedientia filio.*
5 *Legẽ qui humanã ex causa quã iustã putat trãsgreditur, nõ pec.*
6 *Metus reuerentialis facit professionem nullam: & excusat à transgressione legis humanæ.*

CONSILIVM VIII.

N OBTINVIT à Papa per resignationem vnũ beneficium: & expeditis literis noluit pater eius vt acciperet possessionem statim, ad euitandam quandam discordiam inter cognatos eius, & resignantis. Interea lapsũ fuit tempus publicandi resignationẽ, & capiẽdi possessionem, ob quod petita fuit restitutio temporis lapsi: & post eã petitã, nõdũ tamẽ impetratã, resignans duxit vxorẽ, per quod vacat ipso iure beneficiũ, & N. statim accepit possessionẽ per literas antea expeditas, & per quinq; annos circiter accepit fructus mille aureorum. Quæritur, an egeat noua collatione, & oporteat eũ restituere fructus, & cui.

1 Pro parte affirmante facit primò, quòd beneficiũ præfatum non vacauit per resignationem, sed per matrimonium, per quod ipso iure vacant beneficia contrahentis, iuxta textus adiuncta glossa recepta [a] quam roborat ibi Panormitanus quę communis opinio est, & recepta. Et prouisio illius facta fuit tanquam vacantis per renunciationem. Nec obstat dicere, quod vacauerit per renunciationem in manibus Papę factam: quia illa renunciatio, & eius effectus sublati fuisse videntur per negligentiam, & per omissionem publicationis renunciationis, & apprehẽsionis possessionis, quę fieri debebant intra sex menses. [b]

2 Sed his non obstantibus contrarium est respondẽdũ. Primò quidem, quòd videtur vera opinio illa glossę antiquę [c] quę habet triennalem possessorem pacificũ fieri dominum beneficij, vel saltem habere ius legitimum quo ad Deum, & homines, percipiendi, & retinendi fructus beneficij triennio possessi: quod nobis videtur certissimum de illo, qui bona fide possedit, vt ĩ casu proposito, in quo possedit N. credens beneficium esse suum; quemadmodum visum fuit Ludouico Gomezio & allegatis per eum, [d] esse certum etiam de possidente mala fide, & attestatur, quod post multas propositiones, & disputationes Rota suo tempore per rationes ibi per eum latè relatas definiuit regulam illam non requirere bonam fidem.

Secundò, quòd iustè credi potest non vacasse prædictum beneficium per lapsum sex mensium prestitutorum ad publicandas resignationes, & apprehensionem possessionis beneficiorum resignatorum, per regulam, & extrauagãtem prædictas: quia huiusmodi tempora præstituuntur saluo iusto impedimento: nam agente impedito non currit tempus iuxta iura, [e] & tradit latius Felinus. [f] At prę fatus N. fuit impeditus ad publicandam renunciationem, & apprehẽdendã prædicti beneficij possessionẽ. Tũ quia pater id ei iussit ad euitandam discordiam inter cognatos suos, & resignãtis, & patri iubenti parere debet filius, per quartum pręceptum Decalogi, & iuxta illud, *Parentibus & patriæ pareamus.* [g] Tum quia pater detinebat literas, & nolebat eas tradere ad eas publicandas & apprehendendam possessionem, ob finem iustum, & sanctum, & non decebat filium mouere litem contra patrem iusta de causa negantem illas tradere, & quod lapsus prefatorum sex mensium non noceat impedito iusta de causa, non solùm generaliter leges vtriusque iuris statuunt, sed etiam in specie de prædicta regula & extrauagante probat Felinus, [h] & Gomezius. [i] Non obstat, ipse ait, quod si impe-

*a In cap. 1. de cler. coniug.*
*b Per reg. Cã cell. de public. & extrauag. Pij V. eã ampliantem. c Reg. de triẽnali possessio. col. 5.*
*d In d. reg. de triennali, qu. 42.*
*e L. 1. §. fi. C de annali except. c. quia diuersitatẽ. de concessio. præben. c. ex trãsmissa. de præscript. f Ibidem n. 8. g L. veluti. de iust. & iu.*
*h Vbi supra. i In qu. 13. de publica. resignatio.*

dimentum est quo ad locum, vel ad tempus, debet fieri in alio loco, vel tempore, quoniam prædictum impedimentum, quo consulens impeditus fuit à patre, tam impedit quo ad vna loca, & tempora, quàm quo ad alia, vt palàm est. Non obstat etiam, quòd Gomezius non posuit hoc exemplum, quia ratio suadet idem esse de similibus dicendum: & quòd cùm aliquid generaliter & nõ in specie determinatur, relinquitur determinatio eius specialis arbitrio boni & prudentis iudicis, [a] & arbitrio boni & prudentis iudicis iudicabitur pręfata iussio, & reuerentia paterna, & euitatio discordiæ præfatæ cum retentione literarum fuisse iusta causa ad differendum aliquo tempore prędictam publicationem, cum sine vllius præiudicio illa dilatio fieri posset, præsertim quo ad forum conscientiæ.

a *Leg. 1. ff. de iur. deli. & c. de causis de offic. deleg.*

5 Tertio, quòd res, quæ culpa caret, in damnum vacari non debet, [b] & qui legem humanam positiuam transgreditur iusta de causa, vel quam putat esse iustam, nõ peccat saltem mortaliter, vt tradit Caietanus, [c] quod satis colligi potest ex S. Thoma, [d] & nos tradimus in Manu. confess. [e] & latius in comment. super glossam summæ, [f] & præfatus N. credens se sanctè agere differendo præfatam publicationem ob prædictum iussum, reuerentiam, & detentionem præfatam literarum, non peccauit, nec læsit aliquem notabiliter, nec dedit scandalum notabile: ergo non debet ob illam dimisionem priuationis pœnam incurrere, præsertim quo ad forum conscientiæ.

b *Capit. 2. de constit.*
c *In 2. 2. quæ. 157. art. 3. & in sum. verb. ieiuniũ. §. quo ad 5. vers. de rationabili autẽ causa.*
d *In 5. art.*
e *Prel. 9. nu. 16.*
f *De aliẽ. rer. eccles. 12. q. 2. nu. 10. & 15.*

6 Quarto, quod metus reuerentialis parentum excusat à valore professionis, & matrimonij, licet nõ sit alioquin iustus, iuxta glossam celebrem, [g] per quam aliqua alia diximus in Manual. cõfess. [h] scilicet, *quod ad excusandum corã Deo à peccato transgreßionis legis humanæ sufficit metus, vel timor etiam non iustus, si fuit ille causa transgreßionis*: & in casu proposito prædictus N. omisit præfatam publicationem timore reuerentiali sui patris, immo in sua potestate non erat publicare literas à patre retentas: ergo non peccauit coram Deo, & in foro conscientiæ: & consequenter non meretur pœnam coram sua diuina maiestate, & foro conscientiæ, in quo ipsa sola est iudex. [i]

g *In cap. præsens. 20. qu. 3.*
h *Ca. 22. nu. 5 & cap. 17. num. 20.*
i *Cap. humanæ aures. 22. quæst. 5.*

Quinto, quod præfatus N. non omisit publicationem renunciationis, & apprehẽsionem possessionis ad lædendum alium aduersarium, nec de facto læsit etiam Cameram Apostolicam: quia expediuit literas, nec dedit vllum scandalum damnificans alium, & ideo non tenetur restituere quicquã, per supradictas doctrinas S. Thomæ Caietani & aliorum: præsertim si teneremus antiquorum doctorum Gallorum opinionem, quæ habet regulas Cancellariæ pœnales non ligare conscientiam, & quod præfata regula de publicanda resignatione est pœnalis: quod tamen non requiritur in casu proposito, in quo aliæ rationes sufficienter probant verum esse quod dicimus, scilicet, nec inualidam esse collationem, nec præfatum N. teneri ad restitutionem fructuum in foro conscientiæ. Salua, quæ iustior fuerit, sententia.

*Aduertendum quòd spectat ad possesionem triennalem videndum, quod notatur infra consilio 20 & 30 de præbendis, & quod spectat ad regulam de publicanda resignatione videndam constitutionem Gregorij XIII.*

SVMMARIVM.

1 *Resignatum beneficium conferens ordinarius propinquo resignantis suspenditur à collatione beneficiorum, & si sic ligatus conferat, excommunicatur ipso iure & si sic ligatus ministret in põtificalibus, vel ordinibus, efficitur irregularis, absolutióque, & dispensatio est à Papa petenda. num. 3.*

1 *Ignorantia extrauagantis publicè in Curia publicatæ ægrè in foro exteriori admittitur, quæ tamen si verè adfuit, ita quod si eam quis sciuisset, non contrauenisset, excusaret à pœna in foro conscientiæ, num. 3. ac etiam ab obligatione restituendi fructus ex beneficio nulliter collato bona fide perceptos, & in bonos vsus consumptos. num. 4.*

1 *Pœna ipso iure ob malam collationem imposita incursa non euitatur, etiamsi prouisus beneficium post acceptam possessionem resignet.*

## CONSILIVM IX.

Qvidam Reuerendissimus Episcopus ignorans extrauagantem Pij V. quæ incipit, *quantæ*, contulit cantoriam resignatam à cantore filio eiusdem cantoris.

A Quæritur primo, an dictus Episcopus incurrerit pœnas prædictæ extrauagantis.

Secundo quæritur, quid de prouiso à dicto Episcopo de dicta cantoria, si ipse etiam ignorabat prædictam extrauagantem.

AD PRIOREM quæstionem respondeo primò, dolore me in primis de huiusmodi casu, in quem facile etiam optimus Episcopus incidere potuit per ignorantiam, vel inaduertentiam.

1 Secundò, quòd nescio qua via excusari posit præfatus Reuerendissimus Episcopus in foro exteriori, præsertim si res contigit in Italia. Tum quòd in ea ægrè admitetur ignorantia pręfatæ constitutionis Pij Quinti, *quantæ*, legitimè in Curia publicatæ. Tũ quia nihil prodest Reuerendissimo renunciatio prouisi ab eo post collationẽ factam, & possessionẽ acceptam: quia propter collationẽ beneficij imponitur pœna suspẽsionis, & non propter retentionẽ eius. Tum quod excõmunicatio imponitur propter secũdã collationẽ, quã nõ excusat renũciatio primi prouisi.

B

2 Tertiò, quòd excusari posset in foro conscientiæ præfatus Episcopus, si verè ignorabat præfatam constitutionem Papæ Pij Quinti, sic quod, si eam sciuisset, nõ contulisset præfatam cãtoriam filio cantoris: argumento cuiusdam dicti Innocentij, [a] & aliorum quę congerit Felinus. [b]

a *In capit. per tuas. 2. de simon.*
b *In c. 1. fall. 7. de re iudicata.*

3 Quartò, quòd oportet præfatum Episcopum prouidere sibi de absolutione Papæ tam à suspensione, quàm ab excommunicatione, immo & ab irregularitate, si censuris astrictus celebrauit, vel egit Pontificalia.

C

AD POSTERIOREM quæstionem respondeo primò, quòd si res contigit in Vrbe, vel in alio loco, vbi non admittatur excusatio ignorantiæ, non posset excusari secundo prouisus in foro exteriori, prætextu ignorantiæ præfatæ constitutionis, neque à peccato mortifero suscipiendi beneficium, neque à peccato retentionis illius, vel perceptionis fructuum eiusdem, neque à restitutione fructuum: quia præsumetur in eo foro scientia eiusdem constitutionis. [c]

c *Arg. c. ignorantia. de reg. iur lib. 6. cum similibus.*

D

4 Secundo, quod excusari potest ab omnibus præfatis peccatis in foro conscientiæ, si verè ignorauit eam, taliter quod nõ suscepisset illud, nec retinuisset, nec fruitus esset eo, si eã sciuisset, & etiã à restitutione, si bona fide fructus suscepit, & in bonos vsus impendit. argumento præfati dicti Innocẽtij, & aliorum à Felino, [d] pro illo allegatorum.

d *Vbi supra.*

SVMMARIVM.

1 *Reciproca renunciatio & illicita tunc est, quando adest saltem tacita conuentio. num. 2. Idem dicitur de reciproca collatione. num. 3.*

3 *Iure naturæ obligamur benefacienti benefacere.*

4 *Tẽporis diuersitas & distantia tollit præsumptionẽ correspectiuitatis actuum, sicut identitas & proximitas illam inducit.*

## CONSILIVM X.

E

Qvidam rector resignauit sine vlla reseruatione rectoriam suam in fauorem cuiusdam, qui erat filius alterius rectoris, qui post sex annos renunciauit aliam suam rectoriam in fauorem filij primi rectoris, reseruata pensione medietatis fructuum. Quæritur an secunda renunciatio dicenda sit reciproca, & damnata in [e] Concilio Tridentino.

e *Capit. 15. de refor. sess.*

1 Respondeo primò, quod non censetur quo ad forum conscientiæ reciproca, quia in narratione casus proponitur, nullum pactum, neque conuentionem interuenisse, vt vterque rectorum alter in alterius filij fauorem suam rectoriam renunciaret: & in illo foro sola rei veritas attenditur, & non præsumptio veritati contraria. [f]

F

f *Ca. tua. adiucto c. is qui de sponsalib. cum eis adnotatis.*

Secundò, quòd neque potest censeri etiam quo ad forum exterius illicita reciproca. Primò quidem, quòd non est reciproca: quia, vt prædictum est, reciproca renunciatio est, quando plures conueniunt, vt alter in gratiam alterius reciprocè renunciet. argum. cap. *vbi periculum*, [g] ibi: *non in se reciprocent considerationis intuitu, vel in suos.* [h] & satis significat prædictum c. [i] at in casu proposito nulla fuit talis conuentio. Secundò, quòd licet rector prior renunciãs habuisset aliquam intentionem mouendi patrem eius ad faciendum aliquando aliud simile in fauorem filij sui benemeriti ratione gratitudinis, de quo tamen nullatenus constat, non ex eo sequitur, quod pater renunciatarij

g *§. cæterum.*
h *De elect. lib. 6.*
i *15. de refor. sess. 25.*

habuit similem intentionem & propositum.[a]

2 Tertio, esto quod esset aliqua reciprocatio mentalis: non tamē esset illicita, neque reprobata per prædictum.[b] Tum quia sicut non omnis confidentia, sed tantum inordinata est illicita, vt nos probamus in Manua. confess.[c] ita non omnis reciprocatio, sed tantum inordinata est iudicanda illicita. Tum quia renunciatio illicita est, quando conueniunt duo, vt alter renunciet beneficiū in fauorem alicuius, quē alter designat, & ille alter renunciet in fauorem eius, quem alter designauerit: quia simonia est, vt nos tradimus in Manual. confess.[d] At in hoc casu nulla talis conuentio interuenit. Nec obstaret, quod intentio prædicta interuenisset: nam quando non interuenit conuentio tacita, vel expressa, etiamsi interueniat intentio mentalis, non propterea renūciatio fit illicita, vt post glossam singularē.[e] & S. Antoninū & alios tradidimus in d. Man.[f]

3 Quarto, quod qua ratione licitum est vni Episcopo conferre beneficium cuipiam amico benemerito alterius Episcopi, cum intētione mentali tantùm sine pacto, quòd aliquando ille conferet aliud alicui amico suo benemerito, ob quamdam ordinatam & studiosam gratitudinem, & alteri Episcopo etiam licet conferre postea propter prædictam gratitudinem ordinatam aliud amico illius benemerito, ita licitum est vni beneficiario renunciare beneficium in fauorem amici benemeriti alterius beneficiarij, cum intentione mentali tantùm sine pacto, quod ob gratitudinem naturali iure debitam ipse renūciabit aliquando aliud alicui amico suo benemerito, nullo pacto in his tacito, neque expresso interueniēte.[g] Immo tanto maiori ratione licebit beneficiario ita renunciare, quàm Episcopo ita conferre, quanto collatio maius ius tribuit, quam renunciatio.[h] Quod autem liceat Episcopis ita conferre, ea firma ratione constat, quod nullo iure id prohibetur, immo iure naturali gratitudinem suadente, & obligationem antidoralem inducente, quadamtenus præcipitur per iura, quæ iubent vt benefacienti benefaciamus.[i]

4 Quinto, quod spatium sex annorum, quod interiacuit inter prædictas duas renunciationes, & quod vna fuit facta simpliciter sine vlla reseruatione, & altera cum reseruatione medietatis fructuum, cum valoris æqualis essent ambæ rectoriæ, tollit omnem ansam censendi vllam reciprocationem illicitam, argumento differentiæ quæ ponitur inter ea, quæ incontinenti fiunt, & ea quæ ex interuallo, præsertim magno, & tot annorum.[k] Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Renunciatio beneficij virtute mādati reuocati, sed non intimati nec procuratori, nec ei in cuius manibus erat facienda resignatio, facta, valida est, etiā si resignatarius sciens tacuerit.*

## CONSILIVM XI.

Titius resignauit in fauorem Sempronij suum beneficium: Sempronius discessit, vt veniret Romam cum literis procurationis dicti Titij, & in via accepit epistolā à suo patre, in qua ei commendabat diligentiam: quia Titius iam reuocauerat literas prædictas procurationis, & quod reuocationem istam Romam iam miserat ad suum procuratorem, & simul epistolam aliam dicti Titij, in qua constabat ipsum dictas procurationis literas reuocasse. Sempronius Romam accessit, & quæsiuit diligēter à procuratore dicti Titij, an literas quasdam ipsius Titij recepisset, cui procurator respondit nondum accepisse. Quapropter dictus Sempronius nihil dixit dicto procuratori, sed præsentauit suas literas procurationis, & supplica signata fuit à Papa, & procurator prēstitit cōsensum. Postea verò, sex, vel octo diebus transactis, literæ reuocatoriæ procurationis dicti Titij ad manus sui prædicti procuratoris peruenerunt, & procurator dixit intempestiuè venisse, cum iam consensum præstitisset virtute priorum literarum. Titius habuit notitiam huius facti, & scripsit Sempronio, quod tutò poterit prædicti beneficij possessionem accipere, & facti sunt amici. Quæritur quid iuris?

1 Respondeo, quod renunciatio illa satis iuridicè fuit facta, & valuit, quia reuocatio procuratoris ad renunciandū nō fuit intimata illi, neque ei, in cuius manib⁹ erat faciēda renūciatio, ꝙ requirebatur ad hoc, vt illa fuisset nulla: nec sufficiebat illi⁹ notitiā venisse ad eū, ī cui⁹ fauorē renūciatio erat faciēda, per cle. 1.[l] iūcta gloss.[m] recepta. Salua, &c.

[a] Ar. l. neque natales. C. de proba. & c. in præsentia. eod. tit.
[b] Cap. 15.
[c] Cap. 23. nu. 110.
[d] Cap. 23. nu. 107.
[e] Ca ordinationes. 1. qu. 2.
[f] Vbi supra.
[g] Argu. le. illud ff. ad leg. aquil. & cap. dudum. 2. de elect.
[h] Arg. authē. multo magis. C. de sacrosan. eccles. ca. cum in cūctis. de elect.
[i] L. si non fortē. §. libertus. ff. de cond. indeb. & le. sed etsi. §. consuluit ff. de peti. hære d. ca. cū in officijs. de testa.
[k] Iuxta l. lecta. ff. si certū peta. & l. legē. C. de pact. & alibi sæpe.
[l] De renūciat.
[m] Ibidem.

SVMMARIVM.

1 *Resignatio facta in manibus Papæ de beneficio prius resignato in manibus ordinarij admittentis, nihil valet: & successiuè pensionis super illius fructibus reseruatio subsistit, adeo vt soluta possit repeti. num. 6.*

2 *Resignatio beneficij per procuratorē absentis facta in manibus Papæ admittentis operatur vt beneficium apud Sedem Apostolicam, attento iure communi, ita vacet, vt ordinarius de eo prouidendo non dederit nec titulum coloratum. nu. 3. sed attento stylo dicta resignatio habetur pro non facta, donec præstetur consensus expeditioni literarum: adeo vt resignās possit denuo resignare nedum in manibus Papæ, num. 4. sed etiam ordinarij. qui illud poterit validè conferre. nu. 5. & 6.*

3 *Literæ Apostolicæ prouisionis seu collationis beneficiorum debent per bullam Iulij secundi intra sex menses expediri, alioqui beneficium vacat.*

## CONSILIVM XII.

Dedit quis mandatum ad resignandum beneficium in manibus Papæ in fauorem tertij, reseruatis sibi fructibus loco pensionis, & præterea illud, antequam coram Pontifice præstaretur consensus, resignauit simpliciter in manibus ordinarij, qui illud contulit eidem tertio, qui etiam literis Apostolicis non expeditis partem fructuum resignanti soluit. Quæritur quid iuris.

Respondeo primò, tot à D. consulente quæri, & tot me aliis occupationib⁹ necessariis angi, quod vix in animum induxi, vt eis quicquam responderem: sed in obsequium Dei, qui nos omnes pascit respondebo paucis.

1 Secundo, quòd resignatio præfata in manibus Papæ, & reseruatio fructuum à sua Sanctitate concessa, nihil omnino valuerunt, si fuerunt factæ posteaquam resignauit in partibus, qui dedit mandatum ad resignandum in Curia, quod narratio casus significat: quia resignans nihil resignauit, neque pensioni consentire potuit: quippe qui iam per priorem resignationem in manibus ordinarij factam beneficiū suū, & ius omne, quod in eo habebat, amiserat.

2 Tertiò, quòd si resignatio fuit facta prius in manibus Papę Romę, & ab eo admissa, quàm in manibus ordinarij, nihil valuit iure communi attento renunciatio facta in manibus ordinarij: quia beneficia vacantia in Curia, sunt reseruata Papæ,[a] & beneficia quæ renunciantur in Curia per procuratores, etiam existentium extra eam etiā mille milliaribus; dicuntur vacare in Curia secundum omnes.[b] Et ordinarius nō potest cōferre beneficia reseruata Papę.

3 Quartò, quòd ex hoc sequeretur, eum, cui facta fuit collatio ab ordinario, nihil iuris habuisse in illo, & nullos fructus sibi quæsisse, sed fuisse & esse intrusum semper: quia titulus ordinarij sibi nihil profuit, neque prodest, nec titulus Papæ: quia non fuit expeditus, nec datus consensus à procuratore, vt expediri posset: quia etiā vacasset, si quod ei quæsitum fuit, per cessationem semestrem ab expeditione literarum, per extrauagantem Iulij Secundi.

4 Quintò, quòd attēto stylo Curiæ, per quem videmus seruari quòd renūciatio facta, donec consensus præstetur, nullum parit effectū, etiā si sequatur admisio, & collatio beneficij renunciati: & ita nō censetur vacare: adeo quòd, qui renunciauit suum beneficiū in fauorem vnius, potest renunciare illud in fauorem alterius, antequam præstet consensum renunciationi, quam fecit in fauorem primi.

5 Sexto, quod retēto eo quod in hoc quinto dicto dicitur, renūciatio facta in manibus ordinarij absque vllo pacto simoniaco, & collatio facta ab eo, valuerūt, siue fuisset factæ ante renunciationē in manibus Papę factā, siue post eā: quia cū numquā fuerit prēstitus cōsensus renūciationi nec admisioni, neque literarū expeditioni, nullū effectū habuit renūciatio facta in manib⁹ Papæ: & ita perinde iudicādū est, ac si nūquā fuisset renūciatū corā sua Sāctitate.

6 Septimo, quod hæc consequitur, eum, cui beneficium collatum fuit ab ordinario per renunciationem in manibus eius factam, habuisse, & habere bonum titulum, & fecisse fructus suos, & iustè potuisse ac posse dispēdere illos in suos, & alios pios vsus, reseruationē autē factā N. à Papa virtute renunciationis in manibus eius factę, & ab eo admissæ, nihil valuisse, nec valere: & ita quidquid solutū est ei virtute reseruationis præfatæ, indebitum fuisse, & tamquam indebitē solutum repeti potuisse per condictionem indebiti,

[a] Per ca. 2. de prabend. li. 6.
[b] In dicto ca. 2. post gloss. in clement. 1. vt lite pendent.

indebiti, nisi scientia, vel aliquid aliud, quod impedire solet condictionem indebiti, interuenisset.

Octauo, quod de concordia & de iustitia & iniustitia illius nõ possum ego iudicare, nisi eius tenore perspecto.[a]

a Le. inciuile. ff. de legib.

## DE TEMPORIBVS ORDINATIONVM & qualitate ordinandorum.

### SVMMARIVM.

1 *Constitutio Romæ promulgata, licet secundum magis receptam liget prouincias, antequam in eis promulgetur, & recipiatur: at quo ad Francos in Francia degentes aliquid specialius videtur obseruandum.*

2 *Ordinatus sacris ordinibus ante ætatem legitimam Gallus in Gallia non est suspensus, nec ministrando fit irregularis, si bulla Pij II. ibi numquam fuit publicata, nec recepta: nec eget dispensatione, sed solùm vt legitimè pœniteat de peccato. num. 3. & 4.*

5 *Excommunicationem minorem æquari peccato mortali, seu per illud incurri, non est verum, nec Panorm. hoc dicit.*

## CONSILIVM I.

QVæritur primo, an Francus, qui ordinatur in Francia ante legitimam ætatem, incurrat irregularitatem, si ibi non est publicata extrauagans Pij Secundi.

Secundo, an esto quòd iste non incurrat irregularitatem, an peccet.

Tertio, an iste, si celebret, incurrat irregularitatem.

Quarto, an iste, celebrando post pœnitentiam iustam, committat aliquod peccatum.

Quinto, an indigeat dispensatione Papæ, aut Episcopi.

Sexto, an communicatio minor, & peccatum mortale æquentur inter se.

1 Ad quæstiones grauissimas dico, quòd longè aliter respondendum est illis in Francia Francis in ea morantibus, quàm in Manual. nostro scripsimus respondendum esse aliis secundum receptiorem sententiam, quæ habet, legem vel canonem in Curia Romana promulgatam ligare omnes prouincias, etiam antequam specialiter promulgetur in metropolibus earum, & recipiatur ab eis.

2 AD PRIMAM igitur quæstionem respondendum est, secundum opinionem, quàm veriorem putamus (vt aliàs dixi) Francum, qui ordinatur in Francia ante legitimam ætatem, non incurrere pœnam extrauagantem Pij II. si non fuit vmquam promulgata in metropolibus Galliæ, nec ab ea recepta, & consequenter non esse ipso iure suspensum, nec celebrando incurrere irregularitatem.

3 AD SECVNDAM autem respondendum esse, eum, qui sic ordinatur, indigere quidem pœnitentia iusta peccati, sed non absolutione irregularitatis, neque habilitatione Episcopi.

AD TERTIAM etiam respondendum esse, retenta prædicta opinione, præfatum sic ordinatum non incurrere celebrando irregularitatem.

4 AD QVARTAM etiam respondendum esse, sic ordinatum, celebrando post pœnitentiam iustam, non magis peccare mortaliter, quàm ali⁹ qui admittit aliquod aliud peccatum mortale, & post factam de illo iustam pœnitentiam, & legitimam confessionem, celebrat.

AD QVINTAM, quod non indiget dispensatione Papæ, nec Episcopi habilitatione.

5 AD SEXTAM autem, quæ non pendet ex veritate præfatæ opinionis, sed aliunde, respõdetur, falsum esse quod Panomitanus ab aliquibus receptus insinuat,[b] quatenus videtur æquare quo ad hoc minorẽ excommunicationem, & peccatum mortale, quod certè falsum est, vt nos asserimus in nostro Manu. confess.[c] & multis probari potest contrarium, immo etiam ex verbis ipsiusmet Panormitani iustè ponderatis: nõ enim æquantur excommunicatio minor, & peccatum mortale, cùm sese mutuo excellant, vt dicimus in d. Manual. confess.[d] est enim certum, esse falsum, quod omnis, qui peccat mortaliter, incurrit excommunicationẽ minorem, adeo quidem, vt plurimi peccent mortiferè, & paucissimi incurrant excõmunicationem minorem, vt colligitur ex prædicto Manual.[e]

b In ca. si celebrat. nu. 6. & 7. de cler. excomm. ministr.
c Cap. 27. nu. 25. & clarius in eod. ca. nu. 152.
d Ca. 27. nu. 25.
e Vbi supra.

### SVMMARIVM.

1 *Ordinari potest quis in loco domicilij.*

2 *Domicilium acquiritur per quãcumque modicam mansionem in loco animo ibi perpetuo manendi factam, adeo vt possit ab ordinario loci, vel ab alio de eius licentia ordinari.*

## CONSILIVM II.

AN Hispanus ortus Compluti, & ibi ordinat⁹ rite ad minores, qui postea mansit Tiburi tribus annis, & seruiuit Episcopo eius, possit ordinari ad ordines superiores per Episcopum Tiburtinum?

1 Respõdeo, quòd D. consulens potest ordinari legitimè ab Episcopo Tiburtino, vel ab alio virtute dimissoriarum ab eo illi concessarum, si mãsit Tiburi, vel in eius diœcesi annis prædictis tribus, maiore vel minore tempore, dummodo mãserit in ea cum intentione & voluntate permanendi ibi perpetuo: quia per huiusmodi mãsionem videtur quæsisse domicilium, per l. *ciues*, adiũcta glossa magna, & glossa in verbo, *laicum*,[a] per quæ probatur contrahere quem domicilium in loco vbi constituit habitare animo perpetuo habitandi, vel manendi ibi, etiam si paruo tempore manserit: quia per mansionem talem quæritur domicilium etiam momento temporis, vt post alios tradit etiam Philippus Francus,[b] vbi loquitur de domicilio, quod sufficit per illum textum ad effectum faciendi se subditum Episcopo, ad hoc, vt ordinari possit ab ipso ratione domicilij, quod per illum textum est vnus modus, per quem quis sortitur forum, & subiectionem Episcopi ad ordines recipiendos. Salua, &c.

a C. de incolis. lib. 10.
b In capi. cum nulla de tempor. ordi. li. 6.

### SVMMARIVM.

1 *Domicilium originis patris etsi transeat in filium, secus de domicilio habitationis.*

2 *Domicilium habitationis animo proprio & facto contrahitur.*

2 *Filiusfamil. potest sibi constituere domicilium, si sit pubes, num. 6. & conuiuendo cum patre, animo vt ibi perpetuo viuat, videtur ibi habere domicilium, num. 3. & 8. vnde & ibi mortuus, non electa sepultura, sepeliendus vbi pater, sicut & vxor simili modo vbi maritus. 4.*

6 *Impubes sibi domicilium non eligit: quod si conuiuit cum patre, patris habet domicilium, quod si habitet cum matre, secus, ibi tamen potest conueniri. num. 5.*

6 *Ordinari quis legitimè potest ab Episcopo loci, vbi habet domicilium.*

8 *Domicilium semel electum, etiam modico tempore continuatum non admittitur, quamuis alibi longo tempore moretur, animo tamen ad dictum electum domiciliũ reuertendi.*

8 *Domicilium pro libito, etiam quo ad spiritualia, sine licentia Episcopi, saltem si sit laicus, mutat quisque.*

## CONSILIVM III.

ORdinatus an sit legitimè filius, qui natus, & educatus in vna diœcesi, ad diœcesim, vbi pater habitabat, & domicilium habebat, venit animo perpetuo cum eo habitandi, & post annum missus fuit causa studendi ad ciuitatem, vbi natus fuerat, & mox reuersus ab Episcopo, vbi pater habitabat, fuit ad ordines promotus?

1 Respondeo, quòd pro parte negãte facit primo, quod licet domicilium originis patris transeat in filium,[c] domicilium tamen habitationis non transit in illum,[d] licet transeat in libertum.[e]

2 Secundo, quod domicilium habitationis ex animo & facto contrahentis contrahitur,[f] ergo animus & factum patris non sufficit ad constituendum domicilium filio.

Tertio, quod etiam filius familias potest constituere sibi domicilium.[g]

3 Pro parte verò contraria facit, quòd qui filius viuit cum patre animo tam suo, quam patris, vt ibi perpetuo viuat, videtur habere ibi domicilium: quia alicubi habet, cùm non sit vagabundus, & non alibi quàm ibi, ergo ibi. Secũdò, quòd alioquin sequeretur, quòd filij qui fuerunt nati in aliquo loco, & postea viuunt cum suis patribus in domiciliis eorũ multo tempore vsque ad triginta annos, nullibi haberẽt domiciliũ habitatiõis, ꝙ videtur absurdũ.

4 Tertiò, quòd filius natus alibi, & mortuus in domo patris, vbi habet domicilium, est sepeliendus in Ecclesia, in qua sepeliri deberet de iure ipse pater, si factus pubes non elegit sibi sepulturam, vt colligitur ex ca. *licet*.[h] Mulier etiam alibi nata, si non elegit sepulturam, debet sepeliri in Ecclesia, in qua est sepeliendus maritus, vt colligitur ex cap. *is qui*.[i] & non alia ratione, quàm quia habent domicilium habitationis, ergo ibi habent illud.

c L. 1. & l. assumptio. §. 1. ff. ad municipal.
d Dicta l. assumptio. §. filius.
e Di[illegible] [illegible]mptio. §. finali.
f Leg. domicilium. eod. tit.
g L. placet. ff. ad municip.
h De sepul. li. 6.
i Sub fin[illegible] sepult. li[illegible]

a L.e.1.C.vbi petant. tuto. in verbo, vbi mirantur.

5 Quarto, quod glossa,[a] expresſè habet pupillum poſſe habere domicilium habitationis extra locum originis, & extra locum, vbi habet facultates, & Azo in ſumma eiuſdem tituli idem habet, dicens, quod pupillus conueniri poteſt extra locum originis, & extra locum vbi habet facultates, ratione domicilij habitationis.

6 Quibus perpenſis reſoluo primùm, quòd filius impubes conuiuens patri ſuo habet idem domicilium, quod pater ſuus, & eſt incola eiuſdem loci cuius pater: quia impubes non poteſt eligere domicilium habitationis etiam patre mortuo, quia, vt dictum eſt, conſtitutio domicilij animum requirit perpetuo ibi viuendi: & ita ſi D. conſulens tranſiſſet ad domum patris intra pubertatem, & poſt eam non elegiſſet ſibi domicilium, cenſendus eſſet bene ordinatus.

7 Sed quia verbo additur caſui propoſito, quod prædictus conſulens fuit educatus cum ſua matre, quæ illum ex coitu illicito genuit illic, vel alibi vſque ad pubertatem, non habet in eo locum hæc reſolutio prima.

8 Secundo reſoluo, quod alia ratione D. conſulens fuit ſortitus domicilium in illa tertia diœceſi, vbi pater habebat ſuum, ea ſcilicet, quòd, vt verbo additur prædicto caſui ſcripto, prædictus conſulens iam pubes factus adiuit domum patris ſui animo perpetuo viuendi ibi, & manſit circa annum vnum: & quamuis poſtea adiiſſet ſcholam, ſemper tamen habuit animũ redeundi ad domum, & ciuitatem, vbi habebat pater ſuus domicilium. Præſuppoſito etiam hoc, eſt dicendum, quod prædictus conſulens conſtituit ſibi domicilium ibidem: quia, vt prædictum eſt, filius etiam familias poteſt eligere ſibi domiciliũ poſt pubertatem, per dictam l. *placet*, [b] quod hic fecit conſtituendo viuere ibidem cum patre ſuo perpetuo, & incipiendo viuere ibidem: nam quilibet poteſt ſibi conſtituere domicilium, vbi voluerit, [c] & transferre illud de vno epiſcopatu ad alium, etiam ſine licentia Epiſcopi, ſaltem ſi eſt laicus, non ſolum quo ad temporalia, iuxta dictam l. *nihil*, [d] ſed etiam quo ad ſpiritualia. [e]

b Cũl ſeq. ff. ad municipal.
c L. nihil ff. de municipal.
d Auiuncta l. incola 1. & 2. ff. ad municipal.
e Cap. fin. vbi hoc notat Panorm ab alijs receptus. de paroch.

Tertio, quod non obſtat his quod ponitur in facto, quod prædictus conſulens non erat domiciliatus Barbaſtri: quia debet intelligi, quod non erat domiciliatus alio modo, quam quo exprimitur in facto, videlicet trãſeundo ad viuendum ibi perpetuo, alioqui poneretur in caſu repugnantia. Non obſtat etiam, quod præfatus conſulens non remanſit Barbaſtri, niſi circiter annum, & quòd poſt illum degit alibi in ſcholis: quia eundo ad ſcholas, & degendo ibi etiam multis annis, cum animo tamen redeundi Barbaſtrum, non amiſit domicilium, quod ibi prædicto modo contraxit, vt eſt textus, [f] & ibi Ioannes de Platea. Salua, &c.

f in l. 1. & 2. de c. incolis. li. 10.

SVMMARIVM.

1 *Ordinatus interſtitijs non ſeruatis, nec ſuſpenſus, nec irregularis, nec iure communi, nec per ſacrum Concilium eſt.*

## CONSILIVM IV.

AN qui aliàs canonicè eſt ordinatus, non ſeruatis tamen interſtitiis temporum, quæ Cõcilium Tridentinũ ſtatuit ſeruari,[g] ſit ipſo iure ſuſpẽſus, vel irregularis?

g Seſſ. 23. ca. 11.

1 Reſpondetur negatiuè, non eſſe ob hoc ita ordinatum ſuſpenſum, nec minus irregularem: quia nec à Concilio Tridentino nec canone vllo in corpore iuris clauſo imponitur aliqua pœna ipſo iure ei, qui non ſeruatis interſtitiis temporum, ordine inſignitur: & non eſt dicendum vllam pœnam ipſo iure incurri, niſi à lege id exprimatur, iuxta gloſſam celebrem.[h] An autem alia pœna poſſit puniri, & ſuſpendi ab Epiſcopo, aliud eſt: & puto poſſe, quia tranſgreſſor eſt canonis.

h In ca. fin. de iure patrona. verbo ex vi. & textus authen. de non eligend. ſecũdo nubentes. §. cum igitur. colla. 1.

*Aduertendum tamen, quod poſt hæc ſcripta lata fuit extrauag. à S.D.N. Sixto V. per quam ſic ordinatus ſuſpenſus ſit.*

SVMMARIVM.

1 *Irregularis ob aſſumptionem duorũ ordinum ſacrorum eodem die factam vel quia furtiue ordinatus eſt, poteſt etiam dici ſuſpenſus, accipiendo ſuſpenſionem non in ſua ſpeciali ſignificatione prout eſt cenſura, ſed in genere.*

## CONSILIVM V.

AN is, qui eodem die duos ſacros ordines ſuſcipit, ſit ſuſpenſus à poſteriori dicendus, vt habet [i] Manual. confeſſ. an potius cenſendus irregularis, vt habet alibi. [k]

i Ca. 25. n. 71.
k [Ca]p. 27. nu. 241.

Ad hanc Antinomiam, quæ videtur in noſtro Manual.[a] vbi aſſumens duos ordines ſacros eodem die, appellatur ſuſpenſus, & alibi,[b] appellatur irregularis: Reſpondetur primò quod ibi nulla eſt Antinomia. Tum quia in priore loco,[c] non negatur, quod non ſit irregularis, ſed ſolùm dicitur quod eſt ſuſpenſus: quod eſt verum intelligendo de ſuſpenſione generaliter ſumpta, vt accipitur in c. *literas*,[d] & frequẽter ſic in iure canonico accipitur: quia verbum, irregularitas, non eſt antiquum Latinum, vt dicitur in d. Manua.[e] & ideo raro inuenitur in antiquis canonibus vſque ad Innocentium III.[f] Propterea licet contextus aliquis dicat aliquem eſſe ſuſpenſum, non eſt intelligendus de ſuſpenſione ſtrictè dicta, ſed de generaliter accepta,[g] ſi aliunde apparet, quod eſt irregularis: & ſatis apparet ex eodem loco Manualis, quod eſt irregularis: quia ibidẽ dicitur plus peccare eum, qui capit duos ordines ſacros eodem die, quam qui aſſumit quatuor minores, & vnum ſacrum, & quod is ſit irregularis, dicitur in d. Manu.[h] Tum quia ideo Manuale appellat ſuſpẽſum, quia ſic appellauit eum Papa in prædictis capp. & non ſine cauſa: quia irregularitas nata ex ſuſceptione duplicis ordinis eodem die aſſumpti eſt duplex. Altera, quæ accipitur contra excommunicationem latam, ne furtim acciperetur: & altera ex eo, quòd accipitur furtim tantùm, quæ eſt longe minor priore, vt colligitur ex trib⁹ capp. & ſuis gloſsis, & Panormitano.[i] Et ita potuit Papa vti verbo ſuſpenſionis ad ſignificandum, debiliorem eſſe irregularitatem, quæ oritur ex ſola furtim acceptione, de qua loquebatur, quàm irregularitatem, quæ naſcitur ex furtim aſſumptionẽ, & cõtra excommunicationem ſimul: & affectata breuitas effecit, vt in re rariſsimè contingente non ſe magis extenderet.

a Ca. 25. n. 71
b In ca. 27. n. 241.
c d ca. 25. nu. 72.
d Et ca. dilectus. de tẽpor. ordi. ibi allegatis.
e Cap. 27. nu. 191.
f In ca. niſi de renunciat.
g Vt in d. cap. literas & in d. ca. dilectus.
h Cap. 27. nu 241.
i In d. cap. literas.

SVMMARIVM.

1 *Ordines minores extra tempora ſuſcipiens non eſt ſuſpenſus, neque olim ſuſcipiens etiam maiores.*

2 *Ordines ſuſcipere interſtitiis non ſeruatis de licentia Epiſcopi licet.*

## CONSILIVM VI.

QVidam cum legitimis dimiſſoriis ſui Epiſcopi ſuſcepit ab alieno Epiſcopo duos minores in quadam die Veneris vnius hebdomadæ, & die Sabbati quatuor temporum alterius immediate ſequentis ordinem ſubdiaconatus. Quæritur an ſit ſuſpenſus.

1 Ad quæſtionem prædictam reſpondeo primò, quòd prædictus D. conſulens non incurrit ſuſpẽſionem ipſo iure, propterea quod aſſumpſit prædictos duos ordines minores in prædicto die Veneris, neque cõſequenter incurrit irregularitatem, eo quod vſus fuerit illis, antequam à iudice ſuſpenderetur: quia extrauagans Pij II. quę incipit, *cum ex ſacrorum*, nõ habet locum in minoribus ordinibus, & ſecundum antiqua iura non incurrebatur ſuſpenſio ipſo iure propter ordinationem, & aſſumptionem ordinum etiam ſacrorum extra iuris tempora, & ante legitimam ætatem,[k] vt latius traditur in Manual. noſtro confeſſ.[l]

2 Secundo, quòd ſi in literis dimiſſoriis, quas habebat, ordinarij, derogabatur neceſsitati ſeruãdi interſtitia temporum in accipiẽdis ordinibus minoribus & maioribus, potuit ſine prędictæ extrauagantis pœna ſuſpenſionis accipere die Sabbati ordinem ſubdiaconatus, quia non tenebatur ſeruare illa interſtitia, à quibus ſeruandis potuit Epiſcopus eum liberare per ipſummet Concilium Tridentinum quod reduxit obligationem antiquam illam ad ſeruandum.[m]

k Per cap. vel non eſt cõpos. de temp ordi.
l Cap. 25. nu. 79. & ca. 27. num. 155.
m Per c. 11. de refor. ſeſſ. 23.

Tertio, quod ex his duobus dictis colligitur deciſio quæſtionis prædictæ. Quid autem dicendum ſit, ſi in prædictis dimiſſoriis non fuit derogatũ prædictis interſtitiis, maioris dubij eſt. Quia pro vna parte facit, quòd in prædicto Concilio nulla pœna ſpecialis imponitur: & pro altera, quod certũ eſt illum peccaſſe, & non fuiſſe rite ordinatum, neque habuiſſe legitimã facultatẽ ordinem aſſumendi, quia non derogabatur in ea prædictis interſtitiis, q̃ erat neceſſariũ ad hoc, vt rite ordinaretur, ſed quia non q̃ritur de hoc in pſẽtia, non reſpõdeo ad illud. Salua, &c.

* *Vide ſupra Conſilio 4. & infra Conſilio 12.*

SVMMARIVM.

1 *Ordinatus ſacris ante legitimam ætatem eſt ſuſpenſus, & miniſtrans efficitur irregularis.*

2 *Cruciata, & alia iobelæa non tribuunt facultatem liberandi ab irregularitate.*

2 *Beneficij collatio post irregularitatem facta est nulla, non obstāte quod bona fide putaret secum sufficiēter dispensatum.*

CONSILIVM VII.

QVæritur quid faciet ordinatus ante legitimam ætatem ad subdiaconatum, diaconatum, & presbyterium, & vsus duobus prioribus ante vllam dispensationē, & postea absolutus per cruciatā, & assecutus beneficium.

1 Respondetur primò, quòd D. consulens patiens se ordinari ter ante legitimam ætatem, fuit ter suspensus ab officio, & vtēdo bis ante vllam absolutionem & dispensationem duobus ordinibus sacris incurrit bis irregularitatem, & tertio vtendo presbyteratu, per extrauagantem Pij II. quam referimus nos in Manual. nostro confess.[a]

2 Secundò, quòd Pœnitentiarius non habuit potestatem absoluendi, seu liberandi eum à prædictis irregularitatibus: quia nec cruciata, nec alia iobelæa regulariter conferūt illam potestatem, vt tradidimus nos vbi supra.[b]

Tertiò, quòd obtentio prædicta beneficij ante sublationem irregularitatis nil valuit propter irregularitatem præcedētem, iuxta annotata per omnes post Innocentiū.[c]

Quartò, quòd consulens debet sibi prouidere de dispensatiōne, & absolutione à prædicta irregularitate secretò per Pœnitentiariam secretam cum retētione beneficij accepti post irregularitatem, exprimēdo valorē eius.

Quintò, quòd licet bona fides, quam concepit D. consulens per auctoritatem prædicti Pœnitentiarij potuit excusare à peccato, non potuit tamen excusare à necessitate, & obligatione impetrandi dispensationem legitimam, & tituli renouationem, seu retentionem, quæ obtineri potest per Pœnitentiariam secretam, qua in re nos iuuabimus in obsequium D. N. Iesu Christi, qui nos omnes saluet. Amen. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Suspensus non est, qui ante iustam ætatem iustè credens se maiorem bona fide ordinatus est.*

1 *Lex puniens præsumentem, non includit eum qui iusta credulitate ductus bona fide id facit.*

2 *Credere iustè potest quis parentibus de ipsius ætate attestantibus.*

CONSILIVM VIII.

QVæsitum est, an N. ante legitimam ætatem sacris bona fide ordinatus, parentum testimonio credendo eam habere, pœnam suspensionis incurrerit.

1 Respondeo, quòd taliter ordinatus nullam incurrit suspensionem, & sanctè ac rectè celebrare potest, & celebrauit, per ea quæ nos in hac specie diximus in commentario cap. accepta.[d] ea ratione firma, quod lex, quæ imponit pœnam præsumenti facere aliquid, non videtur imponere illam ei, qui bona fide credens probabiliter se bene agere, facit illud, iuxta doctrinam Cardinalis receptam.[e] Et constitutio Pij Secundi, quæ imponit pœnam suspensionis ei, qui ordinatur ante legitimam ætatem, loquitur per verbum, *præsumpserit*, ponēdo pœnā ei, qui præsumpserit assumere ordines sacros ante legitimā ætatem.

2 Cum ergo consulens animo simplici & bona fide credens illis, quibus iustum erat credere, id fecerit, non incurrit vllā pœnā, neque est cur scrupulis ob id angatur.

SVMMARIVM.

1 *Prælati mandatum non excusat ordinatum ante tempus, nec à suspensione, nec ab irregularitate.*

1 *Dies cœptus, & non annus habetur pro completo regulariter.*

2 *Presbyterium vt quis accipere possit, non sufficit quod annum xxiiij. compleuerit, sed quod excesserit annum xxiiij.*

2 *Compleuisse dicitur annum xxiiij. qui vltimum attingit diem, sed non excessisse.*

CONSILIVM IX.

QVidam monachus cùm nondum haberet vigintiquatuor annos completos, & deessent ei quadraginta dies, iussus à Prælato dicente paruum pro nihilo habendum, assumpsit presbyterium. Quæritur an per susceptionem illius fuerit suspensus, & celebrando contra suspensionem factus irregularis.

1 Respondeo, quòd sic: quia licet dies cœptus habeatur pro completo regulariter,[a] annus tamen cœptus non habetur regulariter pro completo, vt ibidem adnotatur, & probatur per textum adiuncta glossa,[b] & ordo presbyteratus requirit vigintiquatuor annos completos: quia oportet, vt attingat vigesimum quintum, iuxta d. clem. quæ requirit vt ordinandus ad presbyterium sit constitutus in xxv. anno, in quo non esset, etiamsi esset constitutus in vltimo die xxiv. anni: quamuis diceretur esse 24. annorum: & ita differunt inter se dicere habet 24. annos completos, & dicere excesit xxiv. annum, per textum adiuncta glossa.[c] Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Suspensus vel irregularis inhabilis est ad beneficia obtinenda, sed prius obtenta non perdit. num. 2.*

2 *Beneficia per censuram vel irregularitatem superuenientem non perduntur, sed fructibus non potest vti nisi certo modo.*

CONSILIVM X.

AN promotus ad sacros ordines ante ætatem legitimam, & post ad beneficium, possit retinere beneficium post vel ante ordinationem obtentum?

1 Respondeo primo, quod si prædictus consulens ante legitimam ætatem fuit promotus ad aliquem ordinem sacrum, fuit ipso iure suspensus per extrauagantem Pij II. quam nos referimus in Manual. confess.[d] & consequēter factus inhabilis ad habēdum beneficium,[e] ex qua Panormitanus colligit suspensum ab officio non posse eligi, nec consequenter accipere beneficium ex collatione, quod est maius, quàm eligi, & consequenter beneficium ei collatum post prædictam suspensionem, non fuit effectum suum, nec potuit fructus eius suos facere. Addo, quod si durante illa suspensione effecit aliquem actum peculiariter deputatum ordini, effectus fuit irregularis,[f] & ita magis inhabilis ad obtinendum beneficium.

2 Secundo, quod beneficium legitimè adeptum non perditur per suspensionem, nec irregularitatem superuenientem ipso iure, iuxta dictum Innocentij,[g] receptum & declaratum per Felinum,[h] quamuis fructibus eius non videtur posse vti, nisi eo modo quo modificat glossa,[i] quam ibi commendat Panormitanus. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus familiarem ordinans, ei beneficium conferat.*

2 *Ordo in genere primam tonsuram comprehendit. & 3.*

2 *Beneficij qui est incapax, est etiam pensionis.*

3 *Vsus loquendi communis seruandus.*

3 *Ordo à non suo acceptus non iterandus, sed approbandus.*

4 *Beneficij collatio facta tonsurato à non suo valida.*

5 *Ordines minores à non suo sumens peccat, sed non est suspensus.*

CONSILIVM XI.

N. Familiaris cuiusdam Episcopi triennalis ab eodem fuit prima tonsura insignitus, deinde beneficium ab ordinario suo obtinuit. A quo quæsita fuerunt sequentia.

Primo, an bene fuerit ordinatus.

Secundo, an sit beneficij, vel pensionis capax.

Tertio, an tonsura sit ordo.

Quarto, an prima tōsura à non suo accepta, sit iterāda.

Quinto, an beneficij collatio sibi sic ordinato facta valeat.

Occupatus multis, quæ necessariò subeūda sunt, respōdeo breuiter, & nō pro dignitate quæstionibus prædictis.

1 AD PRIMAM; quod prædicta prima tonsura malè fuit accepta: quia Episcopus alienus non potest eam licitè conferre familiari suo etiam continuo triennali, nisi statim ei beneficium conferat.[k] Neque obstat, quod non sit ordo sacer: quia verbum, *ordo*, generaliter prolatū comprehendit etiam primam tonsuram, secundum communem vsum canonum, *arg. cap. cum contingat. de æta. & qualit.* licet quæstionis sit an sit propriè ordo, vel non. Et cum canon ille Concilij Tridentini prohibeat Episcopis ordinare alium familiarem, quàm prædictum, censebitur prohibere omnē subditum alienum, nisi cum moderatione ibi adiecta: quod etiā satis colligitur ex ca. *Lugdunensis.*[l]

2 AD SECVNDAM, quod si præfatus ordinatus non esset capax beneficij, non esset etiam pensionis, saltem secundum stylum Curiæ, qui est seruandus.[m] An autem sit capax beneficij, dicetur infra.

3 AD TERTIAM respondeo, quod tonsura est ordo

secundum

---

a Cap. 27. nu. 241. & ca. 25. num. 70.
b Ca. 27. nu. 254.
c In cap. cum nostris. de cō-cess. preb.
d De restitu. spoliat. oppo-sit. 8.
e In clem. 1. de priuile. q. 38.

a Iuxt. l. qua ætate. & alias per gloss. eius allegat. ff. de testam.
b Cle. generalē. de æta. & qualitat.
c In di. le. qua ætate.
d Cap. 27. nu. 155.
e Arg. c. si celebrat. de cleri. excōm. ministr. & arg. gloss. in cap. cū Vintoniēsis. in verb. admiserunt. de elect.
f Cap. 1. de re iud. li. 6. & ibi Innoc. recep.
g In cap. cum nostris de cōcess prebēn.
h In c. inquisitionis. de accusat.
i Dict. ca. cum Vintoniensis.
k Capi. 9. sess. 23. Concil. Trid.
l Et tota q. 2. caus. 9.
m Ca. quam graui. de falsi.

secundum communem vsum loquendi, secundum quem dicitur ordo clericalis, qui seruandus est in vsu verborũ,[a] licet, vt dixi, quæstionis sit, an propriè dicatur secundum originem verbi ordo.

AD QVARTAM, quod ordo clericalis acceptus à non suo Episcopo, non debet iterari, sed approbari, siue ratificari per Papam, vel suum proprium Episcopum, iuxta præfatum ca. *Lugdunensis.*

4 AD QVINTAM, quæ tacitè includitur sub prima & secunda, scilicet, an collatio beneficij facta, prima tonsura, siue quocumq; ordine clericali à nõ suo ordinato, sit valida: quæstionis est, quã à nemine memini pro dignitate fuisse tractatã. Multa enim pro parte negante possent citari. Sed rigori iuris propriorẽ duco affirmantẽ. Tũ quia licet sic ordinatus sine veris literis dimissoriis ab alieno Episcopo, & eum ordinans peccent, & possint puniri: non tamen sunt ipso iure excommunicati, neque suspensi, sed suspendendi.

5 Nam iure antiquo Decretalium etiam diaconus ante legitimã ætatem, & pubertatẽ ordinatus nõ est ipso iure excõmunicatus, nec suspensus, sed suspendendus, vt est casus in c. *vel non est compos*,[b] & est opinio communis etiã S. Anton.[c] Ioan. Maioris,[d] & aliorũ Theologorũ, quos allegamus in c. *accepta*,[e] ergo eadem vel fortiori ratione ordinatus in ætate legitima ab Episcopo nõ suo. Tũ quia nullo iure videtur id probari: & nulla censura, nec irregularitas ipso iure videtur iñligi, nisi exprimatur id aliquo iure,[f] Tũ quia extrauag. *cũ ex sacrorũ*. Pij II. non suspendit ipso iure ordinatos ordinibus minoribꝰ ante legitimã ætatẽ, vel sine literis dimissoriis, vel extra tẽpora iuris: nã neq; ordinati sacris ordinibus communiter putabantur ipso iure excommunicati, nec suspensi in Hispania, neque in Italia, nec Gallia, vt colligitur ex prædicto S. Anton. Italo, & Ioanne Maiore Gallo, donec nos eam fecimus publicari Salmanticæ abhinc circiter 60. annis.

*Rota tamen censuit collationem beneficij & pensionis huic factã non subsistere.*

*SVMMARIVM.*

1 *Episcopus ordinando familiarem triennalem aliàs sibi non subditum, dispẽsare nequit super interstitiis maiorum, item minorũ ordinum. nu. 2.*

2 *Verbũ, videbitur, intelligitur de visu, seu iudicio ratione regulato.*

2 *Pars vna Concilij per aliam eiusdem Concilij, sicut & vna pars dicti vnius per aliam eiusdem, declaratur.*

CONSILIVM XII.

QVæsitum est, an præsupposito, quod Episcopus potest ordinare familiarem suum triennalem aliàs sibi non subditum, conferendo ei statim aliquod beneficiũ, & dare illi dimissorias ad ordinandum à quocumq; iuxta.[g] Conc. Trid. possit etiã dispensare super interstitiis temporum, de quibus in eodẽ Cõc.[h] vt non seruatis illis possit ordinari.

1 Respondetur primò, quòd non potest dispensare super interstitio seruãdo inter diaconatũ, & presbyteratũ: quoniam id nõ potest facere Episcopus etiã suus superior, & ordinarius, nisi pro vtilitate, ac necessitate Ecclesię suæ.[i] Ergo minus huiusmodi Episcopus extraneus, cui non est subditus familiaris triennalis, videtur posse iudicare de vtilitate & necessitate Ecclesiæ non suæ.

2 Secundò, quòd maius dubium est de aliis interstitiis: quia in c. 11. & 13. in quibus agitur de illis, solũ dicitur posse dispensari per Episcopũ, si ei videatur expedire, de vtilitate & necessitate Ecclesię suæ nulla facta mentione. Tũ quia eadem ratio videtur cõprehendere omnia. Tũ quia illa verba *si videatur* intelligẽda sunt de visu, & iudicio ratione regulato, vt latè tradit Bartol.[k] & quod vna pars dicti declaratur per aliam eiusdem,[l] & in vna parte eiusdem Cõcilij,[m] exprimitur causam vtilitatis & necessitatis Ecclesiæ suæ concurrere debere in huiusmodi dispensatione. Tum neruosius, quia potestas ordinandi familiarẽ suũ triennalem non subditum est exorbitans à iure communi, quæ non debet extendi,[n] & constat potestatem ordinandi, & dandi literas dimissorias differre à potestate dispensandi super interstitiis: ergo non est extendenda ad illam. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Episcopus licet possit ordinare suum familiarem triennalem, non tamen potest cum eo illegitimo dispensare.*

1 *Impedimẽto vno de duobus sublato, nõ censetur sublatũ alterũ*

2 *Priuilegia nõ extenduntur extra personã vel casum expressũ,*

3 *Intellectus regulæ concesso vno, &c.*

4 *Priuilegium aliquid contra ius operans in alijs restringendum.*

CONSILIVM XIII.

IN Consili. Tridentino[a] cautum est, quemlibet Episcopum posse ordinare familiarem suum triẽnalem. Quæritur, an possit etiam dispensare cum eo, si est illegitimus, vt possit promoueri ad ordines minores.

1 Visis fundamentis partis negantis, & affirmantis, videtur nobis tenenda pars negatiua, quod Episcopus licet possit rectè ordinare familiarem suum triennalem, si aliàs sit habilis, nõ tamen potest eum facere habilem ad minores, nec ad beneficium etiam simplex legitimando eum super defectu natalium. Tum quia sublato vno de duobꝰ impedimentis distinctis, non censetur alterum sublatũ.[b] & duo impediunt cur illegitimus non possit ordinari ab alieno Episcopo, puta defectus natalium, & quia non est subditus; familiaritas autem triẽnalis aufert impedimentum subiectionis, non autem defectum natalium.

2 Tum quia priuilegia non extenduntur extra personã, vel casum expressum.[c] At ca. prædictum 9. est priuilegiatiuum concedens Episcopis priuilegium ordinandi non subditos; ergo non extendetur ad potestatem efficiendi habilem ad ordines eum, qui est inhabilis ad illos. Tum quia à separatis non fit illatio.[d] & potestas ordinandi, & potestas dispensandi, seu habilitãdi ad ordines, sunt diuersa & separata, ergo de vna ad aliam non infertur. Tum quia Episcopus alienus potest ordinare non sibi subditũ, mediantibus literis dimissoriis; nõ tamẽ potest legitimare illum, nisi facultatem expressam ad id faciẽdum haberet secundum mentem omnium. Tum quia prædictum cap. 9. non facit familiarem triennalem subditum Episcopi, cui seruit, nisi quo ad collationem ordinum, nullam enim aliam iurisdictionem dat ei super illum, vt ex tenore ipsius constat.

3 Tum quia illa regula[e] *concesso aliquo:* &c. tunc demum habet locum, cùm concessum non potest sine illo cõsistere per resolutionem doctorum.[f] At potestas ordinãdi familiarem potest consistere sine potestate legitimandi illum.

4 Tum quia alioquin sequeretur quod posset habilitare familiarem homicidam, simoniacum, immo & hæreticum; quod tamen est absurdum. Tum quia satis est, quod priuilegium operetur aliquid contra ius cõmune, vt quo ad reliqua restringatur, vt resoluit post alios Decius.[g] At priuilegium ordinandi familiarem multum operatur, etiamsi non extendatur ad potestatem habilitandi eum inhabilem; ergo non est extendendum ad illam. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Ordinatus maioribus siue minoribus ordinibus sine titulo, iure primo antiquissimo, licet quo ad minores non seruaretur, erat suspensus; sufficiebat autem quilibet titulus patrimonialis, aut beneficialis etiam vnius scuti. num. 2. at sacrum Concilium agẽs solum de maioribus ordinibus requirit vt titulus sit beneficialis & sufficiens ad victum; patrimonij autem, & sufficientis pensionis titulum tunc admittit, si concurrat Ecclesiæ necessitas, vel vtilitas, quodque perspectum sit ordinandum hos habere titulos, num. 2.*

2 *Titulum, ad quem quis accepit sacros ordines, non potest alienare, nec renunciare, nisi habeat alium, vnde honeste ali possit.*

3 *Pœna suspensionis inflicta per primos antiquos canones contra sine titulo promotos, post decretalem Innoc. III. Cum secundum, durat solùm contra prædictos, qui in culpa fuerũt; qua cessante Episcopi ordinantes tenẽtur sic ordinatis prouidere: quod si vterque fuit in culpa, post Concilium vterque ligatur prædictus pœnis respectiue, num. 4. & 5.*

CONSILIVM XIIII.

QVæsitum est, quã pœnã incurrat, qui sine titulo iusto beneficiali vel patrimoniali ordinẽ sacrũ assumit.

1 Ad quod respondetur primò, iure antiquissimo statutum fuisse ordinatum sine titulo beneficiali vel patrimoniali, incurrere suspẽsionem ipso iure,[h] immo prædictũ c.

Marginal notes:

a l. Labeo. ff. de supellect. leg. l quod Labeo. §. quod tamen Cassius. ff. de leg. 3.

b De tempor. ordin.
c 3. par. tit. 4. cap. 16.
d In 4. sen. di. 24. quæst. 1.
e De restitu. spol. opposit. 8. num. 34.
f Iuxta cap. is cui. §. fin. de sent. excom. lib. 6.

g Capi. 9 sess. 23. de refor.
h Capi. 11. 13. & 14. eiusdẽ sess.
i Dist. cap. 14.

k In gloss. ver bo, videbitur. super extrauag. ad reprimendum.
l Leg. 1. ff. de reb. dub.
m Et sess. ca. 14.
n Capi. quæ à iure. de reg. iuris lib. 6

a Sess. 23. cap. 9. de reform.
b L. si domus. ff. de seruitu. verbo prædio: cap. ex tuarũ. de auct. & vsu pal.
c Arg. c. porro. de priuile. & c. priuilegia. 3. dist.
d Leg. Papianus ff. de minoribus. ca. ad audientiam. de decimis.
e Leg. 2. ff. de iurisd. õ. omnium iudic.
f In cap. quia in tantum. de praben.
g In ca. 1. col. 5. de rescript.
h Cap. nemi nem. & c. sanctorũ. dist. 70.

*neminem*.adiuncta glossa *in verb.neminem*, idem probat esse dicendum de ordinato ad minores ordines, cuius tamen contrarium seruatur vbique, idque seruandum videtur sensisse Concilium Tridentinũ [a], quatenus solum prohibet ordinari sine titulo ad ordines sacros.

a *Sess.21.cap. 2. de reform.*

2 Secundo, quòd sicut prædictum Concilium restrinxit prædictos canones ad ordinatos sacris ordinibus, vt dictũ est, ita auxit titulos necessarios ad eos assumendos: quoniã secundum prædictos antiquos canones sufficiebat quilibet titulus beneficiarius Ecclesiasticus, vel patrimonialis etiam sæcularis: nunc autem post prædictum Conc. Trid. oportet quod titulus sit beneficiarius Ecclesiasticus, & sufficiens ad sustentandum ordinatum: & quòd non sufficiat titulus pẽsionis, vel patrimonij sęcularis: adeo quod vidimus Pintię episcopatus Palentini negatam fuisse ordinationem ad primum sacrum ob defectum tituli cuidã, licet haberet patrimonium sæculare trium milium scutorum, & quidem rectè. Tum quia Concilium prædictum, [b] requirit titulum beneficiarium Ecclesiasticum, & declarat non sufficere pensionem ecclesiasticam, neque titulũ patrimonialem sæcularem, nisi Episcopus iudicet ordinandum esse necessarium, vel cõmodum vtilitati Ecclesiarum suarum. Tum quia secundum antiqua iura sufficiebat quilibet titulus beneficiarius Ecclesiasticus, hodie tamen post præfatum Conciliũ requiritur, vt sufficiat ordinando ad suum victum honestum per prædictum c. Tũ quia oportet, vt post prædictum Concilium prædicta pẽsio, vel prædictum patrimonium perspectè vel clarè sit suum, & ideo non potest illã vel illud donare, vel illis renunciare, antequam assequatur beneficium, vel alia, vnde honestè ali possit, inualidaq; ac nulla sit renunciatio illius antea facta: quod prudenter statuit prædictum Cõcilium: quoniam multi antea ordinabantur virtute beneficiorum vix valentium singulis scutis, quę ordinatio perinde reputari debebat, ac facta sine vllo titulo, cùm non excusaret à mendicando, & opprobrio illo relato in ca. diaconi. 5.9.3. dist. *Mendicat infœlix in plateis clericus, & seruili operi mancipatus publicam ab omnibus poscit eleemosynam.*

b *Vbi supra.*

3 Tertio, quod postea Innoc. III. [c] mutauit pœnã suspensionis præfatorum canonum impositam ordinato in pœnã impositam ordinanti, qua cogatur alere ordinatum.

c *In cap. cum secundum. de preben.*

Quarto, quod illa mutatio videtur restringenda ad ordinatum, qui bona fide, ab Episcopo sciente vel debente scire eum non habere quo se aleret, fecit se ordinari: non autem videtur comprehendere illum, qui per mendacia & fraudem, fingendo titulum, decepit Episcopum. Tum quia dolus & fraus nemini patrocinari debent. [d] Tũ quia alioquin aliquando ordinans sine culpa puniretur, [e] & ordinatus cum culpa esset à pœna immunis. [f] Tum per ca. *per tuas* 3. [g] quatenus habet, eum, qui ordinatur ad titulum patrimonij quæsitũ cũ pacto Episcopo ignoráte facto de restituendo illud post ordinationem, suspensum esse, donec dispensetur cum eo. Pro quo facit, quod ait Decius, [h] scilicet ordinatorem non teneri ad alendum ordinatum, qui se diuitem esse dixit.

d *Cap. Sedes Apostolica. de rescript. l. itaque fullo. ff. de furtis.*
e *Contra ca. 2. de constitu.*
f *Cõtra l. sancimus. C. de pœnis.*
g *De simon.*
h *In c. Episcopus. nu. 24. de prebend.*

4 Quinto, quod dubium videtur de quorum canonum antiquorum innouatione intelligatur prędictũ c. 2. Conc. Trid. an de pœna prædictorũ canonum *neminem. & sanctorum.* an de pœna prædicti c. *cum secundum.* an de vtraque: quia omnes illi canones sunt antiquiores Conc. Trident. Et quicquid aliàs visum fuerit, arbitror respondẽdum, intelligi debere de vtraque: de pœna quidem canonum *neminem. & sanctorum.* quando solus ordinandus est in culpa decipiendo ordinaturum, dicendo quod habet titulũ beneficiarium, vel sęcularem sufficientem. de pœna vero ca. *cum secundum.* quando solus ordinans est in culpa, ordinãdo illum, quem scit non habere vllum titulum, & ignorat illum habere necessariò requisita ad ordinem sacrũ assumendũ. & de pœna vtraque, quando vterq; tam ordinans quã ordinatus sunt in culpa. Ita quod in primo casu, quãdo solus ordinatus est in culpa, ipse maneat suspensus, iuxta canones illos *neminem. & sanctorum.* & ordinãs maneat impunitus. In secundo vero casu, quando solus ordinãs est in culpa, solus ipse teneatur victum prębere ordinato, qui absque vlla suspensione ordine accepto vtatur. In tertio verò, cũ vterq; est in culpa, vterq; puniatur, ita vt ordinatus maneat suspensus per prædictos duos canones *neminem. & sanctorum.* ordinans autẽ teneatur ei victũ præbere iuxta d. ca. *cum secundum.* Pro qua noua & vera resolutione facit, quod correctio iurium est vitanda, cum rationabiliter possunt cõciliari, [a] & quod nõ est præsumendũ velle legislatorem vnico verbo destruere antiqua iura, [b] & ita non est præsumendum prædictum Concilium voluisse delere prædictos canones, quatenus conciliari possunt: & quod ob solam culpam ordinanti non est puniendus ordinans, nec contra ob solam culpam ordinantis ordinatus, neque alter eorum debet esse impunitus, eo quod alter puniatur, [c] & quod Cælestinus dixit, [d] *peccata suos auctores tenere debere, nec pœnam vlterius protrahendam, quàm delictum fuerit in excedente repertum.* Salua, &c.

a *Cap. cũ expediat. de elect. li. 6. & l. 1. C. de inoff. dotib.*
b *Ca. ecclesia vestra. 2. de elect. & le. si quando. C. de inoff testa.*
c *Iuxta leg. Gracchus. C. ad legem Iul. dã de adult. & l. sancimus. C. de pœnis.*
d *In ca. quæsiuit. de his quæ fiunt à maiori parte.*

SVMMARIVM.

1 *Suspensionis pœnam inductam per extrauagantẽ Pij. II. nõ incurrit, qui ex dispẽsatione Apostolica extra tempora ad titulũ proprij beneficij fuit promotus, licet illud iniustè impeditus adhuc non possideret; sicut nec per canones 70. di. inductam nu. 2. immo nec ob decretũ sacri Cõcilij sess. 21. c. 2. quod licet vltra antiquos canones requirat tituli possessionẽ, non tamen huic transgressioni adijcit nouam pœnam. nume. 3.*

4 *Irregularitas sine contemptu non incurritur.*

## CONSILIVM XV.

N Triginta annos natus fuit legitimè prouisus de quodam ecclesiastico beneficio, ad cuius titulum, antequam illius possessionem adipisci posset impeditus à sæculari potestate, bona fide, & cum legitimis literis dimissoriis ad omnes, etiam sacros, & presbyterat⁹ ordines extra tempora cum. Papæ dispensatione à quodam Catholico Antistite se promoueri fecit. Quæritur an aliquã pœnam incurrerit.

1 Respondeo primo, præfatum D. consulentem non incurrisse quo ad forum conscientiæ suspensionem per extrauagantem Pij II. *cum ex sacrorum.* qua ipso iure suspenditur, qui ante legitimam ætatem, vel sine literis dimissoriis, vel extra tempora iuris ordinem sacrum suscipit; vel irregularitatem, quæ inducitur contra illum, qui vtitur eo ante absolutionem à suspensione; quia ipse fuit ordinatus post ætatẽ legitimã & cũ literis dimissoriis & cum dispẽsatione Papæ extra tempora iuris.

2 Secundò, idem videri quo ad alia iura antiquiora illa extrauaganti: quoniam ca. *sanctorum.* & ca. *neminem.* [e] & alia eis similia si quæ sunt, per posset videri præfatum consulentem incurrisse irregularitatem, loquuntur solum de ordinato absolutè, hoc est sine titulo & patrimonio, vel subreptitiè per simoniam, vel mendacium quæsitum. At D. consulens & titulum habet, & beneficiũ, cuius possessio erat ei debita, & per sæcularem potestatẽ iniustè impedita, ne eam obtineret, neque stetit per ipsum quo minus eam obtineret; immo erat paratus animo, ita vt & nunc est, quærendi eam non obstantibus periculis.

e *70. dist. & cap. episcopus & ca. cum secundum. de preben. & c. per tuas. 3. de simon.*

Tertio, quod non obstat his etiam Cõcilium Tridentinum, [f] quia illud nullam nouam pœnam imponit ordinato sine titulo, vel patrimonio; sed solum innouat pœnas statutas à iure ãtiquo: & nullo iure ãtiquo fuit pœna suspensionis & irregularitatis per tractionem eius incurrenda ipso iure imposita ordinato cum titulo, & iure verè in eo quæsito, & possessione nondum consequuta, si saltem non stetit per ipsum, quo minus consequeretur: aliud enim est non habere titulum & ius in eo verè quæsitum, sine possessione ab alio iniustè detenta, vt palam est.

f *Ca. 2. de reform. sess. 21.*

3 Quarto, ꝙ magis dubitari potest, an præfat⁹ cõsulẽs dici debeat incurrisse præfatam pœnam quo ad forum exterius; eo quod præfatum Concilium Tridentinũ requirit, vt ordinãdus ordine sacro non solum teneat beneficium vel patrimonium sufficiens quo ad ius proprietatis, sed etiam quo ad ius possessionis pacificæ. sed de rigore iuris videri potest, quod idem sit dicendum, attento tertio dicto, scilicet quod præfatum Concilium inducit ius nouũ quo ad requisitionem possessionis, ob cuius defectũ antiqua iura non imponunt talem pœnam; & præfatum Concilium solum innouat pœnas antiquis iuribus impositas.

4 Quinto, quod irregularitas non contrahitur, nisi adsit cõtẽptus, vt ait Panormitan⁹, [g] & Dominicus [h], à nemine reprehensi: & præfatus consulens nec verum, nec

g *In ca pastoralis. §. verũ. de appellat.*
h *In ca. [illegible] de sent. [illegible] cõ. lib. 6.*

præ

præsumptum contemptũ habuit, sed bona fide putãs sufficere habere verũ ius in beneficio fuit ordinatus,& quod transgrediens legem humanam bona fide,malè intelligẽdo illam, non peccat saltem mortaliter, vt dixit Innoc.[a] cõmuniter receptus,per ea quæ tradit Felin.[b] Salua,&c.

*Aduertendum hoc responsum nõ videri carere maxima difficultate. Nam ratio excusationis de qua num.2.& 3.videtur repugnare illi dicto,quod ponit supra Consilio 14.nu.2.& quam ponit nu.4. nõ videtur subsistere,ex quo Concilij verba expreßè requirentia pacificam possessionem nullam probabilẽ admittunt dubitationẽ,nec obscuritatem.Vnde doctrina Innocentij in hoc casu sibi locum non potest vendicare,vide infra Consi. 27,num.3.& de ætate & qualitate Consil.7.nu.4.*

a In capi. per tuas. 2. de simon.

b In ca.1.fallentia 7.de re iudic.

SVMMARIVM.

1 *Suspensus est ordinatus sacris sine legitimis dimissoriis:& irregularis efficitur,qui suspensus presbyteratus ordinem suscipit.*

2 *Ordinatus absque dimissoriis quare egeat publica dispensatione, & Datarius dispensat longa suspesione posita, à qua Episcopus absoluere non valet.*

3 *Absoluere à suspensione, seu approbare ordinationem prædictam potest Episcopus,& Capitulum sede vacante post annum.*

## CONSILIVM XVI.

ORdinatus est quis sine literis dimissoriis sui Episcopi cũ illegitimis & falsis literis, & ad omnes sacros etiam presbyteratus ordines ab alieno promotus,sed non ministrauit. Queritur in quas cẽsuras seu pœnas inciderit, & quo remedio egeat.

1 Ad satisfactionem quæstionis propositæ dico primò, consulentem incidisse in irregularitatem:quia fuit semel suspensus recipiendo primum ordinem sacrũ sine legitimis literis dimissoriis,per extrauag.Pij II.*cum ex sacrorum*, & postea iterum assumendo ordinẽ diaconatus, & sic suspensus accepit ordinẽ presbyteratus,in cuius assumptione celebrauit Missam,consecrando cum Episcopo, & ita videtur factus irregularis,[c] & ab hac irregularitate solus Papa potest dispensare.

2 Secundò respondeo, quòd consulens eget dispensatione in vtroque foro,si constiterit in foro exteriori eum fuisse ordine insignitum sine legitimis dimissoriis, quod facile potest constare per registrũ secretarij Episcopi,seu notarij curiæ episcopalis,& difficile cõcedet D. Datarius, nisi magna suspensione ab ordinum excercitio per se nouè imposita,à qua nõ poterit postea Episcopus absoluere.

3 Tertiò,quòd Episcopus, vel Capitulum sede vacante post annum posset illum absoluere à prefata suspensione, & approbare prædictam ordinationem.[d] Et ideo consulens,acta prius pœnitentia de tam graui crimine, deberet petere in sacra Pœnitẽtiaria absolutionẽ, & dispensationem prædictorum quo ad forum conscientiæ tantùm, & postea procurare approbationem ordinum prædictorum ab Episcopo,vel Capitulo sede vacante post annum.

c Arg. c.1.de re iudic. & c. 2.de sent. excomm.lib.6.

d Arg.c.Lugdunensis.9.q.2.

*Aduertẽdum quoad remedium petendum ab episcopo seu Capitulo. Nam aut petitur in foro conscientiæ, & obtentum à sacra Pœnitentiaria sufficit:aut quoad forum exterius, & nec Episcopus, nec Capitulum dispensat,nisi dictũ per dictam concelebrationem nõ incurri irregularitatem,quod fortè veriùs videtur, & praxi conformius.*

SVMMARIVM.

1 *Ordinatus ad præsentationem beneficij cum pacto de non molestando præsentatorem,non potest ascendere ad superiores ordines, nec in suscepto ministrare.*

2 *Renunciatio tituli ab ordinato facta,nulla.& nu.4.*

2 *Dictio,nullatenus nullitatem inducit ipso iure.*

3 *Pœnæ non extendendæ licet sit eadem ratio,nisi &c.*

4 *Actio realis personali faciliorem habet exitum.*

## CONSILIVM XVII.

QVidam A.fuit ad titulum patrimonij donati sibi à fratre ordinatus vsque ad diaconatum inclusiuè, & ad preces cuiusdam renunciauit illudmet eidem fratri suo,& postea sine alia donatione fratris assumpsit presbyteratũ virtute prioris donationis. Quæritur an incurrerit censuram aliquam,vel irregularitatem.

1 Respondeo pro parte affirmante facere.cap.*per tuas*[a] quod habet,eum qui ordinatus est subdiaconus ad præsẽtationem alicuius beneficij, conuentione prius clam facta,quòd nihil vmquam peteret à prẽsentãte ratione prẽsentationis,nõ posse ascendere ad ordines superiores,neque in suscepto ministrare.

2 Pro parte verò negante facit,quod non præstat impedimentum,quod iure non sortitur effectum,[b] & quod renunciatio tituli ab ordinato ad diaconatum est ipso iure nulla,per Concilium Tridentinum,[c] quod statuit,vt eiusmodi ordinatus nullatenus renunciare possit eiusmodi patrimonium,& consequenter videtur ipso iure annihilare illam renunciationem, vel remissionẽ propter verbum *nullatenus*, quod inducit nullitatem ipso iure, iuxta glossam solemnem.[d]

Non obstat prædictum ca. 2. quatenus innouat pœnas super his statutas ab antiquis canonibus, & quod prædictum ca.*per tuas*. 3.est canon antiquior Concilio Tridentino qui videtur statuere pœnam suspensionis cõtra ordinantem se ad subdiaconatũ cũ pacto de non petendo aliquid ab eo qui donauit titulum.Non, inquam, hoc obstat. Tum quia illud cap. loquitur in alio casu,scilicet in ordinato ad præsentationem beneficij: in proposito autẽ loquimur de ordinato ratione tituli patrimonij donati: & quod pœnæ non sunt extendendæ ad aliũ casum,[e] etiam si eadem ratio id suadeat, nisi aliud de viginti duobus à nobis ibi relatis concurrat.

3 Tum quia non militat eadem ratio.Tum quod donatio prima patrimonij durat,& non est extincta per remissionem eius,& in d.c.*per tuas*.renunciatio facta ab ordinãdo fuit valida, quia nondũ prodierat Concilium Tridentinum quod annihilat remissionem donationis.

Non obstat etiam, quod prædictum Concilium innouat pœnas ab antiquioribus canonibus super his constitutas. Tum quia, vt prædictum est,prædictum ca.*per tuas*, quod est antiquius Concilio,non loquitur in casu, in quo loquitur Concilium;quod quia est pœnale,non est extẽdendum ad illud,per prædicta. Tum quia non est intelligendum de innouatione pœnæ illius ca.*per tuas*.quia non loquitur de illa,& cùm sit pœnale; non est extendendum ad illam per prædicta.Tum quia Concilium posuit aliud remedium contra huiusmodi remissionem donationis, scilicet quòd esset nulla,& nihil valeret: & quòd alioqui nihil prodesset hoc remedium annullationis.Tum quia si satis ponderetur;mens Concilij fuit fauere ordinato per hanc clausulam annullandi renunciationem:& si intelligeretur de eiusmodi pœna,in nihilo ei fauisset.Tum quia visum fuit Concilio competentius & præsentius antidotum,& remedium annullationis remissionis donationis. quam illaqueare ordinatum,& inuoluere illum multis laqueis.Tum denique,quod per annullationem promissionis de non petendo aliquid à præsentãte, non prouidetur tantùm ordinato,quantùm prouidetur per annihilationẽ remissionis donationis:quia per hanc remanet ordinatus cum dominio & possessione patrimonij;per illam autem etiamsi pro missio de non petendo fuisset annullata, nihil iuris realis manebat sic ordinato,sed tantùm actio personalis,quæ non tam facilem habet exitum; ac reale dominium,& possessio,vt palam est,iuxta illud, *Magnum est commodum possessionis*.[f] Salua,&c.

a 3. de simonia.

b Reg.nõ præstat. de regu. iur.lib.6.

c Sess.2.ca.2.

d In clem.1.in verbo nullatenus. de sequest. possess. & fruct.& in clẽ.2.in verb. nullo modo. de ætat. & qualit.

e Cap. pœna. de pœnit.di.1.

f §. retinẽda. Instit. de interd.

SVMMARIVM.

1 *Ordinatus ad titulum sibi ad hoc vt ad illum ordinetur donatum,licet tantundem debeat,non est suspensus.& seq.*

2 *Bona non habere & debere quantum illa valent,vt paria.*

3 *Titulus donatus,ad quem quis ordinatus est,alienari nequit, etiam ob debita contracta ante.*

## CONSILIVM XVIII.

DE eo,qui accepit iustum patrimonium à patre, vt ordines sacros acciperet,& possedit illud multo tempore,& adiuit bellum,in quo diu militauit:& pater putãs illum esse mortuum,donauit præfatum patrimonium suę sorori,si mortuus esset in bello: & reuerso à militia sororius eius donauit ei prædium quasi æquipollens ad se

ordinandum, ſed antequam ſe ordinaret, obligauit ſe ad ſoluendam certam pecuniam ſorori ſuæ nuptæ, & poſtea cum dimiſſoriis ordinarij ad titulum donationis præfati prædij dati ſuſcepit omnes ordines. Quæritur, an ſuſpenſionis pœnā incurrerit, & celebrãdo ſit factus irregularis.

1 Ad quæſtiones propoſitas reſpondeo primo, quod D. conſulens non fuit ordinatus ante legitimam ætatem, nec ſine dimiſſoriis ordinarij ſui nec extra tempora iuris, & ideo non eſt ſuſpenſus propter extrauag. Pij II. quæ incipit, *Cum ex ſacrorum.* quam nos referimus in noſtro Man. confeſſ.[a] nec fuit ordinatus ſine titulo abſolute contra c. *ſanctorum.* & ca. *neminem.*[b] Tum quia ordinatus fuit ad titulum, quem ei dedit ſuus ſororius, immo & cum actione, quam habebat ad patrimonium iam ſibi quæſitum per patris donationem: quia nõ renunciauit, nec refutauit illud, quamuis propoſitum habuerit non petendi illud, ſi ordinaretur ad titulum datum à ſuo ſororio. Tum quia ſuſpẽſio illa prædictorum canonũ videtur eſſe ſublata per cap. *cum ſecundum.*[c]

*a Cap.27.nu.155.& 156.& in ca.25.n.70.*

*b 70.diſt.*

*c De præben.*

Secundo, quod non videtur etiam incurriſſe ſuſpẽſionem c. *per tuas.3.de ſimon.* quia illud agit de illo, qui remiſit promiſsionem ei, qui promiſit dare ſibi ſuſtentationem, quod non fecit D. cõſulens: quia nihil remiſit ſuo ſororio, ſed ſine vlla conditione accepit ab eo præfatum prędium.

Tertiò, quòd non decepit etiam Epiſcopum: quia verũ titulum oſtendit, & quia ſatis eſt ordinando, quod habeat illud, nec requiritur quod non debeat aliquid creditoribus, vt apparet ex [d] Concilio Tridentino.

2 Quarto, quod non obſtat paria videri non habere bona, vel debere tantũ, quantũ valent illa, eo quod bona illa dicuntur alicuius, quæ ſuperſunt ære alieno deducto,[e] nõ inquam id obſtat. Tum quia illud eſt verũ, quãdo æs alienum eſt contractum ante bona quæſita, & poteſt & debet ſolui de illis, vt quãdo debetur purè, & ſtatim peti poteſt, & nulla iuſta exceptione impediri.

*d Cap. 2.ſeſſ. 21.de reform.*

*e L.ſubſignatum.§.bona.ff.de verb.ſign.& le.cogi.ff.ad Trebel.*

3 At in caſu propoſito pecunia præfata cœpit deberi poſt prædium quæſitum, de quo non debebat, nec poterat ſolui per præfatũ Conc. Trid. & ita tacitè fuit promiſſa ſub cõditione tacita, ſi poſt ordinationem habuerit vnde ſoluat: nã non poterat peti prædium ante ordinationẽ: quia donatum fuit conſulenti ob cauſam ordinationis faciẽdę,[f] nec poſt ordinationem, ſi non fuerit adeptus beneficium, vel aliud æquipollens: quia non poterit alienare, renũciare, nec vendere prædium illud ad ordinandum ſibi donatum, per præfatam prohibitionem Cõcilij Tridentini. Tũ quia præfatus conſulens poterat repellere ſororẽ, vel ſororium ſuum à petitione præfatæ pecuniæ, vel reconuenire eos ſuper patrimonio à patre ei donato ſub cõditione, ſi conſulens mortuus fuiſſet in bello, cùm illa iã defeciſſet: & ita multiplici de capite præfatum æs alienum non eſt iudicandum eſſe ſubducendum à bonis ſuis, cum fuerit contractum poſt bona ita quæſita, & obligata ad ſuſtentãdum ordinatum, vt nõ poſsint alienari, & quod in eis bonis contineantur etiam actiones, & perſecutiones, & alia iura, quæ ipſi competebant,[g] & conſequenter actiones, quas habebat ad vindicandum patrimonium ſibi donatũ à patre ad ordinandum.

*f Per l.1.& 2. C. de donat. quæ ſub modo fiunt.*

*g Ex l.bonorum.1.ff. de verb.ſign.*

Quinto, quod ex his infertur, præfatũ D. conſulentem nullam per præfata, quæ proponuntur, incurriſſe irregularitatẽ, nec ſuſpenſionem, & conſequenter nõ indigere vlla illarum abſolutione, & diſpenſatione. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Paternæ originis Epiſcopus etiam & ipſe eſt proprius Epiſcopus filij, quo ad effectum vt ordines ei cõferat, vel dimiſſorias pro illis aſſumendis det.*

2 *Concil. Trid. ſeſſ.21.cap. 2. nullam imponit ſuſpenſionis pœnam, ſolũmque innouat cap. cum ſecundum. de præb.*

3 *Maior Pœnitentiarius abſoluit, & diſpenſat in foro conſcientiæ tantum etiam extra ſacramentum confeſſionis filiumfamilias ordinatum de licentia ſui Epiſcopi, qui diuitias paternas reputauit pro ſufficienti patrimonio. nu.1.*

## CONSILIVM XIX.

N. Filius familias nihil poſsidens, habiturus tamẽ poſt mortem patris vnde viuat, extra patriam ſtudiorum cauſa in loco paternæ originis exiſtens, de licentia ordinarij dicti loci ab alieno Epiſcopo omnes ordines ſacros ſuſcepit, & miniſtrauit. Quæritur an factus ſit irregularis, & indigeat diſpenſatione.

Ad hanc quæſtionem reſpondeo, quod is orator non indiget diſpenſatione ex eo quod debeat cenſeri ordinatus ab alieno Epiſcopo: quia Epiſcopus originis paternæ poteſt filium ordinare: quia textus in ca. *cum nullus.*[a] non requirit quod ordinandus natus fuerit in epiſcopatu ordinantis, ſed ſolùm quod ſit oriundus ex illo. Et Panormitanus [b] diffinit, eum cuius pater alicubi natus eſt, filium eius eſſe oriundum ex illo quo ad ſortiendum forum ordinandi. Ioannes item Andreas, quem Dominicus & Peruſinus ſequuntur,[c] dicit conſilium quidem eſſe ante ordinationem, vt propria origo inſpiceretur, ſed poſt factam excuſandam eſſe. Propter autem defectũ patrimonij nullam cenſuram incurrere potuit: quia extrauagans Pij Secundi, *cum ex ſacrorum.* ſolùm loquitur de defectu ætatis, & literarum dimiſſoriarum, & tempore ſtatuti à iure; & nulla fraus fuit facta in patrimonio, quia paternas diuitias habuerunt pro ſufficienti alimonia eius.

*a De tempor. ordina. lib.6.*

*b In ca.fin.de paroch.*

*c In dicto ca. cum nullus.*

2 Et Concilium, Tridentinum ſeſſ.21.cap.2.de reform. nullam pœnam ſpecificè ponit; & quatenus innouat pœnas antiquorum canonum, videtur reſtringendum ad canonem poſitum in ca. *cum ſecundum Apoſtolum.*[d] quod correxit ca. *neminen,* & ca. *ſanctorum.* 70.diſt. quibus ſuſpendebatur ordinatus ſine titulo; ita quod tempore Cõcilij ſolùm puniebatur ordinãs pœna alẽdi ordinatum, quæ mitior eſt, quam pœna ſuſpẽſionis ordinati: & leges pœnales, & innouantes pœnas vidẽtur reſtringẽdæ ad mitiores.

*d De præb.*

3 Quamuis autem hæc probabilia videantur iure ſtricto; quia tamen facile poteſt ad cautelam Illuſtriſsimus Pœnitentiarius maior liberare N. ab ſcrupulo, poteſt ei verbo mẽderi, dicens: *Ego te abſoluo ad cautelam à ſuſpenſione, ſi quam ob præfata incurriſti, & diſpenſo tecum ſuper irregularitate ſi quam celebrando ob eãdẽ contraxiſti In nomine Patris. &c.* aut certè poteſt Illuſtriſsimus Pœnitentiari9 maior mittere illum abſoluendum & habilem faciendum ad aliquẽ Pœnitentiarium minorem, qui viſis his eumdem cõſulẽtem quietum reddat. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

2 *Capellaniam in capella Papæ obtinens, ad illius titulum, qui morte concedentis extingui non ſolet, ordinari poteſt, maximè ſi Pontifex ad illam eum præſentet: licet dubitari poſſit, an quis valeat ordinari ad titulum rectoriæ, ad illum rectore ipſum præſentante. num.1.*

3 *Titulus, ad quem quis ordinatus fuit, non poteſt ſine licentia Epiſcopi, antequam vnde aliunde viuat obtinuerit, reſignari valide.*

4 *Capellaniæ Papæ, ad cuius titulum quis fuit promotus, ceſſante impedimento, tenetur inſeruire, & ad illam vt ſeruiat reuerti.*

## CONSILIVM XX.

QVæritur primo, an capellanus Papæ ordinatus ad ſacros ordines ad titulum capellaniæ, quam habebat in capella Papæ, ſit legitimo ordinatus.

Secundo quæritur, an prædictus capellanus, qui ob impedimẽtum diſceſsit ab eo loco, in quo ſeruiebat, eo ceſſante debeat redire ad ſeruiendum in illo.

1 Duæ quęſtiones videntur in caſu propoſito proponi. Ad quarum priorem videtur dicendum prædictum dominum conſulentem legitimè fuiſſe ordinatum ad ordines ſacros ad titulum capellanię, quam habebat in capella Papæ: quia licet [e] dubitetur inter doctores de ordinato ad ordines ſacros ad titulũ pręſentationis, qua rector aliquis præſẽtat aliquẽ ad titulũ ſuæ rectoriæ, & conſentit vt accipiat alimenta de fructibus ſuæ rectorię in ſuum victum an poſsit ordinari iuſtè ob illam præſentationem iure nouo, vel antiquo; in caſu tamen propoſito non videtur dubitandum.

*e In c.penult. de ſimõ.& in ca. poſtulaſti. de iure patrõ.*

1 Tum quia id fecit Papa, qui eſt ſupra omne ius humanum poſitiuum.[f] Tum quia capellaniæ præfatæ capellæ ſunt perpetuæ, & non vacant per mortem Papæ, vt cõſtat ipſa experientia, quæ eſt rerum magiſtra,[g] & multùm differt præſentatio rectoris ad rectoriã ſuã, vel fructus eius, & pręſentatio Papæ ad capellam perpetuam per ſe ſtantem, & differentem ab alio beneficio, vt palàm eſt.

*f Cap. propoſuit. de conceſſ.præben.*

*g Cap. quam ſit. de elect. lib.6.*

3 Secun

3 Secundo, quod per Conc. Trid.[a] statutũ est, ne quis ordinatus ad ordines sacros ad titulũ alicuius beneficij, vel patrimonij, posit renũciare illud beneficiũ, vel patrimoniũ sine licentia Episcopi, antequã consecutus fuerit aliud beneficiũ, vel patrimonium, vnde se alere posit. ex quibus infertur, quod dominus consulens non perdidit suam capellaniam, quia non renunciauit illam, nec potuisset renũciare, etiam si voluisset, sine licentia superioris, per præfatum Concilium.

a *Seß. 21. c. 2. de reform.*

4 AD QVÆSTIONEM POSTERIOREM respondetur, quod prædictus D. consulens videtur debere redire ad seruiẽdum in eodem loco & ordine, quo seruiebat, antequã impedimentum prædictum seruiendi successisset ei: quia pacificè adeptus fuit titulum, & possesionẽ tam ciuilem, quam naturalem prædictæ capellaniæ, & ita retinuit saltem ciuilem possesionem, ratione cuius redire potest ad suum locum, immo & agere de spolio, si quis eum spoliaret.[b]

b *L. clam possidere. §. qui ad nundinas. ff. de acquirẽ. vel amit. poss.*

*SVMMARIVM.*

*1 Titulum non habere, & illi renunciasse, paria sunt: & hoc, si renũciatio sit valida. nu. 4.*
*2 Alienans titulum, ad quem quis ordinatus est, non habens aliquid aliud vnde viuat, peccat contra decretum sacri Concilij, sed tamen ob hoc non perdit illud, nec est suspensus, licet ab ordinario posit puniri. nu. 3. & 4.*
*3 Conatus delinquendi, etiam non secuto effectu, punibilis quidem est, sed tamen non subiicitur pœnæ ipso iure inflictæ ipsi delicto. num. 4.*
*4 Nullatenus, verbum inducit nullitatem actus ipso iure.*

## CONSILIVM XXI.

QVidam ordinatus sine beneficio ad titulũ patrimonij ad gradum subdiaconatus, renũciauit illud in fauorem parentum, & postea fecit se ad superiores ordines ordinari ab ordinario, cui facta fuerat fides de titulo patrimonij, cum ordinaretur ad subdiaconatum, ignoranti prędictam renunciationem, & postea celebrauit. Quæritur an inciderit in vllas censuras, & irregularitatem.

1 Pro parte affirmante facit primò, quòd paria sunt non habuisse titulũ patrimonij, vel illud renunciasse:[c] quia vt ait glossa, remittentibus suas actiones non est dandus regressus,[d] at qui absq; beneficio & titulo patrimonij ordinatur ad sacros ordines, est ipso iure suspensus,[e] & celebrando fit irregularis. Secundò, quòd Conc. Trid.[f] vetat alienationem patrimonij ante habitam aliam sustentationẽ, & ita cõtrauenit illi renunciando.

2 Tertio, quod regulariter conatus delinquendi, etiã nõ secuto delicto, punitur,[g] & consulens conatus fuit assumere ordinem absque titulo, cum illi renunciasset.

3 Pro parte vero negante facit primò, quod potest quis iustè ad titulum patrimonij ordinari,[h] etiam post Concil. Trid. si Episcopo id beneuisum fuerit.[i] Secundò, quod nõ præstat impedimentum quod iure nõ sortitur effectum.[k] At renunciatio præfata non valuit per præfatum Concil. & si ea nõ fuisset facta, ordinatio fuisset iusta: ergo etiam facta illa erit talis, vt insinuamus in nostro Man. confess.[l]

4 Tertio, quod qui habet actionem, videtur rẽ habere,[m] præsertim si actio est realis, & rei vendicationis, per multa quæ congerit ibi Decius. At consulens habet actionem rei vendicationis ex donatione parentum, cum illi nõ potuerit renunciare: Concilium enim habet titulum huiusmodi sine licentia Episcopi nullatenus renũciari posse: & verbum, *nullatenus*, inducit actus nullitatem ipso iure, iuxta glo. celebrem.[n]

5 Quarto denique, quod lex pœnalis non est extendenda vltra casum, in quo loquitur,[o] & lex puniens ordinatum sine titulo est pœnalis: ergo non est extendenda ad eum, qui verè habuit illud, & verè non perdidit, licet fecerit id quo data est occasio rixandi cum eo super illo. Et per hæc videtur pars negatiua tenenda: quamuis negari non potest consulentem peccasse, & male fecisse, & ab ordinario pœna extraordinaria puniri posse.

c *Arg. c. quã periculosum. 7. quæst. 1.*
d *L. quæritur. §. venditori. ff. de ædilit. edict.*
e *Per ca. sanctorum. 70. d.*
f *In cap. 2. de refor. seß. 21.*
g *Leg. si quis non dicam, C. de Episcopis & cleri. & c. si quis de pœnit. dist. 1.*
h *Ca. Episcopus. & c. tuis. de præben.*
i *Ca. 2. de reform. seß. 21.*
k *Ca. non præstat. de regul. iur. lib. 6.*
l *Cap. 27. nu. 158*
m *L. qui actionẽ. ff. de regu. iur.*
n *In verbo nullatenus. clem. vnica de sequestr. poßeß.*
o *L. præses. ff. de pœnis. cap. pœna. de pœnit. dist. 1.*

Ad primum oppositorum respõdetur asumptum in eo esse verum de renunciatione valida, qualis non fuit hæc, de qua est sermo.

Ad secundũ concedimus consulentẽ peccasse, negãdo [A] quod per illud peccatum perdiderit titulum.

Ad tertium concedimus conatum solum non secuto effectu regulariter puniendum, sed fallere id in multis casibus, quos adduximus nos in ca. *si quis non dicam.*[a] post Felinum,[b] quorum quartus est, cum pœna imponitur ipso iure.[c] At in casu proposito agitur de pœna suspensionis ipso iure incurrenda, & ideo præfata regula non habet locum in eo. Salua, &c.

a *De pœnit. dist. 1.*
b *In tractat. quando conatus.*
c *Per ca. cum in cunctis. §. fin. de elect. adiuncto cap. perpetuo. eod. tit. libr. 6.*

*SVMMARIVM.*

*1 Alienans, etsi nulliter patrimonium ad cuius titulum fuit promotus ad sacros ordines, peccat quidem mortaliter, sed non incidit in censuram, si ante ordinationem illud retrocedere non promisit.*

## [B] CONSILIVM XXII.

VTrum sacerdos promotus ad presbyterium titulo sui patrimonij, si postea renunciat ei, peccet, & incidat in aliquam excommunicationem, irregularitatem, aut suspensionem?

1 Respondeo, quòd si consulens, antequam ordinaretur ad prefatum titulum patrimonij, non promisit remittere, vel renunciare patrimonium, vel ius repetendi alimenta promissa, in nullam cessuram nec irregularitatẽ ipso iure incidit: licet renunciando, vel remittendo sine licentia Episcopi peccet, & mea sententia mortaliter, transgrediẽdo[d] Concilium Tridentinum, quia nullo iure hactenus [C] talis pœna ĩposita est; licet castigari posset per Episcopũ: licet etiam renunciatio non esset valida, vt diximus in nostro Man. confess.[e] Salua, &c.

d *Ca. 2. de reform seß. 21.*
e *Capit. 27. à num. 158*

*SVMMARIVM.*

*1 Ordinatus ad titulum patrimonij minus sufficientis, quod mentitus est sufficiens esse, dicitur male ordinatus, si defectus est notabilis. num. 5.*
*1 Ordinandus sacris, bona, vnde commodè ali posit, habere debet.*
*2 Qualificatũ cùm quid requiritur, non sufficit præstati simplex.*
*3 Notabilis pars sunt quinque ad vigintiquinque.*
*4 Restituere tenetur decipiens alium, etiam citra dimidium, notabiliter tamen.*
*5 Ordinatus ad titulum sibi promissum cum pacto de non petendo eo, est subreptitiè ordinatus.*
*5 Titulus parum insufficiens non facit quem male ordinatum.*

## CONSILIVM XXIII.

NObtinuit literas dimissorias ad quoscumque ordines assumendos sub titulo patrimonij, quod mentitus fuit habere sufficiens; quarum testimonio ordinatus fuit. Quæritur quid iuris?

Quod debeat censeri ordinatus cum titulo, facit, quod verè habebat titulum, quamuis non sufficientem; & iura videntur requirere simpliciter titulum sine qualitate sufficientiæ, vt videre est in ca. *sanctorum.*[f] *absque titulo.* & in ca. *neminem.* ibi, *absolute.*[g]

[E] 1 Pro contraria parte facit ca. *Episcopus.*[h] quod requirit, vt ordinandus ad sacros habeat bona, ex quibus necessaria percipere posit: & ca. *tuis.*[i] quod requirit bona, vnde commode sustentari posit. & in ca. *cum secundum,*[k] statuitur, vt Episcopus alat à se ordinatum, si non habet quo se sustentet. Secundo facit, quod cum requiritur aliquid qualificatum, non sufficit illud, si est simplex, & non qualificatum, iuxta ca. *notificasti.*[l] adiuncta glossa solemni, & commendata à Panormitano & alijs,[m] quatenus habet non sufficere ad essentiam matrimonij consensum simplicem partium, nisi sit spontaneus, & liber, quia ad matrimoniũ requiritur consensus qualificatus, liber, & spontaneus. [F] Tertio, quod allegans contra electum defectum scientiæ notorium, non satisfacit probando defectũ simpliciter,[n] Et qui tenetur probare testes corruptos falsum dixisse, nõ satisfacit probando eos fuisse corruptos, vel falsum dixisse: quia oportet eum probare vtrumque.[o] Quarto facit lex *tutor.* §. Lucius.[p] cum omnibus aliis, quæ probant debitorem nõ liberari, propterea quod partem debiti soluat.

3 Per quę, & alia multa, quæ possunt in hoc afferri, videtur primo non esse iustè ordinatum ad titulum patrimonij eum, qui dixit se habere titulum patrimonij sufficientem ad viuendum honestè, si notabiliter ad illud erat insufficiens. Secundò, quod defectus quinque respectu viginti quinque videtur esse notabilis, argumento eorum,

f *70. dist. ibi.*
g *Ead. distin.*
h *De præben.*
i *Eod. tit.*
k *Eod. tit.*
l *33. quæst. 3.*
m *In c. cũ locum. de spons.*
n *Cap. ab eo. iuncta glos. & communi sententia, de elect. lib. 6.*
o *Ca. licet causam. de probat. vbi per omnes, præsertim per Felin. à num. 41.*
p *De vsur.*

quę notatur [a] adiũctis eis, quæ S. Tho. dixit, [b] & alij Theologi [c] & nos tradidimus in Man. cõf. [d] quod decipiens aliũ in contractu emptionis, etiam citra dimidium iusti pretij, tenetur ad restitutionem, si decipit eum notabiliter, seu in parte notabili. Tertio, quod dubitari posset, an qui ordinatur cũ dimissoriis sui Episcopi habitis cũ huiusmodi falsa informatione, videatur incurrere suspensionem inductam per Pium II. contra eos, qui se faciunt ordinare sine literis dimissoriis. Nã pro parte negante facit, quod is habet veras literas dimissorias, licet subreptitiè impetratas. Pro parte autẽ affirmãte facit, quod mẽdax precator debet carere impetratis, [e] & omni commodo literarum. [f] Pro hac eadẽ parte facit *c. per tuas.* [g] quatenus probat quod is, qui ordinatus fuit cũ titulo promisso, ei ab aliquo facto clã pacto de nõ petẽdo illo, iudicatur male ordinatus: cuius rationẽ ait esse glossa eius, [h] quia subreptitiè ordinẽ accepit. Quarto, quod si non deficeret titulo ad sufficientiam, nisi parum, siue quantitas quæ non esset notabilis, arbitrio boni viri iudicari posset bene ordinatus, [i] & aliorum iurium, quæ probant de modico nõ esse curandũ. Salua, &c.

SVMMARIVM.

*1 Ordinatus ad titulum parochialis ante ætatem obtentæ suspensus non est.*

*1 Subreptio non omnis, sicut Papæ, ita & ordinarij gratias viriat.*

*2 Beneficium curatum malè adeptus, eo dimisso, aliud sibi quærere potest, sed tenetur fructus perceptos restituere.*

## CONSILIVM XXIIII.

AN qui ante legitimam ætatem obtinuit ecclesiã parochialem, & post eam adeptã fuit ordinatus ad ordines sacros ad titulum eius, incurrat suspensionem extrauagantis *cum ex sacrorum.* Pij II. quam referimus in Man. confess. [k]

Respondeo primo, quod acceptatio præfatæ Ecclesiæ, & fructuum, ex ea perceptio inducit quidem peccatum, [l] sed non suspẽsionem, neque irregularitatem: quia id nullo iure cauetur, & ita non est dicendum. [m]

1 Secundò, quòd nec per ordinũ assumptionem in legitima ætate videtur incurrisse suspensionem, nec cõsequẽter irregularitatem per eius violationem. Tum quia non suscepit ante legitimam ætatem, nec extra tempora iuris, nec sine literis dimissoriis: quia suscepit eos à suo ordinario, vel cum literis dimissoriis ab eo datis: esto quod fortè non dedisset eas ille, si sciuisset Ecclesiam præfatam fuisse sibi collatam ante legitimam ætatem: quia gratias ordinarij non facit nullas omnis subreptio, sicut gratias Papæ. [n]

2 Tertiò, quòd iure communi potest consulens accipere aliam Ecclesiam, omissa ea, quam habet, sed tenebitur restituere fructus malè perceptos, nisi prius à Papa sibi condonentur ob paupertatem, vel aliam iustam causam, quod faciat quo ad forum conscientiæ tantùm, si petierit à summo Pœnitentiario, vt quo ad illud forum absoluat eũ à censuris, & irregularitate, si quas ob prædicta incurrit, cum retentione beneficij.

SVMMARIVM.

*1 Verba in proprio significatu accipienda.*

*1 Dictio taxatiua quid operetur. & nu. 6.*

*2 Dictio taxatiua similia non excludit.*

*3 Verborum intelligentia à causis dicendi sumenda.*

*4 Causa dispositionis finali etiam alio tempore impleta, impletur dispositio.*

*5 Dispositio exorbitans ab vno ad alia eidem à iure æquiparata extenditur.*

*6 Dictio taxatiua pro subiecta materia interpretationem sumit.*

## CONSILIVM XXV.

EPiscopus dedit literas dimissorias cuidam Nicolao, vt à quocumque mallet Episcopo ordines assumeret, etiam extra tempora iuris, si Papa id sibi concederet, etiã si totum negotium sibi Papa remitteret. Papa vero cõcessit, vt posset ordinari extra tempora ab ordinario tantum. Quæritur an posset ordinari ab alio, quàm ab ordinario.

1 Respondeo primò, pro parte negante facere, quod à propria significatione verborum non est discedendum regulariter, [o] & quod verba illa, *tantum ab ordinario*, significant, quod non ordinetur ab alio, dictio enim exclusiua exponitur per affirmatiuam, cui adiicitur, & negatiuam

a In l. 2. C. de rescind. vend. & in c. cũ dilecti. de empt.
b In 2. 2. quæ. 77 art. 1.
c In 4. dist. 15.
d Ca. 23. nu. 84.
e Le. & si legibus. C. si cõtra ius vel vtil.
f Ca. super literis. de rescript.
g 3. de simo.
h In verb. ministrare.
i Argu. borũ ca. re vera. de consecra. dist. 2. & l. Seio. ff. de restitut. in integ.
k Ca. 27. nu 155.
l Cap. cum in cunctis. §. fin. de elect.
m C. legatur. 24. q. 2. & l. si donatione. C. de collat.
n Clem. 2. de offic. ordin.
o Le. non aliter ff. de leg. 3. c. ad audientiã. de decim.

A aliorum: nam vt omnes Logici docent, illa propositio. *Petrus tantũ currit*, exponitur per illa duo *Petrus currit*, & *Nullus alius, quàm Petrus currit.* [a]

2 Hoc tamen nõ obstante contrarium est verius. Primo, quod dictio taxatiua non excludit similia; in quibus est eadem ratio, vt est casus in l. fi. [b] adiuncta gloss. [c] quę expresse habet, donationem tantũmodo posse reuocari, ex quinque casibus ibidem expositis: & tamen gloss. addit vnum alium ex similitudine rationis. & auth. *vt cum.* [d] habet ob solas 14. causas posse filium exhæredari à patre: attamen Gulielmus & communis sententia, quam late tractat, & affirmat Iason [e] tenent, quod filius potest exhæredari ob causam æque grauem, aut grauiorem, quam sunt illæ 14. expressæ, [f] & relatæ per glossam. [g]

B 3 Secundò, quod, vt Hilarius ait, *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi.* [h] At causa quare Papa limitauit suam gratiam, vt impetrans ab ordinario tantùm ordinaretur, fuit ne ordinario præiudicaret, & sic derogaret Cõcilio Tridentino quod [i] statuit, vt ordines à propriis Episcopis assumerentur. At nihil præiudicatur Episcopo consentienti, vt ab alio ordinetur arg. ca. *scienti & consentienti non fit iniuria, neque dolus,* [k] neque Concilio, cùm expressè permittat, vt per rescriptum possit quis promoueri ab altero Episcopo, dummodo probitas & mores eius à suo Episcopo commendentur.

C 4 Tertiò, quod si post præfatam licentiam impetratam à Papa assumendi ordines à suo ordinario tantum, ipse cõsensisset, & dedisset præfatas literas dimissorias, nemo negaret posse ipsum ab alio Episcopo promoueri. at non refert an ordinarius prius dederit dimissorias cum cõditione, si Papa dederit licentiã vel post eã datam cùm in vtroque casu impleatur causa finalis, propter quã Papa posuit illam limitationem, vt dictum est in arg. antecedenti. Ergo D. consulens perinde potest ordinari cum dimissoria concessa ante præfatam licentiam, ac cum concessa post eã; præsertim quod expresè in id consenserit, dicendo, ꝙ placet ei, vt ordinetur à quo maluerit Episcopo extra tempora, habita licentia à Papa, etiam si sua sanctitas totũ negotium remiserit ad eum. Et de æquipollentibus idem

D est iudicandum, nec refert quod illorum fiat. [l]

5 Quarto, quod dispositio etiam exorbitans loquens in vno casu, habet locum in alio sibi iure æquiparato, iuxta glossam solemnem; quæ habet multas similes receptas. [m] At ordinari quẽ ab ordinario suo, vel ab alio cũ dimisoriis vel de licẽtia eius, æquiparatur in iure, [n] & ab ipsomet Concilio Tridentino: [o] ergo licentia Papæ, vt quis possit extra tempora ordinari à suo tantùm ordinario, intelligẽda est, vel ab alio de licentia, & cum dimissoriis eius.

E 6 Ad oppositum respondetur, assumptum in eo esse verum de rigore verborum logico, quando aliunde non apparet de intentione & mente vtentis taxatiua. At nos loquimur de significatione verborum accipienda secundũ iustitiam & æquitatem & canonum & legum, secundum quam frequenter subaudimus, tantum & frequenter limitamus illud: subaudimus enim illo, *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra*, dictionem, *tantùm*, secundum communem intellectum, [p] & glossa [q] in illo dicto S. Hieronymi: *Non ore, sed corde cantandum:* addit dictionem, *tantum*, verbo, *ore*, & è contra l. *cum in testamento.* [r] habet, hæredem iussum à testatore, vt centum dumtaxat impendat eius sepulturæ, non peccare, nec malè facere, si plus impẽdat, absque alterius præiudicio, sed solùm si minus impen-

F dat. & l. *cum prætor.* [s] & ca. *qualis.* [t] quæ habent. *eum qui de vno dicit, de alio negare*, intelligenda sunt de alio dissimili, vt singulariter dicit Dominicus, [v] pro quo est glossa notabilis. [x] Et ita in casu proposito verba illa, *tantum ab ordinario*, intelligenda sunt, vel ab alio de cõsensu & approbatione eius: quia illa duo sunt omnimodo quo ad propositum similia, & æquipollentia, & iure communi æquiparata, per præfata capp. 1. & 2. [y] & multa similia. Salua, &c.

SVMMARIVM.

*1 Dimissorias ad ordines det vicarius Episcopi, seu Episcopus originis, beneficij, vel domicilij, religiosis autem eorum prælati.*

*1 Suspensus est qui sine legitimis dimissorijs ordinem sacrum ab alieno suscipit: & si illo vtatur, prout facit qui ascendit ad*

a Ca. cum ecclesia Sutrina. de caus. pos. & propriet. & leg. Gallus. §. & quid si tantũ. ff. de liber. & posthum.
b C. de reuoc. dona.
c verb. voluerit.
d De appell. cog. §. aliud quoque cap.
e In auth. non licet. C. de liber. præter. vel exhæred.
f In dict. §. aliud.
g In ca. quintauallis. de iureiur.
h Ca. intelligentia. de verbo. sign.
i In ca. 8. sess. 23. de refor.
k De reg. iur. lib. 6.
l Leg. fina. ff. mand. c licet ex quadam. de testibus.
m In c. si postquã. de elect. lib. 6.
n Ca Lugdunensis. 9. q. 2. & c. 1. & 2. de temp. ord. lib. 6. cũ sibi concord.
o In d. c. 8. de refor. sess. 23.
p In cap. scindite. & in ca. conuenimini. de pœnit. dist. 1.
q In ca. cantantes. 92. di.
r ff. de verb. sign.
s ff. de iud.
t 25. dist.
v In d. c. qualis. 25. dist.
x In ca. si tibi absenti. de preben. lib. 6. in verb. absenti.
y De tempor. ord. lib. 6.

*ad presbyteratum efficitur irregularis.num. 2.*

2 *Ministrat in susceptis, qui ab vno ordine sacro ascendit ad alium:immo & accipiendo presbyteratum, in eodem ministrat, dum cum Episcopo simul consecrat.*

3 *Episcopus dispensat super irregularitatibus incursis ex mala ordinum assumptione, & ministratione, si ex occultis delictis processerunt.*

3 *Occulta vix dici potest irregularitas procedens ex dimissorijs nulliter concessis ab eo qui non potest dare: eo quòd defectus pateat ex lectura ipsarum: vnde non à Pœnitentiario, sed à Datario in vtroque foro quærere debet dispensationem.*

## CONSILIVM XXVI.

QVIDAM clericus dimissorias, vt à quocumque Antistite ad omnes sacros ordines promoueri posset, à quodam pro Legato constituto Vicario obtinuit: & postea à diuersis Episcopis sacros ordines cum dictis dimissorijs accepit. Dubitatur, an pœnas incurrerit, & an per Episcopum, seu Pœnitentiariam, dispensationem sufficiat impetrare.

1 Magis est, vt D. consulens incurrerit suspensionem, eo quòd suscepit ordines sacros absque literis dimissorijs legitimis per extrauagantem Pij II. quę incipit, *cum ex sacrorum*, non enim fuerunt legitimæ literæ illæ dimissoriæ, quas dedit ei Vicarius præfatus Anconitanus, cum non esset Episcopus, nec Vicarius Episcopi originis, nec beneficij, nec domicilij, nec prælati, in cuius manibus consulens regularē fecit professionē, prout requiritur c. *cum nullus.*[a]

2 Secundo respondeo, quod etiam est irregularis: quoniam vsus est ordinibus sacris, durante suspensione, per eamdem extrauagantem.[b]

Tertiò, quod etiam est irregularis, ex eo quod posteaquam fuit suspensus ex assumptione mala primi ordinis sacri, siue subdiaconatus, ante absolutionem assumpsit alios duos ordines sacros, diaconatum scilicet, & presbyteratum, præsertim quod in susceptione presbyteratus etiam cum Episcopo consecrauit.

3 Quarto, quod Episcopus bene posset super his irregularibus dispensare, si ex occulto delicto essent natæ, per Concilium Tridentinum.[c]

Quinto, quod difficile est asserere præfatas irregularitates ex occulto delicto esse natas. Tum quia ordinationes fuerunt publicè in publicam formam relatæ. Tū quia ille, quo vsus fuit ordine subdiaconatus, videtur fuisse publicus. Tum quia per literas ipsas trium ordinum, quæ sunt tria publica instrumenta, coniungendo cum literis dimissorijs illegitimis, probatur consulentem suscepisse duos ordines sacros posteriores posteaquam fuit suspensus per assumptionem primi sacri.

Sexto, hæc consequi quod D. cōsulens debet impetrare dispensationem Romæ, antequam redeat in patriam, & quod non videtur sufficere sibi dispensatio sacræ Pœnitentiariæ, quæ non prodest nisi quo ad forum conscientiæ, sed oportet eum impetrare per Datarium, vt prosit quo ad vtrumque forum, porrecta idonea petitione, quam ego polliceor dictare, si non fuerit præsto alius, qui eam aptius agat. Salua, &c.

*Aduertendum referri Congregationem censuisse, regulares, qui volunt ab alieno ordinari debere obtinere dimissorias, etiam à diœcesano, si in diœcesi commoratur & vide infra Concilium 36.*

a *De tempor. ord. lib. 6.*
b *& c. 1. de re iud. li. 6. ca. 1. de sent. excō. eod. li. cum eis adnotatis.*
c *Ca. 6. quod incipit, liceat. de refor. sess. 24.*

### SVMMARIVM.

1 *Commendatitias literas dans de vita & moribus, non dicitur dare dimissorias ad ordines. & num. 3.*

1 *Capitulum sede vacante infra annum reuerendas non dat.*

2 *Legatus reuerendas quidem dare potest etiam sede vacante, sed non derogare sacro Concilio. num. 2.*

2 *Ordinari potest nemo ab alieno sine ordinarij testimonio, qualis non est Capitulum intra annum sede vacante.*

3 *Capitulum testimonium idoneitatis dans ordinando intra annum sede vacante non suspenditur.*

3 *Error iuris obscuri excusat à mortifero, durante errore, nu. 4.*

4 *Iurisconsultum iurisconsulti errore excusari posse, dixit Iason.*

5 *Ordinatus male sibi consulit accipiendo ratificationem ordinis.*

5 *Ordinatus minoribus ab alieno sine dimissorijs, licet sic malè ordinatus, censuram non incurrit.*

5 *Pensio collata ei qui male ab alieno accipit primam tonsuram, tenet, secundum auctorem.*

## CONSILIVM XXVII.

ECCLESIA Burgensi vacante, & durante anno, quo prohibetur Capitulo dare dimissorias ad ordines, Legatus Hispaniæ dedit illas N. adhuc puero, vt posset ordinari ab aliquo Antistite, cū testimonio idoneitatis à prouisore Burgensi accepto, & d. N. accepit à quodam Episcopo celebrante ordines in eadem ecclesia vacante primam tonsuram, & postea fuit illi assignata quædam pensio. Quæritur quid iuris?

1 Respondeo primò, quòd pro Capitulo & prouisoribus facit, quod ipsi non dederunt literas dimissorias, quas *reuerendas.* vocant, quasque prohibebatur Capitulum dare per [a] Concilium Tridentinum: sed solum literas testimoniales idoneitatis ipsius N. qui volebat ordinari, quæ non sufficiebant ad hoc, vt ordinari posset ab Episcopo alieno, etiamsi Capitulum, & prouisores habuissent potestatem dādi dimissorias, vt palàm est, non enim dederunt licentiā & facultatē ordinē accipiendi ab alieno Episcopo.

2 Secundò, quòd pro ordinato & ordinante facit, quod Legatus potuit dare reuerendas, & dedit eas accedente testimonio idoneitatis ordinarij, vel prouisoris N. quod testimonium accessit, seu datum fuit, vt requirebatur.

Tertiò, quod contra ordinatum & ordinantem facit, quod in Concilio Tridentino [b] statuitur, non posse quem iustè ordinari virtute alicuius rescripti, nisi eius probitas & mores ordinarij sui testimonio commendentur. At in casu proposito nō interuenit testimonium ordinarij. Nec prodest ei dicere, quòd illud testimonium erat testimonium ordinarij: quia non erat testimonium ordinarij quo ad id, ad quod requirebat Legatus, cuius mens fuit seruare mētē Cōcilij, quę fuit ne quis absque cōsensu ordinarij ordinaretur, vt clarè colligitur ex eodē,[c] sed & expressè[d] statuitur, ne Capitulum sede vacante det dimissorias, ne reputaretur quo ad hoc intra annum ordinarius. Neque etiam iuuat dicere, quòd fortè Legatus sciebat ecclesiam Burgensem vacare: quia Legatus non potuit derogare Concilio Tridentino iuxta glossam singularē & receptā.[e]

3 Quartò, quòd ex his infertur Capitulum & prouisores nullas incurrisse censuras, eo quòd non dederunt literas dimissorias, neque aliud quicquam fecerunt, quod eis fuerit prohibitū per præfatū Conciliū, neq; per alia iura.

Quintò, quòd neque ordinatus videtur peccasse: quia error iuris obscuri excusat à peccato mortifero, iuxta singulare dictū Innocētij,[f] quē cū alijs multis refert, & sequitur Felinus, alia multa ad hoc adducēdo [g] præsertim pueri. arg. notatorū in c. *ignorantia,*[h] & eorū quę gloss. illius citat.

4 Sextò, quòd maius dubium est de ordinante, qui est vir doctissimus, & rerum Curiæ peritissimus: quamuis Iason alicubi dicat Iurisconsultum egregium Iurisconsulti errore excusari posse.

Septimò, quòd licet puer ille non peccasset, donec in eo iuris errore mansit saltem quo ad forum conscientiæ, posteaquam resciuit, videtur teneri ad non perseuerandum in illo, vel ratificandum id quod per illum errorem non fuit rectè factū, per multa quę possent in hoc adduci.

5 Octauò, quòd satisfaceret, si ab Episcopo vel Archiepiscopo nouo, vel à Papa obtineret ratificationem illius ordinationis.[i]

Nonò, quòd collatio pensionis facta illi post clericatum sic susceptum valuit: quia etiam si peccasset in sic suscipiendo tonsuram, nullam tamen iuris censuram ipso iure videtur incurrisse,[k] & quòd extrauagans Pij II. quæ suspendit ordinatos sine dimissorijs, solum includit ordinatos ad sacros ordines, & non ordinatos ad minores, qui licet suspendi possint per iudicem, non tamen sunt ipso iure suspensi, per præfata cap.[l] Salua, &c.

*Aduertatur, referri in praxi obtentum contrarium eius, quod habetur sub num. 5.*

a *Cap. 10. sess. 23.*
b *Ca. 8. de reform. sess. 23.*
c *D. cap. 8.*
d *In d. ca. 10.*
e *In cap. dilectus. cum simi lib. de preben.*
f *In capit. per tuas. 2. de simon.*
g *In ca. 1. col. penult. de re iudic.*
h *De reg. iur. lib. 6.*
i *Arg. ca. Lugdunensis. 9. q. 2.*
k *Arg. c. quod translationē. & c. vel non est compos. de tempor. ordi.*
l *Quod translationem. & ca. vel non est compos.*

### SVMMARIVM.

1 *Ordinatus minoribus ordinibus de licentia Capituli sede vacante intra annū potest habere beneficium, antequam priuetur clericali priuilegio.*

1 *Verba futuri temporis pœnam ipso iure non infligunt.*

## CONSILIVM XXVIII.

CONCILIVM Tridentinum [m] habet, ordinatum ad minores ordines de licentia Capituli sede vacāte,

m *Ca. 10. sess. 7. de reform.*

nullo priuilegio gaudere debere. Quæritur an possit habere beneficium.

1 Respondeo, quòd primo aspectu videtur quòd non, per cap. *ex literis.*[a] & ca. 2.[b] quæ probant, priuilegium clerici esse, vt sit capax beneficij Ecclesiastici: quamuis videtur quòd non perdit ipso iure hoc priuilegium, sed debeat perdere illud per sententiam, vel per exceptionem: quia verbum *gaudeat* est futuri temporis, per cuius verba non infligitur ipso iure pœna, iuxta glossam solemnem & receptam.[c] Salua, &c.

a De trãslat.
b De instit.
c In regula in pœnis. de reg. iuris lib. 6.

SVMMARIVM.

1 *Ordines minores ab alieno sine dimissorijs accipiens, peccat peccatum, quod sola contritione deletur: & licet mereatur suspendi, tamen hanc pœnam potest Episcopus remittere: & si imponat, ei non nocebit quo ad præterita. num. 5. at suspensionem ipso iure non incurrit. num. 1. vnde si ei conferatur beneficium, tenet collatio, num. 2. nisi sit Vltramontanus ab Italo ordinatus. nu. 1. & 2.*

3 *Gratia sola signatura Gallis quo ad vtrumque forum prodest, alijs quo ad solum forum conscientiæ: nisi agatur de collatione beneficij obtenta à Papa. num. 4.*

4 *Beneficia à sede Apostolica collata amittuntur, nisi intra certum tempus literæ expediantur: & Gallis sola supplicatio signata sufficit. nu. 3.*

## CONSILIVM XXIX.

AN ordinatus minoribus ab Episcopo alieno sine literis dimissorijs sui, & post assecutus beneficium, qui postea obtinuit à Papa absolutionem malæ ordinationis, & nouam prouisionem beneficij per solam signaturam, possit ascendere ad superiores ordines ante literarum expeditionem?

Respondeo primò, quòd hæc petitio non pertinet ad Illustrissimum Dominum Pœnitentiarium, neque ad eius prætorium: quia nec absolutionem neque dispensationem, neque vllam habilitationem petit, sed tantùm quæstionem extrariam.

1 Secundo, quòd consulens si non est Vltramontanus, & ordinatus in Italia, non habuit necessitatem absolutionis à censuris, neque ab irregularitate: quia licet ordinatus ab alieno ordine sacro ipso iure incurrat suspensionem, & si durante illa celebrat, irregularitatem, per extrauagantem Pij II. quæ incipit *cum ex sacrorum*: ordinatus tamen minoribus non incurrit ipso iure talem suspẽsionem, licet mereatur suspendi iuxta iura,[d] & tradit Archidiaconus[e] & Antoninus post Hostiensem, & Ioannes Andreas, & ante illum glossa cõmuniter recepta,[f] & ante illam Archidiaconus[g] vbi ipse & prædictus Antoninus[h] & Philippus Francus[i] respondent cap. 1. & 2. 9. q. 2. & alijs, quę contrarium significant: sed non, vt ipsi declarant[k] & glossa cum communi[l] probant talem esse suspensum, si non est Vltramontanus, & ordinatus in Italia: quia si esset talis, esset suspensus etiam quo ad alios, & suspensione inducente irregularitatẽ per ca. 1.[m] cuius tamen dispositio non esset extendenda ad alios casus, quod affirmat eius glossa communiter recepta per iura in ea citata, & rationes efficaces.

d Capit. quod translationẽ. & c. vel non est compos. de temp ord.
e Ca. Lugdunensis. 9. q. 2.
f Ca. eos. eod. tit. lib. 6.
g D. c. Lugdunensis. 9. q. 2.
h Vbi supra.
i d. ca. eos.
k In d. c. quod translationẽ.
l Capi. eos. de temp. ord. l. 6.
m De tempo. ord. lib. 6.

2 Tertiò, quòd si non fuit ipso iure suspensus quo ad alios, & suspensione inducente irregularitatem, vt non indiguit absolutione, ita non indiguit noua collatione beneficiorum à Papa sibi postea facta: quia valuit collatio prior & ita cessaret alia quæstio grauior, quæ in propositione quæst. implicatur.

Quarto, quod si erat suspensus prædicta suspensione Vltramontani in Italia ordinati, & consequenter suspensus prędicta suspensione quo ad alios, indiguit absolutione & noua collatione.

3 Et quo ad quæstionem implicatam an sufficiat signatura ad ascendendum ad ordines superiores, respondetur, quod si consulens est Gallus, sufficit ei signatura: quia in Gallia sufficit signatura: quoniam seruat ius antiquum, secundum quod gratia sine literarum expeditione valet, iuxta clem. *dudum.*[n] & alia citata per Felinum & Decium in rub. de constit.

Quintò, quod absolutio præfata valebit obtenta à Papa ei sine literarũ expeditione quo ad forum cõscientiæ, etiã si non sit Gallus, vt satis sentit glossa,[o] quãuis nõ quo ad forũ exterius, in quo requiritur probatio, quæ sine literis expeditis nõ fit, per ea multa quæ adducit Gomezius.[a]

n § fin. adiuncta glossa. in verb. verbo, de sepultur.
o Regul. cancell. 21. & 53.

4 Sextò, quòd idem posset dici de noua collatione beneficiorum, nisi obstaret quædam extrauagans Iulij II. per quam perditur ius quæsitum per supplicationẽ, nisi literę intra certum tempus expediantur: ad quam, quia non est nota omnibus, nec vidi eam typis excusam, me remitto.

a In reg. de nõ iudicando literis non expeditis.

Non obstat prædictis, quod prædictus orator potest suspendi suspensione prædicta quo ad alios, quæ est vera censura per prædicta.[b]

5 Tum quia suspensio, quæ nunc fieret, non nocet quo ad præterita, nec retrotrahitur.[c] Tum quia Episcopus potest dispensare super illa pœna per sententiam imponenda, vt habetur in d. cap. *Lugdunensis.* & ibi Archidiaconus communiter receptus id annotauit: & consequenter obtenta illa venia siue dispensatione super pœna merita, sed non ipso iure incursa, saluus manebit ab omnibus malis, quæ consequebantur illam iniustam ordinationem etiam quo ad forum exterius: sicut & quo ad forum interius mansit liber à peccato, quod admisit in sumendo minores ordines inordinatè, per primam contritionem & confessionem, qua se illius accusauit.

b Capit. post translationẽ, & ca. vel non compos.
c Arg. c. 2. & fin. de const.

*Rota tamen reputat huiusmodi ordinatum prima tonsura, siue minoribus, inhabilem ad obtinenda beneficia, ac pensiones, prouisionesque eis factas non subsistere.*

SVMMARIVM.

1 *Suspensus non est ex hoc quis, quòd minoribus à non suo initiatus fuerit, nisi eos acceperit in excommunicatione. & n. 3.*

2 *Peccat vtens minoribus male susceptis ante dispensationem.*

3 *Pœnitentiarius maior potest in foro conscientiæ tantùm ratum habere ordinem ab alieno acceptum cum falsis dimissorijs, & ita si falsitas creditur adeo occulta, vt non sit timenda controuersia in foro exteriori potest ab eo peti.*

## CONSILIVM XXX.

AN ordinatus ad minores per dimissorias falsas, sit ipso iure suspensus?

1 Respondeo primò, quod huiusmodi ordinatus grauiter & mortiferè peccauit, nec absque peccato vti potest ordinibus minoribus sic susceptis, donec ratificetur ordinatio per proprium Episcopum: quia eos suscepit ab Episcopo non suo sine literis iustis dimissorijs.[d]

2 Secundo, quod licet vtendo illis ordinibus peccet, non tamen fit irregularis, vt tenet glossa recepta[e] quia nõ videtur ipso iure suspensus illa saltem suspensione, cuius transgressio inducit irregularitatem,[f] in quod optime facit extrauagans *cum ex sacrorum.* Pij II, relata & declarata à nobis in repetitione cap. accepta.[g] quaten⁹ habet ordinatos ad sacros ordines sine literis dimissorijs incurrere suspensionem illam, cuius transgressio inducit irregularitatem, significando à contrario sensu ordinatos minoribus non incurrere illam.

d Per ca. 1. & cap. nullus. de temp. ord. l 6. & c. Lugdunensis. 9. q. 2.
e Capi. eos. de temp. ord. l. 6. verb. statuãt.
f Arg. c. 2. & c. quod translationẽ. & ca. vel non est cõpos. de tempo. ordin.
g De rest. spol. opposit. 8. nu. 34.

3 Tertio respondeo, quod prædicta intelligẽda sunt, nisi alia maior culpa intercesserit, puta quod ob falsitatẽ prædictam incurrerit excommunicationem ipso iure per aliquam cõstitutionem synodalem: nam iure communi non incurrit illam: vel quod ordinator tulerit excommunicationem ipso iure incurrendam contra eos, qui peterent à se ordinari sine licentia legitima, vel sine iusta ętate, quod aliquando factum esse audiuimus. Nam tunc respondendum esset de illo, id quod responderi deberet de ordinato cum licentia legitima, sed aliàs excommunicato, qualis incurrit irregularitatem.[h]

Quartò respondeo, quòd D. consulens posset petere à summo Pœnitentiario, vt habeat ratam quo ad forum cõscientiæ tantùm prædictam suam ordinationem, si falsitatem credit adeo esse secretam, quòd non timet vllam de illa quæstionem sibi futurã in foro exteriori, vt exoneretur onere petẽdi ratificationẽ à suo ordinario. Salua, &c.

h Iuxta ca. 1. de cler. excõmu. & cap. si quis Episcopus. 11. q. 3.

SVMMARIVM.

1 *Ordinatus sine licentia minoribus, etiam Vltramontanus ab Italo, non est suspensus, nec priuatus beneficijs postea, nec antea obtentis licet possit suspendi num. 5.*

2 *Dispositio exorbitans & pœnalis restringenda. & 4.*

3 *Causa dispositionis, quæ ponitur in prœmio, censetur finalis.*

4 *Ordinatos malè sacris suspendit extrauagans Pij Secundi, secus si solùm minoribus.*

5 *Ratihabitio ordinarij in male ordinatis operatur, vt benefi-*

cium

*cium male obtentum posit de nouo conferri.num.6.*

CONSILIVM XXXI.

HISPANVS Hispalensis laicus ordinatus sine dimissorijs in Italia ab Episcopo Italo, obtinuit beneficium vnum. Quæritur an sit suspensus ipso iure, & priuatus illo beneficio.

1 Respondeo primo, glossam [a] tenere, quòd sic, duplici ratione. Altera, quòd eadem ratio videtur esse in laico ordinato à non suo Episcopo, & in clerico ordinato etiam à non suo Episcopo. Altera, quod præfatum cap. 1. faciendo punctum post verbum *Vltramontanum*, videtur soluere argumentum ex illo desumptum contra eam: quam sequuntur etiam ibi Ioánes Andreas, Dominicus & Fräcus.

Sed profecto contrarium videtur verius, quod grauissimè tenuit ibidem Archidiaconus & etiam Ioannes Monachus & satis sentit Ancharanus & firmat etiam Petrus Rebuffus [b] quod esset tenendum, etiamsi nemo id tenuisset. Tum quia est casus expressus [c] quod ordinatus ab alieno Episcopo non caret ipso iure executione ordinis, sed est interdicenda ei. Tum quia cap. *vel non est compos.* [d] idem statuit de ordinato ante legitimam ætatem. Tum quia cap. 1. [e] cui innititur glossa pfata, probat contrarium, quatenus loquitur de ordinante clericum ad sacros ordines, & de clerico ordinato ad illos, significando aliud de ordinante laicum, & de laico ordinato ad clericatum. [f] Tum quia est exorbitans à iure regulari, [g] & ita debet restringi ad terminos, quibus vtitur. [h]

2 Tum quia est pœnalis, & ita restringenda. [i] & cum loquitur de ordinante clericum, & de ordinato clerico ad sacrum, non debet extendi ad ordinantem laicum, & ad laicum ordinatum ad clericatum: immo probat contrarium, eo quod *qui de vno dicit, de alio negare videtur.* [k] vt supra tactum est.

3 Tum quia causa illius constitutionis fuit, quia clerici extra suas terras in Italia ordinabantur ad sacros, vt habet procemium illius, & non fuit causa impulsiua, vt significat Ioannes Andreas sed finalis: quia causa dispositionis, quæ ponitur in procemio eius, censetur finalis, [l] & ita solùm habet locum in ordināte clericum ad sacros ordines. Tum quia ridicula est ratio, qua mouetur Ioannes & Dominicus scilicet, quod verbum, *ordo*, late sumptum significat etiam ordines minores: quia illa efficaciter tollitur per ipsum & Archidiaconum & retorqueri potest contra eos, cùm regulariter lex exorbitans & pœnalis non extendatur ad significata impropriè & latè per eius verba.

4 Tum quia non est eadem ratio de ordinato laico ad clericatū, & de clerico ad sacros, cùm crimen hoc sit longe grauius illo, vt palam est, cumque extrauagans Pij Secundi, *cum ex sacrorum:* clarè significet hoc, statuēdo, quod ordinati ad sacros sine dimissorijs, & ante ætatem, & extra tempora, suspenduntur ipso iure, & si celebrant, sunt irregulares: quæ tamen secundum omnes non habet locū in ordinato ad primam tonsuram, vel minores. Tum quia præfatum cap. 1. non potest sine violentia diuidi per appositionem puncti, quam glossa prætendit, vt palam est perpendenti. Tum denique quod ridiculosum est etiam id, quod notant ex illa glossa Dominicus & Francus, scilicet, quòd quando per puncti appositionem in vno vel alio loco potest extendi prohibitio pœnalis, debeat in dubio poni in eo loco, in quo positum ampliat dispositionem, cum contrarium sit verum & receptum post glossam, [m] per quod, & per rationem diuersitatis supra tactam soluuntur fundamenta glossæ.

5 Secundò, quòd non est priuatus, neque priuandus ob hoc solùm beneficijs ante vel post habitis, sed solùm potest suspendi, & post illam suspensionem fieret inhabilis ad beneficia, & non antea, per ea quæ habentur in d. cap. *quod translationem.* [n]

Tertiò, quòd is dominus consulens debet procurare per suos amicos, vt eius Episcopus ordinarius habeat ratam præfatam ordinationem: quo habito remanebit habilis tam quo ad ordines alios suscipiendos, quàm quo ad alia beneficia. [o]

6 Quartò, quòd absolutio, de qua in signatura, non videtur esse data per illam, sed iussum, vt committatur ordinario, quod faciat illam: & ita non videretur illa quicquam operari, donec ordinarius virtute commissionis sibi præsentatæ absolueret.

Quintò, quòd ad maiorem cautelam potest consulens, habita ratificatione sui ordinarij, adire Episcopum, qui contulit illi beneficium, vt illud conferret ei denuo, si, & quatenus opus est. Salua, &c.

a Ca. 1. verb. clericum. de temp. ord. l. 6.
b In Praxi bene fi. titul. de cler. ad sacros ord. mal. promot. nu. 3.
c In ca. quod translationē. de temp. ordi.
d De tempor. ord.
e Eod. tit. li. 6.
f Arg. c. nōne. de præsumpt. & l. cum prætor. ff. de iud.
g In di. capit. quod translationem.
h Cap. quæ à iure. de regu. iur. lib. 6.
i §. pœnæ. de pœnit. dist. 1.
k D. c. nonne.
l Le. fin. ff. de hæred. instit.
m In c. in pœnis. de reg. iur. li. 6.
n Et capi. vel non est cōpos.
o Ca. Lugdunensis. 9. q. 2.

SVMMARIVM.

*1 Ordines minores ab alieno cum falsis dimissorijs accipiens peccat quidem grauiter, sed nullam incurrit censuram, nullaque eget dispensatione, vt posit maiores cum iustis dimissorijs accipere. nu. 2. sufficitque ei coram Deo contritio, & absolutio sacramentalis. num. 3.*

CONSILIVM XXXII.

AN ordinatus per falsas dimissorias ad quatuor ordines minores, & postea per veras ad subdiaconatum, incurrat censuras, vel irregularitatem?

1 Per ea quæ nuper alio domino consulenti respondimus, arbitramur primò hunc dominum consulentem ob præfatam promotionem ad minores ordines in nullam censuram, nec irregularitatem incidisse ipso iure, sed grauiter peccasse, ipsumque suspendi & puniri posse in foro exteriori. [a]

Secundo, quod etiam arbitramur eum non incurrisse ipso iure vllam censuram per secundam promotionem, quia per legitimas dimissorias videtur fuisse ordinatus quo ad forum conscientiæ.

2 Tertio, quod sine dispensatione quo ad forum interius per easdem dimissorias potest iustè promoueri ad alios sacros, si ad eos capiendos extenduntur, & etiam quo ad forum exterius, si bono modo celari posit prior error sine mendacio & periurio. An autem id sic celari posit, nec ne, quæstionis facti est, super quam non consulitur iurisconsultus.

3 Quarto credimus, eisdem rationibus, quibus supradicta fundari possunt, prædictum dominum consulentem non indigere dispensatione primi, nec secundi Episcopi, sed solo secreto primi erroris, ne ob eum puniatur in foro exteriori, & ideo per canonicatus adeptionem, & nouam mutationem domicilij, faciliorem viam illi parari ad celandum primum errorem, qui iam (vt opinor) celatus est quo ad Deum & forum conscientiæ per contritionem, confessionem, & absolutionem sacramentalem.

a Iuxta capi. vel non est cōpos. de tempo. ordin.

SVMMARIVM.

*1 Dimissorias falsas is, cui ignoranti veræ iam concessæ erant, præsentans, dicitur quidem per falsas dimissorias, & cum peccato, sed non sine dimissorijs, maioribus ordinibus initiatus. Vnde licet peccauerit non tamen incidit in excommunicationem, nec suspensionem latam per extrauagantem Pij Secundi. num. 3. quæ nec in suscipiente sine illis minores habet locum. num. 2.*

CONSILIVM XXXIII.

P. RESIDENS Romæ, petijt per epistolas ab Episcopo suo in Hispania moranti literas dimissorias, quæ fuerunt datæ mense Augusto, & P. ignorans eas fuisse datas, antequam ad se peruenirent, fabricauit alias falsas, & virtute illarum ordinatus fuit ad quatuor minores mense Septembri. Quæritur, an sit malè ordinatus.

1 Respondetur primò, dominum consulentem peccasse mortaliter, primum in fabricando literas dimissorias falsas, animo vtendi eis ad decipiendum Episcopum, qui eum erat ordinibus insigniturus, deinde præsentando eas Episcopo, & accipiendo eos ab eo.

2 Secundo respondetur, quòd præfatus consulens non incurrit ipso iure excommunicationem, neque suspensionem, attento solo iure communi. Tum quia extrauagans Pij Secundi, qua suspenduntur ipso iure qui absque literis dimissorijs ordinantur ab alienis Episcopis, solum loquitur de ordinibus sacris, vt nos tradimus in Manu. confess. [b] quamuis etiā iure cōmuni mereatur suspēdi à iudice, [c] sed donec suspendatur per iudicem, nō est suspensus.

Tertiò, quod etiam potest defendi quod non esset suspensus, etiamsi extrauagans haberet locum in minoribus ordinibus: quia præfatus consulens non est absque literis dimissorijs veris ordinatus, quamuis non sit ordinatus virtute verarum dimissoriarum: quia aliud est ordinari quem virtute dimissoriarum, & aliud absque dimissorijs, & lex

b Cap. 25. nu. 70. & ca. 27. n. 155. & 241.
c Per cap. vel non est cōpos. de temp. ord.

pœnalis

pœnalis loquens de altero eorum non debet ad alteram extendi. Tum quia à diuersis non fit illatio. [a] Tum quia lex pœnalis non habet locum extra suum casum, [b] vbi latè tradidimus procedere id, etiamsi eadem ratio idem in altero suaderet.

a L. Papinianus. ff. de minorib.
b Cap. pœna. de pœnit. di. 1.

*SVMMARIVM.*

*1 Reuocasse dimissorias concessas non censetur Episcopus ex eo quod postea dixerit ordinando ne ab alio ordinaretur, quia ipse volebat ordines tenere, & eum ordinare. & num. 3.*

*2 Patrimoninm, ad cuius titulum quis ordinatur, licet debeat esse in immobilibus, & non in mobilibus, non tamen ob id incurritur pœna. & num. 3.*

## CONSILIVM XXXIIII.

1 EXCELLENTISSIME Domine, obtinuit præsens orator à suo ordinario dimissorias, vt à quocumque Episcopo communionem Sedis Apostolicæ habente ad subdiaconatus ordinē se promoueri facere posset, verum, quoniam in dictis dimissorijs nulla fiebat mentio tituli ad quē esset ordinandus, ob id pro supplemento eumdem ordinarium adijt, qui oratori iussit responderi, ne ordines ab alio Episcopo acciperet, quia ipse in secūdis proximis ordinationum temporibus eas volebat tenere, & sic ipsemet oratorem ordinasset. Orator autem impatiēs dilationis, quamprimum cum dictis dimissorijs adijt quemdam ordinarium, qui edoctus extra iudicialiter sicuti orator erat filius personæ diuitis, & qui habebat patrimoniū, prout verè habebat, à patre in mobilibus, vtpote qui nulla immobilia possideret, cōstitutum; successiuè, aliàs tamen rite, oratori subdiaconatus ordinem simpliciter contulit.

2 Demum orator, tanquam subdiaconus, à prędicto suo ordinario obtinuit alias dimissorias, vt à quocumque Antistite communionem Sedis Apostolicæ habente ad reliquos alios sacros ordines posset se facere promoueri: nescit autem, an quando ordinarius concessit secūdo dictas dimissorias, meminerit per ipsum, vt præmittitur, responsionis antea datæ, & credit quòd non: & successiuè in vim secundarum dimissoriarū alios omnes sacros ordines accepit, & ministrauit. Et quia ab aliquibus oratori iniectus fuit scrupulus, quod inciderit in pœnas extrauagantis Pij II. quia sine legitima licentia sui ordinarij videtur ordinatus, quia licentia ipsa, vt præmittitur, fuit reuocata, ex doctrina D. V. in suo Man. [c] & ex textu [d] item quia per subreptionem videtur ordinatus, [e] item quia ordinatus con tra formam [f] Concilij Tridentini quo statuitur patrimonium debere constitui in rebus non alienabilibus, qualia non erant prædicta, ad quorum titulum fuit promotus, supplicat igitur, vt excellentia vestra vnico verbo dignetur respondere, an orator egeat aliqua dispensatione.

c Cap. 27. nu. 158.
d In c. ad aures. de tempo. ord.
e Glossa. fin. gloss. c. ex tua. verbo secreto. de simon.
f In ca. 2. sess. 21.

3 Respondeo, nobis videri prædictum D. consulentem non egere aliqua dispensatione, curare autem debet, vt quamprimum dictus titulus bonorum mobilium conuertatur in bona immobilia ad mentē Concilij Tridentini.

*SVMMARIVM.*

*1 Obsessus à dæmone, post liberationem accipere potest minores, maiores verò non, at antea acceptis potest vti. num. 3.*

*1 Regularis contradicente prælato non promouendus.*

## CONSILIVM XXXV.

QVIDAM Monachus de licentia iusta minoribus initiatus, & à Capitulo nominatus fuerat cum alijs, vt posset ad sacros ordines ascendere: superior dictam nominationem cassauit, deinde subreptitiè de licentia prælati ad subdiaconatum fuit promotus, postmodum à dæmone fuit obsessus: sed sunt iam tres anni elapsi, quòd est liberatus. Quæritur an valeat ad maiores ascendere, & in susceptis de licentia superioris ministrare.

1 Respondeo primò, præfatum consulentem bene fuisse promotum ad quatuor minores, per glossam. [g] Secundo, quòd videtur male fuisse promotus ad subdiaconatum. Tum per illud cap. *clerici. & cap. maritum. ead. distinct.* Tum per Concilium Tridentinum [h] quatenus habet, religiosum non debere promoueri contradicente prælato; & prædictus consulens videtur fuisse promotus contra voluntatem sui prælati, qui primo cassauit denominationem eius, & postea inaduertenter & subreptitiè admisit.

2 Tum per cap. *communiter.* [i] cuius glossa per illum textum & alios concludit inter omnes Doctores conuenire, quod arreptus vel obsessus à dæmone antequam ordinetur ad sacros ordines, non debet promoueri ad illos, etiam si conualesceret.

g Ca. clerici, 33. distinct.
h Ca. 1. de reform. sess. 14.
i D. 33. distin.

3 Licet super obsesso post ordinationem sint varij, & opinio mitior teneat posse vti post conualescentiam ordine ante illam arreptionem suscepto: & ita videtur præfatus consulens posse vti præfatis ordinibus minoribus, & etiam subdiaconatu, habita saltem absolutione à suspensione, sed ad ordines superiores non potest ascendere sine dispensatione Papæ. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

*1 Ordinarius religiosorum est prælatus, seu superior eorum, & ad ordines suscipiendos dimissorias dat.*

*1 Prælatus exemptus iurisdictionem habet quasi episcopalem.*

## CONSILIVM XXXVI.

QVIS sit ordinarius religiosorum ad dandas dimissorias literas ad ordines, de quo loquitur [a] Concilium Tridentinum?

1 Respondetur, quod prælatus superior huiusmodi regularis est quod ad hoc eius ordinarius. Tum quia verè est superior eius ordinarius, habēs in eum iurisdictionem ordinariam. [b] Tum quia cum sit exemptus à iurisdictione episcopali, dicitur habere iurisdictionem quasi episcopalem, iuxta glossam solemnem & receptam. [c] Tum denique quod ca. 10. [d] probat à contrario sensu, quod Abbates exempti possunt dare literas dimissoriales ad ordines suscipiendos regularibus suis.

*Hoc tamen est intelligendum. si prædicti religiosi habeant ad hoc priuilegium: aliàs enim ad Episcopum pertinet, vt supra Consilio 26.*

a Ca. 8. de reform. sess. 23.
b Ca. cum ab ecclesiarū prælatis. de offic. ord. le. fin. C. de iurisdict. omn. iud.
c Clem. 1. verbo proprij. de reb. eccles. nō alienand.
d De reform. præfata sess. 23.

*SVMMARIVM.*

*1 Ordinarius etsi presbyter, non tamen ob id prohibetur dare dimissorias.*

*1 Abbas dans dimissorias sæculari etiam suo suddito est suspensus per annum ab officio, & beneficio.*

*2 Suspensus ab officio ministrans fit irregularis.*

*2 Suspensus à beneficio non facit fructus suos, perceptósque, qui suam excedunt sustentationem, Ecclesiæ restituat.*

## CONSILIVM XXXVII.

AN Abbas, qui cùm non esset presbyter, dedit literas dimissorias famulo suo sæculari ad assumendum ab alieno Episcopo ordines sacros, teneatur restituere fructus perceptos illo anno, etiam si famulus erat subditus iurisdictioni eius temporali, & Ecclesiasticæ, non tamen erat religiosus subditus eius.

1 Respondetur, quod ipse incidit in pœnam suspensionis ab officio vnius anni & à beneficio [e] iuxta Concilium Tridentinum, non quia nō erat presbyter, sed quia, etiam si presbyter fuisset, non poterat dare literas dimissorias ad maiores ordines, vt definit d. cap. 10. [f] eiusdem Concilij quia is, cui dedit dimissorias, non erat regularis, sed sæcularis, licet esset sibi subiectus quo ad iurisdictionem etiam Ecclesiasticam, vt in casu proponitur.

e Sess. 23. cap. 10.
f De reform. sess. 23.

2 Et quia nunc quæritur an teneatur restituere fructus, & cui, respondeo, quod dominus consulens maiorem curam debuisset habere de alia quæstione, an scilicet incurrerit irregularitatem. Et respondeo ad has tres quæstiones. Primo ad hanc superadditam, quòd ipse fuit factus irregularis, si durante illo anno suspensionis non abstinuit à diuinis, quia erat suspensus ab officio: & suspensus ab officio immiscens se diuinis fit regularis. [g]

AD SECVNDAM respondeo, quòd tenetur restituere fructus prędicti anni saltem illos, qui non fuerunt sibi necessarij ad vitam sustentandam, per ea quæ glossa, Panormitanus, & communis asserunt. [h]

AD TERTIAM, quod restitutio illa fieri debuit Ecclesiæ, vt ibidem Panormitanus & Decius determinant. Salua, &c.

g Ca. [illegible] de re iudic. lib. 6. & cap. 1. de sent. excommun.
h In c. pastolis. §. verum. de appell.

*SVMMARIVM.*

*1 Episcopus absoluere potest ab omni suspensione à iure lata, & Papæ non referuata.*

*2 Episcopus approbando suum subditum ab alio ordinatum, non ratificat quod nomine suo non est actum, sed approbat quod in suam est factum iniuriam.*

## CONSILIVM XXXVIII.

AN Episcopus possit habere ratum, quod aliquis suorum clericorum citra illius licentiam, hoc est sine

literis dimissorijs fuerit ordinatus?

Respondeo, quòd licet Petrus Rebuffus [a] tenuerit partem negantem, nobis tamen magis arridet contraria.

1 Tum quia est conformis communi resolutioni Innocentij & aliorum [b] quæ habet, Episcopum posse absoluere ab omni suspensione à iure lata, & Papæ non reseruata, qualis est illa, de qua loquimur.

2 Tum quia proprius Episcopus non ratificat ordinem male assumptum ab alieno, illa ratificatione, qua quis potest habere ratum nomine suo gestum, & non gestum nomine alieno, iuxta regulam *ratum*, [c] vt parum cautè putauit Rebuffus: sed de approbatione, qua quis potest approbare factum ab alio in iniuriam suam, & qua auctoritate iuris potest absoluere ab aliqua censura, vel pœna, quam alius incurrit: de quali approbatione loquuntur cap. *Lugdunensis*. [d] & Concilium Tridentinum [e] & alia iura, quæ suspendunt aliquos male ordinatos, vsque ad arbitrium proprij Episcopi, vel vsque ad voluntatem eius, de qua etiam loquimur in casu proposito.

*SVMMARIVM.*

1 *Episcopus laicum alienum ordinare non potest.*
2 *Ordinis collatio ab alieno facta tenet, nec est repetenda.*
2 *Character Episcopo, vel psalmistæ non imprimitur secundum Theologos, licet secus secundum Canonistas tenentes hos etiam esse ordines.*
3 *Ordinatus prima tonsura ab alieno non incidit in censuram suspensionis, licet sit suspensus quo ad effectum, ne licitè possit eo vti.*
3 *Ordinatus ab alieno ad sacros, vel ante ætatem, hodie suspensus.*

## CONSILIVM XXXIX.

AN Episcopus possit iustè ordinare laicum alterius diœcesis?

Secundo, an esto quòd non possit iustè id facere, si fecerit, ordinatus sit suspensus?

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo quod non, [f] nam quicquid dicat Guido Papæ [g] prædicta duo cap. probant, quòd Episcopus non debet ordinare aliquem, qui sibi non subest ratione originis, beneficij, vel domicilij. cuius decisionis ratio est illa, quod Episcopus non habet iurisdictionem spiritualem, nisi in illis: quod etiam aliter confirmat Franciscus Marc. [h] Et resoluendo illa, quæ ipsi inuoluũt, addo primò, quod collatio ordinis, etiam ab alieno Episcopo facta, tenet: ita quod non debet repeti: quia tenendo cum Canonistis, quod sunt nouem ordines, per illam imprimitur character: & tenendo cum Theologis, quod non sunt nisi septem, & quod in prima tonsura, & episcopatu non imprimitur character, fit tamen saltem benedictio, & deputatio cõsecratiua, quę non debet repeti, nec potest tolli, nisi modis à iure expresis, iuxta ea, quæ de benedictione constitutiua rei sacræ diximus in cap. non liceat Papæ. [i]

3 AD SECVNDAM respondeo, quòd est suspensus ad effectum, quod non licet ei vti eo ordine, donec Papa, vel Episcopus suus ratificet: sed non est suspensus ad hoc, quod si vtatur eo, incurrat irregularitatem, vt Ioánes Andreas cum glossa & cõmuni videtur resoluere, [k] quia quo ad hoc non est suspensus ipso iure, sed suspendendus, [l] sicut ordinatus ante ætatẽ, [m] quod est verum iure antiquo, etiam quo ad ordines sacros: nouo tamen prodito per extrauagantem *cum ex sacrorum*. Pij II. sic ordinatus ad sacros est suspensus ipso iure, ita vt celebrans ante absolutionem fiat irregularis. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Ignorantia probabilis excusat à suspensione Episcopum ordinantem alienum subditum.*

## CONSILIVM XL.

AN Episcopus ignoranter ordinans alienum parochianum sine licentia sui ordinarij sit suspensus?

1 Respondeo, quòd non est suspensus, si probabiliter id ignorabat. tum per §. *notandum*. [n] & alia citata per eius glossam, tum quia ca. *eos*. [o] quod imponit pœnam suspensionis ordinanti alienũ parochianũ sine licentia superioris, requirit vt id faciat scienter, vel affectata ignorantia.

*SVMMARIVM.*

1 *Iurisdictionem suam nemo extra territorium suum exercere potest, nisi sit voluntaria, vel de ordinarij & partium consensu, num. 2. & 3.*
1 *Ordinare non potest Episcopus sibi non subditos sine licentia Episcopi ordinandorum, & loci in quo ordinantur. num. 3.*
2 *Intellectus cap. 5. sess. 6. Concilij Trid. & nu. 4.*

## CONSILIVM XLI.

AN Episcopus iustè posit in diœcesi alterius de licẽtia diœcesani ordinare alios clericos, quàm ei subditos, habentes literas dimissorias suorum Episcoporum.

1 Pro parte negante facit primò, quod nemo potest extra suum territorium iurisdictionem suam exercere. [a] Secundò facit, quod Episcopus non valet ordinare sibi non subditos. [b] Tertiò, quod Concilium Tridentinum [c] videtur hâc partem probare. Primò quidem, quatenus statuit, quòd nullus Episcopus possit in aliena diœcesi ordinare aliquem, nisi de licentia Episcopi proprij. Secũdo, quatenus habet, quod neq; de licentia sua alios, quã ei subditos.

Pro parte tamen affirmante, quæ tenenda est, facit primò, quòd potest quis iurisdictionem suam extra suum territorium exercere, vt beneficium conferre, iuxta glossam [d] & audire confessiones pœnitentiũ, & eos absoluere iuxta Hostiensem. [e] Secũdo, quod Episcopus rogatus ab alio Episcopo, vel à Capitulo sede vacante, potest ordinare in diœcesi rogantis, & inuitantis, [f] quod & præfatum Concilium exprimit.

2 Tertio, quod omnis iurisdictio etiam contentiosa potest exerceri in alieno territorio de cõsensu iudicis illius, & partium quas tangit, vt tenent Alexander Iason, & melius Decius [g] & in quæstione proposita præsupponitur, quod Episcopus diœcesis, & clerici ordinandi, dando literas dimissorias, consenserunt. ergo licet. Quarto, quod præfatus canon Concilij Tridentini non loquitur de Episcopis ordinantibus in aliena diœcesi de licentia diœcesani, sed solùm de ordinare volentibus ratione priuilegiorum, quæ habent à sede Apostolica ordinandi extra suas diœceses: quales erant ante Concilium Tridentinum multi Episcopi titulares, & ordinabant vbicumque volebant, sine Episcopi illius loci consensu: & ita non debet extendi ad eum, qui ordinat de consensu Episcopi diœcesis, & ordinandi. Tum quia exorbitat à iure communi. Tũ quia non est eadem ratio, sed longè diuersa: cum in altero casu nulli fiat præiudicium, in altero verò sic, & nõ solùm Episcopo loci ordinationis, sed Reipub. per ordinationes indiscretè factas. Quartò, quòd hoc iure communi obseruabatur ante Concilium Tridentinũ, & videmus idẽ obseruari post illud: nam in omnibus Ecclesijs cathedralibus Hispaniç vacantibus, post anni lapsum Capitulum inuitat aliquem Episcopum titularem, vel vicinum, vt celebret ordines generales in sua Ecclesia vacante, & ille ordinat omnes, quos posset ordinare Episcopus proprius, id est subditos eius, & alios qui afferunt literas dimissorias suorum Episcoporum. idem etiam seruatur, quando Episcopus proprius ob ægritudinem, absentiam, vel aliam causam non celebrat per se ordines generales, sed rogat alium Episcopum vicinum, vel titularem, vt eos pro eo celebret: ipse autem substitutus ordinat omnes, quos substituens poterat ordinare, nempe suos, subditos, & alios iustis literis dimissorijs munitos.

3 Non obstant opposita. Ad primum enim respondetur per primũ & secundum fundamenta pro hac nostra parte facta, scilicet concedendo, quòd regulariter nemo potest exercere iurisdictionem suam extra territorium, sed quod fallit in iurisdictione voluntaria, & etiam in contentiosa, quando tam iudex territorij, quam partes quas tangit consentiunt, vt dictum est in tertio fundamento. Ad secundum, concedendo, quòd nemo debet regulariter ordinare alium, saltem non sibi subditum, in aliena diœcesi, sed quod fallit, quando Episcopus proprius loci, & clericus ordinandus, & eius Episcopus consentiunt, vt in casu proposito.

4 Ad tertium respondetur primò, quo ad primam inductionem, quod canon Concilij non loquitur de ordinante de cõsensu Episcopi territorij, in quo ordinat, sed de alio, vt in 4. fundamento dictum est. Secundò, quo ad secundã inductionem, respondetur, quod non vetat ordinari alios qui non subsunt Episcopo loci concedenti licentiam, si, etiam adsit licentia Episcopi illius, qui vult ordinari.

Tertiò

[a] In praxi benef. tit. de formula literarum dimissorialium, n. 9.
[b] In ca. si quorumdam. de solutio.
[c] De reg. iuris lib. 6.
[d] 9. quæst. 2.
[e] Ca. 8. de reform. sess. 23.
[f] Per ca. 1. & 2. de tempori. ordin. lib. 6.
[g] In decis. 449. Delphinat.
[h] In decis. 107.
[i] 12. q. 2. §. 18. num. 9.
[k] In d. c. 2.
[l] Capit. quod translationẽ. de temp. ord.
[m] C. vel nõ est. eod. tit.
[n] 1. quæst. 4.
[o] De tempor. ordin. lib. 6.

[a] L. fin. de iurisd. omn. iud. cap. 2. de constit. lib. 6.
[b] Cap. eos de tempo. ordin. lib. 6.
[c] Sess. 6. ca. 5. de reform.
[d] In ca. nouit. de off leg.
[e] In tit. de pœnit. §. [illegible] confitendum.
[f] Ca. pontifices. 7. q. 1.
[g] Nu. 9 in d. l. fin. ff. de iuris. omnium iudic.

Tertiò respondetur, quòd loquitur de volente ordinare ratione priuilegij, & nõ de volente ordinare de consensu ordinariorum, vt prædictũ est. Quartò quòd mens & sensus eius est dicere, quod non sufficiat licentia Episcopi loci: quod & nos fatemur: palã enim est, quod non potest ipse dare licentiam ordinandi subditos aliorum Episcoporum in sua diœcesi sine illorũ consensu & licentia, non tamen negat, quod substitutus ab eo non possit ordinare alios venientes cum licentia suorum superiorum, sicut & ipsemet posset ordinare: & ita si concedit licentiam ordinandi generaliter in suo territorio, poterit etiam ordinare alios rite dimissos à suis Episcopis: & si dederit licentiã particulariter ordinandi hunc vel illum, hos vel illos habẽtes litteras dimissorias, poterit ordinare illos: quia nulli fit præiudiciũ. vt dicitur in quarto fundamẽto. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Intellectus cap 1. sess. 14. de reformatione Concil. Triden.*

2 *Occultum ob crimen clericus sæcularis non potest ab Episcopo impediri ab ordinum susceptione, secus in clerico regulari.*

2 *Occultum ob crimen etiam enorme non incurritur irregularitas, nisi ob homicidium, & alia in iure expressa crimina.*

CONSILIVM XLII.

AN cap. 1. [a] Concilij cõprehendat clericũ sæcularem?

1 Nos semper credimus præfatum cap. 1. Concilij Tridentini [b] intelligendum esse de religiosis, de quibus speciatim loquitur, & non generaliter de omnibus clericis etiam sæcularibus. Tum per ea quæ supra diligenter scribuntur. Tum quod nullatenus videtur dicendum prędictum cap. *ex tenore* corrigi per cap. *ad aures.* sed potius declarari per cap. vlt. [c]

2 Per quod & alia dicimus in Manu. confess. [d] per nullam enormitatem criminis occulti irregularitatem contrahi, nisi homicidij, vel aliorum, de quibus exprimitur in iure, neque posse impediri ab ordinum susceptione per Episcopũ, si est clericus sæcularis, per d. c. vltimũ & per c. *si tantum.* [e] vbi est casus optimus. Salua emunctissima D. M. iubentis respondere censura mihi valde suspicienda.

*Forte tamen sacra Congregatio censuit contrarium.*

a *Sess. 14. de reform.*
b *Sess. 14. de reform.*
c De tempor. ordin.
d *Ca. 27. nu. 249.*
e *6. quæst. 2.*

SVMMARIVM.

1 *Notorius talis in vno loco, puta excommunicatus, concubinarius, est vbique talis, & sine peccato potest vt talis alijs ignorantibus reuelari: nec Episcopus, etiã vbi hæc ignorantur, potest cum tali vti facultate cap. 6. sess. 24 sacri Conc. nu. 4.*

2 *Infamis est in foro exteriori, qui iniustè tamquam fur fuit per sententiam iudicis fustigatus, seu ictibus fustium cæsus, at in foro conscientiæ secus, si sententia, & per consequens etiam fustigatio fuit iniusta: vnde vbi prædicta omnino ignorantur, potest ordines postea susceptos exercere. num. 5. licet in foro exteriori posset puniri. num. 3.*

CONSILIVM XLIII.

QVÆRITVR primò, an quod est notorium in aliquo loco, sit censendum notorium vbique.

Secundo, an Ioannes, qui fuit cæsus virgis per sententiam iudicis, sit infamis, cùm tamẽ sẽtẽtia fuerit iniusta.

Tertio, an prædictus Ioannes, suscipiendo ordines, incurrerit aliquam censuram, aut irregularitatem.

Quarto, an ordinarius possit cum illo dispensare virtute cap. 6. Concilij Tridentini, [f] vbi conceditur facultas Episcopis dispensandi cum suis subditis in omni irregularitate proueniente ex delicto occulto, excepta ea quæ prouenit ex homicidio voluntario.

f *Sessio. 14.*

Quinto, an cum prædictus Ioannes sit modo in patria à dicto loco distantissimo, vbi nullus scit ipsum fuisse ictũ fustibus, possit ipse tacere, & ministrare in suis ordinibus.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo, id quod est notorium alicubi, censendum esse notorium vbilibet, adeo quòd de illo, qui notoriè est excommunicatus, concubinarius, vel condemnatus alicubi, potest dici sine peccato alibi etiam longissimè ab eo loco, quòd est excommunicatus, concubinarius, vel condemnatus.

2 AD SECVNDAM, quod difficile potest negari præfatum D. Ioannem non esse infamem quo ad forum exterius: quia passus fuit ictus fustium per sententiam iudicis latam in causa criminali mota super furto, cuius tenorem voluissem vidisse, antequam respõdissem. Quãuis videatur posse defendi nõ esse infamem quo ad forum conscientiæ: quia crimen impositum ei non fuit probatum, & crimen confessum erat aliud à crimine, cuius accusabatur, & quod metu tormentorum fuit falsè confessus illud: & consequenter sententia erat coram Deo iniusta, & etiam fustigatio.

3 AD TERTIAM respondeo, quod per præfatã ordinationem nullam censuram, nec irregularitatem cõtraxit, licet censendus sit deliquisse malè ordinem suscipiendo quo ad forum, in quo censetur infamiam incurrisse facientem eum indignum ad ordines, quos suscepit, & posset ob hoc castigari, & deponi, vel suspendi ab omnibus susceptis.

4 AD QVARTAM, quòd ordinarius non potest virtute præfati cap. quicquam super hoc facere: quia nec infamia, nec causa eius sunt occulta quo ad forũ exterius.

5 AD QVINTAM respondeo, quòd si patria prædicti D. Ioannis est, vt ipse ait, distãtissima à loco, in quo ei hoc infortunium contigit, & probabiliter creditur, quòd nemo scit, nec sciet illud ibi, nisi ipsemet reuelet illud, quod ego credo, optimum remedium fuerit ei tacere hoc perpetuo, & inseruire Deo ibidem, attento quod non videtur incurrisse prædictam infamiam quo ad forum conscientiæ, & quod in foro exteriori non incusabitur ibi.

SVMMARIVM.

1 *Capitulum sede vacante succedit in omnem iurisdictionem episcopalem per se, vel per alium ad id idoneum exercendam, & successiue inuitandi Episcopum alienum vt celebret ordinationes in sua Ecclesia, & dandi licentiam suis clericis, vt ordinentur ab eo, num. 2. & 3.*

3 *Ad legem seu potestatem iurisdictionis spectat concedere alicui Episcopo, vt in cõcedentis diœcesi possit ordinationes tenere, & alia põtificalia exercere, ac licẽtiantis subditos ordinare.*

4 *Capitulum intra annum à die vacationis sedis episcopalis non potest dare literas dimissorias, seu reuerẽdas, sed bene post illũ.*

5 *Intellectus cap. 5 sess. 6. Concil. Trid.*

5 *Episcopus ex priuilegio non potest ordinare in aliena diœcesi sine licẽtia ordinarij. & nisi clericos illi ordinario subiectos.*

5 *Episcopus vicinus, vel alius communionem Sedis Apost. habens inuitatus ab ordinario potest supplere vices suas, & celebrare ordinationes generales. 6.*

5 *Canon exorbitans à iure communi non est extendendus ad ea, quæ non comprehenduntur sub eius verbis.*

CONSILIVM XLIIII.

EPISCOPVS Vssellensis sede vacante Ecclesię Turritanæ rogatus à Capitulo post lapsum anni, vt celebraret ordines in ea, ordinauit clericos eiusdem approbatos per Capitulum, & clericos suæ diœcesis approbatos per semetipsum, & alios aliarum diœcesum cum literis dimissorijs. Consecrauit item aliqua de licentia eiusdem Capituli, & exercuit pontificalia. Quæritur an hæc iustè facere potuerit?

1 Respondeo affirmatiuè potuisse illa iustè & sanctè facere. Primò quidem, quia cum agitur de potestate Capituli sede vacante, facienda est regula affirmatiua, videlicet quod Capitulum succedit in omnem iurisdictionem episcopalem per se, vel per alium ad id idoneum exercendã, per iura citata [a] & per aliquot alia, quæ Franciscus Pauinus ad hoc adducit. [b] At præfatus Episcopus Vssellensis potuisset rogatus ab Archiepiscopo Turritano viuente præfata omnia facere, ergo etiam potuit de licentia Capituli sede vacante.

2 Secundò, quòd etiã alia regula specialior habet, quod Capitulum succedit sede vacante in facultate rogandi & inuitandi Episcopum alienum ad celebrandum ordines in sua Ecclesia vacante, & dandi licentiã clericis suæ diœcesis, vt ordinentur ab eo per iura multa [c] & alia, quæ adducit idem Pauinus [d] quamuis quibusdam parum necessarijs, se idem occupet.

3 Tertiò, quòd hæc omnia: quæ fecit præfatus Episcopus, pertinent ad legem iurisdictionis, vt glossa recepta docet [e] & vt prædictum est, Capitulum sede vacante succedit regulariter in omnem iurisdictionem episcopalem.

4 Quartò, quòd non obstat [f] Concilium Tridentinum quatenus adimit Capitulo facultatem dandi literas dimissorias, siue reuerẽdas intra annũ à die vacationis, non autẽ de ijs, quę potest facere post annũ à die dictę vacationis, vt

a *Ca. his quæ. & c. cũ olim. de maior. & obed. capit. si Episcopus. de suppl. neglig. prælat. l. 6. vbi bona glos. verbo spiritualium. & etiam in d. ca. his quæ. verb. pacis.*
b *In tract. de potest. cã. sede vac. par. q. 1. à num. 3.*
c *Cap. pontifices. 7. quæst. 1. & dist. cap. si Episcopus. & gloss. in d. ca. & per ca. cũ nullus. de temp. ord. l. 6.*
d *In prima parte præfati tractatus. qu. 3.*
e *In cap. dilectus. de off. ordin.*
f *Cap. 10. sess. 7.*

sunt

sunt quæ proponuntur, quæ post illum contigerunt.

5 Quinto, quod non obstat etiam c. vlt.[a] eiusdē Concil. quatenus habet, quod Episcopus respectu priuilegij dati sibi ad conferendū ordines in aliena diœcesi, nō debet ordinare sine licentia ordinarij, nec cum ea, nisi clericos illi ordinario subiectos: quia ille canon loquitur de Episcopo ordināte ratione priuilegij sibi ad id cōcessi: in casu autē proposito agitur de Episcopo rogato, & inuitato, vt ordines generales celebraret ratione iuris cōmunis, quod habet, vt vicinus Episcop. vel alius cōmunionē sedis Apost. habēs rogatus & inuitatus ab ordinario possit in sua diœcesi vices suas supplere, & celebrare ordines, iuxta c. *pontifices.*[b] & alia supra citata. Quē canonem sic esse intelligēdū, probatur primo, quia exorbitat à iure cōmuni: & ideo nō est extendendus ad ea, quę non comprehenduntur sub eius verbis, [c] & constat eum, qui huiusmodi rogatu, sine vllo alio priuilegio prætēso ordinet, nō ordinare prætextu priuilegij. Secundo quòd ratio, quæ mouit Concilium ad id statuendum, fuit, vt arceret abusus, quos multi Episcopi titulares ratione priuilegiorū Apostolicorum admittebant ordinando tum tēporibus à iure statutis, tum aliis: quod cessat in nostro casu, & ita cessare deberet canon, etiamsi verba illum cōprehenderent, [d] quæ tamen nullatenus eum comprehendunt. Tertio, quod sequeretur prę fatū Vssellensem Episcopū nō potuisse ordinare etiā clericos sui episcopatus, quod nemini videbitur verisimile.

6 Sexto, quod non solū consuetudo antiqua, sed etiam recens, etiam post Concilium seruata, etiam per ipsosmet Episcopos, qui interfuerunt ei, habet, vt omnes Episcopi rogati ab eis ad supplendum vices suas, & ad celebrandos ordines generales statutis à iure temporibus, ordinēt omnes illos, quos ipsimet ordinare possent, si per se ordines celebrarent.

7 Septimò, quod alioqui post præfatū Conciliū nullus potuisset, nec posset ordinari ab vllo Episcopo generales ordines pro alio celebrante cum clericis illius Episcopi, pro quo celebrat, quod consequeretur plurimas presbyterorum centurias male ordinatas, & quotidie male ordinari, quod videtur absurdum, & ideō non dicendum, [e] Salua, &c.

a De reform. sess. 6.
b 7. quæst. 1.
c Capi. quæ à iure. de regul. lib. 6.
d Le. adigere. §. quamuis. ff. de iur. patron.
e Le. nā quod absurdum. ff. de bonis lib.

*SVMMARIVM.*

*1 Dispensandi commissionem habens cum aliquo ad omnes ordines, in dubio in primo actu censetur ad omnes dispensasse, & non ad primos solum.*

*1 Dispensatus ad sacros ordines suscipiendos creditur is pro quo superior Papā supplicauit, & ad minores ordines suscipiēdū misit.*

*2 Credenda sunt quæ communiter accidunt, non autem insolita, regulariter.*

## CONSILIVM XLV.

QVidā prælatus regularis petiit à Papa verbo, vt posset habilitare N. suum religiosum ad omnes ordines: qui prælatus, ordinationis tempore adueniente, dicto N. dedit reuerentiales ad quatuor minores, & subdiaconatum: quibus susceptis prælatus mortuus est, & ipse N. de licentia successoris alios maiores ordines accepit. Dubitatur an sit rectè ordinatus.

1 Respondi, mea sententia, credere posse prædictū religiosum se esse rite ordinatum: quia probabiliter credere potest, quòd prælatus suus fecit eum habilem ad omnes illos simul, si Papa ei commisit potestatē id faciendi: quoniam non est verisimile, quòd prælatus particulatim eum habilitabat nunc ad hunc ordinem, nunc ad alium: non enim erat boni & prudentis pręlati id facere cum periculo, quod ipso mortuo, oporteret iterū refugere ad Papam, & cōmunis stylus commissariorum ad habilitādum quē ad omnes ordines est, vt vnico actu id faciant: & non est præsumendum quid stultum & malum de bono prelato. [f] Et quæ communiter accidunt, sunt regulariter credenda, [g] & insolita non sunt credenda. [h] Quamuis ad redundantem cautelam posset peti à summo Pœnitentiario, vt dictam ordinationem haberet ratam, & dispensaret super irregularitate, si & quatenus opus esset, quamuis mihi videatur non esse opus. Salua, &c.

f Ca. 1. de scrutinio ab ordi. fac.
g L. si possidetis C. de probationib. & glos. le. neque natales. eodem tit.
h Capit. quia non est ver si-mile. de præsump.

*SVMMARIVM.*

*1 Ordinatus sacris sine titulo olim erat suspensus.*

*1 Pœna ordinati sine titulo in pœnam ordinantis mutata quando habeat locum. nu. 4.*

*2 Fraus & dolus nemini debent patrocinari.*

*2 Ordinatus cum titulo quæsito cum pacto restituendi, suspensus.*

*3 Ordinans alere non tenetur ordinatum, qui se patrimonium habere mentitus est.*

*3 Ordinatus sine titulo quando post Concil. Trid. est suspensus, si decepit ordinatorem.*

## CONSILIVM XLV.

AN promotus proprio motu Episcopi sui ad titulum patrimonij, quod reuera habebat, sed erat & est subiectum restitutioni dotis matris suæ, quæ iam erat monialis, & est nunc septuagenaria, & ipsa bona à promoto possidentur, & ita ratione illius sunt immunia ab onere gabellarum: verum tamē est, quod ipsum patrimonium forsan non est sufficiens ad iustam ipsius promoti sustētationem: an sic ordinatus post Concilium Tridētinum sit suspensus, & cùm celebrauerit, irregularis?

Respondeo, quòd in hoc argumēto duæ quæstiones videntur proponi. Prima, an patrimonium illud dicatur sufficiens, ita vt ordinatus excusetur à peccato, & pœna peccati. Secunda, an præsupposito, quod non fuit sufficiens, incurrerit suspensionem assumendo ordines ad illud.

AD PRIMAM QVÆSTIONEM non videtur posse responderi sine ampliori informatione.

1 AD SECVNDAM respōdeo, eā esse satis difficilis resolutionis. Pro qua faciēda & fundanda, præsuppono, ꝙ ordinat⁹ ordine sacro absolutè, id est sine titulo patrimonij, vel beneficij, est suspensus secūdum canones antiquos, *cap. neminem. & cap. sanctorum. 70. dist.* Secundò dico, quòd illa pœna fuit commutata ab Innocentio III.[a] in pœnam ordinantis, qua cogitur alere ordinatū. Tertiò dico, quòd illa mutatio videtur restringenda ad ordinatum, qui bona fide ab Episcopo sciente, vel debente scire eum nō habere quo aleretur, ordinatur; non autem videtur comprehēdere illum, qui per mendacia & fraudem fingendo titulū decepit Episcopum.

2 Tum quia dolus & fraus alicui nō debet patrocinari.[b] Tum quia alioquin ordinans sine culpa puniretur, contra c. 2. de constitu. & ordinatus cum culpa esset à pœna immunis, cōtra legem *sancimus.*[c] Tum per c. *per tuas,*[d] quatenus habet, eum qui ordinatur ad titulum patrimonij quęsiti cum pacto de restituendo illud post ordinationem, esse suspensum, donec dispensetur cum eo.

3 Facit quod Decius, [e] dicit ordinatorem non teneri ad alendum ordinatum, qui se diuitē esse dixit. Quarto quod innouatio pœnarum contra absolutè ordinatum, quā facit Concil. Trid. [f] videtur intelligenda de pœna præfatorum canonum *neminem, & sanctorum* quæ fuit sublata per d. cap. *cum secundum* & consequenter tantùm de pœna illorū, qui ordinantur decipientes ordinatores, affirmando se habere beneficium, vel patrimonium, & monstrando vel probando aliqua, per quæ ordinator probabiliter credit ordinato, vt in casu d. c. *per tuas.* Tum quia nō fuit, nec debuit esse intentio Concilij Tridentini, destruere præfatam decretalem, cum sit prouidentissime facta.[g] Tum quia innouatio præfata satis vtilis est, intellecta de pœnis, quas merētur decipientes ordinatorem, & cum sit pœnalis, non est extendenda ad alium casum, [h] præsertim in quo non est eadem ratio.

Ex his infertur resolutio casus nostri, nēpe, quod si pręfatus ordinatus decepit suum ordinatorem, dicēdo quod habebat titulum patrimonialem sufficientem, ita quod probabiliter ordinator credidit, & debuit credere, incurrit suspensionem, & celebrando irregularitatem, & ordinator non tenetur eum alere: & contra si ordinatus non decepit ordinatorem, ipse est immunis à suspensione, ordinator autem est obligatus ad eum alendum per d. c. *cum secundum,* Salua, &c.

a Ca. cum secundum. de præbend.
b Capi. sedes. de rescript. le. itaque fullo. ff. de furt.
c C. de pœnis.
d 3. de simon.
e Ca. Episcopus. nu. 13. de præbend.
f Cap. 2. sess. 21.
g Arg. ca. ecclesia vestra. 2. de elect. & l. si quādo. C. de inofficio. testam.
h Cap. pœnæ. de pœnit. di. 1.

## DE ÆTATE, ET QVALITATE, ET ORDINE PRAEFICIENDORVM.

*SVMMARIVM.*

*1 Infantis ad beneficium præsentatio & institutio est inualida: & pueri ante quartum decimum annum beneficij habentis administrationem de iure, & per Concilium Tridentinum etiā aliorum sunt incapaces.*

*1 Beneficium simplex per adeptionem curati non vacat.*

## CONSILIVM I.

QVidam patroni præsentauerunt ad simplex beneficium N. adhuc minorem septennio, qui statim institutus ad titulũ illius fuit ad minores ordinatus, & factus legitimę ætatis obtinuit parochialem. Quæritur, an præsentatio & institutio prædictæ valuerint, & an per assecutionem parochialis vacauerit illud simplex beneficium.

1 In præsenti casu non valuit præsentatio, neque institutio facta, non quidem ea ratione quod infans incurrat suspensionem per promotionem ad ordines minores ante septimum annum completum, sicut promoti ad maiores eam incurrunt, si ante legitimam ætatem promoueantur, per extrauagantem *cum ex sacrorum* Pij II. quia illa tantùm disponit de promoto ad ordines sacros: sed alia ratione irrefragabili est nulla, quia infans est incapax beneficij ecclesiastici, vt dicit Innoc.[a] ab omnibus receptus, vel saltē à nemine reiectus. pro quo facit ca. fi.[b] quatenus habet infantem ordinari nō debere, & glossa recepta,[c] quatenus,[d] habet infantem indignum esse omni beneficio etiam simplici. Alia item ratione videtur idem concludi, videlicet quod pueri ante quatuordecim annos non sunt idonei ad obtinendum beneficium etiam simplex per se stans, & requirens regimen, quale est hoc, de quo agitur, vt Hostiensis quē sequitur prędicta glossa & Panorm. cum cōmuni,[e] affirmat, & Concilium Trid.[f] statuit.

2 Cæterum prædictum beneficium simplex non vacasset per adeptionem curati ipso iure, si collatio tenuisset,[g] per locum ab speciali.[h] Salua, &c.

a *In cap. cum nostris. de concess. præbend.*
b *De tempor. ordin lib. 6.*
c *In capi. si eo tempo. de rescript. eod. libr.*
d *In verbo ætatem.*
e *In ca. super inordinata de præbend.*
f *Ca. 6. de reform. sess. 24.*
g *Cap. præterea. de præbē. & ca. de multa.*
h *Eod. tit.*
i *Cap. cum in cunctis. §. inferiora. de electione.*
k *Per eumdem §.*

### SVMMARIVM.

*1 Pensatio ad beneficium curatũ, & institutio facta minori 25. annorum est nulla, & debet à Papa cum consensu patroni adhuc durantis peti noua prouisio. & nu. 3.*

*1 Intrusus cēsendus minor 25. annis, qui præsentatus & institutus ab ordinario, fructus de beneficio curato capit.*

*2 Intrusionis & fructuum perceptorum mentionem facere tenetur malè prouisus petens à Papa confirmationem.*

*4 Parochus nulliter institutus debet abstinere nedũ à fructuũ perceptione, sed etiam ab omnibus, quæ spectant ad rectorem.*

## CONSILIVM II.

PAtronus laicus ad beneficium curatum tunc vacans clericum primæ tonsuræ, & ætatis suæ 23. annum agentem præsentauit, qui fuit ab ordinario de dicto beneficio curato institutus, & per annum & vltra virtute præsentationis, & institutionis per vicarium in dicto beneficio seruiuit, & fructus ex eo percepit: & modo cum in proximo mense impleat 24. ætatis annum, & 25. incipiat. Quæritur vtrùm perceptos fructus suos absque dispēsatione faciat, & an præsentatio & collatio prædicta sit nulla, & vtrum completa ætate, noua egeat prouisione: & casu quo egeat, petit remedium, vt licitè valeat dictum beneficium retinere.

1 Pro resolutione omnium quæ supra quæruntur, dico primùm, præsentationem pręfatam fuisse inualidã, & ipso iure nullã, quippe quod fuit per eã præsentatus indignus ætate, quam beneficium curatũ, ad quod fuit facta, requirit necessariò. Illa enim requirit ætatem 25. annorum saltem cœptorum.[i]

Dico secundum, quòd institutiò, qua ordinarius pręfatum præsentatum instituit, est etiam ipso iure nulla,[k] & consequenter tam patronus præsentando, quam ordinarius instituendo, grauiter peccauerunt.[l]

Tertium, quod prædictus præsentatus capiendo possessionem virtute præfatę præsentationis, & institutionis, videtur vitium intrusionis contraxisse, iuxta ea quæ tradit Felinus.[m]

2 Itaque collatio, & impetratio de illo facta nō expresso vitio intrusionis esset nulla per opinionē magis receptã: & si quos fructus ceperit præfatus præsentatus & institutus, debet facere mentionem de illorum perceptione in impetratione, per ea quæ citat Felinus.[n]

3 Quartum remedium præfatorum optimum est, primũ pœnitere multum præsentantem, præsentatum, & instituentem sui peccati in dando & accipiendo titulum, & insuper præsentatum peccati, quod admisit accipiendo possessionem, ponendo vicarium, & agendo aliquos actus, quos licitè non poterat agere, nisi canonicè institutus. Deinde supplicare Sanctissimo D.N. vt dignetur præfatam institutionem ab ordinario factam confirmare, &, si, & quatenus opus est, nouam collationem de consensu patroni, qui adhuc perdurat, facere cum dispensatione, vt prædictus consulens posit iustè accipere, & retinere ante 25. annum præfatum beneficium, narratis in petitione omnibus præfatis esset que vtile exprimere præsentationem pertinere ad personam illustrem, & petere, quòd etiam dispensaret, vt intra annum à data literarum posit omnibus sacris etiam presbyteratus ordinari, attēto quod beneficium est curatum.

l *Arg. ca. graue. de præbe.*
m *In c. in nostra. corollario. 2. de rescriptis.*
n *Vbi supra.*

4 Quintum, quod conuenit, vt scribatur præfato præsentato, ne vllos fructus capiat, antequam præfata impetratio obtineatur: immo quod abstineat ab omnibus, quæ ad iustũ rectorem illius beneficij iure pertinēt. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

*1 Prouisus de curato, sed nulliter ob defectum ætatis, ac non promotus, horas non recitans, plura committit peccata, primum admittendo collationem, secundum accipiendo possessionē, tertium & quartum propter erroneam conscientiam, dum falso putas se ad horas & ad promouendum teneri, id non præstitit.*

*1 Horas canonicas recitare non tenetur, qui possidet beneficium, de quo nulliter est prouisus.*

*2 Compositio pro fructibus malè perceptis tunc liberat. si illi ad eos, cum quibus se composuit, verè pertinebant.*

## CONSILIVM III.

E. Agens ætatis suę annũ xvj. fuit de quodam archipresbyteratu in quadam cathedrali, auctoritate ordinaria, nulla super defectu ætatis dispensatione obtenta, prouisus, & illum per annos xj. possedit, & in lite quę per annos nouē durauit, ex capite quod aduersario ius non cōpetebat, obtinuit: & quia Capitulum prætendebat fructus beneficiorũ litigiosorum ad ipsum spectare, cum illo soluta quarta parte circiter se cōposuit, & multas præterea in lite expensas fecit: verum quoniam vltra præfata, nec habitum gestauit, nec horas recitauit, nec ad presbyterium se promoueri fecit: dubitat adhuc, an ad aliquam restitutionē teneatur, vel pro dictis fructibus se cōponere debeat.

1 Respondeo primo, præfatum E. debere multum pœnitere. Primò quidem, quòd acceptauit collationem archipresbyteratus factam à Capitulo sibi non habenti legitimam ætatem. Deinde, quòd accepit possessionem cum titulo minimè canonico. Tertiò, quòd non vixerit clericaliter, nec recitauerit Horas canonicas, putans se teneri ad recitandas eas, & ita peccauit omittendo eas contra conscientiam: quamuis verè non tenebatur ad dicendas eas, quia verè non habebat beneficium, cùm præfatus archipresbyteratus non esset illius. Quintò, quòd nō fuit promotus ad presbyterium, cùm tamen crederet, vel credere deberet se teneri ad illud, quamuis verè non teneretur: quia, vt dixi, ille archipresbyteratus non erat suus.

2 Secundò respondeo, quòd non tenetur ad restitutionē fructuum illorum annorum, pro quibus se composuit cum Capitulo, si verũ est, vt narratur, quòd fructus beneficiorum, super quibus litigatur, &c. pertineant ad Capitulum.

Tertio, quod consulendum videtur ei, vt partim pro pœnitentia tot peccatorum, partim pro tranquillitate suæ conscientiæ, partim quia non omnis sententia, quæ tuetur in foro exteriori, tuetur & tranquillat in interiori, restitueret, aut certè componeret se super fructibus perceptis à tempore, quo desiuerunt illi pertinere ad Capitulum, per multa quæ non vacat scribere. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

*1 Beneficium habens curam iurisdictionalem spiritualem, dicitur habere curam animarum.*

*2 Dignitas iurisdictionem spiritualem habens minori 25. annorum non confertur, in quo & ad causandum vitium execrabilis, æquiparatur parochiali. nu. 3.*

## CONSILIVM IIII.

AN qui est minor 25. annorum posit obtinere dignitatem curam iurisdictionalem habentem, & an idem tempus requiratur ad huiusmodi dignitatem, ad habentē curam animarum?

Res

1 Respondetur primò, quòd propositio quæstionis videtur secum pugnare, quatenus præsupponit esse aliquod beneficium non habens curam animarum, & habens curã iurisdictionalem. quia omne beneficium habẽs curam iurisdictionalem spiritualem visitandi, excommunicandi, interdicendi, & alia huiusmodi spiritualia faciendi, censetur habere curam animarum, iuxta text. in hoc celeberrimum,[a] vbi hoc adnotauit Panor.[b] Quoniam duplex est cura animarum. Altera fori cõscientiæ, de qua in c. *omnis*.[c] Altera fori contentiosi, de qua in dict. cap.[d] in quo tam Zenzelin. in gloss. quam habet inter extrauag. Ioan. xxij. quam Guliel. in gloss. quam habet inter communes id adnotauerunt ante Panor. licet ipse non alleget illas.

2 Secundo, quod dignitas habens iurisdictionem spiritualem prædictam fori contentiosi non potest conferri ei qui xxv. annum non attigerit.[e] Nec obstat c. 1.[f] quod permittit Episcopis cõferre dignitates nõ curatas habentib. 20. annos completos: neque Concil. Trid.[g] quod permittit easdem conferri non minoribus 22. annis: quia loquũtur de dignitatibus non habentibus curam animarum, quæstio autem proponitur de dignitate habente curam iurisdictionalem, & consequenter de habente curam animarum per supradicta.

3 Tertio, quod idem est dicendum de huiusmodi dignitate, quòd de ecclesia parochiali, quo ad ætatẽ, immo etiã, quo ad modificationem extrauag. *execrabilis* Ioan. xxij.[h] adiunctis glossis supradictis Zenzel. & Guliel.[i] Salua, &c.

SVMMARIVM.

*1 Prælato collegiatæ nullo iure præscriptum est certum tempus, intra quod teneatur ordinari, at monitus ordinari tenetur proximis temporibus.*

*2 Prælatus collegiatæ suo inseruiendo Episcopo non excusatur à residentia, nisi magna vrgeat causa.*

## CONSILIVM V.

QVæritur, quando teneatur promoueri prelatus alicuius ecclesiæ collegiatæ curatæ?

1 Respondetur, quòd non est statutum iure communi, etiam Tridentino, intra quod tempus teneatur huiusmodi prælatus fieri presbyter, sub pœna priuationis ipso iure incurrenda: debet tamen promoueri proximis à iure statutis temporibus, si monitus à superiore fuerit, vt id faciat,[k] & ibi Panor. Francus.[l]

AN PRODERIT eidem absenti, quo ad forum cõscientię, percipiẽdo fructus, q̃ inseruiat Episcopo suo?[m]

2 Respondetur, quod non, nisi magna causa vrgeret Episcopum ad retinendũ eum in suo seruitio; quæ est opinio Panor. in d. c. ad audientiam, Salua, &c.

SVMMARIVM.

*1 Irregularis post assumptos ordines sine sui culpa, puta ex mutilatione factus, omnia vt prius exercere potest, quibus dictus defectus non contrariatur: at qui ob defectum ætatis ex sua culpa incidit in suspensionem, & successiuè ministrando in irregularitatem, nihil de omnibus, quæ sunt specialiter actui cuiusuis ordinis deputata, nu. 3. ita vt nec in officiis defunctorum possit dicere, Dominus vobiscum, nec collectam quam soli presbyteri in illis solent dicere. nu. 4. celebrando tamen, nouam non incurrit irregularitatem. nu. 2.*

## CONSILIVM VI.

SAcerdos ante legitimam ætatem creatus, an licet non possit sacrificare, alia tamen valeat exercere munera, quæ alius sacerdos non irregularis potest?

1 Respondeo sequentia, Primum, eum, qui factus est irregularis sine culpa sua, vt cui abscissum est aliquod mẽbrum violenter ab alio sine culpa sua, posse gerere omnia munera, quorum exercitio non repugnat abscisio illa, per ca. 2.[n] vbi Panormitanus communiter receptus id adnotauit.

2 Secundum, quod nullus irregularis, celebrando contra iura, incurrit nouam irregularitatem: quæ est doctrina Innocentij recepti,[o] quem post alios etiam nos sequimur in Manual. confessari.[p]

3 Tertium, quod irregularis, de quo in casu proposito, ex culpa sua est irregularis, & ideo non solùm arcetur à missa facienda, sed etiam ab omnibus illis actibus, qui sunt ordinibus specialiter deputati, à quibus etiam est alienus, sicut interdictus, secundum theoricam Imolæ.[q]

4 Quartum, quod prædictus consulens non potest absque peccato dicere in officiis defunctorum illa verba, *Dominus vobiscum*, neque dicere orationem, quam soli presbyteri in talibus officiis solent dicere tamquam sacerdotes: quia illi actus peculiares sunt presbyterorum. Salua, &c.

SVMMARIVM.

*1 Legi bona fide auctoritate sui prælati contraueniens non peccat.*

*2 Dispositio generalis, cum militat diuersa ratio, minimum non includit.*

*3 Paruitas rei furto subtractæ excusat à mortali.*

*4 Legem humanam male intellectã, si subsit aliqua occasio sic male intelligendi, frangens non peccat.*

## CONSILIVM VII.

IN quadam religione statuto cauetur, ne aliquis ad dignitates promoueatur, nisi qui litteris duodecim annos operam dederit, scilicet octo ante ingressum, & quatuor post ingressum religionis studiis & aliis operibus, quę studia concernunt, concionando scilicet, & aliis huiusmodi institerit. Quidam antequam dictã religionem ingrederetur, septem circiter annis interpolatis studuit, & post illius ingressum quinq; præfatis negotiis, siue operibus instando, cum nondum per 25. dies duodecimum annum cõpleuisset, bona fide collationem abbatiæ à suo Generali factam sibi acceptauit. Quæritur an sit tutus in cõscientia.

1 Respondeo putare me præfatum D. consulentem non peccasse saltem mortaliter quo ad forum conscientiæ acceptando pręfatam abbatiã bona fide auctoritate sui Generalis. Tum quia constitutio pręfata non requirit simpliciter studium continuum duodecim annorum, sed quod studuerit octo annos, & aliis quatuor in religione manserit, & studiis, & aliis negotiis, quæ studiũ discendi, vel cõcionandi, & alia huiusmodi requirunt, institerit: & is de quo agitur institit quinque annis pro quatuor, quibus instare tenebatur.

2 Tum quia potuit tam ipse, quam præfatus Reuerendiss. Generalis probabiliter credere, quòd præfata constitutio non haberet locũ in defectu paruo & minimo: quoniam licet regulariter dispositio loquens generaliter etiã minimum includere videatur, iuxta c. 2.[a] fallit tamen, quãdo ratio, quæ militat in magno, nõ militat in minimo, vt[b] adnotauit Panormitanus, & est textus in c. *etsi quæstiones*,[c] nam isto casu parum & nihil æquiparantur, vt notat Bal.[d] Et ideo statutum, quod imponit pœnam pro vulnere, non habet locum in leui vulnusculo, vt notat Bart.[e] Et ita præfatus consulens, & Reuerendiss. Generalis probabiliter credere potuerunt, quod in casu proposito defectus ille minimus viginti circiter dierum non erat attendendus respectu temporis magni duodecim annorum.

3 Tum quia S. Thomas communiter receptus,[f] tenet, quod etiam lex de non furando, quæ de se obligat ad mortale, non obligat furem paruæ rei ad peccatũ mortale: pro quo solet allegari ca. *vnum*.[g] Tum quia de æquipollentibus non refert quod fiat.[h] At studium quod fecit ante ingressum ordinis, & quintus annus, quo post studiũ Theologiæ incubuit in conciones, & in alia studia requirentia, æquipollet, immo superat defectum præfatorum circiter viginti dierum,[i] præsertim corã Deo: ergo illud supplebit prædictum defectum paruum.

4 Tum quia Innoc. tenet,[i] eum qui cõtrauenit legi positiuæ humanæ, eo quod male illam intellexisset, excusari à peccato: & D. consulens malè intellexit præfatam constitutionem, putando quod defectus studij tam parui temporis non noceret ei, & quòd studium plurium annorum præcedens ingressum religionis iuuaret eum, & ita quia potuit ob præfatas rationes occasionem aliquam habere credendi illud, excusatur à peccato mortali coram Deo: quamuis in foro exteriori posset à maleuolis inquietari, à quibus per præfata satis defendi posset in prætorio iudicum eruditorum.

## DE SACRA VNCTIONE.

SVMMARIVM.

*1 Balsamum Indicum verum est balsamum, & ex eo potest confici chrisma.*

*2 Chrismatis de essentia prout est materia necessaria sacramenti, non est balsamum. num. 4. & 8.*

*3 Confirmationis materia est chrisma ex oleo & balsamo, sed defe-*

a In ca. dudũ. 2. vers. tandem. de elect.
b Nu. 7. & 8. & in capi. de multa. n. 24. de prabend.
c De pœnit. & remiss.
d De multa & in extrauag. execrabilis. Ioannis xxij. §. fin.
e Per ca. cum in cunctis. §. inferiora. de electio.
f De ætate & qualitate. lib. 6.
g Sess. 24. ca. 12. de reform.
h De præben.
i Per §. fin. ipsius.
k Ca. cum in cunctis. §. inferiora. de elect.
l In ca. statutum. de elect. lib. 6.
m Iuxta cap. ad audientiã. de clericis nõ residen.
n De cleric. ægrot.
o In c. si celebrat. de clerico excommunicato minist.
p Cap. 27. nu. 194.
q In cã fin. de excess. prælat.

a De appel. & cap. si proponẽte. de rescript.
b In dicto ca. 2. de appel.
c De simon. & in ca. terrulas. 12. q. 2.
d In auth. præterea. C. vnde vir. & vxor.
e In leg. prædium. C. de ædilit. edict. cũ similibus.
f In 2. 2. qu. 59. art. 4.
g §. fin. 25. di.
h L. fin. ff. mũda. ca. licet ex quadã. de testibus.
i In cap. per tuas. 2. de simon.

*ctus sacramenti non annullat sacramentum.*

3 *Confirmatus per vnctionem olei tantùm, iterum vngi debet chrismate.* & 5.

4 *Balsamum non est de substantia sacramenti, sed de præcepto.* n.7.

5 *Chrisma idem quod vnctio significat.*

6 *Confirmatio malè ministrata tenet, sed suplendum quod defuit.*

8 *Chrisma faciendum ex oleo & balsamo, sed oleum tantùm est de essentia sacramenti.*

9 *Confirmatio solo oleo facta secundum communem non est iteranda, sed supplenda, & quomodo.* nu.10.

10 *Sacramenti ad reiterationem non sufficiunt materia, & verba sine intentione.*

## CONSILIVM I.

AN expediat, & quomodo, concedere Episcopis Hiberniæ, vt liceat eis vti balsamo Indiarum Occidentalium, quia deest Orientale balsamum?

1 Respondeo, quod hæc quæstio videtur pendere ex solutione vnius quæstionis facti, & alterius iuris. Quæstio facti est, an balsamum Indicum sit verum balsamum: quæstio vero iuris, an balsamum sit de essentia vel substantia chrismatis, quo Sancta mater Ecclesia vtitur in sacramentis, an solũ de necessitate præcepti, quo illa statuit balsamũ misceri oleo, quo fiat chrisma. Si enim balsamũ Indicum est verum balsamum, frustra est quæstio: & si balsamum non est de substantia, sed tantùm de præcepto iuris humani, facilè S.D.N. omnium desiderio prouidere potest.[a]

AD PRIOREM QVÆSTIONEM facti videtur respondere Plinius lib.12.c.25.[b] (pro, quo apud Scotum vitio impressionis est Indiæ,[c]) per quod significat in sola Iudæa illud reperiri, cui consequens est Indicũ non esse verum balsamũ, sed eius auctoritas non cogit nos id credere. Tum quia multa ille asserit, quæ alij negant. Tum quia multæ orbis partes, tum terræ continentis, tum insularũ, nostra ætate repertæ sunt, quas etiam Arist. Aug. Lactant. & alij eruditione illustres viri ignorauerunt, in quibus multæ arbores, multæ radices, & herbæ antea incognitæ Europæ innotuerunt. Tum denique quod ipso Plinio auctore arboris balsami tria sũt genera: & fieri potest, quod licet in Iudæa non sint nisi tria, in alia tamen orbis parte tunc ignota essent plura: fieri etiã potest, quod balsamũ sit genus subalternum, quod multas habeat species specialissimas alias ab illis tribus quas ille tradit, & consequenter quod Indicum balsamum sit verum balsamum, licet nõ sit eiusdẽ speciei specialissimæ, cuius sunt illæ tres Iudaicæ: sicut etiam pyrus est genus subalternũ ad multas species pyrorum, vt & vitis est genus ad multas species vitiũ. Equidem ipse facile crediderim etiam apud Indos esse varias species balsami, quorum aliæ pretiosiorem & odoratiorem succum, quàm aliæ, manant. Quò factum arbitror, vt Episcopi orbis noui sine vllo scrupulo cõficiant chrisma ex oleo & balsamo Indico, immo & multi orbis Hispani, quod satis exprimit etiam Sotus.

a *Arg. c. cuncta per mundum. 9. qu. 3.*
b *Balsamum esse arbusculam vni terrarũ Iudæa.*
c *Concessam, viti similiorẽ, quam myrto.*

2 AD SECVNDAM respondeo, quòd pro parte asserẽte illud esse de substantia & essentia chrismatis, ita quod sine illo non potest consistere chrisma, facit primo c.1.[d] ibi, *Chrisma, quod ex oleo fit & balsamo mystica ratione,* & paulo post ibi, *Hoc vnguento caput & manus Episcopi consecrãtur.* vnguentum enim aliquid aliud vltra oleum requirere videtur. Facit etiam ratio, quam contextus appellat ibi mysticam, videlicet quod chrisma, quatenus cõstat ex balsamo, significat odorem famæ bonum, quem debet habere vnctus, iuxta illud Apostoli.[e] *Christi bonus odor sumus.* Facit item illud c. ibi, [f] *Vt omnes concurrant in odorem illius vnguenti, cuius nomen oleum est effusum.*

d *De sacra. vnct.*
e *Ad Cor. 2.*
f *In §. quia vero.*

3 Secundò, quòd Concilium Florentinum in decreto vnctionis Iacobinorum & Armeniorum habet, materiam confirmationis esse chrisma ex oleo & balsamo confectũ. Tertio, quod Sotus,[g] dicit pro hac parte esse vniuersalem fere omnium sententiam. Quarto, quod ca.1.[h] adiũctis iis quæ adnotant Inno. Host. & alij, probat quod confirmatus per vnctionem olei tantũ, debet iterum vngi chrismate ex oleo & balsamo cõfecto, & nõ sufficit vngere balsamo, & debet repeti forma cõfirmationis, *consigno te, &c.* per quod significant, non esse tam supplendum omissum, quod defuit confirmationi, quàm eam de nouo iterandam.

g *In 4. sent. d. 7. art. 2.*
h *De sacra. non iterand.*

4 His tamen non obstantibus, contrarium affirmat Caietan.[a] quẽ nos olim secuti fuimus in Manua. confess.[b] & postea secutus fuit etiam Dominicus à Soto.[c] Pro qua parte videtur esse fundamentũ firmũ.[d] in quo Inno. III. rogatus de confirmato linitione olei tãtum, respondit nõ esse iterandũ sacramentum, sed quod defuit supplendum, cũ tamen necessario debuisset respondere illud esse iterãdũ, si admixtio balsami fuisset de substantia, quod est materia sacramenti cõfirmationis, secundũ omnes, cùm nullum fuisset sacramentũ, quod sine materia substantiali & essentiali consistere non possit etiam secundum omnes.

5 Secundo facit, quod nullo iure videtur expressum cõtrarium. Tertio, quod verbũ *chrisma* secundum propriam significationem, idem significat quod vnctio, deducitur enim à verbo *χρίω*, quod est vngo, sicut vnctio à verbo vngo. Ad hoc autẽ, vt aliqua linitio dicatur verè vnctio olei, non requiritur vt balsamũ admisceatur ei, vt probat prædictum ca.1.[e] quod multas vnctiones olei Regum, & Prophetarum, quæ sine mixtione balsami fiunt, appellat vnctiones, quod ipsum fit. 1. Reg. 10.[f]

6 Quartò, quod glo.[g] non dicit id quod ei Sotus imponit, appellando eam ridiculam, scilicet quod dicit, ideo in casu illius c. non esse iterandã confirmationem, quia nulla fuit. Quinimmo expressè glos. ait ideo nõ esse iterandam, ne fiat sacramento iniuria, allegando in id c. *quod quidam,*[h] & ca. *ostenditur,*[i] per quorum allegationem, quia loquuntur de baptismo valido, licet malè ministrato, presupponit cõfirmationem, licet malè ministrata esset, valuisse, & idẽ sentit Bernard.[k] & Ioan. And. Anton. & alij pro summario secundæ partis ipsius ponũt hoc, *In confirmato nõ chrismatis, sed olei vnctione, non fiet iteratio, sed supplebitur prætermissum:* sed nec Adrian. qui,[l] licet teneat priorem partem, imposuit eã prædictæ glossæ, neque Caiet. qui hanc partem tenet, reprehendit illam gloss. nec memini alios ibi contra tenere: & ita communis, immo omnium mens in illud c. comminiscentium est dicere, quod confirmatio tenuit, sed erat supplendum quod defuit.

a *In annotat. ad S. Thom. super 3. par. q. 72. art. 1. & 2.*
b *Ca. 22. n. 8.*
c *In 4. sent. dist. 7. art. 2.*
d *Ca. de sacr. non iteran.*
e *De sacram. vnct.*
f *15. & 16. & alibi sæpe.*
g *Ca. 1. de sacra. non iteran.*
h *1. quæst. 1.*
i *De consecrat. dist. 4.*
k *In figuratione casus illius cap.*
l *In 4. de sacram. confir.*

7 Quintò, quod hoc ipsum videtur sentire S. Thomas[m] quamuis nec Caiet. neq; Sotus id ponderent in illis verbis, *Ideo oleum competit materia huius sacramẽti: admiscetur autem balsamum propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios.* per illam enim aduersatiuam, *autem,* insinuat oleum quidẽ esse materiam substantialem, institutam à Christo, admixtionem autem balsami non item, sed de præcepto tantũ: vt in simili idem S. Thomas receptus dixit,[n] vinũ quidẽ esse materiam substantialem Eucharistiæ sub specie vini, sed misceri ei aquam ad maiorem conuenientiam, vt colligitur ex cap. 3.[o]

m *In d. art. 2.*
n *In 3. p. qua. 74. art. 7.*
o *Adiun. 1. & 2. de consecr. dist. 2.*

Sexto, quod non videtur verisimile D.N. Iesum Christũ paupertatis cultorem Apostolos suos pauperes in vniuersum orbem dimissos, innumeros baptizaturos, & confirmaturos, voluisse onerare onere emendi balsamum, rem tãti pretij, quod sciebat in paucis terris inueniri, & nõ posse ad tot alias adeo longè ab illis separatas cõmodè aduehi, quo tamen in dies & horas tam ipsi, quàm eorũ successores administranda sacramenta essent opus habituri, si illud pro parte substantiali chrismatis instituisset.

8 Ad primum argumentorum oppositorum respõdetur concedendo Innoc. iij.[p] dicere chrisma, de quo loquimur, fieri, immo & debere fieri ex oleo & balsamo: sed negãdo quod dicat vtrumq; esse de substantia sacramenti: sicut & Alex. Papa,[q] dixit aquam esse miscendam vino in consecratione calicis, & adeo quidẽ vt Cyprianus,[r] dicat adeo solùm vinum non esse consecrandũ, quod si contra fieret, inciperet sanguis Christi esse sine Christo. Attamen neuter eorum voluit dicere, quòd aqua sit de substantia cõsecrationis vini, vt dicit S. Thom. receptus,[s] & probatur per c. Scriptura,[t] desumptum ex eodem Cypriano.

p *In cap. 1. de sacra. vnct.*
q *Relatus in c. 1. de consecr. dist. 2.*
r *Relatus in ca. 2. eiusdem dist.*
s *Vbi supra.*
t *Quod est tertium eiusdem dist. 2.*

9 Ad secundum respondetur concedendo Concilium Trid. probare chrisma debere confici ex oleo & balsamo, adeò quidem, quòd mortiferè peccaret Episcopus, qui ex oleo solo id conficeret: sed negãdo, quod probet vtrumq; esse de substãtia chrismatis, & materię confirmationis: sicut Alex. & Cypr. supra relati dicẽtes vinũ aqua mixtum esse materiam sacramenti calicis, nolunt dicere vtrumque esse de substantia Eucharistiæ, vt prædictum est in responsione ad secundum.

10 AD

10 Ad tertium respondetur negando quod vniuersa fere omnium sententia teneat confirmationem factã vnctione solius olei benedicti esse nullam, & iterandam: quia contrarium patet per supradicta.

Ad quartum respondetur, concedendo quidem Host. & posteriores dixisse, quod suppletio defectus balsami, quæ in confirmatione contingit, non potest fieri per solã linitionem balsami, & quod debet fieri illis verbis, quibus fit ipsa confirmatio, non quia confirmatio facta sine balsamo est nulla, sed quia non potest fieri suppletio per alium actũ, nec per aliam orationem: quod declarat ibidẽ Antonius de Butr. Nec obstat quod suppletio per linitionem chrismatis facta cũ eadem oratione, qua fit chrismatio siue confirmatio, est reiteratio sacramenti: quia ad reiterationem sacramenti non sufficiunt materia & verba sine intentione id faciendi, cum sine intentione debita conficiendi sacramentum, non conficiatur illud, secundũ Tho. receptũ per omnes,[a] & ita cum secunda linitio non fiat intentione ministrãdi sacramentum, sed solum supplendi defectum eius, quod illi iam ministrato defuit, non potest dici iteratio, sed suppletio. Salua, &c.

a 3. p. qu. 64. art. 8.

## DE SACRAM. NON ITERANDIS.

### SVMMARIVM.

*1 Ordinatus per saltũ peccat, & est suspensus, sed nõ est irregularis.*
*2 Ordinis sacri iteratio irregularitatem inducit.*
*2 Bis ordinem sacrum sumens est irregularis.*
*3 Irregularis incapax beneficij.*

### CONSILIVM I.

QVidam suscepit ordines sacros antequam suscepisset minores, & postea suscepit minores, & iterum maiores, & tandem beneficium. Quæritur an sit irregularis.

1 Respondeo primò, quòd cõsulens bis grauissimè peccauit: primò quidem, quòd per saltum fuit promotus ad maiores ordines, omissis minoribus: secundò, quòd bis suscepit ordines eosdem sacros.

Secundò respondeo, quòd propter promotionem per saltum non est irregularis, sed solum suspensus, vt diximus in Manuali confess.[b]

2 Tertiò, quòd propter iteratam susceptionem sacri ordinis incurrit irregularitatem secundum opinionẽ D. Antonini, quam secuti fuimus,[c] secundum quòd non solùm bis baptizatus saltem scienter est irregularis, sed etiam bis scienter suscipiens sacramentum imprimens characterem indelebilem, quod non est iterabile per c. 1.[d] quod agit de bis ordinatis, & per cap. *dictum.*[e] quod agit de bis confirmatis: licet Scotus, vt ibi dixi, cõtra teneat non absq; valido fundamento: sed prædicta duo capitula cum consuetudine recepta, & ratione satis munita, visa fuerũt nobis satis probare casum hunc esse de expressis, in quibus irregularitas cõtrahitur, per quod respõdetur fundamẽto Scoti.

3 Quartò, quòd cum in hoc casu agi videatur de retentione beneficij post ordines sic susceptos accepti, videtur referendus ad Sanctissimum, cũ probabilius videatur incurrisse irregularitatem, quæ facit consulentem eius incapacem. Salua, &c.

b Cap. 25. nu. 71. & cap. 27. num. 242.
c In d. ca. 27. num. 246.
d 68. dist.
e De consecr. dist. 5.

### SVMMARIVM.

*1 Benedictio Abbatissæ secundum aliquos est iterabilis, & secũdum communem non. Abbatem autem non posse secundo benedici, verius est: quòd si de prima fidem facere non possit, poterit tamquam dubitans iterum sub conditione benedici, intelligendo in mente sua se dubitare respectu fori exterioris. nu. 2.*

### CONSILIVM II.

BEnedicitur aliquis in Abbatem, qui suę benedictionis fidẽ facere nequit per authẽticas literas, propterea q͂ interuenerit mors benedicẽtis. Interim ipse Abbas benedictus vocatur ad digniorẽ Abbatiã eiusdẽ sui ordinis. Quęritur an secundo ipse D. Abbas possit benedici.

1 Ad hanc quæstionem responsurus, præmittenda est decisio alterius, an scilicet benedictio Abbatis sit iterabilis: & licet glossa solemnis dubitare videatur de hoc,[f] communis tamen sententia Doctorum, quos sequitur ibidem Bonifacius; tenet quòd non. Et sic ad quæstionem propositam respondetur ex præcedenti decisione, quòd præfatas Abbas promotus ad secundam abbatiam nõ debet rebenedici, quia benedictio eius non est iterabilis, vt dictũ st: nam nec benedictio Abbatissæ (quæ lõgè est minor & simplicior benedictione Abbatis) est iterabilis, vt ipsemet Bonifacius, qui fuit Auditor Rotæ, concludit.[a] Sed quicquid sit de benedictione Abbatissæ, quam tenuit esse iterabilem Felin.[b] benedictionẽ tamen Abbatis credo non esse iterabilem. Tũ quia longè plus accedit ad ordinẽ imprimentẽ characterem, quàm benedictio Abbatissæ. Tum quia multa sacramentalia, quæ nõ imprimunt characterẽ, non sunt iterabilia, vt benedictio nuptialis,[c] & pœnitentia solemnis.[d]

f In clem. attendentes. §. statuimus. verbo benedici. de statu monach.

2 Ad aliam quæstionem implicitè propositam, scilicet quid oporteat facere præfatum Abbatem assumptum ad secundam abbatiam, cùm nõ possit habere literas primæ benedictionis mortuo iam primo benedicente literis nõ expeditis: Respondeo, quòd potest à cõpetente superiori accipere testimonium testiũ, qui fuerunt præsentes benedictioni primæ, quod legitimè assumptum seruiet pro literis non expeditis,[e] quòd si nulli testes inueniri possent, qui de prima benedictione deponerent, nec aliter posset probari benedictio prima, & eius probatio esset necessaria quo ad forum exterius, non deberet dicere se benedictum, sed dubitare de benedictione, & ita assumere secũdam benedictionem cum illa conditione, quæ solet apponi, quando baptizatur aliquis, de quo dubitatur an sit baptizatus, scilicet, *Si es benedictus, non te benedico: si autem nõ es benedictus, benedico te, &c.*[f] Et ei qui opponeret, quod ipsemet, qui fuit benedictus, scit se esse benedictum, & nõ potest dubitare an sit benedictus, nisi mẽtiatur: potest excusari à mendacio per illa, quæ nos nuper edidimus,[g] subintelligendo intra mentem suã, quod dubitat quo ad faciendam fidem in foro exteriori. Salua, &c.

a Ibidem nu. 10.
b In ca. memi nimus. nu. 3. de accusatio.
c Cap. 1. & 3. de secundis nupt.
d Ca. quamuis. & cap. in capite. 50. dist.
e Iuxta ca. significauit. & ca. Albericus. de testibus.
f Ca. 2. de baptis.
g In c. humanæ aures. 22. quæst. 5.

### SVMMARIVM.

*1 Diaconatus ordinẽ sumens, si nõ accipit, nec tangit librũ euãgeliorũ, in cuius traditione imprimitur character, ordinẽ nõ accipit.*
*2 Intentio conditionalis, quam gero, non recipiendi sacerdotium, si non sum diaconus, operatur, vt si detegatur me non fuisse diaconum, vt etiam non sim sacerdos.*
*3 Ordinũ characteres, qui dum ordinatur non recipit, potest sine dispensatione iterum illos accipere, modò in eis nõ ministrauerit: quia tunc esset petenda dispensatio à Papa. nu. 4.*

### CONSILIVM III.

1 REspondetur primò, D. consulentẽ nõ accepisse ordinẽ, siue characterẽ ordinis diaconatus: quia non accepit nec tetigit librum euãgeliorũ, in cuius traditione imprimitur magnus ille character diaconat⁹, ita quod illi⁹ traditio est de essentia & substãtia ordinis diaconatus.

2 Secũdo, quod præfatus cõsulens nõ accepit etiã ordinẽ presbyteratus, siue sacerdotiũ: quia nõ habuit intentionẽ actualem, neč virtualẽ accipiendi eũ, immo habuit intentionẽ actualẽ non accipiendi illũ, si non erat diaconus: & per supradicta constat non fuisse ipsum tunc diaconum.

Tertiò, quòd oportet ipsum iterum accipere ordines prædictos duos, diaconatum scilicet, & presbyterium, perinde ac si numquam accepisset eos.

3 Quartò, quòd magna cũ prudentia debet se gerere in accipiendis illis: debet enim curare, vt accipiat eos denuo in aliquo loco ita remoto, vel secreto, & à tali Episcopo, vt nõ possit probari eũ suscepisse illos bis ĩ foro exteriori, ne per probationẽ quod bis accepit eos in foro exteriori præsumatur etiam bis accepisse in interiori, & consequẽter puniretur pœna, qua est dignus, qui bis accepit duos tã grandes ordines in magnã eorũ irreuerentiam. Quæ omnia quatuor dicta possent, si vacaret, & otium id ferret, per multa confirmari, quod tamen non est necesse facere, cum communiter ab omnibus sint recepta.

4 Et quia post hęc respõsa additur à cõsulẽte, quod vsus est ordinib. prędictis: addo etiã ipse quinto, quod ipse est irregularis, & indiget dispensatione Papali ad hoc, vt possit ordinari iustè præfatis duobus ordinibus diaconatus, presbyterij,[h] p quod hoc dixim⁹ in Man. cõf.[i] Salua, &c.

h Capit. 1. de cler. non ord. ministr.
i Cap. 27. nu. 242.

### SVMMARIVM.

*1 Prima tonsura non est ordo propriè.*
*1 Prima tonsura insignitus est quoddam medium inter laicum, & ordinibus insignitum.*
*1 Catechumen⁹ est quid mediũ inter baptizatũ, & nolẽtẽ baptizari.*
*2 Primæ tonsuræ de essentia non est vt verba aliqua dicantur.*
*2 Baptizatur cũ adult⁹, requiriturq; idẽ patrin⁹, sed nõ est de essẽtia.*

## CONSILIVM IIII.

1 AD quæstioné de illo, qui accepit primã tõsuram, & non dixit saltè attente, *Dominus pars hæreditatis meæ*. Respondetur, quod dominus consulens nullo debet scrupulo angi de sui ordinis defectu. Tũ quia secundũ S. Tho. & omnes Theologos,[a] immo neq; secundũ nos, qui mediã inter Theologos & Canonistas opinionem sequimur in Manu. nostro conf.[b] prima tonsura non est ordo propriè, nec ad suam essentiã & substantiam requirit, vt illam assumens dicat verba prædicta, aut alia, sed satis est, ꝙ Episcopus faciat ea, quæ sufficiũt ad hoc vt segregetur à populo laico, & aggregetur clero, & fiat quidam medius inter vtrumque, vt est catechumenus inter baptizatum, & nolentem baptizari, & nouitius inter omnino sæcularem, & religiosum professum, vt notabiliter dicit Sotus.[c]

a In 4. l. sent. dist. 24.
b Cap. 22. nu. 18.
c In li. 4. dist. 24. q. 1. art. 1. circa finem.

2 Tũ quia nullo iure, nec libro põtificali probatur dictioné illorũ verborũ, *Dominus pars, &c.* esse de substãtia & essentia primæ tõsuræ: nã non sunt materia, nec forma. & licet liber põtificalis dicat Episcopũ debere facere quedã, quo illa faciẽte dicat ordinãdus, *Dominus pars, &c.* nõ tamẽ ita dicit illud, vt significet illa esse de substãtia ordinationis: sicut & cùm baptizatur aliquis adultus, satis est ad baptismi substantiam, quòd consentiat ille, quãuis requiratur patrinus, sed non quo ad substantiam baptismi. Tum quia rari sunt, qui meminerint dixisse illa verba, cùm tonsurarentur: & ita timere præfatum defectum, est timere, vbi non est timor, seu timendum. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

*1 Explicitam habet intentionem ordines suscipiendi, qui scrupulos patiens, ad ordinantem, parendo eis quæ ille mandat, ita accedit, vt velit recipere id quod Ecclesia intendit dare, vnde & veros ordines recipit. & nu. 4.*

*2 Vestes non sunt nec de substantia, nec de essentia ordinum: vnde illarum defectus, vel mutatio, seu subrogatio nihil nocet.*

*3 Fides quidem, & scientia non potest in eodem simul esse cũ ignorãtia, nec sciẽtia, & dubitatione, potest tamen esse cũ scrupulo.*

*3 Scrupulos qui patitur in fide, non ideo desinit esse fidelis, nec peccat, licet eos non possit expellere.*

*4 Libidinis aculeos qui in sensualitate patitur, licet eos, vt vellet & nititur, expellere nequit, non tamen peccat.*

## CONSILIVM V.

DVbitat A. presbyter an verè ordines susceperit, quia cum ordinaretur, dubitabat, an per illas actiones, & verba Episcopi conferrentur ordines, cùm sit aliàs valde scrupulosus, licet conatetur resistere, & expellere tẽtationem, & quia aliquæ ex solitis sacris vestibus ex incuria in illa ordinatione ei defuerunt.

1 Respondeo debere A. certo putare se esse ordinatum. Tum quòd illi viri docti, quorũ iudicia nõ erant scrupulis impugnata & turbata, id ei respõderunt. Tũ ꝙ non solùm implicitè & virtualiter, sed etiam explicitè ac formaliter voluit ordinari, & facere, & recipere quod S. Mater Ecclesia iudicat in tali ordinatione dari, & recipi.

2 Et palam est totam Ecclesiam iudicare in ordinationibus talibus, ob defectum illarum sacrarum vestium cum aliis eis similibus, eos ab ordinantibus veros accipere ordines, immo quod etiam qui sine illis talibus vestiti ordinarentur, acciperent eos: quia vestis non est de substantia, neque essentia ordinationis.

3 Tum quod nihil obstat illa imaginatio scrupulosa cõtraria iudicio vero, cum quo consistere potest, licet nõ penitus pacificè. Nam vt nos latè tradimus,[d] licet scientiæ ac fidei repugnẽt ignorantia, nescientia, & dubitatio, scrupulus tamen non repugnat: vnde nõ peccant, nec desinũt habere fidem, qui scrupulis anguntur, etiam si eos omnino expellere nequeant.

d In c. si quis autem. de pœnit. dist. 7.

4 Sicut neque qui libidine aliqua sensualitatis impugnantur, peccant, licet eam omnino sedare nequeant, immo pugnando merentur. & ita A. credebat quidem implicitè & virtualiter, immo & explicitè id quod credit Ecclesia, exequendo illã credulitatem accedendo ad Episcopũ, & faciendo, & patiendo quæ ille iubebat, & resistendo tẽtationi contrariæ, licet non posset omnino expellere illã, & desiderando eius expulsionem, & resistendo ei adeo, vt non sequeretur scrupulum, sed fidem Ecclesiæ, & iudiciũ eius. Quare ipsum hortor vt sit fortis, & pugnet cum antiquo serpente, & accipiet regnum Dei, qui nos sua benignitate seruet. Amen.

### SVMMARIVM.

*1 Ordines accipiens intentione illos accipiendi, licet cum scrupulo non accipiendi, verum ordinem accipit. & sequent.*

*1 Ordinatus censeri debet, qui voluit bene vel male ordinari, etiam metu mortis coactus. & nu. 2.*

## CONSILIVM VI.

REligiosus accessit ad ordines accipiendos, & antequã eos acciperet, insurrexit dubiũ nolendi & volendi accipere illos, licet in partẽ affirmatiuã potius inclinaret: & cœpit tentari, quamuis à principio restitit illi tentationi, de doctrina & opinione falsa significationis mitrę: & tunc fortius dubitauit, vtrũ acciperet ordines, & deinde quietus nihil recordatus præteritæ tentationis accessit, & ordines accepit. Quæritur an sit verè ordinatus.

1 Ad propositam quæstionem respondeo, quòd meo iudicio præfatus religiosus censendus est habuisse sufficientem intentionem recipiendi ordines. Tum quia ipse magis inclinauit in partem affirmatiuam, quàm negatiuam. Tum quia ad habendam sufficientem intentionem ordinem suscipiendi non requiritur, quod absolutè sine vllo scrupulo, & sine inclinatione in contrarium velit accipere ordines: quia sufficit, vt velit accipere illos bene vel male, immo quod velit accipere etiam metu mortis coactus, vt singulariter determinat Innocentius iij. Papa.[a]

a In ca. maiores. §. itẽ quæritur. de baptis.

2 Tum quia certum est, quòd præfatus religiosus voluntariè iuit ad accipiendum ordines, & recepit eos voluntarie sine metu mortis, ergo propterea quòd habuisset scrupulos volendi, & nolendi, & quasdam trepidationes scrupulosas, & de more scrupulosorum, non est censendus nõ accepisse ordines, immo iudicandus quod accepit eos calcatis scrupulis iniectis à dæmone transformante se in Angelum lucis. Tum denique quòd resistit à principio tentationi de doctrina & opinione falsa significatiõis mitrę: & ideo, quod ait postea se dubitasse, non est intelligendũ de vero dubio, sed de scrupulo, quod longe diuersum est à vero dubio, vt nos tradimus post alios in Man. confes.[b] & huiusmodi scrupulus nihil obstat præfato religioso, nisi quo ad inquietandum, quæ inquietatio cessabit, cessante calcato scrupulo, vt nos diximus ibi, & latius alibi,[c] quod confirmatur, eo quod quietus accessit nihil recordatus præteritæ tentationis, ita quòd vir hic bonus vexatur scrupulis, qui sunt argumenta contra recta iudicia, & non vera dubia, vt ibidem latius dicitur. Salua, &c.

b Cap. 27. nu. 273.
c In ca si quis autem. de pœnit. 7. d. na. 8.

### SVMMARIVM.

*1 Characterem alicuius ordinis qui ob defectum intentionis suscipientis, vel ministri, nõ suscipit, de licentia sui Episcopi, vel Papæ, põt illos clã suscipere ab alieno Episcopo, vbi sit incognitus.*

## CONSILIVM VII.

QVæsitũ est, quo remedio succurretur eis, qui nullatenus sunt ordinati ob defectum sui consensus, & intẽtionis ministri, ad hoc vt iustè reputentur ordinati ad vtẽdum suis ordinibus, qui eis deficiunt, ne accusentur bis ordines suscepisse, & irregularitatem contraxisse, sicut contrahit is, qui bis baptizatur, per cap. *eos*[d] & notata per nos in nostro Man. confess.[e] vbi sequimur S. Antoninum, qui tenet, eum qui bis confirmatur, & ordinatur, incurrisse irregularitatem per cap. *dictum*,[f] quod agit de bis confirmatis, & cà. 1. g quod agit de bis ordinatis.

d E[illegible]pi. qui bis. a[illegible] consec. dist. 4.
e [illegible] 7. nu. 247.
f De consecr. dist. 5.
g 68. dist.

1 Ad hanc quæstionem respondimus visum fuisse nobis in quodam casu occurrenti aptũ remediũ, vt adirent suos ordinarios, & confiterentur eis sacramentaliter, ne reuelare possent, & peterent ab eis licentiam suscipiẽdi ordines illos à quibuscumq; mallent Episcopis, & post adirent aliquos Episcopos longissimè absentes in aliqua terra, vbi essent incogniti, & virtute dimissoriarum, ob quas fuerũt antea ordinati, reciperent pręfatos ordines, quibus deficiũt: quod tamen remediũ non esset aptum eis, qui essent prius ordinati à propriis Episcopis sine literis dimissoriis: quia non possent impetrare aliàs, quę pręcederẽt ordinationes priores, pro quib. videtur remediũ impetrare à S. S. dimissorias ad quoscũq; Episcopos, & adire aliquos lõ-

gissi mè

gissimè absentes, vt prædictũ est. Sed obstat, quod Sedes Apostolica non cõcedit post Conciliũ Tridentinũ huiusmodi dimissorias, nisi cum clausula, *de consensu sui ordinarij*, de quo non potest constare sine literis eius, nec illæ possunt haberi sine detectione malæ ordinationis: & ita curandum esset: vt concederentur sine illa clausula.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus tollerare potest malè ordinatos existentes in probabili ignorantia.*
2 *Ordines minores malè sumẽs suspẽdẽdus est, sed nõ est suspẽsus.*
3 *Ignorantia probabilis malè ordinatum maioribus excusat à suspensionis pœna.*
3 *Præsumentem cùm punit lex, facientem bona fide non ligat.*
4 *Ordines illos resumere debet sub conditione is, qui probabiliter dubitat, an eos receperit.*
5 *Error communis tunc facit vt gesta ratione publici officij valeant, quando latet defectus, & constat officialem (etsi malè) à superiore officium habuisse.*
5 *Presbytero ordines minores conferendi potestas à Pontifice data non præsumitur, etiam accedente longissima quadraginta annorum possessione. num. 1.*
6 *Promotis per saltum ignoranter beneficiorum facta collatio tenet.*
6 *Laici beneficiorum incapaces sunt.*
7 *Beneficij collatio nulla tacitè reualidatur, cùm cessante impedimento, is ad quem prouisio spectat, sciens patitur prouisum illud retinere.*

## CONSILIVM VIII.

De quibusdam ordinatis ad quatuor minores à quodam Protonotario presbytero, dicente se habere facultatem id faciendi à Papa, credente id populo 40. circiter annis, quibus id publicè faciebat, quos Episcopus præsens cogit impetrare dispensationem à Sede Apostolica infra sex menses. alioqui habiturus eos pro suspẽsis. Quæritur primò, an dispensatione indigeant, stante eorũ probabili ignorantia. Secundò, an si est necessaria dispensatio, teneantur resumere ordines minores. Tertiò, de beneficiis postea obtentis quid agendum.

1 Ad primam quæstionem respõdetur primò, quod potuit Episcopus dissimulare cum iis, per cap. *quia circa.*[a] secundum intellectum Goffredi, quem nos mõstramus esse verum,[b] contra Hostiensem communiter ibi receptum, quatenus probat dissimulare posse iustè Superiorem cum subdito bona fide credente suam dispensationem circa ius humanũ esse legitimã, licet de iuris rigore nõ sit talis.

2 Secundò, quòd mero iure non indigent dispensatione. Tum quia per malam assumptionem ordinum minorum non incurrit quis ipso iure suspensionem, licet mereatur suspendi, ca. *vel non est compos.* ibi, *suspendendos.*[c] Nec obstat extrauagãs Pij II. quæ incipit *cum ex sacrorum.* quia solùm loquitur de sumentibus ordines sacros. Tum quia etiam sumentes ordines sacros bona fide; & ignorantia probabili, qualis videtur hæc, non incurrunt ipso iure suspensionem, vt nos declaramus in repetit. c. *accepta.*[d] eò quia præfata extrauagans imponit pœnam præsumenti sumere, & ita dolosè id agenti, & sic non incurrit bona fide sumens, iuxta theoriam Cardinalis.[e]

4 Ad secundam respondetur, quòd etiamsi nõ sit necessaria dispensatio, debent tamen resumere ordines minores cum conditione: quia cum dubitatur, an vere quis sit baptizatus, an ecclesia sit consecrata, vel an susceptum sit aliud sacramentum, vel sacramentale, quod est suscipiendum vel faciendum, debet illud resumi sub conditione si & quatenus nõn est susceptum, vel factum.[f]

5 Nec obstant l. Barbarius[g] & ca. *nonne.*[h] & alia iura eis concordantia, quibus videtur probari, quod gesta ratione publici officij valent propter errorem communem; quia illud est verum, cùm constat, quod auctoritate Superioris fuit illud officium sibi commissum benè, vel malè sine notorio defectu, & toleratur in eo; vt resoluit Panormitanus post alios[i] & in casu proposito non constat, quod præfatus presbyter habuerit potestatem ordinandi, immo gratuiter præsumitur contrarium, arg. ca. *quanto.*[k] & eorum quæ ibi notantur, soluendo oppositionem quæ illi fit ex cap. *peruenit*,[l] adiuncto præsertim[m] Conci. Tridentino, quod habet hæreticũ esse illum, qui dixerit, Episcopis, & presbyteris eãdem potestatẽ ordinãdi & cõfirmãdi esse.

6 Ad tertiam respondetur primò, quod collationes beneficiorum factæ illis, postquam fuerunt sacris ordinibus initiati, valuerunt, nec indigent renouatione; aliæ verò quæ factæ fuerunt, antequam ordinibus sacris ordinarentur, non valuerunt à principio; quia collatarij erant laici, & laici sunt incapaces beneficij ecclesiastici iuxta iura[a] & colligitur ex ca. *cum adeo.*[b]

7 Secundo, quod si præfati possederunt illa beneficia videntibus, & tolerantibus collatoribus eorum, videntur tacitè refecta per ea, quæ nos diximus in prælectione capit. *si quando*,[c] argumen. eorum quæ Felinus post Panormitanũ & alios scripsit[d] de collatione beneficij pertinentis ad ius patronatus, facta intra tempus præsentãdi, & patrono postea non præsentante, & deuoluta potestate liberè conferendi ad Episcopum. Salua, &c.

a De cõsang. & affi.
b In ca. si quis autẽ. de pœn. dist. 7. à n. 68.
c De temporibus ordin.
d De restitu. spol. oppositione 8.
e Clem. 1. de priuil. qu. 38.
f Capit. 2. de bapt. & c. solemnitates. de consecr. dist. 1. cum eis adnotatis.
g ff. de offic. prato.
h 8. 44.
i In c. dudũ. 2. de elect. & latius c. nihil. eod. tit.
k De consue.
l 95. dist.
m Can. 7 sess. 23.

a Ca. 2. de instit. & c. ex literis. de transact.
b De rescrip.
c De rescript. except. 17.
d Ca. cum ex offic. de præsc.

## DE FILIIS PRESBYT. ORD. VEL NON.

SVMMARIVM.

1 *Matris etiam morientis dicto filius natus in figura matrimonij, & pro legitimo tractatus, non tenetur credere, quòd sit adulterinus, immo potest credere se legitimum, num. 5. quod si credat, non potest ordinari, nisi iterum credat se legitimum. num. 1.*
2 *Fidem ad generandam seu credulitatẽ affectio pia, & motiuũ etiam paruum sufficiunt, modo illud sit iustum, num. 5.*
3 *Intellectus non nisi principiis, & ex eis per demonstrationem deductis assentitur necessario.*
3 *Voluntas beatitudinem solùm & ea quæ ei per intellectum necessario demonstrantur consequentia, vult necessario.*
4 *Credere potest quis vnum, & eius contrarium diuerso respectu, etiam stantibus eisdem motiuis.*

## CONSILIVM I.

Quid debeat facere filius natus in figura matrimonij, qui 12. annis credidit se filium mariti matris suæ, & postea 14. credidit se filium adulteri, dicto matris viuentis & morientis persuasus, ad hoc vt possit ordinari sine dispensatione?

1 Respondeo primò, quòd fidem, siue credulitatem, quã postremo loco habuit, deponere debet: quia qui contra conscientiam agit, ædificat ad gehennam.[e]

Secundo, quod non sufficit deponere illam, & ponere se in statu dubij: quia etiam qui contrauenit conscientiæ dubiæ peccat,[f] & per multa alia, quæ præ aliis adducimus alibi.[g]

2 Tertio, quod ex his sequitur oportere eum credere firmiter coram Deo se esse legitimum. Tum quia ad generandam fidem siue credulitatem, vt duo requirũtur, ita duo sufficiunt, videlicet motiuum; & pia affectio vt in li. posteriorũ docetur: nã sicut nullo motiuo quãlibet magno cogi potest quis ad credẽdum si nolit, ita volenti credere paruũ motiuum sufficit. Vnde licet multi habentes maximum motiuum credendi Christo non crediderint ei, ita multi habentes longè minus crediderunt & hodie credunt eidem. Tum quia qui vno tempore credidit vnũ per vnum motiuum, alio tempore potest credere contrarium propter aliud; vt multi, qui vno tempore crediderũt Christo, alio tempore negauerunt eum, & è contrario.

3 Tum quia hoc procedit etiam durantibus eisdem motiuis, sicut in casu proposito durant. eisdem enim argumẽtis durantibus multi infideles efficiuntur fideles, & è cõtrario: quia voluntas pro libertate, quam habet, vult credere nunc vnum, & postea aliud: nam vt colligitur ex S. Thoma,[h] sicut intellectus non assentitur necessario nisi primis principiis, & conclusionibus ex eis per demõstrationem deductis, ita voluntas non vult necessariò nisi beatitudinem, & quæ monstrantur ei per intellectum necessariò illam consequentia, quorum de numero in hac vita sunt pauca, à quibus longè abest, quod in nostro casu proponitur: & ita consulens potest velle credere vtram partem voluerit.

4 Tum quia nos per multa argumenta probauimus[i] quòd potest quis credere aliquid ad vnum effectum; & credere contrarium ad alium, non quidem vno & eodem momẽto, quia id implicaret contradictionẽ, sed diuersis

e Cap. fin. de præscript.
f Cap. ad audientiam. de homic.
g In ca. si quis autem. de pœnit. distin. 7.
h 1. par. quæ. 82. art. 2.
i In d. capit. si quis autẽ. de pœniten. dist. 7.

etiam durante eodem penitus motiuo. pro quo ponderauimus textum singularē in ca.*inquisitioni*, [a] quatenus probat posse dari alicui vxori aliqua talia motiua credendi maritum priorem esse, & non esse mortuum, quibus potest, immo debet credere illum esse mortuum, quo ad reddendum debitum, & credere non esse mortuum quo ad exigendum, nulla ratione alia, quàm quod vnus & idem potest credere nunc vnum propter vnum motiuum, & postea contrarium propter aliud, non obstante priore.

5 Quartò quod cōsulēs potest, si vult, iustè, firmiter credere se esse verè legitimum, si habet iustum motiuum ad illud. & quod habet tale. Tum quia lex iusta præsumit illud. [b] Tum quia quidquid mater adultera ei affirmauerit, numquam tamen adulter, nec viuens, nec moriens id ei dixit; & populus, vbi natus & educatus fuit in sua infantia & pueritia, credit eū esse legitimum. Tum quia matres sæpe in similibus casibus decipiuntur, & sæpe mentiuntur ob multos respectus. & denique quod satis superque motiuum habet ad iustè credendum id cuius contrarium nec scit, nec scire potest, per auctoritatem illam grandem legislatoris, & legis id præsumentium. Quare mea sentētia ipse adhæreret prædictæ legi, & firmiter præsumeret, & crederet, quod illa præsumit: & si ego essem ipse ita facerem. Salua, &c.

a De senten. excommu.

b L. filium. ff. de statu hominum.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatio Comitis Palatini ad ordines non extenditur, nec ad beneficia ecclesiastica.*
2 *Illegitimus ordinatus minoribus non est suspensus.*
3 *Illegitimus beneficij Ecclesiastici incapax.*
4 *Taciturnitas non dolosa simplicis beneficij malè antea obtenti non vitiat dispensationem ad obtinendum curatum impetratam.*
5 *Restitutione à fructuum hæc duo excusant, videlicet paupertas & seruitium Ecclesiæ, pro quo tantùm vicario datum fuisset, ac fructus præcepti valent.*
5 *Seruiens beneficio non validè impetrato excusatur à restitutio ne pro rata mercedis, quæ data fuisset vicario seruienti.*

CONSILIVM II.

Illegitimus à Comite Palatino legitimatus ordines minores & beneficium simplex accepit: deinde super his, & ad omnes alios ordines, & beneficia etiam curata accipienda à summo Pœnitentiario, nulla facta mentione beneficij obtenti, dispensatus, aliud curatū impetrauit, quod ei inseruiendo vna cum supradicto simplici possedit 12. annis, & 130. ducatos toto illo tempore percepit. Quæritur quid iuris.

1 Respondeo primò, quòd D. consulens fuit malè ordinatus: quia, vt ipse fatetur verbo extra ea quæ dicit in scripto, suscepit ordines etiam sacros virtute legitimationis factę à Comite Palatino: & huiusmodi Comites communiter non habent facultatem legitimandi quo ad ordines, neque quo ad beneficia ecclesiastica.

2 Secundò, quòd licet defendi posset collationem primi beneficij simplicis ei factam non fuisse nullam propter malam ordinationem, quia per illam non fuit incursa suspensio ipso iure, quamuis potuit suspendi, [c] quia per malam ordinationem non suspenditur ordinatus ipso iure, nisi quādo ordinatur ad sacros sine dimissoriis, vel ante legitimā ætatem, vel extra tempora iuris per extrauagantem Pij II. *cum ex sacrorum*.

3 Tamē ex alio capite fuit mala & nulla, quia erat illegitimus, qui est in capax beneficij Ecclesiastici ante legitimationem, vel dispensationem. [d]

Tertio, quod D. consulens videtur sufficienter factus habilis ad suscipiendos ordines, & exequendos eos per dispensationem summi Pœnitentiarij, per quam sublatus fuit defectus natalium, & etiam malitia malè ordinationis. Nec obstat quod tacuit beneficium: quia quo ad tollendam malitiam ordinationis non fuit necessaria eius expresio.

4 Quarto, quod quamuis saltem quo ad forum conscientiæ defendi poſsit, taciturnitatem præfatam D. cōsulētis, qua tacuit bona fide per ignorantiam iuris primum beneficium, quod verè, non erat suum, sed habuit grandē causam credendi, quòd erat suum, non nocuisse impetrationi dispensationis ad beneficium curatum; securius tamen videtur, præsertim quo ad forum exterius, dicere cōtrarium, iuxta glossam. [a]

c Ca. vel non est compos. de temp. ordin.

d Toto titulo de filijs presbyterorū. & clarius eodē tit. lib. 6.

Quintò, quod certū est collationem beneficij simplicis fuisse nullam, & tenendo quod in 4. dicto dictum est, securius esse dicere, quod etiam collatio beneficij curati fuit nulla; restat omnium prædictorum beneficiorum fructus fuisse malè perceptos, & consequenter restituendos esse, nisi aliquid aliud excusauerit.

5 Sexto, quod præfatus D. consulens videtur excusari à restitutione, duplici capite: alterū est inopia & paupertas, quæ excusat, saltem donec ad pinguiorem fortunam veniat, iuxta ea quæ nos latius tradimus in Man. confess. [b] alterum est quod seruiuit prædicto beneficio curato, cui necessario seruiendum erat per aliquem vicarium idoneū cui dandum erat tantùm vel maius salarium, quam valebant fructus illorum beneficiorum, cum in duodecim annis non perceperit ex eis nisi valorem centum triginta scutorū, & ita pro seruitio facto potest eos retinere, iuxta ea quæ nos dicimus in d. Man. confess. [c]

Septimo, quod iuxta ea quæ prædicta sunt in 4. & 5. dicto, eget D. consulens quo ad forum præsertim exterius dispensatione ad beneficium simplex, & etiam ad retinēdum illud curatum, quod habuit, cum reualidatione tituli, quem habuit ab ordinario, vel concesione noui, si & quatenus opus est. Missam autem videtur posse dicere: quia quo ad ordines & exequutionem eorum satis videtur posse dicere: quia quo ad ordines & exequutionem eorum satis videtur dispensatus, per posita in tertio dicto super defectu natalium. Salua, &c.

a Cap. eū qui. de preb. lib. 6

b Capit. 17. à num. 75.

c Cap. 23. nu. 4.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatus censetur aliàs inhabilis, eo ipso quòd à Papa scienter, etiam sine alia causæ cognitione, promouetur; secus in Episcopo, nisi expressè dispenset, vel saltem præmissa causæ cognitione promoueat.*
2 *Subreptitius est, qui habens mandatum, vt secum dispensetur, asserit se dispensatum.*
3 *Commissio Papæ facta ordinario vt cum aliquo illegitimo dispenset, expirat, Papa re integra moriente.*
4 *Suspensionem incurrit secundum Syluestrum, qui malè ordines accipit; & si ministrat, fit irregularis.*

CONSILIVM III.

Illegitimus obtinuit commisionem à Papa ad Episcopum suum, vt secum dispensaret: & antequam dictus Episcopus commisionem exequeretur, prima tonsura initiatus canonicatum à Papa impetrauit: demum alterius commisionis virtute, quæ post committentis mortem executioni demandata fuit alios ordines suscepit. propter quod petiit à sacra Pœnitentiaria super præmisis remedium oportunum.

1 Pro informatione Pœnitentiariæ ponuntur sequentia. Primò, quòd hic consulens videtur indigere remedio tam quo ad forum exterius, quam quo ad interius. Secundo, quod consulens male fuit ordinatus ab Episcopo ad primam tonsuram; quia inter Papam & inferiores in hac materia hoc differt, quod Papa faciens gratiam alicui, quē scit pati aliquem defectum, quo fit inhabilis ad illam, videtur dispensare, etiam si non dicat se dispensare, neque causæ cognitionem præmiserit: ordinarius autem non; etiam in casu quo posset, nisi expresse dispenset, vel saltem causæ cognitionem præmittat, iuxta resolutionem Panormitani [d] hoc modo conciliando dicta Innocentij, quorum alterum ponit in ca. *veniens*. [e] & alterum in dict. ca. *diuersis fallacijs*. quæ communis sententia est, quam etiam tenet Antonius post Hostiensē, [f] & Episcopus prædictus ordinauit consulentem sine vlla causæ cognitione, & non dicendo quod dispensabat.

2 Tertio, quod prouisio canonicatus facta à Papa huic consulenti non videtur valuisse; quia in eius impetratione falso fuit expressum cum eo fuisse super defectu nataliū dispensatū, cùm solùm fuisset mandatū dispēsari, & non fuisset dispensatum, vt prædictum est. Quartò; quòd

d In c. diuersis fallacijs. de cler. cōiug. & in c. quisquis. de elect.
e De filijs presbyt.
f In d. ca. veniens.

prædictus

prædictus consulens malè fuit etiã promotus ad quatuor minores, & duos primos sacros, per prædicta: & quia commissio de ordinando iam expirauit per mortem com mittentis. [a] Quintò, quòd prædictus consulens iudicabitur irregularis, secundum mentem Siluestri. [b] Eo quod or dine sacro malè suscepto est vsus: & secundum eum videtur suspensus accipiens male ordinem, [c] & suspensus ab ordine eo vtens fit irregularis. [d] Salua, &c.

a Iuxta c. relatum. & ca. gratū. de officio delegati.
b Verb. irregularitas. qu. 11.
c Per ca. solicitudo. 52. di.
d Capit. 1. de sent. excomm. lib. 6.

SVMMARIVM.

1 *Illegitimus bona fide credens secum dispensatum, ordinatus sacris, non incurrit pœnam suspensionis, nec irregularitatis, nec extrauagantis Pij Secundi.*

2 *Episcopus dispensare potest in omni suspensione à iure lata pro delicto minore adulterio, qualis est illegitima ordinis assumptio.*

2 *Illegitimus, si antequã cum eo virtute mandati Apostolici dispensatum esset, subdiaconatum accipiat, potest ab Episcopo suo absolui; ita vt possit ad alios ascendere, scilicet postquã iuxta dictum mandatum cum eo fuerit dispensatum, vt eos accipiat.*

3 *Iobelæa ab irregularitate nullo modo, à suspensione autem in foro conscientiæ tantùm, nisi aliud exprimatur, absoluendi dant potestatem.*

4 *Illegitimus ab Episcopo simpliciter dispensatus vt vnum possit habere beneficium, non censetur dispensatus ad canonicatum in cathedrali, nisi hoc exprimatur.*

CONSILIVM IIII.

MVltarum quæstionum incidentium prima est, vtrũ illegitimus, qui putans se habere dispensationem Papæ ad ordines sacros, cùm tamen non haberet nisi com missionem de dispensando ordinario missam, bona fide accepit subdiaconatum ab alio Episcopo cum literis dimissoriis, incidat in suspensionem & irregularitatem extrauagantis Pij II. *cum ex sacrorum*. relatæ à nobis in Man. confess. [e]

e Cap. 25. nu. 70. & ca. 27. num. 141.

1 Ad hanc primam quæstionem respondeo quod non. Tum quia illa extrauagans solum punit eum, qui suscipit ordinem sacrum ante legitimam ætatem, vel sine dimissoriis, vel extra tempora; & ita non tangit hunc casum. Tũ quia punit præsumentes suscipere, non autem bona fide sine dolo id facientem, vt [f] diximus; & latius antea in repetitione ca. *accepta*. [g]

f In d. cap. 25. num. 70.
g Oppos. 8. de restit. spol.

Quæstio secunda, vtrum Episcopus originis possit dis pensare cum illegitimo promoto ad ordinem subdiaconatus sine dispensatione Papæ.

2 Ad hanc secundam quæstionem respondeo quòd sic. Tum quia ita decidit ipse magister Gratianus, [h] qui allegat & subiicit textum ad hoc solemnissimum in ca. *Lugdu nensis*. [i] Tum quia Episcopus potest regulariter absoluere ab omni suspensione lata à iure, vt post alios resoluit Siluester, [k] à cuius resolutione licet discedamus nos in Mã. confess. [l] quo ad alias suspensiones, conuenimus tamen quo ad illas, quæ imponuntur pro adulterio, & aliis minoribus criminibus, de quorum numero est præfata ordinatio, præsertim facta bona fide, & sine dolo, vt in casu proposito.

h In §. his auctoritatibus. sub c. non inuitati. 9. q. 2.
i Eadem cau. & quæstione.
k In verb. suspensio. qu. 8. arg. c. nuper. de sent. excõ.
l Cap. 27. nu. 161.

Quæstio tertia; an præfatus consulens fuerit satis iustè absolutus à suspensione, quam incurrerat malè (sine dispensatione) suscipiendo subdiaconatum: ita quod etiam iuste potuisset ascendere ad superiores.

Hoc corollariè soluitur ex responsione ad quæstionẽ secundam, cum Episcopus originis iustè potuisset illum absoluere ab ea, & absoluit, vt habetur in facto & casu.

Quæstio quarta, an absolutio virtute Iobelæi accepta potuisset consulentem liberare à præfata suspensione & irregularitate, si quam contraxisset celebrãdo suspensus.

3 Ad quam respondetur primo, quod potuisset liberare illum à suspensione quo ad forum conscientiæ tantùm: quia per Iobelæa non fit absolutio quo ad forum exterius, nisi id in eis exprimatur, quod tamen rarissimè fit, vt colligitur ex Man. [m] Secundo, quod non potuisset liberare ab irregularitate, si quam contraxisset; quia nec Iobelæa, nec aliæ bullæ præstant facultatem absoluendi siue dispensãdi ab irregularitate etiam quo ad forum conscientiæ, vt nos monuimus in dicto Man. [n]

m Ca 27. nu. 272. sub finẽ.
n Cap. 27. nu. 194. & 250.

4 Quæstio quinta, an collatio canonicatus facta cõsulẽti fuerit valida.

Ad quam respondetur quòd non, si Episcopus originis solum dispensauit cum eo ad ordines minores tantùm, & non ad beneficium, vt significatur in casu: quia collatio beneficij facta illegitimo ante legitimam dispensationẽ non valet, vt probatur in c. fi. [a] & ibi latius tractat Antonius. Si autem præfatus Episcopus dispensauit quo ad or dines minores, & beneficiũ simplex, iuxta c. 1. & 2. [b] ita quod extenderetur ad canonicatum Ecclesiæ cathedralis, ad quam potest Episcopus dispensare cum illegitimo, secundum opinionem Archidiaconi communiter receptam, [c] tenuit præfata collatio.

a De fil. presbyt.
b De filijs Presbyt. lib. 6.
c In dict. cap. 1. & 2. de filijs presbyt. lib. 6.

Aduertendum tamen, quòd licet Episcopus possit dispensare cum illegitimo ad omne beneficium simplex, & ita etiam ad canonicatum Ecclesiæ cathedralis secundum præfatam opinionem Archidiaconi; non tamen videtur dispensare ad talem canonicatum, nisi id exprimat, secundum Francum, [d] per quãdam rationẽ coloratã. Salua, &c.

d In d. capi. 1. num. 6.

*Aduertendum dispensationẽ episcopi de qua hic per Nauarrum nu. 2. non respicere impedimentum proueniens ex defectu nataliũ: sed illud quod prouenit ex eo quod sine dispensatione Papæ assumpsit sacros ordines vel sufficientibus dimissoriis ab alieno.*

SVMMARIVM.

1 *Dispensare etsi censeatur Pontifex, quando facit aliquid contra ius super quo dispẽsare potest. secus tamẽ est in Episcopo.*

2 *Ordines non bene accipiuntur ab Episcopo, nisi sit illius subditus ratione originis, vel beneficij, vel domicilij, vel saltem triennalis familiaritatis.*

2 *Domicilium non præsumitur ante decennium, nisi probetur.*

3 *Consensus nouus præsentãtis vel consentientis pensionis reseruationi non requiritur, quando Papa institutionem de beneficio & reseruationem pensionis nulliter factã ratã habet.*

4 *Dispensatio super beneficio & pensione male obtenta obtinet vires à die eius conualidationis, nisi Papa iubeat eã retrotrahi.*

CONSILIVM V.

N Illegitimus ab Episcopo Ecclesiæ A. eius auunculo, licet non esset eius subditus, sine alia expressa dispẽsatione accepit minores ordines, & postea à Papa ad nominationem Regis obtinuit beneficium, ac pensionem. Quæritur quid iuris; & dato quòd egeat dispensatione ab illegitimitate, an sit necessariũ, quòd Papa ratam habeat collationem beneficij, & constitutionem pensionis.

1 Pro resolutione dubiorum, quæ ex proposito facto oriuntur, respondeo primò præfatum N. certò & indubitatè dicendum esse malè ordinatum. Primo quidem ex defectu natalium, quia non erat legitimus; & qui non est legitimus, non potest sine dispensatione saltem Episcopi ad ordines etiam minores promoueri, per ca. 1. [e] Et non prodest ei dicere, quòd Episcopus Ecclesiæ A. ordinando eũ visus fuit dispensare cum illo, vt posset ordinari; quia superior, cùm facit aliquid contra illud, super quo dispensare potest, videtur tacitè dispensare, iuxta l. *quidam consulebat*. [f] Quoniã illud verum est, cum superior est Papa; nõ autem est verum, cum superior est Episcopus, vt tradit eleganter Panormitanus receptus ab aliis [g] concordãdo duo dicta Innocentij, [h] & assignando pulchram concordiæ rationem.

e De fil. presbyt. lib. 6.
f ff. de re iud.
g In ca. diuersis fallacijs. de cler. coniug.
h Num. 3.

2 Secundò quòd etiam videtur malè ordinatus ex eo quòd Episcopus Eccl. A. auunculus eius nõ potuit eũ iure ordinare, quia nõ erat subditus eius ratione originis, nec ratione beneficij neq; ratione domicilij, quorũ triũ saltẽ vnũ requiritur ad hoc, vt Episc. possit aliquẽ ordinare, & constat præfatũ N. nullo illorũ modorum subditum fuisse illi, quia non fuit natus in diœcesi ecclesiæ A. nec habebat beneficium in illa, vt colligitur ex facto narrato, neque etiam habebat domicilium, quia licet inseruiret Episcopo suo auunculo, & aleretur ab eo, non tamen acquisiuit domicilium: quia illud non quæritur, nisi habenti animum viuendi perpetuo in aliquo loco, & ipse non videtur transisse ad auunculum suũ animo transferendi, vel acquirendi domicilium per habitationem perpetuam; sed vt esset eius familiaris; per quod in dubio non præsumitur talis animus, saltem ante decem annos. [i] Nec prodest illi quod per consilium Tridentinum permittatur Episcopis ordinare familiares suos triennales conferendo eis statim

i Le. 2. & per totum lib. 10. C. de incolis. & le. domicilium. cum ei adnot. ff. ad municipal.

beneficia,

beneficia:[a] quia non narratur in facto, quod & in dubio non præsumitur factum, nisi probetur.[b]

3 Tertio respondeo, quòd nõ videtur necessarius nouº consensus Regis, neque Episcopi. Tum quia videtur consensus antiquus durare,[c] non quidem quo ad hoc, vt pręsentatio regia, vel consensio, vt pensio constitueretur; valeret à principio, & à tẽpore, quo fuit facta, vel præstitus consensus; sed sic quo ad hoc vt nõ possit dici quod Papa concesit pensionem sine consensu regio & Episcopi: si enim Papa narratis præfatis defectibus suppleuerit ea, quę defuerunt, valida censebuntur omnia à tempore, quo sua sanctitas illa suppleuerit, & voluerit omnia esse ritè & rectè facta.[d]

4 Quarto, quod expediet dicto N. vt Papa in concessione huius gratiæ dispenset primò super defectu natalium: & secundò ratam habeat collationem beneficij, quam habuit; tertiò quòd habeat ratam constitutionem pensionis si fieri potest, à tempore constitutionis eius, attento consensu tum regio, tum eius qui soluit pensionem, propter supradicta. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Illegitimus nullus sine dispensatione Papæ vel Episcopi potest habere vllum beneficiũ Ecclesiasticum: fallit religioso professo, qui habet sui ordinis beneficia & officia, modò non sit dignitas, nu. 2. nec habeat curam animarum ex fundatione, priuilegio, vel vsucapione. num. 6. & 7.*

2 *Beneficium obtinens ecclesiasticum, cæteris paribus, præfertur non habenti.*

4 *Communis vsus loquentium, præsertim legislatorũ, attẽdẽdus.*

3 *Prælatorum, seu præfectorum appellatione secundum communem vsum loquendi, solum veniunt Episcopi, & eis superiores, præfectique ecclesiarum collegiatarum sæcularium, & regularium, quales non sunt rectores parochialium.*

5 *Et coniunctio, proprie diuersa coniungit.*

7 *Dispensatus illegitimus ad omnes etiam presbyteratus ordines non est dispensatus ad beneficia.*

## CONSILIVM VI.

AN illegitimus factus canonicus regularis ecclesiæ cathedralis, possit esse archidiaconus eiusdem sine dispensatione Papæ?

1 Pro parte negante facit primò, quòd nullus illegitimus potest sine dispensatione Papæ, vel Episcopi, habere vllum beneficium Ecclesiasticum, iuxta glossam communem recept.[e] & negari non potest hunc archidiaconatũ esse beneficium Ecclesiasticum per definitionem beneficij, quã tradit Calderinus[f] & ibi Felinº[g] & Anch aranº.[h]

2 Secundo, quod non videtur esse vllus textus, qui probet religiosum illegitimum posse habere vlla beneficia absq; dispẽsatione, quia c. 1.[i] quod maximè in hoc citatur, solum probat posse assumere ordines sacros: sed nihil dicit de beneficiis; immo expressè prohibet sibi prælationes: & constat omnia beneficia esse quasdam prælationes quia qui illa habent, præferuntur cæteris paribus iis, qui non habent illa.[k]

Pro parte autem affirmante facit primò præfatum c. 1.[l] quatenus probat, illegitimum factum monachum, vel canonicum regularem, posse absque dispensatione assumere ordines sacros, sed non prælationem: per quam exceptionem significat à contrario sensu, posse habere alia beneficia, vel officia regularia, quæ qui habẽt non dicuntur prælati.

3 Secundò quòd etiam in monasteriis regularibus inueniuntur beneficia Ecclesiastica præter abbatias, & alias præfecturas, siue prælaturas conuentuales, vt prioratus claustrales, officia, & administrationes,[m] ad quæ omnis monachus professus etiam illegitimus videtur habilis.[n]

4 Tertio, quod communis vsus loquendi præsertim legislatorum est attendendus quo ad intelligẽdum leges ab eis conditas.[o] At communis vsus loquendi habet appellare prælatos solos Episcopos, & superiores eorum; & præfectos Ecclesiis collegiatis sæcularibus vel regularibus, & non alios, etiam si copiosos reditus habeant: quin & legislatores ipsi in eadem significatione vtuntur illo nomine, vt in cap. *cum ab Ecclesiarum prælatis*,[p] clem. *dudum*. §. ab olim.[q] ibi, *prælatos & rectores*.

5 Significando per illam coniunctionem, &, quæ propriè coniungit diuersa, iuxta glossã,[a] quod etiam rectores ecclesiarum parochialium non dicantur prælati. & in eadem clem. §. *nos autem*. per illa verba, *Prælati locorum*, solum intelliguntur Episcopi, & alij iurisdictionem quasi episcopalem habentes, secundum Cardinalem & eos quos ipse refert.[b] Quamuis Bonifacius[c] solos Episcopos putat ibi appellandos esse prælatos.

6 Quarto, quod etiam Antonius & Cardinalis[d] asserunt illegitimos per professionem regularẽ legitimatos posse habere sine alia dispensatione administrationem, quæ tamen est beneficium regulare, vt probat clem. 1.[e] & consequenter possunt habere prioratus, & officia sui ordinis & monasterij, iuxta cap. *cum singula*.[f] & consequenter præfatum archidiaconatum mensæ, quẽ qui tenet, non est prælatus, sed potius cellarius, qui mẽsæ necessaria prębet. Nec obstat, quòd illi loquuntur de administratione manuali: quoniam omnia beneficia regularia præter pręlaturas conuentuales iure communi sunt manualia,[g] & ita eadem ratione potest habere vnam, sicut aliam, & cõsequenter præfatum archidiaconatum, sicuti quemcũque prioratum suæ ecclesiæ alium à conuentuali.

Ex his pro vtraque parte consideratis apparet primò quæstionẽ hanc esse magnã, & parũ à doctoribus tractatã.

Secundò colligitur, quòd duplex ratio videtur vrgere ad dicendum quod requiratur dispẽsatio. Altera est, quod hic archidiaconatus videtur prælatura: altera quod est beneficium, & quod dispensatus ad omnes ordines, non videtur dispensatus ad beneficium, si nihil dicatur de beneficio in dispensatione ad ordines.

Tertiò, quòd prior ratio prælationis nõ cõcludit: quia efficaciter probatur per adducta pro parte affirmãte pręfatũ archidiaconatũ non esse prælaturã, siue præfecturã.

Quartò, quòd nec ratio secũda videtur concludere dispensationem esse necessariam in hoc casu, attẽto solo iure communi & attenta natura, quam habent solo iure communi beneficia regularia: quia efficaciter probatur illegitimum factum religiosum posse absque dispensatione habere beneficia manualia sui ordinis, & monasterij, si cura animarum careat; & quòd solo iure communi attento omnia beneficia regularia, quæ non sunt capita conuentuum, sunt manualia; & quod is archidiaconatº solo iure communi attẽto, cùm non sit abbatia, nec prioratus conuentualis, esset officium manuale, quod qui habet, vocatur cellerarius,[h] & nõ potest conferri alicui ad tenendum illud perpetuo durante vita, sed solum ita vt ad nutum reuocari possit.[i]

Quintò quòd quia ex fundatione, priuilegio, vel immemoriali possessione vsucaptum est, quod præfatus archidiaconatus sit beneficium perpetuum, & non ad nutum reuocabile; & beneficium non quale quale, sed dignitas, personatus, vel officium incompatibile cum alio simili, vel Ecclesiæ parochiali,[k] non sine colore videri posset, quod illegitimus dispẽsatus ad ordines per religionis ingressum, non censeatur dispensatus ad beneficium perpetuum, quod est dignitas, officium, vel personatus perpetuus lõgè distans à natura officiorũ religionis canonicorum regularium, quæ iure communi sunt manualia.

7 Tum per adducta pro parte negante. Tum quia secũdum Antonium & Card.[l] communiter receptos,[m] non posset huiusmodi illegitimus dispensatus ad omnes ordines per religionis ingressum habere sine dispensatione beneficium etiam manuale, si curam habeat animarum, sicut secundum eosdem,[n] & Dominicum & Perusinum & Francum,[o] illegitimus etiam dispensatus ad ordines omnes, etiam presbyterium, non censetur dispensatus ad beneficium curatum; licet presbyter videatur ad id esse habilis. Tum quia stylus Curiæ, qui haberet, vt illegitimus dispensatus per professionem, non indigeret dispẽsatione ad officia sui monasterij & ordinis, videtur posse restringi ad illa quæ seruãt naturam officiorum sui ordinis; & quod nõ extenderetur ad alia, quæ exuerunt illã naturã & induerunt aliã longe diuersam, arg. c. *statutum*.[p] quo declaratum est dispositione c. *licet canon*.[q] de Ecclesia parochiali non includere Ecclesiam parochialem collegiatã: quia accidens additum generi, videtur eximere id cui

additum

---

[a] Sess. 23. c. 9. de reform.
[b] Ca. cum in iure. de offic. deleg. & le. 1. C. de mãdat. princip.
[c] Arg. cap. ad d. cum ei adnotatis, de spons. & cap. quod semel. de re. iur. l. 6.
[d] Argu. capi. proposuit. de concess. prebẽ. & ca. cuncta per mũdum, 9. quæst. 3.
[e] In ca. fin. de fil. presbyt. & arg. c. 1. & 2. eod. tit. lib. 6.
[f] In c. postul,
[g] Nu. 4. & 5. de rescrip.
[h] In cap. 1. de regul. iu. li. 6,
[i] De filijs presb.
[k] Arg. c. sanctorum. & c. neminem. 70, dist. & c. cum secundum. & c. tuis. de preben.
[l] De fil. presb,
[m] Ca. cũ singula. in princ. & § prohibemus. & ca. cũ de beneficio. de preb. lib. 6. & clem. 1. de supplic. negli. prelato.
[n] Argu. d. iurium.
[o] Le. libro. §. quod tamen Cassius. ff. de leg. 3.
[p] De offi. ord. & in rubrica de his quæ fiũt à prelat. & in rubr. ne prelati vices suas, & in rubrica de excess. prelat. & in c. cum illis. §. illis vero. ibi. prelaturas, &c, de preb. li 6.
[q] De sepult.

[a] In rub ff. de iuris & facti ignor. & cap. querela. de simon.
[b] In d. clem. §. statuimus. quæst. 9.
[c] In d. clem. §. ad honorẽ. num. 37.
[d] In d. cap. 1. de fil. presb.
[e] De supplen. negl. prelat.
[f] In princ. & fine de prebẽ. lib. 6.
[g] Ca. 2. & c. cum ad monasterium §. tales. de statu monach.
[h] Ca. cum ad monasteriũ. vers. quod si quidquam. de stat. monach.
[i] Iuxta d. c. cũ ad monasterium. §. tales.
[k] Iuxta. c. de multa de preben.
[l] q. 8. [illegible]
[m] In d. [illegible] de [illegible] presb.
[n] Ibidem.
[o] In cap. 1. in glos. maiores. de fil. presb. 6.
[p] de elect. l. 6.
[q] Eod. tit. & lib.

additum est, à suo genere. Tũ quia, vt puto, difficile probari posset in Rota, si quæstio verteretur in illa, quod stylus Curiæ extenderetur ad hunc casum: quamuis pro aduersa parte dici posset, quod originaria & naturalis cõditio: quam iure communi deberent habere hæc officia. potiùs sit attẽdenda, quàm accidẽtaria, quæ quodã vsu antiquo, & forte magis ex ambitione, quam caritate est inducta,[a] quæ probat naturalem causam præferri accidentariæ; quando ambæ concurrunt. Quare vltimam resolutionem reseruo S.D.N. & cuiuis melius sentienti.

Ad hæc adde constitutionem S.D.N. Sixti Quinti, & eius declarationem cõtra illegitimos & illarum moderationem à Gregorio XIIII. promulgatam, tam in his, quę in hoc casu dicta sunt, quam quæ in aliis dicentur.

SVMMARIVM.

1 *Capitulum sede vacante succedit Episcopo in ijs, quæ sunt iurisdictionis ordinariæ etiam voluntariæ, præterquam in casibus expresse exceptis.*

2 *Dispensare potest Capitulum sede vacante cum illegitimo ad minores ordines, & vt possit simplex beneficium obtinere.*

## CONSILIVM VII.

AN capitulũ Sede vacante possit dispensare cum illegitimo ad ordines minores, & beneficium simplex, sicut potest Episcopus, iuxta cap. 1.[b]

1 Respondetur; quod licet Ioannes And. quem ad verbum sequitur Dominicus & Francus dicat[c] eam Papali decisione indigere propter varias opiniones, quę versantur super potestate Capituli sede vacãte ad dispensandũ: licet inquam hoc dixerint illi, & glossa[d] videatur resolue re; quod Capitulum non succedit Episcopo in his, quę sũt iurisdictionis voluntarię, qualis est dispensatio: contrariũ tamen videtur verius, quod tenet Panormitanus,[e] cui satis accedit Franciscus Pauinus,[f] sed longe altius & resoluti⁹ Federic⁹ Senẽsis,[g] cui⁹ multis rationibus addo illã firmam, quod circa potestatem Capituli sede vacante debet fieri regula affirmatiua, videlicet, quòd succedit Episcopo regulariter in omnibus quæ sunt iurisdictionis ordinarię, præterquam in casibus expressè exceptis, vt rectè resoluit prædictus Franciscus Pauinus[h] & constat dispẽsationem illegitimorum pertinere ad iurisdictionem ordinariam Episcopi, & quod in nulla parte iuris ille casus excipitur ab illa regula: ergo standum est ei.[i] Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Vt dictio posita in proœmio; immo & verba proœmij denotant causam finalem, qua cessante, cessat dispositio: & hoc modo dicta ratio ex toto deficiat; quia sufficit quod minus in vno quàm in aliis, militet. num. 3.*

2 *Dispensatio tollit impedimentum, quod ex facto oriebatur.*

3 *Intellectus Concilij sess. 25. cap. 15. est, vt filius qui ex dispensatione Apostolica ante Concilium obtinuit beneficium in Ecclesia in qua pater mortuus fuerat beneficiatus, non possit modo aliud in illa obtinere.*

4 *Dispositio non odiosa, sed fauorabilis est censenda, quæ principaliter intendit inducere aliquid fauore dignum, licet minus principaliter id cedat in pœnam & odium aliquorum.*

## CONSILIVM VIII.

AN[k] Concilium Tridentinũ habeat locum in eo, qui ante illud legitima cum dispensatione obtinebat iã vnum beneficiũ in Ecclesia in qua pater obtinebat aliud, ita quod & patre mortuo non possit in ea quærere de nouo aliud?

1 Et pro parte quidem negatiua facit primò, quia vera & finalis ratio dicti cap. est in eius princip. ibi, *Vt paternæ incontinentiæ memoria.* quæ sumpta est ex cap. *proposuisti.*[l] & ratio principalis secundum communẽ opinionem satis tti tam sumitur ex proœmio,[m] vt ait Aymon.[n] latè Sarnẽsis,[o] vbi dicit quod illa dictio, *vt*, significat causam finalem canonis, quæ solùm debeat inspici. sed hæc ratio cessat in proposito: quia iam ante Concilium dispensatus à Sede Apostolica est N. vt possit obtinere canonicatum, & dignitates in ecclesia, in qua pater obtinuit abbatiam, & canonicatum:[p] in iis, qui obtinebant ante Concilium patre iam mortuo, nihil innouauit, vt ibi in vers. *quod si in præsenti, &c.* & meritò, cũ ex prouisione archidiaconatus in pérsonam dicti N. qui iam ex plena dispensatione à Sedę Apostolica est, lege permittente, in dicta Ecclesia graduatus

a Arg. le. 3. ff. de tut.
b De fil. presbyt. lib. 6.
c In d. ca. 1. de filijs presb. lib. 6.
d In clem. 1. §. 1. verb. capituli. de haeret.
e In cap. cum olim. de maiori. & obed.
f In tracta. de officio Capit. sede vacan. c. 7. par. prima, & melius. 2. part. ca. 1. nu. 3.
g Cons. 40. & melius cons. 30.
h In d. tract. par. 1. capit. 1. num. 3.
i Arg glos. solemn. in l. omnis definitio. ff. de reg. iuris, & rub. eodem tit. lib. 6.
k Cap. 15. sess. 25.
l 82. dist. & ex cap literas, de fil. presb.
m L. fin. ff. de hered. instit.
n Cons. 192. num. 21.
o In regul. de annali. qu. 1. num. 1. & 2.
p Et d. cap. 15.

cùm cesset ratio inducẽdæ memoriæ paternę incõtinentiæ, & sic cesset finalis ratio.[a] nihil obstare debet ei⁹ dispositio, vt ait Sarnensis,[b] latissimè omnes adducit Tiraquellus[c] per vulgatam *l. adigere.*[d]

2 Secundò res redditur clara: nam ex dispensatione Apostolica sublatum est impedimentum beneficij iam obtenti per eius patrem, vt est textus in cap. *dilectus*, cum ibi notatis per Doctores Abbatẽ & alios[e] & ca. 15. in similibus casibus de dispensatis, & ante Concilium obtentis, patre iam mortuo, nihil disponit. Vnde sequitur communis, & approbata conclusio, quod dictum capi. ita disponens in casibus obuenturis post Concilium recipit interpretationem passiuam à decretis antiquis disponentibus in casibus, quando quis est dispẽsatus, & iam obtinet dignitates in ecclesia, in qua ei⁹ pater obtinuit, vt ait Decius,[f] Dinus,[g] Alexander,[h] Iason,[i] & doctrina Alexand. qui semper allegatur.[k]

3 Sed pro parte affirmatiua faciunt Cõcilij verba, quæ sunt clara: quia palam est, verba Concilij comprehendere eum de quo quæritur. Et ad præcipuum oppositorum responderi potest, negando quòd cesset ratio, & causa finalis illius ca. quia etsi non sit tanta ratio, quare is, de quo quæritur, arceatur à beneficio ibi nouè quærendo, quanta in eo, qui nullum habuit ante Concilium in ea, negari tamẽ nõ potest, subesse aliquantam rationem, etsi non tantam; & lex generaliter loquens habet locum in omnibus contentis sub genere, etsi non militet tanta ratio in aliis iuxta iura[l] & tradimus nos in Comment. de paupert.[m] post Decium[n] quod ipsum multi alij tradunt. Quod autem ratio illius canonis non cesset omnino, constat ei qui considerat quod cùm is, de quo quæritur, quęret archidiaconatum præfatum, in toto populo refricabitur memoria incontinentiæ paternę; eò quod vt minimũ dicetur, N. filius N. quærit nunc & accipit archidiaconatum, eo quod cum dispensatione legitima habuit ante Cõcilium canonicatum in Ecclesia vbi pater suus habuit beneficium, & adeo quidem refricabitur, quòd multi dicent id esse male factum, licet etiam multi dicerent contrarium; qua contrarietate plurimum renouatur memoria incontinentiæ paternæ, vt palam est. Nec obstat, quod dispositio illius canonis videtur aliqua ex parte odiosa, & ideo restringenda.[o] Tum quia finis, in quem conditus est, fauorem meretur, vt pote munditia, & decentia castitatis clericalis, & sublatio infamiæ contrarij vitij, quæ principalius intẽdit quam pœnam, & inhabilitatem; quo casu fauorabilis iudicatur, cap. *non dubium*, cum annotatis ei per Panormitanum & latius Felinum.[p] Tum quia lex etiam odiosa includit omnia sub verbis eius propriè contenta, l. *cum lege*, iũcta glos. & doctrina Aretini.[q] recepta à plerisque omnibus, & in his à Decio[r] & alibi sæpè, Alciatus.[s] Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Nepotes presbyterorum nequaquam prohibiti leguntur habere beneficia aui: & hoc siue attendatur ius commune siue constitutio Clementis VII. siue Conc. Trid. quæ iura cùm loquantur de filiis, ad nepotes secundum magis veram & magis communem opinionem non sunt extendenda. & n 2. & 3. & hoc tanto magis quando filius superuixit patri. n. 4. & 5. vel constitutio fuit facta in odium filiorum, vel non militat eadem ratio, nu. 7. & prædicta citra omnem controuersiam procedunt, si qualitas, sub qua de filio facta est mẽtio, non militat in nepote, vt est in terminis sacri Concilij. Trid. & dictæ constitutionis: quæ cum loquantur de filijs illegitimis, nequaquam extendi debent ad nepotes legitimos. num. 9.*

3 *Opinio Doctorum fundata pluribus & melioribus rationibus, est magis tenenda, quàm contraria, licet sit communis.*

7 *Extensio facienda non est à casu, in quo vertitur maior ratio, ad casum, in quo vertitur minor.*

7 *Filij presbyterorum in Ecclesiis, vbi eorũ patres beneficiũ obtinuerunt, nequeunt etiam dissimile obtinere, nec pensiones super fructibus eius habere, nec quoquo modo ministrare.*

8 *Ort⁹ à radice infecta, si nõ admittitur, is à quo originẽ habet nec ipse admittitur, si cõsequitur i⁹ ei⁹, vel i ei⁹ locũ sit potiod⁹.*

8 *Natus ex illegitimo non admittitur ad successionẽ, cùm non sit cognatus, nec agnatus, & iura agnationis & cognationis per illegitimum acquirere nequeat.*

a d. cap. 15.
b In regul. de verisim. q. 3. num. 6.
c In tract. cessante causa, par. 1. nu. 25. vers. legis ratione cessante.
d §. quamuis. ff. de iure patron.
e De fil presbyt.
f Cons. 445. num. 49.
g Cons 155. n. 7. vol. 3.
h In le. fin §. in copotatione. col pen. circa fin. C. de iur. delib.
i In le. sciendum. nu. 4 ff. qui satisdare cogan. & in l. præterea. nu. 14 vnde vir. & uxor.
k In l. 1. §. lex Falcidia. n 7. ff. ad leg. Falcid.
l Le. 1. §. qui autem. ff. de al. lus.
m In c statuimus. 9. quæ. 3. num. 73.
n Cons. 669. num. 3.
o Ca. odia de reg. iur. lib. 6.
p De sent. excomm.
q ff. de testa.
r In le. factũ. §. in pœnalibus. ff de reg. iur. in ca. cum ordin. de rescript.
s In princ. tit. de verbo. signif.

## CONSILIVM IX.

AN nepotes presbyterorum excludantur ab eorũ beneficiis, sicut filij?

1 Siue attendamus ad dispositionem iuris cõmunis, siue ad dispositionem clementinæ, siue etiam ad dispositionem Concilij Tridentini, nullibi reperitur facta mẽtio de nepotibus, sed tantùm de filiis; & propterea videndum est, an istæ dispositiones loquentes de filiis habeant etiam locum in nepotibus. Et licet Antonius de Butrio & Abbas [a] dixerint, communem opinionem esse, quod idem sit in nepotibus; tamen, pace eorum sit dictum, contrarium est verius; quinimmo communis opinio se habet in contrarium, vt apparebit ex infra dicendis.

2 Nam quod ista prohibitio non extendatur ad nepotes voluit, glossa [b] & ibi post Gofredum Raynerius per eum allegatus bene declarat, & voluit Geminianus, [c] vbi etiam Præpositus, [d] & idem voluit Abbas antiquus, [e] ibi. *Adde quod in hoc contradicit*, [f] vbi etiam Ioannes Andreas [g] ibi, *nepotes.* vbi etiam adducit Bartholomæũ Brixiensem, & ibi etiam late Egidius Bellamerã, [h] vbi etiam adducit Fratrem Ioannem [i] & Martinum Pampilonensem; & hoc etiam ibidem voluit Card. [k] vers. *quæro an quod hic dicitur de filiis; & Ancharanus* [l] vers. *quærit glossa, dicitur in rubrica*, & Antonius de Butrio videtur residere in hac opinione, cum illam vltimo loco referat, glossa [m] Bartholus. [n] Et hac ratione dici potest, quod idem teneat Abbas. [o]

3 Et ex his apparet, quod ista est magis communis opinio; quia Doctores tenentes hác opinionẽ lõgè excedunt numero tenẽtes contrariam opinionẽ. Itẽ cùm, vt ex lectura dictorum Doctorũ apparet, isti moueantur longè pluribus & melioribus rationibus, quibus nõ respondent tenẽntes contrariam opinionem; ista opinio esset tenenda, etiã quod appareret, quod cõtraria opinio esset magis cõmunis vt ait Abbas [p] & post alios Doctores alibi. [q]

4 Præterea etiam dato quòd contraria opinio esset magis communis, & de iure verior, tamen non potest applicari casui nostro; quia in casu nostro filius superuixit patri, ita quòd nepos nõ subintrauit in locũ filij: & in hoc casu omnes Doctores qui tenent contrariam opinionem, & qui fuerunt post Hostiensem, fatentur dictã opinionem non habere locum in isto casu, vt per Hostiensem [r] & per Ioannẽ Andreã, [s] vbi etiam Henricus Bohic, Antonius de Butrio, Abbas & omnes alij tradunt.

5 Nec obstant ea quæ habentur per Rebuffum: [t] Quia respondetur, quòd quicquid ipse dicat, ista declaratio tenetur per omnes Doctores qui tenẽt contrariam opinionem; & propterea ab ea non est recedendum; & est fundata in bona glossa, [v] quæ tenet contrariã opinionem, & Innocentius etiam, & omnes qui illam sequuntur, mouẽtur hac ratione, quia nepos subintrat in locum filij, [x] quæ ratio cessat, quotiescumque filius superuixit patri [y] & ita declarat Ioan. Andreas [z] & Geminianus & Præpositus. [a]

6 Nec præmissis obstat, quod nec clem. nec Concilium Tridentinum fuerint fundata propter tollendam successionem, sed propter tollendam memoriam incontinentiæ paternæ; & quod propterea ista, quæ dicuntur de successione, non possunt applicari casui nostro. Quia respondetur, quod ista, quæ pro parte nostra adducuntur de successione, non adducuntur ad fundandam intentionem partis nostræ, sed ad tollendum motiuum glossæ, & Doctorum tenentium contrarium, qui pro eorum opinione hoc principali motiuo vtuntur, quòd nepos in successionibus subintret in locum sui patris. & propterea si in terminis clẽ. & Concilio Tridentino non fuit considerata successio, ergo tanto magis dicta per glossam & alios illam sequentes non possunt applicari casui nostro.

7 Minus obstat, si dicatur, quod ratio reddita per Concilium & clementinam habet locum etiam in nepotibus, cùm hoc videatur redundare in fauorem Ecclesiarum: & præsertim quia dispositio Concilij vtitur illis verbis, *Quã longissime arceatur.* Quia respondetur, quod postea dispositio Concilij & clementinæ restringit se ad filios; quo casu cùm tractetur de odio principaliter ipsorum filiorum, eorum dispositio nõ porrigitur ad nepotes, [b] & in terminis nostris tradũt omnes Doctores in principio informationis allegati, & propterea cum dispositio Cõcilij se restringat ad filios, verba quantumuis generalia, respectu filiorũ sunt intelligenda, tradũt communiter Doctores [a] & præsertim, quia nõ est tanta ratio in nepote legitimo ex filio, quemadmodum est in filio ipso illegitimo; & non debet fieri extensio de casu, in quo vertitur maior ratio, ad casũ in quo vertitur minor ratio, vt ait glossa. [b] Et dum Concilium dixit, quod *lõgissime memoria arceatur*, verificatur in filiis, in quantùm prohibet eis quod in Ecclesiis, vbi patres beneficium aliquod obtinuerunt, non possint etiam dissimile beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructib⁹ beneficiorum, quæ parentes eorum obtinuêre, habere.

8 Sicut etiam non obstat illud, quod dici solet, quòd quando quis venit ex radice infecta, tunc si non admittitur ille, à quo ipse causam habet, nec etiã ipse admitti potest. Quia respondetur, quod ista nõ possunt applicari casui nostro; nam procedunt, quotiescumque iste consequitur ius, vel ponitur in aliquem locum, media persona incapaci: quo casu si medium est incapax, nec ipse admitti potest. Exempli gratia: natus ex illegitimo regulariter nõ admittitur ad successionem; quia ad hoc, vt quis admittatur ad successionẽ, oportet vt sit agnatus, vel cognatus; non potest eius filius, media eius persona, nancisci iura agnationis, & cognationis.

9 Præterea est diligenter animaduertendum, quod Cl. loquitur non simpliciter de filiis, sed cum hac qualitate, *ex fornicatione nati*: & similiter Concilium loquitur de filiis cum hac qualitate, *qui non ex legitimo nati sunt matrimonio.* quæ qualitates cùm nõ conueniãt nepotibus ex legitimo matrimonio natis, idcirco in hoc casu sumus extra omnem controuersiam, quod non comprehenduntur nepotes, vt in terminis nostris, & est textus & ibi declarat Bartholus [d] & etiam in terminis nostris tradit Alciatus, [e] Alexander, [f] Salua, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Nepos legitimus ex filio illegitimo nec per sacrum Concilium Trid. nec per constitutionem Clementis VII. comprehenditur, & nu. 6. potestque hæres ab auo institui, num. 2. nec venit appellatione filiorum, nisi vt infra, num. 4.*

2 *Qualitas sub cuius consideratione constitutio aliquid disponit, si cesset, & cessabit & dispositio.*

3 *Verba dispositionis vbi non conueniunt, vtique nec dispositio.*

4 *Dispositio prohibens filium obtinere beneficia patris, cum sit exorbitans & odiosa, non comprehendit nepotem; & hoc ne dum ad terminos sacri Concilij, seu constitutionis Clemen. VII. sed etiam ad terminos iuris, secundum magis veram & magis communem: licet aliqui hallucinantes scripserint cõtrarium. nu. 5. nec interest an pater adhuc viuat, vel non; licet aliqui distinguant. num. 4. & 5.*

4 *Filiorum appellatione veniunt nepotes si tanta est ratio in vno sicut in altero, & dispositio respectu filiorũ fauorabilis est, aliàs non: vnde dispositio loquens de filio illegitimo non procedit in nepote legitimo in quo non subest timor paternæ incontinentiæ. num. 3. & 6.*

## CONSILIVM X.

CVm Illustrissimi & Reuerendissimi Cardinales cõgregationis sacri Concilij Tridentini quæsiuissent an clem. facta à Clemente VII. ne filij illegitimi possint beneficium paternum obtinere, eam acciperet interpretationẽ, vt & comprehenderet nepotem legitimum ex filio illegitimo, respectu beneficij auiti; nullàque in his terminis Rotę decisio reperta fuisset; visum fuit eisdem ampliss. Patribus etiam ex ordine S. D. N. Gregorij XIII. intelligere, quid in hac facti specie Rota sentiret, addito maximè decreto eiusdem sacri Concilij. [g]

1 Quapropter proposita per me eiusmodi difficultate sub die Veneris 12. Febr. 1574. fuit per Dominos conclusũ nõ comprehendi nepotem legitimum ex filio illegitimo, neque sub clementina neque sub Concilio tam inspectis verbis, quam etiam inspecta mente seu ratione, tam clem. quam canonis præfati.

Nã quo ad verba, cle. certũ est illa nõ conuenire nepoti legitimo, vt patet ibi, *In ipsorum resignantium filios ex fornicatione genitos.* & ibi: *Super defectu natalium, quem ex dictis sacerdotibus resignantibus geniti patiebantur.* & ibi: *Ob inordinatum spuriorum filiorum amorem.* & ibi: *Quod de cætero filij presbyte-*

---

a In c. ad extirpandas. de fil. presbyt.
b In ca. presbyterorũ. 56. dist.
c Circa med. vers. glossa. 2. quærit.
d Colum. 2. vers. glos. 2. quærit.
e In d. cap. ad extirpandas.
f De fil. presbyt.
g Paulo post princ. vers. in gloss. 1.
h Num. 3.
i In sum. confess.
k Paulo post princ.
l Paulo post princip.
m In l. qui filium. §. Sabinus. ff. ad Trebel.
n In leg. bona fides. ff. de pos.
o In d. cap. ad extirpandas. num. 8.
p Cap. capellanus. de fér.
q In ca. 1. in 1. lectura, n. 29. de constitut.
r In capit. ex transmissa. de fil. presbyt.
s In d. cap. ad extirpandas.
t In titul. de dispens. & defect. natal. in nu. 16.
v In d. cap. ad extirpandas.
x §. sui. instit. de hæred. qual. & differend.
y Authen. sur resione. C. de legit. hæred.
z In d. cap. ad extirpandas.
a In d. c. presbyter. 56. dist.
b L. pater. ff. de adulter. l. legẽ Iulia. §. hoc capite. ff. de rit. nupt.

a In leg. si de certa. C. de transact.
b In c. in fidei fauorẽ. de hæret. lib. 6. Parisinus in cons. 110. num. 22. vol. 3.
d In le. fin. C. de natur. lib.
e In l. liberorum. sub nu. 10. vers. tertius casus est. ff. de verb. signif.
f In cons. 4. col. 2. vers. similiter confirmantur prædicta aliàs. n.
7. lib. 4.
g De quo in cap. 15. sess. 25.

*rorum ex fornicatione nati,&c.*

2 Similiter verba Cōcilij non conueniunt, vt patet ibi, *Qui nō ex legitimo matrimonio nati sunt.* Vnde subintrat vulgaris regula, quod vbi verba dispositionis nō conueniunt, dispositio etiam non cōuenit, vt ait Barthol.[a] & ibi per Alexandrum Decium,[b] & satis in proposito facit doctrina Bartholi,[c] & ibi Alciatus.[d] Alex.[e] per textum,[f] cū aliis, de quibus per Gabr.[g] Cùm enim præfatæ constitutiones loquantur de filio, non ea solum ratione, quia sit filius, sed quia natus ex fornicatione, non vendicant sibi locum in nepote legitimo iuxta d. l.fin. per qué textum Bart. & alij communiter,[h] concludunt nepotem legitimum ex filio illegitimo hæredem ab auo institui posse: quia in eo vitiū paternum, & per consequens qualitas patrem excludens cessat, vt etiā concludit Card. Paleot.[i] Couar.[k] Pinellus,[l] Antonius de Rozelis.[m]

3 Quo vero ad rationem, seu mentem Clemen. & sacris Concilij, responsum fuit, non esse similem seu parem rationem in nepote legitimo, qui refert paternam continētiam, non incontinentiam, quæ est in filio illegitimo, militatq; pro eo illa præsumptio, quod filius præsumitur esse similis patri, vt per Gigantem.[n] Et quod non sit similis vel tanta ratio in nepote, quanta est in filio illegitimo, vltra prædicta tradunt Domin. & Alex.[o] Egidius,[p] cū aliis, qui inferius adducentur.

4 Et licet appellatione filiorum quandoque nepotes cōtineantur, vt in l. *iusta*,[q] id procedit vbi est tanta ratio in nepote, quanta est in filio, & vbi dispositio est mere fauorabilis respectu filiorum, vt per hoc in l. *Gallus*,[r] & per Alciat.[s] quæ omnia cessant in terminis nostris, in quibus non est par ratio, & dispositio non est merè fauorabilis, vt ex infra dicendis apparebit. Nam si volumus circumscripto etiam canone Concilij & clem. considerare, quid de iure communi dicendum sit, vtique dispositio prohibens filium obtinere beneficium paternum, non habebit locū in nepote, tamquam dispositio exorbitans, & odiosa. Et licet in hoc tres principales reperiantur opiniones, vna videlicet, quæ distinguit an pater viuat, an non, secūda quòd immo nepos non excludatur, tertia (vt dixi) quod non comprehendatur: nihilominus Rota sequuta est tertiam opinionem, tamquam melioribus rationibus fultam, magis communem, magisq; ad plenum per Doctores tractatam, & defensam. Istam enim opinionem tenent gloss.[t] & Ioā. de Fane qui non est impressus, & Archid.[v] Goffredus,[x] Ioannes And.[y] & ibi Collecta. dum vltimo refert Archid. Ioan. de Anania & Abbatem Antiquum & latè per Egidium,[z] referentem etiam Martinum Pampilonen. Episcopum, Anchar.[a] Card. Anto. de Buttrio & Abbatem dum vltimo loco referunt istam opinionem, idem tenet disputādó articulum communem.[b] Alexand.[c] hoc idem tenet summa cōf.[d] Pisanella.[e] & sum. Antoniana,[f] But.[g] Barb.[h] & ibi Bart.[i] Bald.[k] & opinionem Ioan. And.[l] refert & sequitur Alex.[m] Decius.[n]

Ex quibus patet non esse standum attestationi Antonii de Butrio & Abbatis,[o] qui simpliciter referunt Petrū de Rauenna,[p] quod communis opinio sit in contrarium, cum potius præcedens opinio sit magis communis. Et quod inanimaduertenter loquuti fuerint, patet etiam, quia distinctionem Hostiensis adscribunt Innoc. qui simpliciter loquitur, & tenet contra nepotem: quæ tamen distinctio Hostiensis,[q] quam multi sequuntur, deseruit etiā in proposito nostro, in quo præsupponitur patrem illegitimum mortuum tunc esse. vnde possunt addi omnes alij qui tenent cum distinctione Hostiensis, vt deseruiunt pro opinione præcedēti, prout Collectaneus,[r] Henricus Boicensis,[s] summistæ fere omnes, Astensis, Siluester, Angelus, Rosella, Armilla[t].

Nec opus est euacuare fundamenta alterius opinionis, quia bene euacuantur per Dominicum & Alexandrinum in locis allegatis, & per Egidium.[v]

6 Siue igitur inspiciamus verba, nepos nos includitur, siue inspiciamus mentem & rationem, idem est dicēdum, cum non militet eadem ratio, materia sit odiosa, vt tenēt omnes Doctores de quibus in prima opinione post Ioannem Andream.[a] Et facile fuisset sacro Concilio, si nepoté legitimū voluisset excludere in illis verbis, *Vt paterna incontinentia, &c.* addere, *siue auita.* ad textum.[b] Et ita fuit conclusum, nepotem legitimum non excludi.

*Aduerte quod hoc consilium non ponitur, vt consilium Nauarri, sed vt resolutio eidem in principali puncto concordans.*

a *In leg.4.§. prætor ait. in fin de dā. inf.* b *In ca.1.nu. 21.de elect.* c *In l. liberorum.nu.6. de verb.sign.* d *In vers.tertius vasus est.* e *Cons.4.col. 2.n.7. vol.4.* f *In le.fin. C. de nat. lib.* g *De verb.sign cōcl.1.n.58.* h *In le.Gall⁹. §. & quid si is.de li.& posth.* i *De noth. & spur ca 53.* k *In epit.in 2. par. ca.8.§.5. num.13.* l *In l. 1.n.69. in 1.par.& in l.3.n.20.C.de bon.mut.* m *De success. ab intest. nu. 63.* n *De crim.læsæ maies.in 3. par.q.13.nu. 14.& seq.* o *In c.presby. 56.dist.* p *In c.ad extirpandas. de fil.presb.* q *De verb.sign.in l.filium habeo.ad Maced.* r *§.instituens. nu.4.de li.& posth.* s *In d. l.iusta. præsertim super verbo patris.* t *In d.c.presbyter.56.dist. & in ca. Apostolica. 8.q.1.* v *Ibidem.* x *In sum. nu. 5. ad finem.* y *In d.cap.ad extirpandas. & in capit ex transmissa.de fil.presb.* z *Num. 3.* a *D.c. ad extirpandas.* b *In d.c presbyter.& ibid.* c *Et in d.cap. Aposto.8.q.1* d *q.8 summa.* e *In vers. illegitimus.* f *[illegible] accedens.[illegible] 22.de accus.* g *Cons.24.* h *In cap. 2.de arb. & in ca. ex parte.1. de offic. deleg.* i *Num.17.* k *In c.1.§. & quia. num.3. vers. quādo que vt terminus pœnæ. de ijs qui feudar.dare poss.*

l *In d.c.ad extirpandas.* m *Cons.32.nu.20.in 6.vol.* n *Cons.95.col.4.in princ. vers. ad hoc facit.* o *In d.cap.ad extirpandas.* p *In comp.iur can.in tit.de fil presbyter.* q *In c.ex transmissa.de fil.presb.& in sum.* r *In d.c.ex transmissa.* s *In d.ca.ad extirpandas.* t *In verbo beneficium.* v *In d.c.ad extirpandas.*

a *In d.cap.ad extirpandas.* b *In le.vn.§. sin autem ad deficientis.C. de cad.toll. c. ad audientiā. de decim.*

## DE CORPORE VITIATIS ORDINANDIS VEL NON.

### SVMMARIVM.

1 *Pollex nō est membrum; cuius parte qui priuatus est modo per indignationem sibi non abstulerit, non efficitur irregularis, si inde non inducatur impotentia, nec magna deformitas seu scandalum in celebrando, nu.2. de qua si probabiliter dubitatur, Episcopi declaratio, sed non alterius inferioris sufficit. num. 3. qui si declaret magnum induci scandalum esset irregularis, & à Papa esset petenda dispensatio. num. 4.*

### CONSILIVM I.

AD hanc Quæstionem respondeo primò, D. consulētem non esse irregularem simpliciter, quia non est mutilatus membro aliquo principali, neque est priuatus à se per indignationem parte aliqua alicuius membri, vt tradimus in nostro Manua. confess.[c] quia solum est mutilatus parte membri, scilicet pollice manus, qui non est membrum, vt nos post alios in dicto Manua. vbi supra,[d] latè probamus pro communi contra Caietanum & Sotū.

2 Secundò, quòd si præfata mutilatio pollicis non inducit impotentiam celebrādi, nec magnam deformitaté in celebrante, poterit ipse celebrare sine vlla dispēsatione, quia non est irregularis; vt dictum est.

3 Tertiò, quòd si dubitatur an possit absque scandalo celebrare, & an inducat magnam deformitatem, quæ id impediat; recurrendum est ad Episcopum, ad quem dicimus hanc determinationem spectare,[e] ita quod non sufficit arbitrium confessarij, vel alius prælati inferioris, vt ibidem subiicimus. Sed neque requiritur dispensatio Papalis, neque episcopalis, sed solum prędicta determinatio: quia non est irrgularis, qualis si esset, deberet recurri ad Papam, per ea quæ nos dicimus in d. Manu.[f]

c *Cap.27.nu. 198.* d *Nu.206.& 262.* e *Vbi supra num.200.* f *Vbi supra num.239.*

### SVMMARIVM.

1 *Castratus ob ægritudinem de consilio medicorum, potest sine alia dispensatione omnes sacros ordines accipere.*

### CONSILIVM II.

TItio Clerico fuerunt propter ægritudinem virilia à medicis abscissa; qui nunc desiderat ad omnes etiam presbyteratus, ordines promoueri; Quæritur, an possit sine sanctæ Sedis Apostolicæ dispensatione ad maiores ordines promoueri à suo Episcopo.

1 Respondeo, quod proculdubio potest,[g] & per regulā, quam nos quoque post alios posuimus in Man. confess.[h]

g *Cap si quis à medicis. & ca. eunuchus. & cap. si quis pro ægritudine. & c si quis pro infirmitate. 55 dist.* h *Cap.27.nu. 199.*

### SVMMARIVM.

1 *Matrimonio, quod impotens cum virgine contraxerat, nullo declarato potest talis sine dispensatione ordines & beneficia suscipere.*

2 *Bigamus nullo modo dici potest, qui cum vnica & virgine ob impotentiam nulliter contraxit.*

3 *Impotens ad matrimonium licet quis sit, non tamen inde efficitur, vt non possit ordines suscipere.*

3 *Castratus, siue eunuchus, modo se ipsum non castrauerit, est capax ordinum, & beneficiorum.*

4 *Corpore vitiatus potest ordinari, nisi sit mutilatus membro, vel taliter vitiatus, vt non possit ordines sine scandalo exercere.*

### CONSILIVM III.

AN contrahens cum vnica & virgine matrimonium per verba de præsenti, possit legitimè ordinari etiā sacris ordinibus, si matrimonium fuit inualidum propter suam impotentiam coëundi, ob quam declaratū fuit matrimoniū fuisse, & esse nullū; & data licētia contrahendi cum alio fœminæ, quæ contraxit cum illo; & an ipse possit iustè sine dispensatione simpliciter ordinari sacerdos, & habere beneficia?

1 Respondeo, prædictum D. consulentem posse sine vlla dispensatione iustè ordinari sacerdotem, & quærere & retinere beneficia Ecclesiastica. Tum quia nullo impedimento iuris naturalis, diuini, neque humani canonici ab eo prohibetur. Tum quia, si quo prohiberetur, maximè esset impedimentũ bigamię, iuxta totũ titulum de bigamis.

2 Sed hoc est falsum, quia bigamiæ impedimentum nõ inuenitur nisi in eo, qui bis verè, putatiuè, interpretatiuè, vel similitudinariè antea matrimonium cõtraxit. At D. cõsulens nullo illorum modorum cõtraxit bis matrimoniũ, immo nec semel: quia id quod voluit contrahere, & de facto contraxit, non fuit verum matrimonium ob impedimentum legitimum frigiditatis naturæ, vel maleficij legitimè probatum, & per sententiam definitum, vt in facto proponitur.

3 Tum quia impedimentum impotentiæ contrahendi matrimonium non impedit habilitatem assumendi ordines, & beneficia, nisi impotentiam illam cõcomitetur aliqua irregularitas, vel inhabilitas alia, & etiam si sit eunuchus, siue castratus, non impedit ordinationem, nisi se ipsũ iniustè absciderit, & castrauerit.[a]

4 Tum quia nullus corpore vitiatus excluditur ab ordinatione, nisi sit mutilatus mẽbro, vel tali vitio vitiatus, vt sit inhabilis ad exercendum ordines sine scandalo, vt probatur per prædictam fere totam dist. & totum tit. de corp. vitiatis.

a Cap. si quis absciderit, c Eunuch⁹. & c. si quis in infirmitate. & alijs multis. 55. dist.

SVMMARIVM.

2 *Irregularitatem impedientem promotionem ad ordines & beneficia non inducit defectus partis mẽbri, vt sunt omnes quatuor digiti pedum, nisi inde oriatur magna deformitas, aut impedimentum vsus ordinum.*

1 *Virilia licet sint integrum membrum, tamen si sint abscissa à medicis, non inducunt irregularitatem.*

## CONSILIVM IIII.

AN clericus minorum ordinum, qui per infirmitatẽ & ægritudinem perdidit omnes digitos vtriusque pedis, exceptis pollicibus, sit irregularis, & possit ordinari maioribus?

1 Respondeo, quòd non est irregularis, & potest ascendere ad maiores ordines, & beneficium assecutum retinere. Tum per c. *qui partem & alia*,[b] quatenus probant, eum, qui partem alicuius membri perdidit per lãguorem, vel cui à medicis pro ægritudine secta est pars membri, immo & virilia, quæ constituunt membrum, non esse irregularem. Tũ per c. 2.[c] quatenus probat, vt ibi annotat Pan. ab omnibus receptus, quod defectus partis membri non facit, quem irregularem, nisi induceret magnam deformitatem, aut redderet impotentem ad vtendum ordinibus: & prædictus defectus nec inducit talem deformitatem, nec impotentiam, vt palam est. Tum per ea quę latius tradimus in Man. [d] adiunctis eis quæ tradimus in eodem cap.[e] probãdo efficaciter, quod digitus non est membrũ, sed pars membri. Salua meliori, &c.

b Et ca. si quis à medicis. & c. si quis in ægritudine. 55. dist.
c De corpo. vitiat.
d Ca. 27. nu. 198. & sequenti.
e Num. 206.

SVMMARIVM.

1 *Auris cartilagine in tam modica carens quantitate, quæ potest ita tegi, vt possit sine scandalo ministrare, non eget aliqua dispensatione.*

## CONSILIVM V.

QVæritur, an carens particula cartilaginis auris sit irregularis, ita vt ad celebrandum indigeat dispensatione.

1 Respondetur, D. cõsulentem posse iuste celebrare, per ea quæ tradimus in nostro Man. cõf.[f] Nec obstat id quod dicimus ibid.[g] de carente cartilagine: quia D. consulens non caret tota, nec dimidiata, nec tota tertia parte, sed tantula, quæ potest tegi, vel ita dissimulari, quod non inducat scandalum, vtendo capillo coronæ demissiore, saltem in illa parte.

f Cap. 27. nu. 199.
g Num. 223.

SVMMARIVM.

1 *Missa sine ministro respondente celebrari potest.*
2 *Surdus vix sine peccato presbyterio insignitur.*
3 *Surdo ad Missam celebrandam vtilis dispensatio Papæ, sed nõ necessaria, vt possit sine ministro saltem in loco secreto celebrare.*
2 *Missa celebranda videtur ex decreto Ecclesiæ coram duobus: at ex generali consuetudine satis vt vnus sit præsens.*

## CONSILIVM VI.

A

QVidam omnino surdus ad omnes etiam presbyteratus, ordines se promoueri fecit. Quæritur an mortiferè peccauerit.

1 Respondeo primo, quod vix defendi potest eum non peccasse mortaliter, quãdo suscepit ordinem presbyteratus, etiam eo solo, quod cùm esset omnino surdus, suscepit presbyteratum: quia licet surdaster, siue difficulter audiens ordinari possit presbyteratũ, non videtur tamẽ posse ordinari, qui omnino est surdus, vt dicit R. D. Simõ Maiolus Episcopus Vulturiensis.[a] Dixi, *vix*, quoniã etsi cum difficultate, videtur posse iure defendi. Tum quòd licet

B

prohibeantur canonibus ordinari presbyteratu cæcus; claudus & alij, qui non possunt facere illa, quæ requiruntur in celebratione Missæ per ca. 1.[b] & per totum titulum de corp. vitiã. nullibi tamen videntur prohiberi surdi, etiam qui penitus non audiunt: quoniam possunt dicere Missam soli, & sine ministro respondente. & consequenter non audiendo illum, vt tenuit glossa singularis,[c] loquendo de inclusis.

2 Secundo quod vtilis esset ei licentia Papæ ad celebrandum aliquoties Missam, saltem in aliquo loco secreto etiam vt sine ministro respondente eam dicere possit. Dixi, *vtilis*, quia statutũ Eccl. videtur habere, vt dicatur coram duobus,[d] & consuetudo generalis, quod saltem vnus

C

sit præsẽs per gloss. eius. Non dixi, *necessaria*; quia excusaretur à peccato & culpa dicendo eam sine ministro propter impedimentum tantæ surditatis.

a Li. 1. ca. 25. de irregular.
b 49. dist.
c In capit. hoc quoque. de cõsecr. dist. 1.
d Prædicto ca. hoc quoque.

SVMMARIVM.

1 *Suspensus ter est, qui sine dimissorijs ordinarij tres accipit ordines sacros. num. 2.*
3 *Surdaster etsi presbyterio possit insigniri, id tamen de omnino surdo vix potest defendi.*
3 *Surdo, qui presbyteralem suscepit ordinem, etsi non necessaria, vtilis saltem est dispensatio Papæ, qua ei permittatur vt in occulto sine socio aliquando celebret. num. 6.*

D

4 *Falsans literas sui Episcopi grauiter peccat, itemque & qui falsis vtitur literis in iudicio, ac per illas absolutionem obtinet, ne priuaretur beneficio aliàs legitime obtento. nu. 5. non tamen ob id tenetur petere reualidationem tituli, sicut nec qui post illum obtentũ in irregularitatem incidit. n. 7.*

## CONSILIVM VII.

CLericus quatuor minorum, cum esset factus surdus, & sciret quòd propterea non initiaretur sacris à suo ordinario, cum falsis literis dimissoriis à se confectis suscepit ab alieno duos ordines sacros, subdiaconatum, & diaconatum; & inde cum falsis testimonialibus; quod esset ri

E

te initiatus dictis sacris ordinibus, ab alio Episcopo ad presbyteratus ordinem se fecit promoueri; & præterea falsis literis ab eo fabricatis obtinuit à suo ordinario absolutionem ab accusatione, quod nõ esset ordinatus presbyteratu, quem suum beneficium requirebat. Quæritur, quas censuras, seu pœnas incurrerit, & quo remedio indigeat, vt possit in susceptis ministrare.

1 Respondeo primò, præfatum consulentem esse suspẽsum per extrauagantem Pij II. quam nos citamus in Mã. confess.[e] quia sine literis dimissoriis ordinarij sui suscepit ab alieno Episcopo duos ordines sacros, scilicet subdiaconatum, & diaconatum.

F

2 Secundò, quòd etiam est suspensus, eo quod ordinem presbyteratus suscepit ab alieno Episcopo sine dimissoriis sui ordinarij, per pręfatam extrauagantem.

3 Tertiò, quòd vix iure defendi potest eum non peccasse mortaliter, quando suscepit ordinem presbyteratus: etiã eo solo ꝙ cũ esset omnino surdus suscepit presbyteratũ: quia licet surdaster siue difficulter audiẽs ordinari possit presbyteratu, non videtur tamẽ posse ordinari qui omnino est surdus, vt dixit Reuerendissimus D. Simon Maiolus.[f] Dixi, *vix*, quoniã cum difficultate videtur posse iure defendi. Tum quia licet prohibeantur canonibus ordinari presbyteratu cæci, claudi, & alij qui nõ possũt facere illa quæ requirũtur in celebratione Missę, per c. 1.[g] & per totũ titulũ de cor. viti. nullibi tamẽ videtur prohiberi surdi

e Cap. 27. nu. 241. & c. 25. num. 7.
f Lib. 1. ca. 25. de irreg.
g 49. dist.

etiam

etiam qui penitus non audiunt, quoniam possunt dicere Missam soli, etiam sine ministro respõdente, & consequẽter non audiendo illum, vt tenuit glos. sing.[a] loquendo de inclusis, quã nos defẽdimus in enchi. de orat.[b] & Miscel.[c]

4 Quarto, quod etiam præfatus consulens grauiter peccauit fingendo literas falsas, quibus fiebat fides quod quidam Episcopus alius, quam suus ordinarius, affirmabat se ordinasse præfatum consulentem, *visis literis*, quę attestabantur eum fuisse ordinatum subdiaconatu, & diaconatu antea legitimè ab alio Episcopo.

a *In capit. hoc quoque. de cõsecr. dist. 1.*
b *Ca. 22. nu. 86.*
c *67. num. 5.*

5 Quinto, quod etiam peccauit grauiter procurando & obtinendo absolutionem à suo Episcopo ordinario ab accusatione, qua accusabatur non esse ordinatum presbyteratu, quem suum beneficium, etiam si esset simplex, requirebat: quia fuit fabricator falsarum literarum, licet non apostolicarum, & vsus fuit illis in iudicio, & obtinuit absolutionem ab accusatione, qua corã ordinario accusabatur.

6 Sextò, quòd præfatus consulens indiget primò vera pœnitentia cordis & oris prefatorũ erratorum. Secundò, quod indiget absolutione à tribus suspensionibus per triũ ordinum sacrorum susceptionem incursis. Tertiò, ꝙ vtilis esset ei licentia Papæ ad celebrandum aliquoties Missam saltẽ in aliquo loco secreto, vt eã sine ministro respõdẽte dicere possit. Dixi, *vtilis*, & non necessaria: quia excusaretur à peccato & culpa non dicendi eã propter impedimentum tantæ surditatis, & quia statutum Ecclesiæ videtur habere vt dicatur coram duobus,[d] & consuetudo generalis, quod saltem vnus sit præsens, per glossam eius.[e]

d *Prædicto ca. hoc quoque.*
e *In c. cum nostris. de concessione præben.*

7 Septimò, quòd nõ indiget noua collatione beneficij, neque noua facultate retinendi illud: quia per prædicta delicta non perdidit ipso iure beneficium, quod habuit priusquam surdesceret, & peccata prædicta perpetraret: quia beneficium legitimè collatum nõ perditur ipso iure, etiam per irregularitatẽ regulariter, vt determinat Innoc. receptus.[f]

f *Cap. is qui. de sent. excõ. lib. 6.*

*Aequi boniq; consulat lector, si hoc responsum videatur aliqualiter differre ab alio posito sub num. 6. quod super eodem facto videtur datum. Nam diuersitas copiarum ita suasit faciendum.*

## DE BIGAMIS NON ORDINANDIS.

*SVMMARIVM.*

1 *Irregularitas in casibus tantum à iure expreßis contrahitur.*
1 *Bigamus non est laicus nulliter cum corrupta contrahens, contra Butrium, nu. 5. nec clericus minorũ ordinum, nu. 2. quia nulla ex omnibus tribus speciebus irregularitatis eis competit.*
1 *Bigamus est, bigamia videlicet similitudinaria, contrahens matrimoniũ, etiam inualide, post votum solemne religionis, vel sacri ordinis, quo quis contrahit matrimonium spirituale cum Christo.*
2 *Pœnæ de vno casu ad alium non extenduntur.*
3 *Matrimonium spirituale cum Christo non contrahitur per ordines minores, nec incurritur inhabilitas ad contrahendũ matrimonium carnale.*
4 *Dictio*, huiusmodi, *in iure est restrictiua.*

### CONSILIVM I.

Qvidam laicus contraxit matrimonium cum corrupta inualidè ob aliquod impedimẽtum. Quæritur an cõtraxerit bigamiæ irregularitatem.

1 Respondetur quòd non. Primò quidem, quòd irregularitas non contrahitur nisi in casibus à iure expresſis,[g] & nullibi reperitur expressum quod in hoc casu cõtrahatur.

g *In ca. 2. eo.*

Secundò, quòd omnis bigamia vel est vera, vel interpretatiua, siue similitudinaria, vt habetur in rubrica de bigamis post glos.[h] & Specul.[i] at in hoc casu non est vera, quia non contraxit validè cum duabus succesſiuè, quæ dicitur vera bigamia: nec interpretatiua, quia non contraxit cum duabus inualidè, vel cum vna validè, & cũ alia inualidè, nec cum corrupta validè, quæ dicuntur tres species bigamiæ interpretatiuæ, vt diximus in Man. nostro confes.[k] neque similitudinaria, quia non contraxit cum vna validè, neq; inualidè post votũ solemne religionis, vel sacri ordinis, quo dicitur quis contrahere spirituale matrimonium cum Christo per ca. 1. & multa seqq. præsertim cap. quotquot,[l] cuius verba sunt: *Quotquot virginitatem pollicitam præuaricati sunt, professione contempta, inter bigamos, id est, qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debebunt.*

h *De dispensatio. § iuxta. num. 6.*
i *Ca. 27. nu. 195.*
k *27. q. 1.*

2 Nec obstat primo ca. 1.[a] quia loquitur de presbytero; qui post votum solemne, quod cõtrahitur per susceptionem ordinis,[b] & ita post contractas nuptias spirituales cũ Christo, contrahit alias carnales, licet inualidè cũ alia.

Secundo non obstat ca. fin.[c] quia non loquitur de clerico minorũ ordinum, sed de subdiacono, qui per subdiaconatus susceptionem obligatur voto solemni, quo contraxit matrimonium spirituale, sicut presbyter, per cap. *à multis*.[d] adiuncto d. ca. 1.[e]

a *De bigam.*
b *Capit. 1. de voto lib. 6.*
c *De bigam.*
d *De ætate & qualit.*
e *De voto li. 6.*
f *1. de bigam.*

Tertio non obstat Rotæ decisio,[f] quæ habet clericũ in minoribus ordinibus constitutum incurrere bigamiæ irregularitatem contrahendo matrimonium inualidè cũ corrupta: & cum pares videantur esse quo ad hoc propositum laicus, & clericus in minoribus cõstitutus, cui licet ducere vxorem, sequitur idem dicẽdum esse de vtroque: non inquam hoc obstat. Tum quia prædictum ca. vlt. non agit de clerico in minoribus cõstituto, sed tãtùm de subdiacono. Tum quia non potest extendi per identitatem rationis: quia lõgè alia ratio est de subdiacono, quã de clerico in minoribus constituto: quoniam ratio quare subdiaconus, contrahendo matrimonium etiam inualidum, incurrit irregularitatem bigamię similitudinariæ, est illa, quod iã antea contraxerat aliud matrimonium spirituale per votum solemne cum Christo, vt prædictum est, quę ratio penitus cessat in clerico in minoribus tantum constituto, vt palam est. Tum quia illa constitutio est pœnalis inducit enim pœnam irregularitatis bigamiæ, vt etiam expresſit Egidius[g] & pœnæ de vno casu ad alium nõ extenduntur.[h] Tum quia Rota non considerauit rationem prædictam, videlicet quare subdiaconus contrahẽdo matrimonium incurrit prædictam irregularitatem: quam rationem si inuenisset, contrarium vtique decidisset.

g *In d. ca. nuper.*
h *L. interpretatione. ff. de pœnis. & cap. pœna. de pœnit. dist. 1.*

3 Quarto non obstat, quia significat aliud esse in laico, & aliud in clerico in minoribus constituto: quod tamen nulla ratione defendi potest, cum per ordinum minorũ assumptionem nullum matrimonium spirituale contrahatur cũ Christo, per quod incurratur inhabilitas ad matrimonium carnale contrahendum. & hanc partem significauit Innocentius,[i] dum verbo *clericis* in textu posito addit hæc verba, *in sacris constitutis*. & recte quidem.

4 Quia textus addit verbum *huiusmodi*; quod est restrictiuũ restringẽs ad clericos, de quibus meminerat ante,[k] meminerat autẽ de constitutis in sacris: quia egit de clericis non potentibus vxores ducere. Idem etiam significat,[l] ipsemet Innocentius per illa verba, *Idem dicerem de monacho*. & quidem rectè: quia ille etiam tenetur voto solemni, quo contraxit matrimonium spirituale per prædictum ca. 1. & multa alia,[m] prę sertim ca. *quotquot*, quo cauetur expressè fieri bigamum eum, qui post solemne votum contrahit. & quidem vir eruditisſimus, si idem sensisset de laico & clerico in minoribus constituto, quod de monacho, exertè dixisset, *de omni alio siue laico siue clerico*. sed ideo non dixit, quia non nouit, & meminit prædictã rationẽ diuersitatis.

i *In d. ca. nuper.*
k *L. huiusmodi. ff. de leg. 1.*
l *Ibidem.*
m *27. quæ. 1.*

5 Quinto non obstant etiam verba Antonij de Butrio, quatenus ait[n] bigamiam incurri contrahendo matrimonium inualidè in omnibus casibus, in quibus incurritur contrahendo validè: quia loquitur de contrahente secũda vice, & sic de bigamia interpretatiua, non autẽ de cõtrahente vna tantùm vice, & sic dè bigamia similitudinaria. Facit pro hac parte, quòd nullus commentantium ibi, nec alibi, nec S. Thomas, Paludanus nec alij,[o] vbi de bigamia tractant, faciunt prædictam extensionem.

n *In d. ca. nuper.*
o *In 4. li. senten. dist. 27.*

Ex quibus palam colligitur idem esse dicendũ de clerico in minoribus constituto, quod de laico: & quod Siluester,[p] post alios summistas ait octauo modo contrahi bigamiam, quando quis post votum solemne religionis vel ordinis sacri contrahit cum aliqua, siue sit virgo, siue corrupta. Salua, &c.

p *Verbo bigamia. in princi.*

*SVMMARIVM.*

1 *Bigamiæ, & non trigamiæ ius meminit.*
2 *Inhabilis ad ordines tam est qui bis, quàm qui pluries nuptias contrahit.*
3 *Bigamus, & non trigamus est, qui cum virgine, & cum corrupta succeßiuè contrahit.*
3 *Improprietates, etiam quibus iura quandoque vtuntur, non*

*sunt extentendæ.*

3 *Bigamus est quidem etiam semel cum corrupta contrahens, sed interpretatiuè & impropriè.*

4 *Dispensatur facilius cum bigamo laico, quàm clerico, & hoc à Pontifice, non autem ab Episcopo, contra Henricum.*

## CONSILIVM II.

QVæritur, an laicus coniugatus cum virgine, qua mortua contraxit cum vidua, sit trigamus, ad hoc vt sit ei neganda dispensatio, quæ concederetur bigamo.

1 Respondeo quòd non. Primò quidem, quòd licet multi Canonistæ, meminerint bigamie, & deciderint questiostiones super bigamia propositas, vt in c.2.[a] & alibi sæpe, & Magister,[b] & ibi S. Thomas & omnes alij, nullus tamé Canonistarum, neque Theologorum vllam facit mentionem de trigamia, nec vllam quæstionem super illa proponit, sed solùm de bigamia, & de questionibus super ea propositis. Quare cum nouitates sint vt plurimum vitandæ,[c] vbi glossa iuxta iura recepta citat illud: *In rebus nouis constituendis maximam esse debere vtilitatem*,[d] non videtur curandum de trigamia, de qua numquam habita est cura, sed tãtùm de bigamia.

2 Secundò, quòd ratio quare nulla de trigamia facta est mentio à Theologis, & Iurisperitis, videtur esse, quòd tam inhabilis est ad sacramentum ordinis, qui bis cõtraxit nuptias, quàm qui pluries, quoniam ratio potisima, qua bigamus est irregularis, & iudicatur inhabilis ad sacramentum ordinis, est ineptitudo ad significandam coniunctionem Christi cum Ecclesia vnica sua sponsa, vt declarat S. Tho. recep.[e] & ante illum glos. celeb. & recep.[f] At tam inhabilis est ad significandam coniunctionem Christi cum Ecclesia vnica sua sponsa, qui contraxit cum duabus, sicut qui contraxit cum tribus, vt palam est, quia iam diuisit carnem suam cum duabus. ergo tam inhabilis est qui contraxit cum duabus, quàm qui cum tribus.

3 Tertiò, quòd D. consulens nulla ratione iuris, nec recti sermonis potest dici trigamus: non quidem iuris per prædictas rationes: nec ratione recti sermonis: quia trigamus ex propria verborũ significatione est, qui ter nuptias contraxit, γαμός enim nuptias significat: & D. consulens non contraxit ter, sed solùm bis. Nec obstat, quòd dicitur quis bigamus, licet vnicas nuptias contraxerit, si eas cum vidua vel corrupta contraxit: quoniam iura Pontificia iustis de causis impropriè, & interpretatiuè, & non secundum propriam significationem illam extensionem fecerunt, vt cõstat ex glo.[g] & improprietates non sunt extendendæ: quia non est recedendum à propria verborum significatione, nisi quatenus reperitur recessum,[h] & ideo non est extendenda illa improprietas ad trigamiam, ad quam non reperitur à iure extensa.

Quartò, quòd meo iudicio nullus iurisperitus auderet dicere, quòd si statuto aliquo caueretur vt trigamus, siue tres vxores ducens, illud aut illud quæreret, vel amitteret, comprehenderet eum qui cõtraxisset bis tantùm, semel cũ virgine, & iterum cum vidua, quoniam verba statuti eum non comprehenderent. ergo licet esset aliquis canon, qué tamen certum est nusquam esse, quo caueretur, vt difficilius cum trigamo, quàm cum bigamo dispensaretur, non comprehenderet D. consulentem, qui ex propria verborũ significatione nullatenus dicitur trigamus, hoc est, qui tres vxores duxit, sed tãtùm bigamus, qui solas duas duxit.

4 Quintò facit, quod D. consulens nõ erat clericus etiã minorum ordinum, sed purus laicus, cùm duxit præfatas duas vxores: & ita non tantùm videtur despexisse ordiné clericalem, quantùm si existens clericus minorum ordinũ eas duxisset: adeo quidem vt Henricus Boic.[i] censuerit Episcopum posse cum tali bigamo dispensare, cui tamen non assentimur, licet credamus multum id facere ad hoc, vt S.D.N. inclinetur ad facilius cum eo dispensandum, nõ curando de trigamia opposita. Tum quia nullus vmquam Max. Pont. videtur de illa curasse. Tum quia nulla ratione recti sermonis, nec per vllam iuridicam extensionem potest D. consulens trigamus dici. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Beneficij collatio facta bigamo, cùm sit irregularis, non valet.*

1 *Episcopus ordinando bigamum, ab eo ordine conferendo, & à celebrãda Missa per annũ est suspẽsus, & videtur deponi posse.*

## CONSILIVM III.

EPiscopus quidam insigniuit prima tonsura bigamum & contulit ei beneficium simplex. Quæritur quam pœnam incurrant ordinans, & ordinatus, & conferens, & collatarius.

1 Respondeo primo, grauiter illos peccasse per totum titulum de bigam. in volumine Gregorij,[a] & colligitur in dist.26. Secundo, quòd præfati Episcopi collatio facta bigamo non valuit; quia collatio facta irregulari non valet secundum Innocentium receptũ.[b] Tertiò, quòd præfatus Episcopus videtur suspensus à collatione ordinis, quem contulit bigamo, ipso iure per vnum annum.[c] & ca. *nullus pœnitentem, nollus bigamum*. dist.55. per quod potest dici etiam suspẽsus ipso iure vno anno à missando; & potest deponi ab ordine, vt sensit glo.[d] pro qua ibi Archidiaconus citat ca. vlt.[e]

*Refertur, Congregationem censuisse Episcopum non potuisse dictas collationes facere, sed quod non incurrat ob hoc ipso iure in aliquam certam pœnam.*

### SVMMARIVM.

1 *Bigamo malè & nulliter confertur beneficium: & qui illum ordinat, peccat, & posset iustè priuari omni potestate ordinandi, ac etiam perpetuo deponi. num.4. sed ipso iure non est nec priuatus, nec perpetuo, num. 2. immo secundum rigorem nec ad annum: licet æquius videatur, vt ad annum sit suspensus à collatione ordinis quem contulit. num. 1. & 3. extendendo alios canones ad hunc casum num.5.*

5 *Statutum comprehendit nõ solum quod expresse statuitur, sed etiam omne illud, quod princeps, si fuisset interrogatus, statuisset, etiam si simus in pœnalibus.*

## CONSILIVM IV.

IVssus respondere, quibusdam iuribus, quæ dicuntur citari contra supradicta responsa mea, respondeo nulla videri allegari talia.

1 Nam ego respondeo, præfatum Episcopum, qui ordinauit scienter bigamum minoribus ordinibus, peccasse quidem, per totum titulum de bigam.[f] & male contulisse beneficium illi, qui erat irregularis, & eius collationem non valuisse secundum Innocentium receptum,[g] & prædictum Episcopum videri suspẽsum à collatione ordinis, quem contulit bigamo, ipso iure vsque ad vnum annum: contra quæ responsa nihil allegatur quod vere sit eis contrarium; immo per eadem iura, quæ ego citaui, confirmãtur. Nec etiam obstat ca. *literas*.[h] Tũ quia nõ loquitur de ordinante bigamum, de quo ego respondi. Tum quia disponit, Episcopum ordinantem aliquem duobus ordininibus sacris, eodem die vero, vel ficto, esse suspensum ipso iure à collatione illorum, donec aliud censeat Papa: quod nihil obstat nostris responsis, immo ea confirmat. Tum quia dictum Hostiensis super eo allegatũ non probatur per ca. *dilectus*, ab eodem citatum, quatenus suspendit ordinatorem, & non ait suspensum esse. Tum quia nõ loquitur de ordinatore bigami, de quo fui interrogatus. Tum quia secundum Innocentium & omnes Papa gratiã fecit ei ob quosdam respectus. Tum quia multa iura vtũtur verbis præsentis temporis, quibus dicuntur irritare aliqua, quæ per iura priora sunt irritata.

2 Non obstat etiam ca.2.[i] & ca. *ex pœnitentibus*.[k] quatenus habent ordinatorem bigami esse priuandum potestate ordinandi, & non ait esse ipso iure priuatum, quia non loquuntur de suspensione ad annum ab ordine, quem cõtulit, sed de priuatione perpetua potestatis cõferendi ordines, quæ est multò maior pœna; quam suspensio tẽporalis ad annum à collatione ordinis, de qua nos respõdimus. Nõ obstat etiam distinctio Archidiaconi & aliorũ.[l] Tum quia est generalis de ordinatore digni, vel minus digni, vel indigni, & non de ordinatore bigami. Tũ quia non loquuntur de pœna suspensionis temporalis, de qua nos agim⁹, sed de priuatione perpetua ordinãtis indignũ.

3 Tum denique quod non respondi ego penitus asserẽdum prædictum Episcopum esse ipso iure suspensum ad annum, sed videri posse dici: disputãdo enim posset teneri non incurrisse illam pœnam, ab eo qui niteretur solo illo rigore iuris, qui ait pœnam non esse ad aliũ casum extendendam.[m] Nec nos damnaremus illũ, sed æquius videtur consulendum contrarium: eo quod quilibet ordina

tor

---

Marginal notes:

a Et per tot. 26. dist. & tot. tit. de bigam. b In 4. sent. dist. 27. c Ca. cũ consuetudinis. de consuetud. d L. in rebus. ff. de legib. e Li.4. sentẽ. dist.27. qu. 3. art.1. f In c. debitũ. de bigamis. g Capi. super eo. de bigam. h Le non aliter. ff. de leg. 3. i In c.1. de bigam. num.25.

a Et in cap.1. eod. tit. libr.6. b In c. cũ nostris. de concess. preb. c Arg. ca. eos. & cap. vlt. de temp. ord. l.6. d In d. c. nullus pœnitentem. 55. dist. in verbo successores. e 62. dist. & cap. 1. dist.55. f Et in cap. 1. eod. tit. lib. 6. & colligitur in dist.26. g In c. cũ nostris. de concess. preb. h De tempor. ordin. i De bigam. k 50. distin. l Posita in ca. qui ecclesiasticis. 50. dist. m §. Pœna. de pœnitentia dist.1. & qua ibi scripsimus.

tor infantis,coniugati,& illiterati,etiam sui subditi,immo & quilibet ordinator cuiuslibet extranei quantũlibet digni & sancti,incurrit illã pœnã ipso iure.

4 Et inde inferri potest,quòd ordinator bigami ipso iure incurrit suspensionem à missando per vnum annũ, immo & quòd iustè potest priuari omni potestate ordinãdi, immo & perpetuo deponi,vt probãt iura per me allegata.

5 Et quòd Pontifices Maximi, qui statuerunt pœnã illã paruã cõtra ordinatores extraneorũ etiã dignissimorũ, si fuissent interrogati an tantã pœnã statuissent cõtra ordinatorẽ bigami,qui omni iure etiã diuino secundũ aliquos est indignus,& secundũ aliquos est indispensabilis,respõdissent profectò,mea sententia,nõ solũ illã, sed maiorẽ imponẽdam illi:& ita succedit illa cõclusio glos.[a] non solum includi sub lege quæ exprimuntur in ea,sed etiã quę legislator expressisset, si fuisset interrogatus de illis. Salua in primis eius,qui iussit me secundo respõdere,graui sententia,& cuiuslibet alterius vero propiori.

a Le. tale pactum. §. fin. ff. de pactis.

## DE CLERICIS PEREGRINIS.

SVMMARIVM.

4 *Peregrinus sacerdos etsi malè faciat alibi celebrando sine sui Episcopi dimissoria speciali celebrandi, non tamen incurrit aliquã censurã: admitti autem potest,vt secreto celebret,at vt celebret in publico,nõ debet admitti,nisi habeat fidẽ de ordinibus, nu.1. & recens à suo ordinario testimoniũ de moribus, & quod non sit censuratus,nu.5. & 6.sciatque cæremoniam missandi. num. 3.antiquum autem testimonium non sufficeret, nisi aliter iustificaretur.num.6. in fin.licentia autem sui ordinarij sicut nõ sufficit,num.1.ita nec videtur necessaria.nu.5.*

### CONSILIVM I.

AN ordinatus diaconatu à suo Episcopo,& postea per literas dimissorias ipsius ordinatus presbyterio ab alio Episcopo, egeat licentia superioris Episcopi ad celebrandum in episcopatu ordinantis,vel alio?

1 Pro parte negante,quòd non egeat,facit primò,quòd illa nõ potest ei ad id prodesse:quia nullus Episcopus potest dare alicui licentiam celebrãdi in alieno episcopatu,[b] quod etiam vsus seruat. Non enim Romæ permittitur alicui celebrare propter licentiam celebrãdi, quam habebat in partibus. Secundò,quia peregrinus clericus faciens fidẽ iustam de sua ordinatione potest admitti ad celebrãdum, vt videtur probare c.1.[c]

b Arg.l.fin.ff. de iurisdict. omn.iud. c.2. de constit.l.6.

c De cler.pereg.

2 Tertiò, quòd qui potest iustè ordinari ab aliquo Episcopo,potest de licentia eius celebrare in suo episcopatu, cùm nullum ius,nec vlla ratio firma videatur contrarium suadere. Illa enim,quæ sufficiunt ad hoc,vt quis ordinetur ad presbyterium,videntur sufficere ad celebrandum,si adsit modus celebrandi. ergo sufficiet ei, quòd inueniatur doctus modum & artem missandi sine vlla licentia prioris Episcopi.

3 Pro contraria parte affirmante facit, quòd ad hoc, vt cuipiam permittatur dicere Missam,oportet primò, quod sit ordinatus presbyter. Secundò, quòd sciat artẽ vel modum missandi. Tertiò,quòd nõ sit suspensus, excõmunicatus,irregularis, vel alias prohibitus.[d] At clericus alienus post impetratas literas dimissorias ad presbyterium assumendum potest incurrere excommunicationẽ, suspensionem,& irregularitatem à iure, vel ab homine in suo episcopatu,antequam ordinetur,& post ordinationem,antequam dicat Missam:ergo debet habere literas certificatorias,quod non est impeditus vllo tali impedimento. Secũdò,quod etiam literæ dimissoriæ sui Episcopi non videntur sufficere: quia fieri potest, vt ipso & etiam Curia sua ignorantibus ipse sit impeditus impedimento aliquo huiusmodi: ergo saltem requiritur dimissoria certificatoria proprij Episcopi. Quarto,quod à diuersis non fit illatio:& esse quem presbyterum, est aliud ab esse quem habilẽ ad celebrandum:ergo dimissoria ad ordinem suscipiendum, non sufficit ad eo suscepto vtendum.

d Cap.si celebrat.cũ ei adnot. de cleric. excomm. ministr.

4 Pro resolutione dico primò,quòd præfatus D.consulens iure communi non eget dimissoria particulari ad celebrandũ,ad effectum, ꝙ celebrando sine illa incurrat irregularitatem,nisi iure particulari esset indicta suspensio clericis peregrinis,donec licentiam assequerẽtur: quia licet male faceret,[e] nullo tamen iure irregularitatem contraheret,& illa nõ cõtrahitur, nisi in casibus à iure expressis.[a] Secundò,quod non eget etiam ad hoc,vt secretò admitti possit ad missandum.[b]

e Iuxta c.extranei, & ca. primatus. 71. dist.

5 Tertiò,quòd non eget etiam quò ad effectum dandi ei licentiam publicè missandi,si literæ dimissoriæ ad presbyterium suscipiendum fuerunt paulo antea datæ: quia qui Episcopus approbat aliquem ad presbyterium suscipiendum,satis videtur approbare, & testari eum non haberi pro excommunicato,suspenso, neque irregulari, cũ isti non possint ad presbyterium ordinari.

f Capi.is qui. de senten.excomm.lib.6.

a Per ca tua. de cler.pereg.

6 Quarto,quod si magnum interuallum interfuit inter dimissorias ad presbyterium & inter illius assumptionem,satis videretur egere noua dimissoria;quo ad hoc, vt iustè posit;& debeat reputari non impeditus ad celebrãdum;non quidem eo quòd dignus ad presbyterium, non sit dignus ad celebrandum,si sciat artem & modum celebrandi:sed quod testimonium tacitè datum de moribus eius per licentiam accipiendi presbyterium longè ante, quàm illud acciperet, non videtur satis probare mores præsentes. Vnde nec dimissoria, qua Episcopus proprius significaret dimisum esse probatis moribus, videtur sufficere,si multo tempore antea fuisset concessa. Dimissoria enim ante decem annos data,non videretur satis probare mores præsentes, nisi probaretur iustum impedimentum,ob quod ea non fuerit vsus. Salua,&c.

## DE OFFICIO VICARII.

SVMMARIVM.

1 *Vicarius generalis sede vacante à Capitulo deputandus, debet esse doctor, vel licentiatus iuris Canonici,vel alias quantũ potest idoneus: Episcopus autem si deputet linguæ Latinæ ignarum,tenet deputatio,sed peccat cum sic deputato, deputando minus idoneum.*

### CONSILIVM I.

AN ille, qui non solũ nõ est doctor,sed nec linguam Latinã intelligit;dossit esse vicarius generalis Episcopi; ad quod facit c.fin.[c]

b De ætate & qualit. cũ ibi notat.

1 Quoniam is dominus consulens,qui quærit ista, ait ea esse definienda ab Illustrissima Cõgregatione interpretationi Concilij Tridentini deputata; & quia non vacat tractare lati⁹ illa;remitto me simul,& submitto determinationi eius. Quamuis forte respõderi possit primò, vicarium generalem constituendum à Capitulo sede vacante, debere esse Doctorem, vel licentiatũ iuris canonici, vel alias quantùm fieri poterit idoneum; per [d] Concilium Tridentinum.[e] Secundo, quod non videtur satisfacere suo muneri Episcopus,qui constituit sibi vicarium generalem aliquem,qui non calleat Latinè apud Latinos, vel Græcè apud Græcos. Tum quia Vicarius Episcopi debet esse idoneus ad id,in quo vices eius est gesturus.[f] Et quia vicarius generalis constituitur fere ad omnia, quę gesturus est Episcopus, oportet profectò eum esse valde idoneũ. Facit etiam ratio,qua Pan. per aptos in hoc canones concludit Episcopum quemlibet teneri ad constituendũ sibi vicarium idoneum.[g] Tertio,quòd fortè teneri posset, quòd licet vicarius idoneus debeat constitui, & quòd licet peccet constituens vicarium indignum tali munere, & etiam qui illum suscipit, nisi sit idoneus, [h] constitutio tamen vicarij teneret ipso iure,modo esset clericus saltẽ in minoribus constitutus & quod facta ab eo,vel corã eo, tãquã coram vero vicario,valerent per multa,quæ possũt, sed non expedit nunc congerere.

c Cap. 16. de reform.

d Sess.24.

e Ca. quoniã in plerisque. & c.inter cetera.de officio ordin.

f d c.quoniã in plerisque.

g Arg.l.idem iuris.ff.ad le. Aquil.ca.non est putanda. 1.quæst 1.

*Vide infra Concilium 2.de officio Ordinar.*

## DE OFFIC. ET POTEST. IVDICIS DELEGATI.

SVMMARIVM.

1 *Põtifex causam alicui delegando non censetur illam ad se auocasse,vnde si re integra expirat dicta commissio.primus iudex,siue ordinarius,siue delegatus,potest sine noua delegatione procedere.*

2 *Delegationem causæ à Papa impetrans potest re integra ei renunciare,& agere causam coram primo iudice.*

3 *Metu ordines recipiens an teneatur seruare illa,ad quæ alij ordinati tenentur,non potest firmiter dignosci,nisi sciatur an metu præciso illos acceperit,vel non,& an metus fuerit iustus,vel non.*

## CONSILIVM I.

Respondeo primò, quod duo videntur hic implicitè quæri. Alterum est, an prædictus Illustrissimus Cardinalis dominus meus possit cognoscere de hac causa, nõ obstante commissione prædicta, sine noua cõmissione facta. Alterum est, an orator debeat censeri obligatus ad seruanda illa, quæ ordini sacro sunt annexa, an non.

1 Secundo, quòd ad horum prius respondendum est affirmatiuè. Tum quia *non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum* quæ regula est in lib. 6.[a] & commissio præfata expirauit re integra, vt in facto proponitur. Tum quia est casus in cap. *vt debitus honor*,[b] in quo probatur, quòd ordinarius potest procedere ad instantiam vnius partis in causa, etiam postquam altera pars misit ad impetrandas literas à Sede Apostolica super eadem causa, & etiam postquam eas impetrauit. Illud enim ca. *vt debitus* secundum glossam & communem, vt tradidit Philippus Decius, procedit tam in ordinario, quàm in delegato. Tum quia non obstant ca. *vt nostrum*,[c] & collecta ibi à Decio: quia illud agit de auocatione causæ pendentis ad se per Papam facta, noster autem casus agit de rescripto, quo causa fuit commissa cuidam delegato. Item illud loquitur de auocatione quæ non expirauit, noster autem casus de delegatione & commissione, quæ expirauit.

a Tit. de regu. iur. c. ex tenore. cum gloss. de rescript.
b De appell.
c De appell.

2 Item illud agit de auocatione, contra quam altera pars opponebat commissionem, vel litẽ motam, in nostro autem casu agitur de eo, in cuius fauorem fuit facta commissio, & in cuius fauorem petitur auxilium ordinarij, quod posset facere renunciando extraordinario delegationis in fauorem suum factæ, etiamsi non expirasset, iuxta regulam *quod ob gratiam*,[d] quæ etiam procedit in rescriptis: nam qui impetrauit prius, potest, si vult, renunciare illud, immo renunciat tacitè, si non excipiat contra posterius.[e]

d Lib. 6. & l. quod fauore. C. de legib.
e Ca. caterũ. c. si autem. & c. plerumque. de rescript.

3 AD POSTERIVS autem dubium nõ potest responderi sufficienter, donec sciatur qualis metus intercessit in ordinatione oratoris, an iniustus, an iniustus, & donec sciatur qualis mens fuerit illi, an scilicet omnino renitens, & nullatenus volens, an vero nolens quidem liberè & sponte, sed conditionaliter sic.[f]

f Iuxta c. maiores. §. item quæritur. de bapt.

### SVMMARIVM.

1 *Gratia per mortem concedentis non expirat, licet mandatum de ea facienda expiret.*

1 *Licentia concessa Episcopo dispensandi cum aliquibus, eorum nominibus non expressis est gratia quæ non expirat morte cõcedentis, at si ei committatur, vt dispenset cum N. est mandatum, & expirat.*

2 *Ignorãtia probabilis iuris positiui excusat, quousque scientia superueniat.*

2 *Credens dispensationem sibi à suo superiore impartitam validam esse, cùm non sit, in probabili versatur ignorantia.*

3 *Dispensatio seruata forma facienda.*

## CONSILIVM II.

PApa quibusdam Episcopis facultatem dispensandi cũ quibusdam personis, qui matrimonia in gradibus prohibitis contraxerant, concessit, sub forma, vt Episcopus primum declaret matrimonia esse, fuisséque irrita, & postea absoluat, confiteantur peccata sua, cõmunicent, dispẽsentur, & de nouo contrahant.

Quæritur primo, an facultas prædicta per obitum concedentis expirauerit.

Secundo, casu quo facultas esset inualida, & Episcopus validam credens, dispensauerit, & bona fide sic dispensati contraxerint, an tuta conscientia possint perseuerare in contracto matrimonio.

Tertio, quomodo Episcopus absoluere & dispensare valeat, quando altera persona est implicata peccatis, & restitutioni obnoxia, & an publicè seu occultè matrimoniũ debeant contrahere.

1 AD PRIMAM respondeo, quod per solam mortem concedentis non expirasset. Quia gratia facta non expirat per mortem eam facientis,[g] licet mandatum de facienda ea expiret,[h] & quamuis commissio de dispensando cum aliquo expiret per mortem committentis, quia est mandatum de gratia facienda; cõcessio tamen facultatis ad dispensandum, nemine nominato, est gratia facta illi, cui datur facultas; & ita non expirat morte concedentis, sicut commissio morte committentis.

g Ca. si super gratia. de offi. deleg. lib. 6.
h Ca. relatũ. de offi. legat.

2 Ad secundam respondeo, quo ad forum conscientiæ per illam ignorantiam, donec superueniat scientia contraria; quia ignorantia probabilis iuris positiui excusat,[a] qualis est hæc, de qua quæstio proponitur: cum in dubio credendum sit, & obediendum superiori.[b]

a Ca. 2. de cõstit. & notat. in c. ignorantia. de reg. iuris lib. 6.
b Ca. quid culpatur. 13. q. 1. sub finem cũ allegatis ibi à gloss. in verbo iniquitas.

3 Ad tertiam respondeo, quòd debent prius absolui ab excommunicatione incursa, per Episcopum, qui potest absoluere ab ea, cùm non sit reseruata Papæ, vt patet per contextum clem. 1.[c] deinde debent confiteri, & communicare. Nec obstat, quod sũt peccatis irretiti: quia ad irritanda, & absoluendi ea, instituta est confessio.[d] Nec obstat obligatio ad restituedum: quia illa de necessitate est facienda eo modo, quo debet fieri à cõfitentibus in Quadragesima, vel aliis temporibus.[e] Tertio debent contrahere de nouo publicè, si prius matrimonium fuit clandestinè contractum; alioqui sufficit contrahere de secreto, vt nos declaramus in Manual. confess.[f]

c De cõsang. & glo. penult. ipsius.
d Ca. omnis. de pœn. & remiss.
e Per ca. peccatũ. de regu. iuris lib. 6.
f Cap. 22. nu. 70. & 80.

### SVMMARIVM.

1 *Conseruatores, & Inquisitores sunt delegati.*

2 *Intellectus cap. 20. de refor sess. 24. Concilij Trid. & num. 4.*

2 *Conseruatores in prima instantia possunt, vt asseritur, cognoscere de causis.*

3 *Conseruatores esse ordinarios probabile, quo ad effectum vt cõprehendantur sub dispositione ca. 20. de reform. sess. 24. in se tamen eorum iurisdictio est extraordinaria, & restringibilis.*

3 *Iurisdictio ordinaria fauorabilior delegata.*

5 *Iurisdictio in matrimonialibus & criminalibus potest ab inferiori Episcopo præscribi, & consuetudine ac priuilegio acquiri. num. 6.*

6 *Lex generalis statuto particulari, vel consuetudini non derogat, nisi de potentis derogare contraria constet mente.*

## CONSILIVM III.

QVæsitum fuit primo, an[g] Concilium Tridentinum habeat locum in iudicibus conseruatoribus.

Secundo, an illud ipsum,[h] tollat facultatem cognoscendi de causis matrimonialibus inferiori Episcopo, qui præscriptione, cõsuetudine, vel priuilegio eã sibi quæsiuit.

g Capi. 20. de refor. sess. 24.
h Cap. 20. §. ad hac.

1 Ad priorem quæstionem respondeo primò, certum esse conseruatores esse iudices delegatos: quia ideo de illis tractatur in c. 1. & vl.[i] quia etiam Inquisitores hæreticæ prauitatis etiam dati à Sede Apostolica secũdũ receptiorẽ sententiã dicuntur delegati, vt inter alios notat Francus,[k] quidquid Archidiaconus dissentiat ibidem.

i De offic. deleg. lib. 6.
k In c. ne aliqui. de haret. li. 6. arg. c. vt offic. & c. per hoc. eod. titu. & lib.

2 Secundò, quod ex hoc videtur argui posse pro parte negatiua quæstionis propositę, scilicet quòd principium præfati ca.[l] non habeat locum in conseruatoribus, cùm solùm loquatur de ordinariis iudicibus.

l 20. sess. 24.

Tertiò, quòd pro parte contraria facit, quòd hæc quæstio præsupponit cõseruatores posse cognoscere de causis Ecclesiasticis in prima instantia, in qua non possunt cognoscere nisi iudices ordinarij; quod puto audiuisse me ita definitum fuisse ab Illustriss. DD. meis Cardinalibus ad dubia Concilij Tridentini declaranda deputatis; & consequenter reputari eos quo ad hoc ordinarios: & si res ita se habeat, quæstio hęc videtur digna declaratione Papali, cui me humiliter subdo.

3 Quartò, quòd antequam illa fiat à sua Sanctitate, aut ab Illustrissimis Dominis meis Cardinalibus in id deputatis, Concilij menti consonantius arbitrarer, vt præfati conseruatores quo ad vtrumque articulum haberentur pro ordinariis. Quo ad priorem quidem, ne gratia principis conseruatoria eis pereat.[m] Quo ad secundum autẽ, ne iurisdictio extraordinaria sit fauorabilior ordinaria, contra glossam sing.[n] & alia ei adnotata: & quia iurisdictio conseruatoria, & omnis alia delegata, est odiosa, quatenus præiudicat ordinario, & restringenda, iuxta regulã *odia.* disputando vtraque pars quæstionis iure defendi posset.

m Iuxta c. decet. de reg. iuris. l. 6. & iuxta alia per gloss. & doct. ibi citata.
n In clem. 2. de offic ordin.

4 Ad secundam respondeo primò, audisse me magnas cõtrouersias motas fuisse in Hispania inter Episcopos ex vna parte, Abbates, & alios inferiores prælatos ex

altera

altera super his, quæ Concilium Tridentinum adimere videtur voluisse inferioribus prælatis possessoribus, & reseruare solis Episcopis: & deductis illis in prætoria regia, ratione violentiæ, quam sibi fieri prætendebant inferiores possessores, obtinuisse aliquos eorum manutentionem in sua possesione aduersus Episcopos.

5 Secundo, quod re hac satis introspecta, videtur dicendum in casu proposito, præfatum §. *ad hæc* [a] non tollere facultatem præfatam cognoscendi de causis matrimonialibus & criminalibus illi prelato inferiori, de quo loquitur. argumento cap. 1.[b] & eorum quæ notantur in cap. 1. [c] per Prępositum & per Panormitanum & alios in cap. *auditis.*[d] & alibi sæpe, vbi & post alios Couarruuias [e] concludunt, inferiores posse per præscriptionem, consuetudinem, & priuilegium quærere facultatem cognoscendi de causis matrimonialibus.

6 Et constat legem generalem non derogare consuetudini, & statutis particularibus, nisi de mente legislatoris potentis derogare illis constet, quod tamen non constat de tali mente Concilij Tridentini cùm in præfato §. nullam de huiusmodi mente derogandi faciat mentionem, & per iura superius allegata, & per adnotata eis constat consuetudines huiusmodi per præscriptionem, & sententiam, quæ fortior est statuto, esse rationabiles, ideoque per præfatum §. *ad hæc*, generaliter loquentem non derogari eis. Salua &c.

*Congregatio, vt refertur, censuit Concilium non sustulisse consuetudinem, in qua sunt inferiores prælati, si sit immemorabilis.*

a Ca. 20. seß. 24.
b De constit. li. 6. & l. 3. §. diuus Hadrianus. ff. de sepul. viola.
c De consangui.
d De præscri. & in c. accedentibus. de exceß. prælat.
e In epit. 4. 2. parte ca. 8. §. 12.

*SVMMARIVM.*

1 *Vicarius generalis Episcopi deputati conseruatoris priuilegiorum à Sede Apostolica alicui concessorum, hac vtens iurisdictione, videtur posse excusari, & tantò magis si ea præsente Episcopo vteretur. num. 4.*
2 *Extrauagans etiam in corpore iuris posita, si sit talis quæ etiam à doctis vt plurimùm solet ignorari, iuste potest ignorari.*
3 *Iurisdictionem duplicem habens, in dubio ea videtur vti, qua magis processus firmatur.*
4 *Delegatio Episcopo etiam perpetuo facta, vt sunt conseruatoriæ, non transit in eius vicarium generalem, licet possit specialiter subdelegari.*

## CONSILIVM IV.

VICARIVS Episcopi Vrbeuetanensis, tamquam executor & defensor immunitatis Abbati & subditis concessæ, monuit prætorem, & homines de magistratu sub excommunicationis pœna, vt deberent innouata reponere, & ne dictum Abbatem in sua iurisdictione inquietarent. Dubitatur, an vicarius iustè sub dicta censura potuit prætorem, quem ibi constituere solet Sedes Apostolica, monere.

1 Pro exoneratione prædicti vicarij, quę tangitur in argu. facit multùm, quòd Episcopus Vrbeuetanus est executor, & defensor immunitatis, exemptionis, & libertatis concessæ prædictis Abbati, & subditis suis, vt patet per literas Innocentij viij. & ita sine culpa, saltem graui, potuit credere sibi esse iurisdictionem ad faciẽdam illam, quam picitur fecisse, monitionem prædicto gubernatori. Tum quia potius fuit vrbana, & quædam fraterna, Christianaque, quam iudiciaria fundata in opinione, qua eum variè excommunicatum putabat.

2 Tum quia extrauagans *cum Matthæus.*[f] quæ sola videtur ei obstare in hoc, est posita extra corpus iuris, & quãplurimis etiam doctis ignorata: & ignorantia iuris humani dubij excusat à peccato mortali, secundum Innocentium [g] relatum à Baldo [h] & probatur à Felino [i] & à nobis in comment. cap. nullam.[k]

3 Nec obstat, quòd forsam non fuit protestatus se procedere auctoritate delegata. Tum quia habens iurisdictionem delegatam, & ordinariam, videtur in dubio procedere delegata, aut certe illa qua magis firmatur processus, per resolutionem Innocentij [l] quo cum alijs multis relato sic resoluit Felinus. [m]

4 Et quia licet delegatio facta Episcopo non transit in omnem vicarium eius à se constitutum, secundum communem, quam alias defendit Decius:[n] sunt tamẽ qui contra putent: & poterat procedere saltem vt delegatus Episcopi, qualem se tacitè datum ab eo forte præsente credere coram Deo poterat, & consequenter per bonam fidem in prædictis fundatam excusari potest, & si non à tota culpa, certè à maxima eius parte.

f De[...]eret.
g In [...] per tuas. 2. nu. 4. de simonia.
h in le. ab eo. C quemodo & quando iud.
i In c. nam. de constit.
k 15. q. 2. nu. 32.
l In c. cum ex offi[c]ij. de præscri.
m Ibid. n. 31.
n In ca. quoniam Abbas. de officio deleg. nu. 15.

*SVMMARIVM.*

1 *Delegatio, seu commißio de conferendo beneficium facta vicario ordinarij, non transit in ipsum ordinarium, etiam si vicarius sit remotus ab officio.*
1 *Episcopus vicario commissa expedire nequit, & contra.*
2 *Possessor beneficij triennalis, bona fide illud cum titulo colorato poßidens, fit dominus eius.*

## CONSILIVM V.

AN commissa per Papam officiali, vel vicario generali, possit expedire Episcopus, & an collatio sic facta à tali Episcopo valeat.

1 Respondeo primò, quòd delegatio facta officiali, vel vicario Episcopi non censetur facta Episcopo, nec transit in Episcopum, ipso delegato remoto, vt determinat Paulus, quem sequitur Cardinalis [a] & Bonifacius, [b] quod ipsum tenet Decius & citat alios [c] & Rebuffus, [d] sicut nec vicarius potest expedire commissa Episcopo. Et consequenter, quòd non valuit collatio ab Archiepiscopo facta.

2 Secundo, quod dici potest beneficium præfatum factum esse suum per triennalem possessionem cum titulo bona fide pro bono habito continuatam, per glossam antiquam regulæ Cancellariæ, quam antehac respondendo in Vrbe secuti fuimus, licet antea multo tempore dubitassemus.

Tertio, quòd ad maiorem cautelam posset peti, & impetrari quoddam *Perinde valere* quo ad forum conscientię per aliquem Pœnitentiarium ab ipsomet Papa, quod facile concedet verbo, & sufficiet, quoniam quo ad forum exterius securius est per præfatam regulam Cancellariæ de triennali possessore.

*Aduerte quod Rota tenet Episcopum non posse cogi vt habeat vicarium vt habet Puteus lib. 2. decis. 43. Mehodanus de officio vicarij decis. 4. sed nec Felinus dic. cap. quoniam. sequitur Abbatem: vide etiam supra de officio vicarij. Cons. 1.*

a q. 9.
b Num. 52. in clem. 2. de rescript.
c In ca. quoniã abbas n. 9. col. 7. de offic. deleg.
d In praxi, de forma vicariatus, n. 59. & 161.

*SVMMARIVM.*

1 *Clausura rescripti,* Conscientiam tuam onerantes, *non tollit potestatem quin poßit alteri committi, etiam si sit examen, maximè si competebat ei prius iure ordinari.*

## CONSILIVM VI.

AN Episcopus possit committere examen sibi à Papa commissum per hæc verba, scilicet, *In quo oneramus conscientiam tuam, &c.* sed non exprimitur nomen propriũ.

1 Super hac quæstione multi multa varia scripserunt, & contraria, vt videre est per citata à Felino, [e] qui nisus fuit conciliare opiniones contrarias, secundum cuius concordiam videntur prædicta verba posita in vim monitionis potius, quàm in vim formæ delegationis, & consequenter poterit per alium expediri negotium commissum & si in casu proposito, iure ordinario conueniret prædicto Episcopo prædicta examinatio, magis aptaretur hæc decisio, per ea quæ tradit Rota. [f] Salua, &c.

e In c. si. §. is autem. de offic. deleg.
f In decis. 14. de offic. deleg. in nouis, quæ in ordine decisionum est 368.

*SVMMARIVM.*

1 *Prædicare non est actus sacri ordinis, vnde potest etiam ei, qui non est in sacris, ab habente iurisdictionem mandari. nu. 4.*
2 *Prædicare ratione officij solis curatis competit, etiam si non sint sacerdotes. num. 3.*
2 *Prædicare de licentia sacerdotis etiam laicus potest.*
3 *Prædicandi actus non est diaconatui peculiaris.*
4 *Consuetudo Ecclesiæ habet, vt etiam qui non est in sacris, rogatus ab eo qui potest demandare, prædicet.*
4 *Delegabilia sunt iure canonico omnia quæ sunt iurisdictionis.*

## CONSILIVM VII.

AN Prædicare sit actus ordinis sacri, ita vt non possit per Episcopum alicui, qui non sit in sacris constitutus, demandari?

1 Videtur dicendum quòd non. Tum quia nullo iure naturæ, neque diuino, neque humano canonico, saltem scripto reperitur vetita huiusmodi commissio: ergo non



est di

est dicendum.[a] Tum quia licet statutum sit, ne quis prædicet, nisi mittatur, iuxta Apostolum[b] relatum in capit. *cum ex iniuncto*,[c] non tamen est statutum, quod mittendus debeat esse ordine sacro initiatus.

2 Tum quia cap. *adiicimus*. 16. q. 1. quod sic habet, *Nullus præter sacerdotes Domini audeat prædicare*, intelligitur de prędicatione facienda auctoritate propria, & ratione sui officij, quale habet sacerdos curatus. Vnde monachus, etiam si sit diaconus, vel sacerdos simplex nō habens Ecclesiam curatam, non potest prædicare, nisi de licentia Episcopi, vel sacerdotis curati, vt prædictum cap. *adiicimus*. adiuncto §. *ecce*, quem Gratianus ei subiicit, efficaciter probat: per licentiam autem sacerdotis sic, vt habet glossa recepta.[d]

3 Tum quia etiam laicus potest prædicare de licentia sacerdotis, & clericorum.[e] Tum quia cap. *perlectis*.[f] & cap. *in sancta*. 92. dist. quæ habent, ad diaconum pertinere prædicationem, rectè possunt intelligi de cantione, vel lectione euãgelij ad Missam, vt glossa vtrobique dicit: nam certum est per ordinem diaconatus non dari cuipiam potestatem concionandi populo more visitato, sine licentia parochi, Episcopi, vel Papę, nisi ipsemet habeat Ecclesiam parochialem, & velit in ea prædicare, vt habet communis resolutio Panormitani & aliorum[g] & aliis locis citatis in nostro Manua. confess.[h]

4 Tum quia communis vsus totius orbis Christiani videtur habere, vt parochi frequentissimè rogent clericos Theologos doctos nondum sacris ordinibus, vel solùm subdiaconatu initiatos, vt prædicent in suis parœchiis, & solemniter prædicant. Tum quod omnia, quæ pertinent ad iurisdictionem, sunt delegabilia iure canonico, iuxta glossam singularem & receptam.[i] Tum denique quòd per prædicta probatur omni iuri propius esse, quod actus concionandi populo more vulgato nostro, non sit peculiarior diaconatui, quàm subdiaconatui: nam Clemens, qui tot & tanta tradit de pertinentibus ad diaconum[k] nihil tale scripsit: & vt prædictum est, iura significantia illud possunt rectè intelligi de lectione, vel cantione solemni euangelij ad Missam, tametsi multum circa hoc videtur sudasse Caietanus in locis[l] per nos citatis, & ita etiã illi cõtradicit Dominicus Sotus.[m] Salua, &c.

a Cap. consuluisti. 2. qu. 5. & §. considerem⁹. authē. de trien. & semiss. colum. 3.
b Ad Rom. 10.
c De hæreti.
d Eiusdem c. verb. sacerdotes.
e Ca. mulier. 23. dist.
f 25. distinct.
g In ca. inter cætera. de off. ord.
h Ca. 25. nu. 141.
i In c. peruenit. 95. dist.
k In lib. 2. & aliis de constitut. Euangel.
l Vbi supra.
m In 4. dist. 1. qu. 5. art. 6.

SVMMARIVM.

1 *Delegata iurisdictio non potest prorogari de persona ad personam etiam iudice in id consentiente. num. 2.*

1 *Pœnitens postquam elegit vnum confessarium, cui acceptanti literas sacræ Pœnitentiariæ præsentauit, non potest, eo dimisso, alterum eligere, etiamsi primo electus consentiat.*

## CONSILIVM VIII.

AN Postquam pœnitens, cui officium sacrę Pœnitentiariæ dedit literas sigillatas directas discreto viro confessario per latorem præsentium ad introscripta specialiter eligendo, elegit vnum confessarium, possit saltem de voluntate dicti cõfessarij, eo dimisso, alterum eligere?

1 Quod non possit, facit primo, quod iurisdictio delegata non potest prorogari de persona ad personam,[n] at bullæ prædictæ diriguntur ad eos, quos in eis contenti elegerint, & consequenter eo ipso, quòd nominati fuerint electi, videntur expressi ab ipso Illustrissimo summoque Pœnitentiario, & si à principio ab ipso essent expressi, nullatenus possent alij eligi, ergo neque posteaquã fuerint à partibus nominatim electi, & expressi. Secundo facit illa firma ratio, quòd iurisdictio delegata est iurisdictio delegantis,[o] & ita ad ipsum delegantem, cuius illa est, pertinet eam extendere, & non ad partes, nec ad iudicem, quorum illa non est. arg. l. *id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest*.[p]

n Capi. P. & G. de off. deleg.
o L. 1. §. qui mandatũ. ff. de off. eius cui mand. est iurisd.
p ff. de regul. iuris.

SVMMARIVM.

1 *Intimatio alicuius rescripti, ad hoc vt obliget ad credendum ei, requiritur quod fiat per porrectam scripturam authenticam, & per habentem interesse, seu illius procuratorem nu. 2. & 12. accedentibus tamen alijs adminiculis obligat. maximè inter regulares ad credendum. num. 6.*

3 *Cardinalis dicto in præiudicium meum deponenti credere non teneor, nisi quo ad ea quæ asserit sibi viuæ vocis oraculo à Papa mandata. nu. 7.*

4 *Transumpto alicuius instrumenti non teneor credere, nisi citata parte cuius interest de mandato iudicis sit sumptum.*

5 *Appellatio ex causa probabili interposita annullat omnes censuras postea contra appellantem latas. & nu. 9. & 13. nec taliter excommunicatus est vitandus in extraiudicialibus. num. 15. & hoc etiam quod postea causa appellandi declaretur iniusta.*

6 *Commissarius generalis ordinis dicitur habere auctoritatem ordinariam, vnde transumptis eius auctoritate per notarium sumptis religiosi tenentur credere: itemque potest delegare suas vices. num. 10.*

8 *Subexequutor processus fulminati non potest per clausulam, cæterum, habere iurisdictionem, nisi sit in ecclesiastica dignitate, vel canonicus cathedralis: & successiue eius excommunicationes & declarationes sunt nullius momenti.*

9 *Delegatus principis etsi possit iurisdictionem subdelegare, subdelegatus tamen non potest illam alteri demandare.*

10 *Potestatem duplicem habens, delegatam, & ordinariam, si ex vtraque procedat, sustinetur actus ex illa, secundum quam potuit id facere.*

14 *Eligere prælatum possunt capitulares legitimè congregati. etiam cùm absit is, qui si adesset, Capitulo deberet præsidere.*

15 *Electio est de actibus extraiudicialibus: factaque ab ijs, qui verè non habent ius eligendi, nec sunt in eligendi possessione constituti, non tenet, etiam si crederetur probabiliter potestatem adesse, sicut dicitur de præsentante. num. 16.*

16 *Suspensio facultatis concessæ, etiamsi ignoretur, tamen verè suspendit.*

17 *Electio & præsentatio facta à possessore, si sit malæ fidei, non tenet.*

18 *Errans circa ius humanum dubitum excusatur à peccato mortali, & successiuè ab excommunicatione fulminata contra contumaciter non obedientes, qua ligarentur inobedientes in mala existentes fide.*

## CONSILIVM IX.

CONSIDERATVR primò, quòd vtraque pars confitetur S. D. N. concessisse mense Februario anni 1581. breue, de quo agitur, & cui nituntur admodum reuerendi PP. recollecti, quibus fuit concessum: nec dubitatur de fulminatione, & legitima intimatione ipsius, & minus de summa concedentis potestate, qua potuit ordinare, & iubere quæ in eo continentur.[a]

1 Secundò consideramus, quòd, vt credo certò S. D. N. illud suspendisse, ita puto aliquos ex recollectis in quorũ fauorem præfatum breue concessum fuit, à principio non fuisse obligatos credere, quòd suspēsio eius legitimè fuit præfatis recollectis intimata. Tum quia clemen. *causam*[b] requiritur vt intimatio fiat per porrectam scripturam authenticam, qualis non videtur porrecta in intimatione præfatę suspensionis. Tum quia etiam requirit vt intimatio fiat per partem aduersam, vel procuratorem eius, quia non sufficit vt fiat per negotiorum gestorem, vt post Bartholum & alios[c] tradit Felinus.[d]

2 Quamuis huic rationi responderi posset, quod sufficit vt intersit intimantis, esto non habeat mandatum ab alio ad intimandum, vt post Bartholum & alios tradit idē Felinus,[e] & constat præfatam intimationem factam fuisse per fratres eiusdem ordinis, quorũ intererat illam fieri.

3 Tum quia possunt dubitare de assertione præfati domini protectoris Illustrissimi, dicentes non credi vni soli, etiam Cardinali, deponenti in præiudicium tertij, iuxta glossam singularem & receptam.[f] At in præsenti casu solo dicto Illustrissimi Cardinalis protectoris probatur præfata suspensio.

4 Tum quod nullę literæ originales præfati Cardinalis Illustrissimi fuerunt prædictis recollectis intimatæ, sed solum quædam copia exemplata à commissario generali Vlysipone residente, cui non tenebantur credere: quoniam transumpto etiam instrumenti authentici non tenetur quis credere, etiam si tenor instrumenti inseratur,[g] nisi transumptio fiat auctoritate iudicis, & parte, cuius interest, citata, vt omnes communiter concludunt,[h] & constat præfatam transumptionem non fuisse factam citata parte.

5 Tum quia appellatum fuit à mandato & præcepto præfati commissarij generalis, qui faciebat fidem de præfata domini Cardinalis & protectoris assertione suspensionis

a Arg. c. cuncta per mundum. 9. qu. 3. cum ei similibus.
b De elect.
c In l. non solum. §. morte. ff. de noui ope. nunciat.
d In c. cũ M. de constitut. num. 43.
e Vbi supra num. 40.
f In cap. [illegible] nobis [illegible] excom.
g Authen. si quis in aliquo. C. de edend.
h In c. fin. de fide instrum. & in dict. authen. si quis in aliquo.

sionis breuis. Appellatio enim ex causa probabili interposita annihilat censuras omnes post eam latas, [a] etiamsi postea declararetur causam appellandi non fuisse iustam, vt declarat glossa penultima. [b]

a Ca. per tuas. de sent. excō.
b Ca. solet. de sent. excom. lib. 6.

6 Tertio consideramus, quod licet præfati patres recollecti ab initio potuissent de rigore iuris in foro exteriori dubitare de præfata suspensione ob rationes præfatas: nūc autem, postea quam per multas, vt credo, epistolas, nouerunt præfatum D. Illustrissimum Protectorem præstare in assertione sua, vix possent in foro conscientiæ excusari ob ignorantiam Prædictæ suspensionis, attenta perseuerantia præfati Illustrissimi Protectoris in affirmando id quod per epistolam scripsit, & attenta generalis commissarij asseueratione quod recepit fidem præfati Illustrissimi Protectoris, & eam fideliter fecit à notario fideli scribi auctoritate sua ordinaria, & quod fundādo se super illa fide pronunciauit grauissima mandata grauissimis censuris munita in omnes recollectos, qui præfato Illustrissimo domino Cardinali & sibi non crederent, neque parerent: Attento item, quod rigor iurium humanorum circa ea quæ apices eorum respiciunt, non est adeo seuere obseruandus apud regulares, [c] & quod ignorantia eorum magis quam scientia est tantæ religionis viris laudabilis: quandoquidem opprobrio est illis, se disceptationum forentium peritos ostendere. [d]

c Iuxta t. qualiter & quando. 2. sub finē de accusa.
d L. repetita. C. de episcop. & cler.

7 Attento item, quod siue iure communi, vel consuetudine, siue obseruantia Curiæ, creditur Cardinali asserenti aliquid sibi esse commissum à Papa viuæ vocis oraculo, vt colligitur ex Cardinali [e] & Panormitano, [f] & Felino, [g] & aliis ab eo citatis, præsertim Cardinali adeo maximo, ac est præfatus Illustrissimus: & attento quod est Protector ordinis, & adeo alienus à suspicione, & quod suspensio, de qua deponūt, non videtur suapte natura præiudicialis tertij, immo vtilis toti ordini, & eius trāquillitati.

e In clem. ne Romani. ver. eo ipso. de electio.
f In ca. quod super his. de fide instru.
g In cap. cum in iure peritus. de offici. deleg.

8 Quarto consideramus, quod subexequutor processus fulminati ab Illustrissimo Archiepiscopo Tarraconensis non erat canonicus Ecclesiæ cathedralis, nec constitutus in Ecclesiastica dignitate, & ita non potuit esse iudex, nec habere iurisdictionem per virtutem clausulæ *cæterum*, positam in processu fulminato, secundum verum intelligendi modum eius, quem nos tradimus & irrefragabiliter probamus in ca. *cum contingat.* [h] & ita omnia quæcumque ille fecit tamquam iudex executor, excommunicando, & declarando excommunicatos, & id genus alia, quæ non potest facere merus executor, fuerunt nulla, & nulliter facta, & non prosunt quicquam præfatis recollectis, nec nocent eorum aduersariis, quamuis ipsi, vt puto, bona fide crediderunt ea fuisse valida, quia non satis intellexerunt prædictam clausulam *cæterum*, vti parum in litigandi arte exercitati, cum etiam in ea exercitatissimi ignorent intellectum eius in tota fere Hispania, donec nos Conimbricæ illum latissimè tradidimus, & probauimus, & nuper in vrbe nouè edidimus.

h De rescript. à num. 7.

9 Quinto etiam consideramus, quod etiam executor subdelegatus domini commissarij generalis deputatus ad intimandas literas præfati Cardinalis Illustrissimi, non satis iuridicè fecit ea quæ fulminauit contra præfatos recollectos. Tum quia fecit ea post appellationem interpositam. Tum quia non potuit ea facere vt subdelegatus præfati domini Protectoris: quia licet delegatus Papæ possit subdelegare, delegatus tamen delegati ab eo non potest id facere: & intentio præfati generalis commissarij videtur fuisse subdelegare potestatem, quam prætēdebat habere virtute literarum domini Cardinalis Protectoris.

10 Quamuis huic rationi responderi posset præfatum commissarium generalem habuisse potestatem ordinariam ratione sui officij, licet prætenderet habere talem tacitè etiam potestatem delegatam ab ipso domino Protectore: & quod habens duplicem potestatem procedendi, potest per vtramque procedere, & valebit actus, [i] *nisi essent viri prouidi.* [k] & alia singularia, quæ tradit Felinus, [l] & consequenter quod facta per subdelegatum, vel subexecutorem generalis commissarij, valebunt tamquam facta à delegato ipsius virtute ordinariæ iurisdictionis, quamuis non valeant tamquam facta à subexecutore præfati domini protectoris.

i Per cap.
k De præben.
l In c. cum ex officio. nu. 21. de præscript.

A Sexto consideramus, quod præfatus commissarius generalis iustè potuit prohibere præfatis recollectis, ne facerent Capitulum, quod prętendebant, absque ipso, & intimare quod volebat interesse illi, quia præfatum breue faciebat ei præfatam facultatem: & ita præfatos recollectos, qui prætendebant præfatum breue non esse suspensum, teneri ad admittendum ipsum in præfato Capitulo iuxta illius tenorem.

11 Nec obstat dicere, quod cùm præfatus commissarius prætenderet breue præfatum esse suspensum, non poterat vti eo, argu. regulæ. *ex eo non debet quis fructum consequi, quod visus extitit impugnare.* [a] Quia responderi potest noluisse

a Lib. 6.

B præfatum commissarium vti facultate præfata interessendi Capitulo, ex eo solo, quod eam præbebat ei breue, sed potius eo quod non tollebat eam ei breue præfatum, sed iure officij sui, habebat eam.

12 Septimo consideramus, quod rationibus quæ insinuantur ad probandum electionem præfatam esse nullam, responderi posse videtur. Primo quidem ad primam, quod suspensio breuis non erat legitimè intimata, vt supra dictum est, & quod de non apparentibus & non existentibus idem est iudicandum. [b]

b L. duo sunt Titij ff. de testamen. tutel.

13 Ad secundam, quòd à mandato commissarij fuit appellatum ex probabili causa, & ideo prohibitio eius non nocebat recollectis, nec proderat aduersæ parti. [c]

c Arg. tit. nihil innouari appell. pend. ff & c. non solum. de appel.

C 14 Ad tertiam, quod nullo iure cauetur quòd Capitulum legitime congregatum non possit eligere prælatum, absente illo, qui si esset præsens, deberet præsidere Capitulo, dummodo maior pars conueniat in aliquem idoneum eligendum.

15 Ad quartam, quod excommunicatus post appellationem ex probabili causa interpositam non est vitandus in extra iudicialibus. quales sunt electiones, [d] & quod non est asserendum, quod iure non est cautum. [e]

d Ca. solet. de sent. excom. lib. 6.
e Cap. consuluisti. 2. q 5 §. consideremus in authen. de triente & semis. col. 3.

16 Alia tamen duplici ratione videtur electio præfata inualida. Prima est, quod Capitulum præfatum congre-

D gatum contra præceptum commissarij, nullo iure habebat verum ius eligendi, neque erat in possessione illius, non enim habebat iure communi & suæ regulæ, neque iure speciali præfati breuis, quia vere erat suspensum, quamuis verè nesciretur à Capitulo suspensio: sicut præsentatio facta à patrono, qui verè non est patronus, nec est in possessione iuris presentandi, licet crederetur talis, non valet, & est declaranda nulla, simulac constiterit præsentantem non esse patronum, neque esse in quasi possessione iuris præsentandi, vt docetur communiter. [f]

f In c. consultationibus de iure patro. & in ca. cum ecclesia Sutrina. de cau. poss.

17 Secunda ratio est, propter malam fidem, si capitulares & vocales fuerunt in ea constituti per præceptum & censuras præfati domini commissarij: quoniam electio &

E præsentatio à malę fidei possessore facta non valet, iuxta notata in dicto cap. *consultationibus.* [g] Sed quia recollecti negare possunt se fuisse in mala fide constituti, dicentes non credidisse breue præfatum fuisse suspensum efficacior est ratio præcedens.

g Et d. c. cum ecclesia.

18 Octauo consideramus, neutros præfatorum fratrum, nec obseruantes, neque recollectos peccasse mortaliter, faciendo quæ fecerunt, nisi mala fide fecerint illa, credendo, vel debentes credere præfatum breue fuisse vel non fuisse à S.D.N. suspensum, antequam congregarent Capitulum, & eligerent ministrum. Tum quia qui bona fide facit aliquid, quod non licet iure humano positiuo, errando circa intellectum eius dubium, non peccat mor-

F taliter, iuxta celebre Innocentij dictum [h] à plerisque omnibus receptum, vt vtiliter de more scripsit Felinus [i] & præfati omnes fratres, qui bona fide credebant esse iusta quæ faciebant, alioquin non facturi, fecerunt ea, errando circa intellectum iurium humanorum adeo dubiorum, quod multi etiam Iurisperiti eruditissimi habiti errauerunt, & errant.

h In capi. per tuas. 2. de simon.
i In c. 1. colū. penult. de re iudic.

19 Nono ex præmissis cōsiderationibus inferimus, præfati Illustrissimi Domini Protectoris, & aliorum superiorum ordinis præfati Illustrissimi eiusdemque altissimi partes esse, declarare primum prefatas electiones tam ministri, quàm aliorum custodis & guardianorum in præfato Capitulo factas, fuisse ac esse inualidas & nullas: deinde declarare: nullos eorum qui præfato Capitulo inter-

fuerunt

fuerunt, neque illos, qui contra eos protestati vel alloquuti fuerunt, exceptis, qui mala fide id fecerunt, peccasse mortaliter, & subinde non incidisse in vllas censuras, nec vllam irregularitatem contraxisse ob id, quod eis ligati diuina celebrarunt, saltem vsque ad tempus in quo constitit, vel debuit constare ipsis de prædicta suspensione.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus delegatus non habet maiorem coniunctionem cum Capitulo, quam Legatus, nec Capitulum est magis suum, quam Legati.*

1 *Vniat si Episcopus tamquam Sedis Apost. delegatus beneficia ex Concil. Trid. sess. 21. cap. 5. consensus Capituli non videtur necessarius.*

2 *Delegatus in causa sibi delegata est maior quam Legatus.*

## CONSILIVM X.

AN Episcopus tamquam delegatus possit vnire beneficia sine consensu Capituli per [a] Concilium Tridentinum.

1 Respondeo ad hanc quæstionem, quod videtur posse. Tum quia Legatus potest id facere, vt determinat Petrus à Perusio. [b] Tum quia omnes rationes, quibus potest id facere Legatus, probant idem facere posse Episcopú tamquam delegatum, cum Episcopus, vt delegatus, non habeat maiorem coniunctionem cum Capitulo, quam Legatus, nec Capitulum sit magis suum, quam Legati.

2 Tum quia delegatus in causa sibi delegata est maior quàm Legatus. [c]

*Aduertendum, referri sacram Congregationem censuisse contrarium.*

a Ca. 4. de reform. sess. 21.

b In tract. de vnione cap. 5. nu. 18. & c. sicut vnire. de excessib. prælat. clem. 2. de reb. eccl. aliē.

c Ca. studuisti. de off. legat. c. sane. de off. delegat.

## DE OFFICIO IVDICIS ORDINARII.

SVMMARIVM.

1 *Possessionem beneficij taliter non amittit etiam sponte resignans, quin spoliatus possit agere de spolio.*

2 *Gesta ab eo qui titulum beneficij, seu officij, etiam per spontaneam renunciationem perdidit, si non perdidit possessionem, cum retineat administrationem, etiam si sint absolutiones sacramentales, tenent: & idem si titulum habuit à superiore quidem, sed inualide.*

## CONSILIVM I.

VTRVM gesta à beneficiario priuato beneficio ipso iure per promotionem, vel aliam causam, antequam expellatur à possessione, vel relinquat illam, valeát.

1 Et pro parte quidem affirmante facit primo cap. *licet* [d] quatenus probat non perdere quem possessionem, & administrationem beneficij, eo quod perdat illud, & eius titulum ipso iure. Secundo faciunt multa, quæ nos scripsimus in repet. cap. *accepta.* [e] per quæ probamus possessionem beneficij non perdi ipso iure per renunciationem etiam spontaneam, adeo quod, si spoliaretur, posset agere de spolio contra spoliantem, iuxta dictum Innocentij, [f] & consequenter non potest ei tolli administratio beneficij renunciati, donec relinquat possessionem, vel expellatur ab ea legitimè, & gesta interim per eum valent.

2 Tertio facit l. *Barbarius.* [g] quatenus probat gesta ratione publici officij possessi ab eo, qui caret vero titulo eius, valere. Quarto, quod per illum textum, & alia concludit Panormitanus communiter receptus, [h] quod gesta à prælato, qui habuit titulum à superiore, & adeptus possessionem, valent, etiam si titulus sit inualidus, vel perditus ipso iure, & nihil iuris habeat in suo beneficio, episcopatu, vel dignitate. Quinto, quod ipsemet Panormitanus communiter receptus affirmat [i] quod absolutio à peccatis facta à prælato tolerato, & possidente beneficium, vel dignitatem, ratione cuius audit cōfessionem, valet, etiam si ipso iure perdidit titulum, & nihil iuris habeat in eo. ergo etiam ea, quę facit aliquis Episcopus manens in possessione sui episcopatus, & ante quam derelinquat eam, vel priuetur ea, valent, etiam si ipso iure perdidisset episcopatum, vel ita ille vacasset, vt nihil iuris haberet in eo præter possessionem, & administrationem, quam habebat ratione tituli prius à Summo Pontifice habiti. Salua, &c.

d 2. de preb. lib. 6.

e Oppo. 5. de restit. spolia.

f In cap. super hoc. de renūc.

g ff. de offic. prætoris.

h In c. nihil. à n. 11. de elect.

i In c. dudum. 2. de elect. à num. 20

SVMMARIVM.

1 *Episcopus in quolibet loco suæ diœcesis non exempto, etiam in sua camera pro tribunali sedere, & ius dicere, tam per se, quàm per alium potest, modo locus sit honestus, & illum partes possint sine magno incommodo adire. nu. 2. sic & Archiepiscopus in sua diœcesi archiepiscopali. num. 1.*

1 *Legatus plurium prouinciarum potest negotia vnius prouinciæ in alia expedire.*

1 *Limitatio legis penul. ff. de iust. & iure.*

2 *Arbiter in quolibet honesto loco sententiam ferre potest.*

3 *Episcopus constituere debet vicarios statarios, nu. 5. item & archipresbyteros. num. 7.*

4 *Præscriptio immemorialis, item & 40. annorum liberat ab obligatione iuris, sed non contra id quod dictat ius naturale, quia esset irrationabilis. num. 7.*

5 *Consuetudo fere totius orbis ab omnibus seruanda est.*

5 *Episcopi ad vicarios generales constituendos cogi possunt ab Archiepiscopo: quia aliter non possunt bene regere sibi commissos. num. 7.*

6 *Concesso vno, conceditur & id sine quo concessum commodè fieri non potest: sed & qui tenetur & debet aliquid facere, tenetur etiam ad id sine quo debitum commodè præstare non potest.*

## CONSILIVM II.

CVM in Polonia diœcesis vnius Episcopi per dietas circiter 10. vel plures extendatur, & Episcopi tribunalia stataria nullibi habeant, & modo in vno, modo in alio oppido habitent: Quæritur primo, an citati ab Episcopo, seu coram eo litem habentes teneantur in quolibet loco, vbi sit Episcopus, comparere, & ius suum prosequi. Secundo, an dicti Episcopi cogi possint ad tenendum in aliquo certo loco vicarium statarium.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM dico, quòd quærela hęc cleri Poloniæ videtur esse contra ius expressum à Bonifacio Papa scriptum. [a] cuius verba sunt, *Cum Episcopus in tota sua diœcesi iurisdictionem ordinariam noscatur habere, dubium non existit, quin in quolibet loco ipsius diœcesis non exempto per se, vel per alium possit pro tribunali sedere, causas ad ecclesiasticum forum spectantes audire, personas ecclesiasticas, cum earum excessus exegerint, capere ac carceri deputare, necnon & cætera quæ ad ipsius spectant officium liberè exercere.* sic etiam Legatus in qualibet parte suæ legationis potest expedire, quæ ad illam spectant, etiamque negotia vnius prouincię in alia suæ legationis, si ad multas est missus, [b] sic Archiepiscopus in quolibet loco suæ diœcesis archiepiscopalis, [c] vnde Baldus Angelus, & Iason limitauerunt legem penult. [d] quatenus habet ius esse dicendum in loco maiorum, vt non procedat in Episcopo per prędictum cap. *cum Episcopus.* [e]

2 Facit quod etiam arbiter potest iudicare vbi voluerit, modo locus sit honestus, [f] poterunt ergo Episcopi Poloniæ in quacumque parte suarum diœcesum audire & definire causas spirituales, criminales, & ciuiles, inter sibi subditos, & in sua camera, vt dicit Francus, [g] modo locus sit honestus, vt dicit glossa *ibi*, & modo partes sine magno incommodo litigare possint, quod solus Francus dicit ibi, & potest pro eo allegari præd. §. *si arbiter*, in illis verbis, *si litigatores facile eo loci venire possunt*, quamuis illum §. ad hoc ipse non pōderet, & aliū textum idoneum ad id allegarit.

3 AD SECVNDAM dico primo, quod non videtur vllus canon id præcipere, & quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinuentione non est præsumendum. [h] Secundo, quod Panormitanus [i] dicit non meminisse textum, qui clarè probet teneri Episcopum ad constituendum vicarium generalem, etiam non statarium: quamuis id efficaciter probetur in cap. *in nona actione.* [k] Tertiò, quòd primitiua Ecclesia non videtur habuisse talia tribunalia ad cognoscendum de causis clericorum, cum Paulus [l] relatus in summa, [m] dicat Christianos etiam laicos non debere litigare.

4 Quartò, quòd Episcopi Polonię possunt dicere se non habuisse antehac huiusmodi tribunalia stataria, & ideo etiam si iure debuissent ea habere, præscriptione tamen tum ordinaria quadraginta annorum, tum immemoriali, de cuius initio nō est memoria, essent à tali iure liberati. [n]

5 Pro parte autem affirmante facit primò, quòd consuetudo totius fere orbis Christiani habet, vt Episcopi teneát huiusmodi tribunalia stataria in ciuitatibus primarijs suarum diœcesum: & huiusmodi consuetudo generalis ab omnibus seruanda videtur. [o] Secundo, quod omnes Episcopi tenentur constituere vicarios generales, & possunt

a In cap. cum Episcopus. de offic. ord. li. 6.

b Cap. nouit. de offic. deleg.

c Cap. vt litigantes. de offi. ordin. lib. 6.

d ff. de iustit. & iure.

e De offi. ord. lib. 6.

f L. si nō dies. §. si arbiter. ff. de recept. arbit.

g In d. c. cum Episcopus.

h 2. quæ. 4. ca. consuluisti.

i In c. quoniā in plerisque. de officio ord.

k 16. [illegible] in cap. fin. de offici. archipresbyt.

l 1. ad Corinthios 6.

m 14. quæ. 1.

n Arg. cap. de quarta. de præscrip. & c. super quibusdam. de verb. sign. & le. hoc iure. §. ductus aquæ. ff. de aqua quotid. & æstiua.

o Cap. contra morem. 100. dist.

cogi ad eos constituẽdos per suos Archiepiscopos: immo Archiepiscopi videntur posse ipsos constituere, si ipsi noluerint illud facere,[a] & tradit Panormitan[9] receptus.[b] At vicariorum constitutio parũ satisfaceret clero, & populo eorum, nisi haberent tribunal statarium: ergo debent illud habere. Tertio, quod non possunt excusari dicendo quod ipsi soli sufficiant toti clero, & populo regendo, quoniam hæc allegatio confutatur in cap. fin.[c]

6 Quarto neruosè facit, quòd sicut cui conceditur aliquid, nõ solum videtur concedi illud sine quo concessum fieri nequit,[d] sed etiam illud sine quo id commodè fieri potest, vt eleganter de more asseruit Aretinus[e] quem sequitur Decius[f] contra glossam[g] quod irrefragabiliter probatur per l. penult.[h] ita quicumque tenetur facere aliquid, tenetur ad faciendum illud sine quo id vere fieri nequit. At Episcopi Poloniæ tenentur reddere ius clero suarum diœcesum, immo & populo quo ad negotia ecclesiastica, & nequeunt id satis & bene facere sine huiusmodi tribunalibus statarijs: ergo debent ea designare.

7 Quinto facit, quod ratio canonica, qua Episcopi tenentur constituere vicarios, & habere archipresbyteros, est, quia non possunt satis bene regere per solos semetipsos, etiam si plurimum valeant, vt probatur cap. fin.[i] & eadem ratio suadet, vt teneant prædicta tribunalia statarià: ergo debent ea tenere.[k] Sextò, quia non obstant opposita: quoniam illa procedunt, quando ius naturale non obuiaret eis: at ius naturale, & ratio naturalis ex eo fluens, quæ dictant, eum qui tenetur ad aliquid, teneri ad ea, sine quibus id satis bene fieri nequit, obuiant eis, vnde nec vlla præscriptio & consuetudo possunt eis prodesse, quippe quæ essent irrationabiles, & contra ius naturale, contra quod illæ non valent,[l] Salua. &c.

a Ca. cum simus. 9. q. 3. & dict. c. in nona actione. 10. q. 7.
b In dict. cap. quoniam in plerisque.
c De offic. archipresb.
d Leg. 2. ff. de iurisdict. omnium iudic. c. præterea. de offic. deleg.
e In c. de testibus. colum. 3. de testib.
f In c. vt debitus honor. colum. 8. de appellat. & in d. c. præterea. & alibi sæpe.
g In ca. solet. de senten. excom. li. 6.
h ff. de vsufruct. & in l. quicumque. §. si ei quem. ff. de instit. act.
i De offic. archipresb.
k Arg. l. illud. ff. ad l. Aquil. ca. dudum. 2. de elect.
l Capit. fin. de consuet. c. quæ contra. 8. dist.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus iure antiquo communi non potest quidem cognoscere, neque conferre, neque confirmare, neque statuere, neque corrigere sine consilio Capituli, nunc verò vtitur iure quod ei competit ex statuto, priuilegio, consuetudine, concordia, vel quouis alio quæsito titulo, & vlterius ex sacro Concilio procedit contra Capitula exempta tamquam sedis Apostolicæ delegatus, tam in visitatione, quam extra, limitatè tamen secundum formam capit. 4. sess. 6. & cap. 6. sess. 25. eiusdem Concilij. num. 3. 4. & 5. quæ duo capita secundum Auctorem videntur etiam seruanda in cathedralibus & collegiatis non exemptis, in quibus Episcopi ante Concilium aliter non præscripserunt. num. 5.*

1 *Prælati collegiatarum, quibus scilicet collegiatis competit ius præsentandi, præsentant quidem, sed cum consensu Capituli.*

2 *Prælati contra ius Capituli, & è contra, multa & valide præscripserunt.*

## CONSILIVM III.

AN Cap. 6.[m] Concilij Tridentini declarans cap. 4.[n] habeat locum in Ecclesijs etiam non exemptis quo ad moderationem de eligendis in principio anni duobus canonicis ex Capitulo, cum quibus teneatur procedere Episcopus, cum extra visitationem ex officio, vel ad instantiam partis procedit contra aliquem capitularem?

1 Respondeo primò, quòd iure antiquo communi Episcopus non potest conferre, neque confirmare, neque statuere, neque corrigere sine consensu Capituli,[o] immo requiritur consensus Capituli in præsentationibus faciendis à prælatis Ecclesiarum collegiatarum.[p]

2 Secundo præsuppono, quod multa circa hoc inueniuntur vsucapta, siue præscripta à prælatis contra ius commune, & declaratum est præscriptionem illam valere,[q] & contra à Capitulis contra prælatos.[r]

3 Tertio, quòd in multis Ecclesijs tam collegiatis, quàm cathedralibus erant multæ cõtentiones ante Concilium Tridentinum super correctione & punitione canonicorum, & aliorum Capitularium, eo quòd multi prælati potius arbitrio, & libito suo, quam sacrorum canonum, puniebant, & corrigebant eos, & ita in multis ecclesijs erant statuta, vt prælati adiungerent sibi aliquos de Capitulo, de quorum non solum consilio, sed etiam consensu debebant prælati procedere: & ideo sacrum Concilium videtur statuisse duo prædicta capitula ad sedandas discordias.

m De refor. sess. 25.
n De reform. sess. 6.
o Ca. quanto. de his quæ fiunt à prel. sine cons. Ca.
p Cap. ... scitur. eod. tit.
q Ca. 3. de cõsuet. lib. 6. & dict. ca. ea noscitur.
r Ca. irrefragabili. §. excessus. de offi. ordin.

4 Quartò, quòd cum sacro Concilio non interessent Capitula, & soli Episcopi sine Capitulis illa statuissent, visum est nonnullis inclinasse magis in fauorem Episcoporum, quam Capitulorum & quòd in fine prædicti cã. 6. reseruatur Episcopis salua omnis potestas, quæ vltra illã, quæ ibi statuitur, competeret eis statuto, priuilegio, consuetudine, concordia, vel quocumque alio iure, cum tamen Capitulis nihil tale videatur reseruatum: nam in d. cap. 4. tolluntur eis iura sibi quæsita per exemptionem, consuetudinem, priuilegium, vel alium modum, adeo quòd Episcopi possunt tamquam delegati auctoritate Apostolica procedere contra illa: &[a] ampliatur, vel declaratur, quod facultas in eo data Episcopis competat eis, etiam cum procedunt extra visitationem, cum moderatione, de qua ibi, scilicet quod adiungat sibi duos canonicos electos per Capitulum, & de consensu tantùm illorum procedat, nisi quo ad apprehensionem.

5 Quinto, quod videtur posse probabiliter dici, quòd prædicta duo capitula vendicant sibi locum in omnibus Ecclesijs cathedralibus & collegiatis exemptis, & non exemptis, in quibus Episcopi non quæsierunt ante prædictum Concilium ius pacificum vltra potestatem, quæ ipsis datur per ius commune aliquo titulo legitimo. Tum quia generaliter loquuntur, & ita generaliter sunt intelligenda.[b] Tum quia ratio pacis & concordiæ, quã desiderauit Concilium inter prælatos & sua Capitula, videtur id suadere: & lex extenditur ad limites suæ rationis.[c] Tum quia experientia constat conuenire reipub. vt aliquorum prælatorum plus volentium dominari, quàm pascere gregem, & pro libito amore vel odio absoluere & condonare hos & illos capitulares sibi resistentes vel obsequentes, potentiæ obuietur per adiunctionem duorum canonicorum, vt prædictum statuit Concilium.

*Congregatio tamen, vt refertur, censuit, cap. 4. sess. 6. & cap. 6. sess. 25. procedere in Capitulis exemptis tantùm.*

a In d. cap. 6.
b Cap. si Romanorũ. 19. disti. l. de pretio. ff. de publ. in rem actio.
c ca. suggestũ & ca. meminimus. de appel. in quibus id notat Panor.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus ex officio cogere potest beneficiarium ad exhibendum titulum.*

1 *Possessio decennalis non sufficit sine titulo ad beneficium petitoriè repetendum, sed sic ad titulum præsumendum. nu. 4. 5. 6. & 10. nisi quando in matrimoniali cum possessione concurrit fama tituli, quia tunc repetit. num. 3.*

2 *Beneficium sine institutione canonica non potest obtineri.*

2 *Animarum salus omni alij commodo præferenda.*

2 *Beneficium sine titulo retinens, etiam post longum tempus peccare videtur.*

3 *Argumentum de matrimonio carnali ad spirituale validum.*

4 *Possessio triennalis quærit titulum possidenti, secundum opinionem glossæ regularum Cancellariæ.*

4 *Titulus ex antiqua beneficij possessione præsumitur. n. 6. & 10.*

5 *Solennitas extrinseca præsumitur ob lapsum longi temporis.*

5 *Subdiaconus præsumitur, qui diu vsus est subdiaconatu.*

7 *Possessio antiqua defendit beneficiarium etiam contra prælatum, ne ab eo exigat probationem tituli, aliter quàm per iuramentum: immo nec hoc exigit, si alias hunc approbauit etiam tacitè puta accipiendo ab eo procurationem in visitatione tamquam à titulari.*

7 *Procurationem, visitans Episcopus, accipiens ab aliquo tamquam beneficiato, censetur eius approbare titulum.*

8 *Insolita fraudem quamdam præseferre videntur.*

9 *Regula de triennali iuuat execrabilem contra tertium, & si sit decennalis, etiam contra Episcopum, modo alleget dispensationem.*

10 *Argumentum à contrario desumptum ex dictis non dispositis, sed narratis parum valet.*

11 *Cap. ordinarij. de off. ordin. lib. 6. habet locum nedum in beneficijs quæ possidentur in titulum seu commẽdam, sed etiam quæ possidentur vt vnita.*

12 *Episcopus cogere potest decennalem execrabilem ad iurandum credere se canonicè obtinuisse dicta beneficia.*

## CONSILIVM IIII.

QVÆSITVM est primo, an Episcopus nouè creatus cogere possit beneficiarium suum subditum ad ostendendum titulum sui beneficij, quod pacificè vltra 20. & 30. annos possedit.

Secundò, an cogere possit possidentem incompatibi-

lia beneficia pacificè vltra prædictos 20. vel 30. annos ad exhibendum dispensationem,qua ea iustè retinere potuit.

1 AD PRIOREM QVÆSTIONEM respódeo, quod pro parte affirmatiua facere videtur primo glossa vltima [a] quatenus asserit posse Episcopum ex officio cogere subditum ad exhibendum titulum sui beneficij. Secundo glossa vltima [b] quatenus habet, petentem beneficium in titulum non se posse iuuare præscriptione. Tertio iura multa,quibus prædictæ glossæ nituntur. Quarto, quòd Innocentius licet aliqua ex parte variare videatur, tandem tamen concludit saltem per relationem ad textum, [c] quod volenti repetere beneficium, non sufficit quod possederit illud pacificè etiam per decem annos, etiam cum fama tituli canonici.

2 Quinto,quod est regula firma tam in cap.1.[d] quam in alio ca.1.[e] quã etiã in c.ex frequentibus. [f] quod beneficiũ à nemine potest sine canonica institutione licite obtineri.

Sexto, quod animarum salus præferenda est omni alij commodo. [g] At beneficiarius tenens beneficium sine canonica institutione,etiam post decem annos, & quodcũque aliud tempus, peccare videtur, [h] quia licet contra alium quærat exceptionem, sibi tamen non quærit dominium beneficij,vt latè affirmat Panormitanus communiter receptus [i] & communiter videtur Episcopus habere potestatem eum ex officio suo expellendi à beneficio, quod tenendo peccat.[k]

3 Pro parte autem negatiua facit primo cap.*illud*.[l] quatenus habet,eum,qui fuit in possessione matrimonij cum fama de matrimonio per 10.annos, posse repetere illam, quam pro coniuge per tantum tempus possedit:& cũ argumentũ à matrimonio carnali ad spirituale valeat, iuxta glossam celebrẽ,[m] pro qua est c. *licet*. [n] consequens est, ꝙ etiã beneficiarius, qui possedit beneficiũ pacificè per 10. annos,saltẽ cum fama tituli,debet presumi beneficiarius.

4 Secundo facit regula Cancellariæ, [o] quæ statuit ne possessor huiusmodi triennalis molestetur.& glossa illius antiqua [p] tenuit per huiusmodi triennalem possessionem quæri titulum possidenti.

5 Tertio, quod quamplurimi citati à Felino [q] & quos sequitur ipse, tenent ex antiqua possessione pacifica beneficij præsumi titulum beneficij,ea ratione,quia licet solemnitas extrinseca non præsumatur regulariter interuenisse,[r] fallit tamen ob lapsum longi temporis, iuxta glossam & omnes,[s] vnde & Innocẽtius [t] dicit eũ qui subdiaconatu vsus est longo tẽpore sine literis,esse præsumendum subdiaconum.& ita non videtur esse mirandũ,quòd præsumatur titulus beneficij in lõgi temporis possessore:pro quo aptè facit l.*si filius*,iuncta glossa [v] & l.*quæ in aliena*.[x] & illa quæ eis adijciuntur ibi,& alibi sæpe.

6 Quarto quod Rota ætate nostra pro hac parte sententiam dixit,vt testatur Cassadorus [y] ibi. *Voluerunt Domini in vna causa Bononiensi de mense Martij 1519.coram D.Petro de Capizucchis inter Aemilium de Blanchis & quemdam alium, quod regula Cancellariæ de trien. etiam locũ haberet in eo qui decennio possederat,& nullum titulum producebat, ex eo quod ius præsumit titulum ex sola possessione antiqua: nam si quis vt rector beneficiũ tanto tempore poßidet,in eo ius habet,& præsumitur titulus,vt dicunt Innocentius & Hostiensis* [z] *& Dominicus*.[a] *Ratio, quia cum Episcopi visitando inquirant de titulo*,[b] *non est præsumendũ. quod ipsimet subditi quo ad curata permisissent tali cursu temporis retineri Ecclesiam absque canonico titulo*.hæc ille.

7 Et ne cui videatur, Cassadorum sentire huiusmodi triennalem possessorem posse defendi quo ad aduersarium petentem beneficium,nõ autem quo ad Episcopum volentem ex officio cogere ad ostẽdendum titulum,perpendat hæc verba,quæ subdit: *Verum est, quòd prælatus,licèt ex quo tolerauit diu in possessione subditum, non poßit eum compellere ad ostendendum titulum beneficij, tamen potest in se suscipere onus probandi defectum tituli, vt cap*.dilecto.*& ibi Abbas* [c] *& in d. cap.* licet *Heli.& Dominicus*.[d] Quinto, quod communis opinio secuta Hostiensem, [e] tenet non posse Episcopum cogere huiusmodi beneficiarium ad aliud,quàm ad iurandum se habere titulum,neque ad hoc,si expressè, vel tacitè consenserit in illo, secundum Cosmam,[f] ea ratione, quod prælatus, qui tacitè vel expressè approbauit beneficiarij titulum, non potest cogere ipsum ad ostendendum illũ, [a] & addit quod accipiens à beneficiato procurationem illum visitãdo, videtur tacite approbare eum esse talem, quamuis Innocentius quem ad hoc citat [b] id non videatur asserere.

8 Sexto facit,quod insueta videntur præseferre aliquid fraudis,iuxta l.*si quis sub conditione*.adiuncta glossa quam ad hoc ponderat Baldus ibi,[c] & insuetum & insolitum videtur,quod aliquis post possessionem 20.aut 30.vel 40. annorum pacificum compellatur edere titulum sui beneficij.Et ita quamuis forte incomparabilis prædicti Episcopi virtus splendore suo omnem dolum & fraudem auertat apud eos qui eum nouerunt, apud tamen iudices, qui non adeo respiciunt personam, forte non omnino dilueret. Per quæ arbitror Reuerendissimo summi Auditorij Rotæ Patres in hanc partem negatiuam inclinaturos, & responsuros ad contraria quod procedant in beneficiario, qui non ostendit titulum verum, nec longi temporis possessione præsumptum.

AD SECVNDAM respondeo,quod pro parte affirmante videtur canon expressus in cap.*ordinarij*.[d] innouatus per Concilium Tridentinum.[e] Secundo faciunt illa multa,quæ tradit Gomezius [f] in fauorem opinionis eorum,qui tenuerunt in Rota,quod regula de triennali possessore non iuuat execrabilem, siue illum qui tenet duo incompatibilia contra extrauagantem *execrabilis* Ioannis XXII.si non monstretur dispensatio legitima.

9 Pro parte vero negante faciunt alia plura, quæ citat ibidem pro opinione contraria, quam tenuisse Rotam in tribus vel quatuor causis asserit, videlicet quòd triennalis possessio pacifica defendit etiam execrabilem, etiam non monstrata dispensatione, modo allegetur. At idem, quod facit triennalis possessio contra aduersarium agentem,videtur facere decennalis siue longi temporis possessio contra Episcopum volentem cogere beneficiarium ex officio ad ostendendum titulum, vel dispensationem,per citata in responsione præcedentis dubij. Secundo, quod non obstat id, quod ait [g] Gomezius alium, quàm ordinarium,non posse cogere triennalem possessorem ad ostendendum dispensationem incompatibilium: innuendo à contrario sensu,quod ordinarius potest cogere.

10 Non,inquam, hoc obstat. Tum quia argumentum à contrario in verbis narratiuis eius,qui non disponit, parũ virtutis habet,vt post Antoninum [h] tradit Felinus.[i] Tum quia loquitur tantũ de triennali possessore, & non de decẽnali,vel antiquiore, quem titulus præsumptus defendit etiam aduersus superiorem inquirentem, vt dictum est.

11 Tum quia Dominicus & Francus super eod.cap.*ordinarij*. communiter receptus dicunt illum textum non habere locum contra antiquum decennalem, vel longioris temporis possessorẽ. Tum quia eadem ratio videtur suadere,ne teneatur ostendere dispensationem,quę suadet vt non teneatur ostendere titulum: quia tam contra ius est tenere beneficium sine titulo,quam tenere duo beneficia cum titulis aliàs canonicis,sine dispensatione:immo fortè magis,si res satis expendatur.Tum denique quod ratio illa præsumendi interuentum solennitatis extrinsecæ, qua supra diximus niti Felinum post alios in supradictis locis, & ratio præsumptionis,quo tanto tempore non sustinuisset ordinarius possidentẽ sine titulo,qua nititur Cosmas[k] immo & ratio Innocentius quam tangit [l] videlicet quod tanto tempore non est facile seruare titulos,& scripturas, videntur ita excusare ab ostendenda dispensatione, sicut ab ostendendo titulo. Omitto, quod posset alicui videri satis probabiliter prædicto cap.*ordinarij*.esse quidem locũ in beneficijs quæ tenentur in titulum, vel commendam, non autem in ijs quæ obtinentur per vnionem & annexionem ad aliud beneficium,vel religionem,& ordinẽ. [m] Omitto,inquam, hoc: quia licet in recuperanda quadam commenda Roncæuallis, quam quidam Commendator sancti Iacobi per viam vnionis detinebat, multum negotij mihi olim fecerit, non tamen arbitror satis firmum ad hoc, vt censeatur prædicta Ecclesia ista ratione exclusa à prædicto cap. *ordinarij*.sicut etiam prædicta vnio,quæ non est perpetua, sed solùm ad vitam eius, cuius commendæ vel ordini annexa est, non potest cadere sub cap. 6. [n] nec sub cap.13.[o] Concilij Tridentini.

a Ca.1.de reg. iur.lib. 6.
b In cap.contingit. de dol. & cont.
c In ca. illud de præsump.
d De reg.iur. li. 6.
e De eo qui mit.in poss.eo. lib.
f De instit.
g 1.q.7.c.sanctimus.& c.ille.22.q.5.c.si habes.24.qu. 5.
h Per d.ca 1. de reg. iur.li. 6.
i In c.cõtingit. à n.10.de dol. & cont.
k Arg.c.1.de off.ord.& l.cũ gruit.ff.de off. præsid.
l De præsum.
m Cap.bonæ. 2. de elect.
n De trãslat. prælat.
o 33.siue de trien.poss.
p Pag.4.
q In cap. licet Heli.n.10. de simon & in d. c.illud. de præsump.& c.Alberic°.de test. & in c.sicut. à num.26.de re iud.
r L. quicumque. §.fin.de publ. in rem act.
s In c. peruenit. de empt. & vend.
t In ca, super his, sub fine de accusat.
v C. de petit. hæred.
x §.1. de acquir.hæred.
y In decis. 8. super regulæ. Canc.
z In ca.illud. de præsump. & in ca, licet Heli.de simõ.
a Cons.87 apparet.3.col.
b Ca.ordinarij.de off. ord. in 6.
c De prob.
d In di. cons. & in d.ca.ordinarij,
e In d.ca.licet Heli,
f In tit de pacif. poss §. ordina.in verb. inquirẽt pag. pen.

a Arg. c.dilecto.de probat. & ca. ex ore. de his quæ fiunt à maior. part. Capitu. cũ eis adnot.
b In c.veniẽs. de fil. presb.
c ff. de cond. instit.
d De offic.ordin.lib.6.
e Sess.7. ca.5.
f In regul. de trien.q.10.
g Ibidem.
h In cap.cum Apostolica de his quæ fiunt à maiori parte Capit.
i In ca.significasti. de for. compet. n.13.
k Vbi supra.
l In d.c.illud. de pr[illegible]
m Arg.c. super eo. de præb.lib.6.
n Sess 7.de reform.
o Sess. 24.

12 Itaque

12 Itaq; arbitror DD. Rotæ, si de hac causa iudicauerint, iudicaturos ad summum, quod Episcopus poterit prædictum beneficiarium execrabilé cogere ad iurádum quod credit bona fide se obtinuisse canonicè prædicta beneficia, & quod si Episcopus voluerit probare defectum tituli, siue quod beneficiarius nō habuit illa canonicè, modis, quibus id legitimè probare poterit, est admittendus, Salua, &c.

SVMMARIVM.

*1 Vicario parochiali vacanti simpliciter dato, non omnes fructus, sed congrua portio debetur: sed nec Episcopus vsque à principio posset omnes eidem assignare, nisi omnes essent necessarij. nu. 2.*

*2 Intellectus cap. 18. sess. 24. Concil. Trid. de reform.*

## CONSILIVM V.

1 AD quæstionem respondetur primo, D. ordinarium fuisse aliqua ex parte negligentem, eo quòd non præstituit D. cōsulenti certam partem fructuum congruā in suum stipendium.

2 Secundo, quod non potuit à principio statuere pro congrua portione omnes fructus Ecclesiæ prædictæ. Tum quia facultas concedendi stipendium concessa ordinario à Concilio Tridentino, [a] restringitur ad certam partem fructuum. Et quamuis posset dicere ordinarius, quòd omnes fructus posset concedere, si omnes coniuncti non excederent congruam portionē annuam, tamen in casu proposito, attenta Ecclesiæ qualitate, non sunt omnes ad id necessarij: quia præsupponitur eos ascendere ad centum aureos. Et ideo videtur quod œconomus debet esse contentus ea parte illorum, qui sufficiunt ad congruam portionem arbitrio ordinarij iustè determinandam.

a *In ca. 18. de refor. sess. 24.*

SVMMARIVM.

*1 Exorcismus in genere sumptus, est omnis adiuratio & increpatio quæ contra dæmonem exercetur: & sic acceptum nec Episcopus, immo forte nec Papa potest Christianis, cum eā à Christo accipiant, prohibere, nu. 2. illum autem qui præmittitur baptismo, & à solis sacerdotibus baptizantibus de consuetudine exhibetur, non potest Episcopus restringere, nec decet vt Papa id faciat. nu. 3. sed nec illū, qui sine alia cæremonia super obsessos exercetur, potest quis saltem Papa inferior, nisi quo ad indecentia prohibere. nu. 4. & 5. illum autē qui super dictos obsessos cum certis solemnitatibus ab Ecclesia introductis per deputatos solet exerceri, pōt Episcopus modestè restringere. 5.*

*6 Parochus clericos intra fines suæ parochiæ morantes potest quidē vrbanè, sed nō vt ad id obligatos, hortari vt ipsum in exercitio doctrinæ Christianæ iuuent.*

## CONSILIVM VI.

AN Sacerdoti vel clerico sæculari, aut regulari interdici possit, ne exorcismum energumenis adhibere possit, nisi is exorcizandi facultatem scripto exaratam ab Episcopo impetrarit? Et an rectè prohibeatur, ne in ædibus laicalibus, locisve priuatis, sed in Ecclesiæ loco aperto, & conspicuo, neque in omni & quauis Ecclesia, sed in iis solū, quas certas Episcopus statuerit, fiat exorcismus? Item ne ante ortum, nec post occasum Solis quisquá exorcizetur? Et an rectè statuatur, vt si qui exorcizat, sacerdos sit, antequam exorcismum inchoet, Missæ sacrum faciat?

Secundo, an clericos, qui Dominicis, festisque diebus, qua hora in choro diuinis officiis celebrandis astricti non sunt, parochus, intra cuius parochiæ fines habitant, in doctrinæ Christianæ scholis vbicumque loci intra fines parochiæ constitutis, vt sibi in hoc munere opem ferant, cohortari debeat?

1 AD QVATVOR in priori quæstione proposita respondetur primo, quod cum omnis adiuratio & increpatio dæmonis possit dici exorcismus energumenorum, vt significat ca. *clericos*. [b] & S. Thom. [c] dum ait exorcismū catechumenorum, qui præponitur baptismo, rectè dici posse exorcismum energumenorum: cumq; omnis Christianus habeat potestatem exorcizandi, & adiurádi dęmones increpando, iuxta illud. [d] *In nomine meo dæmonia eiicient*, vt tradit S. Tho. [e] titulus huius quæstionis videtur generalis ad omnem exorcismum & adiurationem increpatoriam dęmonum.

b *§. exorcistæ. 21. dist.*
c *In 4. dist. 6. q. 2. art. 3.*
d *Marci vlt.*
e *2. 2. qu. 90. art. 2.*

2 Secundò, quod accipiendo verbum illud tam latè, vt dixi, respondendum videtur quod non potest id facere inferior Papa, immo nec fortè ipse Papa: quoniam Christiani omnes accipimus potestatem adiurandi dæmonem increpatoriè nocte, diéque, idque frequenter facimus aspergentes nos aqua benedicta, & dicentes: *Ecce crucem Domini, fugite partes aduersæ, &c.* signantésque nos signo crucis, dicentes: *In nomine Patris, &c.*

3 Tertio, quod si titulus quæstionis restringatur ad exorcismum, qui præmittitur baptismo, respondendum videtur, nō posse id facere inferiorem Papa, nec decere ipsum Papam id facere, cùm consuetudine videatur restricta potestas illius exorcismi ad sacerdotes baptizantes, vt significauit S. Thom. [a] & omnino deceret, vt omnibus sacerdotibus baptizaturis imponeretur necessitas faciendi ea, quæ in quæstionibus continentur.

a *In d. dist. 6. q. 2. ar. 3. q. 3.*

4 Quarto, quòd si tituli quæstionum restringantur ad solum exorcismum arreptitiorum, siue à dæmoniis obsessorum, non videtur etiam posse restringi saltem ab inferiore Papa quo ad potestatem generalem, quam omnes Christiani habent iure diuino eiiciendi dæmonia, & adiurandi ea increpatoriè: quia tale statutum videretur contra ordinationem ab ipsomet Christo factam, [b] supra citatam. quam non potest tollere inferior Papa, [c] immo nec ipse Papa in totum, saltem sine iusta causa, iuxta *c. sunt quidam*, [d] adiunctis his, quæ notantur latè per Innocētium & alios. [e]

b *Marc. vlt.*
c *Argu capi. 2. de maiorit.*
d *25. quæst. 1.*
e *In cap. cum ecclesia. de cō stitutionibus.*

5 Quantum autem ad particularem potestatem, quam habent quidam in aliquibus terris particulariter deputati ab Episcopis ad officiū huiusmodi exorcizádi arreptitios cum superpellicio, & stola, & quibusdā aliis cæremoniis, videtur, ꝙ qui deputauit eos, posset astringere ad aliqua seruanda, quæ non tenerentur seruare alij, qui volunt vti sola potestate à Christo tradita, qualiter multi Sancti sine aliquo apparatu solo verbo vexatos à dæmoniis liberauerunt. Posset item Episcopus statuere, ne quis inordinatè ac immodestè vteretur huiusmodi potestate: quia id non esset legem nouam facere, sed confirmare legem naturalem, qua tenemur benè ac modestè facere quæ facimus. Restrictiones autem tantæ, quantas continent quæstiones prædictæ, non videntur esse facultatis episcopalis per prędicta.

6 AD VLTIMAM quæstionem respondetur, quod prędictis rectoribus licēt rogare, & hortari vrbanè prędictos clericos, vt eos adiuuent: quia hoc nullo iure vetitum est, & de se bonum est: hortari autem eos, vt ad id obligatos, non liceret: quia ipsi ad id nullo iure sunt obligati, & ita iniuriam facerent eis imponentes obligationem contra l. *iustitia.* [f]

f *ff. de iust. & iure. & §. 1. inst. eod. tit.*

SVMMARIVM.

*1 Episcopus ex officio contra vtentes matrimonio nulliter clandestinè contracto, & alios peccatores procedere potest via inquisitionis, modò fama præcedat. nu. 2. potest item via denunciationis euangelicæ & canonicæ. nu. 2.*

*1 Diœcesim peccatoribus mortiferè peccantibus potest Episcopus ex officio ob publicam vtilitatem, inquirendo, sicut & Præses prouinciam malis hominibus, purgare.*

## CONSILIVM VII.

AN Episcopus possit ex officio inquirere contra vtētes matrimonio clandestinè sine præsentia parochi contracto?

1 Respondetur quòd sic. Tum quia Episcopus potest ex officio suo nobili procedere ad vtilitatem publicam, & salutem animarum, & alia pia, secundum Bartholum receptum. [g] Tum quia sicut Præses prouinciæ in sæcularibus potest inquirere, & purgare prouinciā malis hominibus, [h] ita potest Episcopus in spiritualibus, & ecclesiasticis purgare suā diœcesim peccatoribus mortiferè peccantibus. [i]

2 Tum quia potest via denunciationis euangelicæ vel canonicæ procedere contra peccantes mortaliter iuxta cap. *nouit*, [k] vbi nos latius aliis, [l] tradimus. Tum quia etiam sine denunciatore per viam inquisitionis fama pręcedente potest procedere ad punienda adulteria, & alia crimina mortifera præsertim Ecclesiastica, quæ sacramenta tangunt, [m] & certum est esse crimen mortiferum, & grande, quod aliqui vtantur matrimonio nullo pro valido, vt

g *In leg. 4. §. hoc autem iudicium. ff. de damn. infec. per c. 1. de offic. ordin.*
h *Iuxta l. congruit. ff. de officio præsidis.*
i *Per dict. ca. 1. de offic. ord.*
k *De iudic.*
l *In 6. notab.*
m *Iuxta c. super his. & ca. qualiter & quando. 2. de accusat.*

do, vt palam est: & certum est, matrimonium contractum sine præsentia parochi competentis esse penitus nullum,[a] iuxta Concilium Tridentinum. Salua, &c.

a Ca. 1. de refor. matrim. sess. 24.

*SVMMARIVM.*

*1 Iudex ecclesiasticus in concubinarios potest aliis viis & pœnis, quā in sacro Concilio statutis, procedere.*

*2 Lex noua remediū adducens non censetur tollere aliud per alias leges inductum.*

## CONSILIVM VIII.

AN contra concubinarios posit procedi alia via, & ad alias pœnas, quàm quæ statuuntur in Concilio Tridentino?[b]

1 Respondetur, quòd iudex ecclesiasticus potest procedere contra concubinarios, & concubinas aliis viis, & ad alias pœnas, quàm quæ constituuntur in d. cap. 8. Tū quia iudex ecclesiasticus potest procedere contra prędictos per viam accusationis, & denunciationis, iuxta cap. *super his*,[c] & prædictum cap. 8. solum videtur agere de via inquisitionis, quamuis insinuet à contrario sensu per illa verba, *Etiam nullo requirente*, posse illum procedere etiam alia via: quia illud verbum, *etiam*, implicat casum minus dubium.[d] Tum quia finis illius cap. habet non tolli per illud alias pœnas contra eos statutas.

2 Tum quia lex noua remedium adducens non censetur tollere aliud per alias leges iam inductum,[e] & renunciās vni ex duobus remediis competentibus sibi non videtur alteri renunciare[f]. Tum qua in hac ipsa materia punitionis clericorum fornicariorū latè resoluit Panormitanus,[g] quod variæ pœnæ sunt institutæ contra huiusmodi clericos fornicarios, & ideo potest iudex arbitrari super pœna imponenda, declinando præsertim ad imponendam mitiorem.

b Cap. 8. sess. 24. de refor. matrimonij.

c De accusation.

d Arg. l. etiā. ff. de minorib.

e Le. quoties. ff. de actio. & obligatio.

f Le. quoties duplici. ff. de reg. iur. arg. l. si domus. vbi Bart. ff. de seruit. vrba. prædiorum. & c. extua rum. de auct. & vsu pallij.

g In capi. atsi clerici. nu. 30. de iudic. & c. si autē de cohabi. cleri. & mulier.

*SVMMARIVM.*

*1 Beneficium simplex perpetuum potest ordinarius ex iusta causa de consensu patroni facere manuale amouibile ad nutum laicorū patronorum, ita vt desinat esse beneficium ab Episcopo conferendum.*

*1 Beneficia inferiora sui episcopatus, ordinarius potest vnire, diuidere, de nouo creare, & extinguere.*

*2 Amouibile ad nutum patroni laici beneficium, beneficium nō est, sed seruitium quoddā manuale, temporarium, quod à patronis laicis datur, & accipitur sine periculo incurrendi pœnas, quas incurrunt qui de manu laici capiunt beneficium. nu. 7.*

*3 Fructus veri beneficij, quos sacerdos ad illud à solo patrono laico, tamquam esset manuale seruitium, & non beneficium, bona fide deputatus, percepit, non restituat.*

*3 Error iuris licet non prosit ad acquirendam rē ipsam, prodest tamen ad acquirendos fructus, & hoc (omissa opinione Bartoli, & aliorum distinguentium) etiam si esset error iuris resistētis. Ratio est, quia in acquisitione fructuum sufficit quod absit mala fides. nu. 6.*

*4 Errorem facti & non iuris habet, qui putat se habere titulum, cū non habeat, sicut & qui possidet rē Ecclesiæ ex sola concessione Episcopi, putans interuenisse consēsum Capituli, prodestq́; ad acquirendum nedum fructus, sed & rem.*

*5 Error iuris dubij ad vsucapiendum prodest, sicut & error facti.*

## CONSILIVM XI.

AN Episcopus posit reddere beneficiū aliquod simplex, siue capellaniam de perpetua manualem?

1 Respondetur, quod facilè defendi potest, ordinarium præsertim Legatum, posse iusta de causa cum cōsensu patroni facere, vt aliqua capella perpetua, in qua ad præsentationem eius instituitur capellanus, & rector perpetuus, fiat temporaria, & ad nutum amouibilis: quoniam certum est ordinarium posse vnire, & diuidere, & de nouo creare, & extinguere beneficia inferiora sui episcopatus.[h]

2 Nec obstat, quod collatio beneficij, & institutio præsentati in eo sunt res spirituales, & non cadunt in laicum, qui est incapax iuris non solùm conferendi, & instituendi, sed etiam eligendi, quod est minus,[i] nisi priuilegio papæ, iuxta glossam celebrem.[k] Non inquam hoc obstat, quoniam per ordinationem, qua capella perpetua fit temporaria, & ad nutum amouibilis, non datur ius conferendi, vel instituendi patrono laico, sed extinguitur capella perpetua, & loco illius erigitur manualis, quod patronus potuisset ab initio ordinare etiam sine consensu Episcopi, vt scilicet darentur certa scuta annua alicui clerico ad seruiendum capellæ, ita vt posit ad nutum amoueri, & poni sine aliquo titulo perpetuo Episcopi, ita quod extinguitur beneficium, quod debet esse perpetuum.[a] & consequenter desinit ordinarius habere ius instituendi, sed non queritur illud patrono, qui etiam perdit ius præsentandi ad beneficium: quia iam non est tale, sed libertatem quærit ponendi, & tollendi, quem, & quoties voluerit, quod est grande & vtile frenum ad continendum capellanum in officio virtutis, ne patronus resciens illius vitium amoto eo ponat alium, quæ posset esse magna causa faciendi capellam, siue beneficium de perpetuo manuale.

h Ca. sicut vnire. de exces sibus prælatorū. & ca. præcipimus. & c. pluries. 16. q. 1 & cap. 1. de reb. eccles. nō alienand. lib. 6. & clem. 2. eod. tit. & ca. cum accessissent. & ca. ex parte. de constitut.

i Cap. sacrosancta. & ca. Messana. de elect. capi. inuentum. & c. memini. 16. quæst. 7.

k In ca. imperium. 10. dist. & in summa. 10. quæst. 7.

a Cap. inuentum. 16. qu. 7. & ca. presby. 56. dist.

SED DATO, quod fuerit declaratum ordinarium non potuisse hoc fecisse; Quæritur, an qui bona fide possedit huiusmodi beneficium, siue capellaniam per multos annos, vt manualem & tantùm auctoritate patroni, teneatur ad restitutionem fructuum?

3 Responderi potest, quod non tenetur restituere, per l. *bonæ fidei*,[b] Panormitanum & alios,[c] post Bartholum,[d] & omnes,[e] Couarruuiam:[f] quia licet error iuris non prosit ad vsucapiendam rem ipsam,[g] prodest tamen ad vsucapionem fructum per l. *sed & si*:[h] & Dinum,[i] quod ponitur pro regula à multis. quos refert Felinus,[k] quamuis trepidè hanc rem tractet,[l] & Franciscus Balbus.[m]

4 Primo quidem ea ratione, quod iusta credulitas tituli, quæ ex errore facti descendit, prodest ad vsucapiendum, & præscribendum etiam ipsam rem, de qua quæruntur fructus,[n] quod affirmant, & confirmant auctoritate multorū præfati Felinus & Baldus. At præfatus consulēs videtur errasse errore facti, credendo quod in præfata ordinarij dispositione interuenit iusta causa cum aliis necessariis ad sic disponendum, qui error facti est. Tum quia, qui possidet aliquid Ecclesiæ per concessioné Episcopi dicentis se illam de consensu Capituli facere, si verè capitulum non consentit, dicitur duci errore facti, & præscribit, vt determinat Rota,[o] quam etiam Felinus & Baldus sequuntur. Tum quia credere quod Episcopus potuit illam facere iusta de causa cum consensu partium, & aliis necessariis, non est profectò error iuris, sed vera illius scientia, per ea quæ nos allegauimus, per quę irrefragabiliter probatur ordinario fuisse potestatem etiā extinguendi penitus illud beneficiū iusta causa, & aliis necessariis interuenientibus: quanto magis mutandi illud in aliam formam in mille mundi partibus vsitatam?

5 Secundo, quod error iuris dubij perinde prodest ad hoc, sicut error facti, vt est textus, quem ad hoc multum commendat Panormitanus in cap. *cum dilectus*,[p] & alij alibi, glossa memorabilis,[q] quod etiam confirmant pręfati & alij citati ab eis, & in his Felinus,[r] & est celebre dictum Innocentij,[s] in multis locis à Baldo commēdatum, quod contraueniens iuri humano dubio per errorem non peccat: & sententia lata contra ius dubium vel obscurum nō censetur nulla, vt latè tradit Felinus,[t] licet sentētia lata contra ius regulariter sit talis.[v] At error, quo dominus cōsulens credidit præfatam dispositionem ordinarij valuisse, est error facti, vt dixi, aut saltē error iuris dubij & obscuri: ergo ille excusat, & ad hoc prodest. Non est verò curandum de illa distinctione Bartoli an sit contra ius assistens, vel contra ius non resistens, quamquam eam multi sint secuti. Tum quia præfatus §. *scire*, sine vlla distinctione determinat bonæ fidei possessorem quærere fructus, dummodo non sit prædo, id est malæ fidei possessor, quem non debuit Bartholus & qui cum sequuntur ex suo capite limitare. Tum quia non est vllus textus, nec vlla ratio efficax, quæ illam limitationem probet. Tum quia error iuris, siue sit contra ius non assistens, siue contra ius resistens, est error contrarius: & ita vel neuter deberet prodesse, aut vterque. Tum quia ad quærendos fructus sufficit, vt mala fides absit, licet bona fides positiuè non adsit. etiam secundum eumdem Bartholum, & Felinum ac alios sequaces eius.

b ff. de acqui. rerum domi. & §. si quis à non domino. Instit. de rerū diuis.

c In ca. graui. de restitutio. spolia.

d In le. ex diuersis. ff. de rei vendicat.

e In l. si me & Titium. ff. si certum peta.

f Lib. 1. var. cap. 3.

g L. numquā. ff. de vsucapion.

h §. scire. ff. de petition. hæredit. & gloss. in l. si fur. ff. de vsucapion.

i In regula possesso. de regu. iuris. li. 6.

k In capit. de quarta. de præscrip.

l Num. 24.

m In le. Celsus. not. 4. de vsucapion. & alij ab eis citati.

n L. 2. in prin. ff. his qui pro empt.

o In titul. de præscript. in decisio. 3. in nouis.

p Num. 12. de consuetud.

q In c. verbo de cætero. de postul. prælat. lib. 6.

r In ca. 1. columm. penul. de re iudic.

s In capit. per tuas. 2. de simon.

t In d. colūn. penul.

v Cap. 1. de re iudic.

Tum

6 Tum denique, quod credulitas iustitiæ tituli, quam habuit præfatus, plus fuit error facti, quàm iuris, vt supra dictum est: & si fuit error iuris, non fuit plus contra ius resistens, quam illa, de qua loquuntur §. *scire*, & Bartholus qui loquuntur de credulitate, qua hæres credebat testamentum valere: quia credebat fuisse factum solemniter.

Per quæ nullius inhabilitatis timor est habendus, eo quod videatur accepisse beneficium ecclesiasticum de manu laici contra multa cap. [a] quia non accepit vt beneficium perpetuum, sed vt seruitium manuale temporarium, quod potest, & quotidie dat laicus, & quod illa iura loquuntur de capiente beneficium sine colorato titulo. Salua, &c.

a 16. quæst. 7.

SVMMARIVM.

*1 Monitoria generalia præcipientia testificationem, reuelationem, ac restitutionem sub variis formis concedi solent, & possunt, modo non transgrediantur dispositionem canonum de re super qua feruntur statuentium, num. 2. Vnde licet Episcopi de iuris rigore possent mandare vt blasphemantes denuncientur, non tamen possunt mandare vt id fiat omissa fraterna correptione, nec vt denuncientur ea quæ non possunt probari: immo dicti casus censentur excepti, etiam quod monitoria illos in specie non excipiant. num. 5. Subditi item cauere debēt, ne cadant in peccatum detractionis. nu. 2. & 4. sed & forte expediret magis, si Episcopus omissa hac via, quæ populum perturbare, ac rixarum fomes, ac aliorū peccatorum occasio esse solet, nu. 3. & 4. in visitatione à generali ad specialē contra blasphemos procedendo inquisitionem, blasphemiæ extirpare delictum curabit. num. 6.*

*3 Excommunicatio etsi pro futuro peccato, vel contumacia non satisfaciēdi possit ferri, at quod pro præterito peccato ferri possit, non videtur, nisi sit notorium.*

*4 Duobus procedendi modis sese offerentibus, illum eligat iudex, qui plenior & placidior sit.*

## CONSILIVM X.

Conqueritur ciuitas quædam, eiusque diœcesis, quod Episcopus publicare vult monitorium quoddam, ad finem reuelationis sub pœna excommunicationis contra eos, qui blasphemant nomen Dei, aut sanctos eius, vel qui præsentes fuerint. Quæritur itaque, an huiusmodi monitoriū possit licitè publicare Episcopus, &, si liceat, an generaliter expediat propter simultates, & alia, quæ inde possunt oriri inter virum & vxorem, patrem & filium, aliósque vinculo societatis coniunctos: deinde, quia, cum videatur esse crimen mixti fori, hac via daretur occasio declinandi à foro sæculari.

1 Ad hanc quæstionem respondeo primò, nō posse aliquem illi satisfacere non facta copia monitorij, quod dicitur esse publicatum, quoniam, vt ipse in repetitione ca. *inter verba*, [b] de monstraui, multiplicis formæ possunt esse huiusmodi monitoria: aliquādo enim monēt subditos, vt denuncient, aliquando vt testificentur, aliquando vt denuncient notoria vel famosa, vel testificentur super illis, denuncient etiā secreta, aliquando vt restituāt, aliquādo vt dicant monenti tamquā iudici, aliquando vt dicant ei tamquam bono viro, qui prodesse possit, & non obesse, &c. vt colligitur ex ca. *inquisitionis.* [c]

2 Secundò respondeo, quòd Episcopus potest ferre huiusmodi monitoria, non transgrediendo dispositionem canonum disponentium super materia, in qua ea vult ferre, iuxta glossam solemnem, [d] textum cap. *qui cum fure.* & ibi annotata per Panormitanum, [e] & ab aliis alibi.

Tertiò, quòd huiusmodi monitoria variè pro varietate formarum illorum magna cum prudentia & discretione sunt à subditis obseruanda, ne incidant, & incurrant vitium detractionis, & infamationis, & ne grauiter & mortiferè peccent, vt ipsi *in dicto coroll. 66.* admonemus.

3 Quartò, quòd pro parte negatiua quæstionis propositę facit primò, quod Episcopus non videtur posse excommunicare aliquem pro peccato præterito, nisi sit notoriū, vel fuerit condemnatus de illo, & noluerit parere, [f] sed solum pro futuro, vel pro contumacia nolendi satisfacere pro præterito, per ea multa quæ glossa memorabilis, [g] adducit. At Episcopus præfatus pœnam excommunicationis infligit, vel intentat subditis innocentibus: ergo illud ei non licet. Secundò, quod non est danda vlli occasio peccandi, [a] & præfatum monitorium videtur dare occasionē peccandi per rixas, & odia, quæ ex huiusmodi denunciationibus concipiuntur à denunciatis contra denunciantes, vt palam est.

4 Tertiò, quod de duabus viis perueniendi ad aliquem finem eligenda est plenior, & placidior. At dominus Episcopus posset per visitationem, & inquisitionem generalem informare se de huiusmodi blasphemiis, & blasphemis, [b] & postea sine turbatione populi per inquisitionem specialem procedere contra eos, quos inuenerit culpabiles, [c] præsertim quòd non est periculum in mora breuis temporis. [d] Quarto, quòd per ea, quæ ipse latè vbi supra scribo, credibile est multos peccaturos multùm in hac re, alios quidem denunciando secreta, & ante correctionem fraternam, alios denunciando ea, quæ non debent denunciare, & quando, & alio modo quàm oportet, præsertim si non detur iusta dilatio ad consulendum peritiores, & prudentiores, alios autem aliis modis, quos ipse vbi supra tracto.

5 His tamen non obstantibus, credo, quod de rigore iuris posset Episcopus ferre eiusmodi monitorium temperatum, & modificatum, ne includeret secreta, & quæ non possent probari, nec personas, quæ ad id non tenentur, nec excluderet correctionem fraternam, quam ipse non potest excludere, nec iuberet, vt statim antequam illa congruo tēpore, modo, & ordine fieri possit, huiusmodi blasphemiæ sibi statim denunciarentur, per ea quæ D. Thomas scribit, [e] & alia quæ nos addimus vbi supra: immo etiam, si hic Episcopus non temperaret suum edictum, ita temperandum esset per supradicta, dolentes, quod plurimi plurimū errant in respondendo, non solum huiusmodi edictis durissimis, sed etiam chartis, & monitionibus, quas super rebus perditis & furto sublatis passim solent dare ordinarij, & solemnius Curia, appellando illas *significauit.*

6 Ad opposita responderi posset eo fere modo, quo respondendum esset ad defendendas prædictas chartas. Mea tamen sententia prudētius, & Deo gratius ageret Episcopus, si procederet primum per viam visitationis, & inquisitionis generalis, & postea per inquisitionem specialem, vt supra dictum est.

SVMMARIVM.

*1 Edicta Episcoporum procedere quidem debent à puritate consciētiæ & zelo iustitiæ, sed discretionis ratione carere non debent: vnde poterit ab eis appellari, si nimis breuem dilationē pro qualitate rei agendæ necessariam, num. 2. vel obscuritatem siue repugnantiam contineant. nu. 3.*

*4 Edicta quæ obligant ad denunciandum, non obligant eos qui non possunt probare, nec quæ fiunt ad reuelandum, obligant vbi non processit fama, nec ante præcedentem correptionem fraternam, quam si emitti iuberet prælatus, peccaret simul cum ei parentibus: aliud verò est quando fiunt ad testificandum.*

*6 Blasphemiæ peccatorum, optimum quidē est, extirpare, sed omissa via edictorum præcipientium reuelationem, satius videtur à via inquisitionis generalis ad inquisitionem particularē contra culpabiles repertos descendere. nu. 1.*

## CONSILIVM XI.

Svmma edicti Episcopi hæc est, *Præcipimus tam maribus, quam fœminis insolidum prædictas blasphemias sentientibus, audientibus, vel aliquam de iis notitiam seu scientiam habentibus, vt eodem, vel sequenti die, quo id nouerint, reuelent coram nobis, vel vicario nostro, & notario rogato in forma debita, personam quę blasphemauerit, aut ignominiose nominauerit Deum, Virginem matrem, vel aliquem Sanctum, sub pœna excommunicationis, & decem ducatorum: & quod ab huiusmodi excommunicatione nullus confessarius absoluat, nisi prius mandato, vel præcepto præfato satisfaciat.*

1 Interrogatus, an ciuitas, in qua præfatum edictum publicatum est à suo reuerendissimo Episcopo, iustè de illo conqueri possit? Respondeo primo laudandum esse plurimum zelum eius erga Deum, Virginem matrem, & alios Sanctos, quo motus est contra vitium blasphemiæ, quod iure quis miretur adeo apud aliquos vsitari, cùm nullam vtilitatem, nec voluptatem habeat sibi coniunctam, neque vllum honorem, sed potius magnam infamiam. Secūdò, quòd

b 11. q. 3. cōcl. 6. coroll. 66. num. 331.
c §. tertia. & c. qualiter & quando. 2. de accus. l. Diu. 2. ff. de custodia reorum. ca. presbyt. c. mala. 1. q. 5. c. vestra. de cohabita. cler. & mulierū. c. manifesta. 2. q. 1. c. si sacerdos. de offic. ordin.
d Ca. ex parte. de verbo. singul.
e De exces. prælat. c. consanguineos de repudiis. & in d. ca. si sacerdos.
f Cap. nemo. 2. 11. q. 3. & c. sed illud. 45. dist.
g Ca. ex parte. 1. de verb. sign.

a Cap. fin. de iniuriis.
b Iuxta ca. 1. de off ordi. & l. congruit. ff. de offi. præsid.
c Iuxta c. inquisitionis. de accusa.
d L. si debitore. ff. de iudic.
e 2. 2. qu. 33. art. 7.

dò,quòd forte in casu proposito locus est illi elogio Alex. iij.[a] *Puritati conscientiæ non debet deesse discretio rationis.* cum in proferendo edicto adeo duro in ciuitate, quæ numquã simile audierat,maior moderatio desiderari potuisset.

a *In c.non solum.de regul. lib.6.*

2 Tertio , quòd ciuitas appellare potuisset ab eiusmodi edicto ob nimiam breuitatẽ temporis,quod præfixit subditis ad denunciandum,iuxta dictum Innocentij , [b] nimis enim breue tempus præfigitur denunciaturis , vt eodem die vel sequenti id faciant , cum vt nos latè probamus , [c] magna prudentia & discretione vti oporteat in respondẽdo huiusmodi edictis,ne quis reuelando quod non debet, vel alio modo,quam debeat,peccet mortiferè infamando proximum.

b *Ca.1.de dilation. per illum tex.*
c *In repet.ca. inter verba. 11.q.3. cõcl.6. corol. 66.nu. 280.*

3 Quartò, quòd etiã poterat appellari ab eo ob obscuritatem & repugnantiam,qua secum videtur pugnare , cũ præfatus Reuerendissimus non ferat, sed tantùm comminetur excommunicationem,& postea iubeat ne confessarij absoluant ab ea,donec satisfaciant præcepto.comperti enim iuris est,quod per sola illa verba , *sub pœna excommunicationis*,non fertur excommunicatio , nisi addantur illa, *Latæ sententiæ*.vel alia eiusmodi,iuxta glossam receptam , [d] & quod non est , non potest solui , [e] & ita vel debuerunt addi illa verba , *Latæ sententiæ* , vel alia iis æquipollentia, vel non debuit reseruare absolutionem vinculi,quod non præmiserit.

d *Ca.1.de sagit.*
e *Ca. ad dissoluẽdum. de despons. impub.*

4 Quintò , quod debuisset animaduertere quòd verba huius edicti obligant subditos ad denunciandum; & non tantùm ad testificandũ,per ea quę nos tradimus,[f] & quòd nemo debet denunciare,nisi quod probari potest , & peccat si aliud faciat.[g] Animaduertere item potuit,quòd non debet quis reuelare prælato etiam visitanti generaliter peccatum occultum , de quo non est fama , vt nos probamus,[h] & latius superius. [i] Animaduertere item potuit, quod non poterat præcipere reuelationem prædictarum blasphemiarum , nisi saluo ordine correptionis fraternæ, iuxta illud S.Thomæ recepti in 2.2.quæst.33.artic. 7.ad 5. *Quando prælatus præcipit,quòd sibi dicatur quod quis sciuerit corrigendum,intelligendum est præceptum sanè saluo ordine fraternæ correptionis,siue præceptum fiat communiter ad omnes, siue ad aliquem specialiter Sed si Prælatus expreßè præciperet cõtra hunc ordinem à Domino institutum,& ipse peccaret præcipiens, & ei obediens,quasi contra præceptum Domini agens , vnde non esset ei obediendum.* Hæc ille,& traditur etiam à nobis. [k] Considerare item potuisset,quod lenius,& minus amarè potuisset procedere ad puniendum has blasphemias , primum inquirẽdo generaliter,[l] & postea procedendo per inquisitionem specialem contra eos quos inuenisset blasphemasse.[m] Hęc respondimus interrogationi generali responsuri , si opus fuerit,interrogationibus specialibus , in gratiam eius qui me interrogauit,& in gloriam Dei,qui nos omnes seruet, Amen.

f *In d.66. corol.num.286.*
g *Ca placuit. 6.q.2. & notatur in cap. qualiter & quando. 1. de accus.*
h *In di. corol. 66.num. 30?.*
i *In corol.46. & sequen.*
k *d. corol.66. num.283.*
l *Iuxta c.1.de off.ord. & le. congruit ff.de off.præsid.*
m *Iuxta c inquisitionis. de accusationib.*

## DE OFFICIO IVDICIS.

### *SVMMARIVM.*

*1 Iudex rogatus instrumentum,quo centum mutuo data, & quinque pro interesse taxata petuntur,exequi debet, nec ex officio potest,reo non opponente,actorem,nisi ei tamquam iudici constet de vsuraria prauitate,tamquam vsurarium repellere,cum in dubio delictum non sit præsumendum.*

*1 Interesse verisimile à principio pacisci potest.*

*2 Iudex secundum allegata & probata iudicare debet , & non ex priuata scientia.*

*3 Iudex de crimine generaliter , nulla persona expressa, inquirere potest, at contra certam personam non potest,nisi præcedẽte fama probata per acta publica.nu.5.& 6.*

*4 Vsurarios notorios tantùm iudex ex officio declarare potest.*

*5 Iudex vt actorem repellat , non sufficit reum non audere quidquam opponere.*

*5 Inquirere vt poßit iudex contra certam personã,requiritur quod præcedat fama iudicialiter probata , vel saltem semiplena probatio iudicialis delicti.num.5.nec admittenda praxis inquirentium ex suspicionibus leuiter & extraiudicialiter conceptis.nu.6.*

## CONSILIVM I.

QVidam A.petit à iudice executionem instrumẽti, quo se quidam B.obligauit ad restituendũ præfato A.100. mutuo accepta , & quinque pro interesse pro tempore,in quod illa accepit. Quæritur,quæ sint partes iudicis in admittendo,vel repellendo præfatum A.à iudicio.

Respondeo primò,quòd si debitor opponat contractũ esse vsurarium,audiendus est, iuxta formam legum,& statutorum circa hoc disponentium.

1 Secundo,quod si debitor nihil opponit,& iudex nihil nouit tamquam iudex, & tamquam publica persona contra illud instrumentum,neque contra in illo contẽta,quia neque notoriè,neque per confessionem actoris , neq; per sententiam contra eum latam, neq; per probationes corã ipso factas cõstat ei contractum illum esse vsurariũ , debet exequi instrumentum.Primò,quòd iudex nõ debet in dubio præsumere actorem delinquere,maleq; agere.[a] At nõ est certum actorem præfatum male petere , præsupposita opinione , quæ habet posse mutuantem & mutuatarium conuenire super interesse probabile,vt nobis visum fuit [b] in Manua.

a *Le. merito ff.pro socio. c. fin. de præsumpt.*
b *Cap.17.nu. 211. vers. & quod inter. & ca.25.n.9.*

2 Secundo, quod debet iudicare secundum allegata & probata, & non secundum suam priuatam suspicionem, immo nec secundum suam scientiam priuatã , [c] & est determinatio S.Thomæ à plerisque omnibus Theologis & Iurisperitis recepta. [d] At præfatus iudex , vt iudex, nescit quicquam contra præfatum instrumentum , neq; præfatũ actorem:quia præfatum instrumentum in sua forma nihil continet vsurarium,neque reus quicquam tale obiicit coram ipso.ergo malefaceret,si per suã suspicionem priuatã negaret ei iustitiam,contra illud Ambrosij , *Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit,& proposito domesticæ voluntatis:sed iuxta leges,& iura pronunciat , statutis iuris obtemperat , non indulget propriæ voluntati,&c.* [e]

c *Le. illicitas. §. veritas. ff. de offic. præsid.cap.pastoralis §. quia vero.de offic. deleg.*
d *In 2.2.quæ. 67.art.2.*
e *Ca.iudicet. 3.quæst.7.*

3 Tertio,quod licet iudex poßit ex officio inquirere generaliter de criminibus sui territorij nulla expressa persona,[f] non tamen potest inquirere contra aliquem particularem,nisi per talem generalem inquisitionem fuerit notatus , vel nisi præcedente saltem fama iudicialiter contra illum probata coram ipso,vt nos latè probamus in rubrica de iudiciis,[g] & est casus in c.*qualiter & quando* , [h] suntq; ad id multæ rationes iuris naturalis ibidem à nobis adductæ : nec sufficit fama extraiudicialis , de qua profundius aliis tractamus nos in eadem rubrica. [i] Ergo iudex neque debet,neque potest inquirere contra actorem de vsura in contractu commissa,ex officio,ob id solùm,quòd petat pecuniam à se mutuatam cum interesse à principio conuẽto, cum per præsentationem præfati instrumenti non constet ei notoriè,neque per famam de tali vsura:quandoquidem licet partibus à principio conuenire de illo interesse probabili,vt prædictum est,præter quam de interesse cãbiorũ propter nouam Pij V.prohibitionẽ , de qua nos in nostro Man.confess.bis fecimus mentionem.

f *Iuxta l.congruit.ff.de officio præsid.& c. 1. de off.ordina.*
g *à num.53.*
h *2. de accusatio.*
i *Num.52.*

4 Quarto,quod nihil obstat ca.*cum in diœcesis* : [k] quia solum probat iudicem posse, vel debere declarare ex officio esse vsurarios eos , qui sunt notoriè tales , vel saltem sunt contra eos fama vel alia sufficiẽtia argumenta, quę iudex, tamquam iudex & publica persona nouit , secundum mẽtem omnium Doctorum,[l] cum,vt prędiximus,informatio iudicialis de fama ad id requiratur.

k *De vsuris.*
l *Ibidem.*

5 Quintò,quòd vt iudex repellat actorem à sua petitione,quæ secundum suam formam est iusta,nõ sufficit quod reus ob aliquos respectus in mente retentos nõ audet opponere exceptiones sibi conuenientes.Tum quia non cõstat illi iudici iudicialiter , & vt iudex ignorat omnia,quæ vt talis non cognoscit,per supradicta.Tum quia iudex nõ requisitus non tenetur,nec iustè potest impartiri officium suum in damnum saltem tertij ad vtilitatem priuatam , [m] neque ad vtilitatem publicam inquirendo particulariter contra aliquem non præcedente fama iudicialiter probata,vel saltem semiplena probatione iudicialiter facta, per ea quæ alibi,[n] dicimus.

m *L.4.§.hoc autẽ iudiciũ. ff. de damno infect.*
n *In d.nu.53. & seq.*

6 Sexto,quòd iudex satisfacit suæ conscientiæ,quam debet habere vt iudex , inquirendo ex officio generaliter in suo territorio,si quod habet,an sint aliquot vsurarij, nulla particulari persona nominata , & si per illam generalẽ inquisitionem inuenerit esse aliquem,vel aliquos particulares, poterit procedere contra illos particulariter texendo nouam telam iudicij , secundum mentem omnium rectè

intelli

intelligentium, & leges naturales, diuinas, & humanas canonicas rectè intelligentium omissa pessima praxi quorumdam iudicum infamantium multos procedendo cōtra eos ex suspicionibus leuiter & extraiudicialiter conceptis, ducentes se per scientiam priuatam, quam habent aliunde, quam ex actis coram se, & aliquando nimis audētes, aliquando nimis timentes omittunt viam regiam, quá iura naturalia, diuina, & humana strauerūt, & eunt per semitas nouas, & suo capite & sensu inuentas contra præfatum Ambrosij dictum, & alia multa, quæ non expedit referre apud virum, & iudicem doctissimum: cuius & alius cuiusuis melius quàm nos sentientis censuræ omnia prædicta subiicimus. Salua, &c.

## DE MAIORITATE ET OBEDIENTIA.

### SVMMARIVM.

1 *Vicarius Episcopi de iure omnes præter Episcopum præcedit, sed contraria consuetudo valet.*

2 *Præsidens Capituli præcedit suum Episcopum, cum ei vnus de Capitulo interest.*

3 *Consuetudo rationabilis præscripta omni humano iuri derogat.*

3 *Consuetudo, vel lex rationabilis vt sit, sufficit aliquo respectu esse talem.*

### CONSILIVM I.

AN Vicario Episcopi, si sit vnus de Capitulo, debeatur præcipuus locus in choro, necdū absente Episcopo, sed etiam præsente, cuius est vicarius?

1 Respondeo primò, quod Panorm. per multa argumēta nititur probare,[a] quòd vicarius Episcopi debet præcedere omnes clericos post Episcopū, immo & archidiaconum ipsum: & [b] vehementi animo tenet etiam quod consuetudo contraria non valet, immo est corruptela, & eum sequitur Felinus, [c] & eos videtur satis probare Bartholus Cassanæus. [d]

Secundo dico, primum dictum Panormit. satis defendi posse iure communi attento per illius argumenta, & etiá disputando.

Tertio, quod ego semper tenui contrarium secundi dicti. Tum quod vidi seruari contrarium in aliquot ecclesiis Hispaniæ, & quod etiam seruari in ecclesia Heduensi dicit præfatus Cassanæus vbi supra, addendo quod omnes antiquiores in promotione præcedunt vicarium Episcopi.

2 Tum quòd archidiaconus, siue decanus, & præsidens præcedit etiam ipsum Episcopum suum, cum interest Capitulo vt canonicus, quod etiam glossa recepta ab omnibus tenet,[e] & illam tenet communis, [f] & certum est magis irrationabile videri, quòd archidiaconus pręcedat Episcopum suum, quam vicarium eius: quod nescio quomodo nō aduertit noster auriga Panor. [g] neq; Felinus nec. Cassanæus. [h]

3 Tum quòd omnis consuetudo rationabilis præscripta valet contra quodcumque ius humanum.[i] Tum quòd cōsuetudo vt archidiaconus præcedat vicarium generalem, potest esse rationabilis aliquo respectu, licet altero videatur parum rationabilis, vt rectè considerauit Fel. ad aliud propositum. [k] Tum quòd non requiritur ad hoc vt consuetudo vel lex sit rationabilis, quòd omni respectu sit talis, sed sufficit quod aliquo respectu sit rationabilis, alioquin nulla consuetudo tolleret legem humanam contrariam rationabilem, vt potest mōstrari per mille exempla, in quibus potest esse l. *maximum verum*,[l] & in legibus, quas illa corrigit, & in statutis & primogeniis, in quibus statuitur rationabiliter, vt familiæ conseruentur, ne extantibus masculis fœminæ succedant. Tum quia tres rationes, quas ipse Panorm. proponit contra se, [m] sufficiunt ad faciēdam consuetudinem prædictam rationabilem. Tum denique quòd falsum est, quod præfata consuetudo sit contra ius naturale, vel diuinum: & rationes, quibus id asserunt Panorm. & Cassanæus sunt crassæ, siue grossæ, & fundatæ in intellectu parū dolato lègis naturalis, & diuinę. Salua, &c.

a *In consilio 21. primæ partis.*
b *In consi. 22. eiusdē partis.*
c *In c. statuimus. col. 1. de maior. & obed.*
d *In suo libro de gloria mūdi, parte 4. consid. 44. & 45.*
e *In ca. à collatione. de appellat. lib. 6.*
f *In ca. in ecclesia. de preben. lib. 6.*
g *In di. cons. 22.*
h *In prædict. locis.*
i *Ca. fin. cum similibus de consuetud.*
k *In d. ca. statuimus.*
l *C. de liberis præter[illegible]*
m *In d. cons. 1.*

### SVMMARIVM.

1 *Vicarius generalis Episcopi, simul & canonicus, debet & in choro & Capitulo, sedere in loco qui ei debetur vt canonico, si cōsuetudo non sit contraria.*

### CONSILIVM II.

AN Episcopi vicarius, cum etiam sit canonicus in eadem Ecclesia, in choro, & in Capitulo debeat sedere in loco canonici: de quo Geminianus,[a] ait quod sic.

1 Ad quæstionem respondeo, semper mihi placuisse opinionem Geminiani supra citatá, scilicet vicarium, qui est canonicus, in choro & Capitulo debere tenere locum canonici, nisi consuetudine contrarium esset inductum: qua ratione in quadam Ecclesia audiuimus contrariū esse seruatum, & seruari. Salua, &c.

a *Cap. cum à collatione. de appellat. in 6.*

### SVMMARIVM.

1 *Abbas priuilegiatus mitra, & baculo, carens collegio, dignitates Episcopo inferiores præcedit, non autem Capitulum cathedralis collegialiter sedens vel incedens.*

1 *Rector parochialis destitutæ non videtur habere beneficium curatum, sed simplex.*

### CONSILIVM III.

AN Abbas priuilegiatus, vt possit vti mitra, baculo, & aliis insignibus episcopalibus, carens autem collegio monachorum, debeat præcedere omnes alios beneficiarios, & habentes dignitates inferiores episcopatu?

1 Respondeo primo quæstionem hanc videri magnam, pro cuius vtraque parte multa possunt adduci. Nam pro parte affirmante facit, quòd receptum esse videtur per ea multa, quæ adducit Philipp. Decius in ca. 1. de iudic. Abbatem huiusmodi priuilegio insignitum habere dignitatem, debereque præcedere Archidiacono Ecclesiæ cathedralis, & aliis dignitatibus episcopo inferioribus, excepto Capitulo Ecclesiæ cathedralis collegialiter sedente, vel incedente. Et pro parte negante facit primò, quòd rector Ecclesiæ parochialis destitutæ non videtur habere Ecclesiam parochialem, & quòd rector parochialis habitu, & nō actu, non videtur habere beneficium curatum, sed tantum simplex iuxta glossam celebrem & communiter receptā,[b] & Panormitanum communiter receptum, [c] quod praxis vbique seruat.

Secundò, quòd quamuis non liceat mihi nunc occupato satis perpendere, & librare textus, & rationes, quæ pro vtraque parte inueniuntur, magis tamen in præsentia inclino in partem affirmantem, attentis eis quæ post Antoninum à Butrio tradit Dominicus,[d] super prędicta glossa, distinguendo, an disponatur de aliqua re, habita consideratione ad habitum tantùm, aut ad exercitium tantùm, aut ad vtrumq;, aut simpliciter: & quod in casu proposito agitur de honore, ac pręeminētia ipsius abbatiæ, & priuilegio rum eius, in quo videtur potius cōsiderari dignitas ipsius, & reuerentia, quę debetur ei propter se, ac sua insignia, quàm exercitium regendi suum collegium. Salua, &c.

b *In cap. licet canon. verbo parochialis. de electio. l. 6. & in cap. statutum. eodē. tit. & lib.*
c *In c. de multa. de preb.*
d *In d. c. licet.*

### SVMMARIVM.

1 *Collegiatæ ecclesiæ Prior titularis, habens in cathedrali canonicatus & dignitatem, tunc præcedit alios, quando vt singuli incedunt, secus si collegialiter stent, vel incedant: sicut & vnius monasterij Abbas, nu. 2. cui hic Prior æquiparatur, nu. 3. & si sit etiam ipse canonicus, manebit in loco, qui ei competit vt canonico, etiam si esset I.V.D & protonotarius; & aliam etiam maiorem haberet dignitatem. nu. 4.*

2 *Abbas vnius monasterij pręcedit singulos de capitulo cathedrali, sed non ipsum capitulum capitulariter congregatum.*

3 *Collegiatæ ecclesiæ caput habens illam in titulum beneficij, appellatur & est prælatus habens iure communi iurisdictionem fori exterioris in eos, qui sunt de collegio.*

### CONSILIVM IIII.

QVæritur an Prior Ecclesiæ collegiatæ, qui est etiam protonotarius, & D.V.I. quique est canonicus Ecclesiæ cathedralis eiusdem ciuitatis, in qua est illa Ecclesia collegiata, debeat præcedere canonicos, & dignitates Ecclesiæ cathedralis, quæ non habent eiusmodi qualitates.

1 Respondeo primò, quòd multa super hoc dubio afferri possent: sed paucis meam sententiam sic resoluo. Primo, quòd præcedit prædictos canonicos, & præfatas dignitates habentes temporibus, & locis, in quibus prædicti canonici & dignitates non sedent, nec incedunt collegialiter, sed singulariter tantum, non autem cum manent, vel incedunt collegialiter, vel capitulariter.

2 Tum quia secundum veriorem sententiam, Abbas vnius monasterij non præcedit Capitulum Ecclesiæ cathedralis manens, vel sedens collegialiter, præcedit tamen

eos, qui sunt Capituli, siue sint canonici, siue dignitates, cũ manent, vel incedunt singulariter, vt per longam disputationem concludit Bartholomæus Cassanæus,[a] vt colligitur ex ca.*decernimus*,[b] & adnotatis ei per Panormitanum, Andream, Siculum, & Decium,[c] & ex ca.fi.[d] & ca.*quamuis*,[e] quæ cum aliis multis citat Philippus Decius.[f]

3 Tum quia prælatus Ecclesiæ collegiatæ sæcularis, per cuius mortem sic vacat Ecclesia, ac per mortem Abbatis monasterium, æquiparatur Abbati, vt colligitur ex glossa & Panormitano,[g] & fundatur ea ratione, quòd omnis qui est caput Ecclesiæ collegiatæ, siue regularis, siue sæcularis, habet iurisdictionem in foro contentioso super eos, qui sunt de suo collegio iure communi, & non solum habet dignitatem, sed etiam prælatus Ecclesiæ dicitur, vt ait glossa & latius ibi Panormitanus receptus ab aliis,[h] & facit ca.*statutum*,[i] & ca.*iis quæ*,[k] & tradit Bartholomæus Cassaneus.[l]

4 Secundo, quod cùm prædictus Prior interfuerit canonicis cathedralis Ecclesiæ collegialiter manentibus, vel incedentibus, debet sedere, stare, vel incedere in eo loco in quo deberet, si non esset prælatus, neque Prior Ecclesiæ prædictæ collegiatæ, neque Protonotarius, neque Doctor: quia canonicus habens maiorem dignitatem, vel qualitatem, quã alij canonici, cum manet inter eos collegialiter congregatus vt canonicus, debet manere in loco, qui competit ei vt canonico, vt determinant expresse Dominicus & Philippus Francus,[m] & fundari potest etiam per cap.*postulasti*,[n] & per alia multa. Salua, &c.

a *In catalogo gloriæ mundi, 4 par. consid. 32.*
b *De iud.*
c *Nu. 3. 4. & 5.*
d *De off. de leg. lib. 6.*
e *§. quãquã. de preb. lib. 6.*
f *Vbi supra.*
g *Nu. 5. in ca. cum illorum. de sent. excomm.*
h *In ca. cũ ab ecclesiarum prælatis. de off. ord.*
i *De elect. l. 6.*
k *De maiori. & obed.*
l *In catalogo gloriæ mũdi, 4. par. consider. 38.*
m *In ca. à collatione. in fi. de apple. li. 6.*
n *De concess. preb.*

SVMMARIVM.

*1 Præcedentia præpositi collegiatæ sanctæ Mariæ de Scala.*
*2 Præcedentia prælatorum eiusdem dignitatis & nominis, quando conuentualiter cum conuentibus suis intersunt actibus, attenditur secundum antiquitatem ecclesiæ seu conuentus: quod si intersint singulariter, qui prius fuit promotus, præcedit, vt fuit resolutum in causa præcedentiæ inter canonicos regulares & sancti Benedicti monachos, numero 13. seruatq; consuetudo, vt primo creatus Episcopus primum habeat locum, numero 3. & hoc vltimum procedit etiamsi posteriori loco promotus haberet plures alios gradus, quorum nullus per se sufficeret ad causandam prælationem, numero 4. quandoquidem prioritas temporis præualet illis, numer. 8. & 14. licet hoc vltimum sit dubiũ: nam qui est Doctor vtriusque iuris præcedit Canonistam, num. 15. fallit autem quando posterioris dignitas haberet qualitatẽ, ob quam iura saltem implicitè determinarẽt eamdem aliis antecellere, numer. 14. vt est vsus mitræ vni ex duabus præposituris concessus, quia posterior præcederet nedum in locis, in quibus mitra gestatur, numero 7. & 8. sed etiã alibi. numero 5. 9. 10. 12.*
*3 Consuetudo optima legum interpres.*
*4 Plures gradus habens, quorum nullus per se sufficit vt alium præcedat nec virtute omnium simul iunctorum præcedat, contra numero 15.*
*4 Præcedentia concurrentium in tempore, habentiumque dignitatem eiusdem nominis & honoris attenditur ex additamento aliarum qualitatum etiam de se alias non causantium prælationem contra concurrentem: vnde qualitas doctoratus & protonotariatus attenderetur. & nu. 8.*
*5 Vincula duo vno fortiora.*
*5 Abbas mitra & baculo vtens alios præcedit.*
*6 Dignitas maioris loci alias eiusdem ordinis præcedit, & Doctor duarum facultatum Doctorem vnius.*
*8 Promotionis prioritas præualet qualitati doctoratus & protonotariatus extraordinarij. & num. 5.*
*9 Dignitatis maioritas prioritati promotionis præualet.*
*10 Dignitas episcopalibus insignibus decorata aliis eiusdem nominis maior.*
*11 Clausula per se posita trahitur ad antecedentia & sequentia at, posita accessoriè, restringitur ad id cui accedit.*
*13 Canonici regulares quando Benedictinos præcedunt.*
*13 Præcedentia præscriptione & priuilegio niti potest.*
*15 Præcedentiam non faciunt plures gradus inferiores in vno existentes contra habentem vnum singulis his superiorem: vnde magister artium & licentiatus in iure non præfertur Doctori canonum.*

## CONSILIVM V.

A Præsupponitur in facto, quòd præpositura collegiatæ ecclesiæ sanctæ Mariæ de Scala ciuitatis Mediolani vltimo loco post omnes alias collegiatas dictæ ciuitatis fuerit erecta in collegiatam, & quod in processionibus consueuerint præpositus & Capitulum dictæ Ecclesiæ simul incedentes vltimum locum inter alios præpositos & Capitula obtinere: quamquam deinde eidem R.D. præposito sanctæ Mariæ de Scala summi Pontifices contulerint insignia pontificalia, ac facultatem conferendi primam tonsuram, benedicendi, & multa alia ad pontificiam dignitatem spectantia.

B Quæritur modò, an ipse præpositus, licet incedens cum suo Capitulo habeat locum vltimum in processionibus, stantibus dictis prærogatiuis, & quod est Protonotarius Apostolicus, ac Doctor. I. V. ratione personæ, ac præposituræ, debeat alios præpositos præcedere in actibus extra processiones & separatis à Capitulo, an secus, & quẽ locum obtinere debeat.

1 Quæstio hæc satis difficilis est explicatu, eo quod varij Doctores variè locuti sunt in variis locis, nempe in l.*cum quid*,[a] in c.*clerici*,[b] c.*placuit*.[c] & in multis aliis locis citatis à Nicolao Boërio,[d] & Bartholomæo Cassan.[e] quorũ aliqui dum plus tribuunt copiæ dictorum variorum, auctorum quàm radici, per quam illa resolui debent, plus satis rem confundunt. Quare breuiter proponemus aliqua, quæ in vtramque partem faciunt, & postea resoluemus dubium in eam partem, quæ nobis vero propior videbitur.

C Contra præpositum facit primò, quòd eius præpositura fuit creata post alias præposituras, cum clausula sine præiudicio alicuius, vt habet eius auctarium. Secundò, quòd in processionibus ipse cum sua Ecclesia postponitur aliis, vt in facto præsupponitur, nec de illa prælatione dubitatur.

2 Tertiò, quòd habentium dignitates eiusdem ordinis, & nominis ille præfertur alteri in honoribus, qui prior ad eam est assumptus,[f] & præpositus sanctæ Mariæ de Scala Mediolanensis & alij præpositi aliarum Ecclesiarum collegiatarum ciuitatis eiusdem ciuitatis habent dignitates eiusdem ordinis, & nominis, videlicet præpositatus: ergo inter eos

D debet præcedere is, qui prius præposituram obtinuit.

3 Quarto, quod consuetudo, quæ est optima legum interpres,[g] Conciliorum œcumenicorum, & aliarum congregationum, item quæ in capella Papæ vel coram eo, vel de mandato illius sæpe fiunt, habet, vt Episcopi sedeant, & suas sententias dicant prius, vel posterius iuxta priorem, vel posteriorem promotionem illorum, non habito respectu notabilitatis, vel magisterij.

4 Quintò, quòd habent plures gradus, quorum nullus per se sufficit ad præcedendum alium, non præcedit virtute omnium illorum, l.*spadonem*,[h] per quam id affirmat Ludouicus Romanus receptus,[i] & ait Felinus.[k] At præfatus

E Præpositus sanctæ Mariæ non videtur habere plures qualitates, quarũ aliqua per se sufficeret ad præcedendũ alios præpositos: non enim videtur talis qualitas doctoratus, vt palam est, neque protonotariatus: quia Protonotarius, qui nõ est de ordinariis & participãtibus, nõ habet tantã qualitatẽ, vt constat ex consuetudine Vrbis & orbis, & ex traditis per Bartholomæum Cassanæum.[l] Nec obstat dictum Felini,[m] asserentis Episcopum Doctorem præcedere non Doctorem etiam prius promotum: quia illud procedit, quando eodem die fuerunt ordinati, non autem quando diuersis, vt significat glossa,[n] & exprimit Nicolas Boerius.[o]

F 5 Sed pro domino Præposito facit primò, quòd duo vincula sunt fortiora vno,[p] & ipse est præpositus, sicut ceteri, & præter id insignibus episcopalibus insignitus, quibus carent alij. Secundò, quòd ca. vt *Apostolicæ*,[q] expresse habet maiore gloria & honore dignos esse Abbates prædictis insignibus insignitos aliis eis non insignitis. Tertiò, quòd idem cap. probat partim directè, partim à contrario, Abbates insignitos eiusmodi insignib. in Cõciliis episcopalibus & synodalibus exemptos quidẽ pretiosioribus, non exemptos autem vilioribus, & alios hoc priuilegio carẽtes non posse vti eis: & quos consequenter, si præpositus dictæ Ecclesiæ sanctæ Mariæ inueniretur in eiusmodi Concilio, deberet præcedere alios non habentes simile priuilegium, quandoquidem nullatenus deceret vt post

a *ff. de rebus. cred.*
b *De iudi.*
c *§. Isidorus. 16. dist. & ca. Episcopo. 17. dist. & in rub. & c. 1. & ca. per tuas. de maiorit. & obedien.*
d *In tract. de ord. & præced. grad.*
e *In catalog. gloriæ mundi.*
f *Leg. 1. C. de consul. lib. 12. & leg. 1. ff. de alb. scrib.*
g *Ca. cum dilectus. de consuet.*
h *§. qui iura. ff. de excu. tutor.*
i *Consi. 333.*
k *In d. rub. de maior. & obec. col. 1.*
l *In catalog. gloriæ mundi 4. par. consider. 2.*
m *In dicta rubrica.*
n *In ca. sacro sancta. verb. præsenti. de auctor. gener. concil. in pragmat.*
o *In tract. de ordin. grad. 1. part. num. 19.*
p *Capit. 1. de treug. & pace & Auth. itaque. C. cõmunia de suc cess.*
q *De priuil. lib. 6.*

Episcopos,vt ita dixerim,mittratos sederent prius præpositi non mitrati,quàm mitratus.

6 Quartò, quòd cæteris paribus & Cardinalis Vicecãcellarius præcedit alios Cardinales, secundum eumdem Cassanæũ vbi supra, [a] & Cardinalis presbyter Cardinalẽ diaconum de iure secundum Præpositum, [b] & inter dignitates eiusdem ordinis præcedit qui est maioris loci, ex mente Innocentij, [c] & inter doctores præcedit actu legens,iuxta l.2.[d] vbi hoc notat Ioannes de Blal. [e] & Doctor duarum facultatum de iure præcedit doctorem vni⁹ tantùm, iuxta communem, resolutionem Panormitani & aliorum,[f] & communem.[g]

7 Quinto denique quod omnis, qui habet dignitatem æqualem habenti aliam, & qualitatem aliam notabiliter considerabilem ad præcedendum de iure,præcedit alium habentem aliam similem sine tali qualitate, vt videtur probare textus, [h] & certum est prædictum Præpositum sanctæ Mariæ habere præposituram similem aliis, & præterea habet qualitatem doctoratus & protonotariatus,& facultatem vtendi insignibus episcopalibus.ergo,&c.

8 His pro vtraque parte expensis, videtur dicendum primò, quòd prædictus Præpositus sanctæ Mariæ præcedere deberet alios Præpositos etiam prius ordinatos ratione doctoratus, & protonotariatus,& ratione insigniũ episcopalium præcedere in illis congregationibus,in quibus ille debet illis vti:quia nihil debet esse inordinatũ, [i] & res inordinata videretur,vt colligitur in 3.argumento pro ipso adducto,vt post Episcopos mitris insignitos immediatè sederent præpositi eis non insigniti,ac post illos præpositi eis insigniti,:vt palã est:ꝙ iuri propius videtur.

Quod autem etiam extra illa loca,in quibus vtitur insignibus episcopalibus, debeat præcedere alios etiã prius institutos, facit primò, quod quatenus est præpositus & ordinatus eodem die,quo illi, est vt minimum æqualis, eis,& qualitate doctoratus & protonotariatus excedit illos:& duorum parium alterum cumulatum est maius altero, vt habet primum argumentum pro parte præpositi adductum;ratione tamen doctoratus & protonotariatus nõ debet præcedere alios Præpositos prius promotos: quia prioritas promotionis est maior qualitas,quam doctoratus, & protonotariatus,vt satis probat d.ca. *Episcopus*.[k] iuncta expositione Gratiani & glossa, [l] quæ dictum Gratiani corroborat.

9 Secundo quod qualitates & insignia suæ præposituræ aliis antecellunt;quia cæteris paribus maior & maiori honore digna videtur dignitas insignibus episcopalibus decorata;quam alia similis eis destituta,vt efficaciter probat prædictum ca. *Apostolicæ*. in argumento 2.& 3. pro ipso formatis:& maioritas dignitatis præponderat prioritati promotionis,vt probat d.§.*Isidorus*.iũcta glossa,[m] quo fit vt Episcopus factus Archiepiscopus præcedat Episcopum ante ipsum factum Episcopum; & canonicus factus archidiaconus,vel alia dignitate præditus precedit alium prius factum canonicum,secũdum omnes, pro quibus est casus irrefragabilis in l.1. [n] quatenus vir consularis ornatus patriciatu,qui est maior consulatu, [o] præfertur ei qui prius fuit consul;vt ibi glossa communiter recepta per Io annem de Platea & alios id annotat.

10 Tertio, quod difficultas huius quæstionis est sita in eo,an inter dignitates eiusdem nominis & ordinis censenda sit maior aliis illa,quæ est decorata insignibus episcopalibus:nam si maior censeatur, eam habens debet præferri etiã antiquius promoto,alias secus:& meo iudicio efficaciter videtur probare prædictũ c.*vt Apostolicæ*. quod sit maior & honore maiore digna in illis verbis,*In ecclesia rum suarum gloriam & honorem. quod mitra & alijs pontificalibus vti possint*.& hæc præpositura non solum fuit decorata insignibus episcopalibus,sed etiam facultate conferendi ordines minores,benedicendi vestes sacras, recõciliãdi Ecclesias,& aliis multis, per quæ exequata fere fuit episcopatibus,vt ex bulla,qua fuit aucta,colligitur.

11 Non obstat argumentum primum contra ipsum Præpositũ quod eius præpositura videatur aucta honore cum clausula, *sine alterius præiudicio*. Tum quia illa causula non refertur ad facultatem habendi prædicta insignia, sed solùm ad facultatem ordinandi inseruientes Ecclesiæ suæ, & dandi licentiam eisdem, vt ab aliis ordinari possint, vt ex cõtextu bullæ apparet:nec valet dicere,quod clausula in aliqua dispositione posita ad omnia capitula illius refertur, [a] quia illud fallit, quando non ponitur per se, sed accessoriè ad aliquod capitulum:nam tunc ad illud tãtùm refertur,vt post Panormitanũ & alios tradidit Decius, [b] & in prædicta bulla ponitur accessoriè ad clausulam, qua fiebat ei facultas ordinandi,reconciliandi,& alia faciẽdi.

12 Tum quia illa conclusio,*Gratia principis*,est intelligẽda sine præiudicio tertij,[c] debet intelligi in dubio, & quando non constat de mente principis.in nostro autem casu constat de hac mente:quia Papa, cui omnia iura sunt nota,[d] & consequenter c.*vt Apostolica*. [e] per quod declaratur maiori honore esse dignum Abbatem,qui episcopalibus insignibus vti potest,quam alium, qui non potest vti, animum habuit prẹiudicandi similibus prẹpositis quo ad hoc honoris auctarium.quod ei ex illa concessione resul tabat,arg.l.1.[f] & eorum quæ tradit Felinus.[g]

13 Non obstat etiam quod in processionibus ipse cum sua Ecclesia postponitur aliis. Tum quia circa honorem exhibendum prælatis alia ratio habenda est, cum conuẽtualiter cum suis Capitulis concurrunt, & alia cum sine illis:vnde fe. recor.Pius IIII.in sẽt.quam protulit pro canonicis regularib.contra monachos Benedictinos, cuius tenorem cũ aliquot scholiis retulimus,[h] diffiniuit, quod cũ prælati cõcurrerent inceden tes conuentualiter cum suis Capitulis siue conuentibus in processionibus & aliis locis,prælati canonicorum regularium cum suis Capitulis præcederent prælatos monachorum Benedictinorum incedentes cum suis Capitulis:quando tamen prẹlati singulariter concurrerent sine suis conuentibus, illi præcederent,qui prius inuenirentur promoti: & ita cum à diuersis non fiat illatio,[i] à prælatione vel postpositione prẹlatorũ cõcurrentiũ cõuentualiter nõpotest efficaciter argui ad prẹlationẽvel postpositionẽ eorũdẽ concurrẽtiũ singulariter. Tũ quia fieri potest vt prælatio illa vel postpositio concurrentiũ cõuẽtualiter nitatur priuilegio; vel præscriptione aliqua, quæ non debent extendi extra casũ priuilegiatum, vel præscriptum,iuxta ca. *auditis* adiuncta glossa,[k] & alia plurima adducta ibi per Felinum.[l]

14 Non obstat tertium:quia regula in eo assumpta procedit regulariter,sed fallit,quando vna illarum habet aliquam adeo insignem qualitatem,vt ob eam iura determinent illam esse magis honorabilem,quàm aliæ sui ordinis & nominis;& talis est præpositura prædicta, quæ habet prædictam qualitatem vtendi insignibus episcopalibus: nam ius expresse,[m] determinat,quòd qualitas illa facit,vt illa dignitas,quæ habet eam,sit maiori honore digna.

Nõ obstat quartũ:quia licet prioritas promotionis debeat magis attendi regulariter,quam aliæ qualitates; fallit tamẽ in qualitate illa,quam iura expresse vel implicitè statuunt esse potius attendendam,quam prioritatem:& ita diximus supra in primo dicto prioritatẽ institu tionis præponderare doctoratui, nobilitati,ac protonotariatui: quia nullo iure determinatur,nec significatur ea esse prẹferenda prioritati promotionis in dignitatibus,quæ de se præcellunt habentes illa sine talibus dignitatibus.

15 Nõ obstat quintũ.Primo quidẽ,quia nec Ludouicus Ro,in eo citatus dicit id quod imponit eiFel.nec lex *spado nẽ*,[n] probat illud,nẽpe quod habẽs plures gradus, quorũ vnus per se nõ sufficit ad prẹcedẽdũ aliũ,nõ prẹcedit virtute oĩum illorũ;sed quod habẽs plures gradus inferiores gradu vno,quẽ alius habet,nõ præcedet illũ; puta magister artiũ,& licẽtiat⁹iuris,qui habet duos gradus; nõ prẹcedit Doctorẽ decretorũ,qui habet vnicũ superiorem illis duob⁹,& nõ solũ Ludouic.nõ dicit illud, neq; illa lex probat,sed est falsũ:nã doctor vtriusq;iuris prẹcedit doctorẽ iuris cãonici,secũdũ cõmuniter receptã sẽtẽtiã,[o] & tamẽ null⁹illorũ duorũ graduũ sufficit ad præcedẽdũ eũ:& ita sufficit ad prẹcedẽdũ aliũ ꝙ habeat vnũ gradũ ẹqualẽ gra dui alteri⁹,& aliũ quẽ ille nõ habet.Nec animus Fel. fuit aliud dicere,licet verba ei⁹ aliud sonẽt.Secũdo respõdeo negando quod prædictus præpositus non habeat aliquã qualitatẽ & gradũ per quẽ solũ debeat præcedere alio præpositos:habet enim præposturã insignitam facultate

---

Marginal notes (left column):

a 4. par.consid. 13.
b In c. Episcopos.17.dist.
c In cap.sedes Apostolica. verbo maiores. de rescri.
d C.vt digni. ord.ser.li. 12.
e Num.1.sub. fin.
f In cap.2.de iudic.
g In leg.cum quid ff.de rebus cred.
h In d.l.2.C. vt dig. ordin. ser.lib.12.
i §.inordinate. Auth. de hæredit. & falcid. coll. 1. & extrauagan.vnã sanctam.de maior.
k 17.dist.
l In verb. tẽpus.
m Verbo præponimus.
n C. de cõsul. lib.12.
o Le. nemini. eod.tit.

Marginal notes (right column):

a Ca. secundo requiris. de appellat. cum concordant. à glossa. ibidem citat.
b Ibi num. 2.
c Leg. 2. §. si quis à principe. ff.ne quid in loco publico fiat. & ca.super eo. de offi. iu di.deleg.
d Capit. 1.de const.li.6.
e De priuile. eod.lib.
f ff.de re iud. & l.idem Vlpianus. ff. de excus.tutor.
g In ca.fin.de constitu.
h In commẽt. 4. de regularib. sub ca.statuimus.19. q. 3.num.6.
i L.Papinian. ff.de minorin. c.ad audientiã. de decim.
k Verb.interruptione. de præscript.
l à n.10.vers. cæterum.
m In d.ca vt Apostolicæ.
n §. qui iura ff. de.excusat. tutor.
o In d. c. clerici. & in d.l. cum quid.

vtendi insignibus episcopalibus,& aliis multis prærogatiuis,ob quas fere exæquatur Episcopis, qua ratione sua præpositura per se sola est longe maior, & dignior aliorũ præposituris. Salua &c.

SVMMARIVM.

*Archiepiscopus in Concilio prouinciali præest vt caput, non eo modo quo Episcopus præest synodo diœcesanæ, sed vt decanus Capituli, vt conuocet, congreget, primamque habeat sedem: non tamen habet eamdem iurisdictionem quam habet Concilium, nec ei parem, num. 5. immo tamquam vnus de Concilio ei subest, num. 3. & post ab eodem excommunicari, num. 2. & ab Archiepiscopo ad Concilium appellatur. num. 4.*

1 *Par in parem nec in se ipsum habet iurisdictionem.*

2 *Vniuersitas, collegium, & Conciliũ differt à singulis ea constituentibus, super ipsosq; potestatem habet, etiam eos mulctandi, & excommunicandi. num. 3.*

3 *Capitulum, ad quod ex consuetudine spectat potestas corrigẽdi canonicos, illam, & sede vacante iurisdictionem, in qua succedit Episcopo, contra singulos, etiamq; contra Decanũ Capituli exercet.*

## CONSILIVM VI.

AN in Concilio prouinciali Archiepiscopus excommunicari possit? Respondeo quæstionem esse dubiam. Nam pro parte negante facit primò, quod Archiepiscopus videtur esse caput Concilij, & ita non subesse Episcopis Concilij, cum suis membris non debeat subesse caput.[a] Deinde quod idem super se ipsum non potest habere iurisdictionem,[b] nec par in parẽ, [c] & iurisdictio Concilij prouincialis pertinet ad Archiepiscopum tamquam parem & caput eius. Tertio, quod Archiepiscopus ad suum Concilium ita videtur se habere, vt Episcopus ad suũ Capitulũ. At nullo casu potest Capitulũ excommunicare suũ Episcopũ: ergo nec Conciliũ Archiepiscopũ.

2 Pars tamen affirmatiua videtur de rigore iuris verior. Tum quia aliud est Concilium, vel collegiũ, & aliud sunt singuli de collegio, & Cõcilio: & manumissus à collegio vel vniuersitate aliqua, non est libertus singulorum illius: & ideo posset eos in ius vocare sine venia, licet non collegium, vel vniuersitatem ipsam, quæ eum manumisit.

3 Tum quia Concilium est superius singulis omnibus qui constituunt illud; quorum vnus est ipse Archiepiscopus, & poterit ab ipso mulctari, & excommunicari, [d] Tũ quia vacante Ecclesia cathedrali iurisdictio deuoluitur ad Capitulum, [e] & Capitulum habens illam iurisdictionem potest eam exercere contra singulos de Capitulo, & etiam decanum, vel præpositum ipsius Capituli secundũ omnes. Tum quia Capitulum, ad quod de consuetudine pertinet correctio canonicorum, potest corrigere singulos eorum: & eadem ratione Concilium prouinciale poterit singulos Episcopos, qui constituunt Concilium, corrigere, & si opus fuerit, excõmunicare, & pari ratione Archiepiscopũ, cũ sit vnus de singulis cõstituẽtibus Cõciliũ.

4 Tum denique quod Concilium adeo maius est Archiepiscopo, quod ab eo appelletur ad illud, vt dixit Paulus de Eleazaris receptus à Cardinali, & ab aliis.[f]

5 Non obstant opposita. Ad primum enim respondetur concedendo quod Archiepiscopus est caput Concilij ad hunc effectum, quod ad eum pertinet vocatio, & congregatio eius, & vt debeat habere primam sedem, vt habet decanus, vel canonicus senior in Capitulo Ecclesiæ cathedralis, sed non quo ad hoc, vt sit superior eius, vel maior eo iam congregato, neque quod habeat eandem iurisdictionem, quam habet illud, immo est tantum coniudex, & collega aliorum Episcoporum, vt prædictum est. Ad secundum respondetur concedendo, quòd nemo habet imperium & iurisdictionem super se, & super sibi parẽ: negando tamen quod Archiepiscopus sit idẽ quod Cõcilium prouinciale, vel par ei, & qui quatenus est Archiepiscopus & Prælatus Particularis habeat illam iurisdictionem, quã habet ipsũ Cõciliũ, vt prædictũ est. Ad tertiũ negamus quod Archiepiscopus se habeat ad Cõciliũ vt Episcopus ad suũ Capitulũ, sed potius vt decanus, aut canonicus senior Capituli Eccl. cathedralis ad ipsũ Capitulũ, in quẽ Capitulum potest exercere iurisdictionem competentem ei, vt Capitulum, iuxta prædicta, Salua &c.

a *Ca. cum nõ liceat à capite mẽbra recedere. de præscrip.*
b *L. ille à quo. §. tempestiuũ. ff. ad Treb. & in le. penul. ff. de recep. arb.*
c *Ca. innotuit de elect.*
d *Arg. tot. tit. ff. si quis ius dicen. non obtempe.*
e *Ca. his quæ. & c. cũ olim. de maior.*
f *In clem. 1. §. quod etiã in interdictis. de sent. excomm.*

A

SVMMARIVM.

1 *Episcopus impeditus adire Concilium potest se per procuratorem excusare.*

1 *Concilium prouinciale potest absentis Episcopi procuratorem habentem speciale mandatum ad decidendum admittere, sed non cogitur, nisi saltem sit vnus ex suffraganeis.*

2 *Vices gerens honorari debet tamquam repræsentans suum principalem, sed non quantùm ille.*

2 *Abbates in Concilio prouinciali præcedunt procuratores Episcoporum absentium.*

## CONSILIVM VII.

B

1 QVod Episcopus legitimè impeditus vocatus ad Cõcilium prouinciale possit se excusare per procuratorẽ, certũ est; & quod etiam habens speciale mandatum ad decidendum possit admitti à Concilio, si ei placuerit, etiam est certum per ca. *cum ecclesia Sutrina*,[a] quatenus habet canonicos habentes potestatẽ eligendi posse admittere alios non habentes illam ad coëligendum secum. Quod autem non teneatur Concilium ad id admittere illum, saltem si non est vnus ex Episcopis suffraganeis interessentibus Concilio cum aliis Episcopis, videtur verius;[b] quod videtur satis sensisse Petrus de monte.[c]

2 Sed quæritur an ille procurator debeat Abbates præcedere. Et videtur dici posse procuratorem huiusmodi debere postponi Abbatibus per sese præsentibus: quia licet vices gerens alterius debeat honorari tamquam repræsentans eum,[d] non tamen quantùm ille, vt pulchre resoluit Decius, [e] dicens merito regiam maiestatẽ Christianissimam præposuisse Ducem Sabaudiæ Legato Venetiarum: quia Dux personaliter aderat, & Legatus non erat Dux, sed Ducem Venetiarum repræsentans, vbi multa huic sententiæ specialiter accommodat. Salua &c.

C

a *De causa possess. & proprieta. cum ei adno.*
b *Argu. ca. si quis iusto. §. porro. de electio. lib. 6.*
c *In sua monarchia conciliorum q. 3. num. 2.*
d *Ca. sane. 2. de offic. deleg. & ca. fin. 93. distinct.*
e *In d. ca. sane. num. 2.*

SVMMARIVM.

1 *Præponendus est Dux, Abbas ue inferioris dignitatis Legato procuratori repræsentãti Ducẽ, vel Abbatẽ excelsioris gradus.*

## CONSILIVM VIII.

D

AN PROCVRATOR Abbatis in synodo debeat habere eundem locum inter Abbates, quẽ habiturus foret Abbas constituens, si esset præsens?

1 An huiusmodi quæstionem videtur dici posse, huiusmodi procuratorem postponendum esse Abbatibus per sese præsentibus: quia licet vicesgerens alterius debeat honorari tamquam repræsentans eum, [f] non tamen quantum ille, vt pulchrè resoluit Decius in d. ca. sane not. 2. dicens, merito regiam maiestatem Christianissimam præposuisse Ducem Sabaudiæ Legato Venetiarum: quia Dux personaliter aderat, & legatus non erat Dux, sed Ducem Venetiarum repræsentans; vbi multa huic sententiæ speciatim accommoda citat, quæ hic non refero, quia ibi videri possunt, & quia debilitate visus, & auditus, & pluribus, quàm ferè dicere liceat, obruto, vix ad prædicta dicẽda vacauit.

E

f *Cap. sane. 2. de offi. deleg. & ca. fin. 93. dist.*

SVMMARIVM.

1 *Primatus locorum congregationis clericorum regularium debetur monasterio sancti Siluestri Vrbis, quia ibi dicta congregatio fuit primum instituta & confirmata, & dictus locus primum ab ea inhabitari cœpit, & sic dictæ congregationis primogenitus fuit dictus Vrbis conuentus, nu. 2. illiusque personæ cœperunt primum esse ciues Vrbis, quàm aliarum ciuitatum, ad quas postea migrauerũt, num. 3. cum per dictam migrationem prædictum locum Vrbis minime amiserint. num. 4.*

F

3 *Capitulum & singuli eius ciues fiunt ciuitatis vbi est ecclesia.*

4 *Migrent licet omnes alicuius congregationis religiosorum de vna ciuitate ad aliam, non tamen ob hoc perdit loca, quæ habebat in prima ciuitate, nisi sint ad minus lapsi quadraginta anni necessarij ad hoc, vt res Ecclesiæ præscribantur.*

## CONSILIVM IX.

COngregatio Clericorum regularium instituta fuit Romæ, & approbata à Clemente Septimo, & in eadem Vrbe cœpit habitare in ecclesia Sancti Siluestri, & ob inuasionem Vrbis duce Borbonio fugit Venetias anno 1532. & habitauit in Ecclesia S. Nicolai de Tolentino, quæ per aliquos religiosos fratres suos missos Neapolim cœpit per eosdem habitare in Ecclesia sancti Pauli: re-

redierunt postea Romam Paulo Quarto institutore suo Papa facto anno 1560.

Quæritur quis locus harum trium vrbium debeat dici primus locus huius congregationis & religionis.

Responsum mihi ostensum ad hanc quæstionem, à viro erudito, quem tamen de facie minimè noui, datū, videtur mihi iuridicum, scilicet Vrbem Romam debere censeri primum locum præfati ordinis Illustrissimi. Tum ob fundamenta per eundem dominū cōsultorē adducta, quamuis aliqua eorum videri possint è longinquo petita. Tum quia in facto proponitur eum esse primùm Romæ institutum, & Romæ primùm à Clemente Septimo cōfirmatum, & eius professores Romam primum multo tempore incoluisse, & iusta de causa inuasionis Vrbis Venetias abiisse, ibiq; secūdo loco habitasse & tertio loco Neapolī quamdam veluti coloniam misisse. Non ergo negari potest Romam fuisse primum locum sui ortus, & natiuitatis, & educationis.

2 Tum quia primogenitus dicitur, qui primo natus est, siue postea alius nascatur, siue nō,[a] & proximus est is, quē nemo antecedit,[b] & sicut supremus est, post quem nemo est; ita primus est, quem nemo antecedit.[c] Cum ergo Roma sit locus in quo priusquam in alio præfatus ordo educatus est, & creuit: ergo primus locus eius est Roma.

3 Tū quia ciues facit origo,[d] & ita cōgregatio præfata, & cōnetus eius, qui cœpit esse in dicta Ecclesia sancti Siluestri, primum fuit ciuis Romanus, quam Venetus, vel Neapolitanus: Capitulum enim, seu conuentus alicuius Ecclesiæ vniuersalis, & singuli eius fiunt ciues ciuitatis, in qua illa sunt, vt eleganter & latè tradit Bartholus communiter receptus,[e] vbi concludit idem dicendū de quolibet alio prelato, & abbate, seu rectore Ecclesię: & ita negari non potest præfatam congregationem primum locū, & primam ciuilitatem habuisse Romæ, immo & primum incolatum.

4 Tum quia, si ecclesia præfata sancti Siluestri, & aliqua pars eius, vel aliquid aliud pertinēs ad illam vel ad aliquem alium, fuit prædictæ congregationi legitimè donatum, vel per alium iustum contractum & iustam vltimā voluntatem quæsitum, semper remansit suum; licet aliò migrasset, quia solùm vigintiocto annis ad summum remansit absens à præfata Ecclesia sancti Siluestri: & res Ecclesiasticæ non perduntur per præscriptionem minorē quadraginta annorum.[f] Tum quia præfata congregatio habet plurima & grandissima priuilegia summorum Pōtificum, per quæ non solùm conseruantur eis iura, quæ ab initio cœperunt ad eos pertinere, sed etiam addūtur multa alia, quæ vix credidissem, nisi ea legissē; quod certè magna cum voluptate feci: & consequenter non solùm non perdiderunt vllam præeminentiam alicuius iuris, vel loci primi, sed etiam acquisiuerunt multo plura, quam habebant, in gloriā Dei, & Domini nostri Iesu Christi, qui suo sanctissimo eodémque maximo fauore ita sua exuberanti gratia faueat eis, vt quod obsequium eius fœliciter facere cœperunt, & felicius & amplius nunc prosequuntur, fœlicissimè in finē vsq; sæculi, ꝙ speramus, perficiant, Amen.

SVMMARIVM.

1 *Præcedentia ex antiquitate gradus & promotionis metitur.*
2 *Vnicum beneficium non auget dignitatem illius cui vnitur, nec facit illud curatum, aut dignitatem, si non erat: immo sequitur naturam illius cui vnitur, perditque propriā prærogatiuam. num. 3.*
4 *Præcedentiam qui non habet, eam alij dare nequit.*
5 *Ius semel extinctum non reuiuiscit, nisi per principem.*
6 *Iura omnia ecclesiastica spatio 40. annorum præscribuntur.*
7 *Præcedentia Prouincialium ex antiquitate prouinciarum attenditur, ex statuto Minimorum, & non ex antiquitate professionis.*
8 *Prior tempore potior iure, si cætera sint paria, & iure contrarium non sit expressum.*

CONSILIVM X.

AN in capitulis faciendis in ordinibus Illustrissimi ordinis Minimorum debeat assignari locus honoratior Prouinciali Lugdunensi, quàm Prouinciali Aquitaniæ, cuius caput est Tolosanus cōuentus ratione vnionis illi factæ de antiquiori conuentu, nempe de Gratianopolitano vnito Lugdunensi prouinciæ, licet prouincia Aquitanica fuerit prius erecta.

1 Pro parte quidem affirmante facit, quod qui prior est tempore, potior est iure,[a] & prius ordinatus præfertur ordinato posterius,[b] quia ille gradus cæteros antecedit, quem labor prolixior, & stipendia longiora fecerunt anteriorem,[c] & habens prius mandatum de prouidendo præfertur habenti posterius,[d] & prior emptor, vel prior donatarius præfertur secundo,[e] quæ probat, inter decēuirales antiquissimum esse præferendum. & glossa,[f] arguit Prædicatores ideo prius quam Minores nominari, quia sunt antiquiores. & glossa,[g] arguit Mediolanensem Ecclesiam digniorem esse Rauennatensi: quia prius nominatur. At in casu quæstionis proponitur conuentum Gratianopolitanum præfati ordinis fuisse prius erectum, quàm Tolosanum, & Aquitanicum, & quod vnitus est Lugdunensi prouinciæ: ergo ratione illius annexionis debet Lugdunensis Prouincialis præcedere Tolosanum in sessionibus, & votis reddendis, & aliis in Capitulo generali faciendis.

2 Pro parte autem negante facit primò, quod prouincia Aquitanica prius fuit constituta, & erecta, quam prouincia Lugdunensis: ergo per ipsamet iura pro parte affirmante allegata Prouincialis eius debet præcedere Prouincialem Lugdunensem quia prius tempore fuit Prouincialis Aquitaniæ, quàm Lugdunensis.

Secundò, quòd nihil obstat, quòd conuentus Gratianopolitanus sit vnitus conuentui Lugdunensi ad faciendam prouinciam Lugdunensem; quoniam vna dignitas, vel beneficium non crescit in magnitudine dignitatis, eo quod vniatur ei alia dignitas vel beneficiū, quòd sit maioris qualitatis, vel dignitatis, vt habet ca. *super eo*,[h] quod probat posse quem habere personatum incompatibilem Ecclesiæ parochiali, & simul habere sine dispensatione præbendam, cui esset annexa vel vnita Ecclesia parochialis, licet non posset obtinere illum personatū, & illam Ecclesiam parochialem separatam.

3 Quia per illam annexionem præbenda illa, quę per se est simplex beneficium, non crescit, nec fit curata per Ecclesiam parochialem ei annexam: immo potius parochialis ipsa quadamtenus recipit simplicitatem præbendæ, cui vnitur, eo quod vnitur, & annectitur beneficio simplici. & ita licet cōuentus Griatianopolitanus habeat prædictā prærogatiuam sessionis, quam tamen negamus habere, vt mox dicemus, eo quod fuerit aliquando vnitus prouincię Aquitaniæ, ipsam tamen prærogatiuam non posset infundere in prouinciam Lugdunensem, cui fuit nouè annexus immo potius eam perderet, propterea quod vnitus & annexus fuerit prouincialatui Lugdunensi, qui non habebat illam prærogatiuam sedendi.

4 Tertiò, quòd quis non potest dare quod non habet,[i] At præfatus conuentus Gratianopolitanus non habebat præfatam prærogatiuam, sedendi, antequā vniretur prouincialatui Lugdunensi: ergo non potuit illam infundere, & tradere illi. Nec obstat responsio eius, qui diceret posse aliquos dare id quod nō habent, ratione officiorum suorum, vt tutores, curatores, & procuratores, qui dant multa eorum, quorum tutelā, curā, vel procurationem, aut mandatum habent. Non inquam hoc obstat: qui prædict⁹ conuentus Gratianopolitanus non habebat prædictam prærogatiuam sedendi, nec officium, ratione cuius competeret ei ius dandi eam, vt palam est; quia quando fuit vnitus prouincialatui Lugdunensi, erat conuentus simplex prouincialatus Aquitaniæ, & nō pertinebat ad eum facere, quod alius conuentus simplex esset prouincialatus, neque ambo conuentus poterant seipsos facere prouincialatum. argum l. pen.[k] & *l. ille à quo.*[l] quæ habet non posse quem imperare sibi, nec habere in se iurisdictionem. Tum quia ius faciendi illud non pertinebat ad illos, sed ad Papam, vel ad Capitulum generale ordinis prædicti.

5 Quartò, quòd id quod semel est nullū, & extinctum, tractu temporis non potest reconualescere, l. *inter stipulātem.*[m] quæ habet, illū qui stipulatus est sibi dari rem sacram, non posse illam petere, licet fiat prosana, vbi alia multa exempla post alios refert Iason: in quibus est etiam illud quod ponitur in l. *qui res.*[n] de obligatione

dandi

---

a Ca. Ioseph. de verbo. signif.
b L. proximus est ff. de verb. signif.
c Le. ex duob⁹ ff. de vulg.
d L. ciues quidem. C. de incolis lib. 10. & l. 1. & l. assumptio. ff. ad municipal.
e In dicta l. 1. ad municipal. à num. 10.
f Ca. de quarta. cum ei adnot. de præscr.

a Regul. qui prior. de reg. iur. lib. 6.
b Cā. fin. 17. dist. & c. 1. de maiorit & obedien.
c L. nemo. C. de offic. magistr. offi.
d Cap cū cui. de preben. li. 6.
e L. 1. & 2. C. de rei vend. & leg. 1. ff. de albo scribedo.
f In c. quorūdam. de elect. in verb. prædicatorum.
g In cap. bene quidē. distin. 96. in verb. Mediolanenses.
h De preben. lib. 6.
i Cap. quod autē. de iure patron. l. si vniuersa. ff. de leg. 1.
k ff. de arbitris.
l §. tēpestiuū. ff. ad Trebellian.
m §. sacram. ff de verb. oblig.
n §. aream ff. de solutio.

dandi nauem, quæ semel conuersa per dissolutionem ad alium vsum amplius non reuiuiscit, licet postea mutato animo illa refecta fuerit ad eundem. At quicquid prædictus conuentus Gratianopolitanus habebat in iure prouincialatus Aquitaniæ, perdidit per separationẽ, & diuisionem, qua separatus fuit à prouincia Aquitaniæ: ergo nõ potuit illud reuiuiscere propter hoc, quod fuerit vnitus prouinciæ Lugdunẽsi, cũ iã illud fuerit semel extĩctũ.

Quintò, quòd licet aliquando ius semel peremptum redeat ad pristinum statum per aliquam innouationem factam ab eo, qui poterat producere illam resurrectionẽ, vt v.g. Papa, vel Princeps, qui non recognoscit superiorẽ, vel alius potestatem habens ad id faciendum, vt in casu c. *eos qui*,[a] in nostro tamen casu non interuenit Papa, nec alius potestatem ad id faciẽdum habens. Nec obstat dicere quod interuenit Capitulum generale; quia capitulũ generale non reduxit prędictum conuentum Gratianopolitanum in pristinum statum, sed in longe alium: quia non reuniuit prouinciæ Aquitaniæ, cui erat vnitum antea; sed conuentui Lugdunẽsi, vel prouincialatui eius, qui longè diuersus est à prouincialatu Aquitaniæ.

6 Sextò, quòd prouinciæ Aquitaniæ fuit assignat⁹ sextus loc⁹ in Capitulo Romæ celebrato anno Domini 1517. à quo tempore possedit illum pacificè cum illo titulo vsque ad annum 1571. & ita per 54. annos, vt constat ex Capitulis celebratis ab ordine prædicto, & cõsequenter pręscripsit siue vsucepit illum locum; cum iura etiam ecclesiastica præscribantur 40. annis,[b] vbi gloss. approbata dicit omnia iura Ecclesiastica tam Ecclesiarum quàm monasteriorum præscribi seu vsucapi iure pontificio per 40. annos: & sic in proposito casu redundant 14. anni.

Septimò, quòd conuentus Gratianopolitanus numquã fuit prouincia per se; quia vnus solus conuentus non facit prouinciam; neque fuit vmquam caput prouinciæ: nã toto tẽpore, quo fuit pars prouinciæ Aquitaniæ, caput eius erat cõuentus Tolosanus; & quando fuit pars prouincialatus Prouinciæ, conuentus Foroiuliensis erat caput eius; & hoc tempore, quando est factus pars prouinciæ Lugdunensis, conuentus Lugdunensis est caput eius. Itaque nullo vmquam tempore prædictus conuentus Gratianopolitanus fuit, nec est prouincia, neque caput prouinciæ; & ita nũquã habuit ius prouincialatus, neq; capitis eius.

7 Octauo denique, quod in Cõcilio quarto Romæ habito anno 1517. & in Concilio decimo habito N. anno 1535. & in Concilio vigesimoquinto habito Barchinonæ 1581. tit. de anterioritate & antiquitate prouinciarum inuenitur declaratum, sessionem & præeminentiam dandã esse prouincialibus secundum antiquitatem institutionũ suarum prouinciarum, & nõ secundum antiquitatem ingressus eorum in ordinem, vel religionem. ex quo clarè colligitur, quòd antiquitas, vel prioritas erectionis monasteriorum, neque antiquitas ingressus in religionẽ est attendenda in distribuendis locis & præeminentiis prouincialium, sed tantum antiquitas institutionũ prouinciarũ; & consequenter quod antiquitas erectionis monasterij Gratianopolitani nihil facit ad hoc, vt locus vel præeminentia detur prouinciæ, cui est annexus: quia aliud est antiquitas erectionis monasterij, & aliud antiquitas institutionum, vel erectionis prouinciæ, & à separatis non fit illatio.[c]

8 Non obstat argumentum in oppositum formatum. Tum quia regula illa, *qui prior est tempore, prior est iure*, habet locũ, quando cætera omnia sunt paria, vt ait glos. eius. At in casu proposito non sunt cætera paria. Tum quia prouincia Aquitaniæ est nunc & fuit semper saltem post Cõcilium 4. Romæ celebratum anno 1517. prouincia, & cõuentus Tolosanus caput illius prouinciæ, & conuentus Gratianopolitanus numquã fuit prouincia per se, neque caput prouinciæ, vt prædictũ est; licet fuerit pars prouinciæ: & in casu proposito non agitur de Correctore Tolosani conuentus, & de Rectore conuentus Gratianopolitani, sed de Prouinciali Aquitaniæ, cuius caput est conuẽtus Tolosanus ex vna parte, & de Correctore Gratianopolitano ex altera, qui non est nec fuit in quantum Correctorr Prouincialis, neque caput Prouinciæ: & itẽ nõ sunt cætera paria. Tum quia per adnotata in argumento 8. locus præeminentiæ Prouincialis non debet dari secundũ prioritatem erectionum conuentuum, sed secundũ prioritatem institutionum Prouinciarum, & ita non sunt cætera paria: quia pro Prouinciali Aquitaniæ allegatur prioritas institutionis Prouinciæ, & pro aduersa parte tantùm prioritas erectionis monasterij, quæ ad propositum nihil prodest. Tum quod pars aduersa, quæ arguit pro se ex prioritate erectionis, nititur argumento contra declarationẽ triũ capitulorum in prædicto argum. 8. adductorũ.

9 Tum denique quod prædicta regula, *qui prior*, nõ habet locum quando est expressum in iure contrariũ; quia in casibus à iure expressis, in quibus exprimitur, vt posterior præcedat priorem qui sunt multi, quorum aliquos refert prædicta glossa prædicti ca. *qui prior*, palam est quod posterior præfertur; & ita cum in capitulis prædictis exprimatur, quòd prioritas institutionis Prouinciarum debeat magis attendi, quam prioritas erectioni monasterij, vel ingressus in illud, clarum est Prouinciã Lugdunẽsem arguere contra declarationem ipsorummet capitulorum ordinis: & ideò non est audienda. Per quæ omnia palàm fit, iudicandum esse prædictum locum sextum competere Prouinciali Aquitaniæ absq; vlla dubitatione. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Translatus ad aliam religionem sedere debet iuxta professionẽ ibi emissam.*

2 *Translatus, vt præesset, dimissa prælatura, secundus post prælatum sedere debet, nisi adsit qui maiorem gesserit honorem.*

## CONSILIVM XI.

AN regularis translatus in alteram religionem debeat sedere in Capitulo ad suam vocem dandam, iuxta tempus, in quo emisit professionem in priori monasterio, à quo fuit translatus, vel in quo fuit professus in secũda?

1 Respondetur, quòd debet sedere secundum tempus, quo professus fuit in secunda, per ea quæ aliàs dicta sunt. Tum quia eo tempore incipit esse regularis illius religionis, & secundũ illud tempus debet scribi, & sedere,[a] quod est verũ in eo, qui trãsfertur, & fit in eo subditus, & filius.

2 Si autem est translatus in præfectum, & renunciauit præfecturam, sedebit in primo loco post præfectũ, in memoriam honoris quem gessit; nisi concurrant alij, qui maiorem honorem gesserunt, argum. dictę l. 1.[b] quæ rectè adducit Felinus.[c] Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Rectores parochialium nullius diœcesis ad Synodum compelli non possunt: licet possint à proximiori Episcopo visitari.*

1 *Lex superioris, quatenus commodè potest, interpretanda vt tertio non præiudicet.*

1 *Dispositio eos non includit, quibus verba eius non aptantur.*

## CONSILIVM XII.

AN rectores parochialium, quæ in nullius diœcesi sunt, teneantur accedere ad Synodum diœcesanam illius Episcopi, qui tamquam proximior potest eas ecclesias visitare ex decreto Concilij Tridentini.[d]

1 Videtur dicendum quòd non. Tum quia lex superioris, quatenus id commodè fieri potest, intelligenda est sine præiudicio tertij.[e] Tũ quia non fit à separatis illatio.[f] At aliud est ius visitandi, & aliud ius vocandi ad Synodũ, ergo ex concessione huius non infertur concessio illius. Tum quia licet Archiepiscopus possit visitare ecclesias sui suffraganei post visitationem suæ propriæ diœcesis,[g] non tamen potest vocare rectores earum ad Synodũ suã particularem, secundum mentem omnium. Tum denique quòd dispositio non includit eos, quibus sua verba non aptantur,[h] & verba prædicti ca. 9. nõ aptantur vocationi ad Synodum. Salua, &c.

## DE PACTIS.

SVMMARIVM.

1 *Creditorum maior pars debita in præiudicium minoris remittere valet, debitori non valenti totum soluere.*

1 Debitor

---

Marginal notes (left column):
a De sent. excommu. lib. 6.
b Ca. de quarta. de præscriptio.
c L. Papinianus. ff. de minoribus. & c. ad audientiã. de decimis.

Marginal notes (right column):
a Iuxta l. 1. ff. de albo scrib. arg. ca. . . &c. statuimus. de maioris. & obedientia.
b De albo scriben. & aliorum.
c Vbi supra. num. 5.
d Sess. 24. ca. 9. de reform.
e Cap. super eo. de offi. de leg. leg. 2. §. si quis à principe. ff. ne quid in loco publ.
f Le. Papinianus. ff. de minorib. cap. ad audientiã. de decim.
g Cap. 1. §. 1. de censib. li. 6.
h Cap. indemnitatibus. §. præfata. de elect. lib. 6.

1 *Debitor, si peruenitat ad pinguiorem fortunam, minori parti, quæ recusauit debita sua remittere, restituere nō tenetur.*
2 *Remißio partis debiti facta à creditore ob timorem ne aliter faciendo nihil exigeret, non ideo minus in vtroque foro liberat debitorem, qui citra dolum inopiam illam impetrauit.*

## CONSILIVM I.

AN debitor, qui decoxit, cui vt cognati eius soluerēt aliquam partem debitorum, maior pars creditorum remisit duas partes sibi debitorum, & fecit pactum de nō petēdo remissa, si per postea quęsita venirēt ad pinguiorē fortunam, teneatur in foro conscientiæ restituere creditoribus suis, saltem minori parti, quæ noluit consentire remissioni, illa quæ sibi fuerunt remissa?

1 Respondeo, multa posse pro vtraque parte adduci, & quod pars affirmatiua videtur elici ex Siluestro,[a] dum ponit differentiam inter concessionem dilationis quinquennalis, iuxta l. finalem[b] & inter remissionem partis, iuxta l. *& suum.*[c] Sed pars negatiua videtur iure verior. Primò quidem, quia non concludit ratio, quam insinuat Siluest. videlicet, quod in ijs quæ sunt communia pluribus vt singulis, maior pars nō potest minori præiudicare,[d] quia illa regula fallit in multis casibus, & in iis fauore liberationis partis debitorum faciendæ illi, qui nō est soluendo,[e] vt annotatur per Iasonem[f] post alios; & glossam magnē & Socinatem.[g] Secundò, quòd non obstat dicere, quod illæ leges procedunt quo ad forum exterius tantum. Tum quia id necunde constat. Tum quia leges illæ non fundūtur super præsumptione, sed super veritate, & æquitate, quam suadet caritas, & misericordia subueniendi indigētibus cum vtilitate omnium creditorum, vt sentit glossa prædicta recepta per omnes.

2 Tertiò, quòd nō obstat dicere ꝙ remissio partis debiti facta debitori ob timorē perdēdi totū, eo ꝙ deliberauit nihil soluere, nisi pars illa ei remitteretur, nō liberat eū in foro cōsciētiæ ab obligatione soluēdi, quod sibi remissū est, vt post Caietanum & Siluestrum diximus in Manual. confess.[h] & quod creditores, qui remiserunt in casu proposito, videntur remisisse ob timorem perdendi totum. Tum quia illud procedit, quando debitor habet vnde soluat vel de sua malitia nascitur ille timor, nō autem cùm nascitur ex aliis causis, vt ex vera inopia, vt ibidē insinuauimus; & in casu proposito timor nihil recuperādi nascebatur ex inopia. Tum quia illud procedit, quando sine iusta causa & vtilitate creditorū fit remisio; in nostro autē casu ex iusta causa, scilicet inopiæ, & pro vtilitate creditorum omnium facta fuit, vt dictum est.

a *Verbo restitutio 6. §. 3.*
b *C. qui bon. ced. pos.*
c *& le. maiorem. ff. de pactis.*
d *L. per fundum. ff. de seruit. rust. præd.*
e *L. iuris gentium. §. fin. & l. & suum. & le. maiorē. & l. rescriptum. ff. de pact.*
f *Num. 3.*
g *In d. le. rescriptum.*
h *Cap. 17. nu. 75.*

*SVMMARIVM.*

1 *Pensio integra transit contra successorem in beneficio, licet inter pensionarium & prædecessorem conuentum fuerit, vt recepta certa pecunia per sedem Apostolicam ad minorem summam reduceretur.*
2 *Pensio potest quidem sine auctoritate sedis Apostolicæ gratis remitti, non tamen recepto pretio.*

## CONSILIVM II.

B. Pensionarius conuenit cum I. beneficiari o absente & pensionem 80. ducatorum sibi debente; vt pensio illa reduceretur ad 30. ducatos, & quod solueret pro pensionibus decursis 300. ducat. & pro impensis factis in lite & reductione dictæ pensionis alios 200. & I. soluta maiore parte horum 500. ducat. antequam reduceretur per Papam pensio ad 30. ducat. & solueret omnes quingentos, obiit mortem. Quæritur primo an B. exigere possit pensionem 80. ducat. à successore I.

1 Respondeo primò, multa posse in hoc casu pro vtraq; parte adduci; sed videri pro parte affirmatiua resoluendū. Primò quidem, quod actus agentium non operantur vltra intentionem eorum,[i] & intentio B. fuit quòd reductio prædictæ pensionis 80. ducat. in pensionem 30. fieret auctoritate Papæ, quæ tamen non fuit facta.

2 Secundo, quod licet pensio possit gratis remitti absque auctoritate Papæ, non tamen potest sine illa pretio redimi, vt alibi dictum est. Salua, &c.

i *Capit. fin. de præbend. cum simil.*

*SVMMARIVM.*

1 *Contrahere quæ ex statuto sine consensu viri non potest vxorata si contrahat, potest sine peccato promissa non obseruare; quia stante dicta prohibitione, promißio fuit facta cum peccato, nu. 4. seu de re non licita, num. 7.*
2 *Promißio facta ob causam honestam, ea sequuta, obligat in cōscientia, & nu. 3. & hoc dummodo promittens habeat personam legitimam se obligandi, num. 5. & sit facta de re licita. num. 7.*
3 *Damni causa qui dat non seruando promissa, tenetur in conscientia illud resarcire; qualem tamen non dat qui promittit scienti, vel scire debenti promißionem non tenere. nu. 6.*
*Conuentio facta ab eo qui non potest se obligare, etsi non liget, attamen si sit de re honesta, & potest sine peccato seruari congruit vt obseruetur.*

## CONSILIVM III.

QVæritur, an promisio coniugatæ in regno Castellæ relinquendi bona sua Petro, si duxerit neptem suam in vxorem, conditione impleta ita valeat, vt reuocari nequeat.

1 Respondeo primò, promissionem prædictæ mulieris non valere via contractus, neque quasi contractus; quia mulier nupta in regno Castellæ non potest contrahere, neque distractum, neque quasi contractum facere sine licentia mariti.[a]

Secundò, quòd non potest valere via donationis causa mortis, adeo vt non possit reuocari; quia omnis donatio causa mortis reuocari potest.[b] Et si apponatur clausula, ne reuocari possit, desinit esse donatio causa mortis & incipit esse donatio vera inter viuos.[c] Et hæc non potest fieri à muliere sine licentia mariti, vt prædictum est.

2 Tertiò, quòd magis dubitari potest, an prædicta mulier peccet reuocando, & nō adimplendo promissionem prædictam in foro conscientiæ. Nam pro parte affirmante facit, quòd qui promittit aliquid ob honestam causam, peccat non præstando illud causa consecuta.[d] Et prædicta promisit ob causam honestam, scilicet nuptiarum.

3 Deinde facit, quòd qui dat causam damni, tenetur in conscientia resarcire illud.[e] At prædicta sua promissione dedit causam, vt duceret suam neptem alias pauperem. Tertiò; quòd peccatum est non præstare promissum,[f] iuxta resolutionem positam in Man. confess.[g] præsertim quādo sine peccato præstari potest; vt in casu proposito, in quo prædicta mulier potest abstinere se à reuocanda promissione prædicta, siue dicatur facta inter viuos, siue causa mortis, vt palam est.

4 Pro parte verò negante, scilicet, non peccaturam illā, facit, quod iustè potest reuocare eam, quatenus est donatio inter viuos, cum faciendo illam peccauerit.[h] Nec peccat si reuocauerit eam tamquam continentem donationē causa mortis; quia id faciet lege approbāte, & factum lege approbante non est peccatum.[i]

5 Ad primum pro parte affirmante adductum respondetur, illud esse verum in persona potente legitimè promittere ob causam, qualis non est prædicta donatio sine licentia mariti.

6 Secundo responderi potest negando, quòd dederit causam sufficientem damni: quia is cui promittebat, si sciebat, aut certe scire debebat non posse ipsam facere illā promissionem sine licentia mariti; & scienti, & consentiē ti non fit iniuria, neque dolus.[k]

7 Tertiò respondetur assumptum in eo procedere tantùm in promissione rei licitè facta, qualis nō videtur prędicta, per prædicta. Ob quæ omnia hæc pars negatiua videtur iuri consonantior.

8 Quartò principaliter dico prædictam non obligari magis ad reuocandam & infirmandam prædictam promissionem, sed posse eam iustè implere clam, vel palā disponendo, vel via institutionis, vel donationis causa mortis, idque vt faciat omnino est consulendum, vti rem fœminæ nobili decoram, & Christiana caritate dignissimam Salua, &c.

a *L. 55. Tauri.*
b *Le senatus. §. 1. ff. de donat. causa mortis.*
c *Leg. vbi ita donat. ff. de donat. causa mortis.*
d *L. 1. & toto tit. ff. de condit. causa data causa non.*
e *Le. qui occidit. ff. ad l. Aquil. ca. fin. de iniu.*
f *Ca. 1. de pactis.*
g *Ca. 18. n. 6.*
h *Per prædictam leg. 55. Tauri.*
i *Ca qui peccat. 23. qu. 4.*
k *Ca. scienti. de reg. iur. li. 6.*

*SVMMARIVM.*

1 *Promißio facta dandi aliquid pro palmario litis valida est, si sit moderatæ quantitatis, alias non. & nu. 4.*
1 *Prodigalitas regulariter peccatum veniale.*
2 *Pactum de quota litis vel certa quantitate danda in casu victoria reprobatur à iure.*

3 *Occasionis cuiuslibet ad peccandum datio licet non semper sit peccatum; dare tamen illam quam ius dare specialiter prohibet, semper est peccatum.*

## CONSILIVM IV.

QVidam, qui super domus caducitate valoris 1500. ducatorum agebat cœpta lite, cum aduocato conuenit, si eam vinceret, ei pro palmario & mercede 500. ducatos daturum. Dubitatur an conuentio prædicta seu pactum licitum sit & validum.

1 Pro parte affirmante facit primò, quòd pacta regulariter valent.[a] Secunda, quod in specie pactum de dando aliquid pro palmario litis valet.[b] Tertio, quod de rebus suis quilibet pro libito disponit,[c] adeo quod potest eis etiam abuti,[d] & S. Thomas, quem omnes sequuntur,[e] asserit prodigalitatē bonorum suorum regulariter esse peccatum veniale.

2 Pro parte verò negante facit primò, quòd pactum de quota litis danda aduocato, casu quo vincat, reprobatur à iure,[f] & etiam de pacto dandi certam quantitatem, secūdum glossam,[g] communiter receptam: quia est eadem ratio. Secundo, quod idem est dicendum secundum omnes de pacto dandi facto procuratori.[h]

3 Tertio, quod peccatum est iure naturali, diuino, & humano prohibitum, dare occasionem peccandi alteri,[i] at promittere patrono seu aduocato causæ magnum palmarium in solo casu victoriæ, est dare magnam occasionem tractādi causam illicitè, vt per fas & nefas vincat; eo quòd dabitur ei palmarium, si vincat, & non si vincatur.[k] Quarto quod licet nō cuiuslibet occasionis ad peccandum datio sit peccatum, vt latè tradimus in nostro Man. cōfess.[l] datio tamen occasionis prohibitæ à lege secundum omnes est peccatum; & promissio præfati palmarij magni speciatim videtur per præfatas leges prohibita.

4 His pro vtraque parte consideratis, & multis quæ in præfatis locis tum distinctè tum confusè traduntur, quæ non vacat satis discutere, arbitror tutiorem esse opinionē quæ ex Alexand. & Saliceti mente[m] & Siluestro[n] colligi potest, scilicet quod promissio præfata quingētorum ducatorum pro palmario in casu proposito est illicita, eo quod præfatus aduocatus debet esse contentus sumptibus & salario moderato, cum aliquo palmario pro personarū qualitate temperato. Et ita est intelligendum quod asserimus in Man. cōfess.[o] cum dicimus licere accipere aliquid pro palmario.

a Leg. 1. ff. de pact. cum concordantijs.
b L. 1. §. & si nomine. ff. de var. & extra ord. cognitio.
c L. in re mandata. C. de mandato.
d L. sed etsi. §. cōsuluit ff. de petit. hæred.
e In 2. 2. quæ. 119 art. 3.
f L si quis. C. de postul & c. arceantur. 3. quæst 7.
g In le. sumptus. ff. de pactis.
h Le. item. C. de procuratoribus.
i Le. cōueniri. ff de pact. dotal. & le. fin. C. de pact. & c. 2. de cōcess. præben. tā in decretalibus, quā in sexto.
k Arg. c. quia radix. de pœnit. dist. 1.
l Ca. 3. nu. 10. & c. 14. n. 25.
m In d. l. litē.
n Verb. aduocatus. quæ. 4.
o Cap 25. nu. 30. in fine.

### SVMMARIVM.

1 *Dux certum numerum militum ex ordine principis in oppidū introducendorum, recepta ab opidanis pecunia, minuēs, ita demum quod sic peccando turpiter accepit dantibus restituet, si ipsi immunes à peccato reputantur.*

2 *Restitutio malè accepti non est facienda sponte turpiter danti, sed ei à quo iniuste fuit extortum, vel qui sine peccato dedit. & num. 3.*

## CONSILIVM V.

QVidam Dux militum potens auctoritate regia induceret 64. milites, & dare illis stipendia impensis alicuius oppidi, seu pagi, conuenit cum oppidanis, vt non induceret in oppidum plures quam 60. & non induxit nisi 30. sed cepit ab oppidanis stipendia omnium sexaginta.

Quæritur primo; an iniustè acceperit stipendia absentium.

Secundo, an teneatur cuiquam restituere ea quæ accepit pro 30. quos non induxit.

Tertio, cui an Regi, an communitati restituendum sit.

1 Ad primā quæstionē respōdeo, quod pro parte negatiua eius, scilicet quod non ceperit iniustè, facit regula *scienti & consentienti.*[p] & quod ipse iustè poterat inducere, & alere 64. & quod commodauit oppidanis obligando se ad non inducendum plures quàm 60. & quod longè vtilius fuit oppidanis non induxisse plures quàm 30. quia absentibus nihil aliud soluerunt, quàm stipendium regiū, præsentibus autem etiam victum præstituerunt, quem etiam absentibus, si præsentes fuissent, præstitissent; & in effectu multum profuit eis. At nemo debet reportare dānum ex opere bono quod facit, sicut nec bonū ex malo.[a]

p Cū suis concordantijs lib. 6.

Pro parte verò affirmante, scilicet quod iniustè accepit facit, quòd illa conuentio non fuit iusta; quippe quæ erat damnosa rei militari; eo quòd minuebat numerum militum. Deinde quod sine vllo iusto titulo cepit stipendia absentium: & quod Rex vel princeps militiæ iustè posset eum punire ob eiusmodi conuentionem, & stipendiorum absentium perceptionem. Per quæ necessariò videtur dicēdū, quòd prędictus dux iniustè accepit stipēdia absētiū.

2 Ad secundam respondeo; quod huius decisio videtur pendere ab his, quæ nos cum magna cura resoluimus in Man.[b] vbi conclusimus, quod iniustè acceptum cōtra voluntatem alicuius, vel de voluntate eius sine turpitudine & peccato ipsius, est illi restituendum: acceptum verò iniustè de voluntate alterius, si ab vtraque parte versatur turpitudo & peccatum, non est de præcepto restituendū, licet de consilio & honestate pauperibus esset erogandū. Et cum in proposito casu iniustè acceptum fuerit acceptū de voluntate damnum passi; sequitur quod si ex vtraque parte fuit commissa turpitudo; & peccatum, non tenetur restituere dux de præcepto; sic autem, si ex sola ipsius parte, & non communitatis versata fuit turpitudo, & peccatum. Quare videndum est, an communitas peccasset, & in turpitudine versata fuisset. Quod autem peccasse videatur, facit quod consensit diminutioni militum, quatenus sexaginta quatuor reduxit ad 60. quatenus item consensit, vt triginta manerent absentes, ita quod cum duce & vexillo non remaneret dimidium militum, quod potuit cadere in graue damnum belli & Reip. siue Regis bellantis: & quod in hoc consensit propter suum commodum priuatum, quod erat postponendū publico.[c] Quod autem non peccasset, facit, quod sperabatur pax, & quod probabiliter putabatur absentiam illorum 30. nihil nocituram, & quod verisimile est rectores communitatis non esse confessos hoc peccatum. Equidem arbitror eos sic cōtrahendo peccasse post intimatum regium sibi præceptū ad soluendum stipendia 64. præsentium; quia pactis priuatorum ius publicum non est diminuendum,[d] non autem si non obligantur ad illa soluenda: & quia iuxta leges illius terræ particulares, & iuxta consuetudinem regni & rei militaris in ea prouincia seruari solitam debet iudicari, an cōmunitas eius, & rectores eius ex sua parte peccauerint ita conueniendo, an nō, & quia ego nō satis eas noui, huius articuli resolutionem remitto ad eos, qui eas nouerint; resoluendo, quod, si nō peccauerunt, dux tenetur ad restituendum de præcepto; si autem peccauerunt, solùm de consilio, & honestate, vt prædixi.

3 Ad tertiam respondeo, quòd si nil est restituendum, nulli est facienda restitutio, si quid autem est restituendū, restitutio est facienda damnum passo, & cum ex illa stipēdiorum absentium solutione nulli alij, quàm cōmunitati soluendi euenerit damnum, illi soli, & non alij est facienda restitutio. Salua, &c.

a 2. q. 4. cap. quanto. c. 1. de postul. prælat. l. itaque fullo. ff. de furt.
b Cap. 17. nu. 29.
c Ca. licet. de regul.
d L. ius publ. ff. de pact. c. si diligēti. de foro compet.

### SVMMARIVM.

1 *Actio pacto nudo non oritur licet obliget paciscentem sub peccato & nu. 5. imò ex ea si sit geminata vel iurata, nedum iure canonico sed etiam ciuili oritur actio. nu. 4.*

2 *Consilium, nisi sit fraudulentum, neminem obligat ad resarciēdum damnum ex eo sequutum, & idem videtur de adhortante, num. 5.*

3 *Promissio legitima deliberatè sine dolo & metu facta seruāda.*

4 *Actiones actiuas, & passiuas in hæredes transire.*

4 *Obligatio naturalis ex pacto nudo oritur, obligatque sub pœna pec. mort. ad seruandum promissa.*

5 *Probationis defectus iuris defectum non inducit.*

6 *Literæ monitoriales ad manifestandum quæ nouit vel audiuit de aliqua re impetrari possunt, item & vt qui habet restituat.*

## CONSILIVM VI.

RVir valde nobilis, & coniugatus cuidam ex fratre nepoti G. tractanti magnam litem per appellationem ad Curiam Apostolicam deductam, venientique ad eam ex Hispania promisit 100. scuta aurea pro impensis in illius prosecutione faciendis: qui perueniens ad eam, & aliquot

annos

annos prosecutus, lite pendente, fuit mortuus, antequam eam finiret, relicto multo ære alieno, & nihil bonorum, cuius bonam partem soluerunt quatuor fideiussores eius iussu Rotæ post magnam defensionem ab eisdem pręstitã.

Quæsitum est an hæredes R. pridem mortui teneantur soluere aliquam partem æris alieni à fideiussoribus soluti.

1 Pro parte negante facit primò, quòd promissio præfata nulla scriptura probari potest, & ignoti sunt testes, corã quibus facta fuit, & quod de non existentibus & non apparentibus idem est iudicandum.[a] Secundò, quòd ex nudo pacto non oritur actio, nec ius agendi.[b]

2 Tertiò, quòd nemo tenetur resarcire damnum alteri ex consilio eius proueniens, nisi fuerit fraudulentum,[c] & præd. R. prædicto G. solum videtur dedisse cõsilium, quia consuluit ei prosecutionem suæ propriæ litis, prædictum R. nullatenus tangentis, nisi qua parte sibi coniunctus erat.

3 Pro parte autem affirmante, quæ tenenda est, facit primo, quod omnis promissio legitima, & deliberatè absque dolo, & metu facta, est seruanda, ca. 1. ibi, *Pacta seruentur.* & c. 3. ibi, *Studiosè agendum est, vt ea quæ promittuntur, opere compleantur,*[d] in quo ponderandum est verbum *promittuntur,* quod includit etiam promissionem nudam, & pactũ nudum iuxta l. 1.[e] & præfata promissio R. fuit legitima, & actus virtutis liberalitatis, vt colligitur ex toto tit.[f] præsertim ex l. *si quis argentum,*[g] & tradimus nos post alios in Manua. confess.[h]

4 Secundo, quod actiones actiuæ, & passiuæ transeunt in hæredes.[i] Tertio, quod sola obligatio naturalis, quæ ex pacto nudo nascitur, obligat paciscentem ad implendam pactionem, vel promissionem sub pœna peccati mortalis, secundum Panor. communiter receptum post Hostien. & Ioan. Andr.[k] & in casu præmisso interuenit obligatio, saltem naturalis, nata ex promissione, etiam vt creditur, iurata, & pluries geminata, quarum vtraque circumstantia efficit, vt non solùm iure canonico, sed etiam Cæsareo sit efficax, & pariat actionem, & ius agendi.[l]

5 Quarto, quod non obstant opposita. Ad primum enim respondetur primò, quòd defectus probationis non inducit defectum iuris, saltem quo ad forum conscientiæ, & Dei, cui omnia nuda sunt, & aperta secũdũ Apostolum.[m]

Ad secundum respondetur negando, quod ex nudo pacto non oriatur actio, nec ius agendi: quia immo oritur etiam obligatio obligans paciscentem ad implẽdum, quod promisit sub pœna peccati mortalis, vt prædictum est.

Ad tertium respondetur, quòd in casu proposito non solùm prædictus R. consuluit pręfato G. prosequutionem prædictæ litis, sed etiam adhortatus fuit ad eam, immo & promisit adiutorium non solùm in genere, sed etiã in specie centum ducatorum: & non solum intererat prędicti G. prosequi præfatam litem, sed etiam eius patrui R. qui erat ciuis ciuitatis, & parochianus, Ecclesiæ parochialis, super qua litigabatur, cui satis infestus erat aduersari⁹ G. & quãuis hæ circumstantiæ non adessent, satis superq; erat quo ad hoc promissio prædictæ pecuniæ legitima, & deliberata prædicti R. cuius valor non requirit illas, præsertim ꝗ erat valde nobilis & diues & patruus cuiusdam M. qui obnixissimè non solùm consuluit, sed etiam rogauit, iussit, & mandauit, vti frater primogenitus, præfato G. vt eã prosequeretur, promittendo ad id multa, immo & graues minas adiiciendo, si concordaret, & non prosequeretur.

Per quę omnia satis superq; probatur primò, pręfatum R. obligatum fuisse, cùm viueret, ad soluenda centum scuta creditoribus G. defuncti nullis bonis relictis, & per cõsequutionem fideiussoribus, qui pro eo soluerunt prædictis creditoribus, & consequenter hæredem eius per adnotata.[n]

6 Secundo, impetrari posse à S. D. N. immo ab ordinario Episcopo iuxta.[o] Concilium Tridentinum & cap. *ad nostram,*[p] & alia quæ citat Philippus Probus,[q] monitionem sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vt quisque manifestet ea quæ nouit, vel audiuit de prædicta promissione centum scutorum ad probandum eam factam fuisse, si opus fuerit, in foro exteriori, & vt quisquis possidet bona præfati R. soluat prædicta centum scuta prædictis fideiussoribus.

a *Le. duo sunt Titij. ff. de testamen. tutel. & ca. si sacerdos. adiuncta gloss. de offic. ordin.*
b *L. iurisgentium. §. igitur nuda. ff. de pact. cum ei concordan.*
c *L. consilij. ff. de regul. iuris & c. nullus ex consilio. eod. titulo, li. 6.*
d *De pactis.*
e *ff. de pollicitat.*
f *De donat. ff. & C.*
g *Maxime §. vlt.*
h *Ca. 18. n. 6.*
i *L. 1. vt actio. ad hæred. & contra hæred. & c. 1. de successio. ab intest. & c. in literis. de rapto ribus.*
k *In d. cap. 1. de pactis.*
l *Iuxta c. iuramentum. 22. qu. 5. & l. 1. ff. de constit. pec.*
m *Ad Hebr. 4. relatum in c. Deus omnipotens. 2. q. 1.*
n *In l. Vrani⁹. ff. de fide iuss. & le. 1. C. vt actiones ab hæredibus. & con. hæred.*
o *Ca. 3. de re for. sess. 25.*
p *De iureiur. & c. si sacerdos. de offi. ordi. & c. constitut. de testib⁹.*
q *In addit. ad Ioan. Mona. in c. 2. de constit. li. 6. n. 29.*

*SVMMARIVM.*

1 *Pacta legitima iure naturali, diuino, & humano seruanda. n. 5.*
1 *Fides etiam hosti seruari debet, scilicet similiter seruanti. n. 5.*
2 *Procurator pro vtilitate & gratia mandantis accipiens mutuum non obligatur.*
3 *Fidem frangenti fides etiam iurata frangi potest.*
4 *Regularis simplex nisi de licentia superioris obligari nequit, nec eius obligatio iuramento firmatur.*
5 *Religiosi votum sine licentia superioris non est firmu m*
6 *Iuramentum in præiudicium superioris, sine eius cõsẽsu illicitũ.*

## CONSILIVM VII.

Quidam frater N. procurator generalis cuiusdã ordinis, & specialis monasterij A. non solum ad negotia, & lites, verum etiam ad mutuandum 400. scuta in res & negotia eiusdem monasterij expendenda, accepit ad cambium nomine etiam proprio, & pincipaliter 100, à B. ad expediendas quasdam bullas dicti monasterij, pacto expresso conuento inter ipsos, vt B. non daret bullas prædicto monasterio, nisi prius sibi solutæ fuissent pecuniæ: quod non impleuit B. & sic pecuniæ nõ fuerunt ei die cõstituta solutæ à monasterio. Quæritur quid iuris.

1 Respondetur multa posse pro vtraque parte adduci. Et quidem pro B. facit primò, quòd iure naturali, diuino, & humano pacta sunt seruanda.[a] Secũdò, quòd fides etiã hosti seruanda est,[b] quod multis ornari & confirmari potest. Tertio, quod prædictus N. non solùm accepit prædicta 100. à B. nomine prædicti monasterij A. sed etiam nomine proprio. Ergo licet accipiendo illa vt procurator, solùm obligauerit monasteriũ, accipiendo tamen nomine proprio, videtur obligasse seipsum: quia mandatarius potest obligare seipsum accipiendo proprio nomine, & mandantem eius nomine accipiendo.[c]

2 Pro fratre autem prædicto N. facit primò, quod accipiens ab aliquo mutuo aliquid mandato & nomine alterius pro vtilitate & gratia mandantis, non obligatur ipse ad soluendum mutuo acceptum, sed obligat ad id tertiũ, cuius mãdato illud accepit,[d] & prędictus N. accepit mutuum nomine & mandato prędicti monasterij A. ergo nõ ipse, sed ipsum obligatur ad soluendum.

3 Secundo, quod frangenti fidem, potest fides frangi eidem,[e] etiam iurata,[f] & prædictus N. & B. conuenerunt inter se, & fidem sibi mutuo dederunt, quod B. non traderet literas Apostolicas, nisi accepta pecunia expensa in illarum expeditione, & B. non seruauit illam fidem, ergo nec N. tenetur illi seruare suam.

4 Tertio, & irrefragabiliter, quòd religiosus simplex non habens prælationem, nec administrationem, non potest obligare se ad aliquid, nisi de mandato & licentia superioris sui, per ea multa quæ nos tradimus in Comment. 2. de reg.[g] vbi probamus religiosum non habere voluntatem propriam, sed solùm pendentem à volũtate superioris,[h] & ita non posse agere, nec posse vllum contractũ suo nomine facere, iuxta doctrinam Innocentij communiter receptam,[i] & prędictus N. est religiosus simplex nõ habens prælationem, neque administrationem, neque habebat mandatum, neque licentiam sui superioris ad accipiendum mutuo prædictos ducatos 100. suo nomine. Tũ quia nõ est monachus prædicti monasterij A. nec Prior eius est superior ipsius; & ita mandatum prædicti monasterij, non erat mandatum, neque licentia superioris ipsi⁹. Tum quia monasterium prædictum dedit quidem mandatũ ad obligandũ se, & bona eius, sed nullum dedit mãdatum ipsi N. vt obligaret se ipsum. Tùm quia certum est prædictum B. non mutuaturum esse prædictos 100. ipsi N. nisi innotuisset ei mandatum, quod habebat ad eos mutuo accipiendos, quod significat notarius, qui in instrumento obligationis mutui testatur prędictum N. accepisse mutuo prædictos 100. ducatos virtute illius mandati. Tum denique quod prædictus N. nullatenus intendebat, neque poterat obligare aliud monasterium, quàm illud A. vt palam est: & si obligatio suę personæ valuisset, obligasset aliud monasterium, illud scilicet, cuius filius erat ipse, vel in quo professus fuit: cùm obligationes religiosi actiuæ & passiuæ cedant monasterio suo, cuius est filius, & non alij extraneo, per adducta à nobis,[k] & absurdum esset dicere, quod virtute mandati obligauit monasteriũ

a *Cap. 1. & 2. de pact. cum suis concordantibus.*
b *Ca. noli. existimare. 23 q. 1. & ca. innocens. 22. q. 4.*
c *Arg. le. 1. & 2. ff. mandati.*
d *L. 1. & 2. & l. cùm manda tum. & l. mã datum. ff. mã dat. adiun. §. 1. Inst. eod.*
e *L. cum proponas. C. de pact.*
f *Cap. peruenit. de iuriur.*
g *Super c. prędicatis. nu. 30. & seq.*
h *Ca. quorũdam. c. si religiosus. de elec. lib 6.*
i *In c. olim. 2. de priuil.*
k *Vbi supra.*

A. & virtute suæ personæ illud, cuius erat filius, & cuius nihil intererat: ergo nullatenus hoc est dicendum.[a]

5 Quartò, quòd nihil obstant citata pro prædicto B. Nō primum, cui respondetur cōcedendo quidem pacta legitima esse seruanda, negando tamen, quòd pactum, & contractus quo suam personam obligauit N. fuerit legitimus: quia non habuit ipse legitimam personam contrahendi per adducta in tertio arg. pro eo formato.

Ad secundum concedendo quidem fidem esse seruandam seruanti eam, negando tamen quod prædictus B. seruauerit eam, vt dictum est in 5. arg.

Ad tertium respondetur quod prædictus N. non potuit suam personam obligare per prædicta in tertio argumento, etiam si maximè voluisset, quod tamē noluisse iuramento suo affirmat. sed & quod prædictus N. nō potuerit per suum iuramentū validā facere obligationē, qua se obligauit sine superioris consensu, constat: nam votum secundum receptiorē magis obligat, quam iuramentum, iuxta S. Tho.[b] quē cū quadā limitatione sequimur in Man. conf.[c] At votū religiosi factum sine superioris licentia, nō est firmū, vt post S. Tho.[d] tradimus,[e] ergo neq; iuramentum prædicti N. factum sine superioris consensu valebit.

6 Tum quod nullū iuramentū illicitū est validum.[f] At omne iuramentū factū in præiudiciū superioris quo ad ea in quibus est superior, sine illius cōsensu est illicitū, vt tradit S. Tho.[g] & omne iuramentū, quo se religiosus obligat extraneo sine superioris consensu, est in preiudicium eius, quia in omnibus ei subditur: ergo est illicitum. Tum quia est casus expressus de iuramento religiosi præstito contra stabilitatem in monasterio.[h] Tum quod iuramentū, quo quis promittit aliis ea quæ sunt aliorū, est peccatū, & in eo promittens facit quoddā furtū.[i] At religiosus N. obligans se extraneo sine superioris consensu promittit alij, id quod est alterius, promittit enim se, & sua, quæ sunt monasterij siue religionis, quam est professus,[k] ergo peccat, & facit quoddam furtum. Tum denique quod illa obligatio non posset impleri, nisi de bonis religionis vel monasterij, cùm ipse nihil penitus habeat, nec habere possit,[l] & ita dicendum est per tale iuramentum non validari obligationem, vel contractum, vel quod esset adimplendus de bonis monasterij, cuius ipse est filius, quod est absurdum, & ita non dicendum.[m] Salua, &c.

a L. nam quod absurdum. ff. de bon. lib.
b 1. 2. qu. 89. art. 8.
c Cap. 12. nu. 32.
d 22. q. 88. art. 8.
e Vbi supra num. 64.
f Cap. non est obligatorium. de reg. iur. li. 6. c. in malis. 22. quæst. 4.
g In d. art. 8.
h In c. sicut ex literis. de iure iuran.
i Ca. si res aliena. 14. q. 6.
k Auth. ingressu. C. de sacro san. eccle. c. in præsentia de probat.
l Ca. cum ad monasteriū. §. fi. de statu. monach.
m L. nā quod absurdum. ff. de bonis liber.

## DE TRANSACTIONIBVS.

### SVMMARIVM.

*1 Conuenire non possumus vt tu mihi super beneficio moueas litem, ad hoc vt postea per transactionem auctoritate Apostolica tibi super eodem constituatur pensio, immo esset simoniaca conuētio, nec eā sanaret dicta Apostolica auctoritas, nisi prima dicta cōuentio etiam ei esset narrata. Tractare autē prædicta cum spe quod vtrimque præstabuntur, sine tamen aliqua obligatione, possumus, quando tu habes iustam causam credendi quod super meo beneficio tibi aliquod competit ius: & successiuè mota lite, liberè, si tunc placebit, transigere poterimus vt supra, auctoritate Apostolica intercedente, & nu. 2.*

*2 Transactionem super beneficio tractare possumus inter nos: quod si procedatur ad conclusionem illius, seu ad promittendum quod illam seruabimus, non licet, nisi adiecta clausula saluo beneplacito Sedis Apostolicæ, & quod ea nisi post habitum beneplacitū non vtamur.*

### CONSILIVM I.

QVidam Abbas conuenit cum N. amico suo, vt impetraret à Sede Apostolica tamquam deuolutū beneficiū quoddā suo monasterio vnitū, & postquā illud impetrasset, pateretur sibi moueri litē, ad hoc vt pro bono pacis fieret cōcordia, & ipse N. teneretur præstare quedā ipsi Abbati. Quare fuit expedita supplicatio. Queritᵉ qd iuris.

1 Respodeo primo, id quod præfati DD. consulentes cupiunt, non posse iustè fieri interueniente aliqua pactione, vel promissione sine beneplacito S. D. N.[n] Secundo, quod cessante omni pacto, & promissione, iustè potest D. consulens prouisus expedire bullas super supplicatione iā signata sine alio beneplacito Papæ, & eas notificare præfato D. Abbati: & ille si probabiliter credit prouisionem suę Sanctitatis continere aliquam iniustitiam, supplicare verè sine vlla fictione à præfata bulla, vel eius executore, & facere committi causam alicui DD. Rotæ, vel alij. Tertio quòd postea, si videbitur ambobus, poterūt facere cōcordiam aliquam honestam saluo beneplacito Papæ, antequam tamen vllatenus vtantur ea, & curare vt probetur, & cōfirmetur ab eodem narrata veritate ad hoc necessaria. Quarto, quod quamuis non possint ipsi per se, neque per alios pacisci, aut promittere de faciendo, vel dando aliquid horum, nisi reseruando beneplacitum Papę, neque reseruato illo adimplere conuenta, antequam obtineatur illud, quod est maximè memorandum; possunt tamen cōfidere alter alteri, quod adimplebunt concordiam, immo & promittere se seruaturos illam, si Papæ illa placuerit. Quintò, quod debent cauere, ne vllatenus conueniāt inter se; quod alter expediat bullas, & alter supplicet ab eis, & quod postea faciant concordiam: quia si postea Papa confirmaret eam non facta mentione de huiusmodi conuentione, vt audiui frequenter male fieri, nihil valeret confirmatio suæ Sanctitatis, neque possent vti huiusmodi concordia. Sextò, quòd satis iustè possent tractare per se, vel per alios, per hanc viā vel illā posse inter ipsos fieri concordiam, per quam cessaret lis modo à neutra parte fieret promissio de vtendo illa via; sed quòd ante & post bullarum expeditionē, & intimationem remaneret integra libertas discedendi ab illa via concordandi, antequā Papa confirmaretur. Salua &c.

n Ca. quam pio. 1. q. 2. cap. fin. de pactis.

## DE POSTVLANDO.

### SVMMARIVM.

*1 Patrocinari in causis: etiam criminalibus, clerico licet sine peccato, nisi sit in sacris, vel beneficium habeat. num. 1.*

*1 Irregularitatē incurrit quicumq; patrocinatur, si ex suo patrocinio sequatur mors, vel mutilatio membri, alias non, nec incurrit aliquā censurā, etiam si sit in sacris.*

*4 Precibus frustra impetratur, quicquid iure communi conceditur, num. 4.*

*4 Indultū concessū clerico minorū ordinū nō beneficiato, vt possit tam in ciuilibus quam criminalibus patrocinari, est frustratorium: vnde si initietur sacris, non ei proderit, & num. 5.*

*5 Ordinatus sacris non potest postulare nisi casibus à iure permissis. num. 5.*

### CONSILIVM I.

CLericus in quatuor ordinib⁹ minorib⁹ cōstitutus patrocinatus est in quibusdā causis: de quo dubitās, an ei liceret, fecit se absolui, & indultū obtinuit, vt liceret ei sine peccato patrocinari. Nunc iterum dubitat, & quærit an fuerit bene absolutus, vel noua absolutione indigeat, & an patrocinando virtute dicti indulti peccet.

1 Respondeo primò, quòd nullus clericus, siue tantùm quatuor minoribus, siue etiā sacris initiatus, incurrit excommunicationem, vel aliam censuram patrocinando in causis, siue sint Ecclesiasticæ, siue sæculares, & siue criminales, siue ciuiles: quia nullo iure id cauetur: quamuis peccaret etiam moriferè id faciendo, si haberet beneficium Ecclesiasticum, vel si constitutus esset in sacris, licet non haberet beneficium,[a] incurreret tamen irregularitatem; si ex suo patrocinio sequeretur mors, vel mutilatio membri, per ea quæ habentur in c. *sententiam sanguinis*.[b]

2 Secundo, ex hoc inferri, non posse satis facilè intelligi à quo fuit absolutus D. consulens, eo quod in quatuor minoribus constitutus patrocinatus fuerit, cum non dicat se tunc habuisse beneficium, neque proponat se incurrisse irregularitatem, nec petiisse dispensationem super illa.

3 Tertiò, quòd etiam ex præfato dicto sequitur non indigere ipsum absolutione aliqua noua, neque dispensatione, si non fuit patrocinatus in causis criminalibus, ita vt ex eius patrocinio mors, vel mutilatio sequuta fuerit.

4 Quartò, quòd indultum præfatum, vt possit patrocinari in statu quatuor minorum, & carens beneficio, non fuit indultum, nec priuilegium, sed ius commune; quandoquidem constitutus in quatuor minoribus tantum, & omni beneficio carens, nullo iure prohibetur patrocinari, per præfatum c. 1.[c] & resolutionem Panor. communiter receptam, & perinde debet iudicari de ipso, ac si non habuisset illud indultum: quia frustra precibus impetratur quod iure communi conceditur.[d]

5 Quintò, quòd posteaquam fuerit aliquo sacro ordine

a Ca. 1. de postul. vbi doct.
b Ne cler. vel mon.
c De postul.
d Leg. 1. ff. ad municip. & gloss. cap. 1. de rescript.

insignitus, non poterit patrocinari virtute illius indulti, nec iure communi, nisi in casibus permissis in d.ca.1.[a]

a De postul.

## DE PROCVRATORIBVS.

### SVMMARIVM.

*1 Mandatum datum alicui personæ, ratione qualitatis, seu dignitatis cognitæ, magis dignitatẽ, quàm personã respicere videtur.*

*1 Appellatiuum nomen dignitatis vel officij sit ne magis attendendum, quàm nomen personæ seu persona, ex notitia disponentis diiudicandum venit, itemque & ex aliis coniecturis.*

*1 Relictum Episcopo ab extraneo, censetur relictum ratione dignitatis, qua est notior.*

*2 Viam tutiorem quilibet in dubio videtur eligere.*

*2 Procurator contẽplatione societatis constitutus societatẽ obligat.*

*2 Conuertisse in militiam, societatem, mercaturam, studium, præsumitur miles, socius, mercator, scholaris, qui pecuniam in dictas causas, vel illarum sequelas accepit. Idẽ est, si illas acceperit vt talis. nu.3.*

*3 Mercatorum libris saltem contra illos creditur.*

*4 Debita contracta durante societate sunt ab ipsa soluenda.*

*4 Præpositus alicui officio obligat præponentem etiam accipiendo pecunias ad commodius illud exercendum: quales sunt etiã plures socij eidem societati præpositi.*

*5 Societate inita ad mercaturam, seu artem campsoriam, quicquid vnus tamquam socius facit alium obligat.*

*6 Finis recipiendi aliquid in dubio ex effectu coniicitur.*

### CONSILIVM I.

Qvidam Illustrissimus Cardinalis cõstituit in his partibus tres procuratores, Iacobum, Petrum, & Ioannẽ mercatores, & socios vnius officij campsorij, & eorũ quẽlibet in solidum ad per eos recipiendum quasdam pensiones prædicto Cardinali debitas. virtute illius constitutionis Iacobus vnus dictorum sociorum pensiones recepit, & pro summa pecuniaria recepta Cardinalem in libro societatis creditorem scripsit, fuerunt autem sex semestrium pensiones ad Vrbem nomine societatis transmissę, sed nũc remanet pensio vnius anni nõ soluta, tandem societas defecit. Petit Cardinalis restantem pensionem sibi solui de pecuniis dictæ societatis, attẽto quòd Iacobus erat socius. Ex aduerso Petrus & Ioannes prætendunt societatem non teneri pro facto dicti Iacobi socij: quia ipse dictas pensiones exegit iure proprio tamquam procurator in solidum prædicti Cardinalis, non autem nomine societatis, attento quod ipsi non acceptauerunt mandatum, neque se immiscuerunt in exigendo dictas pensiones.

DE SOLA SVBSCRIPTIONE rogatus respondeo iuridicam mihi videri conclusionem à viro doctissimo fundatam, considerando primò, ꝙ prędictus Illustriss. in dãdo mandatum prædictis tribus sociis potius respexit societatem, quam personas eorum. Tũ quia solis iis tribus, iisdemq; sociis dedit illud. Tũ quia nulla ratione alia, quàm illorum societate, cognoscebat eos, & ꝙ quidam bancharius eorum responsalis in Vrbe degens eorũ societatẽ fidã esse ei persuasit. & qui mandat, & relinquit aliqd alicui personæ qualificatæ, quã cognoscit ratione qualitatis, & nõ personę, videtur magis respicere illã ratiõe qualitatis, & dignitatis, quàm personæ, iuxta l.penul.[b] per quã definit ibi Bart. ꝙ an nomen appellatiuum, vel proprium sit magis consideratum, ex qualitate notitiæ est considerãdũ: facit c.requisisti,[c] quatenus probat, relictũ Episcopo ab extraneo, cẽseri relictũ ratiõe dignitatis, qua est notior: vbi multis cõprobat Couar. nõ esse curandũ, an primũ exprimatur nomen appellatiuum, vel propriũ, vel è cõtra, quãdo ex aliis coniecturis apparet, an persona, siue qualitas, siue dignitas sit magis considerata: quod etiã ante illũ tradit Decius post alios citatos ab eo.[d] Cum ergo prędictus Cardin. cõstituerit prædictos tres procuratores nominando personas, & societatẽ eorũ, & cũ non cognoscat ratione personarum, sed tãtùm ratione societatis, & persuasionis de fide habenda eis factę per relationẽ responsalis socîetatis eorũ, & cum nullis aliis dedisset mandatũ, consequens est dedisse illis principaliter, eo quòd erant socij illius societatis.

2 Confirmatur, eo quod Cardinalis erat vir prudentissimus, & ideo præsumendus est in dubio præuidisse tutius fuisse credere plus eis, & singulis eorum, tamquam sociis, quam tamquã singularibus, & diuisis personis: & in dubio quilibet viam sibi tutiorem videtur eligere,[a] & ita cum tutius esset prædicto Cardinali dare mandatum eis tamquam sociis, quàm tamquam diuisis, interpretandum est dedisse tãquam sociis: & ita Iacobus præsumitur constitutus procurator ea ratione, qua constitutus erat socius aliorum, & non tamquam diuisus, & separatus ab eis. Secundo reputo prædictam conclusionem iuridicam, considerando, quod prædictus Iacobus recuperauit pensionem prædictam tamquam procurator constitutus, contẽplatione societatis, & quod obligauit eam. Primo quidẽ, quia præsumitur eã vertisse, & posuisse in rẽ & vtilitatẽ societatis: quia, qui fungitur officio, vel exercitio aliquo, & accipit aliquid pro exequẽdo eo, vel sequelis eius, pręsumitur vertere illud in rem & vtilitatem eius. casus est in lege final.[b] quatenus habet, quod miles, qui accipit aliquid ad exercitium militiæ, præsumitur vertisse id in illud, per quem definit ibi Bartholus scholasticũ cui mutuatur aliquid ad suum studium exercendum, præsumi vertisse in illud. per quem §. & prædictum dictum Bartholi definit Baldus,[c] mercatorem, qui accipit aliqua ad mercaturam exercendam, præsumi vertisse in eam.

3 Cum ergo prædictus Iacobus acceperit prædictã pẽsionem vt socius, præsumitur vertisse in rem & vtilitatem societatis. Deinde quod non solum præsumitur, sed constat ex libris eius, quòd verterit eam in rem & vtilitatem suæ societatis, siquidem fecit prædictum Illustrissimum creditorem societatis quo ad illam. Quod autem credatur libris mercatorum, saltem contra illos, communis cõclusio est Bartholi Iasonis & aliorum.[d]

4 Tertio, quod omne æs alienum, quod manente societate contractum est, de communi soluendum est, quę sunt verba l.omne æs.[e] cuius gloss.[f] declarat eam dicens procedere, etiamsi ab vno sociorũ contractũ est. Quarto, quod accipiens pecuniam ratione officij, cui præponitur, obligat eum, qui præposuit illũ, iuxta l.fi.[g] ex qua hoc ibi colligit Bartolus, & prædictus Iacobus, & quilibet aliorum sociorum erat præpositus negotiationi societatis ab ipsa societate; ergo, &c. Quinto, quod præpositus alicui officio non solum obligat eos à quibus præponitur accipiendo ea, sine quibus id exerceri non potest, sed etiam accipiendo ea, cum quibus commodius potest, vt irrefragabiliter probant l.quicumque.[h] & l. penultima,[i] per quas hoc affirmat Aretinus,[k] & Decius,[l] vt vtrobiq; aliàs docuimus. At prædictus Iacobus, & quilibet aliorum sociorum habebat officium exercendi societatem initam, vt proximè dictum est: ergo quilibet eorum poterat recipiẽdo pensionem prædictam obligare societatẽ, cùm aliqua ex parte eius receptio commodaret officij exercitio.

5 Sextò, quod societas prædicta fuit inita ad negotiandum arte mercatoria, & campsoria; & quicquid vnus socius capit pertinens ad societatem, obligat illam: casus est in l. quicumque.[m] At receptio pensionis pecuniarię suapte natura pertinet ad exercitium negotiationis artis campsoriæ, & mercaturæ; ergo recipiendo illam ad reponendã in societatem, vt reposuit, obligauit societatem.

6 Septimo, quod qualis fuerit finis recipiendi aliquid, in dubio cõiicitur ex effectu subsequuto iuxta l. sed Iulianus.[n] quatenus habet, filium familias qui accipit mutuam pecuniam, præsumi accipere animo vertendi eam in rem patris, si in illam postea verterit; per quem DD. dicunt ibi de scholastico mutuante pecuniam, & postea vertente illã in exercitium studij, quod præsumitur eo fine mutuasse. Vltimo, quod ratihabitio retrotrahitur, & mãtus fuisse. Vltimo, quod ratihabitio retrotrahitur, & mãdato comparatur,[o] etiam in iis quæ à principio malè capiuntur. At receptiones prædictę pensionis factas à Iacobo societas ratas habuit: quia multas earũ remisit soluẽda s ad Vrbem per literas nomine societatis confectas; ergo proculdubio vel hoc solo argumento vera est conclusio. Saluo sanio ri iudicio.

## DE IIS QVAE VI METVSVE CAVSA FIVNT.

### SVMMARIVM.

*1 Ordinatus metu conditionali recipit characterem.*

*1 Facta ob metum sunt voluntaria simpliciter, & inuoluntaria secundum quid.*

b ff. de reb. dubijs.
c De testam.
d In c.qui abbas. de offici. deleg.

a Leg.3.ff. de milit.testam. cum simil.
b §.fin.ff. ad Maced.
c In l.antepenul.eod.tit.
d In l.1.C.de eden.& l.admonendi.ff.de iureiur.
e ff. pro socio.
f Verb. contractum.
g ff. de instit. act.
h §.si ei quẽ ff.de instit. act.
i ff de vsufruct.
k In ca.de testib.col.3. de testib.
l In ca.præterea.col.5. de offic.deleg. in ca.vt debitus honor. de appell.col.8.
m §.non tamẽ omne.ff.de instit.act.
n §. proinde. ff. ad Maced.
o Ca.ratihabitionem. de reg.iur.lib.6. cum concord.

*2 Infans,& amens,baptismi & ordinis characterem recipiunt.*
*2 Characterem non recipit, qui potens consentire absolutè sacramenti receptioni dissentit.*

## CONSILIVM I.

QVidam nobilis initiari se consensit ordine sacro fictè ob reuerentiam patris,vel magni cuiusdam principis, aliàs non consensurus. Quæritur an verè sit ordinatus.

1 Respondeo quòd sic,si verè consensit,etiam si per metum etiam iustum id fecit,quia saltem conditionaliter cōsensit,argum.cap.*maiores*,[a] quod habet, eum qui baptizatur inuitus & renitens,non recipere characterem baptismi,sed sic illum,qui consensit,& vult baptizari,saltem cōditionaliter ob metum:quia coacta voluntas,voluntas est iuxta cap.*merito*, [b] & tradit S. Thomas, [c] affirmans facta per metum esse simpliciter voluntaria, & secundum quid inuoluntaria, quamuis quidam magni nominis Theologus parum rectè dixit contrarium, scilicet coactam esse quidem secundum quid voluntariam, sed simpliciter inuoluntariam,vt in Manua.confess.[d] diximus referendo etiam Deciū, qui non lecto S. Tho. vbi supra idem dicit.

2 Non obstat, quod etiam infans in cunabulis existens, & amens suscipiunt ordinis characterem sine vllo suo consensu,vt diximus nos aliàs:quoniam aliud est consentire,& aliud dissentire,sicut aliud est non velle,& aliud est nolle,iuxta doctrinam Innocentij, [e] cū similibus receptā communiter ibi, & Decium in reg.*eius est nolle cuius est velle.* & melius sequenti.[f]

Ex his sequitur,quod consensus absolutus, vel cōditionalis illius,qui potest consentire, requiritur ad hoc vt ordinetur: & quod dissensus absolutus impedit omnino assumptionem ordinis:& quod hoc ipsum est dicendum de charactere baptismi, quem nō accipit absolutè dissentiēs, immo requiritur consensus saltem conditionalis in eo qui potest consentire,licet non in eo qui non potest consentire,quales sunt infantuli,& omnino à sua natiuitate amentes,vt probatur in d.ca.*maiores*, [g] quē non videtur satis intellexisse Decius.[h] Salua, &c.

### SVMMARIVM.

*1 Ordinatus metu iusto characterem quidem suscipit,sed non tenetur continere.& nu.2.*
*2 Expressa,sunt regulariter eiusdē valoris,ac tacita,immo frequēter maioris.*
*3 Ordinatus metu,si contrahat,verum contrahit matrimonium,& hoc declarare potest nedum Papa,sed & Episcopus.*
*Declaratio validitatis matrimonij quid operatur quo ad forum exterius.*
*4 Subdiaconus matrimonium contrahens est excommunicatus.*
*4 Dispensare potest Papa vt diaconus perseueret in matrimonio contracto.*

## CONSILIVM II.

QVidam Gaspar metu iusto & cadente in constantem virū fuit ordine subdiaconatus ordinatus,deinde sine dispensatione vllà vxorem duxit,cū qua viuendo liberos procreauit.Dubitatur, an tuta conscientia posit in dicto statu perseuerare.

1 Respondeo primò,quòd prædictus Gaspar verum characterem ordinis subdiaconatus suscepit:quoniā sacramēta imprimentia characterem indelebilem,quorum de numero est ordo, imprimunt illum in eo qui suscipit illa etiā iusto metu adactus iuxta cap.*maiores*, [i] & ca.*vbi ista*,[k] iūcta glo.[l] & vbique communis opinio.

Secundo, quod per prędictā ordinationē metu factam non fuit prędictus consulens obligatus voto solēni ad cōtinentiā seruandā. Tū quia votū metu factū est ipso iure nullū,& ad nihilū obligat iuxta,c.1.[m] per quod Pan.& cōmunis id tenent in eo,& melius in c.*abbas*.cū glo. [n] & alij alibi,quos nos citamus,& sequimur in Man.confess. [o]

2 Tū quia non obstat,quod illud cap.1.loquitur de voto expresse emisso, & in casu proposito agitur de voto tacitè emisso: quia regulariter eiusdem valoris, & virtutis sunt expressa & tacita,[p] immo frequenter maioris virtutis sunt expressa,quàm tacita,iuxta l.*expressa*,[q] & glo.solemnem, [r] & consequenter si votum expresè factū non obligat,minus obligabit tacitè emissum. Tum quia expresè affirmant Angelus à Clauasio , [s] & Dominicus Sotus,[a] quod ordinatus ordine sacro iusto metu non obligatur voto continentiæ solemni.

3 Tertio principaliter respondeo ex prædictis inferri primò,prædictum Gasparem nulla indigere absolutione, nec dispensatione quo ad forum conscientiæ, & vt cum animæ suæ salute posit coram Deo iustè conuiuere prædictæ vxori suæ:cùm quo ad illud forum sit verè eius maritus,& sola veritas in eo sit seruanda. [b] Secundò, quòd tam Episcopus sua ordinaria potestate, quam ipse Papa, vel alius per eius commissionem potest declarare prædictum matrimonium esse validum,& liberos ex eo susceptos esse legitimos,quoniam ad prædictam declarationem faciendam non est opus vlla extraordinaria potestate, cū declarare non sit aliquid de nouo addere.[c]

4 Tertiò, quòd declaratio prædicta nihil prodest quo ad forum conscientiæ,sed quo ad forum exterius multū prodesse posset ad obturanda ora eorum qui in foro exteriori latrant contra prædictum matrimoniū, vel contra liberos ex eo susceptos, quòd non essent legitimi, cùm palam sit ordine sacro insignitum non posse ducere vxorem, & si ducat,non valere matrimoniū, & incurrere excommunicationem.[d]

Quarto,quod etiam Papa posset,si dignaretur, dispensare si & quatenus opus esset,vt prædictus Gaspar perseueraret in prædicto matrimonio,per ea quæ nos latius asferimus in Manuali confessa.[e]

Quintò,quòd si non fiat prompta declaratio, nec impetretur prædicta dispensatio, vtile esset examinare aliquos testes,& facere probationem ad perpetuam rei memoriā super metu & timore illato Gaspari à patre suo,vt ordinem sacrum subdiaconatus susciperet, iuxta casum ca.*Albericus*.[f]

### SVMMARIVM.

*1 Papa legem diuinam seruare tenetur.*
*2 Sacerdos ab effusione humani sanguinis abstinere debet.*
*3 Horas canonicas recitare tenetur sacris initiatus:& hoc ex iure humano post Euangeli um edito.num.5.*
*2 Princeps veniendo contra suam legem cur peccat.*
*4 Papa iusta de causa dispensare potest super omni iure humano inducto,& sic vt diaconus fiat miles S.Ioannis.*
*5 Irregularitas iure tantùm humano inducta,quo etiam delatio armorum clericis & bellare prohibita.num.16.*
*6 Diaconus religionem S. Ioannis profitendo non descendit, sed ascendit.dum fit verus religiosus.*
*6 Diaconus vt ducat vxorem dispensare potest Papa, prout etiā in multis dispensauit,num.8.qua ducta, & matrimonio cōsumato,efficitur fori laicalis, potest bellare, & sententiam sanguinis ferre num.6.*
*6 Monachus vt ducat vxorem,secundum magis communem cōtra D.Thom.dispensat Papa:qua ducta, & matrimonio cōsummato exemptus est à potestate Ecclesiastica, vt quilibet laicus;vnde potest bellare, sententiam sanguinis dicere, &c.*
*7 Singula quæ quandoque ad iustam dispensationem non sufficiunt,simul iuncta sufficere possunt.& num.8.*
*7 Dispensandi causa iusta quæ sit,cum iure non sit determinatū, iudicis arbitrio relicta est.*
*8 Ordinis susceptio iusto metu facta valet quo ad characterem, non quo ad continentiæ votum, nec alia voto annexa; vnde sine dispensatione potest vxorem ducere,bellare,horas omittere.*
*8 Votum iusto metu factum est nullum.*
*8 Metus iustus quis sit,ex circumstantijs loci, temporis, personæ iudicatur;quia qui vni non est,alteri erit iustus.*
*9 Promissio metu etiam non iusto facta,si fuerit causa principalis id faciendi,non obligat quo ad Deum.*
*10 Causam ob iustam retrocedens non retrocedit.*
*11 Clerici arma ferre,& bellare iure humano tantùm vetantur. & num.18.*
*12 Repugnantia non est idem diuerso tempore diuersa operari.*
*13 Bellare,& occidere licuit olim sacerdotibus,& Leuitis.*
*14 Intellectus dicti Pauli de Episcopo percussore. & quod continet ius humanum ab Ecclesia receptum.*
*15 Prælatis subditos torquere & verberare licet.*
*15 Bigamia iuris tantùm humani inuentum.*
*16 Clericis & Episcopis ad bellum iustum, & in eo milites ad fortiter pugnandum hortari licet.*

17 Clericis

---

a §. *item quaritur. de baptism.* b 15.*quæst*.1. c 1.2.*quæst*.6.*art*.6. d *Pral*.6.*n*.4. e *In c.prudētiam.§ sexta. de offic.deleg. ff.de reg.iur.* g §.*item quaritur.* h *In d. regul. velle non creditur.ff.de regu.iur.* i §.*item quæritur. de baptismo.* k 74.*distinct.* l *Et ca.de Iudæis.* 45. *dist. &arg.c.quod quidā*.1.*q*.1. m *De iis qua vi metus ve causa fiunt.* n *Ibidem nu*. 11. *eodem tit.* o *Ca*. 21.*nu*. 51. p *Le.cū quid. ff.de reb. credē.& ca.cum olim.de censibus.* q *ff. de regul. iur.& le*.1.§. *in nouissimo. C.de cad.sollend.* r *In clem.sæpe. verbo par tibus. de verbo.sign.* s *In summa verbo ordo* 3. *sub fin.nu*.25. & 26.

a *In* 4.*l.sent. distin*.25.*q*.1. *art*.3. *col*. 11. b *Arg.ad Hebræos* 4. & c. *nemo Episcopus*. 2. *q*.1.& *gloss. clem*. 1. *de priuile*.& *notat.in ca. is qui fidem.* & *c.tua. de sponsal.* c *Le. haredes palam.* §. *sed si notam.cum adnotat.ei.ff. de testamen.* d *Capit.ante triennium. cū suis concord*. 31 *dist.& clē*. 1. *de consang.* e *Ca*. 22.*nu*. 47. f *De testib.cū solemnitate c. signific aut. eod.tit.*

17 *Clericis sententiam iustam sanguinis ferre, & manibus propriis iustè occidere, æquè, & solo iure humano est prohibitum.*

## CONSILIVM III.

QVidā ex illustrissimo genere ortus, licèt militiæ ab infantia deditus esset, & maiorum suorum desidera-
ret sequi vestigia ( qui contra Christiani nominis hostes
sæpissime pugnantes varia trophæa reportarunt) 17. æta-
tis suæ anno ob reuerentiam & metum paternum, ad titu-
lum certi beneficij, subdiaconatus & diaconatus ordines
suscepit: postmodum sperans, quòd si sibi licitum esset iu-
sta bella bellare, & in eis tamquā militum ductor mani-
bus etiā propriis pugnare, Deo melius in eiusmodi exer-
citio, in quod à natura erat valde propensus, quā in eccle-
siastico munere, quod coactè suscepit, deseruire posset, Sā-
ctiss. supplicauit, quatenus dignaretur cum eo dispensare,
vt retento beneficio non teneretur fieri presbyter, sed
translatus ad religionem Sancti Ioannis Hierosolymitani
posset iusta bulla, & tamquam ductor militum propriis
etiam manibus bellare, & vt preces tamquam miles reci-
tare valeat, ita vt ad horas canonicas non teneatur.

1 Quæritur à tenuitate nostra, an Sanctiss. D. N. præfa-
tæ petitioni iustè annuere possit? Et pro parte quidem ne-
gatiua facit primò, quod etiam Pontifex Max. tenetur ser-
uare legem naturalem, & euāgelicā.[a] At lex euāgelica,[b]
reprobat eum, qui mittit manum ad aratrum, & respicit
retro: & orator posuit manum ad aratrum suscipiendo or-
dinem subdiaconatus, & diaconatus, quo fieret sacerdos,
& nunc non vult procedere ad sacerdotium, sed retrogre-
diēdo petit absolui in effectu à susceptis ordinibus: & cō-
sequenter annuere petitioni eius, esset approbare retro-
cessionem, quam reprobat Euangelium, quod Papa non
debet facere.

2 Secundo, quod adscriptus militiæ Christi ad ministrā-
dum in sacerdotio, maximè debet à sanguinis humani ef-
fusione abstinere: nam &[c] prohibitus fuit Dauid ædifica-
re templum, quia multum sanguinem humanum effude-
rat, vt ait Gratianus,[d] & probatur in cap. *miror.* & multis
aliis.[e] Et prædictus orator petit facultatem pugnandi, &
præliandi etiam manu propria, cui diaconatus, quo initia-
tus est, repugnat.

3 Tertiò, quòd sacris ordinibus initiatus tenetur ad pre-
ces canonicas horarias, iuxta c. 1. & ibi notata,[f] & is orato
petit se ab eadem recitatione absolui, ergo. &c. Quartò,
quòd summus Pontifex licet nulla humana lege oblige-
tur, ita quod factum ab eo contra illam sit ipso iure nullū,
& inualidum,[g] peccat tamen contraueniendo ei, eo quod
contrauenit legi naturæ iubenti *patere legem, quam tuleris,*[h]
Qua ratione dixit Imperator in l. *digna vox,*[i] *dignam vocem
esse maiestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri.* &
Isidorus,[k] dixit, *Iustum esse Principem legibus obtemperare suis.*
Et D. Thom. receptus.[l] *Principem quidem solutum esse legibus
quo ad vim coactiuam, non autem quo ad directiuam, cui contra-
ueniens peccat.*

4 His tamen non obstantibus pars affirmatiua videtur
verior. Primò quidem, quod apud omnes in confesso est
Pontificem Maximum, eumdemq; summum Christi vica-
rium posse iusta de causa iustè dispensare super omnibus
lege humana inductis,[m] quia summus Princeps solutus
est legibus humanis.[n] Et si præfata oratoris petitio satis
expendatur, nihil petitur in ea, quod sit lege naturali, vel
diuina prohibitum. Tria enim in summa videtur petere.
Primum, quòd translatus in ordinem militū Sācti Ioānis
non teneatur fieri presbyter. Secundum, quòd nō obstan-
tibus subdiaconatu & diaconatu, quibus iā initiatus est, li-
ceat ei iusta bella bellare, & in iis esse militum ductorem,
& etiā manibus propriis pugnare sine irregularitatis in-
cursione. Tertiū, quod retēto præfato beneficio nō tenea-
tur ad horas canonicas dicendas, sed tātùm ad orationes
militū sancti Ioānis Hierosolymitani: quorū nullum iure
naturali vel diuino est prohibitū. Non primum: quia nulla
lege diuina vel naturali præcipitur quis fieri presbyter, vel
sacerdos.

5 Non etiā secundum: quia solo iure humano prohibe-
tur, quo solo est inducta irregularitas: licet aliquā originē
habuerit à iure diuino veteris testamēti secundum Inno.[o]
à plerisque omnibus receptum. Tertium item clarum est

a *Ca. sūt quidam. 25. qu. 1. & 5. distin. in princ.*
b *Luc. 9.*
c *2. Reg. ca. 7.*
d *De consec. dist. 1. in prin.*
e *50. disti. & multis capp. de homicid. & tit. ne cler. vel mon.*
f *De celebratione miss.*
g *Arg. l. princeps. ff. de ll.*
h *Ca. cū omnes. de const.*
i *C. de ll.*
k *In ca. iustū. 9. dist.*
l *1. 2. qua. 96. art. 85.*
m *Ca. cuncta per mundum. 9. q. 3. ca. proposuit. de concess. preben.*
n *L. Princeps. ff. de ll.*
o *In c. ad audientiam. de homicid. & in capit. nisi cum pridem. de renunc.*

A

esse inuentum humanum, cùm longè post Euangelium
publicatum sint inductæ horæ canonicæ, seu preces hora-
riæ in breuiariis contentæ, vt palam est.

6 Secundo, quod orator vult ascendere, & non descen-
dere: vult enim fieri verus religiosus prædicti ordinis sā-
cti Ioannis, in quo fiunt tria substantialia vota, quod est
ascendere.[a] vult enim fieri de clerico sæculari religiosus.

Tertio, quod omnium fere sententia habet posse Papā
iuste dispensare iusta de causa; vt constitutus in subdia-
conatu & diaconatu ducat vxorem: immo & communis
contra S. Thom. & sequaces tenet posse idem facere cum
monacho, vt latè deducit Felin.[b] At longè maius est hoc
facere, quā cōcedere præfata. Tū quia qui cōcedit hoc cō-

B

cedit illa, & aliquid aliud: dispēsatus enim vt cōtrahat ma
trimoniū, eo contracto & consummato (præsertim cum
vidua) potest iusta bella gerere, milites ducere, sententiā
sanguinis pro iurisdictione quam habuerit ferre: quod
quod quotidie facere videmus aliquos duces sub Rege
Cathólico cohortes & exercitus ducentes tam in Italia,
quàm in Hispania, & orbe nouo, & præterea habent vxo-
rem, & liberos: & perinde est ab Ecclesiastica potestate
exemptus, ac quilibet alius laicus coniugatus iure ipso
communi id statuente.[c] Tum quia dispensare, vt consti-
tutus in sacris ducat vxorem, est dispensare in voto solē-
ni, quod iure naturali, diuino, & humano ligat: dispensare

C

autem ad hæc de quibus agitur, est dispensare contra le-
gem tantùm humanam per supradicta.

7 Quarto, quod causæ dispensandi ab oratore propo-
sitæ, saltem simul iunctæ faciunt vnam iustissimam cau-
sam dispensandi ad ea, quæ petit: sunt enim hæc. Prima
quidem, quòd prædictos ordines suscepit adhuc adoles-
cens & ante legitimam ætatē in 17. anno. Secunda, quod
non suscepit eos sponte voluntate absoluta, sed coacta
metu inclusionis perpetuæ indicendæ sibi à patre, & me-
tu reuerentiali tanti patris obnixè rogantis, & prospera
promittentis, si id faceret; contraria verò tacitè minantis,
si secus ageret. Tertia, quòd vult fieri religiosus præfatæ
religionis hac tempestate Christi populo valde vtilis, &

D

necessariæ. Quarta, quod neque ante, nec post illos sus-
ceptos habuit animum vtendi sacerdotio, neque vllo or-
dine sacro, & ita numquam prædictis ordinibus susceptis
vsus est: Et nihil est inuita Minerua tentandum. Quinta,
quòd non sperat se digne Deo in sacerdotio obsequutu-
rū. Sexta, quod agnoscit se à Deo donatum spiritu & vi-
ribus bellandi contra infideles; idque experimēto cōpe-
ruisse, & comperire, notissimum est. Quas causas iustissi-
mam causam ad concedendum petitam dispensationem
constituere inde colligitur efficaciter, quòd arbitrio bo-
ni viri determinandum est, quæ sit in hoc iusta causa, cum
iure speciatim non sit determinatum.[d] Et quilibet vir

E

bonus & prudens arbitrabitur prædictas causas cōstitue-
re iustissimā causam ad prædicta concedenda: quoniā ar-
bitrabitur eas sufficere etiam ad concedendum, vt posset
ducere vxorem, antequam prædictam religionem profi-
teretur: quod colligitur ex eo, quod minoribus de causis
S. Sedes Apostolica concessit multis in Italia & Hispa-
nia facultatem ducendi vxores post susceptum subdia-
conatū, immo & aliquibus post susceptum diaconatum,
& nemo negare potest mulro grauius esse dispensare quo
ad hoc, quàm quo ad petita per oratorem; cum, vt prædi-
ctum est, hoc sit dispēsare contra votum, & consequen-
ter contra ius naturale diuinum,[e] dispensare autem quo
ad petita sit dispensare contra iura humana per prædicta.

F

8 Quinto, quod licet susceptio ordinis iusto metu va-
leat quo ad impressionem characteris,[f] non tamen valet
quo ad votum continentiæ eis annexum: quia votum iu-
sto metu factum est nullum,[g] quę communis sententia
est Doctorum,[h] quam nos quoque affirmauimus in no-
stro Man. Confess.[i] & in specie de ordinato per iustum
metum, quod non teneatur ad continentiam; determinat
Angelus,[k] & Sotus,[l] post Richardum.[m] Et satis defendi
posset, quod prædictus orator, attenta ætate, loco, tempor e
precibus, & minis tanti patris expressis, vel tacitis, iusto ti-
more susceperit prædictos ordines. Tum quia metus car-
ceris; metus iustus est, secundum omnes,[n] & prædictus o-
rator metu inclusionis perpetuæ in monasterio, quæ nolē-

a *Cap. gesta. iuncta glossa recepta 72. d.*
b *In c. si quando. de rescrip. nu. 5.*
c *In cap. 1. de bigam. l. 6. & c. contingit. c. in audientia. de senten. excomm.*
d *Arg. le. 1. ff. de iur. delib. & ca. de causis. de off. deleg.*
e *Ca. non est. iuncta glo. de vot.*
f *Arg. c. maiores. §. item quæritur. de baptism.*
g *Ca. 1. de his quæ vi.*
h *In d. c. 1. & in 4. dist. 3.*
i *Ca. 1. nu. 52. & c. 22. n. 52.*
k *In verb. ordo 3. sub finē. nu. 25. & 26.*
l *In 4. dist. 25. q. 1. art. 2. & melius distin. 29. q. 1. art. 3.*
m *In ead. qu. 2. art. 1.*
n *Argu. l. qui in carcerem. ff. quod metus cau.*

ti esse monacho quidam carcer est, suscepit prædictos ordines. Tú quia vt minor metus est iustus respectu mulieris, quã viri, iuxta glo. sing.[a] ita eadem ratione minor erit iustus respectu pueri, vel adolescere incipientis, quàm respectu viri perfecti, quod nos in d. Man.[b] efficaciter probamus. Et quidem si metus prædictæ inclusionis iudicaretur iustus, sine vlla dispensatione posset prædictus orator ducere vxorem, & à fortiori facere licitè prædicta, ad quæ facienda petit facultatem.

9 Sextò, quòd licet supponatur aliquod dubium super iustitia timoris, non tamen potest negari multum per eũ iuuari causas prædictas, vt vna cum eo efficiat iustissimam causam dispensandi super petitis, si & quatenus opus est: & adeo quidem, vt suspicer non defuturum aliquem iurisperitum, qui arbitretur oratorem intus habere quod petit, maximè quod licet metus minor iusto communiter nõ sufficiat ad annullanda vel rescindenda facta per illum in foro exteriori, sufficit tamen ad annullãda & rescindenda in foro interiori: adeo quidem, vt non obligetur quis ad præstandum in illo foro ea quæ facit, vel dicit ob talẽ metũ, qui fuit causa principalis ad ea faciẽda, vel dicẽda, quod senserunt Hostiẽ. & Ioan. Andr.[c] & expressit Adrian.[d] & Sotus,[e] & nos paulo latius tradimus in prædicto nostro Man.[f] & Siluester,[g] & ita cum prædictus orator quo ad forum conscientiæ etiã sine dispensatione excusari possit à prædictis obligationibus, iustè profecto Sãctissimus D. N. ob causas etiã longè leuiores posset facere oratori, quas petit, facultates.

10 Septimo facit, quod prædictus orator volens vti prędictis non malè retrocedit, sed benè vltra procedit. Tum quia religionem sanctissimam & Christiano populo maximè necessariam, quæ ad longè plura obligat, quam præfati ordines suscepti, in magnum decus eius vult profiteri. Tum quia is dicitur malè retrocedere, qui viam benè cœptam deserit. At orator non benè, sed malè cœpit viam sacerdotij ambulare: quia non sponte, sed metu, & ante legitimam ætatem suscepit prædictos ordines: & ita dato quòd rediret, non rediret à via benè cœpta, sed malè incepta, in qua Dominus non requirit perseuerantiam.[h] Tum quia qui retrocedit à benè cœpto iusta de causa, & ad maius obsequium Deo præstandum, non malè retrocedit contra mentem Domini euangelicam, secundum quam etiam coniux à præstita fide solemni retrocedit ob suæ coniugis fornicationẽ,[i] & quiuis discedit iustè ab implemento voti, vel iuramenti, per dispensationem ob iustas causas obtentam.[k] Et prædictus orator etiam si diceretur retrocedere, non retrocedit sine iusta causa, sed cum iustissima, vt prædictum est. Per quæ omnia concluditur prædictas causas non solùm sufficere vt sanctiss. D. N. cõcedat prædicto oratori absolutionem, & dispensationem quam petit, sed etiam vt declaret illum non teneri ad ea saltem in foro conscientiæ.

11 Quod autem clerici iure tantum humano prohibeantur ab armis propriis manibus in bello iusto exercendis, constat primò, ex eo quòd non prohibentur iure naturali. Tum quòd illud ius tantùm est naturale, quod est per se notum, aut in bona consequentia ex per se notis deducitur, vt colligitur ex c. *ius naturale*,[l] adiunctis eis, quæ tradũt subtilissimus Scotus,[m] & alij, præsertim cõterraneus eius Maior,[n] & ante illos S. Thom.[o] At non est per se notum, clericis prædicta non licere, peccaréque ea exercendo, neque deducitur in bona consequentia ex aliquo per se noto, ergo non est ius naturale.

12 Tum quia non obstat argumentum, quod audio ab aliquibus magnificari, à sibi mutuo repugnantibus,[p] & quod vsus armorum corporalium, & vsus armorum spiritualium, quæ sunt lacrymæ, & orationes, quibusque sunt deputati clerici secundum Diuum Ambrosium,[q] videntur sibi repugnare. Non inquam hoc obstat. Tum quia maior propositio argumenti solùm procedit de vsu facultatum cõtrariarum eodem tempore & respectu: nam vnum & idem diuerso tempore & respectu potest contraria operari: eadem enim aqua dum calet, calefacit; & dum friget, frigefacit: & idem Sol lutũ condensat, & ceram rarefacit: & idem homo vt Papa absoluit spiritualiter vnum & eundẽ à peccatis, & vt Rex corporaliter & pœna sanguinis punit pro eisdem. & sic ex prædicta maiori ad summum solum potest inferri esse contra ius naturale, vt prædictus orator eodem tempore sed diuerso respectu pugnaret, & in altari ministraret, vel quod eodem respectu quo est diaconus cantaret in Missa Euangelium, & hortaretur ad prælium, quod ipse nõ petit. Solùm enim petit quod liceant ei prædicta, quatenus, & eo respectu, quo est vir robustus & illustrissimo sanguine creatus; & ad bella propensus, & idoneus, tollendo ab eo impedimentum iuris humani, quo solo obligatur ad prædicta; quod non repugnat: quemadmodum etiam potest eodem tempore sed diuerso respectu eadem persona appellari iudex à quo, vt pars Capituli, & iudex ad quem; vt Episcopus,[a] qui potest vt canonicus sedere in vno loco in Capitulo, & vt Episcopus in alio, iuxta glossam receptam,[b] & idem potest ab aliqua sententia appellare, & eãdem approbare, confiteri, & negare eodem tẽpore, sed diuerso respectu. Tũ quod ideo nõ obstat, quia aliud est habere facultates diuersas ad operandum contraria diuerso respectu & tempore: aliud vti illis simul eodẽ respectu & tempore quorum prius non est vetitum iure naturæ, nec in naturalibus, nec in moralibus: cum regulariter quilibet habeat facultatem seruandi continentiam, & ducendi vxorem.[c] quamuis non possit simul eodem tempore vtrumque seruare: & ita cui negatur hoc non negatur illud. vnde certum est quod ipsemet Papa habet facultatẽ bellãdi, & pacandi, occidendi, & parcendi, pugnandi, & orandi, licet eodem tempore & eodem respectu circa idem non possit simul vtrumque facere. Et quilibet alius potest vno tempore bellare & pugnare, & altero tranquillus esse, & orare, & misereri, immo & diuerso respectu eodẽ temporis momento feriendo hostẽ Christi eum orare; & orando eum eius hostem ferire, licet non tantùm petat orator.

13 Secundo idem probatur, quod si hoc iure naturali prohiberetur, non licuisset vmquam sacerdotibus & Leuitis propriis manibus pugnare, neque occidere iustè aliquem: quia ius naturale ab exordio mundi ligat.[d] At licuit olim non solùm infidelibus, sed etiam fidelibus Iudæis, sacerdotibus & Leuitis pugnare; & occidere, etiam manibus propriis: nam,[e] hortatu S. Moysis Leuitæ occiderunt 33000. fratrum suorum, & Phinees sacerdos occidit rẽ habentẽ cum Madianita,[f] & Samuel summus sacerdos suis manibus Agab Regem concidit.[g] & Matathias sacerdos occidit hasta quemdã idolis sacrificantem.[h] immo & Petrus Pont. Max. Ananiam & Saphiram verbo suo peremit,[i] quamuis id aliqui aliter exponant. Ergo prædicta non prohibentur iure naturali, sed humano tantùm.

14 Tertiò non prohibentur etiam iure diuino positiuo quia in nullo veteris, vel noui testamenti loco inueniũtur prohibita; si quis enĩ esset maxime esset, aliquis excitatis à Gratiano,[k] quorũ nullus tamẽ cõcludit: nã si cõcluderet; maximè esset illud Pauli,[l] in d. dist. 4. citatũ. Tũ quia primo intelligi potest de percussore iniusto, & non de iusto, de quo agimus, vt intelligit Gratianus,[m] cum allegato c. *cum beatus*. in cuius fine ait licuisse Abbati Benedicto corrigere verbere, quem nõn potuit corrigere verbis.

15 Tum quia non loquitur de omnibus clericis, sed solum de Episcopo, in quo maior ratio militat. Tum quia Prælatis Ecclesiæ licet etiam iure humano torquere, & verberare publicè.[n] Tũ denique quòd ordinationes illæ Pauli non sunt diuinæ, sed humanæ ipsius ab Ecclesia receptæ. ibi enim ordinat, quod sit vnius vxoris vir, & ita non bigamus: per quæ verba tenetur bigamiam inductam fuisse, at secundum S. Thomam ab omnibus receptum,[o] non censetur illa iure diuino inducta, sed tantùm humano. Sed neq; locus ille[p] à Gratiano citatus, *Conuerte gladium tuum in vaginam*, id concludit: nam per illud non prohibuit iustam eductionem, sed iniustam, saltem secundum sensum literalem; sequitur enim ratio prohibendi: *Quia omnis qui gladium accipit, gladio peribit*. & ita exponit Augustinus.[r]

a In cap. cum locũ. de spons.
b Ca. 22. nu. 51.
c In ca. verũ. de iureiur.
d In 4. de restitut. c. aggredior. vers. ex quibus omnibus.
e Lib. 4. qu. 7. de iust. & iur.
f Cap. 17. nu. 29.
g In verbo metus. §. fin.
h Ca. in malis. 22. quæ. 4.
i Capit. dixit Dominus. 23. quæst. 7.
k Ca. magnæ. de vot. & ca. quemadmodũ. de iureiu.
l 1. dist. & ex le 1. §. ius naturale. ff. de iust. & iur.
m Quæst. 1.
n In 3. sent. dist. 37.
o In 2. 2. qu. 57. ar. 2. & 3.
p L. vbi repugnantia ff. de reg. iur. & c. solcitudinem. de appell.
q In c. conueniet. 13. q. 8.

a Ca. à collatione. de appell. lib. 6.
b Ibidem.
c Ca. integritas. 31. q. 2.
d 5. distin. in princ.
e Exod. 32.
f Num. 25.
g 1. Reg. 15.
h 1. Machab 2.
i Act. 5.
k 45. distin. in princ. & 23. q. 8. in princ.
l Ad Timoth. 3. & ad Tit. 1.
m In princip. prædict. dist.
n Ca. vniuersitati. de sent. excom. c. 1. de adult. & probatur in ca. in archiepiscopatu de rapt. & alibi sæpe.
o In quodlib. 4. art. 13.
p Matth. 26.
q In d. q. 8.
r In c. ille gladium accipit. 23. q. 4.

16 Quarto,

16 Quarto, quod eodem iure, quo inducta est irregularitas, prohibita est & clericis delatio armorum, & pugna proprijs manibus exercenda à clericis in bello iusto secundum omnium mentem. At in confesso est, quòd irregularitas non est inducta iure diuino secundum Innocentium.[b] Ergo ius humanum est illud, quo clericis iustum armorum exercitium proprijs manibus vetatur.

Quintò, quod licet clericis etiam Episcopis hortari milites ad bellandum,[c] & in ipso prælio ad fortiter pugnandum,[d] nam cap. *quod in dubijs.*[e] quod contrarium significat,[f] intelligendum est de incitantibus in bello iniusto, vt glossa & Innocentius communiter ibi recepti intelligunt. At si iure diuino prohiberentur clerici à bellando in iusto bello, non liceret eis hortari ad illud, nec interesse præliantibus, & incitare eos ad fortiter pugnandum. Ergo prohibitio prædicta iure humano inducta est, eo quòd decentius & conuenientius est ne pugnēt etiam in bello iusto: & non quia si res de se mala, & iure naturali vel diuino prohibita.

b *In c. nisi cū pridem. de renuncia. & in c. ad audientiam. de homicid.*
c *Ca. hortatu. & ca. igitur. 23. qu. 8.*
d *Arg. c. Maximianus. 23. quæst. 3.*
e *De pœnis.*
f *In verb. incitant.*

17 Sextò, quòd tam prohibitum est clericis condemnare iuste nocentem sententia sanguinis, & patrocinari, testificari, facere acta, & alia quibus peruenitur ad sententiam sanguinis etiam iustam, ac occidere iustè & præliari in bello iusto, vt colligitur ex cap. *sententiam sanguinis.*[g] & tanta irregularitas contrahitur ex illis, quanta ex hoc. At illa nemo dixerit esse naturali vel diuino iure prohibita: ergo neque hoc.

g *Ne cler. vel mon. & cap. prælatis. de homi. lib. 6.*

18 Facit, quod Pontifices Max. siue Papæ consueuerunt iubere occidi, comburi, vel mutilari aliquos maleficos, quos tamen nemo vnquam dixit incurrere irregularitatem, vel vllam aliam pœnam: & non alia ratione, quàm quia hoc non est clericis vetitum iure naturali, vel diuino, sed tantùm humano, quo ipsi non ligantur, & pro re indubia præsupponit hoc Caietanus[h] in illis verbis: *In primo casu clerici non peccant pugnando manu propria: quia lex positiua, qua clerici arcentur, ne pugnent manu propria, venit ad casum, in quo si legislator adesset, dispensaret, &c.* Per quæ in specie & expresè determinat prædictam prohibitionem esse iuris positiui, & circa eam posse legislatorem, qui nostro in casu Papa est, dispensare.

h *In 2. 2. qu. 40. art. 2.*

Septimo, quod præceptum quintum de non occidendo,[i] solum iniustam occisionem prohibet, & tam pertinet ad laicos, quàm ad clericos. Et quod multa sunt testimonia, quorum aliqua supra citata fuerunt, quibus probatur, sacerdotibus, Leuitis, & aliis ad sacra, & orationes deputatis licuisse iuste pugnare, & ad mortem condemnare, immo & propriis manibus occidere.

i *Exod. 20.*

Cùm igitur probatum sit, nec iure naturali, nec iure diuino noui Testamenti, vel veteris esse prohibitam præfatam facultatem clericis, consequitur iure tantùm humano eis esse prohibitam: cui rursus adeo consequens est Papam posse iustè & sanctè dispensare super ea iusta de causa, qualis in nostro casu occurrit, quòd si absque vlla causa dispensaret, valeret dispensatio, licet peccaret saltem venialiter per ea quæ scripsimus in Comment. cap. non liceat.[k] Salua, &c.

k *12. q. 2. § 3. nu. 8.*

*Aduertendum ea quæ hîc scribit Nauarrus num. 6. & 7. in fine non ita esse intelligenda vt Papa sine dispensatione concedat alicui vt iuri naturali diuino non subsit, sed determinando materiam voto, quod iure naturali diuino obligat promissam in illo casu non esse congruam materiam voti, & sic non obligare, vt declarat S. Thomas 2. 2. quæst. 88. art. 10. ad 2. & quæst. 89. arti. 9. ad 1. ad quem locum se remittit idem Nauarrus de pœnit. dist. 6. cap. penul. sacerdos num. 132.*

SVMMARIVM.

*Metu conditionali ordinato character imprimitur.*
1. *Metu inualida conualescunt ratificatione etiam tacita; modo absit error, & adsit voluntas ratificandi. nu. 8. & 9.*
2. *Metu cessante reclamet, qui se eo iuuare vult.*
3. *Accessorium sequitur suum principale, nisi sit diuersa ratio. num. 5. & 12.*
3. *Ordinatio non omnis, nec characteris impreßio matrimonium impedit.*
4. *Ordinis character infanti vnius diei baptizato imprimitur,*
4. *& hoc quia non requirit actum suscipientis. num. 5.*
6. *Metu facta ipso iure regulariter valent: fallit in matrimonio, & voto.*
7. *Metus ordinatus non tenetur continere, secundum communem. num. 9.*
8. *Ratificatio matrimonij nulliter ob errorem personæ contracti non sequitur, licet errans, cognito dicto errore personæ, consenserit talem personam habere in vxorem perseuerando in primo consensu, quem validum putabat.*
9. *Metu facta expreßè tacitè ratificantur.*
9. *Metu gesta, eo cessante, qui sciens illa esse nulla exercet, ratificare videtur, alias non.*
10. *Ratificatio non præsumitur ex illo facto, quod ob aliam causam, quàm ratificandi actum, nullum fieri potuit.*
11. *Ignorantia iuris obscuri, quale etiam præsumitur id, quod est de apicibus iuris, excusat, vt ignorantia facti.*

## CONSILIVM IV.

QVIDAM 17. annos natus metu iusto, & cadente in constantem virum à patre illato sacros subdiaconatus & diaconatus ordines suscepit: sed nūquam postea id vero animo ratificauit, licet longo tempore tacuerit, & non reclamauerit, putans se non posse id iustè facere: licet etiam per metum & errorem prædictos nouies viuente patre, & semel post mortem eius epistolam in Ecclesia solemniter cantauerit.

Quæritur primò, an liceat ei ducere vxorem. Secundò, an saltem adsit iusta causa dispensandi, vt id facere posit.

1 Respondeo, quo pro parte negante facit primò, quòd metus conditionalis, qualis fuit supradictus, cùm non fuerit vis absoluta, non impedit impresionem characteris ordinis, nec alterius sacramenti eum imprimentis,[a] & consequenter D. consulens veros & indelebiles characteres prædictorum ordinum suscepit, & verè coram Deo & hominibus est subdiaconus, & diaconus: & constat initiatis iis ordinibus non licere vxorem ducere.[b]

2 Secundò, quod gesta per metum, etiamsi ab initio sint inualida, & nulla, per ratificationem tamen subsequentem conualescunt,[c] quod procedit non solum in ratificatione expressa, sed etiam tacita, vt est casus in d. cap. *ad id*, & ibi notat glossa recepta per omnes: & D. consulens per exercitium prædictum ordinis subdiaconatus etiam post mortem patris, per quam cessauit metus, videtur ratificasse saltem tacitè prædictorum ordinum susceptionem: ergo eorum vinculis tenetur.

3 Tertiò, quòd qui vult se liberare ratione metus ab aliquo vinculo, debet illo cessante statim reclamare, iuxta illud distichon celebratum à prædicta glossa.[d]

*Effuge cum poteris, ne consensisse puteris:*
*Nam si perstiteris, illius vxor eris.*

At D. consulens diu etiam postquam cessauit metus, desiuit reclamare: ergo non potest nunc id facere.

a *Capit. quod quidam cum multis alijs. 1. q. 1. & cap. vbi ista. 74. dist. & c. maiores. §. item quæritur. de baptis.*
b *Capit. ante triennium. cū multis alijs. 31. dist.*
c *Cap. ad id. de spons. & c. de illis 2. de despons. impub. & l. 1. C. quod metus causa.*
d *Dicti ca. ad id.*

Quartò, quod accessorium sequitur naturam sui principalis.[e] At obseruantia castitatis est annexa ordini sacro, vt supra dictum est: ergo sequitur naturam eius. At ordo sacer est indebilis, & non obstante metu nascitur, & conseruatur etiam prædictum est: ergo etiam obseruantia castitatis erit indelebilis.

4 Pro parte autem affirmante, quæ videtur tenenda, facit primò, quòd non omnis ordinatio, & characteris sacri ordinis impresio facit quem inhabilem ad matrimonium: nam etiam infanti vnius diei, modo sit baptizatus, imprimitur character cuiuslibet ordinis sacri, vt dixit Gulielmus de Monte Lauduno[f] communiter receptus ibi à Cardinali & alijs, & à Bonifacio, licet ipse[g] subdubitauerit: cuius conclusionis pulchram rationem tradit S. Thomas communiter receptus.[h] At ordinatus antequam vsum rationis assequatur, non obligatur ad seruandam continentiam: quia continentia est voti, & non præcepti,[i] & tradit Innocentus communiter receptus,[k] & S. Thomas,[l] quem sequuntur alij, & Sotus ibidem.[m]

e *Ca. accessorium. de reg. iuris l. 6. cum concordantijs ibi à gloss. citatis.*
f *In clem. 1. de ætate & qualit.*
g *In clem. generalem.*
h *In 4. lib. Sēten. distin. 25. q. 2. art. 1.*
i *Ca integritas. 32. q. 1.*
k *In c. vel nō est compos, de tempori. ord.*
l *In 4. distin. 25. q. 3.*
m *Quæstio 1. ar. 2. concl. 5.*

5 Secundo facit, quòd predicta regula, *accessorium sequitur naturam sui principalis*, fallit, cum ratio diuersa diuersum in eo concludit, vt est casus in cap. *debitores.* [a] quatenus probat promissionem de soluenda vsura nõ valere, iuramentum autem sic, licet sit accessorium eius, propter diuersitatem rationis, quæ ibi à Doctoribus redditur. At ratio, qua valet ordo sacer iusto metu acceptus quo ad characteris impressionem, non habet locum quo ad obligationem voti castitatis: ratio enim, quare ordinatio carentis vsu rationis, & metu facta valeat quo ad characterem, est, vt eleganter de more ait D. Thomas [b] quia sacramenta imprimentia characterem non requirunt de necessitate sacramenti vllum actum ea suscipientis. At obligatio ad continendum, & votum continentiæ, requirunt actum, & consensum ipsius qui est obligandus. [c]

6 Tertio facit, quod licet regulariter omnia metu facta ipso iure valeant, vt resoluit glossa solemnis [d] fere ab omnibus iurisconsultis recepta, excepto Fortunio bene fortunato ingenio viro: [e] fallit tamen in matrimonio, & voto, secundum eamdem glossam ab omnibus fere receptam, [f] & ideo merito ordinatio metu facta valet quo ad characterem, quia nullo iure declaratur nulla: non autem valet quo ad votum castitatis, cuius metu emissi nullitas iure declaratur.

7 Quarto, quod hanc partem tenent plerique omnes tam Theologi, quàm Iurisconsulti, qui hanc quæstionem mouerunt, in quibus sunt glossa [g] Cardinalis [h] Angelus [i] & Sotus [k] Rosella, [l] nos quoque idem tenuimus in Man. confess. [m]

8 Quinto, quod ad hoc, vt ratificatio actus, qui est nullus ipso iure, teneat, non sufficit quod vsus fuerit eo, vel exercuerit illum is, qui putat per errorem se ad id obligatum, nisi etiam nouerit illum esse nullum, & non obligari per eum, ita quod exerceat illum, vt tribuens illi nouum valorem per suum nouum consensum. Tum quia qui errat non consentit. [n] Tum quia mulier quæ nupsit alicui, qui intendebat contrahere cum eius sorore, & non cum illa, licet postea consensisset vir eius habere illam in vxorem, etiam durante consensu mulieris, non videtur ratificare matrimonium perdurando in suo consensu, putans per errorem, quod ipse consensit in illam ab initio, & quòd matrimonium esset iam inde ab initio validum, vt eruditè & subtiliter determinat Antonius à Butrio in quodam consilio, quod est inter consilia Petri ab Ancharano, [o] quod ipsum affirmat idem Petrus ab Ancharano. [p] Tum quia qui fecit professionem nullam, & perseuerauit in illa etiam vltra annum, putans illam valere, & per eam obligari ad perseuerandum, non censetur ratificare illam, vt pulchre determinat Caietanus, [q] & consequenter qui metu iusto ordinatur ordine sacro, putans ordinationem illam ita validam, vt eius vinculis teneretur, & perinde ac si sponte fuisset ordinatus exercet illam, non censetur suam ordinationem ratificare. Per quæ omnia videtur tenenda pars hæc affirmatiua.

Non obstant opposita. Quorum prius diluitur concedendo, quod per ordinationem iusto metu factam imprimitur character indelebilis: negando tamen, quòd sola characteris impressio sine ordinati consensu sufficiat ad ligandum eum ad continentiam perpetuam.

9 Ad secundum respondetur concedendo, quod regulariter metum passus potest ratificare actum per metum gestum expressè, & tacitè: & quod exercendo illum postquam metus cessauerit, videtur ratificare, si sciat illum esse nullum, & exercet eum animo roborandi, & faciendi de inualido validum, non tamen si ignorat esse inualidum, & exercet eum putans per errorem esse validum, vt in casu proposito contingit, in quo dicitur quod D. consulens cantauit epistolam post mortem patris, qui vim intulit, putans per errorem, quòd per ordinationem meticulosam erat obligatus ad ordinum obseruantiam, & non patebat ei remedium discedendi ab illa per adducta in 5. argumento pro parte affirmante formato, & per id quod eleganter ait Bartholus, [r] quod non videtur quis ratificare actum metu factum, quoties alia causa, quàm ratificandi actum, occurrit.

10 Vnde licet soluens sponte, quod metu simpliciter promisit, videatur metum purgare, si sciens soluit, non tamen si promisit, & iurauit soluere: quia videtur potius soluere, vt vitet periurium, quàm vt ratificet promissionem, & purget metum: & consequenter cum d. consulens potuerit exercere actum subdiaconatus duplici de causa, altera, vt satisfaceret ordinationi, quam putabat esse validam, altera, vt ratificaret actum metu gestum, censendus est exercuisse illum, vt satisfaceret ordinis obseruantiæ, & non ratificaret ordinationem meticulosam.

11 Neque obstat replicatio, quod error & ignorantia iuris non excusat, [a] & quod error & ignorantia consulentis fuerunt iuris, & non facti. Non inquam obstat ista replicatio: quia illa procedit in errore & ignorantia iuris clari, non tamen in errore & ignorantia iuris obscuri: quia illa excusat vt ignorantia facti, iuxta glossa solemnem, [b] quæ multa iura in his citat, & est recepta per Dominicum & per Felinum & citatos ab eo, [c] & est textus memorabilis in cap. *dilectus.* [d] vbi Panormitanus communiter receptus illud ad hoc commendauit. & ius, quod habet, posse quem iustè recedere ab obseruatione ordinum sacrorum metu conditionali receptorum, & ducere vxorem, est obscurum, & dubium. Tum quod glossa [e] de hoc dubitauit, & Panormitanus [f] tenet contrarium, immo & communiter teneri illud asserit, quamuis in vtroque dicto erret. Tum quod etiam hodie D. consulens, licet Doctorum grauium auctoritatem pro se habeat, non tamen audet ducere vxorem inconsulta Sede Apostolica. Tum quod ius tractans de apicibus iuris censetur obscurum, secundum Baldum: [g] & constat hanc quæstionem esse in iure subtilissimam, vt cuique docto est palam.

Ad tertium respondetur, assumptum in eo esse verum, quando metum passus nouit actum, quem metu gessit, esse omnino nullum. At in casu proposito consulens ignorabat ordinationem suam esse inualidam, immo verò erat valida quo ad characteris impressionem, licet fuisset inualida quo ad inducendam obligationem seruandi eam, & vincula ei annexa, vt supra dictum est.

12 Ad quartum respondetur, illam regulam, *accessorium*, fallere, quando non est eadem ratio de accessorio, & principali, vt dictum est in secundo argumento pro parte affirmante formato.

AD POSTERIOREM quæstionem respondetur, quòd ex adductis supra in responsione ad priorem, infertur pars eius affirmans, scilicet quòd præfatus metus cum bonis, quæ ex matrimonio consequerentur, est iusta causa dispensandi. Tum quod per eadem potest declarari (quod est maius) consulentem non teneri ad continentiam. Tum quia nos alias respondimus metum grandem reuerentialem sufficere ad illud, vt scripsimus in Manual. confessarior. [h] Salua quæ iustior fuerit sententia.

a De iureiur.
b In d. qu. 2. art. 1.
c Iuxta d. ca. integritas. 32. quæst. 1.
d In c. abbas. de iis quæ vi.
e In l. de vlt. fine iuris illatione 21.
f Per ca. veniens. & c. cũ locũ de spons. & ca. 1. de iis quæ vi metusve causa.
g In cap. vbi ista. 74. dist.
h In d. §. item quæritur.
i In summa verb. ordo. 3. §. vlt.
k In 4. dist. 25. q. 1. art. 2. concl. 3.
l In summa verb. ordo.
m Ca. 22. nu. 51.
n L. si per errorem. ff. de iurisdic. omnium iudic.
o Consil. 229.
p In cons. seq. 230.
q In 2. 2. qu. 189. art. 5.
r In leg. 2. C. quod metus causa. nu. 7.
a Ca. ignorantia. de regul. iuris l. 6. cum cõcord. à glossa eius ibi adductis.
b In cap. 1, in verbo de cætero. de postu. prælat. lib. 6.
c In capit. de quarta. num. 27. de præscr. in ca. 1. limit. 7. de iudic.
d De consuet.
e In cap. 1. de clerico per saltũ promo.
f In dict. cap. maiores. §. itẽ quæritur.
g In l. venditione. C. de vsucap. pro empt. & l. 3. C. si quis igno. rem minoris esse.
h Ca. 21. nu. 51.

*SVMMARIVM.*

1 *Metu iusto ordinatus aut intendebat ordines non accipere, & non recipit characterem, aut abfuit hæc intentionis contradictio, & recipit characterem, sed non obligatur ad continentiam num. 2. Idem est in foro conscientiæ, si metus non fuit quidem iustus, sed talis sine quo ordines non recepisset, num. 4. Vnde & matrimonium potest contrahere num. 1.*
3 *Metu iusto facta, aut sunt nulla, aut annullanda.*
3 *Causa iusta super voto continentiæ dispensandi adest, vbi quis iusto metu est ad ordines sacros promotus.*

## CONSILIVM V.

N. X V I. Ætatis suæ annum vix agens post Concilium Tridentinum iusto metu, & cadente in constantem virum sacris subdiaconatus & diaconatus ordinibus fuit insignitus, & ante cuiusque ordinis assumptionem protestatus se malle mortem oppetere, quàm ducere vitam Ecclesiasticam, & quod vi & metu patiebatur ordinari: semelque postea durante eodem metu, citra tamen approbationem ordinationis, solemniter euangelium cantauit. Quæritur an possit sine dispensatione vxorem ducere, vel saltem adsit iusta causa secum, vt id facere possit, dispensandi?

1 Ad hanc quęstionem breuiter respondeo affirmatiuè. Primò quidem, quòd prædictus N. nullatenus videtur ordinatus: quia sicut ad substantiam & sententiam sacramenti requiritur intentio ministri illud conficientis, iuxta S. Thomam receptum: [a] ita requiritur intentio suscipientis illud ad hunc saltem sensum, vt absit intentio non suscipiendi illud iuxta eundem vbi supra [b] vbi hoc late tradit Caietanus: & probatur in cap. *maiores*. [c] At in casu proposito D. consulens videtur non solum non habuisse intentionem suscipiendi ordinem, sed contrariam non suscipiendi: ergo verè & essentialiter non suscepit illum, & ita etiam sine dispensatione poterit vxorem ducere.

2 Secundò, quòd licet ordinatio tenuisset quo ad characteris impressionem, eo quod sufficiat quo ad id consensus metu extortus: per d. cap. *maiores*. [d] non tamen tenuit quo ad votum continentiæ, seu obligationẽ ad continendum ordini sacro annexam: quia votum iusto metu factum, est ipso iure nullum, [e] quæ communis est sententia Doctorum [f] quam affirmamus in nostro Manua. [g] & in specie de ordinato per iustum metum, quod non teneatur ad continentiam, determinat Angelus [h] & Sotus. [i] & ita prædictus N. licet consensisset suæ ordinationi, quia tamen iusto metu id fecit, vt in casu proponitur, non remansit obligatus voto solemni ad continendum, & multo minus si nullatenus consensit: sed solùm metu iusto finxit se consentire.

3 Tertiò, quòd licet alicui videretur, quod aliqua obligatio ad continendum adsit, præsupposito quod saltem iusto metu consensit ordinationi, & exercuit illam: iusta tamen causa dispensandi inest, eo quod metu facta aut ipso iure sunt nulla, aut certe rescindenda, capit. *abbas*. cum glossa solemni & communi omnium doctrina [k] quam ad propositum allegamus in d. Manu. [l]

4 Quartò, quòd omnia præsertim spiritualia facta metu, etiam non iusto, modo sit talis, quod si non intercessisset, ille actus non fuisset factus, nullam inducunt obligationem in foro conscientiæ, quod senserunt Hostiensis & Ioannes Andreas, [m] & expressit Adrianus [n] & Sotus [o] Siluester [p] & latius nos dicimus in d. Manual. [q] per quæ omnia Sanctissimus D. N. poterat declarare prædictum D. consulentem non ligari voto continentiæ, quia iusto metu coactus suscepit ordines: vel si, & quatenus opus est, dispensare ad prædicta quo ad forum exterius, eo quòd nullatenus obligatur quo ad interius, eo quòd metu tali accepit prædictos ordines, quos nullatenus illo non interueniente accepisset vnquam.

SVMMARIVM.

1 *Professio ab initio nulla, non conualescit solo tractu temporis.*
1 *Impedito iustè iuris impedimento nõ currit tempus, restituitur autem impeditus impedimento facti.*
2 *Professio, quæ ob metum est nulla, per actus professorum, vel assumptionem ordinum, durante metus causa, non validatur.*

## CONSILIVM VI.

ANTE Concilium Tridentinum N. per vim & metum patris & fratrum, qui illum occidere minati sunt, religionem ingressus, eadem vi & metu durantibus, expleto probationis anno in manibus sui prælati professionem emisit, & in eadem per tres annos persistendo ordines sacros & gradum baccalaureatus suscepit. Post Concilium verò reclamare volens tribulationibus oppressus non potuit, à quibus tandem liberatus reclamare intendit. Quæritur an id facere posit, & an per susceptionem ordinis præsumatur consensisse suæ inualidæ professioni.

1 Respondeo primò, quòd votum, quod ad initio ob metum aliquem est nullum, siue inualidum, solo tractu temporis verè non conualescit coram Deo, nec præsumptiuè coram hominibus, [r] neque concurrente gestatione habitus, & permansione in monasterio, durante illo metu. [s]

2 Secundo, quod si post cessationem metus fuit iustè impeditus à reclamando, poterit cessante impedimento reclamare, si fuit impedimentum iuris: quia taliter impedito non currit tempus, [t] neque præscriptio: & si erat impedimentum facti, debet audiri per restitutionem, [a] vt tradit Panormitanus. [b] Tertio, quod per susceptionem ordinum durante causa iusti metus non præsumitur satis ratificare professionem. Tum quia hoc nullo iure speciali cauetur. Tum quia à separatis nõ fit illatio. [c] Tum quia, si quod magis videtur inesse non inest, nec quod minus videtur inesse inerit, [d] & nec per gestationẽ habitus professorum, nec per præstationem suffragij in Capitulo, nec faciendo alia, quę solis professis competunt, professio valida fieri præsumitur, [e] & tamen maior ratio suadet, vt per talia præsumeretur profiteri, quam per susceptionem ordinis, quæ est res separata à professione: ergo per susceptionem ordinis non præsumetur consensus ad professionem. Quartò, quòd eisdem rationibus videtur idẽ dicendum de susceptione ordinum facta post cessationem metus, durantibus tamen impedimentis iuris, vel facti ad agendum, vt hoc perpendenti facile patet. Quintò, quòd hæc videtur consequi, consulentem peccasse suscipiendo ordines sacros, & malè ordinatum fuisse: quia scienter absque beneficio, & iusto patrimonio, & etiam absque iusto titulo religionis eos suscepit, [f] cum enim crederet se non esse verè religiosum, contra conscientiam suscepit illos ordines ad titulum religionis. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Metus iustus coram Deo vitiat professionem, etiam si culpa sua metum passus in illum inciderit.*

## CONSILIVM VII.

PRO resolutione quæstionum rogatarum, Respondeo primo, quod consulens iustè potuit ingredi monasterium, non obstante quod duxisset vxorem, quia nondum cum illa rem habuit. [g]

1 Secundo, quod ingerit se illud dubium, an valeat actus alicuius factus iusto metu, in quem sua culpa incidit, de quo in l. *si mulier*. [h] quod libenter tractassem, si per ægritudinem licuisset: sed quia id non licet, remitto me ad ea quæ scripsi in Manua. confess. [i] vnde hauriri possunt huc pertinentia, scilicet quòd præfata professio quo ad forum conscientiæ non valuit, ex quo videntur pendere omnia quæ quæruntur.

SVMMARIVM.

1 *Professio liberatæ à carcere perpetuo, modo fiat monacha, valet. num. 2. & 3. in fin.*
1 *Professio, & matrimonium metu facta sunt ipso iure nulla, si metus sit iniustè illatus num. 2. 3.*
2 *Metus iustè illatus nec actionem parit, nec ad actum annullandum sufficit.*
2 *Promissio metu iustè illato facta non rescinditur.*
3 *Regularis ob delictum ad arctiorem regulam profitendam cogi potest & tenet professio.*
3 *Matrimonium contractum ab eo, cui pœna mortis ea lege remissa est, vt contrahat, tenet.*

## CONSILIVM VIII.

VTRVM professio mulieris damnatæ ad carcerem perpetuum, quę liberatur à Papa, ea conditione, modo fiat monacha, valeat.

1 Subtilis est, ac verè Christiana dubitatio hæc, pro cuius parte negante vrget, quòd professio metu facta est ipso iure nulla, [k] sicut & matrimonium carnale est ipso iure nullum, si metu contrahatur, [l] matrimonium enim carnale, & spirituale in hoc æquiparantur, iuxta glossam singularem [m] metuebant, pro qua facit cap. *vbi periculum*. [n]

2 Quo tamen non obstante, contrarium est tenendum. Tum quia metus, qui iustè infertur alicui, non parit actionem, nec sufficit ad annihilandum, vel rescindendum actum, iuxta l. *si mulier*. [o] quæ habet promissionem, vel dationem alicuius rei factam patrono à liberta, nec propter ingratitudinem à se admissam in pristinam seruitutem reducatur, non debere rescindi, eo quòd sit facta metu perdendi libertatem: quia iustè infertur metus ille à patrono. Ex quo Bartholus & alij colligunt, quod promissio facta metu iustè illato non rescinditur.

3 Tum quia monachus, vel canonicus regularis propter simoniam, vel aliud delictum, potest cogi, vt ad strictiorem re

rem re

a Par. 3. quæ. 64. art. 8.
b q. 67. art. 8.
c §. item quæritur. de baptis.
d §. item quæritur. de baptismo.
e Cap. 1. de ijs quæ vi.
f Ibi, & in 4. li. Senten. distin. 38.
g Ca. 12. nu. 52.
h Verb. ordo. 3. §. vlt.
i In 4. dist. 25. quæ. 1. art. 2. concl. 9. vers. hinc autẽ. & dist. 29. qu. 1. ar. 3. concl. 11. & de iust. & iur. lib. 7. q. 2. art. 1.
k De iis quæ vi.
l Prel. 6. n. 4.
m In c. verũ. de iureiur.
n In 4. de restit. ca. aggredior. vers. ex quibus omnibus.
o Lib. 4. q. 7. de iust. & iur.
p Verb. metus. §. fin.
q Ca. 22. nu. 51. & cap. 17. nu. 5. & 30.
r Ca. non firmatur. de regul. iur. lib. 6. & l. quod ab initio. ff. eod.
s Cap. 1. cum ei adnota. de ijs quæ vi.
t Leg. 1. C. de ann. excep.

a L. & Atilicinus. ff. de seruit. rustic. præd.
b In c. ex trãsmissa. n. 13. de præscrip.
c L. Papinianus. ff. de minor.
d Arg. c. cum in cunctis. de elec. & auth. multo magis. C. de sacros. eccl.
e Iuxta not. in d. c. 1. de ijs quæ vi.
f Contra ca. Episcopus. & ca. tuis. & c. cũ secũdum, de præb. & c. neminem. 72. dist.
g Ca. cõmissa. de spons.
h ff. quod metu. caus. cap. veniens. 2. de spons.
i Cap. 17. nu. 19. & ca. 22. num. 51.
k Ca. 1. de ijs quæ vi.
l Ca. cum locum. & c. ad id. de sponsa.
m In c. bona 1. de electione. ver.
n §. cæterum. de elect. li. 6.
o ff. de eo quod metus causa.

rem regulam transeat,[a] attamen certum est, cum debere nouam professionem facere in regula strictiori: & ita professio per iustam coactionem valet. Tum quia interdum Princeps indulget pœnam mortis iuste damnato, ea lege, vt ducat in vxorem aliquam piam pauperem, quam si ducat, valet matrimonium: quia ratio, quare vota metu mortis in ægritudine, vel naufragio emissa valent, est quod metus ille mortis non infertur iniustè, sed casu, fortuna, vel potius prouidentia diuina.[b] Tum quia frequenter dispensat Papa cum homicida voluntario, vt celebret in altaris ministerio, ea cõditione, vt religionem aliquam approbatam profiteatur, qui eam non profiteretur, si absolutè cum eo dispensaretur. Cùm igitur prædictæ mulieri nulla vis, neque vllus metus iniustè intentetur, immo fiat ei gratia liberationis à grauissimo malo, si voluerit vitam religiosam eligere, merito eius professio debet satis libera censeri, quo dicatur valere. Salua, &c.

a *Ca. de reg. de simonia.*

b *Ca. porrectum. & c. sicut de regul. vbi gloss. recep. id tenet.*

SVMMARIVM.

1 *Professio ante 16. vel nouitiatus annum emissa post sacrum Concil. Trid. non valet.*
2 *Professio & omne votum metu facta sunt nulla in conscientia, licet metus sit minor iusto, modo sit tale sine quo non fuissent facta.*
2 *Metus ad hoc vt annullet votum in foro exteriori, requiritur quod cadat in constantem virum, professionem tamen annullat reuerentialis, in foro autem conscientiæ minor iusto omnis annullat votum, sine quo non vonisset.*
3 *Metu facta non ligant agentem, saltem in foro conscientiæ.*
4 *Cap. 15. de reg. sess 25. Concil. Trid. etiam in religionibus militaribus vim obtinet.*
5 *Vniuersalis extendit generalem indefinitè prolatam ad multa.*
5 *Iura loquentia de aliquibus religiosis, vt talibus, ad alios extenduntur.*
6 *Religio S. Ioannis, & cæteræ militares sunt veræ religiones.*
7 *Professum non facit emissio trium votorum substantialium religionis etiam in congregatione à Sede Apostolica approbata pro bono modo viuendi, nisi emittatur in approbata religione.*
8 *Professio nulla non censetur ratificata ab eo, qui eius nullitatem ignorat.*
9 *Habitus delatio post professionem expressam, non inducit tacitam.*
9 *Tacita professio etsi præsumatur ex aliquibus actibus, hoc tamen fallit, quando illam præcesit expressa.*
10 *Nouitius actibus professorum se immiscens tunc censetur profiteri tacitè, si prius expressè non sit professus.*
11 *Matrimonium contrahere potest, religionem ante 16 ætatis vel nouitiatus annum professus.*
11 *Professio in genere, quæ inducebatur per professionem ante annum nouitiatus emissam apud mendicantes, hodie post sacrum Concilium cessat.*
11 *Scandalum pusillorum, & non Pharisæorum cauendum.*
12 *Bona nemo sua tenetur relinquere ob scandalũ Pharisæorum.*

## CONSILIVM IX.

N. Nobilis metu reuerentiali religionem S. Ioannis Hierosolymitani ingressus, minor quindecim annis, durante eodem metu, eam professus est, & multos annos in eadem perseuerauit, arbitratus huiusmodi professionem esse validam. Tandem cessauit metus, & aliqua de causa expulsus fuit à superioribus. Dubitatur an sit liber à præfata religione, & an possit ducere vxorem?

1 AD PRIOREN quęstionem, nempe an prędictus nobilis in conscientia sit liber à præfata religionis professione facta, vt in ea proponitur, respondeo affirmatiuè quod sic. Primo quidem, quod nulla professio religionis, siue virorum, siue mulierum ante decimumsextum annum facta valet post Concilium Tridentinum disponens hoc clarè,[c] & professio præfati nobilis fuit ab eo emissa, priusquam 15. annum attigerit.

Secundo, quod omnis professio religionis ante finem anni nouitiatus à suscepto habitu currentis facta est ipso iure nulla post præfatum Concilium, quod id clarè[d] statuit: & professio præfati nobilis fuit facta statim habitu suscepto.

c *In sess. 25. c. 15. de regula.*

d *Vbi supra.*

2 Tertiò, quod omnis professio religionis metu facta est ipso iure nulla,[a] sicut & omne votum metu factum est ipso iure nullum, iuxta glossam solemnem, & receptam[b] quam & alias nos quoque citamus in Manua. confess.[c] & quamuis quo ad forum exterius regulariter oporteat metum esse iustum, & talem, qui etiam in constantem virum cadat,[d] tamen quo ad annullandam professionem religionis, etiam quo ad forum exterius, sufficit metus etiam reuerentialis minor iusto timore, iuxta glossam singularem,[e] quam nos quoque in id citamus in dicto Manua.[f] intelligaedo tamen de tali metu minore, sine quo non fieret professio, vt præ alijs nos declarauimus.[g]

3 Quarto, quod nullus actus metu factus ligat agentem quo ad forum conscientiæ ex mente Hostiensis & Ioannis Andreæ,[h] & Adrianum,[i] quos etiam nos sequimur in præfato Manual.[k] & confirmari posset per ea quæ diximus in prædicto cap.[l] & hoc argumentum 4. solum sufficit ad fundandam responsionem affirmatiuam, quam respondemus pro libertate prædicti nobilis à ligamine voti religionis, quia solùm quærit an sit liber ab eo quo ad forum conscientiæ: quamuis tria argumenta præcedentia probent eius libertatem etiam quo ad forum exterius.

4 Non obstat primum, quod dicitur tenere aliquos non esse locum præfato cap. 15. in religionibus militaribus, eo quòd Sotus[m] asseruit religiones militares non esse veras religiones. Tum quia illud cap. generaliter loquitur de quacumque religione virorum & mulierum: & ita generaliter intelligendum est,[n] etiam si non militet tanta ratio in vna specie, quanta in alia,[o] & tradit Decius[p] quem ad hoc citamus in comment. de regularibus.[q]

5 Tum quia prædictum cap. 15. non solum generaliter loquitur de religione, sed etiam vniuersaliter de quacumque religione: & dictio vniuersalis extendit generalem ad multa, quæ non comprehenderet generalis indefinitè pronunciata, iuxta glossam singularem[r] & iuxta aliam glossam solemnem,[s] quatenus ponit differentiam inter *lego marmor*, & *lego omne marmor*: & inter *lego lanam*, & *lego omnem lanam*. Tum quia eadem ratio, idem ius suadetin omnibus, iuxta l. *illud.*[t] & capit. *dudum.* 2. de electio. & iura loquentia de aliquibus religiosis, quatenus sunt religiosi, habent locum in omnibus aliis religiosis, quamuis nomina sint diuersa,[v] vbi Panormitanus receptus hoc pulchrè adnotauit.[x]

6 Tum quia licet quidam tentauerint, vt Sotus, dicere religiones militares non esse veras religiones, nemo tamen id affirmauit de religione sancti Ioannis, nam & ipse Sotus excludit eam quo ad hoc ab alijs militaribus, quia in ea seruatur votum castitatis, cùm professores eius nullatenus queant contrahere matrimonium. Tum quia non est verum, quod aliæ religiones militares, in quibus per dispensationem, vel formam profitendi contrahi potest matrimonium, non sint veræ religiones, vt nos efficaciter decem argumentis neruosissimis probamus in tract. de redit. eccles.[y] Per quæ nostra scripta hinc in Hispaniam missa Consilium regium liberauit quemdam nobilissimum ordinis sancti Iacobi à morte, quæ iam imminebat ei ob contrariam Soti opinionem.

7 Tum quia si religiones militares non sunt veræ religiones, nec consequenter hæc de qua loquimur sancti Ioannis Hierosolymitani, clarum est prædictum D. consulentem nec potuisse fieri religiosum per professionem illius etiam si effectus maior 16. annis, & post finem anni probationis illam fecisset, cùm per nulla vota, etiam tria substantialia religionis, facta extra veram & approbatam religionem, fiat verè professus, & religiosus iuxta glossam notabilem & receptam[z] etiam si modus viuendi, quem professus est, sit approbatus à sancta sede Apostolica pro bono modo viuendi, modo non sit approbatus pro religione, iuxta glossam celebrem & receptam.[a] Tum quia hac eadem ratione iudicandus est liber D. consulens à religione, secundum illos qui dicerent præfatum ca. 15. ideo non habere locum in religionibus militaribus, quòd non sunt veræ religiones, & quod sua religio est militaris, quia impossibile est aliquem fieri verum religiosum per professionem religionis, quæ non sit vera religio, & approbata pro tali à sede Apostolica secundum prædi-

a *Ca. 1. de ijs quæ vi.*
b *In c. abbas. eod. tit.*
c *Ca. 22. n. 5.*
d *Iuxta l. metum. 1. & 2. ff. de eo quod metus causa.*
e *Ca. præsens. 20. quæst. 3.*
f *Ca. 22. nu. 50.*
g *Ibidem, & in cap. 17. nu. 29. & 30.*
h *In c. verũ. de iureiurãd.*
i *In 4. de resti. ca. aggredior. vers. ex quibus omnibus.*
k *Cap. 17. nu. 29. & 30.*
l *22. num. 51.*
m *In lib. 7. de iust. & iur. q. 5. art. 3.*
n *Cap. solitæ. §. fin. de maior. & obed. & le. de pretio. ff. de publ. in rem actio.*
o *L. 1. §. quod autem. ff. de aleæ lusu & aleat.*
p *Cons. 669. numer. 30.*
q *Super cap. statuim*. 19. q. 3. num. 73.*
r *In clem. 1. verb. quauis. de re iudic.*
s *In c. vt circa. de elect. li. 6.*
t *ff. ad legem Aquil.*
v *Ca. 2. de postulan.*
x *In 1. notab.*
y *q. 1. monito 55. per totum, & q. 3. mon. 27. 28. & 29.*
z *In clem. eos. verbo religione. de regula.*
a *Clem. cum ex eo. verbo, tertio. de sent. excom.*

ctas glo

ctas glossas & sententiam Panormitani & omnium receptissimam.[a]

8 Non obstat secundò, quod præfatus D. consulens videtur approbasse præfatam suam professionem persistendo tanto tempore in præfata religione: quia huiusmodi professio nulla non ratificatur, nec fit valida ex eo, quòd professus maneat in religione, quam est professus: sed oportet, vt sciat illam esse nullam,& animo approbandi & ratificandi eam persistat, vt singulariter declarauit Caietanus,[b] quem piget non allegasse in Manua. confess. hatenus edito,[c] vbi tamen citabitur Deo annuente in proxima editione.

9 Non obstat tertio, quod D. consulens gestauit habitum indistinctum ab habitu nouitiorum per annum, & vltra,& quod per gestationem habitus indistincti annalem inducitur professio tacita, iuxta cap. *ex parte*[d] & cap. 1.[e] quæ in hoc etiam nos citamus in d. comment. de regularib.[f] non inquam hoc obstat:quia illud est verum, quando gestatio illa fit ante professionem expressam,non autem quando gestatur post illam expresè factam,vt gestauit D. consulens, qui statim post habitum susceptum emisit professionem expressam, is verò non potest dici tacitè professus. Tum quod nemo concedit, eos qui post professionem expresè factam gestant habitum per annum, tacitè profiteri,& ita esse bis professos expresè, & tacitè,quod nemo vmquam dixit. Tum quod ratio quare per gestationem habitus annalem præsumitur tacitè fieri professio, est, quia gestans habitum præsumitur habere animum profitendi tempore debito, finito anno nouitiatus. At qui gestat habitum post professionem expresè factam non præsumitur habere animum profitendi in fine anni nouitiatus, quia iam expresè fecit eam, & gestat habitum tamquam professus, & non tamquam professurus. Tum quia si qui fecit vnum actum expresè, frustra facit iterum illum expresè, quanto magis si faceret tacitè? Vnde qui aliquid stipulatur semel,frustra iterum idem stipulatur,[g] etiam si ex interuallo secunda vice stipuletur, vt communis ibi concludit: & qui semel legat aliquid, frustra iterum idem legat,[h] & qui semel mandat aliquid, frustra iterum idem mandat,[i] faciunt etiam alia, quæ Iason,& alij congerunt[k] idem.& ita qui dicit *appello,appello, appello*, semel tantum appellat iuxta glossam[l] à Panormitano & ab alijs receptam.

10 Non obstat quarto, quod nouitius faciens actum ad professum tantùm pertinentem,videtur profiteri.[m] Tum quia illud est verum, quando prius non fecit professionem expresè, per proximè ad obstaculum tertium dicta, & D. consulens statim post habitum susceptum professionem emisit, vt prædictum est. Tum quia illud est verum in eo, qui accipit habitum professorum distinctum ab habitu nouitiorum, qualis non erat in dicto monasterio, vt declarat Panormitanus [n] & nos in d.Commen.de regularibus.[n] Tum quod illud non procedit in eo qui nescit per huiusmodi exercitium actus professionem induci, vt Innocentius receptus dicit.[p] At D.consulens nesciebat illud,vt in facto proponitur. Tum quod illud non est verum post præfatum Concilium Tridentinum quod annihilat professionem ante finem anni nouitiatus factam.

*Circa hanc primam quæstionem vide Cons.34.de reg.*

11 AD SECVDAM, nempe an tuta conscientia possit ducere vxorem, respondeo quòd sic,nisi aliud canonicum impedimentum obstet. Tum quia professio facta eo modo,quo hæc,nullum inducit effectum, neque vllam obligationem, vt habet prædictum Concilium Tridentinum,[q] adeo quod neque professum facit religiosum in genere, idest obligatum ad intrandum aliquam religionem, sicut ante præfatum Concilium obligabat. [r] Tum quia scandalum quod daretur aliquibus pro huiusmodi coniugio non esset pusillorum scandalum,à quo [s] dicitur esse cauendum,sed Pharisæorum, à quo [t] dicitur non esse cauendum,quia *cæci sunt,& duces cæcorum*, vt ibidem dicitur,& est doctrina S.Thomæ ab omnibus recepta.[v] Tum quia licet à principio quo ad aliquos esset scandalum pusillorum,eo quòd bona fide crederent prædictum D.consulentem esse verum professum aliqua ratione, quæ sibi appareret bona: potest tamen facile fieri, vt desinat esse scandalum pusillorum, & incipiat esse scandalum Pharisæorum, monendo illos falli, reddendo rationem veram & iustam,qua sua ostendatur esse tantum apparens & falsa: & qui post huiusmodi rationem sibi monstratam noluerit acquiescere,scandalum patietur Pharisæorum, non pusillorum, vt eleganter S. Thom.ab omnibus receptus definit vbi supra art.penult.& vlt.concludens neminem teneri ad relinquenda bona spiritualia,neque temporalia propter scandalum proximi, quod patitur, eo quod non acquiescit rationi & monitioni probabili sibi redditæ: pro quo est illud venerabilis Bedæ:*Vtilius est scandalum nasci,quam quod veritas relinquatur.* [a] cuius glossa & Panormitani & aliorum dicta in prædicta sunt resoluenda.

12 Ex quibus etiam colligitur verus intellectus cap.2.[b] quatenus habet, pro vitando scandalo relinquenda esse illa,quę sine peccato mortali relinqui possunt,intelligendum enim est de scandalo pusillorum & infirmorum,non autem de scandalo Pharisæorum & malignorum, non enim tenetur quis pati rapinam, furtum, & vsurpationem iniustam suorum bonorum,eo quòd raptor,fur,& vsurpator scandalizetur per repetitionem à se corã iudice competente petitam,& vsque ad sententiam exercitam: quia id esset præbere occasionem rapinis,furtis, & vsurpationibus,vt ex S.Gregorio allegato à S.Thoma [c] colligitur, & ex praxi totius Ecclesię Christianæ,quæ sanctè permittit dominos & creditores sua bona & debita à suis detentoribus & occupatoribus repetere.& sic D. consulens licet posset absque peccato vitam cælibem ducere,non tamen tenetur id agere propter scandalum eorum,qui probabili ratione sibi reddita in sua pertinacia persistunt. Salua quæ iustior fuerit sententia.

*Circa tamen conclusionem positam sub nu. 4. contrarium censuit sacra Congregatio,vt refertur videlicet anni nouitiatus omissionem non vitiare in dicta religione professionem.*

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium consensum liberum requirit,& metu etiam reuerentiali fit nullum, num.4. si sit nimius,num.7.& causa sine qua non.num.9.*
2 *Papa defectum consensus iure naturæ requisiti supplere nequit.*
3 *Metus in fœmina minor, quam in viro,sufficit: & quis sit iustus,arbitratur in foro exteriori iudex.& num.8.*
4 *Metus,qui professionem annullat, annullat & matrimonium.*
5 *Curator vt pater honorari debet:vnde & metus ab ipso illatus vitiat,vt illatus à patre.num.3.& 4.*
6 *Metus verecũdiæ proficiscens ex sola præsentia patris,matrimonium non annullat,nimiæ autem reuerentiæ,quæ fuit causa vt alias non consensura consenserit.annullat.n.7.9.&10.*
10 *Metus,qui facit alios actus rescißibiles,annullat matrimoniũ.*
10 *Reuerentia patris, causa consensus filiæ alias non consensuræ, ideo annullat matrimonium,& alios contractus rescindit, quia tollit necessariam libertatem consentiendi. & nu.11.*

CONSILIVM X.

QVÆDAM puella diues sub curatoris potestate cõstituta, metu & reuerentia ipsius curatoris per se & alios illa incutientis, sponsalia cum quodam iuuene, & successiuè matrimonium contraxit, sed antequam contraheret, lacrymans matri suæ dixit se coactè illa contrahere, & post contracta sponsalia, antequam contraheret matrimonium, frequenter coram familiaribus suis idem repetijt, nimirum se nullatenus velle contrahere cum illo:immo & expresè protestata fuit coram notario & testibus,quod si contingeret illam dicere aliqua verba,quibus significaret se consentire, dicturam illa contra mentem & voluntatem suam ob metum & reuerentiam sui curatoris,& aliorum eiusdem curatoris amicorum. Quæritur an valeat matrimonium.

1 Respondeo primo, sententiam quorumdam virorum mihi ostensam proculdubio esse verissimam, scilicet matrimonium præfatum esse nullum. Tum quia matrimonium non potest consistere sine consensu, [d] & in facto quæstionis proponitur præfatam D. puellam cõsulentem numquam præfato matrimonio cõsensisse. Tum quia non omnis consensus sufficit ad conficiendum matrimonium: sed requiritur vt sit liber,& nullatenus coactus, iuxta ca. *cum locum* de sponsalibus.& glossam solemnem ab omnibus receptã [e]&in facto narratur consensũ illũ qualẽ quailem,

Marginal notes:
a In rub. de regul.& in c. ecclesiaS.Mariæ. de consti.
b Sup.2.2.S. Thom. quæst. 189.art.5.
c Cap.12.nu. 32.
d De regula.
e Eodem tit. lib.6.
f Sup.ca.statuimus.n.73.
g Leg.qui bis idẽ ff.de verbo oblig.
h L.cum qua stio.§.fin.C. de leg.
i L.licet.§.ea obligatio.ff. de procurat. adiũcta gloss.
k In d.le. qui bis.
l In c.Lotharius.31.qu. 2. & in cap.sua nobis. de appellat.
m Ca.vidua. de regularib.
n In d.ca.vidua.
o Vbi supra.
p In d.c. vidua.
q In d.ca.15.
r Iuxta c.non solũ.de regu. lib.6.
s Matth 18.
t Matth.15.
v 2.2.qu.43. art.2.penult. & vlt.
a Ca. qui scãdalizauerit. de reg.iur.
b De nou. oper.nunc.
c In dicto art. vlt.
d Cap. sufficiat.27.qu.2. & l.nuptias. ff.de reg.iur.
e In c.notificasti.33.q.5.

lem, qui exterius fuit præstitus, fuisse præstitum per metum & violentiam.

2 Tum quia etiam Papa, sua, quæ summa est, potestate absoluta non potest supplere defectum consensus requisiti iure naturali & diuino, vt tradit Panormitanus [a] & probatur, quia non potest ipse iuri naturali & diuino derogare.[b]

3 Quibus addo primo, quod ad iudicandum matrimonium præfatum esse nullum in foro exteriori, non requiritur vt interueniat metus tam iustus, quàm requiritur in viris: quia minor sufficit in femina, iuxta glossam memorabilem.[c] Addo secundo, quod nos altius quam vllus alius in Manua. confess.[d] reiecta definitione iusti timoris communiter recepta, quo ad forum exterius diximus hoc arbitrio iudicis relinquendum esse, iuxta glossam notabilem & communiter receptam.[e] Tertio, quod ad arbitrandum in hoc casu interuenisse talem, facit multum, quod præfata D. consulens est puella, & orphana sub curatore constituta: & quod ipse curator illum timorem incutiebat, & mediatores addebantur ad incutiendum illum, vt volens nolens consentiret.

4 Addo quarto, quod ad idem facit multum glossa singularis [f] quatenus habet, solum metum reuerentialem, quem habet filia in patrem, sufficere ad iudicandam professionem religionis ab ea factam non valere: & cùm idé timor, qui sufficit ad inualidandam professionem religionis, sufficiat ad inualidandum matrimonium, [g] consequens est suffecturum in hoc casu probare metum reuerentialem interuenisse.

5 Quem arbitror facilè probatum iri, cum is, qui vrgebat eam ad præfatum matrimonium, esset, vt dictum est, curator ipsius, quem tenebatur illa vt patrem reuereri, per ea quæ post alios nos tradidimus in præfato Manua. [h] Addo quinto, quod ad idem faciunt alia quædam, quæ in præfato cap.[i] in hoc citauimus.

6 Hac de re bis consultus, bis idem respondi, nempe præfatam puellam non esse vxorem præfati adolescentis in foro conscientię, nec in exteriori, & iudicem eruditum, & rectum, coram quo causa hæc tractata fuerit, iudicaturum illam non esse censendam vxorem eius, si omnia, quę proponuntur in facto, probata fuerint, per ea quæ nos in altero responso iam citauimus.

Nunc tertio super eadem re interrogatus respondeo idem. Nec obstat, quod quidam dicunt Prætorium istud celeberrimum, & eruditissimum, iuxta ac æquissimum Reuerendiss. Dominorum Rotæ iudicasse metum & paternam reuerentiam non sufficere ad annullandum matrimonium.

7 Tum quia id verum est de metu & verecundia paternali, quam sola præsentia patris inducit, vt clarè probat textus,[k] & præter alios adnotauit Panormitanus,[l] quod commendauit Felinus: [m] nos autem loquimur de tali reuerentia paternali, quæ inducit metum, & quæ causa fuit vt consentiret filia, vel filius, aliàs non cōsensura, vel consensurus: quandoquidem præsupponitur præfatam puellam noluisse contrahere cum præfato adolescente sponsalia, & cum lacrymis id dixisse matri suæ, & post contracta sponsalia antequam contraheret matrimonium frequenter id dixisse ante familiares suos, se nullatenus velle contrahere cum illo, immo & expresè protestatam fuisse coram notario, & testibus, quod si contingeret illam dicere aliqua verba, quibus significaret talem consensum, dicturam ea contra mentem & voluntatem suam propter metum & reuerentiam sui curatoris, & aliorum illius amicorum vel familiarium. Tum quia hoc significant verba legis primæ,[n] ibi: *& hoc causa cognita, si liquido appareat libertum metu solo, vel nimia patroni reuerentia ita se subiecisse, vt vel pœnali quadam stipulatione se subijcere.* Per quæ significatur, quod non solùm annullatur actus factus coram eo, cui debetur reuerentia, vt patri, vel patrono, eo tempore quo dat libertatem: sed etiam si fiat postea, dummodo causa cognita appareat, quod propter metum, vel nimiam reuerentiam consensit, ponderanda est enim illa disiunctiua, *metum, vel nimiam reuerentiam:* cum ad veritatem alternatiuæ altera pars sufficiat, [o] & inde subiungimus sequentia.

a In c. per venerabilem. n. 21. qui filij sint legit.
b Capi. sunt quidam. 25. q. 1.
c In d. c. cum locum.
d Ca. 22. nu. 50. & 51.
e Ca. cum dilectus. de ijs quæ vi.
f Ca. præsens. 20. q. 3.
g Argu. gloss. notab. recept. in capit. 2. de elect.
h Ca. 14. n. 3.
i 22. num. 50. & 51.
k In cap. 1. §. porro. de despons. impub. lib. 6.
l In c. nonne, de præsumpt.
m Ibidem n. 22. & in c. cũ omnes. de constitut.
n §. quæ onerandæ. ff. quarum rerum actio non datur.
o Ca. in alternatiuis. de regul. iur. lib. 6.

8 Primo quidem, quod cum (vt nos confutata irrefragabiliter definitione iusti metus communiter recepta in Manua. confess.[a] concludimus) arbitrio iudicis relinquēdum sit, quis metus dicatur iustus, iuxta glossam memorabilem & communiter receptam [b] videtur nobis, salua iustiore sententia, quod vir bonus, prudens, & doctus, coram quo omnia prædicta probata fuerint, debet arbitrari præfatum matrimonium fuisse factum metu & reuerentia iustis ad annullandum matrimonium.

9 Secundo, quod quicquid dicant aliqui, sufficit ad annullandum matrimonium sola nimia reuerentia paterna, ob quam contractum fuit ab ea quæ non erat aliàs contractura, per l. 1. [c] quatenus probat, id quod promisit libertus causa onerandæ libertatis propter nimiam reuerentiam, esse rescindendum. Non obstat, quod textus habet, *propter metum, vel nimiam reuerentiam:* quia non habet copulatiuè *propter metum, & nimiam reuerentiam,* sed *propter metum, vel nimiam reuerentiam,* alternatiuè: ad cuius veritatem sufficit alteram partem esse veram, vt suprà dictum est. Nec obstat item, quod textus loquitur de promissione liberti propter nimiam reuerentiam patrono factam. Quoniam hic textus extenditur ad mulierem contrahentem matrimonium ob nimiam reuerentiam patris, & ad clericum renunciantem beneficium ob nimiam reuerentiam Episcopi, vt ait glossa.[d]

10 Nec obstat etiam, quod non ait promissionem liberti esse nullam, sed rescindendam, quia regulariter actus meticulosi, & ob reuerentiam facti, non sunt ipso iure nulli, sed actione quod metus causa rescindendi, iuxta glossam magnam & celebrem [e] receptam fere per omnes, excepto Fortunio, & alijs paucis, [f] qui dixerunt ipsos ipso iure nullos. Non inquam hoc obstat: quia omnis metus, qui facit contractus alios rescissione dignos, facit matrimonium ipso iure nullum, secundum sententiam receptam in dicta glossa & vbique. Non obstat etiam, quod ait, *causa cognita.* quia non omnis reuerentia rescindit actum, videlicet rescissione dignum facit, sed illa ob quam fit actus, qui alioqui non fieret. & ita hoc est probandum, per ea quæ adducit Felinus.[g] Non enim, vt ibi notabiliter ait Panormitanus, omnis præsentia patris, quam constat aliquam reuerentiam inducere in filium, sufficit ad rescindendum, vel annullandum actum, sed illa, ob quam fit, qui alioqui nullatenus fieret: quod ipsum ait etiam Felinus, licet non ita late [h] & alij alibi, quos ille citat vtrobique, & additio Bartholi [i] & probat optime cap. 1. [k]

11 Tertiò probatur, quòd ratio tota, quare metus & reuerentia annullant actum matrimonij, & alios actus faciunt rescissibiles, est, quod tollunt consensum, videlicet libertatem consentiendi necessariam ad actus valorem, videlicet firmitatem: & omnis reuerentia, quæ operatur tantùm, quod illa non interueniente non fieret actus, tollit consensum, videlicet efficit illum adeo coactum & inefficacem, quod non valet, vel est inualidandus: ergo sola illa si probetur sufficit ad rescindendum, videlicet annihilandum actum, argum. *l. abigere.*[l] & ca. *meminimus.*[m] eorum quæ ibi adnotauit Panormitanus de lege extendente se, vel astringente eatenus, quatenus ratio eius se extendit vel astringit.[n]

a Ca. 22. nu. 51.
b In cap. cum dilectus. quod metus causa.
c §. quæ onerandæ. ff. quarum rerum actio non detur.
d In dicto §. quæ onerandæ. verbo metu.
e In c. abbas. de ijs quæ vi.
f De vlti. fin. illat. 27.
g In c. nonne. de præsumpt. nu. 22.
h In cap. cum omnes. n. 12. de constit.
i In dicto §. quæ onerandæ.
k §. porro. de despons. impub. lib. 6.
l §. quamuis. ff. de iur. patro.
m Et ca. suggestum.
n De appellat.

## DE IN INTEGRVM RESTITVTIONE.

### SVMMARIVM.

1 *Impedito, cum restituitur aduersus lapsum temporis, datur tempus à lege statutum, alioquin illud solum in quo fuit impeditus.*

1 *Parochus ad sumendos ordines in fine anni impeditus restituitur non ad alterum annum, vt appellans, sed ad tempus in quo fuit impeditus.*

## CONSILIVM I.

AN Commendatario Ecclesiæ regularis curatæ in quadrimestri vltimo anni, intra quem tenebatur promoueri, legitimè impedito, detur quo ad vtrumque forum alius integer annus ad promouendum, cessante præfato impedimento, vel tantùm complementum partis anni, in qua legitime impeditus fuit?

1 Respon

1 Respondetur, quòd multa possent induci ad suadendum, quòd detur annus integer legitimè impedito, ex his quæ habentur per omnes in cap. *ex ratione*, [a] & ex aliis locis per Doctores citatis in eis. Sed verius videtur dandum esse ipsi tantùm téporis, quantò fuit impeditus, [b] & quia iura, quæ contra hoc possunt allegari, loquuntur, quando per legem statuitur, & determinatur tépus, ad quod quis restituendus est propter impedimentum, nos autem loquimur de restitutione impediti ad tempus non determinatum à lege, sed determinandum ab homine, quod videtur esse metiendum per tempus impedimenti, ratione cuius illud restituitur. Salua maturiore sententia, quam núc non vacat latius discutere.

a De appellat. & in c. si electio. & in ca. si ex eo. de electio. lib. 6.
b Arg. c. 1. de restit. in integr. cum ei adnota.

## DE ARBITRIS.

### SVMMARIVM.

1 *Arbiter electus, vt iudicet in conscientia inter actorem & reum, debet probationibus illam fidem adhibere, quam adhibuisset iudex fori exterioris: vnde actori, etiam alioqui fide digno, non defert iuramentum, nisi pro illa parte, quam semiplene probauerit.*

### CONSILIVM I.

Titius dicit, se olim sexdecim in circa annis præteritis mutuo dedisse Sempronio vigintiquinque aureos, nulla interueniente scriptura, id quod tamen Socrates Sempronij affinis scire potuit. Sempronius negat se hanc pecuniam accepisse, ductus tamen quibusdam persuasionibus vna cum Titio, arbitrum sacerdotem constituunt ambo, qui in conscientia tantùm iudicet (quicquid sit de foro exteriori) an Titius possit tuta cóscientia hanc pecuniam petere, & Sempronius etiam in conscientia teneatur restituere. Arbiter Socratem medio iuramento ad instantiam Titij interrogat, qui respondit se optimè recordari olim nomine Sempronij in quadam necessitate constituti accessisse Titium in propriam Socratis domú, vbi Sempronius erat, quo in loco postquam in quodam camerino infero multa verba inter se habuerunt, propriis oculis vidit Titium exbursare quamdam pecuniæ summá, sed sibi incertam aureorum Sempronio: cui Titio discedenti, & domum reuertenti dixit Sempronius: *Cosi voglio no esser, come Titio gli amici, quando à bisogni sono aiutati.* cui Titius vrbanè respondit. Huic attestationi proprium iusiurandum addit Titius, quo iurat se olim mutuo dedisse prædictam summam prædicto Sempronio, & numquam sibi restitutam fuisse. Nunc quærit arbiter, an ductus prædictis, & bona Titij fama, qui & nullius eget (est enim dives) debeat in consciétia Sempronium restringere ad solutionem.

1 Respondeo primo, quod quæstio hæc difficilis est: leges enim, & canones, vnde haurienda est eius decisio, valde torquent eorum interpretum ingenia, vt videre est in comment. l. *in bonæ fidei.* [a] Nam præter ea, quæ iura disponunt, oportet scire qualitates bonas, & malas Titij, & Sépronij, ad sciendum, vtri eorum debeat iuramentum deferre. Secundo tantam difficultatem habet in foro conscientiæ, quantam in exteriori: quia tota difficultas consistit in arbitrando, an Titio, an verò Sempronio sit deferédum iuramentum. Tertio, secundum opinionem mihi veriorem, & receptiorem Bartholi, Panormitani & aliorum multorum, iuramentum hoc casu non debet deferri Titio quo ad omnes vigintiquinq; aureos: quia Titius est actor, & Sempronius reus, & Titius nó probat simpliciter quo ad vigintiquinque: & ad actorem numquam est deferendum iuramentum in supplementum probationis, nisi post semiplenam probationem, quæ requirit vnum testem integrum, qualem non habet Titius quo ad vigintiquinq; licet habeat quo ad aliquos. Quarto, quod potest arbiter condemnare Sempronium ad soluendos illos, siue tot aureos, quos, vel quot Socrates iurauerit vidisse mutuari, quia quo ad illos habet semiplenam probationem, & est æquè bonæ, aut melioris qualitatis, quàm Sempronius. Quinto, quod posset prædictus arbiter cogere Sempronium ad soluendum tot, quot Socrates iurauerit se vidisse mutuari ei, & cogere ad iurandum, quod non recepit plures: quia licet actori non posset deferre iuramentum in supplementum probationis, nisi quo ad semiplenam probationem, posset tamen reo deferre iuramentum purgationis, data præsumptione aliqua notabili contra eú, qualis potest satis iudicari quod in casu proposito inuenitur. Salua, &c.

a C. de reb. cred. & in c. fi. de iureiur. & in. l admonendi. ff. eod. & in cap. fin. lib. 6.

*Finis Libri Primi.*

# CONSILIORVM, SIVE RESPONSORVM MARTINI AB AZPILCVETA DOCTORIS NAVARRI,

## LIBER SECVNDVS.

### DE IVDICIIS.

*SVMMARIVM.*

*1 Sodomia cum propria vxore minus delictum est, quam cum alia persona commissa:estque mixti fori.*

*2 Mixti fori crimine laicum ab Ecclesiastico canonica pœna punitum potest sæcularis sæculari pœnæ punire: vnde Ecclesiasticus nec debet reum curiæ sæculari tradere,nec inhibere ne puniat.*

### CONSILIVM I.

1 AN VICARIVS Episcopi posſit tradere curiæ ſæculari laicum confeſſum tãtùm per tormenta crimen ſodomiæ cum ſua propria vxore admiſſum, abſq; timore irregularitatis contrahendę per mortẽ à ſæculari iudice inferendam?

Reſpondeo, quòd putarem, ſi vicarius eſſem, id mihi non fore licitum, neque decens. Tum quia crimen præfatum cum vxore propria admiſſum paulo minus videtur, quam commiſſum cũ alia perſona. Tum quia non probatur alio modo, quam cõfeſſione per tormenta exacta: quæ probatio eſt minus legitima. Tũ quia, vt arbitror, proceditur via inquiſitionis, per quam iure Pontificio regulariter non punitur inquiſitus pœna ordinaria rigoroſa.

2 Tum quia non eſt neceſſaria traditio facienda curiæ ſæculari, cùm ille ſit laicus, & crimen eſt mixti fori, & iudex laicus poteſt eum punire laicè, quamuis puniatur à vicario canonicè, arg. ca. *felicis*. §. præmiſsis. de pœnis lib. 6. per quod Panor.[a] & Felinus cum aliis citatis ab eo,[b] tradunt, punitũ ab Eccleſiaſtico iudice pœna canonica pœnitentiali, poſſe iterum puniri per iudicẽ ſæcularem pœna ſæculari, ſi crimen eſt mixti fori. Tũ quia vicarius facit officio ſuo ſatis, caſtigãdo eum canonicè exilio aliquo iuſto, & aliis pœnis pœnitentialibus, & ſoluendo illum à vinculis ſine aliqua traditione proceſſus probationum corã ſe factarum, non inhibito, neque requiſito iudice ſæculari, qui ſuo arbitrio faciat, quod ei iuſtius videtur. Salua, &c.

a *In c. tuæ. de procuratorib. col. penul.*
b *In c. de iis. fal. 11. de accuſ.*

*SVMMARIVM.*

*1 Epiſcopus cum verbaliter à ſe depoſitis diſpenſare valet, modo non fuerit facta ob crimen maius adulterio.*

### CONSILIVM II.

1 RESolutio eſt, Epiſcopum poſſe diſpenſare cum verbaliter à ſe depoſito, vt tenent Panormitanus Felinus Decius, & communis,[c] maximè ſi in ſententia ſua, vel vicarij ſui hoc faciendi poteſtas fuerit ſibi reſeruata: quod certiſsimum eſt, cum depoſitio facta fuit ob adulterium, vel alia crimina eo minora, vel ſaltem non maiora: ſi autem depoſitio fuiſſet facta ob hæreſim, vel alia crimina, videtur non poſſe.

c *In cap. at ſi clerici. §. de adulteriis. de iudic.*

*SVMMARIVM.*

*1 Diſpenſare poteſt Epiſcopus cum depoſito à ſe per ſententiam verbaliter ob crimen, ſuper quo poteſt diſpenſare.*

*2 Epiſcopus diſpenſat in criminibus adulterio minoribus.*

*2 Inceſtus cũ matre, & filia carnali, crimen maius adulterio, ſecus ſi ſit perpetratus in gradu remotiori, vel cũ cognata ſpirituali.*

*3 Diſpenſare poteſt Epiſcopus ſuper inceſtu etiam maiore adulterio, quia hoc expreſſo iure ei conceditur.*

*3 Inceſtus ſpiritualis non eſt propriè inceſtus.*

### CONSILIVM III.

QVod Epiſcopus poſsit diſpenſare ſuper ſententia ſua & reſtituere depoſitum per illam ob inceſtum ſpiritualẽ, ad ſuos ordines, facit primo, quod Epiſcopus poteſt diſpenſare cum depoſito à ſe verbaliter tantum ob crimina, in quibus licet ei diſpenſare,[a] ſecũdum Speculatorẽ,[b] & Panormitanum[c] quem Felinus & Decius ibi ſequuntur per iura ab eis citata, reſpondentes Aretino contra tenẽti.

2 Secundo, quod Epiſcopus poteſt diſpenſare in minoribus criminibus adulterio, & licet inceſtus verus cũ matre, & filia carnali, ſit maius crimen, quàm adulterium,[d] alius tamen inceſtus in remotiori gradu, vel cum cognata ſpirituali nõ videtur eſſe tã grandis, ſicut adulteriũ argu. l. *ſi adulterium*,[e] & eorum, quæ ſubtiliter dicit vterque Thomas,[f] quicquid gloſſa dixerit,[g] & Doctores ibi parũ differentiam aduertentes.

3 Tertio, quod eſt ſentẽtia Ioan. And. quã ſequitur Pan.[h] & Fel. Dec. & communis habet, poſſe Epiſc. in inceſtu etiã maiori adulterio diſpenſare. Tũ per c. *virginem*.[i] Tũ quod licet Epiſc. nõ poſsit regulariter diſpenſare in criminibus maioribus adulterio, poteſt tamen, quando expreſsè id ei iure conceditur, vt conceditur in inceſtu per prędicta iura.

Quarto id probatur, eo quòd inceſtus ſpiritualis non eſt propriè inceſtus, quia ſola conſanguineorum & affiniũ coniunctio eſt propriè talis,[k] & tradit pulchrè Caiet.[l] dicens, copulam cum cognata ſpirituali, nõ propriè, ſed metaphoricè dici inceſtum. & ita eſto inceſtus carnalis ſit crimen maius adulterio, metaphoricus tamen nõ eſt talis. Quare ſine dubio poterit Epiſc. in eo diſpẽſare. Salua, &c.

a *Ca. at ſi clerici. §. de adulteriis. de iudi.*
b *Tit. de accuſat. nu. 4.*
c *In dict. §. de adulteriis.*
d *Ca. adulterii malum. 32. q. 1.*
e *1. § ff ad l. Iuliã de adult.*
f *In 2. 2. q. 154. art. 9. ad 3.*
g *In d. §. de adulteriis.*
h *In d. §. de adulteriis. num. 10.*
i *Et ca. ſi quã virgo. & c. ſi quis ſacro. 27. q. 1.*
k *36. q. 1. c. 1.*
l *In d. art. 9. in reſpon. ad 2.*

*SVMMARIVM.*

*1 Diſpenſatio matrimonialis obtenta in foro conſcientiæ tantùm, etiam ſi de ea fiat fides, tamen non prodeſt quo ad effectus fori exterioris, in quo conſtat de impedimento nu. 7.*

*1 Iudex iudicare debet ſecundum veritatem illam quam nouerit, vt iudex illius fori, in quo iudicat. nu. 10.*

*1 Actus valor à poteſtate & voluntate facientis pendet.*

*2 Contradictoria nec eſſe, nec iudicari poſſunt ſimul vera: at quod aliqua ſint valida quo ad quid, & inualida quo ad aliud, contradictorium non eſt. nu. 11.*

*3 Sacramentum etſi à futura approbatione vel reprobatione Papæ, nec aliter à futuro euentu poteſt pendere, ſed ſtatim valet, vel non valet, & nu. 11. poteſt tamen ab eo ſtatui, vt idem iudicetur validum in vno foro, & non in alio, nu. 9. vel quod iudicetur tale in vno foro, & non in alio. nu. 11.*

*3 Matrimoninm, ſicut & alia ſacramenta, non poteſt pendere, ſed ſtatim valet, vel non, & ſi non valuit, non poteſt à futuro euentu incipere valere: ſicut & ſi valuit, nõ poteſt ob futurum euentum effici ne valuerit.*

*4 Iudex ſecundũ eamdẽ conſcientiã cõtraria iudicare nequit. n. 12.*

*5 Literæ Pœnitentiariæ quo ad forum contentioſum non ſuffragantur. nu. 12. & 13.*

*7 Diſpenſatio limitata quo ad forum interius & illius effectus, ad exterius & illius effectus non extenditur.*

*8 Abſolutus quo ad forum interius tantùm, non eſt quo ad exterius ſiue illius effectus, abſolutus.*

*9 Contradictoria vt aliqua dicantur, oportet vt reſpectu eiuſdẽ rei & qualitatis ſint oppoſita.*

*13 Papa poteſt ſtatuere, immo iam per iura ſtatutum eſt, vt iudex*

*per quamdam probationẽ credere, & iudicare poßit aliquid quo ad vnum effectum, & non quo ad alium, seu in vno foro, & non in alio.*

## CONSILIVM IIII.

Facultas dispensandi cum iis, qui publicè, & bona fide in tertio, & vlteriore gradu matrimonium cõtraxerũt, in foro tantùm conscientiæ, cũ sit per bullam cruciatæ cõmissario concessa, & in eo foro commissarius dispensauerit. Quæritur, si de impedimento in foro exteriori constet, & de prædicta dispensatione, an iudex fori externi debeat secundum conscientiã & veritatem iudicare matrimoniũ validum.

1 Respõdeo, quòd pro parte affirmatiua huius dubij facit primo, quòd iudex debet iudicare secũdum rei veritatem, & non secundũ falsitatem fucatã, iuxta illud, [a] *secundũ iustitiam*, supple verã, id est, nõ fucatã, *iudicabit.* at verè prædictum matrimonium valuit coram Deo, ergo debet iudicari validum. Secundo, quod potestas & voluntas cõcurrentes in aliquem actum, faciunt illum validum, [b] & in casu illæ videntur concurrisse in dispensatione: quippe qui habebat facultatem Papæ ad id faciendum concessam, voluit dispensare, & actu dispensauit, ergo &c.

2 Tertio, quòd duo cõtradictoria nõ possunt esse, nec iudicari simul vera, [c] & consequenter matrimonium prædictum non potest dici, nec iudicari validum, & nõ validum, at dicendum est esse, & verè iudicari validum: quia est validũ in foro conscientiæ secundum vtramq; partem, ergo validum est, arg. à toto ad partem, quod valet secundũ dialecticos, & Baldum. [d]

3 Quarto quod sacramentum non potest pendere à futuro euentu, nec futura ratificatione, vel reprobatione etiam Papæ, vt tradit Paludanus, quem nos munimus, & sequimur alibi, [e] nam licet Papa posit efficere, vt facta virtute suæ legis habeantur pro infectis etiam ex tunc, [f] non tamẽ potest efficere, vt id quod verè est, vel fuit sacramẽtum, habeatur pro non tali, & infecto, [g] cum iure diuino subsistat, & Papa illud annihilare nequeat, [h] & consequẽter hoc prædictum matrimonium, quod à principio valuit, non potuit desinere valere ob futurum euentum mortis mariti, nec contradictionis vxoris, nec Papa potuit efficere ne valuerit, vel ne valeat.

4 Quinto, quod licet iudex posset iudicare vnum secũdũ conscientiam, quam habet, vt priuata persona, & cõtrarium secundum conscientiam, quam habet vt publica, non tamen potest secundum eamdem conscientiam iudicare contraria, secũdum omnes. At iudex huius causæ, visis eius actis, debet iudicare hoc matrimonium esse validum quo ad forũ conscientiæ, etiã secundum conscientiam, quã habet vt iudex & publica persona: ergo non potest iudicare illud esse inualidum, tamquam iudex, secundum eamdem conscientiam, nã qua ratione conscientia priuata non põt dictare duo contraria, eadem nõ poterit etiã publica, arg. l. vbi repugnantia. ff. de reg. iur.

5 Sexto, quod cum sequenti vnũ est maximum argumẽtum, quod pro hac parte afferri potest, quod licet remitti posit pœna, & dari absolutio, & fieri dispensatio quo ad forum conscientiæ tantũ, ita quod non prosint, nec noceãt quo ad contentiosum, donec sciãtur in illo, videtur tamẽ, quod non possint illæ dari, vel fieri quo ad hoc, vt nõ operentur effectum in foro contentioso, posteaquã scitę fuerint in eo. Pro quo facit antiquus stylus Pœnitentiariæ, de quo Sarnensis in regula de non iudicando iuxta formam supplicationis, [i] testatur, secũdum quem stylum, literæ, in quibus committebatur absolutio, vel dispensatio quo ad forum conscientiæ tantũ, dirigebantur cõfessariis clausæ, & sigillo munitæ, sicut & nunc diriguntur, & præterea in eis apponebatur clausula, vt id fieret sine testibus, & cõfecto actu laniarẽtur, siue rũperentur literæ: quod nõ alia ratione videtur fieri solitum, quã ne probatione postea facta per illas operarentur etiam effectum in foro exteriori, & contentioso. & cũ in casu proposito cõstet iudici, quatenus iudex est, de dispensatione prædicta in foro conscientiæ, debet iudicare prędictum matrimonium valuisse.

6 Septimo, quod videtur nõ posse fieri etiã à Papa, vt matrimoniũ, de quo in vtroq; foro cõstat esse legitimũ iudici, tanquã iudici, nõ debeat iudicari verũ, & legitimũ quo ad vtrumq; forũ: quia vna & eadẽ consciẽtia, quę per vnã & eamdem scientiã publicam ducitur, non videtur posse cõtraria dictare, cùm vna & eadem res vno & eodem iure cẽsenda sit. [a] At in casu proposito cõstat iudici vt iudici de prædicto matrimonio quo ad vtrumque forum, ergo.

a Esaia. 11.
b Ca. cum su per. cũ ei adnot. de off. de leg.
c L. vbi repugnantia ff. de reg. iur. & c. si enim. de pœnit. dist. 2.
d In l. conuenticula. C. de episcopis & cler.
e In cap. placuit. de pœnit. dist. 6. à num. 102.
f Iuxta clem. 1. adiuncta gloss. sing. verbo infectis. de immuni. eccles.
g Arg. c. de gradatio. cũ gloss. & eisad not. de pœnis lib. 6.
h Capit. sunt quidam. 25. q. 1.
i q. 14 litera B.

7 Non obstantibus tamen iis, videtur dubium positum negatiuè esse resoluendum, scilicet, quod non adsit talis dispensatio, quæ ad effectum, de quo agitur, suffragetur ad validitatem matrimonij: quia effectus, de quo agitur, pertinet ad forum exterius, & contentiosum, vt palam est, & dispẽsatio prędicta nullaten⁹ validauit matrimoniũ, de quo agitur, quo ad forũ exterius, & contentiosum. Primò, quia limitata causa limitatũ producit effectũ, [b] & tã facultas dispensandi commissariis cõcessa cruciatæ, quã dispẽsatio facta per illos super impedimẽto prædicti matrimonij, fuit limitata quo ad effectus fori conscientię dũtaxat, ergo non valet quo ad forum contentiosum. Secũdo, quia actus agentiũ non operantur vltra intentionem eorum. [c] At tam Papa faciens facultatem dispensandi, quã cõmissarij eius dispensantes per facultatem prædictam cruciatæ expresè restrinxerunt eam quo ad effectus fori interioris, & conscientiæ tantùm: ergo actus eorum non possunt operari, neque prodesse quo ad alios.

8 Tertio, ea quæ sunt iudicanda valida quo ad alterum forum dumtaxat, non debent iudicari valida quo ad vtrũque. Tum per ca. *de his.* iuncta glo. recepta, [d] quatenus habet, absolutum quo ad forum conscientiæ tantùm, non esse absolutum quo ad forum exterius: quam communiter receptam sequitur Ioan. ab Anania. [e] Tũ quod iudex, qui scit reum coram se accusatum fecisse delictum, de quo accusatur, si de illo coram eo legimè probetur innocens, debet eum absoluere quo ad forum cõtentiosum, & nõ quo ad forum conscientiæ, & econtrario, si scit eum non fecisse, & probetur nocens, debet condemnare iuxta iura, [f] & tradit D. Thom. cõmuniter receptus, [g] vbi profundè probat Caiet. sequutus alios multos DD. clasicos. Tum quod sponsi de futuro, secuta copula carnali, erãt iudicandi cõiuges quo ad forum exterius ante Conc. Trid. [h] non tamẽ quo ad forũ conscientiæ, nisi vxorio affectu eam habuissent. Tum quod contrahentes matrimonium per verba de præsenti dicta sine intentione contrahendi, iudicãdi sunt in foro exteriori coniuges, non autem in interiori. [i] Cum ergo constet dispensationem, de qua agitur, esse limitatam quo ad forum conscientiæ tantùm, non est iudicãdum per eã matrimonium esse validum in foro contentioso.

9 Postremo, quod Papa potest statuere, cõcedere, vel dispẽsãdo efficere, quod aliquod matrimoniũ valeat quo ad forũ cõsciẽtię, & nõ quo ad forũ cõtẽtiosum: quia efficere quod aliquid valeat quo ad vnũ forũ, & nõ quo ad alterũ, nõ est efficere quod vnum & idem verè valeat, & nõ verè valeat, sed quod sit iudicãdũ verè valere quo ad vnũ forũ, & non esse iudicandum verè valere quo ad alterum, quæ nullatenus sunt contradictoria: quia, vt aliqua sint talia, oportet vt sint opposita respectu eiusdẽ rei, vel qualitatis, secundum veram dialecticam, qualia non sunt hæc, vt palã est: sicuti non sunt contradictoria, *Hic est idoneus ad vnũ munus, & non ad aliud:* nec illa, *Hic est successor patris quo ad vnum & non est quo ad aliud:* nec illa, *Papa absoluit hunc ad hunc effectum, & non absoluit eum ad alium:* nec illa, *Hic iudicat reũ condemnandum secundum allegata & probata, & non iudicat eũ condemnandum secundum conscientiam priuatam.*

10 Non obstant opposita. Ad primũ enim respõdetur ex mente D. Tho. [k] concedendo quod iudex debet iudicare secundũ veritatem, sed nõ qualemcumque, sed tantùm secundum illam, quæ sufficit ad iudicandum quod iudicare intẽdit, quam nouerit vt iudex. & in casu proposito iudex non nouit simpliciter veritatem prædicti matrimonij, sicut dicetur in responsione ad vltimum, & minus ad iudicandum illud esse verum quo ad fori contentiosi effectus: quia contrarium significat limitatio tam in facultate dispensandi, quàm in ipsa dispensatione expressa.

Ad secundum concedimus actus valorem pendere à potestate & voluntate agentis, & Papam quidem habuisse & habere potestatem concedendi facultatem dispensandi quo ad vtrumque forum: sed negamus voluisse eam facere commissariis cruciatæ, item habuisse commissarios pote-

a Ca. cognoui mus. 12. q. 2. & le. eũ qui. ff. de vsucap.
b L. in agris. ff. de acquir. rer. domi.
c L. non omnis. ff. de reb. cred.
d De accusa.
e Ca. dicto de his. col. 1.
f L. illicitas. §. veritas. ff. de off. præsid. c. iudicet. 1. q. 7.
g 2. 2. qu. 60. art. 6 & clarius quæ. 67 art. 2.
h Per c. is qui fidẽ. de spons.
i Cap. tua cũ ei annot. de sponsalib.
k 2. 2. qu. 67. art. 2.

ſtatem,& voluntatem id faciendi: quia immo neutra eis fuit,vt ex facultate ſibi conceſſa limitatè,& ex diſpẽſatione facta ab eiſdem cum eadem limitatione palã conſtat.

11 Ad tertium concedimus non poſſe duo contradictoria ſimul eſſe,nec iudicari vera,& conſequenter non poſſe dici,nec iudicari ſimpliciter matrimonium prædictũ eſſe validum,& non validum. Sed negamus primò prędictum matrimoniũ poſſe iuſte iudicari à iudice fori contentioſi validum etiam quo ad forum conſcientiæ: quia in dicta reſponſione ad vltimum monſtrabimus illud ei non probari, & ita ceſſat argumentum de toto ad partem. Negamus ſecundo illum iudicare contradictoria: quia iudicat aliquid eſſe validum quo ad quid, & quo ad quid non, vt probatum eſt in vltimo argumento pro parte negãte formato:& conſequenter iudicẽ poſſe iudicare ſine vlla contradictione hoc matrimonium non eſſe validum quo ad effectus fori contentioſi, licet eſſet validum quo ad effectus fori conſcientiæ.

Ad quartum concedimus in eo aſſumpta, & conſequẽter quòd matrimonium prædictum ſtatim ab initio ita valuit,aut non valuit, vt Papa nõ potuerit efficere ne valeat, aut ne valuerit: ſed negamus quòd Papa nõ poſſit ſtatuere,vel diſpenſando efficere,vt aliquod matrimonium, vel aliquod ſacramẽtum,quod verè debet iudicari tale in vno foro, non debeat iudicari eſſe tale in alio foro: quia hoc nulli legi diuinæ repugnat, [a] licet enim Papa nõ poſſit efficere,vt confeſſio & abſolutio ſacramentalis iam legitimè factæ non valeant,poteſt tamen efficere,ne in foro cõtentioſo iudicentur validæ, immo iam effecit,per eadem iura iudicandum eſſe,quod illæ iam legitime à pœnitente, & parocho factæ,& mortuo parocho, iudicari debeãt validæ in foro conſcientiæ,non tamen iudicari debent tales in foro cõtentioſo:quia nõ poteſt probari in illo eas fuiſſe factas,prout nec poſſet mortuo confeſſario, per quem ſolum poterant probari,iuxta glo.& ei annot. [b] Per eius itẽ iura iudicandum eſt,quod excommunicatus abſolutus in foro conſcientiæ tãtùm à Papa,licet ſtatim à principio ſit verè abſolutus in illo foro,non iudicetur abſolutus in foro contentioſo.

a Arg.c.cuncta per mundum.4.qu.3. ca.propoſuit. de conceſſ. preb.

b In ca teſtimonij.de teſtib.

12 Ad quintum concedimus in eo aſſumptum,videlicet, non poſſe iudicem iudicare duo contraria ſecundum eamdem conſcientiam,ſiue ea ſit priuata, ſiue publica. Negamus tamen primò,iudicẽ fori contentioſi in hoc caſu poſſe iudicare matrimonium prædictum eſſe validum quo ad aliquod forum:quia non conſtat ei, tamquam tali iudici, valere illud quo ad illud forum,vt ſtatim probabitur in d. reſponſione ad vltimum. Negamus ſecundo eſſe contraria iudicare hoc matrimonium non eſſe validum quo ad effectus fori contentioſi,vt ſupra probatum eſt, & eſſe validum quo ad effectus fori conſcientiæ.

Ad ſextum negamus in eo aſſumptum, per adducta in poſtremo argumento pro noſtra parte adducto; concedimus autẽ,quod prædictæ literæ dabantur clauſæ, & ſigillatæ, & quod in multis earum ponebatur clauſula de laniandis literis poſt abſolutionem, vel diſpenſationem per eas factam: ſed negamus, quod id fiebat ad finem, ne contenta in eis, poſteaquam ſcirentur, & probarentur, prodeſſent in foro contentioſo. Tum quia hoc nemo vmquam dixit. Tum quia etiam Sarnenſis, qui de hoc, [c] teſtatur, ideo definit hoc fieri ſolitum, vt euitaretur neceſsitas componendi, quæ fuiſſet neceſſaria ad hoc, vt in foro contentioſo iuuaret. Tum quia verius videtur id fuiſſe vſitatum, ne ſecreta peccata, & delicta, de quibus occultandis grauiſsimum iuramentum in Pœnitentiariæ prætorio præſtatur, in infamiam eorum, quibus gratiæ fiebant, panderentur: ſed quia ex illa literarum laniatione eueniebant aliqua inconuenientia abſolutis & diſpenſatis per eas,nuper inductum eſt, vt rariſsimè ponatur illa clauſula,habito pro cõperto,quod per illas literas, quibus fit vel committitur abſolutio,vel diſpenſatio in foro conſcientiæ tantùm, non probetur quidquam quo ad forum contentioſum,ad hoc vt iudex illius fori teneatur ad aliquid faciẽdum,vel omittendũ in illo foro, ad quod litteris illis non viſis non teneretur,quod mox fuſius probabitur.

c Vbi ſupra.

13 Ad ſeptimum reſpõdeo primò, negando aſſumptũ in eo, ſiue maiorem. Poteſt enim ſtatuere Papa, immo iam ſtatutum eſt,quòd iudex per quãdam probationem poſſit credere,& iudicare aliquid quo ad aliquem effectũ in aliquo foro,& non quo ad alium,& in eodem foro: cuius rei ſeptem exempla quotidiana adduximus pridem in cap. *ſi quis autem*, [a] quæ ibi videri poſſunt. Secundo reſpõdeo, negando etiam aſſumptum, ſiue minorem, ſcilicet, quòd in caſu propoſito cõſtet iudici,vt iudici, de hoc matrimonio quo ad vtrumque forum. Tum quia non eſt propoſitum Papæ,vt literæ prædictæ, quibus diſpenſatio prædicta facta fuit quo ad forum conſcientiæ tantùm, probent illam quo ad forum contentioſum magis,quàm literæ pœnitẽtiariæ, quibus eiuſmodi diſpenſationes fiunt ſecretò quo ad forum conſcientiæ tantùm, per quas palàm eſt nõ probari res in eis contentas, vt per literas Cancellariæ. Tum quia non eſt etiam propoſitum Papæ, vt per illas literas probetur quo ad forum contentioſum magis, quàm per ſolam ſignaturam gratiæ,vel diſpenſationis,per quam illæ non probantur quo ad forum contentioſum, iuxta regulam de non iudicando iuxta formã ſupplicationis, & regulam 53.iuxta quam diſpenſatio non ſuffragatur,niſi literis expeditis. Tum denique quòd ſtylus Curiæ, qui facit, [b] omnium conſenſu habet, intentionem & mentem Papæ eſſe,ne illa,quæ per ſacram Pœnitentiariam quo ad forum conſcientiæ tantùm conceduntur,probari poſſint quo ad forum contentioſum,& effectus illius per literas ſecretas, quæ ab ea manant:& à fortiori credendum eſt,nolle ſuam ſanctitatem,vt literæ commiſſariorum ſuorum concedentium aliqua quo ad forũ conſcientiæ tantùm,probent quo ad forum contentioſum pluſquam illæ,cum eiuſmodi cõmiſſarij videantur eſſe quidam ſubrogati loco ſui pœnitentiarij maioris, & ſubrogatus debet ſapere naturã eius, cui ſubrogatur, [c] Salua,&c.

a De pœnitẽ. diſt.7.à num. 102.

b Cap.quam graui.de crimine.falſ.

*Aduertendùm Nauarrum non ſolùm non negare,immo expreſsè affirmare matrimonium per in foro tantum conſcientiæ diſpenſatos contractum, eſſe ſemper, incommutabiliterq́; validum, ſed ex quo dicta diſpenſatio eis non ſuffragatur,niſi quo ad forum conſcientiæ, inde ſequitur iudicem fori exterioris debere cum prædictis ſe gerere ac ſi ſine diſpenſatione( cùm de ea ipſi legitimè non conſtet )contraxiſſent.*

c L.eum qui. §. qui iniuriarum.ff.ſi quis cautio.& ca. eccleſia.vt litẽ pendente.

## DE FORO COMPETENTI.

### SVMMARIVM.

*1 Francorum regnũ tamdiu poſſe durare dixit Franciſcus Primus, quamdiu in eo fides Catholica Romana coleretur.*

*1 Bullam Cœnæ Domini ne publicetur in ſuo regno Rex Galliæ, eius ve parlamentum prohibere iure non poteſt,quia hoc eſſet Eccleſiaſticis ſibi non ſubditis ſine iuriſdictione præcipere, nu. 2.& de re ſpirituali,ad quam non ſe extendit laica poteſtas, iudicare.nu.9.ad fin.& n.10.& licet dicta bulla feratur cõtra laicos Regi ſubditos,nu.11.tamen cum reſpiciat ſpiritualia,ſeu eis annexa,ac materiam peccati, quo ad ea prædicti ſimul cum Rege Eccleſiaſticæ ſubſunt poteſtati. numero 15.*

*3 Poteſtas laica ab Eccleſiaſtica diſtincta eſt, à Deo humano generi communicata ab exordio mundi,ad ſe circa naturalia ſecũdum naturalem rationem bene gubernandum, beateq́; viuendum data, & inde ad Reges & Principes tranſlata,ad eccleſiaſticam nequaquam, nu.2. & 4.neque contra eccleſiaſticas perſonas,nu.2.ſeu res ſpirituales,nu.5. ſpiritualibus ve annexis,nu.6.ſe extendens,immo ea minor eſt.nu.4.*

*3 Poteſtas eccleſiaſtica à Chriſto inſtituta ad gubernandum per ſupernaturales leges,& rationem,& per ſupernaturalia dirigentia homines in hac vita ad gratiam diuinam, & in altera ad gloriam ſempiternam obtinendam, nequaquam ad ſola naturalia ſeu laicalia, nu.2.niſi prout ad dictum finem ſupernaturalem opus eſt,ſe extendit, nu.3. & eius Vicario, qui eſt Pontifex,nu.2.ſuper omnes, etiam quod ſint Reges, tradita,nu.4.*

*6 Spiritualia in ſalutem animarum principaliter directa, alia à Deo immediate inſtituta ſunt, vt ſacramenta:alia verò ab Eccleſia ſupernaturali ſibi tradita poteſtate in animarum ſalutem etiam per annexionem decreta,vt ſunt conſecratio, benedictio eccleſiæ,& ſimilium,cenſuræ eccleſiaſticæ,beneficia,& eis annexa,nu.7.ac ſpiritualia ſtatuta, num.6.& 13. ad quæ laica poteſtas nequaquam ſe extendit,nu.8.& 9.niſi prout ex priuilegio eidem in aliquibus ab Eccleſia conceſſo licet,nu.10.*

15 Bul

15 *Bulla Cœnæ in laicos ratione peccati, cuius censura ad Papam pertinet, pro bono publico fertur. nu. 17.*
16 *Citatio iure naturæ necessaria est regulariter: fallit tamen, quãdo citandus actui qui fit, nullo modo, etiam si præsens esset posset contradicere, vel quando certum est ei nullam competere defensionem, itemque & in generalibus edictis, & cẽsuris quæ ad vitanda futura peccata proferuntur.*
17 *Papa, sicut Imperator, potest esse iudex in causa propria.*

## CONSILIVM I.

SVmma Auditorium Regis Christianissimi edixit, ne bulla Cœnæ in Francia publicaretur, statutis pœnis contrarium facientibus. Quæritur quid iuris?

1 Viso, & intellecto pro tenuitate mea hoc edicto Auditorij Regis Christianissimi, primum demiratus dolui, & fleui, perpendens eius tenorem adeo à Christiana erga summum totius Christianæ Ecclesiæ Principem habenda obseruantia & obedientia alienum. Deinde oraui, quamuis indignus, Iesum Christum totius Ecclesiæ caput vnicũ, vt suum Vicarium summum, Ecclesiámque sanctam, cui præest, aduersus portas inferi protegeret, & Angeli, atq; Archangeli Regis Christianissimi: eiusque iudicij, præsertim Prætorij Parlamẽti præfectorum tutelares eis persuaderent id, quod aliquando legimus Franciscum illum fortissimum, atque gloriosissimum Regum Francorũ huius nominis primum dixisse, *Regnum Francorum Christianissimum tamdiu posse durare, quamdiu in eo Christianismus Catholice, iuxta formam à Pontif. Max. Ecclesiæ Sanctæ Romanæ summo præside datam coleretur, ideoque Lutheranos, & omnes alios hæreticos, qui suis hæresibus illud inficere conarentur, censendos esse perduelles, & suæ, suique Regni Maiestatis violatores, eo quod Regno suo machinarentur interitum.* Tertio, quod non solũ Sanctissimi D. N. sed etiam totius populi Christiani, & maximè Regis, qui nunc regnat, Christianissimi Henrici III. quãplurimum interest prædictum edictum nullius roboris esse iudicari, & ne vmquam aliud simile edicatur grauissimè constitui: quod studio quidem tumultuario breuiter sed efficaciter monstrabitur per hæc quæ sequuntur fundamenta.

2 Primum est, quod iuris naturalis per se noti est, non posse quem iustè sine iurisdictione ius dicere, [a] & prædictum Auditorium nullam habet iurisdictionẽ in Episcopos, & alios Prælatos, & ecclesiasticos, in quos per illud ius dictum est, per illud Ioannis Papæ. [b] *Numquam de Pontificibus, nisi Ecclesiam, iudicare debere, non esse humanarum legum de talibus ferre sententiam.* & illud eiusdem, [c] *Si imperator Christianus est, quod pace illius dicimus, filius est, non præsul Ecclesiæ: quod ad religionem competit, discere ei conuenit, non docere.* & illud Nicolai, [d] *Cum ad verum ventum est, vltro sibi nec Imperator iura pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorum vsurpauit: quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus Iesus ædibus propriis, & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit.* cum aliis sexcentis, quæ id ipsum probãt: at prædictum Auditorium non est maius suo Regno Imperator est, ergo nõ potuit Episcopos, Archiepiscopos, & alios Ecclesiasticos in eo contentos iustè iudicare.

a L. vlt. ff. de iurisd. omniũ iudi. cum similibus.
b In ca. numquã. 96. dist. ibi.
c In c. si Imperator. eadẽ dist.
d Ca. cum ad verum. ead. dist.

3 Secundum fundamentũ sit, quod efficaci ratione probatur id, quod prædicti Summi Pontifices & alij multi dixerunt, præsupponendo ea, quæ post longam de hac re disputationem efficaciter cõcludimus in repetitio. c. nouit. [e] nẽpe quod potestas laica fuit immediate data à Deo mortalium communitati iam inde ab exordio eius ad sese gubernandum in rebus naturalibus, vt benè beatéque viuat secundum naturalem rationem, potestas autem ecclesiastica est potestas instituta à Christo immediatè, & supernaturaliter ad gubernandum fideles secundũ legem Euãgelicam in supernaturalibus, & quatenus ad id est opus, etiam in naturalibus: & quod hæ duæ potestates à se mutuo differunt penes causam materialem, formalem, finalẽ, & etiam quodammodo efficientem: Penes efficientem quidem, quia potestas laica data fuit humano generi à Deo puro nondum homine facto ab exordio mundi, potestas verò Ecclesiastica à Deo facto homine: Penes autem materialem, quia laica data est ad gubernandum naturalia, Ecclesiastica verò directè ad gubernandum supernaturalia: Penes autẽ finalẽm, quia Ecclesiasticæ finis est status supernaturalis in hoc sæculo per gratiam, in altero per gloriam, finis autem laicæ, naturalis vita, nempe bona, seu virtuosa, quam faciunt virtutes morales secundum naturalem rationem, etiam sine gratia gratum faciente quæsibiles: Penes formalem, quia ecclesiastica principaliter dirigit secundum legem supernaturalem in sacris literis cõtentam, laica verò secundum legem & rationem naturalem, & leges per eam conditas. Præsupponendo, quod vbi supra efficaciter probamus ex his colligi, quod omnes Reges nostri sæculi, qua parte sunt solùm tales, habent eamdem, & non maiorem, nec minorem potestatem, & iurisdictionem, quam habuerunt Reges prædecessores eorum, qui etiam ante Christum passum regnarunt: quia potestas, siue iurisdictio laica ad humani generis gubernationem necessaria naturaliter æqualis fuit data populis ab eorum exordio, & per eos trãslata, aut certè in vsum cõcessa Regibus, & Principibus, qui genus humanũ guber narent & regerẽt circa res naturales, ad bene seu virtuosè viuendũ per virtutes morales etiam per solam rectam rationem naturalem quæsibiles: & quod ex his sequitur, quod cùm Reges, qui ante passum Christum fuerunt, non habuerint Ecclesiasticam iurisdictionem, quam nunc habent Papa, & Ecclesia, quia illa (vt supra dictum est) à passo Christo cœpit, neque Reges, qui modo sunt, habent illam.

e De iud. notab. 3. præsertim nu. 81. & 86.

4 Et consequenter concluditur necessario (fremant licet Lutherani) verum esse id, quod Ioannes, & Nicolaus Pontifices Maximi supra relati, & alij sexcenti Pontifices, & doctores Orthodoxi dixerunt, nempe Reges subesse Pontifici Maximo quo ad ea quæ attinent ad veram religionem, & suarum suorumque subditorum animarum salutem, nec quicquam posse absque ipsorum priuilegio iudicare, neque statuere de illis: esto quòd eorum regia potestas sit antiquior pontificia. Tum quia lex Mosaica fuit antiquior Christiana, sed hæc dignior illa. Tum quia antiquitas tum demum adiicit dignitatem, quando cætera sunt paria, qualia non sunt inter potestatem Ecclesiasticam cælestia tractantem, & regiam tãtùm terrena respicientem.

5 Tertium fundamentum sit, quòd prædictum edictum non solum est iniustum ea ratione, quod per illud est dictum ius in personas, in quas quis decreuerunt illud, non habebant iurisdictionem, sed etiam illa, quod decreuerunt super rebus à iurisdictione laica omnino exemptis. Quod monstratur, præsupponẽdo primo, quod circa rerum spiritualium definitionem, de quibus loquimur, errauerunt multi Catholici eam nimium ampliando. & multi hæretici eam nimium angustando: quod prouenit ex eo, quod vt quidam recentiores aiunt, [a] non est facile definire quid sit spirituale in hac materia, cuius dicti rationem licet ipsi nõ reddiderint, nos tamen pridem reddidimus in rub. de iudic. [b] & in Manua. confess. [c] nempe quod spirituale, siue spiritale dicitur omne, quod pertinet ad spiritum, spiritus autem dicitur propriè halitus, iuxta illud, [d] *Spiritus meus attenuabitur:* & per translationem, metonymiam, vel metaphoram, nunc anima, iuxta illud, [e] *Tradidit spiritum:* nunc ventus iuxta illud, [f] *Tamquam aduenientis spiritus vehementis:* nunc omne incorporeum, iuxta illud, [g] *Spiritus est Deus?* nũc alia, vt ait D. Thom. [h] quare necesse est, vt spirituale quoque multipliciter dicatur. & ita hæretici appellarunt spiritualia sola illa dona supernaturalia supernaturaliter data generi humano à Deo Opt. Max. ad suam salutem æternam, quæ Spiritui sancto attribuitur: quamuis æq; à Patre & Filio darentur, cum omnia opera gloriosissimæ Trinitatis ab extra sint indiuisa. Pan. autem, Card. & multi alij nostri appellauerunt spiritualia omnia ad spiritum, quatenus sonat animam, pertinentia, & consequenter omnem sapientiam, scientiam, doctrinam, & id genus alia. Quorũ vtraque via, quæ profectò inuia est, relicta, sequuti viam regiam sacræ Scripturæ, sacrorumque canonum, & Doctorum, præsertim, [i] clarius aliis definiuimus, *spirituale esse, vt huc pertinet, donum supernaturale à Deo immediate datum ad animarum salutem, vel institutum supernaturaliter ab eodem ad eam efficiendam, vel ab Ecclesia, potestate supernaturali sibi data ad conficiendum, vel conseruandum illud, quod dicitur annexum ei.*

a In 4. li. senten. dist. 25.
b Num. 23.
c Ca. 23. nu. 99.
d Iob. 17.
e Ioan. 19.
f Act. 2.
g Ioan. 4.
h 1. par. q. 41. art. 8. ad 4.
i S. Thom. in 4. dist. 75.

Quæ satis colliguntur ex cap. *gratia*, & cap. *qui studet*, [a] & ex Doctor. præsertim Durando, [b] & S. Thoma, [c] & Ioanne Andrea & Panormitano. [d] Dixi, *donum supernaturale*: ad includendum spiritualia per essentiam, & excludendum dona naturalia. Dixi, *ad salutem animarum*: ad excludenda insignia, seu arma, dotes, & victorias Regibus & principibus aliquot, vel aliis in alium finem, quàm salutem animarum, supernaturaliter concessa. Dixi, *vel aliquid institutum supernaturaliter ab eodem ad eã efficiendam*: ad includendũ spirituale per causam, qualia sunt sacramenta, quæ ipse solus instituit, & sola efficiunt instrumentaliter gratiam, vt diximus, & probauimus in d. Manua. [e] Dixi, *vel ab Ecclesia, potestate supernaturali sibi data*: ad includenda spiritualia, quæ quidam appellant spiritualia statuta, vt Ioannes Andreas & Panormitanus, [f] & communiter appellantur spiritualibus annexa, non quidem eo quod non sint spiritualia, sed quia non sunt tam spiritualia, quàm instituta & data supernaturaliter & immediatè ab ipsomet Deo: & quod sunt instituta ob illa paranda, conficienda, conseruanda, & ministranda per potestatem supernaturalem supernaturaliter Ecclesiæ traditam, vt vbi supra declaramus. Nec rectè infertur hæc non esse spiritualia, eo quod dicantur eis annexa, vt infra monstrabitur.

7 Præsupponendo secundo, esse consequens prædictis, quòd sunt spiritualia omnia sacramentalia, & alia sacramentis annexa ab Ecclesia per prædictam potestatem supernaturalem supernaturaliter sibi collatã ad paranda, conficienda, conseruanda, & administranda sacramenta, nempe consecratio, & benedictio Ecclesiæ, vel altaris, vasorum, ornamentorum, aquæ baptismalis, vel benedictæ, exorcismus, catechismus, excommunicatio, suspensio, & interdictum, ius patronatus, beneficia, & eorum electiones, collationes, præsentationes, renunciationes, & id genus alia. & consequẽter quædã esse spiritualia à solo Deo immediatè creata, vel instituta, vt sunt gratia gratum faciens, septem dona Spiritus sancti, virtutes infusæ, & gratiæ, quas gratis datas appellant, & iurisdictio ecclesiastica supernaturaliter primũ à Christo data, vt diximus alibi, [g] alia verò ab Ecclesia instituta, qualia sũt reliqua prædicta.

8 Presupponendo tertio, quod prędicta omnia sacramẽtalia, & quæcumq; sunt statuta ab Ecclesia ad paranda, cõficienda, conseruanda, & administranda sacramenta, per quæ virtus passionis Christi ad salutem æternam nobis communicatur, sunt & dici debent spiritualia. Tum quia vt habetur apud Ioannem, [h] *Quod natum est ex spiritu, spiritus est*: & hæc omnia nata sunt, & effecta ab Ecclesia spiritualissima, & à summo ministro eius spiritualissimo per potestatem spiritualissimam, & supernaturaliter datam. Tum quia de annexis idem est iudiciũ, iuxta illud Pauli, [i] *Translato sacerdotio, necesse est vt translatio legis fiat*, relatũ in c. *translato*, [k] & alia sexcẽta, quæ probant accessorium sequi naturam sui principalis. Tum quia omnia iura vel sunt spiritualia summæ potestati spirituali subdita, vel laica, siue tẽporalia, summæ potestati laicæ subiecta: & non potest dici illa esse laica & temporalia, ergo dicendum est esse spiritualia, argum. à disiunctiua duarum partium ad alterã altera negata. [l] Tum quia omnia iura, quæ subiiciuntur potestati summæ laicæ, possunt per eam construi & destrui. [m] At prædicta sacramentalia, & ad sacramenta pertinentia non possunt construi, nec destrui per potestatem laicam, vt omnes Catholici fatentur, ergo non subiiciũtur ei, nec sunt laica, & consequenter sunt spiritualia. Tũ quia nullus vnquam Catholicus dixit, nec somniauit, vllum Regem, qua parte solum est Rex temporarius, & laicus, posse ordines conferre, excommunicare, Ecclesias & altaria consecrare, aquam benedicere, catechizare, exorcizare: & non alia ratione, quàm quia sunt instituta per potestatẽ supernaturalem supernaturaliter B. Petro, & Ecclesiæ datam, ergo nec potuit instituere, destruere, nec disponere beneficia Ecclesiastica, nec electiones, nec collationes, nec renunciationes eorum, neque alia ab Ecclesia per eamdem potestatem supernaturalem instituta. [n]

9 Tum quia regia potestas, vt dictum est, non extenditur vltra ea, quæ cognitio & ratio naturalis attingit, & dictat. At nulla cognitio & ratio naturalis, etiam tanta, quãta fuit Platoni, & Aristoteli, potuit, nec potest cognoscere potestatẽ illã mirabilem, supernaturalem, & omnẽ rationẽ naturalem excedentem, datã ab omnipotenti Deo, eodemq; summo Redemptore Iesu Christo B. Petro, & Ecclesiæ ad salutem æternã populi Christiani, neq; officia, & effecta illius potestatis, ergo neq; Reges, quatenus solum sunt tales, neque eorum potestas, quæ rationem naturalẽ non excedit, potest illa cõstituere, nec destruere, nec de illis iuridicè cognoscere, nec iudicare, nec statuere. Tum quia simonia tantum committitur circa venditionem & emptionem spiritualium, iuxta glossam receptam. [a] At in emptione & venditione omnium prædictorum committitur simonia, secundum omnes, & probatur in c. *de iure*, [b] & per totum titulũ de simonia. ergo omnia prædicta sunt spiritualia. Nec obstat, quod simonia committitur etiam in annexis spiritualibus: quia vt infra monstrabitur, nõ dixi ea spiritualibus annexa, eo quod non sint spiritualia, sed quia non sunt tam spiritualia, quàm alia, ob quæ sunt instituta. Tum denique, quod laica potestas non potest cognoscere, neque iudicare de iure patronatus, [c] nec eadem ratione de aliis prædictis, nec alia de causa, quam spiritualitatis: ergo sunt spiritualia à laica iurisdictione exempta.

Tertium igitur fundamentum in prædictis tribus præsuppositis fundatum insolubiliter concludit prædictum edictum iniustum & nullius roboris esse, hoc mòdo: Nulla potestas laica potest iudicare, vel statuere super vlla spiritualia, at prædicta bulla Cœnæ Domini, & omnia cõtenta in ea sunt spiritualia, ergo prædictum Auditorium, quod solùm laicam potestatem habuit, non potuit prædictum edictum contra ea edere. Quod autem prædicta bulla, & omnia cõtenta in ea sint spiritualia primi vel secundi generis, infra in solutione argumentorum pro edicto formandorum monstrabitur.

10 Quartũ fundamentũ sit, quòd à mille circiterquingẽtis annis sola Ecclesiastica potestas hęc instituit, & destituit, cõstruxit, & destruxit, auxit, diminuit, & mutauit, nulla laica & Catholica potestate reclamante, immo consentiẽte, assistẽte, &, vt iustũ erat, protegente illam, & fauente, ergo ad eamdem pertinet etiam nunc ea facere: nisi quis adeò desipiens responderet, possessionem, quæ tot nominibus est immemorabilis, non debere prodesse summo Pontifici, & Principi, cum quælibet simplex immemorialis cuius infimati prosit, iuxta l. *hoc iure*, [d] & ca. *super quibusdam*. [e] Tum quia, quicquid voluant, reuoluãt, & inuoluant aliquot iurisperiti Latinè & Græcè callentissimi, & in humanis literis pręsertim Ethnicis versatissimi, qui forsitan huiusmodi edicta procurant, plus intenti laicæ potentiæ armis, quàm piæ obedientiæ mentis, non solùm non probabunt iustitiam talium edictorum, sed nec satis defendere poterunt, quòd absque priuilegio sacrosanctæ Sedis Apostolicæ possit vlla potestas laica cognoscere, & iudicare de iure & iustitia colorandi titulos possidendi prædicta spiritualia, cum illa, & iustitia colorandi eos sint eis annexa, & ita spiritualia, de quibus laica potestas absque Sedis Apostolicæ priuilegio, nec iudicare, nec cognoscere potest. Quare prædicti Auditorij potius erat gratias Sacrosanctæ Sedi Apostolicæ agere, quòd patiatur Regiam Francicam vti possessione priuilegiorum Sedis Apostolicæ, quæ illa ei concessit, quàm illam expellere à possessione ferendi prædictam bullam tam iure diuino, quàm humano fundata, & vsu longissimo confirmata.

Quintum fundamentum sit, quod rationes, quibus prędictum edictum colorari potest, facile tolluntur: maxima enim illarum, & prima videtur esse quòd sicut summa potestas Ecclesiastica immediatè à Deo Ecclesiæ est data, & Pontificibus Maximis, ita summa potestas laica est data immediatè Regibus ab eodem Deo optimo maximo, & longè prius, & antiquius, quàm Ecclesiastica Papæ, quoniã hæc, vt supra dictum est, multis & insolubilibus argumentis probatur in prædicta repetitione, [f] data fuisse à Deo Christo homine facto, illa verò iam inde ab exordio populorum cœpit.

Secunda, quæ quadamtenus Lutheranismũ sapit, quod cõtẽta in prædicta bulla nõ sunt circa supernaturalia diuinitus & supernaturaliter à Deo Opt. Max. data, neq; instituta & consequenter nec spiritualia, quo ad quæ solũ laici, præsertim Reges Pontifici Maximo subiiciuntur.

---

[a] 1. q. 1. & c. quam pio. 1. q. 2.
[b] In 4. distin. 25. q. 1.
[c] 2. 2. qu. 100. art. 1. 2. & 3.
[d] In c. consulere. de simon.
[e] Ca. 22. nu. 1. & 2.
[f] In d. ca. consulere.
[g] In d. ca. nouit. de iudic. notab. 3.
[h] Ioan. 3.
[i] Ad Heb. 7.
[k] De constit.
[l] Ca. si enim. de pœnit. dist. 2.
[m] Arg. ca. 1. de regul.
[n] Argu. l. illud. ff. ad leg. Aquil.

[a] 1. quæst. 1. in summa.
[b] De iurepat.
[c] Ca. quanto. de iudic.
[d] §. ductus aqua. ff. de aqua quotid. & æsti.
[e] § præterea. de verb. sign.
[f] Cap. nouit. notab. 3. de iudi.

11 Tertia, quod contenta in prędicta bulla, contra cuius exequutionem prædictum edictum est latum, feruntur in laicos regni quo ad temporalia Papæ minime subiectos.

Quarta, quod continet processum factum non præmissa partium citatione, quæ est pars defensionis, quam iure naturali deberi declarat clem. *pastoralis*.[a]

Quinta, quod S.D.N. videtur in ea in propria causa iudicere, contra legem naturalem, quæ id videtur vetare.[b]

12 Ad quas rationes per dicta fundamenta facile respõderi potest. Ad primam quidem concedendo summam potestatem laicam siue regiam datam esse generi humano regendo longè prius, quàm summa potestas Ecclesiastica Ecclesiæ Christianæ; sed negãdo ex hoc inferri, quòd spiritualem habebant Reges, immo contrarium; scilicet quòd alia est potestas Regum laica, alia potestas pontificia spiritualis; & consequenter ex facultate vtendi illa non inferri facultatem vtendi hac, cum à diuersis nõ fiat illatio.[c]

13 Ad secundam respondeo, negando solùm illa dici & esse spiritualia, quæ à solo Deo immediate induntur vel instituuntur, vt latè probatum est in tertio fundamento pro nostra parte adducto; quo irrefragabiliter probatur omnia sacramentalia, & instituta ad sacramenta parandа, cõficiẽda, cõseruãda, & administrãda, esse spiritualia & spiritualibus annexa: de quibus idem est dicendum, ꝙ de maximè spiritualibus, idest, à solo Deo inditis & collatis; quòd quia non satis perpendunt aliqui hæretici, grauissimè circa Ecclesiæ potestatem & maiestatem errauerunt, nec vnquã resipient, donec hanc, quæ verissima, & de sacris Christi fontibus hausta est, doctrinam receperint.

14 Nec obstat, quod nullum annexum est idem cum eo, cui annexum est, sicut nihil simile est idem,[d] quia, vt pridem diximus in dicta rubrica, illud verum est de identitate numerali & indiuidua, vt Theologi loquuntur, siue specifica, vt Iurisperiti dicunt, non autem de generica, aut specifica, specie specialissima, vt Theologi nominant, quam Iurisperiti genus appellant. Nam Petrus potest esse similis Ioanni, & est idem genere, siue specie specialissima, quia est homo; licet non sit idẽ numero, & indiuiduo: & virtutes infusæ à Deo sunt similes in genere donis Spiritus sancti, & sunt spiritualia à Deo immediatè collata, sicut illa; non tamen sunt eadẽ numero & in indiuiduo secundum doctrinam S.Thomæ,[e] ab omnibus Catholicis recepti. Et ita omnia instituta ab Ecclesia per potestatem supernaturalem à Deo sibi supernaturaliter & immediate traditam, sunt spiritualia, & in genere eadem cũ his, qua sunt spiritualia, propter quę sunt instituta, & quibus connectuntur, licet non sint eadem numero, nec sint tam spiritualia, quàm illa, quibus annectuntur: quia illa sunt data, vel instituta immediatè à solo Deo, hæc autem ab Ecclesia per potestatem supernaturalem ab eodem immediate illi traditam.

15 Ad tertiam respondeo concedendo, nec Regẽ Franciæ, nec subditos eius esse quo ad tẽporalia subditos Papæ; negando tamen, quod non sint subiecti quo ad contenta in prędicta bulla, cuius executio impeditur: quoniã omnes Christiani, cuiuscumque ordinis sint, subiiciuntur potestati & iurisdictioni Pontificis Maximi iuxt. c. *nouit*. de iudic. in quo[f] ponderamus illud ad hoc, primo ibi, *Intendimus decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus & debemus.* secundo ibi. *nullus, qui sit sanæ mentis, ignorat, quin ad officiũ nostrum spectet de quocũq; peccato mortali corripere quẽlibet Christianũ, & si correptionẽ cõtẽpserit per districtionẽ Ecc. coercere.* Per quæ palã fit posse Papã corripere de peccato mortali quoscumque Christianos, etiam Reges, de quibus illud c. agit, & si non se correxerint, censura ecclesiastica ad id cogere. At omnia contenta in prædicta bulla sunt edicta ad vitanda, impedienda, & corrigenda peccata mortalia grauissima per fulminationem excommunicationis, quæ est medicinalis,[g] qua tamquam pius pater intendit conseruare salutem subditorum, & perditam restaurare: ergo quo ad illa subditi sunt ei laici, esto nõ sint subditi quo ad temporalia.

16 Ad quartum respondeo concedendo citationẽ partis regulariter in processu esse necessariam; fallere tamen quando certum est nullam competere defensionem citãdo, vel cum certum est talem esse actum, quẽ non posset impedire citandus, si præsens esset; vt latissimè per innumera probat Felinus post Panormitanum,[a] pro quibus omnibus facit, licet ipse non alleget, quod frustra expectatur euentus, cuius nullus sequitur effectus,[b] & omnia cõtẽta in prædicta bulla sũt alia cõtra quæ nulli vlla defẽsio cõpetit; & talia, quæ nemo iure posset impedire, etiã si inueniretur præsens. fallit etiã in sẽtẽtiis excõmunicationis, quæ generaliter pro culpis futuris impediendis, & præteritis emendandis, vel occultis indicandis, vel alia de causa rationabili contra eos qui ignorantur, feruntur iuxta c.2.[c] vbi Ioannes Monachus id annotat, allegando stylum Curiæ, & ca. *ad nostram*.[d] & vtrobique Panormitanus & communis, & omnes sententiæ contentę in bulla generaliter feruntur in eos qui ignorant, ad impediendas futuras culpas, vel emendandas præteritas: ergo sine vlla citatione poterunt illæ edici.

17 Ad quintam respondeo primo, negando quod Sanctissimus D.N. in prędicta bulla tulerit sententias pro se: quia immo eas tulit pro salute animarum, pro Republica Christiana, pro libertate Ecclesiastica, & pro conseruatione auctoritatis Apostolicę; & vnitatis à Deo sibi cõmẽdatæ, quę sũt bona sedis Apost. & ita de illis potest iudicare, sicut Episcopus de causa Ecclesiæ suæ, iuxta glossam iuncto textu[e], & aliam glo. iuncto textu.[f] Secundò; quod Papa potest esse iudex in causa propria, secũdũ prædictas gloss. ecepr. sicut Imperator in causa sui fisci.[g] Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Episcopum potest Metropolitanus iure communi deponendum, pronunciare deponere autem non: sed & Concilium prouinciale contra eos processum informatiuum formare potest, sed non condemnare: hodie autem per Concilium Tridentinum nullus Papa inferior potest de hæresis vel alio crimine Episcopi depositione dignoscere, nec informationem iudicialiter capere n.5. & 6. Licet extraiudicialẽ informationẽ capere possit, & quandoque teneatur & ad Pontificem referre, num.3. & 7.*

2 *Legatus à latere potest de iure non solum de appellatione ad Pontificem interposita ad hunc effectum iudicialiter cognoscere, vt causam magis instructam transmittat: sed & idem facere de crimine Episcopi depositione digno, num. 4. hoc tamen vltimum modo est correctum per Concilium Tridentinum, num.5. & 6.*

2 *Iudex à quo cognoscere potest de attentatis post appellationẽ, vt iudex appellationis aptius causam expediat.*

## CONSILIVM II.

QVæsitum est, an Concilium prouinciale possit capere informationem, aut formare processum contra aliquem Episcopum suspectum, aut accusatum ibi de causis grauioribus, ad effectum transmittendi probationes, & processum ad Romanum Pontificem.

1 Respondeo, quod pro parte affirmante huius quæstionis facit primo c. *quamuis*.[h] quatenus habet Conciliũ prouinciale habere potestatem cognoscendi de causis criminalibus Episcoporum, & faciendi processus criminales, licet nõ habeat potestatẽ definiẽdi; cui cõcordãt c. *multum*. & aliquot alia,[i] quin & glossa,[k] dixit Metropolitanum posse condemnare Episcopum, non quidem deponendo, sed pronunciando deponendum.

2 Secundo facit c. *constitutus*. adiuncta doctrina Panormitani communiter recepta;[l] quatenus habet, Legatum à latere, siue Cardinalem Legatum posse cognoscere de causa appellationis interpositæ ab ordinario inferiore ad Papam, vt causam instructiorem ad eum mittat. Tertiò quòd iudex à quo appellatur, potest cognoscere de attẽtatis post appellationem, vt aptius expediatur causa principalis à iudice appellationis.[m]

3 Quartò, quòd omnis grauatus à iudice inferiore potest appellare etiam omisso medio ad Papam,[n] cui videtur consequens, cuicumque iudici licere quamlibet causã instruere, vt instructiorem, & informatiorem reddat Papã. Quintò, quòd Episcopi & alij prælati inferiores possunt nunciare Papæ hæreses & hæreticos, qui habentur in territoriis suis,[o] & non possent id facere, nisi accepta prius informatione, & quando iudex refert causam

a §. *ceterum*. de re iudic. b Le. 1. C. ne quis in sua causa iudicet. c L. Papinianus. ff. de minorib. d Leg. quod Nerua. iuncta gloss. ff. de posit. e 1.2. qu. 68. art. 1. f Not. 6. g Capit. 1. de sent. excom.

a In ca. cum olim. num. 11. de sent. & re iudic. & cap. causam quæ. de rescript. b Ca. cũ contingat. de offic. deleg. c De constit. lib. 6. d 3. de iure iuran. & c. si sacerdos. de offic. ordin. e In ca. si erga. 2. q. 7. f In ca. cum venissent. de iudic. g L. proxime. ff. de his quæ in testam. delen. h 3. q. 6. i Eiusdẽ causæ. & quæst. k In c. biduũ. 2. q. 6. verbo adnotauerit. l De appella. m Per c. cum teneamur. de appellat. n Cap. omnis oppressus. & ca. ad Romanam. num. 1. & 2. 2. quæst. 6. o Cap. excõmunicamus. §. adijcimus. de hæreticis. & c. inquisitores. sub fin. eod. tit. lib. 6.

Principi, debet eam instructam mittere.[a]

4 Sexto, quod causæ maiores sunt referendæ ad Papã,[b] & causa dandi coadiutorem Episcopis ægrotis, & nõ valentibus Ecclesias suas regere, est de maioribus Ecclesiæ causis, & reseruata Papæ, attamen Capitula possunt informationes facere de illis, & de statibus ecclesiarum suarũ, & eas mittere ad Papam.[c] Septimo, quod Ioãnes Monachus,[d] in specie determinat, Metropolitanum & Legatũ de latere; licet Episcopum deponere non possint, causam tamen depositione dignam instruere, & instructam ad Papam remittere posse, quod ait se vidisse factum.

5 Quibus tamen non obstantibus contrarium videtur verius. Tum quia certum est, quod nulli inferiores Papa possunt cognoscere de hæresi contra Episcopos, nec processum aliquem facere contra illos, etiã si sint inquisitores hæreticæ prauitatis à sede Apostolica deputati.[e] Tum quia non solum depositio Episcoporum est hodie reseruata Papæ, sed etiam cognitio & examinatio causæ dignę depositione, per Concilium Tridentinum.[f] Tũ quia per prædictum cap. 5. crimen hæreseos, & alia crimina maiora digna depositione & priuatione exequãtur quo adhoc, & pro certo habetur apud plerosq; oẽs nõ posse vllũ ĩferiorẽ Papa inquirere, & aliquẽ processũ facere cõtra Epi. super crimine hæreseos sine mandato expresso Papæ, per prædictũ c. *inquisitores*. quod & nos nuper vidimus obseruatum in causa Primatis Hispaniæ: ergo neque in aliis criminibus depositione dignis id facere poterit. Tũ quia non videntur obstare opposita.

6 Ad primum enim respondetur, iura in eo cõtenta habuisse quidem locum, quando cognitio causæ depositionis contra Episcopos concedebatur Concilio prouinciali, vel Metropolitano; licet depositio eis negaretur: nunc autem per iura nouiora nõ solum denegatur eis depositio, sed etiam omnimoda cognitio eius.

Ad secundum respondetur, quod vt præfatus Ioannes Monachus vbi supra dixit, instructio quã *in d. c. cõstitutus.* fecit Legatus ille de latere, fuit facta de facto, & non de iure, vel de consensu partium. Nec obstat Panormitanum frequentius receptum contrarium tenuisse. Tum quia etiam Decius ibidem tenuit non debuisse illud iure fieri, nisi consuetudine fuisset introductum. Tũ quia licet tẽpore Innocentij Tertij, cuius est illud ca. *constitutus*. Legato de latere licuisset iure vel consuetudine cognoscere de appellatione ad Papam interposita, & eam instruere & remittere ad eum; non tamen ex eo inferretur, idẽ posse fieri in causa depositionis Episcoporum; quia hoc est aliud ab illo; & à separatis non fit illatio.[g] Tũ quod prædicto iure nouo contrarium est inductum, vt dictum est.

Ad tertium & quartum respondetur eodẽ fere modo, scilicet, quod capitula in eis citata loquuntur de alijs rebus, quam nostra quæstio, & sunt iura antiqua, quæ quatenus obuiare possunt nostro proposito, sunt sublata per noua.

7 Ad quintum, concedendo quidem posse prælatos inferiores nunciare Papę, & admonere ipsum hęresim, & alia crimina depositione digna Episcoporum; immo & aliquando ad id faciendum teneri verbo vel scripto extraiudicialiter, vel ita, vt non faciant processum aliquem iudicialem firmum, vt iura in eo citata probant; at iudicialem, vt quæstio prædicta proponit, non.

Ad sextum respondetur eo modo quo ad tertium, & quartum.

Ad septimum, scilicet dictũ Ioannis Monachi, qui videri potest contrarium parti determinatæ dixisse, respondetur intelligendum esse illud pro tempore, quo iure cõcedebatur cognitio huiusmodi criminum Metropolitano, licet negaretur definitio; nõ autem pro tempore, quo negatur ei etiam cognitio. Nec obstat quod ipse vidit cõtrarium seruari;[h] quia illud solùm agit de crimine hæreseos: sed non vidi Concilium Tridentinum quo illud, & alia crimina depositione priuationeq; digna quo ad hoc exequantur; neque animaduerti, quod illud cap. poterat ad alia crimina Episcoporum depositione digna extendi per identitatem vel similitudinem rationis, sicut c. *quam periculosum*,[i] & c. *qualiter & quando*.[k] & alia multa, quæ merito specialiter eis fauent. Salua, &c.

a Leg. 1. C. de relatio.
b Cap. maiores de baptis.
c Ca. 1. de cleric. ægrot. l. 6.
d In d. ca. inquisitores, de hæretic. lib. 6.
e Dict. ca. inquisitores. de hæret. lib. 6.
f Ca. 5. de reform. sess. 24.
g L. Papinianus. ff. de minoribus.
h In d. ca. Inquisitores.
i De sent. excomm. lib. 6.
k 2. de accusat.

*SVMMARIVM.*

*1 Confratria an corpus, an collegium dici debeat, vel vtrumque quod verius videtur. num. 2.*
*1 Collegium est simul, societas verò separatim habitantium.*
*2 Congregatio ad aliquem finem vnita, & corpus, & collegium, & societas, dici potest.*
*2 Et, dictio non semper coniungit diuersa, sed quandoque exponitur pro vel, siue idest.*
*3 Collegium sine superioris auctoritate, nisi religionis causa initum, seu coactum, est illicitum.*
*4 Collegium etsi pium sit tamen laicum est, si maior illius pars sint laici.*
*5 Collegiũ laicum in temporalibus subijcitur iudici laico, in spiritualibus verò Episcopo, à quo etiam circa spiritualia visitatur. num. 6.*
*6 Iure diuerso, diuersa subsistente ratione, eadem res censetur.*

## CONSILIVM III.

FVit erecta quædam confratria sub nomine Corporis Christi: cuius confratres habitum distinctum gerunt, separatimque à laicis cũ cruce in publicis processionib[9] incedunt. Quæritur, num laicalis merè, an mixta dici possit.

1 Videtur dicendum primò, quòd hæc cõgregatio proprius dicitur corpus, quam collegium: quia sola congregatio simul habitantium propriè videtur collegium; cùm tamen etiam seorsum habitantes efficiant corpus, secundum Bartholum,[a] sed ibi glossa dicit è contrario congregationes huiusmodi appellari corpora, cùm simul habitant, & aliàs non nisi collegia: & Albericus,[b] dicit corpus esse genus ad collegium, quod ait tãtum esse simul habitantium, & societatẽ quã ait esse tãtũ seorsũ habitãtium.

2 Nos autem arbitramur satis propriè dici posse collegium, corpus, & societatem, omnem congregationẽ personarum ob aliquem finem vnitarum, siue simul, siue seorsum habitent: & quod illa copula, &, in rub. de colleg. & corp. non propriè ponitur, vt cum coniungit diuersa, iuxta glossam,[c] sed impropriè, pro *idest*, vel *siue*, vt in l. 1.[d] & notata in c. *ex parte*.[e] & ibi pulchrè per Felinũ.[f]

3 Secundo, quod licet omnia collegia, & corpora sine auctoritate legitimi superioris coacta, sint regulariter illicita,[g] & Innoc. tradit,[h] & Barth.[l] hoc tamẽ collegiũ, siue corpus est licitum, licet absque auctoritate superioris sit coactum: quia causa religionis est coactum, cuius causa potest cogi & erigi sine auctoritate superioris secundum eos,[k]

4 Tertiò, quòd hoc collegium siue corpus est voluntarium, & non necessarium ex eorumdem mente, & licet sit pium, est tamen laicũ, & non ecclesiasticum: quia omnes, vel maior pars congregatorum sunt laici, quo casu dicẽdũ est laicũ, & nõ ecclesia. ar. l. *quod maior pars*.[l] & c. *cũ oẽs*.[m] quod tenent præfati communiter recepti: cui consequens esse dicunt debere illud coram laico iudice conueniri.

5 Quartò, quod licet hæc congregatio dicatur laica, & ideo, vt prædictum est, subiiciatur iudici laico, & debeat conueniri coram eo, & non subsit Episcopo regulariter quo ad temporalia, & bona, quæ ipsi habent in sua cõgregatione; arbitror tamen eos subiici Episcopo quo ad actus ecclesiasticos. Tum quia expresse Bartholus,[n] hoc ait. Tum quia iudex laicus nullam potestatem habet super rebus & actibus spiritualibus & ecclesiasticis.[o] Tum quia iudex Ecclesiasticus est superior iudice laicorũ quo ad actus spirituales & ecclesiasticos, quales sunt actus confitendi peccata, communicandi Eucharistiã, audiendi Missas, sepeliendi mortuũ in sacro loco, vel cum illis aut illis cæremoniis.

6 Quinto, quod ex his infertur Episcopum posse congregationem prædictam iudicare quo ad modum & ordinẽ incedendi in processionibus, & comitandi sacramẽtum Eucharistiæ, cum defertur ad infirmos, & in deferendo habitum, cum ea faciunt; & consequenter visitare illã quo ad hæc, licet non possit iudicare, nec visitare illam quo ad alia delicta, vel contractus, quo ad quæ subiicitur potestati laicæ, & est iudicanda visitandaque ab illa. Nec obstat, quòd eadem res non debet diuerso iure censeri,[p] quia illud verum est, quando eadem ratio, & idem

a In rub. ff. de colleg. illicit.
b In diction. verb. collegium.
c In rub. ff. de iur. & fact. ignor. & cap. quarelam de simon.
d ff. de pact.
e De rescrip.
f Num. 6.
g L. collegia. §. in summa. ff. de colleg. illic.
h In ca. dilecta. de exces. sib. prælat.
l In leg. 1. & vlt. ff. de collegijs illicitis.
k In l. 1. ff. de colleg. illicit.
l ff. ad municip.
m De constit.
n In dicta l. fin. num. 14.
o Capit. 2. de iud. & c. bene quidem. 96. dist.
p Ca. cognouimus. 17. q. 2.

respectus suadent idem in casu proposito: secus auté, quádo alia ratio, & alius respectus suadet alia, vt est cas⁹ in c. *quia.*[a] & in casu proposito alia ratio & ali⁹ respectus suadet, vt cõgregatio prædicta subsit potestati laicæ quo ad personas congregationis, & bona temporalia tã earũ singularum, quam cõgregationis; & alia ratio & ali⁹ respectus suadet, vt eadem congregatio, & eius personæ subsint, & iudicentur, & visitetur ab Episcopo quo ad actus religiosos, quos faciunt in locis sacris, & aliis actibus processionum, & aliis similibus ad religiosos & ad ecclesiasticum ordinem pertinentibus, vt palá est: & praxis quotidiana totius orbis habet, quod licet vnus & idé sit Christianus laicus habens tẽporalia, & indigens spiritualibus, & exercens illa; alteri tamen subiicitur, quatenus habet temporalia, & exercet illa; & alteri, quatenus indiget spiritualibus, & exercet illa. Itaque potest appellari præfatũ collegium simpliciter laicum, & secundum quid ecclesiasticum. Salua, &c.

a De relig. do mib. in l. eum qui ædes. ff. de vsucap.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi an visitare possint capellanos triremium.*
1 *Capellani triremium visitari possunt, vt alij viatores, seruato cuicumque suo tam exemptionis, quam alio iure cõpetẽte.*

CONSILIVM IIII.

AN episcopi possint visitare capellanos triremium, quæ aduersis ventis in portibus suarum ciuitatum commorantur.

1 Respondeo primò, quod videtur distinguendum inter triremes vnam classem constituentes, quibus communiter præficitur vnus generalis iudex; vel inquisitor contra delinquentes vel debitores; & inter alias triremes singulares, quibus nullus iudex talis præficitur. Distinguẽdum etiam videtur inter capellanos, quos triremes vel duces earum accipiunt auctoritate Apostolica, & alia legitima ad celebrandum & ad ministrandum sacramenta euntibus in illis, & alios capellanos, qui tantùm sunt vectores & viatores transeuntes ex vna patria in aliã. Tertiò videtur distinguendum inter exemptos, & non exemptos: & ita hoc dubium debet restringi, & non proponi adeò generaliter & indefinitè.

Secundo, quod Episcopi possunt iudicare & cognoscere de illis, perinde ac de aliis viatoribus & transeuntibus, seruando vnicuique sua priuilegia, & ius, quod habẽt iure communi vel particulari, domum suam reuocandi, vt notatur in ca. fin.[b] & aliis ibi citatis.[c] Salua, &c.

b De foro comp. & c. 1. de priuil. l. 2. §. legatis. ff. de iud. & le. hæres absens.
c Eod. tit.

SVMMARIVM.

1 *Nouitius censetur ecclesiastica persona nedum quo ad beneficium canonis, sed etiam fori, pro tempore quo perseuerat in nouitiatu, subiacetque suis prælatis sicut & professi, nu. 2. ita vt possit prælatus contra talem pro homicidio tunc perpetrato procedendo, etiam eum torquere. nu. 3. sed hoc per clericum, vel religiosum, & non per laicum, nisi ibi adsit talis consuetudo. num. 4.*

CONSILIVM V.

QVidam nouitius conuersus occidit iniustè religiosũ professum. Quæritur primò, an possit de iure à suo prælato regulari iudicari, an potius tale iudicium ad sæcularem pertineat iudicem.

Secundo, an huiusmodi homicida possit torqueri à prælato regulari.

1 Ad has quæstiones respondeo primo, quod cognitio & punitio præfati delicti & homicidij pertinet ad iudicẽ ecclesiasticũ, ar. c. *religioso.*[d] quatenus probat nouitiũ religionis approbatæ gaudere priuilegio c. *si quis suadẽte.*[e] & cęteri ecclesiasticã personã, & gaudere priuilegio ecclesiasticæ personæ,[f] & expressè determinant Ioan. And. Dominicus & Francus,[g] quod cognitio de delicto nouitij pertinet ad ecclesiasticum iudicem: quod ipsum tenẽt Dominicus & communis in d. ca. religioso. §. 1.

2 Et probatur ea ratione, quod nouitij post habitum susceptum subiacent prælatis quo ad iurisdictionem & superioritatem, saltem commutabiliter & reuocabiliter, licet non irreuocabiliter: pro tempore quo sunt nouitij, sicut professi: & cognitio & punitio delictorum religiosorum professorum pertinet ad iudices Ecclesiasticos & prælatos eorum, vt tradit latissimè Pan. post Ioa. de Lignano,[a] vbi probat quod delicta eorũ pertinẽt ad cognitionẽ & castigationem prælatorũ, etiã si sint homicidia, & alia grauia delicta.

d §. 1. de sent. excom. lib. 6. e 17. quæ. 4. f Arg. ca. duo sunt genera. 12. quæst. 1. g In c. beneficium. de regular. lib. 6.

a In cap. cum contingat. n. 11. & quatuor seq.

3 Secundò, quòd præfatum delinquentem poterit iudex ecclesiasticus & prælatus torquere, si meruerint torturam indicia delicti, seruatis seruandis in quæstionibus siue torturis, iuxta notata in ca. *cum in contemplatione.*[b]

Tertio, quòd prælatus poterit torquere præfatum delinquentem, si opus fuerit, per aliquem clericum vel religiosum, & nõ per laicum, nisi in terris, in quibus consuetudo id fecit licitum, iuxta notata in ca. *vniuersitatis.*[c] Salua, &c.

b De reg. iur. & in ca. 1. de deposito. & in l. 1. & toto titulo ff. de quæstionibus.
c De sententia excomm. & in alijs locis ordinarijs.

SVMMARIVM.

1 *Prælatus regularium suorum iudex iure communi in ijs quæ spectant ad regulam & regularia statuta tantùm est: at consuetudine & priuilegio cognoscit etiam de alijs criminibus non requirentibus depositionem ab ordine, nu. 2. quale est homicidium. num. 3. & quandoque ex speciali consuetudine, vel priuilegio de ijs etiam cognoscit. num. 7.*
4 *Nouitiorum iudex est regularis prælatus, sicut & professorum.*
5 *Inquisitionis via non potest prælatus contra suum subditum regularem, etiamsi adsint violenta indicia, procedere, nisi adsit fama, per quam maior saltem pars collegij ex præcedentib⁹ indicijs credat eum dicti delicti reum. nu. 6. & de hac infamia debet primo per informationes coram notario, secretè tamen assumptas cõstare, antequã ad capturã procedat. n. 8.*

CONSILIVM VI.

QVid debet facere prælatus canonicorum regulariũ contra nouitium, contra quem sunt indicia violenta, per quæ quasi vehementer creditur occidisse vnum collegam professum?

Respondeo primo quæstionem hanc prægnantiorem esse, quam primo aspectu præsefert; quia multarum quæstionum decisiones requirit, vt ei pro dignitate satisfiat, quas expressè hæc vna proposita non tangit.

1 Secundo; quod prędicta quęstio pręsupponit, an cognitio huius delicti pertineat ad prælatum. Cui nos breuiter resolute respondimus in secũdo cõment. de regu.[d] in hæc verba: *Iure communi iudex immediatus regularium est Abbas, vel alius prælatus eorum in pertinentibus ad regulam suam, & regularia statuta. quod efficaciter probatur in l. fi.*[e] *& in c.* cum ab ecclesiarum prelatis.[f] *quod illius legis ratione nititur quo ad collegium, cui præest, non tamen quo ad plebem, quo ad quam extendit illud glossæ,*[g] *sed non rectè. nec est verum, nisi consuetudo augeat iurisdictionem, quam d. l. fin. dat. Immo nec iure communi, vt ibi alias dixi, prælatus inferior habet iurisdictionẽ in eos, qui sui sunt collegij, quo ad extraria, quæ non tangunt regulã, nec regularia statuta, siue sint ciuilia siue criminalia. Sed nullum monasteriũ vidi, in quo priuilegio vel consuetudine non sit obtentũ, vt prælatus cognoscat etiam de illis, saltem cum crimina non requirunt depositionem.*

d Super c. nõ dicatis. n. 63.
e C. de iurisd. omn. iud.
f De off. ord.
g In verbo sententia.

2 Tertiò, quòd ex prædictis infertur, prælatum prædicti nouitij iure communi non habere iurisdictionem, & potestatem cognoscendi de prædicto delicto; quia illud non tangit regulam, nec regularia statuta, ad quæ sola extenditur iure communi.

Quarto, credere me, prælato prædicti nouitij competere consuetudine, statuto, vel priuilegio Sedis Apostolicæ iurisdictionem ad cognoscendum de causis ciuilibus, & criminalibus suorum canonicorum expressè, vel tacitè professorum, saltem cum crimen non requirit depositionem ab ordine. Tum quia, vt dixi nullum monasterium celebre vidi, in quo prælatus super suos canonicos regulares, vel monachos non habeat iurisdictionem prædictã actiuè, & passiuè. Tum quia Philippus Francus[h] videtur hoc affirmare. Tũ quia video id obseruari in Italia, Gallia, & Hispania.

3 Quinto, quod in casu proposito agitur de crimine requirente depositionem, immo & degradationem realẽ, secundum Panormitanũ,[i] quia agitur de homicidio qualificato, quo dicitur nouitius occidisse professã expressè religionẽ sacratissimã canonicorũ regularium, quamuis communis opinio teneat contra Panormitanum quo ad degradationem, vt resoluit Decius post multa,[k]

h Tam in ca. religioso. §. 1. de senten. excom. li. 6. quã in ca. beneficium. de reg. eodem li.
i In cap. 1. de homicid.
k In cap. at si clerici. num. 53. de iudicijs.

& ita

& ita,cùm prædictus prælatus iure communi non habeat iurisdictionem cognoscendi de prædicto casu,si neque de consuetudine,vel alio iure speciali habeat illam, non cõpetit illi iurisdictio super hoc crimine; quod requirit depositionem.

4 Sexto,quod,quamuis videri posſit alicui, quod prædicto prælato non competit talis iurisdictio in nouitium laicum:arbitror tamen,quod attento prædicto *c.religioso.*[a] per quod declaratum est,nouitios gaudere priuilegio ca. *si quis suadente.* [b] verius videtur, quod potest cognoscere, perinde ac posset,si esset clericus & professus.

5 Septimo,præsupposito etiam,quod prædicto D. prælato competat iurisdictio cognoscendi de delicto proposito,& non tamen potest procedere per viam inquisitionis,nisi fama prædicti delicti sit contra prædictum nouitium;quia licet iudex posſit procedere contra delinquẽtem per viam accusationis, vel denunciationis sine fama præcedente,non tamen potest iustè procedere per viam inquisitionis,per ea,quæ notantur in ca.*super ijs.*[c]

6 Credo autem sufficere famam, quam haberet collegium, inductam per indicia: ita quod saltem maior pars eorum,qui sunt in collegio,credat illum nouitiũ occidisse prædictum professum,etiamsi fama illa non esset fama quo ad ciuitatem, neque quo ad plebem parochiæ, per aliqua,quæ adduci possent,si vacaret.

7 Octauo,quod mea sententia prædictus prælatus cognoscere potest in casu proposito de delicto prædicto, si competit ei iurisdictio cognoscendi de crimine requirẽte depositionem iure aliquo speciali, (quæ tamen iure communi non competit) etiamsi fama prædicta præcedit quam etiam credo præcedere.

8 Nono, quod, si sua Paternitas vult procedere per viã inquisitionis,debet ante omnia accipere secreto informationem contra prædictum nouitium de fama iam orta in collegio coram notario publico,antequam apprehendat eum & postea apprehendere illum,& opponere illi delictum prædictum,quod ei fama imponit.Salua,&c.

a *§.1.de sen-ten.excomm. lib.6.*
b *17.quæst.4.*
c *Et c.inquisitionis. & c. qualiter & quando.2.de accusat.*

## DE FERIIS.

### SVMMARIVM.

1 *Consuetudo ab obseruatione diei festi tunc excusat,si sit præscripta:quam præscriptionem interrũpit superioris cõtradictio.*

1 *Damnum quod paterentur famuli,discipuli, & locantes operas,qui nisi diebus festis aliqua opera facerent, eÿcerentur, nõ excusat,nisi sit tanta eorum necesſitas quæ excusaret à sanctificatione festi,vel excusentur ob modicitatem operis; & hoc modo sacrum audiant.*

## CONSILIVM I.

Figuli dicuntur hic Romæ hanc habere consuetudinẽ, vt diebus festis præparent materiam,ex qua postea die sequenti non feriato conficiant lateres,& tegulas, licetque dicta materia posset præparari eodemmet die non feriato,attamen,vt lucrentur duas,tres,vel etiam quatuor horas temporis,prædictam materiam præparãt die festo, & hoc fere ab omnibus obseruatur;licet deprehensi à ministris iustitiæ puniantur in notabili quantitate pecuniarum,tãquam violatores festorum. Vnde occurrit dubitari,quid agendum sit cum pueris eorumdem, quorum aliqui locauerunt magistris operas suas ad aliquot annos; vt artem addiscerent,aliqui artem sciẽtes ad aliquot mẽses,& aliqui ad hebdomadas;qui cùm nesciant aliam artem exercere,cum notabili dispendio eamdem desererẽt, & nisi diebus festis velint vt supra operari, non valerent vt plurimum reperire qui eos conducere vellent.

Sutores etiam diebus festis residẽt in eorum tabernis: vt calceos vendant tam rusticis venientibus,quàm & habitantibus Romæ,& dictis diebus plures calcei venduntur,quàm aliis diebus:&si cæteris vendentibus vnus vellet tabernam claudere;maximum damnũ pateretur. Tẽpus,quòd insumitur in præparando vno pare calceorum dum venduntur calcei,est modicum. Magistratus ecclesiasticus,ad quem spectat curare vt festa seruentur,publico & pœnali edicto mandat ne hæc fiant:attamen in executione edicti remisſius proceditur;& si aliquis aliquãdo deprehenditur trãsgressus esse,soluta aliqua minima quãtitate exequutori liber dimittitur,& sæpisſime etiã huiusmodi transgresſiones disſimulantur.

1 Ad primam quæstionem respondeo primo,huiusmodi figulos non excusari sua consuetudine;cùm nõ sit præscripta ob contradictionem superiorum,quæ interrumpit illam.[a]

Secundo;nec famulos esse excusandos;cùm hero, & Ecclesia vel Deo contraria præcipientibus,iis potius quã illi sit obediẽdum,[b] nisi tanta eos vrgeret necesſitas,quæ excusaret à festo colendo, iuxta ea quæ nos tradimus in Manual.[c]

Ad secundam respondeo non peccare saltem mortaliter huiusmodi sutores propter causas inpropositione quęstionis factas,per ea quæ,[d] diximus.

a *Arg. notatorum in ca. fin. de consuetud.*
b *Ca. Dominus.capi.non semper.c. qui resistit.11.qu.3.*
c *Cap.13.nu.6.*
d *In d.nu.6.*

### SVMMARIVM.

1 *Famuli artificum in festis laborantes etiam causa discendi artem,peccant mortaliter,nisi necesſitas artificum vel propria sit tanta,quòd aliter non possent habere vnde honestè viuant.*

1 *Necesſitas quæ excusat operantem die festo,excusat etiam illũ, qui vt ei succurrat operatur.*

## CONSILIVM II.

AN famuli artificum seruientes eis aliquot annis, vt eorum artes discant,posſint absolui à cõfessariis, si coacti à suis magistris seruilia opera faciunt,& non proponunt discedere ab eis nolentibus eos aliter docere; eo quòd non possunt inuenire alios,à quibus discant,nisi laborando diebus festis?

Respondeo primò,quòd non,si ob id desinant audire sacrum contra ca.*missas.*[e] Secundo, quod si magister vel herus tanta necesſitate opprimeretur,quod liceret sibi per se illud,quod facturus est discipulus,facere;posset ipsum iuuare,non ea principaliter ratione,qua est magister vel herus, & vt ab eo discat, sed vt tam graui necesſitati eius succurrat,per ea quæ diximus in Man.confess.[f] Tertio,quod videtur licere ipsi famulo, audito sacro laborare si non inueniret à quo posset discere illam artem non parendo suo hero, & magistro in faciendo illud opus, & esset ei tanta necesſitas discendi artem illam, quòd, nisi disceret eam,iuxta circumstantias personæ,loci,vel alias, non posset honestè viuere:quod tamen raro videtur contingere. Quartò,quòd cessante necesſitate huiusmodi,tã ex parte discipuli,quam ex parte magistri non posset meo iudicio absolui huiusmodi puer,nisi proponeret desistere,ob ea quæ,[g] diximus. Salua,&c.

e *De consecr. dist.1.*
f *Cap.13.nu. 10. & 11.*
g *Vbi supra.*

### SVMMARIVM.

1 *Missa ab audienda,quę ab ecclesia distantia excuset,ex circumstãtia personarum,viarum, temporis, & similium arbitrabitur bonus vir.*

## CONSILIVM III.

AGricolæ locant operas suas menstruas pro certis locis remotis ab Ecclesiis:vnde raro diebus festis audiunt sacrum,excusantès se non debere cogi ex dictis locis,quæ distant ab ecclesia vltra tria milliaria Italica, accedere ad Ecclesias di ebus festis,vt audiant sacrũ. Dubitatur,quanta distantia excusare posſit hos rusticos, ne cogantur pro sacro audiendo adire Ecclesiam.

1 Respondeo primò,scire me terras, in quibus eunt viri, & aliquot mulieres robustæ ad audiendã Missam diebus festis ad loca plusquam tribus miliaribus distantia, immo & senes mares,& fœminæ in diebus solẽnioribus.

Secundò,quod mea sententia,viri, de quibus in quæstione,qui præsupponuntur esse robusti,& operarij, nullatenus sunt excusandi,eo quod tribus miliaribus à loco, vbi audienda est Missa,distent.

Tertiò,quòd non est determinatò iure quanta distãtia excuset ab audienda Missa,& ita determinandum est arbitrio boni viri, [h] qui est ex circunstantiis personarum excusandarum,pluuiarum,fluminum,lutorum;& aliis huiusmodi suum animum informabit. Salua,&c.

h *Iuxta le. 1. ff.de iure delib.*

### SVMMARIVM.

1 *Excusantur agasones,qui diuersoria,in quibus minus impenditur,eligunt,licet secundario inde sequatur vt non posſint sacro interesse.*

## CONSILIVM IV.

AGasones, seu agentes equos, ac muliones, cum sint pauperes, student nocte hospitari extra vrbes & castra vel in via, vel in paruis hospitiis, in quibus minoris emuntur necessaria: & quia dicta loca, vt plurimum, multum distant ab Ecclesiis, idcirco diebus festiuis non possunt Missam audire.

1 Respōdeo, satis excusationis habere muliones, & vectores equorum, si principaliter adeunt prædicta loca, & diuersoria, vt minus impendant, & non vt excusētur ab auditione Missæ, arg. eorum quæ dicuntur in Man. cōfe.[a]

a Cap. 13. & cap. 22. nu. 3.

### SVMMARIVM.

1 *Missæ vt non omnibus, sed aliquibus tantùm festis intersint aliquot ouium custodes, & personarum genera, iusta consuetudine introduci potuit; & tunc sufficit; vt tales ijs intersint, & eorū domini eis tantam faciant commoditatem, vt illis interesse poßint.*

2 *Cultus diei festi efficiet, ne oues, quas ideo custodes tardius aliquantulū educunt, vt sacro intersint, minus bene valeāt.*

## CONSILIVM V.

PAstores ouium tam paucos conducunt ouium custodes, vt eis non liceat, nec tertio quoque mense, dimissa ouium custodia aliis cōcustodibus, sacrum audire. Dubitatur quid agendum tam cū pastoribus principalibus, quam cum dictis custodibus.

1 Respondeo primò, quòd pastoribus dominis ouium præcipien dum videtur, vt tot custodes ouium conducāt, quot sufficiant, quo liceat eis satisfacere præcepto de audienda Missa diebus festis, cùm ca. *Missas*, [b] omnibus Christianis id præcipiatur.

b De consecr. dist. 1.

Secundò, quòd fieri potest, vt consuetudine aliqua rationabili inductum sit, vt custodes ouium aliquarū regionum non teneantur audire Missam omnibus festis, sed tātū quibusdā, alibi plurib⁹ & alibi paucioribus pro regio nū variarū varia consuetudine: quia cū illud præceptū sit humanū potest humana consuetudine moderari, [c] & ita sufficit quod domini ouium ponāt tot custodes, quot sufficiant ad custodiēdas oues, & audiendas Missas debitas.

c Arg. ca. fin. de consuet.

2 Tertiò, quòd custodibus ouium præcipiendum est, vt ita inter sese conueniant, quòd possint audire missas à se necessario audiendas, & quòd non seruiant dominis, qui noluerint ponere custodes ad id necessarios: quamuis arbitrer, custodes ipsos posse ita ordinare horas audiendi Missas, vt qui sufficerent ad custodiēdas oues sine Missarum auditione, sufficerent etiam ad custodiendas eas audiendo necessarias aliquantulum accelerando, vel tardando exitum, vel ingressum, & regressum ouiū propter hanc causam, quæ ipsa faciet ne minus valeant.

### SVMMARIVM.

1 *Scribendi actio, prout est opus per animi prudentiam, non est opus seruile; secus si fiat vt ex vno scripto sumatur copia.*

2 *Opus seruile non fit ex eo solùm, quod fiat ob lucrum: sed & modicitas materiæ excusat à peccato mortali.*

3 *Indeterminata à iure relinquuntur arbitrio prudētis, qui ex causa & circunstantijs iudicabit, illud spatium horæ, quod agricolæ die festo fodienti est peccatum mortale, non esse tale fuenti, seu barbitonsori.*

## CONSILIVM VI.

QVæritur primo, an scribere sit opus seruile.

Secundo, an opus, quod aliàs nō erat seruile, fiat seruile, si fiat propter lucrum.

Tertio, cum conceditur facultas laborādi die festo, ad quæ opera seruilia potest concedi plus temporis.

1 Ad primam quæstionem respondeo primò, quod verbum, *scribere*, varias habet significationes, & ꝙquatenus significat cōdere legē, cōponere librū, seu aliquod opus per animi sapientiā & prudentiā, non significat opus seruile, neq; quaten⁹ significat manu propria literas pingere. Quoniam seruile opus, disinitur esse opus manuariū proprius cōueniēs seruis, quā iis quib⁹ seruitur, vt post D. Thomā ibi citatum tradimus in Man. nostro.[a] Et scribere, quatenus prędicta significat, proprius, vel saltem ęquè conuenit his quibus seruitur, ac seruientibus. Secundò, quod ex vna scriptura aliam similem facere, describere, & transcribere, videtur esse seruile: quia proprius conuenit seruientibus, quam his quibus seruitur: quod & nos satis insinuauimus,[b] & latius tradit Caietanus.[c]

a Ca. 13. nu. 3.

2 Ad secundam respondeo, quòd varij varie sentiunt circa hoc dubium, vt ego iamdudū late tractaui in ca. *ieiunia.* [d] quod habet id quod quæstione proponitur, scilicet in die Dominica nihil aliud esse agendum, quam Deo vacandum: & postea in d. Man.[e] breuiter resoluendo diximus, nullum opus fieri seruile ex eo solo, quod fiat ob lucrum vel mercedem, vt efficaciter probat Caietanus,[f] ibique respondet oppositis: cuius rationes, quia ibi facile videri possunt, hic non rescribo.

3 Ad tertiam respondetur, quod omnia quæcumque iubentur, aut permittuntur facienda sine determinatione quantitatis, vel temporis, debēt determinari arbitrio boni vel prudentis viri, vel iudicis,[g] & consequēter vir bonus & prudens arbitrabitur, inspectis circunstantiis personarum, causarum, siue occasionum, generis operum, & aliis, ita quod maius tempus potest concedi ad consuendum aliqua, vel ad barbas radendas, & capillos circumcidendos, quam ad fodiendum in agro, vel putandam vineam.

b In dicto ca. 13. num. 14.
c In 2. 2. qu. 122. ar. 4. col. 20. vers. ad secundum.
d De consec. dist. 3.
e Ca. 13. nu. 5. & 12.
f In d. quæst. 122. artic. 4. col. 14. vers. dubium vnū non dissimulandum.
g Leg. 1. ff. de iur. delib. ca. de causis. de off. deleg.

## DE CAVSA POSSESSIONIS, ET PROPRIETATIS.

### SVMMARIVM.

1 *Possessorium suspenso petitorio prius terminari debet.*

2 *Regularium regimen perpetuum melius quam triennale.*

2 *Institutio prelatorum & beneficiariorū cōmuni iure perpetua.*

3 *Iuspatronatus per præscriptionem 40. annorum quæri, modificari, & tolli potest.*

4 *Ius ad antiquum reuersio fauorabilis.*

## CONSILIVM I.

PApa creauit iuspatronatus super quodam monialium monasterio in fauorem N. qui per 70. annos præsentauit Abbatissam, & institutio fuit perpetua, nunc verò iterum præsentante patrono, & tam ipso, quam monasterio institutionem perpetuam desiderante, insurgūt institutor, & alij, dicentes institutionem esse debere triennalem, quia sic apud religionē receptū esse videtur. Quæritur quid iuris?

1 Respondeo primo, patrono & monasterio volētibus, vt Abbatissa præfata præsentata per patronum confirmetur pro perpetua sine triennalis temporis præfinitione, clarum & manifestum ius eis in possessorio competere; quia ab annis 70. sunt in hac possessione cū titulo colorato, quod sufficit, iuxta glossam celebrem.[h] & ita nullatenus permittere debent, vt agatur, & litigetur super petitorio, & proprietate iuris, donec possessorium finiatur, & reponantur in pacifica & tranquilla possessione iuris præsentandi, & petendi confirmationem perpetuam. Tū quia magnum est commodum possessionis.[i] Vnde & iure concessum est, quod si causa proprietatis seu petitorij prius incipiatur, possit possessorium incipi ab eo, cuius interest, & suspendi petitorium, donec possessorium finiatur,[k] quæ receptissima sententia est. Tum quia victo aduersario in possessorio, attenuantur multum vires eius ad obtinendum in petitorio, vt præfata iura declarant, & non solùm attenuantur ei vires iuris, sed etiam facti; ita vt frequenter abstineat à petitorio, propterea quod se videt victum in possessorio, vt quotidie palam fit.

h In clem. 1. de causa possess.
i §. retinēde. vers. & quia cōmodius. Instit. de interdict.
k Cap. pastoralis. de causa possess.

2 Secundo, quod licet ambitio, & dulcedo sensualitatis suaserint multis regularibus, melius esse regimen triēnale inuentum à recentibus regularibus, vt per frequentes mutationes ambitiosi & auari aliquando fiant prælati, vel prælatæ; multo profectò coram Deo & sanctis eius melius & sincerius est regimen illud antiquum, quod antiqui, iidemque sanctissimi Patres, Basilius, Augustinus, Benedictus, Bernardus, & Ecclesia vniuersa seruarunt, quando regulares longè erant meliores, quam nunc sunt; idque nos multis & efficacibus

rationibus

rationibus probauimus infra, [a] & latius in tractatu de paupert. quē nunc recognitum iterum edere curamus mutato titulo in titulum de regul. [b] quas rationes qui presul serena mente pēsauerit, facilè cognoscet, quo spiritu hoc regimen temporale substitutum fuerit illi regimini antiquo perpetuo; censebitque conandum esse aliquam inueniré viam qua rediremus in illud antiquum.

Tertiò quòd etiam in causa proprietatis, & petitorio ius est præfato patrono, & monasterio, iure communi attento. Tū quia pars aduersa cognoscit iure speciali Pontificis Maximi competere prædicto patrono ius præsentandi prædictam Abbatissam: & constat iure communi Abbatū, & Abbatissarū, & aliorū prælatorū, & prælatarū & omniū aliorū beneficiariorum institutiones præsentatorum ad dignitates & beneficia esse debere perpetuas; ita quod sine culpa graui non possint ab eis deponi. [c]

3 Tum quia secundum receptam sententiam iuspatronatus per præscriptionē quæri, tolli, & modificari potest, per ea quæ habentur in ca. *consultationibus*, [d] & late tradita post alios per Albertinum, [e] & multis aliis locis, [f] præsertim dum constat iuspatronatus iam esse quæsitum, & formatum, vt est in casu proposito, in quo Pontifex Maximus illud creauit, nec pars aduersa hoc negat. Ergo præfatum monasterium, & prædictus patronus potuerūt acquirere per præscriptionem legitimam, quòd ius præsentandi, quod Papa cōcesserat, intelligeretur ita, vt institutio perpetua deberetur Abbatissæ præsentatæ: ergo etiāsi iure communi institutio debuisset esse temporalis, cuius contrarium supra probatum est; iure tamen speciali præscriptionis debet esse perpetua, & tenetur ordinarius ad faciēdam illam perpetuam. Tum quia præscriptio 40. annorum sufficit, vt sit legitima in hac materia per glossam receptam, [g] & per textum & ei adnotata, [h] & in nostro casu est 70. & ita fere duplo maior, quam necessaria.

4 Tum quia reditio ad ius pristinum & antiquum est fauorabilis, [i] vbi hoc dilatat Iason, & ante illum Felin⁹. [k] At antiquo iure optimo, vt diximus, institutio vel confirmatio debebat esse perpetua: ergo prętensio, quòd in casu proposito debet esset alis, digna est fauore, & vt iudex ōni ex parte, qua id facere potest, ei faueat. Tū quia etiāsi solus patronus hoc peteret, erat audiendus, & iuuandus; & in casu proposito non solùm ipse, sed & monasterium, & moniales eius id ipsum petunt: ergo fauendum est eis, & credo fauebit totum Illustrissimum Rotæ Prætorium, si ad ipsum res deferatur. Salua, &c.

a In consil. 7. de statu monach.
b Super cap. nullam. 18. q. 2. à num. 3.
c Iuxta c. satis peruersū. 56. dist. & c. inuētum. 16. quæst. 7.
d Et in c. cura. de iure patronæ.
e Lib. 2. par. 10. q. 1. princ. art. 5.
f De iure patr.
g In d. ca. aura.
h Ca. de quarta. de præscri.
i Ca. ab exordio. 35. dist. l. si vnius. §. pactus ne peteret ff. de pact.
k In cap. cum omnes. de constitut.

## DE RESTITVTIONE SPOLIATORVM.

### SVMMARIVM.

1 *Officiarium principis non decet sine ipsius licentia causam, quæ ipsum tangit, tractare.*
2 *Interdicta vnde vi, & vti possidetis pro mobilibus non dantur.*
2 *Interdictum vtrubi pro retinenda re mobili datur.*
3 *Possessorium iudicium recuperandæ possessionis rei mobilis datur iure canonico, sed non iure ciuili.*
3 *Officij iudicis remedium extraordinarium locum habet vbi æquitas suadet, & aliud non est proditum.*
4 *Prælati agere possunt pro iuribus suorum regularium.*
4 *Officium sigillatoris Pœnitentiariæ membrum officij maioris Pœnitentiarij, & ita huius interest regesta illius fideliter custodire.*
5 *Petitio iudicialis legitima cōtinere debet, quis, coram quo, quo iure, & à quo quid petat.*
6 *Priuandus non est re sua non auditus, vel non citatus.*
7 *Executor mixtus sine cognitione quē possessione sua nō priuat.*
8 *Consuetudo immemorialis sine causa mutari non debet. num. 13.*
9 *Iudicandum de lege cùm sit, secundum eam cùm facta est.*
9 *Dispositio omnis principis contra legem humanam valet; quāuis peccaret, si sine causa id faceret. num. 13.*
10 *Beneficiorum diuisio iure prohibita ex causa fieri potest.*
10 *Beneficium vacans sine diminutione conferendum; sed potest onerari & postea conferri.*
11 *Beneficium nō vacans vniri potest, etiam non vocato possessore.*
12 *Beneficia & officia ecclesiæ liberæ Papæ potestati subsunt.*
14 *Legis humanæ mutatio vitanda, etiam si occurrat aliquid melius; nisi eius vtilitas præponderet damno quod ex mutatio ne sequeretur.*
13 *Firmius id est, quod à pluribus approbatur.*
16 *Nobilitas hanc sibi legem imponit, vt nisi in beneficijs creuerit, nihil se præstitisse putet.*

### CONSILIVM I.

Præsuppono primo; quæstionem esse, an Illustrissimus summus Pœnitentiarius bene petat libros officij sui sigillatoris, quos Reuerendissimus Datarius de mandato Sanctissi. iussit post mortē ipsius sigillatoris penes quēdam custodiri, & deponi.

1 Secundo, protestor me nihil hac de re respondere ausū fuisse, nisi me prædictus Illustrissimus, cuius sacræ Pœnitentiariæ Prætorio assistere teneor; certiorem fecisset, quòd sua Sanctitas volebat, vt qui sumus eiusdem Prætorij tractaremus, quid de illa nobis videretur: quoniam non decet, nec forte licet his, qui sumus officiarij suæ Sāctitatis adeo addicti, de causa, quæ suā sāctitatē ex propinquo tangit, sine ipsius facultate tractare, arg. ca. vlt. [a] & aliorum iurium citatorum à glossa ipsius. [b]

Tertiò, quòd primo videndum est, an esto; quod ablatio prædicta librorum sit male facta, petitio restitutionis ipsorum per viam alicuius remedij possessorij pertineat ad Illustrissimum eumdemque maiorem Pœnitentiariū.

2 Et pro parte quidem negante facit primò, quod prædictus Reuerendissimus Datarius nec vi, nec clā, nec precario abstulit illos; & ita cessant remedia possessoria interdictorum, quæ ob facta vi clam, vel præcariò; competunt. Interdictum item vnde vi; & vti possidetis cessant; quia non dantur pro rebus mobilibus. [c] Non competit etiā interdictum vtrubi, quod datur pro retinenda possessione rei mobilis. [d] quia constat prædictos libros non possideri à sigillatore, neque à prædicto illustrissimo: & quod nullum remedium possessorium est proditum à iure Cæsareo pro restitutione rei mobilis, quales sunt libri prædicti, iuxta glossam receptam in leg. rem quæ nobis ff. de acquir. possess. pro rebus enim mobilibus competit actio furti, vel vi bonorum raptorum, vt patet.

3 Sed ad hoc respōderi potest, quod licet iure Cæsareo non sit proditum remedium possessorium pro restitutione possessionis rerum mobilium, est tamen proditum iure Pontificio, [e] vt post alios tradit Ripa, [f] & præterea vtroque iure videtur habere locū remedium officij iudicis, quod habet locum vbicumque æquitas suadet, vt fiat aliquid, & non est proditū aliud remedium, iuxta l. *plane.* [g] & tradit post alios vbi supra Ripa in multis locis.

4 Secundo pro eadem parte negante facit, quòd licet habeant locū prædicta remedia, non tamen videtur posse illa intentari à prædicto Illustrissimo Pœnitentiario, quia ipse non possidebat illos libros, nec custodia eorum pertinebat ad ipsum, sed ad sigillatorē eius per cōstitutionē reformationis sacræ Pœnitentiariæ. Sed & ad hoc respōderi potest, quòd Abbates, & alij superiores prælati possunt agere pro iuribus monachorum sibi subditorum, [h] & Pœnitentiari⁹ maior videtur superior sigillatoris sui prętorij, & illius officium videtur esse membrum sui officij principalis: & negari non potest interesse sui officij vniuersalis: Pœnitentiariæ, vt regesta ad eam pertinentia fideliter custodiantur, & iura ad officiarios spectātia illæsa seruentur, arg. à simili, quod valet. [i]

5 Tertio pro eadem parte negante, scilicet quod non bene petat prædictus Illustrissimus, facit, quod nō nominat vllam personam, à qua petat, quæve illos possideat, & teneat; & supposito quod sint restituendi, dubitari potest quis magis teneatur ad restitutionē, an ille sub cuius custodia & potestate remanserunt post mortem sigillatoris an Reuerendissimus Datarius, iussu cuius fuerunt illi ab eo traditi, an sanctissimus D. N. imperio cuius Datarius illud iussit: an ille, cuius custodiæ nunc sunt commendati, & omnis qui bene petit, debet exprimere quis, quid, coram quo, quo iure petat, & à quo, iuxta glossam receptam in ca. 1. de libel. oblat. Sed etiam ad hoc respondere potest quod licet in supradicta causæ propositione non exprimat personam à qua vult petere, poterit tamē exprimere in sua, quam proponet, petitione.

a De postul.
b In verbo contra ecclesiam.
c L. 1. §. illud. ff. de vi & vi arma. & l. 1. ff. vti possidetis.
d Leg. 1. ff. vtrubi.
e Per c. reintegranda. 3. quæst. 1.
f In c. sæpe. de restit. spol. n. 22.
g §. fin. & le. seq. ff. de petit. hæred.
h Clem. 1. de rescript. c. fin. de success. ab intest.
i Ca. dil lum. 2. de elect.

6 Secundo, videndum est, an ablatio prædicta fuerit in-
iustè facta. Circa quod dicendum videtur primò, quòd sic,
si absque auctoritate S.D.N. in id expressa D. Datarius id
fecit: quia nemo est priuandus re sua, vel sibi debita, ante-
quam audiatur, vel saltem citetur,[a] etiã à Papa,[b] & posses-
sione rei,[c] immo nec citatus prætermisso ordine iuris,[d] &
prędictus Illustrissimus, vel alia persona vera, vel ficta, pro
qua ipse agere potest, videtur possessione rei ad se perti-
nentis priuatus, vel priuata à D.Datario, antequã fuerint
auditi, vel citati.

a Capit. inter quatuor. de maior.
b Cap. nos in quemquam. 2.q.1.
c Capit. 1. de cau. poss.
d Ca. conquerente. de rest. spol.

7 Tertiò, quòd etiã ablatio prædicta fuit iniusta, si præ-
dictus D.Datarius eam fecit vt iudex, vel executor mixtus
S.D.N. quia delegatus, vel mandatarius, siue executor Pa-
pæ mixtus non potest tollere alicui possessionem, quam
habet alicuius rei, sine causæ cognitione, virtute mandati
Papæ sibi facti, vt alius mittatur in possessionem eiusdem
rei, iuxta celebre dictum Innoc.[e] in theoria & praxi. Ergo
licet Papa mandasset D.Datario, vt reciperet prædictos li-
bros, non potuisset illos auferre sine vocatione partis.

e In cap. 1. de concess. præb. num. 4.

8 Quarto infrascriptæ rationes, quibus iniustitiam prę-
dictæ absolutionis aliquibus posse probari visum fuit, nõ
subsistunt: & quidem, dum dicit quòd consuetudo imme-
morialis non potest mutari, est contra c. *non debet*,[f] quod
legem & consuetudinem seruatam à tempore immemo-
riali de non contrahendo matrimonium intra septimum
gradum, abstulit, restringendo illam vsque ad quartum, &
contra Cõcil. Tridentin.[g] quod abstulit consuetudinem
ante multa sæcula seruatam de valore matrimoniorũ clã-
destinorum, & contra innumera alia iura, quæ consuetu-
dines immemoriales abstulerunt, & contraria illis statue-
runt. Illa item, quæ præsupponunt, quod cõsuetudo, quæ
habet vim legis, non potest mutari, cùm palam sit ipsam
legem etiam Conciliarem, & seruatam à tempore imme-
moriali, mutari posse, iuxta doctrinam S. Thomæ rece-
ptam,[h] quin & sapit hæresim contra doctrinam Catholi-
cam, quæ colligitur ex c. *cuncta per mundum*,[i] & ibi notatis
de potestate Papæ legem condendi. Illa item, quæ præ-
supponunt mutationem legis eo ipso esse inualidã, quòd
non debeat fieri.

f De cõsang.
g In ca. 1. de refor. matr. sess. 24.
h 1. 2. quæst. 1. de constit.
i 9.q.3. & c. 1. de constit.

9 Tum quod secundum Augustinum,[k] licet de lege iu-
dicandum sit, cùm fit, secundum tamen illam iudicandum
est, cùm facta fuerit. Tum quia recepta conclusio est, quòd
omnis lex & dispositio Papæ contra legem humanam fa-
cta, tenet, licet fieri non deberet, secundum omnes.[l] Illa
item, quæ texuntur ex pluribus particularibus contra re-
gulam dialecticam, arguendo per indefinitas, quæ parti-
cularibus æquipollent in effectu sic: *Traditio antiqua est im-
mutabilis regula, & debet semper durare: ergo consuetudo, de qua
agitur, cùm sit traditio antiqua, & regula*, est immutabilis, ac si
argueretur, *Equus habet aures, & homo habet aures, ergo equus
est homo.* Non enim ex eo quod aliqua traditio, vel regula
vel consuetudo sit immutabilis, consequitur quòd hęc vel
illa alia sit immutabilis. Quare, iudicio meo, non est tradẽ-
da illa informatio S. D. N. viro eruditissimo, qui merito
ægrè feret contenta in ea sibi tamquam firma offerri.

k In c. in istis. 4. dist.
l In c. quæ in ecclesiarum. de constitu.

10 Quintò, quod difficultas probandi illam ablationem
esse iniustam, augetur ex eo, quod licet sectio & partitio
beneficiorum sit prohibita in Concilio Turonensi,[m] po-
test tamen fieri ex iusta causa, vt ibidem adnotauit gloss.
recept. & tradunt omnes,[n] & quod licet beneficium va-
cans sine diminutione debeat conferri,[o] potest tamen
beneficio vacanti imponi aliquod onus, & postea ipsum
onustum alteri conferri.[p]

11 Potest etiam beneficium non vacans iustè vniri alteri,
etiam per ordinarium, etiam non vocato beneficiario, vt
nouè decisum fuit contra aliquorum opinionem in clem.
*si vna*,[q] vbi glossa & omnes id adnotant, & etiam adno-
tatur ad decis.[r] in nouissimè impressis, & quod nemo
negabit S. D. N. posse adimere, & reddere officio
sigillatoris, quod sibi placuerit, iuxta illud, *Quod principi
placuit, legis habet vigorem*,[s] præsertim in his quæ suæ libe-
ræ potestati subiiciuntur, iuxta l. *princeps*,[t] qualia sunt
beneficia, & officia ecclesiastica.[v]

12 Sextò, quod etiam hæc euadi possunt, non eo quòd
Sanctissimus D.N. non possit, si voluerit, prædictam con-
suetudinem, secundum quam sigillator eius custodiebat
prædictos libros, mutare: neque quod mutatio etiam
non debitè facta ipso iure non valeret: sed quod multis
de causis sua Sanctitas non debet eam mutare.

m Ca. maiorib. de præbẽ.
n In c. vacante. eodem tit.
o Ca. 1. vt benefi. sine di-
p Ca. significatum. de præben.
q De reb. eccles. nõ alien.
r De off. leg.
s L. 2. ff. de cõsti. princip. §. sed & quod princip. Instit. de iure natu. gent. & ciui.
t ff. de leg. & ca. proposuit. de concess. præben.
v Iuxt. c. 2. de præbẽ. li. 6. & clem. 1. vt lit. pendẽ. & glo. solemn. cap. si gratiose. de rescrip. li. 6.

13 Quarũ prima est, ꝙ est vetustissima, & immemoria-
lis, & ꝙ in noua reformatione sui officij Pœnit. licet alia
quãplura mutata fuisset ipsa tamẽ immutata mãsit, & im-
mutata seruata est tempore triũ maiorũ Pœnitentiariorũ
vsque ad mortem proximi præteriti sigillatoris. Secunda
causa, quod licet sanctissimus D.N. omnia quæ sunt iuris
humani, qualis est hæc consuetudo, mutare possit, & mu-
tatio valeret, licèt fieri non deberet; non tamen excusare-
tur coram Deo à culpa, si absque iusta causa eam faceret:
quia licet cõsuetudo, & lex humana iustè mutari possint
iusta de causa; non tamen absque illa.

14 Vnde S.Thomas pulchrè concludit,[a] legem huma-
nam non esse mutãdam, etiam cùm occurrit aliquid me-
lius, nisi illud præponderaret, siue maioris ponderis esset
Reip. quàm malũ, quod ex immutatione sequeretur. Ter-
tia causa cur sua Sanctitas debeat relinquere consuetu-
dinem prædictam vetustam immutatam, est ne præbeat
occasionem detrahendi contra prædictum Illustrissimũ,
vel quod deliquerit, vel negligens fuerit in corripiendo
suum sigillatorem malè custodientem libros: vel quod
suam Sanctitatem pœnituerit magnificentiæ illius, qua
Cardinalem Vltramontanum non petentem, neque opi-
nantem tanta dignitate gratis donare dignatus fuerit, do
nare inquam: & cogere renitentem, vt ea fungeretur, cõ-
tra le. *conueniri*.[c] Quarta causa, ne videatur arguere cu-
iusdam imprudentiæ & incogitantiæ prædecessorem suũ
Pium V. cùm primis omnium, qui multis sæculis Ecclesię
Christianæ præfuerunt, imitandum, quod suam Sanctita-
tem contra morem aliorum summorum Põtificum mag-
no studio, & raro exemplo facere palam est. Quinta, quòd
multis de causis prædictus Pius prædictam consuetudinẽ
reliquit immutatam in prædicta reformatione. Primo
quidem, quod iudicauit eam prudẽter & salubriter à ma-
ioribus fuisse institutam. Secundo, quod nulli tutius cõ-
mitti posse videbat matrimonialium dispensationum ex-
pediendarum, & registrandarum negotium, quã illi, cui
expeditionum in foro conscientiæ sigillandarum curam
crediderat, intelligens nihil ab eo in fori exterioris nego
tiis vel imprudenter, vel indecenter cõmissum iri, qui in
fori interioris negotiis tum suis priuatis, tum alienis fidẽ
studium, & diligentiã suam probasset; iuxt. c. *præcipimus*.[d]
Tertio, quòd æquum etiam erat, & consentaneum ratio-
ni, vt idem sigillator vtriusque fori casibus manũ extre-
mam imponeret, tam iis, quæ cum illicita fuerint, cõmissa
tamen sunt, & remittuntur, quàm iis, quæ cũ illicita sint,
dispensatione tamẽ Apostolica licita redduntur: & sicut
illa, ne vlli nisi confessori approbato pateant, sigillo ob-
signat; sic ista, vt numquam pereant, fideliter in libros re-
ferat, & relata ad posteritatis memoriã custodiat. Quar-
tò, quòd prudentiæ fuit statuere, vt quas facultates San-
ctissimus D.N. maiori pœnitentiario ad forum exterius
pertinentes assignauit, & ex earum concessione aliqua
emolumenta percipienda concessit, earum gratiarum &
concessionum memoriam non alius asseruaret, quam e-
iusdem maioris pœnitentiarij officiarius; sicut & patres-
familias redituum & emolumentorum suorum procura-
tores, & dispensatores, & rerum custodes & conseruato-
res nõ eos eligũt, qui alieno imperio pareãt, sed domesti-
cos, & familia res carissimos & fidelissimos. Quintò, ꝙ di
ligẽter tẽpore reformationis officij fuit examinatũ, quid
magis deceret & expediret super asseruatione præfatorũ
librorũ, & emolumẽtorũ perceptione, eorumque distri-
butione; & iudicatum fuit magis conuenire id, quod
semper vsus habuit: ideoque præferri debet ei, quod vnus
vel alter sine tanta discussione suadet, argum. cap. *pru-
dentiam*,[e] & cap. *de quibus*,[f] quatenus habent id esse fir-
mius, quod à pluribus approbatur.

a In d. quæst. 97. art. 2.
b Iuxta cap. ridiculum. 12. distin.
c ff. de pact. dot. & ca. ex parte. de consuet.
d 12.q.1. & l. 2. C. ne fide iuss. dot. dentur.
e De offic. de-leg.
f 20. dist.

15 Sexto, quod cum de his gratiis, & concessionibus,
quas in registrum inscribere consueuit sigillator, emo-
lumenta sua, suorumque officialium percipit maior pœ-
nitentiarius; inconueniens videtur, vt alius quispiã taxas
ad illum pertinẽtes exigat, & inter Cardinalẽ & officia-
les eius diuidat, quàm ab eo constitutus, eiusque pro-

prius,& iuramenti sacramento obligatus minister, & officialis,qualis est sigillator. Alia, gratia breuitatis, quibus prædicta consuetudo iusta, vtilis, & aptissima redditur, omitto. Sexta causa,cur sua Sanctitas non debeat prædictam consuetudinem mutare,est quod prædictus Illustrissimus humiliter & vehementer supplicat Sanctitati suæ, vt serio perpendens prædictas æquissimas rationique cōsentaneas causas dignetur auctoritatem prædecessorum suorum vetustissimique temporis consuetudinem, quasi traditionem,quamdam,etiam decretis Pontificum corroboratam defendere.

16 Et cum iuxta alium prędecessorem suum Gregorium suo de nomine dictum,[a] hanc legem sibi nobilitas imponat, vt nisi in beneficiis creuerit, nil se præstitisse putet, Sanctitas sua nobilissima sicut prædictum Illustrissimum nihil tale cogitantem per summam suam & incredibilem gratiam ad hoc munus vocare dignata est, ita eū hoc munere fungentem ab omni molestia,& ab omni siue auctoritatis,siue iurisdictionis diminutione sincerū, integrumque tueatur & seruet.In gloriam Dei, qui sua infinita bonitate Sanctitatem suam quam diutissimè seruet incolumem,& gloriosissimam.Amen.

a In cap.1.de donat.

SVMMARIVM.

1 *Triremium pœnæ, vel necis etiam iustè inferendæ timor excusat seruum fugitiuum ne ad dominum redeat.*

1 *Seruus fugitiuus tenetur redire ad dominum,nisi probabilis timor perdendi vitam excuset, & tunc semper tenetur habere intentionem domino satisfaciendi, & quicquid lucratur, domino lucratur.*

2 *Bonorum tres gradus sunt,vitæ,famæ,& fortunæ,quorum priorū non tenemur iacturam facere,vt restituantur posteriora.*

CONSILIVM II.

QVidam seruus fugitiuus perpetrauit grauia delicta, ob quæ iure occidi deberet, vel ad triremes perpetuò damnari, & confessus peccata sua paratum se præstat ad parendum confessario: qui interrogat, an teneatur ei iubere,vt se restituat domino,qui iam bis conatus est eum capere per lictores,quo iudex eum puniat.

1 Respondeo primo, quòd tenetur in foro conscientiæ redire ad dominum suum,aut eum cōtentum facere,quòd non redeat,nisi aliqua iusta causa eū excuset à reditu. Secundo,quod probabilis timor perdendi vitam,si ad dominum redeat, videtur iusta causa non redeundi, nec se illi restituendi per vnum præsuppositum, & vnam regulam, quæ nos posuimus in Manu.[b]

b Cap.17.nu. 87.

2 Præsuppositum est, quod bona subiacentia restitutioni sint trium ordinum,videlicet,famæ,vitæ,& fortunarum,& quod bona vitæ sunt maioris ordinis, quam bona famæ,& famæ,quam fortunarum. Regula verò est, quod nemo tenetur ad restituendum bona minoris ordinis,cum iactura bonorum maioris,arg.cap.*officia*, [c] & aliorum quæ ibi citantur. Cùm ergo hic seruus fugitiuus sit de bonis fortunæ dicti domini,& in illius hæreditate,& non potest se illi restituere sine iactura bonorum altioris ordinis, scilicet vitę,excusatur profectò à redeundo,& se illi restituēdo.Tertio,quod tenetur tamē habere propositum satisfaciendi illi,seu faciendi illum cōtentum quàm optimo modo,& quàm citissimè poterit, soluendo ei per se, vel per alium iustum pretium, vel precibus aliquorum piorum, amicorum,magnatum,religiosorum,vel aliis modis honestis,& agnoscere se seruum eius coram Deo, donec sibi sit satisfactum;& quod quicquid quærit, & lucratur, quærit suo domino,& cum poterit,se, & illa restituet ei ad salutē animę suę,& gloriam Christi, qui nos sua gratia donet, ac perseuerantia ad mortem inclusiuè confirmet.Amen.

c De pœnit. & remiss.

SVMMARIVM.

1 *Bello capta mobilia acquiruntur capienti requiritur autem quod sit publicum,indictum à potente indicere,nu.2.item & quod sit iustum ex parte capientium.nume.7.consuetudo tamen Regum omnium bellantium videtur solum requirere quod sit publicū nu.3.& 6.& consuetudo Lusitanorum solùm requirit vt bona triduo à Mauris inimicis fuerint possessa.nu.3.& 7.*

2 *Naufragio bona amissa, vel iactata animo non recuperandi,seu si habeantur pro derelictis,capienti acquiruntur.*

4 *Postliminij ius non habet locum in armis, nec in vestibus perditis in bello,immo nec in aliis rebus quæ non causa belli feruntur.num.5.vnde etiam si ab inimicis recuperentur, tamen prioribus dominis non restituūntur.num.5.*

6 *Conuentio tacita videtur introduci ex eo quod personæ ita cōsueuerunt seruare.*

7 *Res aliena in bello iniusto etiam publicè indicto capta domino erit restituenda ab ijs,in quos etiam titulo emptionis peruenerunt;nisi vbi lex & consuetudo,quæ potest esse rationabilis,num.3.dictet contrarium.num.2.& 5.& vlt.*

CONSILIVM III.

IN bello & prælio Regis Sebastiani contra Mauros in Africa,cum Christiani victi fuissent,Mauri ceperūt eorum spolia,& in his lapillos, & gemmas, & alia magni pretij,quę postea vendiderunt parui aliis Christianis captis; qui redeuntes ad suos,sua pecunia retulerunt illa in Lusitaniam.

Quæritur,an teneantur reddere illa dominis antiquis quorum fuerant ante illud prælium,in quo illi obierunt, vel victi spoliati fuerunt.

1 Ad quæstionem propositam respondeo primò, quòd pro parte negante; scilicet quod non teneantur reddere illa antiquis dominis,etiā soluto pretio,quod pro eis soluerunt,facit primò,quòd bona mobilia capta in bello ab hostibus,fiūt capiētiū,vt tradit Innoc. [a] quē sequūtur oēs & merito : quia pro eius dicto est textus in §. *item quæ.* [b] & ita Mauri, qui ea ceperūt, videntur facti fuisse domini eorum,& consequenter potuerunt donare, & vēdere.

2 Secundò,quòd dominium rerum habitarum pro derelictis quæritur eas capienti,[c] & prædicta capta in prælio præfato videntur fuisse derelicta ab his, quorum erāt ante prælium:ergo Mauri, qui ceperunt ea,videntur fuisse facti eorum domini. Vnde etiam dominiū rerum perditarum per naufragium,vel iactarum è naui pro eius salute,animo eas non recuperandi,acquiritur capienti eas, iuxta d.in Man.confess.[d] & qui adiuerunt prælium illud, eo animo portabant ea,vt crederent futura illa Maurorū si ab eis victi forent,sine spe recuperandi ea.

a In ca.sicut. 3.de iureiur.
b Insti.de rerum diu. & in ca.ius gentiū.1. dist. & in l. si quid in bello.& l.hostes. de capt. & postlim. reuers.
c L.1.& 2.ff. pro derelicto.
d Ca 17. nu. 98.& 99.

Tertio,quod prædictæ leges,& aliæ illis concordātes quibus statutum est,vt mobilia capta in bello fiant capiētium,non requirunt iustitiam belli,sed solùm quod sit publicum,indictum à populo Romano,vel alio libero non agnoscente superiorem ; & bellum præfatum etiam à parte Maurorum erat publicum,& susceptum à Rege libero:ergo,licet fortè diceretur iniustum,eo quod defendebant terras,quæ fuerunt, & etiam nunc sunt Christianorum, non videtur impedire acquisitionem captorum in eo.

3 Quarto,quod consuetudo omnium Regum Christianorum bellantium habet,vt bona mobilia fiant capientiū, non habita ratione,& discretione, an bellū iusta de causa fuerit illatū,vel acceptū,sed solùm an fuerit publicum,auctoritate Principis, vel Regis liberi indictum:ergo pari ratione id videtur seruandum in bello à Christianis Principibus contra infideles gesto.

4 Quinto,quod cōsuetudo iampridem seruata dicitur habere,quòd mobilia Lusitanorū capta in præliis à Mauris suis finitimis,si tribus diebus continuis ea possideantur ab eis, non redeant ad pristinos dominos Lusitanos; etiamsi empta, vel redempta, vel aliàs ablata reportentur in ditionem Lusitanam: quæ consuetudo potest esse rationabilis; tum ad animandum Christianos ad fortius pugnandum, ne sua perdant: sicut & Romani non habebāt ius postliminij in armis,& vestibus perditis.[e] Tum ad tollendas innumeras lites, quæ ex contrario vsu nascerentur.

e Lege.§.fin. cum le.seq.ff. de captiu. & postlimin.

5 Sextò, quòd mobilia perdita semel in bello,& ab hostibus capta, licet postea recuperentur ab exercitu, non debent restitui primis dominis, sed fiunt recuperantium, nisi sint res,in quibus habet locum ius postliminij,vt pulchre decidit Salicetus, [f] & in rebus pretiosis, de quibus loquimur, non est locus iuri postliminij : quia illi solum est locus in his, quæ causa belli & prælij feruntur, vt sunt naues onerariæ, & currus, & boues portantes & trahendes fruméta,& commeatum:vt colligitur ex l.2.& 3. [g] vbi dicitur scaphas piscatorias,& ad voluptatem comparatas, immo nec vestes pertinere ad postliminiū & ita maltò

f In l. ab hostibus.le.2.C. de capt. & postlim.nu.3.
g ff.de capt.

maior

maior ratio est, cur res præfatæ pretiosæ non debeant restitui, quàm aliæ, quæ causa belli portabantur.

6 Septimò denique, quod videtur esse quædam conuentio communis tacitè per consuetudinem antiquissimam inducta inter Principes Christianos, & Principes Turcarum, & Saracenorũ occupantes terras ad Principes Christianos, vel Ecclesiam Christianam pertinentes, quod res mobiles captę in bello censeantur esse capientium, attenta illa iustitia belli, quam habet ex indictione auctoritate suprema temporali facta; quamuis alia requisita ad hoc vt sit iustum non concurrant. Quę conuentio tacita colligi posse videtur tum ex eo, quod Rom. barbari, & alij Pagani iure gentium vsque ad tempus, à quo cœperunt Imperatores, & Reges Christiani rerum summas tenere, id seruarunt: tum ex eo, quod supremi Monarchæ Christiani etiã nunc id seruant: non enim in tam longa ætate memini videre, audire, nec legere, quòd, facta simpliciter inter aliquos Reges pace, nulla conuentione alia inserta, subditi vnius Regis liberi adeant Regem contrarium, & petant coram eo mobilia capta tempore belli publici à subditis eius, & fuerint iussa eis restitui: quæ consuetudo eisdẽ rationibus colorari potest, quibus colorata fuit illa particularis tacta in quinto argumento.

7 Pro parte verò affirmante facit primò, quod res aliena est restituẽda domino suo iuxta iura,[a] & latius tradidi[b] in Manu. confess. At capta in præd. bello videntur mãsisse in domino eorum, quorum antea fuerunt: quia non fuerũt facta Maurorum, qui ea ceperunt, cùm bellum illud à Maurorum parte fuisset iniustum, quia susceptum erat pro defensione terrarum, quę non erant suę, sed Christianorũ, qui volebant eas recuperare: & D. Tho.[c] recep. ab omnibus Theologis expressè ait, quod ad hoc, vt capta in bello fiant capientium, requiritur quod bellum sit iustum.

Secundo, quod ad effectum, vt capta fiant capientium, non videtur sufficere, vt bellum sit publicum auctoritate temporali suprema indictum: quia alioquin consequeretur, bella Turcarum, & Saracenorum contra Christianos esse iusta, & capta in eis fieri eorum, & cõsequenter Christianos captos ab eis fieri seruos eorum, quod videtur durum. Sed ad hæc duo argumenta pro parte affirmante adducta responderi potest, quòd procederent, nisi lex & cõsuetudo obstaret, per tacta in 5. & 4. pro parte negante formatis.

Per quæ omnia ego nõ auderem in præsentia affirmare partem posteriorem: sed magis inclino in partem priorẽ, quam certè disputando defendi posse non dubito, nec cõtra eam consulam, donec inueniam aliquid firmius, quàm nunc inuenire potuerim, eo quòd hęc quæstio, etsi grandis & quotidiana; nondum est, vt arbitror, pro dignitate tractata. Salua, &c.

a Ca. si res aliena. 24. qu. 6. c. peccatũ. de reg. iur. li. 6.
b Cap. 17. nu. 24. & 25.
c In 2. 2. qu. 66. art. 8.

## DE DOLO ET CONTVMACIA.

### SVMMARIVM.

1 *Capitulo cum aliquid est intimandum, canonicis in Capitulo capitulariter congregatis, & non aliter, ad hoc vt sit legitima, est intimatio facienda: & hoc, quando agitur de iis, quæ capitulariter sunt, etiam si concernerent actum facti, valide expedienda nu. 5. quod si respiceret actum facti, quod validè per singulos posset expediri, singulis posset intimari. nu. 4. & 6.*

2 *Citari in alio loco, quàm de iure requisito, nemo potest, nisi quando executori data est talis potestas ob non tutum accessum.*

3 *Personaliter, vel procuratori ad id sufficienter constituto intimãdum est cuilibet, id quod ei præiudicium potest inferre.*

6 *Possessio sessionis in choro & Capitulo, ac iurium canonicalium canonico non potest validè & vtiliter à Capitulo dari nisi capitulariter.*

### CONSILIVM I.

FVit relaxatum monitorium ab A. C. contra Capitulum Ecclesiæ N. vt sub censuris & aliis pœnis deberet immittere A. in possessionem archidiaconatus eiusdem ecclesiæ. Quod monitorium fuit intimatũ Priori, & aliquibus canonicis, non capitulariter tamen repertis. Quæritur an intimatio huiusmodi valeat.

1 Respõdeo primò præfatam intimationem non videri verè legitimè factam Capitulo: quia verè Prior, & canonici, quibus facta fuit intimatio, non erant congregati in Capit. neque in alio loco legitimè vocati, vt requiritur ad hoc, vt faciant Capitulum; quia non erant vocati absentes, nec erant ibi duæ partes vocandorum, neque erat locus, ad quem solent vocari ad agenda negotia Capituli, licet sic ad officia diuina facienda, & ad reficienda corpora, & ad eundum à choro in refectorium, quod nõ est satis ad constituendum Capitulum legitimè congregatum, vt colligitur ex multis, quæ adducit Felinus,[a] & Franciscus Pauinus in tract. de offic. Capituli sede vac.[b]

2 Secundò, quod nec potest dici quòd habenda sit fictè pro legitima præfata intimatio, eo quod ad Capitulum non esset tutus accessus, vel quod ipsum impediebat intimationem. Tum quia in sententia declaratoria dicitur breue, virtute cuius fuit declaratio facta, fuisse legitimè intimatum Capitulo, canonicis, & aduersario. Tum quia præfatum monitorium non continebat clausulam, vt haberetur pro satis intimata, si non esset tutus accessus, vel si Capitulum & canonici impedirent intimationẽ, quod requiritur iuxta cl. 1.[c] & iuxta multa alia, quę scripsit Fel. in cap. quoniam frequenter.[d] Tum quia nec notarius ipse, qui notificauit in loco in cõpetenti, dicit non fuisse tutum ei accessum ad Capitulum, neque quod illud impediebat intimationem. Tum quia Prior, & hi qui eum comitabantur, nihil durè responderunt: quia solùm in summa dixerunt, eos non constituere ibi Capitulum ad negotia facienda, & quod responderent cum in loco competenti eis intimaretur.

3 Tertiò, quòd certum est etiam non esse factam legitimè intimationem cæteris, qui non aderant cum Priore, cũ ei intimatio facta fuit quia intimatio, quę fit alicui ad inferendum ei præiudicium aliquod; si non obediat contẽtis in insinuatione, facienda est personę proprię, vel procuratori eius ad id sufficienti mandato munito,[e] & ipsi non erant præsentes, nec qui erant præsentes erant procuratores eorum.

4 Quarto, quod magis potest dubitari de ipso Priore, & aliis canonicis præsentibus, qui eum comitabantur. Pro parte enim affirmante facit, quod actus consistens circa merum factum, & pertinens ad Capitulum, potest expediri per canonicos singulariter sine Capituli congregatione: quæ communis est sententia Innocentij Compostellani, Ioannis Andreæ, Butrionis & Imolæ, quos refert Felinus,[f] & tandem sequitur eos, dicens, non esse tutum ab ea recedere: & in proposito agitur de actu continente merum factum, scilicet receptionem A. cui iam est quęsitum ius per prouisionem Papæ.

5 Pro parte autem negante faciunt quædam Dominici dicta, quæ ipse ibi citat, & alia fortiora, quæ possunt eã confirmare; si adeo expediret nostro proposito, & sentẽtiæ, in qua fui olim in illo cap. scilicet limitandam esse illam communem sententiam, vt tantùm procedat in actu facti, quem canonici possint singulariter sine Capitulo facere, vt si iuberentur soluere aliquam summã pecuniæ, ad quam soluendam quilibet pro rata esset cõdemnatus.

6 Non autem in actu, qui nequiret fieri vtiliter ab aliquo, vel aliquibus eorum, nisi maiorem partem Capituli cõstituerent. & in casu proposito, in quo agitur de tradẽda possessione sessionis in Capitulo, & choro, & iurium ad archidiaconatum pertinentium, occurrit actus, qui vtiliter à singularibus canonicis fieri non potest, nisi saltẽ conueniret maior pars eorum: & quia non constat, quod intimatio fuerit facta nisi Priori, & paucis canonicis; arbitror eos excusatum iri à censuris, saltem si non contradixerunt, quos non constat contradixisse. Salua, &c.

a In ca. eã te. de rescrip. & in c. cum omnes de constit.
b Et alij in alijs locis ab eis allegatis.
c de iudic.
d § porro. col. 3. & sequen. vt lite non contest.
e Clem. causam quæ. de electio.
f In ca. eã te. nu. 13. de rescrips.

## DE SEQVESTRATIONE POSSESSIONIS ET fructuum.

### SVMMARIVM.

1 *Sequestrum positum iuxta clem. 1. de sequest. poss sola concordia iudiciali etiam cum extinctione litium a iudice facta nõ tollitur.*

2 *Suspensio facta vsque ad tempus, eo adueniente tunc spirat, quando tempus est certum: at si possit dubitari an aduenerit vel sit præstitum quod iubebatur, requiritur iudicis declaratoria.*

## CONSILIVM I.

AN sequestrum positum in casu clem.[a] infirmetur per concordiam factam inter partes cum extinctione litium ab ipso iudice facta?

1 Pro affirmatiua facit, quod sequestratio, de qua in d. clem. fit durante lite, at per talem concordiam finita est lis auctoritate iudicis, ergo non durat: quia factum vsque ad aliquem terminum, non durat adueniente illo secundum Innocentium.[b]

2 Sed contra videtur dicendum per resolutionem eiusdem Innocentij,[c] videlicet quod quamuis suspensio facta quo ad aliquod certum tempus per aduentum illius tollitur, quia nulla potest esse dubitatio de illius aduentu, suspensio tamen facta donec satisfaciat, non tollitur, donec iudex declaret esse satisfactum: quia posset vna pars id affirmare, & altera negare. Cùm ergo in quæstione proposita possit vna pars dicere litem non esse extinctam, nec cõcordiam validam, videtur durare sequestrum, donec iudex declaret finitam esse litem, & concordiam validam.

a 1. de sequest. possess.
b In cap. cum bona. de ata. & qualit.
c Ibidem.

## DE CONFESSIS.

### SVMMARIVM.

*1 Monialem se esse quæ asseruit, & coram vicario Episcopi interrogata confessa est, si postea cum iuramento interrogata dicat contrarium, ex causa attendi, potest secunda confessio, & seqq.*

*2 Confessionem à se factam quis non reuocat, staturq; primo dicto regulariter. nu. 6 fallit si secunda confessio sit extorta per tormenta. nu. 3. vel per iuramentum, nu. 4. vel quando secunda facta in loco libero, cum prima esset facta timore reuerentiali simulque in materia requirente plenam libertatem, num. 4. & 5. vel quando contra primam subsunt præsumptę subornationes, nu. 5. & 6.*

*2 Tertio secunda depositio præualet priori nulliter receptæ.*

## CONSILIVM I.

2 QVædam puella diues opera patris ingressa fuit quoddam monasterium, animo, vt ipsa postea dixit, quotiescumque vellet, exeundi: quę post aliquot annos persuasa, vt creditur, ab Abbatissa, monialis facta est. quod ægrè ferens pater, qui eã nuptui tradere cupiebat, protestatus fuit de nullitate professionis, & simul operam dedit, vt super eo ab Episcopi vicario examinaretur, quæ respondit simpliciter se esse monialem. itaque videns pater, quod filia subornata, dum in monasterio permaneret, ob verecundiam, & reuerentiam Abbatissæ, & monialium in dictis persisteret, obtinuit causam committi, & filiã è monasterio educi, prout factum est: & sic educta à commissario examinata iureiurando respondit se numquam proposuisse fieri monialem. Quæritur, an prima confessio præualeat posteriori confessioni.

Respondeo primò, quòd quæstio hæc est valde difficilis, & plurima pro vtraque ipsius parte adducere posset is, cui esset otium id faciendi. Pro parte enim affirmatiua videtur casus vulgatus in l. *generaliter*,[d] cuius verba transferuntur in c. *per tuas*.[e] ibi, *Nimis indignũ sit, vt quisque quod sua voce dilucidè protestatus est, in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmare*. Deinde quod Bart.[f] quem sequuntur plurimi, & in his Panor m.[g] tenet primum dictum etiam extraiudiciale testis præferendum esse dicto posteriori etiam iudiciali iurato: pro quo faciunt illa omnia, quæ ipse Bartholus & alij multi in variis locis adducunt pro suo dicto.

2 Pro parte autem negante posset adduci primo gloss.[h] & alia quæ est solemnior,[i] quatenus habet priorem depositionem testis nulliter accepti postponendam esse depositioni posteriori: & quod communis opinio Doctorũ est contra Bartholũ, vt inter alios ait Philippus Decius, qui plurimos in id citat.[k] Secundo adduci potest etiã textus,[l] quatenus probat dicto secundo standum fuisse, licet pro primo dicto aliquot graues coniecturæ concurrissent.

3 Tertio possent adduci iura illa omnia, quibus probatur confessioni posteriori per tormenta extortæ esse potius standum, quàm confessioni priori sine tormentis factæ.[m]

Secundo respondeo, quòd narratio casus non videtur sufficienter facta: quia nõ narratur, nec explicatur an prędictus Reuerendissimus iudex, cui hæc causa cõmissa est,

d C. de nõ nu mer. pecu.
e De probat.
f In le. eos. ff. ad le. Corneliã de falsis.
g In consi. 52. 1. par.
h In d. ca per tuas.
i Ca. cũ causam. de testib.
k In d. ca. per tuas.
l In d. c. literas. de præsumpt.
m L. recep. & l. nimis. §. 1. ff. de quæst. & l. fin. C de testib. & aliis similibus.

A interrogauerit denuo præfatam puellam super his, quæ antea dixerat, vt responderet præstito iuramento, neque satis declaratur, an prædicta puella exiens à monasterio reclamauerit coram iudice, vel tantùm extra iudicium, & an iurata, vel iniurata.

4 Tertio respondeo, quod præsupposito eo, quod videtur verisimile, quòd prædicta puella cùm exiit, reclamauerit coram iudice, & cum iuramento: vel saltem postea coram Reuerendiss. commissario id fecerit, videtur standum esse posteriori confessioni, & nõ priori, attẽto, quod prior sine iuramento fuit facta, & secunda cũ eo; & quod iuramentum est tortura quædam spiritualis, vt in hoc ipsum propositum ait Panormitanus,[a] & quod confessioni B posteriori factę per torturam est standum.[b] Attento item quod prior confessio facta fuit timore reuerentiali Abbatissæ præsentis cupientis illam habere monialem, & succedere in bonis eius, qui excusat in his, quę sunt libertati valde grauia,[c] adeo quod glossa singularis,[d] argumẽto illius textus & nonnullorum, quæ in eo citantur, dixit quod timor reuerentialis efficit, ne valeat professio etiã quo ad forum exterius, quam & nos tenuimus allegando eam in Manu. confess.[e]

5 Attento tertio, quod confessio mulierum in his, quæ pertinent ad matrimonium spirituale vel carnale, debet fieri in loco libero, & plenę libertatis,[f] ad hoc vt sibi prę- C iudicet: & quod posterior confessio est facta in loco libero, prior autem non ita; & quod ipsa ob prædictum timorem non fuit id protestata; pater tamen eius protestatus fuit, quòd multum ad hoc facit.[g] Attẽto itẽ quod multa cõcurrunt ad suspicandũ, quod subornata, & verecundia sexus adacta dixit ea, quæ corã prædicto vicario cõfessa fuit, nempe quòd fuit ingressa monasteriũ eo animo, vt fieret monacha, & quod eo animo accepit habitũ monachalem; & quod vere non habuit, vt ipsa etiam in postrema confessione significat, animum se monacham faciendi; & quod pater id videns pręparauit sibi nuptias, & fecit easdem denunciari; quod non fecisset, si certo non D intellexisset eam velle matrimonio coniũgi: & quod simulac egressa fuit, reclamauit, & affirmauit nullum vmquam talem animum habuisse: & quod ante illam confessionem fuit spõsa à patre, & aliqua id genus alia: quæ coniuncta cum tribus præcedentibus coniecturis satis mouere possunt iudicem ad iudicandum veriorem esse confessionem eius posteriorem, quàm priorem.

6 Nec obstant opposita in contrarium; quia opinio prædicta Bartholi communiter reijcitur, vt prædictum est: & quod licet regulariter confessio prior præualeat posteriori, cæteris paribus; fallit tamen quando posterior est per tormenta extorta, vel iurata iuramẽto, quod est quædam, vt prædictum est, tortura; & cum prior E est facta metu saltem reuerentiali, vel in loco non libero, posterior autem sine vllo metu, & in loco libero; & cùm sunt aliquæ coniecturæ, quæ muniunt posteriorem contra priorem per supradicta. Quare omnia in nostro casu in fauorem posterioris concurrunt. Salua, &c.

a In d. ca. per tuas num. 11.
b L. si postulauerit. §. sed & si negauerũt. ff. de adulte. & d. l. repeti.
c L. quæ oneranda. ff. quarũ rer. actio. non dat.
d Ca. præsens. 20. qu. 3.
e Ca. 22. nu. 51.
f Ca. cum locum. de sponsal.
g Arg. c. 1. de iis quæ vi. & c. 17. de regu. Concil. Trid. sess. 25.

## DE TESTIBVS ET ATTESTATIONIBVS.

### SVMMARIVM.

*1 Testes singulares etsi non probent in foro exteriori, vnicus tamen si sit idoneus saltem iuratus dat iustam causam aliquid probabiliter credendi, etiam ad effectum credendi, sufficiẽter etiam contra Ecclesiam aliquid præscriptum. num. 2.*

*3 Verisimilia iustè credi possunt, cum contrarium non probatur nec de illo extat fama.*

## CONSILIVM I.

F QVidam N. nobilis, & ex celebri familia possidet vnam capellaniam redituũ 57000. merapitinorũ requirentẽ ex institutione sua residentiam personalem, de qua dicunt testes non esse beneficium sufficiens prædicto, & tres testes iurati deponunt 30. annis proximè elapsis seruitum fuisse illi per substitutos & vicarios, & non personaliter per ipsosmet capellanos, immo duo illorum testantur à 40. annis seruitum fuisse illi per substitutos, & non personaliter: & vnus eorum testatur seruitum fuisse illi 50. annis & amplius per alios quiete, nulla super hoc mota controuersia. Quæritur an prædictus N. possit retinere

nere illam tuta conſcientia non ſeruiendo ei perſonaliter, ſed per ſubſtitutos.

1 Reſpondetur primo, non videri ſufficienter probatum quod prædicta capellania ſit libera à reſidentia perſonali quo ad forum exterius: quia immo non probatur ſufficiẽter quod 40. annis fuit ſeruitum ei per vicarios: quoniam vix vnus teſtis teſtatur, & neuter aliorum ait id ſeruatum fuiſſe 40. annis: alter enim ſolum deponit de 30. & alter quod ſeruatum ſolum eſt illud à 40. annis paulo plus minus, & ita non concludit de 40. annis, quos requirit præſcriptio canonica iuxta cap. *de quarta*. cum ei adnotatis.[a]

2 Secundo, quod ſatis videtur probatum quo ad forum conſcientiæ, ad effectum probabiliter credendi quod 40. annis eſt ſeruitum præfatæ capellaniæ per ſubſtitutos & vicarios, quoniam dictum vnius teſtis idonei, ſaltem iurati, inducit iuſtam credulitatem, & eſt iuſta cauſa probabiliter credendi aliquid, iuxta gloſſam ſing. & recept.[b] quã poſt alios declarat Felinus,[c] & in caſu propoſito vnus teſtis idoneus ſatis probat, ſaltem quo ad forum conſcientię, quod 40. annis ſeruitum eſt ei per vicarios, & iuuatur ab alio, qui reddens optimam rationem ſui dicti, teſtatur fuiſſe id ſeruatum 40. annis paulo plus vel minus: iuuat & tertius teſtans id eſſe ſeruatum 30. annis: per quæ tria dicta probabiliter quis credere poteſt id ſeruatum fuiſſe 40. & amplius annis quo ad forum conſcientiæ, cũ prædicta capellania ſit antiqua, & tempore circiter 200. annorũ antehac inſtituta, & non eſt vlla ſcientia, nec fama contraria, quod vmquam ſuper hoc fuiſſet controuerſum: & quod capella eſt ſita Salmanticæ, vbi eſt magna Iuriſperitorum copia: & eſt veriſimile, quòd ſi conſuetudo deſeruiendi per alium fuiſſet recens, & nondum ſeruata 40. annis, eſſet ſcientia, vel fama de aliqua controuerſia ſuper hoc habita, vel mota.

3 Et ita videtur iuſtè credi poſſe, quod eius initium prçceſſit longè 40. annos, quia veriſimilia iuſtè credi poſſunt, cum contraria non probantur, vel non eſt de illis fama.[d] Salua, &c.

a De præſcri.

b In le. Titio fundus. ff. de condic. & demonſt.

c In cap. cum contingat. de reſcriptio. in princip.

d Capi. quia non eſt veriſimile. de præſumptio. & l. non eſt veriſimile. ff. de eo quod metus cauſa.

### SVMMARIVM.

1 *Credere non tenetur filius matri aſſerẽti ipſum votum emiſiſſe, ſicut nec quod ſit conceptus de adulterio.*

### CONSILIVM II.

1 AD QVAESTIONEM reſpondetur, præfatũ conſulentem nullo iure teneri ad credendum matri ſuæ dicẽti, quod cùm ægrotaſſet, vouit intrare religionem Capucinorum: ſicut & communis reſolutio Doctorũ habet, quòd non tenetur filius credere matri ſuæ nuptæ, quod genuit eum ex alio viro per adulterium.

## DE TESTIB. COGENDIS, VEL NON.

### SVMMARIVM.

1 *Clericus peccat ferendo teſtimonium in cauſa ſanguinis, & ſi ſequatur occiſio, vel mutilatio, eſſet irregularis, vnde nec poteſt cogi, vt coram iudice ſæculari tale ferat teſtimonium.*

### CONSILIVM I.

1 REſpondetur, quòd præfatus ſacerdos non poteſt cogi ad ferendum teſtimonium ſuper aliqua re, quæ moueat iudicem ad occidendum, vel mutilandum membrum. Tum quia nec paſsim etiam laici poſſunt compelli ad teſtificandum in criminalibus.[e] Tum quia clericus peccat ferendo teſtimonium in criminalibus, quando ex eius teſtimonio poſſet ſequi mors, vel mutilatio: quia clerici non debent teſtificari coram iudicibus ſæcularibus.[f] Tum quia licet ſponte ferat teſtimonium ſuper aliqua re, vnde ſequeretur mors, vel mutilatio, fit irregularis, per capitulo, *ſententiam ſanguinis*. vbi hic notat Panormitanus.[g]

e Ca. delictũ. de teſti. cog.

f Ca. quamquam 14. q. 2.

g Num. 2. ne cler. vel monach.

### SVMMARIVM.

1 *Monitorium Epiſcopi iubens denunciari furta, non ligat ſcientem, probare non valentem: at ſi mandet, vt quod quiſque ſcit tamquam teſtis reuelet, ligatur qui ſcit, etiamſi partem furti habuerit, nec poſſit probare, modo à iuſto metu vel priuilegio non excuſetur.*

### CONSILIVM II.

1 REſpondeo, quod pręfatus communicans ſecreto in furto, accipiendo partem illius, quod furto ſubtractũ fuit, non tenetur ad denũciandũ, ſi non poteſt probare, quãdo Epiſcop9 ſolũ iubet denũciari id ꝙ ſcitur; ſed ſi iubet vt reuelet id ꝙ ſcit tãquã teſtis, tenetur dicere id ꝙ ſcit: & hoc eſt quod ego dico in Man. meo confeſſ. loco præcitato. Et ideo prædictus D. conſulens perpendat an Epiſcopus iuſſerit denunciare ſolum, an etiam teſtificari, vel reuelare, vt teſtem, quod ſcitur: quia priore caſu non tenetur quicquam reuelare, ſi nõ poteſt probare; poſteriore autem ſic, ſi iuſtus metus, vel aliquod priuilegiũ cognationis, vel aliud non excuſat à teſtificando, vt ibidem diximus.

## DE FIDE INSTRVMENTORVM.

### SVMMARIVM.

1 *Beneficij collatio inſtrumento notarij ſigillo, ſed non ſubſcriptione Epiſcopi munito, immo etiam teſtibus ſolis ſine ſcriptura probatur.*

1 *Literis Epiſcopi ſigillatis, etiam non ſubſcriptis, in his quæ eius officium tangunt, vt eſt collatio beneficij, creditur.*

### CONSILIVM I.

AN ſufficiat ad probandam collationem beneficij, vt conſtet per inſtrumentum notarij Epiſcopi ſigillo communitum ſine ſubſcriptione Epiſcopi.

1 Reſpondeo affirmatiuè. Tum quia nullo iure id requiritur, vt colligitur ex c. 1. & 2.[a] cũ eis adnotatis. & ex c. *quoniam contra falſam*.[b] Tum quia etiam literis Epiſcopi ſigillatis ſine vlla ſubſcriptione creditur in his quę pertinẽt ad officium eius, etiam ſine ſubſcriptione notarij, vt tradit poſt alios Decius.[c] Tũ quia collatio Epiſcopi probari poteſt teſtibus ſine alia ſcriptura Epiſcopi, iuxta deciſionem Rotæ;[d] Salua, &c.

a De fid. inſtrum.

b De probat.

c In capi. poſt ceſsionem. de probat.

d 38. de probat. in antiq.

### SVMMARIVM.

1 *Antiquitas decem, vel ſaltem triginta annorum facit præſumi in actu omnes etiam extrinſecas, etiam non enunciatas, interueniſſe ſolemnitates, ac requiſitam agentium poteſtatẽ, ſigillaque eorum, quibus adſcribuntur, fuiſſe, defectusq; nunc apparentes fuiſſe recognitos.*

2 *Antiquiſsima duo inſtrumenta, tranſumpti inquam in quo refertur ipſum originale, adiunctis adminiculis præſertim famę præſumptiuè probant iuspatronatus ad effectum ſuſtinẽdi præſentationem; licet in dicto inſtrumento aliqua poſſent deſiderari.*

### CONSILIVM II.

PVtans me interrogari vnam quæſtionem, reſpondi aliqua, quæ conuenit mutare, vt aptentur alij, quã nunc interrogor, & ob breuitatẽ temporis cogor ex tempore reſpondere, vrgentibus me ad id maxima interrogantem caritate, beneuolentia, & amicitia. Reſpondeo igitur videri mihi duo in negotio propoſito.

1 Alterũ eſt, quod, ſalua ſentẽtia Reuerendiſſ. DD. Rotę, quos ego maximè ſuſpicio, ſola duo inſtrumenta præſentata per D. Ferdinandum ad probandum ius patronatus, de quo agitur, pertinere ad monaſterium & conuentum, qui eum præſentauit, ſine aliis adminiculis ſufficiũt de rigore iuris per ea quæ Felinus poſt ſe & alios à ſe citatos ſcribit,[e] aſſeuerando quod in publicatione ſcripturarum, & in receptione teſtium ad futuram rei memoriã, pręſumitur citationẽ neceſſariã interueniſſe: quia nõ ſolũ ſolẽnitas intrinſeca actus præſumitur interueniſſe in eo, ſed etiã ſolẽnitas extrinſeca, etiã nõ enũciata in inſtrumẽto, quãdo illud eſt antiquũ, & probat dici ãtiquũ ſi fuit factum ante decennium, vel ſaltem ante trienniũ: & in caſu propoſito tam originale relatum in tranſumpto, quã m ipſum tranſumptum, ſunt antiquiſsima; nam originale fuit factum ante circiter ducentos annos, & tranſumptũ ante circiter centum quadraginta, & quod tranſumptum fuit factum coram teſtibus, & quod ambo fuerũt ſigillata, & quod non probatur efficaciter, quòd ſigillũ debeat probari eſſe munitum nomine ſigillatoris characteribus expreſſo, & quod adeo antiquiſsima antiquitate vidẽtur inducere præſumptionem quod erat tale, quale eſſe debebat; & quod index, qui dedit auctoritatẽ tranſumptui,

e In c. Albericus. de teſt. num. 3. & 4. vſque in fin.

præſumi poteſt fuiſſe ordinarius, vel delegatus ſpecialiter ad illum actum propter præfatam antiquitatem, & quod etiam præſumi poteſt præfatos defectus viſibiles, ſi qui erant, vidiſſe iudicem tranſumpti, & non fuiſſe approbaturum illud, niſi per alia, quæ ibi non narrantur, ſuppletos fuiſſe cognouiſſet, quod per exempla inducta per Felin. & alia ſimilia poteſt comprobari, ſi ſatis expendantur.

2 Alterum, quod videtur, eſt, quod illa duo inſtrumenta adeò antiquiſsima, adiunctis adminiculis, quæ nunc præſentãtur ad probandum præfatum iuſpatronatus pertinere ad præfatum monaſterium, in dubio probant illum ad effectum, de quo quæritur, præſertim fama illa tanti tẽporis vulgatiſsima, & religio nobiliſsima, nobiliſsimè in eo ſeruata, & quod nec aduerſarius dubitauit ius præfatum patronatus ad præfatum monaſterium aliquo modo pertinuiſſe, quod nec nunc, niſi læſa conſcientia, iure negare poſſe videtur.

*SVMMARIVM.*

*1 Excommunicato, ac etiam irregulari expedit, fidem abſolutionis obtentæ in foro conſcientiæ habere à confeſſario per eius ſchedulam priuatam, vel inſtrumentum, vel & cautius per ſchedulam clauſam firmatam ab extra manu notarij.*

## CONSILIVM III.

AN abſoluto ab excommunicatione, vel ab irregularitate quo ad forum conſcientiæ tantùm, expediat habere literas eiuſmodi abſolutionis, & quales poſsit habere ſine violatione ſecreti?

1 Reſpondeo, expedire multùm ad euitandam pœnam quæ poſſet ei imponi in exteriori foro propter contemptum excommunicationis, vel legis, poſſe autem ſibi parare, curando, vt confeſſarius, qui virtute literarum Pœnitentiariæ in foro tantùm conſcientiæ abſoluit, coram notario & teſtibus, tradat abſoluto ſchedulam clauſam, & ſignatam, dicendo quòd ipſe abſoluit illum confeſſum eo modo, & de eo, quòd continetur in ea, notarius autem in dorſo eius ſcribat, quod tali anno, menſe, & die rogatus fuit corã talibus teſtibus à tali cõfeſſario, & abſoluto, vt eiuſdem rei fidem faceret, & poneret ibi ſuũ ſignũ publicũ eo modo, quo in teſtamento in ſcriptis facto iure fieri debet, & fieri conſueuit: quod longè cautius videtur, quàm id, quod ſcio conſultum fuiſſe à viro quodam perdocto, videlicet, vt notarius duceretur ad confeſſarium, qui coram eo & teſtibus abſolueret: quia id cum periculo publicandi ſecreta fieret: cautius item, quàm id, nempe quod cõfeſſarius faciat fidem per ſuam ſchedulam tãtùm: quoniã, licet vtrumq; ſuſtentari poſſet id ſufficere, per c. *teſtimonium*. iũcta gloſſ. de teſtibus: quia tamẽ opponi poſſet, vel ſubſcriptionem ipſius non eſſe illius confeſſarij, maximè ſi eſſet mortuus, vel quod illa non fuit data quo tempore in ea dicitur, ideo ſecurius videtur eſſe quod diximus. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

*1 Maior Pœnitentiarius, antequã per Piũ V. officium Pœnitentiariæ reſtringeretur ad forũ conſcientiæ, de abſolutionibus & diſpẽſationib. quas in vtroq; foro faciebat, dabat, & merito etiã, publicũ teſtimoniũ, nunc autẽ nec ipſe, nec ij, quib. vt in dicto foro conſcientiæ abſoluant & diſpenſent mandat, iuſtè illud dare poſſunt. nume. 2. & ſi darent, nihil prodeſſet: quia iudex fori exterioris nedum non teneretur, immo nec poſſet in præiudicium partis illi credere. nu. 3.*

*4 Teſtimonio dato à Pœnitentiario, vel ab iis qui ſolum in foro conſcientiæ ex eius facultate abſoluunt, ſeu diſpenſant, eouſque poteſt credere iudex fori exterioris, vt ceſſante aduerſario poſsit diſſimulando perinde ſe cũ prædictis gerere, ac ſi nõ eſſet ligati.*

## CONSILIVM IIII.

QVotidie in ſacræ Pœnitentiariæ prætorio abſoluuntur multi à cenſuris, & ab irregularitatibus, & deſiderant vt eis tradantur illæ abſolutiones in forma probandi authenticè, ſi Pœnitentiarius maior eam faciat per ſe vel alium pœnitentiarium prætorij, vel ſi fiat per commiſsionem, ipſi commiſſarij faciant fidẽ ſufficientem per ſeipſos, vel per notarios, publicos corã quibus eam fecerint. Quæritur an deſiderium ſit iuſtum.

1 Et quidem intelleximus, variè à variis ad hoc fuiſſe reſponſum: ſed videtur reſpõdẽdum aliter, ſcilicet diſtinguendo tempus, in quo olim publicè petebantur huiuſmodi abſolutiones; & alia, quæ ſacrum illud pretorium expedire ſolebat publicè quo ad vtrumque forum tã exterius; quam interius, antequam fe. rec. Pius V. reformaret illud pretorium, reſtringendo eius facultates, & diſpenſationes, atque abſolutiones quo ad forum conſcientiæ tantùm; & quod illo tempore deſiderium præfatum erat iuſtum, & adeo quidem, quod etiam hodie dantur copię authenticę, ſi petantur, de actis illo tẽpore, quę quo ad vtrumque forum valebant: quia de non exiſtentibus & non apparentibus idem eſt iudicandum.[a]

2 Sed quod hodie, poſteaquam prefatus Pius V. reformauit præfatam ſacram Pœnitentiariam, & reſtrinxit facultates eius quo ad forũ conſcientiæ tantùm, non eſt iuſtum deſiderium. Tum quia deſideratur vt fiat aliquid ab eo, qui non habet iuſtam poteſtatem id faciendi, quod eſt iniuſtum.[b] Tum quia peccarẽt tam iudices, quàm miniſtri eiuſdem prætorij; reuelando ſecreta quę in eo dicuntur & fiunt, in graue preiudiciũ partiũ ibidẽ aliqua petentium & confitentium, contra iuramenta, quæ preſtãt ab initio ſuſceptorum officiorum; quod eſt peccatũ graue contra ſecundum præceptũ decalogi,[c] relati per gloſſam ſingularem.[d]

3 Tum quia id quod deſideratur, eſſet fruſtraneum: quoniam nullam fidem facerent prefatę abſolutiones quo ad forum exterius: quia in eo tam iudex Eccleſiaſticus; quàm ſæcularis poſſet iudicare contra in eis contenta, cum extra territorium ius dicenti impune non pareatur.[e]

4 Qua in re tamen omnibus addo, quod mea ſententia abſque vllo peccato poſſent iudices exterioris fori diſsimulare ſe neſcire peccata illa, quorum abſolutiones oſtẽderentur eis factę quo ad forum conſcientiæ tantùm, ad effectum dimittendi illos impunitos, ſi ex ſuo tantùm officio ſine vllo præiudicio publico & priuato procederẽt; quia huiuſmodi diſsimulatio videtur vtilis, quę licita eſt.[f] DIXI, *Si procederent ex officio: & ſine vllo publico vel priuato præiudicio.* quia ſi procederent ad inſtantiam partis vel fiſci pro earum publico vel priuato intereſſe, peccarent; quia iniuſtum quo ad forum exterius in illo foro facerent; cõtra l. *ius pluribus*.[g] & contra cap. *iudicet*.[h] & notata in cap. *paſtoralis*.[i] quatenus probant eſſe iudicandum ſecundum allegata & probata.

a *L. duo ſunt Titij. ff. de teſt. tutel. & c. ſi ſacerdos. cum gloſſ. de offic. ord.*
b *Arg. totius tit. de foro cõpet. & tit. ſi à non competẽ. iudice. C.*
c *Exod. 20.*
d *In ca. quod in omnib. 32. q. 7.*
e *Le. fin. ff. de iuriſd. omniũ iudic. & c. 2. de conſt. li. 6.*
f *Ca. vtilem. 22. quæſt. 2.*
g *ff. de iuſtitia. & iure. & contra le. illicitas. §. veritas. ff. de off. præſid.*
h *3. quæſt. 7.*
i *§. quia vero. de offi. deleg.*

## DE PRAESVMPTIONIBVS.

*SVMMARIVM.*

*1 Præſumptio illa aſſumenda eſt, quæ videtur veriſimilior, & per quam euitatur periculum, & cui conformis eſt ſtylus, & per quam facientis euitatur ſtultitia.*

*1 Diſpenſandi ad omnes ordines facultate præditus, diſpenſando in dubio ad omnes, cenſendus eſt diſpenſaſſe, & non ad vnum tantùm: nam gradatim diſpenſando, cũ periculo cogeretur ad ſingulos ſingulas contra ſtylum facere diſpenſationes.*

*2 Occultus irregularis cenſendus eſt, qui apud Turcas fuit circũciſus, licet quidam ex præſumptione talẽ priuatim obiecerint defectum. num. 2. iuncto caſu.*

## CONSILIVM I.

PVER quidam captiuus apud infideles volens circũciſus fuit, & à fide apoſtatauit; poſtea cum res eſſet ſecreta, in patriam reuerſus ſecretè in manibus Inquiſitoris abiurauit apoſtaſiam, & ab eodem fuit ſecretè reconciliatus. Demum cum intraſſet religionem approbatam, Pontifex ad petitionem ſui ſuperioris cõceſsit, vt hic poſſet ad omnes ordines aſcendere: neſcitur tamen, an Pontifex hoc conceſſerit in forma gratioſa: vel per commiſſionem. Iis ſic peractis, dictus ſuperior iuſsit oratorẽ ipſum ſuſcipere primò ordines minores, ſecundò iuſsit vt ſumeret ſubdiaconatum; tertiò diaconatum, quos in dicta religione aſſumpſit. Poſtremò iam dictus orator de licẽtia Pontificis tranſiuit ad laxiorem religionem, in qua cũ nouitius eſſet, prout etiam nunc eſt, tacitis prædictis omnibus vt ſupra ſubſecutis, tamquam legitimus diaconus de licentia huius ſecundi ſuperioris aſcendit ad ſacerdotiũ. Dubitatur modo, an hic ſit tut⁹, ita vt poſsit celebrare

cum

cum non poſsit ſciri, vt dictum eſt, an Pontifex dictam gratiam conceſſerit in forma gratioſa, an vero per commiſsionem datam ſuperiori dictæ primæ religionis, qui cùm oratore ipſo vniuerſaliter nõ diſpenſauit, ſed ſolùm prima vice iuſsit, vt quatuor minores aſſumeret, ſecunda iuſsit vt aſcenderet ad ſubdiaconatum, tertia, vt ad diaconatum promoueretur: & quatenus ſit neceſſaria diſpenſatio, an ſufficiat eam obtinere in foro conſcientiæ, cum dicta apoſtaſia in hac ſecunda religione omnino ignoretur, & in prima etiam neſciatur, licet in ea quidam ex præſumptione eamdem ei obiecerint extraiudicialiter, & in priuatis iurgijs.

1 Reſpondeo, iuſte (mea ſententia) credere poſſe præfatum religioſum ſe eſſe rite ordinatum. Tum quia probabiliter credere poteſt, quòd Papa ipſe dixit prælato ſuo petenti habilitatem pro prædicto ſubdito ſuo, verba, quibus formaliter, vel æquiualenter fecit eum ad eos habilem. Tum quia probabiliter credere poteſt, quòd prælatus eius fecit eum habilem ad omnes illos ſimul, ſi Papa ei commiſit poteſtatem id faciendi, quoniam non eſt veriſimile, quod prælatus particulatim eũ habilitabat nunc ad hunc ordinem, nunc ad alium. Non enim erat boni & prudentis prælati, id facere cum periculo, quòd ipſo mortuo oporteret iterum refugere ad Papam: & communis ſtylus commiſſariorum ad habilitandum quem ad omnes ordines, habet, vt vnico actu id faciant: & non eſt præſumendum quid ſtultum & malum de bono prælato,[a] & quæ communiter accidunt, ſunt credenda,[b] & inſolita non ſunt credenda.[c]

2 Quamuis ad redundantem cautelam poſſet peti à ſummo Pœnitentiario, vt prædictam ordinationem haberet ratam, & diſpenſaret ſuper irregularitate, ſi & quatenus opus eſſet: quamuis mihi videatur non eſſe opus. Salua, &c.

[a] Cap. vnico. de ſcrutinio.
[b] L. ſiue poſſidetis. C. de probat. & glo. l. neque natales. eod. tit.
[c] Ca. quia nõ eſt veriſimile. de præſũp.

SVMMARIVM.

1 *Regularis ſimplex omnia quæ antea habebat, & poſtea quoquo modo acquiſiuit, ſuo monaſterio ſeu ordini acquirit, at quæ poſt prioratum ſeu beneficium quæſiuit, beneficio acquirit: ita tamen illorum habet adminiſtrationem, vt fructus expendere in ſui & ſuorum honeſtam ſuſtentationem, & in opera pia largiri poſsit, num. 2. & hoc etiam dum in extremis agit, nu. 1. non tamen per donationem cauſa mortis. nu. 2.*

3 *Debitori ſuo mandans moribundus prælatus, vt vnam tertiam crediti det vni, & aliam tertiam alteri, nihil de reliquo dicens, non ob hoc cenſetur reſiduum debitori donare, etiamſi ſit illius conſanguineus.*

## CONSILIVM II.

PRIOR regularis quædã ſua bona patrimonialia Titio nepoti ad negotiandum contulit, & dum in extremis ageret, dictorum bonorum à Titio ratione reddita, iuſsit vt ex illis 50. vni, & 100. alteri traderentur. quo facto Prior mortuus eſt. Vnde dubitatur, an Titius tuta conſcientia dictorum bonorum reſiduum retinere poſsit, ex præſumpta donatione.

1 Illud in primis occurrit, quod D. conſulens fallitur putans, quod Prior potuiſſet habere dominium maius in bonis patrimonialibus, quàm in alijs bonis prioratus: quoniam religioſus per profeſsionem perdit dominium omnium bonorum patrimonialium, quæ ante profeſsionem habebat, & capacitatem habendi dominium illorum, vel aliorum in tota vita ſua: ita quod omnia quæ ante profeſſionem habebat, per illam fuerunt facta monaſterij, vel religionis, & omnia quæ poſt eam ſiue donatione, ſiue ſucceſsione, ſiue alia quacumque induſtria ſua quærit, acquirit monaſterio, vel ordini, ſeu religioni, quam profeſſus eſt antequam Prior efficeretur, & ea quæ poſtea quæſiuit, acquiſiuit ipſi prioratui, vt nos late probamus in comment. 2. de regul.[d] per authen. *ingreſsi.*[e] & alia, quæ ibi poſſunt videri.

2 Deinde, quod præfatus Prior licet poſt profeſsionem nullius rei temporalis dominium, neque poſſeſsionem ſuo nomine potuiſſet habere, potuit tamen habere adminiſtrationem, & facultatem diſponendi de fructibus prioratus, & omnium bonorum, quæ quoquo modo quæſiuit, ad ſuam & ſuorum decentem ſuſtentationem, & ad largiendum pauperibus, & alijs operibus pijs, & remuneratorijs. Ex quibus liquidò infertur potuiſſe præfatum Priorem donare Titio intuitu paupertatis, pietatis, vel remunerationis, ſi quæ interueniſſet, reliquum, quod remanſit penes eum poſt rationem redditam eorum, quæ in ſocietatem dederat ei prædictus Prior, vel ſaltem tantùm, quantùm prædicta paupertas, pietas, vel remuneratio exigebat.

[d] Super c. nõ dicatis. 12. q. 1.
[e] C. de ſacroſan. eccleſ. & ca. in præſentia. de probationibus.

3 Sed dubium eſt, an præfatus Prior per præfata verba, quibus dixit, vt de præfato reliquo 50. daret vni, & centum alteri, nihil de alijs expreſsè diſponens, præſumatur voluiſſe alia donare Titio. Quod enim noluerit, facit, quod nemo in dubio videtur rem ſuam donare alij.[a] Pro contraria verò parte facit, quod ægrotabat, & quod diſpoſuit de duabus partibus illorum, quæ Titius tenebat, & non apparet alia ratio, cur tacuiſſet de alijs partibus, niſi quia voluit, vt illę manerent cum Titio, ſi moreretur. Sed huic argumento reſponderi poteſt, quod non concludit voluiſſe donare ſimpliciter & inter viuos, ſed tãtùm cauſa mortis, & quod licet religioſus habens beneficium regulare, vel ſæculare, poſsit donare intuitu paupertatis, pietatis, vel remunerationis inter viuos, non tamen poteſt per vltimam volũtatem, neque per donationem cauſa mortis, quæ quo ad hoc æquiparatur: conſanguinitas autem, vel ſocietas exercendi negotiationem, parum prodeſt D. conſulenti, quia non eſt iuſta cauſa, vt religioſus etiam beneficiarius poſsit donare alicui de reditibus ſui beneficij, vel alijs alia ratione quæſitis.

4 Vnde ſequitur, quod præfatus Titius de rigore iuris non poteſt retinere illam partem bonorum, quæ remanſit penes eum, propter verba præfata. Cui conſulendum, vt aliquam bonam compoſitionem procuret facere cum eo, qui ſucceſsit in prioratu, ad quem iure pertinet. Salua, &c.

[a] Le. cum de indebito. ff. de probat.

SVMMARIVM.

1 *Suſpenſionis cenſura, nec dum infligitur, nec dum tollitur, vllam certam verborum formam præſcriptam habet.*

3 *Prohibitus celebrare à iudice in ſcriptis, cenſetur ſuſpenſus, ſecus, ſi ſolo verbo, nec præſumatur iudicem velle delinquere. & num. 2.*

## CONSILIVM III.

AN prohibitus à prælato ne celebret, videatur ſuſpenſus?

1 Pro parte affirmante facit, primò, quod nulla forma verborum eſt præſcripta ad ferendam, nec ad tollendam ſuſpenſionem, ſed ſufficiunt quæcumque id ſignificantia, vt dicimus in Manua. confeſſ.[b] Secundo, quod tota definitio ſuſpenſionis in d. Manua. ſerio concepta, & declarata[c] videtur ei conuenire.

2 Pro parte verò negante facit primò, quod ſuſpendens verbo ſine ſcriptura, delinquit, & punitur ſuſpenſione.[d] Secundò, quod magna cum prouidentia debet imponi, vt habetur in d. cap. 1. & per prohibitiones huiuſmodi, cum prohibens non vtitur verbo *ſuſpenſionis.* videri poteſt nolle ſuſpendere: & quod prohibitio de non communicando vel non celebrando à confeſſario facta, non cenſetur ſuſpenſio, vt vbi ſupra dicitur, reddendo rationem cuiuſdam dicti gloſſę cap. *is qui.* de ſentent. excomm. lib. 6.

3 Pro concordia horum in pręſentia occurrit dicendum, quod, ſi prælatus in ſcriptis faciat huiuſmodi prohibitionem, cenſetur ſuſpendere: quod probant argumenta pro parte affirmante adducta. prohibens autem verbo tantùm præſumitur ſolam ſimplicem prohibitionem facere, argumen. l. *ſi procurator.*[e] cum ſuis concordantibus quatenus probant, in dubio neminem præſumi facere actum eo modo, quo ſit delictum. At, qui prohibet celebrare ſine ſcriptura, facit actum, qui poteſt iudicari delictum, & non delictum: nam ſi facit animo ſuſpendendi, delinquit, adeo quod ipſo iure incurrat ſuſpenſionem: ſi verò facit animo non ſuſpendendi, ſed ſimpliciter prohibendi, non videtur delinquere: ergo præſumendus eſt nolle ſuſpendere.

[b] Ca. 27. nu. 161.
[c] Vbi ſupra num. 151.
[d] Ca. 1. de ſentent. excom. lib. 6.
[e] ff. de condit. indeb.

SVMMARIVM.

1 *Acolytatu probato non probatur prima tonſura, nec alij minores.*

2 *Sacerdotio probato, cum de antiqua ordinatione agitur, &*

*constat ordinatorem fuisse virum insigni virtute præditum. alij minores ordines probantur.*

CONSILIVM IIII.

AN probato acolytatu probetur prima tonsura?

1 Respondetur primò, hunc D. consulentem debere per se, perque suos adhibere diligentiam quærendi literas psalmistatus monendo & ad memoriam reducendo à quo Episcopo, & in quo episcopatu, & coram quo secretario fuit initiatus præfato psalmistatu, quibus inuentis, bona pars dubitationis excluderetur.

Secundo, quòd illis literis non inuentis, & sublata spe inueniendi, debet impetrare à suo Episcopo literas dimissorias, per quas assumere posit prædictum clericatum antequam consequatur beneficium, ne illius collatio ei ante clericatum facta sit ipso iure nulla, iuxta cap. *ex literis*.[a] & notata in cap. *cum adeo*.[b]

Tertio, quod debet idem consulens rescribere ad patriam, vt sedulò & diligenter quæratur in illo registro notarij, in quo inuenitur illum insignitum fuisse acolytatu, an inueniatur etiam insignitus alijs tribus ordinibus minoribus, quia quatuor ordines minores olim in Hispania simul conferri solebant: quod si ratione Concilij Tridentini cœperint singulatim in illa regione, in qua est illud registrum, conferri, quæratur an sit erratum in accipiendo transumptum ex eo, ita quod sciatur an verum sit eum esse acolytū, an non: quo præscito certius consulatur.

2 Quarto, quod licet teneamus cum Panormitano[c] recepto Felino & aliis quos ipse citat,[d] quòd probato sacerdotio censentur probati alij omnes minores ordines, quando agitur de ordinatione antiqua, & probatur quod ordinator erat insigni virtute præditus, non tamen ex eo satis efficaciter videretur probari idem esse dicendum de acolytatu quo ad alios ordines minores: & si res in iudicium deduceretur, non esset facilis forte probatio virtutis adeo insignis, nec temporis adeò antiqui. Quare inquirenda est pro viribus veritas facti, & ea cognita, cum ius oriatur ex eo, quærenda est veritas iuris, quia est periculum, quod ei obijciatur in foro exteriori promotio per saltum, constito de promotione ad acolytatum, & non apparente promotione ad alios minores, & psalmistatum.

Quinto, cauendum esset D. consulenti, vt ante promotionem ab beneficium inueniatur legitimè ordinatus, si timet rem controuersam iri in foro exteriori. Saluo meliori iudicio.

a *De transact.*
b *De rescrip.*
c *In c. nisi. de præb.*
d *In ea. super his. de accus.*

DE IVREIVRANDO.

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum factum homini de non ludendo ad ludos malos. seruandum, sed potest relaxari ex causa etiam ab Episcopo.*
2 *Iurans sub certa pœna ludo malo vel absolutè non ludere, ludendo malo ludo ad pœnam tenetur.*
3 *Absoluere potest confessarius à fractione iuramenti.*
4 *Iuramenti pœnalis adeundi Hierusalem relaxatio non est seruata Papæ, secus in voto.*
5 *Iuramentum, sed non votum adeundi Hierusalem, relaxatur per cruciatam.*
6 *Voti dispensandi facultas per Iobelæum concessa ad iuramentum non extenditur.*
6 *Pœnitentiaria facilè dispensat super iuramento pœnali in peccati odium facto.*

CONSILIVM I.

TITIVS, cum non ad voluntatem ei ludus succederet, sponte prorupit in hæc verba: *Iuro tibi, Semproni, per Deum me amplius in vita mea non lusurum nec ad chartillam, seu chartetam, siue primeram, nec ad alium chartarum ludum, sub pœna adeundi Hierosolymam.*

Dubitatur primo, an hoc sit iuramētum obligatorium.

Secundo, si lusit, an Hierosolymam adire teneatur.

Tertio, an à confessario electo virtute Iobelæi vel cruciatæ absolui posit.

1 Ad propositas quæstiones respondetur primò, iuramentum de non ludendo ad chartillam, seu chartetam, siue primeram, & similes ludos vetitos, esse validum, & seruandum quo ad illos, qui sunt peccata genere suo præsertim mortalia, & relaxari posset iusta de causa, sicuti votum, tum à Papa, tum ab Episcopo: quia non est de reseruatis Papæ, iuxta ea, quæ tradimus in Manu. nostro conf.[e]

e *Cap. 12. nu. 75.*

A 2 Secundo, quod qui iurauit non ludere præfato ludo malo & illicito sub pœna adeundi Hierosolymam, tenetur adire illam, si fregerit illud, vt teneretur qui in genere & absolutè voueret non ludere sub simili pœna, & luderet illicitè: quod quando contingat, dicitur in d. Man.[a]

3 Tertio, quod certum est per Iobelæum, siue per bullam cruciatæ posse prædictum absolui à peccatis, quæ fecit frangendo prædictum iuramentum: quia id nullo iure reseruatur Papæ, & per Iobelæum, siue bullam cruciatæ conceditur confessario legitimè electo facultas absoluendi à peccatis: immo & proprius confessarius potest absoluere ab ipsa transgressione.

B 4 Quartò, quòd pulchrum dubium est, an alius, quàm Papa, posit relaxare iuramentum de adeundo Hierosolymam, si ludo illicito luderet. Arbitror tamen esse probabile, quòd relaxatio iuramenti prædicti, de adeundo Hierosolymam, & terram sanctam, non est reseruata Papæ, sicut est relaxatio voti id ipsum faciendi, per ea quæ de comparatione voti & iuramenti diximus in præfato Manua.[b] & secundum Tabiennam.[c]

5 Quintò, quòd certum est consequenter prædictum iuramentum potuisse relaxari iusta de causa à confessario electo legitimè per cruciatam, quamuis credam non posse relaxari per eum, etiam iusta de causa, votum de adeundo Hierosolymam: quia illud est reseruatum Papæ, &, vt C puto, dispensatio eius non conceditur specialiter prædicto confessario electo per cruciatam.

6 Sexto, dubitari posse an hoc iuramentum posit relaxari per Iobelæum à S.D.N. nuper concessum: & in præsentia inclino in prædictam negantem, quia solum concedit facultatem dispensandi super votis, nulla facta mentione de iuramentis, quæ sunt diuersa ab illis, per dicta in præfato capit.[d] & à diuersis non fit illatio, præsertim in dispensationibus, quæ sunt odiosæ, & exorbitantes.[e]

Septimò, quòd, vt puto, facile absoluetur à sacra Pœnitentiaria à præfato iuramento facto non propter deuotionem, sed ob abominationem peccati iusta de causa, D præsertim quòd sine licentia Sedis Apostolicæ non potest consulens adire Hierosolymam causa deuotionis.

a *Cap. 20. in princ.*
b *Ca. 12. nu. 32.*
c *Verb. iurare. num. 21.*
d *12. nu. 32.*
e *L. Papin ff. de minorib*, & cap. quæ à iure. de regu. iur. li. 6.*

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum absolutè vi præcisa factum vix inuenitur, & nu. 2. quia voluntas hominis vi præcisa cogi non potest.*
2 *Violentum fit à principio extrinseco passo non opitulante.*
3 *Intellectus cap. sacris. de iis quæ vi.*
4 *Iuramentum vi præcisa non obligat, conditionali sic, sed facile remittitur.*

CONSILIVM II.

QVÆSITVM est, an iuramentum absolutè metu præciso, siue per vim præcisam extortum obliget iurantem.

E 1 Respondeo primò, vix posse dari casum, in quo vllum iuramentum absoluto metu, siue vi præcisa factum inueniatur. Tum quia voluntas hominis non potest cogi violenter, siue vi præcisa ad eliciendum actum immediatè prodeuntem ab ea, idest ad volendum vel nolendum aliquid, vt tradit S. Thomas post alios receptus;[f] & nemo potest iurare nec cogi ad iurandum, si noluerit iurare.

2 Tum quia illud solum dicitur violentum, siue vi præcisa factum, quod fit à principio extrinseco passo non conferente vim, idest eo, qui patitur, non opitulante, vt post Aristotelem 3. Ethicorum tradit S. Thomas receptus,[g] quem nos quoque sequitur; in Manual. confessar.[h] F At vix inueniri potest casus, in quo quis iuret coactus à principio extrinseco, ipso non conferente vim, siue opitulante. Dixi, *Vix*: quia possent alicuius labia moueri arte Angelica vel diabolica ad inuocandum Deum in testem, ipso omnino corde & voluntate contradicente, vti quotidie videntur quidam à dæmone obsessi, loquentes lingua, Græca, Chaldæa, vel alia, quam numquam didicerunt: sed huiusmodi iuramentum non dicetur tam iuramentum eius qui iurat, quam Angeli boni vel mali, qui labia eius, vt id faciant, cogit.

3 Secundò, quòd non obstat, prædictis cap. *sacris*.[i] quia non loquitur de iurameto, sed de communione, qua quis communicat excommunicato, quæ fieri potest violenter

f *1. 2. quæ. 6. art. 4.*
g *Vbi supra artic. 4. & 5.*
h *Præl. 6 nu. 2. & 4.*
i *De ijs quæ vi.*

siue vi absoluta, cogendo membra exteriora alicuius ad aliquid faciendum, nolente & renitente ipso, vt thurificare idolo, vel manere in eadem domo cum excommunicato.

4 Tertiò, quòd huiusmodi iuramentum violenter vi præcisa, vt dicitur, factum non obligaret iurantem. Vnde nullibi præfati à maligno spiritu ad loquendum coacti iudicantur esse obligati ad faciendum ea, quæ promiserunt: neque consequenter deberent cogi à iudice ad præstandum ea, quæ prædicta vi coacti violenter iurauerunt, iuxta prædicta, quæ pulchrè fundari possunt in cap. *presbyteros.* [a]

Quarto, quod certum est, iuramentum alioquin licitum, metu, siue vi conditionali præstitum obligare iurantem, iuxta cap. *verum.* [b] quamuis absolutio iustè peti possit, & sit præstanda, vt habetur in cap. 1. [c] Salua, &c.

a 50. dist. & in d. c. sacris. de ijs quæ vi.

b Et ca. si vero. de iureiu.

c Et c. debitores. de iureiur.

SVMMARIVM.

1 *Mandato dato tertio ad resignandum in mei fauorem, & mihi tradito, si promitto etiam cum iuramento non vti, nisi reseruata tertio pensione, & postea spreta promissione vtor, & beneficium resignatum accepto, pecco quidem, sed tenet promisio: possúmque post adeptam possessionem liberaliter, sed non ex pacto præstare quod cupiebat resignans. num. 2.*

2 *Iurat nequaquam, qui dicit promitto per iuramentum, vel cum iuramento.*

2 *Transgressio iuramenti secreti promissorij inhabilitatem non inducit ad beneficia obtinenda.*

CONSILIVM III.

QVIDAM, accepto mandato de renunciando vnum beneficium in fauorem suum misso à partibus, cum iuramento promisit, se non vsurum mandato illo, nisi reseruata certa pensione cuidam, licet postea vsus fuerit, & post quæsitam possessionem rogatus, vt se obligaret ad soluendam pensionem, quam reseruari voluit resignans ad certa opera pia. Quæritur an id facere possit?

1 Respondeo primo, D. consulentem malè fecisse, peccasseque vtendo mandato prędicto ad resignandum contra suum iuramentum, quod poterat seruare sine interitu: & sine dispendio salutis æternæ. [d]

Secundò, quòd per hoc peccatum non incurrit irregularitatem, vel inhabilitatem ad retinendum prædictum beneficium. Tum quia chirographum, quo id promisit, non continet quod ipse iurauit, sed quod promittebat cũ iuramento, vel per iuramentum, quod tunc non fecit, quę sunt valde diuersa, iuxta verum intellectum cap. *clericus.* [e]

2 Tum quia transgresio eiusmodi iuramenti secreti non induceret ipso iure talem inhabilitatem, arg. notatorum in cap. *querelam.* [f] & notata per Felinum. [g]

Tertio, quod prædictus D. consulens licitè sanctéque poterit quo ad forum interius soluere prædictam pensionem, posteaquam expediuerit, & acceperit possessionem beneficij. Tum quia intentio & animus resignantis, vt resignatarius hoc vel illud faciat post habitum beneficium, nil nocet quo ad forum conscientiæ, nisi exprimatur & deducatur in pactum, [h] vt tradimus in Manual. confess. [i] post glossam singularem [k] & D. Antoninum ibi citatum.

Quarto, quod non abs re dixi in tertio dicto, Quo ad forum interius: quia quo ad forum exterius posset præsumi confidentia per bullam Pij V. quam referimus ad literam, [l] ex qua paulo inferius colligimus vnam coniecturam admissæ confidentiæ esse, si renuncians beneficium, acceperit aliquam partem fructuum à resignatario, etiam post habitam possessionem illius.

Quinto ex his sequitur, prædictum D. consulentem nullatenus debere obligationem prædictam facere, nec vllibi dicere, vel confiteri, quod dedit, vel dat aliquid prędicto resignanti, nec alij de mandato eius: quamuis ipse debeat semper esse illi gratus, & ita dare liberaliter ipsi, vel alicui alij paupertatis, vel subuentionis intuitu ea, quę videbuntur honestè danda, secreto tamen.

d Ca. si vero. de iureiur. c. quamuis. de pact. lib. 6.

e De iureiur.

f Et c. tua. de iureiur. c. fin. de temp. ord.

g In c. ex parte. de rescrip.

h Ca. tua. de simon.

i Cap. 23. nu. 107.

k In c. ordinationes. 1. qu. 1.

l In d. ca. 25. num. 110.

SVMMARIVM.

1 *Expendens mater pro filia animo donandi, non potest postea aliquid sibi ob hoc de bonis filiæ retinere, potest autem, si animo saltem tacito illud repetendi fecit: in dubio autem, si filia habebat vnde se aleret, animo repetendi præsumitur impensum.*

2 *Iurare in iudicio creditor, qui de bonis debitoris iustam retinet compensationem, potest se de bonis debitoris nihil retinere, addita in mente conditione, ita quod teneat in foro exteriori confiteri.*

CONSILIVM IIII.

MATER fecit multas expensas pro filia, quas cum esset illius negotiorum gestrix ex bonis dictæ filiæ repetijt. Quæritur an in reddendis rationibus iureiurando affirmare posit, se nil, quod ad dictam suam filiam pertineat, retinere, nec ei quicquam debere.

1 Respondetur primo, quod non, si mater fecit præfatas impensas non tamquam gestrix negotiorum filiæ, sed animo donandi & non repetendi eas, sed sic, si fecit eas tamquam negotiorum gestrix eius, vel animo repetendi eas, & non donandi, [a] quia vt ibi adnotatur, & probatur, pater vel mater faciens impensas filiæ, vel filio, quem non tenetur alere, quique habet alia bona, vel cuius negotia gerit, videtur facere illas impensas de bonis filiæ vel filij, & non de suis proprijs, nisi quo ad forum conscientiæ, si verè coram Deo, cui omnia patent, fecit eas de bonis suis animo non repetendi: quia in illo foro non statur præsumptioni, sed veritati. [b]

2 Secundo, quod præfata mater cauere debet, ne mentiatur: & ita si verè animo donandi non dedit, sed habuit animum tacitum, vel expressum repetendi, cùm negauerit se nihil debere, nihilque accepisse, intelligere debet intra mentem suam, ita quod teneatur in foro exteriori confiteri, per ea quæ nos latè tradimus in d. cap. *humanæ aures,* Salua, &c.

a Arg. l. Nesennius. ff. de negotijs gestis. l. si quis à liberis. §. si mater. ff. de liber. agnos. cũ ei adnot.

b Ca. humanæ aures. 22. q. 5. & cap. is qui & c. tua. de sponsal. cũ ei adnot.

SVMMARIVM.

1 *Procuratorem post mortem mandantis non posse deferre iuramentum decisorium, verius. & num. 3.*

1 *Mandatum regulariter re integra morte mandantis expirat, beneficiarij verò etiam lite contestata.*

2 *Procurator dominus litis cùm fit, fit solum quo ad non requirentia speciale mandatum.*

3 *Iuramentum decisorium requirit specialissimum mandatum.*

CONSILIVM V.

PROCVRATOR constitutus in causa ciuili, & factus dominus litis, an mortuo suo principali, re integra, subire vel referre valeat iuramentum litis decisorium, ita vt si de facto illud subeat, probet in præiudicium sui principalis?

1 Respondeo, quod multa possent in vtramque partem huius quæstionis adduci ab eo, cui id faciendi otium & vires suppeterent. Dico tamen primo, inclinare me in opinionem eorum, qui tenent prefatum procuratorem per præfatum iuramentum nihil posse nocere defuncto, nec instantiæ & causæ quam tractat. Tum quia mandatum procuratoris expirat morte mandantis, beneficiarij verò Ecclesiastici etiam post litem contestatam, & re non integra. [c] & causa hæc fortalsis est beneficiaria, licet ipse nesciam, cum qualis sit ex narratione facti non colligantur. Tum quia omne mandatum regulariter expirat re integra morte mandantis, [d] vt in proposito casu narratur, quod mandator re integra fuit mortuus.

2 Tum quia nihil videtur obstare, quod ipse procurator factus fuerit dominus litis, quia id verum est quo ad ipsam litem, & alia incidentia emergentia, quæ non requirunt speciale mandatum, non autem quo ad alia requirentia speciale mandatum, sine quo ipse non potest obligare principalem suum, [e] quandoquidem ea ratione, qua non potest tractare totam causam absque mandato saltem generali, ita non potest tractare partem causæ requirentem speciale mandatum sine illo: & ad prestandum iuramentum decisorium litis, de quo agitur, requiritur specialissimum, secundum omnes.

3 Tum quod præfatus procurator non videtur posse virtute præfati mandati deferre iuramentum parti aduersæ, ergo nec iurare pro sua parte principali: quia iuramentum, quod dicitur per partitum, quod fundatur in l. *manifestissimæ.* [f] videtur includere iurationem & relationem, ita quod non potest iurare pro sua parte, nisi aduersarius iuramentum sibi delatum referat illi. Tum quod

c Clem. fina. de procurat.

d Ca. mandã tis. de offi. deleg. cũ ei late à doctoribus adnotatis. le. inter causas. ff. mandati. cum alijs vulgatis.

e Arg. le. qua de tota. ff. de rei vend.

f ff. de iureiu.

mandatum fuit ad iurandum in animam mandantis: & præfarus procurator vult iurare in animam suam, quod est diuersum à mandato, [a] & à diuersis non fit illatio. [b] Salua,&c.

SVMMARIVM.

1 *Iurata promißio potest remitti ab eo, in cuius fauorem facta est.*

2 *Maioratus est quædam dignitas personam fictam repræsentans distincta à vera persona illum poßidente. & nu.4. quæ vendi quidem, sed non in præiudicium ad illum vocatorum, nec eis in aliquo præiudicari potest. num.3. & inde sequitur, vt qui illum poßidet, poßit quidem in sui. num.7. sed non in præiudicium ipsius maioratus remittere fratribus suis promißionem iuratam de eidem applicando certa bona, num. 5. factam dicto maioratui, ipso poßessore & notario pro dicto maioratu acceptantibus, num. 9. & 10. nisi interueniat auctoritas Principis, cuius auctoritate factus fuit dictus maioratus, nec dispensatio Pontificis, cui dicta bona temporalia non subsunt, etiamsi promittentes essent clerici, sufficeret. num.8.*

6 *Iuramentum adiectum promißioni sine adiectione diei aliquid faciendi, præstitum etiam fictæ personæ, & corpori, non tollit neceßitatem interpellandi promittentem, ad hoc vt sic non adimplendo constituatur in mora, & peccato.*

10 *Donatio facta absenti, notario stipulante, non est contractus innominatus, nec vltima voluntas, in quibus licet pœnitere, sed est contractus perfectus, irreuocabilis, transiens contra hæredes donantis, & ad hæredes donatarij, qui quandocumque poterunt illam acceptare. num.11.*

12 *Donatio facta episcopatui non potest per Episcopum remitti, & relaxari.*

## CONSILIVM VI.

AN conuentio & donatio iurata duorum fratrum, quorum alter erat dominus maioratus, quibus suas legitimas vnierunt & donarunt maioratui per suum patrem instituto, & se obligauerunt medio iuramento ad conuertendum omnes fructus illarum in bona stabilia, quæ vnirentur prædicto maioratui, solo vsufructu illorum sibi retento, obligent illos ad ea faciendum?

Quæstio hæc profundior est, quam primo aspectu apparet. Et pro parte quidem negante facit primo illa reg. iuris. [c] *Scienti & consentienti non fit iniuria neque dolus.* & prædicti ambo domini fratres sciunt, quòd non faciunt illa, & consentiunt, quia sunt contenti ne fiant.

1 Secundo, quod omnis conuentio, etiam iurata, facta in fauorem alicuius, potest remitti ab illo, [d] at prædicta donatio & conuentio facta fuit in fauorem eius, cuius erat maioratus, & ipse consentit, ne illa fiant, ergo remissa sunt conuentio & iuramentum.

Tertio, quod prædicti DD. fratres fuerunt primi, qui prædictum auctarium promiserunt & iurauerunt: & ita videntur posse retrocedere, sicut testator potest retrocedere à sua voluntate. [e]

2 A contraria tamen parte stat, quòd maioratus vel primogenitura est quædam dignitas, & persona ficta distincta à prædictis fratribus conuenientibus, & donantibus, iuxta tradita per Martinum Laudunensem [f] quem dilatat Ioannes Lecirier. [g] Facit ca. *quoniam abbas.* [h] & c. *si gratiose.* [i] quatenus distinguunt dignitatem ab habente illã, & consequenter prædicti DD. fratres non promiserunt, nec iurauerunt sibi mutuo, sed primogenituræ, quæ est dignitas ab eis distincta: & consequenter non possunt ipsi alter alteri promissionem & iuramentum remittere.

3 Secundo facit, quod licet verior & frequentius recepta opinio habeat, quòd primogenitura vel maioratus vendi & cedi possit, iuxta latè tradita per prædictũ Ioannem Lecirier [k] & Tiraquel. [l] tamen illud intelligitur, quando fit sine præiudicio filiorum, vel aliorum ad eum vocatorum, vt prædictus Tiraquellus expresse notat, [m] & ita non videtur, quod prædicti fratres possunt renunciare prædictæ promissioni, & iuramento, in præiudicium eorum, qui ad prædictum maioratum sunt vocati.

4 Tertiò, quòd aliud est iurare fidelitatem domino expresso nomine proprio, & aliud iurare ei expresso nomine dignitatis: quia in priore casu non videtur transire ad successores, & in posteriore sic, vt notant Cardinalis & Panormitanus [n] declarando glossam, [o] & ita aliud est iurare dignitati, aliud iurare personæ illam habenti.

a Ca. in pertractãdis. de iuram. calũ. & ca.2. eod. tit. lib.6.
b L. Papinianus. ff. de minor.
c Lib 6.
d Cap. præterea 1. de spõs. facit c. peruenit.2. de iureiur.
e Argum. l. si quis. in princ. & ei annot. ff. de leg.3.
f In prin. lib. de primogen.
g In qu.1. de primogen.
h De off. deleg.
i De rescript. lib.6.
k Li.3. de primoge. q.1. & 8.
l De iure primoge. q.24. & 20.
m In d. q.24. nu 21. & qu. 26. nu.5.
n In c. veritatis de iureiu.
o In verb. cõ... antur.

5 Hęc posteriora argumenta videntur vrgere ad dicendum prædictos DD. esse obligatos ad implendam suam conuentionem, & seruandum suum iuramentum. Nec obstant opposita. Ad primum enim respondetur, concedendo quidem quod non fit iniuria scienti & consentiẽti, & consequenter nec ei qui nunc possidet maioratum, qui sciens consentit, negando tamen quòd dignitas maioratus, & successores in ea, sciant, & consentiant. Ad secundum respondetur, quod prædicta conuentio & iuramentum non fuerunt facta ipsismet fratribus, sed dignitati maioratus, & successoribus in ea, & ita qui nunc est possessor eius, non potest consentire, nec remittere iuramẽtum quod ad dignitatem, & successores in ea, qui sunt alij ab eo. argum. l. *non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.* [a] & alia quæ ibi congerit Decius. Ad tertium, quod dispositio per vltimam volũtatem, quæ vsque ad mortem est mutabilis, [b] potest mutari, dispositio autem per contractum non potest mutari sine consensu saltem alterius partis, [c] & dispositio prædicta fuit per viam contractus, & ita non potest reuocari, nisi consentiente altera parte, quę sunt ipsa dignitas maiorat⁹, & successores in ea.

6 An autem peccauerint mortaliter prædicti fratres nõ adimplendo conuentionem & iuramentum, alia quæstio est: & videtur respondendum pro parte negante. Tum quia qui debet aliquid simpliciter, non adiecto die solutionis faciendæ, non est in mora, donec interpelletur, [d] & prędicti domini non fuerunt interpellati, neque vt ea implerent requisiti. & alias multis probauimus, iuramẽtum non tollere necessitatem interpellandi, neque constituere quem in mora faciendi quod iurauit, ante interpellationem, si adiectum fuit contractui, in quo illa requiritur.

7 Secundo, quod possessor maioratus etsi non possit consentire, ne fiant ea quæ sibi debent fieri, in præiudiciũ successorum, potest tamen consentire in pręiudicium suum, immo & vendere & donare maioratum, vt supra dixi: & in casu proposito possessor maioratus, qui est alter fratrum, non solùm non interpellauit, sed fuit, & est contentus ne illa sibi fiant: ergo ambo sunt excusati à peccato, modo eo animo sint, vt adimpleant illa, quatenus attinent ad vtilitatem successorum in dignitate.

8 An autem S.D.N. possit super his dispensare, est alia quęstio: & meo iudicio plus potest in hac re regia maiestas, quam sua Sanctitas, cum maioratus, & qui tenet eum, sint sibi subiecti, & alter frater licet sit clericus, tamen conuentio prędicta respicit bona eius patrimonialia, & non Ecclesiastica, & sita in suo regno: & sua maiestas, attentis causis & circumstantijs huius negotij, & consensu possessoris maioratus, multo magis & efficacius potest dispensare, & quo ad vtrumque forum constituere, ne teneantur ad omnia illa, vel non nisi ad aliquam partem eorum, prout iusta causa id faciendi, & eorum voluntas impulerit, pręsertim quòd hęc dispẽsatio respicit vtrumque forum: successores enim prędicti D. possessoris possent occurrente opportunitate molestare hæredes vtriusque, vt adimplerent prędictam cõuentionem, & iuramentum, nisi remissa vel moderata fuerint per regiam maiestatẽ.

Contra prędictam determinationem, quatenus habet prædictos fratres non posse se inuicem absoluere à prædicta promissione & iuramento, adducuntur duo responsa cuiusdam viri erudissimi, multa in suum propositum citantis, in quibus satis perpensis non video solutum argumentum primarium meę sententię, videlicet quod duo donantes tertio non possunt reuocare donationem sine illius consensu, & quod prędicti fratres donauerunt tertio, videlicet dignitati & maioratui iam constituto auctoritate regia ab eorum parte, & quod dignitas illa & maioratus non refutauit illam donationem, immo acceptauit: quoniam possessor eius, qui est alter fratrum, acceptauit nomine ipsius, tamquam administrator eius, illam donationem quo ad legitimas.

10 Neque requirebatur acceptatio secundum opinionem eorum, qui tenent per stipulationem notarij ipso iure quæri tertio sine alia acceptatione, neque secundum opinionem eorum qui requirunt acceptationem: quia secundum omnes per talem stipulationem quæritur ius

a ff. de regul. iur.
b Ca. cũ Martha. de celeb. miss. & c. vltima voluntas. 13. q.2.
c L. sicut initio. C. de act. obl.
d L. si ex legati causa. & l. cũ filius. §. fi. ff. de verbo. oblig.

reuocabile tertio, qui cum primum nouerit, potest illam acceptare etiam post mortem donãtis, & etiam post mortem donatarij: quia transit in hæredes, & contra hæredes irreuocabiliter: vt latè monstratum est in causa nostra Romana fideiussionis: & ita cum donatio prædicta sit facta prædictæ dignitati, & consequenter successoribus in ea, quilibet successor, cum primum scierit, poterit acceptare illam, & donata petere.

11 Neque est verum quod in contractibus nominatis, quorum de numero sunt donatio inter viuos, & stipulatio, sit locus pœnitentiæ, sicut in vltimis voluntatibus & donationibus causa mortis, & quibusdam alijs tangentibus vltimum iudicium, quæ virtualiter sunt vltimæ voluntates, in quibus loquuntur Oldradus, Baldus & quidam alij citati à prædicto eruditissimo. Donatio enim perfecta valet, etiam antequam donatarius eam sciat, licet per eam non queratur ei ante acceptationem res donata, sed tantùm ius eam acceptandi, quod transit in hæredes, & contra hæredes, vt nos deducimus in dicta causa nostra, licet multò minorem vim ei concedamus, quàm aduersarij nostri.

12 Nec est facienda distinctio, an vocatus ad maioratum sit natus, vel non, nec an inuestitura maioratus sit pluries etiam decies facta, vel data aliquibus, quia simulac nascetur vocatus ille debet illum habere, administrare, & iura ei debita siue per donationẽ siue aliàs repetere: & vt alia omittam, videatur in hoc consilium Decij [a] contra nostram opinionem citatum, & aduertatur, quod nemo auderet dicere, quod si duo fratres donarent episcopatui Vicentino aliquod prædium reseruato vsufructu quoad vitam per donationem inter viuos, quæ est irreuocabilis, præsertim stipulatione notarij vallatam, sicut in nostro casu, possent pœnitere, etiam si alter fratrum esset Episcopus Vicentinus, eo quòd donatio est facta tertio, scilicet dignitati episcopali, & quod casus propositus est omnino similis: hęc autem raptim sine allegationibus, cum quibus tria folia compleuissent, dixi, quia fundant opinionem meam, quam noluissem in hoc casu in gratiam domini mei esse veram, quæ tamen profectò vera est. Salua, &c.

a 468. n. 28.

*SVMMARIVM.*

1 *Fidei professionem omittentes regula de triennali non iuuat quo ad lucrandos fructus amissos contra dispositionem Concil. Trid. cap. 12. sess. 24.*

2 *Ignorantia iuris clari non excusat, etiam quo ad forum Dei, si adsit aliqua culpabilis. num. 3.*

3 *Ignorantia causa peccati illud tollit, vel minuit, prout in totum vel in partem causat inuoluntarium.*

3 *Inaduertentia, quæ habet in se aliquam culpam non aduertendi ad id ad quod quis tenetur, non excusat.*

## CONSILIVM VII.

QVIA infra in titulo de præbendis respondeo possessorem triennalem beneficij bona fide illud cum titulo colorato possidentem fieri dominum eius, & titulum verum quærere, per regulam de triennali possessore. Quæritur nunc, an canonici, qui non sunt professi publicè fidem Catholicam coram Episcopo & Capitulo intra duos menses à die possessionis adeptę ob ignorantiam & inaduertentiam pręcepti Concilij Tridentini, [b] & postea possederunt pacificè vltra tres annos, faciãt fructus suos.

1 Respõdeo primò, quod regula illa de triennali nõ potest prædictis DD. consulentibus prodesse. Tum quia iura à iure communi exorbitantia non sunt ad alium casum extendenda. [c] Et constat prædictam regulam à iure communi exorbitare, & alium casum esse illum, in quo agitur de canonizando titulo, & alium in quo agitur de quærendo dominio fructuum canonico titulo perceptorum, vt palam est. Tum quia ratio, quæ mouit ad constituendam illam regulam, non conuenit huic casui. Ratio enim constituendi regulam illam fuit, ad obuiandum innumeris litibus, quæ nascebantur longè diuque duraturæ super iure beneficij parum duraturo, cui non est locus in casu proposito, cum præceptum prædicti Concilij non fuerit factum ad obuiandum vllis litibus, sed ad obuiandum hæresibus.

2 Secundò, quòd prædicti domini consulentes non videntur excusari posse per ignorantiam saltem in foro exteriori: quia illa, quam habuerunt, fuit iuris, & quidẽ clari, quæ non excusat. [a] Sed neque per bonam fidem: quia pręsumetur mala fide percepisse fructus, arg. regul. *qui contra iura.* cum ei concordatis allegatis in eius glossa [b] & ita non præscribit illa. [c]

b Cap. 12. de refor. sess. 24.

c Cap. quæ à iure. de regu. iur. lib. 6.

3 Tertiò, quòd iustior videri posset eorum excusatio quo ad forum conscientiæ tantùm, si verè ignorauerunt prædictum præceptum Concilij, & si verè illo animo fecerunt, quod illud seruassent, si animaduertissent, vel in memoriam venisset, etiam si nulli eorũ antea seruassent. Tum quia his interuenientibus non solùm ignorantia & inaduertentia fuissent comites omissionis implementi pręcepti, sed etiam causa, cur non fuit impletum, iuxta doctrinam S. Thomæ, [d] & ignorantia, quæ est causa peccati, tollit, vel minuit illud, quatenus facit illud in totum, vel in partem inuoluntarium, iuxta eumdem S. Thomam. [e] Sed quia prædicta ignorantia & inaduertentia non est sine aliqua culpa nolendi scire, vel negligentiæ discendi, vel aduertendi id quod scire, & aduertere debebant secundum qualitatem suam, non est facile illos excusare omnino, etiam quo ad forum conscientiæ.

a Ca. ignorantia. de regul. iur. li. 6. cum suis concordantijs.
b De reg. iur. lib. 6.
c Ca. possesso. eod. tit.
d 1. 2. qu. 76. art. 1. & 2.
e In eadem q. art. 4.

*SVMMARIVM.*

1 *Intellectus Concilij sess. 24. de reform. cap. 12. vers. nec illis possessio suffragetur, esse videtur, vt non emittens professionem fidei, amittat fructus & beneficium regulæ triennalis: probabilius tamen est, vt non amittat quo ad canonizationem tituli. num. 3. 4. & 5.*

1 *Negatiua regulariter totum, quod post se inuenit, destruit, & contrarium ponit: fallit, quando alia lege speciali, vel efficaci ratione esset dicta regula limitanda. num. 5.*

2 *Professionem fidei, vt requirit Concilium, non faciens, etsi videri alicui posit hereticus, tamen verè nec præsumitur suspectus de hæresi, nec ob talem suspicionem, sed ob inobedientiam à Concilio amißione fructuum punitur. num. 6.*

3 *Pœnæ sunt restringendæ, & legum correctio vitanda.*

4 *Pœna priuationis alicuius iuris non est dicenda alicui imposita, nisi eam lex expressè ponat.*

5 *Pœnæ canonum, præsertim Conciliorum, solent esse moderatæ, ita quod non excedant mensuram delicti.*

## CONSILIVM VIII.

AN illa verba [f] Concilij Tridentini *Nec illis possessio suffragetur*, excludãt prouisum, etiam quo ad titulum, ita quod neque quo ad fructuum perceptionem, neque quo ad proprietatem suffragetur?

1 Pro parte affirmante facit, quod negatio, totum quod post se inuenit, destruit, & contrarium eius ponit, vt ait glossa singularis & recepta [g] ad quod facit illud Dialecticorum. *Nullus est aptior modus contradicendi, quam præponendo negatiuam.* at clausulæ prædictæ præponitur negatiua verbo *suffragetur*: ergo tollit omne suffragium, & consequenter tam illud, quod est datum ad legitimandum, siue canonizandum titulum, quam ad quærendos fructus.

2 Secundo, quod hæreticus perdit omnia iura sibi competentia. [h] At qui prouisus de beneficio respuit profiteri fidem, videtur hæreticus: ergo perdit omnia iura, & consequenter ipsammet possessionem, iuxta glossam singularem, [i] & ita ad nihilum potest illa sibi prodesse.

3 Pro parte autem negante facit, primò, quòd pœnę sunt restringendæ. [k] Secundo, quod correctio iurium vitanda est. [l] At intelligendo prædicta verba de suffragio quo ad titulum, corrigitur lex illa vtilissima de triennali possess. & intelligendo de suffragio quo ad fructus, conciliantur cum illa, ergo sunt intelligenda quo ad fructus tantùm. Tertiò, quod intelligentia dictorum ex causis est sumenda dicendi, [m] & verba secundum materiam subiectam sunt intelligenda, etiam impropriando ea. [n] At materia, in qua proferuntur prędicta verba, est materia acquisitionis, vel amissionis fructuum beneficij, & non tituli eius, ergo intelligenda sunt de suffragio, & adiutorio, quod dat possessio ad quærendum, vel ad non perdendum fructus, & non quod conuenit ad quærendum, vel non perdendum titulum.

4 Quarto, quod pœna priuationis alicuius iuris non est dicenda cuipiam imposita, nisi eam lex expressè ponat, iuxta glossam solemnem & receptam quæ vltima est. [o] At prouisus, simul ac possessionẽ cũ titulo colorato accepit,

f In c. 12. sess. 24.
g In c. cum dilectus. de consuet.
h Ca. cum secũdum leges. cum similib. de hæretic. li. 6.
i In capi. quo iure. 8. dist.
k Ca. pœna. de pœnitẽtia, dist. 1. cum similib.
l Ca. cum expediat. de electio. li. 6. & l. 1. C. de inofficio. testam.
m Ca. intelligẽtia. de verborum signif.
n L. si vno. ff. locati.
o Ca. vlt. de iurepatron.

quæsiuit ius fruendi fructu prædictæ regulæ de triennali ergo non debet censeri priuatus illo, nisi per legem, quæ id exprimit, vel nisi aliter non posset esse fructuosa: at prędicta verba prædicti canonis possunt esse valdè fructuosa, intelligendo ea quo ad perditionem fructuum tantùm, ergo quo ad eam tantum sunt intelligenda.

5 Quinto, quòd pœnæ canonum, præsertim Conciliorum œcumenicorum, solent esse temperatæ, & moderatę, ita quod non excedant mensuram delicti, iuxta illud, [a] *iuxta mensuram delicti sit & plagarum modus.* [b] At culpa non faciendi prædictam professionem vt plurimùm prouenit ex ignorantia, inaduertentia, & negligétia, & est quædam omissio facilè supplebilis, ergo pro ea non est imponenda eam omittenti pœna perditionis beneficij, vel iuris, quo illud sibi defendere potest: immo satis superque fuit priuare eum iure quærendi fructus. & ita credendum est, sacrum Concilium voluisse quidem illum priuare iure fructuum, non autem iure tangente titulum.

Non obstant opposita. Ad prius enim respondetur, quòd tum demum negatiua vniuersalis est vniuersaliter intelligenda, quando nulla lege speciali, vel efficaci ratione esset limitanda in aliqua specie: nulla enim est regula tam generalis, quæ aliquam non patiatur exceptionem, præter illam, quæ ponitur cap. *licet.* [c] at plurimæ sunt regulæ vtriusque iuris vniuersaliter & negatiuè conceptæ, per verba *nullus, nemo, non præstat, nihil*, & id genus alia, quæ tamen multas habent limitationes: & ita regula illa negatiua, quæ tacitè colligitur ex prædictis verbis, scilicet, *non suffragetur possessio prouiso, qui intra duos menses non fecerit professionem fidei*, iure limitatur, vt solùm procedat quo ad suffragium acquirendorum fructuum, & non quo ad id quod pertinet ad titulum, de quo per dict. regulam de triennali statuitur contrarium.

Ad posterius respondetur, concedendo hæreticum priuari omnibus iuribus ipso iure, negando tamen, quòd ex eo solo, quòd prouisus omittat profiteri fidem intra duos menses, præsumatur hæreticus, nec suspectus de hæresi, & quod Concilium non intendebat ponere pœnam debitam hæresi, sed debitam inobedientiæ: si enim id intendisset, apposuisset pœnã priuationis beneficij, vt palã est.

*SVMMARIVM.*

1 *Professionem fidei nedum in Capitulo, sed etiam in manibus Episcopi emittere tenentur canonici, etiam si sint exempti.*

## CONSILIVM IX.

QVÆRITVR, an canonici etiam exempti teneantur professionem fidei facere.

1 Respondeo, quòd canonici etiam exempti tenentur fidei Catholicæ professionem facere in manibus Episcopi & Capituli, iuxta [d] Concilium Tridentinum. Tum quia etiam exempti subiacent Episcopis quo ad ea, quæ pertinent, ad beneficia, quæ obtinent, subiecta illis, per adducta à Felino. [e]

*SVMMARIVM.*

1 *Fidei professionem regulares prælati facere intra duos menses tenentur ab adepta possessione præfecturæ.*

## CONSILIVM X.

QVÆSITVM fuit, ãn [f] Concilium Tridentinum de fidei professione facienda habeat locum etiã quo ad prælatos regulares.

1 Respondetur affirmatiuè, quòd præfati prælati regulares tenentur etiam facere prædictam fidei professionem, per extensionem, qua Pius IIII. sua constitutione incipiente iniunctum, extendit [g] Concilium Tridentinum. Sufficit autem, vt eã faciant intra duos menses ab adepta possessione suæ præfecturæ, vt idem Conciliũ [h] exprimit.

*SVMMARIVM.*

1 *Fidei professionem qui intra duos menses, vt tenetur, non fecit, post illos, quàm primum potest facere obligatur.*
1 *Obligatus ad aliquid intra certum tempus faciendum, eo lapso, non liberatur.*
2 *Beneficiarius fidei professionem per procuratorem facere potest.*
3 *Fidei professio post duos menses facta non prodest quo ad quærendos præteriti temporis amissos fructus.*

## CONSILIVM XI.

QVI adeptus beneficium curatum, non est professus infra duos menses ab adepta possessione, quid faciet, ne perdat fructus sui beneficij, iuxta [a] Concilium Tridentinum relatum à nobis in Manual. confess. [b]

1 Respondeo primò, quòd potest, & debet facere illam professionem post præfatos duos menses. Tum quia, qui iubetur facere aliquid intra certum tempus, videtur obligari ad duo, videlicet ad faciendum illud intra illud tempus, si potest, & ad faciendum illud post lapsum temporis præstituti, quàm citò commodè facere poterit, etiamsi non potuit illud antea facere, [c] vbi late Panormitanus. [d]

2 Secundò, quod poterit iuramentum præfatum præstare per procuratorem, quia regulariter quicumque potest aliquid facere per semetipsum, potest illud facere per procuratorem. [e]

3 Tertiò, quod professio facta post præfatos duos menses non videtur prodesse ad quærendos fructus temporis præteriti, sed sic ad quærendos temporis futuri: quia regulariter semel ipso iure perdita non quæruntur ipso iure, [f] quamuis ex æquitate posset iuuari, qui per ignorantiam, incogitantiam, vel negligentiam id non fecit, qui tamen libenter fecisset, si fuisset monitus, vel venisset in mentem: quamuis non arbitrer hanc modificationem in foro exteriori eum iuuare.

*Aduertendum, referri sacram Congregationem censuisse contrarium eius, quod dicitur in secundo dicto.*

*SVMMARIVM.*

1 *Professionem fidei per ignorantiam &c. omittens non peccat.*
1 *Ignorantia, incogitantia, & inaduertentia legis excusant.*
2 *Lex humana male intellecta non ligat in foro conscientiæ.*
2 *Legem humanam bona fide transgrediens non peccat.*

## CONSILIVM XII.

AD quæsita quo ad forum conscientiæ tãtum de clerico, qui adeptus parochialem per ignorantiam, incogitantiam, vel inaduertentiam, non fecit professionem fidei, quam Concilium Tridentinum mandat fieri, [g] vsque ad sexquiannum, in quo ratione doctoratus suscepti eam fecit, & post septimum vna cum Episcopo ratione synodi.

1 Respondeo primò, D. consulentem non peccasse coram Deo, & quo ad forum conscientiæ mortaliter, nec obligari ad restituendos fructus. Tum quia hæc ignorantia, incogitantia, & inaduertantia fuit illi inuincibilis, quia putabat probabiliter sibi sufficere professionem prius factam ratione doctoratus, & ita excusatur à peccato, & à restitutione fructuum, per notata à S. Thoma, [h] & à nostris in capit. *ignorantia.* [i] Tum quia est pœnalis, quæ etiam si pœnam ipso iure continuat, non ligat in foro conscientiæ iuxta glossam celebrem. [k]

2 Tum quia lex humana male intellecta non ligat in foro conscientiæ, iuxta Innocentium in cap. per tuas. de simon. quem cum alijs ad id opportunis refert Felinus [l] & à fortiori nullatenus intellecta, nec ad memoriam reducta. Tum quia qui bona fide transgreditur legem humanam, putans se habere iustam causam transgrediendi, non peccat mortaliter, vt post alios tradimus nos in Manual. confess. [m] & nuper in commen. de alienatio. rerum ecclesi. [n] Quare dominus consulens taceat hanc ignorantiam coram hominibus, & gaudeat coram Deo se iam bis prædictam fidei professionem fecisse, & expulsis scrupulis tranquillo pectore suum officium & munus exerceat ad laudem Domini nostri Iesu Christi, qui nos omnes saluet. Amen.

## DE PRÆSCRIPTIONIBVS.

*SVMMARIVM.*

1 *Beneficij onera & statuta in fundatione posita implenda sunt, nisi sint legitimè sublata. num. 7.*
2 *Lex in fundatione imposita beneficio non recepta non ligat magis, quam lex principis: & qui dicit eam à principio receptam, debet probare.*
3 *Præscriptio quidem in bonis & iuribus Ecclesiasticis debet esse quadraginta annorum, sufficit tamen bona fides etiam sine titulo, num. 4. quæ præsumitur quòd fuerit in præcessore, nu. 5. cuius possessionis accessione vti possum ad complendam dictam præscriptionem, num. 3. & 4. at si meus præcessor fuit in mala fide, illa mihi non nocet, modo vti nolim accessione eius possessionis. num. 6.*

a Deut. 16.
b Ca. non afferamus. 24. quæst. 1.
c De regul.
d Cap. 12. de refor. sess. 24.
e In cap. dilectus. 2. à nu. 9. de rescript.
f Capi. 12. de refor. sess. 24.
g D. ca. 12. de refor. sess. 24.
h In eodem cap.

a Capi. 12. de refor. sess. 24.
b Cap. 25. nu 135.
c Le. Celsus. ff. de recept. arbit. ca. cum dilecti. de dol. & contum.
d à num. 12.
e Leg. 1. ff. de procurat. & ca. qui per alium. de reg. iur. lib. 6.
f Le. qui res §. aream. ff. de solut. & liberat. ca. quã periculosum. 7. quæst. 1.
g In c. 12. sess. 24.
h In 1. 2. quæ. 88. ar. 5. & 6.
i De reg. iuris li. 6. & in c. turbatur. §. notandum. 1. quæst. 4.
k In c. fraternitas. 12. q. 2.
l In c. fin. nu. 7. de re iudi.
m Ca. 23. nu. 43.
n Num. 9. & 19.

*5 Possessor in dubio præsumitnr habere bonam fidem.*
*6 Titulus lapsu triginta vel quadraginta annorum etiam in valde præiudicialibus præsumitur.*

## CONSILIVM I.

ANno 1401.fuerunt erectæ duæ capellaniæ in cathe-
drali quadam,reseruato iure præsentandi pro hære-
dibus fundatoris,qui hæredes postea anno 1487. donaue-
runt ius suum præsentandi quibusdam N.N. cum consen-
su Episcopi. Fueruntque in fundatione appositæ multæ
conditiones:videlicet,quòd vterque præsentandus sit sa-
cerdos,& quòd personaliter & non per vicarium cũ vno
clerico domi retinendo inseruiat noctu & die diuinis of-
ficiis in cathedrali,quòd quotidie duæ Missæ celebrentur,
& specialis commemoratio de fundatore,& cum pœna,si
cessauerit,quod soluat certam pecuniam pro qualibet vi-
ce conuertendam in alias Missas,& quòd non possit super
his impetrare dispensationem,nisi ab Episcopo, & de cõ-
sensu patronorum. Nunc reperitur quòd rector præsens
istarum capellaniarum eas possidet iam fere per viginti
annos,& numquam habuit notitiam istorũ onerum;quo-
niam prouisio olim sibi facta fuit in Curia per resignatio-
nem sui antecessoris,qui nihil istorum narrauit,vnde præ-
sens rector fecit tantùm celebrare vnam Missam singulis
diebus, prout antecessor suus faciebat. Reperitur etiam,
quòd per spatium sexaginta annorum, & vltra numquam
aliquis rector adimpleuit dicta onera, quia fortè vel fue-
runt dispensati, aut aliter: de aliis autem ante 60. annos,
quid fecerint, nescitur: quia non reperiuntur scripturæ.
Modo quæritur,an ex quo præsens rector habet aliud cu-
ratum,quod non potest dimittere, & numquam impleuit
prædicta alia onera,in foro conscientiæ teneatur ad satis-
factionem,& qualem,& ad quid pro tempore futuro obli-
getur.Aduertatur autẽ, quod bona istarum capellaniarũ,
quæ ad præsens possidentur, vix sunt pro tertia parte an-
tiquæ dotationis, immo quod non sunt de terris specifi-
catis in dotatione,& nescitur,quomodo,aut quo iure pos-
sideantur;& valor istorum bonorum,quæ hodie possidẽ-
tur,potest ascendere singulis annis ad summam scutorum
centum.Aduertatur etiam,quod patroni parati sunt con-
sentire dispensationi,& remittere onera omnia, quæ non
fuerunt seruata,tam præterita,quam futura,in quantùm de
iure possunt.

1 Contra præsentem capellanum præfatũ facit primò,
quòd statuta,& onera posita in fundatione beneficij sunt
seruanda.[a] Secundo,quod consuetudo non excusat peccã-
tem:quia tantò grauius est peccatum, quantò diutius in-
fœlicem animam detinet alligatam.[b] Tertio,quod Conc.
Tridẽ.[c] statuit,vt qualitates,quas requirit beneficium, in
beneficiario concurrant, & onera iniuncta in fundatione
impleantur.

2 Pro consulente verò facit primò,quòd lex posita à pa-
trono in fundatione beneficij non est firmior, quàm lex
posita à Papa in gubernatione Ecclesiæ, quia à potentiori
causa maior producitur effectus secũdum Philosophum,[d]
at lex siue Papæ, siue Regis à principio non recepta, nec
seruata,non ligat,[e] & ibi doctores,& latius Fel.[f] ergo nec
lex patroni posita in fundatione est seruanda,si non fuit à
principio recepta,& seruata,vt in nostro casu,cũ non mõ-
stretur esse à principio seruata,nec præsumatur:quia facta
non præsumuntur nisi probẽtur.[g] Secundò,quod consue-
tudinis longæuæ magna est auctoritas,[h] & in casu nostro
videtur consulenti fauere consuetudo viginti annorum,
quæ dicitur longa etiam inter absentes.[i]

3 Tertio, quod non obstat dicere quod in bonis & iu-
ribus ecclesiasticis non currit præscriptio decẽ vel viginti
annorum,quia currit præscriptio 40.annorum,[k] & quod
licet consulens non possederit dictam capellaniã liberam
à prædictis onerib⁹ 40.annis per se,possedit tamẽ per se &
per antecessores suos 60.& amplius annis,vt in facto pro-
ponitur:& possesio prædecessoris accedit ad possesionẽ
præsentis possessoris,ita quod sufficit,vt ambæ coniunctæ
conficiant tempus ad præscribendum legitimum,[l] & in
facto proponitur, quod à sexaginta annis capellania præ-
dicta est possessa libera ab oneribus iniunctis in fundatio-
ne,ergo,&c.

4 Quarto non obstat dicere, quod consulens non niti-
tur aliquo titulo liberationis ab oneribus prædictis. Tum
quia licet in præscriptione longi temporis, id est decem
vel viginti annorum,requiratur titulus,[a] in præscriptione
tamen longissima triginta vel quadraginta annorum non
requiritur vllus titulus per eamdem legem,[b] quæ omniũ
ferè est vna sententia,vt colligitur ex citatis per Baldum.[c]
Nec in hoc est vlla differentia inter ius canonicum & ci-
uile, inter præscriptionem contra Ecclesiam, vel alium,
sufficit enim tempus 40. annorum sine vllo titulo cum
bona fide, secũdum Panormitanum,[d] communiter rece-
ptum, & latè tradit Bald.[e] Non obstat dicere, quod iure
canonico non prodest vlla præscriptio, etiam longissimi
temporis, etiam 40. annorum cum mala fide,[f] & quod
consulens videtur mala fide hanc libertatem posse disse,
quippe qui succesit malæ fidei possessoribus, primi enim
possessores prædictæ libertatis non poterant nõ esse ma-
læ fidei possessores, cùm nota esset eis obligatio habendi
qualitates,& subeundi onera prædicta.

5 Non inquam hoc obstat.Tum quia non constat vllum
præcessorem eius mala fide possedisse, & in dubio
præsumitur bona fide possedisse secundum glossam re-
ceptam.[g] Tum quia præsumi potest per possesionem
centum & amplius annorum,& diminutionem bonorum
à principio capellaniæ asignatorum aliqua compositio,
vel diminutio qualitatis,& onerum, per quam primi pos-
sessores bona fide libertatem prædictam posidere potue-
runt,arg.textus iuncta gloss.sing.[h] quæ communiter rece-
pta habet, solemnitatem etiam extrinsecam præsumi per
spatium triginta annorum.

6 Tum quia ibi per illam tenet Imola,[i] quod etiam per
lapsum triginta vel quadraginta annorum iustè præsumi-
tur titulus, etiam quo ad ea, quæ sunt magni præiudicij:
quod multis confirmat prædictus Bald.[k] Tum quia mala
fides præcessoris non nocet præscriptioni successoris no-
lentis vti accesione possesionis illius,sed tantùm volen-
tis incipere iuxta l.*cum post*,[l] cap.*cura*.cum gloss.singul.[m]
recepta communiter ibi,& vbique.[n] At consulens nõ in-
diget accesione possesionis primi capellani,qui fuit an-
te annos 160.

7 Non obstant adducta in contrarium. Ad primum enim
respondetur concedendo, qualitates, & onera in funda-
tione beneficij statuta esse seruanda,nisi legitimè fuerint
sublata,primò per compositionem, vel auctoritatem Epi-
scopi,quæ iustè præsumi potest per tanti temporis lapsum
iuxta superius citata:secundo etiam clariùs,quòd sunt su-
blata præscriptione legitima per prædicta. Ad secundum,
concedendo,quòd consuetudo cõtra diuinam dispositio-
nem non excusat:quia eam non potest tollere, sed contra
dispositionem humanam excusat, posteaquam per obser-
uantiam contrariam legitimo tempore continuatam su-
blata fuerit, per iura in argumento allegata cum adnota-
tis eis ab omnibus.Ad tertium, quòd Concilium Triden-
tinum loquitur de oneribus,& qualitatibus beneficiorum
non sublatis legitimè, nos autem de legitimè sublatis per
prædicta.

Ex prædictis resoluẽdo prædictũdubiũ, respõdeo præ-
dictum Rectorẽ iustè posse retinere prædictum curatum
cum prædicta capellania, si nihil aliud obstet,& in nullo
foro,neque interiori,neque exteriori teneri ad satisfaciẽ-
dum,vel restituendum aliquid,si subiit onera omnia solita
subiri à 40.annis citra. Nec esse, cur iustè se ob hoc scru-
pulis vexet:quamquam ad redundantiam potest auctori-
tate superioris de consensu patronorum ob rationes præ-
dictas declarari,capellaniam præfatam esse liberam à præ-
dictis obligationibus & neque præsentem, nec futurum
teneri ad alia onera,quàm illa,quæ prædictis 60.annis ca-
pellani subire consueuerunt. Salua,&c.

### SVMMARIVM.

*1 Error iuris licet prosit ad vsucapiendum rem. prodest tamen ad vsucapiendum fructus, & hoc, etiam si sit error iuris non dubij,etiam & resistentis actui. num.5. quia ad acquisitionem fructuum sufficit malam fidem abesse, num. 6. quod si esset error iuris dubij, prodesset ad præscribendam rem,vt error facti.nu.4.*

*2 Tituli credulitas procedens ex errore facti, puta quia credebat in acquisitione tituli omnia necessaria interuenisse,prodest ad*

---

a *Cap. Eleutherius.18.q.2.cap.cum dilectus. de consuetud. ca.super eo. de censib. cum eis adnot.*
b *Cap.fin. de consuet.*
c *sess.25.ca.5 de reform.*
d *L.cum multa.C.de bon. quæ lib. & l. pen.C.de donat.intervir. & vxor.*
e *Ca.in istis. § leges.4. di.*
f *Capit. 1. de treu. & pac.*
g *Ca. cùm in iure. de offic. deleg. & l. 1. C.de mand. princ.*
h *L.2.C.quæ sit long. consue.& leg.de quibus.ff.de legib.*
i *Toto titulo de præscript. long.tẽp. decem vel viginti annorũ.*
k *Ca.de quarta.& cap.ad aures. & ca. illud autem. de præscript. auth.quas actiones.C. de sacrosan. eccles.*
l *L.de accessionibus. cum l.sequen.ff.de diuer.& tẽp.*

a *Iuxta leg.si quis em.t.o-nis.in principio cum concord. C. de præscript.30. vel 40.annorum.*
b *§.1.& le si quid in rem. & l.cum nouissimi.C.eodem.*
c *In tract. de præscrip.in 4. par.*
d *In capit.de quarta.colũ. 4. de præscri.*
e *Vbi supra 2. par.3.partis.*
f *Capi fin. de præscrip. cap. poss.ff.de reg. iur.li.6. cum annot. eis fere ab omnib.*
g *In c.sanctorũ. versicul. sincere. & in c.si diligenti. verb.bona fide de præscr.*
h *Peruenit. de empt.*
i *Colum.3.*
k *i.par.3.partis,qu.10.nu 27.*
l *C. de præscripti. long. temp.*
m *Verb. legitima.*
n *De iure patron.*

*præscribendum rem ipsam, est enim hic error facti. & nu.3.*
*3 Beneficium perpetuum cum consensu patroni ex iusta causa reducere ad beneficium manuale, Episcopum posse, verius est, licet contrarium per iudicem fuerit declaratum. nu. 1. immò & posset ex toto supprimere. nu.3.*

## CONSILIVM II.

QVidam possedit aliquot annos quamdam capellaniã factã de perpetua manualem, siue ad nutum amouibilem, auctoritate ordinarij, credens bona fide eam fuisse in manualem redactam, quæ tamen declaratur male fuisse in manualem redacta. Quæritur an teneatur restituere fructus.

1 Respondeo, quòd non: quia licet error iuris non prosit ad vsucapiendum rem ipsam,[a] prodest tamen ad acquisitionem fructuum, per textum,[b] & glossam,[c] & Dinum,[d] & hoc ponitur pro regula à multis, quos refert Felinus,[e] & recordor me alias etiam respondisse, quod non tenetur restituere fructus, allegando in hoc l. *bona fides,*[f] & Bartholum & aliquot alios. in qua sententia sum etiam nunc, licet & nunc videam, & tunc videbam hanc rem variè, confusè, ac trepidè tractatam, tam ab his quos tunc allegaui, quam à Felino,[g] & à Francisco Balbo,[h] & ab aliis ab eis citatis.

2 Primò quidem ea ratione, quod iusta credulitas tituli, quæ ex errore facti descendit, prodest ad vsucapiendum, & præscribendum etiam ipsam rem, de qua quæruntur fructus, quod affirmant & confirmant auctoritate multorum præfati Felinus,[i] & Balbus.[k] At præfatus dominus consulens videtur errasse errore facti, & credidisse quod in præfata ordinarij dispositione interuenerit iusta causa cũ aliis necessariis ad sic disponendum, qui error facti est.

3 Tum quia qui possidet aliquid Ecclesiæ per concessionem Episcopi dicentis, se illam de consensu Capituli facere, si verè Capitulum non consensit, dicitur duci errore facti, & præscribit, vt determinat Rota,[l] quam etiam Felinus & Balbus sequuntur. Tum quia credere, quòd Episcopus potuit illam facere iusta de causa, cum consensu patroni, & aliis necessariis, non est profectò error iuris, sed vera illius scientia, per ea quæ nos allegauimus, per quæ irrefragabiliter probatur ordinario fuisse potestatem etiã extinguendi penitus illud beneficium iusta causa, & aliis necessariis interuenientibus, quantò magis mutandi illud in aliam formam in mille mundi partibus vsitatam.

4 Secũdo, quod error iuris dubij perinde prodest ad præscribendũ, ac error facti, iuxta Abba.[m] & alios alibi, & glo. memorabilem,[n] quod etiam confirmant præfati, & alij citati ab eis, & in his Felinus,[o] & est celebre dictum Innocentij,[p] in multis locis à Baldo commendatum, quod contraueniens iuri humano dubio per errorem non peccat: & sententia lata contra ius dubium, vel obscurum, nõ censetur nulla, vt latè tradit Felinus,[q] licet sententia lata contra ius regulariter sit talis.[r] At error, quo D. consulens credidit præfatam dispositionem ordinarij valuisse, est error facti, vt dixi, aut certè error iuris dubij & obscuri: ergo ille excusat, ad hoc prodest.

5 Tertio, quod error iuris etiam non obscuri, licet non prosit ad vsucapiendum rem ipsam, ex qua fructus capiũtur, prodest tamen ad quærendos fructus ex ipsa bona fide perceptos,[s] vt habet glo. notabilis,[t] Dinus communiter receptus.[v] Tum quia non est curandum de illa distinctione Bart. an sit contra ius non assistens, vel etiã contra ius resistens: quamquam multi eam sint secuti. Tum quia præfatus §. *scire.* sine vlla distinctione determinat, bona fide possessorem quærere fructus, dummodo non sit prędo, id est malæ fidei possessor, quem non debuit Bartholus & qui sequuntur illum ex suo capite limitare. Tum quia non est vllus textus, nec vlla ratio efficax, quæ illam limitationem probet. Tum quia ad quærendos fructus, sufficit vt mala fides absit, licet bona fides positiua non adsit, etiam secũdum eumdem Bart. & Felinum ac alios sequaces eius. Tum quod credulitas iustitiæ tituli, quam habuit præfatus D. consulens, plus fuit error facti, quàm iuris, vt supra dictum est, & si fuit iuris, non fuit plus contra ius resistẽs, quàm ille de quo loquitur prædictus §. *scire.* & Bart. qui loquuntur de credulitate, qua hæres credebat testamentum valere: quia credebat solemniter esse factum. Tum quia etiam credulitas præfati D. consulentis, si erat error, erat eo quod credebat præfatã dispositionem ordinarij fuisse cum iusta causa, & aliis solénitatibus requisitis, vt supra dictum est. Salua, &c.

a *L. numquã. ff. de vsucap.*
b *In l. sed & si. §. scire. ff. de petit. hære.*
c *In l. si fuit. ff. de vsucap.*
d *In reg. possess. de regul. iur. lib. 6.*
e *In capit. de quarta. de præscrip.*
f *ff. de acquiren. rerũ dominio. & § si quis à non domino. Insti. de rerũ diuisio.*
g *In d. cap. de quarta. de præscript. nu. 24.*
h *In l. Celsus. not. 4. ff. de vsucap.*
i *Vbi supra.*
k *In leg. 2. in princip. ff. pro emptore.*
l *In tit. de præscrip. decis. 3. in nouis.*
m *In ca. cum dilectus. nu. 12. de consue.*
n *In cap. 1. in ver. de cætero. de postula. prælat. li. 6.*
o *In ca. 1. colum. penult. de re iud.*
p *In capi. per tuas. 2. de simon.*
q *In d. colum. penult.*
r *Ca. 1. de re iudic.*
s *L. sed & si. §. scire. ff. de peti. hæred.*
t *In le. si fur. ff. de vsucap.*
v *In c. possessor. de regul. iur. lib. 6.*

### SVMMARIVM.

*1 Iuri offerendi, quando est sequela actionis iam natæ, præscribi potest, secus, si sit præambulum: quia contra illud non præscribitur, sicut nec contra facultatem aliquid faciendi. nu.2.*
*3 Præscriptione quadraginta annorum præscribitur res aliena cõfraternitatis, modo non sciam, nec scire debeam esse alienam.*
*3 Regulare iura, quæ pro aduersario faciunt, nec litigans, nec alius tenetur, si bona fide per quadraginta annos res sit iam præscripta: secus si præscribens sciebat vel scire tenebatur rem esse alienam.*
*4 Ignorantia illa non videtur probabilis: qua quis ignorat rem esse alienã, cũ in domo propria haberet de hoc publica documẽta.*

## CONSILIVM III.

AN qui possidet rem alterius pro melioramentis, donec illa ei soluantur, præscribat, siue præscriptione tollat domino rei ius soluendi melioramenta, & recuperandi rem melioratam per spatium triginta vel quadraginta annorum?

1 Pro parte affirmante facit, quòd ius offerendi per pręscriptionem tollitur,[a] sed Bartholus,[b] limitat hoc procedere quando est sequela actionis iam natæ, vt in d. §. *sed cũ illud.* non autem quando est præambulum actionis nascituræ: quia tunc non est propriè ius formatum, sed quædã facultas faciendi aliquid, vt eundi per viam, cui non præscribitur.[c] Sed aduertendum, quod in casu proposito ius offerendi videtur esse sequela actionis iam natæ: quia ius offerendi solutionem alimentorum nascitur ex actione, quam habet vendicandi rem melioratam, & ita etiam secundum doctrinam Bartholi videtur posse tolli per præscriptionem. An autem præscriptio rei interrumpatur per litem super possessorio motam? Et videri potest quod nõ: quia res non videtur fieri litigiosa per litem super possessorio motam, iuxta authenticã *litigiosa,*[d] & tradit Nicolaus Milis.[e]

2 Sed quid, si tenens rem melioratam reddendam solutis melioramentis, scit illam rem esse illius, qui haber ius soluendi melioramenta, vt vendicandi rem? Et videtur nõ pręscribere: quia possessor malæ fidei nullo vmquam tempore præscribit.[f] Hispane hoc modo ad præcedentẽ quæstionem responsum est.

3 Hodie attentis & perpẽnsis rationibus plusquam putaueram, quod mihi videtur, est, quòd si ille qui hodie possidet istam domum, & sui antecessores illam possederunt per 40. annos cum bona fide habendo illam pro sua corã Deo ignorando illam esse adiudicatam confraternitati, solutis melioramentis, nõ est obligatus eius possessor, nec illi qui pro certo habent ita rem se habere dare notitiam huius rei iudicatæ confraternitati etiam stanto lite super spolio.

4 Cæterum si prædecessores sciebant hoc ius competere dictæ confraternitati, vel debebant & tenebãtur scire hoc ius competere dictæ confraternitati, non præscripserunt quo ad forum conscientiæ, & in consequentia tenentur reddere notitiam dictæ rei iudicatæ: & addo etiam quod in foro exteriori præsumeretur scientia possessorum, si ipsi habebant istas sententias, quinimmo in foro interiori difficile posset dici, quòd iustè ignorauerint.

a *L. cum notissimi. §. sed cum illud. C. de præscript. 30. vel 40. a.*
b *In l. pignori. ff. de vsucap.*
c *L. viam publicam. ff. de via public.*
d *C. de litig.*
e *In repert. verb. litigiosa res.*
f *Cap. fin. de præscript. & reg. possessor. de regul. iur. lib. 6.*

### SVMMARIVM.

*1 Præstatio annua alicuius rei non inducit obligationem in futurũ, sicut nec longa vsurpatio, hoc est acceptio sine iusta causa, sicut nec præstatio facta dominis clam, vi, metúve. nu.2. at si sit facta ex certa causa per decennium, præsumitur iusta: quod si sit facta per triginta annos etiam causa non expressa, inducit ius petendi in futurum, nu.4. nisi ei obstet ius commune, vel alia vehemens præsumptio. nu.5.*
*2 Tempus non est modus inducendi, nec tollendi obligationem.*
*3 Seruitia à subditis sine causa præstita prælatis, seu dominis, præsumuntur iniustè & per vim imposita, & hoc, etiam si sint pręstita per triginta annos, quando contra recipientem militat ius commune, vel vehemens aliqua præsumptio. num.5. At si hæc de iure indebita sint præstita per tẽpus immemoriale, tunc quo ad solita præstari familiaritatis gratia, seu quæ de facili*

gratio

*gratiosè præstantur, obligatio non præsumitur: at quo ad ea quæ de facili gratiosè non exhibentur, præsumitur sufficiens obligatio. nu. 8. & 9.*

## CONSILIVM IIII.

CVm ex facto oriatur ius,[a] cúmque non posit dari congruum responsum quæstioni incongruæ propositæ,[b] cumque adeo confusè proponatur mihi factum, & dubia ex eo resultantia; ægrè profecto respondere decreui: nam vt id vtcumque facere possim, oportet me redigere factum in hæc præsupposita.

Primum est, quod Comites domini de N. à tẽpore im-
memorabili, de cuius initio non est memoria, soliti fuerũt
ante quadraginta annos indeterminatè exigere quasdam
præstationes annuas à communi de N. scilicet, omne li-
gnum, quod in sua curia siue domo esset ad ignẽ in ea fa-
ciendum oportunum, similiter & omnia opera manualia,
& portatoria suo seruitio necessaria, omnem item paleam
& stipulam suo stabulo opportunam. Secundo, quod do-
minus G. & D.F. fratres Comites, & domini prędicti com-
munis donauerunt ei donatione inter viuos irreuocabili
quædam pascua, quæ nunc reddunt 300. ducatos aureos, cũ
onera soluẽdi eis quotannis duos vitulos singulos singu-
lis in Paschate, quos numquam soluerunt. Tertio, quod
anno 1530. facta fuit conuentio inter dictos dominos &
commune ad quinquẽnium duratura, per quam dicta in-
determinata præstatio fuit determinata ad certam quan-
titatem, eo quod præfatum commune conquerebatur ni-
mium grauari se per illam indeterminatam præstationem.
Quarto, quod illa non solum quinquennio, sed etiam 40.
annis post illud fuit seruata. Quinto, quod prædictum cõ-
mune conqueritur de illa determinata præstatione, dicẽs
quod est nimia, & præfati domini sunt contenti recedere
ab illa conuentione, modo redeant ad præstationem anti-
quam indeterminatam.

His præsuppositis, quæritur primo, an prędicti Comites
& domini de N. iustè potuerint prædictas annuas præsta-
tiones exigere à prędicto communi.

Secundo, an esto non potuissent iustè exigere illas ab
initio, potuissent tamen id facere post donationem prædi-
ctorum pascuorum.

Tertio, an prædicti Comites possint prędicta pascua do-
nata recuperate nomine caducitatis, siue ratione omissæ
solutionis oneris soluendi duos vitulos donationi prædi-
ctæ impositi.

Quarto, an tam præfati domini, quam præfatum com-
mune possint recedere à conuentione in quinquennium
facta.

Quinto, an præfatum commune recedens à præfata cõ-
uentione cogi possit ad soluendas antiquas præstationes
indeterminatas.

1 AD PRIMAM QVAESTIONEM respõ-
deo, quod pro parte ipsius negante, scilicet quod non po-
tuerunt iustè accipere, & exigere prędicta iura à prædicto
communi, facit primò, quod præstatio annua alicuius rei
prætensæ non inducit obligationem ad præstãdum in fu-
turum,[c] etiamsi interuenisset pactum inualidum, quale est
nudum de iure ciuili.[d] Vnde concludit Bald.[e] quòd licet
rusticus daret nobili pluribus annis vnum par caponum,
per hoc tamen non videtur obligatus in futurum ad hoc
est glo. in l. solent. §. fin. de offic. proconsul. & not. Barto.[f]
Similiter si quis pluries hospitatus sit amicum, non obli-
gatur in futurum, vt teneatur illum hospitari, vt notatur
per Cynum.[g] Innocentium,[h] vt tradit Felinus,[i] Similiter
si quis sæpius iuit ad furnum vel molendinũ, non per hoc
in futurum cogitur accedere, vt not. Bald. post Soci.[k] Ab-
batem,[l] & Bart. Cæpol.[m]

2 Secundo, quod longa vsurpatio prætensa non inducit
obligationem in futurum, cap. *quia cognouimus*,[n] cũ multis
quæ ibi citat glossa,[o] eo quod tempus non est modus in-
ducendi neque tollendi obligationem.[p] Cum ergo præ-
fati DD. Comites non monstrent aliquam iustam causam
exigendi præfatas impositiones, videtur illa vsurpatio es-
se iniusta.

Tertio facit regula cap. *quod latenter*. cum multis aliis,

*a L. si ex plagis §. in cliuo. ff. ad leg. Aquil.*
*b L. vt respõsũ. C. de transact. & l. precibus.*
*c Ca. penult. de censibus.*
*d L. e. si certis annis. C. de pactis.*
*e In ca. 1. §. si vero vassallus. in vers. item. quid sit inuestitu.*
*f In l. cum de in rem verso. ff. de vsuris.*
*g In le. 2. C. quæ sit longa consuetud.*
*h In c. cum ecclesia. col. 2. de causa possessio. & proprietatis.*
*i In c. cum M. colum. 4. de constit.*
*k In l. 1. colũ. 2. versi. & ex prædictis. C. de seruit. & aqua.*
*l In c. Abbate. de verb. signific. col. 2.*
*m In tract. de seruit. in titu. de furno.*
*n 10. quæst. 3.*
*o In verbor. præsumpta.*
*p L. obligationum fere. §. placet. ff. de actio. & obliga. d. ca. peruenit. de censibus.*

quæ citat glo.[a] per quæ probat seruitia iam præstita præ-
latis aut dominis clam, vi, vel metu, non obligare ad præ-
standum ea in futurum: & sententia communis post Host.
videtur habere, quod huiusmodi seruitia, & præstationes
annuæ, quæ fiunt & soluuntur prælatis, & dominis sine
causa expressa in id idonea, præsumuntur esse iniustè po-
sita per vim, vel aliam iniustitiam, quam post alios multos
à se citatos tradit Didacus,[b] & seruitia de quibus in casu
proposito videntur esse talia.

4 Pro contraria tamẽ parte facit primò, quòd præstatio
annua soluta decennio ex aliqua certa causa inducit præ-
sumptionẽ pro iustitia exigentis, iuxta l. *cum de in rẽ verso*.[c]
secundum declarationem Bartholi sub finem illius com-
muniter recepti. Sed hoc argumentum facilè vitari potest
ab eo, qui responderit id esse, cum annua præstatio ex cer-
ta expressa causa per decem annos facta est, sed quòd præ-
stationes casus propositi ex nulla huiusmodi causa fue-
runt factæ.

5 Secundò facit, quod præstationes annuæ per annos
30. continuatæ, etiam nulla causa expressa, producunt ius
petendi easdem in futurum ratione pręscriptionis, vt pro-
bat Baldus,[d] quem sequitur Couaruuias,[e] & probatur l.
*sicut*. & l. *cum iustißimi*.[f] quatenus probant præscriptionem
30. annorum perfici per possessionem eo tempore conti-
nuatam, nullo titulo probato, neque allegato. Sed & hoc
argumentum vitari potest, respondeo, quod in eo assum-
ptum non procedit, quando contra posidentem facit ius
commune, vel aliqua vehemens præsumptio.[g] Et contra
dominos exigentes huiusmodi præstationes à subditis
suis, vel à communi, causa debita non expressa, est vehe-
mens suspicio, quòd per coactionem & tyrannidem fue-
runt impositæ, iuxta communem resolutionẽ,[h] & in casu
proposito agitur de impositionibus & oneribus iure cõ-
muni non debitis dominis, exactis per præfatos dominos
à subditis suis.

6 Tertio neruosius facit, quod in casu proposito præsta
tiones annuę pręfatæ fuerũt solutæ per tempus immemo-
riale, siue de cuius initio non est memoria, quod non re-
quirit titulum, & probatur, si allegetur.[i]

7 Nec obstat, quod assumptũ non procedit, quando sub-
diti siue vassalli probant, quod à principio sine vllo titulo
per vim & metum fuerunt impositæ, vt Hostiẽsis & com-
munis tenet,[k] & quod in dubio præsumitur contra domi-
nos, vt idem Hostiensis cum communi tenet,[l] non inquã
hoc obstat: quia in casu proposito præfatum commune sua
voluntate libera cœpit ea soluere.

Per quæ quæstio hæc redditur difficilis, præsertim ei,
qui legerit præfatum Didacum satis vacillantem, & plus
densæ allegationi auctorum, quàm radici resolutionis in-
tendentem. Videtur autem dicendum pro eius resolutio-
ne primùm, quod pręfati domini Comites iudicandi sunt
in foro exteriori iustè præfata seruitia & pręstationes ac-
cepisse per argumenta pro posteriori parte adducta.

8 Et ad neruosam replicationem ad tertium factam re-
sponderi potest iuxta mentem Cardinalis,[m] quòd resolu-
tio communis in replicatione adducta, scilicet, quod serui-
tia & pręstationes, quę iure communi non debentur do-
minis etiam tempore immemoriali soluta, pręsumuntur
indebitè soluta, in dubio procedit in his, quę amicitię &
amiliaritatis causa solent de gratia pręstari, qualis est ho-
spitatio amici, & similia; quales non videntur pręstationes
casus propositi: quia sunt magnę & graues.

9 Et pro dicto Cardinali facit, quod Innocentius cõmu-
niter recept9,[n] dicit quod licet ea quę facile solent accipi
& cõcedi de gratia & liberalitate, nõ pręsumuntur accipi
& pręstari tamquam debita, vt est hospitatio amici; illa ta-
men quę non pręstantur facilè de gratia, & liberalitate,
pręsumuntur pręstari & accipi tamquam debita. at onera
& pręstationes, de quibus in casu proposito, non sunt ta-
lia, quę soleant facilè de gratia & liberalitate accipi, &
pręstari; & ideo cum per tempus immemoriale fuerint
pręstita sine contradictione, pręsumendum est à principio
fuisse accepta, & pręstita aliquo bono titulo liberæ dona-
tionis, vel gratiarum actionis, & recognitionis beneficij
accepti à DD. Comitibus, vel alias, & nõ per vim, nec me-
tum, nec tyrannidem, nec tamquam gratis, & sine obliga-

*a Extra de reg. iur.*
*b In c. possess. §. 5. nu. 2. de reg. iur. lib. 6.*
*c ff. de vsur.*
*d In tract. de præscript. 4. par. principi. quæst. 9.*
*e Vbi supra. num. 3.*
*f C. de præscr. 30. 40 ann.*
*g Per ca. 1. de præscriptionibus. lib. 6.*
*h In dicto ca. quod latenter. de regul. iuris li. 6.*
*i L. hoc iure. §. ductus aquæ. ff. de aqua quoti. & æsti. cap super quibusdã. §. præterea. de verbo. signif. & c. 1. de præscrip. lib. 6.*
*k In d. c. quod latenter.*
*l In d. capit. quod latẽter.*
*m In dicto c. quod latẽter.*
*n In cap. bona. 2. de postula. prælat. & melius ca. cum ecclesia Sutrina. de causa possess. & proprie. n. 4. & 5.*

tione præstita. Facit item, quod consultis Hispaniæ sapiétibus statuit Imperator Carolus ille V. gloriosissimus, quod domini, qui acceperunt huiusmodi seruitia & præstationes per quadraginta annos, defenderentur in sua possessione nullo alio titulo ostenso, in proprietate verò non nisi temporis immemorialis possessione iuuétur. Facit denique fundamentum, quo lex illa nititur, nempe quod eiusmodi possessio immemorialis habet vim constituti, & tituli, quem qui allegat probat[a].

11 Secundo dicendum, quod prædicti domini Comites probabiliter possunt, si volunt, etiam quo ad forum interius conscientiæ credere, quod huiusmodi seruitia & præstationes fuerunt ab initio iustè imposita per liberam & spontaneam concessionem præfatæ communitatis factã, ob amorem & obseruantiam, quibus erat in eos, & in recognitionem aliquorum beneficiorum ab eis acceptorũ, vel ad faciendum eos sibi gratiores, & affabiliores tã verbis, quàm factis, iuuando, consulendo, vel protegendo illã & singulos ipsius, vltra quam iure communi tenentur domini sic se in subditos habere, vt postea præfati domini se habuerunt erga illam donando ei pascua, quæ sunt magni reditus & parui oneris, vt præsupponitur in facto: credere inquam hoc probabiliter possunt, si volunt, per arguméta prædicta: & quod nemo tenetur in dubio ius, quod possidet, indiscussum relinquere.[b]

12 Tertiò, quòd prædicti domini si credunt vel crediderunt hæc, quę iustè, vt dictum est, credere possunt, nullatenus peccant, nec sui ante cessores peccarunt, nec ad vllam restitutionem tenentur, si tantùm acceperunt & exegerunt illa quæ communitas à principio liberè & amanter creditur concessisse, & non exigunt, nec exegerunt plura ligna, nec plures operas portatorias, nec plures paleas, vel stipulas, quam essent necessariæ ad fouendum decentem ignem, decentem portationem, & decentes paleas, & stipulas; præsertim si tractant, & tractauerũt eos verbis & factis aliquantò humanius, quàm tractassent, aut tractarent, si ea eis non præstarentur.

Quartò, quòd si nunc exigunt, vel antea exegerunt notabiliter plura, quàm verisimiliter prædicta communitas à principio eis concessit, cogendo eam ad plura ligna, plura seruitia portatoria, & plures paleas, & stipulas, quã quæ credunt verisimiliter fuisse concessa, peccant, & peccarunt, & tenentur ad restitutionem iuxta ca. *si res aliena.*[c]

13 Quintò, quòd ab hoc onere restituendi, quatenus ad id tenerentur, possunt liberari per liberam & spontaneam prædictæ communitatis remissionem, seu cõdonationem; iuxta glossam communiter receptam.[d] Dixi, liberam & spontaneam: quia pacta inuita non sufficerent, per ea quæ notantur in d.reg. *peccatum.* etiamsi metum omnino iustũ non inducerent, per ea quæ diximus in Man.confess.[e]

14 Sextò, quòd nihil obstat id, quod ex D. Antonino,[f] aduersus prædicta citari potest: quoniam in summa solùm dicit illam exactionem taliarum & præstationum siue impositionum dominorum à subditis esse iniustam, quæ fit vltra conuentionem cum subditis factam, vel cum nõ implent illud, propter quod fit exactio: puta quia non reficiunt vel parant vias publicas, nec eas reddunt à latronibus securas, ad quod illa eis præstantur: non inquam id obstat prædictis, immo concordat. Tum quia diximus exactionem, de qua in proposito casu, esse iustam, si & quatenus non exigunt notabiliter plura, quàm ab initio fuerũt verisimiliter imposita. Tum quia ex præsuppositis in facto non constat, quod præfati Comites teneantur ad faciendum aliqua, quæ non faciunt, ob præfata seruitia, & præstationes.

15 AD SECVNDAM respondeo, quod præfata donatio pascuorum non potest præfatis dominis prodesse quo ad id, vt præfatorum seruitiorum impositio reddatur iusta, si antea fuisset iniusta. Tum quia actus agentium non operantur vltra intentionem eorum,[g] & non constat quòd intentio donantium fuit illa. Tum quia donationi prędictæ fuit impositum aliud onus soluendi duos vitulos annuos: & ita imponendo illud, non videntur aliud imposuisse, & qui disponit de vno, non videtur disponere de alio,[h] & nõ creditur dicenti aliquod onus impositum, nisi probet,[i] potest autem prodesse præfata donatio ad iuuãdã iustificationem credulitatis, quod ex amore & spe humanioris tractatus concessit præfata communitas præfata seruitia pręfatis dominis, vt prætactum est supra.

16 AD TERTIAM respondeo primò, quòd præfati domini Comites non possunt recuperare præfata pascua sua iure caducitatis, eo quod numquam soluit prædictos vitulos, illo iure quo dominus recuperat bona data in emphiteusim ab emphiteuta non soluente canonem.[a] Tum quia dictus contractus, per quem illa pascua fuerunt donata, non erat emphiteuticus, in quo habet locum pœna illa caducitatis, iuxta prædicta iura. Tũ quia donatio facta sub modo, & imposito onere, vt donatarius faciat aliquid, non reuocatur regulariter ipso iure, l. *ea lege,*[b] & ibi Salic.[c] quem sequimur in nostro enchirid. de oratio.[d] Secundò, quòd nunc possunt compellere dictam communitatem ad soluendos prædictos vitulos, vel æstimationem, nisi illi de communitate præscripserint libertatem, siue liberationem non soluendi, & hoc per condictionem ob causam, iuxta præfatam l. *ea lege.* & l. *si pecuniam.*[e]

17 Dixi, si non præscripserint: quia non erit nimis difficile defendere, quod pręscripserunt, attento quod numquam soluerunt pręfatos vitulos, & quòd circiter centum anni fluxerunt à tempore, quo donatio pręfata facta est, & onus pręfatum impositum: & quod libertas ab obligatione soluendi annuas pręstationes per contractum promissas præscribitur 30. annis cõputandis à tempore, quo à soluendo cessatur,[f] licet in legatis annuis aliud sit seruandũ,[g] & vtrobique glossę receptæ. Attento item quod etiã emphiteuta potest per 30. annos pręscribere libertatẽ ab onere soluendi canonem, siue pensionem tam pręteritam, quàm futuram, nisi mala fides ei obstet, vt pulchrè resoluit Baldus relatis aliis.[h]

18 Tertio, quòd etiam videntur posse reuocare donationem pręfatam, nisi pręscriptio obstiterit. Tũ quia vnus casus ex quinq;, in quibus potest reuocari donatio, positis in l. fin.[i] est quando donatarius non seruat conditiones donationi appositas, quod etiam annotauit Panormitan.[k] dum reddit rationem quare cap. illud non ponat nisi quatuor casus, cum prędicta l. vlt. posuerit quinque. Tũ quia, vt prędictum est, donatũ sub modo, vel ob causam, potest reuocari, modo non impleto, vel causa non sequuta.

19 Tum quia, si onus soluendi duos vitulos fuisset impositum pro aliqua etiam parua alimentorum parte pręfatorum dominorum, posset dici, quod donatio esset ipso iure resoluta, secundum opinionem Bartholi relatam à Saliceto,[l] quamuis non video in protochollo præfatę donationis verbum aliquod, quod significet illos vitulos ad alimenta soluendos. Dixi etiam in hoc dicto, Nisi obstet pręscriptio: quę obstare posset, nisi mala fides ei obuiaret, per supradicta, & alia quę addit pręfatus Baldus.[m]

AD QVARTAM respondeo affirmatiuè, argumẽto l. *ab emptione.*[n] quia res per quas causas nascitur, per easdem soluitur.[o]

AD QVINTAM respondeo, quod eius resolutio colligitur ex resolutione primę quęstionis. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Præscriptionem immemorialem impedit mala fides possidentis, si sit verè mala, præsumpta autem non.*
1 *Mala fides præsumpta tollitur per triennalem possessionem.*
2 *Mala fides an probetur eo ipso, quod instumentum iniusti tituli reperitur penes possessorem, remissiuè.*
3 *Iuspatronatus facilius præscribitur ab vno cõtra alterum patronũ, quàm contra ipsam Ecclesiam liberam.*
4 *Possessio potest esse immemorialis, etiam si per aliquot instrumẽta probetur ante tempus ad illam inducendam necessarium res aliter se habuisse.*
5 *Clandestina resignatio, & collatio ab Episcopo de beneficio tamquam libero facta, non constituit illum in possessione de eo, vti de libero, disponendi, nisi accedat patroni scientia, & patientia.*

## CONSILIVM V.

1 RESpondetur, quod possessio temporis immemorialis non causat præscriptionem, si constat & verè probatur mala fides possidentis, quãuis nõ sufficiat mala

fides

Marginal notes:

a *Per leg. hoc iure. §. ductus aquæ. ff. de aqua quoti. & æstiu. præcitatam.*
b *L. illud. ff. de pet. hære.*
c *14. q. 6. ca. peccatum. de reg. iur. lib. 6.*
d *In d. c. peccatũ. in verb. restituatur.*
e *Ca. 17. n. 4.*
f *In 3. par. tit. 3. c. 3. §. 3.*
g *L. non omnis. ff. de reb. cred. & c. fin. de præben.*
h *L. cum prætor. ff. de iud. & ca. qualis. 25. dist.*
i *L. ei qui dicit. ff. de proba.*

a *Leg. 1. C. de iu. emphi. ca. potuit. de locato.*
b *C. de condi ctio. ob caus.*
c *Oppos. 14.*
d *Ca. 21. nu. 48.*
e *ff. de condi. ob causam. & le. 1. & 2. cum eis anno ta. C. de donat. quæ sub modo.*
f *L. cum notissimi. §. in ijs. C. de præscri. 30. vel 40. ann.*
g *L. si stichũ. §. stipulatio. ff. de verbor. oblig.*
h *Vbi supra 4. par. 4. partis princ. q. 8.*
i *C. de reuo. dona.*
k *In c. fin. de donat.*
l *In d. opposi tione 14.*
m *In dicta 4. par. 4. par. princ. q. 9. & sequen.*
n *ff. de pact.*
o *Capit. 1. de regulis iuris.*

fides præsumpta: quia eiusmodi præsumptio tollitur per triennalem possessionem, quanto magis per immemorialem, vt post Aretinum & Aymonem concludit Couarru.[a]

2 Et paulo ante an titulus iniustus repertus apud possessorem sufficienter probet malam fidem ad hunc effectũ.

3 Iuspatronatus facilius præscribitur contra patronum, qui iam habet ius quæsitum, quam contra liberam Ecclesiam, per ea quæ citat Couarruuias.[b]

4 Nullo iure cauetur quòd possessio desinat esse immemorialis, eo quod probetur per aliquam scripturam, quod aliquo tempore præterito illa possessio non fuit. Tum per citata per Couarruuiã.[c] Tum quod alioquin pauca spiritualia essent, quæ Christiana Ecclesia tempore immemoriali possedisset, cùm per Euangelia constet ipsam aliquãdo ea non possedisse. Tum quod licet per aliquod instrumentum constaret aliquod prædium fuisse possessum à Petro ante ducentos vel trecentos annos, posset tamen non obstante illo probari quod Ioannes possedit illud possessione immemoriali, p ea quæ requirũtur & sufficiũt ad probandum immemorialẽ, secundũ glossam probatã.[d]

5 Qui renunciat beneficium quæsitum ad præsentationem patroni in manibus ordinarij clam, nesciente patrono, & accepta collatione ab eo libera detinet illud, non videtur ponere ordinarium in quasi possessione iuris liberè conferendi, nisi id faciat cum scientia & patiẽtia patroni, vt ait Decius, qui alios citat.[e]

[a] Reg. possess. 1. par. §. 4. de reg. iur. lib. 6.
[b] Reg. possess. par. 2. §. 10. à nu. 3. & 8. de reg. iur. lib. 6.
[c] Dicta regula possessor. 3. par. §. 4.
[d] Ca. 1. de rescrip. lib. 6.
[e] Consil. 126.

## DE SENTENT. ET RE IVDICATA.

### SVMMARIVM.

*1 Matrimonium inter impuberes contractum est nullum.*
*2 Matrimonium nec verum nec præsumptũ est, si nec verba de præsenti, nec copula interuenerunt.*
*3 Retractatio illius, quod quis cum iuramento prius in iudicio affirmauit, non facit fidem in foro exteriori.*
*3 Coniugibus contra matrimonium deponentibus non creditur in foro exteriori.*
*4 Sententiæ super matrimonium standum est, donec retractetur.*
*4 Sententia pro matrimonio lata, licet ab ea non fuerit appellatũ, tamen docto de impedimento per partes non remißibili venit retractanda.*
*5 Iudex ex diuersis argumentis potest informare animum suum ad effectum reuocandi sententiam pro matrimonio latam.*

### CONSILIVM I.

QVidam Vbertinus ante quartumdecimum suæ ætatis annum verbis non satis claris matrimonium cũ Flora contraxit: & lite orta inter eos de validitate matrimonij, Flora iureiurando affirmauit in iudicio se cum domino Vbertino contraxisse, vnde sententiam pro matrimonio reportauit: contra quam tamen postmodum retractando sua dicta protestata fuit, & ipsa contraxit cum alio, & dominus Vbertinus cum alia. Dubitatum fuit, an his sic stantibus matrimonia post dictam sententiam aliàs legitimè contracta iure subsistant.

1 Respondeo primò, secundum ea quæ proponuntur, non fuisse verum matrimonium contractum inter præfatos iuuenes: quoniam ipse erat impubes quando contraxit, cùm non haberet quatuordecim annos completos, quod iura requirunt,[f] neque præsumptum propter copulam carnalẽ subsecutam: quia nulla talis proponitur fuisse subsecuta.

2 Secundò, quòd non esset matrimonium quo ad forum conscientiæ, etiam si ille iustam ætatem habuisset, si verũ est, quod præfata Flora retractando sua dicta dixit, etiam si fortè interuenerunt verba promissoria de cõtrahendo, vt aliqua verba narrationis factæ quadamtenus insinuãt: quia cùm non fuisset secuta copula carnalis, nec verbale matrimonium de præsenti, non potest esse matrimonium verum, neque præsumptum, de quo in cap. *is qui*,[g] licet illud locum habeat tempore quo dicitur hoc matrimonium contractum, quod erat ante Concilium Tridentinum, post quod non est ei locus.

3 Tertio, quod retractatio & protestatio præfatæ Floræ, quæ protestata fuit non contraxisse se cum præfato Vbertino, non facit fidem in foro exteriori. Tum quia illa in iudicio contrarium dixerat cum iuramento. Tum quia coniugi confitenti aliquid contra matrimonium non creditur in illo foro, etiam si alter, vel altera coniux idem confiteatur, iuxta ca. *super eo*, adiuncta glossa de eo qui cogno. consan. & iuxta notata in c. *lator*.[a]

4 Quarto, quod in foro exteriori stabitur tenori sententiæ, donec retractetur,[b] quia res iudicata pro veritate habetur.[c]

Quintò, quòd licet sententia lata super matrimonio, si ab ea non appelletur, habeatur pro re iudicata per iura proximè citata, donec reuocetur: potest tamen reuocari ad instantiam eius, qui allegaret impedimentum irremissibile per partes, per notata in supradictis c. *iurauit lator*. & *tenor*. & in casu proposito maritus Floræ, & vxor Vbertini, & quilibet eorum potest petere à iudice, vt declaret sententiam præfatam fuisse iniustam, & hoc propter præiudicium, quod affert suis matrimoniis post eam contractis.

Sextò, quòd iudex potest accipere informationem, tum ex prædicta protestatione, tum ex matrimoniis eorum cõtractis post illam sententiam, & tanto tempore continuatis, & quod per totum tempus prædictum confessi sunt sacramentaliter & communicauerunt, & quod sunt boni Christiani, quod putauerunt eam fuisse iniustam, & quod non appellauerunt à sententia præfata, videntes eã à præfata Flora subornatam petitam, & postea contradictam, & quod Vbertinus non erat pubes, & ex aliquibus aliis indiciis: & informatione hac accepta posset iustè iudex recognoscere, & reuidere sententiam prædictã, & processum, vt per quem data fuit, & perpendere probationes vtriusque partis: & si videret satis probatum, quòd præfata Flora fuit verè protestata contra præfatã sententiam, posset illam rescindere, & relinquere illos in pace, vt suis matrimoniis post eam contractis fruerẽtur in Domino, qui nos saluet. Amen.

[f] Ca. puberes. de desponsa. impub.
[g] De sponsal.
[a] Et c. tenor. de re iudic. c. iurauit. de probat.
[b] Dict ca. lator. & ca. tenor. de re iudic.
[c] Le. res iudicata ff. de reg. iur.

### SVMMARIVM.

*1 Dictum meum non dicitur deductum in iudicium, licet socius criminis fuerit tractus. vnde & Episcopus potest mecum dispensare ex vi cap. 6 sess. 24. de reform. Concilij Tridentini.*

### CONSILIVM II.

DEliquerunt duo vnum delictum, ob quod incurrerũt irregularitatem, contra quorum alterum tantùm intentata est actio in iudicio, sed defectu probationis fuit absolutus: alter autem impetrauit dispensationem ab ordinario virtute cap. *liceat*,[d] allegando quod erat crimen occultum, & non deductum in iudicium. Quæritur, an sit valida dispensatio.

1 Respondetur, quod gratia fuit valida, per ea quæ nos tradimus in Man, confess.[e] & quod res inter alios acta nõ præiudicat aliis,[f] quibus res iudicata non nocet. & alia citata per glossas. Salua, &c.

[d] De reform. sess. 24.
[e] Ca. 27. nu. 255.
[f] Le. 1. C. res inter alios acta. & l. 2.

## DE APPELLATIONIBVS, RECVS. ET RELAT.

### SVMMARIVM.

*1 Appellare ab omni definitiua etiam sine expreßione causæ regulariter licet: fallit in materia visitationis, correctionis, inhabilitatis, in quibus non licet, nisi iusta exprimatur causa. nu. 3.*
*2 Appellare ab interlocutoria, modo iusta exprimatur causa, de iure canonico conceditur, licet post Concilium ab ea non appelletur, nisi quando eius grauamen per appellationem à definitiua non poßit tolli.*
*3 Appellationi iustæ non deferens iudex puniendus est.*

### CONSILIVM I.

QVæritur, quibus casibus iudex teneatur deferre appellationi.

1 Respondetur, quod in omnibus, in quibus appellatur legitimè, hoc est infra decendium,[g] & petuntur Apostoli intra legitimum tempus, de quo in cap. *ab eo*,[h] & in scriptis expressa iusta causa appellandi, si appellatur ab interlocutoria,[i] licet in appellatione à definitiua non requiratur hoc, vt ibidem notatur, & dummodo non sit causa, in qua vel à iure, vel ab homine remouetur appellatio:

[g] Auth. hodie. C. de appell.
[h] De appell. li. 6.
[i] Cap. vt debitus honor. de appell. ad iuncto c. 1. eodem tit. lib. 6.

quia tunc etiã à definitiua non licet appellare, nisi exprimatur iusta causa ad appellandũ, [a] & regulariter in omni causa licet appellare à definitiua, iuxta glossam solemnẽ, [b] non autem ab interlocutoria regulariter iure ciuili, sed iure canonico sic in scriptis, & expressa iusta causa appellãdi, vt prædictum est, vsque ad Concilium Tridentinum post illud autem, [c] non licet appellari ab interlocutoria, nisi quando grauamen illatum per illam non posset tolli per appellationem à definitiua.

3 Per quod ipsum cap. statutum est, vt non posit appellari etiam à definitiua in causis visitationis, & correctionis, habilitatis, & inhabilitatis: quod est intelligẽdum, nisi iusta de causa expressa, iuxta præfatum §. *si autem.* & puniendus est iudex, qui nõ defert iustę appellationi, [d] Salua, &c.

*An prædictis obstet idem sacrum Concil. sess. 24. cap. 10. & 20. inuenies in sequenti consilio.*

SVMMARIVM.

*1 Prouinciale Concilium potest recusari, generale autem, cui præest Papa per se vel alium, non.*

*2 Appellari potest ab omnibus ad Papam, itemque & à Cõcilio prouinciali potest haberi recursus ad Papam & Concilium generale, modo agatur de sententia definitiua: quia ab interlocutoria per Concilium non licet, nisi habeat vim definitiuæ, vel cuius grauamen non possit per definitiuam reparari. nu. 2.*

*3 Appellatio regulariter suspendit executionem sententiæ etiam in iusso abstinere ab ordine: fallit, quando iudex procedit cũ clausula* appellatione *remota, vel quando appellatur à censuris inflictis, vel quando appellatio est friuola, à iudice non admissa.*

## CONSILIVM II.

1 AD QVAESTIONEM PRIMAM respondetur affirmatiuè per capit. *ad Romanam.* [e] quæ probant omnes ab omnibus posse ad Romanam Sedem appellare. & in c. 1. *de iudic.* est casus, in quo à Concilio prouinciali fuit habitus recursus ad Concilium generale, cui Papa præsidet per se vel per alium, quod nõ posset recusari, sed Concilium prouinciale sic, & quod de Concilio prouinciali recurri potest ad Papam, & ad Concilium generale.

2 AD SECVNDAM QVAESTIONEM respondetur primò, quòd ab omni sententia definitiua, vel habente vim definitiuæ Concilij prouincialis appellari potest ad Papam, vel ad Conciliũ generale, argumento totius tituli ff. *à quibus appellari nõ licet.* & tit. *quis & à quo appelletur.* & arg. glo. sing. quæ vltima est, [f] quatenus probat appellari posse ab omni sententia definitiua, à qua non inuenitur inhibita appellatio. Secundò, quòd olim iure communi appellari poterat ad Sedem Apostolicam ab omnibus grauaminibus & sententiis interlocutoriis per præfatos canones *ad Romanam.* 1. & 2. Tertio, quod iure Cæsareo non licet regulariter appellare ab interlocutoria: & quod Concilium Tridentinum, [g] statuit ne liceat appellare ab interlocutoria, nisi ab habente vim definitiuæ, & cuius grauamen per appellationem à definitiua reparari non possit.

3 AD TERTIAM QVAESTIONEM respõdetur primò, eam nimis generaliter proponi. Secundo, quod appellatio regulariter suspendit exequtionem, l. 1. [h] quæ ponit exẽpla de relegato, & deportato, & iusso abstinere ab ordine, & traditur per omnes. [i] Tertiò, quod fallit hæc regula in multis casibus, vt cum iudex procedit cum clausula *appellatione remota*, [k] & cũ appellatur à sententia excommunicationis, [l] & idem cum appellatur ab aliis cẽsuris, [m] & cum appellatio est friuola, cui iudex à quo non detulit. [n]

SVMMARIVM.

*1 Legatus Cardinalis, vt etiam Concilium prouinciale, vt suspectus, recusari potest, reuerentialiter tamen.*

## CONSILIVM III.

1 AD dubiũ mihi propositũ, an Legatus de latere siue Cardinalis recusari posit, respõdeo primò, quod iu dices, quib. manifestus esset animus prædicti Legati, siue Cardinalis, ad iustitiã erga omnes exercẽdã, facilè iudicare possent illum quò ad forum interius nemini debere esse suspectum. Secundo, quod quo ad forum exterius negari non potest Legatum à latere recusari posse. Tum quia totum vnum Concilium prouinciale recusari potest, secundum Panorm. Felin. Reip. & communem contra glossam. [a] Tum per cap. *quod suspecti*, [b] in quo totum Concilium fuit recusatum. Tum per cap. *nouit.* [c] ex quo Panormitanus & Decius colligunt Legatum & Cardinalem recusari posse. Tum per illa multa per quæ Andreas Siculus, [d] concludit Legatum Cardinalem posse recusari, licet valde honeste & reuerenter recusatio eius fieri debeat secundum omnes. Salua, &c.

a Ca. licet. de offic. ord. cum gloss. iuncto c. Romana. §. si autem. de appell. lib. 6.
b In l. qui restitu. ff. de rei vendic. verb. restituitur.
c Per ca. 1. de refor. sess. 13.
d Ca. de priore. de appell. & dict. ca. 1. eod. tit. lib. 6.
e 1. & 2. 2. q. 6.
f L. qui restituere. ff. de rei vendica.
g In cap. 20. sess. 24.
h ff. nihil nouari appell.
i In rub. de appellat.
k Ca. pastoralis. in princ. de appellat.
l In eodem. §. verum.
m Ca. is cui. §. fin. de sent. excomm. li. 6.
n Ca. cum appellationibus. de appellat. lib. 6.

a In cap. 1. de iudic.
b 3. q. 5.
c De appell.
d In tractatu de præstantia Cardinaliũ. q. 3. 2. part.

SVMMARIVM.

*1 Appellare à constitutione grauante licet etiam regularibus, & à qualibet sententia, nisi vbi reperitur iure prohibitum, nu. 2. etiamq; à correctione & mandatis regularibus; si tamen modus excedatur, & non aliter, num. 3. & 5. & hoc non obstantibus statutis religiosorum, per quæ dicitur prohibitum appellari, nu. 1. & 5.*

*2 Appellatio etiam in dubio est admittenda, & iustam non admittens etiam regularis prælatus est puniendus, num. 3. & tanto magis, si appellantes carcerent, vel aliàs malè tractent, num. 6.*

*3 Correctio etiam religiosorum debet esse moderata, alioquin potest haberi recursus ad superiores: immo & Abbate nimis sæuiente, licet subdito de monasterio sine apostasiæ vitio fugere, & arma pro defensione arripere, nu. 4.*

*7 Decreta, statuta, & cætera acta ecclesiasticorum, debent esse non solùm licita secũdum iustitiam & æquitatem, sed etiã honesta & vtilia.*

*8 Fraudem legi facit, qui contra eius mentem venit, licet verba nõ offendat, & factum non tenet.*

## CONSILIVM IIII.

FRatribus nationis Gallicæ incolentibus in præsentia monasterium sanctissimæ Trinitatis Illustrissimi ordinis Minimorum in monte Pincio Vrbis situm, dubia vidẽtur occurrisse circa nouam quamdam constitutionem Vicarij, quam reuerendissimus prædicti ordinis Generalis fecit in dicto monasterio. Alterũ est, an liceret eis appellare, si cõstitutio præfata esset iniusta? Alterum, an præfata constitutio sit iniusta?

1 Ad quorum prius respondere memini in comment. de regularibus, [e] affirmatiuè, quod sic, non obstante, quòd vox vulgaris habet, *inter probos regulares nec appellari, nec appellationes admitti debere:* & quod Concilium Tridẽtinum, [f] sic habet, *Nec liceat regularibus à suis conuentibus recedere, etiã prætexu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab ordinariis locorum tamquam desertor sui instituti puniatur.* Et quod cap. *ad nostram*, [g] sic habet, *Remedium appellationis non ideo est inuentum, vt alicui à religionis & ordinis obseruantia exorbitanti debeat sua nequitia patrocinium exhibere.* & cap. *reprehensibilis*, [h] habet, *Nec subiecti contra ecclesiasticam disciplinam in vocem appellationis erumpant.* & quod vulgus ait, statutis religiosorum prohiberi appellationes, & appellantes à superioribus in carceres coniici, grauiq; pœnitentia & pœna purgari, & puniri.

2 Quibus non obstantibus contrarium est dicendum. Tum quia edictum de appellando est prohibitorium, hoc est, quod quilibet à qualibet sententia potest appellare, nisi prohibeatur iuxta glossam vltimã receptam, [i] & nullo iure prohibetur regularis appellare. Quin & in dubio appellatio à iudice debet admitti secundum Innocẽtiũ, [k] quem sequuntur Decius, & citati ab eo. [l] Tum quod appellatio est defensio, [m] & defensio, quæ iure naturæ debetur, nemini est deneganda. [n]

3 Tum quia prædictum cap. *ad nostram.* à contrario sensu probat remedium appellationis religioso ad suam innocentiam tuendam concedendum, quod ipsum satis probat cap. *reprehensibilis*, [o] Tum quod in cap. *de priore*, [p] grauiter iubetur castigari Prior, qui appellationem non admittit, ex cuius glossa 1. colligit Decius, quòd non solùm potest appellare religiosus in alia causa ciuili vel criminali, sed etiam in causa correctionis, in qua regulariter

e Sub c. nullam. num. 51.
f In cap. 4. de regu. sess. 25.
g De appella.
h Eod. tit.
i In l. qui restituere ff. de rei vendic.
k In ca. dilectus. 2. de scrip.
l In c. de priore. num. 1. de appellat.
m Le. 1. ff. de appellat. c. cũ inter. de except.
n Clem. pastoralis. §. cæterũ. de re iudic. l. vt vim. ff. de iust. & iure.
o Eod tit.
p Eod. tit.

etiam

etiam sæcularis prohibetur appellare,[a] si modus correctionis excedatur, cui glossæ est alia similis in dict. cap. *licet.*& notat Panormitanus communiter receptus vtrobique:nam moderata debet esse correctio, alias ad superiorem recurri potest, vt Baldus dicit per illum textum,[b] per quam dicit etiam Baldus,[c] quod Abbate nimis sæuiente in monachos,eis licet fugere de monasterio,nec dicuntur apostatæ: quin & Abbate odio grauante monachum potest pro defésione arma accipere,vt notabiliter Cardinalis tradit.[d] Deniq; quod in cap.*ad Romanā.*[e] conceditur omnibus oppresis appellare ad sanctam sedem Apostolicam;nec ab hac concesione reperitur vsquam religiosus exclusus.

5 Nec obstant allegata in contrarium. Ad primū enim respondetur,vocem illam vulgarem,qua dicitur inter religiosos non appellari,intelligendā esse de appellatione à correctione,& mandatis regularibus legitimè factis:secus de aliis sententiis & mandatis nō tangentibus illam, immò & à tangentibus illam, si modus regularis & legitimus excedatur,vt supra dictum est.Ad secundum,quod Concilium in eo citatum non vetat appellare, sed ire ad superiorem sine licentia prælati,quod longe aliud est.

6 Ad tertium,quòd prædictum cap. *ad nostram.* solùm prohibet appellare ad defendendum nequitiam,& ita de non oppresso & appellante iniusta de causa;nos verò loquimur de oppresso & appellante iusta de causa.Ad quartum respondeo idem,quod ad primū:& præterea iniquè & irreligiosè valdè facere prælatos,qui iustas appellationes à se oppressorum,non admittunt ; & debere acriter castigari,vt iubetur in d.ca.*de priore,* & iniquitatē iniquitati apponere eos,qui non admittunt,nec dant licentiam prosequendi,& adeundi superiores:& pesima malis accumulare,qui non solùm negant prædicta,sed etiam cōiiciunt in carceres duros inedia torquendos, donec appellationi renuncient.

Ad alterum dubium,scilicet,an pręfata constitutio Vicarij sit iniusta:respondeo placere mihi responsa duorum eruditorum virorum,quibus respondent eā esse iniustam: iustéque posse à præfatis fratribus adiri S. D. N. iustisimū,qui re satis intellecta meo iudicio reuocabit eam per contenta in præfatis duobus responsis,& aliis quæ facilè poterunt eis adiungi:quę tamen facultas in præsentia nō est mihi,qui etiam hoc die, in quo vniuersa Ecclesia celebrat octauam Apostolorum Petri & Pauli,omisi missare ob fragilitatem, postquam ad missandum me vtcūque paraui.Admoneo autem præfatos admodum reuerendos fratres Gallos,se rem suę defensioni oportunam facturos, si procurauerint, vt is,qui res Gallicas nomine Christianisimi Regis, & eius regni Christianisimi vti Legatus eorum,vel alio nomine coram S. D. N. agere potest, appellet grauiter à præfata cōstitutione Vicarij, vti ab actu maximè grauante Regem,& regnum præfatum,volendo per vias obliquas & iniquas tollere quamdam maximam præeminentiam iustis artibus,& meritis quęsitam, & donatam eis à Sanctisimo eodemque amicisimo Francisco à Paula in gratiam & remunerationem honorum & beneficiorum,quæ à præfato Rege & regno suscepit tam in eo,quàm extra illud:& quod Rex noster Hispaniarum fœlicisimus Philipp⁹,si ei,& suis regnis aliqua huiusmodi eminentia conueniret,nihil non ageret, vt sibi maneret inuiolata.

7 Admoneo item,quòd appellatio præfata multum iustificari potest ex eo, quod acta per prælatos & rectores Ecclesiæ agenda,non solùm debent esse licita secundum æquitatem,sed etiam decentia secundum honestatem, & expedientia secundum vtilitatem,[f] & quòd præfata Vicarij constitutio non solùm nō est licita secundum æquitatem,sed etiam indecens secūdum honestatem, & inexpediens & incommoda secundum vtilitatem,& inducēs quamdam suspicionem inuidiæ, & voluntatis fraudandi mentem tam magni Patriarchæ:& quod omnis dispositio quæ tendit contra mentem disponentis est ei contraria, licet verbis consentiat:& quod palàm est ex literis ipsiusmet humillimi,& simplicisimi sāctisimi Frācisci à Paula,& confirmationis eius,& Regis Francię petentis illam, quod pręfatus Reuerēdisimus Generalis nititūr destruere per vnam viam, quod per viā regiam debet construere:& quòd primum locum in interpretatione continet volūtas & mens disponentis,præsertim tādiu cōtinuata.

8 Et quod facta in fraudem legis nihil valent, etiam si verba non offendātur,[a] amplificando; quàm magna culpa est inducere dissensionē inter Reges & regna, quibus ātiqua obseruatio fuit vtilisima decora & sāctisima ipsi religioni,q̄ sēper fuit aucta & venerāda in pręfato cōuētu sanctisimæ Trinit. & eo ordini præfato magis decora, quòd ipsa sola dat testimonium, quòd regnum Christianisimum adeo antiquum & celeberrimum est totum in colenda sancta fide Apostolica,&ea exaltanda;vt fuit sēper à mille annis;& cætera, quæ iis facile adiungi possunt ad gloriam Dei,qui suam magis gloriam quàm has partiales inuidias sua misericordia foueat,Amen.

a *Ca. licet.de offic.ordin.*
b *In l. 2. §. dominorū. ff. de his qui sunt sui,vel alien. iur.*
c *In dict. ca. ad nostram.*
d *In clem. 1. §. præfatæ. de statu monach.*
e *1. & 2. 2. q. 6.*
f *Iuxta c. magna. de voto.*
a *Iuxta c penul. de regul. iur. li. 6. & l. non dubium. C. de legibus. cum aliјs citatis in præfata regul. penult.*

*SVMMARIVM.*

1 *Condemnatio sine accusatione,vel alia via æquipollente facta est nulla.*
2 *Prouincialis non potest excludere à prouincia deputatum in ea à Generali cum clausula qua talem sibi soli subijcit.*
3 *Sententia in non citatum vel inauditum lata est nulla.*
4 *Lex seu ordinatio in damnum particularis personæ, saltem sine causa rationabili,illius qui superiorem recognoscit, nulla.*
5 *Iudex,ad quē grauatus accedit,eū à grauamine leuare debet.*
6 *Regulares fere omnes defensionis, & non appellationis verbo vtuntur.*
6 *Appellationis & defēsionis effectus est,vt actus declaretur nullus vel iniustus,& grauatus reponatur in pristinum.*
7 *Appellatio dupliciter emittitur,verbo,& facto.*
7 *Appellationis vim habet itineris ad superiorem arreptio,modo seruentur,quæ in appellatione verbali requiruntur.*
8 *Spoliatus à iudice ordine prætermisso,perinde ante omnia restituendus,ac ab alio spoliatus.*
8 *Appellare cui non conceditur, grauantis superiorem per viam querelæ adire potest.*
9 *Iudex à quo appellatur,licet appellationi aßistere poßit,nō tamen est citandus.*
10 *Regulares de causis grauatorum cognoscendo, ea solùm seruare debent,quæ sunt iure diuino sufficientia ad inuentionē iustitiæ & veritatis.*

## CONSILIVM V.

CVidā Prouincialis ordinis mēdicantiū cū suis definitoribus in suo Capitulo prouinciali inter ordinationes,quas constituere solent pro causis & negotiis totius prouincię,fecerunt sequentem particularem, nulla pręuia accusatione,citatione, nec causa legitima, in hæc verba,*Remouemus & excludimus à nostra prouincia N. præcipiētes ei sub pœnis,vt infra tot dies in suā natiuam prouinciam se cōferat.* Quę post paucos dies fuit notificata præfato N. qui statim arripuit iter ad superiorem,& Romam venit.

Queritur primo,an sētētia pędicta sit ipso iure nulla.

Secundo,an definitorium Capituli generalis,quod est iudex supremus in præmisis, ad quod remissa est causa, posit,& debeat restituere N. loco,& statui,à quo fuit deiectus.

1 Ad primam quæstionem respondeo, quòd prædicta sentētia & ordinatio multis nominibus est ipso iure nulla.Primò quidem,quòd nemo sine accusatione, vel alia via,quę ei æquipolleat,est damnandus,[b] adeo quidem, vt sint qui putent id esse iuris naturalis & diuini constitutū iuxta illa, quæ in Actibus Apostolorum,[c] traduntur de Paulo,& accusatoribus eius,& de adultera,[d] & prædictus N. de nulla culpa fuit in illo Capitulo accusatus, nec alia via ei æquipollente factus reus,ergo nulliter fuit lata.

2 Secundo,quòd omnis sententia lata à iudice incompetente est ipso iure nulla,[e] & pędicta sententia fuit lata à prædicto prouinciali,cui non erat subiectus N. maximè quo ad expulsionem à prouincia; quia Generalis illū adscripserat,cum clausula, *quam eum sibi soli subijciebat,* pręcipiens cum decreto irritante,ne ab alio posset ab illa prouincia mutari,quàm ab ipso Generali.

3 Tertiò, omnis sententia lata contra non citatū, vel nō auditū legitimè,est ipso iure nulla,[f] etiā si feratur ab

b *Iuxta c. super his. & c. qualiter & quādo. de accusat.*
c *Cap. 22. & 23.*
d *Ioan. 8.*
e *Toto tit. C. si non à competenti iudice. & ca. cum super. de offi. deleg.*
f *Cap. nos in quemquam. 2. q. 1.*

Imperatore,[a] & etiam si feratur à Papa, qui scribens ad Ducem Siciliæ,[b] ait *se contra inauditam partem nihil posse definire.* & prædictus N. non fuit legitimè citatus, nec auditus, vt in facto proponitur.

4 Quartò, quòd lex, vel ordinatio facta in damnum alicuius particularis personæ, saltem sine causa rationabili & ab eo, qui non habet regalia, siue qui recognoscit superiorem, est ipso iure nulla, secundum Panorm. [c] quem sequuntur ibi Aretinus & alij quos refert ibi Felin. & probatur per illud Isidori cap. *erit autem lex.* [d] non quidem ponderando verba illius, quæ ponderauit Decius, & aliquot alij ibidem, sed ponderando illa verba, quæ ponderauit Angelicus Doctor,[e] nempe quòd lex nullo priuato commodo; sed communi omnium ciuium vtilitate debet esse conscripta, quod profunda de more ratione ipse cōfirmat. Cùm igitur prædicta ordinatio sit facta in grande damnum prædicti N. nulla ratione, nec causa adiecta, palam est eam esse nullam.

5 Ad secundam quæstionem respondetur, quòd prædicti iudices possunt & debent restituere prædictum N. ad locum & statum illum, à quo per prædictam ordinationē inualidam fuit expulsus. Primò quidē, quòd iudex superior, ad quē grauatus accedit, vt à grauamine leuetur, debet eum illo leuare. [f] At prædictus N. valde grauatus accessit ad supremum sui ordinis iudicem: ergo debet eum leuare ab accepto grauamine, & consequenter restituere illum suo pristino statui, & loco.

6 Secundò, quòd licet in ordinibus præsertim mendicantium nō permittatur grauato vti verbo; *appellationis & petitionis Apostolorum* quibus sæculares clerici, & aliquot religiosi vtuntur: possunt tamen vti remedio defensionis, quæ est iuris naturalis, quam appellatio in se includit. Tum quia ipsi mendicantes non debent esse peioris conditionis quàm alij, immo melioris; & non debent magis grauari, quàm alij, immo longè minus, propter quod sunt eis concessæ multæ immunitates, & multa priuilegia.[g] At prædictus N. etsi pro sua modestia nō est vsus verbo appellationis, vsus est tamē omnibus quæ requirūtur ad hoc, vt debeatur ei remediū defēsionis, ꝙ parit appellatio, nēpe ꝙ declararetur actus nullus vel iniust⁹, & reponatur in eo statu, in quo erat āte illū: effectus enī appellationis siue defensionis iuris naturalis, qui in ea continetur, est rescissio, vel annullatio actus, à quo appellatur, & repositio appellantis in statum pristinum, secundum Bartholum & communem, [h] Panormitanum, Felinum, & Decium, [i] ergo prædictus N. debet reponi in pristino statu.

7 Tertiò, quòd duplex est appellatio, qua grauati vti possunt: altera, quæ fit, & proponitur verbis, vt communiter fit: altera, quæ fit facto per arreptionem itineris ad superiorem, vt habetur in c. *dilecti 2.* [k] vbi post alios resoluendo Decius probat etiam hodie arreptionem itineris ad superiorem, seruatis, quæ seruari debēt in appellatione verbali, habere locum & effectū appellationis verbalis, vt & nos post alios tradimus in hac ipsa materia in commentario 2. [l] Ergo arreptio itineris ad superiorem post notificatam sibi prędictam ordinationem, vel sententiam nullam, conquerendo de grauamine per eam suscepto, & postea veniendo Romam, debet haberi pro appellatione; & superior, qui de causa cognoscet, poterit, & debet facere ea quæ faceret bonus & rectus iudex ad se appellanti legitimè. At iudex rectus; inuenta iniustitia, vel inutili sententia, debet appellantem restituere in pristinū statum: ergo etiam superior N. debet idem ei facere.

8 Quarto, quod spoliatus à iudice non seruato iuris ordine, perinde restituendus est ante omnia, ac spoliatus ab eo, qui nō est iudex vt est casus singularis in c. *cōquerēte.* [m] At prædictus N. est spoliatus iuris ordine prætermisso: ergo, &c.

Quintò, quòd grauatus etiamsi nō posset appellare, & per viam appellationis ad superiorē accedere posset; tamen per viam simplicis querelæ adire superiorem grauātis, secundum Panormitanum & omnes,[n] ergo prædictus N. iustè potuit petere sublationem prædicti grauaminis sui, & superior eius potest & debet concedere illam ei: quæ tamen concedi non potest sine restitutione pristini status: ergo debet illum ei restituere.

9 Sextò, quòd regulariter iudex à quo appellatur, licet possit assistere causæ appellationis propter honorē suum; non tamen est citandus in causa appellationis. Vnde etiā inter sęculares appellans impetrat in curia literas inhibitorias ad iudicem, citatorias ad partem, & compulsorias ad notarium, sed non citatorias ad iudicem; & ita non oportet citari prædictum prouincialem, & illo absente potest illius sententia declarari nulla & rescindi, & appellās ad pristinum statum restitui, per ea quæ habentur in cap. *cum sit Romana.*[a]

10 Septimo, quod inter religiosos non seruantur, nec debent seruari in his grauaminibus exequendis omnia sic adamussim, vt inter sæculares,[b] sed solū pro sanctitate sua debent seruare ea, quæ sunt iure naturali & diuino necessaria; & sufficientia ad inquisitionē, & inuentionē iustitiæ, & veritatis. Per quæ, &c. Salua, &c.

a Clem. pastoralis. §. cæterum. de re iudic.
b In cap. 1. de causa possess.
c In cap. cum omnes. de constitut.
d 4. distinct.
e In 1. 2. quæ. 90. art. 2.
f Iuxta le. 1. ff. de appell. & iuxta notatā per omnes in rubrica de appel.
g Ca. 1. de priuileg. li. 6. & alibi sæpe.
h In rub. de appell.
i In ead. rubr.
k De appell.
l De reg. nu. 61. in cap. non dicatis. 12. q. 1.
m De restit. spol.
n In dict. cap. cum dilecti.
a Et c. de priore. de appell.
b Ca. qualiter & quando. 2. §. vlt. de accusatio.

### SVMMARIVM.

1 *Appellatio legitimè subsequens etsi non suspendat suspensionem ab officio & ingressu ecclesiæ, num. 2. nec interdictum quo interdicitur ingressus ecclesiæ, vel aliquod officium diuinū, num. 6. nec illam per cuius violationem incurritur irregularitas; num. 5. suspendit tamen suspensionem à voce actiua & passiua, & ab officio, & beneficio, num. 3. ab vsu pallij & pontificalibus, n. 4. ac omnia alia quæ nō tāgūt animā. nu. 3.*

4 *Suspēsus à voce passiua, licet non possit via electionis acquirere beneficia, potest tamen via collationis & institutionis illa obtinere.*

5 *Suspensionem à voce actiua & passiua violans nō incurrit irregularitatem, potestque ingredi Ecclesiam, & agere omnia diuina officia. 6.*

## CONSILIVM VI.

Qværitum est, an suspensio à voce actiua & passiua suspēdatur per appellationem legitimā subsequētē

1 Et pro parte quidē negante videtur primo casus in c. *is cui.* [c] ibi: *Sicut excommunicatio, sic ab officio, vel ab ingressu ecclesiæ lata suspensio, aut ipsius effectus per appellationem subsequentem minime suspenduntur.* Secundo, quod interdictū, & effectus eius non suspenditur per appellationem cap. *ad hæc quoniam.* [d] per quæ duo capitula fundātur, & est recepta illa sententia vulgata, quod sententiæ censurarum non suspēdantur per appellationem; & vna de tribus cēsuris est suspensio. [e]

Pro parte verò affirmante facit primò, quòd regulariter omnis appellatio suspendit sententiam, & eius effectum, [f] etiāsi secum trahant executionē; [g] & non videtur excepta huiusmodi suspensionis sententia: nō enim excipitur ab illa regula omnis suspensio, sed solùm suspensio ab officio, vel ingressū Ecclesiæ: nam prędictus §. finalis solùm loquitur de illa, & non est alius textus, qui disponat idem de aliis: si quidem ante illum controuersia erat etiam de illa: quamuis de interdicto haberetur in d. capi. *ad hæc quoniam.* & à iure regulari non est discedendum, nisi quo ad ea quę inueniūtur excepta, iuxta glossā recept. [h]

3 Secundò, quòd glossa communiter recep. [i] & quę necessariò est recipienda per primum argumentū, expresse ait, non esse locum illi §. in omni suspensione, sed solùm in ea, quę fit ab ingressu Ecclesię & ab officio diuino, qualis non est suspensio à voce actiua, & passiua; cum non obstante illa licitè possit quis ingredi Ecclesiam & exercere diuina, vt palam est.

Tertiò, quòd eadē glos. recepta relatis Innoc. & Host. opinionibus cōcludit, prędicto §. nō esse locū in suspēsione à beneficio, vel perceptione beneficij: quam constat esse maiorem, quā sit suspensio à voce actiua; vel passiua.

Quartò, quòd eadē gloss. ait, nō esse locū illi §. nisi in suspēsione à spiritualibus, quę ligāt animā; qualis certè nō est suspensio prędicta; cū ea non obstāte possit exercere oīa diuina offic. & ministrare; & accipere oīa sacramēta.

4 Quintò, quod Panorm. cōmuniter receptus determinat, [k] quod suspēsio ab vsu pallij, immo & à pōtificalibus suspēditur per appellationē legitimā subsequētē, & constat has duas suspēsiones magis accedere ad suspēsionem ab officio, & ingressu Ecclesię, de qua d. §. finalis loquitur, quam supensionem à voce actiua, & passiua: ergo minus includitur hęc in eo, quàm illę duę. & consequenter

c §. fin. de sent. excom. lib. 6.
d De appell.
e Ca. quærenti. de verb. signifi.
f Ca. venientes. de iureiur. & le. 1. ff. ad Turpil.
g Le. furti. ff. de his qui not. infam.
h Leg. omnis definitio. ff. de reg. iur. & in rubr. eiusdē tit. lib. 6.
i In d. §. fin. & in d. ca. ad hæc.
k In d. ca. ad hæc. not. 1.

à fortiori appellatio magis suspendet hanc, quàm illas.

Sextò, quòd prædicta suspensio à voce actiua & passiua minus tangit diuina, quàm suspensio à beneficio: quia sic suspensus potest quærere beneficium alia via, quàm electionis, & administrare illud: cum enim suspensio non operetur vltra limites eius, secundum Panormitanum, Decium & communem,[a] & prædicta suspensio limitetur ad consecutionem beneficij per electionem, in qua sola habet locum vox passiua, nõ extenditur ad consecutionem via collationis, vel institutionis, quæ sunt longè diuersę;[b] præsertim in dispositione & sententia pœnali.[c] Cum igitur suspensio à beneficio, & ab administratione beneficij suspendatur per appellationem secundum communem, vt prædictum est à fortiori & hæc suspendetur.

5 Septimo, quòd illa sola suspensio videtur excepta à suspensione per appellationem, cuius violatio inducit irregularitatem; quod videntur significare d.c. *is cui.*[d] & c. *is qui.* iunctis glosis. At solius suspensionis ab officio diuino & sacramentis violatio facit quem irregularem, vt resolutè monstratur in Man. nostro,[e] ergo suspensio à voce actiua & passiua, cuius violatio non inducit irregularitatem,[f] suspenditur per appellationem legitimam subsequentem.

Non obstant citata in contrarium. Non primum: quia §. ille vlt. non disponit de omni suspensione, sed tantũ de suspẽsione ab officio diuino, & ingressu Eccle. qualis nõ est suspẽsio à beneficio, neque suspensio ab administratione beneficij vel à pontificalibus; vel vsu pallij, & à fortiori nec suspensio à voce actiua & passiua: qua non obstante potest suspensus ingredi Ecclesiam, & agere omnia officia diuina, vt suprà probatum est.

6 Ad secundum autem respondetur, quòd nõ omne interdictum est tale, quod appellatio legitima non suspendat; sed solùm illud, quo interdicitur ingressus Ecclesiæ, vel aliquod officium diuinum, quod non fit per suspensionem supradictam: & ita sicut interdictum ingressus possessionis agri, vel beneficij, vel collationis eius, vel aliorum actuum, qui non tangunt animam, suspenduntur per appellationem, vt omnes dicunt, vel sentiunt,[g] ita & suspensio à voce actiua, vel passiua suspendetur per illam Per quæ omnia videtur satis fulta pars posterior affirmãs.

a In c. Apostolicæ. de excep.
b Ca. cum in illis. §. 1. de elect. lib. 6.
c Arg. l. præses ff. de pœn.
d In princ.
e Cap. 27. nu. 163.
f Arg. c. 1. §. fi. de sent. excõ. lib. 6. & ca. 1. de sent. & re iud. eod. lib.
g In d. §. fin. & in d. c. ad hæc.

SVMMARIVM.

1 *Beneficiarius si à sententia iniusta priuationis appellans suspẽsoque tempore prosequendæ appellationis possessionem continuarit, coram Deo beneficium dimittere non tenetur. & seq.*

3 *Appellans ab iniusta sententia, appellato negligente prosequi ius suum, potest iustè credere eum tamquam sibi malè conscium totum deseruisse negotium.*

4 *Possessio triennalis interrupta potest cessante controuersia de nouo inchoari.*

## CONSILIVM VII.

Qvidam N. obtinuit quemdam pœnitentiariatum sęcularem vacantem per obitum à Nuncio Apostolico, & possedit pacificè illud circiter tribus annis, qui ante triennium fuit priuatus: à quodam delegato Papæ per sẽtentiam; qui delegatus contulit illum cuidam regulari mendicantium, vt esset pœnitentiarius: à qua sententia appellauit N. & lite pendente in Rota conuenerunt partes, vt locus in choro & Capitulo remaneret prædicto N. & fructus præbendę caperet Episc. & eos daret prędicto regulari: cui concordiæ non fuit consensum legitimè à partibus: licet à Papa fuisset signata supplicatio: & postea visitator Papæ fecit alium magistrum Theologiæ canonicum pœnitentiarium cum sua præbẽda: & ita prędictus N. mansit cum suo pœnitentiariatu, & possessione eius, & accepit omnes fructus eius, sicut prædecessor eius solebat accipere, vsque in hunc diem nemine litem contra eum motam prosequente, neque ipso de illa curante: nec iudex appellationis Rotæ protulit vllam sententiam. Quæritur an prædictus N. iustè possit retinere fructus perceptos, & recipere percipiendos sine vlla alia prouisione.

Respondeo primò, quòd hæc quæstio magna, implicita, & noua est: & quod videri potest alicui pars negatiua vera.

1 Primo quidem, quia D. consulens fuit priuatus, & nõ fuit appellatio sua approbata. Secundò quia appellatio videtur fuisse deserta per lapsũ biẽnij.[a] Tertio, ꝙ nõ potest iuuari possessione, quippe qui non possedit pacificè triẽnio, ꝙ requiritur in regula de triẽnali, secũdũ omnes.

Respõdeo secundo, quod verior videtur pars affirmatiua, scilicet posse ipsum quo ad forum saltem conscientiæ iustè possidere, & percipere fructus, vt hactenus possedit & percepit.

2 Tum quia sententia illa, per quam fuit priuatus, fuit suspensa per appellationem, cum effectus principalis eius sit suspendere sententiam secundum omnes,[b] & ita non obstante illa sententia prædictus N. remansit cum suo titulo. Tum quia non fuit appellatio deserta; quoniam annus ille vnus, vel biennium, quæ dantur ad prosequendã appellationem in iuribus præcitatis, non currunt durãte compromisso facto inter partes; vel cum aliàs consentiẽtibus eis prosequutio differtur, vt habet clem. *quamdiu.*[c] & ita semper habuit titulum & possessionem prædicti pœnitentiariatus. Tũ quia sententia prædicta cum collatione facta prædicto regulari mendicanti fuit euidenter iniusta, quia fuit facta in fauorem religiosi incapacis beneficij sæcularis, contra illam regulam, quæ habet sæcularia beneficia sæcularibus esse conferenda, regularia verò regularibus,[d] & sententia iniusta non obligat in conscientia, secundum Innocentiũ, receptum.[e]

3 Tũ quia probabiliter præsumi potest, quod prædict⁹ pater reuerendiss. sicut voluit expressè deserere locum in choro, & in Capitulo; ita videns non esse iustum vt retineret fructus præbendæ sine titulo pœnitentiariatus canonico, voluit, non curãdo de prosequutione litis, neque de exequutione concordiæ, tacitè deserere totum negotium, & ita recedere à tota lite & quæstione; & consequenter pręsumere potest prędictus N. coram Deo & quo ad forum conscientię remansisse cum suo titulo eo modo, quo remanebat ante sententiam contra eum latã, arg. c. *humanæ aures.* 22. q. 5. & cap. 4. ad Hebręos.[f] quatenus habent omnia Deo esse nuda & aperta, & eius diuinã maiestatem cor requirere, & non manum.[g] Tũ quia pręsumptiones has auxit Visitator prædictus, qui visitando ecclesiam cathedralem, non curauit de prædicta sentẽtia neque de appellatione, neque de concordia præfata imperfecta, neque de vlla alia re pereas incepta: sed denuo erexit canonicatum pœnitentiarium cum pręebenda, & eum contulit personę habili, & magistro Theologię sine vllius contradictione neque quærela.

4 Tum quia per multa, quæ adducit & tangit Ludouicus Gomezius,[h] posset satis coloratè dici esse locũ in hoc casu regulę de triennali possessore, saltem quo ad mentẽ auctorum eius, vel iungendo quasi triennium pacificum inceptum anno 1565. & interruptum per prędictam litem cum toto reliquo tempore à concordia incepta, vel saltẽ à tempore quo Visitator prędictus cõstituit nouum pœnitentiarium, qui sunt plurimi anni: vel incipiendo trienniũ à deserta expressè vel tacitè à prædicto Reuerendo patre, & continuatum per multos annos: vel incipiendo ipsum triennium à tempore, quo Visitator constituit prędictum pœnitentiarium sine vlla querela, & contradictione, per sex vel septem annos. Tum denique, quod qui bona fide transgreditur legem humanam malè intellectã non peccat saltem mortaliter, secundùm Innocentium,[i] cõfirmatum per multa à Felino.[k] Per quę omnia videtur nobis, salua saniore sententia, securum esse prædictum D. consulentem, saltem quo ad forum conscientiæ à peccato percipiendi fructus hactenus collectos, & posthac colligendos; si bona fide, & putans habere bonum ius coram Deo illos percepit, & percipit. Restrinxi me superius, saltem quo ad forum conscientiæ. Tum quia difficilius esset defendere hanc partem in foro exteriori iudicis, qui rigorem ęquitati pręferre vellet, qualis nõ est iudex appellationis prędictę acutissimus, eruditissim⁹, & ęquitatis (vt audio) amãtissim⁹: qui fortassis pro suo seraphico iudicio persuadere sibi posset, vt appellationẽ prędicti N. approbaret absq; alia noua citatione aduersarij, cui euidenter ius defuisse videtur. Salua, &c.

a Iuxta c. cũ sit Roman. a. de appellat. & clem. sicut. eod. tit.
b In rubr. de appel. & l. 1. ff. eod.
c De appell.
d Ca. cum de beneficio. de præben. lib. 6. & c. possessionis. de reb. eccles. nõ alien.
e In ca. quia plerique. de immunit. eccles.
f Relat. in ca. Deus omnipotens. 2. q. 1.
g Ca. si quid inuenisti. 14. q. 5.
h In regu. de trienn. qu. 2. vers. prima est, versus finem. & 26. 27. 35. & 42.
i In capit. per tuas. 2. de simonia.
k In c. 1. de re iudic. fal. 7.

FINIS LIBRI SECVNDI.

CON

# CONSILIORVM, SIVE RESPONSORVM MARTINI AB AZPILCVETAE DOCTORIS NAVARRI.

## LIBER TERTIVS.

### DE VITA ET HONEST. CLER.

*SVMMARIVM.*

1 *Beneficiarÿ præstantes id, ad quod ratione suorum beneficiorũ obligantur, possunt licitè secundum communẽ de fructibus beneficiorum se alere, reseruato patrimonio propinquis. & num 3.*

2 *Clerici si aliunde habent vnde viuant, non possunt ea sola ratione, quod sunt clerici, viuere de reditibus ecclesiasticis, nisi etiam habeant aliquem titulum, ob quem eis ab Ecclesia, cui inseruiunt, debeantur alimenta, num. 4.*

### CONSILIVM I.

1 AN CLERICVS beneficiarius habens bona patrimonialia, iustè posit patrimonium suum cum fructibus illius seruare suis cognatis, & aliis, quibus volet, & alere se de fructibus beneficij, perinde ac si non haberet patrimonium?

Respondetur, quod sic, ex doctrina communiter recepta Innocentij,[a] quam probant Panormitanus & Felinus & communis,[b] Panormitanus & Decius in dicto ca. Episcopus, Panormitanus,[c] & Andreas Siculus,[d] & alij alibi, quos etiam sequuti fuimus nos semper cum quadam ampliatione, prǽsertim in tractatu de reditibus eccle siast.[e] & in Manua. confess.[f] contrariũ tamen tenuit Decius,[g] qui videtur placere quibusdam, pro quibus videtur textus expressus in c. *clericos.*[h] quod sic habet.

a Ca. Episcopus. de prabendis.
b In c. postulasti. de rescr.
c In disputa. Titius clericus. quast. 4.
d De præst. Cardin. q. 6.
e Quæst. 3. moni 35. n. 20. & in q. 1. monito 30.
f Cap. 25. nu. 127.
g In dicto ca. postulasti.
h 1. q. 2.

2 *Clericos autem illos conueniit Ecclesiæ stipendÿs sustẽtari, quibus parentum & propinquorum nulla suffragantur bona: qui autem bonis parentum & opibus suis sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt, & per abusionem talium iudicium sibi manducant, & bibunt.* ad idem cap. *pastor.*[i] in hæc verba: *Pastor Ecclesiæ his, quibus sua sufficiunt non debet aliquid erogare; quandoquidem nihil aliud sit habentibus dare, quàm perdere: nec illi, qui sua possidentes, dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, vnde pauper victurus erat, accipiũt. De clericis quidem dicit per prophetam Spiritus sanctus, Peccata populi mei comedunt. sed sicut nihil habentes proprium, non peccata, sed alimenta, quibus indigere videntur, accipiunt; ita possessores non alimenta, quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt. verum his auctoritatibus prohibentur ab Ecclesia suscipi non illi, qui quondam fuerunt, diuites, postea verò omnia reliquerunt, vt Petrus, & Matthæus, & Paulus; aut pauperibus distribuerunt, vt Zachæus; aut Ecclesiæ rebus adiunxerunt, sicut illi, qui prædia sua vendentes ponebant pretia ante pedes Apostolorum, vt essent omnia communia; sed illi, qui in domibus parentum residentes vel sua relinquere nolentes, Ecclesiasticis facultatibus pasci desiderant* ad ida c. *sacerdos.* buod sic habet,:[a] *Sacerdos, cui dispensationis cura cõmissa est, nõ solũ sine cupiditate sed etiã cũ laude pietatis accipit à populo dispensanda, & fideliter dispensat accepta, qui omnia sua aut parentibus reliquit, aut pauperibus distribuit, aut Ecclesiæ rebus adiunxit, & se in numero pauperũ paupertatis amore constituit, vt vnde pauperibus subministrat, inde & ipse tamquã pauper voluntarius viuat. Clerici quoque, quos pauperes aut voluntas, aut natiuitas fecit, cum perfectione virtutis vitæ necessaria, siue in domibus suis, siue in congregatione viuentes, accipiant; quia ad ea accipiẽda non eos habendi ducit cupiditas, sed cogit viuẽdi necessitas. De talibus dicere videtur Apostolus, Qui in sacrario operãtur, quæ de sacrario sũt, edãt; & qui altario deseruiũt, de altario participẽt.*

a Ead. causa & quæst.
i Ead. causa & quæst.

3 Non tamen est dicendum à communi. Tum quia non est ab ea recedẽdum, nisi textu aliquo, vel ratione aliqua efficaci cogente,[b] & est cõclusio Ioannis Andreæ recepti.[c] Tũ quod pro eo est textus Cõcilij Agathensis.[d] Tum per illud Apostoli,[e] relatum in c. *cum secundum.* [f] *Qui altari seruit, de altari viuere debet.* Tum & neruosissimè per rationem, quæ nititur illo Euangelij, scilicet, *Dignus est mercenarius mercede sua.* [g] Ex quo sic arguitur, Omnis mercenarius est dignus mercede sua: at clericus beneficiarius, licet habeat patrimonium, qui seruit beneficio horas recitando, cantando, missando, inseruiendo choro, & faciendo alia, quæ requiruntur in seruitio illius Ecclesię, est operarius, & seruit Eccle. ergo est & dignus mercede; ergo potest illam accipere, licet habeat patrimonium: non enim cum effectu acciperet, nisi de illa viuere posset, & dispõere honestè de suo patrimonio, sicut alij laici, qui de illa viuere possunt seruando illud suis. Tum quod Ecclesia debet seruare iustitiam etiam contra viduas.[h] At iustitia pręcipit, vt operanti soluatur operæ pretiũ, & id quod inter eos conuentum fuit, iuxta Matthæi parabolam latè relatam à glossa.[i] At Ecclesia videtur couenire cum clerico, cui confert beneficium, vt seruiat sibi in his quæ requirit illud, & accipiat reditus eius;[k] adeo quidem, quod non potest renunciare illud sine licentia eius,[l] ergo si seruit illi, tenetur & ipsa de iustitia soluere illi pretiũ ministerij; & operę, tum ratione operę prę stitę, tum ratione conuentionis tacitæ. Tum quòd habere, vel non habere patrimonium, nihil prodest, nec nocet ad hoc, quòd Ecclesia debeat, vel non debeat beneficario suę operę pretium, & reditus pro illa opera assignatos per titulum beneficij: ergo debet illos ei dare. Tum quod Ecclesia non debet esse auarior, nec minus benigna erga suos ministros, quã alij, cum debeat imitari suum sponsum Christũ, qui,[m] largum se promittit erga suos ministros. Adde, quod nullus Regum, & Principũ, nullusque summatum, nec infimatum denegant ministris suis pretium ministerij sibi exhibiti, nec stipendium assignatum, eo quòd habeãt alia bona patrimonialia, ergo nec Ecclesia suis ministris debet denegare pretium, nec stipendia promissa. Tum quia si aliqua Ecclesia egeret aliquo cantore, vel magistro puerorum, vel alio simili, & conduceret ad id aliquem laicum habẽtẽ patrimoniũ, teneretur ad soluẽdũ ei salariũ cõuẽtum; & nulla ratio potest dari, quare non esset soluendum

b Arg. ca. fin. 20. dist.
c In cap. 1. de constiu.
d In ca. fin. 1. q. 2.
e 1. ad Corinth. 9.
f De præben.
g Luc. 10.
h Cap. ex tenore. de foro. compet. & c. nuper. de donatio. inter vir. & vxor.
i In §. 1. inst. iusti. & iur.
k Ca. nisi cum pridem de renunciatio.
l Ca. quod in dubÿs. & ca. admonet. de renunciat.
m Matth. 19.

illud ei, si esset clericus; nec consequenter vlla ratio iusta reddi potest, cur Ecclesia, quæ habet beneficia instituta pro cãtoribus & aliis ministris, an teneatur soluere reddi tus illorum illis clericis, quibus contulit illa, eo solo, quòd habent bona laica, quibus viuere possunt.

4 Nõ obstãt opposita; respõdetur enim ad ea, sésũ eorũ esse, ꝙ clericis, eo solo ꝙ sũt clerici, siue solo titulo clerica tus, nõ est dãdũ quidquã de fructibus ecclesię, si habẽt aliũde, quo viuant: non autem loquitur de clericis, quibus est alius titulus, ob quem debeãtur alimenta, quales sunt beneficiarij seruientes Ecclesię in suis beneficiis, quibus ratione titulorum suorum debentur reditus illorum, modo seruiant in ea Ecclesia, quæ illos contulit illis: sicut si quis donaret aliquod prædium Ecclesiæ cum onere dandi 20. Ioanni, postquam fieret clericus, dum viueret, teneretur Ecclesia illi dare illa, etiam si patrimonium, vnde alere se posset, haberet; non quidem eo solo, quòd est clericus; sed quia donator, vel testator, qui reliquit prædium Ecclesię, dedit ei ius petendi ea. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Beneficia plura vltra necessitatem suæ honestæ sustẽtationis habens, superflua tenetur dimittere, nisi ex iusta causa secum dispensetur.*

2 *Beneficiarius ex fructibus Ecclesiasticis potest impendere non solùm quæ ei conueniunt ratione suæ personæ, sed etiam ratione dignitatis ipsius beneficij: has autem decentias notabiliter excedens non est absoluendus. num. 3.*

4 *Filiusfamilias etiam si habeat patrem diuitem, potest tamẽ dici pauper, & ei potest frater de fructibus superfluis beneficij subuenire.*

## CONSILIVM II.

QVæsitum fuit primò, an qui habet plures reditus Ecclesiasticos, quàm sua persona & qualitas requirat ad decentem sustentationem, possit comitatum & statum suum augere.

Secundò, an possit fratri suo studenti alimenta tribuere, si habeat patrem diuitem, qui probabiliter id facere posset.

1 Ad priorem quæstionem respondeo tẽpore, quo vetor à medicis corporis & animæ, respondere quæstionibus cùm id faciẽdo oporteat me detrahere saluti, & tempori ad recognoscendum opera, quæ teneor recognoscere & imprimere multis nominibus, & iam ætas non patitur dilationem, idque facio simpliciter, absque allegationibus, propter obseruantiam, qua sum in D. interrogantem; & quia, vt moneor, fuit interrogatio, anteaquam prohiberer respondere facta. Respondeo igitur primò, animaduertendum esse an præfatus D. pœnitens habeat prædictos reditus ex vno tantùm beneficio, vel pluribus: & si habet ex pluribus, pręcipiendũ est ei, vt relinquat ea, sine quibus habet vnum, vel plura suæ sustentationi sufficiẽtia; & quod, vel quot sint tale vel talia, consulat, si placet, nostrũ miscel. 62.[a] vel impetret dispensationem retinendi omnia à Papa iusta aliqua de causa.

2 Secundò, quòd si ex vno tantùm beneficio percipit præfatos reditus, est animaduertendum, an illud sit tantæ qualitatis vel dignitatis, vt requirat maiorem comitatum & statum, quam præfatus pœnitens ratione qualitatis suæ personæ requirit; & iustè poterit habere comitatum & facere sumptum maiorem, quàm sua persona requirit, modò non excedat eos, quos sua dignitas requirit.

3 Tertiò, quòd non absoluerent illum volentem impẽdere notabiliter plusquam qualitas suæ personæ vel dignitatis requirit, etiam si ex vnico beneficio præfatos reditus reciperet, vel ex pluribus cum iusta dispensatione retentis; quia pro re indubitata mihi est peccare cum obligatione restituẽdi beneficiariũ, qui reditus beneficij superfluos vitæ ac decẽtiæ suæ in vanos vel prophanos vsus impẽdit, per ea quæ serio scripsi in tractatu de reditibus eccl.[b]

4 Ad posteriorem quæstionem respondeo quòd sic, si frater de suo non habet; cùm viuente patre bona illius non sint filij, & ita filius iure potest dici pauper, & aliena ope indigens; nec pater tenetur illum studentem in studio, vt sibi inseruientem alere. Salua, &c.

a De oratione.

b q. 1. & 2.

SVMMARIVM.

1 *Pensionarius clericaliter viuere tenetur, & nõ laicaliter; non tamen ob id, etiam si contulerit se ad militiam, & indueret habitum militarem, pensionem amittit; nec etiam quod ob homicidium esset factus irregularis, potest ei denegari.*

3 *Pensionarius clericaliter viuere tenetur, nec potest aliter absolui, potest tamen ob pẽsionis insufficiẽtiam exercere aliquod officium sæculare, quod sit compatibile cum dicto habitu & tonsura clericali, ac etiam rusticare & negotiari, vt ob tenuitatẽ beneficij licet beneficiario. nu. 2.*

## CONSILIVM III.

CLericus pensionarius cùm propter tenuitatem pensionis non posset se sustentare, relicto habitu clericali ad militiam se contulit. Inde redeunti; qui pensionem debet, eo quod vt miles vestitus incedit, eam soluere recusat. Quæritur quid iuris.

1 Respondeo ad quæstionem primò, quòd clericus, cui constituta est pensio simpliciter, tamquam clerico, tenetur quidem viuere clericaliter, vt nos per multa probauimus contra Sotum,[a] sed non tenetur ad restitutionem pensionum receptarum, si recitauit horas Beatæ Mariæ Virginis, sicut probamus ibidem: sicut etiam recipiens canonicè beneficium Ecclesiasticum tenetur quidem viuere clericaliter, sed non tenetur restituere fructus eius perceptos, etiam si non viuat clericaliter, si recitauerit horas canonicas, vt ibidem diximus. Et consequenter sicut non possunt negari clerico beneficiario dicenti Horas canonicas fructus beneficij, licet non viuat clericaliter; quia non perdit ipso iure fructus eius, etiam si esset factus irregularis per homicidiũ postea perpetratũ, vt tradit Innocẽtius cõmuniter receptus,[b] immo potest eos iustè petere ad impendendos eos iusto modo, vel ad dãdum pauperibus: ita pensionarius potest petere fructus suæ pensionis ad iustè dispensandum illos; quia non perdit ipso iure pensionem non viuendo clericaliter, plusquam beneficiarius perdit suum beneficium, sed tenebitur clericaliter viuere, & peccabit, si sic non viuat.

2 Quamuis possit negotiari, rusticari, & aliqua officia sæcularia non omnino contraria vitæ clericali exercere propter tenuitatem pensionis, sicut & posset idem facere propter tenuitatem beneficij.[c]

3 Secundò, quod D. consulens, vt iustè possit absolui, debet proponere, quàm citò commodè poterit, relinquere militiam sæcularem, quæ est omnino contraria vitæ clericali, & petere fructus pensionis suæ, & accipere aliquod officiũ sæculare quod sit compatibile cum habitu & tonsura clericali, propter tenuitatem pensionis ad viuendum decenter. Salua. &c.

*Aduertendum, modo obseruandam constitutionem S.D.N. Sixti V. cum sacrosanctam publicatam anno 1589. 18. Ianuarij.*

a In li. centũ miscell. de oratio. miscell. 45.

b In [illegible] nostras. de cõ cess. praben.

c Iuxta capi. pen. adiuncta gloss. 90. dist. & gloss. in ca. negotiationẽ. 88. dist.

# DE COHABITATIONE CLER. ET MVLIERVM.

SVMMARIVM.

1 *Ca. 14. sess. 25. de reform. habet locum etiam in vna simplici incontinentia sine qualitate concubinatus. num. 3. & seq.*

1 *Consuetus non dicitur, nisi qui saltem bis id fecerit, nisi addatur vniuersalis dictio: quia tunc verificatur in vno actu. n. 4.*

1 *Solitus dici potest etiam is qui semel quid fecit; Decius tamen probat efficaciter contrarium.*

2 *Pœnæ molliendæ, præsertim cùm agitur de puniendo peccato carnis.*

3 *Conuersatus, vel familiariter se habuisse quis cum aliquo dicitur etiam per vnum actum.*

4 *Vniuersalis dictio ampliat dispositionem.*

4 *Alius, dictio similia solum comprehendit: at si addatur propositio vniuersalis, extenditur etiam ad maiora expressis.*

5 *Clericus secundum iura antiqua ob vnicam etiam simplicem fornicationem erat deponendus.*

6 *Clericis prohibita est conuersatio tam in propria domo, quàm extra, cum omnibus mulieribus suspectis.*

## CONSILIVM I.

AN ca 14.[d] Concilij Tridentini habeat locum in simplici incontinẽtia absque qualitate concubinatus? & quid si clericus modo cum vna, modo cum alia muliere deprehendatur?

1 Respõdetur, ꝙ pro parte negãte facit primò, ꝙ prædictũ c. 14. videtur loqui de clerico habente cõsuetudinem

d De reform sess. 25.

cum aliqua muliere;& quod qui ſemel fornicatur cum aliqua,non videtur per hoc habere conſuetudinem cum illa:quia ad hoc,vt aliquis dicatur conſuetus facere aliquid requiritur quod ſaltem bis fecerit illud,[a] & expreſſe notat Bartholus,[b] quod ad hoc, vt aliquis dicatur conſuetus facere aliquid,requiritur quod ſaltem bis fecerit illud; licet ad hoc, vt quis dicatur ſolitꝰ facere aliquid, ſufficit ꝙ ſemel fecerit illud,per prædictam l,*mela.*[c] & Decius,[d] efficaciter per multos textus probat,quod etiam ad hoc, vt quis dicatur ſolitus facere aliquid requiritur quod ſaltem bis fecerit illud.

2 Secundo facit,quòd pœnæ ſunt reſtringendæ,[e] præſertim cum agitur de caſtigando peccata fornicationis,[f] & quæ ait Panormitanus.[g]

Tertiò:quòd cum lex aptè poteſt intelligi duobus modis,benignior interpretatio eſt ſumenda.[h] At c.illud 14. videtur aptè poſſe intelligi de habente ſaltẽ bis conuerſationẽ & acceſſũ,& eſt benignius ſic intelligere,ergo,&c.

3 Pro affirmante autem facit primo,quod verbum illud *cõſuetudinẽ,in* d.c.14. poſitũ videtur ſignificare cõuerſationẽ, iuxta illud Plauti in Milet. *Hoc adeo fieri credò conſuetudine, vel familiaritate:* & iuxta illud Terentij in Andria,*Neque me conſuetudo,neque amor.*& etiam per vnum actum dicitur quis conuerſatus fuiſſe, vel familiariter ſe habuiſſe cum aliquo.

Secundo, quod dictum verbum, *conſuetudinem,*videtur deſumptum ex cap. 2.[i] ex illis verbis, *Fabulari, & aliquo modo conuerſari.*

4 Tertio,quod hæc expoſitio videtur germanior intẽtioni Concilij,quatenus prohibet per dictionem vniuerſalem,vt nullam conſuetudinem habeant, etiã citra fornicationis actum: verbũ enim vniuerſale ampliat diſpoſitionem,iuxta gloſſam receptam,[k] quæ probat verbum *alius,*quod regulariter ſolùm ſimilia comprehendit, iuxta gloſſam,[l] adiuncto ſigno vniuerſali *quiuis*, comprehendere etiam maiora expreſsis,in quo commendat eam pro ſingulari Panormitanus,[m]& Bartholus.[n]& alij alibi,quãuis habeat alias ſimiles.

Quartò,quod ſi Concilium fuiſſet interrogatum, an intenderet prohibere vnam acceſsionem cum reali fornicatione, reſpondiſſet,quod magis,quàm binam ſine actu fornicandi:ergo id habendum eſt pro ſtatuto.[o]

5 Quinto,quòd Concilium;quod voluit punire priuatione tertiæ partis fructuum eum,qui monitus ne accedat acceſſerit,à fortiore videtur voluiſſe priuare eum,qui acceſsit,etiam tantùm ſemel realiter fornicando; cùm propter vnam ſolam fornicationem etiam ſimpliciter antiqua iura conſtituerint clericum eſſe deponendum,[p]& nõ propter ſolam confabulationem,vel conuerſationem,nõ ſecuta fornicatione,ſaltem præſumpta.

6 Sexto denique,quod c.illud 14.noluit minus prohibere,quàm iura antiqua,quod patet ex pœna maiori, quã nouè addit.At iure antiquo prohibitum erat non ſolùm habere concubinas, aut alias mulieres, de quibus poſsit haberi ſuſpicio,in domo,vel extra,[q] ſed etiam accedere ad illas,vel habere aliquam conſuetudinem,[r] & c. *clerici.*[s] prohibet,ne clerici accedant ad virgines, vel viduas, niſi iuſſu Epiſcopi.Ergo Concilium intendit prohibere etiã vnam acceſsionem,& conuerſationem.

*SVMMARIVM.*

1 *Notorius fornicator,ſi antequam pœniteat celebret,fit irregularis:immo & ſi ſolùm internè pœniteat,niſi etiam externè à peccato recedat,pro irregulari reputabitur.*

2 *Forum externum idem iudicat de non apparentibus, quod de non exiſtentibus.*

## CONSILIVM II.

CVm in Manu.confeſſ.[t] dicatur ſacerdotem,qui notoriè eſt fornicator,eſſe ſuſpenſum,& fieri irregularem,ſi celebret antequã pœniteat eũ: Quæritur quæ pœnitẽtia ſufficiat,an ſcilicet interior, vel requiratur etiam exterior.

1 Reſpondeo,quod ad excuſandum ſe à pœna in foro exteriori requiritur exterior:quia in illo foro de non apparentibus,& non exiſtentibus idem eſt iudicium;[v] In foro verò interiori videtur ſufficere interior,quæ probabiliter ſufficiat ad deletionem peccati,ſecuta ſaltem cõfeſ-

a Leg.3.C.de epiſco. audiẽ. & ca.ita nos. 25.q.2.
b In l. mela. ff. de alimen. & cib. lega.
c Verſic.ſed ſi.
d In rubri.de conſuet. n.9.
e L.interpretatione.ff. de pœnis. & ca. pœna.de pœniten.diſt.1.
f Iuxta c.fraternitatis.34. diſt.
g In ca. at ſi clerici.in princip. nu.35. de iudic.
h L.benignıꝰ. ff.de legibus.
i De cohabit. cleric.& mulier.
k In clem. 1. verb.quãuis. de re iudic.
l Ca.ſedes.de reſcript.
m In conſil. vlt.1.vol.nu.5.
n In ca tertio loco. de prob.
o Arg.l. tale pactũ.§. fin. vbi glo fin.ff. de pactis.
p Ca.presbyter.81.diſt.
q Ca.ſicut.& c.ſi autem.de cohab. cleric. & mul.
r Ca.in omnibus.& c.fœminas.81. di.
s Ead.diſt.
t Cap.25.nu. 76.
v In leg.duo ſunt Titij. ff. de teſtamen. tutela.& notatur in ca. ſi ſacerdos. de offic.ord.

ſione ſacramentali, vt ſatis videtur colligi ex Cardinali Turrecremata.[a]

## DE CLERICIS NON RESIDENTIBVS IN ECCLESIA VEL præbenda.

*SVMMARIVM.*

1 *Concilium Tridentinum ſeſſ.24.c.12.verſ.præterea, non derogat c.de cætero.nec c.ad audientiam.de cler.non reſidẽ. nec ca.1.de cler.non reſid.in 6.num.3.*

2 *Lex generalis generaliter quidẽ eſt intelligẽda:poſteriorq́; derogat præcedẽti:attamẽ hoc fallit,quãdo lex præcedens eſt ſpecialis,quia per illam limitatur ſequens generalis,etiam habens clauſulam* non obſtantibus legibus contrariis. *nu.2.*

## CONSILIVM I.

COncilium Tridentinum,[b] an deroget c. *de cætero.* & c.*ad audientiam.*[c]

1 Quod Concilium Tridentinum,[d] voluerit derogare c.*de cætero.*& c.*ad audientiam,*[e] facit, quod lex generaliter cõcepta generaliter eſt intelligẽda,[f] & ꝙ leges poſteriores derogant prioribus,[g] cum aliis:& quod d.c. *12.verſic. præterea.*diſponit,vt omnes canonici teneãtur reſidere, & quod non poſsint abeſſe vltra tres menſes, derogãdo ſtatutis,& conſuetudinibus contrariis.

2 Quod autem non deroget illis, facit primò, quòd ſicut lex generalis prior non tollitur,ſed limitatur per legẽ poſteriorem ſpecialem in aliqua ſpecie illi contraria quo ad illam ſpeciem,ita etiam lex generalis poſterior limitatur per legem priorem ſpecialem ei contrariam quo ad illam ſpeciem,[h] & ſunt gloſſæ ſolẽnes ſimul & receptæ,[i] quæ habent legem illam nouam,& poſteriorem generalẽ d.auth. *offeratur.* limitari per illam legem ſpecialem longiſsimè priorem,quæ ponitur in d.l.*ſciendum.*quę concluſio procedit,etiam ſi in lege noua poneretur clauſula, *non obſtantibus legibus contrarijs,*vt dicit Bartholus,[k] receptus à poſterioribus:quos refert & ſequitur Decius.[l] Cùm ergo conſtitutio prædicti Concilij ſit generalis, & prædicta duo capp.ſint ſpeciales leges,dicendum eſt non derogari eis per illam,ſed eam per hæc limitari.

3 Secundo facit,quod per prædictũ Conciliũ nõ derogatur c.1.[m] l.6.neque aliis canonibus, quibus conceditur infirmis & detentis lucrari fructus in abſentia;ſed potius Cõcilium limitatur per illa ſecundum omnium mẽtem: ergo eadem ratione non derogat prædictis duobus capp. Tertio videtur pulchrè hoc probari in c.*ad audientiam.* de cler.non reſid.quatenus probat; quod canones concedẽtes Epiſcopis,vt poſsint habere vnũ aut duos canonicorum in ſeruitio ſuo abſque amiſsione fructuum, non cẽſentur tolli per ſtatutum iuratum,& confirmatum à Sede Apoſtolica,vt nullus canonicorum percipiat fructus in abſentia.Quarto facit,quod S.D.N.fecit ſeruare illa cap. in cauſa Toletani Archiepiſcopi cùm duo canonici Toletani intereſſent Romæ defenſioni ſuæ cauſæ. Per quæ & alia hæc pars eſt tenenda,& oppoſita clarè ſoluuntur per primum fundamentum pro hac parte formatũ.Salua,&c.

*SVMMARIVM.*

1 *Epiſcopi in ſuo ſeruitio duos canonicos ſuarum eccleſiarum,aliarum verò collegiatarum prælati vnum retinere poſſunt, qui abſentes recipiũt quidem fructus ſuorum canonicatuũ, diſtributiones autem non,adeo vt conſuetudo contraria eis non proſit,nec condonatio collegarum ſaltem præcedens,nu.2.niſi forte agatur de illis quas certis diebus & menſibus etiam alij canonici percipiunt.num.3.*

*Cardinalis in ſuo titulo eſt prælatus dicta eccleſia,immo quaſi Epiſcopus.*

## CONSILIVM II.

A.Canonicus Collegiatæ S. N. deſeruit vti capellanꝰ Illuſtriſsimo Cardinali eiuſdem eccleſiæ titulari Quæritur an percipere poſsit non ſolùm fructus canoniæ ſed etiam diſtributiones quotidianas.

1 Reſpondeo primò,certum eſſe,quod Epiſcopi poſsũt binos canonicos ſuarum eccleſiarum in obſequium ſuum retinere; ita quod fructus ſuarum canoniarum lucrifaciant in abſentia.[n]

Secundò,ſatis certum eſt,prelatos aliarum eccleſiarum collegiatarum non cathedralium, qualis eſt Eccleſia prę-

a In ca.ſi qui ſunt.8.diſt.
b De refor.c.12.ſeſſ.24.
c De cler.nõ reſid.
d Seſſ.24.ca.12.verſ.præterea. de reform.
e De cler.nõ reſid.
f L.de pretio. ff. de publi.in rem actio.
g Capit.2.de conſtit.lib.6. cum alijs.
h L.ſed & poſteriores.ff.de legib.
i In le. ſciendũ.ff. qui ſatiſ. cog. & in auth. offeratur.C.de litis conteſta.
k In extrauag. ad reprimendũ.verb. non obſtantibus.
l In reg.in toto.ff.de regu. iur.à num.7.
m De clericis non reſid.
n Iuxta c.ad audientiã.& ca. cum dilectus.de cler. non reſid.

dicta S.N. posse saltem vnum canonicum in obsequio suo modo prædicto tenere, vt in cap. *de cætero*.[a] tenet Panorm. Quare certum est prædictum A. posse fructus sui canonicatus percipere inseruiendo Illustrissimo Cardinali, qui est prælatus dictæ ecclesiæ S. N. cum sit quasi Episcopus prædictæ ecclesiæ.[b]

2 Tertio, quod licet prædicti canonici seruientes Episcopis, vel aliis prælatis possint in absentia fructus suorũ canonicatuum recipere, non tamen debent habere distributiones quotidianas, quas aliqui vocant victualia,[c] adeo quidem, vt consuetudo nõ possit eis prodesse,[d] immo nec hodie remissio collegarum saltem præcedens amissionem earum, per Concilium Tridentinum.[e]

3 Quarto, quòd ex his sequitur prędictũ dominũ A. posse quidem percipere in absentia fructus sui canonicatus, nõ autem distributiones, quæ tantùm interessentibus diuinis distribuuntur, nisi vberiorem gratiam à Sanctissimo Domino nostro impetrauerit, præterquam in diebus, & mensibus, & negotiis illis, in quibus, & propter quæ etiam alij canonici lucrifaciunt illas. Salua, &c.

*a Eod. tit.*
*b Arg. ca. his qua. de ma-or. & obed.*
*c Ca. licet. de præb. & prædict. c. de cætero.*
*d Per ca. 1. de cler. non resid. lib. 6.*
*e Capi. 12. de reor. sess. 24.*

SVMMARIVM.

*1 Canonicus vltra tres menses à residentia absens venit fructibus præbendæ priuandus ex Concilio, contra quod nec Episcopus, nec Legatus potest dictam pœnam expressè remittere, immo peccat, si sine iusta causa non priuet, num. 2. & illi operi pio, quod sibi videbitur applicet, nu. 1. Canonicus tamen donec condemnetur, non tenetur illos restituere. nu. 2.*

## CONSILIVM III.

FRuctus, quibus debet priuari canonicus, eo quod abfuerit vltra tres menses à seruitio Ecclesiæ, cui debent applicari, cum in ea Ecclesia non sit consuetudo vt fructus canonici absentis accrescant præsentibus? & an Episcopus possit remittere huiusmodi pœnam?

1 Respondeo primò, quòd videntur applicandi illi operi pio, in quod arbitrabitur is, qui priuauerit: quia quod non determinatur à iure, arbitrio iudicis determinandum est.[f]

Secundò respondeo, quòd primo aspectu Episcopus nõ potest remittere illam pœnam expressè: quia etiam Legatus non potest dispensare contra decretum Conciliare, iuxta glossam putatam singularem,[g] quæ tamen habet similem cap. *cum dilectus*.[h]

2 Dixi, *expresse*: quia si taceat, & non priuet eum fructibus, non tenebitur ipse restituere illos in foro conscientiæ, in quo nemo tenetur soluere pœnam, præsertim non impositam ipso iure, sed imponendam per sententiam, donec condemnetur à iudice, iuxta glossam singularem communiter receptam.[i] Peccaret tamen Episcopus, si absque iusta causa dissimularet eum punire,[k] & habet glossa notabilis,[l] quę alia in id apta iura citat. Dixi, & repetiui supra, *primo aspectu*: quia necessitate conficiendi quoddam longũ responsum hodie ante meridiem iussu Papæ, & rogatu cuiusdam summatis, non potui iustam operã prædictis quæstionibus decidendis dare, cum omnia quę remittuntur ad tantum prætorium, videantur difficilia solutu. ideo, &c.

*f Leg. 1. ff de iure delib. ca. de causis. §. 1. de offi. deleg.*
*g Ca. dilect°. 2. de præben.*
*h De elect. & ca. fin. de filijs presbyt.*
*i Ca. fraternitas. 12. q. 2.*
*k Arg. c. irrefragabili. de offic. ordina.*
*l Ca. ex quæ. de offi. archi.*

SVMMARIVM.

*1 Residendi necessitas est duplex, altera absoluta obligans, altera verò solùm quo ad effectum quærendi fructus: per primam nõ residens peccat, & potest priuari beneficio, per secundam autem non, immo nec peccat non residendo. nume. 2. an autem edictum generale Papæ de residendo intelligatur de prima, vel de vtraque, ex mente Principis hoc est expiscandũ nu. 5.*

*3 Beneficium omne quamuis simplex iure communi requirit residentiam, daturq; ob officium, seu seruitium, quod debet facere beneficio. num. 4. at consuetudo immemorabilis induxit contrarium in simplicibus, exceptis qui statuto, vel alio iure speciali ad illam tenentur. nu. 3.*

## CONSILIVM IIII.

QVæritur, vtrum à Sanctissimo Sixto promulgatum edictũ cõtra nõ residentes in suis beneficiis residẽtiam requirentibus, & in Vrbe cõmorantes, comprehẽdat habentem capellaniam in Ecclesia quadã cathedrali, in qua capellani à tempore immemoriali cogi ad residendũ nõ solẽt, sed neq; possũt fructus in absentia percipere, sed capellani pręsẽtes pro absentibus ministrãt, eisq; fructus absentium accrescunt, & cultus diuinus in d. Ecclesia non minuitur: quia sunt multi capellani.

Quæstio hæc noua videtur, & difficilis resolutionis quo ad consulendum, licet satis facilis ad disputandum: quia vtraque pars posset sustentari disputando.

1 Nam pro parte negante, scilicet, quòd non cõprehẽdantur sub pręfato Sanctissimi edicto de residentia, facit primò, quod Innocentius,[a] ponit duas species necessitatis residendi: altera est, qua quis tenetur residere cõtinuò seruiendo: altera, quod debet seruire, vt lucretur fructus. Prior est longè strictior, & maior posteriori: quod multis probari potest, licet nemo citet Innocentium ad hoc propositum: qui tamen dicit, quòd propter priorem potest priuari beneficio, non autẽ propter posteriorẽ; & per consequens, quod mens S.D.N. videri potest fuisse tantùm comprehendere beneficiarios quo ad primam generis residentiam, eò quòd constitutiones pœnales sunt mitigãdę, & intelligendę ita, vt minus puniant.[b]

2 Secundò facit, quòd in hac parte longè diuersa ratio suadet coactionem ad residentiam indicendam eis, qui in absentia recipiunt fructus, quam eis qui nihil eorum percipiunt; quales sunt pręfati capellani. Tertiò facit, quòd stylus Curiæ, & anteriorum Maximorum Pontificum iubentium vt curiales resideant in beneficiis suis, videtur fuisse comprehendere solos habentes obligationẽ ad residendum, ita vt peccent non residendo; & prædictus dominus consulens nullatenus peccare videtur non residẽdo. quia onera suę capellaniæ alij præsentes supplent, vt præsupponitur in facto.

3 Quartò, quod per consuetudinem immemorialẽ, quæ præiudicat omni iuri humano,[c] habetur, vt præsentes capellani præfatę capellę seruiant pro absentibus: & ita per præfatam consuetudinem videntur absentes posse suis capellaniis seruire per vicarios, & ita non teneri ad residentiam personalem, per ca. *cum omnes*. cum ei adnotatis, & adductis per Felinum.[d] Quintò; quod per consuetudinem posteriorem inductum est, vt simplicia beneficia nõ requirant residentiam, nisi statuto, vel iure speciali aliud sit statutum, vt ex eodem Innocentio colligitur.[e]

Pro parte verò affirmante facit primò, quod lex generaliter loquẽs, generaliter est intelligenda,[f] & quod pręsens edictum generaliter loquitur de beneficiarijs habẽtibus beneficia requirentia residentiã: & prędictus dominus consulens habet beneficium requirens residentiam. Tum quod omne beneficium etiã simplex requirit residẽtiam iure communi antiquo attento, secundum Innocentiũ,[g] cõmuniter receptum, pro quo est c. *conquerẽte*.[h]

4 Tum quod propter officiũ datur beneficiũ.[i] Tũ quia prędictus dominus cõsulẽs licet nõ capiat fructus per se, capit tamẽ per suos cõcapellanos, qui seruiũt pro ipso vti vicarij ei°; & per ipsum stat quo minus capiat illos per se: quia non seruit potens seruire: & is per quem stat quo minus possideat, possidere cẽsetur.[k] Tũ quia reside t Romę, vt quęrat aliud beneficiũ maius. Tũ quia plurima sũt beneficia patrimonialia in episcopatu Burgensi, Palẽtino, & Calaguritano, quorum ratione non coguntur residere; nisi ad effectum quærendi fructus: & ita aliquot eorũ, qui habent illa, resident Romæ, vt quęrant sibi maiora, & placet pręsentibus eorum absentia: quia accrescunt eis absentium partes, & fraudatur Ecclesia suorum ministerio ministrorum. Tum quia forte D. N. voluit comprehendere omnes, qui tenentur ad residentiam; etiam solùm quo ad effectum acquirendi fructus, vt seruiãt beneficijs, ob quorum officium datur beneficium vt ait prædictũ c. vlt.[l] Tum quod ex pręfato dicto Innocentij expresse, & ex tacita mẽte omniũ doctorũ duplex est obligatio ad residendum: altera ad residẽdũ cõtinuè seruiẽdo altera ad seruiendum, ne perdat fructus: & lex, siue edictũ quo pręcipitur aliquid generaliter obligato ad residẽdũ, videtur includere obligatum omnibus modis, & nõ sola vna specie obligationis: quia appellatione generis cõprehẽditur quælibet species eius, secundũ dictũ Baldi ab omnibus receptũ,[m] vbi ait, genus propriè includere & significare species suas: pro quo bonus textus in c. *Romanorum*.[n] Quo

*a In ca. fin. de cleri. no resid.*
*b Ca. in pœnis. de regul. iur. li. 6. cum ei concordantibus.*
*c Capi. super quibusdã. de verb. signific. l. hoc iure. §. ductus aquæ. ff. de aqua quotidia. & æsti.*
*d Nu. 32. de constit.*
*e In ca. fin. de cleric. non resid.*
*f L. de pretio. ff. de publ. in rem act.*
*g In ca. fin. de cle. non resid.*
*h Eodem tit.*
*i Capi. fin. de rescript. lib. 6.*
*k Ca. commissa. de elect. li. 6. cum ei concordantibus.*
*l De rescript. lib. 6.*
*m In le. 2. C. iure annu. aure.*
*n 19. dist.*

5 Quoniam igitur eius est interpretari, cuius est condere,[a] consulo domino consulenti, vt eius interpretationẽ à Sanctissimo Domino nostro quærat, & sequatur in honorem Domini nostri Iesu Christi, cuius sunt omnia beneficia, qui nos omnes sua misericordia efficiat beneficiarios in regno cælorum, Amen.

a L. e. fin. C. de legib.

*SVMMARIVM.*

*1 Residere non tenetur dignitas, cui & nullæ debentur distributiones, & cuius prædecessores à fundatione numquam resederunt, nisi in executione Concilij ei aliquæ assignentur distributiones.*

## CONSILIVM V.

PRimiceriatus quidam fuit institutus ab Alexandro in Paduana Ecclesia cathedrali sine distributionibus, data in dotem quadam Ecclesia certi valoris alterius diœcesis: & nullus Primicerius resedit, & interfuit Horis, nec accepit distributiones vsque ad Concil. Tridentinum. Quæritur, an post illud teneatur residere.

1 AD QVAESTIONEM PRAEDICTAM respondeo præfatum Primicerium satisfacturum suæ conscientiæ de rigore iuris residendo eo modo, quo à fundatione ipsius prædecessores resederunt vsque ad hunc diẽ: nisi Paduani exequuti cõtenta in Cõc. Trid.[b] imposuerint distributiones super dignitatibus Ecclesiarum cathedralium, ab illo enim die tenebitur residere, & interesse diuinis officiis eo modo, quo fuerit ordinatum ab ipsis.

b Sess. 21. c. 3. de reform. & sess. 22. cap. 3. de reform.

*SVMMARIVM.*

*1 Cõsuetudo excusans certos capellanos à residentia alias ex fundatione requisita, excusabit etiam alterum similem prædictis obtinentem capellaniam.*

*2 Residentiæ onus impositum beneficio intelligitur de personali, etiã si non exprimatur, quod onus censetur etiam impositum per alia verba, vt est verbum intersit, cantet, seruiat, & similia.*

*3 Consuetudo capellaniarum & beneficiorum potest extendi ad alias eisdem similes.*

*4 Episcopus cum consensu patroni beneficij requirẽtis aliquas qualitates põt cũ aliquo ex causa dispẽsare super aliqua illarũ.*

## CONSILIVM VI.

N. Habet capellaniam, in cuius fundatione statutũ fuit, vt qui haberet eam, vltra onus dicendi Missas aliquas teneretur interesse personaliter Horis Ecclesiæ canendis, posteaquã esset presbyter: & ipsemet N. est patronus successor alius patroni antiqui fundatoris: & præfata capellania est sita in Ecclesia ciuitatis, in qua est consuetudo, vt capellani similes non astringantur ad interessendũ personaliter prædictis Horis, vbi sufficiens copia seruientium est, qualis est in præfata Ecclesia. Quæritur, vtrum præfatus N. satisfaciat conscientiæ suæ seruiendo in prædictis Horis canendis per alium magis idoneum ad canendum, quàm ipse sit, approbatum per Episcopum.

1 Respondeo primò, quod dominus consulens est tutus secundum ea quæ proponuntur, quoniam proponitur in casu capellaniam prædictam, & alias præfatæ ciuitatis esse similes, & quod habentes alias excusantur. Secundò, quòd capellani excusantur seruientes per alium: quia secundũ conclusionem latè disputatã per Pan.[c] & citatos per Fel.[d] & recept. communiter, valet consuetudo, vt habens beneficium simplex non teneatur seruire personaliter illi, immo etiam quod non seruiatur per alium, saltẽ vbi sufficiẽs copia ministrorum habetur. Tertio, quod eadem ratione debet excusari dominus consulens, cum proponat suã capellaniam esse similem aliis: quia de similibus idem est iudicium.[e] Quartò, quòd fortassis est dissimilitudo inter capellaniã domini consulentis, & alias in eo, quod in fundatione aliarum non est posita clausula, vt habentes illas personaliter resideant, & in sua sic: & forte quia res ita se habet, dominus consulens vti vir eruditus subtiliter scrupulum gignit, cùm non sit sua capellania similis aliis omnino, & ita non liceret ab illis ad suam arguere, cum separatorum separata sit ratio.[f]

c In repetitio. c. extirpãda. §. qui vero. de prabend.
d In c. cũ omnes. de consti.
e Cap. dudũ. 2. de electio. cũ similibus.
f L. Papinianus. ff. de minor.

2 Quintò, quòd si in nulla aliarum fundationum inuenitur onus residendi personaliter, vt in ea, de qua est quæstio, considerandum est, an ponatur saltem clausula de residendo: & si ponitur illa, satis possent dici esse similes: quia secundùm vulgarem modum intelligendi eorum, qui fundant huiusmodi capellanias, per residentiam intelligitur personalis: nam & communis cõclusio Doctorum habet, beneficia omnia iure communi requirere residẽtiam personalem; quia requirunt residentiam, vel deseruientiam, vt colligitur ex c. *conquerente.*[a]

a De cler. nõ residen.

3 Quòd si in fundatione aliarum non sit vlla clausula, quæ hoc sonet, non posset argui de consuetudine illarũ ad hanc: sed arbitror nòn defuturum verbum: *resideat, intersit, cantet, vel seruiat*, vel aliud simile, quod tantum importat, quantum verbum, *resideat*, & ita consuetudo illarum satis potest extendi ad hanc.[b]

b Arg. d. ca. dudum. & c. cõstitutus. de appella. cum similibus.

4 Sexto, quod pro domini consulentis defensione possent adduci ea, quæ tradit Felinus,[c] dum concludit, Episcopum posse de consensu patroni dispensare pro vna vel altera vice super qualitate ad tenendum beneficium requisita: quia in facto proponitur dominum consulentem seruire per alium, probante id Episcopo: & ita sufficeret, vt Episcopus dispensaret ob causas propositas super huiusmodi seruitio personali pro tempore huius patroni, cũ multa concurrant ad id faciendum, & quod sic augetur cultus Dei: & Episcopus ex rationabili causa de consensu patroni potest alterare aliqua, per tradita à Felino & citatis ab eo.[d] Salua, &c.

c In c. cum accessissent. de constit. nu. 18. & sequen.
d Vbi suprà.

*SVMMARIVM.*

*1 Distributiones quotidianas vt absens capiat canonicus, vel vt non subdiaconus vocem habeat, Capitulum concedere non potest.*

## CONSILIVM VII.

AN canonici præsentes possint absenti dare facultatem percipiendi distributiones quotidianas?

1 Respondeo quod non. Tum quia consensu & pactione priuata non potest iuri publico præiudicari.[e] Tũ quia remissio distributionum quotidianarum nõ prodest post Concilium Tridentinum, vt tradimus in Enchiri. de ora.[f] Tum quia idem Concilium,[g] statuit, quod carẽs subdiaconatu, careat voce, etiam si alij canonici ei eam permittant.

e L. ius publicũ. ff. de pact. c. si diligenti. de foro cõpe.
f Ca. 22. nu. 59. & seq. & Miscel. 59. n. 1. & seq.
g Sess. 22. c. 4. de reform.

*SVMMARIVM.*

*1 Residere, seu obligationi de residendo in collegiata, seu canonicatu, satisfacere censetur ij qui ex mandato sui Capituli pro negotijs suę ecclesię seu Capituli abest. Idem dicitur de monacho, qui de licentia sui Abbatis, ob vtilitatem etiam mediatam monasterij abest. num. 2. etiam ad effectum complendi annum nouitiatus, qui debet fieri in monasterio. nu. 3. vere tamen non resident. n. 6.*

*2 Absentes pro vtilitate suarum Ecclesiarum: non censentur contrauenire iuramento de residendo, quia censentur residere etiã quo ad effectus lucrãdi fructus: immo modo illis suffragatur consuetudo etiam ad effectum lucrandi distributiones. num. 4.*

*5 Consuetudo rationabilis optima legum interpres; immo si sit legitimè prescripta, tollit legem humanam.*

*9 Fictionem contrariam veritati denotant hæc verba, censeri, videri, credi, & similia.*

## CONSILIVM VIII.

AN canonicus, vel dignitas, vel alius beneficiarius Capituli vel collegij sæcularis, vel regularis, residẽdo Romæ de mandato sui Capituli, vel collegij, pro causis vel negotiis Ecclesiæ suę agendis, vel gerendis, censeatur satisfacere obligationi, quam habet residendi in sua Ecclesia secundum iura communia antiqua, & noua Tridentini Concilij, & an verè residere dicatur?

1 Ad quæstionem propositam respõdetur primò, quòd habens dignitatem, vel canonicatum in aliqua Ecclesia cathedrali; vel collegiata, residendo in Romana Curia de mandato sui Capituli, vel collegij pro causis vel negotiis Ecclesiæ suę agendis vel gerendis, censetur satisfacere obligationi, quam habet residendi in sua ecclesia secundũ iura antiqua & noua Trid. per c. *ex parte.*[h] quatenus habet, eum qui habet præpositurã alicuius Ecclesiæ, & quãdo fuit illa ei collata iurauit residere in ea, censeri satisfacere suo iuramento de residendo in ea, si abest agendo & procurando negotia Ecclesiæ suę.

h De cler. non residen.

2 Secundò, quòd Abbas antiquus [a] determinauit, etiam monachum, cuius obligatio ad residendum est maior, quã beneficiariorum sæcularium, secundum omnes, satisfacere obligationi residendi in suo monasterio residẽdo extra illud in aliquo loco procurãdo & agẽdo Ecclesiæ suæ causas, & negotia de licẽtia & mãdato superioris sui, [b] etiã agẽdo aliqua negotia alicuius prĩcipis, vel domini tẽporalis sui monasterij & ordinis amici, ex quo resultare potest aliqua vtilitas eius saltem indirectè, ac mediatè, vt tradit Innocentius communiter recep. [c]

3 Tertio, quod obligatio ad residendum in monasterio ad annum probationis agendum, est prima, aut certè cum primis obligationibus necessaria, vt colligitur ex c. *ad Apostolicam.* [d] præsertim post Cõc. Trid. quod [e] statuit, vt nullus in vlla religione posit esse verè professus, nisi resederit in ea per annum: attamen qui resederit in monasterio, vel extra de mandato & licentia superioris negotia vtilia ei faciendo, censetur ita residere, vt annum probationis compleat, vt scripsimus pridem in commen. 4. de regular. [f] quod ante nos asseruit Siluester. [g]

4 Quarto, quod idem probat capit. *cùm non deceat,* [h] quatenus statuit, quod canonici absentes ab Ecclesiis suis pro instructione causarum electionũ Ecclesiarũ suarũ debent cẽseri residere, etiã quo ad quærendos fructus tẽporis, quo eunt, manent, & redeunt absentes ad suas Ecclesias, ea ratione, quod pro vtilitate illarũ absunt. Ergo absentes ob vtilitatem Ecclesiarum suarum, censentur residere.

Quintò, quòd valet consuetudo, vt huiusmodi absentes pro vtilitate suarum Ecclesiarum censeantur residere, etiã quo ad quærendas distributiones secundum Archidiaconum communiter receptum. [i]

5 Sextò, quòd consuetudo, præsertim generalis & rationabilis, est optima legũ interpres, [k] immo si legitimè præscripta sit, legem humanam etiã rationabilem perimit, & tollit, [l] at consuetudo generalis habet, vt canonici absentes pro vtilitate Ecclesiæ, censeantur esse residentes: tum per alias rationes: tum quod fidelius & vtilius geruntur negotia per eos, quos ea tangunt, & quibus ex eis vtilitas vel damnum euenit, quàm per alios extraneos, vt experiẽtia, quæ rerum est magistra, [m] demõstrat & docet, cùm videamus naturale vitium esse negligere non solùm extranea, sed etiam communia. [n]

6 Septimò respondendo ad vltimam partẽ quæstionis dico, quod huiusmodi capitulares non possunt dici verè residentes: quia palam est eos non verè residere: quia in præsuppositis in facto dicuntur absẽtes: & quod id colligitur ex illis verbis prædicti ca. *ex parte. Cum ex hoc censeri debeat residens.* quoniam verbum *videri*, & alia similia, qualia sunt verbum *censeri, credi*, & alia, inducunt fictionem, vt ait Bart. communiter recept. [o] multa pro se iura inducendo: pro quo est etiam illa pulchra & vtilis cõclusio, quam nos adduximus in nostro Man. conf. [p] scilicet, quod lex excõmunicans facientem aliquid, non comprehendit regulariter solum consentientem, etiam mandando, consulendo, faciendo, aut auxiliãdo, antequam fiat, nisi ex eius tenore, vel aliarum legum id expressè aut tacitè colligatur [q]. Salua, &c.

a In c. cum illorũ. de sent. excom.
b Arg. c. monachi. 2. & c. qui vere. 16. q. 1.
c In c. cum I. & A. de re iud.
d De reg. cũ ei adnot.
e In sess. 25. de reg. ca. 15.
f Super c. statuimus. n. 75.
g Verb. religi. 3. qu. 19. §. 2.
h De electio. lib. 6.
i In cap. 1. de cler. non resi. den. l. 6.
k Ca. cum dilectus. de consuetud. & l. minime. ff. de ll.
l Cap. fin. de consuetu.
m Ca. quam sit. de electio. lib. 6.
n L. 2. C. quã. & quib. quarta pars.
o In l. si is qui pro tempore. ff. de vsucap. num. 5.
p Ca. 27. nu. 51.
q Vt in c. mulieres. §. 1. de sent. excom.

SVMMARIVM.

1 *Distributiones per interessentes lucrandæ possunt quidem assignari aliquibus Horis, & aliquibus non: at quod interessens aliquibus Horis lucretur etiam assignatas aliis Horis, quibus nõ interest, nec consuetudine, tamquam cap. 1. de cler. non resident. in 6. & sacro Concilio contraria, statui potest.*

1 *Residens vt reputetur is qui per quartam partẽ cuiuslibet mensis residentiam facit, induci potest.*

## CONSILIVM IX.

AN consuetudo, quod quis beneficiariorum interessens certis diuinis officiis lucretur distributiones nõ solùm assignatas pro illis, sed etiam assignatas pro aliis, vel quod interessens vna hebdomada certis officiis lucretur illa, quæ pro illis alia hebdomada dantur interessentibus eis, sit licita, vel potius contraria c. 1. [r] & [s] Conc. Trid. [t] illud innouanti.

1 Respondeo, quidquid quædam super hoc informatio contineat, me credere prædictam consuetudinem esse cõtrariam prædicto cap. 1. [a] & consequenter prædicto [b] Cõcilio Tridentino quod illud innouauit; nam prædictum cap. 1. habet distributiones quotidianas non esse lucrifaciendas, neque dandas illis, qui absuerint, seu non interfuerint officiis pro quibus illæ fuerint institutæ: & per consuetudinem prædictam dantur distributiones quotidianæ constitutæ pro aliquibus officiis; eis qui non intersunt illis, vt palam est, & Dominicus citatus in dict. informatione non dicit illud, quod imponitur ei, sed quòd residens per quartam partẽ cuiuslibet mensis possit dici residens, & lucrari fructus beneficij, & nihil dicit de distributionibus: nec glossa, [c] dicit illud, quod imponitur ei; sed aliud; videlicet quod possunt assignari distributiones aliquot pro certis horis, non assignando pro aliis; quod est verissimum, nec vllatenus contrarium prædicto cap. 1. non autem ait quod valeat cõsuetudo, qua interessens vni officio lucretur distributiones assignatas pro illo, & etiam assignatas pro alio, cui non interest. Sed neque Cardinalis neque Imola, si satis perpendantur, dicũt hoc obseruari in ecclesia Butaniensi, pro qua citat informatio ecclesiam Patauiẽsem, & quia solũ sequũtur glossam contra Laudunensem, & Zenzelinũ, dicentes, quod potest statui, vt solis surgentibus ad matutinum dentur distributiones; quod est verisimum: non autem dicunt, quòd surgentibus, ad matutinũ non solùm dentur distributiones pro eis assignatæ; sed etiam assignatæ, pro aliis horis, & officiis, licet eis non intersint quod longè diuersum esse palam est, & contrarium prædicto cap. 1. Salua, &c.

*Aduertendum, sacram Congregationem vt refertur, censuisse distributiones non posse assignari aliquibus horis, & aliquibus non, sed omnibus aliquas omnino assignandas.*

r De cler. non resid. l. 6.
s Ca. 12. sess. 24.
t De reform.
a De cler. nõ residen. lib. 6.
b Cap. 12. de refor. sess. 24.
c Clem. 1. vt ij qui. de ætat. & qualitat. verb. certis horis.

SVMMARIVM.

1 *Canonicus iniustè in carcere detentus omnia quærit, quæ alij Ecclesiæ seruientes.*

1 *Distributiones infirmis, vel alia necessitate corporali detentis debentur.*

2 *Impeditus à magistratu, excusatur, quod se iudicio non sistit.*

2 *Impedimentum omne iustum excusat à distributionũ, & multò magis ab aliorum fructuum amissione.*

## CONSILIVM X.

CAnonicus in carcerẽ coniectus pro crimine, qui non potuit interesse diuinis officiis, an perdat distributiones quotidianas, vel saltem fructus certo modo, certis temporibus diuidendos, qui tantum interessentibus diuinis assignantur, si fuerit absolutus; & innocens iudicatus?

1 Respõdeo affirmatiuè, quòd præfato canonico in carcere detento debentur omnia illa, quæ quæsiuisset, si vna cum suis canonicis Ecclesiæ prefatę deseruisset. Primò quidem, quia omnium, quę iure ei possunt obstare, maximum est c. 1. [d] probatum & innouatum per [e] Concilium Tridẽtinum: quod tamen illi prodest, quatenus habet canonicum non interessentem debere habere distributiones quotidianas, si non interfuerit ob infirmitatẽ, vel aliam corporalem necessitatem: & detentio, per quam quis detinetur in carcere cõtra suam voluntatem, est necessitas corporalis; propter quam nõ potest interesse diuinis, vt ex Archidiacono, Ioanne Andrea & Dominico colligitur. [f] Nec obstat, quod iussu & mandato iudicis fuit detentus; quia per sententiam subsecutam fuit absolutus, & declaratus innocens, vt in casu proponitur.

2 Secũdò, ꝙ detẽtus à magistratu vel iudice, excusatur, si nõ se sistit die quo se sistere ꝑmisit, iuxta l. 2. [g] vbi satis fũdatur id, ꝙ Ioã. And. & Dominicus, [h] dicunt, scilicet õne impedimẽtũ iustum excusare quẽ à fructuũ & distributionum amisione. Non obstat dicere, quòd in casu proposito non solùm agitur de veris distributionibus quotidianis, sed etiam de fructibus certo modo certis temporibus diuidendis: quia palam est nõ tam facile perdere beneficiarium alios fructus, ac perdit distributiones quotidianas. [i] At distributiones non perdit, vt dictum est, legitimè impeditus; ergo minus perdet præfatus canonicus præfatos fructus certis modis, certis temporibus diuidendos. [k] Salua, &c.

d De cler. nõ resid. lib. 6.
e Cap. 12. de refor. sess. 24.
f d. ca. 1. §. de cler. nõ resid.
g §. fin. ff. si quis cautio.
h In d. c. 1. de cler. nõ resid.
i Cap. ad audientiam. ca. de cætero. de cler. nõ resid. c. licet. de prabend. cum eis adnotat.
k Arg authẽ. multo magis. C. de sacrosan. eccles.

SVMMARIVM.

*1 Distributiones quotidianæ, & alia quæ instar earum non nisi interessentibus dantur, debētur iniustè carcerato, & nu 7. etiam si captura ex parte iudicis sit iusta, nume.9. & adsint indicia ad torquendum. nu.2. Item & omni corporali necessitate impedito, restitui illæ inquam, quas antea erat solitus percipere, nu.3.6. & 7. Item & illi qui non potest sine læsione corporali seruitio adesse, nu.5. Item & in exilium iniustè misso, nu.7. Item & illi qui probabiliter timet sibi vim inferendam, vel vi detinetur, num.4. & qui sine notabili corporis incommodo non potest interesse, nu.7. item & iniustè excommunicato, vel suspenso, num. 6. & 7. & demum ob omne aliud iustum impedimentum præpedito quo minus intersit. nu 5.*

*2 Absentiæ suæ causam qui dedit, illam in sui fauorem non potest allegare, & hoc quando illam sic affectauit, nu.9. aliàs non semper prohibetur. nu 8.*

*9 Carceratio, ac etiam tortura potest esse iusta ex parte iudicis, absque eo quod captura, & tortura ipsi capto & torto ad incurrēdam aliam pœnam imputetur ad culpam, & nu.3.*

*10 Consuetudo statuens ne infirmo, & aliàs impotenti adesse seruitio dentur distributiones, est irrationabilis contraria iuri diuino, naturali, & humano.*

## CONSILIVM XI.

QVidam præpositus cuiusdam Ecclesiæ cathedralis fuit captus propter suspicionem cuiusdam homicidij, & tortus ob indicia, sed tandem absolutus, & iudicatus innocens.

Quæritur an debeantur ei fructus eiusdem Ecclesiæ, qui distribuuntur inter solos canonicos præsentes, & diuinis officiis interessentes.

1 Respondeo primò, pro parte negante facere in primis quod qui non seruit altari, nō debet viuere de illo, [a] quod desumitur argumento à contrario sensu ex illo 2.[b] *Qui de altari seruit, de altari viuere debet*, relato in ca. *cum secundum*. [c] Secundo, quod distributiones quotidianæ, & alia, quæ instar earum solis interessentibus diuinis officiis distribuūtur, non debentur absentibus, nec præsentibus eis non interessentibus, [d] & adeo vt consuetudo contraria nihil valeat, per Concilium Tridentinum. [e]

2 Tertio, quod qui est causa suæ absentiæ, non videtur posse illam in suum fauorem allegare, [f] & præfatus præpositus videtur fuisse causa absentiæ, quippe qui dedit tā grandia criminis indicia, vt bis vel ter fuerit tortus ob illa: quod iure fieri non poterat, nisi semiplenam probationem induxissent. Quartò, quòd consuetudo Ecclesiæ prædictæ dicitur habere, vt nemo etiam iusta de causa absens debeat habere fructus eius, vel eorum partem: & consuetudo præscripta seruanda est. [g]

3 His tamen non obstantibus pars affirmās proculdubio est seruanda, nempe quod præfato præposito debeāt reddi & restitui fructus, & distributiones, quæ lucrabatur antequam caperetur, & lucratus fuisset, si captus non fuisset. Primo quidem, quod iuxta ca.2.[h] rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit: & præfatus D. præpositus caruit culpa in non interessendo diuinis: quia non potuit, etiamsi maximè voluisset: & nemo obligatur ad impossibile. [i]

4 Tum quod text. [k] habet, quod corporalis necessitas efficit, vt nō solùm fructus, quos appellant grossæ, sed etiā distributiones quotidianas percipiat absens. At detentio in carcere publico necessitatem inducebat corporalem, vt à diuinis officiis abesset, vt palam est: & vis illata excusat quem à faciendo illud, quod alioquin facere teneretur, c. *cum Vintonien.* [l] per quod glo. eius, [m] dixit factum contra aliquem vi detentum debere retractari. quinetiam vis nōdum illata, sed probabiliter præuisa excusat. [n]

5 Tum quia Dominicus, [o] per præfatum c. *quoniā*. determinat in specie, quod qui vi detinetur, ne vadat ad diuina, debet habere distributiones quotidianas, quæ ob illa dantur. quin & Archidiaconus & ipse Dominicus, & vterque Philip. & Frāc. & Probus, tenētp [p] per corporalē necessitatē (ob quā contextus prædicti c. habet distributiones quotidianas in absentia qu̧eri) intelligendū esse etiā omne aliud iustum impedimentum, propter quod non potest clericus ire ad diuina, immo etiam si posset ire, modo non posset sine læsione corporis, puta quia est sanguine minutus, vel

a Ca.2, 13. q. 1.
b 2. ad Corin. 9.
c Depraben.
d Ca. de caetero. de cler. nō residen. cum adnotatis ei ab omnibus.
e Sess.24. ca. 12. de refor.
f Leg. sed & qui data opera. ff. ex quibus caus. maio. l. maritus, cum gloss. & communi, ff. de quæst.
g Cap. fin. de consuetud.
h De constit. cum sibi concordantibus.
i Cap. nemo. cum suis concord. de regu. iur. lib.6.
k In d.c.1. de cler. non resi. lib.6.
l De elect. & c. quoniam. §. 1. 28. dist.
m In verb. vi.
n Cap. bone. 1. de elect.
o In d.c.1. de cler. non resi. libr. 6. §. qui vero.
p In d. cap.1.

A accepit potionem aliquam medicinalem: & Philippus Probus, cui nemo contradicit, ibid. in specie affirmat, cōiectum in carcerē sine culpa lucrari distributiones quotidianas in absentia, quas antea lucrabatur.

6 Nec quidquam obstat Felinus, quem ipse ait dicere contrarium, [a] quia non loquitur de coniecto in carcerem iniustè, sed de excommunicato, vel suspēso iniustè, dicēs, quòd potest recuperare post absolutionem omnia, quæ perdidit per illam excommunicationem, vel suspensionē iniustam: & eadem ratio est de iniustè coniecto in carcerem, immo maior. Tum quia excommunicatus potest adire iustè vel iniustè diuina, coniectus autem in carcerē & custoditus nullatenus, excōmunicatus exclusus est ab B omni participatione diuinorum, non autem coniectus in carcerem: & ita plus abest ille à diuinis, quàm hic.

7 Tum quia etiam expulsus, vel exul factus iniustè à ciuitate, lucratur distributiones, quas antea lucrabatur, vt latè determinat Calderinus, [b] quem sequitur Felinus, [c] ea potissimum ratione, quod nullum est iustius impedimentum, quam facti, per quod non potest quis facere etiam de facto, quod ei iubetur, [d] quæ ratio tantùm, immo magis militat in coniecto in carcerem, quàm in expulso, & exule facto: quoniam hic potest adire Ecclesiam cum periculo pœnæ, ille autem nullatenus. Tum quia est casus ferè formalis huic nostro proposito in c. *super* causa. C 2. q. 4. per quod glossa recepta, [e] dixit excommunicato iniustè reddenda esse post absolutionem omnia, quæ ob id perdidit: est inquam fere formalis: quia in eo fuit accusatus quidam presbyter Gillardus de morte Episcopi, sicut hic præpositus de morte cuiusdam canonici; & credendum est fuisse in carcerem coniectum ob aliqua indicia; sicut hic præpositus: vnde sicut ei inuento sine culpa restituuntur omnia, quæ ob id perdidit, ita & huic sunt restituenda. Tū quod irrefragabiliter deciditur hæc pars syllogismo illo supra tractato, nempe: Omnis necessitas corporalis, non solum quæ reddit impossibilem aditū ad diuina, sed etiam quæ reddit incommodum notabiliter corpori, efficit vt absenti reddantur distributiones quo- D tidianę. [f] At coniectio alicuius in carcerē, & custodia, ne ab eo exeat, inducit necessitatem corporalem, quæ impedit aditum ad diuina, & non solum talem, qua sine incōmodo notabili non potest adiri, sed etiam talē, quæ reddit aditum impossibilem: ergo prædicto præposito coniecto in carcerem iniustè, & custodito debent reddi prædicti fructus, & distributiones quotidianæ.

8 Ad primum oppositorum respondetur concedendo; quòd regulariter, qui non seruit altari, non debet de illo viuere, sed quod fallit in eo, qui propter necessitatem desinit seruire, per præfatum cap.1. [g] ob qualem prædictus præpositus non seruiuit.

E Ad secundum respondetur eodem modo quo ad primum, scilicet assumptum in eo procedere regulariter, sed fallere in eo qui ob corporalem necessitatem abest.

9 Ad tertium respondetur primo negando assumptum quoniam absentium siue inquisitorum bona, pars voluntariè abest, & voluntas eorum est causa suæ absentiæ: attamen possunt allegare in suum fauorem suam absentiā, quæ excusat, [h] & negando quod prędictus prępositus dedit causam suę capturę: quia per sententiam definitiuam constat eum fuisse captum pro delicto & culpa, quæ non admisit: quoniam non solùm simpliciter & plenè absolutus est à crimine obiecto: sed etiā plenè restitutus ad pristinū statū, pristinā famā, & ad omnia alia. Nec obstat, quod F præcesserunt aliqua; ob quę fuit captus. Tum quia licet indicia sufficientia efficiant capturam iustam quo ad hoc vt iudex capiens excusetur à delicto & culpa malè capiēdi: non tamen efficiunt, vt sit iusta quo ad captū. Tū quia alioqui nemo ferè diceretur captus iniustè, cùm nemo ferè capiatur sine aliquibus indiciis excusantibus iudicem à delicto malè capiendi. Tum quia etiam in casu ca. *super causa.* [i] præcesserunt aliqua, ob quę fuit captus ille Gillardus: & tamen nō probata culpa fuit reputatus iniustè accusatus, & captus, & fuerunt ei restituta ea, quæ ob id adempta erant, vt prædictum est. Secūdo, quod l. *sed qui data opera.* loquitur de illo, qui procurauit & affectauit suam absentiam, quod præfatus prępositus non fecit.

a In cap. cum omnes de cōstit. & in ca. Apostolica. de except.
b Cons.17. de praben.
c In d. cap. cū omnes. n. 22. in fine.
d Arg. ca. nemo. cum ei cōcordantibus, de regul. iur lib.6.
e In c. pastoralis. §. verū. de appella. in verbo subtrahuntur.
f Supra d. ca. 1. de cler. non residen.
g De cler. nō resid. lib.6.
h L. absentē. ff. de pœn.
i 2. q. 4.

10 Ad

10 Ad quartum respondetur negando esse in prædicta Ecclesia vllam cõsuetudinẽ validã, quę habeat nullo casu esse absenti dandum aliquid de fructibus eius. Tum quia non probatur nec constat de illa, & de non existentibus & nõ parentib. idem est iudicandũ.[a] Tũ quia esset irratio- nalis cõtra iura naturalia, diuina, & humana, quę dictãt ne- minẽ sine culpa damno subiiciendũ,[b] infirmũq; & impo- tẽtem ad efficiendum aliquid, excusandũ esse à dãno pro- pter omissionem illius incurrendo,[c] *afflicto non esse dandam afflictionem*,[d] *operarium dignum esse mercede sua*,[e] & ita cano- nicum absentem pro vtilitate Ecclesiæ de mandato eius non debere priuari fructibus, & emolumentis, seu canoni- catu, immo iustis stipendiis esse donandum, vt probat pręd- dictum c.1.[f] cum eis adnotatis. Salua, &c.

a L. duo sunt Tity. ff de testam. tut. ca. sacerdos. cum gl. de off. ord.
b Capit. 2. de constitut.
c Toto tit. de cleric. ægrotã. in decretalibus, & li. 6.
d Ca. cũ percussio. 7. q. 1.
e Luc. 10.
f De cler. nõ resid. lib. 6.

*SVMMARIVM.*

*1 Legens viginti annis in studiis etsi acquirat titulum comitatus, nõ tamen reperitur cautum, quod non legendo postea lucrifaciat salarium, sicut nec quod dicto tempore residens in canonicatu acquirat priuilegium acquirendi distributiones, etiã quod post- ea non resideat, immo si adesset talis consuetudo alicubi, ea fuis- set sublata per Concilium Tridentinum. 2.*

## CONSILIVM XII.

AN iure communi canonicus, qui 40. annis inseruiuit Ecclesiæ, sit immunis ab interessendo diuinis, & non interessendo lucretur fructus, & distributiones quoti- dianas?

1 Respondeo, quòd non est vllus canon, qui hoc statuat, nec vlla lex Romana: & l. 1.[g] quæ ad hoc solet allegari, ni- hil probat: quia aliud est adipisci dignitatẽ comitatus le- gendo per 20. annos, & aliud quod proponimus de cano- nico, & à diuersis non fit illatio: & aliud est lucrifacere sa- larium non legendo, quod non dicit illa lex, & dicere de- bebat ad concludẽdum per eam, quod canonicus non in- teressendo possit lucrifacere distributiones, &c.

2 Accedit præterea quod canonicatus exigit residentiã personalem post Conc. Trid. non obstante qualibet con- suetudine, vt patet ex sess. 24.[h]

g C. de professoribus, qui in vrbe Constãtinopol.
h De reform. ca. 12. §. præterea.

*SVMMARIVM.*

*1 Anniuersaria & eisdem alia similia emolumenta non videntur comprehendi sub fructibus, reditibus, prouentibus, iuribus, emo- lumentis canonicatuum, nec sub distributionibus quotidianis, num. 2. & multo minus, si percipiantur ob opera extra Ecclesiã exhibita. nu. 3.*

## CONSILIVM XIII.

PRæsupposita Bullæ clausula in fauorem consulentis, quæritur, an exceptis grossa, & distributionibus quoti- dianis horis lucrifieri solitis, aliæ distributiones in d. bulla contineantur, quæ solum lucrifiunt ratione operę perso- nalis, vt sunt anniuersaria, manualia Missarũ, & eleemo- synarum, quæ sunt vltima genera fructuum contenta in memoriali? Quæ autem mihi in præsenti occurrunt, sunt hæc, quæ omnia D. tuę remittimus.

1 Videtur quod supradicta non cõprehendantur in pri- ma clausula, videlicet, *fructus, reditus, prouentus, iura, emolumẽ- ta canonicatus*, iuxta decis. in terminis Boërij,[i] qui pro vtra- que parte hanc quæstionem ventilauit, Oldrad.[k] Felin.[l] vbi Ioan. And. elegãter, ibi, *pro mortuariis*. Staphil.[m] Rota.[n]

2 Videtur etiam, quod in secunda clausula non compre- hendantur, videlicet, *distributionum quotidianarum solitarum lucrifieri*. Nam illa de quibus dubium est, non sunt distribu- tiones quotidianæ, immo re & natura differunt, licet, hæc æquiparentur per glo. Prag. sanct.[o] Et licet in pœnalibus ex identitate rationis secundum aliquos fiat in hoc casu extensio, vt ibi dicit glossa Pragmaticæ sanctionis tamen hoc nullo modo habebit locum in personæ priuilegio, iuxta Iasonem,[p] cum additionib. ad Iasonem,[q] maximè quia potest quis interesse Horis, & non anniuersario. Id probãt etiã illa verba bullæ, *horis nocturnis, & diurnis*: quia horæ sũt septẽ, & Missa nõ est de Horis, iuxta[r] gloss. & aliã gloss.[s] & gloss. Pragmaticæ sanct.[t] quæ est singularis secundum Barbat.[v] Et constitutio pœnalis loquens de Horis nõ ha- bet locum in Missa: & ideo in aliis bullis dicitur, *& aliis di- uinis officiis, & aliàs quascumque distributiones*, quod hîc non dicitur factum. Etiam illa verba bullæ, *per canonicos conti- nuè residentes*, pondera verbum, *residentes*. Nam per hoc ver- bum solum videtur reseruatum esse ius residentiæ, & non quod interessentibus detur, nam residere; & interesse dif- ferũt, vt ait Abbas,[a] glossa, 9.[b] decisio Cassadori vnica.[c]

3 Et præsertim non comprehenduntur ibi anniuersaria extra Ecclesiam, in castello vrbis per omnes beneficiatos & parochos etiam oppidi lucrari solita, per illa verba bul- læ, *in choro Ecclesiæ & extra*. & supplicatio dicit, extra illũ, & non dicit extra Ecclesiam; alioquin diceret, *in Ecclesia & extra*, veluti si quis dicat, Dono tibi libros, quos habeo in Musæo domus meæ, & extra; non quidem videtur do- nare libros extra domum existentes, sed in domo tantùm, licet sint in Musæo; aut extra Musæum. Et annexa, quia sunt accidentalia, & etiã capellaniæ minimè cõprehẽdũ- tur, quia nec sunt grossa nec distributiones quotidianæ.

Visis, ac lectis supradictis, dico, quod prædicta resolu- tio videtur in disputando problematica: quia fundamen- ta pro ea deducta sunt fortia; & non sunt omnino infir- ma, quæ pro contraria parte adduci possunt fundata in identitate rationis distributionum quotidianarum, & an- niuersariorum, ac aliorum in dubio propositorum, & de quibus decisio Boerij determinat, per prædicta.

*Etsi ex hoc imperfecto responso Nauarri & præcedentibus alle- gationibus adeo mendosis & imperfectis, vt nec post nonnullas cor- rectiones possint intelligi, nihil certi habeamus: attamen quia ma- teria ipsa confessarijs solet esse satis incognita, ideo fuerunt edita, vt eueniente casu habeant loca ad quæ possint recurrere.*

i 124.
k Consil. 116.
l In c. ad aures. nu. 14. de rescript.
m Fol. 119.
n In antiqu. 33. decis. de iud.
o Rubr. Quo tempore. vbi sup. verbo distributiones quotidianæ in fine, & medio.
p De actio. §. triplici vero. nu. 22. & §. ex maleficijs. nu. 37.
q Et §. seq. n. 7. 8.
r Verbo certis. clem. vt hi qui. de ætate.
s Verbo canonicas. clem. graui. de celebr. Missarũ.
t Vbi supra
v In addit. ad Bal. in l. 1. C. de interdict.

a In ca. olim. de verb sign. nu. 6.
b 17. ca vnico. de cler. nõ resid. in verbo adfuerint.
c De cler. nõ resid.

*SVMMARIVM.*

*1 Litis sui beneficij prosequendæ occasio iustam præbet causam non residendi, & fructus percipiẽdi, modo credat iustam esse litem. nu. 3. licentia item est necessaria, quam potest facere suus prelatus, & multò magis Papa nu. 2. immo & scientia Papæ consentientis videtur sufficere. num. 3.*

## CONSILIVM XIV.

QVidam cantor & canonicus Ecclesiæ cathedralis li- tigat super quibusdam magnæ importantiæ iuribus suæ cantoriæ Romæ coram dominis Rotæ in statu ap- pellationis secundæ.

Queritur primò, an iustam causam habeat manendi extra residentiam.

Secundo, an licitè possit petere à Papa; vt liceat ei ac- cipere fructus dignitatis & canonicatus.

1 Ad has quæstiones respondeo primò, quod beneficia- rius obligatus ad residẽtiam in beneficio excusatur à re- sidentia, & lucratur fructus in absentia, si eam faciat ex honesta causa: & de licentia superioris sui, vt est casus in cap. *relatum*.[d]

Secundo, quod videtur causa iusta & honesta iustæ ab- sentiæ prosecutio litis super iuribus sui beneficij: casus est in cap. *ex parte*.[e]

2 Tertio, quod ad hoc sufficit licentia sui prælati, & à fortiori licentia ipsiusmet Papæ per prædicta iura, & per cap. *ad audientiam*.[f]

3 Quarto, quod ex his sequitur, præfatum D. consulen- tem, qui prosequutus bona fide credens se bonam litem fouere, & eã prosequens bona fide, sciẽte & consentiẽte Sum. Pont. rectè prosequi eam, & præfatos fructus eius percipere, posse in gloriã Dei, qui nos õnes saluet, Amen.

d De cler. nõ resid.
e Eod. tit.
f De clerico non resid.

*SVMMARIVM.*

*1 Parochus etiam post Concilium potest de licentia sui ordinarij ex iusta causa, puta, vt sit vicarius generalis alterius Episcopi etiam ad multum tempus abesse.*

*2 Licentia puta, non residendi, semel etiam ante Concilium con- cessa durat, etiam post mortem cõcedentis, donec reuocetur.*

## CONSILIVM XV.

AN parochus, qui ex iusta causa habuit licentiã scrip- tam ab Episcopo suo ante Concilium Tridentinũ; absentandi se ab Ecclesia sua parochiali ad exercendum munus vicariatus generalis, siue pro episcopi alterius E- piscopi, & post Concilium prædictum non obtinuit no- uam licentiam se absentandi; teneatur restituere fructus ex ea perceptos.

1 Respondeo, quòd non. Tum quia ante & post Conci- lium ex iusta causa potest abesse parochus à sua Ecclesia,

etiam ad multum tempus, vt facilè colligitur ex [a] Concil. Trid. adiuncto c. relatum. [b] Tum quia illi parochi, qui antè Concil. Trid. causa studiorum habebant licentiam à suis Episcopis non residendi in suis Ecclesiis iuxta ca. *cū ex eo*, [c] non tenebantur post Concilium confirmatum, nouas licētias petere.

a Ca. 1. de reform. sess. 23.
b De cler. nō resid.
c De electio. lib. 6.

2 Tum denique quod prædictum cap. primum nulla sui parte tollit licentias ante datas, neque obligat ad innouādas eas, neque eis derogat, vt ex eius tenore patet: & licentia semel data durat, donec reuocetur, etiam post mortem concedentis, argum. cap. *si super gratia*, [d] & glo. communiter recepta. [e] Salua, &c.

d De offic. deleg. lib. 6.
e In d. c. licet.

*Aduertendum, sacram Congregationem vt refertur censuisse ordinarium non posse dare licentiam obtinenti curatum, vt absit ad hoc, vt alterius Episcopi sit vicarius generalis: & sic vidi licentiam peti à Sede Apostolica.*

SVMMARIVM.

1 *Curatum beneficium absoluto animo ei non inseruiendi, sed permutandi, vel retenta pensione resignandi accipiens peccat; secus si accipiat illud animo idem cum legitima licentia, vt præmittitur, resignandi, & interea ei vt tenetur deseruiēdi.*

## CONSILIVM XVI.

AN possit quis licitè accipere beneficium curatū animo non residendi in eo, sed permutādi ad aliud simplex, vel renunciandi reseruata pensione?

1 Respondeo, quòd non, si absolutè habeat animum non inseruiendi ei, vt tenetur: quia eiusmodi acceptio esset actus inordinatus, eo quod beneficium datur propter officium, [f] & prædicta acceptio ordinatur ad contrarium, & ita est peccatum: quia omnis actus inordinatus est peccatum, vt post S. Thomam nos tradimus in Man. [g]

f Iuxta c. fin. de rescript. li. 6.
g Prelud. 7. num. 4.

2 Secundo, quòd non peccaret accipiendo huiusmodi beneficium eo animo, quo proponat seruire illi tempore magno vel paruo, quo ipsum tenuerit, eo modo, quo obligatur seruire illi, puta recitādo horas canonicas, & residēdo, & alia necessaria faciendo, donec illi renunciauerit cū auctoritate iusta superioris ad permutandum illud cū alio, vel ad relinquendum iustè reseruata sibi aliqua iusta pensione: quia nulla est in hoc casu cuiuspiam actus inordinatio à iure reprobata, etiam si proponat non tenere illud nisi vno tantùm die, modo intendat facere illo die id quod fuerit obligatus illius ratione, nec velit relinquere sine superioris auctoritate, sine qua nemo potest suum beneficiū iustè renunciare, [h] Salua, &c.

h Ca. admonet. & c. quod in dubijs. de renunc.

*Aduertendum, Romæ exigi iuramentum à petente similia beneficia, quod illud accipit animo non relinquendi. vnde prædicta resolutio non videtur adeo firma. Videnda item esset constitutio Pauli IIII. inter cæteras.*

SVMMARIVM.

1 *Beneficium accipiens animo resoluto post aliquod tempus reuertendi ad statum sæcularem peccat, immunis autem à peccato est, qui beneficium requirens residentiam accipit animo adimplendi ea ad quæ tenetur, obtinendique ob studium dispensationem à residendo, vt sic interim ex fructibus in studiis se alat, & postea resignandi, & sibi in ipsomet statu clericali meliorem conditionem quærendi.*

## CONSILIVM XVII.

OBtinuit quis beneficium requirens residentiam, intētione, vt de illius fructibus sibi prouideat in studio, donec assumat gradum, & postea eo assumpto, dictum beneficium resignet, & clericaliter viuendo sibi meliorem conditionem acquirat. petiit ab Episcopo licentiam, vt causa studiorum abesse posset, & obtinuit. Quæritur an tuta conscientia possit hoc facere.

1 Ad hanc quæstionē colligitur solutio ex his, quæ scripsi in miscel. de oratio. [i] & locis allegatis in eo, nempe ꝙ prædictus, de quo queritur, peccat, si animo absoluto & resoluto mutandi statum id faciat: non tamen si animo dubio, & conditionali perseuerandi in clericatu, nisi aliqua melior conditio mutandi statum sibi sese offerat arbitrio boni viri pensatis circumstantiis suæ personæ, & aliis; modò, vt ibi dicitur, eo fit animo, vt omnia, quæ beneficium requirit de præcepto, præstet, donec illud retinuerit: & non facit iniuriam alicui, qui suo iure vtitur. [a]

i Miscel. 44.
a Ca. cum ecclesia Vulterana de elect. l. iniuriam. §. 2. ff. de iniurijs. l. illud. §. 1. ff. de pet. hæred.

SVMMARIVM.

1 *Canonico, quem ordinarius non vrget, vt sine damno suæ ecclesiæ de licentia Vicarij Vrbis abesse, & ordinum susceptionē differre posit, iustam causam præbere potest modicitas redituum, qui etsi alijs, ipsi tamen non sufficiunt.*

## CONSILIVM XVIII.

NObilis quidam; sed pauper, obtinuit canonicatum in quadam cathedrali, cuius fructus, qui in quotidianis distributionibus consistunt, non sufficiunt eidem, vt secundum decentiam suæ nobilitatis viuat, licèt sufficerent alteri ignobiliori: vnde differt ad residentiam accedere, ac etiam se promoueri facere ad sacros ordines, ad hoc vt minori cum indecentia alicui prælato inseruiat, donec ampliores acquirat reditus sufficientes, vt secundū suæ notabilitatis gradum decenter in patria, vbi & situm est beneficium, viuere possit. Ordinarius loci non vrget, cum ecclesia damnum notabile non patiatur, habet enim plures canonicos residentes, qui sufficiēter in eadem deseruiunt. Accedit huc, quòd habet licentiam manendi in Vrbe à Vicario Papæ: nam cùm ab ipso fuisset admonitus vt ad residentiam se conferret, postea exiguitate intellecta canonicatus, nobilitate, & paupertate dicti oratoris, consensit vt in Vrbe maneret vsque dum aliud sibi fieret mandatum de residendo. Dubitatur, an sit tutus in conscientia; modo bona fide quærat sibi acquirere sufficiētes reditus, & simulac eos obtinebit, ad residentiā ire statuat.

1 Multa possent circa has particulares propositiones adduci, & quidem tot; vt ex eis iustus libellus conficeretur: sed quia id non videtur expedire D. consulenti; videtur respōdendum, quod ex omnibus circunstantiis in casus propositione narratis simul coniunctis, videtur colligi ipsum posse suam residentiam & promotionem differre tamdiu, quamdiu eum Illustrissimus Vicarius S. D. N. ob prædictas causas ex certa scientia permiserit, per ea quæ nos tetigimus in Man. confess. [b] post vtrūque Tho. [c] Salua, &c.

b Prelud. 9. nu. 14. & ca. 23. num 42.
c 2. 2. q. 147. art. 3.

SVMMARIVM.

1 *Votum omne licitum obligat: nisi iustè relaxetur. num. 10.*
1 *Regularis vbi profitetur, ibi perpetuo seruire promittit: retinēs tamen cum iusta dispensatione beneficium requirens residentiam, in eo residebit. num. 10. & 13.*
2 *Status religiosi, vt talis, altior statu rectoris parochialis. & numero 11.*
3 *Minus cedere maiori conuenit. & num. 7. & 12.*
4 *Parochus potest parochialem, dimittere, & religionem profiteri.*
5 *Canonici regularis officiū præstat parochi officio, ac etiā monachi vt talis.*
6 *Parochus religionem professus in ea manere debet, & nōin parochiali, nisi cum eo dispensetur, vt illam retineat. num. 13.*
7 *Monachus parochum præcellit in statu, & in officio, quod est contemplandi.*
7 *Obligatus ad duo, si non potest vtrumque, præstet maius.*
8 *Regularis beneficium residentiam requirens canonice adeptus in eo residere tenetur, & nō in monasterio: immo ab eo potest iuste expelli. num. 14.*
9 *Parochialem quisquis iustè habet, in ea resideat.*
9 *Regularis habens in titulum parochialem Ecclesiam Episcopo subiectam, ei parere tenetur, & non suo prælato. & nu. 12.*
11 *Regularis parochialem adeptus statum retinet regularem, & num. 12. Idem etiā si transferatur ad cathedralem. nu. 13.*

## CONSILIVM XIX.

QVestio est, an canonicus regularis canonicè obtinēs Ecclesiam parochialem teneatur residere in ea potius, quam in Ecclesia regulari, cuius est canonicus: quæ quæstio videtur esse noua & solutu difficilis.

1 Pro parte negatiua facit primo, quod omne votum licitum & validum obligat, [d] & qui profitetur regulam canonicorum regularium in aliqua ecclesia regulari, vouet explicitè, vel implicitè se perpetuo ei seruiturū, [e] ergo debet perpetuo in ea residere.

2 Secundo, quod status religiosi altior est statu rectoris Ecclesiæ parochialis: quia de hoc transitur ad illum, & non ab illo ad istum, [f] & latè tradit S. Thomas, [g] at per

d Ca. magna. de voto.
e Arg. c. placuit. 1. 10. q. 1.
f Cap. clerici. 19. q. 1. & ca. dua eadē causa quæst. 2.
g 2. 2. q. 184. art. 8.

votum

votum obligatur statui religionis, per rectoriam autem nonnisi statui sæculari.

3 Tertio, quod minus oportet cedere maiori,[a] sic cedit Latonia Phœbo, sic lex humana naturali, & diuinæ, [b] & vocatus à duobus, quorum vtrumque non potest adire, debet adire maiorem, si potest. [c]

4 Quarto, quod rector parochialis potest dimittere suã Ecclesiam, & vouere religionem, quo facto tenetur in ea perseuerare, vt late tradit S. Thomas receptus [d] & in casu proposito regularis transiuit ad Ecclesiam sæcularem: ergo.

5 Quinto, quod officium canonici regularis, quod est contemplandi & manendi in solitudine, est melius, quia pertinet ad vitam contemplatiuam, quam officium rectoris, quod pertinet ad actiuam: & illud difficilius esse, & maioris meriti, si bene exerceatur, probat S. Thomas vbi supra, qui ad illud Chrysostomi in dialog. lib. 6. de sacerdotibus inter princip. & med. *Si quis mihi proponeret optionem vbi mallem placere in officio sacerdotali, an in solitudine monachorum, sine comparatione eligerem quod prius dixi.* & in eodem lib. dicit, *Si quis bene administrato sacerdotio illius propositi, scilicet monachalis, sudores conferat, tantùm inter eos distare reperiet, quantum inter priuatum distat & Regem:* ad primum argumentum obiectum respondens in vers. *ad primum*, ait *illud intelligendum esse de difficultate, & non de bonitate, & ideo transferri posse de statu rectoris ad statum monasticum,* quanto magis canonicum, qui implicitè continet clericalem, & consequenter potiorem monachali.

6 Sextò, quod rector transiens ad monachismum tenetur in eo perseuerare, & non potest redire ad ecclesiam, de qua transiuit, [e] & constat statum canonicalem esse potiorem monachali, quia hic non requirit clericatum, nec ordinem, [f] ille vero sic, quia regula canonicorum regularium, quæ est Augustini, vocatur regula clericorum, vt eius titulus, qui est *regula clericorum*, monstrat.

7 Septimo, quod S. Thomas [g] cõferens rectorem monacho, ait, *rectorem præcelli à monacho primo statu, quia regularis, quem habet monachus, superat secularem, quem habet rector:* officio item, quia contemplatio, quam respicit eius status, superat actionem, quam respicit status rectoris, cum sit receptum vitam contemplatiuam meliorem esse actiua, per illud. [h] *Optimam partem elegit sibi Maria.* vt resoluit S. Thomas. [i] At qui tenetur ad duo, si non potest præstare vtrumque, debet præstare maius, si potest. [k]

8 His tamen non obstantibus contrarium respondendum videtur. Primò quidem, quod omnis canonicus regularis & monachus accipiens aliquod beneficium canonicè requirens residentiam, tenetur in eo residere, capit. 1. [l] & cap. *cum olim.* [m] quæ loquuntur de assumptis ad episcopatus, & cap. *ne pro cuiuslibet.* [n] & cap. *si quis iam translatus.* [o] quæ loquuntur de assumptis ad ecclesias parochiales, & clemen. *ne in agro.* [p] quæ loquitur de assumpto ad quemlibet prioratum etiam ruralem, & ad quamlibet administrationem etiam manualem, vbi expressè statuitur ne monachis habentibus beneficium permittatur manere in monasterio.

9 Secundò, quod omnes, qui habent iustè Ecclesiam parochialem, tenentur in ea residere, non facta differentia inter sæcularem & regularem. [q] At consulens iustè retinet suam: ergo, &c. Tertio quod regularis institutus perpetuo ad Ecclesiam parochialem subiectam Episcopo adeo tenetur perpetuo residere in illa, quod non tenetur obedire prælato priori, sed solùm Episcopo, per glossam singularem receptam. [r]

10 Ad allegata in oppositum respondetur. Ad primum quidem, quod illud dictum, scilicet, quod omne votum licitum obligat, intelligitur nisi iustè relaxetur, [s] & sic regulari, qui iustè habet parochialem per iura communia prædicta, soluitur votum residendi in Ecclesia regulari. Nec obstat, quod consulens non est adeptus suam Ecclesiam post professionem. Tum quia satis est, quòd eam obtineat canonicè & iustè per dispẽsationem Apostolicam: obligatio enim residendi non nascitur ex eo, quòd ante vel post fuerit eam adeptus, sed quia illam de præsenti canonicè habet, per prædicta iura. Ad secundum concedimus statum regularem esse potiorem statu rectoris, quatenus est rector, & consequenter non posse canonicum regularem mutare statum regularem: sed negamus, quòd canonicus regularis, retento suo statu regulari, non possit obtinere nouè parochialem, vel retinere obtentam cum legitima dispensatione. [a]

12 Ad tertium concedimus minora maioribus debere cedere, & non esse postponenda maiora minoribus, sed negamus consulentem relinquere suum statum regularem propter suam parochialem, nec propter residentiam in ea, quia eam retinet, & in ea residet non relicto statu suo regulari, per quem manet obligatus ad castitatem, paupertatem, & obedientiam, licet hanc non debeat prælato regulari, dum residet in parochiali sæculari, sed Episcopo illius superiori.

13 Ad quartum concedimus, rectorem posse transire ad statum regularem, & quòd transeundo ad illum, perdit Ecclesiam, & tenetur residere in Ecclesia regulari, in qua profitetur, nisi per dispensationem legitimam retineat suam Ecclesiam, vt consulens retinet: eo quod secundum naturam est, eius sentire onus, cuius consequitur emolumentum. [b] & sic tenetur subire onus in ea residendi inhærens illi per iura supradicta. Ad quintum concedimus vitam contemplatiuam esse meliorem actiua, & officium contemplandi esse melius ex se, quàm regendi animas aliorum: sed negamus quod regularis per transitum ad curam parochialem perdat vitam contemplatiuam vel officium contemplandi, quia etiam transiens ad episcopatum non perdit illam, neque absoluitur ab obligatione contemplandi, iuxta illud Gregorij in Pastorali relatum à sancto Thoma [c] ibi: *Sit rector actione præcipuus, præ cunctis in contemplatione suspensus: quia ad ipsos pertinet non solum propter seipsos, sed propter instructionem aliorum contemplari. vnde Gregorius dicit,* [d] *quod de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus dicit Dauid,* [e] *Memoriam suauitatis tuæ eructabunt.* Ad sextum respõdetur eo modo quo ad quartum. Ad septimum concedimus, vt supra, regularem, quatenus est talis, superare rectorem, quatenus est talis, statu & etiam officio, & consequenter quod non potest relinquere illum ob Ecclesiam obtinendam vel retinendam: sed negamus, quòd retento suo statu & officio, non possit cum iusta dispensatione obtinere & retinere eam, & facere in administranda ea quæcumque id requirit, vt prædictum est.

14 Itaque consulens sanctè potest retinere illam, & in ea residere, nec potest compelli ad residendum in Ecclesia regulari, immo stricto iure posset ab ea omnino expelli, si defuerit dispensatio, per quam defendi posset ab eiusmodi expulsione. Ad quod, quia in casu proposito minime dubitatur, non respondemus. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Absit etsi frequenter canonicus ab Horis tertiæ, sextæ, & alijs minoribus, quæ in cathedrali recitantur, vt seruiat parochiali, quam cum dispensatione simul retinet, si non percipit distributiones pro illis horis, non committit magnum defectum, cum & canonico, & curato liceat per duos menses abesse: nec ob id censetur subreptitius, licet narrauerit Papæ, se vtique commodè posse deseruire. num. 3.*

2 *Verba dispensationis sunt ciuiliter, & non amarè seu morosè interpretanda, nec leuis subreptio vitiat. num. 3.*

## CONSILIVM XX.

QVIDAM habet ecclesiam parochialem, & canonicatum in Ecclesia cathedrali eiusdem ciuitatis, eo quod Ecclesia parochialis non sufficiebat ei sustentando.

Quæritur primo, an sine dispensatione possit vtrumque beneficium retinere.

Secundo, an dispensatio obtenta cum expressione, quod poterat vtrique commodè seruire, censeatur subreptitia, si non potest seruire, nisi frequenter deficiens obsequio Ecclesiæ cathedralis.

AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo primò, eam satis obscurè propositam esse, cum non possit certò ex ea colligi quibus verbis petita fuit à Papa dispensatio, nec quibus concessa, nec declaratio Illustrissimorum videatur satis clarè resoluta.

1 Secundò, quòd attento quod D. consulens resedit & residet in vtraque Ecclesia, & quod adamussim seruit Ecclesiæ parochiali, & defectus, qui videri possunt fieri, fiant

a Cap. solitæ. de maiorit. & cap. duo. 96. dist.
b Ca. quæ cõtra iũcta glo. 8. dist. & c. si dominus. 11. q. 3.
c L. cõtra pupillũ. §. is qui ad maius. ff. de re iudic. c. cum parati. de appellatio. adiũcta gloss.
d Dicto art. 8.
e Dict. c. duæ.
f Cap. sic viue. & c. legi. 16. q. 1.
g Vbi supra.
h Luca 10.
i 2. 2. qu. 188. art. 1.
k Dicta l. contra pupillum. §. is qui ad maius tribunal. ff. de re iudic. & c. cũ parata. de appellat.
l 18. q. 1.
m 2. de priuileg.
n 16. q. 1.
o 21. q. 2.
p §. sane. de statu monacho.
q Capit. quia nonnulli. & ca. quia relatum. de cler. non resid.
r In d. clem. ne in agro. §. ad hæc. verb. ad claustrũ.
s Per ca. 1. & ca. scriptura. de vot.

a Iuxta dict. c. ne pro cuiuslibet, & ca. si quis iã translatus.
b L. secũdum naturã. ff. de regul. iur. & reg. qui sentit. lib. 6.
c 2. 2. q. 182. art. 1. ad 1.
d Super Ezech. homil. 5.
e Psal. 144.

circa obsequium Ecclesiæ cathedralis,& quod nihil accipit pro Hora cui non interest, & quod potest in quolibet anno deesse seruitio temporis duorum mensium etiam Ecclesiæ parochialis iuxta cap.1. [a] & quod habens beneficium in cathedrali vel collegiali, cui curam animarum etiam extra diœcesim est annexa, habetur pro seruiente in cathedrali,modo seruiat curæ animarum sibi annexę. [b]

a De reform. sess.23.

b Ca.3.de reform.sess.24.

2 Et quod deesse tertię,sextæ,vel alijs Horis minoribus non est magnus defectus, si nihil percipiatur pro illis Horis,nec desinit ob id residere, quamuis non intersit illis, & quod verba etiam dispensationis ciuiliter & non morosè sunt accipienda,pensata itē D. consulentis deuotione continuata, exemploque bono irradiante: his inquam attentis,& declaratione Illustrissimorum, videtur D. consulens sufficienter seruisse præfatæ parochiali & præfato canonicatui.

3 AD SECVNDAM respondeo, nullam fuisse subreptionem, quæ inficeret bonitatem seruitij consulentis,& si qua interfuisset,eam fuisse leuem, & sublatam Illustrissimorum DD. benigna responsione, attentis eis quæ ad determinandam primam quæstionē attulimus,& ob aliquot alia,quę non vacat,nec fert valetudo scribere.

SVMMARIVM.

1 *Parochiali in Ecclesia residere,& curam animarum per se exercere nedum iure humano,sed & diuino tenetur illam obtinens,estque alijs incompatibilis,& hoc, etiam si ipsi cōcedatur vt illi possit per vicarium temporalem seu capellanum amouibilem deseruire, num 2.secus si adesset vicarius perpetuus,num.3.vel cogeretur eidem per vicarium seu capellanum etiam amouibilem deseruire: quia tunc solum haberet curam habitu,sed non actu,nu.5. & 7. & sic à residentia excusaretur.num.8.*

1 *Curatum habens beneficium tenetur residere,& per se curam exercere, nisi priuilegio vel immemoriali consuetudine inductum sit, vt per alterum seruire ei necessario teneatur. num.4.6.& 7.*

4 *Consuetudine induci potest, quicquid & lege, seu priuilegio concedi.*

## CONSILIVM XXI.

ECCLESIÆ parochiali à tempore immemoriali fuit solitum deseruiri non per rectorem, quem pro tempore habuit etiam in minoribus constitutum,sed per vicarium siue capellanum ab ipso rectore ad nutum amouibilem deputatum. Quæritur an modernus rector, qui presbyter est, teneatur per seipsum curam exercere, vel possit prædicta consuetudine vti.

1 Quæstio hęc magna est,noua,& digna quam Congregatio Illustrissima dubijs Concilij Tridentini declarandis deputata determinet: quia videtur tangere declarationem Concilij Tridentini. [c] Cuius censura grauissima salua,dico quod pro parte affirmante, quòd rector teneatur residere in præfata parochia,facit primò, quòd rector ecclesiæ parochialis non solùm iure humano, sed etiam diuino tenetur pascere oues suas doctrina & sacramētis. [d]

c Capi.16. de refor.sess. 25. & capi.18,de refor.sess.24.

d Ca.1.de reform. sess.23. Concil. Trid.

2 Secundo,quod facultas exercendi curam per vicarios temporales non facit quod beneficium non dicatur esse curatum & incompatibile, per extrauagantem *execrabilis.* [e] & in casu proposito cura exercetur per vicarium temporalem,immo per capellanū ad nutum amouibilem, qui videtur minus exonerare rectorem,quàm vicarius.

e §.quātum. Ioannis.xxij.

3 Tertio, quod solus vicarius perpetuus videtur absoluere rectorem ab exercitio curæ. [f] Quarto facit, quod in casu proposito rector Ecclesiæ præfatæ est sacerdos, & potest per se ipsum curam animarum exercere. Et ita licet, quando per consuetudinem præfatam rector solùm esset in minoribus ordinibus constitutus, non posset exercere curam animarum per semetipsum,tamē cum præsens rector sit sacerdos,poterit per semetipsum exercere: & ita tenebitur residere, eo quòd causa, quare cùm est minoribus tantùm initiatus non exercet, nec tenetur exercere, videtur esse, quòd non sit sacerdos: & causa cessante,debet cessare effectus. [g]

f Arg.ca.extirpādæ § qui vero. de præben.& argu. præfati §.quātum.& ca.6. de refor.sess. 25.Cōc.Trid.

g Ca.cum cessante. de appell.le.adigere.§. quāuis. de iurepatr.

4 Pro parte autem negante facit primò, quod consuetudo potest inducere id quod lege valet induci, [h] limitando ius gentium, & præceptum Decalogi de non capiendo alienum contra voluntatem domini, dati Exod. 20.per l. *venditor.* [a] Secundo, quod consuetudo temporis immemorialis æquipollet priuilegio: & quicquid priuilegio induci potest,potest & consuetudine. [b] At priuilegio Papæ induci potest vt aliquis rector ecclesiæ parochialis non teneatur exercere curam per semetipsum,sed tantùm per alium:immo iam statuit vt id fiat per vicarios perpetuos.

h Le. de quibus.ff. de ll.

a § si cōstat. com.præd.

b L. hoc iure. § ductus aquæ. ff. de aqua quotid. & æst.& ca. super quibusdam.§. præterea.de verb. sign.

5 Agimus autem de rectore, qui tenetur ponere capellanum, qui exerceat curam, & consequenter de rectore, qui habet curam in habitu,& non in actu.

6 Ad primum respondeo, quod prædictus rector pascit doctrina & sacramentis per vicarium: & quamuis iure communi teneretur per seipsum pascere, tamen ex priuilegio immemorialis consuetudinis sufficit, vt per alium pascat.

Ad secundum respondeo,verum quidem esse, hoc esse beneficium curatum,tamē propter immemorialem consuetudinem liberatur rector à residentia, si per vicarium præstet omnia quæ per ipsum præstanda erant.

7 Ad tertium concedi potest,quod solo iure communi attento, per solum vicarium perpetuum tollitur à rectore animarum cura actualis, negando quod priuilegio & consuetudine illi æquipollente non possit tolli per vicarium temporalem necessariò ponendum: quod in casu proposito contingit.

Ad quartum negandum est,quod causa,ob quam rector leuatur,onere exercendi actu curam,sit quod ille consueuit esse constitutus in minoribus tantùm,sed potius quod consuetudo immemorialis obligat eum ad ponendū capellanum,saltem ad nutum amouibilē,qui eam exerceat.

8 Quare salua Illustrissimæ Congregationis præfatæ censura resoluendum videtur,quod prędictus rector non tenetur exercere curam in prædicta parochia, nec consequenter residere, si nolit, sed tantùm tenetur ponere capellanum, qui eam exerceat, ita quòd curam habeat ipse in habitu tantùm,& capellanus in actu,vt videtur habere secundum tenorem antiquæ bullæ sacræ Pœnitentiariæ.

SVMMARIVM.

1 *Pœna apposita ipso iure facto negatiuo puta non residenti, non incurritur, nisi præcedente monitione:sufficit tamen præfixio diei; immo & coram Deo sufficit vera mora seu negligentia,num.7. & hoc,modo illa, quando de nullius agitur præiudicio,sit peccatum mortale,num.12.*

2 *Taciti & expreßi par est virtus,nisi agatur de actu qualificato, vt de licentia scripta, quia tunc non sufficit tacita licentia,subestque diuersa ratio.num.8.*

3 *Dispensare valens,eo ipso quod facit actum qui aliàs non subsistere,censetur dispensare: fallit in inferiore agente aliquid contra legem superioris,quia requiritur quod expresè dispenset,vel saltem secundum Butrium,quod præmiserit sufficientem causæ cognitionem.num.9.*

4 *Aequitas præferenda est rigori: fallit in æquitate non scripta, quia ei præfertur rigor scriptus. Item & rigor scriptus in specie præfertur æquitati scriptæ in genere num. 11.*

5 *Qualificatus actus cum requiritur, puta licentia scripta, non sufficit actus simplex sine illa.*

10 *Facultas concessa cum aliqua restrictione,forma,seu qualitate ei cui antea non competebat, si exerceatur dicta forma & qualitate nō seruata,nihil fit.*

12 *Culpa quando non est mortalis, nec agitur de interesse tertij, videtur excusari posse corā Deo à pœna culpæ absolutè annexa.*

## CONSILIVM XXII.

PRÆSVPPOSITA constitutione, quod fructus beneficiariorum residentium, & morientium in suis Ecclesijs successori debeantur,non residentium ver[illegible] sine legitima licentia, & morientium extra suas Ecclesias debeatur Cameræ Apostolicæ: & quòd quidam Episcopus grauiter ægrotando sine tali licentia ad Metropolitanum se contulit, in cuius domo post quatuor menses vita functus est: Quæritur,an collector Apostolicus, an successor fructus dicti Episcopi habere debeat.

1 Quod collector Pontificius non debeat habere omnes fructus,qui superfuerunt predicto Episcopo, facit primo theoria illa Innocētij, [c] scilicet,quod pœna posita pro facto negatiuo,quale est non residendi,nō incurritur,nisi præcedente monitione,& quod prędictus Episcopus non

c In ca.extirpandæ. § qui vero.de præben.

fuit

fuit monitus, vt resideret intra illos septẽ vel octo mẽses.

2 Secundo, quod par virtus est taciti & expresi, iuxta l. *cum quid.* [a] in cuius 2. lect. id multis confirmat Iason, & capit. 2. [b] & quo ad propositum confirmari potest dicto sancti Thomæ [c] cui concordat vterque Cardinalis, [d] quod regularis potest tenere, vel dare aliquid de rebus monasterij in eleemosynam, vel aliam causam de licentia tacita superioris, sicut de expressa: & prædictus Episcopus videbatur abesse ab episcopatu de licentia saltem tacita Metropolitani, cum apud eum diuersaretur causa ægritudinis, & ab eo officiosè tractaretur: ita quod sit verisimile eum sibi concessurum fuisse licentiam, si petijsset.

3 Tertio, quòd qui facit aliquem actum contrarium iuri, circa quod potest dispensare, videtur dispensare, etiamsi non dicat se id facere. [e] At prædictus Archiepiscopus poterat per licentiam suam facere licitum actum Episcopi manendi in sua domo, & tenuit eum in ea: ergo videtur ei dedisse licentiam in ea manendi.

4 Quarto, quod æquitas præferenda est rigori. [f] At æquitas suadet, vt qui iusta de causa facit aliquid sine facultate scripta, excusetur, ac si faceret de facultate scripta, cum iustitia rei non pendeat ex scriptura, sed ex causa. [g]

5 Pro contraria tamen parte facit primò, quod actus factus sine scriptura, in quo lege vel conuentione partium illa debet interuenire, est nullus per l. *contractus.* [h] & per multa adducta à glossa magna [i] & Concilium Tridentinum [k] requirit, vt prædicta licentia detur in scriptis, ergo aliter data non valet.

6 Secundo, quod intentio Concilij fuit, vt ideo interueniret scriptura, quo maiore cũ iudicio & pensiculatius daretur ei licentia, & certum est cum maiore animi deliberatione dari per scripturam, [l] quod ideo statuitur, vt sententiæ de scripti recitatione proferantur: & ita fieri potest quod prædictus Archiepiscopus non dedisset forte prædictam licentiam in scriptis, considerando forsan, quod ægritudo illa æquè poterat curari in ciuitate episcopali, vel aliqua alia illius diœcesis, ac in metropolitana: & ita non est eadem ratio de licentia scripta & non scripta.

7 Tertiò, quod non obstat primum in oppositum citatum. Tum quia ipsemet Innocentius ait illud non procedere quando præfigitur terminus facto negatiuo, vt in casu proposito, allegando ad id l. *magnam.* [m] quo aptior textus est in cap. *licet canon.* [n] per quem præfigitur terminus vnius anni accipiendi Ecclesiam parochialem ad se promouendum ad sacerdotium, cum pœna perdendi eam ipso iure, si non fiat intra illum sacerdos, & sic pro facto negatiuo, quæ tamen sine vlla præmonitione incurritur. Tum quia Panormitanus [o] probat illud dictum Innocentij etiam cùm non apponitur terminus, non esse verum quo ad Deum, & in foro interiori, sed solùm quo ad præsumptionem & forum exterius.

8 Quarto, quod non obstat 2. oppositum: quia in casu nostro non agitur de expresso & tacito simpliciter, sed de expresso per scripturam, & tacito, quæ longe differunt per prædicta, per quæ probatur aliam rationem militare in expresione per scripturam, quam in tacita, & quam in expressa verbo.

9 Quinto, quod non obstat tertium: quia illud verum est in Principe, vel Monarcha non recognoscente superiorem, secus in inferiore, vt eleganter declarat Panormitanus, [p] conciliando duo dicta Innocentij, quorum alterum posuit in cap. *veniens,* [q] & alterum in dicto cap. *diuersis.* adiecta illa ratione diuersitatis, quòd inferior non potest dispensare contra legem superioris, nisi causa cognita, etiam in casibus, in quibus ei conceditur dispensandi facultas, iuxta glossam solemnem, [r] etiam si sit Legatus à latere, vt singulariter dixit Innocentius [s] quem magnificauit Felinus. [t] Princeps autem & Monarcha sine vlla causæ cognitione potest suæ legi derogare, iuxta prædictas ll. *quidam consulebant & idem Vlpianus.* [v] Cum ergo Archiepiscopus esset inferior Papa, & Concilio, licet haberet facultatem dispensandi, & faciendi licentiam, non tamen videtur fecisse, cùm non dixerit se facere, nec ad faciendum causæ cognitionem præmiserit, quod sufficere dixit Antonius. [x]

10 Et quamuis replicari posit contra hoc, quod satis cognouit de causa, cùm adeo ęgrotum tenuerit in sua domo, quod in ea vitam finiuit, triplicari tamen potest, quòd licet cognosceret ægritudinem, tamen potuit ignorare an æquè potuisset curari in sua ciuitate, vel diœcesi, ac in metropolitana: & præterea, quòd in hoc casu non sufficiebat velle dispensare, & dicere se dispensare, & dare licentiam, sed oportebat eum dare illam in scriptis: & quando datur alicui facultas, quam antea non habebat, cum aliqua qualitate & forma, non valet actus ab eo factus virtute illius potestatis sine illa qualitate & forma, iuxta glossam singularem & receptam, [a] quam putarunt singularem ibi Cardinalis & Panormita. [b] vbi Felinus [c] & Iason [d] & alij alibi, & videtur quod prædictus Archiepiscopus non habebat potestatem dandi talem licentiam ante Concilium & illud dedit illi eam cum modificatione, vt in scriptis faceret: & ita etiamsi expressè fecisset verbo, non potuit illa valere, neque prodesse.

11 Sextò, non obstat etiam quartum: quia quando æquitas non est scripta, & rigor sic, ille est præferẽdus. [e] Quando item æquitas est scripta in genere, rigor autem in specie, rigor præfertur æquitati, secundum resolutionem communem, [f] quam ponit Iason ibi, [g] & in nostro casu rigor est scriptus in specie, & æquitas nullatenus, vel in genere tantùm.

12 Per hæc arbitror iudicem inferiorem teneri ad iudicandum secundum hanc partem posteriorem, sed quod forte supremus Monarcha, si palam esset prædicto Episcopo fuisse iustam causam manendi in ciuitate metropolitana illis quatuor mensibus postremis, & ipse bona fide manserit in ea, & domo archiepiscopali, putans id sibi licere, vt credendum est, quod adeo grauiter ægrotauerit, iudicaret pro Episcopo, vel eius successore, quisquis esset, siue fiscus, siue alius, attenta rei æquitate, & attenta l. 1. [h] cum citatis in ea: & quod in foro conscientiæ, & coram Deo negligentia illa nulli perniciosa videri posit nec peruenisse ad culpam mortiferam. Salua, &c.

## DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBVS.

### SVMMARIVM.

1 *Beneficio oblato, potest laicus, etiam citra animum accipiendi sacros ordines, velle statum clericalem & dictum beneficiũ acceptare, vt ex illius fructibus honestè viuat, animo dum illud tenet, subeundi onera illi annexa, & eueniente casu necessitatis, ordines maiores accipiendi, illos accipere, vel (prout potest) beneficium dimittere: debet tamen dictum statum & beneficium accipere principaliter propter Deum.*

### CONSILIVM I.

QVIDAM clericus habens simplex beneficium vult illud resignare, reseruata sibi honesta pensione, cuidam adolescenti pauperi non infimæ familiæ, qui cùm non sit maior quindecim vel sexdecim annis, numquam cogitauit fieri, vel non fieri clericus, sed hac sibi occasione oblata, clericali tonsura insigniri, & beneficium huiusmodi ratione studij sibi resignari desiderat, cum proposito oneribus eidem beneficio annexis satisfaciendi, ad vlteriores tamen ordines promoueri in præsentia non statuit. Quæritur, vtrum hoc tuta conscientia fieri posit.

Respondeo primò, quod pro parte negante faciunt tria. Primum est, quod dominus consulens est laicus: & laicus est indignus beneficio Ecclesiastico. [i] Secundum, quod non licet laico desiderare clericatum, vt per eum consequatur reditus Ecclesiasticos: quoniam desiderat rem spiritualem, quæ est quiddam maius & dignius ad rem temporariam, quæ est quiddam minus & minus dignum, & ita peruertit ordinem rectum, quo minora & minus digna debent referri ad maiora & digniora, & non contra maiora ad minora, [k] & tradit in specie Caietanus. [l] Tertium, quod obtenturo licitè beneficium debet inesse animus suscipiendi ordines, etiam sacros, iubente superiore, vt colligitur ex disputatione ipsiusmet Gratiani [m] præsertim in §. *verum.* vt ex gloss. solemni summę eiusdem dist. colligitur.

1 Secundò, quòd his non obstantibus pars affirmans est vera, & tenendum per id quod nos præ omnibus

alijs

a ff. de rebus cred.
b De rescrip.
c 2. 2. quæ. 32.
d In c. non dicatis. 12. q. 1.
e L. idem Vlpianus. ff. de excus. tut. & l. quidem consulebant. ff. de re iudic.
f Le. placuit. C. de iudic. c. fin. de transact.
g Arg. c. Marcion. 1. q. 1. & ca. fin. de reg. iur. lib. 6.
h C. de fide instrum. & l. 1. C. de iure. emphit.
i In capi. 1. de cens. li. 6.
k In cap. 1. de refor. sess. 23.
l Arg. ca. fin. de re iudic. li. 6.
m C. de contract. & commu. stip.
n De elect. li. 6.
o In repet. d. §. qui vero. latissime à nu. 19. vsque ad nu. 27.
p In c. diuersis fallacijs. de cler. coniug.
q De fil. presbyt.
r In c. requiritis. §. nisi rigor. 1. q. 7.
s In ca. dudũ. 2. de elect.
t In c. quæ in ecclesiarum. n. 32. de const.
v Cap proposuit. de cocess. præben.
x In d. ca. veniens.

a Clem. 1. de iurepatr. ver. inhibentes.
b In c. ad dissoluẽdum. de despons. impub. & ca. ex parte. de consilit.
c Col. 4.
d In l. vniuersa. C. de precibus Imper. offer.
e Leg. prospexit. ff. qui & à quibus.
f In d. le. placuit.
g Num. 3.
h C. de legibus.
i Ca. ex literis. de transact. & ca. cũ adeo. de resc.
k Cap. illud. & c. solitæ. de maior. & obed.
l In 2. 2. quæ. 163. art. 1.
m In 74. dist.

a In Miscel. 30. de orat.

alijs nuper scripsimus. [a] Tum quod licet laicus non possit licite desiderare beneficia pro tempore quo est laicus & indignus eis, potest tamen licitè desiderare illa pro tempore quo erit clericus: & D. consulens non vult habere beneficium præfatum pro tempore quo est laicus, sed pro tempore quo erit clericus, per quod soluitur primum oppositum. Tum per id, quod ibidem subijcimus, scilicet licere laico mutare statum suum laicum in clericalem principaliter propter Deum, & minus principaliter ad consequendos reditus, quibus sustentetur ad Christianè viuendum, per quod soluitur secundum oppositum. Tum quod obtenturo licite beneficium non est necesse habere absolutam voluntatem percipiendi sacros ordines, etiam extante necessitate, vel vtilitate Ecclesiæ, sed sufficit habere voluntatem absolutam subeundi omnia onera beneficio de præcepto incumbentia, tempore quo illud tenuerit, & disiunctiuam assumendi ordines sacros, cum iussus fuerit id facere, necessitate vel vtilitate Ecclesiæ imminente, vel relinquere beneficiũ. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Idoneus reputatus ad clericatum assumendum, non ideo reputatur idoneus ad beneficia obtinenda.*

## CONSILIVM II.

AN præcedente examine, clericatus charactere insignitus, prouisus de simplici beneficio, teneatur examini iterum se subijcere?

1 Respondeo quòd sic: quia plura requiruntur ad hoc, vt quis sit dignus beneficio, quam ad hoc, vt quis sit dignus clericatu, vt nos probamus in Miscel. de oratio. [b] & Miscel. 43. [c]

b Num. 109. c Num. 3. in nouis.

SVMMARIVM.

1 *Beneficia omnia sæcularia censenda, nisi ex fundationibus vel quadraginta annorum præscriptione probentur regularia.*

2 *Datarius Papæ non est iudex impetrantium beneficia, etsi ante collationem ad vitandas lites summariè de petentium se informat qualitatibus.*

3 *Consuetudo Gallicana ius coloratius habenti possessionem adiudicat.*

3 *Prioratus multæ sæculares Ecclesiæ appellantur.*

## CONSILIVM III.

ECCLESIA N. prioratus vulgo nuncupata, collata fuit tamquam regularis in titulum cuidam regulari: cuius possessione adepta, fuit per B. sæcularem sub prætextu, quod sæcularia sæcularibus conferri deberent, petita, eo quod prædicta Ecclesia semper habita fuit pro sæculari, & pro tali possessa fuit. Quæritur quæ sint partes Reuerendiss. Datarij in hoc casu.

1 Respondetur primò, quòd præsuppositis pro veris quæ supra narrantur, proculdubio censendum est præfatam Ecclesiam debitam esse præfato B. consulenti. Tum per narrata in argumento & casu. Tum quia omne beneficium est censendum sæculare, nisi ex aduerso probetur esse regulare, eo quod in erectione illius statutum fuerit, vt sit regulare, & seruiatur ei per regulares, vel per 40. annos continuos fuerit possessum à regularibus tamquam regulare, secundum omnes, in quibus est Philippus Francus [d] & irrefragabilibus rationibus probari potest, quòd solum fundamentum sufficit B. consulenti, etiamsi nihil penitus probaret, attento quòd aduersarius non probat vllam erectionem, & fundationem eius, per quam constet præfatam Ecclesiam fuisse pro regularibus institutam, neque per regulares & religiosos administratam per 40. annos, immo neque per viros. Tum quia iure communi, eodemque antiquissimo, & sanctissimo, omnia beneficia deberent conferri in tit. sæcularia sæcularibus, & regularia regularibus, vt palam est: & non deberent desiderari, neque quæri modi, quibus tanta iuris maiestas inuerteretur sine grandi causa, quia hæc inuersio fuit magna pars hæresum ætatis nostræ, vt grauissimi auctores testantur: nec puto vllum huic nostro dicto contradicturum.

d In cap. cum de beneficio. sub finem, de prębẽdis li. 6.

Secundo respondetur, quòd dubium ex hoc argumento resultans non est id, quod quæritur, sed an pręfato consulenti Reuerendissimus Datarius teneatur conferre pręfatam Ecclesiam, iuxta decretum Tridentinum & constitutionem Pij V. contradicente aduersario, cui iam collata

A est præfata Ecclesia à S. D. N. Ad quod respondetur primo, quod sua Reuerendissima D. non est iudex competens ad declarandum, ad quem illorum pertineat illa, nec etiam ad dandum literas executoriales sine commissione speciali S. D. N. & sine allegationibus & probationibus legitimis, vt palam est. Secundo, quod sacrosancta Sedes Apostolica tota ætate nostra vsque ad proxima tempora solita fuit conferre beneficia omnibus petentibus ea, & asserentibus vacare, & nec Datarius, nec Papa se immiscebat litibus impetrantium, sed remittebantur ad iudices ordinarios, vel commissarios, qui dirimerent eas lites, idque fiebat iure communi obseruato, nullo canone contradicente, & ita secundum ius commune non possent B. consulenti negari titulus & literæ Apostolicæ, quibus ius suum assequeretur & tueretur coram iudicibus competentibus. Tertiò, quod piè certe, ac cum magna vtilitate Reipublicæ à paucis annis cœpit induci, ne passim conferrentur beneficia omnibus petentibus à S. Sede Apostolica vt euitarentur innumerabiles lites, quæ ex eo nascebantur: sed re maturè considerata, non quidem ad declarandum ius esse huic vel illi, sed ad informandum se summariè de causa, ob quam conueniret conferre illa petentibus. qui certe stylus est vtilissimus, & erit, saltem dum talis Papa, & talis Datarius, quales nunc sunt, rexerint.

C 3 Secundum quem stylum arbitror etiam, salua saniore sententia, Reuerendiss. Datarium debere concedere præfato B. consulenti quòd petit, per allegata in informatione illius, & in informatione eruditissimi Bisciæ, & etiam in principio huius nostræ, & per illam totius Ecclesiæ Gallicanæ consuetudinem, per quam adiudicatur possessio in primo capite possessorij habenti primo aspectu ius coloratius, quia tale videtur habere pręfatus B. consulens, cùm aduersarius nihil pro se videatur probare, nisi forte quod Ecclesia appellatur prioratus, quo nomine plures Ecclesias sæculares appellari non solùm in Catalonia, vt testatur in suis literis Reuerendissimus, idemque eruditissimus Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis, sed etiam in regno Nauarræ, Castellę, & Lusitanię, palam & notorium est.

SVMMARIVM.

1 *Edicto vt vocentur concurrere volentes in collatione parochialis, vt præcipit sacrum Concilium, nisi in locis in quibus synodus prouincialis id postea statuit, non cogitur Episcopus.*

## CONSILIVM IIII.

QVÆRITVR, an vacante parochiali ecclesia teneatur Episcopus per decretum Concilij Tridentini proponere edictum publicum.

1 Respondeo, quod non cogitur Episcopus, licet multùm deceat, proponere edictum publicum, per prędictum Concilium: quia id non præcipitur in illo, nisi per synodum prouincialem fuerit id post illud statutum, vt in plerisque locis est factum, sed tenetur nominare plures, nec potest impedire, ne alius vel alij possint nominare intra decem dies examinandos, quos tenebitur examinare per se, vel vicarium suum, & alios examinatores, vt palam ex præfato [a] Concilio Tridentino colligitur.

a Ca. 18. sess. 24. de refor.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium ecclesiasticum non est illud, quod sine Episcopi auctoritate reperitur institutum, seu quod à sola potestate laica sine iudicis Ecclesiastici interuentu potest auferri.*

2 *Sacerdotium tenetur assumere is, cui ob defectum sacerdotis data fuit capellania sacerdotalis, etiamsi non sit verè beneficium.*

3 *Defunctorum voluntatem non commutat Episcopus, sed supremus princeps, modo adsit causa.*

## CONSILIVM V.

QVIDAM testator fundauit sine auctoritate vlla Ecclesiastica capellaniam: & voluit, vt in ea institueretur ad præsentationem patroni ille, qui ex familia sua reperiretur in sacerdotio, possetque amoueri à dicta capellania ex causa ab eodem patrono. Accidit, quod vacante dicta capellania nullus ex dicta familia inuentus est, qui esset sacerdos. Quæsitum est primò, an possit institui alius ex dicta familia, qui non esset sacerdos. Secundo, an ordinarius possit super hoc dispensare.

1 Ad respondendum quæstionibus propositis, præsuppono primò præfatam capellaniam non esse beneficium Ecclesiasticum, vt in casu simili antehac respondimus, quia non est erecta auctoritate iurisdictionis Ecclesiasticæ, sed solùm auctoritate priuata laica testatoris, qui ratione sui patrimonij eam constituit, sine vlla auctoritate ordinaria, vel delegata, iuxta ea, quæ notantur in cap. *cum dilectus.* [a] & quia constituta fuit eo modo, & ea conditione, vt patronus posset capellanum tollere à præfata capellania ex causa, quæ sibi legitima videretur: quod fieri non poterat, si capellania fuisset beneficium Ecclesiasticum, quoniam illud, saltem si est sæculare, non potest auferri, si causa per Ecclesiasticum iudicem cognita: quia talia sunt perpetua, iuxta cap. *inuentum.* [b]

2 Secundo, præsupposito eo quòd prædiximus, respondeo ad primam quæstionem, quod nominatio prædicta, à præfato patrono facta, est valida: quia præsentatus est de parentela fundatoris, & est clericus habens qualitates requisitas ad nominationem per clausulam fundatoris, cùm non inueniatur in parentela presbyter, nec alius constitutus in ordine sacro, sed præfatus nominatus peccabit acceptando eam sine proposito efficaci assumendi presbyterium, & residendi eo modo, quo iussit testator, quia erit capellanus verus, & obligatus ad assumendum presbyterium, cum iam iustam habeat ætatem: & non sufficit ei tantùm alius ordo sacer, & obligatur ad residentiam personalem.

3 AD SECVNDAM respondeo, quod ordinarius non habet potestatem mutandi voluntates defunctorum, [c] & per consecutionem non posset ordinarius, etiamsi esset Episcopus, præfatam dispensationem facere.

AD TERTIAM, quæ implicitè videri potest queri, scilicet, an Papa possit iustè dispensare super hoc, & an id iuste possit ab eo peti, respondeo quòd non, nisi iusta causa ad id accesserit: quoniam licet Papa, & Princeps non recognoscens superiorem possit voluntates defunctorum sibi subditorum in rebus sibi subditis mutare iusta de causa, per ea quæ latè notantur in d. *clem.* & in cap. *quæ in ecclesiarum.* [d] & in l. 1. [e] adiunctis allegatis per eius glossam, [f] id tamen fieri debet iusta de causa: quia morientibus liberà est de rebus suis ordinandi facultas. [g] Salua, &c.

a De iure patron.

b 16. q. 7. ca. satis peruersum. 56. dist.

c Clem. quia contingit. de relig. domib. cum ei concordantibus.

d De const.
e ff. de administr. rerũ ad ciuitatẽ pertinent.
f Et in l. legatam. eod. tit.
g Leg. 1. C. de sacros. ecclesijs.

SVMMARIVM.

1 *Missam quotidie dicere non tenetur capellanus prouisus de capellania instituta cum onere dicendi Missas indefinitè.*

1 *Obligatio celebrandi non inducitur ex eo, quod capellanus putans se sic obligatum, quotidie etiam per viginti annos celebrauerit.*

2 *Missam quotidie dicere ex fundatione capellaniæ obligatus, excusatur, si omni hebdomada ex causa honestatis, vel deuotionis augendæ, semel & aliquando bis omittat, cùm talis obligatio intelligatur, vt toties celebret, quoties honestè & deuotè potest. num. 2.*

CONSILIVM VI.

RELIQVIT testator bona reddentia 830. solidos annuos pro vna capellania ad dicendas Missas, non expresso numero earum, quas teneretur dicere capellanus: & qui eam accepit, dixit annis viginti quotidie Missam, putans se teneri ad celebrandum quotidie. Estque constitutio synodalis, quæ dictat, eum qui tenet capellaniam non reddentem vltra 500. solidos, teneri ad dicendum vnam Missam in hebdomada pro singulo centenario solidorum. Quæritur an prædictus capellanus teneatur ad celebrandum quotidie, eo quod viginti annis ita celebrauit.

1 Respondeo primo, quod prędictus capellanus non tenetur ad celebrandum quotidie, eo solo, quòd celebrauit quotidie viginti annis. Tum quia ipse non se intendit obligare ad maius onus, quàm sit illud, ad quod eum testator obligauit, & actus agentium non operantur vltra intentionem eorum. [h] Tum quia possessio 20. annorum non sufficit ad dicendam præscriptionem obligatoriam in rebus ecclesiasticis. [i] Tum quia soluens per errorem & ignorantiam repetit solutum. [k]

2 Secundo, quod non tenetur ad celebrandum quotidie per solam clausulam testatoris, quia id non expressit. Tertio, quod etiamsi expressisset vt quotidie celebraret, non tamen teneretur id facere, per ca. *significatum.* [a] Quarto, quod per prædictam constitutionem videtur teneri ad celebrandum, quoties honestè & deuotè id facere poterit. Tum quia constitutio habet, aut certe clarè significat teneri capellanos ad celebrandum semel in hebdomada pro centenario centum solidorum reditus capellaniæ, & ad celebrandum quinquies in hebdomadas, qui habet capellaniam reditus 500. Tum quia licet ipse non teneatur ad dicendum vnam in qualibet hebdomada pro quolibet centenario solidorum annuorum, cum si ad id teneretur, oporteret eum dicere octo saltem Missas in hebdomada, quod non potest: tenetur tamen dicere, quod potest deuotè, & honestè, per dictum cap. *significatum.* [b]

3 Quintò, quod potuit ipse tempore præterito excusari, & etiam nunc omittendo vnam, vel interdum alteram Missam in hebdomada, modo id non faciat causa voluptatis, vel curiositatis, vel cupiditatis ludendi alea, tempore quo illam dicturus erat, sed causa honestatis, aut augendi deuotionem, vel alia simili, ob notata vbi supra. Salua quæ iustior, &c.

h L. in agris. ff. de acquiren. rerum. dom. c. fin. de præben.
i Ca. de quarta. cum ei adnot. de præsc.
k Leg. 1. ff. de condictione indebiti.

a Cum ei adnot. de præb.

b Et ei adnotata.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium ecclesiasticum debet esse & perpetuum & Ecclesiastica auctoritate fundatum, nec sufficit, quod instituatur ab Episcopo, si de priuatis bonis vti à priuata persona instituatur.*

2 *Nominatus ad beneficium sacerdotale ætatis ad suscipiendum presbyterium esse debet, & in proximis temporibus ordinari.*

CONSILIVM VII.

DE capellania sacerdotali relicta cum iusto salario, & facta facultate hæredi præsentandi, & etiam destituendi quando volet.

1 Ad quæstionem præfatam respondeo primò, hanc capellaniam, quam testator appellat beneficium presbyterale, non esse propriè beneficium Ecclesiasticum: quia non est perpetuum, nec auctoritate fundatum Ecclesiastica: quia potest tolli sine culpa & causæ cognitione: & beneficium Ecclesiasticum propriè dictum debet esse perpetuum, & auctoritate Ecclesiastica fundatum, [c] & nos post Petrum ab Ancharano [d] & Felinum [e] profundè tradidimus olim. [f] Nec obstat, quod testator, qui fundauit eam, erat Episcopus: quia non fundauit episcopali auctoritate, sed priuata, & communi laicorum, qua poterat vti bonis patrimonialibus vel quasi patrimonialibus vt post alios tradimus in tract. de reditib. ecclesiasticis [g] & probatur in cap. *quia nos.* [h]

2 Secundò, quòd capellanus nominatus à patrono debet esse ætatis legitimæ ad presbyteratum suscipiendum, & quod suscipiat illud in proximis statutis à iure temporibus: & non oportet quod sit actu presbyter, [i] quæ recepta sententia est in prædictis capp. Salua, &c.

c Ca. inuentum. 16. q. 7. & c. satis per uersum. 56. dist.
d In c. de regu. iur.
e In c. postulasti. de rescr.
f In rub. de præbend.
g q. 1. monit. 19. nu. 1.
h De testam. & 12 q. 3. ca. 1. & 2. & qu. 5. c. fixum.
i Ca. ei cui. de præbe. li. 6. & in c. 2. de inst. eod. lib.

SVMMARIVM.

1 *Beneficiorum sacerdotalium, si actu requirant sacerdotium, non sacerdoti facta collatio, nulla est, adeo vt possit declarari illa vacare, & condemnari collatarius ad restitutionem fructuum, ac etiam distributionum. nu. 3. alias sufficit quod collatarius habeat legitimam ætatem pro eo suscipiendo, num. 1. & 3. potest tamen cogi ad illud suscipiendum etiam per priuationem. num. 4.*

1 *Dignitates in collegiatis & cathedralibus obtinentes, si ordinem illis annexum non assumant, post annum amittunt vocem in Capitulo, & dimidium distributionum, etiam si horis intersint, & officium recitent. num. 3. & 5.*

2 *Intellectus Concil. Trid. sess. 22. cap. 4. non est, vt collatarius actu habeat ordines, & alias qualitates beneficio annexas, sed ætatem, & habilitatem ad hæc habendum.*

4 *Beneficia non perduntur ipso iure, nisi in casibus à iure requisitis, sed nec quis debet illis priuari, nisi ex magna & iusta causa.*

CONSILIVM VIII.

ECCLESIA collegiata B. Nicolai, quæ capella regia est ex fundatione & dotatione Caroli II. habet ex dispositionibus & ordinationibus dicti Caroli centum clericos, non computato Priore, sub cuius regimine dicti clerici persistunt. De quibus centum clericis 42. sunt

canonici

canonici, ex quibus vnus est thesaurarius, 28. dicútur clerici mediocres, & 30. clerici infimi. Insuper ex dispositione dicti Caroli ex dictis 42. canonicis thesaurarius, & 16. canonici sunt sacerdotes, diaconi septem cum cantore, & subdiaconi quinque cum succentore, eademque Caroli dispositione Prior in dextro choro superiori stallo sedet, thesaurarius verò in sinistro, & iuxta Priorem in dextro cantor, & iuxta thesaurarium in sinistro succentor. Collationem verò tam prioratus, quàm canonicatum, thesaurarij, & cantoris, & succentoris dictus Carolus sibi reseruauit. Defuncto Priore tunc temporis dictæ Ecclesię collegiatæ, vacauit canonicatus thesaurarij, de quo fuit prouisus à Vicerege quidam Titius, qui dictum canonicatum resignauit in manibus dicti Viceregis, qui illum contulit cuidam Aemilio, reseruata ipsi Titio aliqua pensione: cuius prouisionis vigore fuit immissus in possessionem, sede adhuc Prioris vacante. Debet etiam dictus thesaurarius, tam ex forma constitutionis Regis Caroli, quam iuris communis, accedere ad omnes Horas canonicas diurnas, & nocturnas. Hodie per modernum R. D. Priorem extitit compertum, quòd dictus Æmilius thesaurarius non est sacerdos, nec recitat officium, nec scit illud recitare, nec ordinare, item non accedit ad Ecclesiam prædictis horis.

Quæritur, an dictus Æmilius canonicus & thesaurarius prædictus, stantibus præmissis, possit de dicto canonicatu & thesauraria à Reuerendiss. Priore priuari, & condemnari ad restitutionem fructuum per ipsum perceptorum. Nam videtur dicendum priuare eum, cùm licet habeat ætatem, non tamen habeat aliàs habilitates à dictis constitutas, & à iure requisitas circa sciétiam,[a] iuxta Concilium Tridentinum, [b] & per consequens non fecit fructus suos, & ad illorum restitutionem tenetur.

1 Ad solutionem quæstionis necessaria erat Caroli prędicti constitutionis copia, seu clausulę obligantis thesaurarium, & sexdecim canonicos ad presbyterium: quia illa obligatio potuit poni dupliciter. Primò, quòd hi, quibus sunt conferendi, debeant esse actu presbyteri tempore collationis. Secundo, quod habeant ætatem habilem ad suscipiendum presbyterium, iuxta notata in cap. *cui de non sacerdotali.* & cap. *ei cui.* [c] in cuius glossa [d] notat hoc Dominicus. Et si primo modo esset annexus ordo, collatio facta prædicto Æmilio non valuisset: si autem secundo, valuisset quidem, sed post annum perderet suffragium, siue vocem in Capitulo, dandam, & dimidium distributionum quotidianarum. [e]

2 Secundo, quod prędictum [f] Concilium Tridentinum non videtur obstare proximo dicto, quatenus sub fine innuit, quod collatio dignitatum, personatuum, & aliorum beneficiorum Ecclesiarum cathedralium, & collegiatarum in posterum facienda non valeat, nisi iustam ætatem & alias habilitates ad id requisitas habeant, non inquam obstare videtur, quia non statuit, quòd debeant habere actu ordines, vel alia, sed debeant habere ætatem, & habilitates ad habendum ea, quod videtur praxis Curiæ seruare: conferuntur enim in ea passim dignitates prædictæ, & alia beneficia Ecclesiarum cathedralium, & collegiatarum non habentibus actu ordines, quos ea requirunt, modo habeant ætatem iustam, & alias qualitates requisitas ad hoc, vt sint habiles ad eos accipiendos.

3 Tertiò, quòd si prędictę thesaurarię ordo presbyteratus est annexus primo dictorum modorum, idest, quòd is cui conferenda est illa, debeat esse actu presbyter, prædictus dominus Prior potest declarare ipsum nec esse, nec fuisse thesaurarium, immo toto tempore, quo illam tenuit prædictus Æmilius, vacasse, & nunc vacare. Potest etiam condemnare ad restitutionem omnium fructuum, & distributionum quotidianarum ab ipso perceptarum, eo quod sine vllo titulo canonico eam tenuit, & tenet, contra cap. 1. [g]

Quartò, quòd si prædictæ thesaurarię ordo presbyterij est annexus secundo modo prædicto, prædictus dominus Prior potest eum declarare non habere vocem in Capitulo, & perdidisse, ac perdere dimidium distributionum quotidianarum etiam diebus, quibus interest diuinis officijs, & quibus recitauit Horas canonicas, & condemnare ipsum ad restituendas eas, per d. clem. [a]

4 Quintò, quòd prædictus dominus Prior potest prædictum dominum Æmilium cogere ad addiscendum modum recitandi Horas, si nescit, sub pœna priuationis thesaurariæ, quia qui habet beneficium Ecclesiasticum, & nescit ea, quæ illud requirit, tenetur illud in vtroque foro relinquere, aut discere illa quæ illud requirit ad iustam illius administrationem, iuxta Panormitanum receptum[b] & fundatum per l. *idem iuris.* [c] & latius tradita à nobis capit. *si quando.* [d]

Sexto, quod si collatio thesaurariæ facta prædicto Aemilio, ipso iure valuit, licet forte iniusta fuerit, non debet tamen ea priuari, si monitus vult discere modum recitandi horas canonicas, & alia suo necessaria officio, & facere illa, quæ illud requirit, quia beneficia ecclesiastica sunt perpetua, & non perduntur ipso iure, nisi in casibus in iure expressis, argum. glossę solemnis [e] & non debent tolli per sententiam iudicis sine graui & iusta causa. [f]

5 Septimo, quod prædictus dominus Prior potest condemnare prædictum Æmiliũ ad restitutionem omnium fructuum perceptorum pro tempore, quo non recitauit Horas canonicas, per [g] Concilium Lateranense & per extrauagantem Pij V. quorum tenorem posuimus in Manua, [h] & ad distributionum quotidianarum restitutionem pro tempore, quo non interfuit diuinis, etiam si in eo recitasset horas, per capit. 1. [i] & etiam ad restituendum dimidium distributionum perceptarum post annum suæ promotionis, etiam pro tempore, quo interfuit diuinis, & recitauit Horas, per clem. [k] Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Commenda duplex, perpetua, & temporalis: per primam acquiritur titulus, & fructus, potestásque faciendi, quicquid potest titularis, præter excepta in literis cõmendæ: at per secundam nec acquiruntur fructus, nec ius in beneficio, nec est prælatus, sed procurator cũ legitima administratione beneficij. 2.*

3 *Dispensatio ad vnum beneficium obtinendum expirat eo ipso, quod talis obtinuit commendam, si sit perpetua, aliàs non.*

## CONSILIVM IX.

AN dispensatio ad vnum beneficium expiret per acceptationem alterius collati in commendam?

1 Respondeo primò, duplicem esse commendam, vel collationem beneficij in commendam factam: alteram temporalem, de qua disponit cap. *nemo deinceps.* [l] & etiam illa, per quam beneficium litigiosum commendat ordinarius alicui, vt seruiat ei lite pendente, iuxta notata in capit. 2. [m] & per quam hodie post Concilium Tridentinum [n] commendatur Ecclesia parochialis per viam vicariæ, donec illi de rectore prouideatur, & per quam Papa solet aliquando beneficium sibi reseruatum vacans commendare alicui, donec ipsum alicui conferat, de qua loquitur Dominicus. [o]

2 Altera est perpetua, per quam Sedes Apostolica confert beneficium in commendam quo ad vitam commendatarij, de qua loquitur cap. *illud*, & cap. *qui plures.* & [p] Panormitanus [q] & alij, quos refert Decius [r] & latius Ludouicus Gomezius [s] in quibus locis resoluit, quod huiusmodi commendæ perpetuæ, quæ causa ętatis passim fiunt per Sedem Apostolicam, habentur pro titulis legitimis, & commendatarij habentur pro prælatis, & faciunt fructus suos, & possunt facere, quicquid possunt titulares, exceptis ijs quæ per literas commendatorias excipiuntur.

Secundo, quod commenda temporalis ad certum tempus facta non dat ius in beneficio, nec commendatarius facit fructus suos, neque est prælatus beneficij, sed procurator, habens tamen legitimam administrationem, vt determinat Dominicus [t] post DD. de Rota, quem sequitur Ludouicus Gomezius. [v]

3 Tertio, quòd ex his infertur respondendum esse quęstioni D. consulentis per distinctionem, scilicet, quod si præfatæ commendæ erant temporales, non fuit per illas extincta dispensatio, si autem perpetuę, sic, nam prędictus Ludouicus [x] ait post Collectaneum, quod cap. 1. [y] habet locum in commenda perpetua. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Beneficia plura personalem residentiam non requirentia, vsque ad competentem tantùm sustentationẽ, licitè conferri possunt,*

secus si

---

Marginal notes (left column):
a Cap. 4. sess. 22.
b In fin.
c De preb. li. 6.
d 2. nu. 11. & 12.
e Per Clem. vt ij qui. 2. respõ. de ætate & qualit.
f Cap. 4.
g De reg. iur. lib. 6.

Marginal notes (right column):
a Vt ij qui. 2. responso.
b In cap. venerabilis. de preb.
c ff ad leg. Aquil.
d De rescrip. & capi. inter verba. 11. qu. 3.
e Cap. fin. de iur. patron.
f Ca. inuentum. 16. q. 7. & c. satis per uersum. 56. dist.
g §. statuim⁹. sess. 9.
h Ca. 25. nu. 122.
i De cler. non resid. lib. 6.
k 2. responso 2. de ætа. & quali.
l De elect. l. 6.
m Vt lite pendente. li. 6.
n Sess. 24. ca. 18. de refor.
o In d. ca. nemo deinceps. nu. 6.
p Capi. relatio. 21. q. 1.
q In c. querelam. de elect.
r In c. quoniã Abbas. de offic. deleg. & in ca. edoceri. de rescrip. sub finem.
s In regu. de infir. resig. q. 13. & de triẽ. poss. q. 5.
t Vbi supra.
v In locis supradictis.
x In prædicta reg. de trien. q. 5. pag. 13.
y De filijs presbyt. lib. 6.

*ſecus ſi excedant, poſſuntq́; cogi beneficiarij vt ſuperflua reſignent.*

*1 Intellectus Concilij Tridentini ſeſſ.24.c.17.de reformat.*

## CONSILIVM X.

QVæritur, an quis poſsit habere plura beneficia nõ requirentia reſidentiam perſonalem.

1 Reſpondeo, quòd eſt tutus, modo talia beneficia non requirant reſidentiam perſonalem, & requirantur ad honeſtam ſuſtentationem illius, qui ea obtinet: immo & valet collatio ei facta de alio beneficio ſuperfluo ipſo iure, licet peccaret retinendo illud cum aliis, & cogi poſſet relinquere illud, aut aliud, vel alia ex eis, donec redigeretur ad ſufficiens vel illa plura quæ illi æquipolleret: quia hoc licebat iure antiquo, quod non eſt mutatum per præfatum Concilium, & ita ſtandum eſt illi. [a]

a Le.præcipimus.C.de appellat.

### SVMMARIVM.

*1 Beneficium ſeu præſtimonia plura ante Concilium obtenta, & iuſtam ſuſtentationem excedentia, ſi ſuperflua pauperibus dẽtur, retineri poſſunt, ſecus de poſt obtentis: quia vno vel duobus, quod vel quæ ſufficiant, retentis, reliqua ſunt dimittenda.*

*2 Penſio etſi non dicatur beneficium ſtrictè, tale tamen eſt præſtimonium.*

## CONSILIVM XI.

QVidam habẽs plura beneficia ſimplicia, & præſtimonia, quam ſuæ ſuſtentationi honeſtæ requirantur, quærit quid facere debeat.

1 Reſpondeo, quòd multùm refert an conſulens obtinuerit prædicta beneficia ante Concilium Tridentinum, an poſt illud: quia ſecundum opinionem Cardinalis, [b] quam ſemper ſoleo ſequi, & late explicaui in repet.cap. *ad hæc*, [c] & retuli in Manua. [d] poteſt ea tenere, modo non plus in ſe ſuſtentando, quàm requirit decentia ſuæ perſonæ, & reliqua piis operibus impendat. ſi verò ea obtinuit poſt Concilium Tridentinum non poteſt retinere niſi vnum illorum, vel duo, quod vel quæ ſufficiant ſibi honeſte ſuſtentando, per Concilium Tridentinum, [e] etiam ſi ſint ſimplicia, & compatibilia.

2 Et licet penſiones ſtrictè non dicantur beneficia eccleſiaſtica, præſtimonia tamen talia ſunt, vt Panormitanus receptus determinat, [f] Felinus. [g] Quantum vero ſufficiat ad honeſtam ſuſtentationem conſulentis, ipſe viderit, cõſultis viris prudentibus, & Deum timentibus: ſuper quo videre poterit quæ nos poſt multas conſultationes ſcripſimus in miſce.62. [h] Salua, &c.

b In clem.gratiæ.de reſcri.
c De præben.
d Ca.25.nu.128.
e Seſſ.24.ca.17.de refor.
f Conſi.47.par.2.
g In c.poſtulaſti.de reſcr.
h De oratio.per totum.

### SVMMARIVM.

*1 Obtinens plures parochiales ſine diſpenſatione, fit inhabilis ad illas, & alia quæcumque beneficia obtinenda, & vltimo loco adeptæ reſeruantur collationi Papæ, & collatio facta de illis ab ordinario eſt nulla.*

## CONSILIVM XII.

QVidam A. obtinuit tres parochiales Eccleſias à S. Sede Apoſtolica, & intra annum ad presbyteratum nõ ſe fecit ordinari, & nihilominus eas retinuit, poſſedit, & fructus earum percepit 10. annis. Quæritur an incurrerit inhabilitatem ad aliquam illarum obtinendam, & an ordinarius illas renunciatas in manibus eius poſsit conferre alicui.

Reſpondeo, quòd hæ duæ quæſtiones ſunt graues, & quarum deciſio requirit hominẽ maiori otio, quàm quod eſt mihi, fruentem, præterquam quod votis meis ex parte repugnat illarum digna tractatio. Pro reuerentia tamen, qua ſum in eum, qui mihi eam imperat, hæc pauca reſpondeo. Primò, eſſe diſtinguendum an præfatus A. obtinuiſſet eas cum Papæ diſpenſatione, an verò ſine illa. Secundo, quòd ſi abſque diſpenſatione obtinuit eas, fuit factus inhabilis ad illas, & alia quæcumque beneficia obtinenda, per extrauag. *execrabilis*. [i] Et quod poſtremo loco adeptæ fuerunt reſeruatæ collationi Papæ ſecundum gloſſam Zézelini, quam habet extrauagans Ioan.xxij. quam & nos ſequimur in repetit.c. *accepta*. nuper Romæ impreſſa, [k] licet gloſſa Gulielmi, quam habet inter extrauagantes communes, putet etiam alia eſſe reſeruata, & conſequenter ſolus Papa potuit prouidere de illis, & collatio facta de illis ab ordinario fuit nulla.

i Ioan.xxij.§.porro.de præben.
k In ſolutio.10.oppoſi.nu.31.de reſtitu.ſpol.

### SVMMARIVM.

*1 Beneficium ſimplex ſufficiens habens, ſecũdum ſimplex licitè quidem & ſine peccato retinere non poteſt, per adeptionem tamen ſecundi non inducitur vacatio primi. nu.3. & hæc eſt cõmunis. num.4. licet Innocentius & quidam alij contrarium putauerint, nu.2. niſi quando ſecundum eſt primo vniforme, & ſub eodem tecto, nu.4. vel in eorum fundatione aliter ſit ſtatutum, vel ſit regulare, nu.5. vel agatur de expectatiuis. nu.1. quarũ ius cùm ſit ad rem, facilius perditur. nu.7. ſed nec per Concilium Tridentinum inducta fuit in beneficiis ſimplicibus talis vacatio. num.6.*

*3 Pœnam priuationis aliquem ipſo iure incurriſſe non eſt dicendũ, niſi id ſit expreſſum in iure.*

*5 Vacatio beneficiorum ipſo iure non facilè extendenda eſt ab vno caſu ad alium.*

## CONSILIVM XIII.

AN habens vnum beneficium ſimplex, ſi acquirat alterum ſufficiens; perdat ipſo iure prius?

1 Pro parte affirmante facit in primis, quod omne beneficiũ, quod eſt ſufficiens alicui, eſt incompatibile cuilibet alij, quãlibet ſimplici & paruo, quoad ipſum qui habet illud, iux.glo. ſingularẽ & receptã, [a] quę habet peccare mortaliter eũ, qui habens beneficiũ ſufficiens, retinet alterum: cuius ſententia redacta eſt in canonem à Concilio Trid. [b] & habens incompatibile beneficium perdit illud per adeptionem alterius incompatibilis, [c] per locum à ſimili, vel identitatis, vt ita dicam, rationis. Secundo, quod clem. *gratiæ*. [d] habet habentem expectatiuã ad aliquod beneficium perdere illam per adeptionem alterius incõpatibilis illi, & per prædictum Concilium Tridentinum omne beneficium ſufficiens alicui eſt incompatibile cuilibet alij quãlibet ſimplici quo ad ipſum, vt prædictum eſt, vt etiã nos aſſeruimus in miſcell.61. [e]

2 Tertio facit opinio celebris Innocentij, [f] quam videtur ſequi gloſſa pręfata, [g] ſuper qua Barbatius dixit illã eſſe veriorem quam contrariam, & eam ſequitur Rebuffus, [h] qui, [i] in ſpecie videtur quæſtionis huius partem affirmatiuam aſſerere. Quarto facit deſiderium illud ſanctum, quod traxit Rebuffum in hanc ſentẽtiam, ſcilicet vt refręnarentur à pluralitate beneficiorum, qui ad eam aduolant: ob quam certè cauſam ipſe quoque vellem hanc partem eſſe iuridicam. [k]

3 Quibus tamen non obſtantibus tenenda videtur pars negans, ſcilicet, quod non perdit ipſo iure, ſed quòd per ſententiam cogi poſſet relinquere alterũ. Primò quidem, quòd non eſt dicendum aliquam pœnam ipſo iure in aliquo caſu incurri abſque iure, quod expreſsè id ſtatuat, iuxta gloſſam celebrem & receptam, [l] pro qua eſt aptus textus in authen. [m] At nullum ius Pontificium hoc hactenus ſtatuit: ergo, &c. Secundo, quod pœnæ non ſunt extendẽdæ ad aliũ caſum, [n] etiã ex ſimilitudine rationis, immo nec ex identitate rationis etiam omnimoda, ſecundum gloſſam ſingularem & receptam, [o] & reſolutionem D. Antonij, [p] & Dominici & Peruſini, qui alios multos referũt ſuper dicta glo. niſi occurrat aliquid aliud de eis, quæ ponũt Dominicus & Peruſinus ibidem. At nullus canon inuenitur, qui pœnam perditionis ipſo iure infligat in hoc caſu, nec alio huic ſimili, & cuius eadem omnino ratio habeat locum in hoc, & minus quod cum omnimoda ratione cõcurrat aliquod aliud ad talem perditionem requiſitum: ergo non eſt facienda.

4 Tertio, quod communis opinio contra Innocentium in hac re ſatis vacillantem, [q] & Immolenſem, [r] tenet, quod vnum beneficium ſimplex non vacat ipſo iure per adeptionem alterius, niſi ſit vniforme ſub eodem tecto, iuxta caſum ſingularem. [s] Quarto, quod etiam ſi nec Panorm. cuius opinio eſt communis, neque alius præfatam concluſionem aſſereret, cogeremur tamen aſſerere per prædictas rationes irrefragabiles, & per cap. *præterea*, [t] etiam per locum ab ſpeciali, [v] quibus non poteſt reſponderi, niſi à regulis iuris ſine efficaci ratione deuiãdo. Quinto, quod hãc opinionem Panormitani communem vidi firmiter ante quadraginta annos teneri perlegendo, diſputando, & cõſulendo in quatuor Academiis celeberrimis, ſcilicet Tholoſæ, Cathurci, Salmãticæ, & Conimbricæ: nec in tota ætate mea vidi, nec audiui cõtrariũ ſeruatũ in Vrbe, nec in

a In c.dudũ.2.de electio.ver.retinere.
b Seſſ.24.ca.17.de refor.
c Ca.de multa.de præb.
d De reſcrip.
e De oratione.
f In ca.fin.de cler.nõ reſid.
g Clem.gratiæ.
h In praxi beneſ.tit.de diſpenſatione ratione ætatis nu.6.
i Num.7.
k Arg.c.quia initium.& c.cum iam dudũ.de præbe.& principij extraua.Ioãnis.xxij.
l In ca.fin.de iur.patro.
m De non eligendo ſecũdo nubentes.§.cũ igitur.ſub fin.verſ.ſicut ſi patres.& in l ſi quis.ff.de relig.& ſumptibus.
n Cap.pœna.de pœnit diſt.1.l.præſes.ff.de pœnis.
o In c.1.ver.Italiæ.de tempo.ord.lib.6.
p In ca.fin.de conſuetud.
q In c.de multa.de præbe.
r In ca.fin.de cler.nõ reſid.
s In c.literas.de cõceſ.præb.& clem.fi.de præb.
t Et c.referẽte.& cap.de multa per locum ab ſpeciali, de præb.& per d.cap.literas.
v De conceſſ.præben.

orbe,neque ex hoc capite impetratum esse beneficiū simplex alicuius tamquam vacans iure communi. quod addo propter aliqua beneficia simplicia,in quorum fundatione particulariter statutum est,vt vacent alio quocumque beneficio quæsito.

5 Sexto,quod esto ius commune habeat beneficia, quæ sunt incōpatibilia propter suam naturam intrinsecam & principalem,quia sunt regularia, vel requirentia residentiam personalem, vacare propter alterius assecutionem, multum esset circumspiciendum an esset extendendum, cùm sit pœnale,ad casum nostrum,in quo beneficium sufficiens non est ob suam naturam principalem incompatibile minus sufficienti,sed per accidens,& minus principaliter,eo quod sufficit ei, qui habebat illud insufficiens:cū ea quæ per accidens, ac minus principaliter contingunt, non sint attendenda,arg.l.*si quis nec causam*,[a] & multorum, quæ per Iasonem ibi congeruntur,aut certè saltem minus quam quæ principaliter aguntur, vt eruditissimus Alciatus eruditè ibidem dixit.Septimo,quod quærenda est pax, & fugiendæ lites,iuxta prooemium Gregorianum,& illud Apostoli:*Mutuam & continuam charitatem inter vos habentes:* & si S.D.N. declararet partem affirmatiuam esse veram, innumeræ lites orirentur impetrantibus pauperioribus beneficia multorum ditiorum,qui profectò palam cū beneficiis sufficientibus retinent alia minora vbique gentiū.

a *ff.de rebus. cred.*

6 Octauo denique,quod qui tenuerit partem affirmatiuam esse veram, cogetur per prædictum Concilium Tridentinū tenere,quod etiā ante Cōc. Trid. solebat vacare: quia ante illud erat peccatū mortale retētio insufficientis cū sufficienti, iuxta prædictam glo.singularem receptam, quod tamen nemo vnquam,vt arbitror,ante illud dixit.

Ad primum oppositorum respondetur concedendo assumptum,scilicet quod omne beneficium sufficiēs est incompatibile alij quamlibet simplici: negando tamē quod omne beneficium incōpatibile vacet ipso iure per adeptionem cuiuslibet alterius incompatibilis ei:quia illa pœna nullo iure hactenus imposita est, per prædicta: & iure mirari licet de Andrea Siculo,& Rebuffo, qui tantopere suam opinionem fundauerunt in d.c.*de multa.* Tum quod de solis ecclesiis parochialibus, dignitatibus, personatib. & officiis statuit, in quibus longè maior ratio illā pœnam statuendi occurrebat.Tum quod per locum ab speciali irrefragabili contra ipsos retorqueri potest.Tum quod pœnæ extra suum casum nullatenus extendi debent, per prima duo fundamenta pro parte negante adducta.

7 Ad secundum respondet Pan.recept.[b] quod prædicta clem.*gratiæ*.non loquitur de beneficio iam quæsito,sed de quærendo,& ita de iure ad rem,& non de iure in re.& illationē ab altero illorum ad alterum esse infirmam,palam est vel ex eo,quòd monachus & seruus possunt domino & monasterio in altero præiudicare, & in altero non, iuxta Innocentium [c] & Bald. [d] At tertium respondetur primo, quod Innocentius non firmiter asserit id quod dicit,sed solùm per verbū *videtur*; & merito:quia nullo firmo fundamēto nititur,solū enim citat notata in c.*ex tuæ*, [e] cui⁹ tamē glo. [f] clarè significat,& per sequentē §.efficaciter probat illius cōtextū nō agere de priuatione ipso iure,sed per sententiam.Secundo,quod opinio Innocentij etiamsi esset asserta,tamen cùm eam tamquam doctor scripserit, nil impedit quo minus per firmos textus & rationes discedamus ab eo,[g] etiam si suam constitutionem declararet exēplo Hostiensis.[h] Ad quartum respondeo, laudandum esse zelum Rebuffi,& adeo quidem,quod ante sesquiānū proposui persuadere Reuerendissimo Datario libellis supplicibus,vt adderet hanc iuris vacationem, sed non fui ausus propter timorem multitudinis litium inde gignendarum, in qua fundo vltimum argumentum pro parte negāte factum.Per quæ omnia credo firmiter, attento iure hactenus statuto,partem negantem esse veram,& non fore vtile paci Reipub.Christianæ partem affirmantem nouē statuere.Salua,&c.

b *Vbi supra.*

c *In cap.cum olim. de priuileg.*
d *In l. seruis. C.de pactis.*
e *Eod.tit.*
f *In verb.expoliari.*

g *Arg.c.capellanus. de ferijs.*
h *In cap.1.de concess. preb. lib.6.*

*SVMMARIVM.*

1 *Possidens archidiaconatum litigiosum,illud perdit, si postea acquirat titulum & pacificam possessionem alterius similis non litigiosi:& si contendit retinere vtrumque, efficitur execrabilis,secus autem,si primo obtinet titulum non litigiosi, & postea titulum & possessionem secundi litigiosi, & demum pacificam possessionem primi non litigiosi.*

2 *Dimittens quis beneficium litigiosum, siue non litigiosum, quod credebat vacare per assecutionem secundi incompatibilis bona fide adepti, si postea detegat se de secundo non esse sufficienter prouisum,potest ad primum redire.*

## CONSILIVM XIIII.

QVidam N.de mense Februarij 1561.impetrauit à Sede Apostolica vnum archidiaconatum cuiusdam cathedralis cum pluribus aliis beneficiis simplicibus: postmodum,videlicet de mense Octobris 1562.fuit etiam prouisus per ordinarium de alio archidiaconatu alterius cathedralis,& statim possessione illius habita,fuit sibi mota lis. expeditis autem literis super dicto primo archidiaconatu habuit possessionem pacificam illius,& etiam fructus,quā adhuc continuat, proût etiam continuauit possessionem dicti archidiaconatus litigiosi vsque ad annum 1570.

His stantibus,quæritur an prædictus N. fuerit effectus *execrabilis*, ita vt vacent beneficia prædicta incompatibilia,quæ retinuit,ad hoc, vt etiam teneatur ad restitutionē fructuum? In quo pro affirmatiua videtur tenendum:quia per assequutionem secundi vacat primum, & per retētionem eorum vacant omnia. Non obstat quod dictus secūdus archidiaconatus fuit factus litigiosus : qui respondetur,quòd obiectum procederet, si possessio illius vltimo loco capta fuisset,sed mihi præsupponitur , quod postquā exponens possidebat archidiaconatū litigiosum, adeptus fuit possessionem dicti primi archidiaconatus pacificam, & non dimisit archidiaconatum litigiosum,prout dimittere tenebatur,ne fieret *execrabilis*:& si ille erat litigiosus, tantò libentiùs ab exponente dimitti debebat,illud enim de lite,quod excusat ab execrabilitate, procedit quando mouetur lis super beneficio postea obtento, illa ratione, quia cap.*de multa.*& extrauagans *execrabilis*, mandant dimitti primum beneficium,si quis velit assequi secundum, nec videtur honestum quòd ad dimittendum primum pacificum quis cogi debeat propter secundum litigiosum: quia hic posset vtroq; priuari, videlicet primo per dimissionem spontaneam, & secundo, si in lite succumberet: quod inconueniens cessat, quando primum beneficium dimittendum litigiosum existit. Nec etiam obstat, quod Camera possideret dictum primum archidiaconatum pacificè,antequam dictus exponens de dicto secundo archidiaconatu litigioso prouideretur, quasi quod tunc dictus exponēs diceretur possidere,&cōsequēter quod possessio archidiaconatus pacifica præcederet possessionē litigiosi: quia respondetur quod alia est possessio Cameræ, alia dicti exponentis,& negari non potest,quin dictus exponens habuerit possessionem post archidiaconatum litigiosum.

1 AD QVAESTIONEM & rationes pro parte affirmatiua propositas respondeo primò,quod certum est prædictos duos archidiaconatus duarum ecclesiarum cathedralium esse beneficia incompatibilia inclusa sub c. *de multa*,[a] quia per notata, [b] ab omnibus sunt dignitates vel personatus,de quibus illud tractat. Deinde, quòd facilè videri potest cuipiam,archidiaconatū secundo loco quæsitum vacasse per assequutionem possessionis pacificæ archidiaconatus prius habiti. Tum quia possessio pacifica vnius incompatibilis facit vacare ipso iure alterum, cuius tituli adeptio sine tali possessione ad illum effectum non sufficeret.[c] Tum quia licet beneficium prius pacificè obtentum non vacet ipso iure per obtentionem secundi litigiosi:tamen è contrario primum litigiosum vacat per obtentionem secundi incompatibilis pacificam. quæ est determinatio Innocentij ab omnibus recepta, [d] & in casu proposito prius fuit obtentum secundum litigiosum, quā pacifica possessio prioris.

a *De preb.*
b *Ibidem.*

c *Ca.commissa.de elect. li. 6. & extrauag. execrabilis. Ioann. xxij.*
d *In ca.in nostra.de rescri.*

Attamē maturius cōsiderando, cōtrariū videtur asserēdū:quia nullibi statuitur,vt incōpatibile prius obtētū non habita pacifica possessione vacet per adeptionē possessionis subsequutā post obtētionē secūdi litigiosi:& ita nō est

rendum,[a] præsertim quod nulla efficaci ratione id persuaderi potest.

Non obstant in contrarium allegata. Non primũ: quia licet de iure caueatur, quòd prius obtentum non vacet per secundum, donec eius pacifica possessio obtineatur, vt iura in eo allegata probant, tamen nec illa nec alia vlla probāt, quod adeptio possessionis pacificæ primi beneficij subsequuta post secundum obtentum litigiosum faciat vacare prius obtentum. Tum quia lõgè aliud est assequi titulum, & possessionem pacificam vnius incompatibilis post adeptionem alterius incompatibilis litigiosi, & aliud assequi titulum & possessionem pacificam vnius incompatibilis ante assequutionē alterius litigiosi: ergo iura pœnalia & odiosa, & ideo restringenda, iuxta regulam *in pœnis*, [b] quæ disponunt in hoc posteriori casu, non habebunt locum in illo priori: maximè quia lõgè maior ratio inuenitur in posteriori, ad hoc vt habeat locum illa pœna, quam in priori, facit glossa singularis, [c] quatenus habet numquam incurri amissionem iuris ipso iure, nisi id lege aliqua exprimatur. Non obstat etiam secundum, per ea quæ dicta sunt ad primum: & quia licet possessio pacifica requiratur ad hoc, vt vacet alterum incompatibile, non tamen illa sola sufficit, sed requiritur adeptio tituli, ratione cuius illa fuerit accepta.

2 Vnde si quis post obtentum vnum pacificum vel litigiosum, obtineat pacificam possessionem alterius incompatibilis, eo quod iustè putabat esse sibi ius in eo quæsitũ, & verè non erat, non vacabit prius, immo poterit ad illud redire sine alio nouo titulo, [d] ex qua determinatione colligitur decisio negatiua, videlicet quod archidiaconat⁹ litigiosus non vacauit ipso iure per possessionem alterius pacificam post litigiosi obtentionem, & quod nulla ex hoc capite obligatio ad restituendum quicquam oritur. Salua, &c.

a Arg. c. legatur. 24. q. 2. & §. considerremus. auth. de trient. & semiss. col. 3.

b Et reg. odia. de reg. iur. li. 6.

c Cap. fin. de iure patrona.

d Iuxta ca. si beneficia. cũ ei adnotatis, de præb. li. 6.

### SVMMARIVM.

*1 Dignitas est omne beneficium Ecclesiasticum, si habet iurisdictionem spiritualem fori exterioris.*

*2 Curatum est omne beneficium quod habet iurisdictionem spiritualem fori exterioris, vel interioris.*

*2 Abbatiam exemptam habentem iurisdictionem quasi episcopalē obtinens habet beneficium curatum, & spiritualem iurisdictionem nedum fori exterioris, sed etiam interioris animarum sui territorij, ac monachorum conuentus, si habet conuentum, requiriturq; iure communi residentia. nu. 4. non tamen est parochialis, si talem non habet parochiam, cuius animarum curam per se immediatè gerere debeat. nu. 3. vnde sub dispositione Cõcil. Trid. sess. 24. c. 17. continetur sub ea parte in qua loquitur de beneficiis requirentibus residentiam, sed non sub ea in qua agit de dimittendo alteram ex duabus parochialibus. nu. 5. & de iure per assecutionem vnius altera vacat. nu. 1.*

*6 Beneficiarij tenentur coram Deo iura Ecclesiæ defendere, & alienata recuperare: nec debent curare, vt iurisdictio illis imminēs in alios transferatur, ne ve retento commodo in alios onus reijciant.*

*6 Abbatiæ exemptæ, etiamsi earum iurisdictio transferatur in Episcopum, nõ desinunt esse beneficia regularia, & curata habitu, & etiam actu, si habent conuentum, sed nec debet Abbas procurare, vt cura transferatur in Episcopos.*

*7 Beneficia plura residentiam requirentia aliàs tamen iustè obtinens, bono vtetur consilio, si vno retento alia reseruatis sibi fructibus loco pensionis resignet valenti onus residentiæ subire.*

### CONSILIVM XV.

N. Habens plures abbatias exemptas, & habentes iurisdictionem spiritualem exteriorem, quęsiuit, an essent beneficia incompatibilia, licet non habeant parochias, ita vt requirant residentiam personalem, & comprehendantur sub dispositione Cõcilij Tridentini, [e] & an ad retinēdos reditus, debeat procurare, vt illarum iurisdictio detur Episcopis.

e Capi. 17. de refor. sess. 24.

1 Quæstiones propositæ licet duo tantùm expressè quęrant, plura tamen præsupponunt. Dico primo prædictas abbatias proculdubio esse beneficia incompatibilia contenta sub cap. *de multa*: [a] quia sunt dignitates, de quibus illud disponit. omne enim beneficium ecclesiasticum habens iurisdictionem spiritualem fori exterioris est dignitas, vt Innocentius, Panormitanus & alij [b] definiunt, & nos latè tradidimus in rubr. de præbendis. & prædictæ abbatiæ habent iurisdictionem fori exterioris non qualem qualem tantùm, sed quasi episcopalem, & exemptam ab alia iurisdictione episcopali, de qualem habente loquitur glossa singularis. [c]

2 Secundo, quod prædictæ abbatiæ sunt beneficia curata: quia omne beneficium ecclesiasticum habens iurisdictionem spiritualem in foro interiori vel exteriori dicitur beneficium curatum, [d] & prædictæ abbatiæ habent, vt habetur in facto, iurisdictionem spiritualem fori exterioris, immo habent etiam iurisdictionem fori interioris in monachos & religiosos suorum conuentuum, si habent conuentus, iuxta cap. *cum ab ecclesiarum*, [e] & etiam habent in animas omnium territorij sui talem, qualem Episcopi habent in animas parochianorum parochiarũ sibi subiectarum, habent enim iurisdictionem quasi episcopalem, vt dictum est.

3 Tertiò, quòd esto sint beneficia curata, non tamē sunt, nec debent dici Ecclesiæ parochiales: quia, vt habetur in facto, non habent parochiam, cuius animarum curam debeat Abbates earum per se immediatè administrare, quod requiritur ad hoc, vt aliquod beneficium dicatur Ecclesia parochialis, iuxta notata in c. *cum in cunctis*. [f]

4 Quartò, quòd prædictæ abbatiæ iure communi requirunt residentiam personalem. Tũ quia sunt beneficia quasi episcopalia, & habent territoria sibi tantùm, & non aliis Episcopis subiecta: & ita eadem ferè ratio, qua tenentur Episcopi ad residendum, obstringit etiam earum Abbates ad idem faciendum. Tum quia omne beneficium curatum requirit residentiam personalem, secũdum omnes, & etiā non curatum, si est regulare, quales sunt prædictæ abbatię, præsertim si essent monachorum nigrorum, per clem. *ne in agro*, [g] & est conclusio asserta à Felin. [h] de qua profundè nos nuper egimus. [i]

5 Quinto, quod ex prædictis sequitur, quod [k] Conciliũ Trid. non habet locum in casu proposito, quatenus disponit, quòd habens duas parochiales, alteram dimittat: quia hæ abbatiæ non sunt parochiales: immo nec etiam videtur habere locum, quatenus ait, vt habens duos episcopatus alterum dimittat: quia licet sint beneficia quasi episcopalia, & ferè eadem ratio militet in eis, quæ in episcopatibus: non tamen sunt verè & propriè episcopatus, ita vt sub illa constitutione pœnali contineantur, quamuis forte disputando teneri posset contrarium.

Sexto, quod ex eisdem sequitur locum esse in hoc casu prædicto cap. 17. quo ad partem, qua disponit ne cui in posterum plura beneficia conferantur, & etiam quo ad partē illam, qua videtur vetare, ne habenti vnum beneficium sibi non sufficiens, requirens residentiam, prouideri possit de alio beneficio requirente residentiam personalem. Nõ enim videtur quod habenti vnam istarum abbatiarum nõ sufficientem suæ sustentationi possit prouideri de alia, nõ derogando Concilio.

6 Septimo, quod prædictus N. nullatenus debet procurare, vt prædictarum abbatiarũ iurisdictio detur Episcopis. Tum quia id esset grande dedecus religionum, quarũ illæ sunt. Tum quod successores eius poterunt in eis residere, & specialem sui territorij curam habere. Tum quod id esset capere commoda, & onus abiicere, contra l. *secundum naturam*. [l] Tum quod omnis prælatus tenetur coram Deo ad iura Ecclesiæ suæ defendenda, & ad alienata recuperanda, quantò magis ad non destruendum, & non alienandum, iuxta cap. *sine exceptione*, [m] cum multis aliis. Tum denique quod licet iurisdictiones earum transferrentur in Episcopos, nihilominus manerent beneficia regularia, & curata habitu, & etiā actu, si cõuentus habent, immo fortè etiam ad procurandum eos habere, si non habent.

7 Octauo, quod modus conuenientior retinēdi reditus videtur esse, quod retineat vnam, quæ sit opulentissima illarum, & reliquas renunciet in fauorem aliquarũ personarum ad eas regendas idonearum, retinendo fructus earum pro pensione, certa quātitate pecuniæ reseruata titulariis,

a De præben.

b Ibidem.

c In clem. 1. verb. proprij. de rebus ecclesiæ non alienan.

d Cap. dudũ. 2. de elect.

e Et c. quanto. de offic. ordin.

f §. inferiora. de elect. & in c. licet canon. & c. statutũ. eod. tit. lib. 6.

g §. cæterum. & §. sane. ne cler. vel monach.

h In c. cũ omnes. de consti. col. 1.

i In ca. nullā. 18. q. 2. à nu. 43.

k Ca. 17. sess. 24.

l ff. de reg. iure. & ca. qui sentit onus. eod. tit. lib. 6.

m 12. q. 2. & ca. nulli. ca. si quis presbyt. de rebus eccle siæ non alien.

qui & abbatias regent,& supplebunt personam vicarij,& etiam poterunt supplere personam œconomi ad recolligendos,conseruandos,& vendendos tempore opportuno fructus: quas duas personas, vel vnam pro duabus,etiam retinendo titulum,oportet alere, & eis stipendia soluere: ita quod forte minor erit quantitas reseruata titulari, quã quod personæ prædictæ palam, vel clam sunt accepturæ: vel permutando eas pro beneficiis simplicibus, quæ residentiam non requirerent,qualia qui permutarent facilè in Hispania inuenirentur: multi enim honoris sui augendi gratia redituum diminutionem paterentur. Salua,&c.

*SVMMARIVM.*

1 *Beneficia simplicia sub eodem tecto tunc demum causant incompatibilitatem,quando sunt vniformia,alias non.Vnde parochus potest in sua ecclesia obtinere simplex beneficium.*

2 *Vniformia beneficia dicuntur illæ capellaniæ, quæ ad eumdem finem,& ad eadem munera,vel ad vnam congregationem faciendam sunt instituta:non erunt autem tales,si vna sit instituta ad dicẽdam separatim vnam Missam in vno altari, & alia ad aliud sacrum in alio altari.*

## CONSILIVM XVI.

AN si duo simplicia beneficia quis obtineat in duobus altaribus positis intra quamdam Ecclesiã parochialem,pro quorum vno tenetur secũdum diœcesanum Cõcilium celebrare duas in mense Missas,vnam verò pro alio altari,&c.dicantur incompatibilia?

Respondeo,quod prædictæ capellaniæ siue altaria non sunt incompatibilia.Tum quia generali Conc. Tridentino inductũ est,vt possit quis habere plura beneficia simplicia,quorum alterum non sufficit ad sustentationem habentis illud,iuxta c.*gratia*, [a] adiunctis gloss.& annotationibus Doct.& tradit Panorm.[b] & prædictæ capellaniæ,siue altaria sunt beneficia simplicia, quorum alterum non sufficit ad sustentationem habentis illud.

1 Tum quia licet plura beneficia etiã simplicia vniformia,vt duæ canonicæ,vel duæ præbendæ,sub eodem tecto existentia sint incompatibilia, [c] difformia tamen & dissimilia compatibilia sunt iuxta textum in c.*eam te*, [d] & satis probatur in d.c.1.[e] & prædictæ capellaniæ siue altaria sunt difformia,vt palam est,& mox dicetur.Tum quia Lapus, [f] latè concludit rectorem alicuius Ecclesiæ posse cũ rectoria siue suo beneficio curato retinere capellaniam intra eamdem Ecclesiam existentem: quem post alios sequitur Philippus Francus.[g]

2 Tum quia nõ obstat dicere,quod præfatæ capellaniæ, & altaria videntur esse vniformia,eo quòd simili nomine, scilicet capellaniæ nominantur: quia vt aliqua beneficia dicantur vniformia ad effectum incompatibilitatis, non sufficit quòd vno nomine generaliter appellentur: alioquin omnia beneficia simplicia essent vniformia,quia nomine beneficij simplicis nominantur: sed oportet quod eorũ munera & onera naturalia sint vniformia & similia, vt sunt duæ canoniæ, & duæ præbendæ eiusdẽ ecclesiæ, & capellaniæ,sed altaria prædicta nõ sunt in hoc modo vniformia:siquidem vnum est in vno loco,& alterum in alio situm,& vnum habet vnum onus,& alterum aliud.Tũ denique quòd licet capellaniæ multæ, quæ in aliquot locis sunt fundatæ ad cantandam vnam Missam in vna capella, & ad dicendas alias submisse in eadem ad eundem finem & intentionem fundatoris institutæ, & vt capellani conueniant in vnum, vt eadem munera faciant, possint dici vniformes instar canonicatuum & prębendarum, non tamen possunt dici tales capellaniæ, de quibus quæritur:quia non sunt institutæ ad vnum & eumdem finem, & ad eadem munera, & vnam congregationem faciendam,sed ad longè diuersa & separata,& à separatis nõ fit illatio. [h] Salua, &c.

a *De rescrip. li.6.& clem. gratiæ. eodẽ. tit.*
b *In repet.§. qui vero. ca. exstirpãdæ.de præbẽ.nu.33.*
c *Ca. literas. de cõcess.præben.clem.fin. de præb.ca.1. de consuet.li.6.*
d *De rescrip. ca.olim.de re iud.*
e *De consuet.*
f *Alleg.117.*
g *In cap.1.de consuet. li.6.*
h *L.Papinianus.ff.de minorib.& c.ad audientiam. de decim.*

*SVMMARIVM.*

1 *Beneficium simplex per alterius assecutionem,quod cum primo ea sola ratione est incompatibile, quod alterum sufficit ad sustentationem,vel quia vtrumque requirit personalem residentiam regulariter, nec de iure,nec ex dispositione sacri Concilij vacat.*

1 *Exorbitans à iure communi lex vel dispositio non trahitur ad similia,etiamsi subsit eadem ratio.*

2 *Correctio iurium vitãda,nec per subauditos intellectus inducẽda.*

2 *Intellectus c.4.sess.7.sacri Concilij Tridentini.*

## CONSILIVM XVII.

AN per adeptionem secundi beneficij,quod incompatibile sit cum primo, quia vtrumque personalem residentiam requirat,vel quia primum sit per se sufficiens,iuxta [a] Conc.Trid.vacet primum ipso iure ex [b] Conc.Trid.

Respondeo primò,subintellexisse me hanc quęstionem fuisse decisam ab illustrissima Illustrissim. Card.ad declaranda dubia sancti Concilij Tridentin.deputatorum Cõgregatione, quatenus dicũtur declarasse vacare beneficiũ simplex illius,qui postea legitimè obtinuit Ecclesiam parochialem & possessionem illius pacificam & canonicã.

1 Secundò,quod nisi eorum me auctoritas per S. D. N. de more probata in præfatam sententiam traheret,putarẽ de iure respondendum esse contrarium.Tum quia non est recedendum à iure antiquo,nisi cogente ad id nouo,[c] etiã si eadem ratio in vtroque casu inueniretur, vt ibidem adnotauit Bart.& probatur per l.*si vero*,[d] quæ probat prouisionem legis factam contra ius commune non extendi ad casus in ea non expressos:vbi etiam idem adnotauit Bart. cõmuniter receptus. At iure antiquo beneficia,etiam incompatibilia,propterea quod requirant residentiam personalem,vel ob aliam causam non vacant regulariter ipso iure, [e] præter illa de quibus in cap.*de multa*, [f] & aliquot aliis,de quibus id expressè statuitur. At nullo iure neq; antiquo,neque nouo statuitur,vt beneficium simplex vacet per adeptionem alterius curati,vel simplicis ipso iure extra prædictos casus. Tum quia non est dicendum aliquam pœnam ipso iure incurri,nisi casibus expressis à iure,iuxta glossam memorabilem,quæ penultima est c.vlt.[g] Tũ quia non obstat prædictum ca.4.[h] Partim quod non dicit illud expressè, & per tacitos intellectus non debet fieri iuris correctio,iuxta glossam solennem & receptam. [i] Partim quia illud c.solum loquitur expressè de curatis incompatibilibus generaliter, & sine correctione iurium antiquorum potest intelligi de dignitate & personatu non curatis,de quibus loquitur cap. *de multa.* quod ibi allegatur, & de quibusdam simplicibus,de quibus loquitur prædictum c.*literas.* [k] Partim quod verbum,*etiam*,in eo positum clarè significat noluisse Concilium includere ibi vacationem nouam ipso iure, sed veterem confirmare, & disponere, quòd beneficia incompatibilia, quæ per vetus ius vacabant,etiam per illud nouum vacent ipso iure.

a *Ca.17.sess.24.de refor.*
b *Cap.4.sess.7.de reform.*
c *Le.præcipimus.C. de appellat.*
d *§. de viro. ff.solut. matrimonio.*
e *Ca.referente.& c. præterea. cũ ei adnot. de præb.*
f *Eod. tit.ca. literas.de cõcessio. præbe. & clem.fin. de præbẽ. extrauag. execrabilis. Ioã. xxij.*
g *De iurepatronat.*
h *De refor. sess.7.*
i *In c.cupientes. §. quod si per viginti. de elect.li. 6.*
k *De concess. præb.& prædicta clemen. fin. de præbẽ.*

*SVMMARIVM.*

1 *Beneficia vniformia sub eodem tecto sunt quidem adeo incompatibilia,vt per assecutionem secundi vacet primum, secus tamen est de difformibus:immo & per assecutionem parochialis non vacat aliud simplex,quod quis in ea prius obtinebat, immo & potest vtraque ex consuetudine vel dispensatione, Episcopi retinere, nisi obstet consuetudo contraria per 40. annos ibidem præscripta.*

2 *Collationem beneficiorum habens potest ea conferre,etiamsi ex ipsiusmet persona resignatione,priuatione,vel aliter vacẽt.*

3 *Alternatiua mensium videtur etiam habere locum in beneficiis vacantibus per assecutionem secundi incompatibilis, vel aliàs.vnde cautè facit idem prouisus & collator,si differat in quantum de iure potest,& possessionem secundi accipiat in mensibus,quorum collatio ad ipsum spectat.*

3 *Possessionem beneficij collati accipere in quantum iure permittitur,differre quandoque expedit.*

3 *Possessor pacificus non dicitur quis,statim ac possessionem fuit assecutus,& hoc etiam ad effectum vt propter incompatibilitatem inducatur vacatio.nu.1.*

## CONSILIVM XVIII.

AN beneficium simplex Ecclesiæ parochialis vacet ipso iure per assecutionem ipsiusmet Ecclesiæ parochialis?

Respondeo primò,certissimum esse, quod præfatũ beneficium simplex non vacat per promotionem ad ipsam Ecclesiam parochialem, donec adipisceretur possessionẽ pacificam,vel per eum staret, quominus eam adipiscatur, argum.cap.*licet canon*, [l] per locum à fortiori.

1 Secundo,quod solo iure communi attento non vacat, etiam post adeptam pacificam possessionem. Tum quia nullo iure id cauetur. Tum quia duo beneficia difformia eiusdem Ecclesiæ non sunt incompatibilia , saltem adeo,

l *Et c.commissa.de elect.li.6.*

quod alterius assecutione alterum ipso iure vacet, immo possunt obtineri vi consuetudinis, statuti, vel dispensationis Episcopi, secundum glossam,[a] Dominicum, Francum, & communem,[b] & glossam finalem, Ioannem Andream, & communem,[c] & Ecclesia parochialis & beneficiũ simplex illius sunt diformia, vt palam est. Tum quia speciale est in beneficiis simplicibus, & vniformibus eiusdem Ecclesiæ, vt sint adeo incompatibilia, vt per adeptionem alterius, alterum vacet.[d] Dixi, *Attento solo iure communi:* quoniam attenta consuetudine antiqua etiam 40. annorum, si quæ talis esset, posset induci eiusmodi incompatibilitas, argum. cap. *cum de beneficio.*[e]

a In verbo nisi vnicam.
b Ca.1. de cõsuet. li.6.
c In c. literas. de concess. præben.
d Ca. literas. de cõcess. præben. & clem. fi. de præb.
e De præbe. l.6. c. de quarta. de præscr.

2 Tertio, quòd habens facultatem conferendi beneficia simplicia Ecclesiæ suæ, perinde potest conferre beneficiũ, quod vacat per suam renunciationem, priuationem, vel promotionem ad ipsam Ecclesiã, ac alia vacantia per mortem, renunciationem, ac priuationem aliorum: quia nullo iure id ei vetatur, & ita non est dicendum, arg. ca. *legatur.*[f]

f 24. qu. 2. §. considerem⁹. Authen. de trien. & semiss. collat. 3.

3 Quartò, quòd prudenter agunt beneficiarij, qui promouentur ad Ecclesias parochiales, expectantes quantùm iure possunt adeptionem possessionis pacificam vsque ad mensem ordinariorum collatorum, vt beneficia vacantia ipsimet conferant viris idoneis: quia qui iure suo vtitur, nemini facit iniuriam.[g] Dixi, *Quantum iure possunt expectare:* quia si post institutiones, vel collationes factas eis in mẽse Papæ, tantùm tardarent in capienda possessione pacifica, quod videretur iniustè per eos tardari, quominus eam acquirerent, posset dici eorum beneficia vacare, antequam possessionem caperent: quamuis non facilè possunt conuinci super hoc, eo quòd non tenentur in continenti possessionem accipere, neque accepta in continenti dicitur pacifica, per ea quæ leguntur & notantur in gloss.[h] & aliis locis per Dominicum, & Francum, & Felinum.[i] Salua, &c.

g Ca. cum ecclesia Vulterana. de electio. l. iure in ran. ff. de iniurijs.
h Sup. verbo. pacificã. præfat. c. cõmissa.
i In c. ne Dei. de simon.

SVMMARIVM.

*1 Beneficia plura etiam simplicia iure antiquo, quo omnia requirebãt residentiam, quis obtinere non poterat, consuetudine tamen tot retineri poterant, quot ad honestam sustentationem erant necessaria, nu. 2. etiam si alterum esset curatum, nu. 3. immo & excedentia, modo superfluum piis erogaretur operibus, nu. 1. at secus post sacrum Concilium vbi illud fuit receptum. nu. 2.*

## CONSILIVM XIX.

QVæsitum fuit, an quis possit habere vnam parochialẽ cum aliquot canoniis, quæ secundum consuetudinẽ præscriptam nullam personalem residentiam exigũt, maximè in terris, vbi non est receptum Concilium Tridenti.

1 Respondeo primò, quod iure scripto antiquo non licet cuiquam habere plura beneficia etiam simplicia: quia quodlibet eorum requirit residentiam personalem illo iure,[k] quod in hoc est singularis.

Secundo, quod non potest quis tenere multa beneficia, quorum alterum ad suam honestam sustentationem sufficiat, etiam secluso Concilio Trid. iuxtá gloss. sing.[l] nisi cũ quadam limitatione Card.[m] quam contra communem solemus sequi, & sequimur etiam in Manuale.[n]

k Ca. conquerente. de cler. non resid.
l In ca. dudũ. 2. de elect.
m In clem. gratiæ. de rescript.
n Ca. 25. nu. 125.

2 Tertio, quod ante Concilium generale Trid. licebat retinere tot beneficia, quæ secundum cõsuetudinem præscriptam non exigerent continuatam residentiam, quot essent necessaria ad honestam beneficiarij sustentationem secundum Panormitanum communiter receptum.[o]

3 Quarto, quod ex his sequitur, prædictum consulentẽ posse tenere prædictam parochiam cũ prædictis canoniis quæ secundum consuetudinem præscriptam non exigunt residentiam personam, sine vlla dispensatione, idque, si Consilium Tridentinum in consulentis terra non est receptum. Salua, &c.

o In repetitione c. extirpanda. §. qui vero. de præbe.

SVMMARIVM.

*1 Regula de triennali defendit habentem duas parochias, & multo magis plura simplicia cum curato.*

*2 Beneficia plura simplicia habens etiam cum curato nullam incurrit censuram.*

*3 Episcopus capellaniam beneficio curato vnire potest.*

## CONSILIVM XX.

AN parochus, cui parochia tenuis 24. ducatorum non sufficit ad viuendum decenter, cum dispensatione Episcopi possit retinere duas capellanias tenues, ita quod iuuari possit regula de trien. possessore, & non incurrerit censuram aliquam, & per consequens irregularitatem celebrando: & an vniri possit vna illarum parochiali per Episcopum?

1 Respondeo primò, posse D. consulentem iuuari prædicta regula de triennali: quia etiam habens duo beneficia curata potest ea iuuari, vt latè tradit Gomez.[a] Secundo, quòd nullam ob hoc censuram incurrit attento iure communi, quòd nullam talem ob hoc infligit. Tertio quòd Episcopus potest vnire prædictas capellanias, per capit. *sicut vnire.*[b] & [c] Concilium Tridentinum. Salua, &c.

a In d. reg. de trien. q. 10.
b De excess. prælat.
c Ca. 8. de refor. sess. 21.

*Aduertendum, referri sacram Congregationem censuisse regulã de triennali nõ tueri eũ qui post sacrum Conc. duo obtinuit curata.*

SVMMARIVM.

*1 Canonicatus & dignitas iure communi in eadem Ecclesia ab eodem possunt obtineri.*

## CONSILIVM XXI.

AN absque dispensatione vnus canonicatum & dignitatem in eadem Ecclesia habere valeat?

1 Breuiter respondetur, quod iure communi non vetatur quis habere canonicatum, & dignitatem in eadem Ecclesia, immo permittitur,[d] quia nõ est statutum de illis, vt non possint simul retineri, sicut de incompatibilibus, de quibus in c. *de multa,*[e] & extrauag.[f] Ioan. XXII.[g]

d Arg. c. cum olim. de re iud.
e De præben.
f Execrabilis.
g Eod. tit.

SVMMARIVM.

*1 Capellaniæ sub eodẽ tecto existentes, si conferuntur thesaurario eiusdem Ecclesiæ, non inducitur vacatio ipso iure.*

*2 Plura beneficia, modo non sint curata, nec dignitates, & alterum illorum non sit sufficiens, si adsit consuetudo immemorabilis vel priuilegij habẽs, possũt licitè et sub eodẽ tecto retineri.*

## CONSILIVM XXII.

THesaurario cuiusdã Ecclesiæ fuerunt successiuè duæ capellaniæ eiusdẽ ecclesiæ collatæ. Quæritur, an attẽta consuetudine immemoriali, vt quis retinere possit duas capellanias cum dignitate, sit aliqua illarum, vel ambabus, vel etiam ipsa thesauraria priuatus.

1 Respondeo primò, certum esse, quod nullus prædictorum titulorum ipso iure vacauit per adeptionem alterius: quia capellaniæ non sunt curatę neque dignitates, personatus, aut officia, de quibus disponit cap. *de multa,*[h] nec sũt beneficia vniformia, quales sunt præbendæ vniformes alicuius Ecclesiæ collegiatæ, vel cathedralis, de quib⁹ loquitur c. *literas,*[i] & ita potest vna illarum teneri cum thesauraria sub eodem tecto iure cõmuni. iuxta doctrinã Lapi,[k] quem sequitur post alios Philippus Francus in c. 1. de consuet. lib. 6. nu. 7. & 8. & Felinus.[l]

h De præben.
i De concess. præben.
k Alleg. 117.
l In c. ex parte. 2. de rescr. nu. 3.

2 Secundo, quod etiam prætextu & virtute consuetudinis prædictæ immemorabilis possunt retineri predictę capellaniæ cũ prædicta thesauraria, si illa nõ sit sufficiens ad sustentandum decenter ipsum thesaurarium: quia consuetudo rationabilis & legitimè præscripta vim priuilegij & legis habet,[m] & pluralitas beneficiorum, si non sunt curata, vel dignitates, non est illicita ei, qui non habet vnum beneficium sufficiens ad viuendum decenter: alioqui secus, iuxta glo. sing.[n] redactam in canonẽ per Conc. Trid.[o]

Tertiò, quod ex his infertur, D. consulentem legitimè suscepisse, ac retinuisse prædicta beneficia, si prædicta thesauraria non sufficiebat ad decentem eius sustẽtationem, & consequenter rectè suscepisse fructus eorũ, & potuisse retinere beneficia illa simplicia vltimo loco ei collata, licet meliùs & sanctius videtur fecisse renunciando illa.

m Ca. fin. de consuet.
n In c. dudũ. 2. de elect.
o In c. 17. de refor. sess. 24.

SVMMARIVM.

*1 Sub eodem tecto iustè habeo curatum, & beneficium simplex, cui est annexum aliud curatum sub alio tamen tecto. nu. 3. at si habeo præbendam, vel simplex beneficium sub vno tecto, non possum habere aliud beneficium vbicumque alibi situm, cui annexa sit præbenda, vel aliud simile simplex beneficium situm sub eodem primo dicto tecto. num. 2. & 3. & per assecutionem vnius causatur vacatio alterius præbendæ, seu simplicis vniformis beneficij. nu. 4.*

## CONSILIVM XXIII.

HAbens beneficium simplex, seu præbendam in quadam Ecclesia, adeptus est rectoriam alterius, cui annexum erat aliud beneficiũ simplex Ecclesiæ primo dictę.

Quæritur an poſsit vtrumque ſine diſpēſatione retinere.

1 Pro parte affirmante facit primò ca. *ſuper eo.*[a] quatenus habet, habentem vnum beneficium curatum, poſſe habere, & retinere aliud beneficium ſimplex, cui eſſet annexum aliud curatum: qua eadem ratione, immo fortiori, habens vnum beneficium ſimplex poſſet obtinere & retinere alterum beneficium curatum, cui eſſet annexum aliud ſimplex beneficium. Secūdo facit, quòd annexum & acceſſorium ſequitur naturā ſui principalis, & regulatur ab eo,[b] Tertio, quod non videtur reperiri alicubi textus, quo ſtatuatur vnam præbendam vacare per adeptionem ſecundę eiuſdem Eccleſiæ, quæ ſit annexa alicui beneficio vel dignitati alterius Eccleſiæ: nam cap. *literas*,[c] & *clem. vlt.*[d] per quæ maximè videtur id probari, loquuntur de præbendis, quarum altera eſt annexa dignitati Eccleſiæ, cuius ſunt illæ præbendæ.

2 Pro parte tamen negante facit primo text. ſingularis d. cap. *literas*,[e] quatenus determinat, quod non poteſt quis habere duas præbendas in eadem Eccleſia, & quod prior vacat ipſo iure per adeptionem ſecundæ. Secundo neruoſius facit clem. vlt.[f] quatenus ſingulariter probat non poſſe quem habere duas præbendas eiuſdem Eccleſiæ, etiam ſi alteram illarum haberet per annexionem ad dignitatē, quam haberet, quod non exprimitur in d. ca. *literas*. Tertio facit, quod quadamtenus frangeretur numerus præbendarum, ſiue (vt ita dicam) præbendatorum, ſi vnus & idem teneret duas præbendas, quamuis alteram teneret per annexionem, à quo videntur abhorrere iura, cap. *conſtitutus*.[g] Per quæ videtur hæc pars negans de iure verior.

3 Ad primum oppoſitorum reſpondetur primò, ſecundū communem ſententiam, quam inter alios adnotauit Pan.[h] quòd iura plus oderunt duarum præbendarum, ſiue duorū ſimplicium beneficiorum ſimilium retentionem ſub eodē tecto, quam duorum curatorum ſub diuerſis. Secundo nouè, & vt videtur, aptiùs reſponderi poteſt, quod d. cap. *ſuper eo.* in oppoſitum adductum loquitur de duobus beneficiis curam animarum, ſed non ſub eodem tecto habentibus: & ita poſſet dici, quòd nō liceret retinere duo beneficia, quæ haberent curam in eadem Eccleſia, etiam ſi alterum haberet per annexionem: & ſic non obſtat huic parti, quę habet non poſſe quē habere duo beneficia etiā ſimplicia, ſi eſſent vniformia in eadē Eccleſia, ſine diſpēſatione Papæ.

Ad ſecundum reſpondetur concedendo, quod regulariter eſt verum, quod aſſumitur in eo, ſed fallit frequenter, vt ſignificat l. *cum principalis* allegata in eo[i], vt ponderauit ibi Decius, & conſequenter quādo eſt diuerſa ratio, vt latè ibi per eum: & eſt caſus non citatus ibi ab eo, nec à gloſsis,[k] & in propoſito caſu eſt diuerſa ratio in principali, & in annexo, vt palam eſt.

4 Ad tertium reſpondetur, quod licet non inueniatur in ſpecie ſtatutum de præbenda annexa beneficio alterius eccleſiæ, inuenitur tamen ſtatutum in ſimili, vbi quo ad hoc videtur ſatis reperiri eadem ratio, parum enim refert quo ad hòc, an ſit annexa beneficio eiuſdem Eccleſiæ, vel alterius: & ſtatutum in ſimili, habet locum in alio ſimili, in quo eſt eadem ratio.[l] Salua, &c.

SVMMARIVM.

*1 Dignitas nō vacat per aſſecutionē canonicatus: ſi tamē vterq; requirit reſidentiam, alterum tenetur dimittere, & hoc ſi ſint in diuerſis Eccleſiis, nu. 3. nam ſi ſint in eadem Eccleſia, non tenetur alterum dimitterre, nume. 4. & hoc etiam poſt Concilium Tridentinum, num. 5. modo vtrique poſsit per eumdem deſeruiri, nu. 4. & 6. & modo dignitas non habeat præbendam capitularem, vt inſinuatur ex initio huius reſponſi: canonicatus autem qui eſt ſimplex beneficium, cum de conſuetudine non requirat reſidentiam, poteſt cum dignitate alterius Eccleſiæ, vbi Concilium non eſt receptum, retineri, nu. 3.*

*2 Beneficia vniformia etiam ſimplicia & penſiones ſub eodem tecto ſunt incompatibilia, ita vt per aſſecutionem vnius, alterum vacet: idem dicitur de difformibus ſi ſint dignitates, perſonatus vel officia, nu. 5. quod ſi ſint alias difformia, modo vtrique poſsit deſeruiri, nequaquam efficiuntur incōpatibilia ex eo ſolo, quòd ſint ſub eodem tecto. nu. 6.*

## CONSILIVM XXIIII.

AN quis poſsit ſimul retinere canonicatum, ac dignitatem non tamen primam poſt pontificalem in cathedrali, præſuppoſito, quod dignitas ipſa non habeat præbendam canonicalem ex bonis Capituli, & quòd ex antiquis conſtitutionibus prædictæ Eccleſiæ alternis hebdomadis vterque deſeruiat in choro: & an ſufficiat diſpēſatio proprij ordinarij?

1 Ad hanc quæſtionem reſpondeo primò, quòd canonicatus, & dignitas etiam prima poſt pontificalem, non ſunt de ſe talia incompatibilia, qualia ſunt illa, de quibus in ca. *de multa*,[a] & ita per adeptionem alterius non vacat alterū ipſo iure iuxta diſpoſitionem illorum capitulorum.

Secundo, quod ſi iure & cōſuetudine requirant reſidētiam perſonalem, erunt quidem incōpatibilia quo ad retentionem, ita quod licet ipſo iure non vacet alterū adeptione alterius, vt prædictum eſt, tenetur tamen illorum vnum, quod maluerit, relinquere iuxta c. *præterea*.[b]

Tertiò, quòd iure communi, præſertim antiquiſsimo, non ſolum canonicatus, & dignitas prædicta, ſed etiā omnia alia beneficia requirunt reſidentiā perſonalē, & cōſequenter ſunt incompatibilia prædicti ſecundi generis iuxta glo.[c] quam Panor. cum cōmuni ſequitur ibi, & tenet Innoc. cum communi,[d] quem ſequitur idem Pan. latius,[e] & eſt ratio irrefragabilis in c. *ad hæc*,[f] inducendo illud eo modo, quo in eius repetitione inducimus.

Quartò, quòd conſuetudine induci poteſt regulariter, ne beneficium requirat reſidentiam, vt poſt gloſſ. præfatā, & Panormitanū, & rationem[g] reſoluit Felin.[h] immo & ferè vbique eſt huiuſmodi conſuetudo in beneficiis ſimplicibus, ſaltem ſæcularibus, vt concludit Panorm.[i] & fortius Card. qui in hac re latior eſt.[k]

2 Quinto, quod omnia beneficia vniformia in vna Eccleſia, ſiue ſub eodem tecto, ſunt incompatibilia primi generis, etiam ſi ſint ſimplicia, & duo canonicatus, & duæ præbendæ, ſiue penſiones eiuſdem ſpeciei.[l]

3 Sexto, quod ex his ſequitur reſponſio ad quæſtionem propoſitam, quatenus intelligi poteſt de canonicatu & dignitate diuerſarum Eccleſiarum, nempe quod ſint incompatibilia ſecundi generis: conſuetudine tamen factū fuiſſe nonnullis in locis ante Cōc. Trid. ne ſaltem alterum illorum requirat reſidentiam, & ita eſſent compatibilia: poſt quod tamen, videtur facta incompatibilia in diuerſis Eccleſiis, quia videntur requirere reſidentiam perſonalem.[m]

4 Septimo, quod ex eiſdem infertur etiam reſponſio ad prædictā quæſtionem, quatenus intelligi poteſt de canonicatu & dignitate eiuſdem Eccleſiæ, nempe, quòd non ſint incompatibiles primi generis, immo neque ſecundi: quia non ſunt beneficia eiuſdem ſpeciei, ſiue vniformia. Nec facit ea incompatibilia neceſsitas reſidendi: quia cū conſiſtant in eadem Eccleſia, poteſt quis in vtroque reſidere. quod conſequitur vnum paradoxum, videlicet, quod duo beneficia difformia ſub eodem tecto aliquo reſpectu magis ſe compatiantur, quàm alia duo eiuſdem generis in diuerſis eccleſiis, licet beneficia eiuſdē ſpeciei & vniformia diuerſarum Eccleſiarum aliis reſpectibus ſint incompatibilia.

5 Octauo, quod attento iure communi antiquo relaxato, vt prædictum eſt, per conſuetudinem quo ad beneficia ſimplicia, & attento etiam Concilio Trid. videtur, quod ſine vlla diſpenſatione Papæ vel Epiſcopi poteſt quis habere in eadem Eccleſia canonicatum, ac dignitatem. Nec obſtat c. *literas*.[n] nec clem. fin.[o] quia loquuntur de beneficiis eiuſdē ſpeciei, & vniformibus. Nec etiam obſtat c. 1.[p] quia ſolum habet non poſſe quem ſine diſpenſatione Papę habere in eadem Eccleſia duas dignitates, ſiue duos perſonatus, aut duo officia vniformia, neque difformia, nō tamen vetat obtinere vnum tale cum canonicatu, & præbenda: immo glo.[q] infert ex eo clarè, quod per diſpenſationem Epiſcopi poteſt quis habere in eadem Eccleſia canonicatum, & præbendam cum dignitate.

Nono, quòd gloſſa prædicta, quæ videtur requirere ad hoc diſpenſationem Epiſcopi, intelligenda eſt quo ad eas terras in quibus ſeruatur ius illud antiquiſsimum, cap. *conquerente*,[r] ſecundum quod, vt eſt notatum in primo dicto, omnia beneficia ſunt quodammodo incompatibilia: non autem in eis terris, quales ferè ſunt omnes, in quibus conſuetudo ſubtraxit neceſsitatem reſidendi in ſimplicibus. vnde præfata gloſſa,[s] ſub finem ſignificat tantùm

valere

a De praben. lib. 6.
b L. cum principalis. ff. de reg. iur. & c. acceſſorium. eo. tit. li. 6. cū multis allegatis à gloſsis earum.
c De conceſſ. praben.
d De praben.
e De conceſſ. praben.
f De praben.
g De reſcr. & ca. cū multa. cum ei adnotatis, de conſti.
h D. c. literas. notab. 2.
i Verbo plerumque.
k In c. debitores. de iureiuran.
l Le. non poſſunt. de legib. ca. dudum. 2. de elect.

a De praben & in extrauag. execrabilis. Ioann. xxij.
b De praben.
c In ca. conquerēte. verbo deſeruiat. de cler. no reſidentib.
d In c. fin. eo. tit.
e In repetit. §. quis vero, c. extirpādæ de praben.
f Eod. tit.
g Vbi ſupra.
h In c. cū omnes col. penul. de conſtit.
i In d. repetit. & in c. cū iam dudum. eodem tit.
k In clem. gratiæ. de reſcri. & in d. c. fin. de cler. non reſid.
l Cap. literas de conceſſ. praben. & clem. fin. de prabē.
m Ca. 12. ſeſſ. 24.
n De conceſſ. præb.
o De praben.
p §. fin. de conſuet. li. 6.
q In verb. vnicum.
r De cler. non reſid.
s D. ca. fin.

valere quo ad hoc consuetudinem, quantum Episcopi dispensationem;& per multa iura quæ citat, in quibus est ca.*tanta*.[a] satis iudicat hoc esse vbique inductum,

a De rescrip. & c.cũ olim. de re iud.

6 Decimò,quòd non solùm verum est id quod ait glossa 4.declarata in præcedenti dicto;sed etiam quod nemo alius,quod sciam,aduertit, numquam iure communi duo beneficia difformia eiusdem Ecclesiæ sibi alioqui non repugnãtia, fuerunt incompatibilia etiam secundi generis, quia illa incompatibilitas proueniebat;eo quòd vnus nõ poterat in diuersis Ecclesiis residere,& omnia beneficia requirebant residentiam:quod cessat in beneficiis eiusdẽ Ecclesiæ.Dixi tamen *Sibi alioqui repugnantia.* quia si alteri incumberet aliquod onus faciendum eodẽ tempore,quo aliud illi repugnans incumberet alteri,essent incompatibilia.[b] Salua,&c.

b Arg.l. vbi repugnantia. ff.de reg.iur. & c. solicitudinem.de appel.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium requirens residentiam obtinens,ad alia requirẽtia residentiam etiam curata obtinenda non efficitur inhabilis, sed per assecutionem secundi, si sint curata, vel dignitas,vel officium vacat primum, si vtraque nõ sint talis qualitatis, non inducitur quidem vacatio ipso iure;sed ipse tenetur,ac etiam potest cogi, vt alterum quod malit dimittat.*

3 *Dubio in casu recipiẽdus est sẽsus,qui cultui diuino ac eius augmento fauet. Vnde quando verba fundationis multarum capellaniarum simul erectarum possũt intelligi, vt sufficiat si ex omnibus omni die vnus faciat sacrũ,vel vt omnes omni die celebrent.secũdus sensus est admittendus,salua decentia & deuotione.nume.2.*

4 *Obligatio Missam per se quotidie dicẽdi,differt ab obligatione illam per se vel alium dicendi.*

CONSILIVM XXV.

AN habens capellaniam,ratione cuius debet residere quotidie in aliqua Ecclesia,impediatur habere beneficium curatum,vel aliud simile: & quid de necessitate missandi quotidie ob clausulam fundationis,quæ ita habet: *Quod quilibet capellanus dicat Missam quotidianã.* quæ tamen verba aliquando in ipsa fundatione variantur.

1 Ad primam quæstionem respondeo sequentia.Primũ quod quærere quidem potest aliud beneficium etiam curatum iustè;quia necessitas residendi in aliquo beneficio iam quęsito,non tollit habilitatem quærẽdi aliud requirens residentiam;vel curatum: quia hoc nullo iure cauetur,& sine lege nemini est inducenda inhabilitas,pręsertim ipso iure,iuxta glossam finalem,[c] facit c.*legatur*.[d] Secundum,quod capellanus per adeptionem talis beneficij curati non perdit ipso iure suam capellaniam. Tum quia id etiam nullo iure cauetur. Tum quia Panormitanus & communis sententia tenet,[e] quòd beneficium requirens residentiam personalem non vacat per adeptionẽ alteri⁹ eam requirentis,nisi sint de contentis in d.c.*de multa*. scilicet dignitates,personatus,officia,velEcclesia parochialis.Tertiũ,quòd licet præfati capellani iustè possint quærere beneficia curata,non tamen iustè possent retinere illa,& suas capellanias simul, immo possent cõpelli ad relinquendum vtrum illorum maluerint,per dictũ c.*referente*.[f]cum ei adnotatis.

c Cap.fin.de iure patron.
d 24.qu.2.§. cõsideremus. in authen. de triente & semisse.colla.3.
e In ca.referente & c.de multa.de præben.
f Et c.praeterea. de præb. & cap.fin.de cler.nõ resid.

2 Ad secundam respondeo,quod parte negante, scilicet quod præfati capellani non tenentur ad missandum quotidie,facit primo,quòd statutum,vt habens certũ beneficium quotidie celebret,non obligat ad celebrandum quotidie,sed solùm quantùm frequentius poterit, salua honestate sua & debita deuotione.Secundò,quia statutũ fundationis obligans eos ad missandum inter cætera loquitur per verbũ singularis numeri,scilicet,vt dicant singulis diebus Missã: & dispositioni disponẽti, aliquid per sigularẽ numerũ satisfacit faciẽdo vnũ: vt testatori dispo nẽti ꝙ aliqua possessionũ suarũ vẽdatur alicui; satisfacit hęres vendendo vnã,&non tenetur ad vẽdẽdas plures,vt tradit Felinus.[g]Tertio,quod statutum habet,vt capellani concordent super hora dicendi Missam,vt dicant eam per suos dios hora statuta,scilicet vndecima hyeme, & decima æstate:& si omnes quotidie deberent singulas Missas facere,non videretur necessaria super hoc vlla concordia & statutum videretur superfluum,quatenus habet, vt dicant eam per suos dies, cùm omnes tenerentur dicere quolibet die.

g Ca.omnes. de constit.

Pro parte verò affirmante, quod præfati capellani teneantur dicere quotidie suam Missam,facit primò, quòd testator expressè disponit; quòd quilibet capellanus quotidie diceret Missam in altari maiori,vel alio illi proximiori:& vbi verba sunt clara,non est recedẽdum ab eis,[a] & in claris non est locus coniecturis.[b]Secũdò,quod executores testamenti statuerunt,vt capellani dicerent Missã quotidianã,eo modo quo testator disposuit:at ille clarè & expressè disposuit,vt quilibet capellan⁹quolibet die diceret Missam,ergo quilibet eorũ tenetur quotidie dicere Missã;quoniã relatũ censetur positũ in referente.[c] Tertio quod statuta fundationis in multis locis loquũtur de Missis in plurali numero,primo ibi,*los patrones nombren capellan,o capellanes,que digan las dichas Missas*.& pondera quod si sola vna Missa dicenda esset,non oportebat dicere,vt eligerent capellanum,vel capellanos , quia satis erat vnum eligere,ibi,*queremos que los dichos capellanes digan las dichas Missas por si mismos*.& tertio ibi,*si algun capellan dexare de celebrar las Missas*.& pondera,quod loquitur in numero singulari de capellano,& in plurali de Missis,quę verba clarè significant quemlibet teneri ad dicendas plures. quarto ibi,*que los patrones puendan hazer celebrar las Missas*.

a L.nõ aliter. ff.de leg.3.
b L.cõtinuus. §.cum ita. ff. de verb.obligat.
c L.asse toto. ff. de hæred. institutio. & l.si ita scripsero & in le.in testamẽto.ff. de condit. & demonst.

3 Quarto,quod in dubio recipiẽdus est sensus,quo cultus diuinus augetur.[d] Quinto,quod actus hominum per consuetudinem recipiunt interpretationem,[e] vbi multa adducit Felinus:at raro patroni instituunt multos capellanos ad dicendum vnam Missam:quare in dubio institutio plurium capellanorum ad missandum intelligenda est de pluribus Missis,& non de vna tantùm.Per hæc posteriora fundamenta videtur pars hæc affirmans verior.

d L. sunt personæ.ff.de religio.& sumpt.fu.
e L.fin.C.de. fideiuss.c.cum M.de constit.

Ad primum oppositorum respondeo primò, concedẽdo,quod obligatus simpliciter ad dicendam Missam quotidie, satisfacit missando,quoties salua honestate & debita deuotione potest: sed negando, quod ex eo quidquam contra hanc partem colligatur.Tumquia hæc pars id nõ negat.Tum quia in casu proposito non agitur de obligato ad missandum quotidie simpliciter, sed de obligato ad missandum quotidie per se,vel per alterum , inter quæ magna est differentia,vt potest colligi ex Panormitano.[f] Tum quia alia quæstio est,an præfati capellani debeant missare quolibet die per se, vel per alium, de qua non quęritur;sed solùm an teneantur omnes ad vnam solam Missam quotidie faciendam , de qua quęritur , & ad quam responsum est quòd non,sed debent singuli singulas dicere.

f Cons.99.n. 4.

Ad secundum negãdo,quòd in omnibus statutis testatoris,& executorum fiat mentio de Missa in numero singulari;quia immo in pluribus fit mentio in numero plurali,vt patet per supradicta;& quod testator ita disposuit de Missa in singulari numero,quòd clarè significauit singulos capellanos teneri ad singulas Missas faciendas quotidie;eius enim verba sunt hæc;*quod quilibet capellanus dicat Missam quotidianam*.

Ad tertium respondetur, quòd illud argumentum haberet aliquam vim si non posset esse inter capellanos alia discordia,quàm quis eorum teneretur ad vnam Missam dicendam:sed illud est falsum;quia possunt esse multę alię discordiæ,scilicet quis eorum diceret prius sonãte decima,& quis posterius,& quis in altari maiori , & quis in alio illi proximiori,& an deberent dicere de officio diei, vel alio,& an de viuis, vel de defunctis : & in huiusmodi discordiis potest verificari prædictum statutũ.Salua,&c.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatus illegitimus ad beneficia quæcumque cum clausula, dummodo non sint plura, per illam id cõsequitur,vt dimisso primo poßit obtinere secundum,non autem vt duo simul retineat.*

CONSILIVM XXVI.

QVæritur quid operetur clausula illa,*dummodo nõ sint plura*,quam Datarius cœpit nouè ponere in dispensationibus;quibus Papa dispẽsat ad ordines sacros,& beneficia cum illegitimis dispensatis ab Episcopo ad quatuor minores,& vnum simplex.

Quia res obscura erat,& eius declaratio à mente concedentis gratiam pẽdere videbatur,cõsuluimus Reuerẽdissimũ Datariũ,qui respondit mentẽ Papæ & suã esse, vt

virtute huiusmodi dispensationis nullus duo beneficia simul retinere possit, sed quòd in hoc tãtùm prosit; quod qui absque illa non poterat obtinere nisi vnum simplex, & primum quod sibi conferretur: virtute huius poterit obtinere & retinere aliud quodcumque maluerit, modo non retineat duo simul.

*SVMMARIVM.*

1 *Capellania perpetua iurispatronatus, si (vt licet) reducatur per ordinarium ad manualitatem, desinit esse beneficium, efficiturque simplex seruitium, ad quod patronus sine alia Episcopi approbatione potest quemcumque deputare; & deputatũ remouere. n. 3. & 7. quod si postea impetretur vt beneficium, non tenet institutio. n. 5. nisi iterum de manuali per Episcopum instituatur in beneficium ecclesiasticum. num. 8.*

4 *Capellas esse manuales seu seruitia manualia, magis expedit patronis; quia seruientes sic magis continentur in officio, quã si sint beneficia ecclesiastica.*

6 *Bona fide poßidens beneficium vti seruitium amouibile, facit fructus suos.*

## CONSILIVM XXVII.

CApellaniam perpetuam ordinarius, petẽte patrono; fecit manualem; ad cuius seruitium patronus per se deputauit quẽdã I. qui ad euitandos scrupulos curauit se ordinario præsentari, & de ea vti de beneficio perpetuo institui. Quæritur, quid agendum?

1 Respondeo primò, satis facile defendi posse id quod fecit præfatus ordinarius. Tũ quod ordinarius, præsertim Legatus; potest iusta de causa, & cum consensu patroni facere, vt aliqua capella perpetua, in qua ad præsentationem eius instituitur capellanus, & rector perpetuus, fiat temporaria, & ad nutũ amouibilis: quoniam certũ est ordinariũ posse vnire, & diuidere, & de nouo creare, & extinguere iusta de causa beneficia inferiora sui episcopatus.[a]

2 Nec obstat, quod collatio beneficij, & institutio præsentati in eo sũt res spirituales, & nõ cadũt in laicũ, qui est incapax iuris nõ solũ cõferẽdi & instituẽdi, sed & eligẽdi, quod est minus,[b] nisi priuilegio Papæ, iuxtà glo. celebr.[c]

3 Non inquam hoc obstat, quoniam per ordinationem qua capella perpetua fit temporaria, & ad nutum amouibilis, ita vt loco illius constituatur temporale seruitium ad nutum patroni amouibile, non confertur ius conferẽdi; vel instituẽdi patrono laico sed extinguitur capella perpetua, & loco illius fit illa, quam patronus potuisset ab initio ordinare etiam sine consensu Episcopi, vt scillicet darentur tot scuta annua alicui clerico ad seruiendũ capellæ, ita vt posset ad nutum amoueri, & poni sine aliquo titulo perpetuo Episcopi; ita quod extinguitur beneficiũ, quod debet esse perpetuum, & consequenter desinit ordinarius habere ius instituendi, sed non quæritur illud patrono, qui etiã perdit ius præsentandi ad beneficiũ, quia iã non est tale; sed quærit libertatẽ ponendi, & tollẽdi quẽ & quoties voluerit; quod est grande & vtile frænũ ad cõtinendum capellanum in officio virtutis, ne patronus resciens illius vitium, amoto eo, ponat alium: quæ, vt puto; fuit magna causa faciendi capellam illam de perpetua manualem, hoc est, extinguere illam, & loco illius facere temporariam, quę non esset beneficium perpetuum, sed aliud gratius Deo.

4 Secundo principaliter dico, quòd debet serio perpendi, fieri per hoc patrono grande prẹiudicium, & præfato I. grande commodum: quia si manet perpetua, non potest ea priuari, nisi ex causa graui, & cum causæ cognitione à iudice, vt alij beneficiarij; & quod fortè hoc fuit in causa, cur sub specie boni spiritualis, & sanæ conscientiæ, præfatus I. quærit bonum temporale cum præiudicio patroni, quem miror tam facile illi consensisse. Mihi enim iure verius videtur, valuisse illam ordinationem, si iusta de causa facta fuit, potuit autem esse bona pars talis causæ id, quod prætactum est.

Tertio, quod meo iudicio consulendum erat prędicto patrono, vt procuraret restitutionem in integrum in suũ ius antiquum per iustam ordinationẽ ordinarij sibi quæsitum: eo quòd per iuris errorem, & timorẽ peccandi per præfatum I. & alios sibi incussum, per errorem præsentauit illum ordinario.

5 Quod ipsum & præfato I. videtur consulendum: quoniam non potest facile defendi iustitia tituli, quem nunc habet in dicta capella, cùm non videatur fuisse ordinario, neque patrono animus mutandi ordinationem præfatam prędictę capellæ; si iusta erat.

6 Quarto, quod præsupposita iniustitia & nullitate præfatæ ordinationis ordinarij, qua de capella perpetua fecit temporariam, & quod præfatus I. cum iniusto titulo possedit eam (quod certè ipse nõ auderẽ affirmare) quia tamen bona fide, & cum titulo colorato possedit eam; fecit fructus suos,[a] vt tradunt Panormitanus, & omnes[b] potest Bartholum,[c] & omnes,[d] Couarruuias.[e]

7 Quinto, quod nullius inhabilitatis timor est habend⁹ propterea quòd videatur accepisse beneficium Ecclesiasticum de manu laici, contra multa capp.[f] Tum quia non accepit vt beneficium perpetuum, sed vt seruitium manuale temporarium, quod potest dare laicus, & quotidie dant similes capellas manuales. Tum quòd illa iura loquuntur de capiente beneficium sine colorato titulo, & ipse habebat coloratissimum, & certè mea sententia magis coloratum, quàm nunc, vt prædixi.

8 Sexto, ad quæstionem, qua quæritur quid nunc oporteret agere iure poli, & iure fori, respõdeo quod alterum de duobus, nempe procurare vt patrono restituatur ius suum per præfatam ordinationem ordinarij sibi quęsitum, & pręfato I. ius illud manuale, & amouibile, sicuti ante hanc innouationem habebat, aut curare, vt ordinarius solemniter erigat de nouo præfatam capellam in capellam perpetuam, & quod patronus de nouo præsẽtet pręfatũ I. ordinario & quod ordinarius eũ instituat in ea.

*SVMMARIVM.*

1 *Commenda perpetua dat quemdam improprium & extraordinarium titulum, ad effectum vt illa cessante comprehendatur sub reseruatione beneficiorum, sed non dat verum & proprium titulum. Vnde quis duo potest habere beneficia, alterum in titulum, alterum in commendam: nec per cessationem commendæ alteratur modus vacationis, immo vacat & remanet affectum & reseruatum vt prius, adeo vt prouisio ordinarij non det titulum nec coloratum.*

2 *Rescriptum Papæ in ijs quæ sũt iuris, facit ius, nedũ inter partes pro quibus rescribit. sed etiam inter alios.*

## CONSILIVM XXVIII.

BENEFICIVM commendatum non vacat propriè per cessationem commendæ, sed vacat vt prius ante commendam, & perinde manet affectum, & reseruatum, ac manebat quando fuit commẽdatum, vt ait Federicus,[g] Ludouicus Romanus,[h] Cassadorus,[i] Gomezius,[k] Card.[l] qui hoc in pręfatis locis decisiuè vel remissiuè tenent, per cessationem commendæ censeri vacare beneficiũ eo modo, quo vacabat cum fuit commendatum: pro quibus est illa regula, quòd nemo debet habere plura beneficia in titulum,[m] at vnus & idem potest habere vnum beneficiũ in titulum, & alterum in commendam, quia commenda non dat titulum.[n]

Non obstat, quod Cassadorus & Gomezius in præfatis locis affirmant, commendam perpetuam esse titulum canonicum, & coloratum, & quod per cessationem commendæ perpetuæ perditur ille titulus, & vacat beneficiũ commendatum, & comprehenditur sub prędictis regulis Cancellariæ, quæ loquuntur de titulo colorato & vacatione: quia vt ex ipsemet colligitur, intelligunt de quodam titulo extraordinario, & improprio, & de vacatione largo modo quo ad effectum includẽdi sub præfatis regulis magis ex idẽtitate rationis, quàm ex proprietate verborum, non autem loquũtur de titulo, & vacatione, per quam desinat beneficium esse affectum, vt erat quando fuit à Papa commendatum.

2 Denique ipsemet Papa in suis literis amplissimè declarat, per cõmendę cessationẽ non vacare beneficiũ cõmendatum, aliter quàm vacabat tempore commendæ: & quod manet reseruatum eius collationi, prout erat quando commẽdauit, & addit non posse ordinarium in eo cõferre titulum coloratum: & cùm ita declaret Papa rescribendo in his quæ sunt iuris, nulla cadit dubitatio: quoniã rescriptum principis facit ius, non solùm inter partes, vt ait Ioannes Andreas,[o] sed etiam quo ad alios,[p] cum multis alijs per Felinum. citatis.[q] Salua, &c.

[a] Ca. sicut vnire. de excess. prælat. & c. præcipimus. & ca. plures. 16. q. 1. & ca. 1. de reb. eccles. non alienan. lib. 6. & clem. 2. eod. tit. & c. cum accessissent. & c. ex parte. de constit.
[b] Cap. sacrosancta. & ca. Messana. de electio. & ca. inuentum. & c. nemini. 16. q. 7.
[c] In c. imperium. 10. dist. & in summa 16. q. 7.

[a] Le. bonæ fidei. ff. de acquir. rer. dõ. §. si quis à nõ domino. inst. de rer. diuis.
[b] In c. grauis. de resti. spol.
[c] In le. ex diuers. ff. de rei vendic.
[d] In leg. si & me & Titiũ. ff. de reb. credend.
[e] Libr. 1. variar. resolut. cap. 3.
[f] 16. q. 7.
[g] In titul. de permuta. benef. q. 15.
[h] Cons. 350.
[i] Decis. 5. de priuil.
[k] In regul. de infirm. resig. quæ. 13. & de verisim. noti. q. 4. & de impet. benef. famil.
[l] qu. 5. & de trienn. q. 5.
[m] Per totam 21. q. 1.
[n] Capit. qui duas. & c. relatio. 21. q. 1. c. nemo deinceps. de electio. li. 6.
[o] Continuat. rubri. de rescript.
[p] Capit. licet. 16. q. 3. c. multi. 2. q. 1.
[q] In d. rub. de rescrip. col. 1.

SVMMARIVM.

1 *Distributiones quotidianas, quas canonicus hæreticus occultus, interim antequam cum retentione beneficij absolueretur, percepit, ijs, quibus accreuissent, restituat.*

CONSILIVM XXIX.

Canonicus hæreticus occultus, qui accepit distributiones quotidianas, si absoluatur, postea reconciliatus cum retentione canonicatus, cui restituet eas?

1 Respondeo, hanc quæstionẽ posse decidi per ea, quæ nos tradimus in Enchiridio de oratione,[a] scilicet acquiri huiusmodi distributiones illis canonicis; quibus accreuissent, si ipse non interfuisset: an autem possint remitti, & condonari, vide quæ vbi supra tradimus.[b]

SVMMARIVM.

1 *Possessio triennalis de colorato titulo facit verum.*

CONSILIVM XXX.

Quæsitum est, an possessio triennalis beneficij de colorato titulo faciat verum?

1 Respondetur quæstionem hanc esse magnam, quam etsi perlegendo in scholis sæpius tetigi, numquam tamẽ in eius decisione animum ita firmaui, vt non fluctuaret, videns ex vna parte glossam antiquam viri doctissimi Gulielmi de Monteserrato tenere,[c] quod possidens pacificè beneficium triẽnio cum titulo colorato, facit illud suum, etiam quo ad Deum, licet titulus non fuerit canonicus: Et ab altera parte perpendens argumenta neruosa, quæ contra eam fieri possunt, quorum & aliqua tangit Cosmas Gumierus,[d] per quæ tenet contrarium; quod ipsum, ea tamen nõ relata, tenuit etiam Gomezius.[e] At nũc arbitror opinionem præfatæ glossæ antiquæ esse seruandam, per argumenta neruosa, quæ ipsa tangit: & quia mẽs Conciliorũ, vnde illa regula desumpta est, & concordatorum inter Leonem X. & Franciscum Galliæ Regem,[f] vbi latius quam alibi sensus illius regulę exponitur, id sensisse videtur; & quod prætoria summa Gallicana, quæ parlamenta vocant, id seruare dicuntur à Petro Rebuffo, qui hanc partem latè confirmat.[g] Salua, &c.

*Aduertendum hanc sententiam auctoris non esse ita certam, vt patet ex Couarruuia regul. possessor. par. 2. §. 10. versic. septima cõclusio. cum anteced. de reg iuris in 6.*

SVMMARIVM.

1 *Alternatiua mensium non prodest ordinarijs acceptantibus, nisi postquam eorum acceptatio authentica ad Datarium peruenerit, nec post mortem Papæ illam concedentis, nu. 2. includitque diem ipsiusmet publicationis. num. 3.*

2 *Gratia ad beneplacitum Papæ morte eius expirat secus si ad beneplacitum Sedis Apostolicæ concedatur*

2 *Dies termini, quando illi additur præpositio, à, vel ab, non computatur in termino. secundum illam opinionem quæ aliquibus magis communiter est recepta: fallit primo, quando de mente auctoris, vel ex alijs verbis aliter contrariũ potest colligi, num. 4. & 7. Item dicta regula procedit, quãdo dicta pręposítio additur actui gerendo, vel tempori sine certi diei expressione, secus si addatur certo diei. n. 5. Itẽ fallit quãdo additur à lege, nec inclusio est cõtra ius, n. 6. Itẽ & quãdo inclusio est fauorabilis ei cui fit gratia, dilatio vel facultas. num. 8.*

6 *Reseruatio alternatiuæ mensium non est contraria iuri, immo conformis, quia reseruat Papa ius conferendi, quod illi cõpetit ratione concursus, quo cum omnibus ordinarijs & validiori iure concurrit.*

CONSILIVM XXXI.

Quæsitum fuit, an vacante canonicatu & præbenda in Ecclesia cathedrali Gienensi illa ipsa die, qua facta fuit reseruatio alternatiuæ à S. D. N. Sixto V. censeatur includi in reseruatione, vel valeat collatio ordinarij in vim alternatiuæ pręcessoris.

1 Ad hanc quæstionem decidendam præsuppono primò collationem prædicti canonicatus factam à Reuerẽdissimo Episcopo Gienensi non potuisse valere illa ratione, quòd illa pertineret ad ipsum virtute alternatiuæ, quia illa ei non poterat prodesse, donec fides eius acceptationis peruenisset ad Datarium, vt cõcessionis alternatiuæ tenor continet, quæ non peruenit ante collationem à Sanctissimo factam.

A 2 Secundò, quòd etiam certum est prædictum D. Episcopum non potuisse illum conferre virtute acceptationis alternatiuæ, quã fecerat antea Gregorius XIII. quia illa & virtus eius expirauerunt per mortem illius: quoniã facta fuit vsque ad beneplacitum eius; & gratia facta vsque ad beneplacitum Papæ finitur morte ipsius; licet nõ, si fieret vsque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ.[a]

3 Quibus præsuppositis respondetur primò, quod tota difficultas huius quæstionis consistit, an obsit eius collationi alternatiuæ reseruatio facta per S. D. N. pro cuius vtraque parte multa possent adduci: quoniam multa faciunt pro collatario Papæ, & multa pro collatario Episcopi: sed oĩa vidẽtur reduci ad illam quæstionem, ã reseruatio facta à Sanctissimo, & publicata die 4. Maij anni 1585. qua reseruauit omnia beneficia vacantia extra

B Curiam à die publicationis eius propter præpositionem illam, à, censeatur excludere an includere diem illum quartum: quia prædicti canonicatus & præbenda vacauerunt illa ipsa die, & collatarius Episcopi prætendit eos non comprehendi in reseruatione prædicta: quia dies termini non computatur in termino, quãdo illi additur pręposítio, à vel ab; vt habet glossa memorabilis adiuncto textu,[b] quę videtur aliquibus cõmuniter recepta, in quibus videtur esse Decius cum relatis à se.[c] Collatarius autem Sanctissimi contradicit, allegans diem termini computari in termino in prędicta reseruatione.

C Pensatis autem mediocriter vtriusque rationibus adductis pro illa glossa, & contra illam; videtur verius esse, quod in hoc casu dies termini includatur in termino, & quod canonicatus & præbẽda prędicta censenda sunt reseruata S. D. N. primò quidem, quòd ex mẽte auctoris reseruatoris id colligitur.

4 Tum quòd cõstat eum voluisse per illam reseruationẽ reseruare sibi regulariter quo ad omnes collatores & collatrices omnia beneficia vacantia mense Maio, cuius dies erat ille quartus, in quo vacauerũt; & ita vidẽtur voluisse vacantia illo die includere. Tum quod consuetudo

D antiqua Maximorum Pontificum habet reseruare vacantia in octo mẽsibus sibi per reseruationem regularem, & vacantia sex mensibus per reseruationem alternatiuã: & non videtur vmquam contigisse casus, in quo dies termini declaretur exclusus.

Secundo, quòd colligitur etiam ex verbis ipsius reseruationis; quia facta est secundum consuetudinem antiquã prædictam, exprimendo in duobus locis menses reseruatos, & in vna sine vlla præpositione, à, vel ab; ex quo coniicitur, quod sua Sanctitas nullam de vi exclusiua diei termini habuit memoriam, & consequenter noluit vt haberet eam: quia nihil incognitum est volitum, secundum S. Augustinum,[d] receptum ab omnibus, & probatur per l.

E cum Aquiliana,[e] cum similibus. Tum quod si illa reseruatio fuisset facta die secunda, vel tertia Maij, inclusisset diẽ quartam: & certum est noluisse minus includere faciendo eam die quarta, quàm faciendo eam die secunda, vel tertia quo ad dies in ea terminatos.

5 Tertio, quod in proposito non agitur de præpositione, à, vel ab, addita tempori, vel actui generaliter sine expressione diei certi, quo casu non includunt tempus præcedens actum, sed solùm sequens immediatè illum, vt in cap. *anteriorum.*[f] ibi. *A recitatione sententiæ.* & in c. *quam sit.*[g] ibi: *A tempore præsentationis.* Sed agitur de præpositione, à, adiuncta certo diei: per quod tolluntur argumenta, quæ

F videntur probare non includere tempus præcedens actũ, sed solum sequens illum, vt singulariter prę aliis adnotauit Præpositus.[h]

6 Quarto, quod Cinus, quẽ sequitur ibi Salicetus,[i] determinauit, quando huiusmodi pręposítiones includunt terminum diei, cui adiiciuntur, & quando nõ; dicẽs, quod quando proferuntur à lege, includunt, si inclusio non est cõtra ius, vt in d. l. *à caligato* & in c. *à subdiacono.*[k] & in casu proposito pręposítio, à, profertur à lege; & inclusio est conformis iuri: ergo censendũ est includere. Quod autẽ sit conformis iuri, & legi, probatur ex eo, quod Papa iure cõmuni habet potestatẽ conferẽdi omnia beneficia, quocũq; tẽpore vel loco vacent, secundũ gloss. magnã recep.[l]

---

a Ca. 7. n. 33.

b Ca. 22. nu. 49. & seq. & misc. 59. nu. 1. & seq.

c In gloss. reg. Cancell. 35. pag. 5.

d In glo. pragma. sanct. Gallican. tit. de pacifico possessore super verbo trienn. & verbo molestari.

e In eadẽ regula. q. 58.

f Titu. de pacifi. possess.

g In commentario de pacific. possess. ampl. 3.

a Cap. si gratiose. de rescr. lib. 6.

b In clem. si cut. de appell.

c In ca. supra eo. 2. de appell.

d 13. de Trinit.

e ff. de transact.

f 2. q. 6.

g De electio. lib. 6.

h In ca. super eo. 2. nu. 24. de appell.

i In l. à caligato. C. de nupt.

k 93. dist. & in c. aliter. 51. dist.

l a In cap. 1. de offic. leg. li. 6.

& per

& per reſeruationem prædictam confirmatur, & augẽtur ius eius ad cõferẽdũ. Nec obſtat, quòd nocet ordinario, qui concurrit cum Papa: quia ius quod habet Papa eſt longè amplius, & dignius, adeo quòd vt ait prædicta gloſſa recepta ſi ambo conferrent eadem die, & neſciretur vter prius contuliſſet, collatio Papæ præualeret cæteris paribus collationi ordinarij: & ideo prædicta reſeruatio potius iudicanda eſt conformis iuri, cùm conſonet iuri Papę, quàm difformis, eo quod deroget iuri Epiſcopi.

7 Quinto, quod etiam prędictus Cinus cõmuniter receptus tenet vbi ſupra, quod quando proferuntur ab homine tales præpoſitiones adiunctę diebus, cenſentur includere, ſi de mente diſponentis expreſſè vel tacitè id poteſt colligi: & in caſu propoſito talis mens colligi poteſt, tum expreſſè, eo quod S.D.N. declarauit ſe habuiſſe illã mentem per declarationem ſolemnem id continentem factam ab eo, tamquam à legiſlatore, & non tamquam à doctore priuato, cui credendum eſt, cum per literas eius Apoſtolicas de facto proprio deponentis id apparet; iuxta clem. *literis*.[a] Tum tacitè, quia quilibet præſumitur ſe ſuòsque magis diligere, quam extraneos, [b] per quæ & alia iura probatur ordinatam caritatem incipere à ſe ipſo: & incluſio illius diei reſpiciebat commoditatem & vtilitatem ſuam, & ſuorum familiarium, & aliorum clericorem pauperum in Curia degẽtium; quam certum eſt maluiſſe intendere, quam Epiſcoporum, & aliorum collatorum voluntatem, & appetitum, quæ non ſolent eſſe Reip. adeo commoda, ac ſua, vti omnium patris, ac domini, & vnici ac ſupremi Vicarij Chriſti.

8 Sextò, quòd prædictę præpoſitiones includunt terminum, quando incluſio eſt vtilis & fauorabilis ei cui fit, vel datur dilatio, facultas, vel gratia, vt pulcherrimè determinat poſt alios Præpoſitus vir eruditiſsimus, & in rebus Curiæ Romanę exercitatiſsimus,[c] & probatur ea ratione, quod in quocumque caſu dies, cui adiicitur præpoſitio, à vel ab, computatur in termino, vbi incluſio termini operatur vtilitatem ei cui datur, vel fit dilatio vel facultas. At per reſeruationem prædictam reſultat vtilitas & commoditas ei cui fit reſeruatio, nempe Papæ: ergo dies termini computabitur in termino: quæ ratio confirmatur per gloſſam magnam & receptam,[d] quæ ſignificat tunc præpoſitionem, à, excludere diem termini, quando vtile, commodum, vel fauorabile eſt ei, cui conceditur dilatio, vel gratia: & tunc prædicta præpoſitio includit, quando incluſio eſt vtilis vel fauorabilis, ei cui conceditut dilatio, facultas, vel gratia. Per quæ omnia concluditur, prædictum diem quartum, qui fuit terminus prędictę reſeruationis, includi ſub ea. Salua. &c.

a De probat.

b Leg. præſes. C. de ſerui. & aqua. & c. ſi non licet. 23. quæſt. 5.

c In prædicto cap. ſuper eo. num. 27.

d Ca. ſtatutũ. de præb. li. 6.

### SVMMARIVM.

1 *Penſio de voluntate prouiſi de beneficio iuſtè ita imponi poteſt vt ea etiam poſſeſſione non habita ſoluatur, & nu. 5. poterit tamen ſe eximere, beneficium dimittendo. num. 7. interim autem iuſte exigitur & ſolui debet. num. 4. ſoluatur inquam ex alijs bonis, ex quo hæc ſolutio non eſt reſtricta vt fiat ſolum de fructibus beneficij. num. 5.*

1 *Vendens vel grauatus dare decem pondera olei, quod naſcetur ex tali prædio, non obligatur dare pluſquam ex eo naſcatur: ſecus eſſet, ſi ſuam obligationem non reſtrinxiſset præciſe ad ex illo naſciturum. num. 5.*

2 *Perempta re debita ſine culpa debitoris, debitor liberatur, & hoc quo ad ea que debentur in ſpecie, ſecus de eo quod debetur in genere. num. 6.*

3 *Impedimentum ſuperueniens excuſat debitorem: fallit tamen in impedimento prouiſo, vel quod potuit à prudente prouideri. nu. 8. & 4.*

4 *Difficultas ſoluendi rem promiſſam non liberat debitorem. & num. 7.*

## CONSILIVM XXXII.

1 PRæſuppoſita reſolutione dubij, ſcilicet; quod cõſtitutio penſionis adiecta clauſula, *habita, vel non habita poſſeſſione*, eſt iuſta. Ad dubium propoſitum, an ſit iuſtum, vel iniquum accipere penſionem à beneficiario, qui nõdum accepit poſſeſsionem beneficij, nec vllos fructus ei⁹, reſpõdetur, quod pro parte affirmatiua facit primò, quòd qui vendit decem pondera olei, quod natum eſſet ex tali prædio, non tenetur ſoluere illa, niſi naſcantur,[a] & ſi legatæ fuerint decem amphoræ vini, quod naſcetur ex tali prædio, non debebuntur plures, quàm naſcentur.[b] At penſio eſt ſoluenda ex fructibus beneficij: ergo non debebit ſolui, niſi tantùm quantùm ex fructibus illius colliget beneficiarius.

2 Secundò, quòd cùm res promiſſa vel legata perit ſine culpa debitoris, non tenetur ad eam ſoluendam, immo nec ſi à communi commercio eximatur.[c] At fructus beneficij, cuius beneficiarius poſſeſsionem non capit, nec potuit capere, & fecit quidquid homo diligẽs facere debebat, videntur periiſſe ipſi ſine vlla culpa ſua: ergo non tenebitur eos ſoluere. Tertio, quod dura res videtur quod quis ſoluat penſionẽ de re, qua nullatenus vti poteſt.[d]

3 Quarto, quod impedimentum ſuperueniens excuſat quem ab obligatione faciendi ea, quæ tenebatur facere.[e] At beneficiario, de quo loquimur, ſuperuenit impedimẽtum ſoluendi penſionem ex impotentia capiendi poſſeſſionem beneficij penſione onerati: ergo excuſatur à præſtanda illa.

4 His tamen non obſtantibus contrarium eſt dicẽdum. Tum quia difficultas præſtandi rem promiſſam nõ excuſat promittentem ad illam præſtandam.[f] Tum quia damnum quod alicui ſua culpa venit, ſibi debet imputari.[g] At damnum hoc ſua culpa euenit beneficiario, qui potens & debens prȩuidere ſe poſſe impediri ab adipiſcenda poſſeſsione, voluit ſe obligare ad ſoluendam penſionem, etiã nõ adepta poſſeſsione. Tũ quia euentus, quẽ quis præuidit vel debuit prȩuidere, nõ excuſat.[h] At prędict⁹ beneficiarius præuidit potuiſſe euenire difficultatem & impotentiam capiendi poſſeſsionem; quia ideo ſe obligauit ad ſoluendam penſionem, etiam non adepta poſſeſsione. Tũ quia, quod factum eſt legitimè, non debet retractari, licet perueniat ad eum caſum, à quo non potuit incipere,[i] & caſus hic nullibi reperitur exceptus ab illa regula: ergo illi eſt ſtandum, iuxta gloſſam ſolemnem.[k]

5 Cum ergo in reſolutione prȩcedentis quȩſtionis probatum ſit prædictam conſtitutionem penſionis eſſe iuſtã, & legitimam, non debet retractari; nec vana fieri, etiamſi eueniat caſus, à quo non poſſet incipere; quanto minus, quod in caſu propoſito non euenit caſus, à quo non poſſet incipere; ſed tantùm difficultas præſtandi, quod legitimè promiſſum eſt, quam non excuſare ſupra dictum eſt.

Non obſtant oppoſita. Ad primum enim reſpondetur concedendo, debitorem pondo olei, quæ naſcentur ex tali prædio, non teneri ad ſoluendum illa pluſquam, quæ ex eo naſcẽtur; quia ſuam obligationem reſtrinxit ad ſoluendum illa, quæ naſcerentur ex tali prȩdio: negando tamen beneficiarium prędictum reſtrinxiſſe ſuam obligationem ſoluendi ex fructibus, quos caperet ex beneficio nec expreſſè nec tacitè, immò ȩxpreſſè ampliauit illam ad ſoluendum ex aliis bonis caſu quo nullos fructus caperet ex illo, immo etiamſi eius poſſeſsionem non caperet.

6 Ad ſecundum reſpondetur concedendo aſſumptum, quando aliquid in ſpecie promittitur; negando tamen, quando in genere promittitur: & ita ſi prædictus beneficiarius promiſiſſet in ſpecie penſionem ex fructibus, quos perciperet ex beneficio pẽſione onerato, non teneretur illam ſoluere: ſed quia promiſit ſoluere: in genere penſionem non ſe reſtringendo ad fructus; quos perciperet, immo ampliando ſe ad caſum, quod etiamſi nihil ex eis perciperet, teneretur etiam ſoluere, ad id obligatur per l. *incendium*. C. ſi certum petatur. & reſolutionem cõmunem ibi, & vbique.

7 Ad tertium reſpondetur concedendo duram quidẽ rem eſſe, ſed duritiem rei præſtandȩ non excuſare obligantem ſe ſcienter ad illam præſtandam: dura enim res eſt ſeruare tria ſubſtantialia vota religionis, ſed illa durities non excuſat monachos ab obſeruatione illorum ſecundum omnes Catholicos contra impium Lutherum; præſertim quod beneficiarius poteſt ſe à duritia illa excuſare relinquendo beneficium, vt regrediatur ad pẽſionarium, vel conferatur alteri.

8 Ad quartum reſpõdetur primò, quòd aſſumptũ in illo intelligẽdũ eſt, de impedimẽto nõ præuiſo, & quod nõ potuit à prudẽte viro prȩuideri; quale nõ eſt hoc. Secũdo

a Le. ſi debitor ff. de contrahen. empt.

b L. cum certus. ff. de triti. vino, o leo.

c L. inter ſtipulantem. §. ſacram. ff. de verb. obliga. cũ ei adnota.

d Arg. prædictarum ll. ſi debitor. & l. cum certus.

e Ca. comm. 13. diſt. & ca. quemadmodum. de iureiuran.

f L. cõtinuus §. cum ita. de verb. oblig

g Cap. damnum. de reg. iur. lib. 6.

h Le. ſi putator. ff. ad leg. Aquil.

i Cap factum legitime. de reg. lib. 6.

k In reg. omnis definitio. ff. de reg. iur. & in rub. eo. tit. lib. 6.

negando,

negando, quod in hoc casu superueniat impedimentum soluendi pensionem, licet superueniat impedimentum soluendi illã ex fructibus beneficij, quæ lõgè sunt diuersa & separata, & à separatis non infertur. [a] Tertio quod potest se excusare ab hoc onere relinquendo beneficium vt prædixi: quod si voluerit illud retinere, damnum, quod ex hoc ei veniet, culpæ suæ imputet per prędictum cap. *damnum*. Salua, &c.

a Le Papinianus. ff. de minorib.

SVMMARIVM.

1 *Subreptitiam reddit gratiam omnis expreßio falsi, quæ potest mouere Principem ad facilius eam concedendam.*

CONSILIVM XXXIII.

AN peccauerit N. in impetratiõe beneficij exprimẽdo se teneri ad solutionem pensionis, quam reuera soluebat, sed paulo ante redemerat?

Respondeo; quòd impetrans vnũ beneficium, exprimẽdo se teneri ad soluẽdam pensionem, quam iam licitè redemerat, non solùm peccat, sed etiam gratiã perdit; quia omnis expresio falsi, quæ potest mouere Principem ad gratiam facilius concedendam, reddit eam subreptitiã. [b]

b Capi. super literis. de rescrip. cum citatis ibi per Fel. colum. 1.

SVMMARIVM.

1 *Pensio reseruata laico super commenda à magno Magistro est nulla.*
2 *Pensionem pro laico solus Papa reseruare potest.*
3 *Beneficiarius post adeptum beneficium, sed nõ antea potest alteri promittere, vel donare de fructibus eius, pietatis & inopiæ intuitu.*

CONSILIVM XXXIV.

VTrum magnus Magister militiæ S. Ioãnis posit cõstituere pensionem alicui laico coniugato super cõmendam collatam cuipiam ordinis sui militi, & an laicus illam exigere, & an miles illam soluere valeat?

1 Respondeo primò, quod mea sententia, quam dolenter promo, constitutio prædicta præfatæ pensionis minimè valet: tum per illa multa, quæ nos nuper scripsimus, [c] quoniã nihil iure distat inter ea quæ ibi scribũtur, & quæ in casu proposito quærũtur, nisi quia ibi magis loquimur de pensione imponenda clerico sæculari super beneficio sæculari, hic autem de illa, quæ imponi potest regulari super beneficio regulari.

c In Miscel. 45. & seq. libelli de miscellaneis.

2 Tum quod receptum est ab omnibus, nõ posse ab inferiori Papæ constitui pensionem vlli laico, etiam nõ cõiugato: & in casu proposito pręfata pensio fuit constituta coniugato ab inferiori Papæ: per quæ nescirem defendere præfatam pensionis constitutionem, neque consequẽter quo modo posit exigi, & quo solui tamquam debita.

3 Secundo, quod si amicitia mutua, & caritas commendatarij pensione onerati, & pensionarij fuerit tanta, quòd commendatarius velit soluere illam gratis alteri, & ille accipere tamquam gratis datam, & ratio aliqua paupertatis, pietatis, vel necesitatis interuenit, ob quam præfatus commendatarius iustè posit donare reditus illius pẽsionis præfato pensionario; possunt conuenire ambo inter se, & per scripturam publicam confiteri se nolle petere, neque soluere pensionem illam vti debitam, & discedere à constitutione, quam Illustrisimus Magister fecit; sed quòd cõmẽdatari⁹ soluet pẽsionario causa paupertatis, pietatis, vel necesitatis tota sua vita, vel ad aliquos ãnos: quoniã licet beneficiarius ante adeptũ beneficium non posit promittere aliquid alteri de fructibus beneficij habendi; potest tamen post habitum & consequutum donare alteri, pietatis, inopiæ, vel necesitatis intuitu, aliquam partem redituum eius, vt latè monstramus nos in multis locis tractatus de reditibus ecclesiasticis.

DE CLERICO AEGROTANTE, VEL DEBILITATO.

SVMMARIVM.

1 *Beneficio ob superuenientem amentiam, etiamsi sit archidiaconatus, quis non est priuandus; sed ei, durante amentia, à superiore dandus coadiutor.*

CONSILIVM I.

VNus Archidiaconus & canonicus in amentiam perpetuam incidit. Quæritur an beneficia illius impetrari posint.

1 Respõdeo, quod non sunt impetranda beneficia prędicta, neque ipse sine culpa eis priuãdus: sed superior potest dare ipsi coadiutorem, manente iure beneficiorum in illo, secundum communem opinionẽ, quæ colligitur ex c. *cum percußio*. [a] & ex responsione quæ communiter datur c. *tua*. [b] quod innuit contrarium: posset autem impetrari à Papa coadiutoria perpetua cum futura succesione pro aliquo, de quo verisimiliter crederetur, quod non captaret mortem eius.

a Et c. Pontifices. 7. q. 1. & ex c. de rectoribus. de cler. ægrot. & ex cap. 1. eod. tit. li. 6.
b De cleri. ægrot.

SVMMARIVM.

1 *Coadiutor ordinario iure creatus tenetur obire ea munera, quę titularis obligatus prestare non potest; viuitque ex fructibus beneficij: & hoc, nisi aliud in creatione sit expresse cautum: quia tunc id erit seruandum tam pro ipso, num. 3. 4. & 5. etiam ad effectum vt sit perpetuus cum futura succesione quam contra ipsum, num. 2. etiamque ad effectum vt per illius interessentiam titulari acquiratur distributiones, num. 3. & 5. ex quo Pontifex circa hæc humana iura potest, vt placet, disponere. num. 7.*
3 *Distributiones etsi non dentur regulariter nisi interessentibus diuinis: attamen quandoque Papa concedit, vt titularis illas lucretur interessendo per ei datum coadiutorem. & n. 5.*

CONSILIVM II.

PResupposito, quod Sanctisimus dedit coadiutorem perpetuum & irreuocabilem archidiacono cum futura succesione; adiecto, quod ipse coadiutor non posit petere, nec exigere quidquam de fructibus archidiaconatus ob eius munera, & regimen: & quod se intromittere non posit in eodem regimine; & administratione archidiaconatus, nec fructuum eius, nisi de consensu ipsius archidiaconi; eo tamẽ absente posit habere stallum, & vocem in Capitulo, & in procesionibus; sed omnia, quæ dũ ibi steterit lucrabitur, cedant archidiacono. Quæritur primò, an ipso archidiacono ægrotante, ea quæ lucrabitur coadiutor, dũ steterit pro eo in Capitulo, vel alibi, cedãt ipsi archidiacono. Secundo, an etiam ea, quæ tribus mensibus, qui ad quiescendum dantur, eidem cedant, si dictus coadiutor resederit.

1 Respõdeo primò, quòd coadiutor iure communi ordinario creatus tenetur, facere omnia, ad quæ datur, & quæ is cui datur tenetur facere, vt colligitur ex Innocentio, [c] & probatur in c. *de rectoribus*. & c. fi. cum ei adnotatis per Panormitanum & alios: [d] colligitur autẽ ex eo, quòd prælatis & beneficiariis dandi sunt iure communi coadiutores, vt adiuuent eos in his quæ tenentur ipsi facere, & non possunt, vt sentit Innocentius, [e] & debent habere sustentationem ex fructibus & reditibus beneficiorum, ad quæ administrãda designãtur, vt statuitur in c. 1. [f] & in d. c. *de rectoribus*. cum eis adnotatis: & huiusmodi sustentatio & stipendium non datur in vanũ, sed pro obligatione faciendi ea, quæ incumbunt agenda beneficiario, iuxta illud, *Propter officium datur beneficium*. [g]

c In c. nisi cũ pridem. de renunciat. n. 4.
d De cleric. ægrot.
e Vbi supra.
f De clerico ægrot. li. 6.
g Cap. fin. de rescri. li. 6. & c. 1. de clerico ægrot. eod. li.

2 Secundo, quod coadiutor, de quo quæstio mouetur, non est iure communi & ordinario datus, sed valde extraordinario, & in gratiã & fauorem specialem, vt ex ipsa concesione Papali colligitur: nam datur cum futura succesione, & cum multis ampliationibus & restrictionibus contra ius commune additis. Datus est enim ita vt coadiutoria sit perpetua & irreuocabilis, & quod nihil posit petere, neque exigere de fructibus archidiaconatus, ob cuius regimen, & munera subeunda designatur.

3 Tertio, quod Sanctisimus D. N. non obligat eum ad prędicta munera subeunda, sed facit ei facultatem subeundi & gerendi de consensu archidiaconi: non enim iubet ei, vt ea subeat, sed quod valeat ea subire volente archidiacono, immo expressè vetat ei, ne se intromittat in regimine & administratione prædicti archidiaconatus, illiusque fructuum, nisi de consensu illius; & quod eo absente posit habere stallum in choro, & locum & vocem in Capitulo, & in procesionibus: & quod cum sic steterit, non lucretur pro se quidquam, sed pro archidiacono: ita quod nullum ei salarium, neque stipendium erit soluendum ab archidiacono, si noluerit ei quicquam soluere.

4 Quartò quòd ex hoc sequitur, quod ipse quoque

coadiutor

coadiutor non tenetur ad seruiendum archidiaconatui, si noluerit seruire; quia sicut ait Apostolus, [a] relatus in c. 1. [b] *qui altari seruit de altari viuere debet*, & vt idem ait, [c] relatus vbi supra, *nemo militat suis stipendijs*. ita qui non viuit de altari, non tenetur ei seruire; quia quod operatur propositum in proposito, operatur oppositum in opposito. [d]

5 Quintò, quòd ex prædicta exorbitanti concessione S. D.N. videtur colligi, quod prædictus coadiutor absente archidiacono potest etiam absque eius cõsensu sedere in choro, & dare vocem in Capitulo, & incedere in processionibus, & interesse aliis actis capitularibus canonicorũ, etiam nolente archidiacono: non tamẽ potest in regimine, administratione, & fructuũ perceptione se intromittere, nisi eo volente, & de consensu eius, vt ex bulla expresse patet.

Sextò, quòd ex prędictis infertur decisio primę quęstionis, scilicet quod ægrotante seu stante infirmo archidiacono potest quidẽ coadiutor interesse choro, & Capitulo, & sedere in locis archidiacono designatis eo absente, & etiã nolente, & lucrari pro archidiacono omnia, quę lucraretur ipse archidiaconus, si ipsemet personaliter deseruiret; non tamen tenetur, si nolit; & in reliquo regimine archidiaconatus & fructuum perceptione nec potest neque debet se intromittere sine consensu & voluntate archidiaconi, cuius concessionis ratio videtur fuisse illa, quòd partes, quibus annuit Papa, noluerunt vt tolleretur quidquam emolumenti archidiacono, licet voluerint vt sua Sanctitas honoraret adiutorem sine vllo archidiaconi damno in vita eius per concessionem stalli in choro, & loci in Capitulo lucrãdo non sibi, sed archidiacono: & quod cedente, vel decedẽte archidiacono succederet in archidiaconatu.

6 Septimò, quòd prędictus archidiaconus potest sibi quærere omnia emolumenta sui archidiaconatus ratione suæ infirmitatis, & aliorum legitimorum impedimentorum, & non interessendo diuinis, eo modo perinde ac si non haberet coadiutorem, siue coadiutor interfuerit, siue non: quia nullo iure neque hac concessione Papali hoc ei prohibetur.

Octauò, quòd ex his infertur etiam decisio secundæ quæstionis, scilicet quod tribus mensibus, qui pro quiete dantur, lucrabitur archidiaconus perinde ac alij, siue coadiutor resideat siue non: quia in illis non tenetur interesse diuinis per se, neque per alium.

7 Nonò, quod non obstant argumẽta, quæ induci possunt contra hæc ex iuribus allegatis in primo dicto: quia illa procedunt in eo qui est coadiutor secundum formam iuris communis, secundum quam debet habere congruã sustentationem; & debet obire munera: quæ principalis cui datus est subire nequit: qualis non est hæc, cui expresse derogat summus Pontifex, qui circa omnia iura humana dispensare potest. [e] Quæ omnia licet is cui vacaret, posset largius fundare, nos tamen plurimis occupati non potuimus id præstare, sed neque expedit: quoniam satis firmiter ex præfatis nouem dictis confirmantur.

a 1. ad Corin. 9. b Col. 2. 13. q. 1. c Ad Galat. 5. d L. & si con tra tabulas. ff. de vulg. & ca. sciendum. 8. q. 1.

e Ca. cuncta per mũdum. 9. q. 3. & ca. proposuisti. de concess. præb.

SVMMARIVM.

1 *Senectus metaphoricè, & non propriè dicitur morbus: vnde in literis beneficialibus, quæ sunt ambitiosæ, appellatione morbi non venit senectus.*

2 *Coadiutoria ob vnam causam non extenditur ad aliam, immo duæ ad duas causas dari possunt.*

2 *Religiosus ad id cui aptus est, & non cui est ineptus, coadiutor dari potest.*

3 *Coadiutor Archiepiscopi cum futura successione pallio vti non potest.*

3 *Coadiutor Archiepiscopi eo absente, vel annuente, benedictionẽ dare potest, si sit Episcopus cõsecratus, possitque exercere põtificalia.*

4 *Coadiutor datus cum potestate exercendi, quæ coadiutores iure vel consuetudine possunt, beneficia conferre, vel alia exercere non valet, quæ is, cuius est coadiutor, per se vult & potest exercere.*

CONSILIVM III.

AN coadiutor datus Archiepiscopo propter senectutem, ægritudinem, & amentiam cum futura successione, & facultate exercendi spiritualia & tẽporalia, quæ iure vel consuetudine ad coadiutoris officium pertinent, possit vti muzetta, benedictionem dare, beneficia cõferre, & sedere in archiepiscopali cathedra?

Respondeo primo, quod quæstio proposita non videtur satis conformis literis coadiutorię, quę cum ea ostenduntur: nam per illas datur coadiutor propter solam ætatem senilem; & quæstio quęrit de coadiutore dato propter senectutem, ægritudinem, & amentiam.

1 Secundo, quod ex literis ostensis non apparet præfatum Archiepiscopum esse amentem, neque esse ægrotum quamuis enim senectus dicatur metaphoricè quidã morbus, non tamẽ propriè ac verè est morbus: & in huiusmodi literis beneficialibus, quæ quadam ratione dicuntur ãbitiosę, & odiosæ, [a] appellatione morbi non includeretur senectus vegeta & sana, [b] & ita quæstio proposita aptior esset, an, prædicta coadiutoria data propter senilem ætatẽ includat veram aliquam ægritudinem aliam, & amentiã: & verba quæstionis propositæ videntur præsupponere quod sic: sed verba coadiutoriæ id non probant.

2 Nam coadiutoria data ob vnam causam, vti propter dilapidationem, non censetur data ob ęgritudinem, vel aliam similem, quę non saperet alienationem, vt rectè sẽtit Oldradus, [c] & religiosus potest dari coadiutor ad id, cui est aptus, & non ad id cui est ineptus, vt tradit Panormitanus, [d] & etiam textus nouus cap. 1. [e] ponit differentiam inter coadiutorem dandum ob vnam causam, & dãdum ob aliam: & quamuis multis videbitur non interuenisse in hac concessione errorem vel defectum ad includendũ casum ęgritudinis vel dementiæ; meo tamen fragilj consilio præfatus Reuerendissimus coadiutor, dum res est integra, prouidebit sibi de aliquo *perinde valere*, quo extendatur ad omnem aliam causam perpetuo impeditu-ram ab officio suo prędictum Archiepiscopũ, vt in vtroque foro sit securior: nam etiam defendi posset de rigore quod non obstante prędicta coadiutoria, & remanente illa in suo vigore; ipsemet Sanctissimus D.N. posset dare prædicto Archiepiscopo alterum coadiutorem.

3 Tertio, quod verbi muzetta significatio mihi est ignota, sed suspicor esse positum pro palleo, siue pallio, de quo est tit. *de auctoritate & vsu pallij*, & si accipitur pro illo, credoq uo d nonpotest vti eo, donec sit Archiepiscopus, & moriatur, vel cedatis is qui nunc est. [f]

Quarto dico, quod si & quatenus poterit exercere põtificalia, postquam fuerit Episcopus consecratus, ita poterit etiam dare benedictionem, quę videtur pertinere ad pontificalia, saltem in absentia Archiepiscopi, vel annuẽte illo.

4 Quinto, quod iure verius videtur, non posse prædictum D. coadiutorem conferre beneficia, potente & volente conferre illa prædicto Archiepiscopo, & nolente vt conferat coadiutor: quoniam S.D.N. solùm dat ei potestatem exercendi iura spiritualia, & temporalia, quę iure vel consuetudine pertinent ad coadiutoris officium: & iure nõ pertinent ad eius officium ea, quę principalis rectè potest & vult agere per se, & nõ vult vti coadiutoris consilio, neque auxilio. arg. c. *Pontifices*. [g] & fere omnium aliorum, [h] & quia hæc est mens constituentis coadiutorẽ & iure diuino naturali debet esse talis, iuxta regulam, id quod nostrum est, sine facto & consensu nostro tacito vel expresso auferri non debet. [i]

5 Sextò, quòd ad respondendum quæstioni de facultate sedendi in cathedra archiepiscopali, videtur necessaria informatio de statutis, priuilegio & consuetudine prędictę archiepiscopalis Ecclesiæ, an quidquã super hoc disponant, & reseruent sessionem in illa sede in honorem dignitatis archiepiscopalis: & an Archiepiscopus, qui nũc est, sit cõsensurus, vel repugnaturus prędictę facultati sedendi, & rationem, qua duceretur ad repugnandum: nam cessante huiusmodi reseruatione, quã vidi cessare in quibusdã Ecclesiis cathedralibus, in quibus decanus vel prępositus sedere solet in episcopali sede absente Episcopo, posset prędictus D. coadiutor in ea sedere, sicut canonici recentiores sedẽt in stallis antiquiorum in multis Ecclesiis eis absentibus, eo quod id iure communi non vetatur argum. cap. *consuluisti*. [k] cum similibus, quæ in hoc adduci possent. Salua, &c.

a Ca. quamuis. de præbe. lib. 6. b Arg. le. non aliter. ff. de lega. 3. adiun cto c. 1. & ca. nisi de renun cia.

c Cons. 44. d In c. fin. de cleric. ægrot. q. 6. e Eod. tit. l. 6.

f Arg. c. nisi. & c. ex tuarum. de auctoritate. & vsu pallij.

g Et c. petisti. h 7. q. 1.

i De reg. iur. li. 6. cum suis concord.

k 4. q. 4. ve; 5.

## NE SEDE VACANTE ALIQVID INNOVETVR.

SVMMARIVM.

*1 Sede vacante Capitulum non confert præbendas ad solius Episcopi collationem spectantes, etiam quas Episcopus cum consilio vel consensu Capituli confert, confert tamen illas, quarum collatio ad Episcopum, simulq; & ad Capitulum spectat.*

### CONSILIVM I.

AN prouisio canonicatus & præbendæ pœnitentialis, quem Concilium Tridentinum iussit institui in Ecclesiis cathedralibus facta à Capitulo cathedralis, episcopali sede vacante, valida sit?

1 Respondetur primò, audiuisse magnam dubitationem esse in Ecclesiis Hispaniæ, an prouisio prædicti canonicatus spectet ad solum Episcopum, an ad Episcopum & Capitulum: & si spectat ad Episcopum & Capitulum, an spectet ad Episcopum & Capitulum cõmuniter, vel ad Episcopum cũ consensu & consilio Capituli.

Secundo, quod qui tenuerit potestatem conferendi illũ pertinere ad solũ Episcopum sine consensu vel consilio Capituli, debet etiam tenere, quod prouisio, de qua queritur, non valet: quia Capitulum non succedit Episcopo sede vacante in collatione talium beneficiorum, cap. *illa*,[a] cum aliis, quæ citant Panormitanus & alij,[b] & Ioannes Franciscus Pauinus.[c]

Tertio, quòd qui tenuerit prouisionem prædicti canonicatus spectare ad prouisionem Episcopi & Capituli simul, tenetur etiam respondere prædictam prouisionem valere: quia Capitulum succedit Episcopo in collatione beneficiorum pertinentium ad collationem Episcopi & Capituli communiter per textum.[d]

Quartò, quòd qui tenuerit collationem prædicti canonicatus ad Episcopum cum consensu vel consilio Capituli pertinere, tenetur etiam dicere prædictam prouisionem non valere, per prædictum cap. 1.[e] licet prædictus Ioannes Franciscus Pauinus distinguat vbi supra inter casum quo collatio pertineat ad Episcopum cum consensu Capituli, & inter casum quo pertineat cum consilio, allegando in hoc Lapum, & in contrarium Dominicum qui in meo lib. non videtur distinguere. Salua, &c.

*Congregatio censuit electionem personæ pœnitentiarij spectare ad Episcopum, collationem verò præbendæ eidem faciendam per illum ad quem prius collatio illius præbendæ spectabat.*

a Ne sede vacante.
b In cap. cum olim. de maiori. & obed.
c In q. 1. par. 2. tractat. de offic. & pot. Ca. sede vacan.
d In cap. 2. in princ. ne sede vacan. lib. 6.
e §. cũ vero.

## DE IIS QVÆ FIVNT A PRÆLATIS SINE CONSENSV CAPITVLI.

SVMMARIVM.

*1 Prior claustralis, & conuentus, qui cum Abbate consenserunt reseruationi pensionis super abbatiæ bonis, quæ sunt indiuisa inter eosdem Abbatem & conuentum, censentur descripti potius ad effectum præstandi consensum Abbati, qui sine ipsis non potest alienare, quam se obligandi ad illius solutionem.*

### CONSILIVM I.

VISIS & perpensis tribus responsis datis à tribus viris eruditissimis super obligatione soluendi pensionẽ constitutam à Papa de consensu Abbatis, ac Prioris claustralis, & conuentus monasterij de Lozo, an post renunciationem abbatiæ ab Abbate, qui consensit pensioni, factam, teneatur Prior & conuentus eam soluere: visa item supplicatione super ea signata, videtur mihi responsum domini primi consulentis esse iuri cõsonãtius per ea omnia, quæ ipse eruditè ac prudenter considerat: & quod Prior & conuentus non nominantur vt principales, sed veluti accessorij, & membra seu corpus Abbatis tamquam capitis eorum.[f]

2 Cum de iure communi nullam administrationem habeant ipsi, sed tota potestas administrandi spiritualia & temporalia sit penes Abbatem, iuxta cap. *nullam*.[g] & per omnes in cap. *edoceri*.[h] & ita eorum nominatio potius fuit facta ad tollendam dubitationem aliquorum, an potuisset Abbas constituere pensionem sine consensu illorum, quasi esset quædam alienatio, in qua requiritur ille, iuxta cap. *sine exceptione*.[i] quàm ad hoc, vt se obligarent ad id, quod non poterant soluere, quippe quibus nulla est administratio de iure, neque vt fertur de facto; quia nõ sunt diuisa bona inter Abbatem & conuentum, iuxta prædictum cap. *edoceri*. Salua, &c.

f Ca. cum nõ liceat. de præscrip. cum ibi citatis, c. quãto. & ca. nouit. de his qua fiunt à præl.
g 18. q. 2.
h De rescrip.
i 12. q. 2.

## DE IIS QVAE FIVNT A MAIORI PARTE CAPITVLI.

SVMMARIVM.

*1 Concilium generale nihil potest refragante Papa, qui ei præsidet vt persona in qua residet tota potestas Ecclesiæ; potestque ipse solus statuere, quicquid posset cum Concilio. n. 4.*

*2 Collatio si spectet ad Episcopum & Capitulum collegialiter, non tenet, nisi accedat maior pars Capituli cum Episcopo.*

*3 Professionis nouitiorum admissio si collegialiter spectet ad prælatum & Capitulum, taliter quod prælatus vnicam solum habeat vocem, receptio à maiori parte Capituli facta tenet, etiam si suffragiũ Episcopi sit in altera minori parte.*

*4 Concilium prouinciale cõgregatur collegialiter: vnde quæ ibi fiunt à maiori parte, etiam contradicente Archiepiscopo, tenent. num. 2.*

### CONSILIVM I.

AN in Concilio prouinciali possint soli suffraganei, aut eorum maior pars aliquid decernere, quãdo Archiepiscopus esset contrariæ sententiæ?

1 Pro parte negante facit, quod congregatio Episcoporum totius orbis, quæ fit in Concilio generali, maiore videtur esse auctoritate, quàm congregatio Episcoporum in Cõcilio prouinciali. At Episcopi toti⁹ orbis nihil possunt statuere in Cõc. generali, refragãte Papa, qui ei præest, arg. c. *significasti*.[a] ex quo Io. And. relat. & probat, à Pã.[b] colligit, quod sententia Papæ præfertur sententiæ omniũ aliorum, qui sunt in Concilio. Faciunt & illa quamplurima, quæ in hanc sententiam congerit Antonius à Rosel.[c]

2 Pro contraria tamen parte, quæ videtur asserenda, facit l. *quod maior pars*.[d] cum notatis ibi per Bartholum & ei addita, quæ habent, quod in his, quæ ab aliquibus collegialiter aguntur, sententia maioris partis præfertur minori. quod etiam pro regula ponitur à glossa & omnibus scribentibus super ea.[e] & constat Archiepiscopum & Episcopos suffraganeos Concilium prouinciale celebrantes facere collegialiter ea, quę in illo agunt. Secundo facit, quod quo ad hoc non refert, an qui cõgregationi præest, sit Decanus, vel Præpositus, vel Episcopus, vel Archiepiscopus: quia hæc exceptio & limitatio nullo iure naturali, diuino, nec humano probari videtur; & ideo non est asserendum,[f] quia standum est regulæ, donec probetur exceptio.[g]

3 Tertio, quòd quãdo collatio pertinet ad Episcopum & Capitulũ collegialiter, facta ab Episcopo cũ aliquot canonicis sui Capituli, non valet, si maior pars ei contradicat. Quarto, quod in receptione monachorum spectante collegialiter ad Abbatem & Capitulum, ita quod Abbas non habeat nisi vnam vocem, siue suffragium, maior pars eorum præualet minori, etiamsi in ea sit Abbas.[h]

4 Quinto, quod non obstant in contrarium citata; quoniam Papa longe aliter præest Concilio generali, quàm Archiepiscopus prouinciali, & Episcopus synodali; quia Papa præest vt persona, in qua residet tota potestas Ecclesiæ; ita quod solus posset statuere quicquid cum Concilio posset:[i] Archiepiscopus autem præsidens Concilio prouinciali non habet solus & à se illam potestatem, sed vna cum suffraganeis collegialiter: & ita nulla ratione à Papa ad illum argui posset. Salua, &c.

a De elect.
b In notab. 7.
c De Concilijs. q. 17.
d ff. ad municip.
e In c. cũ omnes. de consti.
f Ca. cõsului sti. 2. qu. 4. §. cõsideremus. Auth. de triẽ. & semiss. colum. 3.
g Gloss. l. omnis definitio. ff. de regulis iuris. & in rubr. eodem tit. lib. 6.
h Arg. c. 1. ne sede vac. lib. 6. & c. fin. de regul. eodem lib.
i Cap. cuncta per mũdum. & c. per principalẽ. 9. q. 3.

## VT ECCLESIASTICA BENEFICIA SINE DIMINVTIONE conferantur.

SVMMARIVM.

*1 Conferri debent beneficia sine omni diminutione; nec à collatario potest exigi iuramentum, quod non resignabit beneficiũ nisi liberè in manibus Papæ, vel ordinarij. quod si collatio fiat cum dicto pacto non resignandi, esset simonia. num 2.*

*3 Iuramentum non petendi relaxationem à iuramento præstito non tenet, sicut nec alia similia maioris bona impeditiua.*

### CONSILIVM I.

AN Ordinarius possit in collatione alicuius beneficij adigere collatarium iuramẽto quod ipse nõ renunciabit

ciabit beneficium cum pensione, nec in fauorem alicuius, nec permutabit illud, nec à iuramento petet relaxationẽ, sed tantum purè, & liberè, & simpliciter in manibus Papę, vel ordinarij?

1 Ad hanc quæstionem respondeo negatiuè. Tum quia beneficia sine diminutione sunt conferenda, [a] & conferens beneficium cum huiusmodi oneribus, videtur cõferre cum diminutione: quia onus impositum rei minuit pretiũ eius. [b] Tum quia Episcopus non potest facere huiusmodi pacta cum eo, cui collaturus est beneficium. [c]

2 Secundo, quod ego non auderem excusare conferentem nec collatarium à simonia: quia negari non potest interuenire in huiusmodi collatione conditionem, modum, vel pactum, quod iure non inest actui conferendi, vel recipiẽdi beneficium. At in collatione huiusmodi spirituali non poterit addi conditio, vel modus, qui iure non inest, immo neque qui inest, nisi exprimatur eodem omnino modo, quo inest, iuxta gloss. & addita illi per Felinum, [d] faciunt notata in cap. *significasti.* [e] Tertio dico, quod illud iuramentum de non petendo relaxationem non est validum: quia iuramentum non debet esse impedimentum maioris boni, cap. *Archid.* [f] iuncta glossa recepta, [g] & tradit D. Tho. receptus 2.2.q. 89. art. 7. & Fel. & Panor. & alij. [h] At iuramentum de non petenda dispensatione iuramenti, nec de vtendo sibi oblata, inducit impedimentum maioris boni: ergo non est seruandum, saltem quando occurrerit casus, in quo seruatum esset maiori bono impedimentum: & ita determinat Fel. [i] secutus Bald. [k] per quasdam rationes, quibus addimus nos præfatam illam (vt arbitramur) firmiorem. Tum quia si voluerit renunciare in manibus Papæ retinendo pensionem, potest in ipsa supplicatione narrare onus impositum & iuramentum, & causam aliquam honestam, quare suæ conscientiæ videtur id facere vtile, & audietur, obtinebitque petitum cum laude, &c. Salua, &c.

a Ca. 1. vt eccles. benef.
b Ca. cũ Ioannes. eũ ei adnot. de fide instr.
c Arg. c. quã pio. 1. q. 2. c. fi. de pact.
d In capit. ad audientiam. de rescript.
e De elect. & in leg. 3. ff. de leg. 1.
f 85. dist.
g In verbo sanctis.
h In c. si vero. de iureiur.
i In c. debitores. de iureiu. q. 3. n. 9. tertio quaro.
k In leg. 2. ff. de transact.

## DE REB. ECCLES. ALIEN. VEL NON.

### SVMMARIVM.

*1 Beneplacitum Sedis Apostolicæ, sub cuius reseruatione fit alienatio rei Ecclesiasticæ, facit actũ conditionalẽ, & excusat à pœna, modò ante illud obtentum non procedatur ad executionem illius.*

## CONSILIVM I.

QVæritur, an qui solùm facit contractum venditionis vel permutationis circa Ecclesiastica, reseruata volũtate Papæ, incurrat aliquas censuras.

1 Respondeo, quòd qui solùm facit contractum venditionis vel permutationis, reseruato beneplacito Papæ, si non procedat ad executionẽ contractus, nec ad traditionẽ rei venditæ vel permutatæ ante beneplacitum Papæ, non videtur incurrere censuras: quia videtur conditionalis facta sub conditione *si Papæ placuerit*: argumẽto styli Curiæ in pactis beneficialib. obseruati.

### SVMMARIVM.

*1 Ecclesiæ res in casibus à iure permissis etiam sine Sedis Apostolicæ licentiã alienari possunt: fallit in prælatis, qui in adeptione prælaturæ speciali iuramento ab eis demandato Papæ exacto promittunt suæ Ecclesiæ bona inconsulto Romano Pontifice non alienare: conciliantúrque quæ ponit auctor in Man. cap. 27. nu. 149. & in commentario de alien. rer. ecclesi. nu. 17.*

*2 Peccato nequaquam inuoluitur qui bono animo & fine aliquid, quod per se malum non est, dat, vel facit alicui, quem credit inde per accidens peccaturum, secus si detur aliquid, quod per se vel directè, vel principaliter fit ob aliquod malũ culpæ: conciliantur, quæ auctor ponit in Man. ca. 17. num. 18. 195. & cap. 23. nu. 90. cap. 16. nu. 20.*

## CONSILIVM II.

1 AD priorem quæstionem, qua quæritur concordia inter conclusionem positam in Man. nostro, [l] scilicet extrauag. Pauli II. excõmunicantẽ ipso iure alienantẽ rem Ecclesiæ nõ includere alienãtẽ rẽ Ecclesię in casibus à iure permissis, & inter conclusionem positam in commen. de alien. rerum Ecclesiæ, [a] vbi dicitur, quod in alienatione rerum Ecclesiæ est necessarius consensus, vel licentia Papæ: Respondetur primò, quòd in pręfato ca. 27. [b] loquimur de alienãte rẽ Ecclesię, quã nõ iurauit nõ alienare, saltem iussu superioris supremi, scilicet Papę, facto ei in ipsamet collatione, quam ei fecit, vel mandauit fieri, ad hoc, vt cautius & cõsultius illud gubernaret, modificando suam collationem, & addendo expressè vel virtualiter decretum irritationis alienationis contrariæ: in pręd.icto autem commentario loquimur de alienante cõtra iuramentum prædicto modo factum.

l Cap. 27. nu. 149.

Secundò, quòd in pręfato c. 27. loquimur de alienante in casibus à iure permissis, in dicto autem commen. de alienante in casu prohibito non solum à canone, sed etiam ab homine, & non solum simpliciter, sed exacto iuramento, & addito decreto irritante alienationẽ & ita illę conclusiones ponuntur de diuersis alienantib⁹, quorum alter pluribus modis prohibetur alienare, quàm alter. Per quę responderi potest c. vt super, [c] & c. 2. [d] quatenus loquuntur de illo, qui iurauit non alienare; scilicet, quod non loquuntur de iurante iuramentum adeo qualificatum, ac est illud, de quo loquitur pręfatus cõmẽtarius.

2 Ad aliam quæstionem respondeo, quod ego in locis allegatis in ea, scilicet in d. Man. [e] sentio differentiam inter eum, qui seruit, ministrat, dat, aut tradit aliquid ob aliquem finem bonum alicui, quem credit esse peccaturum, non consentiendo directè, vel indirectè, expresè, vel tacitè in peccato, quod opinatur vel credit illum cõmissurum, de quo loquitur ca. 23. num. 90. & inter eum, qui expressè, vel tacitè, directè, vel indirectè id facit, de quo loquuntur alia loca supra citata, & alia multa, in quibus dãnatur id quod per se vel directè vel principaliter fit ob aliquod malum culpę, & non id ex quo per accidens & per quamdam consequẽtiam, & minus principaliter sine vllo fine malo, nec voluntate auctoris euenit, per l. *si quis nec causam.* [f] vbi Iason id confirmat 18. exemplis; & decisionibus, quæ tamen indigerent aliqua dolabra, vt satis conuenirent huic nostræ resolutioni, quæ altius restringit id, quod dicitur in dicto c. 23. [g] quo ad culpam peccati, de qua illud, & alia citata ibi loquuntur.

a Super gloss. summæ 12. q. 2. nu. 17.
b Nu. 149.
c De reb. eccl. non alien.
d De feud. & ei annota.
e Ca. 23. nu. 90. & in cap. 20. nu. 16. vbi cito ca. 17. nu. 195. & 18.
f ff. de reb. cred.
g Num. 90.

### SVMMARIVM.

*1 Excommunicatus est prælatus alienans bona Ecclesiæ; sed antequam pro tali, denuncietur, retinet administrationem; & qui ei soluit debita: liberatur. nume. 2. & 3. & hoc etiam si per multos annos permansisset in excommunicatione. fallit in excommunicato ob hæresim, qui non potest nec contrahere, nec testari, num. 4.*

*4 Excommunicatus perseuerãs in excommunicatione vltra annum etsi per Concilium Tridentinum videatur fieri suspectus de hæresi, tamen videtur prius requiri, quòd post monitionem de resipiscendo in ea sic permanserit.*

*5 Prælato dissipatori, antequam ei administratio interdicatur, rectè soluitur. num 7. ipseque à se malè alienata cum fructibus potest repetere. num. 6.*

## CONSILIVM III.

QVidam Archiepiscopus ante duodecim annos alienauit bona Ecclesiæ suę; deinde fecit remissionẽ & liberationem quorumdam fructuum sui archiepiscopatus à quibusdam perceptorum. Quæritur an huiusmodi liberatio valeat, ita vt non possit à moderno Archiepiscopo reuocari.

1 Respondendum videtur negatiuè, per sequentia fundamenta. Primum est, quod Archiepiscopus erat excommunicatus ob illam iniustam alienationem, per extrauagantẽ 2. [h] & prælato excommunicato videtur prohibita administratio, [i] quia æquiparatur deportato, iuxta glossã singularem. [k] Sed hoc fundamentum non videtur satis firmũ. Tum quia prædictus Archiepiscopus erat excommunicatus toleratus, & non denunciatus: & post extrauagantem: *ad euitanda.* [l] de qua in Man. confess. [m] non impeditur excommunicatus administrare, donec denuncietur excommunicatus.

2 Tum quod licet esset denunciatus, & per exceptionẽ obiectam repelli posset à petitione debiti, valet tamen petitio & iudiciũ, donec obiiciatur exceptio, per c. *pia.* [n]

h De reb. eccl. non alien.
i Ca. veritatis. de dol. & contum. c. ad probandum. de re iudic.
k §. minor. Instit. de cap. dimin.
l Martini V.
m Ca. 27. nu. 35.
n De except. lib. 6.

3 Tum quia licet excommunicatus repelli possit à petendo debito in iudicio, [a] solutio tamen ipsi facta sponte liberat debitoré,& potest ab obligatione liberari,& quietari:nam licet ipse peccet non euitando alios,[b] cótractus tamen & distractus ab eo facti tenent, immo etiam testamentum,vt diximus in Man.confess.[c] & satis colligitur ex notat.in d.cap.*veritatis*,[d] & ex Philippo Franc.& relata ab illo,[e] quidquid inuoluat glossa.[f]

4 Et ita non obstante excommunicatione potuit accipere & petere omnes fructus sibi debitos, & dare liberationem,siue quietationem debitori,nisi insimularemus eũ hæreseos,eo quod 8. annis manserit excommunicatus ante liberationem,& cum fecit liberationem habuit voluntatem permanendi in illa,eo quod approbabat alienationem illam iniustam,& permansit in illa voluntate circiter 12.annos vsque ad mortem: & per annalem excómunicationem quis incidit in suspicionem hæreseos, vt diximus in d.ca.27.[g] citando in id Conc. Trid.[h] & excommunicatus ob hæresim non potest contrahere,nec testari, [i] vt idé Philip.Franc.[k] licet responderi possit,quod Conc.non loquitur de quolibet excommunicato annali, sed tantùm de legitimè monito non resipiscente, vt ibi patet. Et quamuis hoc fundamentum non concludat omnino intentioné moderni Illustrissimi,concludit tamen prædictam liberationem fuisse abominabilem, & digná, cui qua parte possit contradicatur:& quæ qua parte possit eneruetur.

5 Secundum fundamentum est,quòd,vt quidam dicunt, prælatus,qui malè alienat bona,non potest petere,nec acceptos ferre fructus eorũ. Pro quibus facit, quod prælato dissipatori non est facienda restitutio bonorum,vt ait Caietanus,[l] pro quo faciũt omnia, quæ post Alex. & Aret.allegat Iason, [m] pro opinione eorũ,qui asseuerant prodigo notorio ipso iure interdictam esse administrationé etiam ante iudicis decretum:& quod alienatio prædicta notoriè videtur fuisse mala,cum circiter 20.annos fuisset Archiepiscopus,& Legatus, & sic dissipator bonorum Ecclesiæ potuit haberi.Hoc tamen fundamentum non videtur esse satis firmum. Tum quia dictum Caietani nullo iure probatur efficaciter.

6 Tum quia prælatus malè alienans bona,potest, immo tenetur,recuperare illa bona,& reddere rationem Deo de illis,[n] & etiam de fructibus eorum: quia vtraque sunt ecclesiastica,& destinata in sustentationem prælati, & pauperum, quorum sustentationi & iuri publico ea percipiédi non potest renunciare prælatus, [o] de foro comp. Tum quia tam recuperatio fructuũ, quam bonorum malè alienatorum pertinet ad Episcopum malè alienantem, dum ipse viuit, & ipsi debent restitui,vt diximus in Man. confess.[p]

7 Tum quia receptior opinio habet,prodigio, & dissipatori bonorum non esse ipso iure interdictam administrationem,sed tantùm interdicendam, vt probat prædictum cap.*veritatis*, [q] & prædicta l. *is cui*, [r] cum multis aliis adductis ibi per Iasonem,à qua communi opinione non esse recedendum in consulendo,tenent etiam ipsi, qui cótrarium probabiliter defendi posse asserunt. Hoc tamen fundamentum,licet omnino non concludat intentionem Illustrissimi,concludit tamen,vt & primum,prædictam liberationem quocumque modo iusto esse impediendam.

*Aduertendum ad id quod dicitur sub numer.4. referri sacram Congregationem inclinasse,non esse opus monitionibus vt resipiscat sed elapso anno potest citari ad respondendum,quid sentiat de fide.*

SVMMARIVM.

1 *Alienans res ecclesiæ sine licentia Papæ, vel sine causa iusta, vel iuris ordine non seruato,peccat,& tam alienans quàm recipiẽs excommunicatus est:& in foro exteriori saltem priuatus est beneficio,quod in dicta Ecclesia habet, at in conscientia nonnullæ sunt causæ,ex quibus fortè excusari posset.*

## CONSILIVM IIII.

QVidá alienauit bona Ecclesiæ inconsulto Papa. Quæritur an sit priuatus ipso iure beneficio?

1 Respondeo primò,quod D.consulens peccauit alienãdo bona prædicta Ecclesiæ sine licétia Papæ,vel sine iusta causa:vel non seruata iuris cómunis forma, iuxta c.*sine exceptione*.[a] & alia iura multa illis concordantia, quorũ nos mentionem fecimus nuper in comment.[b]

2 Secundo,quod tam ipse alienans, quàm recipiens alienatum,ipso iure sunt excommunicati,& quo ad forum saltem exterius etiam ipso iure priuati beneficiis,quę habent in Ecclesiis,quarum bona alienarũt; vt expressè habet prefata extra. [c] citata à nobis in prefato com. [d] Dixi supra Quo ad forum saltẽ exterius, quia quo ad forũ interius possent excusari per aliquas circumstantias,quas tãgimus in d.commen.[e] quarum nulla fit mentio in casu propositو:& quia rari sunt,qui præfatum comment.habeant, vti nuperrime impressum,mitto cum hoc responso ipsum Illustri admodum D. meo colendissimo, qui dignatus est hoc responsum huius quæstionis iubere mihi seruo suo optimè sibi affecto,quamuis inutili. Salua,&c.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest quidem bona ad cathedralem pertinentia,accedente Capituli consensu, valide in casibus à iure permissis alienare:de Abbate autem exempto habente iura quasi episcopalia, cum sit controuersum consilium est vt accedat consensus sui immediati superioris, & auctoritas Episcopi vbi bona sunt sita, vel Apostolica confirmatio.*

## CONSILIVM V.

ABbas quidam cum suo conuentu exemptus à iurisdictione ordinaria Episcopi alienauit in casu à iure permisso quasdam res immobiles existentes extra episcopatum illum, vbi erat abbatia sita, sine vllius Superioris auctoritate. Quæritur an valeat alienatio.

1 Pro parte affirmante facit,quòd alienatio rei pertinẽtis ad Ecclesiam cathedralem facta ab Episcopo cum cósẽsu sui Capituli valet,vt tradit Panormitanus receptus,[f] & probatur per c.*sine except.*[g] at Abbas exẽptus habet iurisdictionem quasi episcopalem, iuxta glossam singularé & receptam.[h]

Pro parte verò negante facit,quod Cardinalis, [i] tenet, quod licet in alienatione rei Ecclesiasticæ facienda per Abbatem exemptum nõ requiratur auctoritas Episcopi, requiritur,tamen auctoritas Papæ,aut prælati Superioris cui immediatè subiicitur:& [k] videtur requirere consensum Episcopi,cui res alienanda subiicitur.

Resoluendo autem dico, multa super hac quæstione pro vtraque parte posse adduci, sed consulendũ esse præfato D.consulenti,vt procuret præfatam alienationem ratificari per superiorem immediatum præfati Abbatis,qui facile id faciet,rogante & informante præfato Abbate,& conuentu,qui alienationem præfatam fecerunt: & quod etiam faciat eam ratificari,per Episcopum, in cuius episcopatu sunt sita præfata bona ad informationem prædictorum,arg.eorum quæ determinantur;[l] à Panormitano & aliis,& à Cardinali,[m] & ab aliis.[n] poterit etiam impetrare D.consulens suo nomine confirmationem à Sede Apostolica;quæ si fuerit in forma communi, parum proderit;si autem per commissionem cum causæ cognitione nonnihil tædij & sumptus afferet.

SVMMARIVM.

1 *Abbas sine conuentu non potest alienare res immobiles.*

1 *Seruus ecclesiæ alicui prædio colendo deputatus censetur de rebus prohibitis alienari.*

2 *Arbores opacas cædi faciens Abbas sine consensu conuentus non incidit in clementinam 1.de reb.eccles.non alienan. nec postea eas vendens.*

## CONSILIVM VI.

AN Abbas sine consensu sui Capituli & Generalis opacas arbores locorum sui monasterij pro vberiori fructuum collectione cædere possit;præsertim si cæsarum arborum pretia in bonorum stabilium emptionem in cómodum illius monasterij conuertit.

1 Contra Abbatem facit primò,quod ipse solus nõ potest etiam ex iusta causa sine sui conuentus consensu alienare res immobiles monasterij,[o] & arbores etiam opacę,

---

a Ca. decernimus. de sen ten.excomm. lib.6.
b Capi.illud. de cler.excómu.ministr.
c Ca. 27.nu. 36.
d De dol. & cont.
e In rubr. de testam. n.32.
f In d.ca.decernimus.
g Nu. 10.& sequent.
h Sess. 25.ca. 3. de reform.
i Ca. excõm. §. credentes. de haret.
k Vbi supra adnotauit.
l In sum.ver. restitut. c. 4.
m In l.is cui. de verb.obligat.
n Cap.si quis presby.de rebus eccle.non alien.
o L.ius publicum.ff.de pactis.ca.si diligenti.
p Cap.17.nu. 29.
q De dol. & cont.
r ff. de verb. oblig.

a 12.qu.2 & c.si quis presbyt. de rebus ecclesia non alienan. & extrauagã.1. Pauli II. eodem tit.
b Super summam 12.q.2. vsque ad nu. 8.
c Pauli II.§. sin autem.
d Adnot.10. nu.14.
e Adnot. 1. num.15.
f In c.1.de his quæ fiunt à prælat.
g 12.q. 2.
h In clem.1. verb propriè de reb.eccles. non alienan.
i In d.clem.1. q. 34.& seq.
k In q.7.
l In c.1.de his quæ fiunt à prælat.
m In d.clem. 1.q.35.& 37. de reb.eccles. non alien.
n Ibid. & in c.nulli.eo.tit. & in cap.sine exceptione. 12.q.2.
o Clem. 1.de reb.eccles. nõ alienandis.

siue quæ vnorum summam efficiunt, videntur esse res immobiles, quia solo inhærent, & illi cedunt, si radices egerint, vt iure soli iudicentur, [a] & etiam seruus rusticus alicui prædio colendo deputatus censetur esse de rebus prohibitis alienari, vt determinat Panormitanus. [b]

Secundo, quod non videtur obstare, si quis dicat clem. præfatam solum vetare alienationem iurium, redituum, & possessionum: & quod huiusmodi arbores nō sunt de numero illorum: quoniam sunt possessiones: nam verbum *possessiones* in clemen. 1. positum idem significat quod res possessæ, vt Card. post alios cōcludit, [c] & arbores illæ sunt res possessæ.

Tertiò, quòd nemo negaret prædictum D. Abbatē contrauenisse illi clem. si alienasset oliuetum, vel solas arbores oliueti: ergo neque videtur negandum contrauenisse, cùm alienauerit multas arbores.

2 Quibus tamen non obstantibus contrarium videtur verius. Tum quia non videtur alienasse rem immobilem, neque mobilem pretiosam, quæ seruando seruari potest: quia non alienauit solum, cui adhærebant arbores, sed tātùm arbores ipsas excisas, quas constabat esse res mobiles, quæ seruando seruari non possunt. & iura prohibētia alienationem rerum intelliguntur de rebus immobilibus, & mobilibus pretiosis, quæ seruando seruari possunt, vt tradit Panorm. communiter receptus, [d] & alij. [e] Tum quia prædicta clem. solum comprehendit illum, qui concessit ius redituum, & possessionem: & prædictus Abbas nō cōcessit vlli aliquod tale. Tū quia aliud est damnificare prędium, & aliud alienare illud, argum. *de iniuriis & damno dato*. adiuncta rubrica, *de rebus eccles. non alien.* & constitutio pœnalis, qualis est illa d. clem. non debet de vno ad aliud extendi. [f] Tum quia duo facta concurrunt in hoc casu, scilicet arborum cæsio, & arborum cæsarum venditio: quorū neutrum est delictum, sed potius meritum. Arborum quidem cæsio fuit vtilis, & bona: quia sicut nimia raritas arboreti nocet fructui eius quærendo, ita nimia densitas nocet arboribus, & fructui ab eis ferendo, vt palam est: ergo sicut herbas, rubos, lapides, & alia nocentia arboribus potuit tollere solus sine consensu, ita potuit etiam tollere illas arbores, quæ impediebant augmentum fructuum, & vtilitatem aliarum arborum sufficientium prædio: & ita nulla in hoc interuenit alienatio, sed neque damnificatio: & consequenter per hoc factū non contrauenit prædictæ clemen. Arborum autem cæsarū venditio nullo iure prohibetur, quia erant res mobiles, & quæ seruando seruari non possunt, & consequenter licitè poterant, vt dictū est, vendi, [g] sicut poterat vēdere rubus, herbas, lapides, & alia impedientia fructus, quos ex arboreto collegisset. Salua, &c.

a L. adeo. §. si alienam ff. de acquiren. rerū domin. & §. si Titius in stit. de rerum diuis.
b In ca. nulli. nu. 2. de reb. eccles. non alienan.
c In d. clem. quæst. 14.
d In d. ca nulli. de rebus eccles. nō alien.
e In c. fine. exceptione. 12. q. 2.
f Cap. pœna. de pœnitent. dist. 1. l. si præses. ff. de pœnis.
g Iuxta. l. lex quæ tutores. C. de administrat. tutorum.

*SVMMARIVM.*

*1 Abbas sine consensu conuentus & superioris scindendo & alienādo arbores fructiferas, & non fructiferas in magna quantitate simul peccat, & incidit in pœnam clem. 1. de reb. eccles. non alien. quæ est suspensio ab officio.*

*1 Paria sunt alienare res mobiles pretiosas, & alienare immobiles.*

## CONSILIVM VII.

Qvidam abbas succidit castaneas, & alias arbores fructiferas, & non fructiferas, & vendidit eas ad quantitatem duorum millium scutorum sine consensu conuentus & superioris. Quæritur, an peccauerit, & inciderit in pœnas contra alienantes res ecclesiasticas impositas.

1 Respondeo primò, non posse prælatum, de quo quæritur incidere præfatas arbores, & vendere sine consensu cōuentus & superioris, arg. l. *diuortio*, [h] cum ei adnot. per omnes. [i] Secundo, quod si contrafaceret, peccaret, & incideret in pœnas malè alienantium res ecclesiasticas, clem. 1. [k] Tum quia, vt ait Panormitanus communiter receptus, [l] alienans res mobiles pretiosas, perinde incurrit peccatum & pœnā, ac qui alienat res immobiles. Tū quia qui prælatus id faceret, diceretur rem deteriorare: adeo quod si esset emphiteuta, perderet emphiteusim, per authen. *qui rē*, [m] & alia multa, quæ citant Doctores ibi, [n] & alibi sæpe. Salua, &c.

h §. si fundū. i ff. soluto matrim. & l. 1 ff. de vsufruct. leg. & l. sylua cædua. ff. de verb. signifi.
k De reb. eccles. nō alien.
l In cap. nulli, eod. tit.
m C. de sacro san. eccles.
n Et in dict. §. si fundum.

*SVMMARIVM.*

*1 Pecunia legata collegio clericorum cum onere perpetui anniuersarij, non est legata singulis, nec potest inter præsentes diuidi. num. 2. sed conuerti debet in bona stabilia, vt sic annui fructus perpetuo cedant illis, qui pro tempore onus sustinebunt. num. 4.*

*3 Clericorum collegium non potest res ecclesiæ sine causa diminuere, nec recepta pecunia inter præsentes diuidenda successores ad onus obligare. & num. 5.*

*3 Onus rei imponere est rem diminuere, & sic alienare.*

## CONSILIVM VIII.

Qvidam legauit cuidam collegio sacerdotū sex scuta cum onere faciendi perpetuo singulis annis vnū anniuersarium. Quæritur, an prædicti sacerdotes possint diuidere illa inter se, sicut diuidunt alios reditus sui collegij.

Pro parte affirmante facit primò, quod legatarius potest vti re sibi legata, sicut reditibus bonorū suorum: quia est donatio quædam. [a] Secundo, quod præfatum collegiū solum tenetur ratione illius legati ad faciendum perpetuo vnū anniuersarium singulis annis, & vult facere hoc, & obligat se & suos reditus ad illud perpetuo faciēdum: ergo satisfacit oneri adiecto legato à legante.

2 Sed pars negans tenenda est. Tum quia mens & voluntas disponentis est in primis seruanda. [b] At mens & voluntas præfati legantis est, vt collegium illud obligetur ad faciendum perpetuò singulis annis pro eo vnum anniuersarium: & præfati sacerdotes non possunt ad id obligare illud, distribuendo illa scuta inter se: quoniam ipsi nō dāt illa collegio, sed retinent sibi; & aliud est collegium, & aliud singuli de collegio, [c] quod latè Felinus ibi confirmat.

3 Tum quia non possunt sine iusta causa res Ecclesiæ alienari, neque diminui, [d] nec consequenter ad aliquod onus obligare: quia illud est in effectu eas diminuere; cùm res obligatione aliqua onerata valeat minoris, quàm sine illa. [e] At non est iusta causa onerandi collegium, quod collegæ illius singulariter & personaliter accipiāt aliqua inter se personaliter diuidenda, & ea inter se diuidant ad imponendum onus præfatum collegio: ergo præfati sacerdotes non possunt imponere illud ei diuidendo inter se illa scuta.

4 Tum quia qui sentit onus, debet sentire commodum: & contrà si quis sentit commodum, debet sentire onus. [f] At successores sacerdotum futuri, in quibus cōseruabitur prædictum collegium, sentient onus faciendi anniuersarium illud; ergo debent sentire commodum scutorum relictorum pro faciendo anniuersario prædicto perpetuo: quod tamen sentire nequibunt; si ea inter eos qui nunc sunt, & constituunt collegium, personaliter diuidantur, vt palam est: ergo est necessarium, vt illa conuertantur in bona stabilia, quæ reddāt commodum futuris successoribus sensuris onus.

4 Tum quia per prædictas regulas, qui non sentit onus annexum alicui, non debet sentire illius commodum. At sacerdotes prædicti non sunt sensuri onus illud, quod subituri sunt eorū successores in faciēdo illo anniuersario: ergo non debent sentire commodum quod oneri illi est annexum, nec consequenter diuidere inter se illa sic, vt non remaneat posteris cōmodum, quo gaudeant sentientes onus ei annexum. Tum denique quia res Ecclesiæ non possūt etiā hypothecari sine iusta causa, [g] neq; reditus neque bona prædicti collegij possunt hypothecari pro subeundo illud onus perpetuum sine iusta causa; qualis non occurrit in proposito, vt probatum est.

5 Non obstant citata in oppositum. Non quidem prius quia illud procedit in legato sine onere relicto. Quæstio autem est de legato cum onere relicto: & à diuersis non fit illatio. [h] Ad posterius respondetur, quod nō possunt prædicti sacerdotes vt singulares, neque vt constituentes collegium, obligare illud ad illud onus perpetuo subeūdum sine iusta causa, id est non tribuendo ei commodum perpetuum, quod illud onus perpetuum ferre posset, per adducta pro nostra parte. Salua, &c.

a L. legatum. ff. de leg. 1. & ca. requisisti. de testamen.
b L. in conditionibus. ff. de condi. & demonst. ca. fin. de prabend.
c Ca. eam te. de rescrip.
d Ca sine exceptione. 12. q. 2. & c. nulli. de reb. eccles. non alienan.
e Ca. cū Ioannes. cū ei adnotat. de fide instrumen.
f Ca. qui sentit. de reguis. iur. lib. 6. l. secundum naturam. ff. eo.
g D. ca. nulli. ergo.
h L. Papinianus. ff de minoribus.

*SVMMARIVM.*

*1 Diuisio bonorum monasterij inter ipsos possidenderū facta per Abbatem & conuentum valet; sed nisi Papa eam confirmet potest pro libito reuocari per Abbatem.*

## CONSILIVM IX.

AN Abbas & cõuentus monasterij N. peccauerint, & inciderint in aliquas censuras, eo quod aliquot annis vsi fuerint tripartita diuisione bonorum facta de cõsensu Regis Catholici, sine tamen confirmatione sanctæ Sedis Apostolicæ?

1 Respondeo, quòd nõ: quia talis diuisio fieri potest per Abbatem & conuentum solos sine auctoritate particulari Papæ per c. *edoceri*,[a] vbi Panormit. communiter receptus à Felino, Decio, & à citatis ab eis id affirmat, & confirmatio Papæ non efficit, vt diuisio sit valida, sed vt nequeat reuocari per Abbatem, qui factam per se solum & suum conuentum posset pro libito reuocare, antequam eam confirmaret Papa, vt per omnes traditur vbi supra.

Secundò, quòd cùm nihil peccauerint, immo bene meruerint, consequens est non indigere illos absolutione vlla ab vllis censuris vel pœnis, neque vllam clausulam quæ id importet esse addendam præfatæ supplicationi: quia id quod non est, non potest dissolui, neque absolui,[b] cũ priuatio præsupponat habitum.[c]

a *De rescrip.*

b *Ca ad dissoluẽdum. de despons. impub.*

c *L. decem. ff. de verb. obl. & le. manumissio. ff. de iust. & iure.*

### SVMMARIVM.

1 *Ecclesiæ bona ad vitam etiam alteri beneficiario, cum quo bona ipsa pro indiuiso possidet, locans, cum conductore incidit in pœnas extrauag. 1. de reb. eccles. non alien. nedũ quo ad nullitatem actus, sed etiam quo ad censuras, si ibi dicta extrauagans etiam quo ad illas est vsu recepta.*

2 *Episcopi auctoritas, cum qua locatio bonorum Ecclesiæ facta fuit ad longum tempus ignorantiáque prohibitionis de rigore non excusat, licet in cõscientia possent hæc dissimulari, & ad cautelam dari absolutio.*

## CONSILIVM X.

CVm duo sint curati in eadẽ Ecclesia, & habeant prædia, & fructus, ac oblationes, & emolumenta obuenientia indiuisa, alter alteri, & de consensu Episcopi ad vitam locat prædia Ecclesiæ. Quæritur, an incurrat excõmunicationem vel aliam pœnam positam contra simoniacos, vel contra alienantes bona Ecclesiæ.

1 Respondeo primò, quod non incidit in latam contra simoniacos, quoniam nullam simoniam commisit, nec fuit mediator eius, vt ex propositione casus colligitur. An autẽ inciderit in latam contra alienantes res Ecclesiæ, & cõtra recipientes illas male alienatas, dubium est, per ea quę ipse scribo in Man. confess.[d] declarando extrauagantem Pauli II.[e] nam non potest negari, quod dictæ proprietates fuerunt datæ ad longum tempus, cùm fuissent datæ ad vitam alterius, & datio ad vitam sit datio ad longum tempus, vt probat Decius[f] & datio ad longum tempus est prohibita in dicta extrauagante.

2 Sed quia, vt ipse vbi supra scripsi, in multis terris prædicta extrauagans seruatur quoad hoc, vt locatio vel datio ad longum tempus non valeat, sed non quo ad hoc, vt locans vel accipiens ad longum tempus sit excommunicatus: ideo est sedulo videndum, an hoc habeat consuetudo in episcopatu & regno, vbi est prædicta Ecclesia, si enim consuetudo id habeat, non est iudicandum incidisse, si autem consuetudo habeat vt prædicta extrauagans seruetur in totum, iudicari poterit de rigore iuris incidisse, quãuis de æquitate, attenta ignorantia, & quod auctoritate Episcopi facta fuit, potest dissimulari cũ absolutione ad cautelam. Salua, &c.

d *Ca. 27. nu. 149.*

e *De reb. eccles. nõ alien.*

f *Cons. 204.*

### SVMMARIVM.

1 *Pensio, iusve illam percipiendi non potest pretio in alium transferri, immo nec extingui pecunia recepta sine Papæ auctoritate.*

2 *Pensionis fructus vltra triennium non possunt in alterum validè sine consensu Pontificis alienari.*

## CONSILIVM XI.

N. Pressus admodum ære alieno, & non habens vnde soluat, nisi redimatur pensio 70. ducatorum, quã habet super quodam canonicatu, vellet illam extinguere: & ad hoc, quia canonicus non potest, vel non vult illam redimere, sese offert quidam A. qui vult 500. numerare præfato N. pensionario, si ipse cedat sibi mandato irreuocabili fructus præfatæ pensionis vita N. durante, ita quod N. remaneat nomine pensionarius, & ipse A. durante vita N. percipiat fructus dictę pensionis. Quæritur à D. V. an hoc tuta conscientia fieri possit, vel dignetur amore Dei aliam aperire viam qua Deo propitio dictus N. satisfaciat creditoribus.

Respondeo primò, quod non potest vendere illã, nec tradere ius percipiendi eam præfato tertio sine auctoritate Papæ; consentiente etiam canonico, qui debet eam: quoniam pẽsio legitimè cõstituta super aliquo beneficio, licet possit gratis remitti siue condonari debenti eam sine auctoritate Papæ secundum Cardinalem Alexandrinum communiter receptum,[a] non potest tamen id fieri per contractum non gratuitum, vel propter pecuniam, sicut neque cõstitui, vt alias respondimus; quicquid Caietanus teneat, sed malè: quia pensio licet nõ sit beneficiũ spirituale; videtur tamen annexum beneficio spirituali, sicut ius patronatus,[b] & ius patronatus licet nõ sit beneficium, quia tamen est ei annexum, nõ potest vendi,[c] nec potest emi, nec vendi per contractum nõ gratuitum, quæ omnia etiam Curia seruat.

Secundò respõdeo, quod maius dubiũ est de reditibus & fructibus per pensionem recipiendis: quia pro parte affirmante facit, quod licet beneficium non possit vendi, nec emi fructus tamen beneficij vendi possunt, & emi, & locari.[d]

Pro parte verò negante facit, quod non possunt vendi nec locari fructus beneficij vltra triennium, per extrauagantem vnicam,[e] & quæstio quærit de venditione faciẽda vltra triennium, & ad longum tempus: quærit enim de fructibus vendendis quo ad totam vitam, pensionarij quæ est locatio ad longum tempus, & prohibita in rebus Ecclesiasticis,[f] & tradit latè Philip. Decius.[g] Per quæ videtur nobis verior hęc pars negatiua, & cõsequẽter quod est necessaria dispensatio, vel licẽtia S. D. N. ad hoc vt præfata emptio vel locatio fructuũ pẽsionis præfatæ valeat vltra triennium, præsertim quo ad vitã ementis, aut vendentis eos. Et hoc remedium est eorum, quæ possunt consuli, optimum: &, vt puto, S. D. N. ob causas in casu expressas concedet hanc licentiam: quia sine peccato id facere potest, si suæ Sanctitati placuerit. Salua, &c.

a *In ca. Agathosa. 03. dist.*

b *Cap. quanto. de iudicijs*

c *Ca. cum sæculum. de vsurpatr.*

d *Ca. vestra. de locato.*

e *De reb. eccles. nõ alien.*

f *Clem. 1. adiuncta glossa in verbo eius. de rebus eccles. nõ alien.*

g *Consil. 204.*

### SVMMARIVM.

1 *Episcopus vnire potest perpetuo beneficia deuoluta, & reseruata Sedi Apostolicæ.*

## CONSILIVM XII.

EPiscopus perpetuò vniuit quædam beneficia deuoluta ad Sedem Apostolicam quibusdam alijs beneficiis N. qui dubitans de huiusmodi vnione ob prædictam deuolutionem, obtinuit prouisionem ad cautelam. Quæritur quid iuris.

1 Respondeo primo, quod præfatus Episcopus potuit prædictam vnionem perpetuam, facere non solùm iure nouo Concilij Tridentini,[h] sed etiam iure antiquo,[i] vbi Panormitanus communiter receptus, tenet Episcopũ posse auctoritate ordinaria vnire beneficia deuoluta ad collationem Papę, & etiam reseruata eiusdem collationi, quod etiam approbat Petrus de Perusio.[k] Secũdo, quod D. consulens est tutus quo ad conscientiam, si nihil aliud obstat, quam prędicta reseruatio, non quidem propter prouisionem ei factam ad cautelam vltra prędictam vnionem, quam insinuare videtur casus propositio, sed per ipsam vnionem perpetuam, per quam iure accessionis & accessorij, ius quod habebat in aliis beneficijs obtẽtis se extendit ad illa vnita.[l] Salua, &c.

h *De refor. c. 5. sess. 21.*

i *Capi. vnio. 10 q. 1. c. sicut vnire. de excessibus. prælat.*

k *In tract. de vnio. capi. 4. num. 24.*

l *Arg. c. super eo. de præben. lib. 6.*

### SVMMARIVM.

1 *Vnita licet sit prima dignitas post pontificalem mensæ capitulari, ita vt Capitulum illius possessionem apprehendat, perpetuoq́; retineat eique inseruiri faciat, non ideo censetur suppressa. Vnde quamuis desinat vacare. nu. 5. non tamẽ operatur, vt secunda dignitas incipiat esse prima Sedi Apostolicæ reseruata. nu. 4. 5. & 6.*

2 *Vnitur cum vnum beneficium alteri, non mutat statum, eique vt prius debet deseruiri, retinetq́; antiqua priuilegia & exemptionem. num. 3.*

## CONSILIVM XIII.

PRimiceriatus Ecclesię N. prima dignitas post pontificalem auctoritate Apostolica fuit vnita mensæ Ca-

pituli. Dubitatur ab aliquib. an propter huiusmodi vnionem desierit esse prima dignitas. Consului doctissimum quemdam virum, à quo hæc sequentia accepi. Nunc cupio scire, an D. tua omnia hæc approbet.

Videtur negatiuè respondendum: quia Rom. Pont. non suppresit, nec extinxit primiceriatum: quinimmo in literis dictæ vnionis præsupponitur existentia primiceriatus, & quod ille durare debeat in perpetuum, cũ in dictis literis detur licentia Capitulo possessionem ipsius primiceriatus nedum apprehendendi, sed etiam illam in perpetuũ retinendi: quod quidem fieri non potest, nisi data existentia primiceriatus, etiam in futurum, ex vulgata regula, quod non entiũ nullæ sunt partes,[a] cõfirmatur ex clausula *prouiso*, quod primiceriatus debitis obsequiis non fraudetur, & animarum cura, si qua imminet, nullatenus negligatur, quæ in dictis literis vnionis posita fuit, & in vnionibus beneficiorum poni solet, vt per Rebuffum:[b] quia per verba in dicta clausula posita ostenditur, quod primiceriatus etiam post vnionem de illo, vt præfertur, factam, durare debeat.

2 Et verissimum est, quod per vnionem vnius beneficij ad alia status beneficij vniti non alteratur, sed debet illi more solito deseruiri vt ait Abbas,[c] prout in casu nostro factum fuit, quia Capitulum per officialem ab ipso deputatum exercet officium primicerij: adeo vt adhuc vigeat tribunal ipsius primiceriatus.

3 Et in tantùm verùm est, quod per vnionem non alteratur status vniti, vt ipsius vniti priuilegia non perdantur, sed etiam post vnionem durent vt ait Rebuf. in d. praxi. tit. de translat Episcopi. nu. 11. Lapus,[d] & ideo Ioan. Andr. Geminian. & Imol. relati per Franc.[e] concludunt, quod etiam si Ecclesia exempta vniatur non exemptæ, tamẽ retinet priuilegiũ exẽptionis, & generaliter quod durẽt priuilegia post vnionẽ tradit Pet. de Peru.[f] & benè Lapus.[g]

4 Cum igitur dignitas primiceriatus non sit suppressa nec extincta, sed adhuc duret illa, dicẽda est prima dignitas post pontificalem, non autem decanatus, & præsertim cum decanus semper suam sedem in choro retinuerit, & numquam ascenderit ad sedem primicerij. & consequẽter regula Cãcellariæ dum reseruat primam dignitatem post pontificalem, non comprehendit decanatum.

5 Et licet primiceriatus propter vnionem prædictam amplius non vacet, tamen per hoc non infertur, quod dicta regula reseruatoria sit extendẽda ad decanatũ, cum (vt dixi) primiceriatus non sit suppressus, sed adhuc duret, & si regula prædicta non potest operari effectum reseruationis in ecclesia N. id processit ex facto Papæ, qui per dictã vnionem impediuit, ne primiceriatus amplius vacet, & satis est, quòd in aliis Ecclesiis locum habere potest. Quare ad tollendum omne dubium Papa declaret mentem suam & suorum.

a *Le. eius qui in proum. ff. si certum petatur. l. decem. ff. de verb. oblig. l. e. si seruus. §. si modus. ff. de act. empt.*
b *In praxi benefic. in tit. de dispens. super defectu ætatis circa finẽ.*
c *In ca. exposuisti. num. 7. de præb. & in ca. monachis. nu. 3. eodem tit.*
d *Alleg. 68. in ca. quæris.*
e *In cap. cum præsens. §. fin. de priuil. li. 6.*
f *In tract. de vnio. capi. 2. num. 10.*
g *Dict. alleg. 68.*

SVMMARIVM.

1 *Optare præbendas vacantes licet possint simplices canonici, qui cum vt tales nullum habeãt successorem in beneficio, sibi solis & non alteri præiudicant, secus tamen est in habente officium Pœnitentiarij, cum vnione certæ præbendæ, quam sine iusta auctoritate non potest à suo officio diuidere, nec alteram ei vnire, num. 2. sicut nec alter canonicus posset illius vacantem optare præbendam nu. 3.*

4 *Annexione beneficium & præbenda annexa quasi extinguuntur: vnde qui habet parochialem vnitam suo simplici beneficio, non censetur habere curam animarum, & qui habet præbendam canonicalem vnitam officio Pœnitentiarij, habet præbendam quasi extinctam & suppressam: vnde nec ea dimissa aliam potest optare.*

CONSILIVM XIIII.

AN pœnitentiarius institutus in Ecclesia Cathedrali cum vnione perpetua specialis præbendæ facta officio suæ pœnitentiariæ, possit optare aliam præbẽdam, retento ipso officio pœnitentiariæ?

1 Quicquid disputando in cholis teneri posset non auderem consulere, quòd huiusmodi pœnitentiarius posset optare præbendã aliam à sua vacãtem. Primo quidẽ, quod diuisio beneficiorũ vnitorum requirit, vt diuidens habeat auctoritatem & potestatem id faciendi,[h] & quod seruetur solemnitas in modo diuidendi, & concurrat iusta causa id faciendi,[a] & si prædictus pœnitentiarius optaret aliam præbendam vacantem, diuideret præbendam priorẽ à suo pœnitentiarij officio; & talem potestatẽ nullo iure naturali, diuino, nec humano ille habet, & eam sine vlla solemnitate & iusta causa pro libito; & beneplacito suo faceret, quod nullo iure sibi conceditur.

h *Ca sicut vnire. de excess. prælatorum, cum ei adnotatis.*

Secundo, quod nullus beneficiarius potest suum beneficium diminuere, nec damno afficere.[b] At si pœnitentiarius posset optare aliam præbendam, posset suum officium pœnitentiarij diminuere, & damnificare: nam secũdum glossam communiter & merito receptam,[c] canonicus habens ius optandi potest, si vult, optare præbendam minorem: & minoris valoris, quod esset damno afficere suum officiũ. Nec potest dici, quod eadem ratio videtur esse de pœnitentiario & aliis canonicis: quia est longe diuersa: nam canonicus, vt canonicus simplex, non habet successorem, iuxta glossam singularem receptam,[d] de elect. pœnitentiarius autem sic: & ideo alij canonici optãdo minores sibi solis præiudicant: pœnitentiarius autem non sibi soli, sed suo officio & suo successori.

2 Tertio, quod vnio requirit auctoritatem eam faciendi, & solemnitatem in modo faciendi, & iustam causam ad faciendum, vt probatur in dict. cap. *sicut vnire.* adiuncta clement. 2.[e] & alia multa. At pœnitentiarius si optaret aliam faceret vnionem sine potestate faciendi eã, & sine solẽnitate & causa pro libito suo: ergo nõ potest optare.

3 Quarto, quod id quod operatur oppositum in opposito, debet operari propositum in proposito.[f] At præbẽda pœnitentiarij, eo mortuo; vel renunciante, non potest optari ab alio canonico habente ius optandi: ergo neque pœnitentiarius ratione illius præbendæ potest aliã præbendam optare.

4 Quintò, quod pœnitentiarius principaliter habet officium pœnitentiariæ, præbendam autem habet per annexionem, & ita quasi rem peremptam & extinctam: sicut qui habet Ecclesiam parochialem suæ præbendæ, vel alio beneficio simplici annexã; non censetur habere curã animarum,[g] & ita, cùm non possit optare aliam præbendam ratione officij quod est principale & quoddã viuum non poterit id facere ratione præbendæ, quæ est accessorium, & quasi quoddam mortuum & extinctum.

Sexto, quod non est verisimile, quod tã insigne Cõcilium, & ipsa Romana Ecclesia voluerit hominibus priuatis, & nulla iurisdictione suffultis concedere facultatem faciendi tam leuiter, & tam sine causa & solemnitate tot diuisiones & vniones, quot facere possent pœnitentiarij prædicti, si ius optandi eis concederetur: & ita nõ est credendum. Salua, &c.

a *Ca. 1. de reb. eccl. nõ alien li. 6.*
b *Arg. c. delictum. cũ ei adnot. de reg. iur. lib. 6.*
c *In cap. vlt. verb. meliores. de cõsuet. li. 6.*
d *In ca. quod sicut. verbo consentire.*
e *De reb. ecclesi. nõ alien. & c. vnio. 10. q. 1.*
f *L & si contra. ff. d. vulgari. ca. sciendum. 8. qu. 1.*
g *Cap. super eod. de præbẽ. li. 6.*

SVMMARIVM.

1 *Episcopus an possit de fructibus fabricæ vnius Ecclesiæ superfluis assignare fabricæ alterius pauperi. & negatiua multis videbitur verior. num. 4. vnde nec est tentandum vt fiat.*

1 *Episcopus ex causa potest vnire. & diuidere Ecclesias.*

2 *Permutatio beneficiorum ac prædiorum eorumdem auctore Episcopo fieri potest.*

2 *Episcopus potest super vna Ecclesia imponere pẽsionem pro altero clerico sustentando.*

2 *Prælatus cum maiori parte Capituli potest cogere canonicos ad contribuendum reparationi Ecclesiæ suæ.*

3 *Episcopus augere potest pauperes præbendas suorum canonicorum, non solum vniendo beneficia eorum præbendis, sed etiã grauando aliquas Ecclesias, vt earum capellani seu ipsæ Ecclesiæ dent aliquam annuam pensionem, hic tamen modus non est in vsu. num. 7.*

5 *Nouitates & mutationes sunt periculosæ.*

6 *Donata locis piis ad vnum vsum, non debent ad alium etiam pium, Papa inconsulto, mutari, cũ hoc sit Papæ reseruatum.*

CONSILIVM XV.

AN Episcopus iustè valeat de superfluis fabricæ vnius Ecclesiæ aliquid assignare fabricæ alterius Ecclesię pauperis carentis fabrica sufficienti ad reficiendos parietes eius, & ad ornamenta emendat?

1 Respondeo primò, quæstionem hanc per totum orbem Christianum posse frequenter occurrere in visitatione episcopatus, numquam tamen eam vlli occurrisse vidi, neque audiui in Hispanijs, neque Gallijs. Pro cuius parte affirmante, scilicet quod Episcopus potest de reditibus superfluis fabricæ vnius Ecclesiæ, iuuare fabricam alterius Ecclesiæ pauperem, facit primo, quòd cui licet quod est plus, licet quod est minus.[a] At Episcopus potest vnire duas Ecclesias sui episcopatus diuersas, ex iusta causa, faciendo vnam ex eis, & diuidere vnam in duas, faciendo duas ex eis, vt legitur & notatur in cap. *vnio.* [b] & alijs multis locis, quod est plus: ergo poterit aliquam partem redituum vnius Ecclesiæ diuitæ dare alteri ex iusta causa, quod est minus.

2 Secundò, quod potest Episcopus impartiri auctoritatem permutandi vnam Ecclesiam cum altera, duobus habentibus illas,[c] immo etiam permutare possessiones seu prædia vnius Ecclesiæ, cum possessione alterius,[d] quod longè videtur esse plus, quam facere quod in quæstione proponitur. Tertio, quod prælatus cum maiore parte Capituli potest omnes canonicos suos etiam renitentes cogere ad dandum aliquam partem redituum suarum præbendarum pro reparatione Ecclesiæ suæ.[e]

3 Quarto, quod potest Episcopus augere præbendas pauperes suorum canonicatum, vt habeant, quo alantur honestè, applicando aliquos reditus aliorum beneficiorum sui episcopatus.[f] Quinto, quod Panormitanus[g] communiter receptus, tenuit id posse fieri duobus modis: priori quidem, vt vniantur præbendis capellæ, in quibus ponantur vicarij, qui eis inseruiant: altero verò modo, quòd capellani dent aliquid de suis reditibus canonicis, quod videtur proximè accedere casui proposito, in quo quæritur, an Episcopus possit applicare partem reditus superflui fabricæ vnius Ecclesiæ diuitis, fabricæ alterius Ecclesiæ pauperi, quo se sustentet. Sextò, quod ex prædictis idem Panormitanus[h] communiter receptus infert, Episcopum posse prouidere suis canonicis pauperibus imponendo aliquot pensiones pro ipsis super aliquot Ecclesijs ditioribus sui episcopatus, quod ait numquam vidisse factum, sed videri sibi eam esse bonam, & memorabilem practicam. Septimò, quod Ecclesia Catholica vna est,[i] & secundū Apostolum, alter alterius sumus membra, & alter alterius onera portare deberemus, & diuites sustentare pauperes, vt latè docet Ioannes Chrysostomus[k] cū multis alijs, quę in hoc ex sacris literis desumi possunt.

4 Pars autem contraria negans multis videbitur vera. Tum ob consuetudinem inueteratam, quæ contrarium seruat, quamque esse seruandam satis dictant l. *minime,*[l] & cap. *vlt.*[m] cum multis similibus. Tum quod nihil est tentandum cum scandalo,[n] & arbitror multos populos scandalizatum iri, si contra voluntatem eorum id in fabricis suarum Ecclesiarum fieri tentetur.

5 Tum quod nouitates sunt euitandæ, quatenus sine naturalis & diuinæ legis transgressione vitari possunt, iuxta cap.[o] ibi, *consuetudinis & vsus longæui non est vilis auctoritas. & nouitates plerumque pariunt discordiam.* quod ipsum habet cap. *quis nesciat.*[p] & Ioannes Andreas allegat in d. cap. cum consuetudinis. illum aphorismum Hippocratis, *omnes mutationes periculosæ.* Tum quod præfata consuetudo nititur canonibus, & legibus antiquis, per quos statuitur, vt bona deputata per Papam, vel aliam legitimam auctoritatem testatorum, donatorum, vel aliorum contrahentium non tollantur ab eis, iuxta cap. *sine exceptione.*[q] & alia, quæ gloss. illius summæ citat. Tum quod res deputatæ ad vnum vsum, non debent in alium vsum conuerti,[r] nisi auctoritate Principis.[s]

6 Tum quod donata locis pijs largitione fidelium ad vnum vsum pium, non debent applicari ad alium, etiam pium, sine sedis Apostolicæ auctoritate, vt habet solemnis illa clem. *quia contingit.*[t] & innouata in Concilio Tridentino[v] cuius clem. glossa[x] ait ad solum Papam hoc pertinere, & non posse Legatum eius hoc facere, & consequenter neque Episcopum, nec Archiepiscopum. Tum quod in cap. 1.[y] multis sacræ Scripturæ locis probatur, ea quæ pertinent ad vnam Ecclesiam, non debere cedere illis, qui alijs Ecclesijs inseruiunt. Tum denique quod vulgus clamabit voce magna illam regulam.[a] *Id quod nostrum est sine consensu nostro auferri non potest.* Et si quis responderit illa superflua non esse sua, sed esse Domini nostri Iesu Christi, cuius omnes Ecclesiæ sunt membra: replicabit, concedendo esse quidem illa verisimè ipsius, sed donata, data, vel relicta in suarum Ecclesiarum vtilitatem, & vsum, & non posse in alium etiam pium conuerti sine auctoritate Papæ, qui non facilè impartietur eam cuilibet Episcopo, cùm etiam alienationem rerum Ecclesię suę, etiam in casu licito, faciendam, non concedat vlli Episcopo, nisi sese prius consulto, vt Paulus II. grauissimè statuit[b] quam interpretati sumus in comment. in summa.[c]

7 Quare ne sim nimis prolixus, concludo, quod quamuis primo aspectu prior pars affirmans videtur æqua, & sancta, & vt Panormitan. supra relatus dixit in simili, *bona practica,* sed vsque ad illum non visa, ita mihi videtur eam non susceptum iri sine lite, saltem sine licentia S. D. N. Salua, &c.

a Regu. cui licet. de reg. iure lib. 6. & l. non debet. ff. eo. tit. cum similibus.
b 10. qu. 3. & c. sicut vnire. de excessibus prælat.
c Cap. quæsitum. de rerū permutat. & c. 1. eo. tit. l. 6.
d Ca. ad quæstiones. de rerum permut.
e Cap. fin. de his quæ fiunt à maiori parte Capituli.
f Ca. exposuisti. de præb.
g Ibidem.
h Ibidem.
i Cap. loquitur. 24. qu. 1. & extrauag. vnā sanctā. de maiori. & obed.
k In cap. sicut huiusmodi. 47. dist.
l ff. de legib.
m De consuetud.
n Ca. nihil. de præscrip. & c. 2. de operis noui nunciat.
o Cum consuetudinis. de cons.
p 11. dist.
q Et cap. non liceat Papæ. 12. q. 2.
r Leg. 1. ff. de administrat. rerum ad ciui. perti.
s Leg. legata eod. tit.
t De religio. dom.
v Sess. 7. cap. vlt. de refor. & sess. 25. ca. 8. de reform.
x In verbo sedis Apostolic.
y 12. q. 1.
a ff. de regul. iur.
b In extrauagant. 1. de rebus ecclesiæ non alienan.
c 12. q. 2.

### SVMMARIVM.

1 *Taciturnitas temporis immemorialis vim habet tituli.*
2 *Solemnitas extrinseca requisita in confirmatione alienationis bonorum Ecclesiæ non præsumitur, nisi post lapsum 30. annorum. num. 2.*
3 *Alienatio rei Ecclesiæ etiam causa pietatis fieri potest.*
4 *Sciens rem ad vnum pertinentem penes alium esse, tenetur indicare.*
5 *Instrumenta antiqua casu inuenta, si alicuius res tangunt, tutius reuelare, quàm occultare.*

## CONSILIVM XVI.

MONASTERIVM quoddam monialium concessit quamdam Ecclesiam, quæ erat de sua mensa, cum suis pertinentijs valoris 12. scutorum, cuidam confraternitati piæ ad pijssimam causam de consensu superiorum pro censu dimidij scuti anticipata solutione 88. annorum, & cum onere eligendi capellanum ex fratribus monasterij, cui moniales subiacebant: & per centum trigintasex annos nihil fuit solutum monialibus, nec capellanus electus ex fratribus, nec vllam horum notitiam habent prædictæ moniales, nec fratres, sed administrator hospitalis inuenit hanc scripturam, & quærit quid pro exoneranda sua conscientia debeat agere.

1 Respondeo, quod ad dicendum, quod debeat tacere, facit primo taciturnitas temporis, cuius non est memoria, quæ habet vim tituli.[d] Secundo, quod debemus esse pacifici iuxta procœmium Gregorianum, & non dare initium litibus, sed eas potius finire.[e] Et quod verisimile est futuram esse litem inter prædictos, si nouerint huiusmodi instrumentum extare.

2 Tertio, quod prędicta concessio fuit per Papam confirmata, & licet non constet formam commissionis fuisse seruatam, & regulariter non præsumatur seruata solemnitas extrinseca, nisi probetur,[f] fallit tamen quando lapsum est tempus triginta annorum, iuxta glossam solemnem[g] & tradita per Felinum[h] & per citatos ab illo, pręsertim scribentes in l. *sciendum.*[i] Et in casu proposito non solùm sunt lapsi 30. anni, sed etiam 136.

3 Quarto, quòd licet alienatio prædicta non fuerit necessaria, nec vtilis monasterio, fuit tamen valde pia: & res Ecclesiæ non solum possunt alienari causa necessitatis, & vtilitatis, sed etiam causa pietatis, per cap. *gloria.*[k] & glossam receptam.[l]

Pro parte verò contraria, quod teneatur admonere prædictum monasterium, & prędictos fratres, extare illud instrumētum, facit primo, quod qui inuenit rem ad alium pertinentem, debet eam restituere.[m]

4 Secundo, quod qui nouit rem ad alium pertinentem esse penes alium, tenetur indicare.[n] Tertio, quod possessor malæ fidei nullo tempore præscribit,[o] & qui possedit rem, & habet titulum contrarium suę bonę possessioni, videtur esse malę fidei possessor: adeo quod etiam tempore immemorabili non pręscribit, vt post alios tradit etiam Couarruuias.[p] Quarto, quod solutio cēsus fuit anticipatè facta pro octoginta & octo annis, & quod posset saltem aliquibus circumstantijs probatis concludi non esse lapsum tempus quadraginta annorum necessarium ad pręscribendum prędictum censum & liberationem ab

d Le. hoc iure §. ductus aquæ, ff. de aqua quot. & æst. cap. super quibusdam. §. præterea. de verborum signif.
e Cap. finem litibus. de dolo & cōtum.
f L. quæcumque, §. fin. ff. de public. in rem act.
g Ca. peruenit. de empt.
h In ca. illud. de præsumpt. & latius in c. Albericus de testib. & in c. sicut. de re iudic.
i ff. de verbo. oblig.
k Et c. aurū. 12. q. 2.
l In summa eadem cau. & quæst.
m Ca. si quod inuenisti. 14. q. 5.
n Cap. qui cū fure iuncta gloss. cum citatis ab ea, de furtis.
o Ca. possessor. de regul. iur. lib. 6.
p In d. ca. possessor. §. 2. nu. 4.

Eccleſijs : & quòd reſtitutio in integrum datur ignoranti, præſertim Eccleſię contra pręſcriptionem, vt latè tradit Felinus.[a]

a Ca. vigilanti. de præſcri. à num. 1.

5 Perpenſis pro vtraque parte his, & omiſsis alijs, quæ poſſunt conſiderari, conſulendum videtur prædicto adminiſtratori tutius eſſe ſibi reuelare præfato monaſterio præfata duo inſtrumenta, quæ caſu inuenit, & procurare, vt ſine lite monaſterio ſoluerētur penſiones decurſę poſt præfatos 88. annos, & poſthac decurrendæ. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Emphyteuticis prædijs Eccleſiaſticis dirutis ad muniendam ciuitatem, cenſus annuus, qui in recompenſam aſsignatur, non directo domino, ſed ipſi emphyteutæ venit ſoluendus, qui ſolitam recognitionem eccleſiæ dominæ directæ ſoluet.*

## CONSILIVM XVII.

DVAS domos datas ab Eccleſia in emphyteuſim vſque ad tertiam generationē accepit Rex Neapolis ad muniendam ciuitatem, præmiſſa æſtimatione, & conſtituto annuo cenſu ad rationem quinque pro cētenario. Quæritur, an hæc quinque annua ſint ſoluenda ipſi Eccleſiæ, an amphyteutæ vſque ad tertiam generationem.

Pro eccleſia facit, quod videtur finita emphyteuſis, eo quod videtur perempta res emphyteuticaria, iuxta l. 2.[b]

b C. de iure emphyt.

Pro emphyteuta verò facit, quod culpa carens, pœna quoque carere debet,[c] & quòd res non eſt perempta: quia licet ſuperficies domuum ſit deſtructa, area tamen manet: & quod prædictus annuus cenſus, qui inter immobilia computatur, iuxta clem. *exiuit*,[d] ſubrogatur in locum præfatarum domuum iuxta l. cum gloſſa *ſi cum ſeruus.*[e] & quod Eccleſia, quæ eſt cultrix iuſtitiæ, non debet iniuſtitiam cuiuſpiam quærere.[f] Et hanc partem tenet Iaſon, qui alios citat.[g]

c Capit. 2. de conſtit.

d §. cumque annui redit°. de verb ſign.

e ff. de rebus cred.

f Ca. ex tenore. de foro cōpet.

g Leg. 1. C. de iur. emphyt. nu. 44. adiunctis his quæ dixerat antea num. 15.

1 Per præfata eruditè citata, & alia, quæ in hoc adduci poſſent, videtur iudicandum, quod iuſtum, ęquum, & ſanctum ſit, vt præfatus annuus reditus ſoluatur præfato emphyteutæ, vſque ad tertiam generationem, & illę ſoluat canonem præſtitum Eccleſiæ, à qua ſuſcepit emphyteuſim, & finita generatione tertia totus ille annus cenſus ſoluatur Eccleſiæ, tamquam res, quæ vt ſubrogata domibus in emphyteuſim datis reuertatur ad illam, generationibus, in quas data fuit, finitis.

*SVMMARIVM.*

1 *Peccata aliorum ſicut nos non accuſant, ita nec excuſant.*

3 *Eccleſiarum ſuarum bona ſine iuſta cauſa & ſolemnitate debita alienantes, incidunt in pœnas: nam ſi ſint inferiores Epiſcopis & Abbatibus, ſunt ipſo iure excommunicati, & beneficijs, quæ à dicta Eccleſia habent, priuati, ita vt eis non poſsint de nouo conferri, num. 5. nec malè alienata recuperando euitant pœnas incurſas, nec excuſantur etiamſi dictas alienationes fecerint ex eo quod ab Epiſcopo multa paterentur damna & perſecutiones. num. 2.*

4 *Pœna ipſo iure incurſa, per pœnitentiam ac reſtitutionem malè ablati non euitatur, nec ob id iudex debet omittere quin eos puniat, etiamſi pars læſa remitteret iniuriam.*

4 *Pœnæ, quas quis incurrit ipſo iure, minui etiam facta reſtitutione, nec debent, nec poſſunt.*

5 *Extrauagans 1. de rebus eccleſiæ non aliena. excommunicat, & beneficijs, quæ ab eadem Eccleſia obtinentur, priuat.*

6 *Beneficij iuſta vel iniuſta receptio talem fore fructuum receptionem arguit.*

## CONSILIVM XVIII.

RESPONDEO primo, narrationem caſus adeo eſſe mihi obſcuram, vt deſiderem commentarium aliquem, quo mihi res in eius propoſitione tactæ ſatis innoteſcerent. Secundo, quod in eius initio præſupponitur, ſed in genere tantùm, grauamina & damna quædam dominis canonicis conſulentibus ſuper iuribus magni momenti, & præſertim menſæ capitularis à ſuo prælato illata, de quibus tamen grauaminibus & damnis acceptis nullam quæſtionem videntur expreſsè mouere, licet fortè tacitè velint quærere, an illa grauamina & dāna excuſent eos ab iniuſtitia alienationis aliorū bonorū, quā ipſi fecerunt, quæ poteſt eſſe prima quæſtio eorum. Tertio, in eodem caſu narrant, quod ipſi domini canonicis conſulentes alienauerunt aliqua alia bona ſuæ menſæ capitularis: ſed non explicant, an alienauerunt ex cauſa iuſta, & ſeruata iuris ſolemnitate, vel non: & quærunt ſuper hoc tacitè ſecundam quæſtionem, an ob id incurrerint cenſuras, vel pœnas aliquas. Quarto, quærunt, an præſuppoſito, quod incurrerint illas cenſuras, poſsint, & debeant illæ minui eis mitigando eas, ita quod ſi reſtituerint & reintegrarint ea ſuæ menſæ debeant abſolui à pœnis incurſis, & poteſt eſſe quæſtio tertia. Quinto quod quærendo an retentio canonicatuum ſit eis concedenda, facta reſtitutione prædictorum bonorum à ſe alienatorum, pręſupponunt eos eſſe aut fuiſſe priuatos eis, quæ poteſt eſſe quarta quæſtio. Sexto, videntur quærere, an de canonicatibus & fructibus eorum ſit idem iudicandum, quæ eſt quæſtio quinta. Septimo, tangitur tacitè quoſdam alios fuiſſe prouiſos de præfatis canonicatibus, & fructus eorum ab eis perceptos fuiſſe, & non exprimitur ob quam cauſam fuerint illi prouiſi, neque à quo, neque quando, nec exprimūt, an DD. canonici præfati cōſulentes fuerint priuati ſuis canonicatibus à iudice, vel declarati priuati à iure, & an appellauerint ab eiuſmodi iudicis vel iuris priuatione, & an adhuc maneant in poſſeſsione ſuorum canonicatuum, vel non: ex quibus reſultare poſſunt aliæ quęſtiones graues, quas vix ſoluat Oedipus. Octauo, quod niſi illuſtriſsimi domini, eiuſdemque eruditiſsimi iuſta ac ſanctiſsima auctoritas & iuſsio me ad id compelleret, nihil reſponderem, ſed ſolum admonuiſſem illud Imperatoris Maximiani, *vt reſponſum congruum accipere poſsis, inſere facti exemplum.*[a] Nono, quod audendo id, quod vix bene audere poſſum.

a L. vt reſponſum. C. de tranſactio.

1 RESPONDEO AD PRIMAM QVÆSTIONEM, quod regulariter ſicut ob peccatum vnius non eſt accuſatus, nec pecuniendus alter.[b] ita pro peccato alterius alter non excuſatur, niſi quando inuaſus ad ſuam iuſtam defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ ſe defendit,[c] & ideo quia præfati DD. conſultatores non videntur ſua bona alienaſſe ad ſuam iuſtam defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non poſſunt excuſari.

b 1. qu. 4. per totam. & le. 1. C. ne filius pro patre.

c Le. 1. & l. ſi quis in tantam. C. vnde vi.

2 Quamuis poſſunt occurrere aliquot circumſtantiæ grandis neceſsitatis, magnæ vis, vel magni metus, & terroris, quæ minuerent peccatum, vel etiam omnino excuſarent, quales interueniſſe non narratur in propoſito caſu, & de non exiſtentibus & non apparentibus idem eſt iudicandum.[d]

3 AD SECVNDAM reſpondetur, quod ſi prædicti DD. conſulentes alienauerunt bona prædicta ſuæ menſæ ſine iuſta cauſa & debita ſolemnitate, peccauerunt, & inciderunt in pœnas à iure canonico ſtatutas in capit. *ſi quis presbyterorum.*[e] & in alijs iuribus citatis à nobis in comment. de alienat. rerum eccleſiarum,[f] vbi nos citauimus extrauagantem Pauli II.[g] Si vero iuſta de cauſa, ſeruata debita forma, id fecerunt, non peccarunt, nec vllam cenſuram incurrerunt iuxta cap. *ſine exceptione.*[h] & latius tradimus nos vbi ſupra.[i]

d L. duo ſunt Titij. ff. de teſtam. tutel. c. ſacerdos. cum gloſſ. de offic. iudi. ordin.

e De reb. eccleſ. nō alien.

f Super gloſſ. ſummæ 12. q. 2. nu. 1. & 2.

g De reb. eccleſiæ non alienan. inter communes.

h 12. q. 2.

i Notabil. 8. nu. 9.

4 AD TERTIAM reſpondeo, quod pœnæ, quas ipſo iure incurrerunt, non debent neque poſſunt minui iuridicè propter redintegrationem, & reſtitutionem bonorum, ob quorum alienationem pœnas incurrerunt: eo quod aliud eſt reſtitutio damni, & aliud pœna, quæ pro peccato maleficij imponitur à iure, vel ab homine, vt probatur in ca. *licet canon.*[k] cum eis adnotatis. & ideo ſicut pœna homicidij vel furti, non remittitur, neq; cōdonatur ex eo, quòd furem pœniteat furti, & reſtituat furtum, & eo quòd homicidam pœniteat homicidij, neque eo quod pars læſa condonet, & remittat ei damnū, & intereſſe per illud acceptum, immo non obſtante illa reſtitutione, & condonatione partis, poſſent & debent furca ſuſpendi, & decollari: ſic malè alienans res Eccleſiaſticas non eſt abſoluendus à pœnis impoſitis ob illud peccatum, etiam ſi reſtituatur ablatum, & damnum Eccleſiæ, neque etiam ſi confiteatur: quia oportet vt abſoluatur ab excommunicatione, & luat alias pœnas, præſertim ipſo iure incurſas, per ea quæ in prædictis locis,[l] & alibi ſæpe adnotantur, & praxis totius orbis Chriſtiani ſeruat, præſertim S. D. N. Sixtus, qui ob ſolam pœnitentiam & reſtitutionem damni & intereſſe rarò condonat pœnam mortis, nec alias Eccleſiaſticas, vel ſæculares, immo maximo omnium

k Et ca. commiſſa. de electio. li. 6.

l Et in lib. 4. ſenten. di. 15.

iudicum exemplo cogit eas subire delinquentes, vt iura naturalia, diuina, & humana suadent.

5 AD QVARTAM respondeo, quòd prædicta extrauagans [a] non solùm excommunicat, sed etiam priuat ipso iure alienantes res Ecclesiasticas iniustè, si sint inferiores Episcopis, vel Abbatibus, beneficijs, quæ habent in Ecclesijs, quarum bona alienarunt, vt expresse habet prędicta extrauagans [b] in hęc verba: *Inferiores vero prælati, commendatarij, & aliarum Ecclesiarum rectores, beneficia, vel administrationem quomodolibet obtinentes, prioratibus, præposituris, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officijs, canonicatibus, præbendis, alijsque Ecclesiasticis cum cura, & sine cura sæcularibus, & regularibus beneficijs, quorum res & bona alienarunt, duntaxat ipso facto priuati existant, illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur: possintque per locorum ordinarios, vel alios ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis, quæ propterea priuatæ fuerint) liberè de iure conferri, nisi alias dispositioni Apostolicæ Sedis sint specialiter, aut generaliter reseruata.*

6 AD QVINTAM, quod regulariter idem iudicium est faciendum de receptione & retentione legitima vel illegitima beneficij, & de perceptione, retentione, & repetitione legitima vel illegitima fructuum eius. [c]

AD SEXTAM, & alias quęstiones, quę possunt colligi ex ponderatis in septimo dicto, responderi poterit, cum distinctè propositæ fuerint, in honorem Domini nostri Iesu Christi, qui prædictum Illustrisimum Reuerendisimumque D. meum, & nos omnes saluet. Salua, &c.

a 1. de rebus eccles. non alienan.

b In §. si quis autem. vers. inferiores vero.

c Arg. ca. 1. c. possessor. & c. peccatum. de reg. iur. lib. 6. & ca. grauis. de restit. spol. cum ei adnot.

*SVMMARIVM.*

1 *Locans res ecclesiasticas sui beneficij extra casus iuris expressos, est ipso iure excommunicatus.*
2 *Regulares locantes aliquid de suis beneficijs ad longum tempus, suspensi sunt ab officio.*
3 *Pœna imposita contra præsumentem aliquid facere, non incurritur à faciente sine dolo, vel contemptu.*
4 *Locanti res Ecclesiæ vtile est mutare pensionem temporalem in perpetuam; quia perpetuus conductor, & non temporarius tenetur ad expensas refectionis.*

## CONSILIVM XIX.

QVIDAM præceptor cuiusdam Ecclesiæ regularis ante 30. annos quandam paruam domum, quæ solebat quotannis locari, locauit cuidam conductori in perpetuum eadem pensione, qua quotánis locabatur, & cuidam alteri locauit quædam prædia ad vitam conductoris eadem pensione, qua in singulos annos conducebatur, putans bona fide id ei licere, quamuis quia callebat ius Pontificium aliquem scrupulum habuit: nec meminit satis an postea monuerit conductores, quod illa debebant fieri cum superioris auctoritate. Quęritur an in foro conscientię is sit iudicandus excommunicatus, & ob celebrationem Missarum postea frequẽter factam sit irregularis.

1 AD QVÆSTIONEM respõdeo, quod pro parte eius affirmatiua facit primo extrauagans 1. [d] quæ habet omnem beneficiarium, qui locauit res ecclesiasticas sui beneficij extra casus iuris expressos, ipso iure esse excommunicatum.

2 Secundo facit clem. 1. [e] quæ omnes beneficiarios regulares alienantes aliquam rem de rebus suorum beneficiorum ad longum tempus, suspendit ab officio.

3 Pro parte autem negante facit primò, quod prædicta extrauagans non loquitur de quocumque alienante, vel locante, sed de præsumente id facere, & pœna imposita contra præsumentem aliquid facere, non videtur incurri ab eo qui absque dolo vel contemptu facit illud, per celebrem theoriam Cardinalis. [f]

4 Secundo, quòd præfata extrauagans non fertur contra illos qui alienant vel locant res Ecclesiæ in casibus à iure expresis: at præfatus præceptor locauit præfatam domum, & præfatos fundos, promouendo vtilitatem pręceptoriæ, eo quod pensionẽ temporalem mutauit in perpetuam, quod est vtile locanti, cum impensas refectionis debeat subire conductor perpetuus, & non temporarius. Per quę videtur præfatum præceptorem non esse excommunicatum, & consequenter non incurrisse vllam irregularitatem.

d De reb. eccle. non alien.

e De reb. eccle. non alien.

f In clem. 1. q. 39. de priuilegijs.

## DE DEPOSITO.

*SVMMARIVM.*

1 *Venditio cuiuspiam depositariæ Populi Romani an iniusta; & seq. & verius quod sit iniusta num. 13.*
1 *Venditio est iusta, in qua merx vendibilis, & iustum pretium concurrunt.*
2 *Officium mutuandi & custodiendi deposita etiam cum salario licitum.*
3 *Venditio officij colligendi vectigal, cur, cùm nulli noceat, sit iniusta. num. 15.*
3 *Depositaria non est res sacra, & tamen non est vendibilis. nu. 15.*
4 *Vsura licet non esset venditio depositariæ, duplici ratione est iniusta. num. 17.*
4 *Venditio sic mutuum palliatum fieri solet.*
5 *Princeps, aliquid ex certa scientia, faciendo defectus iure humano inductos supplere videtur. & num. 18.*
6 *Depositio pecuniæ cum pacto vt depositarius aliquid soluendo ea vti possit, vsuraria, & quare. num. 17.*
7 *Depositum, sicut commodatum, debet esse gratuitum, & cum pretio fit conductio, vel locatio.*
9 *Depositarius contra naturam contractus ad aliquid soluendum oneratur.*
9 *Merces omni iure debita operario.*
10 *Mutuum, & depositum pecuniæ cũ facultate ea vtendi, paria.*
10 *Ratio eadem idem ius suadet.*
11 *Deponens pecuniam absque copia ea vtendi, depositario mercedem soluat, & si dat copiam & aliquid accipit, vsuram committit.*
12 *Depositaria æstimabilis non est, eo quod ob eam depositarius honoretur.*
12 *Aestimatio rei ex vendentis, nõ ementis vtilitate metienda est.*
13 *Mutuandi actus vendibilis non est, nec locabilis.*
16 *Sacrum quod non est, non omne vendi potest.*
18 *Papa tenetur vsque ad sanguinẽ ius naturæ & diuinũ seruare.*
18 *Vsura vtriusque testamenti pagina est prohibita.*
19 *Papa non potest facere, vt quis sine peccato vsuram exerceat.*

## CONSILIVM I.

REVERENDE Pater, per Papam motu proprio imponitur vectigal Populo Romano super quolibet rubeo tritici macinandi baiochorum quindecim, erigendo super istis prouentibus vnum montem farinæ nuncupatum: & ne istud vectigal perpetuetur, mandat per suum motum proprium, quod postquam montistis de eorum fructibus satisfactum fuerit ex pecunijs super dicto monte imponendis ad rationem scutorum septem pro quolibet centenario, illud quod supererit ex dictis fructibus, ac illæ pecunię, quę perciperentur ex fraudibus committendis in dicta gabella, & quę similiter perciperentur ex venditione illius depositariæ, inseruirent extinctioni dicti vectigalis: & supradicta fieri debere à deputatis Romani Populi cum interuentu vnius ex Reuerendiss. Clericis Cameræ Apostolicæ, qui Reuerendiss. D. Clericus, & magnifici DD. deputati prædicti stante dicto motu proprio vendiderunt ad certum tempus dictam depositariam Caio Sempronio pro scutis 250. quolibet anno, & illa erogauerunt in extinctione dicti vectigalis, vt supra dictum est. Nunc effluxo tempore venditionis depositariæ præfatæ intendunt illam dicti Reuerendisimus Clericus, & magnifici DD. deputati de nouo plus offerenti ad effectum extinctionis supradictæ vendere: sed reuocatur à nonnullis in dubium eam fieri non posse absque scrupulo conscientiæ, ex quo Papa non absoluit ipsos in foro conscientiæ, nec dicit id fieri debere absque aliquo conscientiæ scrupulo, vt legitur in dicto motu proprio, sed simpliciter in eo exprimuntur supradicta.

Pro parte Romani Populi replicatur omnino dictam venditionem præfatæ depositariæ primo loco fuisse bene factam, & etiam secundo loco absque conscientiæ scrupulo fieri posse: nam clarum est, quod Papa sciuit, & notitiam habuit, vt legitur in dicto motu proprio, de venditione dictæ depositariæ per Populum Romanum facienda, dum mandat, vt pecuniæ quæ obuenient ex venditione depositariæ pręfatę, conuertantur in extinctionem vectigalis pręfati: adeo quod Papa hoc permittit, & sic vendita fuit scitu Papæ, & eo permittente: & hoc tanto fortius potest fieri sine conscientiæ scrupulo, quia pretium

huius

huius depositariæ inseruit extinctioni vectigalis, ne perpetuetur,& sic conuenit publicæ vtilitati,& tendit ad fauorem multorum pauperum,& piorum locorum dictum vectigal pro macinatura eorum tritici soluentium dictos 15. baiochos pro quolibet rubeo, qui tanto citius ab illius solutione erunt liberati, & quamuis aliquid certi emolumenti dictus depositarius ex ipsa depositaria non percipiat,& pecuniæ non faciãt pecunias, nihilominus ex quo est approbatus à Populo Romano pro legali & idoneo depositario, hoc multùm inter alios Vrbis mercatores sibi prodest, cùm ex hoc reputetur notabilis & diues mercator, habet etiam ex dicta depositaria illud emolumentum, quòd potest pecunias penes ipsum existentes ante tempus solutionum fructuum montistarum interim ad cambia licita & honesta præbere: & vlterius si aliquis montista erit dicti montis creditor, ipse depositarius poterit ei satisfacere in tot rebus suæ tabernæ cum aliqua temporis commoditate:& interim, vltra quòd suas merces vendit, etiam poterit dictis pecunijs negotiari: & sic pro supradicta depositaria plus,vel minus ad eius libitum poterit offerre sentiens commoda supradicta.

Quæritur modo, an stantibus præmissis dictus Reuerendiss. D. Clericus, & magnifici DD. deputati Populi Romani possint absque aliquo conscientiæ ipsorum cuiuslibet scrupulo dictam depositariam montis farinę prędicti etiam plus offerenti, ad effectum dictum vectigal pro rata extinguendi,vendere,vel non.

1 Respondeo,quòd pro parte affirmatiua, nempe quod liceat præfatis Reuerendiss. Clerico, & magnificentissimis deputatis Populi Romani vendere præfatam depositariam in finem pręfatum redimendi vectigal prędictum, facit primò, quod venditio præfata videtur ex sua natura iusta:quoniam iustitia emptionis & venditionis consistit in hoc,vt interueniat merx vendibilis,& pretium iustum, quod satis colligitur ex l. 1.[a] quæ duo videtur concurrere in hoc casu,in quo concurrit officium colligendi vectigal ex parte vendentis, & pretium in numerata pecunia iustum ex parte ementis.

2 Secundò,quòd negari non potest officium pręfatum esse iustum,& Reipublicæ vtile, & necessarium:nam officium mutuandi constitutum à Repub. etiam præstituto aliquo salario honesto est licitum & honestum, vt nos probamus in comment. cap.fi.[b] & breuiter repetimus in Manual. confess.[c] & seruat praxis in montibus Pietatis. Tertiò facit, quod etiam officium custodiendi deposita, etiam salario aliquo honesto constituto,est iustum & honestum,quale est officium argentariorum, vt etiam probauimus in dicto comment.[d] quod referimus in dicto cap. 17.[e] ergo à fortiori officium colligendi vectigal,& custodiendi illud reddendum tempore conuenienti, erit licitum & honestum.

3 Quarto, quod nulla videtur apparere ratio,qua prædicta venditio sit iniusta, cùm per eam nulli fiat iniuria, neque dolus,cùm vtraque pars tam vedens, quàm emens sciat naturam officij,& pretium eius:& scienti & consentienti non fit iniuria neque dolus.[f] Quinto, quod omne quod non est sacrum potest vendi:[g] at pręfata depositaria non est res sacra,sed profana, immo & videtur æstimabilis, quia affert fructum honoris & commoditatis ad tractandum & lucrandum pecunias,vt palam est: ergo sua pte natura est vendibilis.

4 Sexto facit, quod præfata venditio non videtur dici posse illicita, eo quod sit vsuraria:quia vsura in solo contractu mutui veri vel palliati consistit, vt post alios diximus in Manual. confess.[h] At præfata venditio neque est verum mutuum,neque palliatum,sed est vera emptio, in qua concurrit ab vna parte pretium,& ab altera merx, vt supra dictum est:& non interuenit maioritas, vel minoritas pretij propter anticipationem vel dilationem solutionis, vel pactum de retrouendendo, per quæ solet fieri emptio mutuũ palliatũ,[i] ergo nullatenus est vsuraria.

5 Septimo,quod licet aliquis defectus interueniret,per quem suapte natura venditio præfata esset illicita, potest tamen ille suppleri per Papam,[k] quam suppletionem supplet præfatus motus proprius, quo iubetur, vt pecuniæ, quæ obuenient ex venditione præfatæ depositariæ, impendantur in redemptionem præfati vectigalis. Nec obstat, si dicatur quod Papa in illo motu proprio non videtur dispensare, neque supplere: quia summus Princeps, disponendo aliquid,in quo interuenit aliquis defectus,ex certa scientia,videtur supplere illud vel dispensare super eo, quatenus valor dispositionis eius requirit[a] & traditur capit. *si quando*,[b] post Baldum.[c] At Papa, qui est summus Princeps,immo & summorum Principum summus,[d] expressè disponit in suo motu proprio de pretio venditionis depositariæ,quæ dispensatio non valeret, nisi liceret eam vendere: ergo videtur, quatenus opus est, eius venditionem licitam facere.

6 Pro contraria verò parte facit primò,quòd omnis depositio rei consistentis in numero, pondere,vel mensura, cum facultate,vt ea depositarius vti posit,& eo pacto,vt aliquid soluatur deponenti,est iniusta,& obligat ad restitutionem acceptorum,vt probamus post alios in Manua. confess.[e] illa firmissima ratione,quam ponimus ibidem[f] nempe quod depositum factum de re aliqua,quę consistit in numero, pondere, vel mensura, cum facultate vt ea depositarius vti possit, fit mutuum, simulac ipse cœperit eo vti, per l. *quintus*.[g] & per l. *certi condictio*.[h] quæ hoc clarius probant,[i] & palam est, quod acceptio alicuius rei pecuniariæ ob mutuum est iniusta,obligans accipientem ad restituendum id quod accepit,[k] in quo Vrbanus Pontifex Max. allegat illud.[l] *Mutuum date nihil inde sperantes*, at deputatio alicuius in depositarium prædicti vectigalis,quod consistit in numero, idest in pecunia numerata,cum facultate vt ea vti possit, est in effectu depositio pecuniarum numeratarum colligendarum ex dicto vectigali,& sic mutuum:ergo nihil ex ea licitè accipi potest,& huiusmodi deputatio,cùm fiat pretio accepto,est iniusta.

7 Secundò facit, quòd contractus depositi est contractus gratuitus,sicut & contractus commodati, vt colligitur ex gloss. 2.[m] adiuncta glossa:[n] ita quod,si aliquid acciperetur, fieret cõtractus locationis & conductionis:ergo non potest depositio esse iusta, si quod pretium ob eam accipiatur:in casu autem proposito accipitur pretium,ergo non potest esse iusta depositio: & tamen ita appellatur,ergo est fraudulenta,argum. tituli *Plus valere quod agitur,quam quod simulate concipitur.*

8 Tertio, quod contra legem naturalem & humanam est, quod qui præstat operam, soluat aliquid pro opera quam præstat,argumento l. *secundum naturam*.[o] cui consonat clem. 1.[p] & cap. *qui sentit*.[q] quatenus habent, secundum naturam, siue legem naturalem, quam illa iura humana confirmant,esse,eum qui patitur onus, debere suscipere commodum,& non contra onus & damnum simul, at præfatus depositarius præstat suam operam, laborem, & industriam in colligendis, seruandis, & soluendis pecunijs dicti vectigalis: ergo contra leges naturæ & humanas est, vt ipse aliquid soluat pro huiusmodi officio, cùm ergo per præfatam venditionem depositariæ sibi factam aliquid soluat,iniusta est iudicanda venditio.

9 Quarto,quod lege naturali,diuina, & humana debetur mercenario sua merces, Deuterono. cap. 24.[r] & alia multa quæ allegat Dionysius Papa,[s] quale est illud, *Qui altari seruit; de illo viuere debet*:& illud, *Quis vmquam suis stipendijs militauit?*[t] ergo lege naturali,diuina,& humana debetur huiusmodi depositario aliqua merces: & consequenter contra illas est, quòd ipse soluat, quod facit emendo illam pretio.

10 Quintò, quòd ea in quibus eadem ratio militat, eodem iure sunt censenda.[v] at mutui datio,& depositio pecuniæ cum facultate vt depositarius ea vti possit,eiusdem sunt naturæ, vt prædictum est.[x] At pro mutui datione quantæcumque summæ nihil potest iustè dari, vel accipi, ergo neque pro depositione quantæcumque pecuniæ cum facultate vtendi.

11 Sextò, quòd peccat, qui deponit aliquam pecuniam seruandam apud campsorem sine facultate vtendi ea, & non vult ei soluere mercedem debitam, quia est contra prædicta iura diuina, & humana: & qui deponit seruandam cum facultate vtẽdi ea,& ob id accipit aliquid,committit vsuram, vt nos post alios diximus:[y] ergo cùm venditio huius officij in effectu non sit aliud,quam depositio

pecunia

a ff. de contrahen. empt. & instit. eodem titu. §. pretiũ. & §. item pretium.
b De vsur. nu. 15.
c Cap. 17. nu. 288.
d Nu. 36. & quatuor seq.
e Nu. 292.
f Cap. scienti. cum suis concordant. de reg. iur. lib. 6.
g Arg. l. 1. ff. de contrahẽ. emptio. & §. loca. inst. eod. titu.
h Cap. 17. nu. 266.
i Cap. ad nostrã. de empt. & vendi. ca. significãte. de pigno. & c. in ciuitate. & c. fin. de vsur.
k Argu. ca. si Papã. 40. di. & c. cuncta. 9. q. 3.

a L. idem Vlpianus. §. 1. ff. de excus. tuto.
b De rescrip.
c Ca. cum adeo. eo. titu.
d Ca. cuncta per mũdum. c. ipsi sunt canones. 9. q. 4.
e Cap. 17. nu. 181.
f Præcedenti nu. 180.
g ff. deposit.
h §. fin. cum l. seqq.
i ff. de rebus credi.
k Ca. si fœneraueris. 14. q. 3. cap. consuluit. de vsuris.
l Lucæ cap. 6.
m Capi. 1. de commodat.
n Verbo culpa. c. 1. de deposit.
o ff. de regul. iur.
p De censib.
q De reg. iur. li. 6.
r Leuit. c. 23. Lucæ ca. 10.
s Cap. 1. 13. q. 1.
t 1. ad Corinthi. c. 9.
v Le. illud. ff. ad leg. Aquiliam. ca. 1. de translat. prælato.
x Dict. l. certi condictio. §. fina. & le. sequen. ff. de rebus cred.
y In dicto ca. 17. num. 283.

pecuniarum cum facultate vtendi eis, sequitur quòd est vsuraria,& consequenter iniusta.

12 Septimo, quòd præfata depositaria non potest dici æstimabilis,& vendibilis, eo quod ex illa prouenit depositario honor, & reputatio diuitiarum, & commoditatis tractandi,cambiendi,siue traficandi. Tum quia ex mutuatione magnæ quantitatis pecuniæ mutuatarius quærit eadem:attamen non est ideo æstimabilis,nec vendibilis, vt prædictum est. Tum quia rei æstimatio non augetur ex vtilitate,aut commoditate,quæ prouenit ementi, sed sic ex vtilitate, & commoditate, quam perdit vendens eam vendendo, vt singulariter dixit S. Thomas [a] & Sotus communiter recepti. [b]

13 Per hæc posteriora fundamenta credimus hanc partem posteriorem esse veriorem. Nec obstant alterius partis fundamenta: quia illis sic responderi potest. Ad primú quidem concedendo emptionem,in qua interuenit merx vendibilis,& iustum pretium,esse iustam emptionem:negando tamen quod in proposito interueniat merx iustè vendibilis: quia mutuatio pecuniæ, vel actus mutuandi pecuniam non est merx,neque opera vendibilis, & locabilis,quia iure naturali,diuino, & humano saltem Pontificio debet esse gratuita,vt supra dictum est:& deputatio præfata depositarij nihil aliud in effectu est,quàm depositio pecuniarum vectigalis præfati cum facultate vtendi eis, & consequenter est mutuatio per iura præfata, & ita inuendibilis,immo & illocabilis.

14 Ad secundum concedimus, officium præfatum depositariæ esse iustum,& sanctum,& qui accipit illud,posse iustè recipere salarium pro opera,industria, & labore, quæ in illo exercendo præstat:sed negamus esse iustú, vt accipiens illud,debeat soluere aliquid pro ex exercendo, cum omni iure debeatur ei iustum salarium: & consequenter quod iniustè venditur illud ei.

Ad tertium, idem quod ad secundum respondemus, nempe officium argentarij custodiendi pecunias esse iustum, immo & posse illum aliquod salarium honestum accipere, sed negamus esse iustum, quod ipse qui accipit pecunias custodiendas,soluat aliquid pro custodia, quam ipse præstat,& pro qua meretur salarium.

15 Ad quartum concedimus,quod per præfatam venditionem nulli fit dolus,negamus autem quod nulli fiat iniuria, fit enim iuri naturali, diuino, & humano, & Deo eiusque vicario auctoribus eorum, & naturæ rei vsu consumptibilis, quæ ipsa quidem vendi potest, & in alium transferri, sed non eius vsus, quo ipsa consumitur, & ita vsus eius ab ipsa non separatur, sicut separatur in rebus, quæ vsu non consumuntur,iuxta S. Thomam receptum [c] & omnium sententiam.

16 Ad quintum negamus primo,quod omne quod non est sacrum,sit vendibile, homo enim laicus non est sacer, tamen non est vendibilis, saltem regulariter, secundum iura Romana,vt nos deduximus in d. Manu. [d] neque alia inæstimabilia,qualis est actus mutuandi,& mors,vel vulnus hominis liberi,[e] qualis item est scientia, & ars naturalis naturaliter quæsita, vt diximus. [f] Secundo respondeo ad id quod tangitur in fine de vtilitate quam quærit depositarius, quod tollitur per argum. septimum pro hac parte factum.

17 Ad sextum respondemus,quod prædicta venditio triplici ratione est iniusta. Primò quidem,quòd per eam accipitur pretium à depositario pro opere, industria, & labore quæ ipse præstat cum lege naturali, diuina & humana ipsi deberetur merces pro illis. Secundò,quòd venditur res inuendibilis, videlicet depositio pecuniæ cum facultate vtendi ea, quæ triplici iure prædicto est inuendibilis,& illocabilis, cùm in effectu sit mutuatio,vt suprà probatum est. Tertiò, quòd ex mutuo palliato, & vi eius accipitur aliquid, quod est vsuræ peccatum. Cùm enim venditio illa sit in effectu depositio pecuniarum cum facultate vtendi eis,est verè mutuum palliatum nomine venditionis:& ita accipere aliquid ex ea, est vsuram admittere. Quare ad argumentum respondeo informa: Primo negando quod in hoc casu non interuenit mutuum palliatum,quia contractus,per quem traditur depositaria, verè est mutuatio vestita & palliata nomine venditionis per supradicta, & consequenter in eo potest interuenire vsura. Secundò, quòd etiam est iniusta duplici ratione prædicta.

18 Ad septimum respondeo, concedendo, quod Papa faciens aliquem actum existéte aliquo defectu, per quem corruit ille,nisi dispensaretur,videtur dispensare,si faciat illum cum certa scientia illius defectus, si per suam summam potestatem potest suppleri defectus ille, vel dispensari in illo, eo quod iure hnmano sit inductus ille defectus, non autem si inducitur iure naturali, vel diuino, vt post Hostiensem & Panormitanum [a] & Baldum, [b] tradit Felinus [c] cum citatis ab illo.

19 Quia ius naturale & diuinum tenetur seruare vsque ad sanguinem,[d] & iniustitia vsuræ non solùm reprobatur iure Pontificio hnmano, super quo summam potestatem habet Papa, sed etiam iure naturali & diuino iuxta cap. *quia in omnibus.* [e] in quo Concilium Lateranense testatur eam vtriusque testamenti pagina prohiberi, & probat S. Thomas, [f] & tenet communis,[g] quicquid parum dolate dicat Alexander [h] super potestate Papæ dispensandi super vsuris cum Iudæis. in quo non auderem dicere quod Papa possit iustè dispensare cum aliquo, vt sine peccato vsuram exerceat,per cap. *super eo,* [i] in quo Alexander Pontifex Maximus respondet non posse dispensari super vsura,æquiparando illam mendacio, quod habet intrinsecam malitiam, sicut & fornicatio: & nullo modo potest dici iusta. [k] Quæ omnia & singula submitto supremæ S. D.N. censuræ. Salua,&c.

SVMMARIVM.

1 *Procuratorem ad exigendos reditus constituens, aliquid ab eo capere non potest, immo potius ei debet stipendium dare. n. 3.*

1 *Depositario seu exactori pecuniarum licentia facta illis vtendi resoluitur in mutuum, pro quasi quid exigatur, vsura est.*

## CONSILIVM II.

AN Domino, vel collegio constituenti aliquem procuratorem suorum redituum facilè recuperabilem liceat accipere aliquas pecunias ab eo, nullo constituto ei ob labores subeundos salario, propterea quod ei officium illud concedit?

1 Respondeo, quòd non video, quo titulo iusto possit prædictum collegium prædicta scuta lucrari, quia pro titulo venditionis id fieri nequit, siquidem officium illud non vendit,neque titulo locationis, quoniam illi reditus locabiles non sunt, cùm neque salarium habeat, neque prouentus vllos,qui ad illud pertineant,solùm enim inest ei onus, & cura recipiendi reditus ad collegas officiales pertinentes,& soluédi illos eis temporibus statis. Neque titulo mutui, quia illud non potest fieri iustè nisi gratis. [l] Neque titulo commodati,cum hoc etiam gratis fiat iuxta glossam receptam,[m] sed neque titulo depositi, quoniam deponens nihil potest accipere à depositario, nam gratia eius tantùm fit depositum,sicut in casu nostro,in quo gratia & vtilitate collegij deponuntur prædictæ pecuniæ:& quando fit gratia depositarij,est irregulare depositum, vt contingit cùm non deponuntur pecuniæ in sacculis obsignatæ,sed numeratę,[n] & tale depositum sapit mutuum, vt in prædictis legibus notatur, & si ea ratione caperentur,& darentur,esset vsura,vt est casus in l. *Lucius.* [o] quod non licet in lege Euangelica, iuxta illud. [p] *Mutuum date, nihil inde sperantes.* translatum in cap. *consuluit.* [q] Præterea contractus hic ea ratione videtur iniustus, quòd non solum non soluitur merces iusta operario, iuxta illud, [r] *Dignus est operarius mercede sua,* relatum in ca. 1. [s] sed etiam cogitur mercenarius ipse ad soluendam pensionem ei, cui operatur: ná depositarius huiusmodi operam,studium,& laborem impendit pecunijs prædictorum officialium recipiendis,custodiendis,& soluendis, rationibusque super his habendis:& scribendis,propter quod rectè ex iustitia debetur ei aliquod præmium, & tamen per huiusmodi contractum fraudatur eo, & oneratur pensione sine vlla iusta ratione soluenda, & ita est contra illud, [t] *Ne quis supergrediatur in negotio fratrem suum,* & contra l. *iustitia.* [v] Præterea nemo negaret esse contractum vsurarium, vel certè iniustum, si quis putaret mihi, foderet, & pararet vineam, & colligeret eius vuas, & portaret in torcular meum, & calcaret eas gratis, vt ei facerem

faculta

---

a 2. 2. qu. 77. art. 1.
b In 4. di. 15.
c 2. 2. qu. 78. art. 1. gloss. 1. ca. 1. de commodat.
d Ca. 23. nu. 95.
e L. cum liberi hominis. ff. de his qui deiecerunt, vel effud.
f In d. ca. 23. nu. 99.

a In c. significauit. de offi. ordi.
b Ca. cum adeo. de rescri.
c In c. significauit. nu. 4. eodem tit. & tangit in ca. si inter. de except.
d Capit. sunt quidam. 25. quæst. 1.
e De vsur.
f 2. 2. qu. 78. art. 1.
g In 4. di. 15.
h Consil. 1. 2. volum.
i De vsur.
k Capi. 1. 22. quæst. 2.
l Cap. consuluit. de vsur.
m In rubr. ff. commod.
n Leg. si quis nec causam. & le. rogasti. ff. de rebus cred.
o ff. depos.
p Lucæ 6.
q De vsur.
r Lucæ 10.
s 13. q. 2.
t 1. ad Thess. 4.
v ff. de iust. & iur.

facultatē recipiendi reditus mille ſcutorum ad exercendam mercaturam, vel aliam artem ſibi vtilem, per quam lucraretur plus quàm impēdit in vinea mea, & poſtea mihi reſtituendorum,[a] & tantò magis eſſet iniuſtus: vel vſurarius, ſi mihi penderet aliquid aliud præter culturam vineæ, & vindemiam vuatum, quæ mihi impedit gratis. Quare arbitror non poſſe defendi contractum prędictum eſſe iuſtum: & ſatis negotij erit illi, qui defenderit iuſtè poſſe prædictum collegium, & eius officiales vti opera, induſtria, & labore huiuſmodi depoſitarij, nullo ei propter id ſalario conſtituto.

a Cap. plerique. 14. qu. 3. & toto tit. de codict. indeb.

An autem huiuſmodi depoſitarius poſsit iuſtè transferre huiuſmodi officium depoſitarij in aliquem mercatorem cum pacto, vt ſoluta quantitate, quæ debetur Principi, vel populo, ſoluat ei dimidium eius, quod lucratus fuerit ex vſu prædictæ pecuniæ gabellarum acceptæ, reſpondeo quòd non, fortiori ratione. Salua, &c.

SVMMARIVM.

7 *Diſpoſitio teſtatoris, vt lex ſeruanda, ſi ſit iuſta, alias non. nu. 2.*

3 *Depoſitam pecuniam penes mercatorem quis tenere non poteſt, cum pacto, vt inde aliquid lucri percipiat, niſi mutatis contractibus iuſtificetur, num. 1. & 2. hocque lucrum eſt vſurarium, tam pro tempore vitæ teſtatoris, quam poſt vitam illius ab hæredibus acceptum, num. 3. reſtituendumque, niſi gratioſe condonetur, num. 4 ceſſante autem pacto accipere gratis datum in recognitionem vtilitatis, quam ex dicta pecunia percepit mercator, licet. num. 5.*

4 *Deponens pecuniam cum pacto, vt depoſitarius teneatur illam cuſtodire, ac ſaluam reddere, quando repetetur, & quod ad nullam mercedem depoſitario dandam teneatur, vſura eſt.*

CONSILIVM III.

SEMPRONIVS moriens inſtituit hæredes tres nepotes, Titium, Seium, & Caium, in grandi pecuniarum ſumma, quam Romæ habebat apud trapezitas ſiue campſores, ad ſeptem pro ſingulis centenarijs, hac tamen conditione, quod numquam poſſent illam inde auferre, nec alienare, vnde & fideicōmiſſum fecit. Titius & Caius contra voluntatem teſtatoris abſtulerūt quamdam quantitatem prædictæ ſummæ: & Caius vltra partem, quæ illi contingebat, abſtulit tria millia aureorum partis Seij illo inſcio, poſt aliquot tamen menſes hoc illi manifeſtauit, ſimulque ſe obligauit vltra ſortem principalem reſtituere intereſſe ad ſeptem pro centenario, quod & fecit poſt aliquot annos, licet minus aliquanto quam ad ſeptem. Queritur, an Seius ſecurą conſcientia poſsit accipere hoc intereſſe, an vero teneatur illud reſtituere: & tunc an poſsit illud applicare alicui pio loco.

Clauſula teſtamenti, vel codicilli, per quam præfatum fideicommiſſum dictarum pecuniarum fuit factum, ſic habet: *Item cum dictus D. Sempronius codicillans habeat in compluribus creditis, de quibus extat quoddam memoriale in manibus N. quæ aſcendunt ad ſummam trigintaſeptem millium ſcutorum, vel quantacumque ſit ſumma voluit & ordinauit quod dictæ pecuniæ non amoueantur à locis, vbi ſunt poſitæ; ſed tantum fructus diuidantur inter ſuos hæredes pro æquali portione, niſi aliter dicto N. viſum fuerit, & placuerit, qui ad plenum de ipſius domini codicillantis voluntate & mente eſt informatus, vt dictus dominus codicillans aſſeruit.*

In primis dico, quod etſi forte moleſtus fui in quærenda & petenda maiore informatione huius facti, quam dabatur, adhuc tamen iuſtè poteram requirere maiorem, & excuſare me à reſpondendo, donec illa daretur. Nam opus erat ad reſpondendum abſolutè, ſcire, an præfatus codicillans haberet præfatam pecuniam depoſitam penes mercatores per viam contractus depoſiti, an per viam contractus ſocietatis, & an prefata ſeptem annua pro 100. ſoluerentur ei ſalua ſua ſorte principali, vel cum periculo communis damni & lucri, & an inter codicillantem & mercatores interueniſſet vltra contractus ſocietatis alius aſſecurationis, & alius redemptionis, quos eſſe neceſſarios ad accipiendum aliquid lucri vltra ſortem, ſeu capitale, vel principale ſaluum, diximus in noſtro Manuali.[b]

2 Secundo dico, quod ſi depoſitio illa pecuniarum fuit facta à prædicto codicillante per viam contractus ſocietatis, vel depoſiti iuſtificati eo modo, quo iuſtificanda erat, iuxta ea quæ nos vbi ſupra poſt alios tradidimus, tenentur præfati hæredes ſeruare illam, donec N. aliud ordinauerit: quia iuſta diſpoſitio teſtatoris pro lege habenda eſt.[a] Modo codicillanti ius faſque fuiſſet teſtandi de illis ad libitum, & conſequenter eſt dicendum, præfatos hæredes, potuiſſe iuſtè capere illa ſeptena annua à præfatis mercatoribus. cui etiam conſequitur, præfatum Seium potuiſſe à præfato Caio accipere illa quæ accepit, nec teneri ad reſtituendum quicquam.

b Cap. 17. nu. 251. cum ſequentibus.

a Authen. de nupt. §. diſponat teſtator, & erit lex. & ca. cum eſſet de teſtamen

3 Tertiò dico, quòd ex verbis narrationis facti ſolùm colligitur interueniſſe contractus depoſiti, cum pacto de ſoluendo quotannis ſingula ſeptem pro ſingulis centenis, ſine alia iuſtificatione: & ſi res ita ſe habet, certum eſt contractum fuiſſe iniuſtum, immo & vſurarium, per ea quæ vbi ſupra ſcribimus, & conſequenter iniuſta fuit & vſuraria conuentio illa, & pactio, qua prædicti hæredes confirmarunt conuentionem codicillantis, immo & traditio nouæ pecuniæ ab eis facta prædictis mercatoribus. Quibus eſt conſequens, præfatos hæredes non teneri ad retinendas illas pecunias cum prędicto pacto in manibus dictorum mercatorum: quia licet regulariter diſpoſitio teſtatoris pro lege habeatur, iuxta Authen. ſupra allegatam, fallit tamen quando eſt iniuſta contra legem, & bonos mores,[b] præſertim contra legem naturalem, & diuinam, qualis eſt hæc, quę eſt vſuraria, & ita contra vtrumque teſtamentum.[c]

b Le. filius. ff. condict. inſtit. c Ca. quoniā in omnibus. de vſuris.

Quarto dico, quòd ſi prædictus contractus depoſiti vel ſocietatis non fuit iuſtificatus eo modo, quo ſuprà diximus, quicquid accepit codicillans à mercatoribus, dum viueret, & quicquid poſt eius mortem hæredes acceperunt, cenſendum eſt iniuſtè acceptum, & reſtituendum ijs, à quibus acceptum fuit, vel hæredibus eorum. cui conſequens eſt, quod Seius tenetur reſtituere illa, quæ accepit à prædicto Caio, cui etiam non licuit accipere illa ab ipſis mercatoribus.

4 Quinto dico, quòd etiam ſi ipſe codicillans abſque vlla promiſsione mercatorum de ſoluendo ei aliquid, depoſuit penes illos prædictam pecuniam, cum pacto, vt illi tenerentur cuſtodire, ac reddere ſaluam, quoties ille peteret, & quod ob hanc cuſtodiam ipſe nihil teneretur illis ſoluere, iniuſtè feciſſet, & vſuram commiſiſſet: eo quod voluiſſet capere, vltra ſortem principalem, illud ſalarium, quod eis pro fida cuſtodia ſuo periculo facienda debebatur iure illo naturali, & euangelico, quo cauetur mercenarium dignum eſſe mercede ſua.

Sexto dico, in hoc caſu conſulendum eſſe prædictis hęredibus primum, vt pœniteat eos ex animo, quod ipſam pecuniam tenuerint in manibus eorumdem mercatorum cum pacto & obligatione ſoluendi ſibi ſeptem pro centenario, & non ſolum pœniteat eos huius peccati vſurarij, ſed etiam firmiter proponāt reſtituere omnia illa, quæ acceperunt mediante illo pacto, niſi ſponte vel liberè prædicti mercatores eis illa condonauerint, & nō tantùm proponant reſtituere, quæ ipſi acceperunt, ſed etiam quæ accepit eodem pacto is, cuius ſunt hæredes. Deinde concepta iſta generoſa pœnitudine, qua pœniteat offendiſſe Deum, præcepta eius violando, cum debuiſſent eum ſuper omnia diligere, ac illius præcepta ſeruare: concepto item propoſito firmo reſtituendi prædicta omnia ipſis mercatoribus, à quibus accepta ſunt, vel hæredibus eorum, proponant confiteri hoc peccatum cum expreſsione temporis, quo illud continuarunt: & poſtea, vel ante confeſsionem adire per ſe, vel per ſuos confeſſarios, ipſos mercatores, eiſdem aperientes ſuam pœnitudinem, & propoſitum reſtituendi: & rogare eos, ſi ſunt diuites, vt condonent ſibi ea quæ ſoluerunt.

5 Tertio, habita condonatione omnium, vel partis, quam humiliter habere poterunt, relinquant eis ſuam pecuniam ſublato pacto de dando eis ſeptem, vel aliquid aliud ratione eiuſmodi depoſiti, facta illis libertate nihil dandi ex obligatione vel promiſsione, ſed ſolùm ex mera liberalitate, ſi voluerint aliquid donare tamquam amicis, qui ſuam pecuniam tradunt eis ad lucrandum per iuſtam mercaturam, vel per iuſta & realia cambia. Quarto, his peractis adeant N. & cum eius aſſenſu vel accipiant pecuniam ſuam ad emendos aliquos reditus, vel aliqua bona immobilia, & vinculent ea, vt illi videbitur: vel

certè

vel certè deponant prædictam pecuniã penes dictos mercatores per viam iustæ societatis, per quam tamen solùm non potest manere capitale saluũ, nisi addendo alios duos contractus assecurationis & redẽptionis lucri, modo quo ipse in Manuali,[a] scribo. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

*1 Depositario pro custodia depositæ pecuniæ & obligatione reddendi ad volũtatem deponentis, debetur merces, nisi fiat cum facultate ea vtendi: quia cum tunc transeat in mutuum, mutuans ad nihil tenetur. nu. 2. aliquid autem ab eo etiam tacitè exigere, est vsura. num. 3. oblatum verò merè liberaliter recipere licet: secus si dicta oblatio fiat principaliter ob metum, ne ab eo depositum auferatur, vt alteri aßignetur. n. 4.*

*5 Deponens pecuniam penes aliquem cum facultate illa vtendi, ea principali etiam tacita intentione, vt inde aliquid recipiat, vsura est, secus si minus principaliter aliquid speret sibi liberaliter dari.*

## CONSILIVM IIII.

MVlti deponunt penes argentarios, siue campsores, & bancarios, vel alios diuites, & amicos, aut suos receptores thesaurarios aliquas summas pecuniarum maximas, magnas, & minimas, cum facultate eis vtendi, & cum eis negotiandi, eo tamen pacto, vt restituant eas totas, vel partem earum, quando ipsi voluerint, & depositarij reddunt eis certum quid pro centenario in annum, vel mensem, vel aliud tempus maius vel minus. Quæritur an id liceat.

1 Respondeo primo, quod cùm primùm ad vrbem venissem, deposui aliquot scuta penes quemdam argentariũ, vel bancarium, ad custodiendum, & ad reddendum omnia vel partem eorum, cum vellem, gratis, nihilo ei dando pro custodia, nec recipiendo pro lucro quod faceret, & vrsit me conscientia ad volendum ei soluere mercedẽ pro custodia, & opera, quam impendit illis custodiendis, cũ onere reddendi ea pro voluntate mea: quia dignus est operarius mercede sua.[b] Sed quia neminem videbam soluere quidquam pro simili causa, petij remissionem eius, quod mihi primo aspectu videbar debere, quam ipse libenter fecit.

2 Secundo, quod postea animaduerti, quod depositum pecuniæ numeratæ cum facultate vtendi ea transit in contractum mutui,[c] & quod ego tradideram illa scuta cũ facultate vtendi eis sine obligatione soluendi eadẽ, & quod per contractum mutui transit dominium rei mutuo datæ in mutuatariũ,[d] & consequenter onus custodiendi transiuit in bancarium, vti dominum eorum,[e] & ita nõ tenebar ad soluendum ei quicquam pro custodia.

3 Tertiò, quòd depositarius, qui recipit depositam pecuniam sine facultate vtendi ea, & cum obligatione restituẽdi eamdem, meretur mercedem pro custodia: quia non transit dominium in eum, & ipse nõ tenetur ad reddendũ aliquid ipsi deponenti vltra depositum, iuxta l. *si sacculum*,[f] cum ei adnotatis: quia est contractus de se gratuitus, vt & nos post alios tradidimus in nostro Man. confess.[g] & consequenter non tenetur depositarius soluere aliquid deponenti vltra pecuniam depositam: & deponens, qui exegerit aliquid vltra sortem, committit vsuram, iuxta l. *Quintus Cæcilius*.[h]

Quartò, quòd deponens poterit iustè accipere à depositario, si sponte sine vlla exactione expressa vel tacita voluerit aliquid ei dare, sed non exigere, per ea quæ in sequẽti consilio traduntur. Dixi *tacita vel expressa*: quia sufficit tacita.[i]

4 Est tamen quæstio quotidiana, an depositarius, qui soluit aliquid vltra depositam pecuniam, non quidem voluntariè ac liberè, sed quia timet, si non solueret, quod deponens repetet ab eo pecuniam depositam, & tradet eam alteri, qui soluet id quod ipse non vult soluere. Et puto deponentem quo ad forum interius peccaturum accipiendo illud, si nouerit depositarium ei facere illam solutionem principaliter ob illũ timorẽ, per ea quæ de timore scripsimus in præfato Man. cõf.[k] vbi concludimus, metum etiã minorẽ iusto in foro conscientiæ excusare, & accusare.

5 Immo etiam si ob hanc causam principaliter repeteret pecuniã depositam, vt alius ei soluat aliquid vltra eã: quia mutuat & vult mutuare cum spe principaliter lucrãdi vltra sortem: quia spes lucrandi principaliter aliquid vi mutui est peccatum vsuræ, iuxta ea quæ post alios tradimus in commen. de vsuris.[a] Diximus, *principaliter*: quia minus principaliter intentio lucrandi aliquid non sufficit ad causandum vsuram, vt tradimus vbi sup.[b] Salua, &c.

a D. capit. 17. nu. 251.

b Luca 10. relat. in c. 1. 13. q. 1.

c L. certi condictio. §. fin. & duabus ll. seq. ff. de rebus cred.

d L. 2. §. pel. ap ff. eod.

e Iuxta le. 1. & 2. C. de commod.

f ff. depositi. c. 2. de deposito.

g Cap. 17. nu. 180.

h Et l. Lucius. ff. depositi.

i Arg. l. 1. cũ ei cõcordantibus, de pactis.

k Ca. 12. nu. 51. & cap. 17. nu. 5.

a Super ca. 1. 14. q. 3. nu. 6. & 8.

b Num. 9.

*SVMMARIVM.*

*1 Deponi potest penes Ecclesiam pecunia, vt inde emantur census, ita vt aliqua pars remaneat Ecclesiæ, & reliqua detur deponenti. num. 3. an autem expediat, non est ita certum, cum Ecclesia debeat exemplari pietate simul & prudentia lucere. num. 7.*

*1 Depositum fit locatum, depositario ob illud aliquid accipiente. & num. 4.*

*1 Ecclesia, & clerici mercaturam exercere non debent, cupiditatis inquam causa. nu. 5.*

*2 Ecclesia, & eius bona laicis submitti non debent, scilicet tamquam dominis & patronis. & nu. 6.*

*3 Contractus omnis alias licitus, etiam cum Ecclesia, si sit ei vtilis, iniri potest.*

*3 Donari potest aliquid Ecclesiæ sub modo, vt census aliquis retribuatur donanti.*

*4 Depositarius regulariter tenetur tantum de dolo, potest tamen conueniri, vt teneatur etiam de culpa.*

## CONSILIVM V.

1 AN liceat cuipiã deponere aliquã pecuniæ numeratæ summam apud aliquam Ecclesiam, ea lege, vt administratores bonorum eius, emant aliquot reditus annuos, quorum quinta pars cedat vtilitati Ecclesiæ pro decima, & onere administrationis, & aliæ quatuor partes cedant deponenti, & successoribus eius.

Pro parte negante huius quæstionis facit primò, quod depositum debet esse gratuitum, eo quod, depositario accipiente aliquid pro custodia rei depositæ, desinit esse depositum, & incipit esse locatum.[c] Secundo, quòd neque Ecclesia, neque clerici debẽt negotiari, & mercaturã exercere, iuxta c. 1.[d] & ne clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant, in rubro, & in nigro.

2 Tertio, quod Ecclesiæ, & bona earũ nõ debent subiici & submitti laicis,[e] & in casu proposito videtur Ecclesia submitti, & obligari in quoddã perpetuum ministeriũ & seruitium deponenti præfatas pecunias. Quarto, quòd ex huiusmodi depositione videtur posse damnificari Ecclesia, pecunia perempta, vel prædictis bonis ex ea emptis, per dolum, vel culpam administratorum bonorum Ecclesiæ, vel per amissionem bonorum emptorum ab eis, vel quia respectu aliquo fieret graue administrare reditus, vel bona empta, & reddere quatuor partes redituum, qui aliquãdo magno cum sumptu & labore recipiuntur: & Ecclesiæ damna sunt vitanda.[f]

3 Pro contraria verò parte vrget primum, quòd depositum pecuniæ præfatæ potest fieri apud Ecclesiam, vt non obscurè significat c. 1.[g] & appertè asserit eius glo. communiter recepta. Secundo, quod regulariter omnis cõtractus alioqui legitimus potest fieri cum Ecclesia, si est ei vtilis, arg. c. *sine exceptione*,[h] & aliorum multorũ.[i] Tertio, quod licitum est donare aliquid Ecclesiæ sub modo & onere, vt aliquis census etiam annuus ei retribuatur,[k] & præfata dispositio est effectu donatio quædam facta sub modo & onere reddendi deponenti certam partem reditus rei donatæ: ergo erit licita.

4 Per hæc & alia multa, quæ adduci possent, hæc pars videtur verior: & ad opposita facilè responderi põt. Ad primum quidem primò concedẽdo, quod depositum simpliciter factum censetur gratuitum, negando tamen, quod nõ potest fieri adiecto pacto, vt aliquid pro custodia detur, vt est casus irrefragabilis in capit. fin.[l] sicut & depositarius simpliciter constitutus tenetur de dolo, sed constitui potest, vt teneatur etiã dẽ culpa, vt est casus in d. c. fi.[m] Secundò responderi potest, quòd non refert quo ad propositum nostrum, an præfatum depositum sit purum depositũ, vel habens mixturam contractus locati, & conducti: quia idem effectus resultat, & non refert quid de æquipollentibus fiat.[n]

5 Ad secundum concedimus, artem mercaturæ vetitam esse clericis, ne illã exerceant causa cupiditatis, vt Gratianus[o] significat: sed negamus in proposito casu exerceri mercaturam, siue negotiationem, sed solum fieri quemdã

c L. 1. si vestimenta. ff. deposit. & c fin. de deposito.

d Ca. negotiatorẽ. 88. dist.

e Ca. 1. de rebus ecclesiæ non alien. l. 6.

f Ca. sine exceptione. 12. q. 2. & c. 1. de deposito.

g De deposito.

h Et c. si qua. 12. q. 2.

k Cap. Eleutherius. 18. q. 2. & ca. praeterea. de iure patro.

l De deposito.

m Et in l. 1. §. si conueniat. ff. depositi.

n Leg. fin. ff. mand. & ca. licet ex quadam. de testibus.

o In summa præfata dist. 88.

contractum depositi vtilem Ecclesiæ, vt palam est.

6 Ad tertium concedimus, nec Ecclesias, neque bona esse submittenda laicis, neque subiicienda alicui tamquam patrono, & domino, & superiori: sed negamus in casu proposito talem submissionem fieri, cum solũ fiat submissio & obligatio ad restituẽdum sibi datum in suam vtilitatẽ, si pacta non seruauerit, cũ ad id ipsa lege naturę teneatur,[a]

[a] L. 1. de pact. & leg. 2. ff. de eo quod cer. loco. & ca. 1. de pact.

Ad quartum, quod præfatum depositum debet fieri talibus pactis, & conditionibus adiectis, vt Ecclesia non lædatur, nec delictũ vel culpa administratorum bonorũ eius imputetur ei, & maneant ipsi sua priuilegia salua.

7 Quia tamen res hæc noua est, & exemplari pietate simul, & prudentia lucere Ecclesia debet, arbitror aptius, & pientius fieri posse per contractum donationis sub modo faciendæ, quam per contractum depositionis, qui quadãtenus sapit naturam quorumdam depositorum, quę parum licitè mea sententia ætate nostra cum mercatoribus fiunt, & quod expresse fieret donatio inter viuos perpetua facta Ecclesiæ facultate reddendi pecuniam, vel reditus, aut bona empta, &c. Salua quæ iustior fuerit sententia.

## DE EMPTIONE ET VEND.

### SVMMARIVM.

1 *Cambium per minutum cuilibet licitum, etiam ei qui non est cãpsor ex officio.*
2 *Emere monetam leuioris ponderis iusto pretio licet, sed vendere pluris quàm hic valeat, non licet, etiamsi vendatur eam translaturo vbi pluris valebit.*
2 *Venditio non iustificatur ex vtilitate emptoris, sed venditoris.*
2 *Restitutio damnũ passo facienda, & eo non inuento, pauperibus.*
3 *Pecunia domini non potest eo inuito vti capsarius: quod si habet domini licet non expressum consensum, non peccat. an autẽ teneatur restituere lucrum, vide nu. 4. & 6.*
6 *Mercatorum capsarij, quod in malè computando amittunt, restituant.*
5 *Mutuare minutam pecuniam intentione recipiendi argenteam, non est vsura.*

### CONSILIVM I.

PRimum dubium. Emere solet quis cum lucro duorum, vel trium pro quolibet centenario monetam æream minutam, eamq; amicis agentibus ad comparanda quotidiana mutuo dat, à quibus postea argenteam recipit pecuniam, & hoc sine omni pacto, & sine mutuatarij damno, cui tantùm profuit impẽdisse æream minutam monetam, quam recepit, sicut si argenteam, quam dedit, impendisset. Verum, quia dictus mutuans de cætero fortè nõ esset mutuaturus, nisi pro ære argentum reciperet, quod fortè etiã cogitat mutuatarius, ideo dubitatum fuit, an liceat cũ dicta intentione recipiendi argenteam monetam, mutuare æream.

Secundum dubium. Hic Romæ scuta auri non expenduntur communi pretio, nisi sint iustissimi ponderis, in aliis autem prouinciis Italiæ, etiam quòd sint leuioris ponderis, nisi leuitas sit notabilis, æquè benè expenduntur, ac si essent iustissimi ponderis. hinc fit, quod prædictus consulens hic Romæ existens huiusmodi scuta leuioris ponderis emit minoris currentis valoris, & eadem cum lucro vendit ituris extra Vrbem, quibus tanti valent hæc scuta leuioris ponderis, ac si essent iustissimi ponderis. Dubitatur modo, an hoc liceat, & ad quid teneatur dictus consulẽs, & cui teneatur, in casu, quod esset obligatus restituere.

Tertium dubium: Et quid sit prædictus consulens, qui facit prędictos contractus, esset capsarius, vt vocant, mercatoris, qui solet pecunias domini sui recipere, custodire, ac etiam soluere, & prædictos contractus exercet ex pecunia prædicti domini sui, à quo prohibitionem habet, ne dictis pecuniis vtatur in aliis vsibus, quam in vtilitatẽ ipsius domini, & pro eius negotiis, puta in emptionem monetæ aureæ iusti pretij ad vtilitatem domini.

Quartum dubium: Præterea dictus capsarius, ad quem periculum erroris, qui potest contingere in numeratione pecuniæ, quam vel dat, vel recipit, spectare dignoscitur, emendo ad vtilitatem domini pecuniam auream, pretiũ verum auget: puta emendo scutum vnum pro iuliis vndecim, scribit in libro se emisse pro iuliis vndecim, & vno quatrino: & hoc facit ad hunc solum effectum, vt augmẽtum huius quatrini suppleat defectum erroris prædicti, si fortè contingeret, nam si in fine anni error nullus reperitur intercessisse, omne lucrum, quod in capsarium ex additione dicti quatrini ad verum valorem facta peruenit, ad ipsos dominos alia via reuertitur. Dubitatur, an dictus capsarius peccet mortaliter, teneaturque ad restitutionem omnium prædictorum quatrinorum, & ex suo salario persoluere damnum, quod solet ex errore prædictæ numerationis contingere, an verò possit dicta fraude vti.

Nouerit præterea D. consultus pro clariore facti cognitione, quod mercatores communiter solẽt dictis capsariis mediocre, seu potius tenue stipendium persoluere: & licet præsentiãt dictos capsarios ex dictis pecuniis ad ipsorummet capsariorum vtilitatem emere dictam æreã monetam minutam, de qua in primo casu, & dictos aureos leuioris ponderis, de quibus in secundo, tamen dissimulant hæc videre, maximè quando dictus capsarius in aliis negotiis solet esse ad vtilitatem domini diligens.

1 AD PRIMAM QVAESTIONEM respondeo, quod D. consulens iustè negotiatur: quia in effectu exercet cambium, quod vocatur per minutum, quod licere non solum capsoribus, sed etiam priuatis, tradimus nos in Manual.[a]

[a] Cap. 17. nu. 288.

2 AD SECVNDAM respondeo primò, quòd prædicta negotiatio videtur iniusta. Tum quia vendit maioris quam valeant scuta. Tum quia licet non emat ea minoris, quàm valeant, ea tamen intentione emit ea, vt vẽdat maioris, quàm valeant. Tum quia non obstat, ꝙ illa valebunt emptori in alia prouincia tanti, quãti emit, & fortè pluris: quia venditio rei non iustificatur ex vtilitate, quã emptor percipiet ex illa, sed ex vtilitate, quę vẽditori ex ea veniebat, vt docet D. Tho.[b] relatus à nobis in dicto Man.[c] Tũ quia nõ obstat dicere, quod cãbiũ per trãslationẽ monetę liceat, vt tradimus in dicto Man.[d] quia licet qui emit hic monetam minoris valoris, possit portare, vel mittere ad alium locum, vbi pluris valet, non tamen potest illam vẽdere hic aliis pluris, quam valet, per ea quæ in c.[e] dicimus.

[b] 2. 2. qu. 77. art. 1.
[c] Ca. 23. nu. 78.
[d] Cap. 17. nu. 290.
[e] 23. nu. 77.

Secundo, quod tenetur restituere eis, quibus vendidit, vel eos contentos facere,[f] & si nesciuntur, nec sciri possunt mediocri adhibita diligentia, pauperibus, iuxta c. *cum tu* & glossa eius.[g]

[f] Iuxta ca. eate. de iureiur.
[g] De vsuris.

3 AD TERTIAM respondeo, quod si domini, quorum est pecunia, consentiunt tacitè, vt eorum capsarius, vel arcarius vtatur cambio minuto in vtilitatem suam tãtùm, securus erit in conscientia.[h]

[h] Arg. c. scienti & consentienti. de reg. iur. lib. 6.

AD QVARTAM respondeo, quod nõ potest iustè adiicere illum quatrinum, per aliqua, quæ non vacat scribere, cùm ipse debeat sibi & suo officio cauere, ne in computando erret.

4 Replicatum fuit super dubio præcedenti in primo casu non tantùm dubitari de minutissimo cambio, an liceret, quantum, an dictus mutuans dictam minutam æream pecuniam cum intentione recipiendi à mutuatario argẽteam pecuniam, committat vsuram?

Nam pro negatiua facit, quia creditor mutuando decẽ scuta numerata in moneta ærea minuta, recipiendo postea totidem decem in moneta argentea, non videtur recipere nisi summam mutuo datam: & licet ipse postea ex dicta moneta argentea emat iterum minutam æream, cum lucro duorum pro centum, hoc prouenit ex eius industria sine damno mutuatarij, cui tantũ valet dicta minuta ærea ad emptionẽ sibi necessariorum, quãtùm valeret argẽtea.

Pro affirmatiua facit, quia creditor recipit plus quam dedit: nam pro ære minuto recipit argenteam pecuniam, quæ habet hanc qualitatem, vt possit, & faciliter, in æreã cum lucro permutari, seu cambiri: & mutuatarius ex hoc patitur damnum, nam amittit facultatem, per quam posset argenteã pecuniam cambire cum ærea minuta cum lucro prædicto, & retento lucro restituere creditori totidẽ scuta 10. in moneta ærea, in qua mutuum receperat.

In tertio casu etiam replicatũ fuit: Si domini pecuniarũ non consentirent dicto capsario, seu arcario, vt ad sui vtilitatem dictum minutissimum cambium exerceat, an dictus arcarius teneatur lucrum dominis restituere in totum, vel in partem, cũ in mandatis habeat, ne pecunia dominorum

vtatur nisi eorum vtilitatem. Ratio dubitandi est, quia arcarius non tenetur ex debito officij sui, nec inuitus cogitur, vt exerceat dictum minutissimum cambium, potestq; illud sine peccato iniustitiæ nō facere, vnde si illud exercet ad sui vtilitatem, contra domini quidem præceptū facit, sed tamen ob hoc nec damnum domino dat, nec cōtra iustitiam particularem, quæ sola ad restituendum obligat, committit: vnde nec videtur cogendus restituere, nec cōdemnandus de peccato mortali pro prædicta dominorum præcepti transgressione, cùm non tendat in dictorum dominorum considerabile præiudicium, nam ob hoc arcarius non omittit quicquam ex iis, ad quæ tenetur ad dominorum vtilitatem facere.

5 Ad prius superdubitatum respondeo, quod vtilitates prædictæ in eo consideratæ non sunt notabiles, nec sufficientes ad reddendas voluntates prædictas vsurarias, per rationes optimè in eo tactas.

6 Ad secundum respondeo, quod si arcarius non tenetur ad exercendum illud officium cambij ad vtilitatem eorum, quorum est arcarius, & exercet illud sine damno eorum, non videtur peccare, licet ipsi non consentiant expresse, per ea quę nos diximus in Man. confess.[a] Salua, &c.

a Ca. 23. nu. 94.

SVMMARIVM.

*1 Deponere pecuniam cum facultate ea vtendi, est mutuare: vnde illius ratione tamquam debitum quid accipere, erit vsura, nu. 2. secus si sponte donetur in gratiā mutui vel depositi penes ipsos sic facti, vel ex eo quod valor monetæ sit auctus, vel quia soluit in alia moneta deterioris conditionis. nu. 3.*

*4 Soluere qui tenetur aliquam pecuniam creditam, seu mutuo receptam, satisfacit soluendo secundum æstimationem à Principe impositam, nec ex eo quod soluit in alia moneta, tenetur inuitus aliquid addere: si tamen esset credita ea conditione vt ei alia æque bona pecunia restituatur, tunc in eadem moneta esset restituenda. nu. 5. & si augeretur valor, pertineret ad creditorem numero 3.*

*6 Oeconomus aut auream pecuniam à domino ad impendendum acceptam dat suo periculo mercatori, à quo minutiorem cum augmento accipit, & augmentum suum est: aut eamdem accipit à mercatore, penes quem dominus suo periculo depositam habebat cum facultate eamdem in auro, vel minutiore recipiendi, & augmentum domino debet restitui.*

CONSILIVM II.

QVæstiones duæ confessariis frequentissimè occurrūt. Prima, an qui tradunt multa scuta aurea mercatoribus & postea minutatim capiunt valorem illorum in nummis argenteis, vel æreis, possint iustè accipere aliquos quatrinos, vel bologninos, quos frequenter adiiciunt mercatores, cum soluunt pro illis nummos argenteos, vel aureos.

Secunda, an œconomus, obsonator, vel quiuis alius officiarius alicuius domini accipiens valorem prædictorum scutorum in nummis argenteis, vel æreis à mercatoribus prædictis vna cum auctario prædictorum quatrinorum, vel bologninorum, teneatur scutorū valori instituto adiicere illos, & an teneatur ad restitutionem illorum, si eos sibi accipiat.

1 AD PRIMAM respondeo, quod pro parte negatiua facit neruosissimè, quòd nullo titulo iusto tradentes illa scuta videntur eos posse accipere. Non primo titulo mutui: quia, qui mutuat, non potest aliquid vltra sortem accipere, quia esset vsura,[b] immo esset peccatum mortale, cum spe talis lucri ea tradere.[c] Nec secundo titulo depositi: quia deponere pecuniam cum facultate vtendi illa, est mutuare,[d] vt latius traditur in Man. c. 17.[e] Neque tertio titulo locationis: quia pecunia non est res locabilis, cùm traditur ad vsum suum naturalē impendenda: cùm in effectu sic locare, sit mutuare, & vsuram palliare, vt palàm est. Neque quarto titulo societatis: alioquin oporteret participare de damno mercatoris, quod incurreret negotiando,[f] & traditur in d. Man.[g] quod non intendunt facere ipsi. Neque quinto ratione cambij: quia cambium est contractus non gratuitus, quo vna pecunia datur pro altera, vt probatur in Man.[h] & traditio prędicta fit gratuito, & non pro altera pecunia: quia etiā ipsamet, vel alia ei similis sine vllo auctario reddi, & solui potest.

b Ca. 1. & 2. 14. q. 3.
c Ca. 1. & c. consuluit. de vsur.
d L. certi condictio. §. fin. cum l. seq. ff. de reb. cred. & l. quintus. ff. depositi.
e Nu. 180. & nu. 183.
f L. si non fuerit. ff. pro socio.
g Cap. 17. nu. 251.
h Cap. 17. nu. 283.

2 Sed in contrarium facit, quod multi viri pij & eruditi huiusmodi auctaria passim sine scrupulo accipiūt. Quare dicendum videtur primò, quòd duo cōtractus in hac re inueniuntur: alter depositi, quo traduntur cum facultate eis vtendi expressè, vel tacitè facta depositario, quod effectu est mutuum, iuxta d. l. *certi condictio.*[a] Alter est, quo capitur pecunia argētea, vel ærea pro scutis supradicto modo traditis, & hic est contractus cambij. Secūdo, quod ratione prioris contractus, nihil amplius, quàm ob mutuum, potest recipi tamquam debitum, & quod taliter reciperetur, esset vsura restituēda per iura citata. Dixi, *tamquam debitum*: quia tamquam gratuitò, & spōte donatum, in signū gratitudinis, accipi potest, sicut & ita donatum ob mutuum, iuxta dicta in Man.[b] Tertiò, quòd ratione alterius cōtractus cambij potest recipi aliquid ratione cābij, quod appellatur per minutum, iuxta dicta in Man.[c] & etiam ratione valoris scuti, quod fortè illo die, quo pecunia argentea, vel ærea in cambium traditur, pluris valet scutum aureum, quam principis institutione æstimatur.

a §. fin. & le. seq.
b Ca. 17. nu. 209.
c Cap. 17. nu. 283. & 288.

3 Concludo igitur primo, quod prædicti tradentes scuta in auro, & postea recipientes valorem eorum in argento, vel ære, possunt iustè accipere prędictos quatrinos, vel bologninos, tamquam sponte donatos in gratiam depositi, vel mutui penes illos donantes facti, secundo tamquam debitos ratione cambij per minutum facti, tertio ratione valoris maioris, quem, quando dantur nummi argentei, vel ærei, habet scutum aureum.

AD SECVNDAM respondeo, quod pro parte affirmatiua facit primo, quod id, quod operatur propositum in proposito, operatur oppositum in opposito.[d] At si diminueretur pretium illorum scutorum teneretur officiarius supplere illud in vtilitatem heri: ergo, si fuerit auctum, debet illud auctarium vertere in eius vtilitatē. Secundò, quòd nihil alienum sine iusto titulo quæri vel retineri potest.[e] Tertio, quod scuta prædicta verè valent apud mercatores plus quam pretium à principe eis impositum, quando sic soluunt, & illud plus secundum valorem currentem in foro mercatorum accipiunt nomine heri sui, ergo tenentur reddere rationem illorum secundum verū valorem.

d L. & si contra tabulas. ff. de vulg. & ca. sciendum. 8. q. 1.
e Capi. si res aliena. 14. q. 6. & c. peccatum. de regu. iur. lib. 6.

4 Pro contraria verò parte negante facit primò, quòd accipiens aliquam pecuniam satisfacit reddendo valorem eius institutum à Principe, nam illud est verum pretium monetæ excusæ, quod à Principe Reipub. præstituitur illius enim, vel habentis iura eius, est cudere monetam, & ponere illi pretium, arg. c. *quanto*,[f] vbi hoc notat Pan. communiter receptus.[g] Et prædicti officiarij accipiunt prędicta scuta soluenda in aliis rebus impendendis, ergo satisfaciunt soluendo illa secundum pretium statutum à Principe absque prædicto pluri. Secundo, quod Bart. cōmuniter recept.[h] ait, quod augmentum, vel diminutio æstimationis monetæ, quæ modico tempore durat, vt vno, duob. vel pluribus diebus, vel quandoque, non est attendenda, arg. l. *pretia*,[i] cui concordat Panorm. communiter recept.[k]

f De iureiur.
g Num. 6.
h In le. Paulus. 1. §. 1. ff. de solut. n. 9.
i Sub fi. ff. ad leg. Falcid.
k In d. c. quāto. sub fin.

5 Tertiò, quòd non obstat prædicta l. *Paulus.* quatenus habet, creditorem non esse cogendum in aliam formam nummos accipere, si ex ea re damnum aliquod passurus sit. Tum quia lex illa intelligitur de illo creditore, qui dat pecuniā mutuò, vel in depositum pacto expresso; vel tacito, vt restituatur ei ea, vel alia pecunia æquè bona, iuxta l. *cum quid.*[l] Quæstio verò proposita est de creditore dante pecuniam ad impendendum in emendis rebus ipsi necessariis, & non ad reddendam illam, vel aliam æque bonā: quo casu non est locus illi legi, vt ex Bartholo & aliis ibi colligitur, & ex nostris.[m] Quarto, quod nemo iustitiæ lege tenetur in foro conscientiæ, nisi ad tantum, ad quantum potest cogi in foro exteriori, patefacta omnino veritate, arg. d. cap. *si res aliena*,[n] cum ei adnot. At nemo potest cogi in foro exteriori dare, vel accipere ꝓ scuto auri in auro maius pretium, quàm vndecim iulios cum dimidio, vt palam est, ergo nemo tenetur soluere plus in foro conscientiæ, & consequenter officiarius, qui reddit illud pretiū in rebus fideliter emptis, vel aliter, satisfacit id, ad quod iustitiæ lege tenetur. Quinto, quod illud auctarium vt minus duorum, vel plurium quatrinorum, est incertum, & passim variatur, immo est voluntarium, quia mercator nolens illud adiicere, nulla lege iustitiæ posset cogi: satisfaceret enim reddendo similia scuta in auro, vel valorem illorum à

l ff. de rebus credi.
m In di. cap. quanto.
n Et d. ca. peccatum.

Principe institutum, si repetens velit ea sibi reddi in argento, vel ære, siue mercator suscipiat illa mutuo, siue in deposito, per adducta in primo dicto: immo dici posset illicitum, nisi voluntariè solueretur, vt in primo dicto probatum est. Sextò, quòd alioqui consequeretur, quod teneretur officiarius aliquando reddere plus quam accepit, & aliquando minus quàm accepit: si enim accipit 100. scuta die, qua scutum mercatorum non valet plus, quam à Principe est statutum, & postea diebus quibus minutatim illa accipit valeret pluris, teneretur restituere plus quam accipit, & contra, si die qua illa accipit, multò pluris valeret scutum mercatorum, & diebus quibus minutatim acciperet non valeret pluris, teneretur ad restituendum minus, quàm accepit: quæ planè sunt absurda, ergo, &c.

6 Pro concordia horum adductorum considerãdum est, quod aliquando ipsemet dominus & herus tradit periculo suo scuta mercatori in custodiam cum facultate vtendi eis ea lege, vt reddat ea ei in auro, vel argento, aut ære pro libito suo, & postea ipsemet dominus, vel officiarius nomine domini accipit cum illo pluri à mercatore, quantũ oportuerit ad impendendum in rebus sibi necessariis, aliquando dominus tradit officiario suo scuta in auro, vt suo periculo teneat, & impendat in opportunis, siue in auro, siue in argento, & ære, & officiarius tradit illa suo periculo custodienda mercatori, à quo postea in argento, vel ęre in dies, hebdomadas, vel menses recipit impendenda, vel non tradit ei custodienda, sed cambit ea pro argenteis, vel æreis cum prædicto pluri sibi tradendis. Et dicendum, ꝙ primo casu illud plus est domini. Tum quia sibi, vel officiario nomine suo, quod perinde est, datur. Tum quia periculum scutorum, si mercator decoqueret, vel aliàs periret, pertineret ad eum, & non ad officiarium. Secundo verò casu pertinebit ad officiarium. Tum quia periculũ scutorum sibi traditorum pertinet ad eum, siue tradat mercatori custodienda, siue non. Tum quia illud plus non datur domino, neque officiario domini nomine domini, sed ipsi officiario, qui iam factus est dominus illorum scutorum, & periculo suo stant, vel pereunt nomine suo. Per hanc distinctionem facilè conciliantur omnia in vtramque partem adducta. Salua, &c.

SVMMARIVM.

*1 Læsio parua excusat à mortali, nisi lædens intendat multum lædere. num. 4.*
*2 Lex sæcularis non obligat ad mortale, nisi, &c. nu. 3. & 10.*
*2 Consuetudo ementium dandi aliquid vltra taxam sine malis artibus, & damno Reip. ac proximorum, licita. nu. 10.*
*2 Tolerantia principis approbatiua, sed nõ permißiua excusat. n. 11.*
*3 Obsonatores consentientes vendentium peccato peccant.*
*4 Fraus & dolus vitia prudentiæ contraria.*
*5 Ementes, & vendentes obsonia dolo vtuntur, & mentiri statuunt lædendo, & sic peccant: nec excusat consuetudo, quia irrationabilis est. nu. 8.*
*6 Vendens plus iusto vltra taxam, legem naturæ de non vendendo nimis carè frangit, & sic peccat, eo quod plus iusto vendit.*
*7 Voluntas peccandi est peccatum, licet non deueniat ad actum, & si sit perfecta, cæteris paribus eius malitia non augetur per actum.*
*9 Furtum omne est peccatum, saltem veniale.*

CONSILIVM III.

IS, ad quem pertinet imponere pretium iustũ carnibus & aliis cibariis, tulit leges iustas super pretio, & modo ea vendendi: multi autem obsonatores & venditores obsoniorum frangunt eas.

Quæritur, an peccent mortaliter, & teneantur ad restituendum damnum eis, quos læserunt.

1 Pro parte negante facit primo, quod læsio parua non efficit peccatum mortale, vt colligitur ex Augustino relato à Gratiano,[a] & ex S. Thoma,[b] quem sequimur in nostro Manual. confess.[c] At obsonatores & obsoniorum vẽditores, saltem qui parua obsonia emunt vel vendunt, ex vna libra carnium, vel piscium, & ex vno modiolo cicerũ vel leguminum, vix addunt vel detrahunt tres vel quatuor quatrinos, siue obolos.

2 Secundò, quòd leges ciuiles siue sæculares non obligant ad peccatum mortale, nisi aliqua interueniant de iis, quæ nos post alios dicimus in Manua. confess.[a] Tertiò, quòd consuetudo multarum ciuitatũ, præsertim Vrbis, & aliarum magnarum, habet, vt obsonatores soluant vendẽtibus obsonia aliquid amplius iusto pretio, vt eis ea libenter & citò vendant, & ne renuant eis vendere obsonia, quando eorum copia non inuenitur. Quartò, quòd præfata consuetudo dicitur esse notoria in Vrbe, quam præsumitur Papa, scire & tolerare, & tolerantia Principis circa ea, quæ sunt iuris humani, videtur inducere dispensationem, iuxta glossam celebr. à Panormit. putatam singularẽ & à Præposito menti tenendam.[b]

3 Pro parte verò affirmante facit primò, quod omnis lex iusta, tam sæcularis, quam Ecclesiastica, potest obligare ad peccatum mortale, immo obligat iuxta illud Pauli.[c] *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* & infra, *Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter consciẽtiam.* & alia, quæ nos post alios citamus in d. Manu.[d] Secundò, quòd qui consentit peccato, peccat.[e] At obsonatores præfati consentiunt transgreßioni iustæ legis, qua vẽdentes fraudant legem, & etiam vendentes consentiunt peccato obsonatorum, quo fraudant heros suos: ergo omnes peccant.

3 Tertiò, quòd fraus & dolus sunt vitia contraria prudentiæ, vt tradit S. Thomas,[f] quem sequimur in d. Man.[g] At præfati obsonatores & venditores dolum & fraudem committunt in prædictorum obsoniorum emptione & venditione: ergo peccant mortaliter, si paruitas non excusat, qua non excusari in sequenti arg. probatur. Quartò, quod licet paruitas rei acceptæ, vel damni dati excuset à culpa mortali, quando accipitur, vel fit sine intentione accipiendi quantitatem notabilem, etiam, si posset statim, vel succesiuè talem accipere quantitatem, quæ semel facta induceret culpam mortalem, non tamen excusat quando fit cum tali intentione, vt nos tradimus in d. Man.[h] At prædicti obsonatores & venditores ea intentione parum qualibet vice accipiunt vel lædunt, vt statim si possent, vel saltem dietim id faciendo augerent læsionem ad tantam, immo maiorem quantitatem, quam requiratur ad hoc, vt simul & semel data vel facta efficiat culpam mortalem: ergo peccant mortaliter. Quintò, quòd præfati obsonatores & venditores conueniunt inter se, vt ita respondeant ædilibus, quibus est cura detegendi has fraudes & dolos, super quantitate obsoniorum emptorum, & pretio eis soluto, vt mentiantur, & occultent illa, quibus vtuntur, & nequeat sciri culpa, quam tegũt, quæ & esset puniẽda in vtilitatem Reip. quæ sunt manifesta peccata, & cùm lædant notabiliter vtilitatem publicam, & etiam priuatam, sunt mortifera per prædicta.

5 His pro vtraque parte perpensis, dicendum videtur primò, negari non posse, præfatos obsonatores, & venditores clarè peccare. Tum quia vtuntur dolo & versutia, quæ sunt vitia contra prudentiam virtutem, vt tangitur argument. 3. ꝙ parte affirmante formato. Tum quia mentiuntur & conueniunt vt mentiantur, ita vt obsonatores dicant se emisse minorem quantitatem, quam emerunt, ne venditor condemnetur, eo quod tradidit minorem quantitatem, quam debebat, cum omne mendacium sit peccatum,[i] & mortiferum, si notabile damnum infert, vt post alios tradimus in prædicto Man.[k]

Secundo, quod non possunt excusari præfati legũ prædictarum fraudatores à culpa mortifera, eo quod parum qualibet vice lædunt, propter arg. 4. pro parte affirmante formatum: quia licet intendant parum lędere qualibet vice, intendunt tamen notabiliter lædere multis vicibus, vt ibi dicitur.

6 Tertio, quod quamuis præfati fraudatores fortè non peccent mortaliter, eo quod frangant legem ciuilem, vel sæcularem tantùm, eo quòd auctor eam ferens non intẽdit obligare transgressorem ad peccatum mortale, iuxta citata in 2. argumento pro parte negante formato, possunt tamen dici peccare mortaliter, eo quòd transgrediantur legem illam naturalem de non vendendo nimis carè prętio iniusto contra taxam auctoritate Reip. positam, quæ reducitur ad præceptum de non furando, quod est lex naturalis, qualia sunt omnia pręcepta Decalogi, quorum vnũ

est

a In c. vnum. §. criminis. & §. quoties. 25. dist.
b 2. 2. qu. 40. art. 4.
c Prab. 9. nu. 12. & cap. 11. nu. 4. & cap. 17. nu. 2.

a Capit. 23. à nu. 48. vsque ad nu. 60.
b In cap. quia circa. de consang. & affin.
c Ad Rom. 13.
d Vbi supra.
e Capit. 1. ad Rom. c. notũ. 2. q. 1. & c. 1. de offi. deleg.
f 2. 2. quæ. 57. art. 1
g Ca. 23. nu. 77.
h Ca. 17. nu. 139.
i Cap. primũ. 22. q. 2.
k Ca. 18. nu. 3.

est illud, vti tradit S. Thom. recept.[a] declarando illa, quæ originaliter fuerunt lata,[b] & referuntur in glo.[c] per resolutionẽ quę colligitur ex d. Man.[d] scilicet quod licet lex vt lata à tali vel tali, nõ obliget ad peccatũ mortale, põt tamen obligare ad illud, quatenus est lata ab alio, iuxta c. *per petuo.*[e] quatenus probat, ꝙ licet frangens legẽ humanã, quę vetat eligere indignum, non sit puniendus pœna illius legis, puniendus tamen est pœna legis naturalis, & diuinæ, quæ prohibet eiusmodi electionem.

7 Quarto, quod etiam est certum eosdem fraudatores peccare mortaliter, quatenus paciscuntur, ne reuelent veritatem quantitatis obsonij empti & pretij soluti, etiamsi ab hædilibus adiurati fuerint reuelare illam: quoniam cõcipiunt propositum peierandi, quod est mortiferum, etiãsi postea non peieretur: quia volũtas peccandi aliquod peccatum, est peccatum, etiamsi postea non committatur: cũ voluntas pro facto reputetur, cap. *dixi,*[f] adiunctis glossis & aliis, quæ nos ibi adiecimus, præsertim quo ad forum conscietiæ: & adeo quidem, vt S. Tho. ab aliis receptus deduceret in quæstionem,[g] an exterior actus augeat malitiam vel bonitatem actus interioris, & determinat quod non regulariter, cæteris paribus, si voluntas est perfecta.

Quintò, quòd etiam dicti fraudatores peccant concipiendo propositum mentiendi simpliciter non affirmãdo id iuramento præstito secundum intentionem ædilium interrogantium, sed alia, per ca. *quacumque arte,*[h] quod habet, taliter iurantẽ bis peccare, quia nomẽ Domini in vanum assumit, & proximum decipit.

Sextò, quòd etiam peccant volendo rem publicam & priuatam lædere: tum tollendo legem iustam & sanctam eis multum conuenientem: tũ machinãdo ne delicta puniantur, quod est contra interesse notabile Reipub.[i] Tum colludendo vt emptores priuati & heri obsonatorum carius emant, pretio nimis iniusto cum interesse priuatorũ.

8 Tum quòd non obstat, quod lex humana, qualis est hæc de qua loquimur, potest tolli cõsuetudine rationabili,[k] quia præfata consuetudo non est rationabilis, quod requirit illud cap. immo irrationabilis est, & magna corruptela, vt probant rationes præcedentes: quia nõ solùm est contra legem humanam, sed etiam cõtra naturalem & diuinam, vt prædictum est, nã quamuis taxa pretij obsoniorum humana lege sit posita, lex tamen, qua vetamur pretio nimis iniusto emere, & emptionem dolo & astutiis palliare, est naturalis & diuina inclusa intra septimum prǽceptũ de non furando, & non capiendo aliena sine titulo iusto, vt prædictum est, quas non potest lex humana tollere.[l]

9 Non obstant citata pro parte negante. Ad primum enim respondetur primò concedendo paruitatem læsionis excusare quidem à culpa mortali, non autem à veniali: quoniam secundum omnes furtum quamlibet paruum est peccatum saltem veniale, si verè furtum est, & contra voluntatem domini fit, vt satis colligitur ex Caiet.[m] Secundo negãdo quòd læsio prædictorum fraudatorum est parua, immò verò est magna, & malis magnis circumstantiis cõtecta, vt supra ostensum est in argũm. 4. pro parte affirmante formato.

10 Ad secundum respondetur negando legem ciuilem & sæcularem non obligare ad mortale peccatum, per ea quæ citata sunt in primo argumento pro parte affirmante facto.

Ad tertium concedendo quidem licitè posse obsonatores dare aliquid venditoribus obsoniorum, vt eis libentius & gratiosius vendant sine præiudicio animarum suarum & proximorum: non tamen vtendo malis conuentionib. falsis iuramentis, iniquis mendaciis, & iniquo præiudicio Reipub. ac priuatorum proximorum, quod faciunt præfati obsonatores, & obsoniorum venditores, vt prędictũ est.

11 Ad quartum negando, quod S. D. N. sciat & toleret, saltem approbando ea quæ prædicti fraudatores faciunt: quia vel ignorat ea, vel solùm tolerat, eo quòd non deducuntur in iudicium, vel non probantur, iuxta cap. *cum iamdudum.* de præbendis. sed solùm permittuntur permissione non approbatiua, sed solùm toleratiua, iuxta glossam celebrẽ quæ de hac duplici permissione meminit,[n] Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

*1 Mercator vendens vltra pretiũ rigorosum peccat, nec excusatur, illud plus proxenetæ dando.*

*2 Proxeneta plus quàm sibi debetur, sponte datum, restituere nõ tenetur, etiam quod id ei detur à mercatore metuente, ne emptores ad alios diuertat.*

*3 Metus minor iusto non attenditur in foro fori, secus in foro poli, si iniustè inferatur. nu. 4.*

*4 Metus mali, quod iustè inferri potest, non excusat, nec in foro conscientiæ, nec inficit actum.*

*5 Proxeneta ne vltra debitum accipiat, aptum remedium.*

## CONSILIVM IIII.

MErcatores vendunt merces suas aliquanto pluris, etiam vltra pretiũ rigorosum, vt eò pluri proxenetis seu artificibus, qui emptores ad eorum tabernas cõducunt, vltra taxatam mercedem dato, eos sibi magis officiosos reddãt, timentes ne secus emptores ad alios mercatores diuertant.

Quæritur primò, an mercatores huiusmodi peccent, & teneantur ad restitutionem.

Secundo, an proxeneta teneatur restituere.

Tertio, quo remedio in id vtendum sit.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo, quod mercator peccat mortaliter, & tenetur ad restituendum emptori tantùm quãtùm addiderit iusto pretio rigoroso, nõ ea ratione quod dederit illud proxenetæ, vel artifici prædicto, sed quia decepit emptorem in eo, lædendo eum iniustè, per ea quæ diximus in Man. confess.[a]

2 AD SECVNDAM respondeo primò, quòd in foro exteriori non potest condemnari proxeneta nec ad peccatum, nec ad restitutionem: quia lex solùm statuit, quanta merces, & quando debeatur proxenetæ, seu artifici ducenti emptorem ad mercatorem, non autem prohibet mercatori, ne quid plus ei det, neque artifici, ne plus accipiat, si ei gratis absque vi, dolo, vel metu detur: & metus, de quo in quæstione, non est iustus, & ita non est attendẽdus in illo foro.[b]

3 Tertiò, quòd magis dubitari potest quo ad forum cõscientiæ, in quo non solum iustus metus inficit actum, sed etiam iniustus, si verè coram Deo fuit causa illius, vt diximus in Man. conf.[c] & quod metus, de quo in puncto, licet non sit iustus, est tamen causa dandi id, quod vltra mercedem statutam datur, & sine qua illud non daretur. Sed hoc non obstante, respondendum est idem quo ad forum conscientiæ. Tum quia nulli legi iustitiæ contrauenit prædictus proxeneta, seu artifex per prædicta.

4 Tum quia non obstat argumentum proximum: quia id, quod in prędictis duobus locis Manualis assertũ est, intelligi debet de metu mali iniustè inferendi, & non de metu mali, quod iustè inferri potest,[d] & metus ille, quo mercator timet, ne sartor diuertat ad alterius mercatoris tabernam emptores, si illud plus non dederit illi, non est timor mali iniustè sibi inferẽdi: quia nulla lege tenetur eos conducere ad eius tabernam, cùm liberũ sit ei ducere illos ad alium, vt palam est.

5 AD TERTIAM, quod aptum remedium videtur, statuere, ne vllus mercator det eiusmodi proxenetis quidquam vltra mercedem statutam, néve vllus eiusmodi proxeneta accipiat aliquid vltra eam, etiamsi gratis & sponte ei à mercatorę offeratur, declarando legislatoris intentionem esse, vt illa liget etiam in foro conscientiæ, & quod accipiens teneatur restituere acceptũ in vtroque foro, & quod in exteriori cogatur reddere quadruplum pauperibus, & executoribus legis, & dans in exteriori foro teneatur reddere tantùm, quantùm dedit, eisdem pauperibus, & executoribus, & præmonendo, quod singulis annis, semestribus, vel mensibus fiet inquisitio contra illos, &c.

*SVMMARIVM.*

*1 Mercator peccat vendendo vltra rigorosum pretiũ, cũ obligatione restituendi, nec excusatur ex eo quod illud det sensariã exercenti: sensarius autem, siue proxeneta tenetur restituere secundum modum participationis consensus, & cooperationis.*

*2 Proxeneta accipiens aliquid vltra taxam à mercatore timente, ne diuertat emptores ad alios mercatores, non tenetur restituere.*

Marginal notes:
a 2.2. qu. 22. art. 1.
b Exod. 20.
c Ca. quid in omnibus. 32. q. 7. q. 1. a. 23. nu. 56.
e De electio. li. 6.
f Et cap. magna de pœnit. dist. 1.
g In 1.2. qua. 20. art. 4.
h 22. q. 5.
i L. ita vulneratus. ff. ad l. Aquil. & ca. vt fama. de sentent. excomm.
k Capi. final. de consuet.
l Ca. sunt qui dam. 25. q. 1. & ca. quo iure. 8. dist.
m 2.2. q. 59. art. 4. ad 2.
n In ca. deni que. 4. dist. 1.
a Capit. 23. à nu. 77.
b Le. metũ. 2. ff. quod. met. cau.
c Ca. 17. nu. 4. & 19.
d Arg. l. si mulier. ff. quod met. cau.

*2 Metus non tantum iustus, sed etiam iniustus inficit actum in foro conscientiæ, si verè fuit causa illius.*
*3 Metus vt obliget, vel excuset, debet esse de malo iniustè inferendo, non de eo quod iustè inferri potest.*
*3 Extorquere non est aliquid gratis accipere non exigendo.*
*4 Correlatiuum vnum non potest esse sine altero.*
*4 Pœna posita contra vnum correlatiuum, videtur apposita contra alterum, si eadem ratio omnino idem suadet in vtroque.*
*5 Sensariam vltra taxam statuti, etiam sponte datam, ne accipiant proxenetæ, sub pœna dupli statui potest.*

## CONSILIVM V.

Excellentißime Domine. Hæc dubia occurrunt Romæ de proxenetis, & mercatoribus. Extat quædam sententia lata in Curia Capitolina super mercede sartorum, quã sensariam vocant, sub his verbis.

*Ad publicam vtilitatem declarauerunt, statuerunt, & ordinauerunt, mercedem debitam ipsis sartoribus, & similibus, quorum persona mediante dicti mercatores vendunt bona spectantia ad artem mercantiæ (vt vulgo dicitur, la Tassa) esse, & solui debere ad rationẽ vnius cum dimidio pro quolibet centenario, & hoc solùm quando ipsi sartores conducunt cum eorum propria persona emere volentẽ ad fundacum, seu apothecam mercatorum, & interueniunt cum eo vsque ad pretij conclusionem, & non aliter, nec alio modo.* Modo quidam sartor recipit sensariam ad rationem trium, & quandoque quatuor, & quinque pro centenario de omnibus mercibus, in quarum emptione ipse personaliter cum emptore interfuit modo supradicto. Hic idem sartor recipit sensariam, iuxta prædictas omnes portiones, de omnibus mercibus, quæ venerunt ad eius manus pro vestibus faciendis, in quarum emptione nullo modo interuenit, sed fuerunt ei pro vestibus conficiendis traditæ ab emptore, qui primo fuit aliàs conductus ab ipso sartore tamquam aduentor ad mercatorem.

Primo quæritur, quid iuris in foro conscientię in omnibus prædictis casibus, dato quod mercator inscio emptore portionẽ illam, quam pro sensaria dedit dicto sartori, siue fuerit ad rationẽ vnius cũ dimidio, siue triũ, siue quatuor, siue quinque pro cẽtenario, superaddidit iusto pretio in dãnum emptoris: An scilicet mercator mortaliter peccauerit cũ obligatione restituendi, & similiter an sartor ipse in solidum ad restitutionem obligetur, dato quod sciat sensariam, quam recipit, fuisse à mercatore, iusto pretio auctam.

Secundo quæritur, dato ꝙ mercator nihil alterauerit iustum pretium, sed sensariam ipsam soluerit de suo, tamẽ inuitus, timens rationabiliter ne sartorem cũ emptoribus & aduentoribus deuiet à sua apotheca, An sartor licitè recipiat, ita vt nõ peccauerit mortaliter, nec obligetur ad restitutionem.

Tertiò quæritur, etiam vltra iuris decisionem, modus aliquis opportunus euitandi, & abolendi huiusmodi, quatenus sunt abusus, quibus ligatur penè infinitus animarũ numerus. Nam ad dubia quæsita responderi potest eodem ordine.

Ad primum, quantum ad mercatorem, quòd peccauit mortaliter cum obligatione restituendi in totum: & fundamentum est, quia fecit contra legem iustã in damnũ proximi, ac proinde contra iustitiam. Ad idem, quãtum ad proxenetã, peccauit mortaliter cum obligatione restitutionis, mercatori in totum quidem, si non cõduxit emptorem, & præsens non fuit ad consummatam emptionem, restituendum erit, quod accipit vltra vnum cũ dimidio pro centenario: & fundamentum est idem quod supra.

Ad secundum: Mercator nec peccauit, nec ad aliquam restitutionem tenetur, sartor tamen & peccauit mortaliter, & tenetur ad restitutionem faciendã mercatori, quantum ad totum id, quod vltra vnum cum dimidio pro centenario accepit: & fundamentum est idem quod supra.

Ad tertium: stante lege præfata, quæ iustißima est, ac proinde obligat in foro conscientiæ, non est alius modus ad non peccandum, nisi seruare talem legem: si tamẽ nulla esset lex, res tota penderet ex arbitrio prudentis viri, & quadam communi consuetudine alioquin non reprehensa à bonis viris, & exercitatis in huiusmodi contractibus: itaque non potest dari vna certa regula de omnibus: quia quod in vno esset multùm, in alio erit moderatum, & iustum.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respõdeo primò quod duas quæstiones in se continet, alterã de mercatore, alterã de sartore, siue proxeneta. Secũdo, quod mercator proculdubio peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem emptori tantùm, quantùm addiderit iusto pretio rigoroso, ea firma ratione, quod decipit emptorem, lædendo eum notabiliter iniustè, per ea quæ diximus in Man. cõf.[a] Tertiò, quo ad alteram quæstionem de proxeneta, respondeo, quod ea sola ratione tenetur, quòd sciat, id, quod soluitur ei, addi à mercatore iusto pretio: si verò aliter non consentiat, neque aliquo modo cooperetur, nõ tenetur ad restitutionem, per ea quę diximus in dicto Manuali confess.[b] secus autem si consentiat, cooperando eo modo, quo ibi dicitur. An verò peccet, & teneatur restituere ea ratione, quod contraueniat legi prædictæ iustæ, colligitur ex decisione sequentis quęstionis.

1 AD SECVNDAM respondeo primò, quòd proxeneta, seu sartor non tenetur restituere ratione metus, cuius meminit quæstio: tum quia non est iustus, & ita non est attendendus.[c] Tum quia non obstat quod in foro conscientiæ non solùm iustus metus inficit actum, sed etiam iniustus, si verè coram Deo fuit causa illius, vt diximus in dicto Manuali confess.[d] & quod metus prædictus, licet non sit iniustus, est tamen causa dandi id, quod vltra mercedem statutam datur, & sine qua illud non daretur.

3 Non inquam hoc obstat: quia id, vt tradimus duobus locis Manualis à nobis citatis intelligi debet de metu mali iniustè inferendi, & non de metu mali, quod iustè inferri potest,[e] & metus ille, quo mercator timet ne sartor diuertat ad alterius mercatoris tabernam emptores, si illud plus non dederit illi, non est timor mali iniustè inferendi: quia nulla lege tenetur eos conducere ad eius tabernam, cum liberum sit ei ducere eos ad aliam, vt palam est. Secundo, quod maioris quæstionis est, an teneatur ratione trãsgressionis prædictæ legis, quod tamen non quæritur: & respõderi posset, quod illa etiam ratione non tenetur: quia licet publicata lex iubeat mercatori sub graui pœna, ne vllo modo, & ita nec sponte det aliquid vltra mercedem præstitutam proxenetæ, non tamen præcipit proxenetę ne accipiat, si gratis ei detur, sed solùm quod non exigat, quod non est extorquere ab inuito,[f] iuxta glossam & Cardinalem,[g] & ita si exigeret, peccaret quidem, & teneretur ad restitutionem, sed non eo quod accipiat sponte datum.

4 AD TERTIAM videtur satis aptum remedium id, quod per prædictam legem statutum est, addendo pœnam proxenetæ accipienti plus, etiam si spõte daretur. Dicet tamen aliquis, quod iã hoc satis statutum est in illa lege, eo quod pœna posita contra vnum correlatiuum, videtur apposita in altero,[h] & ibi Barthol. & latè traditur per Panor. & alios, præsertim Felinum in proœmio Gregor.[i] Sed responderi potest primò, quod mercator, & proxeneta non sunt correlatiua, cum passim mercator inueniatur sine proxeneta, non autem est vnum correlatiuum sine alio, secundum Aristotelem in prædicamentis, quem Felin. vbi supra allegat.[k] Secundo, quod illud est verum, quando omnino eadem ratio suadet idem in vtroque, vt latè tradit Felinus,[l] quod non contingit hic.

5 Tertio, quod illud non procedit, quando eadem lex diuerso modo statuit de correlatiuis, secundum Dominicum,[m] quem idem Felinus vbi supra sequitur,[n] & lex præfata Capitolina statuit quo ad proxenetas, ne plus exigere possint, & quo ad mercatores, ne vllo modo plus dare possint: & ita pœna mercatoribus posita, non videtur proxenetis posita: & ita merito posset addi pœna restituẽdi duplum eius, quod reciperent, etiam sponte datum. Salua, &c.

*Aduertendum proxenetam, qui ipsi fidentem deducit ad mercatorem, quem scit vel scire debet excessurum pretium rigorosum satis efficacem esse concausam damni quod datur emptori, & ita in subsidium teneri ad restituendum in solidum.*

### SVMMARIVM.

*1 Pretio per electos æstimando si cõueniat vt aliquid notabile soluen-*

a Ca. 23 nu. 77.
b Ca. 17. nu. 17.
c L. metu, & leg. 2. ff. quod met. cau.
d Ca. 17. nu. 4. & nu. 29.
e Argu. si mulier. ff. quod met. cau.
f L. soluendo. ff. de negot. gest.
g In clem. de censibus.
h L. vnica C. de empt. l. 11. i à nu. 4.
k In 6. cap.
l Vbi supra num. 10.
m In ca. 1. de tempor. ord. in 6.
n Num. 12.

*dum addatur, venditio erit iniusta.*

2 *Obligatus tradere alicui aromata ad vsum illius, non tenetur illa tradere, si eis talis non eget.*

## CONSILIVM VI.

Siluester aromatarius vēdidit omnia aromata, quæ habebat in sua apotheca, pretio per arbitros æstimando; & conuenerunt, vt Sebastianus emptor traderet quotannis vltra pretium prædictum aromata, quæ valerent decē scuta: ad vsum certarum personarum; & postea iterum conuenerunt, vt pro illis aromatibus valoris decem scutorum traderentur decem scuta in pecunia numerata, anticipata solutione in principiis annorum. Quæritur, an id liceat.

A 1 Respondeo primo, quod prior conuentio fuit iniusta quia omnis emptio & venditio: in qua pretiū maius notabiliter iusto datur, vel accipitur, est iniusta, iuxta iura,[a] & declarat S. Thomas,[b] quem in hoc citauimus in Man. confess.[c] & ex facto constat, quod maius iusto notabiliter pretium Siluester accepit à Sebastiano emptore.

2 Secundo, quod conuentio secūda fuit iniustior priore: quia per illam venditor voluit accipere maius pretiū, quàm per priorem; cùm palam sit pluris valere decē scuta anticipatè soluta in pecunia numerata absolutè venditori; quàm soluēda in aromatibus, & certis personis, quibus non egentibus non essent soluenda. Salua, &c.

[a] Ca. 1. & 2. de empt. & l. 1. ff de contra hen. empt.
[b] 2. 2. qu. 77. art. 1.
[c] Ca. 23. nu. 77.

### SVMMARIVM.

1 *Pretium rei minuit pactum de retrouendendo; & magis, si addatur aliud pactum de locando venditori.*

2 *Locari potest venditori res empta cum pacto de redimendo, & tanti quanti locaretur cuilibet tertio: æquitas tamen suadet vt mitiori ei locetur pensione.*

3 *Vsurarij suspicionem habet, qui venditori cum pacto de retrouendendo & locando rem locat ad rationem tot pro centenario, habita relatione non ad valorem rei, sed pretij soluti: licet in conscientia æquius videatur, vt in pensionis impositione attendatur quantitas pretij.*

## CONSILIVM VII.

Vtrum emens fundum cū onere retrouēdendi, & locandi eum venditori, & propter hæc onera imposita ei emit illū pretio multo minore, quā si emisset sine illis oneribus, quia illa onera sunt pars pretij; possit iustè locare illi venditori tam grandi pēsione & affictu, quam grādi poterat locare, si absolutè sine oneribus iusto pretio, & ita maiori emisset.[d]

1 Pro parte negante facit, quod videtur iniquum, siue inæquale, quod tantum affictum pendat venditor emptori locanti sibi fundum venditū minori iusto pretio, quātùm penderet, si emisset iusto pretio: & quod pactum de retrouendēdo & locādo sibi factum in fauorē eius, retorqueatur in odium eius, ita quòd debeat tantùm pendere, quantùm penderet, si absque vllo pacto vendidisset, quod videtur contra l. *quod fauore*.[e]

2 Sed pro parte affirmante facit, quod præfatus emptor est tam verus & integer dominus illius fundi, ac si emisset iusto pretio sine illis oneribus, licet teneatur ad illa subeunda: ergo seruatis illis potest eo vti ad alia, perinde ac sine illis emisset. Secundò, quòd si venditor nollet conducere, posset emptor illum locare tertio tam carè, ac si absolutè emisset, cùm nulla ratio suadeat minuere pretium quo ad illum. Et hanc puto de rigore iuris veriorem licet secundum æquitatem videatur in taxatione pensionis respiciendum ad pretium solutum.

3 Caueat tamen emptor, ne in instrumento taxetur ad rationem tot, puta quinque, vel sex pro centenario; ne inde in foro exteriori contra ipsum oriatur suspicio vsurariæ prauitatis.

[d] Arg. l. fundi partem. ff. de cōtrahen. cap. cū Ioannes. de fide instrum.
[e] Cod. de ll.

### SVMMARIVM.

1 *Commutare sicut ex iusta causa potest Papa laicorum pias dispositiones in alios similiter pios vsus; ita & laica potestas habens regalia, & non recognoscens superiorem, potest testantium voluntates de vno opere profano in aliud mutare.*

2 *Mediolani Dux habet regalia, nec superiorem ad quem appelletur eiusque Senatus regalium vsum habet.*

3 *Dispensatio iusta tollit vim legis & dispositionis, contra quam dispensatur, nec peccat qui ea munitus contra dispositionem facit.*

4 *Prohibitio de non alienando expressè addita ad tacitam resultantem ex fideicommisso impedit dominij translationem, ac acquisitionem iuris ad rem, nu. 7. licet non impediat locationem & concessionem vsusfructus, si ad modicum fiat tempus. num. 5. at sola tacita prohibitio non impedit translationem dominij, licet fideicommissarius possit adueniente die alienationem reuocare. num. 6.*

8 *Facere, vel nō facere aliis: ex præcepto tenemur, quod alios nobis facere, vel non facere tamquam obligatos iusta volūtate volumus: quæ autem sunt consilii, quod non obligat, sicut nō possum iusta voluntate velle vt alii ea mihi ex obligatione faciant, vel non faciant, ita nec ego teneor ea aliis facere, vel non facere num. 9.*

B 10 *Concupiscentia inordinata, & non ordinata prohibetur Decalogo.*

## CONSILIVM VIII.

Magnificus quondā D. Augustinus Dominicus Saccus in suo vltimo testamento sibi hæredē instituit quondā D. Antoniū Puteum, ex sorore sibi nepotem, cum conditionibus infrascriptis: quod nolebat, vt posset quomodolibet vendere, alienare, permutare, nec disponere inter viuos, nec causa mortis, nec alio quouis modo, locū appellatum la Rosta, nec palatiū iacens, & situm in ciuitate Alexādriæ, in quarterio Marenghi, cui cohærent via communis, & D. Ioānes, Christophorus Panizonus, quia volebat vt dicta Rosta; & ipsum palatium conseruarentur C perpetuo in dictum D. Antonium hæredem, ac eius filios masculos, vel in substitutos, ad effectum, vt conseruarentur dicta bona in ipsius testatoris memoriā: & propterea volebat, vt dictus D. Antonius, postquam factus esset hæres; vteretur insigniis, & armis ipsius D. testatoris pro parte, & si casus euenisset, quòd dictus D. Antoni⁹ decederet sine filiis masculis ex legitimo matrimonio natis, eo casu substituebat D. Petrū Camillū. de Canibus, Laudēsē, qui deberet etiā portare, & vti insigniis & armis ipsius D. testatoris, saltē pro parte, nec volebat vt dictus D. substitutus valeret alienare, nec dispōere vt supra, de loco Rostæ, & palatio, sed reseruarentur filijs legitimis, & de le- D gitimo matrimonio natis: & casu quod dictus D. Petrus Camillus decederet sine filiis masculis, & de legitimo matrimonio procreatis, quod tunc, & eo casu volebat, vt dicta bona, & hæreditas iure substitutionis, & modis, & formis prout supra, perueniret ad D. Fabricium, & inde in D. Epaminundam de Canibus de Bisnatis, & in eorum substitutorum filios; ita vt dictum palatium, & Rosta trāsirēt in dictos filios vsque in infinitum. Prædictus D. Antonius obiit sine filiis legitimis, & naturalibus, atque ita bona præfatæ hæreditatis peruenerunt in D. Petrum Camillum de Canibus substitutum; qui non obstante prohibitione expressa testatoris vendendi, aliove aliquo modo alienandi præfatum palatium, illud de facto vendidit D. E Iacobo Francisco, & fratribus de Baratis; ciuibus Alexandrinis, nulla obtenta ab Excellentissimo Senatu dispensatione illud alienandi: quo audito, Episcopus Alexādriæ, precibus in Excellentissimo Senatu porrectis, petiit ob bonum publicū, præfatum palatium, vbi vendendū esset, sibi vēdi nomine sui episcopatus: cuius preces Excellentissimus Senatus decreuit venditori, & emptoribus intimandas, & vt interim nihil innouaretur: post quarum literarum concessionem porrectæ fuerunt preces in Excellentissimo Senatu nomine præfati D. Petri Camilli, in quibus nulla facta mentione prohibitionis expressæ vēdendi, aliòve modo alienandi ipsum palatium à testatore F factæ, quæ contractum ab initio impedit, & irritat, sed tātùm substitutionis, & fideicommissi, petebat dictum cōtractum venditionis approbari, & cōfirmari, vbi aliàs validus esset, quibus visis, & attēto substitutorū cōsēsu, placuit Excellētissimo Senatui, non quidē contractū approbare, sed tantùm dispensare, vt ad vēditionem dicti palatij validè deueniri posset, in præiudicium tātùm ipsorum consentientium, quæ tamen venditio postea nō fuit facta dictis fratribus. Postea precibus Episcopi venditori & emptoribus intimatis, auditis partibus, Excellentissimus Senatus decreuit præfatū palatiū Episcopo vēdēdū esse, modo illud acquireret episcopatui. In quarum literarum executionem die octauo mensis Augusti anni proximè

præteriti emptum fuit palatium ab Epiſcopo, enumeratis pro parte pretij mille aureis, & præſtita de reſiduo intra terminum inter partes conuentum ſoluendo idonea fideiuſsione, prius tamen obtenta ab Excellentiſsimo Senatu diſpenſatione contractus ipſius venditionis ineũdi, non obſtante expreſſa teſtatoris prohibitione, neque tacita ex fideicommiſſo prouenienre: quorum omniũ, nullo prætermiſſo, in precibus mentio facta fuit. Poſt hæc õnia petierunt prædicti fratres, ſupplicatione porrecta in Senatu Mediolanenſi, iterum audiri. quo conceſſo; & auditis, quæ vtrimque afferebantur ab Aduocatis vtriuſque partis, decreuit Senatus, in iam ordinatis ad fauoré epiſcopatus Alexandrini perſiſtendum eſſe. Qua facti narratione propoſita, quæritur: an Epiſcopus, in eo quod egit, aliqua ratione peccauerit, vel contra iuſtitiam, ita vt teneatur præfatis fratribus aliquid reſtituere, vel contra caritatem, ita vt ſaltem teneatur factum ipſum in foro pœnitentiæ deteſtari.

Et primò quidem videtur peccatum contra iuſtitiam, ex quo oriatur obligatio domum ipſam, vel integrũ eius pretium reſtituendi: quia dominus Petrus Camillus videtur potuiſſe transferre tãtumdem iuris in ipſos fratres, quantùm ipſe habebat; hoc autem ipſum feciſſe videtur, cùm eos in locum ſuum conſtituit, vt patet in inſtrumento. Quòd verò id facere potuerit, inde probari videtur, quod nihil aliud obſtet quo minus id facere potuerit, niſi fideicommiſſum, quod tamen ab initio contractũ nõ impedit, aut irritat, ſed tantùm operatur, vt poſt mortẽ eius, qui dominium tranſtulit, ſucceſsio ſubſtitutorum nõ impediatur, propter quod ſolùm videtur neceſſaria diſpenſatio. Præterea videtur peccatũ contra iuſtitiã fuiſſe: quia ex cõtractu illo inter præfatos fratres, & D. Petrũ Camillum inito, licet non fuerit plenum ius, & perfectũ, quod dicitur ius in re, dictis fratribus quæſitum, videtur tamen ſaltem ius imperfectum illis quæſitum, quod ius ad rem dicitur, cuius impedimentum in impediente parit obligationem reſtituendi, non quidem rẽ ipſam, cuius conſecutio impedita fuit, vel integrum eius pretiũ, ſed tantùm, quantùm arbitrio boni viri viſus fuerit damni paſſus, qui fuit impeditus quo minus rem ipſam conſequeretur. Si verò concedatur peccatum non fuiſſe contra iuſtitiã, ſaltem videtur contra caritatẽ, quia eſt contra principiũ illud iuris naturalis, *Quod tibi non vis, alteri ne feceris:* cũ Epiſcopus id fecerit, quod ſibi ab alio fieri noluiſſet. Præterea videtur peccatum fuiſſe contra præceptum illud Decalogi, *Non concupiſces rem proximi tui:* quod probatur auctoritate Catechiſmi Romani in explicatione huius præcepti, *Non concupiſces. &c.* cuius hæc ſunt verba; *hoc autem præceptũ*, inquit, *vetat ne vllo modo quis cõcupiſcat, etſi iure, legéque aſſequi id poſsit ex cuius adeptione damnum proximo importari videat.* Quibus tamen non obſtantibus, viſum eſt Epiſcopo, & nonnullis egregiæ doctrinæ viris, non ſolùm hoc potuiſſe, ſed etiam fieri debuiſſe propter neceſsitatẽ domus epiſcopalis. In cuius probationem duo ſupponũtur tamquam certa. Alterum eſt; inter fidei commiſſum ſimplex; & expreſſam teſtatoris alienandi prohibitionem; hoc eſſe diſcrimen, quod etiam ſi cõcedatur ſimplex fideicõmiſsũ contractum alienationis ab initio non impedire, aut irritare; hoc tamen de prohibitione alienandi à teſtatore facta, præſertim cum cauſa, quæ non reſpiciat fauorem hæredum, vel ſubſtitutorum, nullo modo concedi poteſt: quia expreſſa alienãdi prohibitio à teſtatore facta cũ cauſa, vt ſupra, cõtractũ alienationis de facto initũ, ab initio impedit, & omnino iuxta communẽ Doctorum ſententiã irritum reddit. & ratio eſt euidens, quia vnuſquiſque poteſt rem propriam alteri relinquere quacumque appoſita cõditione legibus & bonis moribus nõ contraria, quæ omnino ſeruãda erit. Alterũ quod ſupponitur; eſt, Principẽ poſſe propter publicã vtilitatẽ non ſolùm præferre in emptione rei vẽdẽdæ causã publicã priuatorum commodis, ſed etiã veros dominos cogere ad rem propriam vẽdendam, præſertim vbi agitur de fauore Eccleſiæ, cuius neceſsitati ſit conſulendũ. Quibus ſuppoſitis, patet in primis quòd tẽpore cõtractus de facto initi inter D. Petrum Camillum & pręfatos fratres, res adhuc erat integra, cùm ex prohibitione expreſſa, ſicut priori loco ſuppoſuimus, contractus omnino irritus redderetur: & ideo iure potuit Epiſcopus petere; quod petiit, & Senatus cõcedere q̃ ſemel atq; iterũ, auditis partib⁹; omnibuſq; maturè cõſideratis, conceſsit; cùm ex eo quod poſterius ſuppoſuimus, potuiſſet etiam præfatos fratres cogere, ſi verè domini facti fuiſſent, domũ Epiſcopo vẽdere, modò illã acquireret epiſcopatui: & ideo multo magis præferre potuit in vẽditione dictæ domus Epiſcopũ ſui epiſcopatus nomine petentem dictis fratribus, quibus nullũ ius dominij in dicta domo cõpetebat. Hinc etiã manifeſtũ eſt argumẽtũ primo loco allatũ cõtra Epiſc. nõ valere: quia in hoc caſu nõ ſolũ obeſt fideicõmiſſum ſimplex, ſed etiã expreſſa prohibitio dictam domum alienandi, addita cauſa, quæ non reſpicit fauorem hæredum, vel ſubſtitutorũ, quæ eſt conſeruatio memoriæ teſtatoris; vt patet ex iis, quæ ſuperius dicta ſunt. Neque aliquid probat argumentum ſecundo loco allatum, de impedimento iuris imperfecti, quod ad rem dicitur: quoniam tunc tantùm parit obligationem reſtituendi impedimentum illud, quãdo eſt contra iuſtitiam, non autem quando impedit aliquis conſecutionem alicuius rei iuris ordine ſeruato, quia tũc actus ille non eſt contra iuſtitiam: hic autem verſamur in caſu, in quo Princeps, auditis partibus, decreuit domum Epiſcopo vendendã eſſe, modo illam acquireret epiſcopatui. Quod autẽ dicitur de principio illo iuris naturalis, *Quod tibi non vis, &c.* non eſt ita intelligendum, quaſi nemo debeat alteri facere, quicquid, quacumque voluntate, etiam deprauata, & à recta ratione recedente ſibi fieri nollet. alioquin neque iudex poſſet tuta conſcientia, capitali ſẽtentia reum condemnare, neque miniſter condemnationem exequi; quia neuter illorum, ſi reus eſſet vellet condemnari, vel occidi, ſed eſt intelligendum de volũtate rectæ rationi cõſentanea, quæ ſi eſſet in præfatis fratribus bonum publicũ priuato ipſorum commodo præferrent. Ad id autem quod ex Catechiſmo Romano obiicitur, reſpondetur, verba illa non eam ſentẽtiam habere, vt nemini liceat cõcupiſcere, quod iure & lege, aſſequi poſsit abſolutè; quia inde prohiberentur lites omnes Chriſtianis, etiam iuſtæ, quod eſſet erroneum, ſed eam potius videntur habere ſententiam, vt nemo erga rem alienã ita prauè ſit affectus, vt concupiſcat ius ſibi competere rem alienã conſequendi, quod non habet, vel appetat illius dominiũ in eum caſum incidere, propter quem iuſtè re ipſa priuãdus eſſet, vt illam poſſet acquirere, hîc autem verſamur in caſu, in quo prædicti fratres nullum habebant dominium rei vendendę, ſed remanebat adhuc penes D. Petrum Camillum; atque ideo licuit Epiſcopo petere, & obtinere, quod vendẽdam domum ſui Epiſcopatus nomine poſſet emere, ſicut fecit.

## SEQVITVR RESPONSIO.

CVm in Prætorio Sacræ Pœnitentiariæ à Reuerendiſsimo Regente dictum fuiſſet, petitum eſſe ab eo, vt præfatus caſus cum prædicta quæſtione proponeretur coram Illuſtriſsimo D. meo Cardinali, eodemque ſummo Pœnitentiario, dixit ſe reſpondiſſe, hoc negotiũ non pertinere ad præfatum Prætoriũ; ſed videri ſibi, gratum fore oratori, vt prędictus D. Cardinalis iuberet mihi: vt reſponderem: extra Pretorium, petitioni oratoris. Cuius iuſſa capeſſens, ſuſcepi eam nondum lectam. Super qua dico primum, intellexiſſe me tunc, non quæri quæſtiones ſupradictas, ſed illam; An Senatus Mediolanẽſis poſſet mutare voluntates teſtatorum laicorum Ducatus Mediolanenſis, ita vt ab eis relicta conuerti poſsint in alios vſus, vel in quos, vel quæ teſtatores nõ diſponũt. Ad quã & alias quæſtiones reſpondeo paucis, quia non vacat id facere multis.

Primum, quod præfatus Reuerendiſsimus D. Regens aptiſsimè reſpondit. Tum quia hoc negotium eſt publicũ & non eſt de numero illorum publicorũ, de quibus præfata Pœnitentiaria exaudit petentes illa, poſt vltimã eius reformationem à fel. me. Pio V. factam. Tum quia tangit principaliter forum exterius, in quo nõ proſunt literæ ab ea datæ, vt conſtat ex tenore ſuæ facultatis.

1 Ad quæſtionem autem à me ſubintellectã reſpondeo affirmatiuè; nẽpe, quòd, vti certum eſt Pontificẽ Maximũ poſſe iuſta de cauſa mutare relicta teſtatorum laicorum

in alios

in alios pios vſus, iuxta cle. *quia contingit.*[a] & ei anontata ita Imperator, Rex, & alij, qui habent regalia, & nno recognoſcũt in temporalibus ſuperiorem, poſſunt mutare iuſta de cauſa relicta teſtatorũ laicorũ ad vſus profanos, in alios vſus profanos, & à fortiori in pios iuxta iura,[b] & ſẽtiunt omnes,[c] & multi in c. *quæ in eccleſiarũ,*[d] & alibi ſæpe.

2 At Dux Mediolanenſis non recognoſcit, vt præſupponitur, ſuperiorem in temporalibus, & habet regalia, ſupremàmque poteſtatem laicam, ita vt ab eo ad neminem in temporalibus appelletur; ergo potuit ex iuſta cauſa voluntatem & diſpoſitionem prædicti D. Auguſtini Dominici mutare in aliam, præſertim piam, & conſequenter Senatus eius Excellentiſsimus, cùm præſupponatur eum habere à Duce Mediolanenſi omnium regalium vſum.

Ad quæſtionem autem ab oratore queſitam, videlicet an præfatus Reuerendiſſ. Epiſcopus peccauerit contra iuſtitiam cum obligatione reſtituendi, aut ſine illa, aut contra caritatem: videtur dicendum quod non. Tum quia nihil fecit contra leges iuſtitiæ ſpecialis, ea firma ratione quòd contractus emptionis & venditionis eſt licitus, & honeſtus, & iuſtus ſecundum leges iuſtitiæ ſpecialis, vt colligitur ex titu. *de contrahenda emptione.* [e] ac aliis multis; niſi aliqua lege ſpeciali prohiberetur; at nulla tali videtur prohiberi hæc emptio, de qua loquimur. Si qua enim prohiberetur, maximè per illam ſolemnem, qua prohibetur hæres alienare rẽ reſtitutioni ſubiectam, iux. gl.[f]

3 At lex illa non videtur obſtare; quia præfatus Senatus per ſuam diſpenſationem videtur abſtuliſſe illam, quo ad hunc caſum: & cõſtat per iuſtam diſpenſatione tolli vim legis, ſuper qua diſpenſatur, iuxta. *§. niſi rigor.*[g] Tum quia nõ obſtãt ſex ſupra cõtra hoc tacitè & expreſſè oppoſita.

4 Ad primum enim reſpondetur negando; quòd præfatut Petrus Camillus potuerit trãsferre in præfatos fratres ius dominij, quod habebat in prædicto palatio: partim quia erat prohibitus tacitè alienare per fidei commiſſum factum à teſtatore, iuxta d. l. fi.[h] partim quia etiã expreſſè erat prohibitus alienare, quæ prohibitio expreſſa impedit tranſlationem dominij ſecundum omnes.

5 Ad ſecundum, quod tacitè inſinuatur, ſcilicet potuiſſe præfatum Petrum Camillum dare præfatis fratribus ius, quod ipſe habebat, & quo poterat vti, dum viueret; reſpondetur concedendo quod poterat locare ad paruum tempus; ſicut emphyteuta poteſt locare emphyteuſim, iuxta iura,[i] & tradit Speculator,[k] quem ſequitur Iaſon,[l] & etiam concedere vſumfructum, vt notat Baldus,[m] & Bartholus,[n] negando tamen, vt ſupra negaui, quod poſſit transferre dominium. Tum quia non ſequitur ex prædictis quod poſſit alienare: quoniam à ſeparatis non fit illatio;[o] & aliud eſt alienare, & aliud ad breue tẽpus locare, & vſumfructum concedere, cum per hæc non transferatur dominium, & per illud ſic, vt notatur in rub. *de reb. eccl. non alien.*[p] Tum quia neque emphyteuta poteſt alienare neque locare ad longumtempus ſine conſenſu domini proprietatis, quia prohibetur alienare ſine conſenſu illius. Itaque cõcedimus, quod præfatus Petrus Camillus potuit transferre aliquod ius in prædictos fratres & aliquod non potuit, & quia noluit ꝙ potuit, & voluit quod nõ potuit, nihil validè effecit; quia vt actus valeat, oportet vt concurrant poteſtas & voluntas ad illum faciẽdũ, iuxta ca. *cum ſuper.*[q] cum aliis ibi à Doctoribus citatis.

Ad tertium reſpondetur primo negando quod nihil aliud obſtabat venditioni, quam Petrus Camillus intentauit facere, niſi quod præfatum palatium erat ſubiectum reſtitutioni per fideicommiſſum; quoniam etiã obſtabat expreſſa prohibitio alienationis, quę omnino impediebat tranſlationem dominij, ſecundum omnes in l. *filius fam.*[r] & in aliis multis locis, quæ ibi citant Ripa, & alij. Secundo, quod etiam multi tenent, etiam tacitam prohibitionẽ alienandi, quę reſultat ex fidei commiſſo, impedire tranſlationem dominij, & facere contractum ipſo iure nullum; & omnes, quod ſaltem reuocari debet volente fideicommiſſario per dictam vltimam.[s]

7 Ad quartum reſpondetur negando quod fuerit quæſitum vllum ius neque in re, neque ad rem, pręfatis fratribus per illam venditionem iniuſtam, & nullam propter fideicommiſſum, & propter expreſſam prohibitionem alienandi. Tum per regulam illam, *Ex nihilo nihil fit.*[a] Tum quod non præſtat impedimentum quod de iure non ſortitur effectum.[b]

8 Ad quintum reſpondetur negando id quod præſupponit argumentum, nempe quod peccant omnes faciendo aliqua aliquibus, quæ nollent ſibi ab illis fieri. Tum quia alioqui peccarent iudices, patres, & domini iuſtè puniẽtes & caſtigantes delinquẽtes filios, & ſeruos, à quibus nollent ſibi eadem fieri; quod eſt cõtra c. *non eſt crudelis,*[c] & alia multa tam ſacra, quam profana. Tum quia verꝰ ſenſus illius iuris naturalis, quod colligitur ex Matt.[d] relato à Gratiano,[e] iuxta mentem gloſſæ Archidiaconi & vtriuſque Cardinalis,[f] & ſacrorum Doctorum citatorum in Catena aurea D. Thomæ,[g] & ipſiuſmet D. Thomæ,[h] *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* non eſt quod abſolutè prohibeamur de præcepto ſub pœna peccati facere aliis quod nolumus nobis fieri, ſed quod prohibeamur de præcepto facere aliis id, quod de præcepto tenemur non facere illis: ſicut nolumus quod alij faciant nobis, quod de præcepto tenentur non facere: & quod de conſilio tantùm prohibemur facere alijs, quod de cõſilio tenemur ad illud. Sicut nolumus: vt alij de conſilio tantùm deſinant facere nobis id, quod de conſilio tantùm tenẽtur non facere. Verbi gratia, de præcepto teneor nolle capere rem alienam inordinatè; ſicut nolo quod alius capiat rem meam: & ſicut nolo teneri ad mutuandum alteri non egenti extremè, niſi de conſilio tantùm, ita non debeo velle vt aliꝰ teneatur mutuare mihi nõ egenti extremè, niſi de cõſilio tãtùm. Ita quod prohibemur facere aliis inordinatè de præcepto, vel de cõſilio ſicut volumus ne alii inordinatè de præcepto vel cõſilio tãtũ nobis faciant. Cùm igitur præfatus Reuerendiſsimus Epiſcopus non teneretur de præcepto ad nolendum emere; nihil peccauit emendo, quia nec voluit, vt præfati fratres de præcepto abſtinerent à bene emẽdo, eſto quòd de bono cõſilio Chriſti fuiſſet obligatus ad illud; quoniam cõſilia eius non obligant ſub peccato ad ſui obſeruãtiam,[i] & tradimus nos poſt alios in Enchirid. confeſſ. c. 20. Addo tamen, quod neque de conſilio tenebatur ad illud. Tũ quia plus tenebatur prouidere ſibi quàm aliis.[k] Tũ quia plus tenebatur epiſcopatui ſuo, ꝙ erat piũ opꝰ, quàm aliis quo ad vſus profanos, cum pia pręferantur profanis.[l]

10 Ad ſextum, quod fundatur in præcepto 10. Decalogi & Catechiſmo Romano, reſpondetur non obſtare, quia, vt nos poſt S. Thomã & alios diximus in præcitato Enchiridio,[m] intelligitur de cõcupiſcentia inordinata, pręſertim contra leges iuſtitiæ ſpecialis. At concupiſcere rẽ alienã per iuſtam emptionem, permutationem, vltimam voluntatem, & aliam viam iuſtam, nõ eſt inordinata, immo valde ordinata Epiſcopo egenti eo ad habitationem ſuam honeſtam. Salua quæ iuſtior fuerit ſententia.

SVMMARIVM.

1 *Cõſciẽtia, quæ nõ potentia, nec habitus eſt ſed actus, aut eſt teſtificans, aut accuſans, vel excuſans, aut dirigens: quarũ prima & ſecunda ſpecies cum ſit generalis, ſi ſit contraria ſpeciali, non ligat: tertia verò ſi ſit certa, vel verè dubia, obligat ſecus ſi ſcrupuloſa, cõtra quã feciſſe nõ eſt arguẽdꝰ is qui poſt factũ ſuper eo cõſulit Pœnitentiariũ. n. 2. in fine.*

2 *Actꝰ, ad cuiꝰ valorẽ diſpẽſatio eſt neceſſaria, nõ poteſt valere, ãte quã ĩpetretur, nec ſufficit ꝙ ſit facta promiſſio illiꝰ ĩpetrãdæ.*

3 *Scrupulum habere is dicitur, qui habet aliquod argumentum apparens contra id quod credit, contra quod qui agit nedum non peccat, immo ſæpe multum proficit: quem ac erroneam conſcientiam, etſi ſecundum aliquos nemo poſſit proprio iudicio deponere, verius tamen eſt quod poſſit, quando habet probabilem rationem id faciendi, præſertim ſi ſit doctus. n. 4.*

4 *Dubius in fide, qui & infidelis eſt, is non dicitur qui habet aliquod motiuum contra fidem, quam credit, ſed is qui ita de ea deliberatò dubitat, vt nullam partem credat.*

5 *Petens abſolutionem ad cautelam, non ideo fatetur ſe excommunicatum, nec qui poſt factum petit conſilium, arguẽdus eſt, quod id quod ãte a fecit, fecerit cõtra cõſciẽtiã. n. 2. in fin.*

6 *Obligatio naturalis illa obligat cõſcientiam, quæ oritur ex pacto & conuentione quæ ſit licita, ſecus ſi ſit illicita.*

6 *Alienans contra iuſtũ & validum præceptũ teſtatoris, peccat, & ex contractu tali nullam nec naturalem obligantem in*

conſci

---

a De religio. domib.
b L. 1. & l. legatam. ff. de adminiſt. rerum ad ciuit. pertin.
c In di. clem.
d De conſt.
e Et de actionib. empti.
f L. fin. §. ſed quia. & §. ſequen. cum ei concorda. C. comm. de legat.
g Sub ca. requiritis, & multa alia capp. cõſeqq. 1. q. 7. & cap. de multa. de preb.
h §. ſed quia. & §. ſeq. C. com. de legat.
i Le. non ſolũ. ff. locat. & le. nemo prohibetur. C. de locat.
k In tit. de locat. §. nũc aliqua. verb. 125.
l In le. fin. C. de iure. emphy. nu. 112.
m In l. 1. & l. item in fundo. ff. quibus. mod. vſufruct. amitt.
n In l. 3. §. ecõtrario. ff. de acq. poſſ.
o L. Papinianus. ff. de minorib.
p Et titul. de reb. alien. C.
q De off. deleg.
r §. diui. ff. de legat. 1.
s §. ſed quia. & §. ſequen. C. commu. de legat.

a L. decem de verb. obliga. c. ad diſſoluendum. de ſpõſ. impuber.
b Ca. non præſtat. de regul. iur. lib. 6.
c 23. q. 5. cap. duo iuſta nomina. 23. qu. 4.
d Cap. 7.
e Ca. illid. diſt. 1.
f Ibidem.
g Super præfato ca. 7.
h In lect. propria ipſiuſmet ca. 7. ſuper Matth.
i §. fin. 4. diſt. c. quod præcipitur. 14. q. 1.
k Arg. c. ſi nõ licet. 23. qu. & le. præſes. Co. de ſeruitut. & aqu.
l Arg c. relatum. & ca. cũ in officijs. de teſtamen.
m Ca. 17. & 19.

*conscientia contrahit obligationem,& num.10.in fin.etiam si promittat obtinere dispensationem,& num.7.& 8.cōtrarium tamen videtur admittere num.7.ad finem.*

6 *Testatoris iustum præceptum obligat sub peccato mortali:quod vel inde patet,quia nisi seruet iussus,potest excommunicari.*

7 *Prohibitus validè à testatore alienare,vendens etiam sub conditione si Princeps dispensauerit, & promittat illam impetrare,non obligatur,antequam dispensatio impetretur. & num.6.*

2 *Vendens scienter malè,non tenetur de euictione, nec ad interesse,quando emptor sciebat rem vel alienam , vel alienari prohibitā:immo nec tuta cōscientia potest emptor petere nec rē nec interesse.n.10.at si fuit in bona fide,non tenetur venditor adimplere tradendo rem quam non potest sine peccato alienare,sed ex maleficio tenetur emptori ad interesse.nu.8.*

9 *Emens secundo loco , & accipiens rem quam scit alteri prius venditam,tenetur secundum aliquos in conscientia primo venditori tradere:sed hoc non procedit,quando prima venditio fuit nulla.*

10 *Iuramentum quidem seruandum est, quando non est maioris boni impeditiuum,potestque seruari sine interitu salutis æternæ;quale non est id,quod non potest seruari sine peccato etiam veniali,vel iniustitia aliqua.*

## CONSILIVM IX.

OBnixe rogatus,& quadamtenus iussus ab iis, qui facere id suo iure possunt, vt recognito respōso à me dato in causa emptionis cuiusdam domus à valde Illustri Reuerendissimoque D. Episcopo Alexandriæ, & perpēso responso excellentissimi vtriusque iuris Doctoris, & prælectoris primæ functionis iuris Cæsarei Academiæ Ticinensis Thomæ Gualæ in eadem causa reddito,& typis excuso Papiæ , quod videri potest contrarium nostro: consideratis itē iis, quibus subtiliter ac eruditè præfatus Reuerendissimus suam causam protegit à præfati eruditissimi Thomę magnis ictibus;respondeam, an pręfatus Reuerendissimus idemque omnium cōsensu iustissimus, iustè possit in foro conscientiæ domum pręfatam retinere,an teneatur restituere illam magnanimis fratribus de Baratis;qui prius illam emisse feruntur; faciam id breuiter,tum ob infirmam valetudinem,tum ne verborum, allegationum,& phalerarum ostentatione, adiectorū multiplicatione,veritas,perdatur,aut occultetur; quòd sæpe fieri, eruditissimus Cardinalis Caietanus frequenter admonet,& experientia demonstat, etiam in dictis scriptis, quibus perpensis respondere iubemur.

Dico igitur primò,quod,si ego putaram meum respōsum ab eo edendum; & typis excudendum, munitius ex officina nostra,licet paupere , prodiisset. Deinde gratias me agere,quàm maximas possum,Reuerendissimo D. Episcopo,quod me multò maioris,quàm merear, facit: & præfato excellentissimo Doctori, & primæ functionis Cathedrario,quòd mihi lōgè sublimiorem locum , quam humilitas mea modestè subire possit, tribuit. Vtinam D. Iesus, quando ego nequeo , vtrique cumulatè retribuat. Tertio,certissimum esse id,quod pręfatus D.Doctor multis probat de conscientia , multa minimè licere in illius foro,quod est Dei,quæ licent in foro exteriori; & contra plurima licere in illo,quę non licent in hoc.Quāuis quędam exquisita Baldi & Iasonis elogia, quæ de quidditate, seu definitione conscientiæ colligit, vulgò magis, quàm eruditis,probari debeant,per ea quæ S.Thomas receptus tradit,[a] quę nos in compendium redegimus in Manu.cōfess.[b] & tetigimus in præl.7.[c] vbi dicimus conscientiam non esse potentiam,neque habitum,sed actum; & diuidi in tres,scilicet testificantem,accusantem,vel excusantem & dirigentem:& hanc tertiam in certam, dubiā, & scrupulosam secari:quarum duæ,scilicet certa,& dubia, speciales obligant,[d] etiamsi sint erroneæ,[e] ad parendum eis, vel certè deponendum eas:nō autem tertia, siue scrupulosa,neque alię duæ,cùm sunt generales cōtrariæ specialibus,cuius rei exemplum vbi suprà ponimus: & ita fatemur cum præfato D.Doctore,quod si pręfatus Reuerendissimus retinet præfatam domum contra conscientiam suam dirigentem certam, & dictantem in specie contra iustitiam retinere se illam domū;peccare mortaliter, immo etiamsi retineret contra conscientiam dirigentem dubiam , quæ dictaret ei probabiliter dubitare debere, an retineat contra iustitiam: non autem si retineret eam contra conscientiam scrupulosam, per ea quæ vbi supra diximus,& latius tradidimus in cap.*si quis autem*.[a] in commentariis tractatus de pœnit. decreti Gratiani iam pridē extra Italiam bis editis;& nuper in Vrbe tertio typis excusis. Quarto , quod præfatus Reuerendissimus Deique Opt.Max.vt ex eius dictis coniicio, timentissimus, non debet habere conscientiā dirigentem certam, nec dubiā, immo nec scrupulosam , quę sibi dictet peccare ipsum mortaliter ob pręfatę domus retentionem, propter ea, quę pręfat⁹ præcellēs Doctor in dicto suo respōso scribit.

2 Primum quidem , quòd videtur niti narratione facti parum suę intentioni commoda,immo contraria. Vtitur enim illa narratione , quod pręfatus D. Petrus Camillus promisit pręfatis fratribus obtinere dispensationē à Senatu Regio suis expensis pro venditione pręfatę domus, quam fecit pręfatis fratribus. Quę narratio nihil cōtinet commodans valori cōtractus iam facti,vt palam est: cùm actus,ad cuius valorem est necessaria dispensatio,nō possit valere,antequam illa impetretur:non enim valet matrimonium contractum inter cognatos aliquo gradu intra 4.se attingentes,ante dispensationem impetratam,licet alter cōiugum promittat alteri se impetraturum eā, [b] & qui resignat aliquod beneficium,reseruata sibi aliqua parte fructuum,vel pensione , saluo beneplacito Papę : si antequam obtineatur beneplacitum eius,capiat illā partem fructuum,vel pensionem,censetur simoniacus,etiam realis, vt pretorium sacrę Pœnitentiarię censet, & nos ad demus propedia in pręfa.Man.cōf.[c] & iuss⁹ necessarius ad adeūdam hęreditatem precedere debet,iuxta l.*si quis mihi bona*.[d] vbi Bartholus cōmuniter recep.& à Iasone [e] declaratus,idem dicit de permisione & licentia alienandi res Ecclesię,si est perpetua, & rei grauis;qu ia tractatus,& consensus qui sunt necessarij,debent præcedere,nec sufficit ratificatio postea ex interuallo facta , nisi certo modo, vt Immolensis concludit,concordando opiniones diuersas,[f] quem sequitur Francus, [g] qui alios refert. Ergo promissio de impetranda dispensatione alienandi nō potuit validare alienationem,antequam illa à Senatu concederetur , & consequenter narratio illius promissionis non commodabat pręfati D. precellentis Doctoris intentioni immo incommodabat:quia significabat venditionē pręfatam remansuram nullam donec obtenta dispensatione ratificarent illam partes.

Secundò,quòd nititur narratione falsa, vel certè falsa sibi significante.Narratum enim fuit illi,quòd fuit obtēta dispensatio à Senatu regio;significando ,quod fuit obtenta dispensatio conueniens intētioni pręfati Petri Camilli,& fratrum de Baratis,& tempore opportuno, antequā pręfatus Reuerendissimus se misceret negotio,quod fuit falsum:non enim fuit conueniens intētioni pręfatorum Petri Camilli,& fratrum,quia vt esset conueniēs illi, oportebat illam cōtinere dispensationem, vt Petrus Camillus venderet pręfatis fratribus absolutè,& quòd venditionem factam regia eademque summa potestate approbaret:quorum nihil continebat: quia solùm continebat posse venire ad venditionem petitam in pręiudicium consentientium,& etiam hęredum tātùm, & quod tot alia bona ęquiualentia supponeret oneri fidei commissi: & ita nec approbauit dictam venditionem antea factam ipsis fratribus , nec illa fuit facta cum modificationibus, quas adiecit Senatus.Nec Senatus fecit potestatem vendendi eo modo,quo ipse vendiderat absolutè , vt palam fecit pręfatus Reuerēdissimus per tenorem decreti ipsi⁹ Senatus regij,& auctoritate instrumenti dictę venditionis.Nec fuit impetrata tempore opportuno,quia fuit impetrata postea quam Senatus iusserat,ne quidquam innouaretur super ea,posteaquam præfatus Reuerendissimus petiit præfatam domū sibi vendi,donec Senatus ea de re decerneret.& ita remausit dicta vēditio nulla, donec decerneret Senatus:aut ad petitionē Petri Camilli simpliciter decreuit,vt posset vendi seruatis his,quę in decreto continebantur.Postea precibus Episcopi vēditori & emptori intimatis,& auditis,decreuit Senatus,vt vēderetur Episcopo , modo emeret illam pro Ecclesia sua , cum

onere

a 1.par.q.79. art.13.
b Ca. 27.nu. 279.
c Nu. 13. & præl. 9.nu.9.

d Cap.fin.de præscrip.
e Capit. per tuas. il. 2.de simon.c.inquisitioni.de sent.excōm.

a De pœnit. dist.7.nu.61.

b Capit.1.& tot.tit. de con sang.& affin.

c Ca. 23.nu. 107.
d §.iussum.ff. de acquir.hæred.
e à nu.31.

f In cap.3.de his quæ fiunt à prælat.
g In ca.1.nu. 13. de reb.eccles.non alie. li.6.

onere soluendi pretium, & faciendi alia in eo contenta; & ita nec præfata dispensatio fuit facta eo modo, qui cõueniret intentioni præfatorum P. Camilli, & fratrum de Baratis, nec tempore, quo posset eis prodesse; immo causa cognita Senatus nouè decreuit, vt venderetur præfato Reuerendissimo, si vellet eam emere pro sua Ecclesia, & ita in piam causam, prout postea emit prædictus Reuerendissimus. Et cõsequenter patet, multa falsa, vel significantia falsa, narrata fuisse præfato D. Doctori, quibus tãquã fundamẽtis nititur dictũ suũ respõsũ: & fundamẽto sublato, tollitur & corruit fũdatũ. [a] Equidem fateor, me quoque, si mihi narrata fuissent præfata sic vt præfato D. Doctori, non fuisse responsurum omnino eo modo, quo respõdi. Nec mirari debet Reuerẽdissimus, quòd præfatus D. Doctor magis credidit narratis sibi à parte se cõsulẽte, quàm narratis mihi à parte cõtraria: quia frequẽter partes aduersæ solent credere aduersa, & informare patronos immo & iudices aduersè: & Iurisconsultorum est respõdere more Scęuolę ad proposita, vt proponũtur.

Tertio, cur præfatus Reuerendissimus non debeat accusare se peccati, est quod nihil prodest aduersæ parti; dicere, quod sua D. Reuerendissima sciuit præfatam venditionem inter præfatos P. Camillum, & fratres de Baratis fuisse factam; & quod non debuit facere aliis, quod sibi noluisset fieri; & quod sciebat se displiciturum præfatis P. Camillo, & fratribus, volendo domum præfatam sibi emere, &c. Quoniam ad hoc argumentum respondimus nos in respõso nostro resolutius, clarius, & vberius, quàm forte vsque ad illud temporis fuerit responsum, in solutione quinti argumenti contra præfatum Reuerendissimum formati, quod percupio videri & serena mente pẽsari ab aduersa parte, ne cum offensa diuina contra stimulum veritatis calcitret.

Quartò, cur præfatus Reuerendissimus non debeat se accusare peccati, est, quòd nihil obstat quod post emptionem præfatæ domus, non obstante decreto Senatus, & nõ obstantibus quibusdam aliis, quæ iuuant, ipse voluit consulere sacram Pœnitentiariam, & quosdam alios super iustitia illius cõtractus; & quod anxit eum conscientia sua: & quod contraueniens conscientiæ suæ peccat, &c. vt latius præfatus D. Doctor tractat.

3 Tum quia bonarum mentium est culpam timere, vbi culpa non est. [b] Tum quia faciens contra scrupulum cõscientiæ non peccat, vt supra dictum est; immo frequenter multum proficit, vt & nos adnotamus in Manu. confess. [c] post S. Antoninum, [d] & Siluestrum. [e] Tum quia Baldus & alij citati à præfato D. Doctore, vt supra dixi, non definierunt, nec diuiserunt conscientiam, eius naturam radicitus considerando. Tum quia scrupulum habere, est habere argumentũ aliquod apparẽs contra id quod credit vel opinatur, vt tradit Ioannes Gersonus, Cãcellarius Parisiensis, [f] & Adrianus, [g] quos referimus, & sequimur, [h] & Ioannes Maior. [i]

4 Vbi pulchrè declarans illud, [k] *Dubi⁹ in fide, infidelis est*, ait nõ dici dubiũ in fide, qui habet scrupulũ, hoc est aliquod motiuum contra fidem, modo credat eam; sed qui deliberata mẽte ita dubitat, vt nullam partem credat. Quæ etiã satis sentit Caietanus. [l] Et quamuis quidam à præfato D. Doctori citati videantur asserere, nõ posse quem scrupulum & conscientiam erroneam deponere proprio iudicio, sed tantùm alieno, & sui superioris: contrarium tamẽ est veriùs, per multa, quæ adduci possunt, & Siluester qui melius illis id pẽsauit, [m] dicit in hæc verba: *Immo dico quod hoc potest facere tuta conscientia ex consilio proprio, quando habet probabilem rationem, quod sic possit facere, maxime si sit doctus.* hæc ille: qualis est præfatus Reuerendissimus.

5 Ad prædicta facit glossa recepta, [n] quatenus probat, postulãtem absolutionem ab excommunicatione ad cautelam, nõ se fateri excommunicatum, quia bonarum mẽtium est culpam timere, &c. & ita præfatus Reuerẽdissimus petens ad maiorem cautelam consilia, quæ petiit, nullatenus est censendus peccator; sed (vt ait gloss.) bonæ mentis quæ culpam timet, vbi culpa non est.

Quinto, quod nihil proficiunt aduersæ parti ea quæ adducit contra Reuerendissimum de naturali obligatione, quæ in foro conscientiæ seruãda est, etiamsi in foro exteriori non seruaretur, super quo tam D. Episcopus, quam præfatus D. Doctor multa congerunt parum necessaria, quæ pacis poterant resolui.

6 Cõcedimus enim aduersæ parti, obligationẽ naturalẽ quæ ex pacto & cõuẽtione licitis, etiã nudis nascitur, esse seruãdã in foro cõsciẽtiæ etiãsi foro exteriori Cæsareo nõ seruaretur, vt tradit Bartholus communiter receptus, [a] & traditur in c. 1. [b] & alibi sæpe. At negamus ortam esse vllam obligationem naturalem contra præfatum Reuerẽdissimum ex venditione facta inter præfatos Petrum Camillum, & fratres de Baratis. Tum quia in illa non interuenit Episcopus, nec procurator vllus ei⁹, nec alia persona, quæ ipsum obligare potuisset, vt emptorem, vel vt vẽditorem: & res inter alios acta aliis non præiudicat. [c] Tũ quia nulla obligatio naturalis fuit orta ex illa venditione etiam contra præfatum P. Camillũ pro præfatis fratribus, quia nullum pactum, nec vlla conuentio illicita producit vllam obligationẽ naturalem. [d] At præfata venditio fuit illicita; quia fuit facta ab hęrede contra iustum præceptũ testatoris, vt palam est, quia certum est præceptum testatoris factum hæredi, ne alienet aliquam rem iusta de causa valere iuxta l. *filius famil.* [e] cum multis ibi per multos cõmẽtatores traditis. Certũ itẽ, ꝙ iusta dispositio testatoris habet vim legis iustæ, iuxta auth. de nup. [f] & c. [g] *vltima voluntas testatoris modis omnibus seruari debet*. Certum item, quod hæres illicitè omittit seruare iusta præcepta testatoris; & compelli potest ad illa seruanda, [h] etiam per censuras ecclesiasticas, vt adnotat Couuarruuias, [i] quod licet in specie non probet illius contextus, nec allegati per eum, probat tamen cap. *licet*. [k] vbi potest hæres excõmunicari, nisi seruet iustum præceptum testatoris; & constat apud omnes, non posse quem excommunicari maiori excommunicatione, nisi ob peccatum mortiferũ. [l] Tum quia non prodest aduersæ parti, dicere quod præfatus P. Camillus licitè poterat vendere præfatam domum sub conditione, si Senatus dispensaret; & quòd ipse promisit in contractu obtinere dispensationem. Tum quia venditio fuit pura, & promissio de obtinenda dispensatione nõ fuit posita per conditionem, sed per modũ & onus iniũctum ipsi P. Camillo, vt eam suis impensis impetraret: & modus, & onus iniunctum per viã modi, non faciunt dispositionem conditionalem, vt probatur in ca. *verum*. [m] & tradit Bartholus, [n] & alibi sæpe. Tũ quia si venditio fuit conditionalis, nullam obligationem produxit ante adimpletam conditionem. [o] Et cum conditio numquam fuerit completa; quia, vt prædictum, numquam præfatus Senatus dispensauit, vt ille contractus valeret, vel fieret, immo totum contrarium decreuit, ergo illa venditio nullã produxit obligationem, si fuit licitè conditionaliter facta & cum absolutè facta sit illicita, nullatenus vllam obligationem naturalem produxit, etiam inter partes; quãto minus in Episcopum, quia nullatenus in ea interuenit?

Sextò, quia nihil prodest aduersæ parti dicere, quòd alienatio præfata, etiã si simpliciter esset inualida, valuit tamen in præiudicium P. Camilli alienantis; ita quod remansit obligatus naturaliter pręfatis fratribus ad interesse, iuxta Baldum, [p] per Fredericum & Decium, [q] quamuis aptius potuit allegari contextus ipsiusmet ca. *imperialem.* Sed, vt dixi, nihil prodest. Tum quia ex hoc non infertur, Episcopum, qui non alienauit, obligari ex illo contractu naturaliter illis, vel P. Camillo; cùm nullatenus per se, nec per aliũ, qui potuit illũ obligare, interfuerit illi, vt prædictum est in quinto argumento. Tum quia per hoc nõ excusatur à peccato mortifero præfatus P. Camillus, qui cõtrauenit scienter præcepto iusto testatoris, iurique canonico, & Cęsareo, quibus prohibetur alienatio rei prohibitæ alienari iusto pręcepto testatoris.

8 Tum quia falsum est P. Camillum præfatis fratribus teneri ad interesse: quia tunc vendens sciẽter malè tenetur de euictione, & ad interesse, quando emptor emit bona fide: non autem quãdo emit mala, sciens rem esse alienam, vel sciens venditorem non posse illam iustè vendere, vt est casus in l. *si fundum*, & l. *emptor.* adiuncta glossa, [r] immo id probat etiã præfatũ c. *imperialem.* ibi, *bonæ fidei ēptor.* ex quo gl. expressè id colligit. Tũ quia qui vẽdit scienter liberũ hominẽ ꝓ seruo, & rẽ sacrã vel locũ religiosum pro

a Ca. cũ Pau ... 1. qu. 1. & c. veniens. de presbyte. non bapti.

b C. ad eius. 5. dist.
c Ca. 27. nu. 282.
d 1. par. tit. 3. ca. 10. §. 10.
e In summa. verb. scrupu. ...
f In tit. de re... moral. qui est primus secunda partis operum eius col. 2.
g In quolib. ... fol. 28. pag.
h In c. si quis autem. num. 13. de pœnit.
i In ... sent. ... qu. 4.
k Ca. 1. de ba...
l In summa verb. scrupulorum.
m Vbi supra.
n In c. venerabilem. in verb. postulauit. de elect.

a In extrauag. ad reprimendũ. verb. denunciatio.
b Et 2. de pactis.
c Leg. 1. & 2. C. res inter alios acta. & l. stipulatio ista. §. alteri. ff. de verb. obligat cum ei adnot.
d L. iuris gentiũ. §. pacta. ff. de pactis, l. generaliter. ff. de verb. oblig. c. in malis. 22. q. 4. & c. in malis. de reg. iuris li. 6.
e §. diui. 2. ff. de legat. ...
f §. disponat testator. & erit lex. col. 4.
g 13. q. 2.
h Ca. si hæredes. & c. Ioãnes. de testamentis.
i In d. capi. si hæredes.
k De voto.
l Cap. nemo. & ca. nullus. 11. q. 3.
m Et c. fi. cũ eis adnot. de condi. apposi. & le. 1. C. de donatio. quæ sub modo.
n In rubr. & l. quibus diebus ff. de condi. & demonst.
o §. omnis. insti. de verb. oblig. c. si pro te. de rescrip. li. 6.
p In c. imperialẽ. de prohib. feudi alien.
q In consilio. 185. num. 6.
r C. de eui... & leg. si fundo. cũ aliis multis. ff. eod.

pro profano ignoranti emptori, peccat quidem mortaliter, licet teneat emptio in pręiudicium vendentis, ad hoc vt emptor bonę fidei, sed non malę fidei agere poſsit ex empto aduerſus venditorem.[a] Et ita pręfatus P. Camillus peccauit mortiferè alienando rem iuſtè prohibitam alienari, & non valuit alienatio: nec fuit obligatus ad tuendam alienationem iniuſtam, & iniquam: ſed ex maleficio tenebatur ad intereſſe præfatis fratribus, ſi emiſſent bona fide, ignorantes maleficium eius, & putantes domum illam eſſe liberam à præfata prohibitione alienationis: ſed quia nouerunt contrarium, vt patet ex eo, quòd cauerunt ſibi, vt diſpenſatio impetraretur ſumptibus P. Camilli: non obligauit eum, etiam ad hoc; vt ipſi poſſent agere ad intereſſe.

a L. & liberi hominis. & l. liberi hominis. cum eis adnot. ff. de contrah. emptio.

9 Septimò, quòd nihil etiam prodeſt aduerſæ parti dicere, quod præfatus Reuerendiſsimus ſciuit alienationē præfatam à P. Camillo fratribus de Baratis factam, antequam petiiſſet domum præfatam ſibi vendi; eo quòd, qui emit aliquam rem iam venditam alteri, ſciens illam eſſe venditam, debet poſtponi priori emptori, etiamſi prius fuiſſet ſibi tradita, in quod allegat gloſſam, Albertum Salicetum & Iaſonē,[b] quæ nihil ad hoc faciunt: ſed eis quęrēdis multū tēporis vanè impēdi, legens multa ſcripta in l. *filius fam.*[c] quæ tractant materiam præfatæ l. *quotiens.* putans plurimum id importare: non enim credebam allegari l. *quotiēs.*[d] quæ eſt propria ſedes illius cōcluſionis, & incogitanter ad hoc allegaretur d. l. *quoties.*[e] Non ergo inquam prodeſt illud aduerſæ parti. Tum quia illa gloſſa id non dicit, vt etiam Alexander & Iaſon ibi ſignificarunt, & probatur: quia ſi diceret illud, maximè diceret per illa verba, *Bonā fidem.* At illa verba referuntur ad venditorem, & non ad emptorem, vt colligitur ex gloſſa in textum relata. Tum quia licet id diceret, & eſſet verū, per ea quibus Iaſon ibi, non in limitatione 2. vbi allegatur, ſed in limitat. 9.[f] confirmat: tamen nihil facit ad propoſitū: quia loquitur de emptore ſecundo rei, qui ſciebat venditorem prius vendidiſſe illam alteri venditione valida, & legitima, vt palam colligitur ex illa l. *quotiens.* & ex mente omnium in eam comminiſcentium. In propoſito autem loquimur de ſecūdo emptore, qui ſciebat primam quidem emptionem factam, ſed inualidè, iniuſtè, & iniquè, adeo quod etiam in contractu fuit expreſſum neceſſariam eſſe ad eius valorem Senatus Regij diſpenſationem. Tū quia regula,[g] eſt, *Non præſtat impedimentum, quod iure non ſortitur effectū.* quæ plurimis exornari poteſt, præſertim illis multis quæ congerit Felinus,[h] probando quod de reſcripto priuilegio, collatione, lite, compromiſſo, & aliis, quę ipſo iure ſunt nulla, nihil eſt curādū, nec vlla eſt faciēda mētio.

b In leg. quoties. la 1. C de fidecommu.
c § diui. 2. de leg. 1.
d C. de rei vendi.
e C. de fideicommiſ.
f Num. 26.
g Lib. 6.
h In c. ex tenore. nu. 2. de reſcript.

10 Octauo, non etiā prodeſt aduerſæ parti, dicere quod venditio pręfati P. Camilli fuit iurata, & quod iuramentū; quod poteſt ſeruari ſine interitu ſalutis æternæ; eſt ſeruandum iuxta cap. *verum.*[i] & alia, quæ parum aptè citātur ad probandum quod ex illo contractu nata eſt obligatio naturalis contra Epiſcopum, qui eam tenetur ſeruare in foro conſcientiæ; Non inquam id prodeſt. Tum quia D. Epiſcopus nec per ſe, nec per alium iurauit illam venditionem, & conſequenter non fuit ex eo nata vlla obligatio cōtra illū. Tū quia nō omne iuramentū eſt ſeruādū, ſed tantùm licitū, & iuſtū: iuxta capit. *ſi aliquid*[k] & tradit S. Thomas receptus,[l] vbi dicit nullum iuramentum contra iuſtitiā factū, eſſe ſeruādū: pro quo caſus in c. *animaduertendum.*[m] vna enim comitum requiſitarum ad hoc, vt iuramentum ſit licitum, eſt vt contineat iuſtitiā, & quod promiſſum eſt poſsit licitè ſine peccato ſeruari, iuxta cap. *quamuis pactum.*[n] quatenus probat non eſſe ſeruādum iuramentum, ſi abſque diſpendio ſalutis æternæ, ideſt ſine peccato etiam veniali, vel ſine impedimento maioris boni non poteſt ſeruari, vt ait præfatus S. Thomas,[o] recept[p] ab omnibus. Quæ omnia tradimus in Manua. confeſſ.[p] Iuramentum enim non poteſt eſſe vinculum iniquitatis, ideſt, non poteſt obligare ad vllam iniuſtitiā, & iniquitatem.[q] Cum ergo iniuſtum, & iniquum ſit vendere rem alienam, vel ſuam quam habet cum obligatione iuſtè ſibi poſita non alienandi, vt prædictum eſt; præfatus P. Camillus non ſolum non tenetur ſeruare iuramētum, ſed tenetur pœnitere, quod illicitè iurauit, & deſiſtere à tuendo peccato, quod fecit: & certè, mea ſententia, grauiter peccaret, qui conſuleret illi, vt placeret ſibi alienatio illa, & pergeret in illius defenſione; perinde ac qui conſuleret alicui, vt placeret illi fornicatio commiſſa, & in illius complacentia perſeueraret. Et caueāt ſibi, qui per canones parum penſatos, & leges non bene digeſtas, & applicatas, contrarium illi conſulunt. Tum quia ſi iuramentum eſſet licitum, non ſolùm produxiſſet naturalem obligationem quo ad forum conſcientiæ, ſed etiam ciuilem quo ad forum exterius ſecundum omnes; & conſequēter dicendum eſſet malè iudicaſſe Senatum Regium, cuius tamen contrarium ipſamet aduerſa pars aſſerit.

i Et ca. ſi vero. cum alijs. de iureiur.
k Et c. iurauit. ca. in malis. 22. q. 4.
l 2. 2. qu. 89. art. 7.
m 22. q. 2.
n De pactis lib. 6.
o Vbi ſupra.
p Ca. 12. nu. 25.
q Capi. inter cætera. 22. q. 4. & c. quanto. de iureiur.

Nonò, quod illa, quæ ab aduerſa parte geminantur & reiterātur de naturali obligatione, qualis nulla nata fuit contra Epiſcopum de iuramēto, quod fuit illicitū, & nullatenus ſeruandum, & ad probādum præfatam venditionem abſque licentia & diſpenſatione regia valere, adeo ſunt leuia, vt non ſit opus eis reſpōdere: & adeo pro eiuſmodi habuit ea Senatus Regius, cuius decretum aduerſa pars laudat: vt noluerit dare licentiā vendendi etiā Epiſcopo, etiam pro Eccleſia, & in piam cauſam, niſi multis, & grauibus adiectis modis, & oneribus, vt ex eius decreto maturitate magna edito conſtat. Et certè iure quis miretur aduerſam partem ita ſibi contradicere, vt neget ab vna parte poſſe Regem ſine magna compenſatione diſpponere de re, & diſpoſitione ſui ſubditi quo ad forum cōſcientiæ; & ab altera aſſerat; quòd venditio facta contra diſpoſitionem iuſtam teſtatoris, quam Rex non poteſt ſine iuſta cauſa mutare, producat naturalem obligationem, etiam facta ſine vlla Regis & ſuperioris auctoritate, quo ad idem forum conſcientiæ.

Decimò, & poſtremò, quod nihil prodeſt aduerſæ parti id quod ait. Epiſcopum peccare cooperando peccato P. Camilli, quòd admittit impediendo, ne adimpleat naturalem obligationem eum in foro conſcientiæ ligantem ad tradendam præfatā domū præfatis fratribus. Tū quia, vt ſuprà probatum eſt, P. Camillus nullam obligationem contraxit per illam iniuſtam, & nullam venditionem ad tradendam rem venditam. Tum quia præfati fratres, eo quòd fuerunt conſcij pręfatæ prohibitionis alienandi, nō poſſunt petere iuſtè à P. Camillo rem ipſam, neç intereſſe vt ſuprà probatum eſt. Tum quia, etiam ſi præfati fratres bona fide emiſſent, non poſſent rem emptam petere, ſed tantùm agere ad intereſſe: ad quod nulla ratione dici poteſt obligatus Epiſcopus, & vt dictū eſt ſupra de vendente ſcienter liberum hominem, vel rem ſacram id ignorāti quia emptor etiam bonæ fidei non poteſt petere liberum hominem, vel rem ſacram, ſed tantum repetere pretium, quod dedit, vel intereſſe, quod ob id ſibi debetur non tātùm ex contractu, quantùm ex maleficio in eo facto, vendendo ſcienter rem, quæ non erat vendibilis, illud ignoranti. Salua in omnibus quæ iuſtior fuerit ſententia.

SVMMARIVM.

1 *Vſura non eſt caſſare cenſum annuū vitalitium, ſoluto aliquo pretio etiam non iuſto. num. 2.*
2 *Contractus omnis non gratuitus eſt iniuſtus, ſi nō ſeruetur pretij æqualitas.*
2 *Penſio ſeu annua præſtatio per quintuplicem caſſari ſolet.*
3 *Cenſus annuus centum pro mille in vita accipientis valet.*
4 *Caſſatio cenſus vitalitij, recepta certa pecunia, reducitur ad venditionem.*

## CONSILIVM X.

PETRVS, cui debebatur pręſtatio annua ſeptuaginta duorum ducatorū quoad viueret, tantùm accepit à Ioanne ducenta ſcuta pro præfatæ præſtationis annuæ ceſsione.

Quæritur primo, an contractus ſit vſurarius.

Secundo, an ſit iuſtus.

Tertio, quo nomine ſit cenſendus.

1 Ad primam quæſtionem reſpondetur, quod nō eſt vſurarius; ea firma ratione, quā nos in Commēt. de vſuris[a] ponimus, ſcilicet quòd ſolus ille contractus, qui formaliter, vel æquipollenter eſt mutuum, poteſt eſſe vſurarius; & prædictus nō eſt formaliter, nec ęquipollenter mutuū; non quidem formaliter, vt palam eſt, neq; æquipollenter

a Super ca. ſi fœneraueris. 14. q. 3. nu. 4.

ſiue

siue virtualiter, quoniam Ioannes non potest cõdicere siue repetere 200. quæ dedit, neque Petrus potest repetere, vel condicere prædictam præstationem: & ad hoc, vt quis fiat vsurarius, oportet, vt tradẽs pecuniam accipiat formaliter vel virtualiter aliquid vltra sortem vt mutui, vi dicimus vbi supra, [a] & quod cedens obliget se formaliter vel virtualiter ad dandum aliquid vltra sortem.

2 AD SECVNDAM videtur dicendũ, quod prędictus contractus est iniustus: quia nõ est gratuitus, vt palam est, & contractus non gratuitus, siue sit nominatus, siue innominatus, in quo non seruatur æqualitas pretij dati & accepti, est iniustus, vt definit Scotus, [b] relatus à nobis in Man. confess. [c] quod ipsum & S. Thomam sensisse ibidem dicimus: & pretium 200. ducatorum, quod dedit Ioannes, & pretium annuæ præstationis 72. ducatorũ ad vitam Petri non sunt æqualia, immo pretium præstationis videtur excedere pretium ducentorum scutorum vltra dimidium iusti pretij. Tum per l. *hæreditatum*, [d] quæ probat præstationem annuam quo ad vitam eius, cui præstãda est, valere ad minus quintuplum eius quod est quotannis prę standum. Tum quia pensiones annuæ concessæ ad vitam pensionarij redimuntur communiter per solutionẽ quintupli auctoritate Papę, immò multi ditiores, & qui nõ premuntur egestate, vel ægritudine aliqua, nolunt extinguere ob quintuplum.

3 Tum quia nos satis probamus in d. comment. de vsuris, [e] quod iustè possunt accipi centum quotannis pro mille, cum ea conditione, vt cessante vita accipientis cesset obligatio reddendi ea.

4 AD TERTIAM respondetur, quod non potest vocari contractus donationis gratuitæ: quia ab vna parte accipitur pretiũ in pecunia numerata, & ab altera pręstatio annua, quæ merx quædam est: nec potest appellari mutuum, vt dictum est in responsione ad primam, neque permutatio, nec locatio, vel cõductio, vt palam est: sed potest appellari emptio & venditio: quia ab vna parte datur pretium, & ab altera merx: potest etiam appellari contractus innominatus, do vt facias, iuxta l. *naturalis*: [f] quia Ioannes dedit, & Petrus facit cedens, quia cessit præfatam pręstationem. Salua, &c.

a Num. 6.
b In 4. li. sent. dist. 15. q. 2.
c Ca. 23. nu. 78.
d ff. ad l. Falcid.
e Num. 128.
f ff. de præscr. verb.

SVMMARIVM.

1 *Contractus censiticos sine alia superioris licentia omnes inire possunt.*
2 *Census pretium saltem redimibilis non est iure communi taxatũ, expediret tamen taxari, sed an à cognoscente superiorẽ possit, non est certum.*

## CONSILIVM XI.

IN ciuitate & diœcesi Cremonensi, & in tota prouincia Mediolanensi censuum contractus hactenus numquam celebrati fuerunt, sed emphyteutici, seu libellarij in vsu fuerunt, ex quibus fructus ad rationem quinque pro centenario percipiebantur. Verum quia à nõnullis annis nulli contractus huiusmodi super bonis Ecclesię conceduntur, pauci admodum super bonis laicalibus pecunias hoc modo implicare volunt, eo quod aliunde maius lucrũ iustè percipiãt. Propterea conqueruntur ciues & incolæ pecuniis egẽtes, quod necessitatibus suis prouidere nõ possunt, & ideo ciuitas instanter petit ab Episcopo, vt velit permittere introduci vsum censuum iuxta formam datam in bulla Pij V. & taxare fructum, qui iustè & tuta consciẽtia ab huiusmodi contractibus censualibus percipi possit. Dubitat tamen Episcopus Cremonensis de duobus.

Primo, an prædictæ petitioni annuere debeat ex prædicta Bulla Pij V. quæ potius videtur tollendo abusus nouam formam censibus in locis, vbi celebrantur, dare, quã concedere, vt vbique locorum etiã seruata forma ibi tradita indistinctè introducantur.

Secundo, an ipse vna cum decurionibus possit præfigere, & taxare fructum census, puta ad rationem 7. pro 100. habito respectu ad alia lucra, quæ communiter in dicta ciuitate & diœcesi diuersis modis fiunt, & electa media & moderata summa, non autẽ rigorosa, nec pia, seu inferiori.

1 AD PRIMVM DVBIVM respondeo primo, quòd ciuitas Cremonæ, & suum territorium non indiget licentia noua Papæ, nec sui Episcopi, nec alius superioris Ecclesiastici, vel sæcularis ad faciendum contractus censiticos; quia iure communi naturali, diuino, & humano est id eis permissum, vt copiosè nos post alios tradimus in Manua. [a] aut certe tangimus copiosius tradita in c. *si fœneraueris*, [b] vbi late comminiscimur in extrauagantem prædicti Pij V. Secundo, quod Reuerendissimus Episcopus sine vllo scrupulo potest facere suis subditis facultatem exercendi prædictos contractus. Tum quia id non est dare facultatem nouam, sed declarare iure communi esse sibi datam. Tum quia, licet frustra impetretur quod iure communi conceditur, [c] poterit tamen prodesse ad tollẽdos scrupulos aliquorũ trepidãtiũ timore vbi nõ est timor; quod bonarum esse mentium dicit Gregorius. [d]

2 Ad Secundum dubium respondeo primo, quod iure communi non est taxatum pretium dandum pro annuo cẽsu, saltẽ redimibile: & ideo in diuersis prouinciis diuersum statuitur, aut vsitatur, vt latius diximus in comment. prædicto. [e] Secundo, quod arbitror conuenire reipub. vt taxetur pretiũ soluendum pro annuo censu redimibili, circumspectis illis, quæ circumspicienda in dubio proponuntur; quamuis dubitari posset an ciuitas recognoscens Superiorem possit illud statuere, an requiratur auctoritas suprema: quæ non recognoscat Superiorẽ: & in regnis Hispaniæ nõ est statutũ illud à ciuitatibus, & Episcopis, sed à Regibus sæcularibus, vt in Castella, vel à tribus statibus, & ipso Rege, seu à Rege de consensu trium statuum, vt in Nauarra. Salua, &c.

a Cap. 7. nu. 234.
b 14. q. 8.
c Leg. 1. ff. ad municip. & c. 2. cum gloss. de rescript.
d In c. ad ei⁹. in fin. dist. 5.
e Cap. si fœneraueris.

SVMMARIVM.

1 *Census perpetui irredimibiles constitui possunt sine circumstantijs à Pio V. requisitis. num. 3.*
2 *Lex nõ est generaliter intelligenda, si per specialem, vel aliquã rationem firmam limitatur.*
3 *Intellectus extrauagan. Pij V. annullantis pacta tollentia facultatem redimendi censum.*

## CONSILIVM XII.

STante extrauagãte Pij V. lata super constitutione cẽsuum, an possit constitui census perpetuus sine circũstantiis dictæ extrauagantis?

1 Respondendũ videtur primò posse; quia dicta extrauagans nihil meminit de censu perpetuo: & cum sit lex exorbitans à iure communi antiquo, vtique non debet extendi. [f] Secundo, quia ratio condendi præfatam extrauagantem fuit mens & voluntas tollendi contractus vsurarios, qui fiebant sub specie pactorum de retrouendẽdo, & emẽdo pretio minore iusto propter gratiam & facultatem, quam ementes faciebant vendentibus de redimendo, quando vellent, vel vsque ad certum tempus eodem pretio; quæ ratio & mens cessat in censu perpetuo irredimibili, vt palam est.

2 Non obstat, quod lex generaliter loquens, generaliter est intelligenda, [g] & pręfata extrauagans loquitur generaliter de censu, non distinguẽdo de perpetuo & irredimibili, ac de temporali redimibili: quia obiectio nõ procedit, quoties lex generalis per legem specialem restringitur, [h] etiam si specialis præcedat generalem, [i] cuius exemplum est in authen. *offeratur*. [k] & in l. *sciendum*. [l] At in casu proposito speciali lege statutum est, valere constitutionem cẽsus perpetui sine facultate redimẽdi. [m] Nec etiam procedit dicta regula, quando est aliqua ratio firma illam restringẽs etiam sine lege speciali iuxta glossam receptam. [n] At in casu proposito est maxima ratio restringendi, videlicet, quia in censu perpetuo cessat mens & intentio legislatoris, vt supra dictum est.

3 Non etiam obstat præfata extrauagans, quatenus annullat pacta, quibus directè, vel indirectè tollitur facultas redimendi, & aufert præscriptionem centenariam, & immemorabilem: quia loquitur solum de pactis adiectis censui temporali, & redimibili, & de præscriptione, quæ allegari posset contra huiusmodi facultatem; non autem de pactis de non retrouendendo, nec redimendo, adiectis contractibus perpetuis sine facultate redimendi: ita quod in contractu census cum facultate redimendi non potest apponi pactum, vt illa facultas tollatur per lapsum alicui⁹ temporis, puta per non solutionem pensionis intra certũ tempus, vel aliquod aliud simile, ad tollendam facultatẽ redimendi in aliquo casu: & ita præsupponit agere de cõtractu, in quo apposita est eiusmodi facultas: quia priuatio

f Reg. quæ à iure. de regu. iuris lib. 6.
g Le. de pretio. ff. de publ. in rem acti. c. solitæ. de maior. & obed.
h Le. in toto. ff. de regu. iuris, eodem tit. lib. 6.
i Le. nam & posteriores. ff. de legibus.
k C. de litis contest.
l ff. qui satis. cog.
m Ca. Eleutherius. 28. q. 2. c. præterea. de iure patronatus.
n In d. le. de pretio. ff. de publi. in rem act.

præsupponit habitum, [a] & quia absurdū est dicere, quod non valeat pactum de non redimendo censum perpetuū constitutum à testatore, vel donatore pro Missis perpetuo celebrandis in aliqua Ecclesia, & quod faciet censum redimibilem, qui sine illo pacto erat irredimibilis: absurdum enim est dicere quod pactum huiusmodi non solū sit nullum, sed quod operetur contrarium eius, ad quod ponitur, & quod de censu alioqui perpetuo & irredimibili faciat temporalem, & redimibilem, cùm tamen sit appositum ad maiorem declarationem perpetuitatis, & irredimibilitatis, contra l. *non omnis*, [b] & ca. fi. [c] Denique d. extrauagans nulla sui parte vetat principaliter emi, & vēdi census perpetuos, neque pacta de non redimēdo huiusmodi emptionibus apponi; sed veluti incidenter, & per adiectionem statuit, vt pacta, quę tollunt facultatem redimendi, nō valeant, præsupponendo clarè, se statuere de emptionibus censuum factis cum facultate redimendi.

a *L. decem. ff. de verborum oblig. c. ad dissoluēdum. de desponsf. impube.*

b *ff. si certum petatur.*

c *De verborum sig.*

*SVMMARIVM.*

1 *Census annuus post extrauagantem Pij V. non potest attenta illius mente emi, nisi totum pretium numeretur & soluatur tempore contractus, de iure autem communi pro illo potest volente venditore alia res solui, vel etiam debitum antecedens compensari. nu. 2.*

3 *Emptio annui census & cuiuslibet alterius rei non potest contrahi, nisi certo pretio consistente in pecunia numerata, pro eo tamen potest, volente venditore, alia res solui, modò simus extra casum Extrauag. Pij V. de censibus. nu. 1.*

## CONSILIVM XIII.

AN constitutio census ob pecuniā longè antea à vēditore debitam, quæ non fuit soluta in pecunia numerata tempore constitutionis, sit valida?

1 Respondeo primo, quod nō videtur valida, si est facta post extrauag. fel. rec. Pij V. quæ incipit, *Cum onus*: quæ videtur requirere, vt solutio totius pretij census constituendi soluatur in pecunia numerata ipso tempore, quo cōstituitur: quamuis disputando fortè teneri posset non probari hoc efficaciter ibi, vt in comment. de vsur. [d] insinuauimus, ponderando, quod non dicit, *pecunia numerata soluta*, sed solùm, *pecunia numerata*, & quòd dicit non posse totum pretium solui antea, significando quod pars pretij potest solui, sed quia quidquid verba sonent, videtur mens auctoris fuisse, vt totum pretium in pecunia numerata soluatur tempore constitutionis, puto esse verum quod dixi.

d *Super ca. 1. 14. q. 3. n. 88.*

2 Secundo respondeo, quod cōstitutio census ante prædictam extrauagantem facta valet, si pretium fuit cōstitutum in pecunia numerata, licet solutio facta fuisset in alia pecunia, vel re, quę nō esset numerata pecunia. Tum quia extrauagās illa quo ad hoc ius nouum inducit, & ita nō se extendit ad præterita. [e] Tum quia videtur quo ad hoc valdè rigorosa, & quadamtenus contrauenieus æquitati, quæ apud omnes videtur dictare, pinguiorem esse solutionem, vno, duobus, vel tribus annis anticipatam, qua fruitus est vēditor censu sine vllo cēsu & interesse, quam eiusdem quātitatis solutionem tempore cōstitutionis, qua nescitur an & quomodo sit fruiturus. Tū quia innumeri cōtractus vēditionis censuum fuerunt facti ante prædictam cōstitutionem tam in his partibus, quàm alibi, in quibus seruatum est quidem, vt pretium cōstitueretur in pecunia numerata: quia id erat de substantia & essentia emptionis, non tamē quod solueretur in ea, & in tempore & articulo cōstitutionis, quod est de forma accidentali: & ita oporteret illos iudicare vsurarios, quod esset longè alienissimū, & absurdissimum à ratione prædicta contractus emptionis. Tum quia ex neutra extrauaganti Martini V. & Calixti III. colligitur, quòd solutio fiat in pecunia numerata, licet prima magis id insinuare videatur, vnde nec Illustrissimus Toletanus in summa Conciliorum posuit eam inter sex conditiones, quas ex eis colligit, neque ego inter octo, quas ante ipsum collegeram, dum Salmanticæ extrauagantes illas prælegerem, & postea in cap. 1. [f] quamuis ambo collegerimus, quòd pretium debet constitui in numerata pecunia, & quòd totum debet solui; id est, esse solutum, à tempore constitutionis, sed aliud est, quod pretium totum debeat constitui in pecunia

e *Ca. 2. & c. fin. de constit.*

f *Notab. 22. 14. qu. 3.*

A numerata, & ꝙ totū debeat solui: & aliud est, ꝙ totū debeat cōstitui, & solui in pecunia numerata. Tū quia extrauagantes prædictæ; quatenus loquuntur de pecunia numerata, videntur id facere ad significandum, quod is cōtractus debet iustificari ex natura contractus emptionis: qualis non potest esse, nisi pretiū cōstituatur in numerata pecunia, vt est textus irrefragabilis in §. *item pretium.* [a] Potest autē solui in alia re, quam in numerata pecunia, quod quotidie fit iure quidem per l. *pretij.* [b] cuius summaria tā Saliceti, quam Baldi, habent in effectu, quod contractus emptionis nō irritatur, nec desinit esse talis, eo quòd solutio fiat in pecoribus, vel alia re, quam numerata pecunia: & glossa ipsius respondens ad dictum §. *item pretium,* [c] sic ait, *potest autem solui in alia re, quam in numerata pecunia.* quod quotidie fit, & iure quidem, per dictā l. *pretij.* in hoc clarissimam, quæ habet pretium debere constitui in numerata pecunia quo ad conuentionem, sed non quo ad solutionem, quæ volenti venditori potest fieri in alia re: quod ipsum paulo latius dicunt ibi Baldus, & Salicetus & Angel. [d] vbi Iasō [e] id admonuit, & totus orbis hoc seruat: quod non satis aduerterunt quidam doctiss. Theologi, qui nullam differentiam constituerunt inter conuentionem de pretio, & solutionem eius; cum tamē de essentia, & substātia, & forma emptionis sit, vt pretium cōstituatur in numerata pecunia, de accidentali vero, & voluntaria, vt solutio fiat in illa, vel alia re, quæ creditori placuerit. Tum denique, quod præfatæ extrauagantes Pontificū non damnant emptiones censuum aliter, quàm ibi dicitur vt fiant, initas, sed solùm approbant illas, de quibus fuerunt prædicti Papæ consulti, vt palam est, ideo videntur reliquisse alias, quæ secundum naturam iustæ emptionis erant licitæ, in suo bono statu. At emptio census constituto pretio in pecunia numerata, soluto etiam ante in aliis rebus æstimatis illa quantitate, est iusta, immo iustior eo respectu, quo venditor maiore tempore fruitur pretio; ergo, &c. Ob quæ arbitror hanc partem esse veriorem. Salua quæ iustior fuerit sententia.

a *Institut. de empt.*

b *C. de rescinden. vendit.*

c *Institut. de empt.*

d *In d. §. item pretium.*

e *In addit. ad Portium.*

*SVMMARIVM.*

1 *Vendens rem certo pretio conuertendo in annuos census, si relinquat illud penes emptorem obligantem se pro rata retēti pretij dictum censum soluere, committit vsuram, nisi aliūde excusetur.*

2 *Emptor rei emptæ fructus percipiens etiam antequam pretiū persoluat, non tenetur ad vsuras pretij non soluti de iure canonico; post moram autem tenetur ratione fructuum perceptorum.*

## CONSILIVM XIIII.

QVidam vendidit domum alteri, pacto interposito vt de pretio emeretur annuus census ad rationem decem vel nouem pro centenario, soluta pretij parte reliquam partem emptor retinuit, promittens venditori se pro retento pretio soluturum pręfatam census rationem. venditori id placuit. Quæritur quid iuris.

1 Respondeo primò, quod casus propositus duos contractus continet, quorum prior est emptionis, & posterior promissio emptoris de soluendo censum pro parte pretij, quod debeat ad rationem decem, vel nouem pro centum.

De posteriore autem, an sit vsurarius, videtur esse magnæ quæstionis. Pro parte namque negāte facit l. *curabit.* [f] quatenus secundum Baldum & Salicetum habet, quod emptor qui percepit fructus rei emptæ tenetur ad vsuras pretij non soluti. Secundo, quòd accipere vsuram, seu aliquid vltra sortem pro interesse, etiam lucri cessantis, licitum est, iuxta glossam receptam, [g] & in casu proposito videntur capi illa nouem, vel decem annua pro interesse lucri cessantis.

Pro parte verò affirmante facit primo, ꝙ de æquipollentibus idem est iudicium, [h] & quod æquipollere videntur hæc duo, emere prædium centum, & solutis decem, retinere nonaginta, soluendo nouem annua, donec illa nonaginta soluat; & accipere ab alio mutuo nonaginta; & soluere nouem annua, donec illa nonaginta reddat. At palam est hoc posterius esse vsurarium, ergo & prius est tale. Secundo, quod accipere aliquid pro dilatione solutionis, est vsurarium, vt probat prædictū c. *consuluit.* & nos post alios tradimus latius in comment. de vsur. [i] & in casu

f *C. de actionibus empti.*

g *In cap. conquestus. de vsur.*

h *Leg. fin. ff. mand.*

i *Ca. si fœneraueris. 14. q. 3. à n. 3. in 26.*

proposito

proposito venditor accipit aliquid vltra sortem principalem ab emptore, eo quòd dat ei dilationem constituendi censum annuum pro parte pretij non soluti: ergo vsuram admittit.

2 Non obstant opposita: non primum: quia illa l. *curabit* vel non est seruanda iure canonico, vel est intelligenda de interesse fructuum, quos percipit emptor post moram nõdum soluto pretio. Ad secundum respondetur concedendo, quod licet accipere aliquid vltra sortem pro interesse etiam lucri cessantis, negando tamen, quod in casu proposito dicatur capi pro illo: nulla enim fit mentio de domo empta, an esset frugifera, an esset locabilis, nec quanti posset locari, neque an inueniretur census emendus, nec alia quæ requiruntur ad capiendum interesse lucri cessantis, attamen promittitur certum lucrum annuum. Quare mea sententia is contractus posterior, prout proponitur, vsurarius est. Salua saniori sententia.

SVMMARIVM.

1 *Mercator qui plura exercuit mercimonia, quæ vix sine fraude exerceri possunt, reputet apud se, vt potest, omnia, & verisimilẽ quantitatem damni restituat, & primo certa certis, deinde incerta pauperibus.*

2 *Mutuans frumentum sibi restituendum post messem, modo non obliget mutuatarium ad reddendum melius, non peccat, licet speret quod ei reddatur nouum melius, & magis aptum vt conseruetur.*

3 *Societas contracta ad lucrum & damnum, cum pacto quod liceret ponenti operam loco fructuum seu lucri soluere certum interesse, licita est, modo ponens pecunias ita illas posuerit, vt starent eius periculo.*

4 *Gabellam fraudantes, & sub nomine suo permittentes fraudari, an obligentur restituere remissiue.*

5 *Census ante Piũ V. partim pecunia, partim aliis bonis certo pretio æstimatis emebantur.*

6 *Pœna restituendæ sortis in casu moræ soluendi censum ante bullã Pij V. apponi, & peti poterat.*

7 *Emens rem tamquam suppositam alicui censui, de quo tamen an iure subsistat dubitatur, non potest propria auctoritate spoliare existentem in possessione exigendi, potest tamen velle, vt de illius iustitia agatur, nisi vendens in venditione rem dicto oneri supposuisset.*

8 *Pretium census redimibilis incertum, irredimibilis verò videntur esse viginti pro vno.*

9 *Societate finita, ob moram soluendi sortem nihil capiendum, nisi damnum quod ei inde prouenit.*

10 *Societas officiorum cùm reuocatur, possunt fructus decursi conuerti in sortem, & augeri societas.*

11 *Societas super officio non potest iniri vltra valorem officij: & capere fructus ex re quæ non parit, est contra ius naturæ, nec tolerantia Papæ, quæ est solùm permissiua, & non approbatiua excusat.*

12 *Vendens vineam tamquam liberam ei qui scit eam non esse talẽ, coram Deo non tenetur de euictione.*

13 *Vendi non potest res, dilata solutione in certum tempus, plusquã nunc valeat, nisi quando vendens erat rem in dictum tempus seruaturus, dubitaturq́; an illo tempore res sit pluris vel minoris valitura. & nu. 14.*

## CONSILIVM XV.

PRimum dubium est. Quidam, qui lõgo tempore exercuit nonnulla mercimonia diuersi generis, cùm tamen omnia mercimoniorum genera vix sine peccato exerceri possent, & propterea ipse potuit acquisiuisse aliqua illicitè, nescit tamen quantitatem. Pro illorum emendatione quid agendum est, vt suæ conscientiæ consulatur?

Secundum. Est solitũ in quodam loco, quando mutuantur frumenta, quod mutuo recipientes, quando illa restituunt, reddant meliora, si licet recipere dictam meliorationem?

Tertium. Fuit contracta societas super mercimoniis cũ pacto inter socios de stando lucro, & damno, vel quòd illi qui recipiebant pecunias, soluerent certũ interesse cõuetũ illi, qui pecunias dabat, & dicti socij soluerũt illi interesse licet non tantùm, quantùm conuenerant, asserentes se velle etiã pro maiori eorum commodo magis de interesse soluere, quam reddere computa, & rationes dictæ societatis. Dubitatur, si licuit recipere dictum interesse.

Quartum. Fraus gabellæ aliquando facta est pro bonis fraudantis, & etiam, ab aliis sub nomine illius, absque eo tamen, quod ipse participaret de aliquo lucro: propter dictam fraudem, si tenetur ad restitutionẽ aliquã, & cui?

Quintum. Census iniri & constitui solebant ante constitutionem Pij V. partim cum pretio, partim verò mediantibus bonis stabilibus æstimatis ab ipsis partibus: si liciti sunt?

Sextum. Ante dictam constitutionem Pij V. census fiebant cum multis pactis, & inter alia, quod in casu morositatis non soluẽtis dictum annuum censum, possit ille cõpelli ad restitutionem sortis principalis. An vigore dicti pacti compelli potuerunt censuarij ad restitutionem dictæ sortis principalis, propter quod natæ sunt lites, & dãna? an eorum ratio habenda sit, & quæ?

Septimum. Domus empta fuit cum onere certi census; sed dubitauit emptor dictæ domus, quod huiusmodi census esset indebitus, & vsurpatus super dicta domo, & propterea illum recusauit soluere, nisi ostenderetur quod dicta domus esset dicto censui obligata. Si licet?

Octauum. Item si ante constitutionem Pij V. fuit licita exactio census ad 10. pro 100. & etiam post dictam constitutionem?

Nonum. Initis societatibus super officiis, illisque extinctis, si licuit recipere eosdem fructus, aut aliquod vtile, facta omni diligentia de recuperanda sorte principali, quam debitor morosus non soluit; & aliquando non est facta tanta diligentia, quanta potuit: si debẽtur dicti fructus post disdictam, & quanti?

Decimum. Quandoque dictæ societates renouantur, in quibus connumerantur fructus, & interesse decursi illa disdicta. An sit licitum?

Vndecimum. Fiunt societates super officiis: super quibus dantur pecuniæ cum participatione fructuum dictorum officiorum, ad rationem 11. & 12. pro 100. super periculo vitæ ipsius dantis, vel alterius nominati, & dictę societates fiũt ad certum tempus duraturę: & vt plurimum conueniunt officiales, qui habent eorum officia quasi locatitia pro similibus societatibus faciendis, & pro diuersis etiam innumeris aliis societatibus obligata longè vltra quam valeãt dicta officia, & longè plus quam fructus reddant, vt recognoscant bonam fidem: & currunt dictæ societates periculo vitæ eius, qui dat pecunias. An liceat, stante etiam licentia, & tolerantia Papę?

Duodecimum. Est vendita vinea ad instantiam vnius creditoris per viam Curię, & cum onere certę responsionis: emptor dictę vineę quęrebat vendere alteri, & cedere iuri, & iste alter sciebat de dicto onere responsionis: quæ tamen venditio: seu cessio effectu caruit, & ideo ad instantiam eiusdẽ creditoris fuit de nouo dicta res subhastata, & vendita cum assertione, quod res vendebatur libera pro quanto intelligebatur, & quod emptor de eo se informaret: vnde ille, qui volebat primo emere ab illo primo emptore, emit vigore istius venditionis secũdę, & subhastationis factę ab illo creditore, seu iudice ad illi⁹ instantiam vendentis, & super vinea fuit detectum postea onus; propter quod ille, qui vendidit: cogitur cauere de euictione ex eo, quòd in secunda venditione expressit dictam vineam esse liberam, vbi tamen prius dixit esse grauatam. Queritur, an in foro cõscientiæ dictus emptor teneatur, ex quo de dicta responsione habuit notitiam ante dictam secundam venditionem factam.

Decimumtertium. An sit licitum vendere rem maiori pretio ad tempus, quam quod tunc in pecunia numerata vendi possit, propter dilatam dilationem temporis; & si non licet, an debeat haberi aliqua ratio dicti pretij propter dilatam dilationem?

Decimumquartum: & si venditur frumentum, aut vinũ pro pretio, quo communiter tali tempore valebit, & pecuniam exiget; an liceat?

1 Ad primam quæstionem respondeo, quod is, qui varia mercimonia exercuit, debet secũ reputare vsque ad quãtam quãtitatem verisimilem proximis nocuit; & si potest meminisse quantum aliquibus certis personis nocuerit; restituet eisdem.[a] & si non potest ad memoriam reuocare quantùm aliquibus certis personis nocuerit, vel memi-

a *Arg. ca. et te. de iureiur.*

nerit, quòd multis aliis nocuit, sed non recordatur, debet bona fide reputare quãtùm plus, vel minùs potuit nocuisse eo modo, vt restituere teneatur, & restituere illud pauperibus, vel impẽdere in alia opera pia, iuxta tex. & gloss.[a]

2 AD SECVNDAM, quod si expressè, vel tacitè conueniatur, vel consuetudo habeat, quod mutuatarius reddat melius frumentum, quàm accepit, peccat mutuans, & tenetur restituere illud plus, quod accepit, [b] sed si non fiat conuentio, nec consuetudo obligat ad reddendũ melius, sed contingit, quod cùm teneatur reddere idẽ in specie, reddit melius frumẽtum, eo quod est sanius, vel nouius ad conseruandum aptius, non peccat accipiendo, nec tenetur restituere, etiam si minus principaliter motus fuerit ad mutuandum frumentum, quod reciperet melius: ea tamen mente, quod contentus foret restitutione frumenti æquè boni, nec peteret amplius, neque conquereretur: quoniam spes illa minus principalis non facit mutuum vsurarium, iuxta glo. receptam.[c]

3 AD TERTIAM respõdeo, quod, si supradicta societas erat vera, ita quod capitale non manebat saluũ conferenti pecuniam, immo si perderetur, periret illi, & non aliis sociis, satis licita esset, si autem capitale, seu sors principalis debeat salua reddi conferenti, non esset licita, per ea quæ nos post alios scribimus in Man.[d]

4 AD QVARTAM respõdeo primo, quod eius decisio pendet à decisione illius grauissimæ quæstionis, An gabella possit salua conscientia fraudari ab eo, qui se subiicit pœnæ impositæ fraudanti, si damnatus fuerit in foro exteriori. Secundo, quod ad eius decisionem præmisimus, & considerauimus altiora, & plura, quã qui ante nos eam tractarunt, in dicto Man.[e] ex quibus diligens lector poterit colligere vtriusque decisionem, quamuis ea non sine causa ibi est obnubilata.

5 AD QVINTAM respondeo, quòd census impositi ante extrauagantem Pij V. non desinunt esse liciti, propterea quòd pars pretij fuisset soluta in pecunia numerata, & pars in aliis iustè æstimatis, si alia necessaria fuerunt seruata: quoniam ante illam pretium census poterat solui in aliis bonis, quàm pecunia numerata, immo & remittendo debitum à venditore soluendum emptori, cũ finis extrauag. prædictæ habeat non esse illi locum in censibus ante illam constitutis, vt per eius tenorem patet.

6 AD SEXTAM respondeo, quod ante prædictam Pij V. constitutionem iustè poterat apponi pœna restitutionis sortis in casu contractæ moræ soluendi censum: & ita peti potuit & potest restitutio prædictæ sortis post cõtractam moram, immo & impensę & damna ob illam litẽ consequuta deberentur à tali moroso, eo modo quo in aliis litibus debentur ab iniusto litigante, per notata in c. *finem litibus*.[f]

7 AD SEPTIMAM respondeo primò, quod, si ille, cui deberi censum in instrumento emptionis dicitur, est in possessione accipiendi censum, non licet negare illius solutionem: quia esset priuare ipsum auctoritate propria, quod non licet.[g] Secundo, quod, si non esset in possessione percipiẽdi illum, nec spoliatus ab ea, nec fuit mens vẽditoris obligare ementem ad plusquam ipse debebat, põderanda essent verba instrumenti, an per ea satis probaretur census ille esse impositus contra ementem, & si satis probaretur, non liceret negare, & si non probaretur satis, posset negare solutionem: quia possessor in dubio non tenetur id quod possidet indiscussum dimittere.[h]

8 AD OCTAVAM respondeo, quod Pius V. non statuit quantitatem pretij dandi pro censu, & ita non est definitum quod sit iustum pretium census redimibilis, licet pro censu irredimibili videatur dari debere ad rationẽ 20. pro vno, [i] & ita secundũ varias terras varium est pretium census redimibilis, vt nos latius diximus in commẽtario prædictæ extrauagantis.

9 AD NONAM respondeo, quòd non videtur licere socio conferenti pecuniam, capere aliquid vltra sortem post disdictam, siue post recessum à societate, pro tempore post illum recessum currente: quia iam cessat societas, & periculũ perdendi sortẽ, ratione quorum poterat accipere aliquid vltra sortẽ: & caussa cessante cessat effectus.[k] Nec obstat, quod socius sit in mora soluendi. Tum quia mora

a Ca. cum tu. de vsuris.
b Arg. c. 1. & 2. 14. q. 3.
c In cap. consuluit. de vsur.
d Ca. 17. nu. 251.
e Ca. 17. à n. 202.
f De dolo & contum. & in toto tit. de calumni. & C. de pœna temere litig.
g Toto tit. de restit spoliat. in le. si dederit. ff. de iudi.
h Le. illud. ff. de petitione hæred.
i Argu. gloss. communiter recepta in auth. perpetua. C. de sacrosanct. eccl.
k Ca. cũ cessante. de appell.

non reddendi mutuum non inducit ius petendi aliquid vltra sortem.[a] Tum quia per aliam actionem, vel officiũ iudicis poterit recuperare damna, vel impensas. Tenetur tamen vltra sortem reddere damnum, quod dedit, eo modo, quo singulariter ait S. Thomas receptus, [b] quem in alio consilio referimus.

10 AD DECIMAM respondeo primo, quod non satis intelligo quæstionem. Secundo, quod si mens quærentis est, an liceat post disdictam renouare societatem, & quod quantitas ad quam ascendunt fructus quæsiti ex priori societate, ponatur in societate: Respondeo, quod non video cur non liceat, cùm liceret ei pecuniã ex priori societate extractam cum reliqua lucrifacta ponere in societate penes alium.[c]

11 AD VNDECIMAM respõdeo; quòd contra ius naturale videtur, vt contrahatur societas super lucro officij, quod sperat officialis, vltra valorem, quem valet ipsi officiali officium suum, super cuius fructibus contrahitur societas, per ea quæ post D. Thomam & alios, nos quoq; tenuimus in c. *si fœneraueris*. [d] dũ ea ratione probamus iure naturali prohiberi vsuram; eo quod ex re quæ non parit quæritur partus: & tolerãtia Papæ, qui solum permittit, & non approbat actum, non facit eum licitum, iuxta glossam celebrem, [e] & licet periculum mortis possit iustificare contractum donationis, vel alium de se licitum, factum cum conditione, vt dans pecuniam perdat illam, si moriatur intra illud, aut illud tempus; nõ tamen potest iustificare contractum de se illicitum, qualis est societas super re infructuosa.[f]

12 AD DVODECIMAM respondeo, quod in ei[9] propositionis linea penultima videtur positum verbum, *emptor*, pro verbo, *venditor*. Secundo, quod in casu proposito venditor non tenetur in foro conscientiæ ipsi emptori pro responsione, quia emptor sciebat illam deberi à vendente vineam.[g]

13 AD DECIMAMTERTIAM respondeo, quod qui vendit rẽm carius iusto pretio propter dilationem datam ad soluendum; admittit peccatum vsuræ, nisi dubium esset, an res vendita pluris valitura sit tempore solutionis, & venditor seruaturus esset illam vsque ad illud tempus, iuxta c. *in ciuitate*. [h] vt nos declaramus in dicto Manual.[i]

14 AD DECIMAMQVARTAM respondeo, quod licet vendere rem pluris, quàm valeat tempore vẽditionis, dilata solutione, concurrentibus duobus: alterũ, quod ipse venditor volebat seruare rem vendendam vsque ad tempus solutionis faciendæ: alterum, quod esset dubium, an tẽpore solutionis valeret illa res plus, vel minus, quam pretium constitutum. casus est in d. ca. fi.[k] & resolutio communis in d. c. *in ciuitate*. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Census, empti pretium debet solui in pecunia numerata.*

1 *Census impositio, cum pacto vt etiam re censuaria perempta solui debeat: vel ne illa alienari poßit, vel ea alienata cẽsuarius non soluente emptore cẽsum soluere teneatur, & non soluendo puniatur, vsuraria iudicanda, & ad formam bullæ Pij V. reducenda. num. 2.*

## CONSILIVM XVI.

D. GASPAR debebat Augustino quamdam pecuniæ summam, & anno 1568. mense Maij conuenerunt inter se, vt Gaspar venderet ei censum redimibilem super sua domo, ad rationem octo pro centum, cum pactis, & conditionibus, vt Gaspar teneatur illum soluere, etiam quomodocumque pereat domus ipsa, & quod non possit illam vendere in præiudicium Augustini; & quod in casu venditionis, si emptor non soluerit censum, remaneat Gaspar obligatus ad illum soluendum: & quod non soluens tempore stato, incurrat talem pœnam. Quæritur an huiusmodi contractus sit validus.

Respondetur primò, agere me gratias DD. consulentibus, quod meo dignantur stare iudicio, quod vt è vultu Dei prodeat, oro ipsum omnipotentissimum & maximũ.

Secundò, quòd fæl. recor. Pius V. edidit extrauag. cuius initium est, *Cum onus*, circiter duobus mensibus antequã fieret is, de quo quæritur, contractus censiticus: per quam

a Ca. consuluit. de vsuris.
b In 2. 2. qu. 62. art. 4.
c Arg. l. illud. ff. ad l. Aquil.
d 14. q. 3.
e Cap. denique. 4. dist.
f Arg. c. cum Paulus. 1. q. 1.
g Per le. 2. §. venditor. sub fin. ff. de actio. empt.
h Iuncto cap. fin. de vsur.
i Cap. 17. nu. 206. & 210.
k De vsur.

determinauit

determinauit omnem contractum censiticum aliter, vel in alia forma factum, præsumẽdum esse fœneratitiũ. Et quod is contractus non fuit factus secundum illius formam. Primò quidẽ, quia pretium cẽsus per eum impositi, & venditi D. Gaspari prædicto à D. Augustino non fuit solutum in pecunia numerata: quia pro eius pretio fuerunt accepta in solutum multa, quæ debebat Augustinus ipsi Gaspari, vt in eodẽ contractu expresse dicitur: & præfata extrau. statuit ne aliter vllus census constitui possit. Secundo, quod per contractum prædictus Augustinus venditor census obligat se ad eum soluendum, quomodocumque etiam casu fortuito res ipsa immobilis, super qua imponitur census, pereat, quod est expresse contra prędictam extrauagãtem. Tertio, quod per hũc contractum conuenerunt partes, ne bona, super quibus imponebatur census, vllatenus vendi vel alienari possent, quod prædicta extrauagans prohibet fieri. Nec prædicti contrahentes videntur excusari posse allegando, quod nõ fuit prohibita simpliciter omnis alienatio, sed tantùm illa quæ fieret in præiudiciũ census impositi. Tum quia vix fieri potest, vt illa sine præiudicio aliquo fieri queat, si res satis introspiciatur, cùm persona, quę solutura est censum, mutetur, & ipse opponere possit aliquas exceptiones perẽptorias, vel dilatorias, quas nõ opposuisset, nec potuisset opponere impositor & vẽditor ei⁹. Tũ quia videtur emptori cẽsus tolli ius pręferendi se in emẽdo illam rem pro eodẽ pretio, quod extrauagans prędicta illi concedit. Quarto, quod prædictus Augustinus remansit obligatus ad soluendum censum, si is in quem res censui supposita alienaretur non solueret illum, quod est contra prædictam extrauag. vel mentem conditoris eius, qui voluit, ne qui imposuit censum, si vẽderet bona super quibus poneretur ille, solueret amplius illum. Quintò, ꝙ per hunc contractum remansit præfatus Augustinus obligatus ad soluendum censum, etiam re supposita illi perempta: & extrauag. prædicta statuit, vt re etiam pro parte pereunte pars quoque census periret. Sextò, quòd extrauagans prędicta præcipit, ne vllam pœnã ipso iure incurrat venditor census, eo quod non soluat tempore statuto: & per hunc contractum imponitur pœna grauissima perdendi ipso iure multa, vt ex ipso apparet.

Tertio principaliter respondeo, quod ex prædictis infertur præfatos DD. consulentes rectè facturos, si prædictũ contractum in iuridicam formam reformauerint, antequã iudex vllus contra illos processerit, imponendo eis crimen vsuræ. Tum quia etiam iure communi antiquiore prędicta extrauag. malè contraxerunt ponendo secundam, tertiam, & quartam conditiones, vt satis colligitur ex his quæ scribimus in commentario de vsuris,[a] vbi ponimus prædictã extrauag. multis glossis & quæstionibus ornatã. Salua, &c.

a *Super ca. si fœnerauerís. 14. q. 3. à nu. 69. & notab. 22. vsque in finem.*

SVMMARIVM.

1 *Census redimibilis positus super re immobili, cum pacto, quod si incapax inueniatur, censeatur positus ad electionem emptoris super omnibus bonis constituentis, est contrarius extrauag. Pij V. & illius menti, & etiam contra iura probibentia vsuram palliatam. nu. 2.*

## CONSILIVM XVII.

AN qui emit censum redimibilem cõstitutum super re immobili suis finibus designata, cum pacto, quod si inuenta fuerit incapax talis census, cẽseatur impositus generaliter super omnibus bonis constituentis ad electionẽ emptoris, sit cẽsendus vsurarius, extante maximè extrauagante Pij V.

1 Respõdeo primò, quod in terris, in quibus est recepta prædicta extrauag. de rigore iuris censendus est prædictus census positus contra illam, aut certè eius mentem, & in fraudem eius, quod idem est,[b] & in foro exteriori videtur iudicandus vsurarius, per ea quæ nos adnotauimus in commen. de vsur.[c]

Secundò, ꝙ punctus & iugulum huius quæstionis propositæ videtur esse, an hęc pręsumptio vsurariæ prauitatis, quam inducit prędictum pactum assecurationis, tollatur ex eo, quod priusquã illud adiiceretur, principaliter fuit constitutus census in re certa limitibus suis designata. Nã pro parte affirmante facit quòd non refert, quid de æquipollentibus fiat,[a] & quod adiectio prædicti pacti, quod si res immobilis super qua fuit constitutus census inueniretur incapax ad constituendum illum super ea, censeretur impositus super omnibus alijs bonis constituentis ad electionem emptoris, videtur æquipollere, & non plus operari, quam cautio, vel fideiussio, qua promitteretur habilitas & capacitas rei, super qua imponebatur census.

b *Ca. penult. de reg. iur. li. 6.*

c *Super d. extrauag. glo. 2. nu. 86. & in q. 25. 26. 27. 28. 29. & 46.*

a *Leg. fin. ff. mand.*

2 Sed pro contraria parte facit, quod nõ sunt illa æquipollentia. Tum quia longe maioris effectus est translatio census de vna re in aliam, pręsertim incertam, & eligendam ab emptore, quam sit cautio, vel fideiussio, qua promittitur assecuratio capacitatis rei, super qua census imponitur. Tum quia illa cautio non operatur plusquàm, cautio de euictione. Tum quia multò securior fit emptor census per illud; quàm per hoc, vt palam est. Tũ quia præstatio prædictæ cautionis non est contra mentem extrauag. quæ fuit facere participem periculi perdendi cẽsum emptorem; sicut emptor prædij participat periculi perdendi illud casu aliquo casmatis, belli, vel alius generalis perditionis: immo est secundum mentem eiusdem, quæ voluit, vt tamdiu securus esset census, quamdiu securum esset prædium, & non vltra. Tum quia per adiectionem prædicti pacti securitatis alteratur multùm & notabiliter modus constituendi censum: per quam alterationem fit, vt alio modo, quam ordinato per illam extrauagantem contrahatur census: & extrauagans prædicta expresse statuit, quòd contractus, per quem constituitur census alio modo, quàm per illam ordinato, censeatur vsurarius. Tum quia per adiectionem prædicti pacti videtur creari actio quædam personalis contra constituentẽ censum, ita quod possit ab eo peti census etiam perdita re, super qua fuit impositus, cùm tamen extrauagans solùm intendat, vt contrahatur actio realis contra possidẽtem rem censuariam, quicumque sit ille, & nõ contra vẽdentem illum, si res illa pereat, vel ipse desinat eam possidere: & nos probamus contra Sotum, & Couarruuiam, non posse constitui censum super persona, ita vt actio personalis nascatur contra constituentem illum. Tum denique quòd per adiectionem huiusmodi pacti aperiretur via facilis ad exercẽdas vsuras: quoniam ferè tam facile inueniet quis emptorem census cum huiusmodi pactione, ac inueniret mutuantem sub vsuris, si id facere liceret; & quasi tam securè posset quis emere censum cũ hac pactione, ac mutuando pro vsura sine illo pacto. Per quæ omnia proculdubio puto huiusmodi contractum esse contra prędictam extrauagantem & mentem eius, immo etiam contra ipsa iura communia, non solùm vetantia vsuram formalem, quæ fit mutuo formali, sed etiam virtualem, siue tacitam, quæ illi æquipollet, iuxta ca. *in ciuitate.*[b]

b *De vsuris, & c. illo vos. de pignorib. & ca. ad nostram empti.*

SVMMARIVM.

1 *Census emptio non vitiatur, eo quod nulla habeatur ratio valoris rei super qua imponitur, modo sit immobilis, valens quotannis tantam vel maiorem quantitatem redituum, quam est census impositus: eius vero pretium non est determinatum iure, sed varium pro diuersitate regionis. nu. 2. poteslque conueniri vt detur fideiussor quod census potuit super dicta re imponi, sicut secundum morem regionis à venditore rerum pręstari solet cautio de euictione, cui hæc similis est, num. 3. sed non quod census statuto tempore soluetur. num. 5. nec potest cõueniri vt soluatur ante finẽ anni, nisi ibi sit mos quod pensiones ante soluantur. nu. 4.*

## CONSILIVM XVIII.

QVAERITVR, an emptioni census annui perpetui sexdecim pro 200. possit adiici fideiussor de soluendo censu termino stato, & quod vendens potuit imponere illum prædio censuario: nulla consideratione particulari habita de valore prędij, super quo imponitur cẽsus, & quòd dimidiũ census, soluatur singulo semestri.

1 Respondeo primo, quod nullo iure cõmuni, nec nouo extrauaganti Pij V. est necessaria inquisitio de valore prędij censuarij; sed satis est, quod illud sit res immobilis, & quod verè reddere possit quotãnis tantam vel maiorẽ quantitatẽ redituum, quàm sit census impositus ei, per ea quæ nos addimus illi extrauaganti.[c]

c *In eius commenta. quem facimus in tract. de vsu. super c. 1. 14. q. 3.*

2 Secũdo, quòd nullo iure antiquo, nec nouo illius ex-

trauagantis definitur iustũ pretiũ census annui, quod secundum varietatem regionum varium esse,[a] ostendimus, testando, quod in Aragonia centum soluuntur pro quinque,& in Nauarra sex,& in Castella pro septem centum,& aliquando amplius, & in aliquot partibus Galliæ pro decem,& etiã in Germania, vt significant extrauagant.[b] & in Vrbe vidimus solui pro nouẽ: & ita si mos illius regionis habet,vt octo emantur per centum, iustum reputabitur pretium.

3 Tertio, quod arbitror iustè posse dari fideiussorem à venditore, quod potuit vendere illum,& quod est benè impositus. Tum quia de natura venditionis est vt vẽditor teneatur de euictione,& non videtur voluisse auctor eius tollere illa,quæ sunt emptioni naturalia,qualis est euictio, iuxta tex.adiuncta glo.[c] Tum quia secundum morem regionis,in qua contrahitur,est danda cautio de euictione.[d] Tum quia expresio eius,quod tacitè inest,nihil nocet,[e] & in emptione venditor tenetur tacitè de euictione, vt prædictum est.

4 Quarto,quod nullo iure antiquo,nec nouo extrauag. prædictæ præscribitur tempus, quo census huiusmodi debeat solui: sed videtur quod est soluendus tempore quo pensio:illa vero soluenda est tempore,quo inter partes cõuenit, secundum gloss. recept.[f] & si nihil conuenit, more regionis,secundum eamdem gloss.& Bart.[g] & si nec vllus mos regionis est,in fine anni,secundum eamdem gloss. & Bart. Quibus videtur consequens,quod si dimidium pensionis est soluendum in fine semestris,& consequenter dimidium census est soluendum in eo, potest adiici pactum de soluendo dimidium census in fine semestris. Sed dubiũ est,an partes conuenire possint, vt huiusmodi census soluatur priusquam mos regionis habeat.& puto quòd non: quia per præfatam extrauag.vetantur omnia pacta,quibus venditor census grauatur vltra ius cõmune. At iure communi,si nihil actum est,nec more regionis aliud statuitur, census videtur soluendus in fine anni, vt pensio soluenda est,per supradicta. ergo videtur grauari venditor per pactum de soluendo dimidio in fine semestris.

5 Quinto,quod datio fideiussoris de soluendo censu tẽpore debito videtur esse aliquod grauamen venditori cẽsus,qui nullo iure communi tenetur ad dandum illum fideiussorem:cui videtur consequens, tale pactum nõ posse adiici, quia videtur esse contra præfatam extrauagantem Salua.&c.

a In d.comm.

b 1.& 2. De emptio.

c In le. pacta conuenta. ff. de contrahẽ. empt. & in l. 1.de euictio.

d L. si fund⁹. ff.de euict.

e Leg. 3.ff.de leg.1.c. significasti.de electio.

f L.ædem.C. de locat.

g Ibidem.

*SVMMARIVM.*

1 *Census si ematur cum pacto vt soluatur liber ab onere & gabella,quæ de iure ad emptorem spectat, vel vt soluatur secundum formã obligationis Cameralis, est contra extrauagantẽ Pij V.*

2 *Generale pactum, & mandatum intelligendum de iis quæ licitè fieri possunt,& ita vt excludat delictum.*

## CONSILIVM XIX.

AN cẽsus constitutus super aliquo prædio certo, & finibus rectè designato,cum conditione vt soluatur liber ab omni onere, impositione, gabella, & vectigali, sit contra formam extrauagantis Pij V.

1 Respõdeo primò, quod si contrahentes intellexerunt de libertate ab onere soluendi impositionem,& gabellas, seu vectigalia, quæ iure communi deberẽt per emptorem adimpleri, est contra formam extrauagantis Pij V. Tum quia per prædictã extrauag.vetantur pacta,per quæ vẽditor census obligatur ad aliquid,ad quod iure communi nõ tenetur,præterquam ad solutionem census: & per prædictam conuentionem obligatur venditor ad soluẽdum impositioné,gabellas,& vectigalia,quæ soluere deberet emptor. Tum quia venditio census cum obligatione ad soluendum illum in forma Cameræ non valet, vt tradimus nos in comm.de vsuris.[h]

Secundò,quòd si contrahentes intellexerunt de libertate in soluendis oneribus, quæ deberet venditor census propter prædium,super quo vẽdebat illum,vel ob aliquid aliud,non est contra formam,neque mentem extrauagantis prædictæ:quia per illud pactum non obligatur ipse ad aliud,quàm ad id,ad quod iure tenetur.

2 Tertiò,quòd in dubio videtur præsumendũ eos intellexisse secũdo mõ:quia ĩ dubio nõ est præsumẽdũ delictũ.[i] Tum quia mandatum generale ad aliquid faciendum,est intelligendum de eo,quod potest fieri licitè, & nõ est extendendum ad id,quod potest illicitè fieri.[a]

h q. 21. super prædictã extrau.nu.116.

i Ca.1.de regul.iur.& le. merito.ff.pro socio.

a L. si procurator. ff. de cond.indeb c. 1. de iureiur. lib.6. cum similib.

*SVMMARIVM.*

1 *Vsura nõ est, si do tibi irreuocabiliter scuta ducenta,vt certũ quid annuum mihi quoad vixero, des;quia nõ est mutuum, sine quo non est vsura.*

2 *Aequalitas dati & recepti requiritur etiam in contractibus innominatis,do vt des vel facias:at in sponsionibus non ita exactè requiritur.num.3.*

4 *Annua præstatio vitalitia,ad hoc vt sit iusta,debet ita computari,vt tot præstationes annuæ,quot præsumitur vitam duraturã, computato etiam periculo quod citius forte morietur,æquipolleant ei pro dicta præstatione recipitur.*

## CONSILIVM XX.

DEDIT Maria ætatis 50.annorum,& post lõgas infirmitates valetudinaria,ducatos 200. sub conditione tamen,quòd dictæ Mariæ,vel fratri suo,qui tunc 60.erat annorum,tot mensuras vini, & tot aliarum rerum annis singulis, & ad eorum vitã tantum donare teneretur, & post obitum prędictorum recipiens dominus absolutè, & absque vllo onere maneret. Quæritur, an huiusmodi contractus sit licitus.

Respõdeo primò, multùm lucis afferre potuisse huiusmodi pactionis tenorem scriptum; quia talibus verbis posset esse conceptus,vt iudicaretur emptio:& talibus;vt iudicaretur donatio sub certo modo & onere facta; & talibus, vt esset contractus societatis; & talibus, quod esset contractus innominatus,do vt des, vel do vt facias,vel sponsio dabo hæc,quot annis vixeris,si dederis mihi ducenta scuta. Secundo,quod attenta sola serie verborum,quibus quæstio proponitur,videtur esse contract⁹ innominatus do vt des,iuxta l.vltimam,[b] quamuis etiam posset dici quadamtenus do tibi hæc annis quibus vixeris,si dederis mihi ducenta scuta,iuxta tradit,in l. à Titio.[c]

1 Tertio,quod huiusmodi contractus nullatenus est vsurarius,quia nullum mutuum expressum, neque tacitum continet,sine quo nequit esse vsura;secundum omnes,[d] & tradimus nos in Manuali.[e]

2 Quarto, ꝙ is contractus si dicatur esse innominatus, do vt des,potest esse iniustus ea ratione,ꝙ inter 200.scuta data,& inter triticũ,vinũ,& alia danda nõ seruaretur æqualitas:quia in omni cõmutatione,siue sit ẽptio,siue per mutatio,siue do vt des,siue quæuis alia,seruãda est æqualitas valoris inter datũ & receptum,secundum receptam sententiam,quam pulchrè ponit Scotus,[f] quem post alios sequimur nos in Manuali.[g] Quinto, quod is contractus est iustus,& sanctus,si secundum æstimationem virorum prudentium tantùm valebant prædicta 200. scuta cum periculo mortis,quàm prędicta Maria & frater eius obire poterant,attenta sua ætate,quantum illa quæ erant danda,attenta facilitate liberationis,quæ poterat ei obuenire quocumque anno,mense,& die post accepta illa scuta.[h]

3 Sextò,quòd facilius iustificari posset, si reduceretur ad genus spõsionũ.arg. sponsionũ, quæ sępe fiũt de dãdis 100.pro 10.vel 20. si ille aut ille intra certũ tempus non moriatur, vel moriatur, vel si illud aut illud contingat, vel non,iuxta notata per Paulum,Alexandrum & alios.[i]

4 Septimò, quòd cùm in argumento quæstionis non proponatur quantum tritici, vini, & cæterarum rerum erat quotannis reddendum,non potest iudicari certo de iniustitia huius contractus, si reducatur ad contractum, do vt des:quare hoc prudentibus viris remittendum censeo:tametsi credam eum esse iustũ, eo quòd non erat soluendum tantùm pretium, quanti essent valitura omnia, quæ redderentur,sed quanti valitura erant annis quibus verisimiliter prædicta Maria,& frater eius victuri præsumerentur,& tanti minus,quanti ęstimandus esset euentus mortis, qui accidere potuisset statim,vel paulo post præstationem prædictorum scutorum.

Postea pro clariori notitia expresũ fuit,ꝙ valor annuus vini,tritici, &c. excedebat summã 30.scutorũ, & si haberetur ratio præsẽtis tẽporis,peruenirent ad summam 40.Et ab aliquibus aliis datæ fuerunt aliæ responsiones.

Prima. Nec ex hac parte apparet iniustitia, cum in hac

b ff. de cond. caus. dat. & le.naturalis. §.1.& leg. ob eã.ff.de præscrip.verb.

c ff.de verb. oblig.& in le. cùm ad præsens.ff. de rebus cred.

d In rub. de vsuris, & in 4.distinct.15.

e Ca. 17.nu. 206.

f 4. dist.15.q. 2.art.2.

g Cap.17.nu. 287.literaC. & fusius in c. fin. de vsu.à nu.11. & tribus seq.

h Arg.l.hæreditatũ. ff. ad l.Falcid.

i In l.à Titio. ff.de verb.oblig.& in d.l. cùm ad præsens.ff. de rebus cred.

ciuitate huiusmodi contractus innominati passim ob fertilitatem agrorum, & pecuniæ penuriam exerceantur. Quod verò facit difficultatem, & videtur nescio quid iniustitiæ insinuare, illud est, quod huiusmodi reddēda sint non tantùm in vita Mariæ, sed etiam fratris, ita vt hæc soluendi obligatio duret vtriusque vita durante. Quare sicut exactio ista 30. vel 40. scutorum annuorum pro 200. datis non iudicatur iniusta ob consuetudinem, & qualitatem regionis, ita & excusari posset ab iniustitia hæc ad duas vitas solutio propter ingrauescentem vtriusque ætatem, & ex omni parte iustus hic contractus censeretur.

Alia responsio. Contractus hic speciem habet census vitalitij, qui ex natura sua iustus est, & potest reddi iniustus ob inæqualitatem annuorum redituum, maximè cum in contractu ad duas vitas diminui debeant. Verum hoc constare poterit ex pecuniæ penuria, ex fertilitate agrorum, ex consuetudine vniuersali patriæ, ex qualitate & sanitatis, & ætatis eorum, pro quorum vita census instituitur. Quantum verò iudicare possum, inęqualitas & excessus in annuis reditibus esse videtur.

Alia. Talis contractus nullo iure cēsendus est illicitus, vt colligitur ex supradictis. Tota difficultas consistit in hoc, an in ijs, quæ pro 200. scutis soluuntur vino, tritico, &c. seruetur iustitia, & æqualitas. Hæc enim tantū videntur consideranda, cum ex his contractus huiusmodi innominatus, & pro duabus vitis reputetur iniustus. Excusant hanc, quæ forsan iudicaretur iniustitia, vt pro 200. soluerentur annua 30. & postea 40. ex penuria pecuniæ, & fertilitate agrorum & consuetudine vniuersali in illa ciuitate, & ob ingrauescentem vtriusque, scilicet M. & fratris ætatem, quæ si ita sint, nos etiam excusamus. Prima enim facie videtur maxima iniustitia, vt pro 200. soluātur quotannis modo 40. & præcipuè in duabus vitis. At si tanta esset penuria pecuniæ, tanta fertilitas agrorum, vniuersalis etiam consuetudo, vt nullum propter hoc scandalum oriatur, quæ omnia iudicio boni viri sunt relinquenda, certè dubitari non posset de iustitia talis contractus.

Alia. De prædicto contractu, quod non sit vsurarius, vt dicunt prædicti DD. patet ex definitione vsuræ, quæ est, cum quid accipitur vltra sortem.[a] Sed sic est, quod in hoc casu numquam repetitur sors, nec est spes vt repetatur, ergo non est vsurarius. An autem cōtineat iniustitiā, hoc nō potest certa lege determinari, sed vt post alios copiose in hac materia scribit Couarruuias [b] hoc totum pendet ex arbitrio boni viri, qui secundum qualitatē loci, & personarum, ad quarum vitam annuatim fit dicta annua solutio, rem iudicabit. & descendēdo ad particulare, Oldrad.[c] approbauit similem contractum, in quo soluebatur ad rationem vltra 16. pro 100. adiecto pacto, vt si is, super cuius vita soluebatur annua prętatio, moreretur intra bienniū, dimidium capitalis restitueretur suis hæredibus. Vnde licet hæc præstatio sit ad vitam duorum, Oldradi autem contractus esset ad vitam vnius solum Episcopi, attamen hæc qualitas duarum personarum videtur compensanda cum pacto de recuperando capitali modo prædicto, maximè cum vterque esset senex. Præterea, etsi vita hominis non sit certa, attamen Iurisconsultus in simili causa, scilicet legis Falcidiæ,[d] arbitratus est, homini. qui attigit annum 50. posse assignari annos 9. superuiuentiæ, ei autem qui excedit annum 50. posse assignari annos 7. sexagenario autem assignari annos 5. licet autem à dicta materia ad aliam materiam illatio nō sit necessaria, vt notat idem Couarruuias vbi supra, attamen non tollitur quin sit probabilis, & talis, quæ iudicantis animum possit mouere, & informare. Cum autem prędictus D. frater, cuius vita magis consideratur, quam M. quæ credebatur iam pedem in fouea habere, iam excederet annum 50. & forte 55. non video quæ sit iniustitia, si quis pro 200. scutis emat annuam pensionem ducatorum 32. ad septēnium, vel nouennium. Vtilius enim emisset ad rationem 10. vel etiam 8. pro centenario in perpetuum, quam emere ad rationem 16. pro 100. pro annis solum 7. vel 10. Immo credo, quod quilibet emptor potius daret scuta 16. pro 100. in vita sua, quam 10. in perpetuum. Ex quibus, & alijs similibus computationibus, credo quod possit dimitti dicta Maria in sua bona conscientia. Salua, &c.

a 14. q. 3. c. 1. cum seq.

b 3. p. resol. c. 9. nu. 7.

c Cons. 207. quod incipit, Vniuersis.

d In l. hæredi tatum. ff. ad l. Falcid.

## SVMMARIVM.

1 *Prohibitus non est censendus contractus, nisi lege prohibeatur.*

1 *Census annuus ante extrauagantem Pij V. poterat emi & constitui super omnibus bonis immobilibus, mobilibus, iuribus, & actionibus præsentibus, & futuris alicuius: maiorique subiacet periculo, & difficilioris est exactionis, quàm si imponeretur super vna sola re immobili. nu. 2. & 3. & quia Nicolaus V. pro regno Siciliæ hos contractus approbauit, modo adesset obligatio de retrouendendo, nu. 4. ac etiam consuetudo approbauit, nu. 5. nec est verum quod hic census non habeat fundamentum, seu rem super qua subsistat, nu 6. & 9. licétque extrauagantes Martini, & Calixti approbent census constitutos super rebus immobilibus nu. 7. non tamen reprobant aliter constitutos. nu. 10. secus est post extrauagantem Pij V. num. 6. qui non quidem declarando, sed de nouo constituendo decreuit vt solum super certis immobilibus rebus constitueretur. nu. 8.*

1 *Census annuus olim secundum aliquos etiam super persona constitui poterat, quod tamen auctori non placet.*

3 *Census si super pluribus rebus constituitur, hoc habet incommodi, quòd si res ipsæ ad plures perueniant hæredes vel successores, à pluribus erit exigendus per partes.*

6 *Accidēs nō potest esse sine subiecto & fundamēto aliquo. & n. 9.*

7 *Census creatus ante bullam Pij V. si reformetur post illam, illius dispositioni videtur subiacere, & hoc, quando à primo receditur, secus; si eidem inhærendo emptor aliquod onus remittat, vel aliquam gratiam faciat venditori. nu 11.*

## CONSILIVM XXI.

QIDAM de anno LXVII. emit censum constitutum super omnibus bonis immobilibus, & mobilibus, iuribus, & actionibus præsentibus & futuris ad rationem octo pro centū, & postea anno sequēti reduxit illum ad rationem septē pro centū, ratificando illū in reliquis.

Quæritur, an valuerit constitutio census, & eius emptio prima, & an valeat ratificatio.

1 AD QVÆSTIONEM respondeo affirmatiuè. Primò quidem, quòd nullo iure videtur prohiberi constitutio census, & emptio eius prædicta: & non est dicendum esse prohibitum aliquid sine lege prohibente.[a]

Secundò quòd Henricus in tractatu de contractibus[b] quem sequitur Dominicus Sotus[c] tenent quod census non solùm potest constitui super quibuscumque bonis, sed etiam super persona ipsa ipsiusmet vendentis, quamuis efficaciter id confutauerimus, quo ad ampliationem.

2 Tertio, quòd emptio census eo magis iustificatur, quo maiori periculo pretium illius subiicitur.[d] & quòd pretium census constituti super iuribus & actionibus maiori periculo videtur subiici, quàm pretium census constituti super aliqua re immobili, quæ firmior, & maioris durationis est, quā sint actiones & iura personalia, quę in dies & horas pereunt, & extinguuntur, vt palā est: ergo cōstitutio huius census nō debet iniusta, iudicari, eo ꝙ super rebus tā mobilibus & iuribus, quā immobilibus sit constitutus.

3 Quartò, quòd si potest constitui super vna re immobili tantùm, à fortiori videtur posse constitui super multis, & à fortiori super immobilibus & mobilibus, & alijs iuribus: quia emptio census eò iustior esse videtur, quò cæteris paribus ille minus tutus est, & minoris æstimationis, quia minorem speciem vsuræ habet. At census cōstitutus super pluribus rebus, eo minus tutus & minoris æstimationis est, quo super pluribus rebus constituitur: quia succedentibus multis in eis per cōtractus inter viuos vel vltimas voluntates, diuidetur census inter eos, & ita longè difficilius poterit recipi, & exigi à multis, quàm exigeretur ab vno, qui succederet in vno prædio, in quo solo ille fuisset constitutus. arg. eorū quę de incommoditate damnoque determinantur de solutione partis, & diuisione actionū inter multos hęredes, & multiplicatiōe debitorū.[e]

4 Quinto, quod Nicolaus Quintus ad petitionem Regis Aragonię & vtriusque Sicilię Alphonsi declarauit licitos esse cōtractus, per quos aliqui cōstituunt, & vendūt cēsus annuales super domibus, possessionibus & proprietatibus specialiter, vel etiā generaliter super omnibus bonis, reditibus, emolumētis, iuribus & rebus eorū, mediāte tamen instrumento publico gratiæ redimendi onera eorū, & in casu proposito eodē modo fuit cōstitutus census.

a Cap. consuluisti 2. qu 4. §. 1. in authē. de qualitate dot. coll. 2.

b Qu. 74. & 75.

c In tractatu de iustitia & iure li. 6. q. 5. art. 1.

d Argu. eorū quæ notātur in cap. fin. de vsur.

e In l. cum ij. §. causa. ff. de transact. & in l. tutor. & l. Lucius ff. de vsuris. & le. plane. ff fami liæ erciscundæ, cū ijs quæ glossa, eius in vers. minima, citat.

5 Sextò, quòd consuetudo, quæ non est contra legem naturalem, neque diuinam, si est præscripta tempore legitimo, seruanda est,[a] at consuetudo constituendi census super omnibus bonis generaliter, nullis expresis, est lõga & præscripta, quiaquamplurimi census inueniuntur constituti & empti à maximo tempore; non solùm in regnis Aragoniæ & Siciliæ, de quibus loquitur Nicolaus Quintus in dicta sua bulla, sed etiam in multis alijs regnis Hispaniæ, & Galliæ, immo & Romæ ante præfatam extrauagantem Pij Quinti, & prefata consuetudo non est contra ius naturale, neque diuinũ, quod colligitur necessario ex præfata bulla Nicolai Quinti, qua declarauit eã esse licitam in regnis Aragonię, Valẽtiæ, Cathalonię, & vtriusque Siciliæ citra & vltra Pharũ, qui eã nullatenus fecisset, nec facere potuisset, si fuisset cõtra ius naturale vel diuinum.[b]

6 At pro parte negante facit primò, quòd in casu proposito census non fuit constitutus super aliqua certa re immobili, vel quę pro immobili habetur, vt ex instrumento apparet. At prima conditio requisita ad hoc, vt census redimibilis, qualis est iste, constituatur, est vt constituatur super certa re immobili, vt traditur in summa Conciliorum, quam & eius auctorem citauimus in nostro comment. de vsur.[c] Secundo, quod fæl. record. Pius V. declarauit hanc conditionem esse necessariam in sua extrauagante cuius tenorem nos posuimus in Manuali.[d] Tertiò, quòd id videtur probare ratio illa, quam nos ibi pro hac parte formauimus, nempe quod accidens non potest esse sine substãtia, iuxta l. *si seruum.*[e] quatenus probat non entis non esse qualitatem. & facit, quod vbi fundamentum deest, ibi nihil ædificari potest,[f] & ita cũ census sit quoddam accidens, non potest esse sine aliquo subiecto.

7 Quarto, quod extrauagantes illæ duæ Martini & Calixti[g] non approbant omnes census redimibiles constitutos & emptos, sed tantùm illos, qui sunt constituti super rebus immobilibus in contractibus expresis, vt habet extrauagãs Martini Quinti: in casu autem proposito nulla bona fuerunt expressa. Quintò, quòd licet prima constitutio præfati census facta fuerit ante præfatam extrauagantem Pij Quinti editam anno 67. secunda tamen fuit facta post eã editã, anno scilicet 71. & ita licet valuerit prima, & consequenter debitus fuerit census trium vel quatuor annorũ, non tamen debetur aliorũ consecutorũ.

Non obstantibus tamen his, pars affirmans contraria videtur tenenda.

8 Non obstant in contrarium adducta. Ad primum enim respondetur concedendo censum præfatum non esse constitutũ super re certa, negando tamẽ quod id requirebatur ante prefatam Pij Quinti extrauag. per prædicta.

Ad secundum respondetur, negando quòd præfata extrauagans sit quo ad hoc declaratoria iuris antiqui, quia immo est inductoria noui, & consequenter non respicit præterita, sed tantùm futura, iuxta cap. 2. & vltimum cum latè illic annotatis, præsertim per Felinum.[h]

9 Ad tertium respondetur, concedendo non posse manere accidens sine subiecto, nec ædificiũ sine fundamento, & non entis non esse qualitatem: concedendo item quod census est quasi quoddam accidens, & quod requirit subiectum, & fundamentum: negando tamen, quod census, de quo in casu proposito, non habeat subiectum, & fundamentum: habet enim omnia bona, immobilia, & mobilia constituentium, & vendentium illum, sicut & sub hypothesi est quoddã accidens. Attamen fundari potest, & in dies & horas fundatur in omnibus bonis se obligantium in forma Cameræ tam habitis, quàm habendis.

10 Ad quartum respondetur, concedendo quidem, quod præfatæ extrauagantes non approbant emptionem omnium censuum quomodolibet constitutorum: negando tamen, vt pernegant Henricus & Sotus supra citati, quod reprobant omnes alios, qui alijs modis constituuntur, vt palàm est: & ita non obstantibus illis valebit constitutio, & emptio census alio modo quam ibi expresso, modò non sit contrarius iuri naturali, diuino, vel alij humano iusto: quali modo census, de quo loquimur, est constitutus, vt patuit per prædicta.

11 Ad quintum respondetur, concedendo quidem, quod constitutio prima anni 67. nõ cepit vllum valorem ex secunda: negando tamen, quod ceperit vllã læsionem, præterquam diminutionem census soluendi per primam eius constitutionem. Tũ quia actus agentiũ nõ operantur vltra intentionem eorũ,[a] & intentio partium, vt constat ex instrumento, non fuit lædere constitutionem cẽsus antea factam, sed solũ diminuere illũ amicè, & gratuitò. Tũ quia expresse ratam habuerunt primã constitutionem cũ omnibus cõtentis in ea. Tum quia emptio prædij, præsertim solemniter facta per instrumentum publicum per mille scuta, nullatenus rescinditur, eo quod per aliud instrumẽtum partes conueniant, vt remittantur centum, & emptor non cogatur soluere nisi nongenta, nam &, quod est fortius, pars stipulationis tolli potest per acceptilationem eius manente stipulatione firma quo ad reliqua.[b]

a *Ca. quo iure. 8. dist. & c. fin. de consuetudine. le. de quibus. ff. de legibus.*
b *Arg. c. sunt quidam. 25. q. 1.*
c *In ca. si fœnerauerit. 14. q. 3. nu. 81. & seqq.*
d *Cap. 17. nu. 254.*
e *§. sequitur. ff. de actio. empt.*
f *Ca. cũ Paulus 1. q. 1. cap. veniens. de presbyt. non bapt.*
g *Posita sub tit. de emptio. & vendi. inter cõmunes.*
h *De constit.*
a *L. in agris. ff. de acquirẽdo rerum domin. ca. finali de verborum significatione.*
b *L. pars leg. plurib[9]. ff. de acceptilationibus.*

SVMMARIVM.

1 *Officium iurisdictionis temporalis ab illo, qui licèt possit illud gratis conferre, licitè tamen vendere non potest, emens, peccat mortaliter, tenet tamen collatio, ita vt donec eo priuetur, possit iustè exercere. nu. 4. nec tenetur relinquere. nu. 5. nec ex eo quæsita restituere. num. 6.*

2 *Officia iurisdictionis sæcularis cũ non sint spiritualia, circa illa non committitur simonia, immo sunt vendibilia, iustéque vendi possunt à non recognoscente superiorẽ, immo & à recognoscente si ad id habeat licentiã à Principe, vel si adsit cõsuetudo vt alijs personis honestis iusto vẽdãtur pretio. n. 3.*

## CONSILIVM XXII.

QVIDAM quæsiuit, mediante pecunia, vel fauore tẽporali, officia quædã pecuniaria iudicãdi, ab eis, qui poterant ea ipsi gratis conferre, & exercuit illa multo tempore, & pro eorum exercitio plurima quæsiuit.

Quæritur primo, an peccauerit ea sic quærendo.

Secundo, an peccauerit ea exercendo.

Tertio, an teneatur relinquere illa.

Quarto, an teneatur restituere illa, quæ per illud exercitium acquisiuit.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo affirmatiuè. Tũ quia videtur transgressus fuisse legẽ, quæ habetur in auth. *vt iudices sine quoquo suffragio fiant.*[c] Tum quia consensit, & fuit causa, vt peccaret collator eorũ, accipiendo pecuniam contra prædicta iura: nam & nos in Manu. confess.[d] diximus etiam Reges illa vendendo peccare, nisi certo modo id faciãt: illud enim lucrũ esset turpe, vt Panormitanus definiuit[e] relatus à nobis vbi supra.

AD SECVNDAM respondeo, illam esse profectò difficilem. Pro parte namque affirmãte facit primò, quòd iniustè quæsitum tenetur quis relinquere, & non eo vti.[f] Secundo, quòd non potest quis habere iustum titulũ possidendi rem sacram, nec aliam, quæ extra suum sit cõmercium,[g] & in casu proponitur officium huiusmodi esse sua natura inuendibile. Tertio, quod Fabianus à Monte[h] per multa definit, iustitiã & iurisdictionẽ esse res inuẽdibiles.

2 Pro parte autẽ negante facit, quod huiusmodi officia non sunt spiritualia, sed sæcularia, nec habent iurisdictionem spirituale, & ita in emptione vel venditione illorum non admittitur simonia: quicquid aliqui dixerint, vt rectè concludit Panormitanus.[i] Secũdo, quod non videtur verum id, quod in casu proponitur, munus iudicãdi esse sua natura inuendibile: quoniã S. Thomas[k] determinat contrarium, dicens licere vendere illud cum certa modificatione per eum ibi addita. Tertio, quod etiam præfatus Fabianus ait, consuetudinem dictare, quod sit vendibile.

3 Quarto, quod per totam Franciam solebant, cum in ea degerem, vendi à Rege, & in Hispania pasim dantur loco cuiusdam dotis iurisperitis doctis, vt ducant in vxores aliquas aulicas, & aulicis propinquas pauperes. Vnde[l] dicimus ea vendi posse, & quidem iustè à non recognoscente superiorem, & etiam à recognoscente talem de licentia illius, immo & sine licentia, si consuetudo præscripta haberet vendendi ea honesto pretio personis idoneis, quod affirmat Caietanus[m] & data efficaci ratione concludit Dominicus Sotus[n] post Caietanum vitio impressoris male citatum.[o] Per quę posteriora pro parte negante adducta videtur concludendum, quòd officia prædicta suapte natura non sunt inuendibilia: quia Rex, vel habens regalia, vel alius, cui ipse vendendi facultatem faceret, posset illa iustè vendere: quamuis non posset id facere

c *Collat. 2. & in authen. de mãdatis principũ. §. illud collat. 3. le. 1. C. de murilegulis. li. 11.*
d *Ca. 25. nu. 7.*
e *In c. 1. & 2. ne prælati vices suas.*
f *Arg. c. si res aliena. 14. q. 6. & c. peccatum. de regu. iur. lib. 6.*
g *L. inter stipulantem. §. sacram. ff. de verb. obligat. & §. sacro. inst. de rerum diuis.*
h *In tractat. de empt. q. 6.*
i *Vbi supra.*
k *In opus. 21.*
l *In d. ca. 25. nu. 7.*
m *In summ. verb. officior.*
n *De iust. & iur. q. 6. art. 4. col. 4. vers. prima conclusio.*
o *In verbo officiorum.*

priuatus homo, cuius esset officium etiã iustè à Rege gratis, vel gratia quæsitum, nisi facultate per eum ad id facta: quia non habet potestatem eligendi ministrum illius officij, nec dandi ei titulum: quia illa penes ipsum Regem, Proregem, vel alium ministrum superiorem est. Immo neque vllus minister inferior Rege, vel non habente regalia posset iustè illa vendere, nisi haberet facultatem id faciendi à Rege, vel ab eo, qui haberet regalia.

4 Quæ omnia casui proposito applicãdo, resoluendum videtur quod D. consulens hæc officia habuit mediante pecunia, & non quidem ab homine aliquo priuato, cuius essent illa, tamquam merces emptas ab eo, sed à superiore habente potestatem illa sibi conferendi: & ita, quia hęc officia sunt sæcularia, in quorum adeptione non potest committi simonia, collatio eorum facta à superiore potente illa conferre valuit, & non fuit ipso iure nulla: quãuis potuisset Rex, vel alius legitimus superior illam annihilare, seu annullare, & tam conferentem, quàm acceptantem castigare: sed donec id fieret, consulens poterat exercere illa, quorum tituli ipso iure valuerunt, quoad vsque cassarentur. Quibus est consequens, quòd licet consulens peccasset quærendo illa per pecuniam, non tamen peccauit exercendo ea aliàs iustè.

5 AD TERTIAM respondeo, quod ex solutione quæstionis præcedentis sequitur, quod non tenetur eam relinquere donec eius tituli per superiorem cassentur: sicut & beneficiarius Ecclesiasticus per homicidium, vel aliud delictum incurrens irregularitatem, propter quam suo beneficio priuari potest, sed non est ipso iure priuatus, potest illud retinere, & fructibus eius vti, donec per sententiam superioris priuaretur, per illam singularem doctrinam Innocentij [a] receptam communiter ab omnibus, & in his à Felino: [b] & sicut admittentes delicta, ob quæ suis possunt priuari bonis, quorum magnus est numerus in orbe Christiano, possunt retinere, & administrare illa, & eis sanctè vti, donec per sententiam iudicis priuētur, iuxta glossam solemnem ab omnibus fere receptã. [c]

6 AD QVARTAM respondeo, quod ex solutione secundæ & tertiæ quæstionis colligitur solutio, videlicet, quod D. consulens non tenetur restituere quæsita per exercitium præfatorum officiorum, plusquã teneretur si ea sibi iustè quæsiuisset. An autem illi, quibus iniustè dedit pecunias pro illis quærendis, teneatur restituere illas determinandum est per ea quæ nos scripsimus in Manual. confess. [d] quod prædictis est parergon. &c.

*Aduertendum Pium V. circa venalitatem horum officiorum in statu Rom. Ecclesiæ edidisse quemdam constitutionem, de qua in hac materia idem Nauarrus meminit in Manu. Confess. cap. 25. post nu. 7. qui etiam videndus est in tractatu de datis & promissis notab. 32. post num. 45. ver. 4.*

a In cap. cum nostris. de con cess. præbend.
b In c. inquisitores. de accusat.
c In c. fraternitas. 12. q. 2.
d Capit. 17. à num. 3.

## DE LOCATO ET CONDVCTO.

### SVMMARIVM.

1 *Famulus conuenta mercede, etiam si sit minor iusta, contentus esse debet, nec supplementum potest sibi clam surripere, nu. 4. nisi sit talis, qui vel non potuit donare, vel iniustitiam ignorauit, vel necessitate compulsus iniquam admiserit conuentionem. nu. 5.*

2 *Contractus omnis vltro citroque obligatorius ad sui iustitiam dati & recepti requirit æqualitatem, nec ad illius iustificationem sufficit quod partes ita voluerint contrahere, si læsus iniustitiam ignorauit, vel necessitate pressus illam admisit. num. 3.*

6 *Merces famuli iusta quæ sit, ex diuersis circumstantijs pendet, quam in foro conscientiæ arbitrabitur etiam bonus & prudens confessarius. num. 7.*

### CONSILIVM I.

ROMÆ est consuetudo, vt domini pueris suis, quibus vtuntur in omnibus sibi occurrentibus tam domi, quam extra, etiam cum equitant, pro illorum stipendio soluant iulios decem singulis mensibus, eósque cogunt, vt se decentibus induant vestibus, alioquin eos eijciunt: & quia stipendium non sufficit, vt in annos sibi aliquid reponant, nec etiam valeant meliores conditiones reperire, vltra mercedem conuentam, aliquid à dominis subripiunt. Dubitatur an possint absolui, an verò cogendi, vt sint contenti conuento stipendio, vel sibi alio modo victum quærant: quod tamen est difficile, cùm omnes domini idem à suis famulis exigant, & pro stipendio vltra decem iulios soluere nolint.

1 Respondeo primo, quæstionem hanc esse quotidianã, & magni ponderis circa plurimarum animarum salutem: & quòd de alia huic affini, & ex cuius decisione posset colligi huius decisio, scilicet quis dominus vel herus peccet non soluendo salarium expresè, vel tacitè conuentum famulo, tractaui in Manua. confess. [a]

Secundo, quod huius quæstionis decisio pendet ab ea, an conuentio prædicta sit ita iusta, vt famulus non possit quicquam vltra conuentum clam accipere. Pro cuius parte affirmante facit primo reg. *contractus ex conuentione partium legem accipiunt*, [b] cum concordantibus per glossam ibi citatis, quæ dicit, vulgo dici, *Pactum rumpit legem.*

Secundo, quod sicut potest quis donare rem suam alicui, ita potest donare partem eius diuisibilem: & consequenter sicut potest quis gratis inseruire alicui, vel operas suas gratiosas præstare alicui, ita potest seruire partim gratis, & partim pretio, & partem operæ præstare gratis, & partẽ pro pretio, [c] ergo licebit hero, & famulo conuenire, vt partim gratis, & partim pro pretio ei famuletur.

Tertio, quod consuetudo ferè totius orbis Christiani habet, vt quidam inseruiant alijs tum summatibus, tum mediocribus, tum Doctoribus & scholasticis in Academijs, tum aulicis in curijs regijs, & pręsertim in curia Romana pro solo victu, immo etiam parte victus, vel pro tempore, seu horis, quæ conceduntur eis ad discendum, vel scribendum. immo nonnulli inseruiunt Cardinalibus, immo & Papæ, multò plura insumendo in vestibus, mulis, vel equis, quàm sit salarium eis assignatum, immo & sine vllo salario præter esum & potum in suis cœnaculis, dum ad ea veniunt.

2 Pro parte autem negante facit primò, quod nullus contractus, nec nominatus, nec innominatus vltro citroque obligatorius potest esse iustus, nisi æquale pro ęquali detur, vt post alios diximus in Manu. confess. [d] At operæ, quas præstat famulus hero, comitando eum, vestiendo, ac calceando se eo modo, qui conuenit comitanti eum, valent pluris, quàm scutum menstruum: ergo conuentio, quod famulus præstet operas modo prædicto pro scuto menstruo, est iniusta.

Secundo, quod, qua ratione venditio est iniusta, cùm minus iusto pretio venditur, [e] eadem est locatio, cum res minus iusto pretio locatur. [f]

3 Tertiò, quòd sicut voluntas vendendi, vel locandi pretio minore iusto non iustificat conuentionem, si quis illam ignorans, vel necessitate adactus faciat, ita & voluntas famuli pręstãtis operas suas minoris quam valent, non iustificat conuentionem inseruiendi ob scutum mẽstruum hero suo, si operæ præstitæ pluris quàm illud valeant, si ignoranter, vel necessitate adactus, eas præstet, arg. à simili, quod valet cap. dudum. 2. [g]

4 His pro vtraque parte vtrinque pensatis, & reuocatis ad memoriam illis multis, quę super iustitia contractuum qui minore vel maiore pretio iusto fiunt, vtiliter & resolutè scripsimus in c. nouit. [h] Potest dici primò, quod si famulus ætatis legitimę, & potens donare res suas, & sciens valorem operarum, quas præstaturus est, & nulla necessitate ad id coactus conuenit, vt sine vllo salario, vel cum minore iusto præstet illas hero, conuentio erit licita, & seruanda, & non poterit quicquam amplius vltra conuentum clam accipere: quia videtur donare gratis id, quod dat sine vllo pretio, argu. l. *Campanus.* [i] & tradit Salice. [k] & consequenter valent omnia, iuxta reg. c. *peccatum.* [l] & hoc videntur probare argu. pro parte affirmante supra facta.

5 Secundo, quod è contrario, si non est persona potens gratuito donare suas operas, vel ignorat earum iustum pretium, vel nouit illud, sed pressus necessitate aliqua donat illas, vel partem illarum, non est iusta conuentio, sed iniusta, per citata in d. cap. *nouit.* [m] & consequenter, attento quòd in foro exteriori difficile posset assequi honestè, & cum pace, seruata iusta amicitia, integrum debitum, posset clam surripere id quod deesset ad faciendam conuentionem iustam, argum. glossæ celebris, [n] & eorum quę latius tradimus in Manu. confess. [o]

a Cap. 17. nu. 108. & seq.
b De reg. iur. li. 6.
c Arg. l. quæ de tota. ff. de rei vendicatio. & arg. le. illud. ff. ad l. Aquil. cum suis concord.
d Ca. 17. nu. 287.
e Le. 2. C. de rescind. vẽd. c. cum dilect. de empt.
f L. 1. ff. locat. ca. 2. de locat.
g De elect. c. inter cætera. de rescript.
h De iudi. nota. 6. à nu. 61.
i ff. de operis li. & le. cuius per errorem. ff. de regulis iuris.
k In auth. ad hæc. C. de vsur. nu. 21.
l De regulis iuris lib. 6. & c. si res alien. 14. q. 6.
m Notab. 6. à nu. 47.
n Ca. ius gentium 1. dist.
o Cap. 17. nu. 14.

6 Tertio, quod in comparando operas præstandas scuto menstruo, an sint paris, an imparis valoris, considerare oportet quantas & quales operas herus requirit à famulo, & an herus obliget se ad concedendū tempus aliquod ad studendum, legendum, scribendum, vel ad agendū alia negotia sua, vel sibi commendata, vel ad docendum ei aliquam artem liberalem, vel mecanicam, vel militarem, vel etiam artem inseruiendi vrbanè, vel aliquam aliam ei vtilem, an non: an etiam rogatus accipiat illum sine fideiussore, aut cum illo, an item requirat, vt sic vestitus inseruiat, vel comitetur, an sit contentus suo famulatu, & seruitio cum qualicumque veste, vel calceatu præstito. quoniam hæc omnia possunt augere vel minuere iustum salarium, & facere vt debitum sit legale, vel solum antidorale: & requiritur, vt debitum sit legale, siue de iustitia debitum, ad hoc vt iustè possit clam accipi, per tradita in Manuale. [a]

[a] Cap.17.nu. 113.

7 Quare, meo iudicio, pauci eorum, qui seruiunt aulicis, vt meliores, doctiores, vrbaniores, & rerū aulicarum peritiores, & ad agenda negotia fiant aptiores, merentur de iustitia plusquam vnum scutum: quamuis multi, qui inseruiunt toto dies intra & extra domos curando equos, vel mulos, & comitando heros cum honesto vestitu & calceatu, nihil vel parum sibi proficiendo, plus mereantur, iuxta quantitatem & qualitatem operarum suarum, quod determinandum videtur arbitrio boni viri, & prudentis confessarij, [b] qui perpendere debet, quod vt plurimum quilibet famulus, quamlibet parum inseruiat, meretur scutum menstruum, & quod antiqua consuetudo habet, ne vlli amplius de iustitia debeatur, quod tamen alij longè melius, & vtilius quàm alij deseruiunt, & minus sibi proficiunt. Salua, &c.

[b] Arg. l.1. ff. de iure delib.

*SVMMARIVM.*

1 *Locatio ouium ad quinquennium, cum pacto vt ea finita totidem ęquè bonæ restituantur, exceptis quæ fulgure vel certa quadā infirmitate perierint, est iniusta, & vsuraria cēsenda.*

2 *Conductor regulariter, nisi de culpa lata, & leui, non tenetur.*

## CONSILIVM II.

QVIDAM locauit centum oues alteri ad quinque annos pro pensione 100. iuliorum, & 50. caseorum in singulos annos, ea lege, vt finitis quinque annis, redderet conductor totidem ęquè bonas, exceptis quæ perirent fulgure, vel vna quadam infirmitate. Quæritur an is contractus sit vsurarius.

1 Respondeo primò, præfatum contractum non esse verè vsurarium, quia vera vsura in solo contractu mutui requiritur, & is contractus non est contractus mutui, sed locationis, & conductionis, vt palam est.

Secundo, quod non videtur licitus, & potest præsumi vsurarius. Tum propter pactū reddendi ęquè bonas oues post quinquennium, per quod in effectu redditur sors principalis post quinque annos, & vltra illam quingenti solidi, & quinquaginta casei.

2 Tum quia conductor, qui iure communi non tenetur, nisi de culpa lata, & leui; obligatur in hoc casu, vt teneatur de omni culpa leuissima, & de omni casu fortuito, excepto ictu fulminis, quo rarissimè peribit vlla, & casu vnius ægritudinis etiam satis rarò contingentis. &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Emphyteuta canonem non soluens feudum amittit, nisi vbi aliter sit conuentum.*

2 *Lex perpetua etiam post mortem legislatoris durat monitio, seu præceptum principis morte finitur.*

3 *Lex tollens pacta à caducitate excusantia intelligitur de pactis illam tollentibus simpliciter, & non quando loco caducitatis alia pœna ponitur.*

4 *Compositio, seu noua conuentio remittit deuoluta, & non deuoluenda.*

## CONSILIVM III.

DECLARATVM fuit, quod ad quemdam D. Philippum tamquam Ecclesię feudatarium pertinerent quędam paludes desiccatę, & desiccandæ cum certa pensione, & immunitate, & conuenit cum Camera Apostolica, vt caderet in pœnam dupli, si pensionem non solueret. Superuenit noua Alexandri VI. constitutio auferens pacta caducitatem tollentia. Dictus autem feudatarius cessauit à solutione, sed postea de nouo cum Sede Apostolica conuenit super dictis paludibus, & cum clausulis derogatorijs obstantias auferentibus. Dubitatur modo, an teneatur d. D. Philippus adhuc pœnam caducitatis subire, & sit compellendus prædictas paludes Ecclesiæ restituere, quia adhuc post vltimam conuentionem nō soluit.

1 Respondeo inclinate me ad credēdum, quòd ad præfatum dominum Philippum pertinent prædictæ paludes desiccatæ, & desiccandę cum immunitate exportandi fructus earum extra statum Ecclesiæ, & cum onere soluendi temporibus debitis omnia, quæ pro illarum concessione, & immunitate exportationis fructuum promittit, iuxta tenorem literarum postremarum S.D. N. Gregorij XIII. Tum quia inter Cameram Reuerendissimam & præcessores prædicti Philippi conuentum fuit olim, quòd paludes prędictę non deuoluerentur ad sanctam Sedem Apostolicam ob non solutum canonem, siue pensionem, sed tantùm pœna publicaretur.

2 Tum quia Alexandri VI. bulla, quą monuit omnes emphyteutas, & censuarios, vt soluerent intra certum tēpus, alioqui incurrerent pœnas, & quod non prodessent eis priuilegia, indulta, & pacta de non incurrendo pœnas caducitatis ob non solutionem canonis, potest dici monitio, vel præceptum, quod morte mandantis finitur, & non lex perpetua, quæ etiam post mortem durat.

3 Tum quia etiam dicere quispiam posset, quod prædicta bulla Alexandri tollebat quidem pacta illa quæ simpliciter excusarent à caducitate, non tamen illa, quæ loco pœnę caducitatis adderent pœnam duplicati canonis, vel tributi, qualia sunt pacta, quæ præcessores prædicti D. Philippi cum Reuerendissima Camera iurauerunt.

4 Tum quia præfatus dominus Philippus nouissimè conuenit de mandato S.D.N. Gregorij XIII. cum prædicta Reuerendissima eius Camera super prorogatione noua quindecim annorum, qui inceperunt à fine anni 77. & finirentur per totum annum 92. in qua conuentione prędicta Camera, si & quatenus opus esset, nouè concessit prædicto Philippo prædictas paludes, quocumque modo ad eamdem, siue ad sanctam Sedem Apostolicam deuolutæ essent. Nec obstat, quod prædicta conuentio fuit facta anno 75. & solutionis omissio fuit facta anno 76. & 77. & consequenter deuolutio fuit facta post illam conuentionem, per quam solùm fuit facta noua concessio, quatenus erant hinc deuolutæ, & non quatenus postea deuoluerentur. Tum quia prædicta conuentione fuit adiecta clausula. *ne prædictæ paludes deuoluerentur ad sanctam Sedem Apostolicam propter non solutionem pensionis:* & per clausulam, *non obstantibus.* positam in confirmatione prædictæ conuentionis prædictæ bullæ Alexandri VI. etiam si fuisset constitutio perpetua. Tum denique quod prædictus Philippus potest bene sperare, quod S. D.N. pro sua maxima benignitate, & pari animi magnificentia, & liberalitate, sibi viro nobili, & de Repub. benemerito in rebus dubijs fauebit, & dignabitur meminisse ca. *fraternitas.* [a] per quod alteri benignissimo Gregorio suo præcessori in cælis regnanti non fuit valde gratum ditare Ecclesiam per pœnas delinquentium.

[a] 12. q. 2.

*SVMMARIVM.*

1 *Prædium proprium dare in censum annuum in perpetuum, cum pacto vt tanta pecunia possit redimi, non est Pium V. prohibitum.*

## CONSILIVM IIII.

QVODDAM monasterium tradidit prædium valens 14. millibus in censum mille annorū cū facultate redimēdi. Quæritur an ille cēsus fuerit licitè cōstitutus.

1 Pro parte negante facit extrauagans Pij V. in quam nos latè fuimus commenti in comment. de vsur. [b] quę habet, censum non posse constitui nisi pro pretio soluendo in pecunia numerata tempore constitutionis.

[b] Super ca. si fæneraueris, 14. q. 3. à nu. 84.

Pro parte vero contraria, quæ tenenda est, facit, quod huiusmodi contractus non est ille censiticus, de quo loquitur prædicta extrauagans. Tum quia est contractus emptionis emphyteuticus, vel locationis, vt colligitur ex §. *adeo.* [c] adiuncta l. 1. & 2. [d] Tum quia contractus censiticus, de quo loquitur Pius V. est contractus, per quem dominus rei imponit aliquem censum alteri super re sua,

[c] Instit. de locat.

[d] C. de iure emphyteu.

vel quæ putatur eius, pro certo pretio & pecunia numerata, vt palam est, & nos tradidimus in eius comment. [a] & in casu proposito prædium non erat, nec putabatur esse constituentis censum, immo pertinebat clarè ad monasterium, cui constituebatur ille, vt in facto proponitur. Tum quia ratio, quæ mouit Pium Quintum ad condendam illam extrauagantem, non habet locum in contractu proposito: quoniam Pium Quintum mouit ad eam edendam, vt auferret occasionem palliandi fraudem vsurarum, quæ fiebat inter simulantem vendere censum pro certa pecunia, quam verè coram Deo assumebat mutuo pro soluenda vsura palliata nomine census: quę ratio omnino cessat in casu proposito, in quo dominus rei non soluit censum pro re sua, sed accepit pro ea. Tum denique quod nos in dicta glossa [b] probamus prædictam extrauagantem non habere locum extra suos terminos, vt ibi videri potest. Salua, &c.

a Gloss. 17. & q. 9.

b 17. nu. 98.

## DE FEVDIS.

### SVMMARIVM.

1 *Mendax precator impetratis carere debet.*

1 *Taciturnitas eius quod expressum principem reddidisset difficiliorem ad concedendum, vitiat gratiam, & hoc quando hoc tacitum est de illis quæ iura iubent exprimi. nu. 4. & 5. Item fallit in aliter notis principi. nu. 2. vel quæ sunt notoria, vel quæ iure communi actui insunt. nu. 3.*

3 *Falsus non est, qui cum debeat duo, dicit se vnum debere, modo non adyciat taxatiuam dictionem, tantùm.*

6 *Minima non videntur consideranda, ad rescindendū magna, vel vt puniatur quis pœna statuti, nec quando ex qualitate personarum præsumitur quod ob minima non mouentur, nec ea curant item & quando non militat eadem ratio.*

7 *Carnalis affectus licet noceat prælato in concessione rerum Ecclesiarum, attamen in concessis facit præsumi maiorem voluntatem ad firmius concedendum.*

10 *Iuramentum fidelitatis, ac petitio inuestituræ reputantur inter recognitiones, quæ à feudatario debentur, adeo vt per horum omißionem perdatur feudum. num. 8. & hoc nisi illa etiam sub generali remißione recognitionum fuerint à domino remissa. nu. 9. & 10.*

11 *Vniuersalis loquutio nihil excludit, & includit omnia, ita vt includat multa quæ non includit indefinita, illáque ampliat.*

12 *Negatiua equipollet vniuersali, & quicquid inuenit destruit, & eius contrarium ponit.*

13 *Exceptio in casibus non exceptis firmat regulam.*

13 *Feudum concedi potest absque onere petendi inuestituram, & præstandi iuramentum fidelitatis.*

14 *Iuramentum fidelitatis etsi à principio non censeatur remissum, attamen aliquo ex pacto, vel lapsu triginta annorum remissum censeri potest.*

15 *Innouatio; seu prorogatio alicuius potestatis, nisi forma eius antiqua mutetur, cum omnibus illius qualitatibus facta censetur.*

15 *Forma est, quę dat esse rei.*

### CONSILIVM I.

IN causa quæ vertitur inter Reuerendißimam Cameram, & Illustrißimum D. Honorium de Sabellis super amißione castrorum Tarani, Montisboni, & Rocchettarum, & deuolutione illorum ad præfatam Reuerendißimam Cameram, omißis alijs punctis, ventum esse videtur ad illa duo, quorum vnum est, an inuestitura, qua inuestiuit bo. mem. Paulus Papa III. Illustrißimos D. Paulum & Antonium prædecessores Illustrißimi D. Honorij, fuerit subreptitia.

Alterum est, estò quod non fuerit, an præfatus D. Honorius amiserit dicta castra; eo quod non præstitit iuramentum fidelitatis.

Pro quorum resolutione præsupponitur in facto, primo quod Gregorius XII. concessit castra, de quibus contenditur, præcessoribus eorum, cum quibus Reuerendißima Camera contendit, ea lege, vt præstarent iuramentum fidelitatis, & quolibet anno soluerent pro recognitione vnum accipitrem, & duos braccos. Secundo, quod postea bonæ mem. Paulus III. anno 1535. inuestiuit præfatos DD. Petrum & Antonium præcessores Illustrißimi domini Honorij, narrando in inuestiturę bulla, quod prę- fati Petrus & Antonius Cameræ Apostolicæ singulis an- A nis in festiuitate beatorum Petri & Pauli pro recognitione dictorum castrorum erant obligati soluere vnum canem, & vnum accipitrem, & quod à pluribus annis in solutione dictæ recognitionis defecerunt: & propterea dicta castra ad Cameram Apostolicam deuoluta censebantur: & volens Papa ipsos, qui secundum carnem erant consanguinei sui, specialibus gratijs & fauoribus prosequi, auctoritate Apostolica ipsos liberauit à solutionibus decursis, & ipsa castra deuoluta ipsis de nouo inuestiuit, nec non recognitionem præfatam in vnum ducatum auri de Camera singulis annis in festo Sanctorum Petri & Pauli soluen. commutauit, & ipsos ad aliam recognitionem dictorum castrorum dictæ Cameræ de cæ- B tero faciendam minime teneri decreuit, & declarauit, contrarijs non obstantibus quibuscumque.

1 HOC IGITVR FACTO præsupposito, ad primum eius punctum respondetur, quod pro Reuerendißima Camera facit primum, quod mendax precator debet carere impetratis.[a] At præfati domini Petrus & Antonius videntur in impetratione feudi dixisse falsum, dicentes, quod non debebant nisi vnum canem seu braccum in anno. Secundò, quòd taciturnitas eius, quod expressum redderet principem difficiliorem ad concedendum, efficit gratiam subreptitiam, & nullam, cap. *postulasti.*[b] ibi, *Non tam de leui conceßissemus.* & prefati DD. Petrus & Antonius tacuerunt se fuisse obligatos ad præstandum iuramentum C fidelitatis: quod si Paulus sciuisset, difficilius liberasset eos ab omni recognitionę.

2 Pro parte verò præfatorum DD. faciunt primò verba expressa præfatæ bullæ inuestituræ, scilicet quod ipsos ad aliam recognitionem dictorum castrorum de cætero faciendam minimè teneri decernit, & declarat. Secundò, quòd taciturnitas eius, quod princeps nouit, non inducit subreptionem, immo includit dispensationem, quatenus opus est ad valorem actus secundum iura [c], & tradit Felinus & citati ab eo.[d] At Paulus III. Papa, in cuius pectore erant omnia iura clausa, [e] nouit vassallum feudatarium teneri ad præstandum iuramentum fidelitatis. [f]

D 3 Tertio quod vt expresio eius, quod iure inest, non facit actum simoniacum, [g] vbi late Felinus, [h] ita taciturnitas qualitatis, quæ est notoria, vel de iure inest, qualis est reseruatio generalis in corpore iuris clausa, non facit gratiam subreptitiam, vt colligitur ex [i] Rota [k] quod latè confirmat Felinus. [l]

Non obstant opposita. Ad prius enim illorum respondetur, negādo quod præfati domini dixerint falsum, quia non dixerunt se non debere duos canes, nec debere vnum tantùm, sed debuisse vnum, quod erat verißimum.

Ad replicationem, quæ fieri potest, quod idem est dicendum de tacente verum, quod de dicente falsum, respondetur in solutione sequenti.

E 4 Ad posterius autem respondetur primò, negando quod omnis taciturnitas, quæ redderet principem difficiliorem ad concedendum, vitiet gratiam, sed solùm illa vitiat, qua tacetur id, quod iura statuunt vt exprimatur, vt latè concludit Rota [m] & latius Egidius [n] quos inter alios sequitur Felinus [o] & nullo iure cauetur, vt huiusmodi debiti canes exprimantur in concessione huiusmodi feudi.

5 Secundo, quod duo requiruntur ad hoc, quod taciturnitas veri vitiet gratiam. Alterum, quòd, vt diximus, iure caueatur eius expresio. Alterum, vt id, quod tacetur, sit tale, quod expressum retraheret principem à concedenda gratia. At non cauetur iure, vt expresio huiusmodi canis F debiti fiat, vt dictum est, nec est tale quod expressum retraxisset principem à concedendo.

6 Tum quia de minimis non est curandum, saltem ad effectum rescindendi magna. [p] Vnde alienationem rei ecclesiasticę paruæ non vitiat omisio solemnitatis iuris, iuxta cap. *terrulas.* [q] per quod id dicit Federicus, [r] & non debet quis puniri pœna statuti punientis vulnerantem ob paruum vulnusculum, secundum Bartholum. [s] Tum quia de minimis non est curandum, quando ratio legis de maioribus disponens non militat proportionabiliter in illis, vt ait Panormitanus [t] per textum efficaciter id probantem. [v] Tum quia illud cap. probat etiam, quod minima non nocent: cùm ex circumstantijs personarum præ-

a Ca. super literis. de rescr. leg. & si. C. si cōtra ius vel vtil. pub. trāslat. in c. & si legibus. 25. q. 2.

b De rescrip.

c Le. quidam consulebāt. ff. de re iudic. l. idē Vlpianus. ff. de excusatio. tuto.

d In c. quæ in ecclesiarum. de constit. & ca. si quando. de rescri. nu. 4.

e Capit. 1. de consti. li. 6.

f Cap. de forma. 22. qu. 5. & c. 1. de forma fidelitatis. in vsibus feudorum.

g Ca. significasti. de elect. gloss. sole.

h In c. ad audientiam. 2. de rescrip.

i Decis. 32.

k De rescrip. in nouis.

l In ca. in nostra. col. 5. de rescrip

m In d. decisio. 32. de rescrip. in nouis.

n Concl. 697. conclusio extra Rotam.

o In c. postulasti. colum. 3. & in ca. in nostra corol. 5. de rescript.

p L. sciendū. ff. de in integrum restitu. cap. ex parte. de fide instrumen. l. Senatus. §. Marcellus. ff. de le. 1.

q 12. q. 2.

r Consil. 210.

s In le. si prædium. C. de ædilit. edict.

t In c. de appell.

v In c. etsi qu. de simon.

sumitur contrarium: probat enim donationem vnius equi factam à viro Illustri Legato Papę non inducere præsumptionem simoniæ. Cùm ergo debitum soluendi vnum canem non sit negatum, sed solum tacitum: cumque sit quiddam minimum tam ex circumstantia benefacientis & concedentis feudum, qui erat summus Pontifex, & summus Rex, quam beneficiariorũ, qui erant illustrissimi viri, quàm ipsius beneficij, quod erat multorum castrorum, cum omnimoda iurisdictione, mero & mixto imperio, non videtur considerandum esse ad effectum rescindendi tam grande beneficium à tam grandi & summo principe tam magnis viris factum, neque ad præsumendum, quod ob illius expressionem retraxisset se tantus princeps à tam illustri concessione. Tum quod præfati viri illustrissimi erant cognati ipsiusmet summi principis, qui erat valde propensus ad augendum & honorandum eos: & ridiculum videtur dicere, quod tantam donationem à tam grandi principe factam vitiaret taciturnitas debiti vnius canis, qui apud eos fere pro nihilo habetur. Tum quod non tacuerunt dolo, sed ob incogitantiam, quæ verisimiliter prouenit ex eo, quòd diutissimè cessarunt à solutione accipitris, & canum debitorum, & non cogitarunt an duo canes, vel vnus deberentur.

7 Tum quod licet cognatio & consanguinitas carnalis ad aliquos effectus noceat in rerum ecclesiasticarum tractatu, iuxta cap. *huiusmodi.* [a] non tamen obest, immo plurimum prodest ad præsumendum, quòd concedens maiore affectu concedit cognato dilecto, quàm extraneo, & quod voluerit firmiorem & ampliorem esse suam donationem, vt experientia docet, & probat lex *vt vim.* [b] & alia plurima: & quod cæteris paribus, modo absit fraus, magis tenemur cognatis, quàm extraneis, vt in his terminis tradit Federicus vbi supra.

8 Ad alterum punctum respondetur, quod pro parte affirmante, scilicet, quod præfatus Illustrissimus D. Honorius perdidit præfata bona, eo quòd non præstiterit iuramentum fidelitatis, facit primò, quòd omnis feudatarius videtur teneri ad præstandum iuramentum fidelitatis domino, à quo habuit feudum, [c] adeo quod si noluerit illud præstare, perdat feudum. [d] Secundo, quod feudatarius, qui non petit inuestituram, perdit feudum. [e]

9 Pro parte tamen negante facit neruosissime, quod non omnis vassallus, qui habet feudum, tenetur ad petendam inuestituram, & iurandam fidelitatem, sed solùm ille qui habet feudum illis oneribus subiectum, vt est casus in dicto cap. 1. [f] & præfatum feudum concessum fuit præfatis DD. Petro & Antonio à Paulo III. liberum ab omni alia recognitione, excepta solutione vnius ducati auri in vigilia Apostolorum Petri & Pauli.

10 Et constat, quod iuramentum fidelitatis, & petitio inuestituræ sunt recognitiones dominij directi, quod apud concedentem feudum remanet, vt ex definitione recognitionis, & verbis petitionis inuestituræ, & præstationis iuramenti fidelitatis positis in titu. *de vera forma fidelitatis.* & in titu. *quid sit inuestitura. & qualiter fiat in vsibus feudorum.* irrefragabiliter colligitur, & expressè adnotauit Marianus Socinas [g] in hęc verba, *Petere inuestiturã, est quidam quasi census deuotionis & reuerentiæ, quæ domino præstari debent.* Cum ergo fuerit concessum liberum ab alia recognitione, quàm præfati ducati solutione, & petitio inuestituræ, & pręstatio iuramenti fidelitatis sint recognitiones, consequens est, concessum fuisse liberum ab illis.

11 Tum quia non solum concessit liberũ indefinitè à recognitione, sed vniuersaliter ab omni alia recognitione: quæ vniuersalis loquutio omnia includit, & nihil excludit, [h] immo includit multa, quæ non includit indefinita, amplius enim legat, qui legat omne marmor, quam qui legat marmor, & qui legat omnem lanam, quam qui lanam, per iura, quæ in id allegat glossa singularis [i] & alia glossa singularis, [k] quæ habet, per illam vniuersalem notam seu dictionem *quamuis*, ampliari clem. illam ad causas criminales spirituales, quas non inclusisset, si absque illa nota dictata fuisset. quod putatur singulare à Panormitano [l] & Andrea Siculo. [m]

12 Nec obstat, quod bulla non habet illa verba, *omni alia recognitione*, sed solum, *aliam recognitionem:* quoniam sunt verba negatiua, quibus Papa decernit eos ad aliam recognitionem minime teneri: quæ verba æquipollent illis verbis, *ad aliam recognitionem non teneri*, quæ constat esse vniuersalia negatiua, quæ quicquid inueniunt destruunt, & contrarium eius ponunt, iuxta glossam singularem & receptam [a] cui omnium dialecticorum chorus consentit.

13 Tum quia exceptio firmat regulam in casibus non exceptis, iuxta l. *quæsitum.* [b] vbi Bartholus & capit. *dominus.* [c] & latè Felinus [d] & præfatus Paulus III. liberauit præfatos fratres ab omni recognitione, excepta solutione vnius ducati annui: ergo liberauit eos ab omni alia recognitione, & consequenter ab inuestituræ petitione, & iuramenti fidelitatis præstatione. Tum quia indubitatum est, feudum posse concedi absque onere petendi inuestituram, & præstandi iuramentum fidelitatis, iuxta iura, [e] & tradit Panormitanus [f] in hæc verba, *Iuramentum à vassallo præstandum est, nisi à principe fuerit remissum.* Tum quia, vt ait Panormitanus, [g] licet non præsumatur iuramentum à principio fuisse remissum, id tamen potest constare ex speciali pacto, vel lapsu triginta vel quadraginta annorum, [h] & in casu proposito non solum constat de speciali pacto, sed etiam de lapsu quadraginta & amplius annorum: quia feudum fuit concessum anno 1535. & nunc agitur annus 1581.

15 Tum quia nihil obstat, quod in prima concessione, qua Gregorius XII. concessit bona prædicta præcessoribus pręfatorum DD. Petri, & Antonij, fuit adiectum onus iurandi fidelitatem, & inuestituram petendi: & quod concessio Pauli III. fuit quædam renouatio, & prorogatio concessionis Gregorij XII. & consequenter videtur esse facta cum omnibus qualitatibus illius iuxta l. *sed si manente.* [i] per quam glossa memorabilis [k] dicit prorogationem alicuius potestatis videri factam cum omnibus qualitatibus illius, & in terminis propositis cõsuluit Ioannes Barthomæus Scarampus [l] quod feudum etiam ipso iure perditum, & renouatum adeo censetur vetus, & non nouum, quod agnati possunt & debent succedere in illud. Non inquam hoc obstat: quia id forte verum est, cum renouatio fit forma antiqua non mutata, secus si ea mutetur, quia per illam mutationem fit nouum, vt determinat Baldus [m] per Federicum & antea Oldradum [n] cuius ratio germana est, quod forma dat esse rei iuxta l. *Iulianus*, [o] cum his quæ glossa ibi citat: & palam est in concessione Pauli III. valde fuisse mutatam formam concessionis Gregorij XII.

Per quæ omnia superuestita, & aucta maxima S.D.N. benignitate, & liberali æquitate, qua solet erga huiusmodi viros Illustrissimos vti, resolutio prædicta sancta & æqua videri potest. Salua, &c.

a §. *nam hæc vsus præstatio.* 10. q. 2.
b ff. *de insti. & iur.*
c Ca. 1. *de forma fidelitatis, & melius in c. 1. de noua form. fidel. in vsibus. feud. & c. de forma.* 21. q. 5. *& cap. ego N. de iureiuran.*
d Cap. 1. § 1. *quæ fuit prima cau. bene. amitt. in vsibus feud.*
e Ca. 1. *in princip. quæ fuit prima causa bene. amittendi, & in ca. 1. quo tempore miles in vsibus feud.*
f *In princ.*
g Consil. 66. *nu. 30. in fine.*
h *Cap. solitæ. versus finẽ, de maior. & obed.*
i *In c. vt circa. de elect. li. 6.*
k *In verbo. quãuis. clem. 1. de re iudic.*
l *In consil. vlti. primi volum.*
m *In c. tertio loco. de probatio.*

a *In cap. cum dilectus. de consuetu.*
b §. *denique. ff. de fund. instru.*
c 32. q. 7.
d *In ca. fin. de lite non contest.*
e *Cap. 1. §. 1. quæ fuit prima causa benef. amitt. & c. 1. in fin. per quos fiat inuestitura.*
f *In consi. 82. num. 7.*
g *Ibidem.*
h *Arg. c. peruenit. de emptio. & vẽditio. & l. si filius. C. de petit. hære.*
i *ff. de precario.*
k *In c. hi qui. de præbe. l. 6.*
l *Consil. 112. prim. par. cõs. feuda.*
m *In §. insuper. de prohib. feud. alien*
n *Consi. 278.*
o §. *si quis rẽ fecerit. ff. de exhiben. reis.*

## DE SOLVTIONIBVS.

### SVMMARIVM.

1 *Res transit cum onere suo: fallit, quando res ipsa, antequam dicto onere afficeretur, mutata forma, ad alium qui non est successor perueniret. nu. 2.*

1 *Decimæ & collectæ soluendæ aliquo anno de fructibus alicuius beneficij, debent ab eo solui qui illius anni fructus percepit, etiam si beneficium tempore solutionis mutauerit possessorem, modò qui illos percepit, eos tamquam beneficiarius perceperit. nu. 4.*

2 *Pensio Apostolica auctoritate imposita super distributionibus quotidianis alicuius beneficij obligat solummodò ipsum beneficiarium pensioni consentientem, & in beneficio successorem: qualis cùm non sit nec Capitulum; nec singuli de Capitulo, quibus dictæ distributiones vacante beneficio ratione interessentiæ accrescunt, sequitur vt illi ad illam non teneantur.*

2 *Distributiones quotidianæ alicuius beneficij, super quibus alicui reseruata est pensio, tunc demum remanent dicto onere affectæ, si à beneficiario ipso lucrifactæ sint.*

3 *Pensio annua soluenda ex fructibus alicuius beneficij taxatiue expressis operatur quidem vt nõ debeat solui ex alijs, quàm ex dicti beneficij fructibus perceptis, vel qui percipi potuerunt, sed non tollit quominus termini illorum annorum, in quibus nulli potuerunt percipi fructus, solui debeant ex fructibus in sequentibus annis successiue perceptis, siue percipiendis num. 4. & 5.*

*3 Taxationis, & non demonstrationis causa censetur facta mentio rerum,ex quibus quid solui mandatur, quando vtraque vna & eadem oratione continetur.*

*4 Pensionarius potest pensiones non exactas exigere à successore in beneficio,nedum pro illis annis in quibus beneficium fuit ab antecessore possessum, sed etiam in quibus fuit vacans, non tamen poterit cogi,vt soluat nisi ex fructibus,prout eos successiue ex eodem percipiet beneficio.nu.6.*

## CONSILIVM I.

QVæritur primo, an Antoninus pensionarius,cui constituta est pensio 250. scutorum super fructibus & distributionibus cantoriæ valoris 1250.ducat. vacante cãtoria per annum,& fructibus eius, qui in solis distributionibus consistunt,præter aureos centum,cedentibus Capitulo,posit petere pensionem à Capitulo.

Secundo,an posit petere ab eo,qui ei fuerit successor.

Duæ quæstiones videntur proponi.Prior est, an prædictus.Antonius posit petere prædictam pensionem prędicti anni à Capitulo.Posterior,an poterit petere ab eo, qui successerit in d.cantoria.

1 AD PRIOREM respondeo,quod pro eius parte affirmante facit,quod res cum suo onere trãsit.[a] At distributiones quotidianæ prædicti anni Ecclesiæ prædictæ videntur oneratæ,& affectæ onere soluendi prędictam pensionem:ergo is vel ij,ad quos transierint tenebuntur soluere illam.Cũ ergo distributiones trãsierint ad Capitulũ, vel dignitates, & canonicos illius Capituli, illi tenebũtur ad soluendũ illã. facit quod collecta vel decima soluenda aliquo non de fructibus alicuius beneficij, solui debet ab eo,qui fructus anni accepit,etiamsi antequam soluerit desinat esse beneficiarius illius beneficij,quod sępè se respõdisse ait Dominicus.[b]

a Ca.ex literis.de pig. & ca.si quis laicus.16.q.1.

b In cap.præsenti.§.porro. de off. ordin. lib.6.

2 His tamen non obstantibus pars negatiua videtur verior,tam quo ad Capitulum,quam quo ad illos,qui sunt de Capitulo.Quo ad Capitulum quidẽ duplici ratione.Prior est:quia nihil de distributionibus prędictis peruenit ad illud,illæ enim totæ peruenerũt ad singulares de Capitulo, & constat aliud esse Capitulũ,aliud singulos de Capitulo iuxta c.*eam te*,vbi latè hoc Felin. exornat.[c] Posterior est, quod literæ Apostolicæ, obligant ad soluendam prędictam pensionem solum Ioannem,qui consenserat eius cõstitutioni,& successores in ipsa cantoria,vt ex tenore illarum constat, de quibus non est Capitulum,vt palàm est. Quod autem non posit petere etiam à singularibus, qui non fuerunt,vel fuerint successores in cantoria, probatur posteriore ratione:quia literæ Apostolicę non obligãt illos,nec vllam de illis mentionem faciunt. Probatur etiã, eo quod nihil prædictarum distributionũ prouenit ad eos ratione prædictæ cantoriæ,sed tantùm ratione suarum dignitatum & canonicatuũ, ratione quorum diuinis intererant.

c De rescrip.

Non obstant opposita: quia concedimus quidem rem transire cum onere suo, sed negamus prædictas distributiones,quæ numquam fuerunt quæsitæ per vllum cantorem,esse oneratas illo onere:quia ad summum illæ tantũ,quę essent lucrifactæ per cantores,potuerũt esse affectę, & obligatæ onere illo, iuxta illud solẽne Ludou. Ro.[d] de quib.nõ sunt illæ quæ accreuerunt eis ob absentiã cãtoris, & determinatio Dominic.loquitur de collecta,quę debebatur à beneficiario de fructib⁹,quos ratione sui beneficij percepit,quod non contingit in casu proposito,in quo pẽsio debetur de perceptis à cantore, quales nulli sunt:quia nullus fuit cantor,qui eos percipere posset.

d 388. in casu.

AD POSTERIOREM QVÆSTIONEM, videlicet an prædictus Antonius poterit petere prædictam pensionẽ ab eo qui successerit in dicta cantoria,esto quod distributiones,nec fructus perceperit, respondeo pro parte negante facere primo,quod ipse nõ recepit, neq; quidquam vmquam recipiet de fructibus, & distributionibus prædicti anni,quo cantoria vacauit:quia illi cum consisterent in distributionibus quotidianis,accreuerunt Capitulo,vel singularibus dignitatibus,vel canonicis, qui fuerũt illo anno de Capitulo,& interfuerunt horis, & aliis diuinis officiis,iuxta cap.1.[e] & [f] Conc.Trident.& iniustum videtur,quod qui non rapuit,nec accepit,exoluat.[g]

e De cler.nõ resid.lib.6.

f Capi.12. de refor.sess.24.

g Argu.cap. si res aliena. 14.q.6.c.peccatum.de regul.iur.lib.6.

Secũdo,quod non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri,[a] nec debet alius pro alio teneri,arg. illorum tit.C.*ne fil.pro patr.& ne vxor pro mar.* & illius Ezechielis,[b] *Filius non portabit iniquitatem patris.*

a L.non debet.ff.de reg. iur.

b Ezech. 18.

3 Tertio,quod non debetur pensio illius anni quo non fuerunt percepti,neç potuerunt percipi fructus beneficij, si fuerunt in bulla expressi causa taxationis,& non demõstrationis,vt grauiter definit Paul.Castrensis,[c] & post illũ Fel.[d] & addit Gigas,[e] quod secundum stylum Curiæ fructus, super quibus imponitur pensio, exprimuntur causa taxationis,& non causa demonstrationis:& rectè quidem, quia vna & eadem oratione continetur reseruatio pẽsionis,& nominatio fructuum,ex quibus illa est soluenda, & quando id vna & eadẽ oratione fit, censentur fructus nominati causa taxationis,vt efficaciter probat Paul. cõmuniter recep.[f] & in casu proposito fructus non fuerunt recepti,nec potuerunt percipi ab aliquo: quia vacabat cantoria,& non erat cantor qui posset interesse diuinis. ergo non potest peti pensio pro illo anno.

c Cons. 338. nu.3.col.1.

d In c.ad audientiam. 2. n.7.de rescri.

e In q.62.de pensio.

f In d. cons. 338.nu.3.

His tamen non obstantibus pars affirmatiua videtur verior.Tum quia intentio Papæ est seruanda,[g] argum.l. *In conditionibus primum locum eorum habet intentio disponẽtis.*[h] At intentio Papæ fuit,prouidere D.Antonio de prædicta pẽsione pro victu eius honesto, vel parte eius soluenda de fructibus & distributionibus per Ioannem cantorem, & successores eius percipiendis:ergo soluenda est illa ab aliquo,& non à Capitulo,neque à singularibus de illo, ergo à successoribus eius.

g Ca.super literis. sub fin. de rescrip.c. fin. de præb.

h ff.de cõdit. & demonstr.

4 Tum quia stylus Curiæ habet, quod pensionarius potest petere pensiones decursas,& non solutas annorũ prçteritorum à nouo possessore beneficij, qui nihil vmquam recepit, nec fortè recipiet, nec recuperabit à præcessorib. suis,nec ab hæredibus eorum,& id esse iuri consonum, satis colligitur ex Dominico & Frãco,[i] & ex traditis à Caccialupo[k] & latius ex Gigante.[l]

i In c.præsenti.§.fin.de offic. ord.li.6.

k quæst.11.de pension.

l In tract.de pensio.qu.39.

Non obstat primum oppositum:quia concedimus successores prædictos numquã esse percepturos de fructibus, & distributionibus illius anni, sed negamus eos ob hoc liberari:quia tenebuntur ad soluendum de fructibus perceptis ab eis aliis annis,quibus cantoriam possederint:sicut tenerentur soluere pẽsiones omnes decursas, si prædictus Ioannes cantor non soluisset eas,vt dictum est.Non obstat etiam secundum:quia successor in cantoria nõ cogitur ad soluendam pensionem propter factum alienum, sed propter suum,quia recipiet & posidebit cantoriam onustam prædicta pensione,nulla facta ei remissione, & ita cessant omnia ibi citata ad probandum, quòd vnus pro alio non debet teneri.successores enim prædicti non tenebuntur pro aliis,sed pro se & suã cantoria à se possessa & retenta.

5 Non obstat etiam tertium, licet plurimum vrgeat:quia concedimus non esse soluendam pensionem annuam illo anno, quo non nascuntur fructus illius anni, concedimus item,quod in literis pensionum, fructus vnde debẽt solui, causa taxationis exprimuntur,vt in argum.sed dicimus illã hoc operari, quod non est soluenda de aliis,quam de fructibus ipsius beneficij,non tamen operatur,quod non debeat solui pensio pro anno,in quo nõ colliguntur fructus, & ita si percipiantur à successoribus cantoriæ fructus,vnde posit solui pensio decursa,tenebuntur soluere illã,siue perceperint siue non perceperint fructus annorum prçteritorum,& siue alij possessores perceperint, siue non perceperint,per prædictum stylum Curię, & iura quibus ille fundatur.vnde si in literis diceretur, quòd pẽsio quælibet annua solueretur à beneficiario de fructib. illius anni,pro quo est soluenda pensio, non teneretur soluere successor pro anno,in quo non colligerentur fructus.sed quia in litteris solùm fit mentio fructuũ percipiendorum ex beneficio:taxatio quidem fit quo ad hoc,vt si nulli fructus percipiãtur,nec percipi posint,non soluatur pẽsio de aliis fructibus:sed quia litteræ non taxant,neque limitant pensionis solutionem ad fructus huius vel alterius anni,soluenda erit de fructibus,qui percipientur ex beneficio illis,vel aliis annis.Facit ad hoc argumẽtum à parte ad totũ,[m] quòd communiter omnia beneficia cùm vacant aliquo tempore manẽt vacantia,& collatarij eorum absque possessione illorum,& consequenter sine potentia quærendi distributiones quotidianas: sicque eorum possessoribus,& inter-

m Iuxt.l.quæ de tota.ff. de rei vend.

essentibus diuinis debentur:attamen vsus habet,quod qui accipiunt beneficia huiusmodi pensionibus onusta,soluūt pensiones, non detracta aliqua parte illius, pro rata temporis,quo non potuerunt interesse diuinis.

6 Ex his tamen infertur,quòd successor non poterit cogi ad soluendam pensionem statim quò successerit, donec lucretur, vel per eum steterit quo minus lucretur tantùm de fructibus,& distributionibus, quàm commodè illā soluere poterit de fructibus cantoriæ, qui nominantur causa taxationis,& demonstrationis solutionis faciendæ: & ita non tenebitur soluere de aliis bonis,quā de his,quę quęsiuit,vel per eum steterit, quo minus quæreret de fructibus cantoriæ. Salua,&c.

*SVMMARIVM.*

*1 Fructus episcopatus vacantis, à die vacationis successori debentur de iure,nisi Pontifex illos Cameræ vel alteri specialiter reseruauerit.*

*2 Pensionis reseruationi qui nec per se, nec per procuratorem consentit,ob non solutionem non ligatur censuris, antequā reseruationis litteræ non per alterius notarij transumptum, sed in authentica forma intimentur. nu.4.*

*3 Pensionem præteritorum annorum ab antecessore non solutam ita tenetur soluere successor ex fructibus,quos ipse percepit, vel in futurum percipiet,vt ab hærede antecessoris, qui fructus dictorum annorum percepit,quod soluit recuperare valeat.& nu.5.*

*6 Pensionarius tenetur compēsare seu deducere ex terminis sibi debitis id quod beneficiarius pro ipso in expeditione bullarum pensionis soluit iuxta stylum Curiæ,nec potest propria auctoritate capere fructus pro solutione suæ pensionis. nu.7.*

*8 Declaratio contra non citatum, quod inciderit in censuras, est nulla cum omnibus inde sequutis:& hoc,modo non simus in notoriis.*

## CONSILIVM II.

1 CErtum est,iure solo cōmuni attento, quod Episcopus debet habere fructus sui episcopatus,obueniētes non solùm à tempore datæ prouisionis, sed etiā quotquot obuenerunt à tempore vacationis, [a] nisi illos quos Sede, Apostolica sibi,fisco Regio,vel aliis reseruauit, quarum reseruationum copiæ ostendi deberent, aut summa earū proponi ad rectè iudicandum: mihi autem nō exhibetur priuilegium fisci Siciliæ, quod super hoc habet, neque etiam copia literarum Regiarum, quæ fuerunt expeditæ die 7. mensis Ianuarij, super fructibus à fisco Regio perceptis vel percipiēdis vel reddendis. Deinde non ostēditur mihi, quo iure, & quibus literis Papæ præfatus Rinaldus Corsus acceperit fructus, quos narratur accepisse.

a Ca. quia sæpe. de elect. li. 6. cū sibi concordantibus.

2 Præterea bulla pensionis concessa officio Inquisitionis anno 78.& intimata anno 80. non nocuit domino Episcopo,ad incurrendam censuram vllam ante intimationē, quia non consensit constitutioni pensionis personaliter, immo neque per procuratorem: quia solùm debebat, eo quòd successit debenti eam, vel quia de consensu Regis constituit eam Papa, cuius copia neque summa monstratur mihi,vt possim iudicare de quibus ducatis sit intelligenda,quamuis credam intelligendam esse de ducatis 13. tarenarum, & non de ducatis 16. tarenarum, si vera sunt omnia quæ in facto narrantur.

3 Ad hæc credo eiusdem Dominationem reuerendissimā teneri ad soluendā pensionem decursam à die constitutionis pensionis de fructibus perceptis,vel percipiēdis, saltem posteaquā eos perceperit ex fructibus annorum sequentium, remanente vel cessa sibi actione recuperādi ab eis,qui perceperunt fructus,& non soluerunt partem pensionis,quæ debebatur ex eis: quia secundum receptiorem opinionem, qui succedit in beneficio onerato pensione, debet soluere pensiones decursas, quas non soluit prędecessor,remanēte sibi actiōe recuperādi eas ab eius hęrede.

4 Insuper intimatio bullæ pensionis facta per transumptum,& non originaliter,ad nihil obligauit dominū Episcopum,quia habetur pro non facta, quia debuit fieri per instrumentum authenticum, [b] quale non est copia instrumenti per alium notarium exemplati siue transumpti, [c] præsertim si est rasum in loco suspecto, quale dicitur fuisse id,per quod fuit facta intimatio.

b Clem. causam. de elect.
c Authen. si quis in aliquo documēto. C. de eden.

5 Accedit,quod dominus Episcopus secundū receptiorem opinionem cogi potest ad soluendam pensionem anni 1578. cuius fructus non recepit, si postea recepit alios, vt prædictum est,remanente sibi actione contra hæredē, qui debuit eam soluere. Addo,quod,vt prædixi,credo dominū Episcopum non debere ducatos de Camera, sed tātum 13. tarenorum,si vera sunt narrata in facto, sed non posse me certo iudicare non visis literis. Quinetiam certum est, D. Episcopum retinere posse omnia quæ soluit ratione literarum,& impensæ factæ pro expeditione pensionis, quæ soluēda erat,per officium Inquisitionis, iuxta morem quē Curia seruat,& qui pro lege habetur.[a]

a Cap. quam graui. de crimine fal.

7 Certum est etiam pensionarium non posse auctoritate sua propria & priuata capere ea, quæ sibi pro pensione debētur,nisi sancta Sedes Apostolica id specialiter ei cōcesserit,vel nisi officium Inquisitionis habuerit huiusmodi priuilegium,quod ego non noui: & consequenter, dominum Inquisitorem,si processit,vt narratur in facto,malè processisse,& acta eius retractatū iri à S. D. N. iuri seruando deditissimo. Nec interim desino mirari, Inquisitionis executorem,tot quot narrātur errata iuris & facti fecisse,& quod ea si fecit,emendabuntur à S. D. N. & quod declaratio,quòd aliquis incidit in censuram, nisi notoriū sit,non potest fieri absque citatione,& denique quòd declaratio,& omnia quæ illam consequuta sunt, sunt nulla ipso iure, & eorum ligamina nulla indigent relaxatione, quia non fuere verè ligamina,per ea plurima quę nos pòst alios tradimus, [b] quamuis non est facile credendum tantū executorem,contra tantum Episcopum, in tanta ciuitate, tanta errata fecisse in offensam D. N. Iesu Christi,qui nos omnes sua misericordia saluet. Amen.

b In ca. cum contingat. de rescript.

*SVMMARIVM.*

*1 Capitulum,in quod perueniunt omnes fructus canonicatus consistentes in distributionibus,& grossa,tenetur soluere pensionem alicui super eisdem reseruatam,secundum aliquos, cuius contrarium tenet auctor.*

*1 Distributiones omnes acquiruntur solis interessentibus, non per verum ius accrescendi.sed ex particulari iuris dispositione.*

*2 Diuidere etsi non possit iudex canonicatum sine iusta causa,concordia tamen iudicialis est seruanda.*

*3 Optans secundum canonicatum liber est ab obligatione,qua per iudicialem concordiam initam occasione primi dimissi tenebatur.*

## CONSILIVM III.

ROgatus,vt perpenderem responsa duorum doctorum super his,& dicerem quid de illis sentirem, respōdeo primo,hæc dubia maiora esse,quam quæ pro eorum æquitate possem ego in præsentia ob occupationes varias resoluere.

Secundo,quod ad resoluendum primū,oportebat scire an hic canonicatus apud Sedem Apostolicam vacasset, an non,& aliqua alia.

1 Tertio,quod nisi prædicti doctores eruditissimi defendissent pensionem prædictam deberi à Capitulo prędictas distributiones lucranti,fortè decidissem contrarium. Tum quia pensio prædicta Ioan. videtur posita super grossa & distributionibus quærendis à canonico pensioni consentiente,& non super quærendis à tertio. Tum quia Capitulum non quærit distributiones interessentium, sed singuli de Capitulo nunc plures,nunc pauciores pro numero interessentium,iuxta cap. 1. [c] Tū quia illi singuli non videtur easdem quærere illo vero iure accrescendi, de quo agitur in l. re coniuncti, [d] sed eo quo c. 1. [e] habet quod distributiones tribuantur interessentibus. Tum quia nec Capitulum vniuersum, nec singuli canonici tenerentur soluere pensionem constitutam alicui super fructibus,& distributionibus alicuius canonici, si ille possideret illos, & non inseruiret ei interessendo diuinis,neque illo mortuo, vel nō possidente. argumento à simili, vel eadem ratione ca. dudum. [f] Sed quia prædictorum præcellentium doctorum auctoritas multum apud me valet,malo hærere, quàm tumultuariè iudicare.

c De cler. nō resid. li. 6.
d De leg. 3.
e De cler. nō resid. li. 6.
f 2. de elect.

2 Quarto,quod consonum videtur id quod alter prædi-

rum dominorum ait, scilicet vicarium non potuisse canonicatum vacantem diuidere sine iusta causa per citata ab eodem. Sed arbitror compositionem illam auctoritate vicarij factam inter litigantes debuisse seruari inter eos sine vlla diuisione canonicatus, vel præbendæ.[a]

3 Quinto, quod nisi verba instrumenti continentis cōpositionem prædictam aliud exprimāt, videtur præfatum Gabrielem, simul ac reliquit priorem canonicatū, & accepit optatum, liberatum fuisse ab obligatione cōtenta in prædicta compositione: quia illa restringebantur ad illud tempus, quo esset canonicus illius canonicatus, & per prędictam optionem desinit esse talis, & quo ad illum habetur pro mortuo, iuxta §. *ecce*,[b] & gloss. memorabilem.[c]

a *Iuxta cap. nisi. & ei adnot. de prab.*

b 7. q. 1.

c *Verb. morte. in cap. suscepta. de rescript. li. 6.*

### SVMMARIVM.

*1 Socios qui plures accipit officialis super suo officio, quā illud reddit, peccat, & ratione societatis sic initæ, posterioribus, præsertim ignorantibus, tenetur satisfacere.*

*2 Debitor peccat volens posteriorib. prius soluere, etiam si prioribus tāquam fideiussor, & posterioribus tamquā principalis teneatur: nisi incogitantia eum excuset: vel ob aliquam occasionem crediderit ita de iure faciendum, vel agatur de solutione extra iudiciū facienda, quo casu regulariter potest posterioribus prius soluere: immo si ab eis nimium vrgetur, tenetur: & hoc nisi iam cesserit bonis, vel sit is ad quem bona defuncti debitoris peruenerint, quia tunc non potest posteriores præferre. nu. 4.*

*3 Vsurarius tenetur prius mutuò accepta restituere, quàm vsuras extortas.*

*4 Debitor qui nimium vrgetur à posterioribus creditoribus, potest eis prius soluere, quam anterioribus etiam hypothecariis.*

*4 Consulēs in re in qua non habet interesse aliquod bona fide consulenti nullo modo tenetur, at tertio, qui ex dicto consilio damnum passus est, tunc demum tenetur, si fuit in culpa lata: quia de damno dato per leuem culpam nemo in conscientia tenetur. nu. 3. & hoc quando consilium versatur circa contractus: nam circa delicta aliud videtur.*

*5 Consilium non circa delictum, sed circa contractum is dicitur dedisse, qui bona fide, sed erronea & cum peccato consulit debitori, vt prius satisfaceret vni creditori, quàm alteri, licet exinde per accidens alter creditor damnum passus fuerit.*

## CONSILIVM IIII.

TVllius super suo officio accepit pecunias ad societatē, plusquā officium reddebat, & fideiussit pro aliquibus amicis. Deinde super eodem officio pecunias pro se ipso accepit: quo vendito, dum volebat creditoribus satisfacere, communicauit consilium cum amico, qui consuluit vt prius solueret propriis creditoribus, deinde iis quibus fideiusserat, cum pretium venditi officij nō sufficeret pro vtrisque. Quæritur, an consulens peccauerit, & teneatur ad restitutionem prioribus creditoribus.

1 Respondeo primò, quod peccat is, qui accipit ad societatem super officio suo, vltra quam illud reddit, & quod ratione societatis debet prædictus officiarius soluere sociis, à quibus pecunias ad societatem accipit, præsertim si posteriores socij ignorant accepisse ipsum prius alios socios, qui vacuarent omnes reditus sui officij, sicut & qui super vnum & eumdem fundum reddētem decem annua constitueret clam multos alios census, qui superarēt summam dictorum 10. annuorum, posterioribus ignorantibus census anteriores constitutos, iuxta ea quæ scribimus in in commen. resolut.[d]

2 Secundo, quod is officialis videtur peccasse volendo prius soluere his, à quibus posterius pro se ipso accepit, quam his, quibus antea se per fideiusionem obligauit, vt diximus in Man. confess.[e] scilicet quod debet prius soluere illa, pro quibus soluendis prius se & omnia bona sua, præsertim in forma Cameræ obligauit, quàm quæ postea contraxit, & ita peruertendo illum ordinem videtur commisisse iniustitiam, quæ est peccatum mortiferum, secundum S. Thom. recep.[f] nisi ignorantia, vel inaduertentia excusasset illum, eo quod aliquam occasionem habuit credendi, quòd prius debebat soluere illa, quæ pro se ipso accepit, & quæ in sui ipsius vsus impendit, per mox. dicenda: & quia vt post Caiet. diximus,[g] prius tenetur soluere vsurarius mutuo à se accepta, quam per vsuras extorta.

3 Tertio, quod si is principalis peccauit, difficile excusari potest consulens à peccato: quia consentiens peccato peccat.[a]

d *Cap. 1. 14. quæst. 3.*

e *Cap. 17. nu. 51.*

f *2. 2. quæ. 59. art. 4.*

g *Vbi supra nu. 32.*

Quarto, quod graue dubium videtur, an culpa ipsius, dato quod peccauerit consulendo, fuerit leuis vel lata, quod tamen plurimum importat; quia si leuis fuit, non videtur teneri ad restitutionem, per dictum sing. Innoc. c. sicut dignum. de homicid. si autem fuerit lata, sic, secundum Innoc. ibid.

4 Quinto, quod ad dicendum quod fuit leuis, facit primò, quòd ipse non erat iurisperitus, neque petebatur ab eo consilium tamquam à iurisperito, sed tāquam ab amico & officiario Curiæ. Secundò, quòd ferè omnes suæ cōditionis homines putāt fideiussores iustè posse soluere prius debita sua, quàm aliena, pro quibus fideiusserunt. Tertiò, quòd iure regulari debitor potest soluere extra iudicium creditoribus suis posterioribus prius quam prioribus, immò & debet, si ipsi prius petant.[b] Quartò, quòd communiter debitores, qui soluunt prius posterioribus creditoribus nimium vrgentibus, quàm prioribus etiam hypothecariis, quibus se & sua obligarunt, communiter dicuntur non peccare. Quintò, quòd aliud videtur dicendum de soluendis debitis mortuo debitore, vel cessione bonorū facta per eum, & aliud de soluendis debitis viuentis, qui potest bona fortuna, vel industria soluere aliis creditoribus prioribus: & ita non est tanta culpa consulere huic viuenti, quanta esset consulere idem custodi bonorum mortui, vel eius, qui cessit bonis. Sextò, quòd fertur in Signatura Papę decretum esse aliquando, vt fideiussor viuens & impotens ad soluenda omnia debita, prius solueret debita pro se contracta, quàm per fideiussionem debita. Septimo facit cap. *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur*,[c] cum is de quo agimus, bona fide laudauerit cōsilium prædictum decoquere volentis.

5 Non obstat, quod licet consulens bona fide non tenetur consulenti, quando sua non interest,[d] tenetur tamen tertio, cui ex dicto consilio damnum consequutum est, si consilium illud fuit causa, sine qua non fuisset illud damnum sequutum,[e] vt singulariter annotat Dinus,[f] non inquam hoc obstat; quia illud intelligendum est de consilio malè dato per culpam latam, sed non per leuem tantùm, vel fortè nullam, per proximè allata. Non obstat etiā, quòd licet nemo teneatur ex malo consilio bona fide dato circa contractus, tenetur tamen de dato circa delicta, vt omnes DD. tenent,[g] & latius Decius,[h] non inquam hoc obstat: quia in nostro casu agitur de consilio dato circa contractus, & non circa delicta; & licet aliquod peccatum interueniret in sic contrahendo, vel distrahendo, illud tamē non contingit per se, sed per accidens, & nō principaliter, & ita de eo non est curandum.[i] Salua, &c.

a *Ca. 1. de offic. deleg.*

b *L. pupillus. ff. quæ in fraudem credi.*

c *De reg. iuris. lib. 6.*

d *L. e. 2. §. fin. ff. Mandati. d. cap. nullus.*

e *Arg. ca. fin. de iniur. l. qui occidit. ff. ad legem Aquil.*

f *In dict. reg. nullus.*

g *In d. c. nullus. & l. consilij. ff. de reg. iur.*

h *D. reg. consilij.*

i *L. si quis nec causam. ff. de rebus cred.*

### SVMMARIVM.

*1 Debitor occultus transmittens creditori debitum per confessarium, qui infideliter agens pecuniam sibi retinuit, non liberatur, sed solùm excusatur, donec rescicuerit dolum confessarij.*

*2 Regularis confessarius accipiens à pœnitente pecuniam numerandam pœnitentis creditoribus, & in alios vsus consumens, restituat eo modo, quo regulares suis creditoribus sine damno monasterij satisfacere debent, puta ex iis, quæ sibi corradunt ex suis portionibus: vel, & hoc videtur iuri magis cōgruum, factum pœnitenti reuelet. nu. 3. quod si creditores sunt incerti, cùm tunc restitutio sit facienda pauperibus, potest sibimet tamquam vni pauperi restituere. nnm. 4.*

*3 Confessarius ad restituendum quid accipiens, eamdem quam pœnitens curam adhibere debet inueniendi creditores.*

*4 Incertis creditoribus qui restituere tenetur, si sit pauper, potest sibi tamquam pauperi restituere.*

## CONSILIVM V.

COnfessarius religiosus accepit à pœnitente certam summam pecuniæ, vt ea satisfaceret suis creditoribus occultis, qui tamen impendit eam in suos vsus bonos, vel malos, mentitus pœnitenti, quod satisfecit creditoribus. Quæritur quid dicendum.

1 Respondeo primò quod pœnitens videtur satisfecisse, donec innotuerit ei dolus confessarij, argumento cap. *significanti*,[k] & aliorum iurium, quæ probant excusari quē ob fidelitatem nuncij, & ob auctoritatem consultorum.

k *De pignoribus.*

2 Secundo, quod præfatus D. confessarius tenetur satisfacere dictis creditoribus eo modo, quo religiosi possunt suis sine detrimento sui monasterij, vel ordinis, his modis, quos tetigimus in tractatu redit. eccl.[a] vbi potest videri: inter quos dicimus posse satisfacere de rebus, quas in suos honestos vsus dispenderent de licentia legitima suorum superiorum, iuxta ea quæ latius scripsimus in comment. 2. de regul.[b]

3 Tertio, quòd præfatus confessarius debet ponere tantam diligentiam in inquirendo prædictos creditores, & eorum hæredes, quantam tenebatur adhibere pœnitens: quia subrogatus sapit naturã eius, cui subrogatur.[c] Quarto, quòd iuri propius videtur præfato confessario, vt admoneat secretissimè pœnitentem, quod non soluit præfata debita, si pœnitens viuit.

4 Quinto, quòd si nullo modo prædictorum potest satisfacere, excusabitur impotentia, iuxta cap. *Odoardus*,[d] & l. *nam & is*,[e] & tradita per S. Thom.[f] & per nos post alios in Man. conf.[g] Sexto, quòd si creditorum, & debitorum incertitudo non poterit certificari, vel qua parte non potest, est facienda restitutio pauperibus, si fieri potest, per capit. *cum tu*, iuncta glo. de vsuris. & ipsemet confessarius potest esse vnus de pauperibus, cui tamquam pauperi potest fieri restitutio, vt nos vtiliter declaramus in Enchrid. de orat.[h]

a Quæst. 3. monit. vltimo, & explicati q. 2. mon. 20.
b Super cap. non dicatis. 12. q. 1.
c L. eum qui. §. qui iniuriarum. ff. si quis cautionibus.
d De solutio.
e ff. de dolo & doli except.
f 2. 2. qu. 62. art. fin.
g Cap. 17. nu. 75.
h Cap. 7. nu. 54.

SVMMARIVM.

*1 Creditor anterior per reuocatoriam reuocat, quicquid facto debitoris fraudantis in alium peruenit, etiamsi esset translatio triennalis locationis, qua debitor prædia ad triennium conduxerat: nec penes eum, qui sic per fraudem acquisiuit, debet quicquam remanere: secus esset, si peruenisset ex non facto, seu omissione, puta quia debitor nolendo acquirere fuerit causa, vt ius non acquisitum in hunc tertium perueniret.*

## CONSILIVM VI.

Titius fideiussit pro Sempronio pro summa 200. scutorum mutuò acceptorum à Ioanne, quorum centum D. Sempronius consumpsit in colendo vineã, quam à Petro ad Triennium conduxerat, & alia 100. in soluendo quædam alia debita. Titius cupiens solutionis prædictæ fideiussionis periculum euadere, dixit ipsi Sẽpronio: Iam scis te antea contraxisse quamplurima alia debita maiora, quàm soluere valeas. Quapropter te mortuo, cùm ista mea fideiussio vltimum debitum sit, necessariò mihi erunt soluenda ex propriis bonis ista 200. scuta: obsecro te, vt pro mea securitate, & cautela, transferas in me locationem d. vineæ, vt ego possim dicere fructus eius meos esse, & ex eis satisfacere fideiussioni prædictæ, aliàs si non satisfacis ex eis, possim te compellere ex eisdem soluere. Consensit Sempronius, & sic coram notario, & testibus in præsentia dicti Petri domini vineæ consentientis, pariterque transferentis facta fuit translatio prædictæ locationis triẽnalis eius in ipsum Titium. Post duos autem annos à dicta trãslatione defunctus est Sempronius relictis in esse aliquibus fructibus ex ipsa vinea separatis, & anteriores creditores sua credita ab hæredibus petunt. Sed cùm non sufficiat hæreditas omnibus soluere.

Dubitatur primò, an prædicta cautela translationis dictæ locationis ita sit valida, & iusta, vt d. Titius ex prædictæ vineæ fructibus, scuta illa ducenta vltimo & recentiori creditori, cui per dictam fideiussionem ipse est obligatus, licitè soluere possit, aliis creditoribus relictis.

Secundò, an saltem soluere licitè possit prædicta centũ scuta in colendo & beneficiando dictam vineam ab ipso Sempronio insumpta.

Tertiò, an tuta conscientia prædictus Titius post mortem dicti Sempronij in conductione dictæ vineæ virtute supradictæ translationis pro illo tertio anno, qui deest, vt finiatur prædicta conductio, succedere valeat: vel potius sit dicendum, ei hæredes ipsius Sempronij succedere.

1 Respondeo, quod creditores antiquiores habentes antiquiorem obligationem contra Sempronium poterunt per actionem reuocatoriam,[i] reuocare præfatam translationem locationis, & vtilitates inde sequutas, eo quòd nõ potest negari illam fuisse factam in fraudem creditorum. Tum quia licet illa non habeat locum contra eum, ad quẽ peruenit aliquid, eo quod debitor noluit quærere illud cũ posset,[a] habet tamen locum contra illum, ad quem peruenit aliquid ex aliquo contractu debitoris, vel per quodcũque aliud factum.[b] Tum quia præfatus Sempronius debitor alienauit à se vsum triennalem vineæ locatæ in Titiũ, & etiam melioramenta quæ fecit in vinea, & etiã operas, quas facturus erat in administranda & colenda illa, & in fructu eius percipiendo, & denique quod nihil debet remanere apud fraudatorem, ex eo quod per fraudem venit ad eum.[c] Salua, &c.

i Toto tit. ff. quæ in fraudem.
a L. e. qui autem. ff. quæ in fraudem creditorum.
b L. e. 1. ff. eod.
c L. e. ait prætor. 2. §. penul. ff. eod.

SVMMARIVM.

*1 Regularis quicquid acquirit, suo monasterio acquirit, si sit illius capax, & nu. 20. & hoc ita irreuocabiliter, vt de acquisitis non possit disponere. nu. 11. fallit in beneficiato, qui beneficio suo, modo non sit episcopatus titularis clero carens, & populo, cui non acquirit, & nu. 20. omnia quæ acquirit, ita acquirit, vt tamen solus retineat illorum inter viuos dispositionem. nu. 11.*

*2 Beneficiarius de fructibus beneficij inter viuos disponit in sui honestam sustentationem, & alios pios vsus, & illos etiam in vita sua percipiendos, quamuis sit regularis, potest obligare. nu. 6. & 10. ei verò morienti de iure is qui in beneficio successor est, sed ex priuilegio ratione spoliorum succedit Camera Apostolica. n. 3. 12. & 17.*

*4 Beneficiarius debitor ex superfluo, quod debet pauperibus, nõ potest soluere debita sua: fallit, quando non habet, vnde aliũde soluat. nu. 7. & 9. nam tunc sibimet in effectu tamquam pauperi non valenti sua debita soluere erogat: immo & cogitur via iuris, vt ex illis soluat. nu. 15.*

*4 Monasterium non soluit debita contracta per monachum, nisi creditor probet conuersa in vtilitatem monasterij, vel quod mandante monasterio illa contraxerit. nu. 16. contracta autem per beneficiarium soluuntur de bonis relictis, quorum viuens solus habebat administrationem. num. 16. at contracta à cõuentu seu monasterij Superiore exigit creditor ab ipso monasterio, absque eo quod cogatur probare conuersum fuisse in vtilitatem monasterij. num. 6. 8.*

*5 Spolia Ecclesiasticorum beneficiariorum ita debentur Cameræ, vt illa ex illis non teneatur soluere debita relicta, nisi quãdo defunctus non reliquit alia bona, vnde possit propriis creditoribus satisfieri. nu. 19. quia bona, in quibus Camera ratione spolij succedit, intelliguntur deducto ære alieno. nu. 5. & 13.*

*6 Beneficiarius duobus modis contrahit debita: nam quandoq; seruatis seruandis contrahit nomine & in vtilitatem Ecclesiæ seu beneficij, & tunc bona Ecclesiæ etiam pretiosa & inalienabilia remanent etiam obligata. quandoque cõtrahit nomine proprio, & tunc prædicta bona Ecclesiæ non remanent obligata, sed fructus, & alia eius bona, de quib. beneficiari' solus poterat inter viuos disponere, ita vt hæc bona ad successores cũ suo transeant onere. Debita primo modo contracta soluit successor in Ecclesia & beneficio: secundo modo contracta soluit is, qui debitori succedit in aliis bonis, nu. 14. 18. 19. & hoc siue dicta debita secundo modo contracta fuerint conuersa in vtilitatem Ecclesiæ, siue nõ. nu. 10. Camera tamen, quæ succedit in spolio, ad hoc nõ tenetur, quando debitor alia bona reliquit: quia tunc de illis primo soluenda sunt debita. nu. 19.*

*14 Intellectus cap. 1. de fideiussionibus.*

*15 Intellectus cap. peruenit. de solution.*

*20 Episcopus titularis, qui caret clero & populo, non acquirit suo episcopatui non habenti nec clerum, nec populum.*

## CONSILIVM VII.

Qvidam Archiepiscop. olim frater Minor, anno M. D. LXXV. obligauit se in forma Cameræ ad soluenda 500. scuta collegio cuidã pro parte pretij, quo emerat quoddam palatium ad vitam suam: quibus non solutis, mortuus est anno sequenti 76. cuius spolia Camera Apostolica accepit, à qua prædictum collegium petit sibi solui prædicta 500. scuta. Quæritur an teneatur Camera ei soluere.

1 Pro Camera facit primò, quòd Archiepiscopus fuerit frater Minor, qui, vt nullus alius religiosus, non potest habere dominium, neque possessionem alicuius rei temporalis etiam minimæ,[d] quia quicquid acquirit, acquirit monasterio, vel Ecclesiæ, cui præest, etiam si fuit factus Episcopus, iuxta cap. 1.[e] & cap. *cum olim*,[f] vbi latè tradit Innoc. receptus ab omnibus, & ideo non videtur Archiepiscopus se potuisse obligare ad soluenda prædicta, cùm non posset sibi quærere, vnde illa solueret, nec consequenter prædi-

d Ca. non dicatis. & ibid. not. 12. qu. 2.
e 18. q. 1.
f 2. de priuil.

cta Camera tenebitur, vt eius successor.

2 Secundò facit, quòd nec etiam clericus beneficiarius sæcularis acquirit ita sibi ex reditibus beneficij sui, vt fiat dominus integer, & perfectus, sed solùm secundum quid, hoc est ad hoc, vt ex his posſit se decenter alere, & reliqua impendere pauperibus, vel aliis piis operibus, vt tradit Innocentius,[a] quod nos retulimus, & ampliauimus in tract. de redit. ecclesi.[b] & ita neque potest disponere de illis donando inter viuos diuitibus, & operibus profanis, neque in morte testari de illis,[c] & ita Camera, quæ per sua priuilegia succedit in spoliis clerici morientis loco Ecclesiæ, vel successoris, qui iuri communi succedere debebat, debet habere illa, quæ prædictus Archiepiscopus reliquit.

3 Tertiò facit, quòd Papa reseruauit spolia clericorum tam sæcularium, quam regularium, vt efficaciter probamus in tractatu de spoliis super cap. *non liceat*,[d] at omnia quæsita bona ex reditibus ecclesiasticis, quæ relinquuntur insumpta, dicuntur spolia, vt plenè probauimus ibi,[e] ergo omnia bona, quæ reliquit insumpta prædictus Archiepiscopus, sunt spolia, & pertinent ad prædictam Cameram, & non est alicui de illis soluendum.

4 Quartò, quòd sola illa debita præcessoris, quæ pro necessitate ecclesiæ contracta fuerunt, tenetur soluere successor,[f] at debitum prædictorum 500. scutorum non fuit tale, immo nec pro eius vtilitate: ergo Camera, quę illi successit, non tenetur ea soluere: quo argumento nititur Rota antiqua.[g] Quintò, quòd id, quod debetur vni, non potest iustè solui alteri:[h] at bona quæsita ex reditibus Ecclesiasticis debentur pauperibus, & operibus piis, ca. *quicquid*,[i] in cuius tractatu passim,[k] latè probauimus. ergo ex bonis Archiepiscopi, quæ in vita eius debebantur pauperibus, & post mortem ipsius, Papæ, qui est summus pater pauperum, non possunt iustè dari creditoribus eius. Sextò, quòd debitum contractum à religioso non debet solui à monasterio creditori, nisi fuerit conuersum in vtilitatem monasterij,[l] & prædictum debitum est debitum religiosi, & non conuersum in vtilitatem Ecclesiæ, ergo nō est soluendum creditori. Septimò, quòd præfatus Archiepiscopus habebat beneficium habens administrationem, & cōsequenter non poterat testari, iuxta glo. sing.[m] Octauò, quod Rota antiqua videtur in specie decidere hanc quæstionē,[n] quatenus sentit clericum non posse obligare suo creditori fructus sui beneficij. Nono, quod Rota antiqua,[o] sentit Cameram Papæ non teneri soluere debita creditoribus clerici de spoliis eius, saltem si non probantur versa in vtilitatem Ecclesiæ.

5 Istis tamen non obstantibus, quia verè non obstant, cōtrarium videtur de iure dicendum. Primò quidem, quòd illa bona tantùm dicuntur esse à moriente relicta, quæ deducto ære alieno supersunt,[p] sicut & fructus, qui deducta impensa restant,[q] & ita illa sola bona præfati Archiep. pertinent ad Cameram, quæ deducto ære alieno, & consequenter præfatis 500. scutis superfuerint.

6 Secundò, quòd omnis regularis, siue religiosus beneficiarius, seu habens beneficium Ecclesiasticum potest disponere de fructibus, & reditibus eius æquè amplè, ac clericus sæcularis beneficiarius de fructibus, & reditibus sui beneficij, vt singulariter determinat Cardinalis,[r] cui nemo contradicit vsque ad quemdam nouissimum, qui sine vllo textu & ratione id facit, vt dixi in comment. 2. de regular.[s] & efficaciter probatur dicta Clem. 2.[t] inducendo eo modo, quo illum induximus in tractatu de reditibus eccles.[v] ergo præfatus Archiepiscopus, qui erat beneficiarius habens Archiepiscopatum, & alia beneficia Ecclesiastica, potuit disponere de fructibus eorum, sicut alij beneficiarij sæculares de fructibus suorū beneficiorum, & consequenter emere domum ad habitandum, præsertim ad suā vitam, & obligare reditus, & fructus beneficiorum suorū, quos inde durante sua vita colligeret pro solutione pretij eius, cùm palam sit hoc posse facere clericum sæcularem de fructibus, & reditibus sui beneficij.

7 Tertio, quod debita beneficiariorū debent solui creditoribus de reditibus suorum beneficiorum, si non habēt alia bona patrimonialia, vel quasi patrimonia, vnde illa soluant, vt est casus formalis cap. *peruenit* de fideiu. per quę stylo omnium curiarum tam Vrbis, quàm orbis, omnes beneficiarij, siue regulares, siue sæculares, coguntur ad soluendum sua debita de quæsitis intuitu suarum Ecclesiarū, & beneficiorum, si non habent alia bona, vnde illa soluāt, quæ ego plus satis experior ex eo, quod cogor iam circiter ad biennium manere in Vrbe, & non redire ad patriam, eo quod quidam dominus trapezita, siue campsor contendit me debere illi circiter duo millia scutorum, ob quamdam fideiussionem, quæ statim cogerer soluere, si non haberem alias iustas exceptiones, quam quod sim clericus, & canonicus regularis, & non habens alia bona, quàm beneficia, vnde illa soluam.

8 Quartò, quod etiam monasteria, quorum Prælati, & religiosi debent aliqua creditoribus, debent illa soluere illis, si fuerint contracta per Prelatos & conuentus eorum, etiamsi creditores non probent ea conuersa fuisse in vtilitatem Ecclesiæ. casus est in c. *quod quibusdam*,[a] quod clarius monstrabitur in solutione argumenti sexti.

Quinto, quod omnes actiones, & obligationes conuenientes alicui transeunt in hæredem eius, & contra hæredes debitoris,[b] ergo actio, & obligatio, quæ prædicto collegio iure naturali, diuino, & humano, Canonico, & Cęsareo competebant contra prædictum Archiepiscopum viuentem, competent eo mortuo contra hæredem ipsius ex testamento, siue ab intestato decedat. cum ergo Camera dicat se esse hæredem, & successorem vniuersalem prædicti Archiep., consequitur, prædicto collegio cōpetere contra illam actionem, & obligationem.

9 Sextò nec prodest ad soluendum hoc argumentum, dicere, quod Hostiensis dixit in c. *peruenit*,[c] illud c. cōtinere gratiam, & non iustitiam; quia cùm ibi respōdeatur cōsultationi, necessario continet iustitiam, iuxta glo. recep.[d] Neque quod Cardinalis dixit intelligendum esse illud ca. de debitis in vtilitatem ecclesiæ conuersis. Tum qui diuinat. Tum quia respōsio esset de re indubia, cōtra l. *ancillæ*,[e] Nec etiam quod Pan.[f] dixit, clericos illos, de quibus cap. illud loquitur, habuisse alios reditus patrimoniales. Tum quia diuinat. Tum quia contextus clarè probat fuisse iussos soluere de reditibus ecclesiæ. Tum quia respōsio esset de re indubia, contra dictam l. *ancillæ*. quorum triū tres intellectus latè cōfutauimus ante quinquaginta annos Salmanticæ prælegendo illud cap. quorum summam postea posuimus in Manu.[g] & nuper in tractatu de reditibus ecclesiasticis,[h] in quibus soluimus argumentum prefatorum Patrum, quod fecit eos timere, vbi non erat timor, & violare responsum Papæ, & recedere à prædicto omnium curiarum Vrbis & orbis stylo. & ita cum Archiepiscopus, dū viueret, contraxisset prædictum debitum, & fuisset obligatus ad soluendum illud in vtroque foro, & obligasset omnia sua habita, & habenda ad solutionem eius, & non reliquerit alia bona, quàm quæsita ex beneficiis, necessariò sequitur, ex illis esse soluendum à quocumque ipsius hærede, & successore, & consequenter à Reuerendissima Camera, quæ illi successit.

10 Septimò, quòd longè aliud est debitum Ecclesiæ nomine ipsius contractum, & aliud debitum Prælati, rectoris, & beneficiarij nomine suæ personæ contractum, secūdum mentem omnium,[i] obligatio enim nomine personæ Prælati, rectoris, beneficiarij, &c. solùm afficit reditus & fructus beneficij, vel Ecclesiæ, quorum dispensationē ipse habet, & quos potest alienare, & locare ad modicum tempus vitæ suę pro suo arbitrio sine alia iusta causa, & solemnitate iuris,[k] non autem afficit bona immobilia, neq; mobilia pretiosa pertinentia ad Ecclesiam, quæ nō potest beneficiarius alienare, neq; obligare sine iusta causa, & solēnitate debita,[l] obligatio verò nomine Ecclesiæ vel beneficij contracta afficit bona præfata immobilia & mobilia pretiosa, & reditus pertinentes ad fabricam Ecclesiæ, qui non subsunt dispensationi solius Prælati, vel beneficiarij, sed sunt conseruanda per operarios Ecclesię ad vtilitatem illius, & nō ad sustentationē beneficiarij, quales sunt multi, & amplissimi in Hispaniis: quæ æquiuocatio nominis bonorū, & debitorum Ecclesię confusa, & malè distincta, plus satis cōfusionis inducit circa dicta, & expositiones Doctorū tractantiū de obligatione bonorū, & solutione debitorum Ecclesiarum, & beneficiorum. & in præsenti nō tractatur de obligatione & solutione debitorū ipsarū

a In ca. indecorum. de ætate & qualit.
b qu. 1. mon. 21.
c Ca. 1. & c. quia nos. de testam.
d 12. q. 2. §. 5.
e §. 1.
f Ca. 1. de solut. iun. sua gloss.
g Decis. 1. de solut.
h Ca. ea te. de iureiur.
i 16. q. 1.
k In q. 1.
l Capi. quod quibusdam. de fideiuss.
m Ca. præsentes. de officio ord. l. 6. vers. reseruari.
n Decis. 1. de sout.
o 41. de prob.
p L. subsignatum. §. bona. ff. de verb. signif.
q Le. fructus. ff. sol. matr.
r Clem. 2. §. sed & tales. de vita & hon. cleric.
s Super capi. nō dicatis. 12. q. 1. nu. 10.
t §. sed & talis.
v Quæst. 1. monito 8.

a De fideiuss.
b Leg. 1. & 2. & toto titulo C. de hæred. act. & le. 1. ff. ad Trebell.
c De fideiuss.
d In cap. consultationi. de temp. ord.
e C. de fur.
f Ca. cum esses. de testa. num. 27.
g Cap. 25. nu. 131.
h qu. 1. mon. 52.
i In dicto ca. 1. de solutio. & ca. peruenit. de fideiuss. & alibi sæpe.
k Ca. vestra. de locat. & c. fin. ne præl. vic. su. clem. 1. de rebus eccle. non alienan.
l Ca. sine exceptione. 1. 2. q. 2. ca. nulli de rebus eccl. non alien.

Ecclesiarum, vel beneficiorum prædicti Archiepiscopi, sed de obligatione & solutione bonorum & debitorum personam ipsius Archiepiscopi afficientium, & ita Archiepiscop. pro arbitrio suo sine alia causa & solẽnitate iuris potuit obligare suam personam, & suos fructus, & reditus ad suam personalem dispositionem pertinentes, sine vllo dãno inde consequendo suis Ecclesiis, & beneficiis, & bonis eorum immobilibus, & mobilibus pretiosis, & reditibus ad fabricas pertinentibus: & illa obligata per illũ, ad quẽcumque transeant, cum onere suo transeut,[a] & obligationes, & actiones actiuæ, & passiuæ personam Archiepiscopi & bona ad ipsius solius dispensationẽ pertinentia transeunt in hæredem, & contra hæredem eius, siue debita cõuersa fuerint in vtilitatem Ecclesiæ, siue non. & ita cum in prædictam Cameram transiuerint prædictæ obligationes, & actiones actiuæ, & passiuæ, sicut potest vti actiuis ad recuperandum debita, quę Archiepiscopo debebãtur, ita pati debet passiuas ad soluendum ea, quæ Archiepiscopus debebat.[b] Id quod ex solutione oppositorum clarius apparebit.

11 Ad primum igitur oppositorum respondeo, concedẽdo quidem, quod nullus religiosus potest acquirere quicquam sibi, immo quicquid acquirit, monasterio, vel Ecclesiæ, cui præest, acquirit, sed aliter religiosus simplex, & aliter beneficiarius: simplex enim quærit monasterio irreuocabiliter, ita quod non potest disponere solus de illo quæsito, postquam quæsitum est, iuxta authen. *ingressi.*[c] Beneficiarius autem reuocabiliter, ita quod potest disponere de illis inter viuos, sicut alij beneficiarij sæculares de reditibus sui beneficij, vt probatum est primo argumento pro collegio formato: & in casu proposito non loquimur de religioso simplici, sed beneficiario, & non quali quali, sed Archiepiscopo.

12 Ad secundum concedo, quòd etiam clericus sęcularis beneficiarius non quęrit ex reditibus sui beneficij ita sibi, vt fiat perfectus & integer dominus, & cõsequenter, quod non potest de illis testari, neq; inter viuos donare cognatis, vel aliis diuitibus, negando tamen quod non possit dispendere ita quæsita in suos & suorum decentes vsus per contractus inter viuos non gratuitos, emendo videlicet, & vendendo, locando, conducendo, & permutando, immo & gratuitos, donando ob causam remunerationis, paupertatis, vel pietatis, vt in dicto tractatu latè tradimus,[d] & cõsequenter concedimus, quod prædictus Archiepiscopus non potuit testari, nec per vltimam voluntatem relinquere prædicta 500. scuta prædicto collegio. negamus tamen, quod non potuit per contractum non gratuitum emptionis, se & suos reditus obligare illi, sicut in forma Cameræ obligauit pro pretio emptionis prædicti palatij ad suam vitam, cùm religiosus beneficiarius possit disponere de reditibus, & fructibus sui beneficij, perinde ac sæcularis de reditibus suis, vt probatum est in argumento secundo pro collegio facto.

13 Ad tertium concedimus Papã succedere in bonis prædicti Archiepiscop. & quod omnia bona, quę ipse reliquit, debentur Reuerendissimę Camerę, sed negamus, omnia, quæ erant penes Archiepiscopum, esse bona illius, sed solũ ea, quæ supersunt deducto ære alieno, iuxta l. *subsignatum.*[e] & adducta in argumento primo pro collegio formato, & consequenter deductis prędictis 500. scutis, quæ erant æs alienum, seu debitum ipsius Archiepiscopi.

14 Ad quartũ, quod alia sunt debita, quę respiciũt & afficiũt personã beneficiarij, & reditus eius, quorũ dispẽsatio pertinet ad eũ solũ: & alia, quę afficiunt, & respiciũt ipsam Ecclesiã, & bona eius, de quibus beneficiarius non potest sine iusta causa, & iuris solemnitate disponere: aliud item succedere in beneficio, & aliud succedere in bonis beneficiarij, vt deductũ est in argumento vltimo pro collegio facto: & quod capit. 1.[f] loquitur de succedente in beneficio, & Ecclesia, & bonis, quæ non subsunt dispositioni solius beneficiarij. & ita concedimus, quòd ille non tenetur soluere debita, quę contraxit prædecessor, nisi fuissent contracta pro necessitate, vel vtilitate Ecclesię, quod habet illud capit. & ita fatemur, quòd successor prędicti Archiepiscopi in Archiepiscopatu & aliis beneficiis eius, non tenetur soluere prędicta 500. scuta, cùm nõ fuerint pro necessitate illorum accepta, vel promissa. & in casu proposito non loquimur de succedente in archiepiscopatu, & beneficiis prædictis, vel bonis eorũ, de quibus non poterat Archiepiscop. disponere in vita, sed de succedente in bonis Archiepiscopi, de quibus potuit ille disponere in vita per contractus non gratuitos, & etiam gratuitos, causa remunerationis, pietatis, vel paupertatis initos. & sic negamus, quod Camera, quę succedit in illis bonis, de quibus ille poterat disponere, non teneatur eius dispositioni stare, quãuis illa non fuerit facta pro necessitate ecclesię, alioquin enim non teneretur soluere etiam panem, vinum, carnes, & alia empta ab ipso pro sustẽtatione decentiæ suę vitę, & personę, si ante suam mortem ipsemet nõ soluisset, quod est absurdum, & ita nõ dicẽdũ.[a]

a Ca. ex literis. de pignorib.
b Arg. le. 1. ff. ad Trebel. & totius tit. eod. de hered. act.
c C, de sacrosan. eccle ca. in præsentia. de probat.
d Qu. 1. mon. 28. & 29. & seq.
e §, bona. ff. de verb. sign.
f De solut.

15 Ad quintum respondeo, quod hoc argumentum, cui nemo (vt arbitror) ante nos satisfecit, adeò torsit Innocẽtiũ, Host. Ioannem Andream, Card. Pan. & omnes alios,[b] vt illius contextum destruxerint, & inutilem fecerint diuinando, impropriando, & ad gratiam redigendo, vt dictũ est in argumento sexto pro collegio facto: & destruendo illum textum, docere videntur contra praxim omnium curiarum Vrbis & orbis, quod beneficiarius non potest iustè soluere, nec iustè potest cogi ad soluenda debita sua, quantumlibet legitima, de reditibus sui beneficij suis creditoribus, præsertim diuitibus, nisi fuerint contracta pro necessitate, vel vtilitate Ecclesiæ suæ: cui tamen argumẽto quinto nos in locis in prædicto argumento sexto citatis satisfecimus, ea consideratione, quòd omnis beneficiarius, siue sæcularis, siue regularis, qui verè & legitimè est obligatus ad soluenda aliqua, & non habet vlla alia bona, vnde illa soluat, quàm reditus sui beneficij, est pauper, & egenus, & soluere de illis debita legitima creditoribus, est dare, & impendere illos in vsus pauperis, & consequẽter non est dare illos aliis, quàm pauperibus. & ita respondendo formaliter ad hoc quintum argumentum, concedimus assumptum, siue maiorem eius, scilicet, quòd debitum vni non debet solui alteri, neque qui soluit alteri, liberatur à debito: concedimus subsumptum, seu minorem, scilicet, reditus beneficiorum superfluos esse debitos pauperibus, vel piis operibus: concedimus etiam consequentiam, ergo beneficiarius non debet soluere, nec cogi ad soluendum debitum creditori, saltem diuiti, intelligendo de beneficiario diuite, & habẽte patrimonialia, vnde illa soluat. negando tamen illam, intelligendo de beneficiario non habente talia patrimonialia: quia talis beneficiarius debitor est pauper, & soluere eius debitum, est soluere pauperis debitum, & consequenter dare pauperi: & ita talis beneficiarius ipsemet sua sponte potest soluere sanctè, & sanctè cogi à iudice ad soluẽdũ creditori etiam diuiti: quia id æquipollenter est erogare pauperi, & egeno, cum soluere creditori debitoris in effectu sit dare debitori, quia liberat eum ab obligatione.[c] Vnde & qui tenetur aliqua distribuere pauperibus, potest, si est pauper, capere sibi tãquam pauperi aliqua ex eis, vt diximus in Manu.[d] & latius in tract. de red.[e] post Bald.[f] Calderinum,[g] Ancharanum.[h]

16 Ad sextum respõdeo, quòd assumptum in eo, scilicet, debitum religiosi non est soluendum à monasterio, nisi conuersum fuerit in vtilitatem eius, intelligendum est de debito contracto à religioso simplice, sine mãdato monasterij, nos autem loquimur de religioso nõ simplici, sed de habente beneficium, & beneficia. Item, quod assumptũ loquitur de monasterio, quod nõ tenetur soluere debitũ religiosi etiam beneficiarij de bonis monasterij, de quibus ipse non poterat disponere, nos autem loquimur de reditibus, de quibus Archiepiscopus, licet esset religiosus, poterat disponere in vita sua: & ita nõ obstat penitus, quia à disparatis non fit illatio.[i]

17 Ad septimum concedimus, quod Archiepiscopus nõ poterat testari, etiamsi non esset religiosus, de reditibus suorum beneficiorum, nec prædictũ collegium petit prædicta scuta tamquam sibi debita ex testamento, vel vltima voluntate: sed negamus, quod non poterat emere, vendere, locare, & conducere per contractus alios licitos de reditibus suis legitimè initis, qualis fuit emptio dicti palatij ad suam vitam: & ita prædictum collegium petit prædicta scuta ex contractu, & non ex vltima voluntate.

a Le. nã quod absurdum. ff. de bon. liber.
b In c. peruenit. de fideiuss. & alibi sæpe.
c Institu. quibus modis tollitur obligatio. in princip.
d Cap. 25. nu. 123.
e qu. 3. mon. 25. & in q. 1. mon. 52.
f Leg. id quod de sacrosan. eccl. q. 22.
g Cons. 39.
h Cons. 84.
i Ca. ad audientiam. de decimis.

Ad

Ad octauum respondeo primo, quod Rota,[a] refert tantũ quæstionem Archidiaconi,[b] in quam inclinát etiam Innocentius & alij supra citati, videlicet, quòd clericus debitor non potest iustè soluere sua debita de reditibus sui beneficij; sed non ait, ita decisum fuisse à Rota; immo expressè ait, Auditorem Cameræ contrarium seruare, dãdo sequestrum fructuum beneficiarij pro debitis eius. Secũdo respondeo, quod potest intelligi de clerico beneficiario habente alia bona patrimonialia, ex quibus sua debita soluere posit, & non de non habente talia, de quo agitur in casu proposito.

a In illa decis. de solut. b Cap. statutum. §. assessorem, de rescrip. lib. 6.

18 Ad nonum, quod fundatur in decisione illa 41.[c] respondeo primo, quod non ait illam causam fuisse decisam per ibi adducta. Secundò, quòd nihil affirmat, sed dubitãdo & vacillando refert opiniones varias, quas latiùs & distinctiùs supra tetigimus, & reprobauimus; quia sunt contra contextum expressum c. *peruenit.*[d] & cõtra praxim omnium curiarum Vrbis & orbis, per responsa ad quintũ argumentum, cui non potuerunt respondere, & potest optimè & sanctè supradicto modo responderi. Tertiò, quòd ipsa fatetur, quòd debita contracta in vita à beneficiario habente administrationem, debent solui de reditibus eius quæsitis ab eo viuente; & in casu proposito agitur de habente administrationem, & non qualem qualé, sed archiepiscopatus. Quartò, quòd ineptè allegat ad suũ propositum glossam illam solemnem,[e] quia quæstio sua proposita, ibi est de debitis à clerico in vita per cõtract⁹, contractis; & glossa loquitur de debitis per vltimam voluntatem contrahendis: non enim glossa quærit, an clericus in vita posit contrahere, sed an posit testari, quæ lõgisimè differunt; & vera resolutio habet, quòd nullus beneficiarius potest testari iure communi sine dispensatione Papę de reditibus sui beneficij, siue habeat administrationem, siue non, quicquid illa glossa dicat, vt latè mõstrauimus in tractatu de reditibus,[f] & quod quilibet beneficiarius siue regularis, siue secularis potest contrahere obligationé, & actioné actiuã, & pasiuã, vt supra dictum est: & cùm in proposito casu tractetur de contractu, & nõ de vltima voluntate, illa glo. nõ facit, vt aiunt, ad rhõbũ.

c De probat. d De fideiuss. e Ca. præsenti. ver. reseruari, de offic. ord. li. 6. f Quæstio. 2. mon. 1.

19 Quinto; quod prædicta decisio confundit debitum beneficiarij, & debitum Ecclesiæ, & successorem beneficiarij quo ad Ecclesiam vel beneficium cum successore beneficiarij quo ad bona quæsita per eum de reditibus Ecclesiæ, quæ tamen sunt distinguenda; vt supra in argumento vltimo pro collegio facto distinximus: & omissa sua obscuritate resoluendum, quod succedens in bonis quæsitis ex reditibus Ecclesiæ non tenetur ad soluenda debita Ecclesiæ: nec succedés in Ecclesia & beneficio ad soluenda debita, quæ non fuerunt conuersa in vtilitatem Ecclesiæ. Per quã distinctioné, & resolutioné, cõcedimus, quod qui successerũt prædicto Archiepiscopo in Archiepiscopatu, vel aliis beneficiis, & Ecclesiis quæ per morté eius vacarũt, nõ tenentur soluere prædicta 500. scuta, quæ non fuerunt conuersa in vtilitatem Ecclesiarum: sed qui succesit, vel qui succedere debet vel ex testamenro vel ab intestato prædicto Archiepiscopo in quæsitis à se ex reditibus sui archiepiscopatus, & aliorum beneficiorum, debet soluere illa, si non reliquit alia patrimonialia, vnde illa solui posint; & quia Reuerãdisima Camera nõ succesit Archiepiscopo in archiepiscopatu; nec in aliis beneficiis, sed in quæsitis per eũ ex reditibus illorum, tenetur soluere debita ipsius legitimè contracta in sua vita, & cõsequenter prædicta 500. scuta. Quia verò vltra ea, quę hic scripto allegantur; dictum fuit mihi verbo, quod pro parua summa offerebatur à Camera concordia, & absolutio, consulo vt fiat, & acceptetur. Tum quia rei veritas in hoc casu habet, quod quidquid prædictus Archiepiscopus quomodolibet quæsiuit, siue ex industria, siue ex negotiatione, siue ex rebus donatis inter viuos, siue relictis in vltima volũ tate, siue aliter omne illud quęsiuit suo archiepiscopatui, vel sed Apostol. iuxta c. 1.[g] & multa alia, quæ nunc scribo in commen. c. *nõ liceat.*[h] eo quod propter solẽne votum paupertatis nullatenus potuit quærere sibi, nec cognatis suis. Tum quia prædictus Archiepiscopus per nullam vltimam voluntatem potuit relinquere quicquam suis cognatis, immo nec ad vlla opera pia; quippe qui eo quod erat religiosus, nullatenus potuit testari, iuxta ca. 2.[a] cum multis, quæ in dicto cõmentario scribimus.

g 18. qu. 1. & ca. cum olim. 2. de priuileg. h 12. q. 1.

20 Tum quia est consequens his, quòd exceptis illis bonis, quæ per fideicommissum, vel onus iniunctum apposita in testamento & donatione prædictis debentur necessario aliis, reliqua omnia pertinent ad Sedem Apostolicam, non tantùm ea ratione, quòd sunt spolia, quantùm eo quod à principio ei fuerunt acquisita: ita quod exceptis illis, quæ pro se sustentando Archiepiscopus expendit in vita, omnia remanserunt prædictę sedi, cui fuerunt quæsita; cum archiepiscopatui suo, vt dicitur, titulari, qui caret clero, & populo Christiano, non potuerint quæri: & ita nihil obstat intentioni Cameræ dicta extrauagans Pij V, quæ peculiaribus clericis plurimum commodat, vt nos diximus in comment. c. *non liceat.*[b] Salua, &c.

a De testam b 12. q. 1.

## DE DONATIONIBVS.

### SVMMARIVM.

1 *Donare potest quis inter viuos mille, vt donatarius eidem dũ vixerit centum quotannis soluat, nec hic contractus prohibetur per extrauag. Pij V. num. 2.*

1 *Periculi subitio facit, vt quis iustè capiat plus quam donat & teneant sponsiones.*

### CONSILIVM I.

QVIDAM donauit mille alteri donatione irreuocabili inter viuos, ea lège, vt donatarius teneretur ei redonare singulis annis vitæ ipsius centum, ita quod mortuo donatore, nihil deberetur hæredibus suis. Quæritur an is contractus sit licitus.

Respondetur, quod pro parte negante facit primo extrauag. *cum onus.* Pij V. quam iusto commentario donauimus in commen. c. 1.[c] quatenus vetat constitui aliquem censum in alia forma: quam in ea præscripta; & quod cẽsus hic non est cõstitutus in ea forma. Secũdo facit, quod prædictus donator si vixerit vndecim annos à donatione facta, accipiet aliquid vltra ea quæ dedit; & ita videri potest vsurarius vbique reprobatus.[d]

1 Pars verò affirmatiua tenenda est. Tum quod licita est donatio sub modo iusto facta,[e] & donatio præfata est eiusmodi; nullum enim continet modum iniustum. Tum quod subitio periculi est iusta causa suscipiendi aliquid vltra id quod datur iuxta iura,[f] & tradit Decius,[g] & in casu proposito donator subiit periculum perdendi magnã parté illorũ mille, quę donat: nã si paucis vel nullis ãnis vixerit, lõgè minus quã donauit accipiet, vel fortè nihil capiet. Tũ ꝙ is contractus nullatenus est mutuatio, etiamsi non sit vera donatio, sed donatio sub modo, vt dictum est, aut contractus innominatus, do vt des, vt diximus in Man. confess.[h] Tum quod, vt ibidem diximus; licitũ est donare alteri aliquid cũ pacto, quod si vixerit certos annos, reddatur ei duplum, & alioqui nihil.

2 Tum denique quod nõ obstant pro parte negante adducta. Ad prius enim eorũ respondetur, quod extrauagãs Pij V. loquitur de censu constituto per viam emptionis, vel alius contractus ei æquipollentis, vt nos diximus super ea,[i] in casu autem proposito agitur de censu constituto per viam donationis sub modo factæ; & ita nõ videtur ad ipsum extendi, cùm quisque posit rei suę traditioni modũ imponere.[k] Ad posterius autẽ respõdetur cõcedẽdo esse vsuram quicqnid accipitur vltra sortem ex contractu mutui, non autem ex aliis contractibus emptionis, locationis & cæterorum vt palam est: & in proposito non agitur de contractu mutui, sed de contractu donationis modalis, cui donator potest adiicere modũ à legibus non improbatum, vt prædictum est.

c 1. 4. q. 3 d Ca. quia in omnibus. de vsuris. e Toto tit. de donationibus quæ sub modo. f Leg. 1. & 2. C. de nautico fœnore. & notatur in c. fin. de vsuris g In consil. 123. h Cap. 17. nu. 222. i In gloss. 17. k L. traditionibus. ff. de pact. c. verũ de condition appositis.

### SVMMARIVM.

1 *Extrauagans Pij V. edita anno 1567. de spolijs, non agit de omnibus vasis argenteis, sed solum de destinatis ad cultum diuinum, quæ beneficiarij tempore mortis relinquunt: vnde non prohibentur ea inter viuos ad pia opera donari.*

## CONSILIVM I.

CANONICVS donauit quædam vasa argentea cuidam capellæ, in qua elegit sepulturam, ante duos annos, quàm moreretur. Quæritur an prædicta capella possit se defédere ab Ecclesia ipsius canonici, illa sibi repetete volente virtute extrauag. Pij V, editæ anno 1576, super spoliis.

1 Respondeo, quòd iure optimo potest prædicta capella retinere sibi vasa prædicta, Primò, quia prædicta extrauagãs nõ disponit de quibuslibet bonis, vel vasis beneficiariorum, sed tantùm de destinatis ad vsum & cultum diuinum, vt expressè habent eius verba: & ex argumento, & quæstione propositis nõ colligitur, quòd prædicta vasa erant ad vsum diuinum destinata. Secundò, quod prædicta extrauagans non disponit de omnibus ad vsum & cultum diuinum destinatis, sed tantùm de illis, quæ tempore obitus beneficiarij inueniuntur relicta ex testaméto, vel ab intestato: & prædicta vasa, de quibus est questio, etiamsi fuissent ad vsum & cultum diuinum destinata, non fuerunt relicta ex testamento, vel ab intestato tempore obitus; quia, vt in casu proponitur, fuerunt donata prædictæ capellæ duobus annis ante obitum: & ita non habet locum in eis extrauagans, quæ inducit nouum ius, vt colligitur ex illis verbis eius, *statuim⁹, & decernim⁹*, vt super eadẽ extrauagãte, ª diximus; & ideo non est extendéda ad ea, quæ non comprehenduntur in ea, sed debent remanere sub iure antiquo; à quo non receditur, nisi quatenus videbitur recessum à iure nouo. ᵇ Tertiò, quòd illa extrauagans non tollit beneficiarijs potestatem, quam à iure communi habent, donandi ad pia opera bona destinata ad cultum diuinum, dum viuunt; sed solùm tollit eis facultatem disponendi de illis ex testamento, vel ab intestato, vt super eadem extrauagante expressè hoc, ᶜ notaui. Cùm ergo prædictus canonicus donauerit prædicta vasa in pios vsus per donationem inter viuos, & non reliquerit illa ex testamento, vel ab intestato; sequitur posse, & debere illã prædictam capellam habere. & quoniam ante contingentiam huius casus hæc ᵈ scripsi, non addo plura, quia per illa est mihi hæc conclusio indubitata.

a *Nostat. 2. in comment. de spol. super ca. nõ liceat. 12. q. 2. §. 8. nu. 3.*
b *L. præcipimus. C. de appell.*
c *Vbi supra.*
d *Vbi supra.*

### SVMMARIVM.

1 *Beneficiarius quo ad acquirendum actu ius in fructibus æquiparatur vsufructuario, cui acquiruntur simulac sunt separati à solo, modo separatio sit facta nomine ipsius qualis præsumitur facta per debentes decimas ac colonos, num. 2. nedum partiarios sed conuenta pensione colentes. nu. 3. nondum autem separati ad ipsum nõ spectant, licet posset ex eis expensas eorumdem serendorum gratia factas deducere. num. 3.*

1 *Donatio, quam facit titularis de omnibus fructibus sui beneficij, non comprehendit illam partem, quæ de iure, vel consuetudine debetur Ecclesiæ. & num. 3.*

## CONSILIVM III.

EPISCOPVS Immolensis iamiam moriturus 21. mensis Augusti donauit cuidam nepoti suo ex fratre præsenti; & acceptanti omnes & singulos fructus collectos; & à solo separatos spectantes quomodolibet ad suũ episcopatũ. Queritur, qui fruct⁹ illius ãni sẽseãtur donati.

1 Respondendum est donatos censeri omnes fructus illius anni pertinentes ad episcopatum, in quibus iã erat donatori ius quęsitum actù die 21. Augusti, excepta parte, quę tunc de illis debebatur Ecclesiæ de iure, vel consuetudine: & continentur non solùm decimæ, & alij fructus, qui tunc erant collecti, & in horrea reconditi, sed etiam qui erant iam messi, & ab arboribus, vel terra separati, etiam si nondum essent triturati, & grana ex spicis excussa; quia mea opinione, cui me antehac subscripsi, beneficiarius in hoc casu exæquatur vsufructuario, licet quo ad quædam alia differat ab eo, iuxta glossam. ᵉ

2 Nam ad vsufructuarium pertinent omnes fructus separati à solo suo nomine, iuxta l. *si eius.* ᶠ & secundum veriorem intellectum l. *arboribus*, ᵍ alias est l. *si fur.* ʰ quamuis prædicta glossa videri possit requirere reconditionem in horrea. Arbitror enim quod licet beneficiarij vt plurimũ non separent per se, nec per alios fructus, quos coloni colligunt, & ex quibus postea decimas soluunt; tamen ipsi coloni, qui ea mente messem vel vindemiam faciunt, vt ex eis decimas soluant, satis videntur nomine beneficiariorum quo ad partem illis debitam metere, vindemiare, ac fructus colligere.

e *Cap. si præter. verbo primi anni. de electio. li. 6.*
f *ff. de rei vendi.*
g *§. Iulianus. ff. de vsufructu. & l. si vsufructuarius. ff. quibus modis vsusfr. amitti.*

3 Non tamen censentur donati fructus etiã alij à decimis, qui nondum erant à solo separati; etiam si per ipsum Episcopum eius impensis vel per eius colonos partiarios, aut pensionarios sata fuissent semina, ex quibus illi orti fuerunt: quamuis eo casu deducere possent impẽsas, quas Episcopus eorum serendorum gratia fecit; quia fructus dicuntur, qui residui sunt impensis deductis.

Nec etiam censetur donata pars illa fructuum, quę iure, vel consuetudine debebatur Ecclesiæ: quæ quota, vel quãta sit arbitror iudicandũ esse per consuetudinẽ, vel cõstitutiones synodales, vel eis deficiẽtibus per c. *quatuor.* ᵇ

a *L. e. fructus. ff. solut. matri.*
b *Et ca. reditibus, 12. q. 2.*

### SVMMARIVM.

1 *Beneficiarius & Episcopus de reditibus suo victui superfluis, tã sanitatis, quam infirmitatis tempore possunt, immo debẽt nedum modica, sed etiam magna in pia opera donare; legare autem, aut de illo testari non possunt, nisi habeant super hoc indultum. num. 2. & 4.*

3 *Argumentum à contrario sensu aliàs validum, inualidum tamẽ est ad hoc, vt ex illo colligi posit aliquid, cuius cõtrarium alio iure, sit expressum.*

5 *Donatio inter viuos etiam ab infirmo, ita irreuocabiliter facta vt liceat donatori intra duos mẽses illam reuocare, licet videatur facta causa mortis conditionalis, num. 7. attamen ex quo in ea saltem in parte dispositiua nulla fit mentio mortis, censenda est inter viuos, numer. 6. & 9. non conditionalis, sed absoluta, licet intra dictum tempus reuocabilis. nu. 8.*

8 *Donatio inter viuos cõditionalis purificatur, & perficitur per aduentum seu purificationem conditionis, etiamsi conditio purificetur post mortem donatoris.*

10 *Donatio ita inter viuos facta creditori irreuocabiliter, vt liceat donanti illam intra certum tempus reuocare. potest in iure defendi quod non sit reuocabilis, seu saltem quod non posit tuta conscientia reuocari. 12.*

11 *Spolia defunctorum sunt, quæ solutis debitis, deductisq́; expẽsis supersunt; siue agatur de fructibus beneficiorum, siue de alijs bonis.*

## CONSILIVM IV.

LVDOVICVS Balduin⁹ infirmarius, & canonicus ecclesiæ Niciensis I. V. D. inseruiuit bo. mem. Francisco Lamberto, dum vixit, Ecclesiæ Niciensis Præsuli pro eius Vicario generali circiter decem & octo annis, à quo toto illo tempore nullum salarium accepit: vnde anno 1583, idem Præsul graui infirmitate detentus, memor seruitiorum eiusdem Vicarij, in remunerationem seruitutis ab illo sibi per tot annos, vt præfertur, impensæ, pro qua dixit non fuisse ei satisfactum, & quia sic ei facere placuit, donauit illi præsenti & acceptãti donatione irreuocabili inter viuos (sub ea lege, quod si sibi videretur infra duos menses proximos, sibi liceret illã reuocare) suos libros; iocalia, & mobilia domus, ac mille scuta, quæ habebat in quadam crumena existẽte in eius domo Episcopali, quam D. Vicario cõsignando eidem ordinauit, vt de dictis pecuniis disponeret in vsus; quos tũc illi commisit. Deinde post paucos dies idem Pręsul, sicut Domino placuit, vita functus est; post cuius obitum mobilia fuerunt in inuentario redacta, & deposita vti spolia spectantia per concessionem Apostolicam ad magnum Magistrum SS. Mauritij & Lazari. idẽ autem Vicarius distribuit pecunias existentes in d. crumena, seu earum maiorem partem iuxta voluntatem Episcopi donatoris, videlicet locis piis in eleemosynam, familiaribus dicti Episcopi, & similibus, ac in conficiendo depositum marmoreum in ecclesia Niciensi pro sepultura cadaueris dicti Episcopi.

Modo molestatur à collectore spoliorum tam super pecuniis in d. crumena sibi consignatis, & per eum distributis, ac illarum residuo penes eum remanente, nec non super libris, & aliis donatis, sub prætextu quod donatio non teneat, & censeatur facta in fraudem. Quæritur, quid Iuris?

AD HANC QVAESTIONEM respondetur primò, quod donatio facta ab Epis. inter viuos de reditibus sui episcopat⁹ ad pia opera valet, non solũ si eã faciat sanus, sed etiã si eã faciat ægrotus, & existens infirmus; vt

nos neruosissimis argumentis probamus in tract. de reditibus ecclesiasticis.[a] Tum quia Episcopus, & alij beneficiarij non solùm possunt superflua suæ sustentationi impendere in piis operibus, sed etiam tenentur, [b] vt latius tradimus nos vbi supra,[c] & canones, qui hanc facultatem faciunt beneficiariis, & obligant eos ad id faciendum, nõ distinguunt inter sanos, & ægrotos: ergo etiã ægroti hoc facere possunt, & tenentur: quia lex generaliter disponẽs, generaliter est intelligenda. [d] Tum quia per infirmitatẽ non admittunt suos titulos, iuxta ca. *tua.* & tot. tit. de cle. ægrot. quibus sancta mater Ecclesia præfatam facit facultatem. Tum quia Alexan. III. indicat apertè, [e] maiorem beneficiario esse facultatem, dum ægrotat, ad largiendas eleemosynas per donationem inter viuos, quàm per vltimam voluntatẽ. Tũ quia id est aptum medium ad beneficiarios eripiendos ab ea perplexitate reprobata per ca. *nerui.* [f] quam inducit ex vna parte obligatio conferendi superflua pauperibus, ex altera verò prohibitio, qua vetantur dare per vltimam voluntatem: nam talis perplexitas cessat apertè, si dicamus posse donare inter viuos beneficiarios superflua, dum ęgrotant. Tum quia pauperibus, quibus superflua sunt eroganda, est multo magis expediens, vt cùm non acceperint à beneficiariis, dum sani erant, saltem dum ægrotant accipiant. Tum qui apertissimum est, beneficiarium ægrotantem aliquam portionem bonorum erogare posse, per c. *ad hæc.*[g] sed eadem ratione qua conuincitur exigua portio posse dari, conuincitur etiam posse dari copiosa, quantum ad præsens negotiũ attinet: nulla enim alia ratio reddi potest, cur possint dare aliqua, nisi quia habẽt facultatem id faciendi virtute suorum titulorum: at virtute eorum habent quo ad omnia: ergo, &c. argumen. & l. *illud.* [h] & quia qui de vno dicit, vt videtur negare de alio dissimili: ita videtur affirmare de alio simili, iuxta Dominicum,[i] & probat gloss.[k]

2 Tum quia ratio potissima, qua interdicitur beneficiariis, ne legare possint, ea est, vt certè vel sic cogantur dũ viuũt errogare superflua pauperibus. At quo ad hunc finẽ cõmodius est ea donare, quãdo aduersa valetudine laborãt, quę dũ valerent donare noluerũt, quã nõ donare, & ob id hæredibus cedere. Tũ quia nõ obstat, quæ ex aduerso affertur ratio, scilicet, in idem recidere ægrotũ morbi proximum inter viuos donare posse, & posse donare per vltimam voluntatem: vnde cùm negetur hoc secundum, inferunt & primum denegandum. Non inquam id obstat: Nã qui per vltimã voluntatẽ donat, reuocare potest id, quod dedit, si conualescat,[l] quod nequaquam poterit, si semel donet inter viuos. [m] Nec obstant Alexandri verba, [n] qui dum permittit ægrotantibus posse aliquid donare inter viuos, sed moderatè: visus est innuere à contrario nõ posse dare largè, vel immoderatè; id enim non est efficax argumentum.

3 Tum quia argumentum à sensu contrario licet aliàs dicatur fortissimum in iure, [o] nihil probat, si ex eo colligitur aliquid contra id, quod in iure habetur expressum, vt est textus optimus,[p] & glossa celebris & recept. [q] vbi latè Felinus & in d. c. *ad hæc.* est glossa adiuncta textui: nã textum loquentem solum de mobilibus, intelligit etiam de immobilibus. Expressum autem est, immo & præceptũ à iure diuino, naturali, & humano per hoc c. & alia multa citata in præfato tract. de reditib. eccles. [r] non tantùm beneficiarios dare posse superflua pauperibus, sed & dare debere. Tum etiam quia verbũ illud, *moderatè*, referri potest ad alia bona Ecclesiastica, quæ nec dum sunt beneficiarij sani possunt expendere; & in hunc modum exponunt Panormitanus & Andreas Siculus.[s]

4 Secundo respondetur, quod prędictus Reuerendissimus Episcopus, non potuit prædicta bona dare, etiam ad pias causas, donatione causa mortis, si non habebat priuilegium testandi, quia non poterat testari de illis iure cõmuni, vt nos latè tradimus in d. tractatu de red. eccles.[t] & licet donatio causa mortis quo ad initium sui, prout est in fieri, sit similis contractibus; quo ad effectum tamen, & prout est factum, similior est vltimis voluntatibus, vt tradit Baldus, [v] communiter receptus, vt colligitur ex his, quæ citat Couarruuias.[x]

5 Tertio, quod dubium est in proposito casu, an donatio prædicti Reuerendissimi debeat iudicari donatio inter viuos, an donatio causa mortis. Quod enim debeat iudicari donatio causa mortis, facit primo l. *vbi ita donatur.*[a] quatenus probat, donationem causa mortis etiam expressè causa mortis factam, si donãs adiiciat, quod nulla de causa reuocari possit: debet iudicari donatio inter viuos: ergo etiam donatio inter viuos, licet appelletur à donante inter viuos, & irreuocabilis, si tamen adiiciatur, quod sit reuocabilis, iudicanda erit donatio causa mortis quia quod operatur oppositũ in opposito, operatur propositum in proposito. [b] At prædictus Reuerendissimus, licet dixisset, quod faciebat donationem irreuocabilem inter viuos, adiecit tamen quod posset eam reuocare intra duos menses: ergo nõ fuit donatio inter viuos irreuocabilis. Secundo facit, quòd donatio facta ab ægroto existente in periculo mortis præsumitur fieri ob timorẽ mortis, etiam si nullam de morte mentionem faciat donãs, vt significat l. *apud L abeonẽ.*[c] quæ videtur habere, donationẽ ab ægroto factam sine mentione mortis fuisse iudicandã causa mortis factam.

Quod autem iudicari debeat donatio inter viuos; facit primo, quod in ipso instrumento clarè exprimitur, quòd fecit donationem inter viuos irreuocabilem. Secundo, quod nullam de morte fecit mentionem, & nulla donatio, quę de morte non facit mentionem, potest dici donatio causa mortis iuxta l. *Seia.*[d] Bartholus & Paulus existimant hoc esse singulare, [e] Imola, Alexander, [f] & Iason. [g] Immo non sufficit mentio mortis, nisi fiat in illa parte instrumenti, quæ continet verba tangentia dispositionem principalem, argumento clemẽtinæ 1.[h] & satis colligitur ex his quæ Couarruuias dicit & citat.[i]

7 Tertio, quod donatio non desinit esse vera donatio inter viuos, & irreuocabilis, eo quod sit conditionalis, & conditio non impleatur ante mortem donantis: si quis enim donaret alteri centum sub conditione, si nauis ex Asia venerit prospera, & integra, non desinit esse valida, & efficax, eo quòd donans moriatur, antequam nauis venerit ex Asia, si post eius mortem venerit prospera, & integra, iuxta §. *omnis.*[k] & cap. *si pro te.*[l] & eis adnotatis & cùm donatio prędicti Reuerendissimi fuerit in effectu ad minus conditionalis, perinde ac si dixisset, *dono ista pijs operibus, si non reuocauero donationem intra duos menses*; valida & efficax debet iudicari, etiam si vixisset multo tẽpore, dũmodo non reuocasset illam intra duos menses: & ita non est iudicandã facta causa mortis, cùm per mortem non subsequutam non fuisset reuocata; sed potius est iudicãda conditionalis talis, quæ adimpleta conditione fuerat exequenda, quandocumque Reuerendissimus mortuus fuisset adimpleta conditione, si eam non reuocasset intra duos menses.

8 Quarto, quod prædicta donatio fuit plusquam conditionalis; quia fuit pura cum facultate reuocandi; sicut venditio prędij facta cuipiam cum adiectione *in diem.* ita vt si melior conditio intra certũ diem afferatur, vẽditor discedere possit à venditione, venditio censetur pura quamuis venditor possit recedere ab illa meliori conditione oblata; licet esset conditionalis, si venditio fieret sub conditione, si non fuerit oblata melior conditio, iuxta. l. 2.[m] per quam in ea notata, est dicendum, quod donare alicui, si donans non mutauerit voluntatem intra duos menses, erit plura & perfecta donatio; cum facultate reuocandi eam intra duos menses si donanti placuerit. Nã etsi quis iusto pretio vendat prædium, cũ pacto, vt sibi retrouendatur post aliquot dies, menses, aut annos, venditio iudicãda est pura; licet rescindi possit intra tẽpus adiectũ à venditore; dominiũ tamen eius & ius percipiẽdi fructus transit in emptorẽ, iuxta iura, [n] & glossam solemnem,[o] & notatur per omnes,[p] & quotidie praxis seruat in emptione & venditione censuum cum facultate redimendi.

9 Quintò, quòd communis opinio habet, donationem simpliciter factam sine mentione mortis esse iudicandam inter viuos, per glossam singularem communiter recep.[q] à qua non esse in consulendo & iudicando recedendum, dicunt Alexander & Iason, [r] & Couarruuias.[s] Sexto, quod non obstat ille §. *Iulianus.* quia glossa prædicta recepta, intelligit illũ de ægroto, qui fecerat donationem

---

[a] Quæstio. 1. monit. 34. in eius apologia. nu. 82.
[b] Capi. 1. 16. q. 1.
[c] Mon. 26. & seq. & 42. & seq. & in eius apolog ia mo nito 27. 38. & 39.
[d] L. de pretio. ff. de publi. in rem actio. & cap. solita. sub fin. de maior. & obed.
[e] In capi. ad hæc. de testa.
[f] 13. dist. c. nemo. de pœnit. dist. 7.
[g] De testam.
[h] ff. ad le. Aquil.
[i] In c. qualis 25. dist.
[k] In verbo mobilibus. in d. ca. ad hæc.
[l] Ca. vltima voluntas. 13. q. 2. cap. cum Martha. de celeb. missa.
[m] L. sicut ab initio. C. de actio. & obliga. l. in commodato. §. sicut. ff. comm.
[n] In d. ca. ad hæc.
[o] Leg. 1. ff. de offic. eius cui man. est. & c. cum Apostolica. de his quæ fiunt à prel.
[p] In ca. à nobis. de sent. excomm.
[q] In ca. significasti. de foro compet.
[r] Quæst. 1. nu. 24. & 34.
[s] Not. 1. verbum illud.
[t] Super c. quoniã quicquid & in apologia q 3.
[v] In l. 2. ff. de pact.
[x] In rubrica de testam. 3. par. nu. 1. & 15.

[a] ff. de donat. causa mortis.
[b] Cap. sciendum. 8. qu. 1. & l. & si contra tabulas. ff. de vulga.
[c] §. Iulianus. ff. de doli mali except.
[d] §. cum pater. & ibi. eff. de donat. cau. mortis.
[e] Num. 7.
[f] Nu. 26. in l. quæ dotis. ff sol. matri.
[g] De prabon.
[h] In rubrĩ. de testam. parte 2. nu. 13.
[k] Institut. de verbor. oblig.
[l] De rescript. li. 6.
[m] ff. de in diem addi.
[n] Le. 2. C. de pact. inter emptorẽ & vendi. cõp. & d. l. 2. ff. de in diẽ addi. & in le. fina. ff. de pericu & commo. rei vend.
[o] In ca. conquestum. de vsuris.
[p] In c. ad audientiam. de empt. & vendit. & in cap. illo vos. de pignorib.
[q] In d. §. Iulianus.
[r] In d. le. quæ dotis. soluto matrimonio.
[s] In dicta rubrica de testamen. parte 3 u. 25. in fin.

nem

nem expressa causa mortis per textum optimũ in l. *Seia.* [a] Septimo, quia in proposito agitur de fauore piæ causæ; cui fauendum est, [b] & de tuendo valore actus, qui in dubio tuendus est. [c] Non obstat etiam argumẽtum nouum, quod contra hãc partem nouè fecimus: quia nõ arguitur de contrario vnius oppositi ad contrarium alius oppositi: arguitur enim ab opposito donationis mortis causa nullo casu reuocanda, ad oppositum donationis inter viuos in vno solo casu reuocanda.

*a ff. de dote prælег.*
*b L. quæ religiosis ff. de relig. & sump. fun.*
*c Le. quoties. ff. de rebus dubijs, & leg. quoties. ff. de reg. iuris.*

10 Quarto principaliter respondetur, quod prædictus admodum Reuerendus Vicarius potest se defendere etiã alia ratione, quam qua defenduntur dicta opera pia: quia id quod donauit ei prædictus Reuerendissimus donauit, in solutionem debiti: nã id quod ei donauit & longè amplius debebat ei; debebat enim ei salariũ 18. annorum, vt præsupponitur in facto: & iudicio cuiusque viri boni & prudentis plusquam centum scuta debentur pro stipendio Vicario generali D.V.I. & viro prudenti, & vita exemplari suis impensis decenter & honorabiliter viuenti: & licet non fuissent debita pro singulis annis, nisi singula centena, debebantur ei 1800. & vix fuerunt illi data 600.

11 Tum quia, vt nos definimus in principio tractatus de spolijs super cap. *non liceat Papæ.* [d] spolia Episcoporum sunt illa, quæ debitis suis solutis supersunt, vt colligitur ex definitione spoliorum, & aliis quæ ibi dicuntur; bona enim & fructus sunt, quę deductis impensis & debitis supersunt. [e] Non obstat, quod collector videtur posse dicere, quòd prædictus Vicarius non potest auctoritate propria capere, vel retinere aliena. [f] Non inquam hoc obstat; quoniam prædictus Vicarius non accepit illa scuta, & bona, quæ ei tradidit prædictus Reuerendissimus in remunerationem tum lõgi, & tam boni seruitij; auctoritate sua sed auctoritate & mandato ipsiusmet Reuerendissimi sui debitoris, qui poterat & obligabatur soluere illi multò plura quam dedit.

*d 12. q. 2.*
*e Le. fructus. ff. solut. matrim. cum ei similibus.*
*f Le. si quis in tantũ. C. vnde vi. cũ suis concordan.*

12 Non obstat etiam, quod donatio prædicta fuit conditionalis, per quam non potuit transferri dominium ante impletam conditionem, [g] non inquam hoc etiam obstat. Tum quia prædicta donatio non fuit conditionalis sed pura, immo & irreuocabilis, nisi tantùm vno casu, & illo breui tempore finiendo, vt irrefragabiliter probatũ est supra. Tum quia iure defendi potest, quòd licet prędictus Reuerendissimus; si vixisset, potuisset intra duos mẽses reuocare suam donationẽ quo ad alia, quæ ad pia donauit, non potuisset tamen reuocare illam quo ad ea, quæ ipsi Vicario tradidit: quia quo ad illa non fuit donatio, sed solutio debiti & remuneratio seruitij, quã poterat & tenebatur facere, & non poterat iustè, & bona conscientia reuocare illã inuito ipso Vicario, per multa, quæ vti minimè necessaria gratia breuitatis, & euitandæ prolixitatis, prætermitto; precatus D.N. Iesum Christum, vt intercessione gloriosissimę Virginis matris Mariæ perducat nos ad regna cęlorum. Amen.

*g D. §. omnis. Institutio. de verb. obliga. & le. cedere diem. ff de verb. sign.*

SVMMARIVM.

1 *Clericus, modo non sit regularis, potest de patrimonialibus, vel quasi, etiam donando pro libito vt laicus disponere. & nu. 3. at quæsita ex fructib⁹ beneficij, seu intuitu Ecclesiæ, nõ potest elargiri alicui, nisi intuitu veræ paupertatis, vel pietatis. nu. 2. aliter vterq; vltra peccatũ tenetur restituere. & n. 5. & 6.*

4 *Donatio à clerico de bonis intuitu Ecclesiæ quæsitis facta in notabili quantitate, nisi probetur contrarium, præsumitur in foro exteriori facta in fraudem. & num. 5.*

6 *Spoliorum collectores vt euitet clericus, in vita donet in pia opera, vel obtenta facultate testandi, eisdem leget.*

CONSILIVM V.

PRælatus quidam fecit donationem cuidam N. liberè & purè inter viuos 25. millium ducatorũ, quos in bonis habebat, & sibi debebantur à certis personis sui episcopatus; & donatario tradidit scripturas, & nomina, debitorum, quæ idẽ N. donatarius accepit, & eius nomine fuit exacta maior pars istius pecunię, & ad pręsens exigitur: cuius pecuniæ partem idem N. donatarius expendit pro sustentatione domus Prælati: de quibus prædictis expẽsis in sustentatione domus dictus Prælatus donator ipsi donatario obligationes fecit, quibus fatetur se à dicto N. donatario prædictas pecunias accepisse, & promittit se solu-

turum toties, quoties per donatarium fuerint petitæ.

Quæritur primo, an mortuo prelato; & collectore Cameræ Apostolicæ occupante eius bona, donatarius possit virtute obligationum factarum per prælatum mortuum recuperare dictas pecunias expensas & debitas.

Secundo, an prælatus tempore obitus possit donatario assignare bona, ex quibus dicta debita possit recuperare.

Tertio supplicatur dari cõsilium super his, & qualiter hoc consultius fieri possit.

1 Ad primam quæstionẽ respondeo primò, quod prędictæ ambę donationes fuerunt validæ, si tã Prælatus, quàm N. erant sæculares & non verè religiosi, & scuta donata & redonata erant de bonis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus eorumdem: quia clericus sæcularis potest de eis disponere, ac laicus de suis bonis profanis iuxta iura, [a] de testamẽ. c. 1. & 2. 12. q. 3. c. si cũ. eadem causa. q. 5. & tradimus in apologia. [b]

*a Capit. quia nos.*
*b q. 1. mo. 22.*

2 Secundò, quòd si prædicta scuta erant quęsita intuitu Ecclesię, siue de reditibus eius, prior donatio, qua prædictus prælatus donauit illa N. non valuit, si absque iusto paupertatis intuitu, aut etiã pietatis id fecit: immo eã faciẽdo grauiter peccauit, per ea multa, quæ nos attulimus in d. apolog. [c] & tenetur restituere ea pauperibus & operibus piis, per ea multa, quę tradimus vbi supra. [d] Tertiò, quòd etiam prædictus N. peccauit accipiendo, & tenetur illa restituere, aut piis operibus, aut prædicto Prælato in pios vsus impendenda per dicta. [e]

3 Quartò, quòd si prædicta prior donatio fuit facta verè & principaliter corã Deo ex vera causa paupertatis, & pietatis, valuit in foro cõsciẽtię, per adducta vbi supra. [f] Quintò, quòd vtraq; donatio præsumetur in exteriori foro facta in fraudem, nisi probaretur tantam esse qualitatem N. & tãtam eius paupertatem, vt merito credi possit intuitu paupertatis esse factam; quod non esset facile probare in donatione tantæ quãtitatis: nam etsi qui donat, & qui relinquit diuiti, dicat se donare intuitu paupertatis; præsumitur tamen donatum, aut relictum alio respectu, secundum glossam, [g] eccle. communiter receptam & relatam à nobis. [h] Sexto, quod etiam posterior donatio pręsumetur facta in fraudem, nisi probaretur in tantam paupertatem deuenisse præfatum, & tam pauperes cognatos habere, & tam diuitem esse N. vt verisimiliter credi deberet eam fuisse factam in prælati eleemosynam; quod difficile probatu arbitror.

*c De red. q. 1. mon. 27. 38. & 39.*
*d q. 1. mon. 7.*
*e Vbi sup. q. 7. monit. 83. nu. 4. & d. qu. 1. monito. 26. à nu. 1.*
*f In dicto mõ. 27. 38. & 39.*
*g Le. illud. C. de sacrosan. eccles.*
*h In d. apol. q. 1. mon. 29. nu. 2.*

4 Septimò, ex his inferri, quòd si prædicta scuta fuerint de reditibus Ecclesiæ; vel intuitu Ecclesiæ quęsita, nõ potest prædictus prælatus de illis disponere plusquam de aliis intuitu Ecclesiæ quæsitis, nec testando, nec donando.

5 Ad secundam respondeo primò, quod si prædicta 25. millia scuta erãt de reditib⁹ Ecclesiæ, vel intuitu Ecclesię quęsitis, & donatio nõ fuit facta verè & prĩcipaliter corã Deo causa verè paupertatis & verę pietatis, non fuit valida, & vterq; tã donatarius, quàm donator peccauit, & tenetur restituere, per supradicta. Secũdo, q̃ in foro exteriori pręsumetur facta in fraudem pauperũ, & piorum operũ vel Camerę Apostolicę; & consequenter collector non patietur, vt prædictus N. recipiat de bonis Prælati mortui ea, in quę pręsumetur fraudulenter obligasse, nec consequẽter Prelatus absque peccato poterit in morte assignare bona, ex quibus illa debita reciperet.

6 Ad tertiam, qua quęritur modus bene super his consulendi, respondeo primò, quòd si prędictę pecunię sunt Ecclesiasticę, non possunt vllatenus sine peccato, & obligatione restituendi ad vana, aut profana directè, aut indirectè donari, & ideo necessariò sunt distribuendę per donationem inter viuos irreuocabiliter in opera pia, dum vita manet, ad hoc quod absque peccato euadant manus collectoris prędicti; aut in morte cum facultate testandi ad opera pia à Sede Apostolica obtenta. Secundo, quod vię bonę, per quas sic distribui vel retineri possunt tanguntur in dicta nostra apologia, [i] & in locis ad quę ibi fit remissio. Salua, &c.

*i Quæstio. 3. mon. vlti.*

SVMMARIVM.

1 *Beneficiari⁹ siue sit sæcularis, siue regularis de fructib⁹ beneficij testari iure non potest: fallit in commorantibus Romæ, quibus Pontifex, prout potest, hanc facultatem, si ibidem morentur*

*rentur, concessit. num. 7. & 8.*

2 *Spolia, quæ post se relinquunt beneficiarij sæculares & regulares, ad Cameram spectant Apostolicam, inter quæ non computantur ea, quæ talis viuens in pia opera impendit. num. 9.*

2 *Apostatæ à religione de bonis per eos quæsitis disponere non possunt ex bulla Pauli IIII. non tamen ex ea probatur, per eos quæsita spectare ad Cameram, immo deberi monasterio in quo professionem fecerant. num. 10.*

3 *Regularium extra claustrum degentium bona Cameræ Apostolicę debentur: fallit in degentibus & morientibus Romę, vel intra decē milliaria: quia tales non faciūt spolia. n. 14. & 9.*

4 *Beneficiarij oēs, siue regulares, siue sęculares, de fructib⁹ beneficiorū, seu bonis per eos quęsitis possūt per cōtract⁹ inter viuos etiā donādo in suos honestos & alienos pios vsus disponere; & hoc etiam, si amplius beneficium non haberent. & n. 6. & 8.*

5 *Romæ degentes clerici sæculares & regulares, beneficia, vel dignitates habentes, possunt de quæsitis per eos inter viuos & per vltimam voluntatem disponere, nec Romæ sunt spolia, n. 9. & hoc etiā si tales iā desiisset beneficia habere. & n. 7.*

10 *Religiosus transeundo ad Episcopi statum nequaquam dicitur apostata: immo nec efficitur talis, etiam si dimisso episcopatu ad religionem non redeat: nam licet per episcopatum non desinat esse monachus quo ad tria vota, ac gestationem habitus, liberatur tamen ab alijs obseruantijs, inter quas est habitatio in claustro, num. 11. itemque & eximitur à superioritate regularis prælati, in quam per dimissionem episcopatus non reincidit, num. 12. maléque faciunt, qui hos vocant apostatas, nu. 13. vel talem transitum vocant subtilem apostasiam, iuncto num. 2.*

## CONSILIVM VI.

N. Frater ordinis Prædicatorum, cum iam pridem esset vir egregia pietate, & eruditione insignis, fuit à Rege Catholico nominatus in Episcopum Cusquensem & à sancta Sede Apostolica in eum promotus: quē cùm laudabiliter gubernaret, & iudicaret necessarium esse, vt potestas sæcularis permitteret vsum liberum aliquorum sacrorum canonum multùm ad salutem animarum suo iudicio conuenientem, venit personaliter ad Curiam regiā, & proposuit se non posse suo muneri episcopali absque illo satisfacere: quod cum impetrare non posset, & diceret se non audere ad episcopatum redire, nisi id ei concederetur; responsum fuit ei, non defuturum qui vellet illuc ire, & fungi officio Episcopi, si ipse renunciaret episcopatui. Cumque replicasset malle carere episcopatus administratione, quàm contra suam conscientiam retinere munus, cui sine præfato vsu libero non poterat satisfacere, neque animæ suæ salutem conseruare, raro exemplo renunciauit episcopatum, quo moneretur potestas sæcularis ad persuadēdum sibi permissionem illam esse necessariam: & ita renunciato episcopatu, & eo alteri collato; dimissa patria, & abnegatis cognatis, vti alter Abrahamus egressus de terra & cognatione sua, venit Romam matrem omnium communem, & ad sanctā Sedem Apostolicam fe. rec. Pio V. tunc ei præsidente, vt sui aduentus consilio ei cōmunicato; & ab eo approbato, vitam in ea finiret, vt finiuit magno cum exemplo contemptus mundi, & honorum eius, sanctissimè viuendo, nihilque tædij & molestiæ pro se neque pro aliis eidem ingerendo: adeo quidem, vt nec etiam à cognatis acciperet epistolas, neq; ad eos daret. Cúmque parce viuendo, & prudēter administrando peculiū, quod sibi quæsierat, dum præfatum episcopatum administraret, reliquasset aliqua, donauit bonam partem eorum donatione inter viuos irreuocabili monasterio ordinis sui sanctæ Mariæ supra Mineruā in opus piissimum, & vrbi & orbi, vt palam est; decorum, & vtilissimum. Quo mortuo, Reuerendissima Camera Apostolica, longè aliter; quàm res habeat, informata, dicitur prætendere, quod oīa illa quæ per præfatum Episcopum præfato monasterio fuerunt donata, pertineant ad eam. Quod præfatum monasterium, seruata reuerentia, & humilitate, negat; & quæritur quid iuris sit respondendum.

1 Et quidem pro parte Reuerendissimæ Cameræ facit primò, quòd ipse erat clericus, & Episcopus, qualis testari prohibetur de fructibus beneficiorū, vel episcopatus,[a] & omnia, quæ dedit præfato monasterio, fuerunt quæsita de fructibus episcopatus: ergo non potuit ea illi dare. Secundo, quod ipse erat monachus, siue religiosus expressè professus sancta Sede Apostolica approbante ordinem non qualem qualem, sed mendicantium Prædicatorum, & palam est nō posse monachum iure testari,[a] neque dare aliquid sine licentia superioris.[b]

1 Tertio, quòd omnia spolia clericorum, & monachorū relicta per mortem ipsorum videntur Reuerendissimæ, Cameræ deberi per extrauagantem fel. rec. Pauli III. & per alia, quæ nos post alios in tract. de spoliis,[c] aliàs citauimus. Quartò, quod extrauagans Pauli IIII. quæ incipit *Postquam diuina.* statuit, quòd religiosus apostata nō possit disponere de bonis, & præfatus Episcopus videbatur esse apostata. Tum quod de simplici religiosi statu trāsiuit ad statum episcopalem: quem transitum fuisse appellatū à Ioanne Andrea quamdam subtilem apostasiam aliqui testatur. Tum quod post renunciatum episcopatum non rediit ad claustrum, immo remansit extra illud. Quintò, quòd extrauagans Gregorij XIII. quæ incipit, *Officij nostri*, expresse videtur habere, omnia bona regularium viuentium extra claustra monasteriorum deberi pręfatę Camerę. At pręfatus Episcopus Cusquensis erat regularis, & viuebat extra claustrū; & mortu⁹ est extra illud: ergo, &c.

4 His tamen non obstantibus, contrarium est respondendum. Primò quidem, quòd omnis clericus beneficiarius potest dispēdere fructus sui beneficij in vsus suos honestos, & superflua in vsus pauperū, & alios pios, dū viuit, per dispositionē inter viuos etiā iure antiquo, & com.[d] & præfatus Episc. pręfata bona predicto monasterio donauit per dispositionem inter viuos ad pia irreuocabili donatione: ergo iuste retinet illa præfatum monasteriū. Secundo, quod regularis, siue religiosus perinde potest de fructibus sui beneficij disponere inter viuos, ac clericus sęcul aris de fructibus sui beneficij, vt singulariter dixit Cardinalis,[e] cui neminem contradixisse, antequā nos eum citaremus in Vrbe, diximus in tracta. de reditibus eccle.[f] Ergo pręfatus dominus Episcopus potuit præfata bona dare in vita præfato monasterio in vsum piissimū, in quem donauit, sicut & potuisset, si fuisset clericus sæcularis.

5 Tertio, quod præfatus Episcopus obiit mortē in Vrbe, in qua viuebat, & vixit multos annos sanctissimè sine vlla querela, & venit ad eam ob causam in argumēto & facto contentam, & omnes clerici sæculares, & regulares beneficia vel dignitates habentes degentes in Vrbe possūt disponere in vita, & in morte de omnibus bonis quęsitis, etiam ex fructibus beneficiorum suorum per facultatem amplissimā cōcessam à Sixto IV. & Leone X. quod per bullas eorum constat: ergo ipse potuit in vita, & in morte disponere de his, quæ pręfato monasterio dedit. Quartò, quod pręfatus Sixtus IV. & alij Pontifices Max. iustè potuerunt facere pręfata ex causa, ob quam fecerūt. Tum argumento cap. *cuncta per mundum.*[g] & ca. *proposuit.*[h]

6 Non obstant opposita. Ad primum enim respondetur duobus modis irrefragabilibus. Primò quidē, concedendo, quòd clericus non potest testari de fructibus beneficiorum iure communi: negando tamen, quòd non possit in vita disponere de illis in sustentationem suā & ad opera pia: quia non solùm potest id facere, sed etiam tenetur per d. c. vltimū,[i] & alia multa, quę nos ibidem post alios adducimus: & pręfatus Episcopus nō reliquit pręfata bona per testamentum & vltimam voluntatem, sed liberalissimè & nobilissimè per donationem irreuocabilem inter viuos, vt in facto narratur.

7 Secundo respondetur, quòd argumentum procedit attento solo iure communi, sed nō attenta facultate amplissima disponendi in vita, & in morte facta per præfatum Sixtum IV. Leonem X. & alios summos Pontifices omnibus prelatis, & beneficiariis sęcularibus & regularibus, habentibus administrationem & dignitatem, qui Romę, & in Curia Apostolica morarentur, quorum de numero fuit pręfatus D. Episcopus Cusquensis: quia licet iure naturali diuino videatur prohibitum, ne quis Ecclesiasticus impendat fructus beneficiorum in profanos vsus; iure tamen solo humano prohibetur, ne testetur in vsus pios, vt nos alibi probamus, presertim

in dicto

a Ca. 1. & c. 2. 12. qu. 5. & c. 1. & c. relatum. de testa. & auth. licentiam C. de episco. & cleri.

a Ca. 2. de testa. auth. ingressi. C. de sacrosan. eccles.
b Ca. non dicatis. 12. q. 1.
c Super cap. non liceat Papa. 12. q. 2.

d Ca. fin. 16. q. 1. & c. conuenit. 23. q. 8.

e In clemē. 2. §. sed & tales. de vita & honest. cleric.
f q. 1. mon. 8. num. 2.

g 9. q. 3.
h De concess. preben.

i 16. q. 1.

in dicto tract. de red.[a] & ita potest Pontifex Maxim⁹ cõtra huiusmodi ius humanum ex causa iusta sanctè concedere facultatem disponendi, etiam per vltimam voluntatem de his. Quæ est ratio fundamentalis non adeo explicata, per quam omnium fere opinio habet posse Papã facere facultatem testandi personis Ecclesiasticis de fructibus beneficiorum, & ita noster Episcop⁹ potuisset relinquere, etiam per vltimam voluntatem, præfata bona prædicto monasterio, quamuis firmius & perfectius dederit ei per dispositionem inter viuos.

8 Ad secundum respondetur etiam duobus modis. Primò quidem, cõcedẽdo, quòd monachus simplex, qui nullum beneficium nec dignitatem habet, non potest iure communi testari, neq; dare inter viuos alicui quicquam: negando tamen, quod non posit facere vtrumque iure specialis priuilegij Papæ, quale habuit præfatus Episcopus cõcessũ à præfato Sixto IV. & aliis Pontificibus Maximis, his qui morerẽtur Romę, vt prędictũ est, quos posse constat. Tum eo ipso, quòd præfati Põtifices Maximi cõcesserunt eam omnibus regularibus, qui habentes administrationem, vel dignitatem in Curia morerentur. Tum quod recepta sententia habet; quòd ex iusta causa Papa potest concedere præfatam licentiam testandi, vt Philippus Francus post alios tandem resoluit. [b] Tum illa noua, eademque verissima cõsideratione quam fecimus in cõment. 2. de regular.[c] scilicet, quod tam Philippus Frãcus, quàm alij quæstionem hanc disputantes plurimùm errãt. Secundò; quòd valor dispositionis præfati Episcopi Cusquensis non indiget, vt ipse haberet facultatem testandi: quia sufficit, quod habuisset facultatem disponendi per contractus inter viuos; quam habere omnes prælatos & beneficiarios regulares quo ad fructus suorum beneficiorũ, suprà probatũ est, & praxis totius orbis Christ. seruat.

9 Ad tertiũ respondetur etiam dupliciter. Primò quidẽ quòd in casu proposito nõ agimus de spoliis nostri Episcopi, sed de donatis ab ipso in vita loco pio ad opera pia: spolia enim ecclesiasticorum sola illa esse dicuntur, quæ reperiũtur post mortem ipsorum nondum piè impẽsa, vt & nos post alios definiendo ea probamus in d. cap. *non liceat Papæ.*[d] Secundo, q̃ post præfatas cõstitutiones Sixti IV. & aliorum Pontificum Maximorum nulla sunt spolia Ecclesiasticorum in Vrbe, quod satis significãt cõmisiones, quas Paulus, Iulius, Pius & Gregorius XIII. dederũt ad colligenda illa extra Vrbem, quas alij Domini mei consulentes in hoc citant: & ratio est clara, & per præfatas facultates Sixti IV. & aliorum Pontificum Maximorũ constat bona morientium in Vrbe existentia in ea, vel intra decem milliaria, non pertinere ad Cameram, siue moriantur testati, siue intestati.

Ad quartum respondetur primò, quòd licet præfata bulla Pauli IIII. indirectè probare videatur, non posse apostatam de bonis à se quæsitis disponere, nõ tamen probat illa bona deberi Cameræ Apostolicæ: immo habet deberi monasterio, & religioni, in quib⁹ primo loco professionem facit. Secundò negando, quòd præfatus Episcopus fuit apostata transeundo ab ordine ad episcopatũ. Tũ quia apostata est qui retrocedit, iuxta glossam receptam,[e] & S. Tho. receptum,[f] & ipse transeundo ab ordine ad episcopatũ; non retrocessit, immò vltra processit, cùm fuerit factus de filio pater; vt ait glossa,[g] & status episcopalis sit perfectior statu monachali, vt tradit S. Thomas receptus.[h] Tum quia non dicitur apostata; qui à bono ad melius legitimè transit, secundum omnes, & præfatus Episcopus transiit à statu monachali ad statum episcopalẽ legitimè: quia transiit iure naturali, diuino, & humano id approbante,[i] immo & ipso Papa scienter eũ promouẽte.

11 Tertiò negando, quòd monachus fiat apostata nõ redeundo ad ordinem post episcopatum renunciatũ, quicquid aliqui recentiores parum cautè dixerint. Tum quia licet monachus per assumptionem ad Episcopatum non exuat monachatũ quo ad tria substantialia vota, neq; quo ad habitus delationem: exuit tamen illum quo ad alias obseruãtias regulares, iuxta glossam receptam,[k] & notata in d. c. 1.[l] & in c. *clerici.*[m] & alibi sæpe: & consequenter ab obseruantia manẽdi in claustro, sicut & ab obligatione ieiunandi, & surgendi ad matutinum, & similibus. Tũ quod nullo iure id cautum est, & ita non dicendum.[a] Tũ quod etiã in terminis id asserit Federicus,[b] & Bonifaci⁹.[c] Tum quod praxis omnium monachorum renunciantium loco episcopatus, & non honori, hoc seruauit, & seruat, Papa id sciente, & consentiente.

12 Tum quod id concludit ratio illa irrefragabilis fundata in eo, quòd promotus in episcopatum eximitur ab omni iurisdictione Abbatis, secundum omnes; & per cessum, siue renũciationẽ episcopatus quo ad locũ, & nõ quo ad honorem; non recidit in illam; quia quo ad illum extincta fuit, & extincta non reuiuiscunt, iuxta iura,[d] & facit c. *ad supplicationem.*[e]

13 Tum quod res, indecens, insolita, & quadamtenus scandalosa est, vt Episcopus qui vocatur frater Papæ,[f] subiaceat, vt quilibet alius simplex monachus, simplici Priori, vel Guardiano, vt palam est; & eiusmodi indecora, insolita, & quadamtenus scandalosa non sunt statuenda, quippe quæ lædunt pietatem, iuxta l. *filius.*[g] & ca. *erit autem lex.*[h] quatenus ait Isidorus sola honesta debere statui. Tum denique, quod illud, quod aliqui tribuunt Ioanni And. quòd promotio religiosi ad episcopatũ est quędã subtilis apostasia, aut nõ fuit dictũ ab eo, aut fuit dictũ iocosè, aut fuit falsè, & irreligiosè contra honorem sanctæ Sedis Apostol. prolatũ, per supradicta: & certè qui hoc cõtra Episcopum Cusquensem præfatum adducunt, debent sibi cauere, ne detractorum, & infamatorum crimen incurrerint contra octauum præceptum Decalogi,[i] iuxta declarationem latè à nobis post alios traditam in Man. confe.[k]

14 Ad quintum respondetur, qnod multis de causis nõ obstat. Primo quidem, quod loquitur de bonis illorum apostatarum; contra quos Paulus IIII. suam constitutionẽ edidit, vt palam colligitur ex ipsa: & Episcopus Cusquẽsis nullatenus fuit apostata, vt supra probatum est. Secũdo, quod tota intentio Gregorij XIII. in edenda præfata extrauagante fuit declarare, quòd non obstante præfata extrauagante, Pauli IIII. quæ fuit reducta ad viam iuris per Pium IV. spolia regularium degentium extra claustra debentur Cameræ Apostolicæ, iuxta declarationem Pauli IV. quod nos nõ negam⁹: immo cõcedimus, quod si præfatus Episcopus Cusquensis obiisset mortem extra Vrbẽ & curiã, & nõ habuisset facultatem testandi, reliquissetque aliqua bona, quæ dum viueret, non impẽdisset piè, illa debuissẽt applicari Cameræ Apostolicæ, non quia fuisset apostata, sed quia spolia quorumcumque Prælatorum tam regularium, quàm sæcularium debentur Cameræ Apostolicæ. Sed negamus; quòd præfata bona, quæ præfat⁹ Episcopus donauit Ecclesiæ pręfatę fuerint spolia eius. Tum quia ante mortem ipsius benè, optimè piisimèque fuerunt piisimo loco in piisimum vsum donata. & consequenter non sunt spolia per supradicta. Tum quia bona prælatorum, & beneficiariorum morientium in Curia non dicuntur spolia Cameræ debita propter præfatum priuilegium Sixti IIII. & aliorum maximorum Pontificũ supra relatum, siue obierint testati, siue intestati. Tertiò, quia præfata constitutio Gregorij XIII. non est noui iuris introductoria, sed solum antiqui declaratoria, quod colligitur ex proœmio eius ibi, *vt dubia declaratione nostra dilucidentur.* & infra, *præsentium auctoritate declaramus.* Verbum *enim declaramus.* positũ in cõstitutione, significat illã non inducere ius nouum, iuxta glossam receptam;[l] & efficaciter probatur in l. *hæredes palam.*[m] At secundum ius conditum ante extrauagantem præfatam Gregorij XIII. bona præfata non debebãtur præfatæ Reuerendisimę Cameræ: ergo neque post illam debentur. Quarto, quòd præfata constitutio solùm continet spolia regularium deberi Cameræ Apostolicę & præfata bona, quia, vt prædictum est piè fuerunt ante mortẽ impensa, nullatenus sunt spolia, nec consequenter per illam constitutionem debentur Cameræ Apostolicę.

Per quę omnia proculdubio respõdendũ est, iure optimo pertinere ad prefatum monasterium prefata bona à pio Episcopo Cusquensi pientissimè ipsi donata, Sal. &c.

*Aduertendum item quod dicitur, Episcopus, & prælatos Romæ morãtes posse testari de fructibus beneficiorum, & quod in eis Camera non habet spolium non esse ita certum; & contrarium, vt dicitur, modo seruari.*

---

Marginal notes:

a q. 3. mon. 2.
b In rub. de testa. nu. 82.
c Super c. nõ dicatis. 12. q. 1. nu. 11.
d 12. q. 2.
e In cap. 1. de apost.
f 2. 2. quæ. 12. arti. 1. & 2.
g Ca. 1. 18. q. 1.
h 2. 2. q. 181. art. 7.
i Ca. statutũ. 18. q. 1. 1. cap. cum olim. de priuileg.
k In c. de monachis. 16. q. 1.
l 18. q. 1.
m De vita & honest. cler.

a 2. q. 4. c. consuluisti. & c. 2. de transla. præla.
b In consil. 5. & 19.
c In clem. 1. de regula.
d Le. qui res. §. area. ff. de solutio. & le. inter stipulantem. §. nam cum quis. ff. de ver. oblig.
e De renun. & cap. 2. de transla. prælat.
f Ca. quamuis. de crim. falsi.
g ff. de condi. insti.
h 4. dist.
i Exod. 20.
k Capit. 18. à nu. 17. vsque ad 50.
l In clem. fin. de rescript.
m §. 1. ff. de testam.

SVMMARIVM.

*1 Regulari etiam translato concessa à Papa licentia disponendi de per eum extra monasterium quærendis, comprehendit etiam, quæ alias licitè morando, & seruiendo in hospitali quæsiuit: restringitur tamen ad dispositionem irreuocabilem inter viuos in pios vsus faciendam.*

## CONSILIVM VII.

VIso tenore breuis, per quod D. consulens fuit auctoritate Pauli III. translatus ab ordine Prædicatorum in ordinem canonicorum regularium Sancti Augustini, visa item clausula in eo contenta, per quam fit ei facultas disponendi de bonis quæsitis ab eo extra monasterium in suos vsus, pauperum, & alios pios, & quod præfatum breue, & licentia, & facultates per illud concessæ, fuerunt à Vicario Pij IIII. iudicatæ legitimæ, & non reuocatæ per bullam Pauli III. contra apostatas edita: viso item quod præfato D. consulēti licuit, & licet manere extra monasterium habitu regulari subtus vestes retento, dum seruierit hospitali sancti Iacobi ciuitatis Neapolitanæ virtute præfati breuis, & sententiæ præfatæ super eo latæ, & licentiæ à superiore datæ, & breuis à Sanctissimi. D.N. concessi.

1 Respondemus posse præfatum D. consulentem disponere in vita per donationes, & alias dispositiones inter viuos factas de bonis, quæ habet, vt proponit, rectè quæsita in vsus pios, in quos optat ea insumere, per ea quæ nos tradimus in comment. 2. de reg.[a] Cauendum tamen serio, quod vt prædicitur, præfatorum bonorum dispositio est facienda per viam donationis, vel alius contractus irreuocabiliter inter viuos facti: quia non liceret hoc facere per viam vltimæ voluntatis, per quam nullus religionem professus potest quidquam disponere sine facultate testandi, vt palā est, & tangitur in locis prædictis, & eam nō habet D. consulens in vlla facultate sibi à Papa facta. Sálua, &c.

a Super ca. nō dicatis. num. 40. & sequē. 12. q. 1.

SVMMARIVM.

*1 Falsitas antedatæ diei posita in contractu coram Deo nec prodest, nec nocet, sed sola attenditur veritas.*

*2 Donatio facta vxori fictè non tenet, immo nec vera valet: tamen si sit iurata, etiamsi sit facta ab eo, qui commisit delictum, ob quod bona ipso quidem iure non confiscantur, sed confiscari possunt, num. 2, licet que hæc donatio possit à fisco, in cuius fraudem facta fuit, per rescissoriam reuocari, attamen donataria non tenetur ea fisco, antequam rescindatur, tradere. nu. 3.*

*3 Fraudandi fisci, vel alterius creditoris causa facta donatio potest quidem rescindi, sed antequam rescindatur, donatarius iustè retinet.*

*5 Occultans bona delinquentis confiscata, tenetur ea fisco tradere.*

## CONSILIVM VIII.

MAritus post delictum cōmissum, pro quo à fisco bona sua fuerunt per sententiam confiscata, vxori suæ per instrumentum certa bona donauit, & instrumēto subscripsit sub die ante delictum commissum, vt sic appareret donationem antea fuisse factam, & vxor illa occultauit, & retinet.

Quæritur primò, an donatio prædicta teneat: & quia dicta mulier alia etiam occultè accepit, & retinet.

Quæritur secundo, an illa etiam fisco non petenti, & in conscientia tradere teneatur.

1 AD PRIMAM questionē respōdeo primò, quod in foro cōscientiæ siue Dei, non potest prodesse plus præfato donatori instrumentum falso die firmatum, quàm si fuisset vero die firmatum. Tum quia Deo omnia sunt nota.[b] Tū quia fraus & dolus nemini patrocinari debent.[c] Secūdo, quod præfatum instrumentum donationis, etiam si esset legitimè factum, non posset ei prodesse, si donatio fuit fictè & simulatè sine vero animo donādi facta: quia illa est ipso iure nulla, & nihil valet,[d] & quod talis præsumitur hęc de qua agimus in foro exteriori, cùm fuerit facta vxori, quæ est persona coniuncta, & virtualiter ipse remansit in eorū possessione, iuxta doctrinam Bart.[e]

2 Tertio, quod etiam si esset vera coram Deo donatio, non posset prodesse: quia fuit facta vxori, quæ non valet,[f] nisi esset in rata, vt ait Barto. recept.[g]

Quartò, quod si vera & iurata fuisset donatio, dubitari potest. Nam pro cōsulente facit, quod reus criminis, propter quod ipso iure non perduntur bona, vt perduntur in crimine læsæ maiestatis humanę,[a] & diuinæ,[b] neque tale ob quod administratio ipso iure interdicitur, quale est repetundarum,[c] donare potest post crimen commissum antequam in iudicium deducatur & valet ipso iure donatio,

3 Et contra consulentem facit, quod illa reuocari potest tamquam in fraudem fisci facta, d. l. *post contractum.*[d] vbi Bartholus communiter receptus vtrumque tenet. Sed contra hoc facit consideratio quędam, quam nullibi legi; scilicet quod donatio vera in fraudē facta ipso iure tenet, & non potest, nec debet creditor, vel alius, in cuius fraudem facta est, admitti ad illa bona donata, nisi prius per actionem reuocatoriā rescindatur, iuxta §. *itē si quis in fraudem.*[e] eo quod per donationem, & emptionem etiam in fraudem factam, transit dominium in donatarium, & emptorem iuxta glossam,[f] & ex textus expressus in l. *si sciens.*[g] & quod ideo donatarius non videtur obligatus ad reddenda illa bona, donec per iudicem reuocetur donatio, vel emptio: sicuti nec incidens in pœnam tenetur soluere illam in foro conscientiæ, donec à iudice condemnetur, iuxta glossam celebrem,[h] S. Thomam.[i]

4 Quinto, quod per hanc considerationem, quæ in pręsētia mihi videtur tenēda præsertim cōtra fiscū cōtra quē in dubio iudicandū est,[k] resolute ad quæstionem respondeo, quòd si coram Deo præfatus cōsulens verè donauit præfata bona vxori & donationem confirmauit iuramēto, ita quod non potuisset illam reuocare, etiam si numquam fuisset condemnatus, poterit vxor eius retinere illa sibi tamquam sua, quia verè sunt talia, donec donatio illa reuocetur, & rescindatur per iudicem, tamquam in fraudem facta: si autem non habuit verum animum donandi; cùm illa semper manserint sua, cadunt sub confiscatione generali omnium bonorum suorum, & sic debētur fisco per sententiam condemnatoriam.

5 AD SECVNDAM respondeo, indubitati iuris esse, quòd illa bona occultata debentur fisco, cùm occultatio non habuerit vim auferendi dominium, sicut habuisset vera donatio, vel vera venditio; & ita semper remanserunt tam sua, ac si non fuissent occultata.

b Ad Hebr. 4. cap. multi. [illegible] 1.
c Capi. sedes Apostolica. de rescrip.
d L. 1. & tot. tit. C. plus valere. quod agitur.
e In l. post cōtractū ff. de donat. nu. 4.
f Leg. 1. ff. de donat. inter vir. & vxor.
g In l. si quis pro eo. sub fi. ff. de fideiuss.

a L. quisquis. C. ad legem Iul. maiest.
b Ca. cum secundum. de hæret. li. 6.
c Le. ex iudiciorum. ff. de accusat.
d ff. de donat.
e Inst. de action.
f In d. §. item si quis.
g ff. de contrah. empt.
h In c. fraternitas. 12. q. 2.
i 2. 2. qu. 62. art. 4.
k L. non puto ff. de iure fisci.

SVMMARIVM.

*1 Lex prohibens patri ne in damnum filiorum donet vltra quintam, nō ligat donantē pro anima sua, vel in remuneratione.*

## CONSILIVM IX.

QVAERITVR in vtroque foro, vtrū pater multa in bonis habens pro filiis, quæ etiam pro eorum persona ac statu sint superflua, possit in vita ad opera pia, & donationes gratuitas, etiam vltra quintam partem impendere.

1 Respondeo, quod potest donare in cultum Dei, & ad opera pia salutē animę suæ respiciētia, vt in Man. dixim⁹.[l] Potest etiam facere donationes profanas remuneratorias, quæ non sunt verę donationes, non autem veras, vt vbi supra diximus in dicto Manual.[m]

l Cap. 26. nu. 39.
m Capit. 26. nu. 39.

SVMMARIVM.

*1 Donatio inter viuos non insinuata, si sit vltra 500. non valet, nisi in 500.*

*2 Donatio causa mortis cum clausula de non reuocando, si sit posita in parte dispositiua, transit in donationem inter viuos.*

*2 Donatio causa mortis iudicabitur nō esse reuocata, si quis postea donet inter viuos, putans donatarium interiisse.*

## CONSILIVM X.

AN donatio inter viuos vsque ad 800. vel mille aureos, non insinuata iudici, valeat; & an donatio causa mortis possit reuocari donando inter viuos?

1 Respondeo, quod donatio inter viuos facta de maiore summa, quàm quingentorum aureorum, licet valeat quo ad 500. non tamē valet quo ad reliqua, nisi fuerit insinuata,[n] vel nisi fuerit iurata, vt ait late Dec.[o] Sola enim condonatio solēnitatis iniurata nō sufficit vt ait Bartholus in d. l. sancimus. §. fin. & Decius vbi supra.

n Le. penult. iuncta l. sancimus. C. de donat.
o Consi. 452. nu. 15.

2 Donatio causa mortis transit in donationem inter viuos per clausulam insertam ei de non reuocando eam, si modo inseratur verbis dispositoriis: licet secus sit, si id fiat in exequutoriis vt ait Couarruuias.[a] Animaduertendum tamen, quod si quis donaret inter viuos alicui aliqua bona quæ causa mortis ante donarat, putans donatarium causa mortis obiisse, forsitan iudicabitur eam non esse reuocatam. argumento l. fin.[b]

a 2. part. rubr. de test. nu. 13.

b De dol. hæred. institut.

## DE PECVLIO CLERICORVM.

### SVMMARIVM.

*1 Clerico filiofamilias quod annuatim dat pater, vt sic ex eo clericaliter se sustentet, efficitur peculium castrense, quod etiam ludendo efficaciter in alium transfert, sicut etiam est omne id quod lucratur.*

### CONSILIVM I.

CAius paterfamilias lusit cum Sempronio ludo alearũ primera nũcupato, qui Caius superlucratus est à Sẽpronio scuta sex auri sine fraude. Ludo finito, Sẽpronius, qui perdidit, reperitur esse filiusfamilias, doctor ætatis vigintiocto annorum, vel circa, habens primam tõsuram, & tres ordines minores tantùm, nec possidet bona aliqua castrensia, vel aduẽtitia, nec aliquid ex doctoratus officio lucratur, & demum nullas alias pecunias habet, præterquam centum & quinquaginta aureos, quos habet à patre singulis annis, de quibus liberè disponere potest: dictúsque Sempronius moratur cum quodam Cardinali, à quo habet victum, & habitationem, eo quod manet in eius curia, & ipsum concomitatur.

Quæritur, attento quod dictus Sempronius est filiusfamilias, quomodo dictus Caius possit esse tutus in foro poli: Vtrum huiusmodi pecunia sit restituenda, necne?

1 Respondeo, quod de rigore iuris non tenetur restituere: quia quicquid huiusmodi clericus quærit, fit ei peculiũ castrense, & potest de ipso testari, & disponere, non obstãte quod sit filiusfamilias, iuxta authẽ. *presbyteros*,[c] & tradit Innoc. & post eum Panormitanus.[d]

Nec obstat, quòd omnia quæ habet, sint donata sibi à patre: quia donantur ei, vt exerceat militiam clericalem, inseruiendo, vt inseruit Cardinali in primis inseruientium honorificentissimè, per ea quæ Couarruuias addit Panormitano.[e] Salua, &c.

c C. de episcop. & cler.
d In ca. quia nos. de testamen. nu. 5.

e In d. c. quia nos.

### SVMMARIVM.

*1 Beneficiarius de patrimonio, & quæsitis sua industria, ac laicus disponere potest & nu. 4.*
*2 Donare habenti ad se sustentandum, sed non honestè, pium.*
*3 Pia vt sit largitio, principaliter ob Deum fieri debet: nec desinit esse bona, licet fiat etiam, sed minus principaliter ob alium finẽ etiam ineptum, modo non sit malus.*

### CONSILIVM II.

AN pensionarius de reliquatis ex sua modica pensione, & de aliis suo labore & industria comparatis possit cognatis suis plus satis familia oneratis, & egentibus opitulari?

1 Respondeo primò, quòd latius, quàm hactenus alij tradiderunt, scripsimus nos in tractatu de reditibus ecclesiæ,[f] quod non solùm pensionarius, & quiuis alius stipendiarius, vel accipiens aliquid pro labore, & industria, & occupatione, qua seruit, vel tenetur seruire alteri, potest ea, quę reliquat, vel superflua facit vltra suum victum decentem, donare, & dispendere in opera pia, sed etiam beneficiarius quilibet, etiam regularis, & religiosus potest impendere fructus sui beneficij sic reliquatos, & seruatos in eadem opera pia.

f Qu. 1. mõ. 18. & fere per bonam partẽ aliorum, præsertim 32. & conseq.

2 Secundò, quòd impensa, & erogatio, quam ait se facere D. consulens in prædictos cognatos, est pia & sancta, vt in d. tractatu,[g] traditur declarando,[h] quæ sunt opera pia, & addendo,[i] quod etiam dare habenti necessaria ad sustẽtandam vitam, sed egenti ad se decenter sustentandum cũ sua domo, & familia, est dare ad opera pia.

g qu. 1. mon. præd. 32.
h In mon. 26.
i In mon. 27.

3 Tertiò quòd ad hoc, vt impensa & erogatio dicatur pia, oportet, quod principaliter fiat ob amorem Dei, vel ob misericordiam, & necessitatem proximi, ita quod non sufficeret facere illam ob cognationem, & amicitiam, vel aliũ respectum profanum, vt traditur vbi supra.[k] Dixi *principaliter*. quia non oportet vt fiat nullo respectu alio profano habito. Tum quia iudicandum est opus secundum id, quod principaliter intenditur.[a] Tum quia, vt colligit ex ea Iason sequutus communem, attendendum est id quod principaliter intenditur, & non quod minus principaliter siue incidenter. ex quo infert multa vtilia, & in his id quod ait glossa finalis putata singularis,[b] quæ adiuncto textu probat non esse attendendum præiudicium, quod consequenter, siue per quamdam consequentiam fit, sed tantùm principale. Tum quia non desinit opus esse bonum, eo quod minus principaliter fiat ob aliquem finem ineptum, modo non sit malus, si principaliter fiat propter finem aptum, vt tradimus latius in comment. ca. *inter verba.*[c] & breuius in comment. c. *cum minister.*[d] & vtilius in Manu. confess.[e]

k Mon. 28.

a Leg. si quis nec causam. ff. de reb. creden.

b In c. quamuis pactũ. de pact. li. 6.

c 11. q. 3. conclus. 5. nu. 19. & seq.
d 23. q. 5. nu. 4.
e Ca. 14. nu. 33.

Quarto, quòd D. consulens debet elargiri ea, quæ largitur prædictis cognatis suis de fructibus pensionũ, principaliter; siue principalius propter amorem Dei, & misericordiam, & paupertatem, siue indigentiam quo ad se sustentandum, quàm propter cognationem, vel alium respectum humanum, siue sæcularem: quamuis etiam bene faciat largiendo propter Deum principaliter, habendo minus principalem respectum ad cognationem, amicitiã, & alios respectus, & fines sæculares, dummodo non sint principales; sed tantùm minus principales.

4 Quinto, quod non frustra in præcedenti dicto dixi, *De fructibus pensionum Ecclesiasticarum*, quia de aliis fructib[9] aliarum pensionum sæcularium, vel de salariis, vel stipendiis, quæ pro laboribus suis accipit, potest pro libito suo etiam principaliter largiri prædictis suis cognatis ob cõsanguinitatem, & amicitiam: sicut quilibet laicus potest de fructibus laicis pro libito largiri etiam extraneis per dicta in d. tractatu,[f] nec debet scrupulum sibi facere de difficultate sciendi, quantùm reliquat de pensionibus Ecclesiasticis, & quantùm de aliis stipendiis &c. sine vllo errore: quia satis est bona fide sine dolo computare verisimilem quantitatem vtrorumque. arg. c. quia verisimile non est, & ei adnotatis[g]. Salua, &c.

f Qu. 1. mon. 17. & multis seqq.

g De præsũptio.

### SVMMARIVM.

*1 Fructus beneficiorum, viuente titulari, seu illorum reseruatario separati à solo, ei debentur, ac etiam locationum pensiones correspondentes fructibus, sicut supra à solo separatis. num. 5. 6. 9. & hoc etiam si nondum fuissent in horrea repositi. n. 4. vnde si illos viuens debita honesta contrahendo consumpsisset, non facerent spolium. num. 2. alias sic. n. 3. de iure autem deberentur successori in beneficio, sicut & collecti sede vacante, nisi alteri essent applicati, seu cõcessi. num. 7. & 8.*

### CONSILIVM III.

PRAESVPPOSITO priuilegio Apostolico facto illustrissimo N. de percipiendis spoliis clericorũ in sua ditione, quæsita fuerunt sequentia à successore D. Consulente.

1 Primùm, cuius debeant esse fructus, quos reseruauit sibi præcessor ipsius sine vlla locatione per se ipsum percipiendos, an hæredis eius, an illustrissimi N. an D. consulentis, & de fructibus, qui obuenerunt sede vacãte. Et responsum fuit primo, quod fructus, quos reseruauit administrationi suæ præfatus præcessor, & fuerunt in vita eius à solo separati, pertinuerunt omnes ad ipsum, & nulli eorũ, qui post mortem fuerunt collecti, & à solo separati, secũdum glossam,[h] communiter receptam per communem sententiam, vt diximus in tractatu de reditib. eccles.[i] per argumenta valida; quæ ibidem videri possunt.

2 Secundò, quòd si fructus illi reseruati fuerunt impẽsi à præcessere, ita quod non remanserunt inter spolia eius, pertinebunt ad præcessorem mortuum, vel hæredes, aut eius causam habentes: quia ipse poterat eos impendere suis honestis vsibus, etiam seruato patrimonio, & eius fructibus, quibus voluisset, iuxta illud dictum singulare Innocentij,[k] relatum à nobis in præfato tractatu,[l] & nullatenus pertinebunt ad illustrissimum N. nec ad D. consulentem.

3 Tertiò, quòd si præfatus præcessor non impendit ea honestè in vsibus suis, dum vixit, sed remanserunt libera à debitis eius, pertinebunt ad spolia eius.

h In c. si propter. de rescr. li. 6. & in ca. præsenti. de off. ord. eod. lib.
i Quæst. 2. mo. 2.

k In ca. Episcopus. de præben.
l Quæstio. 1. mon. 32.

4 Quartò, quod non refert an fructus præfati fuissent percepti,& reconditi, an solùm à solo separati: quia idem est iudicandum de vtrisque.arg.l.*si eius*,[a] secundum veriorem intellectum l.*arboribus*.§. Iulianus. alias est l. si fur.ff. de vsufruct.& l.si vsufructuarius.ff.quemad. vsusfr. amitt. & est communis opinio,quam sequimur nos in d.tract.[b]

5 SECVNDVM QVÆSITVM est,cui debent adiudicari pretia locationũ & conductionũ solueda in aliquo festo cadente intra tẽpus sedis vacantis. Ad quod respõdetur,quod huiusmodi pretia,quę erãt soluenda in aliquo termino contingẽte tẽpore sedis vacãtis propter fructus quæsitos,vel saltẽ separatos à solo ante mortẽ prçcessoris, adiudicabuntur,ei,vel ab eo causam habẽtibus:quia pretium rei venditæ debetur vendenti , sicut res vendita debetur emptori , [c] & eadem ratione pretium fructuum locatorum post perfectam locationem debetur locãti pro ea parte quæ fuit locantis,vel debita ei,sicut vsus rei locatæ debetur conductori.[d]

6 TERTIVM QVAESITVM,Cui debent adiudicari pretia præfatarũ locationum soluenda in aliquo festo cadente post prouisionem D. successoris.Ad quod respondetur idem quod responsum est ad secundum , scilicet quod cedunt ipsi prædecessori pro ea parte , quæ fuit quæsita seu debita ipsi locanti:& sic pro ea parte,quæ fuit collecta,vel à solo separata ante mortem locantis.

7 QVARTVM QVAESITVM, Cui debeant adiudicari fructus,qui obuenerunt sede vacante.Ad quod respõdetur, quod adiudicari debẽt illustrissimo N.vel ei commissario : quia licet iure communi debeantur successori,per c.*cùm vos*,[e] & cap.*quia sæpe*, [f] priuilegio tamen Papæ pertinent ad suam Dominationem illustrissimam , vt præsupponitur.

8 QVINTVM QVAESITVM,Cui debent adiudicari fructus,qui remanserunt in spoliis prædecessoris. Respondetur, quod ipsimet illustrissimo N. virtute dicti priuilegij.Nec obstat argumentum factum in fauorẽ opinionis Soti in d.tractatu,[g] scilicet quod alioquin,&c.

9 SEXTVM QVAESITVM,Cui credere debeãt pretia locationũ fructuũ pro ea parte , quæ tãgunt fructus perceptos , vel à terra separatos post prouisionẽ successoris,quocumq; tempore sint soluenda.Et respõdetur, quod aut locatio fructuũ desinit esse valida quo ad partẽ,quę tãgebat illos fructus perceptos post præfatam prouisionem, aut non.Priore casu pretium respondens præfati parti,soluendũ est præfato successori : quia fructus illi,si non fuissent locati,pertinuissent ad ipsum, & cõsequenter pretiũ, quod debetur pro illis,soluendum est ei,cuius fuissent fructus,si non fuissent locati.Altero casu, scilicet si cõductio remansit valida etiam quo ad illos fructus,dicendum pretium eorum diminuendum esse pro rata fructuũ locatorũ, ita quod successor percipiat fructus,vel locet eos de nouo. An autem locatio & conductio desinant esse validæ quo ad illos fructus,necne,colligendũ est ex tenore instrumẽti, & ex causa,& consuetudine locandi , & aliis circũstantiis.Salua,&c.

*SVMMARIVM.*

*2 Clerici beneficiati possunt licitè de fructibus suorum beneficiorũ, viuendo de bonis patrimonialibus , vel quasi, inter quæ omnia, quæ aliunde quam ex fructibus beneficiorũ acquisiuerunt , etiã si illa ex vsu sacrorum ordinum acquisiuerint, cõputantur , nu. 1.tam inter viuos,quàm in vltima voluntate, etiam propinquis relinquendo,disponere.nu.2 & 3.An autem in dubio sit præsumendum eum ex dictis fructibus voluisse viuere,vel ex patrimonialibus,seu quasi,ex coniecturis est diiudicandum.*

*4 Clericus negotia principum in Curia, etiam recepto stipendio,iure communi,& ex stylo Curiæ gerere licitè posse videtur.*

CONSILIVM IIII.

QVod de bonis clerici quasi patrimonialibus, & de patrimonialibus idem sit iudicandum , tenuimus nos in apologia libr. de redit. ecclef. [h] Quod item bona clerici quæsita per industriam suam, etiam per vsum sacrorum ordinum alia ratione,quàm fructuum vel redituũ beneficiorum,dicantur quasi patrimonialia,tenuimus.

1 Interrogatus,quid mihi videatur de hac informatione respondeo me pridem in apologia lib.de red. eccles. [a] tenuisse,quòd bona quæsita licitè per artificium, vel aliam industriam, & laborem clerici absque intuitu clericatus, & ordinum suorum,sunt verè patrimonialia,sicut quæsita à laicis;& quòd quæsita à clerico ratione officij clericalis, & suorum ordinum extra fructus beneficiorum Ecclesiasticorũ,sunt quasi patrimonialia,& quod de iis perinde ac de patrimonialibus disponere potest clericus, qui ea quæsiuit.

2 Secundo, quod , [b] teneo firmiter determinationem Innocentij,[c] quod beneficiarius potest viuere de fructibus sui beneficij,& seruare suum patrimoniũ, seu sua bona patrimonialia,& fructus eorũ suis cognatis ; & disponere de illis inter viuos,& in vltima voluntate.

3 Tertiò;quòd hæc consequitur præfatum D.Gab. Robos.potuisse de bonis quęsitis licitè per industriam suam, tam ratione ordinum suorum,quàm alia , disponere perinde,ac si esset laicus.

4 Quartò,quòd iure communi consuetudine Curiæ in Vrbe declarato & vsitato videntur licita negotia Regũ, & aliorum,per quæ fuerunt ei aliqua salaria,vel honoraria donata,vt supra in informatione probatur.

5 Quinto quod licet forsitã expresse non declarauerit se voluisse,dum viueret, de fructibus beneficiorum suorum viuere;& bona patrimonialia suis cognatis vel amicis ab intestato,vel ex testamento relinquere;tacitè tamẽ ex multis eius actis,& ex cura , quam habuit seruandi tot millia ducatorum, & ex consuetudine , quam communiter seruant clerici beneficiarij habentes patrimonia siue bona patrimonialia facilè coniici potest eum habuisse hunc animum:ita quod Reuerẽdissimę Camerę procuratores nullam sibi culpã poterunt adscribere , quod falso id crediderint : quamuis Ludouicus Rom.in consilio citato.in informatione id mihi nõ apertè dicat.Salua , &c.

DE TESTAMENTIS ET VLTIMIS VOLVNTATIBVS.

*SVMMARIVM.*

*1 Testamentum à parocho scriptum,& sola testatoris manu subscriptum, nec in terris Ecclesiæ tenet in foro exteriori: at in foro conscientiæ,qui ex eo bona possidet,licitè retinet.nu.2.*

*2 Relictum mihi sponte in dispositione minus solemni,immo solo verbo sine testibus,tuta conscientia retineo.*

CONSILIVM I.

FRANCISCVS disposuit de bonis suis in terris Ecclesiæ,instituendo nepotem hæredem per schedulã scriptam à proprio parocho, subscriptam ab ipsomet testatore. Quæritur,an valeat huiusmodi institutio in foro conscientiæ.

1 Respondeo primò,quòd ordinatio prædicta non est seruanda in foro exteriori; quia nec secundum formam iuris Cæsarei,neque canonici est facta,vt constat per cap. *cùm esses*,& ei annotatis.[f]

2 Secundo,quod grauissima difficultas est apud vtriusque & etiam diuini iuris peritos,an vltima voluntas, quæ sine solẽnitate à iure requisita est ordinata,valeat in foro conscientię:ego autem in ea opinione sum, quod qui possidet bona sibi verè & sponte coram Deo relicta, siue scripto,siue verbo tantùm,siue coram testibus, siue sine illis,potest sanctè salua conscientia retinere;licet possint ei tolli per iudicem in foro exteriori. Salua,&c.

*SVMMARIVM.*

*1 Beneficiarius hæres à patre institutus, si fecit inuentarium, nõ cogitur ex fructibus beneficij soluere debita , vel legata ei à patre mandata vltra vires hæreditarias:sed ad id tenentur alij habentes hęreditatem.num.5.immo nec volens potest,nisi dicta solutio saltem indirectè iudicetur opus pium.num.3.& 4.*

CONSILIVM II.

1 REspondeo primò ; præfatũ Prælatum non potuisse obligare & onerare filiũ,cui reliquit beneficia, & minorem partem patrimonij.Tum quia tamquam successor in beneficio non fuit grauatus ad illa, cùm non fuerit ei imposita pensio auctoritate illius ; qui poterat eam

T 2 imponere

---

Marginalia:
a ff. de rei vend.
b qu. 2. mon. 14.
c Argu. ff. de actio. vendit. per totum.
d Arg. l. illud. ff. ad l. Aquil.
e De off. ord.
f De elect. li. 6. c. præsenti. de off. ord. eodem. lib.
g qu. 2. mon. 13.
h qu. 1. mon. 22.
a Qu. 1. mon. 22.
b In d. qu. 1. monito 30.
c In c. indecorum. de ætate & qual.

imponere ad soluendum suum æs alienum, & alia legata pia. Tum quia tamquam hæres non potuit obligari vltra vires hæreditarias.

2 Secundo, quod si præfatus filius adiuit hæreditatem patris absque beneficio inuentarij, aut non fecit inuentarium intra legitimum tempus, cogetur in foro exteriori soluere præfata onera, iuxta l. *scimus*, [a] quamuis in foro cōscientiæ non teneretur vltra vires hæreditarias.

a C. de iure delib.

3 Tertiò, quod si ipse voluerit soluere prefata pia legata, iustè ac sanctè soluere poterit illa de fructibus & reditibus sui beneficij, quia iustè potest impendere illa operib. piis, qualia sunt præfata legata pia. Quartò, quod si æs alienū præfatum fuit cōtractum ob causam profanam & tēporariam, nō poterit iustè de reditibus sui beneficij soluere illud: quia oēs fructus beneficiarij debent impendi in eius sustentationem honestam, vel alia opera pia. quamuis, quia in facto proponitur illud æs alienum conflatum fuisse ob sustētationem dignitatis Ecclesiasticæ, poterit (vt puto) reduci directè, vel indirectè ad pietatis opera.

5 Quintò, quòd si præfatus filius noluerit soluere prefata legata, & debita, nec potuerit cogi ob beneficiū inuentarij facti, alter frater cogetur soluere illa de rigore iuris, tamquam hæres patris retinens maiorem partem bonorū eius, si, quæ bona habuit à patre, ad soluenda prædicta sufficiant.

SVMMARIVM.

*3 Clerici & Episcopi, quibus in Vrbe decedentibus Iulius III. concessit, vt possent de omnibus rebus, exceptis illicitè acquisitis, testari, si testamentum fecerint, etiam si aliqua ex illicita, hoc est eis prohibita, non tamen iniusta negotiatione. nu. 7. acquisiuerint, tenet, nu. 1. 6. & 14. etiam ad effectum, vt prædictorum sic acquisitorum hæres & legatarius dominium acquirant. nu. 2. cessante autem dicto priuilegio, de iis quæ per negotiationē ipsis inhabitam, vel aliàs contra Canones Ecclesiasticos dominis sæcularibus seruiendo, prædia laicorum conducendo, officia aduocandi & iudicandi in foro sæculari exercendo acquisiuerunt, in vltima voluntate disponere non possunt. sed spectant ad Camerā Apostolicam, etiam si tales essent regulares apostatæ. nu. 4.*

*9 Negotiatio est de actibus indifferentibus, quæ non facit aliquem malum, sed mendacia, quæ negotiando proferuntur: sed si rectè fiat, & ad bonum finem, est vtilis & necessaria Reipublicæ, nu. 8. at ex circumstantia potest deprauari, nu. 9. vel agendo contra terminos iustitiæ commutatiuæ, & hæc vltra peccatum obligat ad restituendum, vel agendo contra præcepta aliarum virtutum & charitatem, & hæc licet habeat annexum peccatum, nō tamen obligat ad restituendum. nu. 11. & seq.*

*14 Actus omnes humanos, esse peccata dicere, hæreticum: sed quod maxima illorum pars sit infecta peccato veniali, est Catholicum.*

*14 Veniale peccatum, quo opus aliquod inficitur, operatur, vt non sit meritorium gratiæ, nec gloriæ.*

## CONSILIVM III.

1 AD quæstionem propositam de clericis & Episcopis decedentibus in Vrbe, an possint testari de rebus quæsitis per negotiationem, iamdudum respōdi. Primò, quod sic, ad hunc sensum, quod testatio, seu testamentum, & vltima voluntas eorum possit dici iusta, si fecerint illam per verba generalia, dicendo, *Lucius hæres meus esto, vel relinquo bona mea Titio*, vel similia, non facta mentione particulari de rebus per negotiationem quæsitis, per ea quæ tunc allegaui, & alia quæ tradunt Decius, [b] & citati ab eo. [c]

b In l. hæreditas. ff. de regu. iur.
c Ibidem.

2 Secundo etiam respondi affirmatiuè, quòd sic, intelligendo eam in hoc sensu, quòd hæres legatarius, vel fideicommissarius acquirunt titulum quæsitorum per negotiationem de se licitam, id est, non contrariam legibus iustitiæ specialis, licet esset illicita ratione circumstantiæ personæ, loci, temporis, vel alterius, quæ negotiationem faceret vitiosam, eo quòd esset contraria aliis virtutibus, quàm iustitiæ speciali: & quod exceptio, quā fecit Iulius III. in bulla, per quam concesit facultatem testandi prædictis clericis, & Episcopis in Vrbe decedentibus de

A omnibus rebus, exceptis illicitè quæsitis intelligēda erat de rebus quæsitis illicitè contra leges iustitiæ specialis, & non de quæsitis illicitè contra leges virtutum theologarum, vel aliarum moralium: contra quod formaui quatuor argumenta, quibus respondi.

3 Nunc autem pro maiori declaratione oppono cōtra responsionē. Primò, quod præfatus Iulius III. in sua bulla generaliter excepit res illicitè quæsitas; ergo generaliter est intelligenda. [a] Secundò, quòd nulla ratio diuersitatis videtur dari posse inter quæsita illicitè contra leges iustitię specialis, & inter quęsita contra leges speciales aliarum virtutum, cùm per vtramque acquisitionem peccetur mortaliter, & per vtramque offendatur Deus.

a Cap. solitæ. de maiori. & obedien. l. e. de pretio. ff. de public. in rem actione.

B 4 Tertiò, quòd Pius IIII. iuris vtriusque (vt fertur) callentissimus, videtur prefatam bullam in quadam eius declaratione sit intellexisse, vt per illicitę acquisita, veniant omnia quæsita per negotiationem illicitam, & aliàs contra canones. Quam expositionem nos post alios secuti sumus in comment. c. *non liceat Papæ*. [b] diximus valde notandam esse illam declarationem, per quam declarabatur id, quod nusquā antea videtur in vlla iuris scripti parte expositum, scilicet nulla quęsita per negotiationem illicitā, vel alias contra canones Ecclesię, posse per vltimam voluntatem relinqui à clericis, vel Episcopis: ex quo intulimus nos ibidem, quod cuidam monacho apostatæ, qui apud Indos quæsiuit 2000. scutorum per negotiationes, & mercaturas, non debet succedere monasterium, iuxta ca. *cum olim*. 2. & alia iura, [c] sed Camera Sedis Apostolicæ: & quod stipendia, quæ quærunt multi clerici inseruiēdo Regibus, & aliis principibus, & dominis sæcularibus, & per conductionem, seu arrēdationem prædiorum, vel redituum sæcularium, & aduocationis, & officia iudicādi in foro sæculari, eis mortuis debentur Cameræ Apostol.

b 12. q. 2. §. 7. num. 4. & 5.

C

c De priuile.

5 Quartò, quod negotiatio siue mercatura videtur esse per se mala, iuxta illud Leonis Papæ relatū in c. *qualitas*. [d] *Inter ementis & vendentis commercium difficile non interuenire peccatum*: ob quod ibidem consulitur, ne pœnitens negotietur: & quod Chrysostomus relatus in c. *eijciens*. [e] sic ait, *Mercator numquam Deo placere potest, & ideo nullus Christianus debet esse mercator, & mercator sine mendacio & periurio esse nō potest*. Quintò, quòd onus augetur, & non minuitur, cùm quod vni debetur, improuidè aliis soluitur. [f] At quæsita per negotiationem illicitam, videtur deberi damnificato per illā: quia *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatū*. [g] ergo non possunt per vltimam voluntatē solui aliis. Sextò, quod licet Iulius III. non statuerit illud; satis superquetamen est quod Pius IIII. statuerit illud. [h]

d De pœnitent. dist. 5.
e 88. distinct.

D

f Ca. eam te. de iureiuran.

g Ca si res aliena. 14. q. 6. & regu. peccatum. de regu. iur. li. 6.
h Cap. si Roman. 19. dist. & capit. 1. de constit.

6 Quibus tamen non obstantibus, vera videtur nostra responsio, salua emunctissima S.D.N. censura, & cuiuslibet saniore sententia. Primo quidem, quod nulla ratio naturalis, nec diuina positiua, nec humana canonica, vel ciuilis, reddi potest, cur fe. rec. Iulius III. excipere voluisset quæsita per negotiationem per se licitam, licet sit illicita ratione circunstantiæ personæ, temporis, loci, vel alius, quàm quæsita per alium actum suapte natura indifferentem, & ob aliquam circumstantiam prædictarum illicitū. ergo dicendum est, vel voluisse excipere omnia quocumque modo illicitè quæsita, vel nec quæsita per negotiationem ex sola circumstantia illicitam. At non potest iuridicè responderi excepisse omnia quocumque modo illicito acquisita, per ea, quæ infra dicentur; ergo dicendum est, nō excepisse quæsita per negotiationem suapte natura licitā, & sola circumstantia illicitam.

E

F 7 Secundo, quod non obstat huic argumento dicere, quod satis est id placuisse Principi, ad hoc, vt legis vigorē habeat, [i] & quod nō solum Pius IIII. excepit generaliter quæsita illicitè, sed etiam prius exponendo eius verba; specialiter excepit quęsita per negotiationem illicitam, & aliàs contra canones. Quia eodem modo responderi potest ad eius expositionem, sicut ad constitutionem Iulij III. vt infra respondebitur, scilicet quod intelligitur de quæsitis per negotiationē cōtra leges iustitiæ specialis, & de quęsitis contra canones iustitiā specialem cōtinentes; quia negotiatio est duplex, honesta, & turpis, siue illicita, vt habet præfatum c. *qualitas*. & honesta attenta iustitiæ qualitate non generat saltem immediatè turpia, & inho-

i Leg. 1. ff. de const. princ.

nesta,

nesta, iuxta illud Dominicum, *Arbor bona non facit fructus malos*.[a] & illud Baldi.[b] *Non potest esse plus in causato, quam virtus causæ influit.*

8 Tertio, quod vt ait Augustinus relatus in ca. *quoniam*,[c] negotiatio non facit quem malum, sed mendacia & periuria quæ negotiantes proferunt. cui concordat Cassiadorus relatus in cap. *quid aliud*.[d]

Quarto, quod ars rectè negotiandi est licita, secundum Aristotelẽ[e] & vtilis, ac necessaria, secũdum Ciceronem,[f] cum ad honestum & bonum finem dirigitur, vt declarat S. Thom. receptus ab omnibus.[g]

Quinto, quod si negotiatio de se esset illicita, maximè foret, quia per eam quod vilius emitur, carius venditur: sed hoc est licitum: quia *dignus est operarius mercede sua*,[h] & mercator multam operam impendit emendo merces temporibus congruis, in locis aliquando remotis, & seruãdo eas in tempus opportunũ, & transferendo in alia loca, & subeundo pericula, & nulla alia merces ei assignatur præter id quod vilius emendo, & carius vendendo lucraretur, & ita licitè capit lucrum modo rationabile.

9 Per quod & alia cõcludimus nos,[i] negotiationem in genere esse actum suapte natura indifferentem, nec per se bonum, nec per se malum, sed talem, qui ob circumstãtias potest esse bonus vel malus: qualia sunt loqui, & silere, edere, & bibere, ambulare, & sedere, & alia id genus innumera, quæ ob circumstantias personæ, tẽporis, loci, & præsertim finis, sunt bona, vel mala, vt tradit S. Thomas receptus ab aliis.[k] At nemo prohibetur testari de quæsitis per actus de se honestos, & iustos, licet defectu cuiuspiam circumstantiæ prædictarum sint illiciti: ergo nec debet prohiberi testari de quęsitis per negotiationem per se iustã & licitam, licet ex circumstantia sit illicita: quoniam rari sunt qui quærant bona omnino licitè.

10 Nam quicũque quærit aliquid per actus mortaliter, vel venialiter malos, quærit illicitè: quandoquidem omne peccatum non solùm mortale, sed etiam veniale est illicitum, adeo quòd etiam iuramentum non ligat iurantem ad illud faciendum,[l] & ferè omnes clerici quærũt per huiusmodi actus: nam multi quęrunt per suarum amasiarum donationes, vel vltimas voluntates, alij per seruitia & obsequia illicita contra legem naturalem, vel diuinam, vel canonicam, vel ciuilem à canonica probatam: plures malè suadendo ad testandum in fauorem suum, alij per mẽdacia, vel detrahendo malè aliis sibi acquirunt malè beneficia ecclesiastica, multi non recitando horas canonicas malè percipiunt beneficiorum suorum fructus. multi excommunicati, & aliis censuris ligati quærunt fructus, eo quòd habent canonicos titulos: multi licet dicant Horas canonicas, tamen id faciunt mortaliter, vel venialiter peccantes sine debita reuerentia, vel sine intentione, aut sine attentione requisita, vel nimium festinè, vel corruptè illas pronunciant, vel cantant, multi omittendo cantum debitum, vel non seruando silentium debitum, vel alias ceremonias, nonnumquam etiam ridendo, vel ringẽdo, & aliis multis modis saltem venialiter inficiendo illas, per quod earum pronunciatio fit illicita saltem venialiter, & consequẽter fructus taliter sunt illicitè quæsiti, saltem per actus ex circũstantia illicitos. Plures Decani, Archidiaconi, Abbates, & Episcopi negligenter fungentes suis officiis, saltẽ venialiter peccant, & per illas illicitas functiones quęrũt sibi magnos reditus, de quibus nullatenus possunt iustè cũ bona conscientia testari, si contraria opinio esset vera.

11 Sexto, quod negotiatio, vt dictum est supra, est duplex, honesta, & turpis, siue illicita: illicita verò etiã est duplex, alteraque est cõtra leges iustitię specialis, altera quę est cõtra leges caritatis, & aliarum virtutũ moralium, inter quas est magna differentia: quia negotiatio quæ fit contra leges iustitiæ specialis, non solùm inducit peccatum, sed etiam obligationẽ restituendi damnũ datũ per illam parti dãnificatæ, vt colligitur ex S. Tho.[m] Altera verò licet inducat peccatum veniale, vel mortale, non tamen inducit obligationem restituendi, vt colligitur ex eodem S. Thom.[n] dicente, quod necessitas restituendi nascitur ex ablatione præcedenti, quã præsupponit, eo quòd sit actus iustus virtutis, quæ ponit, & præcipit æqualitatem inter res exteriores ablatas restituendas, vel recompensandas. Exemplũ cõtra iustitiã commutatiuam, vendere maiori vel minori pretio quàm valet, vel occultãdo vitia, vel defectus mercis, vel exprimendo aliquas vires & qualitates falsas, vel negando aliquas bonas, ob quas merx vendenda pluris vel minoris valet, vel credendo sub vsuris,[a] quæ non solùm inducit peccatum, sed etiam obligationem restituendi parti damnificatæ damnum quod intulit contra iustitiam specialem, contraueniendo alicui legi naturali, vel diuinæ positiuæ, vel humanæ canonicæ, vel per canones approbatę: contra etiam canones illos, quibus illa approbantur, iuxta principium Decreti, & c. *ius naturale*.[b] At quę fit cõtra caritatem, aut alias virtutes morales, excepta iustitia speciali, negotiando quidem iustè quo ad specialem iustitiam, & eius leges, vendẽdo scilicet, vel emẽdo iusto pretio, & nõ occultando vitia, vel defectus mercis, nec exprimẽdo valorem, siue vires eius falsas, nec negando veras, sed intendendo aliquem malum finem, vel displicendo Deo, vel proximo, vel in honorando eos, vel agendo aliquid astutè, vel imprudenter, superbè, ambitiosè, præsumptuosè: vel ob vanam gloriam, vel ob gulam & voracitatem, vel aliquam voluptatem illicitam, sine damno tamen personæ, honoris, vel famę proximi, occidere volendo in aliquo loco, vel tempore sacro, vel mẽtiendo, vel iurando aliqua; quæ mercem quidem ipsam non augent, nec minuunt, sed per ea offendunt animum; & decipiunt proximum, citra tamen damnum personæ, honoris, & famæ. & hęc negotiatio illicita inducit quidem peccatum, sed non obligationem restituendi: quia peccata contra charitatem, & alias virtutes morales præter iustitiam admissa non inducunt obligationem restituendi, vt latè diximus in tractatu de redit. ecclesiast.[c]

12 Vbi mõstrauimus esse falsum, quod quidquid fit cõtra legem obligantem, censeatur fieri contra legem iustitiæ specialis, adducendo illam sententiam S. Thomæ,[d] ab omnibus receptam ex Aristotele,[e] scilicet dari encomium virtutum actibus; & alias esse leges, & præcepta fidei, de quibus S. Thomas,[f] & alias virtutis spei, de quib[g] idem ibidem,[g] & alias leges & præcepta caritatis, de quibus idem,[h] & alias leges, & præcepta prudentiæ, de quibus idẽ,[i] & alias leges, & pręcep. iustitiæ specialis, de quibus idem,[k] & leges, & præcepta fortitudinis, de quibus idem,[l] & alias leges temperantiæ, de quibus idem.[m]

13 Et quod leges iustitiæ specialis versantur principaliter & immediate circa actus exteriores, & ponentes æqualitatem circa cõmutationes exteriores, & debita, quæ sunt ad alterum, vt reddantur æqualia in totum. Alię autẽ virtutes & leges earum versantur principaliter & immediatè circa actus interiores & compositionem animę, & per quamdam consequentiam circa actus exteriores quo ad se, & minus principaliter quo ad alterum: non quidem quo ad ponendum ęqualitatem debiti ad debitum, qualis est religio quę iubet honorem dari Deo, cui non potest dari debitus, de quibus idem S. Thomas,[n] & qualis pietas quę iubet honorem deferri patri, & parentibus, quibus etiam non potest reddi ęqualis.

14 Septimo: quod licet dixerimus in comment. ca. *inter verba*.[o] quod hæretica sit illa opinio Lutherana, quę habet, quod omnis hominum actus est peccatum: attamen Catholica, & sancta est illa, quę habet, quòd maxima pars actuum humanorum est infecta, culpa saltem veniali, iuxta illud, *Septies in die cadit iustus*.[p] & illud,[q] *Quasi pannus mẽstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ.* vt ob oculos semper habeamus ad cauendum, ne bona opera, quę facimus, ita pereãt, vt per ea non quęratur gratia in terris, nec gloria in cęlis; vt certè peribunt, si saltem veniali culpa inficiantur; quoniam vnum & idem opus nõ potest esse bonum meritorium gratię, vel glorię, si est vel venialiter malum, vt post S. Thomam,[r] diximus in Manu. confess.[s] & in comment. de silentio,[t] & prius in Enchir. de ratione.[v] Et ita cũ magna multitudo actuum clericorum, quibus aliqua quęrũt, sit illicita, & contra canones; non profectò erunt, qui de quęsitis à se testari possint in Vrbe, nec in orbe. Quandoquidem non soli actus, quos communes habemus cũ laicis, sed etiam pręcipui, quos habemus cum Angelis, laudandi, & colendi Deum, sunt magna ex parte illiciti saltẽ venialiter, & contra canones.

a Ex Matth. 12.
b In l. 2. ff. de Senatoribus.
c 88. distinct.
d Eadẽ dist.
e 1. Politic.
f Li. 1. offic.
g 2. 2. qu. 77. art. 4. ad primum.
h Luca 10. relat. in c. 1. col. 2. & seq. 13. q. 2.
i De pœnit. dist. 5. c. qualitas.
k 1. 2. q. 7. & qu. 18. per totam.
l Capit. si aliquid, iuncta glo. & c. definitio. 22. q. 4.
m 2. 2. q. 62. art. 1. & 2.
n Vbi supra.

a Capi. si res. 14. quæ. 6. & reg. peccatũ. de reg. iur. li. 6.
b Et cap. ius gentium. & alia posita in 1. 2. & 3. dist. & in ca. quo iure. 8. distin. & alibi sæpe.
c Qu. 2. mon. 1. 2. & 7.
d 1. 2. qu. 95. art. 1. & melius 96. ar. 3.
e Eth. 5.
f 2. 2. q. 17.
g q. 22.
h q. 44.
i q. 05.
k q. 122.
l q. 140.
m q. 170.
n 2. 2. qu. 81. & seq.
o 11. q. 3.
p De pœnite. dist. 3.
q Isaia. 64.
r 2. l. sen. dist. 40. qu. 1. art. 4. & 1. 2. qu. 10. art. 6.
s Prælud. 7. nu. 17. & ca. 23. nu. 1.
t Sup. c. in loco benedictio. 5. q. 4.
v Capi. 3. nu. 49. & c. 20. nu. 30.

15 Octauo, ex prædictis sumitur ratio diuersitatis, quare peccata facta contra leges iustitiæ specialis inducũt obligationem restituendi, & non peccata facta contra legem caritatis, & aliarum virtum, vt docuit Alexander Alensis cõmuniter receptus, [a] quem rectè defendit Adrian. [b] quẽ nos secuti sumus in comment. cap. *inter verba*, [c] & in Man. conf. [d] & Sotus, [e] & nos repetiuimus in tractatu de redi. eccl. [f] per quod Adrian. vbi supra tenuit, eum qui videt aliquem furantem, licet verbo & facto posit eum à furãdo arcere, non tamen obligari ad restituendũ id, quod fur furto abstulit, nisi ex officio ad id teneretur lege iustitiç. Per quæ soluuntur argum. in oppositũ formata. Salua, &c.

a In 2. par. q. 87.
b In 4. de resti. q. 2. col. 9. in §. de currentibus cum fure.
c 11. q. 3.
d Ca. 24. nu. 7.
e Li. 4. qu. 3. art. 4. & lib. 4. q. 7. art. 3. colum. 4. & alibi sæpe, de iustitia & iure.
f q. 2. mon. 7.

SVMMARIVM.

*1 Illegitimis legare & donare ex causis iure cõmuni concessis, etiã de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis, non prohibetur clericus, per extrauag. Pij V. qui sola priuilegia ad id à se & suis prædecessoribus concessa reuocauit.*

*1 Extrauagans Pij V. reuocans priuilegia concessa clericis disponendi in fauorem illegitimorum declaratur.*

## CONSILIVM IIII.

RESpondeo, quod huius quæstionis, & aliarum multarum ei similiũ determinatio desumi potest ex annot. 9. quam ego addidi bullæ Pij V. *Quæ ordini*, quam ad verbũ refero in tract. de spoliis quem feci super cap. *non licet Papæ*, [g] vbi per multa argumenta neruosa compendiosè formata probo, quod præfatus Pius V. nihil tollit, nec reuocat de constitutis iure communi in fauorem illegitimorũ, sed tantum gratias & facultates concessas particulariter ad disponẽdum de quibuscumque bonis inter viuos per donationes, vel in morte per vltimas voluntates in fauorem eorum concessas à se, & ab aliquot aliis Pontificibus Max. præcessoribus suis: & ideo proculdubio non obstante reuocatione præfatarum facultatum, quæ sunt priuilegia quædam, possunt clerici, & quilibet alij donare inter viuos, & relinquere in vltima voluntate illegitimis filiis, tã suis quàm alienis, ea, & eo modo, quo iure communi absq; prædictis facultatibus possent, iuxta cap. *cum haberet*, [h] & alia iura, quæ ipse ibi cito: & consequenter D. consulens proculdubio poterit nepotib. ex fratribus suis illegitimis donare & relinquere, si sunt pauperes, de bonis intuitu Ecclesiæ quæsitis tanta, & talibus modis, quanta, & quibus modis iure communi posset, si prædicta extrauagans Pij V. non fuisset edita. Et quia fundamenta huius responsionis ibi possunt videri, quoniam scio delatos esse Mediolanum multos ex illis tractatibus, hic ea non rescribo, sed precor D. consulentem, vt in suis ad Deum precibus aliquando mei meminerit.

g 12. qu. 2. in §. 19. siue vltimo.
h De eo qui duxit in matri. quam pol lu. per adult.

SVMMARIVM.

*1 Illegitimo suo, vel alieno nullus, nec in vita, nec in morte aliquid dare potest: & hoc, si velit inniti priuilegiis à Sede Apostolica concessis, quæ Pius V. reuocauit, nu. 2. 3. 8. nam si velit inniti iuri communi, num. 4. & 5. vel speciali concessioni alterius principis habentis iura regalia, nu. 6. 7. & 8 potest.*

*3 Spurij secundum iura canonica, quę in hoc preualent iuri ciuili, aliquid in bonis parentum habere possunt, eisque iure naturali, quod tolli non potest, debentur educatio, & alimenta, etiam in terris Imperij. nu. 4.*

*6 Papa non potest tollere clerici filio priuilegia, nec legitimationes, quæ quo ad temporalia principes ei concesserunt. nu. 7.*

## CONSILIVM V.

QVæritur, an hodie clericus posit donare inter viuos, vel relinquere in morte filiis suis illegitimis saltem legitimatis, & capacibus effectis, aliqua bona sua saltem patrimonialia, vel quasi patrimonialia, hoc est per suum laborem, & industriam quæsita.

1 Pro parte negatiua videtur casus in extrauagante Pij V. cuius initium est, *Quæ ordini*, per quam statui videtur, vt nulla singularis persona, neque vniuersitas vel collegium posit donare in vita, vel relinquere in morte suo nec extraneo filio illegitimo etiam legitimato de vllis bonis intuitu Ecclesiæ quæsitis, nec etiam de aliis per vllum laborem, vel industriam, vel quocumque alio modo partis.

2 Pro parte, verò affirmatiua facit primò vrgentissimè id quod nos annotauimus ad extrauagantem prędictam in commen. 1. c. *non liceat Papæ*. [i]

*Noto nono, &c. nempe, quod hæc extrauagãs non reuocat iura communia, per quæ illegitimi possunt habere aliqua de bonis parẽtum. Quod probatur primò, eo quod solùm reuocat priuilegia, licẽtias, dispensationes, & indulta contra vel præter ius commune concessa per ipsummet Pium V. & alios omnes præcessores eius, vt ex ea patet; nam qui de vno dicit, de alio negare videtur,* [a] *& omnia quę reuocat ibi Pius sunt alia, quam iura communia, ergo nõ debet censeri reuocasse illa.*

i 12. qu. 2. §. 19. nu. 9. ibi.

3 Secundo, quod filij illegitimi: etiam si sint spurij, possunt aliquid habere de bonis parentum iure cõmuni, iuxta cap. cum haberet, [b] & per ea quæ Panormitanus & alij ibidem notant: & absurdum videretur dicere, quod prædictus Pius reuocat facultatem, quam habent patres in alendo filios illegitimos etiam spurios. Tum quia facilius tollitur ius speciale quam ius commune, [c] & ita ex eo quod reuocet remedia, & alia iura specialia, non videtur reuocare remedia iuris communis generalia. Tum quia lege humana non potest tolli naturalis, [d] & educatio liberorum iure naturali debetur. [e] Tũ quia prædicta auth. *ex complexu.* [f] nullibi gentium seruatur, quatenus habet spurios filios non esse à parentibus alendos: quæ tamquã contraria pietati naturali, postponitur æquitati canonicę prædictæ conformi iuri & pietati naturali, de qua in l. 1. & 2. [g] vt supra dictũ est. Tũ quia nõ est verisimile, quod Pius V. pientissimus, & iuris communis obseruantissim[9], & morum ab eo exorbitantium reductionis in illud tamquam in pristinum & probatissimum statũ amantissimus, intenderit tollere legem tantę pietatis, cùm similis similẽ quærat, & foueat, iuxta [h] Ecclesiasticum & Philosophũ, [i] & facere contrarium esset quædam crudelitas Deo & hominibus inuisa secundum Ioannem Baptistam. [k]

4 Tum quia à iure antiquo non censetur recessum, nisi quatenus id in nouo exprimitur, [l] & per hanc extrauagãtem nulla recesio ab eo exprimitur: ergo, &c. & communiter iustè potest & debet clericus non obstante hac extrauagante alere suos filios illegitimos etiam spurios, nitendo iuri communi contento in d. ca. cum haberet. quod seruandum esse etiam in foro sæculari terrarum Imperij, & aliorum regnorum, etiam non subiectorum Papę, affirmat communis opinio post Panormitanum, [m] & Bartholum, [n] & videre est apud Decium alios citantem, [o] cui ad de Philippum Francum, [p] & Ioannem Lupum. [q]

5 Tertio, quod eadem ratione tenemur dicere per prædictam extrauagantem non reuocari iura communia filiis clericorum fauentia, qua tenemur dicere non reuocari iura concedentia eis ius alimentorum: cum ergo hoc nõ tollatur, vt probatum est, nec alia sibi iure communi conuenientia censebuntur reuocata.

6 Quarto quod Papa non potest tollere priuilegia, facultates, gratias, & indulta concessa circa temporalia ab Imperatore, Regibus, & aliis iura regalia habentibus, per ea, quæ nos latè post alios scripsimus in rele. c. nouit. [r] ergo iura & facultates capacitatis suscipiendi & succedendi extra dominium temporale Papæ, concessa filiis clericorum ab Imperatore, Regibus, & regalia iura habentibus, non potuit tollere Pius V. qui vt vir sanctus, & ex animo diligens Reges & habẽtes regalia, tamquam filios, noluit præiudicare priuilegiis & indultis concessis ab eis vt palã est ex eo, quòd solùm reuocauit concessa per Põtifices Maximos, vel eorum auctoritate.

7 Quintò, quòd prædicti Imperator, Reges, & Reguli non permisissent ei; nec permitterent alij Pontifici Maximo, vt reuocaret legitimationes, dispensationes, & alia iura capacitatis succedendi ex testamento, vel ab intestato concessa à se quo ad temporalia filiis illegitimis: sicut nec Papa permitteret eis, vt dispensarent vel legitimarẽt illegitimos quo ad spiritualia, iuxta glossam receptam. [s]

Sextò, quod ex contraria & negatiua parte sequeretur quòd nemo quãlibet extraneus posset donare inter viuos, vel relinquere in morte quicquam alicui illegitimo quãlibet extraneo; quod est absurdissimum: quòd autem sequeretur, patet ex eo, quòd in prædicta extraua. exprimitur, ne quis facultate vlla munitus quicquam det, vel relinquat filiis illegitimis suis, vel extraneis. quod autem sit absurdissimũ, patet ex eo, quòd alioqui nulli possent succedere ex testamento, vel ab intestato, nec possent dono accipere quicquam ab aliquo, & ita perirent, etiam si essent

a L. eum præ tor. ff. de iud. & ca. nonne. de præscrip.
b De eo qui duxit in mat.
c l. eius militis §. militia missus. ff. de milit. test. & l. si quando. C. de inoff. testam.
d ca. sunt quidam. 25. q. 1. l. id quod nostrũ ff. de reg. iur.
e Ca. ius naturale. 1. dist. & le. 1. §. ius naturale. ff. de iust. & iure.
f C. de incest. nupt.
g ff. de lib. agnos.
h Cap. 13.
i In Ethic.
k In repet. l. si qua illustris. C. ad orph. col. penul.
l Le. præcipimus. C. de appell.
m In d. c. cum haberet.
n In auth. ex complexu. C. de incest. nup.
o In c. clerici. n. 2. de indic.
p In rubr. de test. lib. 6. col. 28.
q In repet. c. per vestras. de donat. inter vir. & vxo. §. 23. nu. 12.
r De iudici. not. 3.
s In c. 1. verbo. diuisis. 10. dist.

sent iustißimi & sanctißimi, contra illud, *Non vidi iustum derelictum, &c.* & contra iura & consuetudines gentium, & alia omnium regnorum vbique gentium seruata.

8 Septimo, denique peremptoriè facit, quòd ratio, quæ mouit prædictum Pium ad edendam prædictam extrauagantem fuit desiderium illud iustum tollēdi clericis vias speciales, & priuilegiatas, quas quotidie impetrabant à Sede Apostolica, vel eius auctoritate ad directè vel indirectè donandum, aut renunciandum filijs suis illegitimis, non autem ad tollendum vias generales iuris communis, vel speciales aliorum regnorum, & ab alijs Regibus & principibus concessas, vt satis colligitur ex proœmio, & ex ipsa constitutione, quam restrinxit ad priuilegia, & facultates concessas à Sede Apostolica, vel eius auctoritate, & communiter non est extendenda ad alia, cum lex regatur & ducatur ratione sua, & limitetur & extendatur iuxta suos limites, argumento l. *cum pater.* [a] & traditorum Panormit. in cap. suggestū, & cap. meminimus. de appell.

[a] §. *dulcißimis. ff. de leg. 2. c. ratio nulla. de prab.*

SVMMARIVM.

1 *Statutum Dominicanorum, de succeßione bonorum à fratribus relictorum, quos comprehendat.*

2 *Domiciliū per officiū quæsitū, eo amisso, vel dimisso, amittitur.*

2 *Monachus fit ciuis per monachationem, sicut per adoptionem: & transeundo de illo in potestatem superioris alterius monasterij, amisso primo, acquirit domicilium, & fit ciuis ciuitatis, cuius est secundum monasterium. & nu. 4.*

3 *Magister sacri Palatij est à sua religione exemptus, & sic donec est exemptus, videtur esse extra religionem.*

3 *Regularis perpetuo translatus ad beneficium sæculare, desinit esse ordini suo subiectus.*

4 *Domiciliū originis non tollitur per domicilium habitationis.*

5 *Succeßio ab intestato cessat per succeßionem ex testamento, præcipue ad pia.*

6 *Testamentum ad pia factum coram duobus testibus valet.*

7 *Regularis ex Papæ priuilegio ad pia testari potest.*

8 *Testimonio vnius in foro fori regulariter non creditur, nisi in ijs quæ alteri non præiudicant. nu. 9.*

8 *Cardinali creditur quo ad sibi commißa per Papam, si nullius concernat præiudicium: quod si concernat præiudicium, requiritur primò, quòd sit de commißis sibi à Papa faciendis, vel alteri referendis, secundò, quòd sit de solitis concedi, tertiò, quòd non tendat immediatè vel directè in damnum tertij: vnde ei creditur de facultate facta monacho testandi ad pia opera, vel de cū aliquo dispensandi, vel absoluendi. nu. 9.*

10 *Lex vbi deest, efficax ratio multum operatur.*

10 *Stylus Curiæ facit ius.*

11 *Regularis habens Ecclesiam sæcularem, illi, & non monasterio quærit, eique ab intestato succedit dicta Ecclesia.*

CONSILIVM VI.

FRATER Thomas Manricus Dominicani ordinis emisit profeßioné in monasterio suæ prouinciæ in Hispania, in qua functus fuit prælectoris, prædicatoris, & Prioris officijs, & postea constitutus procurator generalis ordinis in Curia Romana assumptus fuit in Magistrū sacri Palatij, & habuit aliquas pēsiones, & beneficia simplicia, ac tandē factus canonicus ecclesiæ S. Petri defunctus est relictis multis bonis tēporalibus, & condito testamento ad opera pia sui ordinis coram duobus dignißimis testibus de licentia Papæ, quam quidem Illustrißimus Cardinalis N. ad suam instantiam viuæ vocis oraculo sibi datam fuisse testatur suis literis, sigillo, & iuramento firmatis. quorum bonorum possessio apprehensa est, & tenetur nomine hæredum in testamento institutorum. Extat autem quædam declaratio in constitutionibus Dominicanorum [b] de studentibus in hæc verba.

[b] *In 2. dist. illarum, c. 14.*

1 *Declaramus circa succeßiones bonorum relictorum per fratres, quod seruentur constitutiones in his, in quibus constitutiones sunt claræ, sicut de ijs qui sunt aßignati in conuentibus, & prouincijs: de illis autem qui manent extra conuentus, & non habent aliquam aßignationem à Prouinciali, aut sunt extra ordinem, declaramus medietatem bonorum suorum post mortem pertinere ad Generalem, & medietatem ad Prouincialem.*

Est item quædam constitutio [c] de itinerant. quæ habet hæc verba, *Fratres verò nostros tam in episcopatu præcisè titulari, vel aliàs infra episcopatum cōstitutos, & beneficiatos, vel exemptos ab ordine, exceptis Magistris sacri Palatij, & Pœnitentiarijs perpetuis D. Papæ qui sequuntur Romanam Curiam, eorúmque socijs, nolumus in nostris conuentibus vltra triduum retineri.*

[c] *In eadem dist. ca. 13.*

A His præsuppositis, quæritur an defendi poßit, quod dimidium prædictorum bonorum à prædicto Fratre Thoma relictorum non poßit vendicari à Generali. Ad quod respondeo primo, quod difficile fuerat defendere ex eo capite, quod non comprehendatur sub declaratione prędicta: [a] quia prædictus Frater Thomas viuebat extra conuentum, & non erat alicui prouinciæ aßignatus.

[a] *In 2. distin. ca. 14.*

2 Secundo, quod non obstat dicere, quod functus fuerat in prouincia Hispaniæ prælectoris, prædicatoris, & Prioris officijs, quia longè ante mortem illa reliquit: & domicilium, & ciuilitas quæsita per officium, videtur perdi eo relicto, vel amisso, vt colligitur ex Bartholo [b] cum ait: *Monachus efficitur ciuis illius ciuitatis per monachationem, sicut per adoptionem: transit enim in potestatem Capituli, & in potestatem Abbatis. qui sunt ciues, vt supra dictum est. verumtamen ista ciuilitas durat, donec durat adoptio: & sic si de illo Capitulo recederet, & transiret ad aliud, vt faciunt fratres Prædicatores, Minores, & Eremitæ, desinerent esse ciues huius ciuitatis, & essent ciues illius Capituli, in quod transierunt.*

[b] *Leg. 1. ff. ad municip. nu. 14.*

3 Tertio, quod prædictus Frater Thomas obijt mortem exemptus ab omni iurisdictione sui ordinis, obijt enim Magister sacri Palatij, qui est exemptus, vt probat prædictum cap. 13. de itinerantibus. At talis exemptus extra ordinem videtur esse, donec exemptus est: ergo comprehēditur sub prædicta declaratione. [c] Quarto facit, quod regularis translatus ad beneficium sęculare desinit esse subiectus ordini suo, cap. *ne pro cuiuslibet.* [d] & facit cap. *si quis iam translatus.* [e] & glossa singularis. [f] At prædictus F. Thomas habuit beneficia sæcularia, pensiones, & canonicatū, vt in facto proponitur: ergo extra ordinem erat, & consequenter comprehendebatur sub prædicta declaratione.

[c] *Cap. 14.* [d] *15. q. 1.* [e] *21. q. 2.* [f] *In clem. 1. §. ad hæc. de statu mon.*

4 Quintò, quòd non videtur obstare, quòd ciuilitas siue domicilium originis non tollitur per domicilium, siue ciuilitatem habitationis alibi quęsitam, [g] & ita ciuilitas & filiatio quæsita prædicto monasterio de Pedraita in prædictum Fratrem Thomam non videtur sublata per mutationem ipsius ad alia monasteria, & loca. non videtur inquam obstare. Tum quia ciuilitas, quæ quæritur per profeßionem, non est originis, sed officij, vel dignitatis, quæ amittitur per dimißionem illius, per prædicta dicta Bartholi communiter recepta. Tum quia certum est, ciuilitatem & filiationem prouenientem monacho per profeßionem in aliquo monasterio tolli per cōsecutionem episcopatus, [h] & etiam per consecutionem alius Ecclesiæ sæcularis, quæ perpetuo ei tenenda conceditur, iuxta perdictam glossam singularē & receptā [i] quæ citat textum id optimè probantem. [k] Tum quia l. pen. [l] quæ habet per adiectionem domicilij dignitatis non tolli domicilium, vnde est oriundus, loquitur de domicilio originis, quod est immutabile, secundum glossam [m] & non de alijs mutabilibus, vt eadem glossa sentit.

[g] *Ca. cū nullus. de temp. ord. li. 6.* [h] *Ca. 1. 18. q. 1. & cap. cum olim. 2. de priuileg.* [i] *In clem. 1. §. ad hæc. ver. ad claustrū. de statu. monach.* [k] *In d. cap. ne pro cuiuslibet. 15. quæ. 1.* [l] *ff. de senator.* [m] *Ibidem.*

5 Secundò principaliter respondeo, quòd videtur posse defendi iure testamenti ab eo facti. Primo quidem, quod succeßio ab intestato cessat per succeßioné ex testamento. [n] At prædictus Generalis intendit habere prædictum dimidium bonorum per succeßioné ab intestato, & præfatus frater Thomas deceßit testatus, & non ad quęcumque, sed ad pia opera, & non ad qualia qualia, sed in vtilitatem sui ordinis, & duorum monasteriorum, in quorum altero professus fuit, & altero monialium, cuius curam habet illud, in quo professus fuit, instituendo.

[n] *L. quādiu. ff de reg. iur. & l. quādiu. ff. de acquir. hæred. cum citat. à gloss. earum.*

6 Secundo, quòd non obstat dicere, quod ad testamenti valorem requiruntur septem testes, [o] & in prædicto testamento interfuerunt solùm duo, quia in testamento ad pia, quale fuit hoc, sufficiunt duo, [p] iure quidē canonico, secūdum omnes tam Legistas, quā Canonistas, vt testatur Iason post alios [q] & D. Didacus à Leyua præses Illustrißimi Cōcilij Regij [r] qui & alij omnes sequūtur Barth. dicentēs [s] ius canonicū in hoc seruari, & seruandū esse vbiq; quidquid leges ciuiles secundū varias opiniones statuāt.

[o] *L. hac consultißima. C. qui testamē. fac. poss.* [p] *Ca. relatū. de testamen.* [q] *In l. 1. C. de sacros. eccles. num. 28.* [r] *In d. ca. relatum.* [s] *In d. l. 1. colum. 1. lect. 1.*

7 Tertiò, quòd non obstat dicere, quod prædictus frater Thomas erat religiosus, & quod religiosus testari nō potest, [t] quia illud est verū iure cōmuni, sed prędictus Thomas habuit priuilegiū testandi particulariter, vt in argu-

[t] *Ca. 2. de testament. & auth. ingressi. C. de sacrosan. eccles.*

mento proponitur, à Papa, qui potest illud dare ad testandũ ad pia, vt nos latius probam⁹ in tract. de redit. eccles. [a]

8 Quartò, quòd non obstat etiam dicere, quod prędictũ priuilegium testandi non satis probatur quo ad forũ exterius, eo quòd vno solo teste probatur, Illustrissimo nẽpe Cardinali N. & vnius testimonio quantæcumque dignitatis non creditur in illo foro. [b] Quoniam licet verum sit illud regulariter, tamen fallit in multis, in quibus sunt Cardinales quo ad commissa per Pontificem Maximum [c] vt tradit Baldus [d] relatus à Felino [e] & à Iasone. [f] Nec obstat, quod ipse post alios à se citatos limitat illud dictum Baldi procedere quo ad ea, in quibus non agitur de præiudicio alterius, per glossam singularem. [g]

9 Tum quia ipse, & omnes sentiũt aliquid speciale habere in hoc dictum Cardinalis, quale non haberet, si ei in nullis preiudicialibus crederetur, cũ etiam dicto cuiusque alterius stetur in illis, quæ nulli alteri sunt præiudicialia, iuxta glossas [h] & alias multas receptas. Tum quia ipsimet fatentur credi Cardinali dicẽti se habere commissionem absoluendi, & dispensandi, cuius tamen absolutio & dispensatio potest esse præiudicialis alijs, qui litigarent cum absolutis, vel dispensatis ab eo, dicentibus beneficia, vel alias gratias esse ipsi collatas sine absolutione, & dispensatione necessaria præcedente. Et ita videtur dicendum, quod credendum sit Cardinali etiam in preiudicium tertij, tribus concurrentibus. Primùm, quòd testetur de commissis à Papa sibi, vel alijs per eum deferendis. Secũdùm, quòd sint solita concedi. Tertium, quòd non vergant directè in præiudicium aliorum, sed tãtùm indirectè, & per quamdam consequentiam. Fatẽdum enim est, quod dicto Cardinalis testantis Ioannem mutuo dedisse Petro mille, vel percussisse Paulum, vel donasse centum, non est standum: quia in his non cõcurrunt prædicta, nam neque sunt commissa à Papa, nec facilè concedi solita ab eo, & directè præiudicant tertio, sed cõtra videtur, cùm testatur factam esse facultatem sibi, vel alij per se deferẽdam ei absoluendi, dispensandi, vel testandi, vel aliam similem, quæ directè non præiudicant alteri: quia concurrunt tria prædicta, scilicet, quia sunt commissa à Papa, & facilè concedi solita, & non vergunt directè in præiudicium aliorum: quamuis indirectè per quamdam consequentiam vergere possint: & in casu proposito agitur de dicto Cardinalis, quo testatur de facultate testandi prędicto fratri Thomæ facta, in quam prædicta tria concurrunt.

10 Nec obstat, quod non videatur probari hæc limitatio canone vllo speciali. Tum quia sufficit, quod probetur supradicta efficaci ratione, nempe, quòd secundũ omnes aliquid speciale habet in hoc testimonium Cardinalis, & non potest dare aliud minus, quàm istud. Tum quod stylus Curiæ, qui vim iuris habet, [i] seruare videtur, quod credatur Cardinali dicenti saltem iurato, quòd Papa viuę vocis oraculo huiusmodi facultates, indulgentias, vel gratias, quę facilè solent concedi, & directè, & recta non prę iudicant tertio, fecerit, vel concesserit. Quod videtur inductum ad excusandas impensas, & necessitatem literarum Apostolicarum: quod esse sanctissimum, & negotijs breuiter expediendis commodissimum, testantur multæ commissiones, quas quotidie viuæ vocis oraculo videmus fieri summo Pœnitentiario. Tum denique, quòd in casu proposito agitur de Cardinali cuius fidei adminiculantur multa, nempe genus illustrissimum reditus amplissimi, episcopatus Burgensis, qui nullum vmquam præter Papam agnouit superiorem, & nunc est factus Archiepiscopus, & plurimis annis magna eiusdem cũ laude in Curia conuersatio; & erga summos Pontifices summa pietas, & obseruantia: & quod iudicio vulgi non fuit prædicto fratri Thomæ vltra aras amicus, neq; vsque ad eas adeo propẽsus, vt in gratiã eius à vero se auerteret.

11 Tertio respondeo, quod ad hoc, vt vel ex bono & æquo prędictus D. Generalis debeat probare testamentum prædictum, multùm facit, quod prædicta monasteria, quibus relicta sunt prædicta bona, sunt sibi subiecta, & si testamentum non valeret, possent petere illa ab intestato Ecclesię seculares, in quibus prędictus frater Thomas habuit beneficia sæcularia, eo quod religiosus beneficiarius beneficij sæcularis non quærit ordini, & monasterio suo, sed suo beneficio, vel Ecclesiæ, in qua illud habet, vt nos latè probamus in comment. cap. *non dicatis.* [a] nuper typis excuso, & tangimus in commen. cap. *statuimus.* [b] vna cum illo etiam excuso, vbi specialem de successione prædicti patris Reuerẽdissimi Thomæ Manrici mẽtionẽ facimus.

a Qu. 3. monit. 17.

b Cap. cum à nobis. de testibus.

c Ca. nobilissimus. 97. dis.

d In le. iusiurand. C. de testib.

e In ca. sicut. de senten. excommun.

f In l. admonẽdi. nu. 180. de iureiuran.

g In d. cap. sicut.

h In c. nuper. de testibus, & in ca. placuit. de consecr. dist. 4.

i Cap. quam graui. de crimi. fals. & c. ex literis. de constitu.

a Nu. 38. 12. q. 1.

b 9. q. 3.

SVMMARIVM.

2 *Statutum in fauorem personarum factum extra statuentium territorium extenditur.*

3 *Incapaci aliquid si leget quis, non tenet legatum: at si leget tertio, eumdem rogãdo, vt restituat dicto incapaci, tenet legatum, & acquiritur ipsi tertio. nu. 7. qui tamen, si extra testamentum vel codicillum det fidem etiam per publicum instrumentum testatori de restituendo incapaci, potest legato per fiscum priuari. nu. 1. & 3. interim tamen sibi iustè retinet. nu. 4. qui si se ipsum fisco deferat, lucrabitur tertiam partem, quæ alteri cuicumque delatori daretur. nu. 7. quod si ipsemet incapax deferat, dimidiam lucrabitur. nu. 6.*

5 *Clericus, qui ob tacitam fidem datam de restituendo incapaci damnatur, fisco Ecclesiæ restituat.*

## CONSILIVM VII.

STATVTO Ciuitatis N. cauetur, ne maritus possit vxorem instituere hęredem, nec legare, vel relinquere illi proprietatem alicuius rei, sed solùm vsumfructũ. Quidam ciuis illius ciuitatis venit Romam cum vxore sua, sine animo transferẽdi domicilium, causa cuiusdam negotij, & incidens in morbum reliquit vxorẽ vsufructuariam bonorum immobilium, & reliquit grandem partem mobilium cuidam presbytero cognato vxoris suæ, ea mente, vt post mortem eius restitueret illa d. vxori: quod tamen nec in testamento, nec in codicillis expressit, sed coram quibusdam testibus dixit ei, se velle, vt illa restituerentur suæ vxori, quod promisit facere presbyter.

Quæritur quid debet confessarius consulere vxori, & quid presbytero.

1 Respondeo primò, quòd hoc fideicommissum debet iudicari relictum illi vxori, tacita fide præstita de restituendo eo illi, per l. 3. [c] & in l. *tacitis.* [d] adiuncta Bartholi doctrina, [e] nempe, quod dicitur præstita fides tacitè de restituendo incapaci, etiamsi coram notario publico eam extra tamen testamentum & codicillum prestaret, & colligitur ex eleganti Azonis declaratione in summa. [f]

2 Secundo, quod statutum præfatum comprehendebat præfatum testatorẽ: quia statutũ ciuitatis factũ in fauorẽ personarũ porrigit effectũ, extra territorium statuentium, vt tradit Bartho. ponẽs exemplũ de statuto, quo prohibetur cõiux legare [g] quẽ Iason, & alij ab eo citati sequũtur.

3 Tertio, quod præfatus presbyter posset priuari præfatis bonis, si de illis restituendis præstitisset occultè fidem, iuxta præfatam l. 3. [h] non autem si palam: quia priuatur ꝓpter delictũ, quod cõmittit volendo fraudare legẽ bonã per illã tacitã fidẽ: quæ ratio cessat in præstãte illã palam.

4 Quartò, quòd si præfatus maritus recta via legasset vxori illa mobilia, non valuisset legatum: & ita illa debuissent restitui hæredi, iuxta l. *si alienum.* [i]

4 Quintò, quod præfatus presbyter cũ bona conscientia potest retinere bona, donec eis priuetur: quia in illis quæsiuit dominium per legatum sibi relictum, licet priuari possit eis pro pœna delicti, vt pulchrè sentit Baldus [k] & nemo tenetur pœnam soluere, donec à iudice cõdemnetur, iuxta glossam solemnem & receptam: [l] vnde etiam clericus irregularis iustè tenet beneficium antea legitimè obtentum, donec priuetur, per Innocentium, cap. cum nostra de concess. præb. receptum communiter, vt est apud Felinum. [m]

5 Sexto, quod presbyter, si delatus fuerit ad fiscum, & condemnatus, illa restituere tenebitur ei, iuxta præfatam l. 3. [n] tenebitur autẽ restituere fisco Ecclesiæ, & non temporali, iuxta Baldum. [o] & ratio est, quod iã factus est ipse dominus illorũ: & ita debent per ipsius priuationẽ applicari fisco Ecclesię, cũ subijciatur iurisdictiõi ecclesiasticę.

6 Septimo, quod præfata vxor potest querere sibi dimidium illorum bonorum mobilium, si voluerit deferre, siue denunciare hoc delictum fisco, & fuerit prima in deferendo, & denunciando, iuxta l. *Senatus.* [a] & tradita ibi per Bartholum resolutè.

7 Octauo, quod hæc res erat secretè tractanda, & præ-

c ff. de iure fisci.

d ff. de leg. 1.

e In d. l. 3.

f De his quib. vt indig. n. 5.

g In le. 1. nu. 52. C. de sum. Trin.

h ff. de iure fisci.

i §. fin. & le. hæreditas. ff. de hæred. insti.

k In d. leg. si quis presbyt. C. de epis. & cler.

l In c. fraternitas. 12. q. 2.

m In cap. inquisitionis. de accus.

n ff. de iure fisci.

o In d. leg. si quis presbyt. C. de epis. & cler.

p §. senatus. ff. de iure fisci.

fatus presbyter non debuisset pandere illam hęredi testamentario. Tum quia præfata mobilia relicta vxori non redeunt ad illum, sed pertinēt ad præfatum presbyterum, donec puniatur pœna priuationis eorum, vt prædictum est. Tum quia si potuisset res manere secreta, potuisset inueniri modus, quo sine offensa Dei potuissent illa venire ad vxorem. Tum quia interest plurimum vxoris præfatæ, vt si res deferenda est ad fiscum, ipsamet prima omnino deferat, vt lucretur dimidium eorum, fisco lucrante alterum dimidium, iuxta 7. dictum: nam & presbyter, si fuerit primus delator, lucrabitur tertiam partem, iuxta l. *cum tacitum.* [a] quam poterit postea tamquam suam restituere vxori, suæ cognatæ: sed & si hęres, vel alius extraneus fuerit delator primus, lucrabitur tertiam, nihil lucrāte vxore, nec presbytero prædictis, iuxta l. 1. [b] & l. *edicto.* [c] Salua, &c.

a *ff. de iure fisci.*
b *C. de his qui se deferunt.*
c *§. extat. ff. de iure fisci.*

### SVMMARIVM.

1 *Legatum annuum alicuius rei alicui datum cum onere, vt dictæ res dentur Minoribus de obseruantia pro tot dicendis Missis, non potest eis persolui, nec ipsi accipere, num. 3. & 4. & seq. immo nec eis dictarum rerum pretium tamquam debitum debetur. nu. 8. sed dictum legatum remanebit penes illum, qui fratribus tenebatur dare, ita tamen vt ipse ex eo dici faciat tot Missas, ad quot obligabantur fratres, num. 9. & in eadem Ecclesia, in qua à prædictis fratribus fuissent dicendæ, nu. 10. & si quid ex re legata supererit vltra eleemosynam, quæ dabitur celebrantibus, non potest talis sibi retinere. num. 11.*

1 *Minores de obseruantia sunt incapaces hæreditatis in totum, vel in parte eis directè, vel per fideicommissum datæ. capiunt tamen legatum etiam absolutè rei particularis etiam immobilis vendendæ, vt sic in suas conuertant necessitates eis relictum: dummodo nec sit talis, quæ hæreditatem fraudulenter re ipsa repræsentet, nec sit adiectus modus alius ab illis, secundum quos eis est permissum res accipere, nu. 2. qui sunt vt eis solummodo liceat aliquid pro præteritis & præsentibus necessitatibus etiam aliquam tractum temporis habentibus, & hot non tamquam debitum ex obligatione procedens, accipere, num. 7. & 8. & etiam nu. 3 & 4.*

3 *Minoribus de obseruantia non potest legari vinea colenda, nec domus locāda, vt sic ex locatione, vel cultura, quid annuum percipiant, sed nec potest eis quid annuum legari. nu. 6.*

6 *Mendicantium ordinum vt sit aliqua religio, necessarium est, vt nequaquam tot habeant bona, ex quibus sine incerta mendicitate possint viuere.*

8 *Incapaci relictum legatum efficitur caducum, ita tamen, vt si sine culpa sua sit factus talis, detur æstimatio: aliàs remanet apud illum, qui iussus erat dare: ea tamen lege, vt teneatur adimplere onus legato adiunctum, nu. 9. & 10 in fin. immo si sit talis, mens legantis, penes hunc nihil debet remanere ex ijs, quæ adimpleto onere supersunt. num. 11.*

## CONSILIVM VIII.

1 QVÆDAM testatrices reliquerunt collegio cuidam Monialium reditus annuos 18. aureorum, & octo cados vini, ad hoc, vt teneantur illa dare fratribus S. Francisci de obseruantia pro stipendio celebrationis Missarum, & diuinorum officiorum eis iniunctorū. Quęritur, an præfatum legatum præfatis fratribus relictum valeat.

Ad hanc quæstionem occurrit considerandum primò, quòd pro parte quidem affirmante facit, quod fratres Minores de obseruantia licet non possint institui hæredes, vt expressè declarat Concilium Viennense [d] nec etiam possit eis relinqui hęreditas per fideicommissum vniuersale, vt declarat Bartholus [e] quamuis item non liceat legare ipsis adiecto modo per quem non licet eis accipere, vt si legaretur eis vinea ad colendum, vel domus ad locandum, vt habetur in capit. *exijt.* [f] nec licet legare ipsis tantam partem hæreditatis, vel tantam quantitatem pretij eius, vt videatur legatum fieri in fraudem institutionis, ita quod verba sonarent legatum, & res denotaret relictam institutionem.

d *In clemen. exiui. §. proin de. de verbo. signif.*
e *In tractatu Minorit. li. 1. dist. 2. c. 1.*
f *§. ad hæc. eodem tit. lib. 6.*

2 Licet tamen legare eis moderatè pecuniam, & quodlibet aliud etiam immobile, per modum, quo licet eis accipere, puta, vt pecunia impendatur in necessitatibus eorum, & vinea, vel domus vendatur, & pretium eius impendatur in necessitatibus eorum, vt habetur in præfato §. *ad hæc.* adeo quod in vers. *si vero.* habetur, valere legatum generaliter relictum eis, non exprimendo modum, per quem non licet eis accipere illud, ea ratione, quòd qui generaliter legat non exprimendo modum illicitum accipiendi, præsumitur legare ipsis per modum, quo liceat eis iustè accipere, argumento l. *plenum.* [a] & l. *si procurator.* [b] At in casu proposito præfati fratres non fuerunt instituti hęredes, neque fideicommissarij vniuersales, nec legatum fuit tantum, vt crederetur factum in fraudem institutionis, nec sub modo, per quem non liceat fratribus accipere: ergo legatum hoc debet censeri validum. quod sentit Bartholus [c] & clarè exprimit alibi, [d] & Cardinalis in d. §. proinde. Secundò, quòd promissio vel oblatio pecuniæ etiam numeratæ facta præfatis fratribus expresè pro necessitatibus suis præteritis vel pręsentibus, etiam tractum futurum breuem vel longum habentibus, valet, vt habetur in d. cap. *exijt.* [e] immo & facta generaliter, non exprimendo pro necessitatibus, per præfatum vers. *si vero.*

a *§. equitij. ff. de vsu & habita.*
b *ff. de condi. indebit.*
c *In d. lib. 1. dist. 2. c. 2.*
d *Li. 2. dist. 1. ca. 1.*
e *§. cæterum.*

3 Quibus tamen non obstantibus, videtur verius præfata legata non valere. Ad quod facit in primis d. ca. *exijt.* [f] quatenus determinat præfatos fratres Minores non posse habere vlla bona pecuniaria, nec in communi, neque in speciali, neque consequenter ius exigēdi aliquid tale, nec consequenter ius capiendi pręfata 18. scuta, & 8. cados vini sibi legatos: quia hæc omnia sunt bona pecuniaria, argumento l. *bonorum.* [g] Secundò, quod per præfatum cap. *exijt.* [h] declaratur præfatos fratres non posse capere pecunias, neque ipsis quæri vllam obligationem, neque actionem contra offerentem, aut dantem illas. Tertio, quod in dicta clem. *exiui.* [i] additur clarius id, quod in dicto §. *cæterum.* satis clarè ponitur, scilicet quod nullis alijs modis ab expressis in d. §. *cæterum.* præfati fratres recurrant ad aliquem pro pecunijs, vel alijs rebus habendis.

f *§. porro.*
g *ff. de verbor. signifi.*
h *In §. cæterum.*
i *§. porro.*

4 Præfato autem §. *cæterum.* solùm permittitur præfatis fratribus recursus pro necessitatibus præteritis; vel præsentibus ingruentibus, vt patet in eo: & fratres, quibus legata fuerunt præfata in casu nostro, recurrunt ad pręfatum collegium Monialium ad accipiendas pecunias præfatas, & cados vini, tamquam ad obligatum ad ea danda, etiam si nulla necessitas præterita, nec præsens ea requirat: ergo præfatum legatum est factum præfatis fratribus alio modo, quam liceat eis accipere: ergo non valet: nec enim præfatus finis celebrandi Missas, nec modi quibus relinquuntur præfata scuta sunt expresi, nec videntur exprimi alia eis similia in præfato §. *cæterum.* quia in illo solùm fit facultas recurrendi pro pecunijs ad prouidendum necessitatibus præteritis, vel præsentibus, de quibus non est celebratio Missarum, vel diuinorum officiorum, ad quæ relinquuntur præfata scuta, & cadi vini: nec præfati fratres recurrunt ad præfatarum monacharum collegium tamquam ad personam nihil debētem eis, sed tamquam ad personā fictam obligatā ad soluenda illa onera.

5 Quarto, quod legatum factum præfatis fratribus de vinea, vt eam colant, & fructus percipiant, vel de domo, vt eam locent, & pensionem accipiant, non valet, vt supra dictum est per præfatum cap. *exijt.* [k] ergo à fortiori non valebit legatum, quo grauatur hæres, vt det eis quotannis, vel quolibet mense certam pecuniam, vel certos cados vini, cùm certior reditus fit huius legati, quàm illius. nam hoc nullam fere curam, laborem, aut impensam requirit illud autem sic.

k *§. ad hæc.*

6 Quintò, quòd eum qui concederet hoc legatum valere, oporteret concedere valere legata, quibus diaria, mēstrua, vel annua pecunia legaretur præfatis fratribus. [l] Tum quia legatum annuum relinquitur præfatis fratribus illo modo, per quem non licet illis accipere, cùm vt prædictum est, magis repugnet suæ regulæ accipere pecuniam annuam, quàm vineam colēdam: cùm securius, certius, & minore labore capiatur annuum, vel mēstruum legatum, quàm fructus vineę legatę. Sextò, quòd per contrariam opinionem daretur facilis & clarus modus fraudandi paupertatem illam summam, & arctissimam regulæ sancti Francisci: quoniam parentes & cognati fratrū prædicti ordinis possent grauare suos hæredes ad dandum aliquas quantitates annuas, vel menstruas conuentibus fratrum Minorum, quæ possint sufficere ad viuendum sine vlla mendicitate incerta, quæ requiritur etiam ad hoc,

l *D. clem. exiui. §. cūque annui reditus.*

vt ali

vt aliquis ordo dicatur mendicantium,[a] quanto magis ad hoc, vt sit ordo Franciscanus, cuius paupertas est arctissima, & maxima, vt præfatum cap. *exiit.* & præfata clem. *exiui.* affirmant.

7 Non obstant allegata pro parte affirmante. Non primum, quod est adeo maximum, vt mea sententia multos etiam eruditos in partem affirmantem traxerit: non inquam obstat: quia concedendo fere omnia, quæ in eo adducuntur, negamus illam particulam, quæ habet legata præfata non concedi adiuncto modo, per quem non licet præfatis fratribus accipere illa: quoniam non licet fratribus accipere aliqua, nisi pro necessitate preterita vel presenti, neque ab aliquo tamquam ad dandum illis obligato, per prædicta: & in nostro casu prefati fratres accipiunt prædicta legata sibi à præfato collegio debita, & non pro necessitate præterita, neque præsenti, sed pro dicendis certis diuinis officijs, sine alio ad necessitates respectu. item recipiunt illa vti quosdam reditus annuos ad finem dicendi certa diuina officia, quod sibi non licere declarat prefata clem. *exiui.*[b] Ad secundum etiã respondetur concedendo, quòd legatum, & promissio, & oblatio, & donatio pecuniæ, & cuiuslibet alius rei temporariæ fratribus Minoribus facta regulariter valet, si modo fiat per modum, per quem liceat eis illa capere, negando tamẽ, quod in casu nostro sic relinquatur, vt proximè probatum est.

8 Secundo principaliter, præsupposito quòd legatum hoc non valeat, considerandum est, an præfatum collegium, à quo id relinquitur, teneatur in foro conscientiæ æstimationem illius præfatis fratribus soluere, super quo magna & subtilis disputatio haberi posset: sed prolixitatis vitandæ gratia, breuiter respondetur quod non. Tum quia relictum incapaci à testatore pro non scripto habetur.[c] Tum quia non obstat lex idem *Iulianus.*[d] quæ habet, *legatario, qui sine suo delicto est rei legatæ incapax deberi æstimationem:* & quod præfati fratres absque suo delicto sunt incapaces præfati legati, non inquam hoc obstat, quia illud est verum, quando simpliciter fit capax, & non cum adiectione, quod nullo alio nisi certo expresso modo capere possit: vt fratres Minores fiũt incapaces ad accipiendum res temporarias per præfatum §. *cæterum.* nisi modis, quibus in eo permittitur, scilicet à solis non obligatis, & pro necessitatibus præteritis, vel præsentibus, per prædicta: quod satis clare affirmat Bartholus vbi supra.[e]

9 Tertio, considerandum occurrit, an præfatum collegium obligetur ad faciendum celebrare officia diuina, ad quæ testator intendebat præfatos fratres obligare. Ad quod videtur breuiter respondẽdum, quod sic. argumento l. 1.[f] quæ habet, legatum relictum alicui, qui tempore testamenti in rerum natura erat, & postea priusquam illud quæreret aliqua ratione deficit, debere remanere penes eum, à quo relinquitur: ita tamen, vt impleat onus, quod ei adijciebatur, ea ratione adiecta, ꝙ non est ferendus, qui lucrũ amplectitur, & onus ei adiectum contẽnit.

Quarto considerandum occurrit, an præfatæ moniales satisfaciant faciendo celebrare partem diuinorum officiorum iniunctorũ præfatis legatis per fratres vnius monasterij eiusdem ordinis, & partem per fratres alius monasterij etiam eiusdem ordinis. Ad quod respondendum est, quod non, si illud faciant obligando se ad faciendum sic celebrare perpetuò, sicut testatores intendebant obligare fratres illos, quibus legabant, ad facienda illa. Tum quia fratres ij, per quos collegium præfatum vult celebrare illa, sunt eiusdem ordinis Franciscani, & ita sunt incapaces huius obligationis, & non possent salua sua regula accipere illa illo modo, per quem non licet eis quidquam accipere.

10 Quinto considerandum venit, per quem igitur modum possint licitè præfatę monachę illa diuina officia facere celebrare. Ad quod respondendum videtur primò, quòd tenentur, si fieri potest, facere celebrare illa in illis Ecclesijs & altaribus, in quibus præfatæ testatrices iusserunt vt celebrarentur: quia diuina officia debẽt celebrari in illa Ecclesia, vel loco, in quo iussa sunt celebrari, vt nos post alios tradimus in enchir. de oratio.[g] allegando in id multa in quibus est cap. *nos quidem.*[h] vbi per illum textum hoc adnotarunt Petrus, Ioannes Imola & Barbatius ibidem allegati. Secundò, quòd poterunt pro suo libito eligere sacerdotes sæculares, & regulares eiusdem, vel alterius ordinis, de consensu Guardiani, cõuentus, & fratrum Ecclesiæ præfatæ S. Francisci, si fuerit ad id necessarium, cum tanta libertate, cum quanta possent sua sponte facere in ea celebrare alia similia diuina officia, quæ vellent pro aliqua sancta & pia causa: non quidem animo soluendi legata illa prædictis fratribus, sed animo exonerandi se onere, quod ipsis euenit ex eo, quòd illa legata vti facta incapacibus non fuerunt valida, & debent remanere apud eos, à quibus legata fuerunt, cum onere tamen subeundi onera illis adiecta, argumento præfatæ legis 1.[a] & aliorum.

11 Sexto, considerandum occurrit primò, quòd hęc omnia præfata sine vlla dispensatione S.D.N. iure communi fieri possunt: Sua vero sanctitas potest, quicquid sibi placuerit, eis addere, & detrahere, argumento cap. *cuncta per mundum.*[b] obseruata tamen lege naturali, & diuina.[c] Secundo, quod consequenter posset confirmare prædicta legata, & dispensare cum præfatis fratribus, vt acciperent ea pro necessitatibus præteritis, vel præsentibus, & etiam pro futuris: quia præfatus S. Franciscus suam regulam auctoritati sanctæ Sedis Apostolicæ, à quo confirmata fuit, supposuit. Tertio, quod fortassis hoc non expediret regulæ illi mirabili S. Francisci, & puritati eius, & honori ordinis eius Illustrissimi, eo quòd preberetur occasio petendi alias mille dispensationes similes fratribus eiusdẽ ordinis volentibus sese opiparè sustentare. Quartò, quòd posset piè declarari, quòd si quid de præfatis scutis & cadis superesset soluto iusto stipendio celebrantibus præfatas Missas, illud impenderetur monasterijs pauperibus, quæ ipsæ eligerent. Tum quia testatrices videntur voluisse, ne quicquam de illis apud præfatas monachas remaneret. Tũ quia ipsis aperiretur via, per quã possent iustè id erogare prefato monasterio S. Francisci, quando necessitas preterita vel presens illud permitteret. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Minoribus de obseruantia, qui tenentur ex incerta mendicitate viuere, nu. 4. non potest aliquid annue præstandum legari, etiam addito modo, vt illud vẽdatur, & sic annuatim in fratrum vsus conuertatur: sicut nec potest legari prædium, vt pensiones omni anno in eorum necessitates conuertantur, licet eis possit legari prædium tunc ita vendendum, vt ex pretio præsenti eorum subueniatur necessitati, nu. 2. at eorum Ecclesiæ & conuentui potest qui annuum necessarium pro fabrica, vino, hostijs, cera, oleo, vestimentis ad sacrificium & diuina necessarijs legari. nu. 3. quod si legatum excedat dictas necessitates, vide remißiue. nu. 5.*

## CONSILIVM IX.

VTRVM annuus reditus promissus, vel legatus monasterio fratrum Minorum de obseruantia, pro fabrica, vino, hostijs, cera, oleo, & vestimentis ad celebrationem Missarum, sit validus, nec ne?

1 Pro parte negatiua facit primò, quòd legatũ annuum factum fratribus Minoribus non valet, etiam ad hoc, vt vendatur, & æstimatio in necessitatibus imminentibus impendatur, vt determinat Bartholus,[d] pro quo videtur casus in cap. *exiit.*[e] qui habet, relictum fratribus Minoribus expresso modo, secundum quem non licet eis accipere, non esse ab eis acceptandum: constat autem non licere eis habere annuos reditus,[f] & consequenter apparet non licere fratribus huiusmodi habere legatum, de quo est quæstio, per modum annui reditus, cum per talem modum habendi relinquatur eis illud modo expresso, quo tenere possunt.

2 Secundo, quòd quamuis liceat huiusmodi fratribus accipere domum, vel prędium simpliciter legatum, ad hoc vt vendatur, & pretium in necessitatibus cõuertatur: non tamen licet eis accipere domum, vel prædium legatum, adiecto modo expresso, vt locẽt, vel colant, vt est casus in eodem §. *ad hoc.* & in casu nostro videtur relictum sub modo expresso habendi illud per modum annui reditus. Tertio, quod multa scripsit Cardinalis[g] quæ videntur hanc partem negatiuam confirmare.

3 Sed his nõ obstantibus contrarium videtur verius pro validitate legati: & primo ea firma ratione, quòd aliud

a C. a. 1. §. 1. *de relig. domib. li. 6.*
b §. *cumque annui redit.*
c *L. si in metallum. ff. de his quæ pro nõ scriptis habentur. & l. 1. C. de hered. instit.*
d §. *fin. cum l. seq. ff. de lega. 1.*
e *L. i. 2. dist. 2. cap. 1.*
f §. *pro secundo. C. de cadu. tollen.*
g *C. a. 5. nu. 3.*
h *De testam.*
a §. *pro secundo. C. de caducis toll.*
b *9. q. 3. & c. proposuit. de concess. præb.*
c *Capit. sunt quidam. 25. q. 1.*
d *In tract. Minorit. li. 2. ca. 1. dist. 6.*
e §. *ad hoc. 2. verb. sig. li. 6.*
f *Clem. exiuit. §. cũque annui redit. de verb. sig.*
g *In d. clem. exiuit. §. proinde. & §. sequen.*

est ecclesia, & fabrica eius, & aliud collegium, conuentus, vel Capitulum, quod eam tenet, gubernat, & regit, iuxta cap. *per exemptionem*.[a] & argumento capit. *si ciuitas*.[b] & notatur in cap. *requisisti*.[c] Huic autem testator non reliquit fratribus Minoribus, nec eorum collegio, nec vlli singulari eorum, sed Ecclesiæ, quæ non prohibetur taliter accipere: nam nec d. cap. *exijt*.[d] nec d. clem. *exiuit*.[e] nec vlla particula regulæ S. Francisci prohibet relinqui aliquid annuum eorum Ecclesijs, vt aduertit Bartholus.[f]

4 Secundo, quia ratio, quare S. Franciscus voluit fratres fore Mendicantes, & in arctissima paupertate, est, vt toti penderent à Deo, & solis illis, quæ amore Dei sibi traderentur, per incertam mendicitatem victitarent, vt colligitur ex eius regula, & ex declarationibus eius, quæ habentur in d. ca. *exijt*. & in d. clem. *exiuit*. & constat eorum incertam médicitatem non tolli ex eo, quod aliquem certum reditum habeat eorum Ecclesia pro fabrica, candelis, hostijs, & vino ad sacrificandum, & alijs huiusmodi, quæ ad victum & vestitum fratrum non pertinent, quale est relictum, de quo agitur: & cùm cesset ratio prohibitionis, consequenter cessare videtur ipsa prohibitio.[g]

5 Contra hoc tamen facit, quod Bartholus[h] determinat, videlicet illud superfluum, quod relinquitur Ecclesiæ, vel fabricæ, pro aliqua necessitate, posse à fratribus conuerti in aliam necessitatem, & ita etiam relictum vltra necessitatem valet: ideo cogitentur ea, quę addit Cardinalis.[i] Salua, &c.

a De priuil. li. 6.
b De senten. excomm. eodem lib. 6.
c De testam.
d De verbor. signifi. li. 6.
e Eodem tit.
f L. 1. Minoritarum. dist. 4. c. 1. & in l. ciuitatibus ff. de leg. 1. & in l. seruos. ff. de alimen. leg.
g Ca. cum cessante. de appellationib.
h Vbi supra.
i In d. §. proinde.

SVMMARIVM.

1 *Testamentum ante ingressum religionis factum à cogitante de dicto ingressu, statim ita professione facta confirmatur, vt hæres possit capere possessionem bonorum, & hoc etiamsi illud sine licentia Episcopi & conuentus fecerit. num. 2. nec postea potest amplius ipse testator etiam ex licentia Episcopi, vel conuentus, de dictis bonis disponere. nu. 3. at si quando fecit dictum testamentum, non cogitauit de dicto ingressu, & professionem fecit apud non mendicantes, ex æquitate videtur reuocasse dictum testamentum. nu. 1.*

## CONSILIVM X.

AN Petrus hæres institutus à volente ingredi monasterium, & cogitante de ingressu, adeo quod conuenit cum Abbatissa, & conuentu, quantum dotis erat datura ei, & quod de reliquis posset testari, vel aliàs liberè disponere, & ita fecit testamentũ instituendo ipsum Petrum hæredem in dictis bonis, possit capere possessionem bonorum quo ad ea, ad quæ fuit institutus, statim post professionem consequutam, non expectata morte naturali testantis: vel requiratur auctoritas Episcopi, & consensus conuentus: attento, quod post professionem de illorum licentia, & consensu reuocauit prædictum testamentum.

Respondeo, quòd prædictus Petrus institutus hæres à prædicta volente ingredi religionem, & non solùm cogitante de ingressu, sed etiam paciscente, quantùm dotis erat datura, & quantam partem reseruatura suæ liberæ dispositioni, potest capere possessionem statim post professionem, & vti & frui bonis illius hæreditatis.

1 Primò quidem, quòd testamentum factum ab ingressuro religionem intendente ingredi eã confirmatur morte ciuili professionis, non expectata morte naturali profitentis, quæ est determinatio Ioannis Imolæ,[k] quem sequitur Francus.[l] Couarruuias cap. 2. de testa. num. 8. Dixi, *cogitante*. &c. Quia, si absque cogitatione ingressus testamentum factum fuisset, iudicari posset ex quadam æquitate, quod postea ingressus illud, & profitens videretur noua voluntate recedere à priore, fauore monasterij: quo casu potest procedere opinio Bartholi frequentius recepta, qua tenet testamentum ingredientis monasteriũ non mendicantium morte ciuili professionis non confirmari.

2 Secundo respondeo, quod licentia & auctoritas Episcopi, & consensus conuentus non sunt necessaria ad hoc, vt præfatum testamentum valeat: quia iure communi licet volenti ingredi religionem, immo & ingresso ante professionem liberè testari, vt nos resoluimus in Com. 2. de reg.[m] & frustra precibus impetratur, quod iure communi conceditur.[n]

3 Tertio, quod neque Episcopus, neque monasterium Monialium, neque ambo coniecta potuerunt facere facultatem disponendi de bonis suis post professioné: quia id est contra authent. *ingressi*.[a] & cap. 2.[b] & cap. *in præsentia*.[c] contra quæ nullo iure potest dispensare Episcopus neque alius inferior à Papa, quandoquidem, an id etiam possit facere Papa, multi dubitarunt; vt post Francum[d] diximus etiam nos.[e] Salua, &c.

k Le. 1. col. 9. num. 14. ff. de testam.
l In rub. de testa. nu. 72.
m Super ca. nõ dicatis. 12. q. 1. nu. 51.
n Leg. 1. ff. ad municipa. & glo. recep. c. 1. de rescrip.
a C. de sacrosanct. eccles.
b De testam.
c Cum ei adnotatis de probat.
d D. rubr.
e Vbi supra.

SVMMARIVM.

1 *Legatum, quo mandatur hæredi, vt det omni anno aliquid, censetur perpetuum, præsertim si fiat loco pio. num. 2. item si mandentur fieri etiam tacitè in memoriam & honorem familiæ aliqua, quæ non possent assequi, nisi legatum esset perpetuum. num. 1.*

## CONSILIVM XI.

QVIDAM testator reliquit legatum, quo onerauit N. hæredem, vt singulis annis solueret cuidam loco pio aliquot libras & solidos, quibus emerentur tres cerei, & ponerentur in dicto loco pio cum armis & insignibus suæ familiæ. Dubitatum est, an ex verbis testatoris possit colligi legatum hoc esse perpetuum: & cùm res delata esset in iudicium, iudicatum est esse perpetuum. Quæritur modo à Dominatione vestra, quid hac in re sit tenẽdum.

1 Sententia præfata eruditissimi Domini mei videtur esse iuridica. Tum per ea, quæ S. D. adducit. Tum quia præfatum legatum etiam si non fuisset pium, erat censendum perpetuum, quod palam sonant illa verba, *omni anno*, & illa quibus oneratur hæres soluere prædictas libras, & solidos positos in tribus torcijs cum armis, & insignibus familiæ testatoris, quæ palam significant testatorem voluisse id ad nomen familiæ conseruandum, quod per vnũ actum fieri non poterat. Tum quia sententiæ à duobus posterioribus iudicibus latæ expresse habent præfatum legatum fuisse soluendum non solum ab N. hærede, dum viueret, sed etiam à filijs suis, dum viuerent, quod nulla ratione potest defendi, nisi legatum esset perpetuum: nam filij, vt ibi habetur, non fuerunt instituti, neque grauati, nisi casu, quo pater eorum decederet priusquam testator, qui cum decessisset post mortem testatoris, defecit substitutio illa conditionalis defectu conditionis, & consequẽter grauamen impositum eis: & ita filij dicti N. nihil penitus debuerunt, nec debent ex suis personis tamquam substituti, sed tantùm ex persona patris, cuius sunt hæredes, & ratione oneris adiecti suo patri N. vti hæredi suo, & consequẽter nihil debuissent, nisi legatum fuisset perpetuum transiens ab hærede in omnes hæredes eius, siue essent filij, siue extranei: quia filij non fuerunt instituti, nec substitutio eorum valuit deficiente conditione sub qua fuerunt substituti, vt dictum est, plusquam extranei, si fuissent eius hæredes. ita quod præfati iudices videntur secum pugnasse, dicentes ab vna parte filios teneri, dum viuerent, ad soluendum illud legatum, & ab alia parte legatum patri suo relictum non fuisse perpetuum, si res satis perpendatur.

2 Tum quia iugulum huius quæstionis non tam est, an legatum sit pium aut profanum, quàm an ex verbis testatoris colligatur esse perpetuum, vel temporale, & an legatum annuum ab hærede soluẽdum alicui collegio perpetuò maximè pio censeatur perpetuum. Cùm ergo ex verbis testatoris colligatur hoc legatum, cùm sit annuum legatum absolutè ab hærede alicui collegio perpetuò factum, præsertim pio, esse perpetuum iuxta l. antepenult.[f] quæ habet legatum vt die natalis sui darentur aliqua diuidenda decurionibus censeri perpetuum, & per l. *annua*.[g] quatenus habet annuum legatum relictum templo censeri perpetuum, & per alia, quæ nunc non vacat nec videtur necesse scribere, consequens est responsionem præfatam præfati domini mei esse iuridicam. Salua, &c.

f ff. de annuis legat.
g Eodem. tit. sub finem.

SVMMARIVM.

2 *Exequutoribus testamentarijs non potest de iure testator dare facultatem faciendi institutiones, vel substitutiones, nec etiam secundum ius Castellæ, nisi exprimat nomen instituendorum, vel substituendorum. Vnde licet intra annum à die iudicialis monitionis aliqua possint, non tamen poterunt prædicta. num. 1.*

3 *Prohibitio de non alienando facta à testatore, nisi addatur causa, aut persona, ob quam fit, non tenet: sufficit tamen causa tacita, puta ad conseruandum honorem in familia, etiam*

ex actu

*ex actu nullo coniecturata.num.4.*

4 *Intensio & mens alicuius ex actu & confessione eius, etiam nulliter facta, immo & ex facto etiam nullo exequutorum sui testamenti potest colligi.*

5 *Alienare extra familiam prohibito; potest remotior, sed non extraneus ex testamento, sed sic ab intestato succedere.*

6 *Bona vinculata tunc ad proximiorem vinculantis, & non vltimi possessoris transeunt, quando testator dixit vt bona transirent ad proximiorem, aliàs secus.*

## CONSILIVM XII.

CIRCA testamentum Vincentij de Salcedo portionarij, Primo videtur dicendum, quòd substitutiones & vocationes factæ à testamentarijs, vel commissarijs ab eo institutis nil valent. Tum quia potestas eis concessa non videtur extendi ad illas. [a] Tum quia non sunt vsi sua potestate intra quatuor vel sex menses, intra quos vti debebant. [b]

a Per leg.31. Tauri.
b Per l.33.& duas sequentes.

2 Non obstat, quod prædicti, quibus data fuit à testatore potestas, erant exequutores testamentarij, quorum potestas durat vno anno post monitionem eis factam à iudice, vt exequantur, [c] non inquam hoc obstat. Tum quia illud ius commune restrictum est in regnis Castellæ per leges Tauri ad quatuor vel sex menses. Tum quia nec intra annum, nec intra quatuor vel sex menses possunt facere exequutores id, eo quòd eis testator non potest committere potestatem instituendi vel substituēdi hæredem, secundum ius commune, [d] neque secundum ius Castellæ, nisi expresso nomine eius qui est instituendus, vel substituendus, vt habet prædicta l.31. & ita in casu proposito nō potuerunt prædicti exequutores, vel commissarij facere prædictas substitutiones ob defectum potestatis, licet aliqua alia potuissent facere intra annum à tempore monitionis iudicis.

c Ca.nos quidem.de testa. & Auth.hoc amplius. de fideicommu.
d L.captatorias.& l.illa. ff. de hæred. instit.

3 Secūdo, quòd prohibitio alienationis à prædicto Vincentio testatore facta potest videri alicui non valuisse: quia videtur nuda à causa & persona, & talis prohibitio à testatore facta non valet. [e] Sed videtur quod testator voluit tacite suum nomen & familiam honorare, eo quòd post prohibitionē alienationis adiecit, vt omnia sua bona vinculata manerent, & non possent diuidi: per quod tacitè videtur voluisse prouidere suo nomini, & familiæ, & sufficit, vt prohibitio alienationis videatur vestita tacita causa, vel persona, vt post alios tradit Ripa, [f] ponens exemplum de prohibente alienare turrim, vel pulchrum palatium, nulla expressa causa, vel persona.

e L.filiusfamilias.§.diui. ff.de leg.1.
f In d.§.diuinum.4.

4 Facit ad hoc, quod commissarij, vel exequutores prædicti, declarando intentionem Vincentij testatoris, statuerunt, vt omnis, ad quem illa bona vinculata peruenirent, cognominaretur de Salcedo, alioquin perderet illa: quæ magna est coniectura præsumendi voluisse illum per illud vinculum consulere honori suæ familiæ: nisi enim id voluissent, non imposuissent tam graue onus successoribus. Nec obstat, quod actus ille fuit nullus: quoniam ex actu nullo colligitur intentio & mens testatoris, instar confessionis, quæ in actu nullo facta præiudicat, secundum Innocentium [g] receptum vt monstrat Decius. [h]

g In c.qualiter & quando.2.de accusat.
h In cap.at si clerici. nu. 3. de iudic.

Tertiò, quòd qui teneret prohibitionem alienationis non valere, deberet dicere, quod hæres institutus à prædicto Vincentio potuit ex testamento, vel ab intestato in alium transmittere illa, & consequenter instituendo vxorem suam in suis bonis, videtur transtulisse illa in eam. Tum quia institutus in parte bonorum, non dato sibi cohærede, videtur institutus in omnia bona per testamentum transmissibilia. [i] Tum quia non potest quis, nisi sit miles, decedere pro parte testat', & pro parte intestatus. [k]

5 Quartò, quòd si tenuerimus, vt videtur tenendū, prohibitionem prædictam valuisse ob adiectionem tacitam prædictæ causæ honoris sui & suæ familiæ, D. consulens, si, vt dicitur in facto, est proximus hæres ab intestato primi hæredis, debet habere illa bona vinculata. Tum quia de illis non fuit testatus primus hæres, nec potuit testari instituendo hæredem in eis suam vxorem, quæ non erat de familia, nec cognomine Vincentij vinculatoris illorū bonorum per l.*peto.* [l] & notata ibi per Bartholum ab alijs receptum, dicentem, quod prohibitus alienare aliquam rem extra familiam, non potest eam alienare in aliquem extraneū per hæredis institutionē licet posset per successionem ab intestato per l.*cum pater.* [a] vbi idē Bartholus & alij. Tū quia cōsulens est, vt in facto proponitur, propinquissimus omnium, qui ei ab intestato succedere possunt.

i Le.1.§.si ex fundo. ff. de hæred. instit. ca.si pater.cū gl.in verb. in re certa. de testam.lib.6.
k Leg.1.ff.de milita. testa, l.cohærede.§. fin.ff.de lega.1.
l §. fratre. ff. de leg. 2.
a §. cū inter. ff.eod.

6 Quinto, quod videtur huic dicto obstare illa opinio, quæ habet, bona vinculata transire ad propinquiorem vinculantis, & non ad propinquiorem vltimi possidentis, quæque multorum auctoritate confirmatur in informatione Hispana, quoniam contraria, pro qua etiam multi citantur in d.informatione, videtur tenenda in hoc casu, in quo testator nihil dixit de successione propinquorum, sed simpliciter instituit quemdam nepotem hæredem, nullo sibi dato substituto, nec vlla facta mentione, nec ordinatione, quod succederet propinquior: & quod ipsemet testator non reliquit illa bona vinculata fratri suo, qui erat sibi propinquissimus, sed nepoti ex sorore; esto quod alia opinio procedere posset, si testator dixisset, vt succederet in eis propinquior, non declarando an deberet esse propinquior testatoris, vel possessoris. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Substitutus hæredi decedenti sine liberis excluditur à monasterio, in quo hæres professionem emisit, nisi aliter de mente testatoris expressè, vel tacitè constet.*

## CONSILIVM XIII.

ANTONIVS carens liberis instituit nepotem ex fratre, & substituit ei suos filios masculos legitimos, si haberet, aliàs neptes ex sorore. Is nepos institutus intrauit monasterium, & donauit illi omnia bona sua, & ita non potuit habere filios masculos legitimos. Quæritur an filiæ substitutę excludant monasterium, an contra monasterium excludat eas.

1 Respondetur primò, quæstionis huius decisionē pendere à decisione illius generalioris, an substitutus, si absque liberis decesserit institutus, excludat monasterium, quod institutus intrauit, an contra monasterium excludat substitutum? quam constat esse valde controuersam, quamque nos olim latè tractauimus in cap. *in præsentia.* [b] vbi etiam satis tractant Panormitanus, Felinus, Decius, & alij, qui referunt plurimos diuersa de illa sentientes, quibus addit alios Couarruuias. [c]

b De probationibus.
c L1.1.varia. resol.ca.19.

Secundò, quòd ego in ea fui & sum opinione, quod si testator, qui instituit & substituit, expresè excludit monasterium, aut tacitè talibus verbis, per quę appareat eum cogitasse de monasterio, vel noluisse, vt monasterium succederet in suis bonis, substitutus excludet monasterium: alioquin monasterium excludet substitutum.

Tertiò, quòd cùm in casu proposito instituens non exclusérit expresè monasterium, nec tacitè talibus verbis, ex quibus colligeretur noluisse, vt monasterium succederet, censendum est, quòd monasterium excludit præfatas filias substitutas, per ea multa, quæ colligi possunt ex locis supra citatis, quod valetudo infirma nobis facere non permittit. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Incertæ personæ de certis per tertium eligendæ relictum non dicitur captatorium, sed tenet, est tamen conditionale: ita vt non facta electione, omnibus debeatur, ea autem facta, soli electo totum, alijs penitus exclusis, acquiritur.*

2 *Captatoria dispositio, per quam institutio, legatum, & fideicommissum in voluntate alterius tertij relinquitur, non tenet: talis tamen non est, immo tenet, quando tertio solùm est data facultas ex certis incertum eligendi, puta vnum de tali familia.num.3 & num.1.*

3 *Eligere qui ex certis vnum quem malit potest, qui legatum, vel hæreditatem dandam, vel restituendam capiat, taliter nominato, non potest onus aliquod imponere, num.4. nisi sic nominatum grauet, vt alteri ex dictis certis, puta alteri pauperi, vel alteri de familia vocatis restituat num 5.*

4 *Vtile per inutile, si sint separabilia, non vitiatur. vnde qui tenetur aliquem ad legatum simpliciter nominare, licet non possit nominato, num. 2. nec cui tenetur restituere, num.4. onus imponere, si tamen imponat, tenet nominatio, & restitutio, reiecto onere. num.4.*

6 *Grauatus post mortem alteri nominato restituere, si superuiuat nominato, liber à dicto onere remanet, nec hæredibus nominati ad aliquid tenetur.*

## CONSILIVM XIIII.

A

PRæſupponitur in facto, quod teſtator habens filiam, & ex ea inter alios tres nepotes, Ferdinandum, Petrum, & Franciſcum, & quãdam capellam dotatã cum onere vnius Miſsæ ſingulis annis, ordinauit, quòd eius gener & filia, quicumque ex eis vltimus deceſsiſſet, nominare deberet vnum ex dictis tribus nepotibus, qui ſibi magis placuiſſet, qui haberet dictã capellam, & eius bona, & alij nõ nominati illã non poſſent habere: & defuncto genero, ſuperſtite filia, illa nominauit ad dictã capellam Franciſcum vnũ ex dictis tribus, & caſu quo ipſe deſcederet ſine liberis, quod dicta capella perueniret ad Ferdinandum ſimiliter vnum ex dictis tribus filiis, nulla facta mentione de Petro tertio Filio. Defunctus eſt Ferdinandus, relicto Ludouico eius filio: & deinde defunctus eſt Franciſcus ſine filiis, qui in eius teſtamento inſtituit hæredem Ludouicum filium Ferdinandi, & iuxta formã teſtamenti patris ſui, & aui nominabat ad dictam capellam prædictum Ludouicum, quatenus haberet facultatem nominandi. Nunc Petrus ſuperſtes ex dictis tribus nepotibus prætendit dictam capellam ad ſe pertinere, & nominationem factam de dicto Ludouico filio Ferdinandi non valere. Quare dubitatur, quis eorum, ſcilicet, Ludouici, & Petri, teneat ius.

B

1 Et breuiter omiſsis ſuperfluis more Romano concludendum eſt, Ludouicũ debere obtinere. Et pro fundamẽto in primis præmittenda eſt communis concluſio omnium, iſtam diſpoſitionem factam per dictum teſtatorem, in qua fuit data facultas genero & filiæ nominãdi vnum ex tribus filiis, eſſe validã & non captatoriã: quia data fuit electio incertæ perſonæ de certis, quo caſu valet: quia non facta electione omnes eſſent vocati, iuxta text. in l. *cum quidam*, & l. *vnũ ex familia*, [a] vbi Bartho. & omnes ſcribentes l. *vtrũ* §. cum quidam. ff. de reb. dub. vbi omnes tradũt, Pariſinus, [b] vbi latiſsime multos congerit. & talis diſpoſitio dicitur conditionalis antequam ſit facta electio, & nominatio: & facta electione expirat conditio, & cæteræ cõditiones deficiunt: quia eſt adimpleta voluntas teſtatoris; ita inquit textus in d. l. *vnum ex familia*, [c] & ibi Paul. de Caſtro & Bal. & Pariſ. [d] Vnde cum in caſu noſtro filia ſecundum facultatem ſibi conceſſam nominauerit Franciſcum, ſtatim facta nominatione, & ſecuta morte filiæ, dicitur adimpleta & purificata conditio, & ius fuit acquiſitũ ipſi nominato, & alij duo, ſcilicet Ferdinandus, & Petrus, remanſerunt excluſi.

C

D

Super hoc facto, & reſponſo cuiuſdam excellentiſsimi V.I.D. quæritur à Dominatione tua quid ſentiat?

2 RESPONDEO, quod concluſio conſulentis eruditiſsimi proculdubio videtur eſſe iuridica, & ſolidè fundata rationibus ei ſubiectis: & ad maiorem redundãtiam, & explicationem, conſiderari poteſt, quod ea quæ propono, nihil ei proſunt. Pro illo enim ſolùm poſſunt facere duo: Primo quidẽ, quod tam legatum, vel fideicõmiſſum captatorium, quam inſtitutio captatoria, ſiue relicta in voluntate alterius, ſunt inualida, [e] & quòd facultas illa data filiæ & genero nominandi vnũ de filiis ſuis videtur fuiſſe captatoria, quia fuit collata in voluntatem alterius.

E

Secundò, quòd nec filia, nec gener habuerunt facultatẽ nominandi vllum ex filiis cum grauamine nominandi aliquẽ, ſed ſolùm ſimpliciter nominandi, & quod conſequẽter filia nominans Franciſcum cum onere nominadi Ferdinandum, ſi decederet ſine liberis, exceſsit facultatem ſibi datam, & ita non valuit quod egit, [f] & qui non vult facere quod poteſt, & vult facere quod non poteſt, nil videtur facere. [g]

F

3 Sed ad primum horum reſpondetur, quod licet ſubſtãtia inſtitutionis legati vel fideicommiſsi non poſsit in arbitrium alterius conferri, vt iura prædicta declarant, electio tamen incertæ perſonæ de certis, vel de certo genere perſonarum, vel familiæ, poteſt in arbitrium & voluntatẽ alterius cõferri, [h] adeo quod Bart. cõmuniter receptus in theoria & praxi determinat, [i] valere inſtitutionẽ pauperũ, quos elegerit Titius: & certum eſt valere legatum relictũ alicui de familia, cui vel quibus hæres volet. [k]

4 Ad ſecundum autem reſpondetur primo, cõcedendo, quod qui grauatur reſtituere ſimpliciter aliquid alicui, nõ poteſt illum grauare regulariter, vt reſtituat illud alij, nec aliquid eiuſmodi imponere: ſed negando, quod reſtitutio facta cum onere non valeat quo ad ſatisfaciendum facultati de reſtituendo, licet oneris additio non valeat: quia hæres vel grauatus reſtituere aliquid ſimpliciter, ſi reſtituerit fideicommiſſario onere aliquo adiecto, ſatisfacit obligationi reſtituendi, licet onus adiectum non valeat, nec fideicommiſſarius teneatur illud acceptare, nec adimplere, vt eſt caſus in d. §. *ſed & ſi fundum*, vbi hoc clarè ſentit Bart. & latius expreſsit Paulus Caſtrenſis Vnde & praxis totius orbis habet, quòd qui habet primogenium, vel maioratũ reſtituẽdum alteri, ſi reſtituit illum adiecto onere aliquo, ſatisfacit obligationi ſuæ, licet ille non teneatur acceptare onus, nec acceptet: cuius ratio radicalis eſt illa regula, [a] *vtile per inutile non vitiari*, quod eſt verum, quando alterum ab altero eſt ſeparabile, vt in caſu noſtro, in quo onus adiectum eſt ſeparabile à reſtitutione, cui adiicitur, vt palam eſt.

5 Secundo reſpondi poteſt, quod licet regulariter grauatus de reſtituendo aliquid alicui de familia non poſsit grauare illũ de reſtituendo alteri: fallit tamen, quãdo grauatus reſtituere vni de familia, vult grauare illũ de reſtituendo alteri eiuſdẽ familiæ, vt colligit ſingulariter Bar. [b] inferens ex hoc, quod exequutor, qui deputatur ad eligendos pauperes, poteſt eligere vnum cum onere reſtituẽdi alteri pauperi: & in caſu noſtro filia teſtatoris, quæ nominauit Franciſcum vnum de filiis ſuis, grauauit eũ de reſtituendo Ferdinãdo alteri filio ſuo, qui erat vnus de tribus, quorum vnus erat nominandus.

6 Tertio etiam poteſt reſponderi, quod onus adiectum Franciſco extinctum fuit per mortẽ Ferdinandi & ſic nominatio remanſit pura, & capella ſine aliquo onere apud Franciſcum grauatum reſtituere Ferdinãdo, iuxta textum in l. *qui liberis*, [c] & in terminis Fabianus de Monte, [d] vbi mater, quæ fuit grauata reſtituere filio poſt mortem, ſi filius prædecedat, hæreditas remanet penes matẽ, ac ſi purè & ſine aliquo onere fuiſſet relicta, quia deficit conditio, & fideicommiſſum conditionale non tranſmittitur ad hæredes, nec etiam ad liberos, iuxta glo. [e] vbi Bart. & alij omnes & gloſſ. [f] vbi Alex. dicit quod omnes ſequuntur illam gloſſ. Socinas. [g] Fabia. de Monte. [h] Cald. [i] Salua, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Rei ſuæ quilibet eſt moderator.*
1 *Rei ſuæ traditioni poteſt quis legem, & modum, qui nec turpis, nec impoſsibilis ſit, adijcere.*
2 *Vxor nubendo nobili fit nobilis.*
3 *Filius quo ad honores & nobilitatem non ſequitur conditionem matris, ſed patris.*
4 *Nobilis eſt ex patre nobili natus, etiam ſi ignobili matre.*
4 *Definitio debet conuenire definito, ita vt de quocumque dicitur definitum, dicatur definitio.*
5 *Genus propriè dicitur de omni ſua ſpecie.*
6 *Natus ex patre tantùm nobili ſecundum l. regiam, eſt quidem nobilis, non tamen ita, ac ſi eſſet etiam ex matre nobilis natus.*
6 *Iura iuribus conciliari expedit, & ita vnam legem intelligere, vt ſibi non contradicat.*
7 *Natus ex vtroque parente nobili, ſecundum ſtylum curiæ, & communem vſum, maioris ſit cæteris paribus, & magis dignus gratiis, quam natus ex altero tantùm nobili.*
7 *Duo vincula fortiora ſunt vno.*

## CONSILIVM XV.

MAioratum, ſeu primogeniũ vir & vxor inſtituunt, & filios filiaſque ordine nominant, tali ſcilicet vinculo, ac conditione. *Nemo, aiunt, ex noſtris filiis, ac filiabus, ſeu quiuis alius ſucceſſor ad dictum maioratum nominandus poſsit ducere vxorem, quæ non ſit ſuæ qualitatis nobilis, ac generoſa, quales vos eſtis, nec quæ ſcit deſcendens ex nouis Chriſtianis: ſed qui contra fecerit, excluſus ſit à dicto maioratu.*

Dubitatur nunc primo, an ſi vnus ex iſtis, nominatis ducit vxorem talem, erit excluſus ab iſto maioratu.

Secundo, ſi vnus ex nominatis ducit vxorem mulierem, cuius pater fuit nobilis, & fidalgus ex primariis, ſed mater non ita nobilis, vtrum iſte ſatisfecerit ſupradictæ clauſulę, vt poſsit ſuccedere.

Tertio, ſi de iſto nominato, qui ita nupſit, probaretur patrem ſuæ matris fuiſſe fidalgum, & matrem illius igno-

---

a Cũ tribus. §. ſeqq. ff. de leg. 2.
b Conſil. 38. col. 1. & nu. 31. & 32. volum. 3.
c §. 1. & §. ſi itaque.
d D. cõſil. 38. nu. 5. d. l. cum quidam. ff. de legat. 2.
e L. illa inſtitut. cum gloſ. & l. captatorias ff. de hæred. inſtit. & l. captatorias. C. de teſtam. milit.
f Arg. l. fin. ff. de iuriſd omnium iud. & l. 2. de conſti. li. 6.
g Ca. cum ſuper. de offic. deleg.
h L. ſi quis Titio. §. 1. & le. cum quidã. 2. & l. vnum ex familia. ff. de leg. 2.
i In d. leg. illa inſtitutio.
k D. l. vnum ex familia. §. ſed & ſi fundũ. ff. de le. 2.

a De reg. iur. lib. 6.
b In d. l. vnũ. §. ſed & ſi fũdum. num. 2.
c §. hac verba. & leg. ſed & ſi plures. ff de vulg. & pup. l. quibus diebus. §. quidã. ff. de cõd. & demonſtr.
d In conſil. 149. num. 18. cum ſeq. inter conſilia vlt. volunta.
e In l. 1. C. de fil. qui ante aper. tab.
f In le. feudũ mei. §. cũ ita. ff. ad Trebell
g Conſil. 17. nu. 30. vol. 1.
h D. conſil 149 num. 16.
i Conſil. 35. de teſtamen.

bilem,an sufficeret ad succedendum iuxta præfatam clausulam.

Quarto dubitatur,si id non haberet locum, vtrum si filius nominatus,qui ita nupsit,filios procrearet, poterunt succedere,cum ipse natus sit ex patre fidalgo, & matre fidalga: & si hoc locum habet, vtrum filius poterit petere successionem viuente patre.

Cuperem mihi declarari intellectum l.3.tit.21.parte secunda,quæ hoc loquitur.

1 AD PRIMAM IGITVR QVÆSTIONEM respondeo, quòd pro parte negante, nempe quòd nō excluderetur,faciunt illa multa,quæ à quibusdam traduntur contra statutum Ecclesiæ Toletanæ, & alia similia multarum Ecclesiarum,multorúmque collegiorum,quibus à beneficiis,& locis,& receptionibus eorum excluduntur trahentes originem à gente Iudæorum,& Sarracenorum.Illa enim sicut applicantur ad impugnandum præfata statuta,ita etiam possent applicari ad impugnandam huiusmodi primogenij ordinationem.

Pro parte vero affirmāte possent adduci omnia, quibus præfata statuta defenduntur, & quod quilibet est rei suæ moderator,iuxta l.*sed & si*, [a] & quod traditioni rei suæ potest quis legem & modum,qui nec turpis,nec impossibilis sit,adiicere, & quòd hæc adiectio non est turpis, nec impossibilis magis quàm præfata statuta,immo nec tantùm, per ea,quæ pro illis adducuntur, per quæ & alia videtur tenenda pars affirmatiua huius primæ quæstionis.

2 AD SECVNDAM respondeo, quod videtur satisfacere:quia vxor nubendo nobili fit nobilis.l. *mulieres maritorum honore erigimus, & genere nobilitamus, & forum ex persona reorum statuimus*, [b] quę ad literam repetitur l.vltim. [c] cum aliis multis vsque ad nauseam citatis per Tiraquel. [d]

3 AD TERTIAM respondeo,quòd videtur impertinens ad clausulam supra in quæstione proposita insertā: quia clausula solùm tractat de his,cum quibus debent cōtrahere matrimonium illi,qui ad præfatum primogenium vocantur,& nihil disponit de his, qui sunt ad præfatū maioratum vocandi:quæstio verò agit de vocandis ad illum, quod decidendum est per alias clausulas maioratus de his, qui sunt vocandi, quas ego minimè noui,neque in suprascripto facto narrantur.Certum autem est,quod si cū hoc, de quo quæritur,contraheret matrimonium illa, quæ esset vocata ad præfatum maioratum,perderet illum:quia is nō est nobilis,eo quod pater matris eius esset nobilis etiā valde,nisi pater quoque talis esset:quia filius quo ad honores & nobilitatem non sequitur conditionem matris, sed patris,argum.l.*exēplo*, [e] vbi Bart.& Angel.notant, & Felin. [f] & Benedict.Raynuntius, [g] & multi alij,quos vsq; ad nauseam refert Tiraquellus. [h]

4 AD QVARTAM respondeo idem,quod ad tertiam,nempe quod est impertinens ad clausulam in narratione facti propositam, quoniam illa disponit solū de personis,cum quibus tenentur contrahere matrimonium illi, qui vocantur ad præfatum maioratū,& quæstio hæc quarta quærit de quibusdam personis,an debeant succedere in maioratu.Et præterea hęc quæstio videtur loqui de illa eadem persona,de qua loquitur quæstio tertia,& videtur secum pugnare:quoniam quæstio tertia loquitur de illo,cuius mater erat nobilis, significando quod pater non erat talis,hæc autem quæstio loquitur de persona, cuius pater & mater erant nobiles. Verumtamē pro comperto habeo, quod si pater non posset succedere,nec filij eius possent, [i] nisi ex clausulis primogenij aliud colligeretur.

5 AD DESIDERIVM autem nocendi verum intellectum l.3. [k] respondeo primò non abs re id desiderari quo ad illam partem,quæ habet,natum ex fidalgo,& villana,esse quidem fidalgum,non tamen nobilē:& quod glos. ex illis verbis ibi colligit non dici nobilē,nisi qui ex vtroque parente est nobilis, cuius tamen contrarium est verū, vt supra in secunda quæstione diximus, nempe quod natus ex nobili patre,& ignobili matre,est nobilis. Tū quia est conclusio à plerisque omnibus recepta.Tum quia etiā probatur per principium eiusdem l.3. quatenus definit fidalguiā esse *noblezza,que viene por linaso*. Cū ergo omnis definitio debeat conuenire definito, ita quod de quocūq;dicitur definitum,debeat dici definitio, secundum omnes, & per ipsam l.3.natus ex patre nobili, & matre ignobili, sit fidalgus,& habeat fidalguiam,necessario cōsequitur quod est nobilis,& habet nobilitatem. Tum quia id ipsum probatur per l.2. [a] quatenus habet,quod omnis *fidalguia est gētilezza*,& præsupponit quod omnis *gentilezza est nobleza*. Cum ergo natus ex patre nobili, & matre ignobili,sit gētilis,erit quoque nobilis.Tum quia præfata l.3.non solum probat huiusmodi fidalgum esse nobilem, sed etiam esse propriè nobilem:quia in vna parte probat quod fidalguia rectè definitur esse *nobilitas ex genere proueniens*,& in altera parte probat,quod genitus ex patre nobili,& matre ignobili est fidalgus, & habet fidalguiam. Cum ergo prædicta definitio constet ex illo verbo,*nobleza*, quod ponitur pro genere,& ex aliis,quæ ponuntur pro differentia,ex quibus duobus debet constare bona definitio,iuxta l.1. [b] & notata vtrobique per Bartholum communiter receptum consequitur quod verbum,*nobleza*, est genus ad fidalguiam. cui consequens est,quod omnis fidalguia est propriè *nobleza*, & omnis fidalgus propriè nobilis:& consequenter cū per dictam l.3.fidalgus, de quo loquimur, sit species nobilis, propriè dicitur talis,quoniā genus propriè dicitur de omni sua specie, secundum Bald.communiter receptum. [c]

6 Respondeo secundo,ex prædictis inferri, quod illa l.3. non satis rectè intelligitur à sua glossa quatenus ait solum dici nobilem illum,qui ex vtroque parente est talis,neque ita intelligendum esse,vt velit dicere natum ex patre tantùm nobili,non dici propriè nobilem,quoniam per prędicta concluditur quod ipsamet l.3.probat cōtrarium.Quare dicendum est verum intellectum illius legis esse, quod natus ex patre tantùm nobili est quidem nobilis,sed cæteris paribus non adeo, ac si esset etiam ex matre nobili natus.Pro quo modo intelligendi facit, quod expedit iura iuribus conciliari, [d] & ita intelligere vnam legem,vt sibi ipsi non contradicat,nec secum pugnet.Et prædicta l.3.sibi contradiceret,secúmque pugnaret, nisi sic intelligatur.

7 Tum denique quod stylus Curiæ, & communis vsus totius orbis habet,quod maioris habeatur,cęteris paribus, natus ex vtroque parente nobili, quam natus ex altero tātùm tali.Et ita ad mouendum Papam ad concedendū gratiam,dicitur in libellis supplicibus, quod orator est nobilis ex vtroque parente.Et facit,& merito,quod duo vincula fortiora sunt vno. [e]

*SVMMARIVM.*

1 *Hæres,cui testator,etiam pro exoneratione suæ conscientiæ, mandauit,vt faceret,quòd confessarius vel alter diceret, non tenetur credere tali petenti sibi aliquid clam restituendum dari, nisi aliunde præsumatur de eo quod petitur testatorem sensisse.nu.4. Sed nec confessarius potest cogi,vt secreta reuelet.nu.3.*

1 *Captatoria voluntas non tenet:fallit in pia causa.*

2 *Vnius dicto vt credatur,is potest mandare, cuius solius dicto stare cogimur.*

2 *Legatarij persona cùm non est omnino expressa,vel certa, illi debet solui,de qua verisimilius est testatorem sensisse.*

## CONSILIVM XVI.

Clericus quidam, posteaquam in suo testamento grauauit hæredem ad instituenda vel facienda certa anniuersaria,reuocauit illud onus,& adiecit aliud,scilicet vt faceret illa, quæ confessarius eius ei diceret pro satisfactione obligationum, quibus tenebatur. Quo mortuo hæres volens adimplere voluntatem defuncti, petiit à cōfessario,vt diceret ei,quæ pia opera iusserat facere testator & ille respondit,vt traderet ei 400.scuta,vt ipse faceret ex illis,quæ sibi secreto commiserat testator.

1 Quæritur, an hæres teneatur ei credere, & tradere prædicta 400.Et pro parte negāte facit primò, quod voluntas captatoria non valet, [f] & prædicta voluntas testatoris videtur esse captatoria, quia pendet à voluntate tertij,iuxta l.*illa institutio*. [g] Secundò, quòd non videtur hæres teneri ad credendum confessario: vnde Bartholus, [h] dixit hæredem non teneri ad soluendum legatum inuentum scriptum in manu guardiani, ad quod se remittebat testator,nisi constaret illam schedulam esse testatoris: ergo:nec consulens tenebitur soluere, quod dicit confessarius,

[a] §.consuluit. ff. de pet.hæred.& l.in re mandata.C.mand.
[b] C.de dign. li.12.
[c] C.de incol. li.10.
[d] De nobilitate cap. 8.in princip.
[e] C de decurio.li.10.
[f] Cap.nouit. num.2.de iudic.
[g] De testam. in princ.
[h] De nobilit. ca.18.nu.20.
[i] Arg.le.fin. C.de natur. liber.
[k] Tit.21.par. 2.

[a] Eiusdem tituli 21.
[b] ff.de testa. l.1.§.dolum. ff.de dolo.
[c] Le.2.C.de iure aureo. annu.
[d] Ca.cùm expediat. de elect.li.6.
[e] Capit.1.de treug.& pac. Authent.ita que communia.de succes. ab intest.
[f] Le.captatoria.ff.de hæred. instit.
[g] ff.de hæred. instit.
[h] In leg.si ita scripsero.ff de condition. & demonst.

rius,nisi testator id ei dixisset. Tertiò, quod testator, qui relinquit aliquid dandum illi,cui voluerit dare Titius,videtur tacitum fideicommissum in fraudem legis relinquere.[a]

2 Pro parte autem affirmante facit primo l.*Theopompus*,[b] quatenus habet standum esse dicto illius,cui stari voluit is, cuius solius dicto & dispositioni standum esset.Secundo, quod l.*quem hæredi*,[c] probat hæredem,cui dixit testator,*dato aliquid ei, cui dixero tibi*,teneri ad dandum ei, de quo testatorem intellexisse aliqua coniectura constiterit:vbi dicit Bartholus,quòd si testator reliquerit mille alicui,vt detur ab illo illi,quem dixerit,legatario & hæredi,si eo mortuo dissenserit hæres, & legatarius, danda esse illa vni ex nominatis,qui verisimilius creditur fuisse nominatus à testatore, & ita creditur vni, etiam contradicente altero, propter verisimilitudinem. & in casu proposito disponétis dicto standum erat,qui iussit, vt staretur dicto alterius, qui dicit 400. scuta esse danda sibi ad quædam opera pia secreta.ergo standum est dicto eius, cum nemo possit dicere contrarium.

3 Tertio,quod dispositio captatoria ad pias causas valet iuxta cap.*cum tibi* & ei adnota.[d] vt Bartholus in hac ipsa specie dicit,[e] & in hoc casu agitur de relictis ad pias causas.Quartò,quòd confessarius non potest cogi ad dicendū causas & personas,ob quas,& quibus danda sunt illa 400.[f]

4 His pro vtraque parte adductis arbitror hæredē prædictum non teneri ad credendum dictis confessarij, nisi quo ad ea,quæ per aliquas coniecturas sunt verisimilia intentioni testatoris,per determinationem Bartholi,[g] quem sequitur Couarruuias.[h] Tum quia non constat,quòd prædicta dispositio fuit facta ad pias causas, nec confessarius illas exprimit,& quia videtur dispositio in alterius voluntate collata,etiam quo ad substantiam eius,& habet qualē qualem præsumptionem fideicommissi taciti in fraudem legis,iuxta d. l.*Lucius*,[i] & quod confessarius velit illa, vel aliquot illorum sibi retinere,& denique quod non est stādum eius dicto,nec aliis similibus,nisi quando per aliquas coniecturas dictum eius fieret verisimile,iuxta prædictam l.*quem hæredi*.[k] Salua,&c.

a Le. Lucius. §. final. ff. de legat. 1.
b ff. de dote præl.
c ff. de rebus dub.
d De testam.
e In d.l.Theopompus.
f Arg.c. omnis. de pœnitēt.& remiss. & cap.sacerdos. de pœnitent.dist.6.
g In d.l.Theopompus.
h In dicto ca. cum tibi. sub finem.
i §. fin.
k ff. de rebus dub.

SVMMARIVM.

*1 Debitor occultus testatoris,qui animo compensandi fecit, vt testator horum ignarus,minus quàm decreuerat,legaret, ab obligatione restituendi non liberatur.*

*1 Testari,& testari velle,diuersa.*

*2 Propositum in mente retentum parit abortum.*

## CONSILIVM XVII.

DEliberauit quidam reliquere 200.in suo testamento cuidam famulo suo debenti ei 50. clam minutatim sublata,& antequam relinqueret,dixit eidem se id deliberasse,qui respondit se ob id gratias agere,sufficere tamen, vt sibi solū relinqueret 150.idque fecit animo cōpensandi prędicta 50. sublata, quæ ex 200.sibi legandis remittebat. Testatore mortuo,& solū 150.legatis,quęsitum fuit an 50. quędebebat famulus,possit retinere vltra 150. legata loco aliorum 50.quæ legasset defunctus,si ipse non impedisset.

1 Respondetur,teneri famulum ad soluenda hæredi 50. quæ clam subtraxit,si receperit 150.sibi legata. Tum quia velle testari,vel legare,non est testari,neque legare, argumento textus cum glossa,[l] & ita non fuerūt ei legata 200. Tum quia licet mutare vltimam voluntatem vsque ad extremum vitæ exitum,[m] & ita quamuis legasset,potuit mutare illam voluntatem vsque ad mortem,quod & fecit.Tū quod constat testatorem noluisse relinquere plusquam 150.tempore quo legauit: & si prædictus famulus acciperet 150.& retineret ea cum aliis 50.subtractis,retineret 50. vltra contenta in legato, quod non licet. Tum quia si famulus posset retinere illa 50. cum 150. legatis, censeretur testator reliquisse 200.legando 150.& remittendo 50.cum remittere sit dare,[n] quod est absurdum dicere.

2 Nec prodest quidquam illud bonū propositum, quod habuit famulus, quia fuit occultum vti mentale ipsi testatori, & propositum in mente retentum parit abortum

l In l.in vendentis. C. de contrahend. emptio.
m Capi.cum Marthæ. de celebr.Missa. & ca.vltima voluntas.13. q.2.
n Ca.veniēs. 2. de testib.

iuxta l.*si repetendi*,[a] cum multis allegatis.Salua,&c.

a C. de condict. ob causam.

## DE SVCCESSIONIBVS AB INTESTATO.

SVMMARIVM.

*1 Statutum, quod vxore mortua sine liberis, vir lucretur partem dotis,non habet locum, si moriatur matrimonio non consummato.*

*1 Maritus pauper partem dotis lucratur,si vxor diues ante copulam obiit.*

## CONSILIVM I.

QVæritur, an quando coniux diues ante copulam carnalem, & post matrimonium per verba de præsenti contractum moritur, maritus lucretur partem dotis.[b]

1 Respōdeo,plurima posse adduci pro vtraq; parte quęstionis,quæ cōgerit Felinus,[c] super statuto, vt vxore mortua sine liberis maritus lucretur certam partem dotis, an habeat locum in vxore mortua ante matrimonium consummatum.

Licet autem Felinus ibi teneat communiorem & veriorem esse partem negatiuam, & multis videri poterit idem dicendum esse de negatiua huius quæstionis, quod de negatiua illius:ego verò in præsentia magis inclino in partē affirmatiuam huius, ea ratione, quòd præcipua ratio, qua Panormitanus ibidem citatus sequitur negatiuam illius, cessat in negatiua huius, & quod agatur hic de fauore pauperis successuri pro parte in hæreditate vxoris diuitis, & prouisione legali pietatem magis præferente. Salua,&c.

b Per authe. præterea. C. vnde vir & vxor.
c In rubr.de sponsalib.

SVMMARIVM.

*1 Spuriis natis ex damnata copula, puta ex sacerdote.ab intestato non succedunt nec parentes nec econtra, nec etiam fratres. nu. 2.itemque,nec ex testamento.nu.3.& 4.nisi fuissent legitimati: quia tunc iuxta modum legitimationis successio attenditur. nu.4.in spuriis autem non ex damnata copula,sed vulgo quæsitis conceditur successio.nu.2.*

## CONSILIVM II.

AD sequentes quæstiones respondeo: Ad primam,pręsupponendo, quòd quando filius sacerdotis fuit in sacerdotio,vel in sacro ordine genitus,& consequenter ex damnato coitu natus, pater nihil de bonis filij habere potest: quia filiis spuriis ex damnato coitu natis non succedunt parentes, nec econtra parentibus ipsi spurij, iuxta authentica *quibus modis nat.eff.sui*,[d] tradit Panormitanus,[e] Nicolaus Vbaldus.[f]

2 Qui expressè definiuit etiam fratres nō succedere fratribus spuriis ex damnato coitu natis,licet secus in spuriis vulgo quæsitis,vt definiuit glossa recepta.[g]

3 AD SECVNDAM respondeo,quod sicut,vt prędictum est, spurij ex damnato coitu nati non succedunt suis parentibus, nec ecōtra ab intestato, ita nec ex testamento,dicente Baldo,[h] quòd sicut non potest pater filium suum spurium instituere,ita nec filius parentem:& consequenter prædictus filius non potuit tertiam partem relinquere matri, nec filia eius debet habere aliquid ex ea, ratione huiusmodi ordinationis.

4 AD TERTIAM,quod ex prædictis infertur, nihil de bonis prædicti filij deberi suo patri, nec suis fratribus,nec sororibus,& quod tertia, quam reliquit matri, est impendenda operibus piis, scilicet monasterio S. Francisci. Quæ tria responsa intelligenda sunt præsupponendo, quòd prædictus filius,de quo loquimur,non fuit legitimatus eo modo, quo communiter legitimantur filij præsertim spurij ex damnato coitu nati,quorum legitimationes sunt in effectu quædam dispensationes, per quas habilitantur ad succedendum parentibus, vel ad capiendum inter viuos ab eis aliqua interdum ex testamento tantùm, interdum etima ab intestato: nam si esset ita legitimatus vt esset restitutus natalibus, & factus omnino legitimus, paulo aliter essetrespondendum,iuxta §.fin.authent.*quibus*

d § illud.ver siculo,vltima siquidem.col. lat.7.
e In c. tanta. nu.13. qui filij sint legitimi.
f In tract.de successiōe ab intest. 1.part. nu. 45.
g In auth. si qua illustris. C. ad Orficianum,& in §. nouissime. instit.eod. & in d. §. illud. d. auth. quib' modis nat. effic. sui.
h In authent. licet. C. de naturalibus lib.

*modis nat.eff.sui*, & iuxta legẽ 2.3.& 4.[a] sed difficile & rarò fit hoc, vt in simili in d.l.2.Salua,&c.

a ff.de natal. restitut.

*SVMMARIVM.*

*1 Clerico Romæ ab intestato morienti nec in fructibus ex beneficio receptis succedit Camera: vnde non illi, sed proximioribus si reperiri possunt, alioquin pauperibus sunt restituendi. nu.2.*

*2 Aliena etiam alienigenæ & ignoti defuncti qui habet, prius inquirat de defuncti patria & propinquis, quibus non repertis, deducto eo quod sic inquirendo expendit, reliquum pauperibus, & non prius distribuat.*

## CONSILIVM III.

QVidã clericus obiit in Curia ab intestato, datis mutuo cuidam suo amico nonnullis pecuniis de reditibus suorum beneficiorum. Quæritur, cui teneatur is mutuatarius illas restituere.

1 Respondeo, quod præfatus D.consulens non debet restituere illas Cameræ Apostolicæ per partem bullæ Iulij III. à nobis translatam in tractatu de spoliis.[b]

2 Secundò, quod tenetur restituere hæredibus eius: illis enim debentur bona clerici morientis ab intestato Romę per dictam bullam Iulij III. quæ in hoc consonat iuri cõmuni.[c] Tertiò, quòd si ignorat hæredẽ eius, debet inquirere cuius esset patriæ, & si erat ei pater, vel mater, frater, vel soror, & his deficientibus alius proximior gradu, & restituere illa huiusmodi proximiori, deductis impensis, si casu oportuerit facere in inquisitione huiusmodi. Quartò, quòd non sufficit restituere illa pauperibus, vel piis locis, nisi casu quo non inueniretur aliquis hæres, quod non est credibile: si autem per debitam diligentiam adhibitã nullus inueniretur hæres, tunc deberet restituere illa pauperibus, vel aliis operibus piis.[d]

b Super c.nõ liceat Papæ. 12.q.2.§.6.in principio.

c Authen.de hæred.ab intest.collat.9. & institu. de hæred.ab intest. veni.

d Ca.cum tu. adiũcta gloss. de vsur.

*SVMMARIVM.*

*1 Extrauagans Iulij III. qua statutum est, ne debita, nec legata pia facta à beneficiario tempore infirmitatis soluantur ex fructibus nondum exactis, subdura visa fuit, nec habet locum, vbi semel tantùm collector spoliorum fuit deputatus. nu.3.*

*2 Fauorabilis censetur illa lex & dispositio, per quam res reducitur ad pristinam suam naturam.*

*3 Consuetum ad hoc vt quid dici possit, necessario requiritur, quod saltem bis fuerit factum: idem de solito contra Bartholum probat Decius. fallit in illo vnico actu, qui sortitus effectum causam habens successiuam, multo tempore continuauit.*

## CONSILIVM IIII.

BEneficiarius quidam in terris, vbi tantùm semel collector Apostolicus positus fuit, obiens mortem, reliquit multa debita, & multos fructus sui beneficij inexactos. Quæritur an ex eis possit creditoribus satisfieri.

1 Extrauagãs fe.re.Iulij III. publicata anno 1550. mẽse Iunio perdura visa fuit multis iam inde à principio promulgationis eius, vt dixi in tractatu de redit.eccles.[e] ita quod arbitror nõ fuisse receptam in Galliis, nec etiam in Hispaniis, & minus extensionem eius, quã publicauit anno 1550. mense Augusto, qua statuit ne soluerentur debita beneficiarij contracta, neque legata pia tempore infirmitatis facta ex reditibus nondum exactis.

e qu. 2.mon. 26.nu.4.

2 Ex hoc sequitur, constitutionem, quæ illas tolleret, vel limitaret, dignam fore fauore, quia per eam fieret reuersio rei saltem ex parte ad suam pristinam naturã, quod est fauorabile,[f] & consequenter tertiam præfati Iulij extrauag. publicatam anno 1551. mẽse Iunio, quæ limitat illas ne habeant locum terris, vbi non cõsueuerunt à S. Sede Apostolica poni collectores, videtur esse fauorabiliter interpretandam.

f Cap.ab exordio.35.dist. le. si vnius.§. pactus ne peteret. ff. de pact.

Quò fit, vt videatur resoluendum, quod in casu presenti non habeant locum præfatæ duæ constitutiones. Tum quia tamquam exorbitãtes à iure communi debẽt restringi.[g] Tum quia per hoc res in sua pristina natura conseruatur, quod est fauore dignum, vt prædictum est.

g Reg.quæ à iure.lib.6.

3 Tum quia non fuit in loco præfato nisi semel positus collector: & ita non potest dici, quod ibi consueuerunt poni collectores: quia ad hoc, vt aliquid dicatur consuetũ, est necessarium quòd saltem bis sit factum, secũdum omnes per l.3.[a] immo etiam ad hoc, vt dicatur solitum, vt efficaciter probat Philippus Decius,[b] contra Bartholum.[c] Tum quia verba præfatæ tertiæ extrauagantis concipiuntur in numero plurali ibi, *In quibus collectores præfati deputari, seu esse non consueuerant.* & pluralis locutio saltem duo requirit.[d] Tum denique quod licet vnus actus sortitus effectum habens causam successiuam, multo tempore continuatus faciat dici rem consuetam, iuxta textum singularẽ in cap.*cum de beneficio*,[e] cõstitutio tamẽ collectoris, de qua in casu proposito, non fuit sortita effectum, neque continuata, vt in facto proponitur, &c.

a C.de episco. audien.
b In rubr.de consuet.
c In leg. item mala.ff.de alim.& cib.& leg.
d Ca.pluralis.de reg iu. li.6.cum concordant.
e De præb.li.6.

*SVMMARIVM.*

*1 Clericatus ad hoc vt dicto vnius probetur, requiritur vt deponat se vidisse illum ab Episcopo ordinari, sed nec sufficit, si agatur de tertij præiudicio: sed & coniectura procedens ex eo, quòd pileum clericorum gestaret, & cantaret in choro, est debilis, cùm multi laici id faciant. nu.4.*

*2 Clericus in minoribus non beneficiatus licitè potest exercere ea omnia, quæ licet laicis: immo & in sacris cõstitutus, ad se & suos honestè sustentandum, potest aliquam honestam exercere negotiationem. Vnde nec bona, quæ sic quæsita morientes relinquũt, sunt spolium Cameræ Apostolicæ reseruatum. nu.3.*

## CONSILIVM V.

N. Prætensus clericus negotiationem ad se suósque sustentandum exercendo aliqua bona mobilia & immobilia sua industria sibi comparauit: post cuius mortem spoliorum commissarius prætendit illa esse spolia, & consequenter ad Cameram pertinere, probando per vnum testem, qui erat prædicti N. inimicus, ipsum fuisse clericũ, & per alios multos, quod gestare solebat pileum rotundum, & canebat in choro Ecclesiæ. Quæritur, quid iuris.

1 Quod bona præfati prætensi clerici non sint spolia, neque ex eis debeant illa colligi, facit primò, & quidem, peremptoriè, quòd non probatur fuisse clericus, vt in facto proponitur: quandoquidem nullæ literæ suæ ordinationis ostenduntur, nec ex confessione ipsius, qui iam mortuus est, potest id constare: & quòd solus vnus testis dicitur id affirmare, quod nihil prodest. Tum quod oportet vt dicat se vidisse illum ordinari ab Episcopo, quod raro contingit in ordinatione primæ tonsuræ. Tum quod dicitur esse inimicus, & ita non est ei credendũ.[f] Tum quod testimonio vnius, quantæcũque sit dignitatis, in preiudicium tertij nõ creditur.[g]

2 Secundo, quod omnis clericus nondum ordine sacro initiatus, & carẽs beneficio, potest sine vllo peccato exercere omnia illa, quæ potest laicus, vt tradit Panormitan.[h] & nos latius declaramus in Manu.confess.[i] at præfatus assertus clericus nullo sacro ordine erat initiatus, neque beneficiatus: ergo potuit negotiari, mercari, ferre arma, & facere alia, quæ alius laicus, & consequenter nõ possunt eius bona capi ratione negotiationis: & certè in Hispania & Gallia Reges defenderent illum, ne vocaretur super hoc ab vllo iudice Ecclesiastico.

f Ca.cum P. de accusat. c. per tuas. de simon.
g Cap.cum à nobis.de testi.
h In cap.1.& 2.de postulã.
i Cap. 25.nu. 210.

3 Tertiò quòd etiam clericus in sacris constitutus potest exercere negotiationem aliàs honestam, ad se & suos honestè sustentandum, iuxta glossam,[k] quam etiam nos ad hoc citamus, & sequimur vbi supra: & in facto præsupponitur eum vsum fuisse aliqua viuendi arte honesta ad se suosque sustentandos, ergo, &c.

k In c.peruenit.87. dist.

4 Quartò, quòd debilis coniectura est gestatio pilei rotundi ad probandum clericatum: cùm plurimi laici etiam coniugati illum vbique gentium deferant, præsertim ij, qui sunt cursores, & in choris Ecclesiarum solent officia diuina cantare, quod fecisse, dum viueret, præfatum clericum in facto proponitur. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

*1 Fiscus nec etiam in vita delinquentis aliquid consequi potest, si vltra fideicommissum concurrat alienandi prohibitio.*

## CONSILIVM VI.

AN succedat fiscus in bonis prohibitis alienari, si vsufructuarius damnatur propter maleficium patratum, & facinus commissum?

1 Respondeo, quod non, etiam quo ad vitam prohibiti iuxta l. *Statius*:[a] quia passim admittunt Doctores, quod vbicumque vltra fideicõmissum concurrit alienandi prohibitio, fiscus nec in vita delinquentis aliquid consequi possit, vt post Bartholum, Paulum, Alexandrum & Angelũ tradit Crotus,[b] Ripelũ,[c] Cũrtius Iunius.[d] Roland. consf. 98. nu.[e] Peronius,[f] Bossius,[g] Iulius Clarus testans de cõmuni,[h] Alexander,[i] Ruinerius.[k]

a §. *Cornelio. ff. de iur. fisci.*
b *In l. filiusfamil. §. diui. nu. 36.*
c *Nu. 47. versic. item expressa. de leg. 1.*
d *In consil. 220. num. 11. e 19. li. 2.*
f *Quæsti. 41. nu. 5.*
g *De bonis publ. nu. 34. in pract. crimina.*
h *In sua pra. crimin. in §. fin. li. 5. q. 78. vers. itẽ quæro numquid in confiscatione.*
i *In consi. 23. nu. 3. li. 1.*
k *Consi. 124. nu. 5. li. 2.*

SVMMARIVM.

*1 Fructus beneficiorum inter successorem & prædecessorem debent secundum communem diuidi, prout inter proprietarium & vsufructuarium finito vsufructu fit, seu inter fideicommissarium, & eum cui hæreditas cedente die fideicommissi restituitur. nu. 5. & sic præcessor debet habere fructus, qui repetiuntur collecti, vel cœperunt deberi ante eius obitum, reliqui spectant ad successorem. num. 7. & hoc dummodo in loco non adsit alia particularis consuetudo, vel statutum. num. 1. quia hæc sunt primo loco attendenda. nu. 4.*

*2 Anni initium variè secundum diuersas materias, regiones, & prouincias computatur. & nu. 6.*

## CONSILIVM VII.

A Nno Domini 1571. de consensu bon. mem. Card. Vuarmiensis fuit deputatus in episcopatu Vuarmiensi auctoritate Apostolica cum futura successione coadiutor N. cui fuerunt reseruata omnia incerta iura, & emolumenta dicti episcopatus. Reliqui reditus certi, qui in censibus annuis à colonis dicti episcopatus certis anni festiuitatibus persolui solitis consistunt, per eumdem Cardinalẽ, seu eius œconomum exigebantur, vt priùs, & fuerunt exacti vsque per totum annũ 78. Demum, sicut Domino placuit, quinta Augusti anno 79. Cardinalis decessit.

Quæritur, num census anni 79. qui proximè mensibus Septembris, Octobris, Nouembris, & Decembris exacti sunt, vsque ad diem obitus pro rata parte Cardinali, vel eius hæredibus debeantur.

1 Pro huius decisione præsupponendum primò, quòd circa diuisionem fructuum beneficiariorũ faciendã inter prædecessorem & successorem tres opiniones sunt. Prima communis, quã tenet glossa,[l] prout habet Couarruuias,[m] qui citat multos, qui apud eum videri possunt, quam etiã nos sequimur in tractatu de red. eccles.[n] quæ habet diuisionem eorum esse ita faciendam inter eos, ac inter vsufructuarium & proprietarium finito vsufructu, de qua in l. *si vsufructuarius*.[o] Secunda est, quæ habet esse faciendam, ita vt debet fieri fructuum rerum dotalium inter maritum & vxorem facto diuortio, vel inter hæredes eorum, de qua traditur in l. *de diuisione*.[p] Tertia, quã nos insinuauimus vbi supra, quod est facienda secundum statuta & consuetudines prouinciæ, & episcopatus.

l *Cap. si propter. de rescr. li. 6.*
m *L. 1. ca. 15. var. resol.*
n *qu. 2. mon. 13.*
o *ff. quibus mod. vsufruct. amitta.*
p *Et l. diuortio. ff. solutio. matrim.*

2 Secundò, quòd annus fructuum, de quorum diuisione dubitatur, in varis regionibus vel prouinciis varium principium habet: nam alicubi incipit à die Circũcisionis, alicubi à festo Diui Martini, & quod aliter incipit annus fructuum diuidendorum quo ad diuisionem faciendam inter virũ & vxorem, vel hæredes eorũ, facto diuortio, & aliter quo ad diuisionem fructuum diuidendorum inter præcessorem & successorem beneficij.

3 Quo ad hanc enim incipit à die præstituto à lege, statuto, vel cõsuetudine, licet varia variarum regionum, quo ad illam autem incipit à die traditionis fundi, vel prædij dotalis, vt patet ex l. prædicta *de diuisione*. ff. sol. matrim.

4 His præsuppositis, respondeo primò, quod constitutiones, siue statuta, & consuetudines prouinciæ, vel episcopatus Vuarmien. si quæ sunt, debent seruari, argumento,[q] & l. 2.[r] & notatorum in cap. *cum omnes*,[s] & in l. *omnes populi*.[t]

q *Cap. fin. de consue.*
r *C. quæ sit long. consuet.*
s *De constit.*
t *ff. de iusti. & iur. & in le. de quibus. ff. de legibus.*

5 Secundò, quòd cessante iure particulari, mihi videtur seruanda prima opinio, scilicet, quod debeat fieri diuisio fructuum inter præcessorem & successorem beneficij eo modo, quo est facienda inter vsufructuarium & proprietarium finito vsufructu,[v] amit. vel etiam inter fideicommissarium, & eum qui restituit fideicommissum, cedente die restitutionis faciendæ,[x] & consequenter præfatus Illustrissimus attento solo iure cõmuni deberet habere omnes fructus collectos, vel debitos ante suam mortem, & reliquos omnes successor eius, non habita ratione partis anni, qua vixit. Tum quia hæc est, vt dixi, communis ferè omnium opinio. Tum quia, vt nos diximus vbi supra, nullus textus, nec vlla ratio cogit, vt discedamus ab ea. Tum quia rationi omnium fortissimæ, quæ pro secunda opinione fieri potest, nos ibi respondemus, & ob id discessimus ab opinione præfati Couarruuias & aliorũ paucorum, qui dixerunt diuisionem præfatam esse faciendam instar diuisionis faciendæ inter virum & vxorem, vel hæredes eorũ, facto diuortio.

v *Præd. l. si vsufructuari. ff. quib. mod. vsusfruct.*
x *Le Herennius. ff. de vsur.*

6 Tertiò, quòd annus vario modo circa varias materias & varia proposita incipitur: nam annus, quem aliqui appellant legalem, & apponitur instrumentis notariorum, secundum vsum Romanum, & Hispaniæ, incipit à Natiuitate Domini, & in Gallia, & Anglia à die Annunciationis, vt tradit Speculator,[a] & Rota.[b] Cùm autẽ statuitur annus ad aliquid faciendum, cõputatur à die, quo potest, vel debet incipere illud, vt est in cap. *cum sit Romana*,[c] & aliis similibus & quo ad diuisionem fructuum inter virum & vxorem, facto diuortio, incipitur à die traditionis fundi dotalis,[d] & quo ad diuisionem fructuum inter Episcopum vel alium habentem priuilegium accipiendi fructus primi anni beneficij vacãtis incipit à die vacatiõis, vt dicit glo.[e]

a *In titul. de instru. editi. colum. 1.*
b *Decisione 3. & 4. de iud. in nou. & 17. eodem in antiq. & 2. de verbor. signi. in antiq.*
c *De appell. l. ita vulneratus. ff. ad le. Aquil.*
d *Le. de diuisione. ff. soluto matrim.*
e *In cã. si propter. verb. primi anni. de rescript. li. 6.*

7 Quo ad diuisionem autem faciendã inter præcessorẽ & successorem beneficij non videtur iure communi cautum, à quo tempore incipere deberet, immo nec videtur necessarium id inquirere, vel scire, secundum opinionem, quam sequimur, scilicet, quòd diuisio debeat fieri inter eos, ac inter vsufructuarium & proprietarium: quia secundum illam præcessor debet habere fructus, qui fuerunt collecti, vel cœperunt deberi intra tempus, quo ipse habuit beneficium, & reliquos successor. Secundum autem alteram opinionem, quæ tenet illam faciendam, vt debet fieri inter virum & vxorem facto diuortio, debet incipere à die acquisitionis beneficij, vel vacationis eius, aut à die statuto per constitutionem, vel consuetudinem particularem, secundum quam, vt prædiximus, alicubi incipitur à Kal. Ianuarij, alicubi à die omnium Sanctorum, vel Beati Martini; sed, vt prædixi, hæc inquisitio non est necessaria iure communi, secundum communem opinionem, quam sequimur, quam etiã in monit. 13. fuimus sequuti. Salua, &c.

SVMMARIVM.

*1 Fructus beneficiorum separati à solo, etiam non exacti, de iure spectant ad beneficiarium Romæ defunctum, & eius legitimos hæredes, quales in foro conscientiæ non sunt diuites, nec in vtroque foro illegitimi: nec Episcopus de eis potest disponere: licet morientium extra Vrbem sint iure communi reseruati Cameræ Apostolicæ per bullam de spoliis. nu. 2.*

## CONSILIVM VIII.

A D quæstionem respondetur primò, quod iure cõmuni fructus beneficij collecti, vel à solo separati nondum exacti pertinent ad beneficiariũ, vel ad iustos hæredes eius, & non ad dispositionem ordinarij, qui nihil potest disponere de illis vltra id, quod ei iure reseruatur. Dixi, *iustos hæredes*, quales non essent illegitimi, vt statuit Pius V. in extrauagante *quæ ordini*. relata à nobis in comment. de spoliis,[f] neq; alij homines profani diuites quo ad forũ conscientiæ, vt diximus vbi supra, super bulla Iulij III.[g]

f §. *19. nu. 1.*
g §. *6. nu. 3.*

2 Et ita nihil potest de illis disponere ordinarius, neque Papa disponit: quia licet spolia pertineant ad eum iure cõmuni, per bullam tamen prædicti Iulij III. spolia morientium in Romana Curia pertinent ad hæredes prædictos.

SVMMARIVM.

*1 Intellectus cap. 16. sess. 25 de regularibus, Concilij Tridentini.*
*1 Religionem ingresso, & ante professionem exeunti, vel morienti donata restituuntur ex decreto Concilij Tridentini.*
*1 Monasterij non fiunt bona morientis ante professionem.*

## CONSILIVM IX.

A N decretum Concilij Tridentini,[h] dum disponit, quod monialibus abeuntibus ante professionem omnia restituãtur, procedat etiam in morientibus ante emis-

h *Sess. 25. ca. 10. de regul.*

ſam profeſsionem, an verò, quæ data ſunt, remaneant monaſterio?

1 Reſpondeo affirmatiuè, quod illud decretum perinde habet locum in monachis morientibus ante profeſsionẽ, ac in abeuntibus ante illam. Tum quia etiam morientes dicuntur abeuntes, iuxta illud Terentij in Phormione, *ea mortem obiit, & de medio abiit.* Tum quia eadem ratio eſt de abeunte per mortem, & de abeunte per exitũ: ratio enim, quare abiens per exitum debet habere ea, quæ dedit ante profeſsionem, eſt, quod ante illam non erant facta monaſterij, ſecundum omnes: & conſtat ſecundum pleroſque omnes, quod ea quæ morientis erant ante profeſsionem, non fiunt monaſterij, vt latius tradimus nos poſt alios in commen. 2. de reg.[a] vbi ſcribuntur alia neceſſaria quo ad confirmandum hoc reſpõſum, quæ quia ibi videri poſſunt, fruſtra hic infererentur. Salua, &c.

a Super cap. non dicatis. 12. q. 2. num. 49. & ſeq.

## DE SEPVLTVRIS.

### SVMMARIVM.

*1 Sepulturæ eccleſiaſticæ locus poteſt ab eo, cui cõpetit libera facultas ad ſepulturam in ſua Eccleſia admittendi, concedi alicui, ad effectum, vt ei liceat mortuos ſuos ibi ſepelire. Quod ſi velit ita concedere, vt alij non poſsint ibi ſepeliri, requiritur eadem ſolemnitas, quæ in alienatione rei Eccleſiæ. loci autem dominium, cùm ſit ſacer, nullo modo poteſt in alterum trãsferri. idem etiã dicitur de conſtructione ſepulchrorum. nu. 3.*

*2 Exempti regulares, eorumve loca non comprehenduntur conſtitutione Epiſcopi, etiam facta in Concilio prouinciali.*

### CONSILIVM I.

QVæritur, an conſtitutio Concilij prouincialis, ne ſepulturæ locus quouis nomine cuiquã detur, neve ſepulchra fiant in vlla quauis Eccleſia ſine Epiſcopi conſenſu, valeat, nec ſit hoc decretum contra regulares mendicãtes exemptos, & alios qui habent priuilegia ſepeliendi in Eccleſiis ſuis.

1 Ad has quæſtiones videtur dicendum in primis, quod locus ſepulturæ dari poteſt tribus modis. Primò, vt is, cui datur, fiat dominus eius. Secundo, vt habeat ius ſepeliendi in eo mortuos ſuos, & impediendi, ne alij ſepeliant in eo. Tertio, vt poſsit ſepelire aliquem in eo, vt ſatis videtur colligi ex textu in cap. *abolendæ*, [b] & notatis per Innocentium, Panormitanum & alios ibi, & ex clem. *dudum*, [c] cum ei annotatis per Card. & alios.[d] Secundo, dicendum, quod primo modo nulli poteſt dari locus ſepulturæ e tiam cum auctoritate Epiſcopi: quia rei ſacræ dominium nullus poteſt habere, [e] & quod ſecundo modo non poteſt dari ſine auctoritate Epiſcopi, neque cũ illa ſine iuſta, cauſa & ſeruata forma in alienandis rebus Eccleſiæ ſeruanda: quia licet per illum modum non transferatur rei dominium, non transfertur tamen vſus eius, & quoddam ius ſepeliendi: quod fieri nequit, niſi ſeruatis canonibus de non alienandis rebus Eccleſiæ, de quibus capit. *ſine exceptione.* [f] Tertio verò modo poteſt dari à quolibet habente liberam ſepulturam, vel ius admittendi ad ſepulturam in ſua Eccleſia, per prædictam Clementinam & ei adnotata, ſine auctoritate ſpeciali Epiſcopi per auctoritatẽ quam habet à iure cõmuni, vel priuilegio aliquo legitimo.

2 Tertio dicendum, quod prædicta cõſtitutio nihil prçiudicat exemptis, cùm Prouincialis non ſit ſuperior eis, & extra ſuum territorium ſua lex non ligat.[g]

3 Quarto, quod idem videtur dicendum de conceſsione facultatis faciendi, vel conſtruendi ſepulchrum, quod dictum eſt de ſeruando modo dandi alicui locum ſepulturç, cum de ſimilibus idem debeat eſſe iudicium. [h] Salua, &c.

b De ſepult.
c §. huiuſmo.
d De ſepult.
e L. inter ſtipulantem. §. ſacram. ff. de verbor. oblig. & §. ſacra. Inſtit. de rerum diui.
f 12. qu. 2. & capi. nulli de reb eccle. non alien.
g Ca. 2. de cõſtitu. lib. 6. & l. fi. ff. de iuri. dict. omniũ iudic.
h Le. illud ff. ad l. Aquil c. dudum. 2. de elect.

### SVMMARIVM.

*1 Sepulturam filio impuberi nec viuo, nec mortuo eligere poteſt pater, niſi conſuetudo aliter ſe habeat, & nu. 4. licet ipſe teneatur ad funeris expenſas, poſsitq; pro eo inſtitutiones & ſubſtitutiones facere. nu. 2.*

*3 Sepulturæ electio eſt quid ſpirituale: ad quæ in filium non ſe extẽdit patria poteſtas, eſtq; actus vltimæ voluntatis, vnde vſque ad mortem poteſt mutari. nu. 5.*

### CONSILIVM II.

QVæſitum eſt, an valeat electio ſepulturæ facta à patre ſibi, & familiæ ſuæ, omnibus viuentibus, in Eccleſia fratrum Prædicatorum, omiſſa Eccleſia, in qua alias de iure erat ſepeliendus, ita vt eius filius impubes, qui poſtea mortuus eſt, ſit ſepeliendus in ea.

1 Reſpondetur, quòd non, ſi conſuetudo terræ non habet vt pater poſsit eligere ſepulturam filio impuberi, per capitulo *licet.* de ſepult. libr. 6. vbi eſt caſus de hoc expreſſus.

Contra quam tamen reſponſionem videntur facere quatuor. Primum opinio Vincentij Lapi, Goffredi, & Hoſtienſis, quos ait Dominicus,[a] contrarium tenuiſſe, ſcilicet quod pater poteſt impuberi filio eligere ſepulturam, etiam ſi conſuetudo id non haberet.

2 Secundò argumenta, quibus illi Domini mouebantur, ſcilicet, quòd pater poteſt facere filio impuberi teſtamentum, [b] & ſubſtituere illi etiam in bonis maternis, [c] & tenetur facere impenſas eius funerales.[d] Tertiò, quod eadem vel maiore ratione videtur poſſe illi eligere ſepulturam, quam facere prædicta tria, cùm videatur minus præiudicialis. Quartò, quòd prædictum capit. *licet* ſolum videtur loqui de patre eligente ſepulturam filio impuberi mortuo: & in caſu propoſito videtur agi de patre eligente ſepulturam filio impuberi viuo.

Sed ad horum primum reſpondetur, quod prædictorum Doctorum citatorum opinio fuit correcta in prædicto capit. *licet.* quod ipſi non viderunt: quia fuit compoſitum à Bonifacio VIII. ante quem ipſi ſcripſerunt, vt videre eſt in nomenclatura ſcriptorum eccleſiaſticorum.

3 Ad ſecundum autem reſpondetur, quod, licet laborauerint Doctores in reddenda ratione, cur pater poſsit facere filio impuberi tria prædicta, & non eligere ſepulturam, niſi conſuetudo terræ id habeat, vſque ad Ioannem Immolenſem, poſt eum tamen facilè reddiderũt eam Dominicus & Francus, ſcilicet, quod prædicta tria, quæ poteſt facere pater filio impuberi, ſunt temporalia: eligere autem ſepulturam eſt quiddam ſpirituale, & conſtat patriam poteſtatem non extendi ad ſpiritualia filij, ſicut ad temporalia eiuſdem, per cap. *ſi annum.* [e] Per quod ſoluitur etiam tertium, quod fundatur in rationis identitate, cùm per hoc appareat eſſe longè diuerſum.

4 Ad quartum autem reſpondetur negando, quod prædictum cap. *licet.* debeat reſtringi ad patrem eligentem ſepulturam filio impuberi mortuo, & non extendi ad patrem eligentem illam filio impuberi viuo. Tum quia generaliter loquitur de patre eligente ſepulturam filio impuberi, non ſe reſtringendo ad mortuũ, neque viuum, & ita eſt intelligendum generaliter de viuo, & mortuo.[f] Tũ quia non poteſt dari ratio, cur pater poteſt eligere plus viuo, quam mortuo: immo in vtroque caſu vt plurimum eligitur ſepultura morituro, antequam moriatur. Tum quia magis prohibetur electio ſepulturæ viuo, quàm mortuo, argumento cap. 1.[g] quatenus grauiſsimè prohibet, ne quis viuus inducatur ad eligendum ſepulturam ſub voto, vel iuramento, vel promiſsione de non mutãdo illam electionem.

5 Tum quod electio ſepulturæ eſt actus pertinens ad vltimam voluntatem, vt aiunt Doctores, præſertim Dominicus, & Francus, [h] & poteſt vſque ad finem vitæ reuocari, ſicut vltima voluntas, iuxta cap. *vltima voluntas,* [i] & ita qui eligit ſepulturam viuo, eligit in effectu mortuo, cùm non ſit ante mortem ſepeliendus, cúmque poſsit illa electio ante mortem reuocari: quandoquidem teſtamenta, & vltimæ voluntates morte confirmantur. [k]

a In d. c. licet.
b Ca. ſi pater. de teſta. li. 6.
c Leg. 1. ff. de vulg.
d Le. filius ff. de in rẽ verſ.
e De iudic. li. 6.
f Argu. le. de pretio. ff. de public. in rem act. ca. ſolita. de maior. & obed.
g De ſepult. li. 6.
h In d. ca. licet.
i 13. q. 2.
k Capit. cum Martha. §. cæterum. de celebra. Miſſ.

### SVMMARIVM.

*1 Sepeliri debet in loco ſacro extractus de ventre matris, ſi ſit, licet non ſolemniter baptizatus, perinde ac quilibet alius ſolemniter baptizatus, cùm aquę & tantùm ſacramentum recipiat vnus, ac alter.*

*2 Sacramentalia vt Catechiſmus, Exorciſmus non conferunt gratiã ex opere operato.*

### CONSILIVM III.

AN infans baptizatus rectè intra vel extra eccleſiam ſine ſolẽnitate ſolita, moriẽs antequã illa ſuppleatur,

poſsit

posit iustè in Ecclesia vel cœmeterio sepeliri cum cruce & aliis solitis adhiberi sepulturæ infantis solemniter baptizati?

1 Respondeo, quòd sic. Tum quia id colligitur ex Hostiensi in summa, [a] quatenus habet, puerum ex ventre matris mortuæ extractum sepeliēdum esse in loco sacro, si extractus fuerit baptizatus; & certum est eum intellexisse de baptizato in necessitate sine solita solemnitate; nec est qui contradicat ei. Tum ob illam firmissimam rationem, quod standū est regulæ, nisi probetur contrariū.[b] At regula est, quod omnis Christianus debet in loco sacro sepeliri, [c] & cōstat præfatum puerū esse Christianū, & charactere Christian. insignitū per c. *quēadmodū.*[d] & nullo iure speciali prohibetur, quòd nō posit & debeat sepeliri cum solemnitate crucis & luminariis, instar aliorū infantium baptizatorum solemniter. & probatur ea ratione insolubili, quod is tam Christianus est, quàm ille, & quòd tantam gratiam sacramentalem habet, sicut ille.

2 Nam sacramentalia non conferunt gratiam ex opere operato; quia id sola sacramenta efficiunt, secundum omnes, [e] & puer sine solemnitate baptizatus tantùm sacramentum percipit, quantùm solemniter baptizatus: quia exorcismus, & alia quæ fiunt in baptismo solemni, non sunt sacramenta, sed solùm sacramentalia, quæ Ecclesia fieri præcipit, secundum S. Thomam & alios; [f] est etiam tanto Christianismi charactere insignitus hic, ac ille: ergo non est cur non debeat sepeliri, vt Christianus, quemadmodum ille. Salua, &c.

a De consecr. eccl. §. & an sit.

b L. 1 ff. de regu. iur. gloss. in leg. omnis definitio. eod. tit. & in rubr. eodem tit. lib. 6.

c Arg. ca. ecclesiam. de cō secr. dist. 1. & toto tit. de sepult. i decret. 6. & clem.

d 37. q. 7.

e In 4. dist. 1.

f In 4. dist. 1.

*SVMMARIVM.*

1 *Excommunicatus ob debitum, si moritur contritus, coram Deo est absolutus; secus coram Ecclesia: quia ante absolutionem non est sepeliendus in sacro: absolutus autem etiam à parocho, & sepultus, non est exhumandus, sed hęredes cogendi vt satisfaciant num. 1.*

2 *Absolutio ab excommunicatione, quam morituro dat paroch⁹ prodest etiam quo ad forum exterius.*

## CONSILIVM IV.

AN excommunicatus propter debitum descendens ex delicto, vel contractu; mortuus ante solutionem, debeat sepeliri in sacro, vel sepultus debeat exhumari, cū ante mortem ostenderit signa contritionis.

1 Respondeo, quod etiam si huiusmodi excommunicatus ante mortem ostendisset signa cōtritionis, & non fuisset absolutus à parocho, non erat sepeliendus in loco sacro, donec obtineretur absolutio ab eo, à quo sanus debebat absolui: absoluendus enim erat ab eo, qui eum sanū posset absoluere, vt est casus in c. à nobis 2. de sent. excō. per quem textum à contrario sensu, & in c. fi. [g] in sensu directo probatur, quod, qui non solùm monstrauit signa cōtritionis, sed etiam fuit absolutus à parocho, potuit in sacro sepeliri, & aliis suffragiis Ecclesiæ iuuari. vnde in casu præsenti possunt hæredes mortui cogi ad satisfaciendum eis, quibus ille debitor erat ex maleficio, vel contractu, per præfata duo iura.

2 Scio tamen posse aliquibus moueri scrupulum super probatione huiusmodi absolutionis, quòd illa solum forū conscientiæ spectare videatur: cum dictum c. fi. loquatur de absolutione in forma Ecclesiæ. Item quod per aliquot bullas Apostolicas & iobelæa datur potestas absoluendi; quæ tamen non prodest, nisi quo ad forum conscientiæ, si aliud in eis non exprimitur: ex quo clarè significāt, absolutionem per contritionem contingentem sufficere quo ad Deum; absolutionem autem, quæ fit per presbyterū, sufficere etiā quo ad forū exterius: quod & nos diximus in Ma. [h] Hi tamē scrupuli satis tolluntur ex eo, quod præfata duo cap. ponunt differentiā inter absolutionem quo ad Deum per solam veram contritionem, & eam quę fit per sacerdotem post contritionem. Itaque concludo, non esse exhumādum istum mortuum, sed hęredes eius compellendos ad satisfaciendum.

g De sepult.

h Ca. 26. nu. 31.

*SVMMARIVM.*

1 *Immunis à peccato est, qui post Concilium Tridentinum sepelit excommunicatum, & interdictum absolutum: tamen in articulo mortis à simplici sacerdote: Item & excusandus est qui ante Concilium Tridentinum bona fide idem fecisset. n. 3. quod si non erat adhuc denunciatus, poterat etiam non absolutus sepeliri ex beneficio extrauagantis ad euitanda. n. 2.*

## CONSILIVM V.

AN qui sepelierunt mortuum excommunicatū, vel interdictum, absolutum in articulo mortis à simplici sacerdote, peccauerint?

1 Respondeo primò quòd non, secundum sententiam, quam aliàs tenendam diximus post Concilium Tridentinum.[a] Præterea quia; vt in c. fi.[b] probatur, qui non solū monstrauit signa contritionis, sed etiam fuit absolutus à parocho, potest in sacro sepeliri, & aliis suffragiis Ecclesiæ iuuari.

2 Secundò, quòd idem est dicendum secundum antiquiora iura, si mortuus excommunicatus, vel interdictus, nondum erat denunciatus: quoniam communicans excōmunicato, vel interdicto viuo, vel mortuo, nondum denūciato non peccat, per extrauagantem Martini V. relatam à nobis fideliter in nostro Man. confess.[c]

3 Tertio, idem esse dicendum, si erat denunciatus absolutus in articulo mortis ab aliquo sacerdote simplici etiā secūdū antiquiora iura, si bona fide id fecerunt: quia probabiliter credere potuerunt sufficisse absolutionem simplicis sacerdotis, cùm iura ipsa dicāt eam sufficere sine limitatione. Fundamentis alterius opinionis satis responsum est ibi, ad effectum probabiliter credendi illum fuisse bene absolutum, quod sufficit ad excusandum à peccato trāsgresionis legis humanæ malè: sed bona fide intellectæ, per dictum singulare Innocentij, [d] & allegata per Felinum.[e]

a Sess 14. c. 7.

b De sepult.

c Ca. 27. nu. 34. & sequē.

d In cap. per tuas. & in c. 2. de simonia.

e In c. 1. fall. 7. de re iudic.

*SVMMARIVM.*

1 *Contritus mori in dubio non præsumitur, qui moritur in actu peccati: vnde nec debet Ecclesiasticæ sepulturę tradi. num. 4.*

2 *Sepeliri regulariter debet omnis, qui in Quadragesima confessus est, & in Paschate communicauit, nisi constet eum in peccato mortali mortuum fuisse.*

2 *Meretrix olim quę fuit, si in Paschate communicauit, reperta in domo olim amasij nocte ab amasio occisa, in dubio debet præsumi mortua non in actu peccati, sed cōtrita: vnde & sepelienda.*

3 *Occiduntur cùm aliqui, vt mulieres ob incontinentiam à propinquis, vel etiam aliter, in dubio prę sumuntur inuocato nomine Iesu, & sic contriti mortui; vnde & sepeliendi.*

## CONSILIVM VI.

AN priuari debeat sepultura ecclesiastica meretrix, quæ in Paschate confessa est, & communicauit, & modo reperta fuit innumeris vulneribus cōfossa, & mortua in domo cuiusdam sui amici; nullóque pacto constare potest, quod mortua fuerit contrita, vel cōtritionis signa dederit, cùm id nocte acciderit, & clauso ostio: certum tamen est illam ab illo amico iugulatam fuisse.

1 Respondetur neruosè vrgere pro parte affirmante c. *fures.*[f] quatenus probat, furem, qui furando occiditur, & latronem, qui prædando occiditur, nō esse sepeliendos in sacro. ex quo Ioannes Andreas & Ioannes ab Anannia, referunt, eum, qui verisimiliter moritur in peccato mortali, non esse sepeliendū in loco sacro: & pręfata meretrix videtur mortua meretricando: quia fuit mortua in domo amici sui carnalis delata ad eam ab illo; vt meretricaretur cum illo, & postea fuit ab eodem occisa; & vt aiunt Panormitanus & Anannia,[g] non præsumitur in dubio mori contritus, qui moritur in crimine: & præfata misera fuit in crimine occisa.

2 Pro parte autem negāte facit primò, quod omnis, qui confessus est in Quadragesima, & communicauit in Paschate, sepeliendus est in sacro; nisi certis casibus, & nisi constet eum in peccato mortali mortuum fuisse, per resolutionem communiter receptam post glossam, [h] & præsupponitur præfatam meretricem fuisse confessam, & cōmunicatam in Paschate, & non est mortua in præfatis exceptis casibus, nec constat eam mortuam fuisse in peccato mortali. Tum quia non constat de mente, qua illam amic⁹ eius duxit in suā domū: quoniā licet verisimiliter crederetur illā duxisse ad meretricādū, si nō occidisset eā; quia tamem occidit, verisimilius credi potest deduxisse illā ad

f De furtis.

g In d. capit. fures.

h Ca. ex parte. 2. de sepul.

sumendã vindictam de aliqua iniuria, quam putabat iustè vel iniustè sibi fuisse factam. Tum quia verisimile est ipsum occisorem, cum Christianus esset, & ei communicaret Ecclesia, præmonuisse illam, vt se commendaret Deo, & doleret de peccatis suis: quoniam communiter id faciunt occisores vxorum suarum, & aliarum cognatarum, quas occidunt ferro clam propter earum delicta, & validum est argumentum à communiter accidentibus, si non constat de contrario.[a]

3 Tum quod verisimile est eam, quæ, vt prædictum est, confessa & communicata fuit, & non fuit mortua meretricando, siue meretricis officio fungendo, pronunciasse Iesum vel alia signa contritionis dedisse, dum ferro appeteretur, quæ sufficiunt ad exhibẽdam præfatam sepulturam, dum non constat de contrario, vt habetur in ca. *à nobis*.[b] & tradimus nos latius in c. fin.[c]

4 Secundo facit, quod non obstat præfatum ca. *fures*. cũ adiectis ei à Panormitano & Anania: quia illa loquuntur de illis, qui furando, rapiendo, vel alias mortaliter delinquendo occiduntur: nos autem agimus de illa, quæ non præsumitur occisa meretricando, seu meretricis officio fungendo; sed quia fecit prius aliquam aliam iniuriam amico suo, & forte denegando ei ad se ingressum; ita quod non fuit mortua in crimine, quod patrabat, sed pro aliquo alio, quod iam patrauerat, & cuius forte iam illam pœnituit: & ita non potest dici mortua delinquendo delictum quod patrabat tempore mortis; de quo loquitur glossa,[d] & omnes qui eam sequuntur. Per quas duas rationes tumultuariè libratas videtur nobis hæc pars negatiua verior. Salua, &c.

a Leg. neque natales. C. de probatio. & ca. in præsentia. eodẽ titu. cũ eis adnot.

b 2. de sen. ex commun.

c De pœnitẽt. dist. 7.

d Super d. ca. ex parte il. 2.

*SVMMARIVM.*

1 *Occidisse, etiam si reperiatur clauso ostio suspensus, nemo est in dubio præsumendus, vnde ei non debet ecclesiastica sepultura denegari, nisi sciatur quod seipsum occiderit.*

1 *Præsumptiones præsumptionibus eliduntur.*

## CONSILIVM VII.

QVidam monachus mane cõfessus, & absolutus à cõfessario, qui tota die, & vespera stetit lætus, fuit inuentus mane mortuus intra suam cellam, ostio clauso, habens laqueum pendentem ex collo, ipse autem non pendebat, nec omnino iacebat, sed quasi genuflexus extabat. Quæritur an possit, & debeat in loco sacro sepeliri.

1 Perpensis quæ narrantur in facto, & viso responso cuiusdã viri eruditissimi, iusti, ac religiosissimi super hoc prudenter & eruditè reddito, respondeo eiusdem opinionis esse me, cuius est ille, nempe, quod cadauer prædicti monachi potuit & debuit in loco sacro sepeliri, & quod malè fuit sepultum in loco profano; & consequenter potest & debet transferri ex loco illo profano, in quo fuit sepultus, & inferri in locum sacrum, propter ea quæ præfatus vir eruditissimus citat in suo responso partim accepta à viro eruditissimo Couuarruuia auditore olim nostro in Academia Salmanticensi feruentissimo,[e] & alia; quæ de suo addit, quæ confirmari possunt illa firmissima ratione, quod regulariter omnis Christianus debet, si fieri potest, in loco sacro sepeliri, iuxta textũ & glossam,[f] nisi in casibus exceptis. Nec obstat capi. *placuit*.[g] quatenus habet, seipsum occidentem carere debere sepultura: quia intelligendum est de illo, qui scitur esse occisus à seipso. at prædictus monachus non scitur esse occisus à seipso, nec præsumitur. Tum quia de nemine præsumendum est quod deliquerit,[h] præsertim tam grande delictum, & tã abominabile conditioni & inclinationi humanæ, & maximè de confesso, absoluto, & communicato eodem die. Vnde mulier cadẽs de cimba in fluuium iubetur sepeliri in loco sacro, etiam si fugiendo cecidisset; quia non præsumitur voluntariè ad se occidendam deiecisse.[i] Tũ quia indicia, quæ in contraria inducuntur, sunt exilia, & multis modis frangibilia. Ita intrepidè pars hæc tenenda est.

e In 2. to. re sol. li. 2. cap. 1. num. 11.

f Ca. ex parte, 2. de sepulturis.

g 23. q. 5.

h Le. merito. ff. pro socio. & c. 2. de regul. iur.

i Dicto ca. ex parte. 2.

*SVMMARIVM.*

1 *Cadauer trãsferens an teneatur gabellam pro illo soluere, possit ve illam fraudare, non est ita clarum: posset tamen Pontifex id solo verbo concedere, & sic transferens esset tutus in conscientia.*

2 *Debens aliquid conuenta mercede minori aliàs debita, animo fraudandi gabellam, sciente domino rerum, si adhibita in id ne detegatur mediocri prudentia, inopinato casu incidat in pœnas, non cogitur de suo soluere.*

## CONSILIVM VIII.

QVoniam cadauer, habita licentia, vt solet, superiorũ, Roma Mediolanum sine pompa transferendum est; quæritur, an si sub specie mercium deferatur, & gabellæ vel in statu Ecclesiæ, vel etiam extra eiusdem statum defraudẽtur, peccatum sit, & præterea maneat obligatio ad restitutionem, non obstantibus aut immemorata consuetudine, aut forte alicubi statutis de solutione in transuectione cadauerum.

1 An is, qui quoquo modo procurat, aut cooperatur in cadauere clam transuehendo; sciens certò fore, vt vector defraudet gabellas, acceptis solum 40. aureis; cùm alicubi, si non merces, sed cadauer deportari intelligeretur, vix centum aureis satisfieret, licet in scriptis Romæ concessa licentia transferendi ostenderetur, peccet, & restituere teneatur: & quid de curatore, vel exequutore testamẽtario, eo quod dederit 40. aureos ad cadauer clam deferendum, & præterea arcam ad fallendum aptissimam coëmerit, qua ossa ad patrium tumulum deportentur. Quid demum fieri possit commodè, & tuta conscientia, sine solutione gabellarum, aut portuum, cùm non videatur cadauer subiici his solutionibus.

1 Non miror, quòd vir vndequaque doctissimus dignetur super iis quæstionibus interrogare hominem vulgarẽ & à sua eruditione longè alienum: arbitratus fieri, vt quãdoque abscondantur sapientibus, quæ reuelantur paruulis. Quod hac in re non contigit; cùm, vt in cæteris, ita in ea nihil certi habeam, quod respondeam, præterquã quod didicerim à Iurisconsulto esse inciuile iudicare de lege, nisi tota ea perspecta: & quod non proponuntur videnda statuta terrarum, per quas præfatum corpus est transferẽdum, & an sint Papalia, an Ordinariorum, & an approbata à Papa, vel simplicia, & an contineant excommunicationem ipso iure latam; & an Superiores, quorum licentia deferendum est, possint ea tollere, & an sustulerint.

Secundo, quod in iure Pontificio nihil habemus super huiusmodi quæstionibus præter extrauagantem primam de sepulturis inter communes, quę tamẽ de sola exenteratione, & non de translatione cadaueris loquitur: neque glossa eruditissimi Ioannis Monachi quidquam huc pertinens habet.

Tertiò, quòd cùm simus Romæ, & S.D.N. facilè possit consuli, & peti ab eius Sanctitate, vt vel solo verbo, & secreto deroget omnibus statutis, si qua sunt, quæ hãc trãslationem impedire possint, petendum est ab ea. Quo habito, certum est præfatum cadauer posse transferri licitè coram Deo; & consequẽter coram ipso quo ad forum interius cessaturum omne peccatum transferentium, consulentium, & iuuantium.

2 Quarto, si præfato remedio petito, ij, quibus est onus transferendi illud, aliquo casu probabiliter ignorato, & non præuiso, inciderint in aliquas pœnas, non cogentur de suo soluere illas, tamquam qui prudenter negotia ipsi⁹ egerunt; licet casu qui prudentiam mediocrem excessit, improuiso non cesserit eis res ex sentẽtia, quæ apud prudentes erat probabilis, per multa, quæ in hoc adduci possunt. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Reliquiæ & corpora Sanctorum, quæ tradita sunt perpetuæ sepulturæ, vt etiam sunt reliquiæ inclusæ in altaribus cõsecratis, non possunt de vno altari seu loco transferri ad aliud etiam eiusdem ecclesiæ: quod si non sunt tradita perpetuæ sepulturæ, vt sunt quæ asseruantur in capsulis, & portantur in processionibus, possunt etiã extra ecclesiã ad alia loca trãsferri, nec subiacent dispositioni c. corpora. de consecrat. d. 1.*

## CONSILIVM IX.

AN illa verba,[a] *Corpora Sanctorum non transferantur de loco ad locũ sine licentia Principis*, cõprehendãt translationẽ de vno loco Ecclesiæ ad aliũ locũ eiusdẽ Ecclesiæ.

1 Respondeo primò, multa posse adduci pro vtraque parte quęstionis, quod nostræ occupationes non patiuntur. Secundo, quod verba prædicta non includunt trans-

a Cap. corpora. de consec. dist. 1.

lationem corporum nondum perpetuæ ſepulturæ traditorũ de vno loco Eccleſiæ ad alium eiuſdẽ eccleſię: quoniam non includunt etiam translationem de vna eccleſia ad alteram, per gloſſam tam per praxim, quàm per theoricam receptam,[a] quæ fundat ſe in l. *nec dum.*[b] Ergo à fortiori non includunt translationem de vno loco vnius eccleſiæ ad alium eiuſdem; & conſequenter non includent reliquias corporum Sanctorum, quæ manent extra ſepulturam perpetuam in ſacrario, vel aliis locis, vnde accipiuntur, & efferuntur frequenter ad proceſsiones, ſiue ſupplicationes publicas, vel priuatas Miſſas, vel alias deuotiones. Tertio, quòd verba prædicta includent corpora Sanctorum, & partes eorum, quæ deputatæ ſunt perpetuæ ſepulturæ, de vno loco eccleſiæ ad alium eiuſdẽ; quia non videtur negari poſſe ea non transferri de vno loco ad alium locum: quia non omnia loca eiuſdem eccleſiæ ſunt eadem loca, neque æquè honorabilia; immo ſunt maximę contentiones inter ſũmates, & mediocres, immo & infimates, alijs contendentibus ſua ſepulchra debere eſſe ſita propius altaribus maioribus, vel aliquorũ Sanctorum, quam alia aliorum, & aliis contradicentibus eis: cui conſequens videtur, reliquias vel partes illas Sanctorum, quæ ſunt incluſæ legitimè altaribus ad illorum conſecrationem, non poſſe mutari de illis ad alia ſine auctoritate legitima; quia videntur mutari de loco, cui iã ſunt illę perpetuę ſepulturæ deputatæ. Salua, &c.

a *In d. ca. corpora.*
b *C. de relig. & ſumpt. funer.*

SVMMARIVM.

1 *Conſentiens peccato alterius peccat mortaliter, vel venialiter, ſicut eſt peccatum cui conſentit, ſed non ſtatim ſequitur, vt debeat eadẽ pœna puniri. n. 5. niſi cõſentiat cooperãdo, vel nõ corrigendo, cùm ad id ex officio teneretur, vel auctorizando. nu. 2. & num. 5. ad 2.*

3 *Excommunicatio lata in facientem aliquid, non ligat conſentientem, nec deſiderantem ſolum, nec mandantem, conſulentem, approbantemve, nu. 5. niſi aliud exprimat num. 3.*

3 *Religioſi non tenentur ſcire leges extrarias ab eorũ inſtituto.*

3 *Cadauera laniare, vel exenterare præſumentẽ, vt de loco Chriſtianorum ad alium locum ſepeliẽdum portet, excõmunicat extrauagans 1. de ſepulturis cum mandatoribus, non tamen ligat ſuperiorem monaſterij aſsignantem defuncti propinquis locum; vbi hæc etiam eo præſente exequantur, ignorantem dictam pœnam, ac bona fide id præſtantem, num. 4. & 5. qui potuit iuſtè illam ignorare, & credere hoc licere. num. 6. & ſeq.*

4 *Ignorantia legis, vel ſtatuti excuſat ab excommunicatione, & ab alia pœna non ſolita pro ſimilibus imponi, etiam ſi ſit lata contra aliquod prohibitum lege diuina & naturali, & nu. 5. maximè ſi ſit poſita intra corpus iuris inter extrauagantes communes. num. 6. immo & ignorantia iuris non clari, etiam naturalis & diuini, excuſare poteſt à peccato mortali. num. 7.*

## CONSILIVM X.

Qvidã nobilis Hiſpanus mortuus eſt, cuius corpus à ſuis conſanguineis poſitum eſt in Eccleſia cuiuſdam monaſterij ſub nomine depoſiti, quo tempore congruo in Hiſpaniam transferre poſſent: cumque hoc facere voluiſſent, compertum eſt corpus non eſſe bene conſumptum, ſed male olere, quoniam adhuc caro oſsibus hærebat. Verum conſanguinei, volentes oſſa commodè transferre, decreuerunt carnẽ ab oſsibus ſeparare, & petierunt locum à Priore conuentus, vbi hoc commodè facere poſſent. Tandem Prior, ipſis morem gerere volens, extra clauſtra conuentus præbuit illis ſtabulum, in quo in feruenti aqua, igne ſuppoſito, fuit corpus poſitum: & caro (aliquantulum temporis Priore pręſente, qui ob fœtorem poſtmodum receſsit) fuit conſumpta, & ab oſsibus ſeparata. Modò dubitatur, an Prior ſit excommunicatus, cùm ex dictis videatur operibus illorum conſenſiſſe.

Reſpondeo: quoniã extra narrata in caſu propoſito relatum eſt nobis aliquos viros eruditiſsimos, & gymnaſtas in Academiis exercitatos reſpondiſſe, pæfatum Priorem non incurriſſe excommunicationem, petij eorum reſpõſa, quæ profectò magnopere voluiſſem legere, vt eorumdem ſententiam lętiſsimè ſequerer; ſed reſponſum eſt nõ haberi copiam eorum.

A 1 Quare reſpondeo primò, quòd contra Priorem facit primo illud Pauli, *Faciẽtes & conſentientes digni ſunt morte.*[a] & quod Prior prædictus conſenſit illi maleficio. Nam ex narratione caſus colligitur ipſum fuiſſe ſuperiorem ſtabuli, in quo delictum factum fuit, & aſsignauit illud ad opportunè illud faciendũ: & quod præſens fuit actui; etſi non toti, ſaltẽ parti eius: & quod, ſi voluiſſet poterat illum impedire, & prohibere, vti Superior monaſterij.

2 Secundo, quòd delinquenti videtur conſentire quis tribus modis, ad hoc vt puniatur ſicut delinquens, vt ait gloſſa prędicti ca. *notum.*[b] Primò, cooperando.[c] Secundo, non corrigendo; cum ex officio tenetur, & poteſt iuxta B cap. *error.*[d] ibi, *Error, cui non reſiſtitur, approbatur. Negligere quippe cum poſsis peruerſos, nihil eſt aliud, quàm fouere. Nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare.* Tertiò, cùm ſit eius auctoritate,[e] & prædictus Prior videtur cooperatus fuiſſe, aſsignando locum, & ſtabulum, & non corrigendo & impediendo delinquẽtes; cùm poſſet, immo & auctoritatem delinquenti præſtando.

3 Tertio facit, quod extrauagans Bonifacij I.[f] non ſolũ excommunicat facientem prædictum delictum, ſed etiã attentantem, & pertractantem corpora humana tam inhumaniter, & facientem pertractare, & conſequenter cõſentiendo per cooperationem vel auctorizationẽ, & difficilè iuſtè negari poteſt quòd prædictus D. Prior non attentauerit, vel non fecerit aliquid ad pertractandum ſic C inhumaniter corpus humanum, vel quod non auctorizauerit, ſeu poteſtatem præſtiterit illi actui.

Pro Priore tamen facit primò, quod lex excommunicãs facientem aliquòd delictum, non videtur includere ſolũ conſentientem in illo & deſiderantem vt fiat, ſi aliud nõ concurrat, vt colligitur ex capit. *cum quis*[g] adiuncto capit. *ſi quis ſuadente.*[h] & clem. 1.[i] cum gloſſa.

Secundò, quòd lex excommunicans facientẽ aliquod, non includit conſulentem, nec mandantem; niſi eadem lex, vel alia ſimilis, cuius auctor id facere poſsit, illud exprimat, vt nos tradidimus in Manua. confeſſ.[k] poſt Caietanum & alios.

D Tertiò, quòd non probatur ipſum ſciuiſſe tam exorbitantem pœnam eſſe à iure impoſitam faciẽti huiuſmodi delictum: & præſumitur ignorantia, vbi non probatur ſcientia,[l] & ignorantia legis excommunicantis videtur excuſare ab excommunicatione,[m] & quod religioſi non tenentur ſcire huiuſmodi leges de rebus ordini ſuo adeo extrariis diſponentes.[n]

4 Quartò, quòd lex puniens pręſumentem aliquid facere; non videtur includere facientem illud ſimplici animo & bona fide abſque dolo malo, iuxta doctrinam ſingularem Cardinalis,[o] quam poſt alios nos quoque applicauimus defenſioni eorum, qui ordinantur bona fide E ſimplici animo ante legitimã ætatem ordine ſacro, in repetitione ca. *accepta.*[p] Et prædictus Prior non conſenſit prædicto delicto dolo malo, ſed bona fide, putans id eſſe licitum.

Quintò, quòd excuſat ab excommunicatione ignorãtia ſtatuti imponentis pœnam illius, etiam pro facto de ſe illicito, per c. 2.[q] & quod idem dicendum eſt de excommunicatione impoſita per legem Papæ; præſertim quo ad forum conſcientiæ, vt nos dicimus in d. Manual.[r]

Sextò quòd licet ignorantia communiter nequeat eſſe iuſta circa legem naturalem, vel diuinam, quo ad eius diſpoſitionem; & quatenus eſt talis; poteſt tamen eſſe iuſta quo ad pœnam humanitus ſtatutam, ſi illa eſt excomF municationis, ſecundum Antonium,[s] pro quo eſt caſus in ca. 2.[t] immò etiam ſi ſit alia qualibet communiter non ſtatuta, eadem ratione, vt efficaciter defendimus in ca. 2.[v] pòſt S. Antoninum,[x] ſub finem, cui cõſenſit Angelus,[y] & Silueſter,[z] & Caietanus,[a] quod maximè procedit in foro conſcientiæ.

5 Septimo facit ratio noua, per quam proximũ pręcedẽs fundamentum defendimus neruoſiſsimè in d. Man.[b] ſcilicet, quod excuſatur quis per ignorantiam iuris ab omni pœna valde extraordinaria, & exorbitante, & præſertim ab excommunicatione per ſtatutum & legem generalem Papę lata, etiam pro facto de ſe illicito, quod ſcit eſſe illicitũ, ſed ignorat illã pœnam extraordinariam &

a *Ad Rom. 1. & c. notum. 2. q. 1. ca. 1 de offi. deleg.*
b *Verbo conſentientem.*
c *Cap. ſi quis Epiſcopus. 2. q. 1.*
d *83. diſt.*
e *Ca. qui alio rum. 24. q. 3.*
f *De ſepult. inter cõmun.*
g *De ſentent. excomm. li. 6.*
h *17. q. 4.*
i *De cõſang. & affin.*
k *Ca. 17. nu. 51.*
l *Ca præſumitur. de regul. iuris, li. 6.*
m *Cap. 2. de conſtitut. l. 6.*
n *Ca. non magno. ne cler. vel monachi. & c. 2. adiuncta gloſſa de poſtula.*
o *In clem. 1. de priuil. qu. 39.*
p *De reſtitu. ſpoli. oppoſ. 8.*
q *De conſtit. li. 6.*
r *Cap. 27. nu. 16.*
s *In ca. à nobis. 1. de ſent. excom.*
t *De conſtit. li. 6.*
v *De conſtit.*
x *3. par. titu. 24. ca. 33.*
y *Verbo ignorantia. §. 4.*
z *Verb. ignorantia. qu. 8.*
a *2. 2. qu. 76. art. 3. col. 2.*
b *Ca. 27. nu. 274.*

exorbitantem

exorbitantem esse impositam, vt ibidem videri potest ad multorum seruornm Domini consolationem.

Octauo facit, quod ad opposita responderi potest. Ad primum quidem concedendo, omnes, qui cōsentiunt alicui facto, quod est peccatum, & sciunt illud esse tale, peccare venialiter quidem, si est veniale, & mortaliter, si est mortale; & consequēter prædictū Priorē, si sciebat præfatum factum esse peccatum mortale, mortaliter peccasse: negando tamen ex hoc inferri, omnes, qui consentiunt peccato mortali, quod sciunt esse mortale, incurrere excommunicationem pro tali mortali latam, vt est casus adiuncta doctrina Doctorum cōmuni. in ca. *cum quis*. [a] quod habet, eum, cui placet percusio clerici, peccare quidem mortaliter, sicut & percussorem, sed non incurrere excōmunicationem, nisi percusio fuerit facta eius mandato, vel eius nomine, secuta ratificatione ipsius: & est exemplum clarius in d. Clementina 1. [b] adiūcta glossa, quæ habet, contrahentes matrimonium intra gradum consanguinitatis prohibitum, vel contra votum solemne ordinis, vel religionis, peccare mortaliter, incurrereque excōmunicationem, sed nō eos, quibus placent illa matrimonia, immo neque consulentes illa, & approbantes. Exemplum est etiam quotidianius in c. *si vero*. [c] cum suis similibus, quæ habent, percutiētem iniustè clericum, quem iustè putabat esse laicum, peccare quidem mortaliter, sed non incurrere excommunicationem propter ignorantiā, quæ excusat ab illa pœna, sed non à peccato.

Ad secundum respondetur eodem modo, quo ad primum; nempe concedendo tribus modis posse quem consentire peccato, vt puniatur sicut faciens; negando tamē, quod quoties consentiat peccato, toties incurrat pœnam impositam pro illo, vt per exempla prædicta patet: & cōsequenter negando, quod prædictus Prior, eo solo quòd consensisset ad effectum incurrendi peccatum, censendus sit excommunicatus, per responsionem ad primum, & alias rationes supradictas, per quas, etiamsi nō excusaretur à peccato; excusatur tamen à sententia excommunicationis, quæ est omnium pœnarum spiritualium maxima. [d]

Ad tertium autem respondetur primò, non probari, quod prædictus Prior sciebat illud factum fuisse peccatū mortale. Nec obstat, quod extrauagans prædicta significat, illud esse peccatum contra ius naturale, quod nemini licet ignorare, argumento §. *notandum*. [e] cum ei adnotatis: & quod ignorantia iuris non excusat. [f] Non inquam hoc obstat: quia multa concurrebant, propter quæ prædictus Prior probabiliter potuisset illud ignorare.

6 Tum quia prædicta extrauagans non est posita intra corpus iuris communis, & multis etiam doctoribus vtriusque iuris est incognita. Tum quia non est directè contra illud præceptum Decalogi quoniam non fuit occisio, neque mutilatio: neque percusio hominis, quæ directè vetantur per quintum præceptum Decalogi, sed quædam diuisio, & partitio cadaueris, quod palam est non esse hominem. Tum quia quotidie videmus cadauera mortuorū iudice mandante diuidi in quatuor, & multo plures partes, non solùm ad sepeliendum, quod est actus religionis, sed etiam ad suspendendum in compitis, & quadriuiis, & ad comburendum, & ad faciendum anatomias, & aliquot medicamenta, quæ medici & pharmacopolæ frequenter componunt, & de licentia saltem Papæ ministrant. Immo & chirurgi frequēter abscindunt membra hominum viuentium vt viuant vitam corporalem. & poterat homini adeo spirituali videri quod iustius poterant membra mortui diuidi quo ad suam vitam spiritualem melius in alio loco consequendam. Tum quia prædicta extrauagans inuit illud factum per se, & intrinsecè nō esse malum, & quod fieri potest licitè sine vlla licentia in terris, in quibus non sunt sepulturæ Christianæ sacræ: quoniam, vt & nos post alios adnotauimus in extrauagāte prædicta relata in dict. Manu. confess. [g] non habet illa locum in terris infidelium, vbi non sunt sacræ sepulturæ neque in eo, qui facit illud alio fine, præsertim bono, neque si faceret de licētia Papæ; immo fortè id fieret de licentia Regis sæcularis quo ad alium finem, quàm ad sepeliendum in alio loco: & quod ministri illius facti erant Catholici timentes Deum: & quòd vt fertur, Prouincialis religionis id sciuit, & ordinauit; cuius ordinationi, vti Superioris, parere tenebatur Prior in dubio; [a] & quod factum fuit publicè, & quod iudices neque seculares neque Ecclesiastici punierunt eos ob illud factū: & quod Prior erat vir religiosissimus, & intentū principale ipsius fuit facere, quod in decreto depositionis iubebatur, & facere voluntatē expressam, vel tacitam Prouincialis, & sui conuentus: & quod etiam alij monachi dici poterant communicasse, vel consensisse illi facto.

7 Per quæ omnia, immo & maiorem partem eorū, profecto prædicto Priori iuranti se putasse id fuisse licitum, credendum videtur: & palam est apud omnes iuriscōsultos, quos breuitatis gratia non citamus, ignorantiam non solum facti excusare, vt habet prædicta regula *ignorantia*. sed etiā ignorātiā iuris dubij, etiā naturalis, & diuini; quales sunt multæ leges naturales, & diuinæ, quæ nō sūt principia illorū, neque cōclusiones proximè ex illis deductæ, quales sūt leges Decalogi, sed lōgè remotiores per Doctorum discursus deriuatæ, qualis est prædicta extrauagās vetans prędictam exenterationem. Secūdo respondemus ad prædictum argumentum tertium, quod præsupposito id, quod non putamus, esse verum, scilicet præfatum Priorem peccasse, vt supra dictum est, consentiendo: negandū tamen est, eum incurrisse prædictam excommunicationē, neque ob eius incursionem vmquam punitum iri à D. N. Iesu Christo, qui nos omnes saluet, Amen.

a De sent. excomm. li. 6.
b De consanguini.
c De sentent. excommun.
d Cap. corripiatur. 24. q. 3.
e 1. q. 7.
f Ca. ignorantia. de regul. tur. lib. 6.
g Ca. 27. nu. 105.
a Capi. quid culpatur. 23. q. 5.

## DE PAROCHIIS, ET ALIENIS PAROCHIANIS.

### SVMMARIVM.

1 *Habitatio, quam quis in noua parochia, retento primo domicilio, puta ex causa rusticandi, vel fugiendi periculum pestis, vel inimicorum, ad tempus elegit, licet operetur, vt non sit viator, nec peregrinus; non tamē operatur, vt à nouo parocho posit sacramenta voluntaria, vt est matrimonium, accipere; nisi forte tantùm distet à primo domicilio, quod ad illud nō posit cōmodè pro illis accedere: quia tunc, modo absit fraus, sufficeret. nu. 3. mutatione autem domicilij verus efficitur secundæ parochiæ parochianus. num. 2.*

### CONSILIVM I.

QVID requiratur, vt quis ratione habitationis efficiatur parochianus alicuius parochię, & pręsertim in sacramentis voluntariis, vt in matrimonio?

1 Respondeo primò, quòd sufficit, quod habeat domicilium habitationis, etiā per translationē alterius domicilij habitationis, quod alibi habebat, per c. vl. [b]

Secundo, quod non sufficit habitatio, quam quis habet vt peregrinus, & viator. [c]

Tertiò, quod nō requiritur, vt ibi habeat, vel nouè cōtrahat domicilium habitationis; per glossam, [d] quę habet Scholasticorum parochum esse illum, in cuius parochia habitant; quos tamen constat non habere domicilium habitationis ibidem, cum habeant animum reuertendi ad suas, patrias in quibus habent domicilia habitationis secundum omnes.

2 Quartò, quòd non sufficit quęlibet habitatio efficiēs, ne quis dicatur peregrin⁹, vel viator iuxta. c. *is qui*. [e] quod probat, eum, qui de oppido aliquo vadit ad villam alteri⁹ parochię, causa recreationis, vel agriculturæ, nō effici parochianū illius parochię, sed permanere parochianū Ecclesię oppidi, cuius erat antequam illuc iret, licet aliquo tempore ibi habitet; quod ipsum est dicendum de illo, qui causa pestis, seditionis, vel belli fugit à sua parochia, primo quoque tēpore, quo potuerit, reuersurus per allegata à Panormitano. [f]

3 Quintò, quòd videtur sufficere habitatio bona fide & sine fraude suscepta in aliquo loco, vnde nō potest cōmodè reuerti ad sumenda sacramenta in loco parochię, vbi habebat domicilium. Tum per pręfatam glossam singularem. [g] Tum quod alioquin mercatores & stipendiarij degentes in longinquis à suis patriis regionibus carerent proprio parocho; quod videtur contra mentem, ca. omnis, [h] & Innocentij & aliorum scribentium & rationē naturalem.

b De paroch.
c L. hæres absens. §. proinde. ff. de iudi.
d Clem. 1. de priuileg. verbo parochialis.
e De sepult. li. 6.
f Capit. quod clericus. anu. 4. de foro cōpeten. & c. in matrimon. de sepult.
g D. clem. 1. de priuil.
h De pœnit. & remiss.

Sexto, quòd habitatio fraudulenter in præiudicium parochi proprij, vel alteri⁹ parochi, habita in aliquo loco ad affectum acquirendi nouum parochum, nō sufficeret, Tum quia fraus & dolus nemini debent patrocinari. [a] Tum quia malitiis hominum obuiandum est. [b] Salua, &c.

a Capit. sedes Apostolica. de rescrip.
b L. in fundo. ff. de rei vendi.

SVMMARIVM.

1 *Natus matre extra proprium domicilium ad tempus morante, in domicilio matris censetur natus, censeturq; originarius illius, & non loci, vbi naturaliter natus fuit.*
2 *Legis mens magis attendenda, quam verba.*
*Parochianus censetur mori intra ecclesiam suam, licet alibi manendo cum animo reuertendi ibidem moriatur.*
4 *Possessor bonæ fidei triennalis: si nō adsit simonia, nec violentia facit suum beneficium.*

CONSILIVM II.

MVLIER habens domicilium in vna parochia, peperit in alia, vbi causa recreationis, pestis, vel alteri⁹ impedimenti habitabat ad aliquod tempus, animo reuertendi ad suum domicilium cessante impedimento.

Quæritur primo, in vtra illarum parochiarum filius eius dicetur natus, ad obtinendum beneficium debitum filio nato in illa parochia.

Secundo, quid si prædictus filius obtinuerit simile beneficium in parochia, in qua habebat mater domicilium, & illud vltra tres annos possederit.

1 AD PRIMAM respōdeo diuersas videri opiniones in ista materia, vt refert Alexander Imola ad Bartholum, [c] qui per verbum *forte*, inclinat in opinionem, quæ habet dicēdum esse quem natum esse in loco, in quo verè natus est, & ibi habere domicilium. Bartholus autem, [d] quem sequitur Abbas, [e] & idem Bartholus, [f] inclinat in contrarium, vbi Baldus idem videtur tenere; licet Iason, [g] videatur tenere priorem, ea ratione quod aliud est dicendum de his; quæ à destinatione animi pendent, & aliud de his quæ pendent, à legis dispositione. Tum quod veriorem puto opinionem Cini, Baldi, & Bartholi. argumēto præfati §. *legatum*. qui habet, ancillam quæ mortis testatoris tempore erat in fuga, & peperit in ea, censendam esse, peperisse in fundo, in quo conseuerant esse, ad hoc, vt ipsa & partus includerentur in legato seruorum, qui essent in illo fundo tempore mortis testatoris.

c In l. assumptio ff. ad municipal.
d In le. filios. C. de muni. & ori lib. 10.
e In c. Rodulphus nu. 9. de rescript.
f In l. huiusmodi. §. legatū. ff. de leg. 1.
g In d. §. legatum.

2 Tum denique quod mens legis est magis attendenda, quàm verba eius, [h] & quod id est habendum pro lege, quod legislator interrogatus, cùm eam ferebat, respōdisset, iuxta glossam singularem, [i] & quod de mente statuentium, vt beneficium aliquod debeatur nato in aliquo loco, non videtur esse excludere illum; qui fuerit natus extra illum locum, eo quod mater eius peperisset eum alibi, quo iuisset causa recreationis, pestis, belli, vel alius impedimenti, cum animo reuertendi cessante impedimento vt contigit in casu proposito.

h Cap. Marcion. 1. q. 1. & ca. fin. de reg. iur. l. 6. & le. cum pater. §. dulcissimis ff. de leg. 2.
i In l. tale pactum. §. fin. ff. de pact.

3 Tum quia parochianus alicuius Ecclesię videtur mori intra parochiam suam, licet moriatur extra illam, vbi aliqua de causa prædictarum manebat cum animo reuertendi ad illam sine voluntate mutandi domicilium. [k]

k Cap. is qui. de sepult. l. 6.

4 AD SECVNDAM, quod mea sententia præfatus filius iustè tenuit præfatum beneficium, si bona fide credidit titulum sibi datum fuisse canonicum. Tum quod in ea sum opinione, vt credam beneficiarium, qui triennio bona fide possedit beneficium sine simonia & violētia acceptum, facere illud suum, cum glossa antiqua regulæ de triennali possessore per rationes ipsius, quas deducit neruosas, & per alias, quas addit Petrus Rebuffus, [l] attestans illam teneri à prætoriis Gallicanis, quæ parlamenta vocantur, prout in consil. 30. [m] diximus.

l In tit. de pacifico possessore.
m De prab.

SVMMARIVM.

1 *Pœna parochi, cuius culpa parochianus sine pœnitentia moritur, est arbitraria, cum nulla reperiatur in iure decreta.*

CONSILIVM III.

QVAERITVR quę pœna sit sacerdotis, cuius culpa effectum est, vt parochianus decesserit sine sacramento.

1 Respondeo primo, quòd pro tali culpa generaliter est nulla, quod meminerim, ipso iure, nisi amisionis gratiæ gratum facientis Dei, si culpa peruenit ad gradū, quo esset mortalis: per sententiam autē imponitur arbitraria iuxta culpæ quantitatem, secundum illud, *Iuxta mensurā delicti sit & palgarum modus.* [a] & cap. *non asseramus.* [b] & iuxta iura, quæ ad negligentiam puniendam citat glossa celebris. [c]

a Deuter. 25.
b 24. q. 1.
c In capit. ea quæ. de offic. archid.

## DE DECIMIS, PRIMITIIS, ET OBLATIONIBVS.

SVMMARIVM.

1 *Decimis in soluendis consuetudo in primis est seruanda. cùm autem nihil solui debeat illis parochialibus, per quas oues trāseunt. num. 2. & 3. & decima ouium sit mixta, n. 8. quæ pro parte debetur Ecclesiæ domicilij domini, & pro parte parochiæ, in qua oues pascuntur, num. 9. sequitur, vt vna pars debeatur illi Ecclesiæ, quæ pro se habet consuetudinem, nu. 1. altera verò pars pro vna dimidia detur Ecclesiæ domicilij, & pro altera dimidia detur illi, vel illis Ecclesiis proportionabiliter, in quarum territorio pascua accipiunt. numero 10.*
5 *Parochianus tenetur decimas personales soluere parocho sui domicilij, qui ex obligatione offert pro ipso sacrificia & orationes, ac tenetur sacramenta ministrare, & non parocho illius parochiæ, in qua etiam per annum moram trahit, qui ei de facto, sed non ex obligatione sacramenta ministrat.*
7 *Decima personalis debetur iure communi Ecclesiæ parochiali. prædialis autem Ecclesiæ, in qua sunt prædia, pro quibus soluitur; mixta autem, pro parte pro qua est personalis, sequitur naturam personalium; & pro parte pro qua est realis, sequitur naturam realium. numero 9.*
8 *Decima ouium licet ab aliquibus dicatur prædialis; attamen verior est. quòd sit mixta propter multam industriam hominis, quæ in hoc requiritur: vnde lac, lana, fœtus earū dicuntur fructus industriales sicut & oliua.*

CONSILIVM I.

AD Quæstionem Illustris Comitis, qua quærit, cui debeat soluere dimidium decimæ ouium suarum, quas mittit quotannis pascendas in monte Stellæ.

1 Respondeo sequentia. Primùm, quòd in hoc seruanda est consuetudo diu obtenta, vt ait S. Thomas, [d] & ante illū glossa, [e] quod dictum corroborari, ampliari, & declarati potest per illa multa, quæ adducunt Panormitan⁹ & alij, [f] & Felinus, [g] & alij multi alibi, quos allegat Franciscus Baldus, [h] & eruditissimus Didacus. [i]

d 2. 2. qu. 87. art. 3. ad secundum.
e In cap. cum contingat. de decim. verb. de iure communi.
f In ca. in aliquibus. §. fin. de decimis.
g Ca. causam quæ de præsc.
h In 1. quintæ partis princip. quæ. 7. de præscrip.
i Libr. 1. var. resol. cap. 17. num. 8.

Secūdò, quòd ex hoc sequitur, non esse dubium de dimidio prædictæ decimæ, quòd sit soluendū propter pascua montis Stellæ; quia in casu præsupponitur, quod consuetudo habet, vt dimidium decimæ ouium, quæ transferuntur pascendæ ad dictum montem, tempore æstiuo, debeat ibi solui; cùm per primum dictum consuetudo illa seruanda sit.

2 Tertiò, quòd nihil de præfata decima debet solui Ecclesiis illarum regionum, per quas transeunt oues prædictæ ad præfatum montem Stellæ, & redeunt ab illo in alia pascua hiberna. Tum quod licet in partibus innumeris Hispaniæ, cuius pars est Portugallia, in qua mons Stellæ situs est, oues mutent pascua, & in hyeme morentur in aliis, & æstate in aliis longe sepositis, & necessario eundo & redeundo pascant in pascuis variorum locorum, & pagorum, nullibi tamen soluitur quidquam de decimis Ecclesiis parochialibus eorum.

3 Quod iustificatur ex eo, quod de minimis non est de præcepto decimandum, secundum S. Thomam, communiter receptum, [k] & pastio illa transitoria est parua, & nō tanti momenti, vt ob eam debeat solui vlla decima. Tum quod esset moraliter impossibile iudicare rectè, quæ particula deberetur eis solui, & computatio tanti, vel paulò minoris constaret, quàm particula soluenda valeret: & non est maior impensa facienda, vel maior labor assumēdus, quàm res ipsa valeat. [l]

k 2. 2. qu. 87. art. 2. ad 3.
l L. mediterraneæ. C. de anno & trib. li. 10.

4 Quartò, quòd illo anno, quo toto residuo tēpore, excepto tēpore, quo pascuntur oues in mōte Stellæ, & quo eunt ad illū, & redeunt ab illo, pascuntur in pascuis parochiæ suæ, alterū dimidiū decimæ proculdubio debetur ei; quia, cū illud debeatur alicui Ecclesiæ, & nō debeatur alicui ecclesiæ mōtis, nec alicui locorū, per quæ trāseunt eundo & redeundo, nec morentur in aliarum Ecclesiarū

pascuis,

pascuis,consequitur necessario illud illi deberi, argumēto à sufficiente partium enumeratione,quod est validū. [a]

5 Quintò,quòd Ecclesia parochialis præfati Diuus,Comitis non desinit esse Ecclesia parochialis ipsius ., eo quòd eius excellentia causa comitandi Regem, vel fugiendi pestem, vel recreandi animum, vel agendi alia negotia, vel causa belli manserit aliqua parte anni, vel etiam toto anno extra illam; nisi manserit ibi animo transferendi domicilium suum illuc in perpetuum, [b] & ideo cessat exorbitantia, quam videtur concipere, eo quòd aliquot annis præteritis multis partibus eorum vixit extra ciuitatem,in qua habet domicilium.Nec obstat, quod potest quis habere domicilium in duobus locis,si çquè vtrobique se collocauerit, [c] non inquam hoc obstat quia qui in vno loco habitat animo constituendi,vel conseruandi domicilium, & in alio loco habitat sine animo id faciendi, sed propter aliquam causam prædictam accidentalem,non se collocat tantùm in hoc,quantùm in illo etiam si maiore tempore habitet in hoc,quàm in illo.Nō etiam obstat,quod, vt prædictum est,decima personalis debetur Ecclesiæ,eo quod in ea percipiat sacramenta, & audiat diuina:& quod eius excellentia, cùm abest à domicilio ob aliquam prædictarum causarum, in aliis Ecclesiis percipit & audit illa:quia non percipit ex obligatione,qua Ecclesiæ illæ tenentur ei ministrare, sicut Ecclesia domicilij,quæ etiam pro ipso absēte tenetur offerre,& offert sacrificia;& facere, vt facit,alia diuina pro aliis præsentibus;& ob hanc obligationem,qua illa Ecclesia tenetur ei ad hæc, ipse quoque tenetur ad soluendas decimas personales,& non aliis,quæ non tenentur ea illi facere,vt colligitur ex mente ca. *ad Apostolicæ.* & aliorum iurium de hac re statuentium, & subtiliter explicatur ab vtroque Thoma,[d] quicquid murmuret Dominicus Sot.[e]

6 Augetur tamen quæstio ex eo,quòd in hoc casu videtur decima diuidenda in tres partes, & soluenda tribus Ecclesiis,videlicet Ecclesiæ mōtis,& Ecclesiæ,in qua habet D.Comes domicilium, & percipit sacramenta, & in qua oues in hyeme pascua pascunt.

Ad quam quæstionem applicari possunt ea, quæ Cardinalis adducit,[f] & Ioānes Imola,[g] post alios à se relatos; qui ambo faciunt mentionem de decima ouium diuidēda in tres partes;sed nec apud eos,nec apud Ioannem Andreā: [h] nec apud Innocentium Cardinalem Panormitanum nec citatos ab eis,nec apud aliquem alium Theologum aut Canonistam puto inueniri decisionem huius quæstionis:licet enim inueniatur apud eos decisū, quod decima ouium debeatur multis Ecclesiis, quando multarum Ecclesiarum prædia pascuntur;non tamen attingūt, quid sit agendum,quando oues pascunt prædia diuersarū Ecclesiarum,& dominus earum habet domicilium in alia diuersa Ecclesia; cuius prædia non pascuntur: & paucissimi eorum explicant qualis sit decima, quæ debetur de agnis,lana,& lacte,siue caseo:nam Goffredus, [i] post glossam,[k] & fere omnes dicunt eam prædialē.& Dominicus Sotus, [l] in duobus vel tribus locis parui facit differētiam decimę prędialis,& personalis,contra ferè omnes alios;cuius dictum licet quo ad quid defendi posset, simpliciter tamē non est verum,nec ipse, nec alij communiter faciunt mentionem de tertia specie decimæ, quæ dicitur mixta,de qua tamen necessariò facienda videtur,vt fecit præ omnibus aliis Hostiensis,[m] cuius dictum eo non citato sequitur Angelus à Clauasio breuiloquus auctor,[n] quod nos quoque posuimus in Man.cōfess.[o] sed nec Hostiensis nec alius,nec nos tangimus,an decimæ mixtę debeāt solui aliter,vel aliis,eo quòd sint mixtæ, quā prędiales:ex cuius declaratione pēdet huius quæstionis decisio.

7 Septimò,dico,quòd videtur sententiam receptā habere,quod decima personalis soluenda est iure communi Ecclesiæ parochiali,in cuius parochia domicilium habet is,qui eam debet propter sacramenta, & diuina, quæ ibi percipit,& audit;& quod prædialis debet solui Ecclesię, in cuius parochia situ est prædium, ratione cuius illa debetur,iuxta glossam cōmuniter receptā.[p] vbi est expressa de hoc Papalis decisio.

8 Octauo,quod pręfata glossa tenet decimam animalium esse tantùm prædialem,& deberi Ecclesię,cuius parochię pascua pascūtur;& pluribus Ecclesiis, si plurium parochiarum pascua pascerentur:quæ glossa communiter approbatur ab iis,qui non meminerunt, quod decima animalium dicatur mixta à multis, in quibus sont Hostiensis & Angelus, [a] pro quibus facit, quod industria domini & custodis multum operatur circa fœtum,lac, & lanam earum, propter quod fœtus dicitur fructus industrialis,& non naturalis;secundum Baldum, [b] & oliua dicitur fructus industrialis,[c] & lana,& lac,iuxta glossā,[d] quam sequitur Bartholus,[e] & Panormitanus.[f]

9 Quorum qui opinionem tenuerit,dicere debet,decimas mixtas diuidendas esse inter Ecclesiam, cuius parochianus est qui eam debet, & inter Ecclesiam vel Ecclesias,cuius,vel quarum parochiarum pascua pascuntur animalia:eo,quòd qua parte sunt personales,debent sequi naturam personalium, quæ debentur Ecclesię domicilij: & qua parte sunt prędiales, debēt sequi naturam prædialium,quæ debentur Ecclesię,vel Ecclesiis prædiorum depastorum:ita vt in simili triplex cùm sit actio, personalis; realis,& mixta;illa quæ est mixta,qua parte est realis, sequitur naturam realis;& qua parte est personalis, sequitur naturam personalis, vt colligitur ex §.*omnium.* adiecto §.*quædam.*[g] cum eis adnotatis.& sicut cum triplex sit actio rei,persecutoria,pœnalis,& mixta;illa quæ est mixta,quatenus est rei persecutoria,sequitur naturam persecutorię;& quatenus pœnalis, naturam pœnalis, vt colligitur ex §.*ex maleficijs.*[h] & sicut stipulatio mixta de dando & faciendo sequitur partim naturam eius,quæ est de dando tantum,& partim naturam eius,quę est de faciendo tantùm.Facit etiam quod dicitur de illo,qui est Episcopus & Canonicus eiusdē Ecclesiæ [i] & de eo qui est iudex simul,& arbiter, & arbitrator, [k] & denique de quolibet qui habet duo officia diuersa iuxta l.2. [l] & ca.*cum olim.*[m] adiuncta glossa cum ei per omnes adiectis.

10 Nono, quod in casu quæstionis propositæ in sexto dicto D.Comes videtur teneri soluere dimidium totius decimæ prædictarum ouium Ecclesiæ montis Stellæ, & dimidium alterius dimidij,hoc est quartam partem totius decimæ Ecclesiæ suæ parochiali,& alterum dimidium dimidij prędictę decimę;hoc est quartam partem ei Ecclesiæ, cuius prata in hyeme pręfatę oues pascuntur.

Horum trium dictorum primum ea firma ratione nititur, quod cōsuetudo antiqua illius regionis habet, quòd nutritores ouium,quas pascendas traducunt ad prædictum montem,soluant dimidium decimę ibi;& illa consuetudo non habet in nostra quęstione contrarium: immo indubitatè significatur, quòd Ecclesię parochiali debeatur aliqua pars. Nec obstat, quod etiam in eadem quęstione significatur, quòd dimidium totius decimę debetur: tamen hoc dictum habet,quòd non debet solui ei nisi dimidium dimidij.Non inquam hoc obstat;quia id intelligitur:quando oues pascuntur sola pascua parochiæ domicilij tota hyeme.At in quęstione in sexto dicto proposita ponitur,quòd oues pascuntur tota hyeme pascua alius Ecclesiæ. Tertium autem probatur ex eo, quòd secūdum omnes debet habere suam partem Ecclesia, cuius pascua pascūtur oues morando & manendo in eius parochia: & cùm per consuetudinem dimidiū totius decimæ debeat habere Ecclesia montis Stellæ,& tam iure quàm cōsuetudine illius regionis Ecclesia parochialis debeat habere suam partem;necessarium videtur,vt alterum dimidiū diuidatur inter Ecclesiam parochialem,& illā cuius pascua oues pascuntur & si oues pascerentur in hyeme pascua duarum , vel plurium Ecclesiarum illa quarta pars esset diuidenda inter illas Ecclesias pro rata temporis, quo pascerētur oues in earum parochiis,ex mente Cardinalis & Imolensis, [n] Salua,&c.

*SVMMARIVM.*

1 *Decimas,præsertim prædiales,soluere iure diuino tenentur omnes:quota autem,quæ secundum veriorem contra communem nunc debetur,est de iure positiuo,num. 3. immo & quo ad aliquot prædiū vel prædia,modo parocho remaneat sufficiens sustentatio in totum,ne debeantur per laiços possessores prædiorū,est præscriptibilis.n.5.at ob peccatum non soluendi debitas decimas,nisi sit notorium,non potest parochus propria auctoritate non soluētibus sacramēta denegare n.2.*



a Instit.de oblig. quæ ex quasi contract. nas. in princ.& ca.si enim. de pœnit. dist.2.
b Ca.3.de sepult.li.6.
c L.assūptio. §. viris prudentib. ff. ad municipa. & d.ca.3.de sepult.
d 2.2.qu.87. art.9. ad 2.
e Lib.6.q.4. de iust.& iure.
f In clem. 1. q.16.de decimis.
g Ibid nu.10.
h In mercu. reg.qui prior. de regu.iuris li.6.
i In summa.
k In c.ad Apostolicæ. de decimis.
l Li.6.de iust. & iur.q.4.
m In summa de decim. §. quot sunt species.
n In summa ver. decima, in princ.
o Ca. 21.nu. 29.
p In d.ca.ad Apostolicæ. de decim.

a Vbi supra.
b Le. ancillæ. C.de furt.
c L.si eius.ff. de rei vend.
d §.si quis à non domino. verbo cura institu.de rerum diui.
e L. ex diuersó nu.3.ff. de rei vend.
f Cap.grauis de rest.spol.
g Institut.de act.
h Institut. de act.
i In c.cum in Ecclesia. de præben.lib.6. & ca.à collatione. de appell. li. 6.
k Cap.nisi.de præben.
l ff.de officio procons. leg.si quando.C.de appellat.
m De re iudic. c.ex literis.de probat.
n In d.clem. 1.de decim.

## CONSILIVM II.

An parochus, qui est in possessione exigendi decimas intra certos limites, possit repellere à sacramentorũ perceptione quosdam particulares recusantes soluere decimas, sub prætextu, quod numquam eas soluerint, stante maximè quadam declaratione Senatus Veneti, quæ sic habet, *Cum hac declaratione, quod illæ terræ, seu possessiones, quæ soluerunt quartasium, debeant continuare in solutionibus consuetis.* Arguendo à contrario sensu: Ergo qui non sunt soliti, non debent soluere. An inquam possit eos repellere tamquam pertinaciter in peccato persistentes.

1 Ad hanc quæstionem respõdeo primò, illos parochianos, de quibus in ea quæritur, peccare mortiferè nolendo soluere decimas. Tum quia iure communi, siue diuino, siue humano, omnes tenentur soluere decimas, præsertim prædiales, secundum omnes, & prædicti parochiani nullũ titulum iustum allegant, per quem eximantur à solutione illarum, cùm præsupponatur in facto, eorum auctores, & à quibus præfata prædia ipsi habuerunt, soluisse decimas, & ipsosmet fuisse ministros recipiendi eas, & consequenter non possederunt libertatem non soluendi eas bona fide, cui consequens est eos non vsucepisse, nec præscripsisse illam, cum possessor malæ fidei nullo tempore přescribat.[a]

2 An autem sint repellendi à sacramentorum frequentiâ per parochum auctoritate propria, dicitur quòd non. Tum quia nemo potest sine causæ cogitione alium iuris sui vsu priuare: quia illud esset auctoritate priuata priuare, quod non est licitum,[b] etiamsi esset iudex.[c] Tum quia nemo debet esse iudex in causa propria,[d] etiam si alias sit iudex.[e] Tum quia rector, seu parochus, qui priuat parochianos vsu sacramentorum, videtur spoliare eos, vt tradit Lapas,[f] quod vt dictum est, non licet facere.

3 Non obstant allegationes doctissimorum virorũ mihi præsentatę, quibus concludunt prædictos parochianos teneri ad soluendas decimas. Tum quia præsupponunt vnã conclusionem, quæ licet à nostris communiter teneatur post Innocentium,[g] & aliàs,[h] falsa tamen est, vt nos breuiter retulimus in Man. confess.[i] scilicet quod decimæ debeantur quo ad quotam iure diuino post passum Christũ, & obliteratam legem veterem quo ad pręcepta iudicialia, & cæremonialia: non enim debentur iure naturali, nec diuino positiuo, nisi quo ad sustentationem necessariam, siue competentem ministrorum, seu parochorum. Tũ quia prædictorum Doctorum responsa non sufficiunt ad priuãdum eos iure suo, donec feratur à competenti iudice sententia, vt palam est. Non enim faciunt peccatum adeo notorium, vt possint repelli à sacramentis, iuxta ea, quæ tradimus in d. Man.[k] cùm non sint constituti in peccato cõfesso per eos in iure, quod sit mortiferum, neque quod rei euidentia sit tale, neque per sententiam iudicis, quæ transierit in rem iudicatam: quibus tribus modis fit peccatum notorium, iuxta tradita, per Antoninum, Panormitanum, & alios.[l]

4 Et quo ad fundamentum eorum, qui se defendunt per cõstitutionem Serenissimi Venetorum Senatus, nihil potest eis prodesse, vt præfati eruditissimi consulentes respondent. Tum quia, vt eruditè illi dicunt, argumentum à contrario sensu nihil valet ad probandum contrarium eius, quod alio iure statuitur, vt glo. putata singularis quasi in istis terminis dicit.[m] Tum quia nulla sæcularis potestas, quamuis suprema, potest super hoc spirituali, saltem quatenus est tale, disponere, saltem contra ius Pontificiũ.[n]

5 Sed grande fundamentum habent in possessione immemoriali, quam videntur allegare. quoniam quicquid dicãt plurimi, qui in hoc possunt allegari, & parum de iure, quo decimæ debentur, nouerunt, veritas est, quod etiam laici possunt vsucapere, & præscribere libertatem ab obligatione soluẽdi decimas quo ad quotam, & ab obligatione soluendi de illo vel illo prædio, dummodo parochus, seu rector habeat ex aliis Ecclesiæ iuribus congruam sustentationem. Quod quia est contra desiderium consulentium, non confirmo pluribus, quæ irrefragabilia sunt argumenta: solùm addo, quòd laici propter incapacitatem non possunt quidem ius spirituale percipiendi decimas præscribere, immo nec possidere, vt Felinus & alij multi dicunt: sed bene possunt præscribere libertatem soluendi decimas, quatenus sunt iure solo humano debitæ: quia non sunt incapaces huius libertatis.

a Cap. possessor. de regul. iur. li. 6.
b Ca. in literis. cum sibi cõcord. de restit. spolia.
c Ca. conquerente. eodem titu.
d L. extat. ff. quod metus causa. & le. si quis in tãta. C. vnde vi.
e L. qui iurisdictioni. ff. de iurisdict. omni. iud.
f Allegat. 67.
g In rub. de decim.
h In c. fin. de paroch.
i Cap. 21. nu. 28. & 29.
k Ca. 27. nu. 55.
l In c. vestra. de cohabit. cleric. & mulier.
m In clem. 1. in verb. facere. de vsuris.
n Ca. ecclesia sanctæ Mariæ. de constitutio.

*SVMMARIVM.*

1 *Vicarium non potest contra solitum patronus onerare, vt de terris vicariæ soluat parochiæ primitias.*
2 *Laicis nulla est super bonis Ecclesiæ disponendi facultas.*

## CONSILIVM III.

N. FVIT per patronos ad vicariam quamdam præsentatus hac conditione, vt ex terris annexis d. vicariæ (quæ sunt pro sustentatione Vicarij) licet per præfatũ N. administrarentur, solueret primitias parochiæ. Fuit N. ante ordinariũ citatus, vt solueret primitias parochiæ, iuxta conditionem appositam tempore præsentationis; qui respondit d. conditionem se non acceptasse, nec potuisse acceptare, cùm sit super re spirituali, in qua non potest apponi conditio, nec modus, nec pactum, sed debet purè & liberè tradi, quia aliter est simonia. Vt tamen lites euitaret, & ne contenderet cum laicis, eas sua sponte soluit, & non virtute conditionis prætensæ. Dubitatur nunc, an isti patroni potuerint imponere istam conditionem, attẽto quod si dictus N. præfatas terras suis impensis colit, ac serit, non tenetur soluere primitias, sed tantum si alij eas colerent, ac sererent.

1 Respondeo, quòd proculdubio præfati patroni non potuerunt illam conditionem imponere suę pręsentationi, nec illud onus adiicere terris illis contra consuetudinem antiquam. Tum quia illud fuit contra c. 1.[a] adiuncta saltem consuetudine non soluãdi primitias, cũ per Vicarium ipsum colerentur.

2 Tum quia laicis nulla est super rebus Ecclesiæ disponendi facultas: textus est in c. *bene quidem.*[b] Et præfatus Vicarius non debet pati, vt cum onere illo maneãt terræ illæ contra consuetudinem antiquam grauatæ. Vide etiam cap. nouum genus,[c] & ibi bonam glossam & Panormitanum, & Felinum, c. quæ in ecclesiarum. de consti.

a De cẽsibus.
b 96. dist. & ca. ecclesia S. Mariæ. de cõstitut.
c Quod est 2. de decim.

# DE REGVLARIBVS, ET TRANSEVNTIBVS AD RELIGIONEM.

*SVMMARIVM.*

1 *Ecclesiam regularem fundare, melius est, quam sæcularem, si cætera sint æqualia: nam inæqualitas expensæ faciendæ posset aliud suadere. n. 2.*
1 *Perfectioris status personarum orationes sunt Deo gratiores.*
1 *Melius quò est opus, quod quis adiuuat, tantò plus ex eo & ipse iuuatur.*
2 *Voto obstricti opus Deo magis gratum, quàm quod fit ab alio, qui se non obstrinxit.*

## CONSILIVM I.

An sit melius, & Deo acceptius, fundare Ecclesiã collegiatam regularem Mendicantium, quam collegiatam sæcularem, cæteris paribus?

1 Pro parte regularium facit primò, quòd status religionis est melius, quam status sæcularis; quia est in via perfectionis, vt dicitur à D. Thoma,[d] cuius orationes, cùm sint meliores, sunt Deo magis acceptæ: ergo, &c. Secũdo quia ordo Mendicantium non tantum orationibus, sed confessionibus, prædicationibus, lectionibus, bonis exemplis magis ædificant, & prosunt Ecclesiæ: quæ plura bona magis adiuuant illorum fundationem, quia ipsorum est causa bonorum. Tertiò, quia votũ & status paupertatis magis Deo placent, quẽ ipse Christus in se suscepit prædicauit, & Apostoli eum sequuti sunt. *Ecce*, inquiunt, *nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te: &, omnis qui reliquerit domũ, vel agrum; &c.*

2 Quartò magis Deo placet, qui voto se obligat, quàm alij, qui sine voto idem faciunt, cæteris paribus, iuxta D. Thomam.[e] Hæc argumenta efficaciter quidem probant, melius esse, cæteris paribus, fundare, ædificare, & dotare Ecclesiam collegiatam regularem, præsertim Mendicantium, quàm collegiatam sæcularẽ. Sed in quæstione proposita nõn sunt cætera paria: quoniam multò maiorẽ impensam requirit fundatio & ædificatio Ecclesiæ collegiatæ sæcularis cum assignatione redituum sufficientium canonicis sæcularibus eam culturis, quàm fundatio & ædi-

d 2. 2. q. 184. art. 3.
e 2. 2. qu. 88. art. 6.

ficatio Ecclesiæ regularis mendicantium sine assignatione reditunm sufficientium monachis alendis. si tamen, vti verbo proponitur, is Dominus vult tantùm impendere in fundatione regularis Ecclesiæ, quantùm impenderet in fundatione Ecclesiæ collegiatæ sæcularis, opus proculdubio Deo gratiosius faciet, fundando regularem, quàm fundando sæcularem, per argumenta præmissa, & tradita per D. Thomá, [a] & alia, quę adiici possent, si esset necessarium. Salua, &c.

a D. qu. 184. ar. 8.

*SVMMARIVM.*

*1 Religionem ingressurus debet considerare, an habeat habilitates & inter primas numeratur sanitas, eruditio, & habilitas ad concionandum. pronitas autem ad libidinem, etsi proprius suadeat matrimonium, attamē & ingressum suadere potest. vt per fugam tentationum ab ea liberetur. at sororis necessitas posset esse talis, quæ impediret, nisi aliunde posset prouideri.*

## CONSILIVM II.

1 AD quæsita respondeo primò, D. consulentem posse iuuari ex iis, quæ nos scripsimus in comment. de regul. [b] vbi de dispositione requisita ad ingressum religionis tradidimus aliqua in eius principio, & aliis numeris sequentibus.

b Super c. cui portio.

Secundo, quod necessitas matris suprascripta nō videtur sufficiens impedimentum ingrediendi religionē, neq; (vt mihi videtur) necessitas aliarum sororū, prętér quintā.

Tertio, quod pronitas in libidinem magis est causa ducendi vxorem, quàm ingrediendi religionem, quamuis & aliquo respectu etiam prosit quo ad ingressum, per quem tollitur occasio conuersandi cum mulieribus: & quod corporis sanitas, habilitas, & eruditio ad prædicandum, multū prodest ad prædictum ingressum.

Quartò, quòd præfata 380. scuta etiam multùm prosunt ad remedia quintæ sororis, & aliarum necessitatū matris, & aliarum sororum, prudenti iudicio inter eas diuisa.

Quintò, quòd omnibus prædictis circumspectis, arbitror præfatum D. consulentem posse tuta cōscientia ingredi religionem, prouidendo de illis scutis iudicio viri prudentis quintæ sorori, & aliarum necessitatibus, optimo modo quo fieri potest.

*SVMMARIVM.*

*1 Professio filij tenet, licet ipse ob parentum penuriam profitendo peccet.*

*1 Professio excommunicati, vel ad ratiocinia obligati valet, licet vterque peccet.*

*2 Filius religionem professus tunc demum ob parentum paupertatē exire tenetur. si tempore ingressus illis non valentibus aliter se sustentare arbitrio boni viri poterat, & nunc potest subuenire: necessitate autem cessante tenetur reuerti.*

## CONSILIVM III.

AN parentibus tanta paupertate laborātibus, vt filius non possit intrare monasterium, nec professionem facere absque peccato, si ingrediatur illud, & fecerit eam, valeat professio, & an teneatur exire ad eis subueniendū?

1 Respondeo, quòd valet professio, quamuis profitendo peccet, & quamuis possit & teneatur exire ad subueniendum eis, si potest, & consequenter professio illa non potest declarari esse nulla. Tum quia professio religionis, etiam ab excommunicato facta, valet, licet profitēdo peccet. [c] Tum quia licet debitor magnæ quantitatis, & obligatus ad ratiocinium, non debeat intrare religionem, si tamen intrauerit, & professus fuerit, valēt ingressus & professio, secundum notata, [d] & ratio, quare is peccat profitendo, est, quod erat debitor prædictæ subuentionis: & ita, licet iustè possit exire ad subueniendum tantæ necessitati, tenetur tamen cessante illa reuerti ad suum monasterium, secundum mentem omnium: & animaduertat, quod, si absque licentia Superioris exibit, inquietabitur, vt suspicor, à sui ordinis fratribus.

c Ca. cum illorū. de sent. excomm.
d In rub. & ca. 2. de oblig. ad ratiocin.

2 AD POSTERIOREM QVAESTIONEM, respōdeo, quòd ad hoc vt professus teneatur exire ad subueniendum parenti pauperi non potenti se alio modo sustentare, oporteret, quod tempore ingressus habuisset potentiam subueniēdi, & viri prudentis arbitrio vtroque tempore potuisset & posset subuenire, per multa, quæ in hoc adduci possent. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

*1 Iuramentum, quod emittunt alumni Collegij Anglicani Romani, impedit ne ante illud impletum sine dispensatione religionem ingredi valeant, num. 5. & obligat ad seruandum contractum, quod cum Collegio inierunt; maximè cum per illud obligari videantur ad martyrium, quod ingressu religionis melius est. num. 11.*

*2 Votum & iuramentum licet sit actus religionis obligantis ad sui obseruationem, votum tamen maius vinculum inducit, & hoc respectu principalis obiecti, quod est ipse Deus, cui fit: iuramentum tamen firmius obligat, Deo inquam, & homini; vnde & difficilius à Papa remittitur, nu. 10. & 11. & dissoluitur. num. 11. & 12.*

*2 Vota omnia in votum religionis etiam propria auctoritate cōmutabilia sunt: quia professio transfert omnia profitentis in Dei obsequium: secus de obligatione iurata, qua quis alteri tenetur. num 11.*

*3 Iuramentū contra Dei consilium, & maioris boni impeditiuū, est illicitum; & hoc quando directè contra illud fieret; at si fiat de re bona, licet indirectè sequatur impedimentum aliquod maioris boni, non inde sequitur vt sit illicitum. nu. 13.*

*4 Lex priuata Spiritus sancti inspirantis ad ingressum religionis legi publicæ est præferenda: & hoc si constet, vel iuste præsumatur inspirationem talem esse à Spiritu sancto, & non aliàs num. 13.*

*5 Religionis ingressum impedit seruitus, item & iuramentū deducendo aliquam in vxorem, nu. 6. obligatio item, qua tenetur quis alteri de gestis reddere rationem, nu. 7. item & debitum quod potest solui. num. 8. & 9.*

*14 Religionem non ingredi vouere, illicitū quidē est, nisi fiat ad tēpus pro obseruatione obligationis iuste ingressū impedientis.*

## CONSILIVM IIII.

ROmæ in collegio Anglorum est statutum, & constitutio Papalis, vt quicumque illud ingredi voluerit, teneatur iurare se post tot annos pro defēsione fidei Catholicæ in Angliam profecturum; illamque ibi publicè & priuatim prædicaturum.

Quæritur, an qui huiusmodi iuramentum emiserit, antequam illud adimpleat, possit religionem intrare.

Secundo, an aliquo modo possit fieri licitum votū de non intranda religione.

1 Ad priorem quæstionem respondeo, pro parte illius affirmante facere primo cap. *scripturæ.* [a] in illis verbis; *Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis obseruantiam commutare.* Cuius summa communis est, *Omne votum est mutabile in votū religionis etiam auctoritate propria*, vt ait Panormitanus ibi cōmuniter receptus. At S. Thomas in 2. 2. q. 89. articul. 8. ait votum esse maius vinculum, quam iuramentum: ergo à fortiori omne iuramētum est mutabile in votum religionis etiam auctoritate propria.

a De voto.

2 Secundo; quod sicut omne votum licitum obligat ad sui obseruantiam, secundum eumdem S. Thomam communiter receptum, [b] & est actus latriæ, siue religionis, secundum eumdē, [c] ita etiā omne iuramentum licitum obligat ad sui obseruantiam, & est actus eiusdem virtutis latriæ, & religionis, secundum eumdem S. Thomam communiter receptum, [d] ergo eadem ratione, qua vota omnia licita sunt commutabilia in votum religionis auctoritate propria, eadem etiam omnia iuramenta licita erūt mutabilia propria auctoritate in votum religionis.

b In 2. 2. qu. 88. art. 3.
c Ibidē art. 5.
d In ead. 2. 2. q. 89. arti. 4. & 7.

Tertio, quod ratio quare in votum religionis omnia alia vota sunt transmutabilia, est, quia votum religionis executum excedit aliud votum; quia per illud transferūtur omnia, quæ habet in obsequium Dei, iuxta cap. fi. [e] At iuramentum in hac quæstione propositum est temporale & non perpetuum, vt est omnis religio approbata: ergo potest transmutari in votum religionis approbatæ.

e De statu monach.

3 Quarto, quod iuramentum contra consilia Domini, & maioris boni impeditiuum, est illicitum, & nō obligat, vt tradit S. Thomas, ab omnibus receptus. [f] At iuramentū præfatum si extenderetur ad impediendum religionis ingressum

f In d. qu. 89. art. 7. in corpore quæst.

gressum,esset contra consilium Domini, & impeditiuum maioris boni:ergo non potest esse validum,neque obligare,sicut neque alia vota de non ingrediendo religionem possunt valere,vt idẽ S.Tho.cõmuniter recept.affirmat.[a]

a In prædicta qu.88. art.3. & 8.

4 Quinto facit cap. *duæ sunt*,[b] quatenus habet legem priuatam Spiritus sancti,qua quis mouetur ad intrandam religionem,esse præferendam legi publicæ, qua quis tenetur ad seruiendum alicui dignitati, vel beneficio ecclesiastico præhabito,cui obligatur seruire. Ergo etiam, qui iurat seruire animabus Angliæ, poterit intrare religionem, non præstito illo. Ad idem facit cap. *licet*,[c] quod habet,eũ qui est professus aliquam regulam religionis approbatam, posse transire ad aliam arctiorem & duriorem. At arctior & durior est perpetua religio approbata, quàm visitatio animarum Angliæ temporalis: ergo hoc potest transferri in illam.

b 19.q.2.

c De reg.

5 Pro contraria tamen parte,nempe quòd qui fecit prędictum iuramentum non posit intrare religionẽ sine dispensatione,antequam illud compleat, facit primò, quòd seruus non potest licitè intrare religionem sine consensu Domini,[d] eo quod non potest disponere de se, quatenus est res aliena,sine domini consensu. At qui iurauit prædictum iuramentum,videtur se exuisse,& à se alienasse potestatẽ disponendi de se ad intrãdam religionem, antequam impleat iuramentum: ergo non potest intrare illã,donec impleat illud.

d Cap. si seruus. 54. dist.

6 Secundò facit,quòd qui iurauit ducere aliquã in vxorem,non potest iustè intrare religionem, antequam ducat illam.[e] Ergo qui iurauit antea ire in Angliam causa fidei Catholicæ iuuandæ,non poterit iustè religionem intrare, antequam illam adeat,cùm posteaquam illã fuerit ingressus,non posit eam adire.[f]

e Ca. commissum. de sponsal.
f Arg. c. quorumdam. & ca. religiosus. de elect. li. 6.

7 Tertio,quod procuratores,actores,executores,seu curatores pupillorum non possunt fieri clerici,nec cõsequẽter monachi,donec reddant rationem de procurationibus, executionibus, & administrationibus suis, vt habet c. 1.[g] Nec eadem ratione alij obligati ad reddendum rationem de suis administrationibus,vt communis opinio ibi cõcludit, & non alia ratione, quàm quòd qui obligatus est ad aliquid faciẽdum,prius debet illud facere,quàm ingrediatur religionem. Ergo qui iurauit adire Angliam causa iuuandi animas fideles,non poterit intrare religionem, donec adeat illam,& adiuuet.

g De obligatis ad ratiocinia.

8 Quarto, quod multis & irrefragabilibus rationibus probauimus nos in comment. 1. de reg.[h] & affirmauimus, quod debitor non debet intrare religionem, donec soluat debitũ, si soluere potest. At qui præfato modo iurauit adire Angliam, debitor est animarum fidelium Angliæ ad adiuuandum eas,& potest prius adire illam:ergo prius debet soluere illud debitum, quàm ingrediatur religionem.

h Super c. cui portio. nu. 8.

9 Quintò,quòd S.Tho.[i] quem ibi commendat Caieta. determinat debita certa soluenda esse ante ingressum religionis.

i 2.2.q.fi.ar. 6.

Sextò,quòd debitor lege naturali & diuina tenetur soluere debitum,iuxta septimum præceptum Decalogi,[k] relati in glo.[l] quo non solum vetatur acceptio iniusta alieni,sed etiam retentio,[m] à qua obligatione nõ videtur absoluere ingressus religionis, plusquam à iuramento ducẽdi vxorem,à quo non absolui talem per ingressum religionis probat prædictum c. *commissum*. At debitum eius, qui iurauit prædicto modo,est debitum certũ, & debitũ iure, naturæ, diuino, & humano contractum:ergo debet prius illud soluere,quàm accipiat statum, per quem amittat potentiam soluendi.

k Exod. 20.
l Ca. quod in omnibus. 32. q. 7.
m Cap. sæpe. de restit. spol.

10 Septimò, quòd licet votum inducat valentiorẽ obligationem,quàm iuramentum, eo respectu, quod obiectũ principale illius est ipsemet Deus: alia tamen ratione iuramentum,quod fit homini,est fortius & firmius. Tũ quia non solum,sicut votum,obligat per illud diuinum Psal. relatum in ca. 1.[n] *Redde vota tua*, sic iuramentum obligat per illud diuinum, *Redde iuramenta tua Deo*, & per illud præceptũ, *Non assumas nomen Dei in vanum*.[o] sed propter hoc,quòd iuramentum obligat non solùm Deo, sed etiam proximo: adeo quod licet Pontifices pasim absoluant iusta de causa à voto,à iuramento tamen,quo iurans obligatur proximo, regulariter non absoluunt,nisi de consensu partis.

n De voto.
o Exod. 20.

11 Tum quia licet votũ metu emissum sit ipso iure nullum per cap. 1.[a] iuramentum tamen metu contractum est validum,iuxta cap. *verum*.[b] vbi glossa solemnis. Et ad hãc conclusionem, scilicet quod iuramentum promissorium inducat fortiorem & firmiorem obligationem, quàm votum, latissimè probauit Frater Michael à Medina Frãciscanus eruditissimus,[c] per multa,in quibus sunt,quòd omnem obligationem,quam parit votum, parit & iuramentum,& aliam ampliorẽ; quia votum solum obligat Deo, iuramẽtum autem etiã homini: & quòd obligationẽ soli Deo quæsitã,faciliùs soluit Pontifex, quàm quæsitam homini:immo vt ille ait,nõ potest soluere illam quo ad tẽporalia auctoritate Pontificia, vel saltem non solet absoluere,vt palã est; & quod ipsemet Christus multò plùs commendauit solutionem debiti proximo, quàm debiti sibi, & cæteris quæ ibi videri possunt. & quia præfatus, qui modo prædicto iurat, videtur contrahere cum præfato collegio, & contractum iuramento confirmauit, & contractus liciti iure naturæ,diuino, & humano obligant etiam Reges,& Principes, vt annotatur in c. 1.[d] Per quæ omnia hæc pars negatiua videtur esse verior.

a De ijs quæ vi.
b De iureiur. c. ad audientiam. & cap. abbas. de ijs quæ vi.
c In libr. 5 de sacrorum hominum continentia cap. 23.
d De probat.

Ad primum oppositorum respondetur, concedendo, omne votum regulariter esse transmutabile in votũ religionis;negando autem cõsequentiam, quod ex hoc inferatur idem esse de iuramẽto,quo quis obligatur proximo; ea ratione, quod quamuis votũ aliquo respectu sit maius & excelsius,quàm iuramentum,hoc tamen est firmius, & indissolubilius per adducta in tribus vltimis argumentis pro hac parte formatis.

Ad secundum oppositum respondetur, concedendo, votum & iuramentum ambo esse actus latriæ; & obligare:sed negãdo,quòd tam firmum & indissolubile sit vinculum voti,ac iuramenti,per prædicta.

Ad tertium respondetur primò negando, quòd votum religionis excedat omne aliud bonum: quia martyrium est eo maius,vt tradit S.Thomas,[e] & iuramentum præfatum videtur satis obligare ad martyrium; si res pensetur.

e 2.2.q.24. art.3.

12 Secundò,respondetur, quòd licet religio esset omnium actuum maximus, & optimus; tamen non sequitur ex hoc,quod obligatio ad illũ nata sit omni alia indissolubilior, vt est exẽplum in d. c. *commissum*. de obligatione iuramẽti ad ducendam vxorem,quæ iustè non potest solui per ingressum religionis, antequam vxor ducatur. est exemplum etiam in quocumque debitore ex contractu præsertim iurato,per adducta pro hac parte in tertio argumento.

13 Ad quartum conceditur, iuramentum maioris boni impeditiuum non valere quidem, si directè ad id fieret: negãdo tamen de illo,quod directè fieret ad aliquod bonum,ex quo indirectè impediretur maius bonũ, quale est omnis cõtractus,per quẽ quis obligatur ad soluendũ proximo aliquod magnum debitum, etiam sine iuramento, vel renuit reddere rationem de administratione,quæ impediunt clericatum;& monachatum ante illius solutionẽ vt prædictum est.

Ad quintum conceditur,priuatam legem Spiritus sancti præferẽdam esse legi publicæ,si constat,vel iustè præsumitur esse legẽ Spiritus sancti;sed negando, quòd omnis inspiratio intrandi religionem,vel transeundi ad aliã strictiorem,sit à Spiritu sancto: quoniam quandoque est à spiritu maligno,vt satis probatur in prædicto ca. *licet*. & etiam quando inest aliquod legitimum impedimentum, qualis est seruitus personalis, & inhabilitas personæ per defectum sanitatis mentis,vel corporis, vel alius libertatis requisitæ ad id, quod Spiritus inspirat, vt nostra ætate inspirauit cuidam Reginæ, & multis nobilibus fœminis consecrationem sacramenti Eucharistiæ, contra cap. *noua*.[f]

f De pœnitẽt. & remissio.

14 AD ALTERAM QVÆSTIONEM respondetur, quòd ex prædictis resultat sua solutio: scilicet quod quamuis non liceat vouere non intrare, vel promittere simpliciter, quòd non ingredietur religionem approbatam; potest tamen contrahere cum aliquo contractum licitum, ex quo oriatur impedimentum ad intrandam religionem, donec im-

pleat ex parte sua illum contractum, & consequenter iurare, quod non intrabit eam, donec id faciat: quia nō licet ei vsque ad illud tempus eam intrare, & sic potest iurare, quòd non intrabit eam vsque ad illud tempus: quia id non est contra consilium Domini iurare. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Coegisse mulierem monasterium ingredi non dicitur quis, si illa non sit ingressa: vnde nec ipse, nec ei id consulens ligantur excōmunicatione sacri Concilij cap. 18. sess. 25. de regularibus.*

2 *Consulentes, auxiliantes, & similes cùm excommunicātur, in dubio accessoriè censentur excommunicari: vnde nō sequuto effectu, non ligantur.*

2 *Consulentes appellari ad futurum Concilium videntur non ligari excommunicatione bullæ Cœnæ latæ à Gregorio XIII. licet ligentur per excommunicationem Iulij II.*

## CONSILIVM V.

Cvm sacrum Concil. Trid. [a] anathematizet cogentes mulierem ad ingrediendum monasterium, atque præstantes consilium, auxilium, &c. Dubitatur, an cogens, & consilians sit excommunicatus, effectu non subsecuto.

1 Respondeo primò, quòd quæstio, quo ad cogentē, nullum videtur habere dubium: quia nemo potest dici cogēs ingredi, siue quod coegerit ingredi, nisi secuto ingressu. Aliud enim est conari cogere ingredi, & aliud cogere ingredi, quòd non potest cōstare sine ingressu, vt palam est. & ita certum est, conantem cogere ingredi non excōmunicari, eo quòd coēgerit ingredi. Secundo, quod neq; etiā consulens videtur excommunicari, nisi subsecuto effectu, & ingressu.

2 Tum quia consulens, fauens, & auxilians videntur accessoriè in d. canone excommunicari. Tum per regulam, *In pœnis benignior interpretatio est facienda*, [b] & cum ille canon 18. non exprimat expressè, nec tacitè, an accessoriè, an æque principaliter excommunicet consulentem, interpretandū est, quòd excommunicet accessoriè, quia illud est mitius, per resolut. positam in nostro Man. [c] per quam accessoriè excommunicatus non incurrit excommunicationem, nisi consecuto effectu principalis excommunicationis. Tum quia Caiet. [d] dixit, quod per const. Pij II. qua excommunicauit appellantes ad futurum Concilium à Papa, cum cōsulentibus, auxiliantibus, &c. non fuit visus excōmunicare consulentes, & auxiliantes, nisi appellatione subsecuta. Tū etiā dicitur in Man. [e] quòd per bullam Cœnæ, qua S.D.N. excommunicauit appellantes huiusmodi, & cōsulentes, ij non videntur excommunicati, nisi secuta appellatione: quamuis nec nos, ibi nec alius aliquis alibi reddiderit rationem fundamentalem, quam nos supra in prædicto fundamento reddimus. Tum quia Iulius Secundus extendit prædictā excommunicationem Pij Secundi ad eos, qui decreuerint esse appellādum, vel cōsuluerint licitè posse appellari à Papa ad Concilium, vel consuluerint appellare, etiā non secuta appellatione, & ita clarè significauit non cōprehendi eos, nisi eam extensionē ipse fecisset. Tū quia S.D.N. iuris callentissimus, excōmunicans appellantes, & consulentes, vt excommunicauit Pius Secundus, non addidit se excommunicare decernentes, & consulentes licere appellare, &c. vt Iulius, significans se pro sua benignitate velle ab excommunicatione bullæ Cœnæ eximere cōsulentes, & auxiliantes, non secuta appellatione, licet includantur in extrauagante Iulij II. sed non quo ad hoc, vt censeantur excommunicati bulla Cœnæ. Salua, &c.

a *Ca. 18. sess. 25. de regula.*
b *De reg. iur. li. 6. cum suis concord.*
c *Ca. 27. nu. 51.*
d *In sum. verbo excom. ca. 25.*
e *Ca. 27. nu. 58.*

SVMMARIVM.

1 *Cogens puellam ingredi monasterium, etiam vt ibi in habitu sæculari vsque ad ætatem nubendi educetur, comprehēditur sub decreto sacri Concilij sess. 25. de reg. cap. 18. & nu. 3.*

1 *Ingressus monasterij dictio, etsi de assūptione habitus probationis, ac de professionis emissione soleat intelligi, attamen quando lex disiunctiuè loquitur de assumptione habitus, vel de ingressu, tūc latius patet.*

2 *Repetitio eiusdem dictionis in eadem dispositione denotat id cum mysterio factum.*

## CONSILIVM VI.

AN cogens aliquam puellam minorem 12. ingredi monasterium, non causa accipiendi habitum, nec faciendi professionem, sed vt maneret ibi honestè vsque ad ætatem nubendi, incidat in excommunicationem [a] Concilij Tridentini.

1 Respōdeo, quòd pro parte negatiua facit primò, quòd in hac materia iuxta authent. *ingressi*, & ei annotata, [b] appellatione ingressus venit tantùm ingressus ad suscipiendum habitum, quem appellant primum ingressum, & ad faciendam professionem, quem appellant secundum ingressum, ad quorum nullum prædicta puella est coacta in casu proposito. Secundò, quòd si de quolibet ingressu esset intelligendum illud cap. Concilij, sequeretur quod etiam haberet locum in cogente ingredi ad audiendam Missam, vel ad visendam quampiam cognatam, quod non est dicendum, quia absurdum. [c]

Pro parte affirmatiua vrget primò, quod verba propriè sunt intelligenda, nisi de contraria mente loquentis appareat, [d] & verba illa disiunctim posita, *ad ingrediendum, vel ad habitum suscipiendum &c.* propriè intellecta comprehendunt cogentem tantùm ad ingrediendum, cum in alternatiuis sufficiat vnam partem earum esse veram. [e]

2 Secundo, quod bis repetit illa tria verba, *ad ingrediendum, vel ad habitum suscipiendum, vel ad professionem faciendam.* & repetitio dictionis in eadem dispositione facta significat id esse cū mysterio factū, iuxta glossam memorabilē. [f]

3 Tertiò, quod Concilium non abs re potuit considerare, quòd qui cogit intrare aliquam in aliquod monasterium, vt ibi educetur, indirectè videtur cogere, vt cùm temp⁹ fuerit, accipiat habitum, & faciat professionē precibus, aut blanditiis monialium, aut minis eiusdem, qui coēgit intrare, aut verecundia, & timore maledicorum, & ideo voluerit hanc viam indirectam cogendi præcludere, & legislatorum est, non solùm vias directas, sed etiam indirectas prohibere, iuxta ca. *cum quid vna via prohibetur, non debet altera concedi.* de reg. iur. lib. 6.

Per quæ videtur hæc pars literæ & menti illius cap. & vsui intromittēdi puellas ad educandum eas in monasterio germanior, & tutior, atque ideo tenenda. Salua, &c.

a *Cap. 18. de reg. sess. 25.*
b *C. de sacrosanctis ecclesi.*
c *L. nā quod absurdum. ff. de bonis lib.*
d *L. nō aliter. ff. de legat. 3.*
e *Capi. in alternatiuis. de reg. iur. lib. 6.*
f *In clem. 1. de iure patron. verbo diœcesanis.*

SVMMARIVM.

1 *Errans circa intelligentiā legis difficilis, qualis est, cap. 18. sess. 25. de regularibus excusatur à peccato mortali, & successiuè ab excommunicatione ob illud inflicta.*

## CONSILIVM VII.

Religiosus quidam, habens neptem, ac timens, ne in aliquem errorem incideret (patre enim carebat) procurauit, vt monasterium ingrederetur, donec ad nubendi ætatem perueniret: quod totum effectum est, etiam ipsa & matre nolentibus. Quæritur, an sit excommunicatus vigore Concilij Tridentini, [g] vbi ait, *Anathemati subijcit prædicta Synodus, &c.* Deinde quæritur, an si incidit in excommunicationem, id ignorans, celebrando inciderit in irregularitatem.

1 Respondeo, quòd D. consulens in foro exteriori iudicabitur excommunicatus, & si celebrauerit, irregularis, quamuis nos credimus eum non esse iudicandum irregularem in foro conscientiæ: quia, quia errat ob legem difficilem intellectu malè intellectam, non peccat mortiferè, secundum Innocentium, [h] de simon. probatum, & roboratum à Felino. [i] Et nemo cadit in excōmunicationem legis, vel canonis generaliter latam per actum, qui verè non est peccatum mortale, [k] quod in multis locis nos asseruimus, & nuper in manu. [l] & negari non potest prædictum ca. 18. quo ad hoc esse difficilè intellectu. Salua, &c.

g *Sess. 25. ca. 18.*
h *In cap. per tuas. num. 2. col. 2.*
i *In c. 1. de re iudicat. col. 7.*
k *Ca. nemo. & ca. nullus. 11. q. 3.*
l *Cap. 27. nu. 157. & 241.*

SVMMARIVM.

1 *Congregatio Hospitalarium Ioannis de Deo an ex bulla Pij V. sit censenda approbata vt religio, ex coniecturis, & in dubio pro negatiua est iudicandum. num. 3.*

2 *Regulares non sunt omnes, quibus Papa concessit, vt viuant sub regula seu secundum regulam S. Augustini. & num. 1.*

3 *Institutio nouæ religionis præcipuè mendicantium, & maximè illorum quorum professores vt plurimum lautius in sanitate & ægritudine gubernantur & tractantur, quam sibi pares sæculares in suis domibus priuatis degentes, non facilè est admittenda.*

## CONSILIVM VIII.

Visa bulla fœl. recor. Pij V. concessa fratribus, qui dicuntur confratres hospitalis Ioannis Dei, videtur primò esse quæstionis magnæ, an ipsi cōfratres hospitalis

prædicti,

prædicti, & aliorum similium debeant esse fratres professi.

1 Quoniam pro parte affirmante facit, quod debent viuere sub regula sancti Augustini. Pars vero negãs videtur verior. Tum quia præfatus Pius nõ videtur velle cõstituere nouam religionem, nec efficere nouam regulam. Tum quia regula sancti Augustini appellat Prælatos suos præpositos, & presbyteros, qualiter non appellat Pius, neque illi habent eos. Tum quia nullibi iubet, vt faciant professionem solemnem. Tum quia non videtur ipsi esse inhabiles ad cõtrahendum matrimonium, cùm sola professio facta in religione approbata inducat inhabilitatem ad illud contrahendum. Tum quia expresè habet, quod de cõsensu cõfratrum hospitalis, in quo viuunt, possint dimittere habitum, & assumere aliud. Tum quia nullam mentionem nec differentiam facit inter nouitium & professũ, sed solùm inter deferentem scapularium, & non deferentem illud. Et primo die quo illud accipiunt possunt petere eleemosynas, & seruire hospitali perinde post duos & tres menses, & post annum. Tum quia nouitius regularis si sit clericus, quales non oportet ipsos esse secundum S. Tho.[a] ad secundum, si simpliciter profitetur regulam S. Aug. diceretur canonicus regularis. At nemo, vt puto, dixerit ꝙ intentio præfati Pij V. fuerit facere eos canonicos regulares, quorum magna est in Ecclesia Dei auctoritas.

2 Tum quod potest quis viuere secundum regulam sancti Augustini, licèt non sit professus illam: canonici enim nouitij viuunt secundum regulam S. Augustini, & tamen non sunt professi illam. Nec præfati confratres tenentur, vt puto, recitare horas canonicas, qua tenerentur dicere, si essent canonici, vel profiterentur regulam S. Augustini. Itaque non debent ipsi meo iudicio facere professionem in forma prædicta, antequam habeatur notitia authentica de forma qua fit professio in hospitali Granatensi.

3 Immo neque postea, nisi consulto S.D.N. & facta per eum declaratione quòd hic modus viuendi erigitur in veram & approbatam religionem, & impedientem matrimonij contractum, & requirentem annum nouitiatus, & officij diuini, vel aliarum precum eis subrogandarum recitationem: quod nescio an facilè faciet, attẽta multitudine religionum, maximè mendicantium, contra cap. fi.[b] & quod populus magna paupertate opprimitur, & eorũ aliqui opiparius viuunt, & propinant ægrotis, quàm alij suæ conditionis homines in domibus suis tractantur. Et multi adeunt huiusmodi hospitalia, vt melius tractentur in eis, & hinc non parum crescit impensa populi, à quo illa mendicatur.

a 2.2.q. 189. art. 8.

b De religios. domib.

SVMMARIVM.

*1 Bullarum plumbatores, quibus Pontifices in collatione officij dant habitum ordinis Cistercensium, & vocant Cistercienses conuersos, ob hoc, cùm aliud non promittant, vel faciant, verè non efficiuntur religiosi, nu. 3. nec alicui subduntur, immo remanent laici liberi etiam ad effectum matrimonium contrahendi, vt prius. nu. 5.*

*2 Religiosus verus post Concilium nemo effici potest, nisi post probationis annum sine interruptione in monasterio exactum, & post emissa tria substantialia vota. nu. 4.*

*3 Papæ sola nominatio non facit quem religiosum.*

CONSILIVM IX.

IN curia est officium, quod vocant plumbatoris bullarũ, cuius officialis vocatur vulgo frater plumbi, & defert habitum, siue scapulare certi coloris, quod in collatione eiusdẽ à Papa accipit, & nominatur ab eo ordinis Cisterciensis conuersus: nullam tamen professionem emittit, nec viuit sub vllius regula, vel obedientia. Quæritur, an præfatus officialis sit religiosus, ita vt possit in aliquo à Cisterciensibus, vel aliis molestari super persona, & bonis, quæ in dies sibi acquirit.

1 Ad hanc quæstionem responsurus præmitto primo illud Iurisconsulti, *Inciuile est iudicare de lege, nisi tota ea perspecta*,[c] & non possum credere non esse aliqua statuta, vel leges, secundum quas debeãt prædicti plumbatores viuere, præsertim cùm à Papa vocentur conuersi Cistercienses, & accipiant habitum ab eo, & cùm portent scapulare certi coloris: & non possunt illa fieri, & dici commodè, nisi aliqua alia referantur & addantur: & ideo tenor illorum statutorum & legum proponendus esset Iurisconsultis huic quæstioni responsuris.

c L. inciuile. ff. de legibus.

Secundo, quod præsupposito, quòd nulla talia statuta habeãt prædicti plumbatores, & quòd Papa, cum confert illa officia, vel tollit, vel mutat ea, nec facit, nec dicit alia, quam quæ referuntur in quæstione proposita, dicenda videntur sequentia.

2 Primùm, quòd ipsi non sunt verè religiosi. Tum quia post Concilium Tridentinum,[a] nemo potest esse verè religiosus, nisi post annum probationis perfectum: & prædicti plumbatores nec faciunt, nec incipiunt, nec mediãt annum præfatum. Tum quia non solùm requiritur annus præfatus perfectus, sed etiam quod sit continuatus in monasterio, & non quomodocumque, sed continuè sine interruptione, vt videtur casus in cap. 1.[b] vbi post Lapum & Dominicum tradit Philippus Frãcus, & firmis rationibus probari potest. Tum quia præsupponitur nullam professionem eos facere, neque expressam, neque tacitam, & quod illa nihil potest operari, etiã si fieret, cùm fieret ante anni præfati perfectionem, quem numquã ipsi incipiunt.

2 Tum quia prędicta nominatio, qua Papa nominat eos Cistercienses, non sufficit ad faciendos eos religiosos veros, per Clementinam vltimam,[c] quæ habet non censeri Papam absoluere excommunicatum, eo quod verbo vel facto communicet illi, neque tribuere dignitatem, vel beneficium, seu honorem, eo quòd appellet eum nomine significante eum esse positum in illa dignitate, beneficio, vel honore.

4 Tum quia non sunt ipsi iure censendi conuersi Cistercienses, cum iure communi ad id requiratur vt faciant tria substantialia vota, castitatis, paupertatis, & obedientiæ, iuxta ea quæ tradũtur in cap. *ex eo*,[d] & in ca. *vt lex cõtinentiæ*. 27. q. 1. & traditur per Panormitanum, Felinum, & Decium, & eos, quos ipsi citant,[e] quæ ipsi non faciunt, vt latè monstrari potest per ea, quæ nos adducimus in commen. 2. de reg.[f] referendo latè ea, quæ sunt necessaria ad hoc, vt quis dicatur emisisse illa.

5 Secundò, quòd prædictis est consequens prædictos plumbatores nullatenus esse religiosos: & consequenter neque à Cisterciensibus, nec ab aliis religiosis posse molestari tamquam à superioribus, & posse vti proprio, & bonis aliàs iustè quæsitis, immo & contrahere matrimonium, & renũciare officiis suis, reseruatis sibi fructibus de consensu Papæ, vel non reseruatis, & denique omnia alia, quæ licita sunt clericis, vel laicis, iuxta statum, quem legitimè habent, vel habuerint, si, vt præmittitur, statuta, leges, vel consuetudines præscriptæ, vel aliæ conuentiones inter Papam & ipsos, vel iuramenta iustè præstita, non fuerint eis contraria. Salua, &c.

a Cap. 15. sess. 25. de reg.

b De reg. l. 6.

c De sent. excommunic.

d §. 1. de elect. li. 6.

e In c. in præsent. de prob.

f Super c. cui portio. à nu. 14.

SVMMARIVM.

*1 Milites regulares sancti Stephani, cùm sint vere religiosi, sunt incapaces parochialis sæcularis. num. 11.*

*1 Religio sancti Stephani à magno Duce Hetruriæ ex concessione Pij IIII. num 4. ad instar Calatrauæ & Alcantaræ, nu. 3. ad militandum pro defensione fidei, ita vt non requirat clericatum, num. 2. instituta, & etiam ab eodem Pontifice confirmata, est verè & propriè religio, nu. 1. habitum habens regularem militans sub regula sancti Augustini. nu. 4. cuius professores votum paupertatis emittunt. num. 5. & 9. & morientium spolia spectant ad ærarium religionis. nu. 5. possunt tamen ex priuilegio Apostolico relicta quinta parte dicto ærario testari. num. 5. & num. 9 & 10. Itemque emittunt votum castitatis, mitigatum tamen à sede Apostolica ad coniugalem. nu. 6. & 11 suntque etiam si beneficia possiderent à iurisdictione ordinaria exempti. nu. 7. ex eorum autem statutis post sacrum Concilium editis & confirmatis non tenetur facere annũ probationis. n. 8. & 10.*

*9 Votum obedientiæ regularis includit in se votum castitatis. & paupertatis in regula præceptæ.*

CONSILIVM X.

CVm Vincentius Guidius presbyter Lucanus V. I. D. & ordinis seu militiæ sancti Stephani Papiæ professus, in concursu parochialem ecclesiam sanctæ Mariæ de Brancalo Lucanæ diœcesis obtinuerit, stante Lateranensi Concilio,[g] ac sacro Concilio Tridentino,[h] dubitatur, an per assumptum habitum, & emissam professionem in dic.

g In c. monachi. de statu mona ac canoni. regul.

h In c. 10. sess. 14. & toto ti. de regularib. & monialib. sess. 25.

militia, ita sit regularis effectus, vt incapax sit sæcularium beneficiorum, & ita à dicta parochiali reiiciendus.

1 Respondeo, quod pro parte affirmatiua propositi dubij facit primo, quòd omnis, qui emittit professioné, qua in religione probata voueat tria vota substantialia, est religiosus, siue regularis, accipiendo propriè & strictè illa verba, *religiosus, & regularis*, vt accipiuntur in titul. de regul.[a] secundum omnes,[b] & communem,[c] & alibi sæpe. & prædictus consulens emisit professionem etiam expressam huiusmodi: quia emisit illam in prædicta religione S. Stephani, quæ est approbata, vt constat per confirmationem eiusdem à Pio IIII. factam, & vouit tria vota, scilicet charitatis, pudicitiæ, & obedientiæ, vt ex forma vouendi in prędicta religione palam colligitur. Ergo est verè, propriè, & strictè religiosus, & regularis.

a Tam in lib. 6. Clem. quã in antiquis.
b In d. urbri. de regul.
c In c. eccle sia sanctæ Maria. de consti.

2 Secundò facit, quòd duo sola sunt genera hominum, alterum clericorum, & Deo deuotorum, siue religiosorũ, & alterum laicorum,[d] & sodales sancti Stephani nõ sunt laici, quia gestant habitum cruce insignitum, & distinctum ab habitu Christianorum laicorum, vt palam est, & ita nõ sunt laici. Non etiã sunt clerici: quia licet clerici possint esse sodales illius ordinis, de substantia tamen & essentia illius non est aliquis ordo, vt colligitur ex regula, quę non requirit vllum ordinem etiam clericatus, quo ad eos, qui sunt arma sæcularia exercituri, sicuti neque est de substantia & essentia monachorum, & religiosorum aliorum ordinum, quàm canonicorũ & regularium, vt definit sanctus Thomas.[e] Ergo sunt Deo deuoti, siue religiosi.

d Capit. duo sunt genera. 12. q. 1.
e 2. 2. q. 189. art. 8. ad 2.

Tertio facit, quòd religio vera & propria potest institui ad militandum pro defensione fidei, vel reipubl. Christianæ, vt pulchrè probat S. Thomas,[f] & prædicta religio sancti Stephani est instituta ad defensionem fidei Christianæ, & ad impugnationem infidelitatis illi contrariæ: ergo meritò dici potest vera & propria religio, & sodales eius verè & propriè religiosi.

f 2. 2. q. 188. art. 3.

Quarto facit, quòd omnes communiter putant prædictam religionem sancti Stephani esse quiddam longè maius, & altius, quàm fratrias, siue confraternitates, siue societates, quas vocant gloriosissimæ Trinitatis, Sacramenti, S. Crucis, Rosarij, Misericordię, & id genus alias: & si nõ esset vera & propria religio, non esset res altior illis: ergo est vera religio.

3 Quinto, quod religio sancti Stephani videtur instituta instar religionum sancti Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, quæ inueniuntur in Hispania ad militandum institutæ, vt expressè colligitur tam ex primis, quàm ex secundis literis Pij IIII. quibus dedit facultatem instituendi prædictam militiam. At illæ sunt veræ & propriæ religiones, vt apertè probauimus in tract. de reditibus ecclesiast.[g] Ergo etiam prædicta religio sancti Stephani censenda est vera religio, & sodales eius verè religiosi, & verè regulares.

g Qu. 1. mon. 55. & 56.

4 Sexto, quod prædicta militia S. Stephani est instituta iuxta formam & facultatem instituẽdi, quam dederat Duci institutori Pius IIII. qui solùm dedit ei facultatem instituendi vnam militiam sub regula sancti Augustini, aut sancti Benedicti, vel Cisterciensis aut alterius approbati ordinis, vt habetur expressè in primis literis Pij IIII. & etiam in secundis, ibi, *Sub certum approbatum ordinem per eũ eligendum*: & ibi, *Sub regula sancti Benedicti, vel alterius approbati ordinis*: & ibi, *Habitu regulari huiusmodi ordinis*. Per quæ verba clarè significatur, habitum prædictæ militiæ debere esse regularem, & non qualem qualem, sed ordinis huiusmodi, nempe probati: quia hæc dictio, *huiusmodi*, est restrictiua,[h] & clarius ibi, *Sub regula sancti Benedicti erexerit*. Per quæ apparet, quod prædicta militia erecta fuit sub regula sancti Benedicti: & consequenter sunt religiosi, & regulares ordinis sancti Benedicti, quos constat verè & propriè esse religiosos.

h L. huiusmo di. de leg. 1.

5 Septimò, quòd ex variis locis regulæ, & statutorum præfatæ militiæ colligitur, præfatos milites expressè vel tacitè emittere votũ paupertatis: nã in c. 3. *dell'habito del Cauallero*, habetur, quod aliqui prędictę militiæ sunt conuersi: at cõuersus in religione est, qui tria substantialia vouit,[i] & in c. 4. habetur, religiosos aliorũ ordinũ huic militiæ pariũ posse transire ad illam de Superiorum consensu, & ex ca. 17. & ibi, *Quello che s'e detto delle spoglie, &c.* per quæ verba

i Cap. ex eo. §. 1. de elect. lib. 6.

A significatur, eos non habere liberam testandi facultatem: & ex cap. 26. quo iubentur milites ægroti facere inuentarium suorum bonorum mobilium, ad hoc, vt eo mortuo perueniant ad suum ordinem: & in ca. 2. *delle alloggiationi*, ibi, *che li ben delle spoglie si vendano all'incanto, &c.* & in cap. 1. *delle prohibitioni, & pene.* ex quo patet, non habere illos liberam facultatem testãdi, sed limitatam, & id virtute illius statuti auctoritate Papæ confirmati: & in cap. 26. *delle prohibitioni, & pene*, ibi, *I beni delle spoglie de i nostri Cauaglieri s'appartengono di buona ragione al nostro thesoro commune, &c.* Et in additione reformationis, & in priuilegiis à Pio IV. cõcessis expressè dicitur, quod prædicta militia est instituta B sub regula B. Benedicti, & paulò inferius facit eis priuilegium testandi, quinta parte relicta ordini prædicto, præsupponendo, quod non possint testari liberè. Tum quod in eisdem literis pro priuilegio cõceditur eis, quod quædam beneficia sæcularia eis conferri possint, si aliàs canonicè conferantur.

6 Pro contraria parte multa possunt allegari: quorum primũ est, quòd non potest cõsistere religio absque voto solemni paupertatis, castitatis, & obediẽtiæ,[a] & latè probat S. Thomas,[b] & quòd prædicti milites non vouent castitatem simpliciter, sed tantùm castitatem coniugalem, nec vouent paupertatem, sed loco eius caritatem: quod palam est non tollere dominium, neque possessionem C bonorum, vt tollit votum solemne paupertatis.[c]

a Ca. cum ad monasteriũ. de statu monach.
b 2. 2. q. 186. art. 6. & 7.
c Ca. non dicatis. 12. qu. 1.

7 Secundo, quòd in priuilegiis concessis à Pio IV. est vnum, quo exemit ab omni iurisdictione ordinaria quoscumque milites prædictæ militiæ, etiam quotcumque & qualiacumque beneficia habentes: per quod præsupponere videtur, posse prædictos milites recipere & obtinere beneficia etiam sæcularia curata, & simplicia: quia, qui totum dicit, nihil excludit.[d]

d Cap. solitæ. § fin. de maior. & obed. c. si Romanorum. 19. dist.

8 Tertio, quod videtur in prętorio Rotæ decisum, prædictam militiam sancti Stephani non esse propriè & verè religionem, & in ea possunt facere professionem, & in ea possunt facere professionem ante finitum probationis annum, quæ tamen non potest fieri in religione, quæ verè D & propriè sit religio, post Concilium Tridentinum.[e]

e Per cap. 15. sess. 25. de regularibus.

Quarto, quod licet eis testari de omnibus suis bonis, relicta quinta parte ordini, vt patet per priuilegium Pij V. sub fin. suæ regulæ, & statutorum impressum.

9 Quinto, quod votum castitatis coniugalis non sufficit ad veram religionem, vt probat S. Thomas.[f]

f 2. 2. qu. 186. art. 4. ad 3. & art. 6.

Sed hæc non obstant. Ad primum enim respondetur, negãdo, quòd prædicti milites non emittant votum paupertatis solemnis, Tum quia contrariũ colligitur ex multis locis supra citatis, in quibus probatur non esse prædictis militibus testandi liberam facultatem. Tum quia, qui professionem facit secũdum aliquam regulam monachalem à Sede Apostolica approbatam, videtur vouere casti- E tatem & paupertatẽ, quas regula illa iubet seruari, etiam si nullam aliã expressionem faciat, quod confirmatur per illud singulare dictum S. Thomæ,[g] scilicet quod votum obedientiæ continet alia duo vota, scilicet castitatis, & paupertatis, quæ præcipit regula.

g 2. 2. q. 186. art. 8.

Ad secundum concedo illud habere colorem, sed non concludere. Tum quia nõ habet bulla Pij IV. quòd prædicti milites possũt habere quodcũque, & qualiacumque beneficia, sed quòd quodcumque & qualiacũque habeãt, sunt exempti, quod longè aliud est, & verificari potest in beneficiis regularibus, & sæcularibus cõmendatis, vel per dispensationẽ retentis, vel dependentibus ab ordine suo.

10 Ad tertiam concedimus, in prætorio Rotæ decisum F esse, posse prædictos milites vouere intra annum probationis, sed non ea ratione, quòd prædicta militia non sit vera religio, sed aliis rationibus, quæ in decisione redduntur, & optima videtur esse, quod per statuta à Sede Apostolica confirmata post Concilium Tridentinum in prædicta militia non requiritur annus probationis, sed simul in assumptione habitus fit professio, vt patet ex ca. 3. continente modum assumendi habitum, & profitendi.

Ad quartã respondetur, negando quòd liceat eis testari libere, sed cum limitatione, & id nõ iure cõmuni, sed priuilegio expresso Pij IV. & statutis à Sede Apost. cõfirmatis: per quod argumentũ retorqueri potest facile in arguentẽ.

11 Ad quintum concedimus, votum castitatis coniugalis non sufficere iure communi ad constituendum votum solemne castitatis: sed negando id non posse fieri priuilegio: cùm enim solemnitas voti sit iure humano inducta, potest illa minui, vel augeri rationabili causa subsistente: & ita, sicut Papa potest facere religioso facultatem aliquo modo testandi, moderando solemnitatem voti paupertatis: ita etiam facere facultatem vtendi coniugio legitimo, minuendo solemnitatem voti castitatis, vt etiam dixi in prædicto tractatu de redit. eccles. [a]

Per hæc tumultuario studio scripta, hanc partem credimus veriorem, licet contraria ab initio ante lectum librum regulæ me ei accedere coëgisset, eamque affirmare etiam nunc voluissem in gratiam D. consulentis, quem profectò ex animo amo, & suspicio. Salua, &c.

a Q.3.nu.12.

SVMMARIVM.

1 *Miles ordinis Christi in Italia de licentia Superioris, manēs gaudet canonis & fori priuilegio, estq; verè religiosus. nu. 2. & seq.*
2 *Matrimonium etsi iure commun. sit incompatibile cum religione, secus tamen est si accedat dispensatio Apostolica, quæ potuit ex iusta causa castitatis votum essentiale religionis in religionibus militaribus mitigare, & reducere ad votum coniugalis castitatis. num. 4.*
3 *Voti obligatio iuris naturæ & diuini est, solemnitas humani, & ita, vt plus, vel minus in ea requiratur, statui potest.*
4 *Pontifices Maximi sicut Petrus eamdem potestatem à Deo accipiunt immediatè.*

## CONSILIVM XI.

1 QVIDAM eruditissimus patronus per multa cōclusit, quemdam militem ordinis Christi Lusitanię manentem in Italia, de licentia Magistri illius militię, qui est Rex à Sede Apostolica deputatus, debere gaudere priuilegio canonis & fori, & accusatum de crimine remitti ad suum iudicem ecclesiasticum. Rogatus vt meam, de conclusione præmissa subscriberem simpliciter sine allegationibus sententiam, dico primò, illam esse veram, eruditè, neruosè, copiosè, & piè fundatam.

2 Dico secundò, quòd nullus alius contra eam videtur relictus scrupulus, præterquam quod quibusdam recentioribus visum est, coniugium incompatibile esse religioni, & per consequens non esse possibile, quòd aliquis sit legitimè coniugatus, & religiosus, cùm contraria non se compatiantur. qui tamen scrupulus duplici consideratione conteritur. Altera est, quod licet in corpore iuris clauso iure communi, cui nititur doctrina D. Thomæ recepta [b] assumptum sit verū, per dispensationē tamen sedis Apostolicæ id fieri potest, secundum communem sententiam Innocentij glossæ & aliorum, [c] quam etiam Caietanus sequutus est contra suum D. Thomam, [d] quam nos etiā sequuti sumus in Manu. [e] & paulo latius in com. 2. de reg. [f]

3 Altera, quod licet voti obligatio sit iure naturali & diuino inducta, solemnitas tamen voti iuris humani Pontificij inuentum est, Pontifices enim Maximi induxerunt, vt ad faciendum solemne votum requiratur primò, quod constet ex tribus votis, scilicet, castitatis integræ, paupertatis, & obedientiæ: secundò, quòd hæc tria fiant in religione approbata: tertiò, quòd fiant in manibus eius, qui potest vouentem incorporare religioni, & quod alioquin non sit solemne secundum omnes. & ideo sicut Papa statuit, & induxit, vt omnia prædicta requirantur ad hoc, vt aliquod votū dicatur solemne, & sufficiens ad faciēdum quam verum religiosum, & ad alios certos effectus, & ita potest statuere, vt aliquid amplius requiratur, vel aliquid minus sufficiat, & consequenter potest efficere, quod non solùm votum castitatis integræ, sed etiam votum castitatis coniugalis sufficiat.

4 Cum omnes Pontifices Maximi equalem, immo eamdem potestatem ecclesiasticā immediatè à Deo, sicut ipse Petrus accepit, habeant, & accipiant, arg. cap. *in nouo.* [g] & alia multa, quæ nos citauimus in repet. cap. *nouit.* [h] Quò fit, quòd licet omnes religiosi emittant votum paupertatis, non tamen omnes pari modo ad eam seruandam obligantur: Franciscani enim de obseruantia, & Capuccini tenentur eam seruare in particulari, & in communi, at religiosi non mendicantes tantùm in particulari, nō in communi. Quin & Mendicantes ante Concilium Tridentinū non poterant habere in communi, nisi cum certa limitatione, nunc autem post Concilium Tridentinum possunt habere sine illa, per cap. 2. [a] quin & alicui religiosi, etiam quibus non licet habere proprium, possunt ex priuilegio certo modo testari per limitationem voti paupertatis: & ita non est, cur quis miretur Pontifices Maximos statuisse, vt aliquot religiosi religionum ad militiam armatam constitutarum propter maximam difficultatem seruandi votum castitatis integræ, conuersando fere semper cum sæcularibus maribus & feminis, satisfacerent voto castitatis religioni necessariæ seruando coniugalem.

b 2.2.q.188. art.3.& quinque sequentibus art.
c In cap. cum ad monasterium. de statu mona.
d 2.2.qu.88. art.11.
e Cap.12.nu. 75.
f Nu.17.
g 21.dist.cap. cuncta. c. ipsi sunt. 9.qu.3. & c.1.de homicid.in 6.
h De iudicio. not. 3.
a Sess. 25.

5 Cuius rationis, quam ante nos neminem putamus ita expresse tradidisse, incōsideratio, in causa fuit, nostra sententia, vt prædictis recentioribus visum fuerit huiusmodi religiosos milites coniugatos non esse religiosos, contra multa diplomata à Sede Apostolica religionibus militaribus concessa. & ita non solùm primo modo dicto, sed etiam hoc secundo conteritur prædictus scrupulus.

Dico tertiò, accepisse me à viro fide digno, quòd in curia Regis Catholici quidam miles ordinis sancti Iacobi coniectus in carcerem ob crimē morte naturali dignum, qua Rex cupiebat eum puniri, fuit liberatus ab ea à iudicibus, à Rege, quatenus est magister militię, datis, per scripta nostra per prædictum dominum consulentem citata, & in Africam ad pugnandum contra Sarracenos ad certum tempus relegatus, eo quòd gaudere deberet priuilegio canonis, & fori, tamquam religiosus religionis approbatæ, sed & in Lusitania, in qua quindecim annis cathedram primæ functionis insignis Academiæ Conimbricensis rexi, semper tamquam rem notoriam intellexi, prædictos milites Christi prædicto priuilegio tamquam religiosos gaudere. Quare prædicti Domini consulentis conclusio mihi proculdubio vera est. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Cap. 3. sess. 6. Concilij Tridentini an in milite sancti Ioannis locum habeat, à Pontifice petendum. num. 6.*
1 *Milites sancti Ioannis, & alij tria vota solemniter in approbata religione emittentes sunt veri religiosi.*
2 *Verbum nemo regularis, omnes etiam milites ex propria significatione comprehendit, nisi speciali ratione excludantur.*
3 *Dispositio exorbitans ad omnia extenditur, quæ eius verba propriè signant.*
4 *Delegatus Papæ procedens in exemptos non dicitur eorum priuilegio exemptionis contrauenire.*
5 *Priuilegijs per clausulam generalem in lege positam derogatur.*
6 *Consuetudo etiam nondum legitimè præscripta, seu vsus secundum quem lex fuit recepta, sunt optimi legum interpretes.*

## CONSILIVM XII.

AN MILITES sancti Ioannis Hierosolymitani comprehendantur sub dispositione Concilij Tridentini [b] quatenus habet, ordinarium tamquam Sedis Apostolicæ delegatum posse visitare, punire, & corrigere quemcumque clericum cuiusuis ordinis personalis, & regularis, extra monasterium degentem, & delinquentem, non obstantibus priuilegijs, &c.

Huius quæstionis decisio, meo iudicio, ex paucis pendet. Primum, quod desiderari potest vera litera præfati [c] Concilij Tridentini: quia hæc, quā habemus, vix est intelligibilis quo ad illa verba, *cuiusuis ordinis personalis, vel,* &c.

Secundò, quòd vtcumque intelligatur, in effectu sonat, quòd nullus clericus sæcularis, vel regularis, &c. & ita ponderationes verbi *clericus*, quas aliqui faciūt ad inferendum, quod loquitur de præfatis militibus, leues videntur.

1 Tertiò, quòd negari non potest, præfatos milites S. Ioannis esse verè & propriè regulares: quia, quicquid aliqui dicant, non satis agnoscentes, & venerantes naturam religionis à S. Sede Apostolica approbatæ, omnes illi & soli dicuntur verè & propriè religiosi, siue regulares, qui emittunt legitimè tria vota substantialia, castitatis, paupertatis, & obedientiæ, in manibus superioris, vel locum eius tenentis, & sub aliqua regula à Sede Apostolica approbata, iuxta sententiam Canonistarum receptam [d] & Theologorum, [e] quod etiam nos grauissimis fundamentis comprobamus in tractatu de redit. eccles. [f] & constat præfatos milites emittere præfata tria substantialia vota

b Ca.3. de refor sess.6.
c Ca.3 de refor. sess. 6.
d In rubrica de regul.
e In 4. li sent. dist. 38.
f Quæ. 1. nu. 53. & q.3. nu. 27. & 29.

in manibus sui Superioris sub regula à Sede Apostolica approbata, laudata,& ad sidera priuilegijs meritò exaltata.

2 Quartò, quòd ponderatio, qua ponderatur verbum *nemo*,& verbum *regularis*, [a] ad hoc,quod verba illius cap. ex propria significatione comprehendunt regulares,& in his etiam præfatos milites, iuxta glossam 2. ab omnibus receptam & laudatam [b] irrefragabilis est: & ita, nisi aliquo respectu particulari eximantur præfati DD. milites, continentur in eo.

a *Præfati c.3.*

b *In clem. 1. de decim.*

3 Quintò,quòd ad hoc,vt excludantur ab eo, non sufficeret,quod illud esset contrarium iuri, communi, vel exorbitans ab eo: quoniam etiam talia omnia extenduntur ad omnia contenta sub propria significatione verborum illorum, iuxta textum solemnem adiuncta glossa & doctrinam Francisci Aretini, [c] quam Decius Alciatus & omnis turba recentiorum expendentium suo iudicio leges sequuntur vbique.

c *In l.cum lege. ff. de testam.*

Sextò, quòd potissima huius dubij resoluendi ratio pendet à duobus illis dubijs. Alterum est,an præfatum capi.3.sit contrarium priuilegio præfatorum militum. Alterum, an, esto sit contrarium censeatur derogare illi,non facta mẽtione de priuilegijs ordinis eorum in specie, vel saltem in genere de priuilegijs ordinum militantium.

4 Et quidem pro parte negatiua prioris dubij facit, quod mandatum Papæ,factum alicui, vt procedat auctoritate delegata contra aliquem exemptum, non videtur contrarium priuilegio exemptionis,quia nemo est exemptus à iurisdictione Papæ: & ita delegatus, procedens vt delegatus Papæ contra exemptum,cùm non procedat vt ordinarius,à cuius iurisdictione ille est exemptus,non videtur facere contra exemptionem, vt sensit glossa quam in hoc commendat Panormitanus [d] concludens, quòd delegatus ad corrigendos clericos auctoritate delegata potest procedere contra exemptos.

d *Ca. graue. de offic.ord.*

Sed pro contraria parte videtur facere primo, quod opinio communis tenet contra Panormitanum vt ait Felinus [e] per rationes,quę apud eum videri possunt. Secundò,quòd forte præfatus ordo militum habet priuilegium simile priuilegio ordinis Cisterciensium, ne per rescripta Papæ possint conueniri, nisi facta mentione sui ordinis, quale tamen an habeant,ignoro.

e *In d.ca.graue.*

5 Pro vtraque parte posterioris dubij possent multa citari ex his, quæ Felinus congerit,[f] & ex citatis ab eo [g] copiosissime;qui tamẽ tenet,sufficere clausulam generalem tollentem priuilegia, cum reuocatio eorum fit per viam legis,iuxta clem.*dudum*.[h] & derogatio priuilegiorum, de qua loquimur,fit per viam legis,& non qualis qualis, sed Conciliaris. Dicit etiam sufficere clausulam consuetam de stylo curiæ poni, *quorum tenores habẽtur pro expressis.*&c. & facile quis posset defendere, quod clausula derogatoria priuilegiorum posita in lege communi æquiualeat clausulę derogatorię pręfatæ solitæ apponi de stylo curię.

f *In ca. accedentes.nu.4. de præscript.*
g *Ibidem.*
h *§.fin.de sepult.*

6 Quoniam autem interdum in præfato Concilio Tridentino fit mentio in specie de ordinibus, & interdum non,insurgit magna dubitatio, an intenderit Concilium derogare priuilegijs militaribus, nisi facta expressa mentione de illis:& sic videtur necessaria declaratio Papalis. quia item consuetudo est legum optima interpres, [i] quãuis non fuerit legitimè pręscripta,secundum communem videretur habenda consideratio vsus, quo receptum est præfatum cap.3. quæ quia factum aliqua ex parte respiciunt,non dico plura, submittens hæc pauca tumultuario studio scripta Illustrissimi Domini mei censuræ.

i *Ca.cum dilectus. de consue.& le.minimè.ff.de legib.*

*Responsum hoc videtur datum satis diu,cum referatur hanc religionem super hoc à Pio V.priuilegium impetrasse, de quo hic nulla fit mentio.*

## SVMMARIVM.

1 *Probationis annus incipit à die suscepti habitus regularis, qui debet intra claustra,vel alibi de licentia saltem tacita Superioris deferri.nu.8.& licet ex Concilio Tridentino professio non possit fieri ante annum probationis, de iure tamen ex consensu partium potest antea fieri:videtur tamen quod requiratur consensus Papæ in hoc.num.6.*

3 *Professio tacita iure quidem inducitur per habitus regularis indistincti annalem gestationem:sed & consuetudine induci potest, vt per perseuerantiam vnius hebdomadæ, vel solam adeptionem possessionis canonicatus regularis censeatur facta professio.nu.6.*

4 *Habitus canonicorum regularium nihil fere distat ab habitu honesto clericorum sæcularium,vnde & paruo roqueto albo, quo alicubi vtuntur,satis à sæculari distinguitur.*

5 *Regulare beneficium 40. annis per sæculares possessum sæculari conferri potest.*

5 *Regularis Ecclesia cõuentualis nõ desinit esse regularis,licet in ea tota regularis obseruãtia non seruetur,immo debet reformari.*

7 *Consuetudine præscripta induci,quicquid à lege statui,potest.*

7 *Habitum regularem,hoc est roquetum, vt extra ciuitatẽ propriam non portet canonicus regularis, consuetudine saltem immemorabili induci potest.& num. 11. consulendum tamen talibus,vt saltem occultè illum deferant.nu.12.*

8 *Claustrum inhabitare censetur regularis, qui ex iusta causa de licentia sui Superioris stat extra.*

9 *Peculium regulares habere possunt nedum de expressa, sed & de tacita Superioris licentia.*

10 *Professionem inductam fuisse in foro exteriori iudicandum potius est, quàm contrarium, cùm in dubio pro religione sit pronunciandum.*

11 *Professio tacitè emissa per canonicũ regularem,quando accepit canonicatum,ex eo quod beneficium renunciet,nõ euanescit, immo adhuc tenetur habitum regularem portare, vt prius.*

## CONSILIVM XIII.

TITIO à summo Pontifice collatus fuit canonicatus cuiusdam Ecclesię cathedralis sub regula S.Augustini,cuius Ecclesiæ canonici licet regulares dicantur, nullam tamen emittunt professionem: qui canonici in ciuitate,in qua canonicatum obtinent, assiduè gerunt quoddam scapularium,quod dicitur roquetus,latitudinis duorum digitorum,quem tamen extra ciuitatem minimè gestant, neque apud dictos canonicos aliqua regularis obseruantia viget, quinimmo complures ex dictis canonicis, qui sacris ordinibus initiati non sunt, vxores absque dispensatione apostolica, dimisso canonicatu, & dicto scapulario,duxerunt.

Ex hac facti specie de tribus hæsitatur. Quorum primũ est,an dictus Titius qui dimisit suum canonicatum reseruata sibi quadam pensione super eodem canonicatu, sit capax officiorũ vrbis Romę,& illa per se exercere possit.

Secundo quæritur, an cùm apud dictos canonicos vrgeat consuetudo immemorabilis,quę ab eis etiam in pręsentiarum obseruatur,non deferendi dictum scapularium extra ciuitatem,sed tantùm in ea, an peccent, si illud minimè gestent, prout gestant in ciuitate in qua canonicatum obtinent.

Tertium dubium est,an iste Titius,qui fuit canonicus, teneatur illud scapularium gestare in dicta ciuitate,prout & cæteri canonici gestant, attento quod ille dimiserit suum canonicatum,& amplius canonicus non sit.

1 Respondetur primò,quod harum quæstionum respõsio præsupponit decisionem alius quæstionis, scilicet an præfatus Titius sit professus regulam canonicorum regularium S.Augustini. Pro cuius parte negante facit primo Concilium Tridentinum,[a] quatenus habet nullam professionem religionis ante annum probationis valere, & quod prædictus Titius nullum annum probationis videtur egisse. Tum quia videtur nullum habitum religionis assumpsisse, & annus probationis incipit à tempore susceptionis habitus,vt exprimitur in eodem Concilio.[b]

a *Sess. 25. de reg. c. 15.*

b *In d. ca. 15.*

2 Secundo,quod roquetum,qui posset alicui videri seruire pro habitu, non detulit intra claustrum monasterij, quod communiter tenetur esse necessarium ad anni probationis perfectionem,iuxta cap.1.[c] & clem.*eos*.[d]

c *De reg. l.6.*
d *Eod.tit.*

3 Pro parte tamen affirmatiua facit, quod licet prædictus Titius non fecerit professionem expressam, videtur tamen fecisse tacitam,quæ fit per gestationem habitus indistincti annalem,per prædictum cap.1.[e] & de clem.*eos*.[f]

e *De reg. l.6.*
f *Eod.tit.*

4 Secundo,quod non obstat, quod ipse non gestauerit habitum canonicorum regularium. Tum quia habitus canonicorum regularium nihil fere distat ab habitu honesto clericorum sæculariũ,vt satis notat glossa recepta in [g] & prædictus Titius gestauit habitum honestum clericorum sæcularium, & præterea etiam roquetũ, quo videtur

g *Clemen. 1. verb. habitus.de elect.*

distingui

distingui habitus canonicorum Ecclesiæ prædictæ cathedralis ab habitu clericorum sæcularium, præsertim eo quòd est albi coloris, cuius est etiam roquetus magnus Episcoporum, quo vt plurimum vti solent canonici regulares per ciuitates incedentes.

5 Tertiò, quòd prędicta Ecclesia cathedralis videtur esse regularis, quales fuerunt olim fere omnes Ecclesiæ cathedrales Galliarum, vt colligitur ex Volaterrano, & etiã nunc appellatur regularis, & canonici eius canonici regulares, qui etiam nunc deferunt roquetos illos paruos, & sedes ipsa Apostolica in literis prouisionis appellat eos regulares S. Augustini: & Ecclesia vel religio regularis non desinit esse talis, propterea quod tota obseruantia regularis non seruetur in eis, quamuis beneficium regulare possessum 40. annis per sæculares possit conferri sæculari, iuxta cap. *cum de beneficio*.[a] quoniam fractio regulæ non annihilat religionem, sed inducit reformationis necessitatem, iuxta ea quæ habentur in cap. *ad nostram*.[b]

6 Quarto, quod licet in prædicta Ecclesia non fiat expressa professio, potest tamen dici, quod fiat tacita, immo quod consuetudine induci potest, vt de consensu partium fiat ante annum probationis, vel quod saltem facta obliget profitentem ad religionem, [c] immo quod censeatur esse facta per perseuerantiam vnius mensis, vel hebdomadæ, vt audiui adhuc seruari in aliquibus Ecclesijs Gallicanis: immo etiam dici posset introduci posse consuetudine legitimè pręscripta, vt per possessionem pacificè acceptam loci canonicalis censeatur professio facta: quoniam quicquid potest induci lege, potest induci consuetudine, [d] & hæc possent induci per legem Papæ: quia non sunt contra ius naturale, neque diuinum, sed solum contra humanum, vt palam est. [e]

7 Quinto, quod non obstat dicere, quod prædicti canonici non portant roquetum prædictum extra ciuitatem. Tum quia etiam hoc induci posset consuetudine saltem immemoriali, quia non est contra legem naturalem, neque diuinam. Tum quia posset dici eos malè facere.

8 Sexto, quod non obstat etiam dicere, quod non detulit Titius habitum intra monasterium. Tum quia satis est, vt gestet illum extra illud de licentia Superioris ex aliqua honesta causa concessa, per illud dictum Abbatis antiqui [f] recepti à Panormitano, [g] scilicet quod monachus manens extra monasterium de licentia Abbatis, videtur manere intra illud: & quamuis prædicti canonici accepta possessione, & roqueto, non absint à monasterio de licentia expressa Superioris, abesse tamen possunt dici de licentia tacita, quæ in hoc proposito tantùm valet, quantùm expressa, vt colligitur ex decisione vtriusque Cardinalis, [h] quam nos sequuti fuimus, & latè probauimus in comment. 1. de reg. [i]

9 Septimo, quod non obstat etiam dicere, quod non seruatur in prędicta Ecclesia votum solemne paupertatis, eo quod vnusquisque canonicorum disponit de rebus suis, vti sibi libet. Tum quia responderi potest, vt in proximo argumento, quòd id faciunt de licentia tacita, de qua licentia vtendi proprio loquuntur prædicti Cardinales. Tum quia negari potest eos vti rebus suis, vt sibi libet, quamuis sic, vt honestè licet, vt latè probauimus in plerisque locis commun. de reg.

10 Per quæ omnia videtur periculosum consulere partem contrariam negatiuam absque sedis Apostolicæ licentia: quia saltem de rigore iuris hæc pars affirmatiua defendi posse videtur, & in dubiis pro religione est iudicandum & consulendum, iuxta l. *sunt personæ*. [k] *summa est ratio quæ pro religione facit.*

AD PRIMAM igitur quęstionem colligitur ex decisione prædicta pars negatiua.

11 AD SECVNDAM respondetur, quod per dicta ad præsuppositam non peccant: quia consuetudo immemorialis in his, quæ sunt contra legem humanam habet vim legis. [l]

12 AD TERTIAM colligitur responsio per dicta ad primam præsuppositam, eum teneri: quia professio quamlibet tacita non tollitur per renunciationem beneficij, etiam si transiret ad aliud, iuxta cap. *cum olim*. [m] & alia multa ibi citata, & iuxta cap. *cum ad monasterium*. [n] Vnde consulo vt saltem occultè habitum suæ religionis in ciuitate deferat, prout antea, dum erat canonicus, palam deferebat, cùm regularis semper remaneat etiam dimisso canonicatu, & malè fecerint qui vxores duxerunt dimisso canonicatu, cum regulares canonici remansissent. &c.

a *De prabē. li.6.*
b *De appell.*
c *Ca. ad Apostolicam. de regularib.*
d *Arg. c. vlt. de consuet. & le. 2. ff. quæ sit longa consue.*
e *Arg. ca. vidua. cum ei adnot. de regul.*
f *In cap. cum illorũ. de senten. excomm.*
g *In c. ex rescrip. de iureiuran.*
g *In cap. non dicatis. 12. q. 1.*
i *Super d. ca. nu. 20.*
k *ff. de religio. & sumpt. fun. ibi.*
l *Capit. super quibusdã. de verb. signifi. & l. hoc iure. §. ductus aquæ. ff. de aqua quot. & æstiua.*
m *2. de priuileg.*
n *§. vlt. de statu monach.*

SVMMARIVM.

1 *Regularis qui non est, habitum regularem non deferat.*
2 *Professio tacita fieri censetur, vbi regularis habitus semper defertur, licet expressa numquam emittatur.*
3 *Papa ex causa licentiam dimittendi habitum dare potest, alius autem eo inferior non.*
3 *Regularis subiectus Episcopo eius Vicarius & cubicularius fieri potest, si tamen sit exemptus, requiritur licentia Superioris.*
4 *Habitum occultè ferendi dispensatio fere tam difficilis, ac dimittendi, minus tamen ab instituto regularis recedit primus, quàm secundus. num. 5. Item & facilius excusatur à pœna, sed non à peccato. num. 4.*
5 *Dispensandi iusta causa dimittendi habitum regularem arbitraria.*

## CONSILIVM XIIII.

DE QVODAM, qui dicit se esse monachum S. Benedicti cuiusdam monasterij, in quo post memoriam siue à tempore, cuius initij non est memoria, non fit, vt fertur, professio expressa, nec viget obseruantia regularis plusquam in Ecclesia collegiata sæculari, &c. & quærit, an adsit iusta causa dispensandi cum eo, vt sibi liceat deferre habitum subtus vestem, & occultè, & ita famulari aliquibus prælatis, eo quod monasterium denegauit sibi alimenta studiorum, & quod propterea consumpsit substantiam paternam, & æs alienum contraxit, & quod ob reuerentiam & verecundiam non audet prædicta alimenta à monasterio repetere.

1 Respondeo primò, quòd D. consulens præsupponit se esse verum monachum, & religiosum: quia, si verus monachus non esset, sine vlla dispensatione Papæ posset patientiam, siue habitum regularem, quam supra vestem defert, deferre intus illam: quia etiam posset, immo deberet illam omnino dimittere, vt palam est.

Secundò, quòd eius præsupposita opinio videtur esse iure verior, per multa, quæ in simili quæstione adduximus pro hac parte in quadam consultatione cuiusdam canonici ecclesiæ cathedralis regularis, in qua nulla dicitur fieri professio expressa, attamen semper defertur roquetus albus ad formam cuiusdam patientiæ, & ita videtur fieri tacita professio per illa, quæ ibi adduximus.

2 Tertiò, quòd certum est posse S. D. N. pro sua summa in leges humanas potestate facere prędictam facultatem, quam Dominus consulens desiderat, [a] posse inquam iustè & sanctè facere illam facultatem, si iusta causa id faciendi adesset, argumento eorum, quæ Innocentius cum omnibus asseclis eius tradit. [b]

3 Quarto, quod etiam est certum, monachum iustè posse fieri cubicularium, & Vicarium alicuius Episcopi, iuxta glossam adiuncto textu [c] quam citat Romanus, [d] vbi citat Innocentium [e] receptum ab omnibus, præsertim à Felino [f] citante vitiosè Romanum: quod est verum, si est sibi subiectus, & etiam de licentia Superioris, si est exemptus, secundum omnes: quod tamen est intelligendum habitu retento: quia solius Papæ est facere facultatem manendi extra monasterium sine habitu, secundum omnes. [g]

4 Quintò, quòd fere tam difficile est dispensare vt monachus deferat subtus vestem habitum, ac dispensare ne deferat illum, per glossam memorabilem. [h] Dixi, *fere*, propter ea, quæ de pœna addit Panormitanus, [i] cuius determinatio licet posset procedere quo ad hoc, vt pœna non ita incurratur per occultationem, sicut per dimissionem, non tamen videtur procedere quo ad culpam: quoniam quo ad illam incurrendam videtur paria esse, deferre occultum, & dimittere, per prædictam glossam communius receptam.

5 Sextò, quòd tãtum & tale potest esse æs alienum contractum à Domino consulente, & tanta & talis potest esse substantia paterna, quam ipse impendit in literarum studiis, & tam indecora & molesta petitio, lis, & actio, quam moueret Dominus consulens cõtra monasterium, quod prætendit iniustè per inuidiam, vel alium affectum

a *Arg. c. proposuit. de concessio. prabē. & ca. cuncta per mũdum. 9. q. 3.*
b *In c. quæ in ecclesiarum. de constit.*
c *In cap. cum pastoris. 2. q. 7.*
d *Singu. 506. & sing. 278.*
e *In c. cum I. & A. de re iudic.*
f *Ibid. nu. 13.*
g *Per ca. 2. ne cleric. vel monach. li. 6. & c. cler. de vita & honest.*
h *Clemen. 2. verb. extrinseci, de vita & honest. cleric.*
i *In ca. Deus qui. de vita & honestat. cleric.*

iniustum, negasse sibi alimenta studiorum debita, & tanta, & talis verecundia relinquendi studia iam cœpta, iuxta qualitatem personæ ipsius, quæ ea cœpit, quod boni viri arbitrio posset videri iusta causa dispensandi, & faciendi facultatem, quam petit, per ea, quę nos scripsimus in com. de regul.[a] cum tractamus de ingressu debentium & obligatorum in monasteria, & [b] de obligatione ingressorum, & professorum illa, quam habent ad laborandum, & lucrandum, quæ sufficiant ad soluenda debita, quæ non est necessarium hic repetere, cùm ibi facile videri possint. Adiungendo eis, quod minus recedit ab institutione regulari deferens habitum occultum, quàm omnino illum dimittens, per prædicta, quæ Panormitanus adiecit,[c] vt prædictum est.

a *Super c. cui portio. 12. q. 1. à nu. 8. & super c. non dicatis. nu. 42.*
b *In commẽ. super ca. non dicatis. num. 42.*
c *In d. c. Deus qui.*

*SVMMARIVM.*

1 *Exemplari sublato, tollitur obligatio faciendi aliquid ad illius similitudinem: sicut & sublato fundamento, cætera superædificata corruunt.*

1 *Religio illa, quæ ab immemorabili tempore desiit ob eam intrantibus expressam exigere professionem; etsi videri posit, quod nec tacitam exigat, attamen probabiliter credi potest priuilegio, quod ex sola allegatione hoc casu probatur concessum vt tacita sufficeret. nu. 3. 4. & 6. vnde eam ingredientes elapso anno à die habitus suscepti de manu Superioris sunt censendi professi. nu. 5.*

2 *Professio coram Deo ibi est nulla, vbi non fuit animus profitendi: quamuis qui regularem habitum in religione, etiamsi in ea non soleat emitti expressa professio, suscipit, & per annum gestat, præsumitur professus, cùm sciat, vel scire debeat ex hoc illam induci. num. 5.*

3 *Consuetudine immemorabili induci potest, quidquid lege humana statui, & priuilegio concedi, immo & ea stante illud sola allegatione probatur, & nu. 4.*

6 *Commendatarij monasteriorũ æquiparantur habentibus ea in titulum quo ad omnia pertinentia ad administrationem, etiamque quo ad effectum recipiendi religiosos ad habitum. num. 5.*

7 *Religionis essentia non est, vt generalem habeat præsidentem omnibus illius religiosis.*

CONSILIVM XV.

IN religione S. Basilij approbata in sui initio fiebat expressa professio, à tempore autem, de cuius initio non est memoria, regulari obseruantia in ea collabente, eius monasteria commendata fuerunt, desijtque emitti consueta professio. Dubitatur, an ille qui huiusmodi religionis habitum de manu commendatarij, vel Prioris non expressè professi susceptum per aliquot annos gestarunt, tacitè professi intelligantur religionem S. Basilij.

1 Pro parte negante huius quęstionis facit primò, quòd sublato fundamento ædificij tollitur ędificium,[d] & ablato priori & principali tollitur posterius pendens ab illo,[e] & sublato exemplari videtur tolli obligatio faciendi aliquid instar illius.[f] Cùm ergo obligatio profitendi expressè, & professio expressa sint quoddam fundamentum, & quoddam prius, & exemplar obligationis profitendi tacitè, non existente obligatione profitendi expressè, videtur non existere obligatio profitendi tacitè.

2 Secundò, quòd nulla professio potest esse vera sine animo profitendi coram Deo, secundum omnes.[g] Vnde neque expressa valet coram eo sine animo profitendi facta,[h] & tacita ideo iudicatur valida, quia deferens habitum tanto tempore videtur habuisse animum faciendi professionem fieri solitam in illo monasterio. At intrans monasterium, vbi nulla fit professio expressa, neque est qui recipiat, non videtur habere animum faciendi professionem, quam non nouit, quia nihil volitum, quod non sit prius cognitum, secundum Augustinum.

3 Pro parte verò affirmante facit, quòd posset Papa constituere nouam religionem, in qua nulla professio fieret expressa, sed solùm tacita per solam delationem habitus certo tempore continuatã,[i] & consequenter posset etiam per consuetudinem temporis immemorialis, vel quæ ad id esset legitima, id ipsum induci: quoniam quod potest fieri lege humana, potest etiam fieri consuetudine.[k] & quicquid potest induci priuilegio, potest induci consuetudine immemoriali.[l] Immo etiam consuetudine minore induci posset, vt quis inuitus cogatur rem suam vendere iuxta l. *venditor.*[a] quam ad hoc commendarunt pro singulari Felinus[b] & aliquot alij[c] & alij alibi.

d *Ca. cũ Paulus. 1. q. 1.*
e *Ca. translato. de constit.*
f *Le. in testamento. ff. de condit. & demonst.*
g *Ca. humana. 22. q. 5.*
h *Arg. c. tua. & cap. is qui. & eis adnotatis, de sponsal.*
i *Arg. ca. cuncta per mundum. 9. quæ. 3. & ca. proposuit. de concess. præben.*
k *Le. de quibus. ff. de legib. & ca. fin. de consuetu.*
l *Le. hoc iure. §. ductus aquæ. ff. de aqua quot. & æsti. ca. super quibusdã. §. præterea. de verb. signifi.*

a *§ si constat. ff. commun. præb.*
b *Nu. 27.*
c *In c. quæ in ecclesiarum. de constitu.*

4 Cum igitur possessio, & consuetudo immemorialis habeat vim priuilegij: ita quod qui allegaret aliquid sibi competere priuilegio Papæ, ad quod probandum literas Apostolicas non haberet, probando consuetudinem immemorialem, probaret titulum, & priuilegium à se allegatum, secundum omnes, per prædictam l. *hoc iure.*[d] & ca. *super quibusdam.*[e] Cumque certum sit posse Papam concedere priuilegium alicui religioni, immo etiam omnibus, vt illarum professores non teneantur ad professionem expressam, sed quod sufficeret tacita, & quod illa esset tanti valoris, quanti expressa: cumque hic allegari possit huiusmodi priuilegium, immo & probabiliter credi propter commendationes in quæstione tactas, quæ bonam partem religionum labefactarunt: vtique videtur quod illud probari possit præsumptiuè per prædictam consuetudinem immemorialem.

d *§. duct⁹ aquæ. ff. de aqua quot. & æst.*
e *§. præterea. ff. de verb. signi.*

5 Cumque iure communi professio tacita suppleat expressam, proculdubio nouitij, qui susceperunt habitum de manibus commendatariorum, & gestarunt tempore & modo iuridico sufficienter ad inducendam tacitã professionem, censendi sunt professi tacitè: quia sciebant, vel scire debebant regulam sancti Basilij esse approbatam, & sub ea victuros teneri ad profitendum solemniter tria substantialia vota, iuxta formam regulę illius: & sciebant, vel scire debeant iura omnia nota, quod per delationem legitimam suscepti habitus tempore vnius anni sine protestatione contrariæ voluntatis nouitij, vel monasterij, censetur ipso iure facta professio.

6 Non obstat, Prælatos fuisse commendatarios, & non proprietarios, iuxta cap. *nullus.* cap. *quorumdam.*[f] & cap. *cum singula.*[g] Quia commendatarij Prælati æquiparantur proprietarijs quo ad omnia iura pertinentia ad administrationem, vt tradit Panormitanus[h] quem sequitur Decius, & à se citati,[i] & multis probari posset. Non etiam obstãt argumenta in contrarium adducta: quoniam in hoc casu non deest fundamentum, nec prius, nec exemplar professionis tacitæ: quia expressa cõtinetur in ipsa regula, & solita fuit aliquando fieri interdum expressè, & interdum tacitè, & postea priuilegio, vel consensu Papę, qui hoc poterat inducere, præsumitur inductum per consuetudinem immemorialem, qui sola tacita emitti solita fuit: & ita non est curandum de expressa, sed de sola tacita, quæ est instar expressæ antiquitus institutæ, & solitæ fieri. & sic patet responsio ad secundum oppositum.

f *Ca. si religiosus. de elect. li. 6.*
g *§. prohibemus. de præb. eod. li.*
h *In c. querelam. de elect.*
i *In c. edoceri. sub fin. de rescript.*

7 Non obstat etiam, quod religio prędicta S. Basilij nullum caput, siue generalem Prælatum habet: quia de religionis essentia non est, vt habeat generalem omnibus religiosis illius religionis pręsidentem. Tum quia nullo iure naturali, diuino, nec humano id cauetur. Tum quod canonici regulares, quorum monasteriorum olim maxima copia fuit, secundum Volaterranum, qui de numero eorum erat, nullum generalem habuerunt, postquam cœperunt multiplicari. Tum quia antequam Papæ priuilegio eximerentur Abbates, & monachi, suberat vnumquodque eorum monasterium Episcopo, in cuius diœcesi erat situm.[k] Salua, &c.

k *Ca. Abbates. 18. qu. 2. cum multis alijs.*

*SVMMARIVM.*

1 *Monachum esse, & professionem nec tacitam, nec expressam fecisse, pugnat.*

3 *Religionem ita supprimere potest Pontifex, vt remaneat solummodo quo ad apparentiam in delatione habitus, & aliquorum aliorum externorum: quam suppressionem sola allegatione probabit is, qui immemorabilem probabit consuetudinem. nu. 2. Item & à principio talis potest institui, quã qui ingrediuntur non fiunt verè religiosi, nu. 4. nec à Pontifice possunt cogi, vt religionem approbatam ingrediantur, nu. 5. nec vt efficiantur verè religiosi. nu. 6.*

6 *Regularis vt aliam, quam non vouit, ingrediatur religionem etiam laxiorem, nec arctiorem, nec per supremum Prælatum cogi potest. nu. 7.*

CONSILIVM XVI.

PRÆSVPPOSITO, quod in monasterio montis Auellanæ monachi à tempore immemoriali nullam

emittere

emittere solent professionem expressam, nec tacitam, & quod deferre consueuerint religionis habitum, vt ratione illius fierent habiles ad obtinenda beneficia illius religionis, cuius erat illud monasterium, & quod possunt conuiuere simul, non tamen ad id compelli.

Quaeritur, an Papa potuerit cogere praefatos monachos ad intrandam aliam religionem veram, & approbatam, & ad eam profitendam.

1 Ad hanc quaestionem responsurus, dico primò, videri posse alicui pugnare secum praesupposita. Primò quidem, quatenus habent, in monasterio Montis Auellanae fuisse monachos, qui non emitterent professionem expressam, nec tacitam, cùm nemo possit esse monachus, nisi faciat professionem validam, [a] Monachum enim non facit habitus, sed professio. [b]

Secundò, quatenus habēt monachos praefatos consueuisse deferre habitum religionis, vt ratione illius fierent habiles ad obtinenda beneficia religionis, cuius erat illud monasterium, & quod non erant verè regulares religiosi: quoniam nulla alia ratione videbantur esse inhabiles ad illa beneficia, qui habitum non deferebant, quàm quia erant regularia, [c] & illa non poterant esse regularia, nisi religio Montis Auellanae fuisset vera religio, & eius monachi essent verè religiosi expresè vel tacitè professi.

Tertiò, quatenus ab vna parte habent illos monachos solitos fuisse suscipere habitum, & deferre illum, & tacitè significant, eos qui vellent, potuisse conuiuere simul, & ab alia parte significant non potuisse compelli ad conuiuendum simul.

2 Sed haec repugnantia tolli potest, eo quòd extra haec proposita in aliis mihi oblatis asseritur esse clarissimum, & probari posse, quod praedicta religio Montis Auellanae à tempore immemoriali fuit collapsa, tam quo ad regulam, quàm quo ad habitum: quod non potuit fieri, nisi eo quod ibi desiuerit fieri professio regularis, licèt soleret deferri habitus regulę approbatę conueniens. & constat consuetudinem immemorialem haberi pro titulo, vel pro probatione tituli, quem allegare voluerat is, pro quo illa facit, [d] & ideo posset quis allegare praefatos monachos dictos fuisse quidem monachos, quia modum quemdam viuendi separatum à communi vita, & accedentem ad monachalem viuebant: sicuti solebant olim habere fratres Tertiarij ordinis S. Francisci viuentes congregati, iuxta glossam solemnem. [e]

3 Allegando item, quòd priuilegio, vel sententia, vel reformatione aliqua S. Sedis Apostolicae fuit statutum, vt illa religio extingueretur quo ad veram essentiā religionis, & maneret quo ad apparentiam, & quo ad modum viuendi praedictum, separatum quidem à communi vita, & accedentem ad monachalem: ita quod verae religioni extinctae succederet noua apparens, in qua post mortem antea professorum non fieret vltra professio regularis expressa, nec tacita: quod vidimus esse factum in multis monasteriis, & Ecclesijs, etiam cathedralibus canonicorum regularium in Hispaniis & Gallijs.

4 Et etiam allegari posset, quod nulla vmquam ibi fuisset religio vera, sed solū apparens, & quod ex aliqua fundatione antiqua statutum fuit, vt certa beneficia nullis alijs conferrentur, quam gestantibus habitum praefatorum monachorum, & seruantibus illum modum viuendi: & pro omnium horum probatione allegare possumus praefatam consuetudinem immemorialem, qua probata, probarentur tituli allegati.

Secundò dico, his consequens esse, praefatos monachos non fuisse religiosos, sed solum conuixisse quamdam vitam & modum viuendi differentem à communi, & accedentem monachali, qui defendi potest fuisse iustus, & licitus, licet nullam professionem regularem religionis approbatae facerent expressam, nec tacitam, per d. glossam [f] ab omnibus receptam.

5 Tertio dico, his praesuppositis, & praedicta defensione munitis, ad punctū quęstionis responderi posse, mea sententia, non potuisse Papam compellere praefatos monachos, seu vitam quadamtenus monachalem degentes, ad ingrediendam, & profitendam aliam religionem veram & probatam.

6 Tum quia nemo cogitur crescere. [a] Tum quia nemo cogitur vouere, & virginitas suaderi potest, non pręcipi. [b] Tum quia licet sint variae opiniones circa illam quaestionem, An religiosi possint compelli ad obseruantiam suae regulae duriorem illa, quàm inuenerunt tempore suę professionis, quam meo iudicio tersius & attentius tractat Decius, quàm alij [c] omnes tamen consentiunt in hoc, quod non possunt cogi ad profitendam nouam regulam, quam antea non vouerunt. Cum ergo D. consulens numquam vouisset illam religionem, quam Papa pręcepit ei profiteri, nulla ratione potuit eum ad id compellere.

7 Tum quia nos pridem respondimus id quod postea typis excudi fecimus in com. 4. de reg. [d] nullum Prelatum nec inferiorem, nec supremum posse cogere vllum religiosum ad transeundum ad aliam regulam strictiorem, nec laxiorem, ratione ibi subiecta: in quod faciunt scripta super eod. cap. *statuimus.* [e] Ex quibus colligitur, fratres Minores Conuentuales, quorum regulam Pius V. extinxit in Hispania, non potuisse compelli ad profitendam regulam fratrum Minorum Obseruantiae, quia regula eorum est longè durior, & alia, quam regula Conuentualium: quia hi profitentur regulam D. Francisci temperatam priuilegiis Apostolicis: illi vero profitentur eam nullo tali temperamento laxatam. Salua, &c.

SVMMARIVM.

*1 Probationis annus, qui necessario professionem praecedit, debet esse adeo continuus, vt menses quibus stetit in primo monasterio, à quo sine licentia ad aliud transiuit, etiam de voluntate secundi monasterij non possint coniungi.*

*2 Tempus à iure statutum in dubio debet esse continuum.*

*3 Professio nulliter facta sine scientia nullitatis non ratificatur.*

## CONSILIVM XVII.

M. INGRESSVS quoddam monasterium, post decem menses sine licentia illud egressus est, & se ad aliud eiusdem ordinis contulit, in quo receptus de consensu fratrum post duos menses emisit professionem, & multos annos postea perseuerauit.

Quaeritur, an huiusmodi professio N. valeat, vel possit ad aliam religionem se transferre.

1 Respondeo, quod professio Domini consulentis expresè facta non valuit, quia fuit ante vnum annum continuum completum, & post Concilium Tridentinum [f] professio facta ante finē anni nouitiatus est ipso iure nulla quo ad omnes effectus. Nec obstat, quod nouem, vel decem menses mansit in vno monasterio, & reliquum tempus adimpleuit in alio, & consenserunt monachi vt haberetur annus pro completo.

2 Tum quia annus debet esse continuus [g] vt probat Lapus Abbas, [h] & probat text. in cap. 1. [i] ibi, *per totum annum:* per quem hoc tenuit ibi Dominicus & Francus ea ratione, quam Lapus allegat, nempe, quòd omne tempus statutum à iure ad aliquem effectum debet esse in dubio continuum, iuxta glossam celebrem & receptam. [k]

3 Tum quia sic vidimus in sacro Poenitentiariae praetorio iudicari: & quamuis aliquot annis postea manserit in monasterijs, reputando se professum, non tamen ideo est tacitè professus, quia qui post professionem inualidè siue nulliter factam, nesciens illius nullitatem in monasterio perseuerat, non censetur satis ratificare illam, vt determinat Caietanus. [l] Quare arbitror hunc D. consulentem non esse religiosum verè professum alicuius ordinis, & ita posse transire ad quamlibet aliam religionem, vel potius intrare quamlibet aliam de nouo sine vlla alia dispensatione. Salua, &c.

SVMMARIVM.

*1 Professio apud mendicantes ante Concilium Tridentinum anno probationis non completo emissa non faciebat aliquem religiosum verum in specie, sed solùm in genere, id est obligatum ad intrandam aliquam religionem: quae non dirimit matrimonium postea contractum, sed impedit, nu. 2. immo nec impedit, si per professionem intendebat se solùm obligare dicto ordini, quem profitebatur, nu. 3.*

## CONSILIVM XVIII.

QVIDAM ante Concilium Tridentinum ingressus religionem Carmelitarum ante finem anni nouitiatus fecit professionem, & post multos annos miles factus



a Ca. 1. de regu. lib. 6.
b Ca. porrectum. de reg. & gloss. in ca. vidua. eodem titulo.
c Arg. c. possessiones. de reb. eccles. nō alien. & cap. cum de beneficio. de preb. li. 6.
d Cap. super quibusdā. §. praeterea. de verb. signific. & l. hoc iure. §. ductus aquae. ff. de aqua quoti. & aestiua.
e Clem. cum ex eo. verbo tertio. de senten. excomm.
f Praefatae clē. cum ex eo.

a Cap. gesta. 74. dist.
b Ca. integritas. 32. q. 1.
c In c. ad nostram. nu. 9. de appell. notab. 4.
d Super c. statuimus. 12. q. 2. nu. 21.
e à nu. 13. vsque ad 20.
f C. 15. de regu. sess. 25.
g Per ca. 1.
h In allegat. 47.
i De reg. li. 6.
k In rub. de diuers. & tempor. praescript. adde l. 1. ff. de diuers.
l 2. 2. q. 189. art. 5.

cum tribus succeſsiuè contraxit matrimonium, cum quarum tertia filijs ex ea ſuſceptis viuit. Quæritur quid iuris.

1 Reſpondeo ſequentia. Primum, præfatum oratorem non fuiſſe verum religioſum ordinis Carmelitarum: quia, licet per profeſsionem etiam intra annuum nouitiatus emiſſam in ordine non Mendicantium fieret quis verus religioſus ordinis, quem profiteretur ante Cõcilium Tridentinum:[a] profitens tamen ordinem Mendicantium ante finem anni nouitiatus non fiebat verus religioſus illius ordinis, quem profiteretur, per cap. *non ſolum.*[b] quod de ordine Prædicatorum & Franciſcanorum ſtatuit, & per cap. *conſtitutionem.*[c] quod præfatum cap. *non ſolum.* extendit ad omnes ordines mendicantes, qualis eſt ordo Carmelitarum,[d] ſed tantùm fiebat religioſus in genere, idest obligatus religioni in genere, vt dixit gloſſa dicti cap. *non ſolum.*[e] & ante Archidiaconus receptus ab omnibus.[f]

2 Secundũ, quod matrimonia contracta ab oratore poſt pręfatam profeſsionem valuerunt: quia profeſſus religionem in genere non eſt verè religioſus, ſed ad ſummum obligatus ad ſe faciendum religioſum, ſi inueniat receptores, vt tradunt in ſpecie Angelus[g] & Silueſter,[h] quod & nos, ipſis non relatis, tenuimus in Com. 2. de reg.[i] poſt Calderinum.[k] Et tam ipſi, quam nos dicimus in ſpecie, quod profitens in ordine Mendicantium etiam ante Concilium Tridentinum fiebat profeſſus in genere tantùm, & matrimonium ab eo contractum valuiſſet.

3 Tertium, quod ſi orator habuit animum obligandi ſe ſolùm ordini Carmelitarum, & non religioni in genere, potuit licitè contrahere matrimonium: quia tali animo profitens ordinem Mendicantium, nec in ſpecie, nec in genere obligatur religioni, vt Dominicus poſt & ante alios tenet.[l] Si autem habuit animũ obligandi ſe religioni in genere, peccauit quidem, quoties poſtea contraxit matrimonium, ſed matrimonia valuerunt, & peccabit, ſi mortua vxore, quam nunc habet, quarta vice contrahat: quia ea mortua tenebitur intrare religionem. Salua, &c.

a Ca. ad Apoſtol. de reg. b De reg. lib. 6. c Eod. tit. & lib. d Ca. 1. §. penult. de religio. dom. li. 6. e In verbo veſtro ordini. f Ibidem in eod. verb. g In ſum. verbo religioſus. §. 14. h Verbo religio 5. q. 5. i Super c. non dicatis. 12. q. 1. nu. 5. k Conſil. 23. & 27. de reg. l In d. ca. non ſolum.

SVMMARIVM.

1 *Probationis annus debet adeo eſſe continuus, vt menſes in quibus habitum in vno monaſterio geſtauit non coniungantur cum menſibus quibus ſtetit in alio: itemque dictus annus, ſeu habitus, ea intentione fuerit datus, & aſſumptus, vt ſic tamquam nouitius probaret, & probaretur, nu. 2. & 4. & in ætate legitima continuatus. num. 1. & hæc etiam procedunt quo ad forum exterius, num. 4.*

2 *Tacita profeſſio non inducitur dato errore Prælati recipientis aliquem ad habitandum, & ad alios actus tamquam prius profeſſum, nec item per licentiam datam ad ſuſcipiendos ordines, illorumve ſuſceptionem. num. 3. ſed nec poſt Concilium Tridentinum poteſt eſſe tacita profeſſio, vbi non præceſſit completus annus probationis aſſumptus intentione probationem faciendi. num. 4.*

## CONSILIVM XIX.

QVIDAM in 12. ætatis ſuæ anno ſuſcepit habitum Minorum de Obſeruantia, & in diuerſis monaſterijs vitam ſuam tranſegit, donec legitimam ætatem ad profitendum attingens ad monaſterium Aracæli de Vrbe ſe contulit: vbi, narrato Superiori, quod ipſe tot annis geſtauit habitum religionis, fuit ab eo admiſſus, & nulla expreſſa facta profeſsione ad ordines ſuſcipiendos miſſus, prout ſucceſsiuè etiam ſacris inſignitus fuit, actibúſque profeſſorum ſe immiſcuit.

Quæritur, an ſaltem tacitè profeſſus intelligatur.

Reſpondetur primò, hanc cauſam Domini conſulentis eſſe ſatis implicitam, & eius deciſionem pendere ab aliquot iuris modorum, & articulorum explicatione, quæ pro rei dignitate facere non vacat: neque quod facio feciſſem ob alias grauiſsimas occupationes, niſi me iubentium auctoritas in id adegiſſet.

1 Secundò, quòd Dominus conſulens nõ poteſt cenſeri fuiſſe profeſſus, donec in monaſterio de Aracæli reciperetur. Tum quia non potuit eſſe profeſſus tacitè, nec expreſsè ante annum 16. ætatis ſuæ completum, ante quem longè prius ſuſcepit habitum. Tum quia non poterat expreſsè, nec tacitè profiteri ante annum nouitiatus completum, quem ipſe non compleuerat: quia licet vno anno & amplius geſtaſſet habitum, coniungendo menſes, quibus manſit in vno monaſterio, cum alijs, quibus manſit in alijs monaſterijs, hoc tamen non ſufficit ſecundum veriorem & receptiorem ſententiam, ſecundum quam annus probationis & nouitiatus debet eſſe continuus, & in legitima ętate continuatus, prout ſæpe reſpondimus, qualem Dominus conſulens non fecit.

2 Tertio, quod non poteſt etiã cenſeri profeſſus in pręfato monaſterio de Aracæli. Tum quia nullam expreſſam profeſsionem ibi fecit. Tum quia nullã expreſſam, neque tacitam facere potuit in eo, antequam compleret annum nouitiatus, quem tamen non compleuit. quod colligitur ex eo, quòd actus agentium non operantur vltra intentionem eorum, & non fuit intentio Miniſtri, qui eum ſuſcepit, ſuſcipere tamquam laicũ & nouitium ad faciẽdum annum probationis, nec intentio Domini conſulenti ſuſcepti fuit intrare illud monaſterium tamquam ſæcularis, & qui nouè habitum ſuſcipit ad faciendum præfatum annum probationis. quod colligitur ex eo, quod Miniſter non interrogauit eum, an eſſet nouitius, nec profeſſus, nec conſulens quidquam dixit ei de hoc: & quod ſimpliciter fuit tractatus, vt alij profeſsi, & quod nũquam fuit iuſſus vel rogatus facere profeſsionem, pluſquam alij profeſsi, eo quod Miniſter habuit magnam credendi cauſam, quod erat profeſſus, eo quòd Dominus conſulẽs narrauit ei ſolum, ſe pridem accepiſſe habitum, & multis annis geſtaſſe illum in multis monaſterijs ante legitimam ætatem, & etiam in ea, & ita magnam cauſam habuit credendi, quod erat profeſſus, & quòd iuſsit ei ordines etiam ſacros ſuſcipere, & facere alia, quæ ipſi profeſsi faciebant, exeundo foras extra monaſterium, & extra Vrbem. Tum quia non obſtat, quòd de iuſſu prælati ordinis ſuſcepit ordines ſacros, & quòd per talem ſuſceptionem videtur facere profeſsionem, nec quod nouitius immiſcendo ſe actibus profeſſorũ videtur aliquibus profiteri. Nõ inquã hæc obſtãt.

Ad prius enim reſpondetur, falſum eſse, per talem ordinationem fieri profeſsionem, immo nec ratificationem iam factæ, vt nos probamus in Comment. 4. de reg.[a]

Ad poſterius reſpondetur primo, quod etiam iure antiquiori Concilio Tridentino non cenſetur quis tacitè profiteri, eo ſolo, quod ſe miſcet actui proprio profeſsorum: ſed requiruntur aliquot aliæ conditiones, vt tradit diligenter Panormitanus:[b] quarum vna eſt, quod cognoſcat, & ſciat per talem actum fieri profeſsionem, quod tamen neſciebat Dominus conſulens, & ignorant multi etiam eruditi.

4 Secundo reſpondetur efficacius, quàm forte alius hactenus reſponderit, quod poſt Concilium Tridentinum hoc nullatenus habet locum ante annum nouitiatus completum, per cap. 15.[c] quod habet, nõ poſse vllo modo profeſsionem fieri validam ante complementum anni probationis, & in caſu propoſito numquam compleuit annum probationis, qui debet eſse continuus, & cum intentione probationis faciendæ, qualem non compleuit ipſe, vt prædictum eſt.

Per quæ omnia concluditur primò, certum eſse, præfatum Dominum conſulentem non eſse verè profeſsum expreſsè, nec tacitè quo ad forum conſcientiæ. Secundò, quòd etiam videtur verius non eſse ipſum pręſumendum profeſsum etiam quo ad forum exterius. Tertiò, quòd Illuſtriſsimus Reuerendiſsimuſque Protector, & Generalis pręfati ordinis, licet poſsent eum fatigare in foro exteriori, ſi eſsẽt quærentes magis ſua, quàm quę ſunt Chriſti, rem tamen ſuo ſuperilluſtri genere, ſuaque maxima religione, & humanitate dignam faciẽt, ſi eum declarauerint non eſse cenſendum profeſsum, & permiſerint ei viuere honeſtè in habitu, quem gerit, presbyterali. Salua, &c.

a Super c. ſtatuimus. 19. q. 3. num. 71. & ſeq. b In cap. vidua de regu. num. 7. c De reg. ſeſſ. 25.

SVMMARIVM.

1 *Profeſſus tacitus eſt cenſendus is, qui vltra annum habitum nouitijs & profeſsis communem geſtauit, non obſtante quod ad profeſsionem expreſſè faciendam ſæpius petitam numquam fuerit admiſſus, nec aſsignati tres dies profeſſuris aſsignari ad deliberandum conſueti per conuentum, qui etiam ſolet nouitios poſt quodcumque tempus eijcere.*

1 *Probationis annus poteſt incipi & compleri, etiam antequam quis compleat ſuæ ætatis annum 16. & virtute illius poſtea emitti profeſsio.*

2 *Ignorantia iuris non suffragatur in foro exteriori, quò minus quis per annalem delationem habitus communis censeatur tacitus professus, sufficit tamen coram Deo. nu. 4.*

3 *Tacita professio non censetur inducta in illis monasteriis, in quibus ex statuto, vel præscripta consuetudine licet nouitios quandocumque ante expressam professionem eiicere, item & quando aliunde constat intentionem vel nouitij, vel conuentus esse, vt per tales actus tacita professio non inducatur: & coram Deo numquam inducitur professio, nisi concurrat intentio volentis profiteri.*

## CONSILIVM XX.

De eo, qui mansit in quodam monasterio ordinis S. Augustini decem mensibus, & deinde ingressus ordinem Minorum Conuentualium per duos annos continuos detulit habitum professis & non professis communem, ignorans, an ante professionem expressam obligaretur religioni, an censeatur religiosus, attento quòd sæpius petiit profiteri, & nō fuit per fratres admissus, & quod dicti Conuentuales habent libertatem eiiciendi nouitios, quantocumque tempore in monasterio māserint, & quod, quando volunt aliquem ad professionem admittere, assignant illi tres dies ad deliberandum.

Respondeo primò, certum esse, oratorem non esse professum ratione mansionis apud fratres sancti Augustini, neque expressè professum fuisse ordinē & regulam Conuentualium.

1 Secundo, quod ego non ausim dicere ipsum non esse censendum iure communi tacitè professum in ordine Cōuentualium. Tum quia detulit habitum indistinctum & professis & non professis communem per biennium: & sufficit ad talem professionem detulisse illum per annum integrum.[a] Tum quia non obstat dicere, quod habitū susceperit ante decem & sex annos completos, ante quos vetat Concilium Tridentinum professionem fieri:[b] quia nō vetat habitum posse suscipi ante illos completos, neque disponit annum probationis impleri non posse ante illos completos. & ita etiam hodie annus probationis incipere potest, immo & perfici ante decimumsextum completum, & virtute illius probationis fieri professio expleto decimosexto, iuxta d. clem. *eos* quæ quo ad hoc nullatenus est correcta.

2 Tum quia etiam non obstat dicere, quod ipse petebat admitti ad professionem, & quod fratres nolebant eum admittere ad illam: quia non repugnat, quem esse professum tacitè, & petere se admitti ad professionem expressam: neque quod conuentus nolit eum ad eam admittere: quia non desinit ipse esse professus tacitè, licet conuentus nolit eum ad expressam admittere: quia non est eius potestatis facere de tacitè, professo non professum, nisi protestatus fuisset se nolle esse professum, & constaret de tali eius animo, vel de simili eius protestatione, & animo Cōuentus. quibus casibus videtur intelligendum[c] Conciliū Tridentinū ibi, *finito tempore nouitiatus, Superiores aut admittant nouitios ad professionem, aut eiiciant.* Tum quia non iuuat illum, saltem quo ad forum exterius, ignorantia iuris, quod ante professionem expressam non obligaretur ei.[d] Tum quia non obstat, quod dicitur de libertate prædictorum Conuentualium eiiciendi nouitios, quantocumque tempore in monasterio manserint: quia id falsum est iure cōmuni per supradicta. Tum quia licet sola ordinis susceptio non videatur inducere professionem tacitam, multùm tamen adiuuat ad eam præsumendā. Non etiam obstat, quod non fuerit facta ei assignatio illa trina trium dierū ad deliberandum super professione expressè facienda, quia est contra ius commune.

3 Tertio principaliter respondeo, quod si statutum, vel consuetudo præscripta ordinis Conuentualiū haberet, vt liberum sit conuentui expellere nouitios ante professionem expressam, non esset orator censendus tacitè professus, argum. cap. 1. & cap. *non solum*,[e] & eorum, quæ nos diximus in Com. de reg. in cap. *statuimus.*[f] Ex quibus colligitur, tanta libertate vti posse nouitium ad exeundum, quāta Conuentus ad eiiciendum: & facit, quod statutū in vno correlatiuorum habet locum in alio, si modo eadem ratio idem dictet in eo, l. 1.[g] & latè tradita per Felinum.[a] Idem dico, etiam si constaret Conuentus prædicti ordinis animo & protestatione expressa, vel tacita suscipere nouitios, vt nolint eos habere pro professis ante professionem expressam, pro quo plurimum facit.[b] Conciliū Tridentinum cum proximè adductis.

4 Quarto igitur principaliter resoluto, prædictum oratorem solo iure communi attento censendum esse tacitè professum quo ad forum exterius: attento autem præfato statuto, vel consuetudine, vel protestatione tacita, vel expressa, non esse talē censendum: & quod præsuppositis his, quæ de ignorantia, & animo oratoris proponuntur in facto, non esse illum etiam iure communi solo attento tacitè professum quo ad forum interius, per ea, quæ de tacita professione diximus vbi supra. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Professionem tacitam emittere videtur, qui professus in laxiori, postea habitum indistinctum per annum continuum in religione defert strictiori: vnde nec potest ad primam reuerti.*

2 *Iniuriarum etiam iniusta irrogatio, non est causa sufficiens, vt religioso, cui proprium est has pati, detur licentia transeundi ad laxiorem.*

## CONSILIVM XXI.

Religionem S. Francisci de Obseruantia quidā ingressus fuit, deinde Conuentualium, & legitimè professus ad priorem de Obseruantia rediit, & per annum integrum, & amplius in ea permansit: & cùm sine iusta causa verbis & factis à nonnullis fratribus iniurias accepisset, exiit. Dubitauit, an esset verus religiosus, & an haberet satis causæ, propter quod S. D. N. cum eo dispēset, vt ad Cōuentuales redeat.

1 Respondeo primò, quod D. cōsulens fuit verus frater, & religiosus ordinis Minorum Conuentualium, quia professionem fecit in eo expressam. Secundò, quòd videtur nunc esse religiosus etiam verus ordinis Minorum Obseruantiæ: quia, redeundo ad monasterium ordinis Minorum Obseruantiæ, videtur tacitè fecisse professionem in in eo, manendo plusquam per annum, si vestis nouitiorum non esset distincta, iuxta ca. 1.[c]

2 Tertio, quod vix dabit S. D. N. licentiam, quam petit, immo negabit eam: quia causæ non videntur sufficientes, cùm religiosorū debeat esse magis proprium, quàm aliorum, iniurias ferre: quod Christus satis suo exēplo docuit, & verbo.[d] *Benedicite maledicentibus vos.* Quartò, quòd certò dabit facultatem transeundi ad alium strictiorem, vel æquiualentem, & fortè ad laxiorem. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Professionem saltem tacitam apud Minores de obseruantia censetur fecisse, qui à Conuentualibus ad illos transeundo, per annos septem commoratus est, & ordines sacros suscepit.*

2 *Matris necessitas corporalis etsi præbeat iustam causam vt professo detur licentia retento habitu standi extra claustrum, non tamen præbet vt detur licentia dimittendi habitum, & accipiēdi beneficia in titulum, nu. 4. quod si licentia non obtenta exeat, peccat, num. 1. & si dimisso habitu celebret, efficitur irregularis. numero 3.*

## CONSILIVM XXII.

Qvidam monachus professus ordinis Conuentualium S. Francisci transiuit à dicto ordine ad ordinem Minorum de Obseruātia, in quo nullam emittens professionem expressam mansit septem annos continuos, & ad sacros ordines est promotus: postea, vrgente necessitate matris senis, pauperis, ac nobilis, exiuit sine facultate Superioris è monasterio, dimisso habitu, vt illi subueniret. Quæritur nunc quid iuris, & an propter prædictam necessitatē matris possit dictus monachus accipere hospitale in titulū beneficialem.

1 Respondeo primo, præfatum D. consulentem mihi videri esse saltem tacitè professum religionem Franciscanorum de Obseruantia: quia sponte intrauit eam, posteaquā exiuit à conuentu Conuentualium, & in eo mansit circiter septem annis, & ordines omnes etiam presbyteratus suscepit, & seruiuit vt frater Obseruantiæ.

a Ca. 1. de regula. in 6. & clem. eos. eod. tit.
b Sess. 25. ca. 15.
c Ca. 16. sess. 25.
d Ca. ignorātia. de regul. iur. lib. 6.
e De reg. l. 6. ca. ad Apostolicam. eod. cū ei adnota.
f 19. q. 3. nu. 74.
g C. de cupress. li. 11.

a In procemio Greg.
b Cap. 16.
c §. 1. de reg. li. 6.
d Matth. 5.

2 Secundò, quòd licet iustam causam habuerit exeundi à monasterio Obseruantium, vt subueniret matri pauperi, seni, & nobili, non tamen licitè potuit id facere sine licentia Superioris, & consequenter, quòd in malo statu vixit sine habitu, toto tempore quo mansit Neapoli, & in via eundi ad eam, & nunc veniens ad Vrbem, & nunc manens in ea sine habitu.

3 Tertiò, quòd mea sententia contraxit irregularitatem sic manendo, & celebrando, & quod in maiori necessitate suæ animæ salutis est constitutus ipse, quàm mater eius in necessitate corporis.

4 Quartò, quòd, vt opinor, nec congregatio Cardinaliū, nec ipse Papa faciet ei facultatem obtinendi præfatū hospitale in titulum beneficialem: quamuis arbitrer facturū ei Papam facultatem manendi cum matre, habitu retento, dum mater vixerit, & fortè vt ea mortua transeat ad alium ordinem Mendicantium: licet magis expediret ei, vt post mortem matris rediret ad suum ordinem Minorum Obseruantiæ, qui est optimus & altissimus viuendi modus, & gratissimus sanctissimæ & gloriosissimæ Trinitati, quæ nos omnes sua infinita bonitate saluet. Amen.

### SVMMARIVM.

*1 Professio emissa ante annum 16 expletū est nulla, nec coram Deo ratificatur ex eo, quòd per quatuor annos in religione permanserit, nisi sciens nullam, animo illam ratificandi, id fecerit. nu. 2. vnde matrimonium à tali contractum tenet. nu. 5. In foro autē exteriori iudicabitur validè professus, nec audietur, si petat illā declarari nullam, nisi id coram suo superiore & Episcopo intra quinquennium petat, nu. 3. contra tamen huius quinquennij lapsum restituitur ex eo, quòd iuris ignorantia ductus id solùm coram suo Superiore, qui illius petitionem reiecit, ac testimonium minoris ætatis lacerauit, petiit. nu. 4.*

## CONSILIVM XXIII.

PEtrutius ante completum 16. annum professus fuit regulam S. Augustini, & postea mansit in eodem monasterio circiter quatuor annis: & deinde proposita causa nullitatis suæ professionis coram Generali, qui probationes lacerauit, exiuit ad militiam armatam, & cōtraxit matrimonium, & postea denunciatum fuit eum fuisse religiosum. Quæritur ad quid teneatur, & remedium.

1 Ad quæstiones ex facto proposito insurgentes respondetur primo, professionem factam à D. cōsulente ante annum 16. expletum in religione S. August. non fuisse validā, per textum nouum & clarum Concilij Tridentini.[a]

2 Secundo, professionem illam, quæ ipso iure nulla fuit, & inutilis, non fuisse factam validam ex eo solo, quòd post eam factam remāsit in monasterio tribus vel quatuor annis: quia per illam solam remansionem in ea non est iudicanda ratificata, vt singulariter determinauit Cardinalis Caietanus,[b] quem nos serio sequuti fuimus, & commendauimus in Man. nostro confes.[c] & aliquot rationibus cōfirmauimus, scilicet quòd ad ratificationem voti solemnis in religione inualidè siue nulliter facti nō sufficit, vt post illud factum maneat in religione aliquo tempore, eo quòd credit votum valuisse, sed oportet vt sciat illud non valere, & animo validandi illud in illa remaneat.

Tertiò, quòd hoc secundum certum esse videtur quo ad forum conscientiæ, & coram Deo, qui omnia nouit, & nihil ignorat,[d] sed quo ad forum exterius necessaria videtur ad declarationem petendam auctoritas superioris, & probatio, quę sine causæ cognitione fieri non potest, & illa nō conceditur nisi intra quinquēnium à tempore professionis factæ, & nisi inualidè professus petat eam vestitus habitu religionis: & in casu proposito lapsum est iam quinquennium, & D. consulens gerit habitum militarem, & nō religiosum.

3 Quartò, quòd nobis scribentibus Com. 4. de reg.[e] visum fuit, quod huiusmodi professus si probauerit iusto impedimento fuisse impeditum, quo minus potuerit declarationem nullitatis suæ professionis petere, posset iustè ac sanctè restitui in integrum ad tempus, in quo fuit impeditus. Sed non videtur omnino iustum impedimentum, quod tangitur in narratione facti, scilicet, quòd causa nullitatis fuit proposita coram Superiore intra quinquenniū cum probatione ætatis D. consulentis per notariū publicum facta, & quod eam rupit Superior, & noluit eam audire: quia Concilium Tridentinum,[a] requirit, vt intra quinquennium causa nullitatis professionis deducatur coram Superiore, & ordinario: & ita de rigore iuris non videtur omnino satisfecisse.

4 Quintò, quòd ad concedendam præfatam restitutionem ex bono & æquo, vt loquuntur antiquiores Iuriscōsulti, adiuncta interpretatione Budæi, & aliorum nouissimorum,[b] siue de æquitate, aut epiikeia, vt loquuntur S. Tho.[c] & alij Theologi, & communiter Iurisperiti, facit multum, quod religiosi non sunt, nec debent esse valde curiosi causarum forensium, immo id est, eis opprobrium, vt ait l. *repetita*,[d] & tradit glo. recepta,[e] & ita cōsulens iuuenis & nobilis facilè potuit ignorare, quòd tenebatur causam nullitatis non solùm proponere coram suo Superiore, sed etiam coram ordinario Episcopo: & ita maior culpa, vel dolus fuit in superiore reiiciente, & lacerāte instrumentum humiliter præsentatum, quàm in consulente nobili, & iuuene Aragonio suo genio ad arma inclinato procedente ad armatam militiam, eo quòd putaret professionem esse nullam, quod impediuit eum à prosecutione causæ. Immo Superior, vt videtur, dedit causam impedimenti, vt non prosequeretur causam nullitatis, lacerando iniustè instrumentū, quo probabatur nullitas, & non consulendo ei, vt tenebatur, quod debebat eam proponere nō solùm coram ipso, sed etiam coram ordinario.

5 Sexto, quod præfatus D. consulens est constitutus in summa miseria, nisi concedatur præfata restitutio, & audiatur super causa nullitatis professionis, & voluerit Sanctissimus misericorditer subuenire miseriæ, in qua est cōstitutus: quia coram Deo, & in foro conscientiæ non fuit factus religiosus, si non ratificauit professionem suam eo modo, quo dictum est in secundo dicto: & consequenter matrimonium coram Deo, & quo ad forum conscientiæ est validum, & cùm sit consummatum, nō potest Summus Pont. dissoluere illud secundum omnes tam Canonistas, quam Theologos: & si nō admittatur ad causam nullitatis probandam, cogetur esse religiosus, cùm non sit. & cùm tam ipse, quàm illa quæ ipsi nupsit, sint nobilissimi, probabiliter timentur magna scandala, & homicidia, vrgente conscientia ab vna parte ad seruandum matrimonium, attento, quod numquam fuit religiosus, & ex altera parte vrgente foro exteriore ad seruandam religionem. Nam iam cœperunt insinuari minæ, ac signa inimicitiæ inter ipsas partes, & cognatos earum, quibus qua parte iustè potest, obuiandum esse, iura naturæ, diuina, & humana vbique clamant.

### SVMMARIVM.

*1 Professio emissa à maiore 16. annis etiam si sit minor 18. iure communi tenet, modo probationis annus etiam ante annum 15. inceptus sit completus: an autem teneat in monasterio, in quo adest statutū ne ante 18. quis admittatur, sine lectione totius statuti diiudicari non potest. nu. 2.*

*2 Professio nulla non validatur per sacrorum ordinum clam Superiore, immo nec illo conscio, si sine Conuentu (prout est de iure) quem ad professionem recipere non potest, assumptionem, nu. 3. immo nec per quoscumque alios actus, alia intentione quam professionem scitam nullam ratificandi, num. 4. item nec per cōsuetudinem religionis hos tolerandi, nisi ea mente tolerentur, vt sic professio, quæ scitur nulla, ratificetur. nu. 5.*

## CONSILIVM XXIIII.

QVinque quęstiones à dominatione tua quęrūtur. Prima, an professio à maiore 16. annis ante 18. peracto probationis anno emissa in religione, ex cuius regula prohibetur quis recipi, nisi 18. annum ad minus attigerit, obliget, maximè si talis professus ad actus professorum fuit postea admissus, vel sacros ordines in religione suscipit: stāte etiam eiusdem religionis consuetudine, qua ante præfinitum tempus recepti, & ante 18. annum expletum professi tolerati sunt.

1 HÆC QVÆSTIO satis est difficilis, & multiplex: & prima, quam implicat, est, an solo iure communi attēto professio præfata valeat. Et certum est, quod sic: quia potest ingressus ante, vel post 15. annos cōpletos implere

annum

Marginal notes:
a Sess. 25. cap. 15. de reg.
b In 2. 2. qu. 189. art. 5.
c Ca. 12. nu. 71.
d Cap. nouit. de iud.
d Super c. statuimus. à nu. 76. & seq.
a Ca. 19. sess. 25.
b In l. 1. ff. de iust. & iu.
c In 2. 2. qua. 120. art. 1.
d C. de episc. & cler.
e In cap. 2. de postulando.

annum probationis, & facere professionem post 16. impletum per [a] Concilium Tridentinum.

a Capi.15.de reg sess. 25.

2 SECVNDA, quam implicat, est, an impediatur professio prædicta per statutum religionis, in qua prohibetur fieri professio ante annum 18. inceptum. Et quia hæc quæstio est legitima, pendens ex intellectu illius legis, non videtur satis tutè posse resolui, nisi lecta illa, & rectè intellecta, quia inciuile, est, nisi tota lege perspecta, vna aliqua eius parte proposita, de lege iudicare, vel respondere. *l. inciuile. ff. de legibus.* fieri enim potest, vt fieri prohibeat professionem, tamen factam non irritet: & quòd prohibeat, & irritet: quod etiam perspecta tota lege non erit omnino facile iudicare, ob multa, quæ in vtramque partem afferri possunt.

3 TERTIA, an professio inualida efficiatur valida eo quòd ordines sacros in religione suscipiat: & mihi certum est, quòd non, si accipiat eos absque Superioris licentia, vt multi suscipiunt cum falsis literis dimissoriis: quia ex illo actu non arguitur ratificatio monasterij, in quo inualidè professus fuit. Quod ipsum dici posse videtur, si suscepit eos cum literis dimissoriis superioris Prælati, à quo solo solent dari: quia ipse solus sine sui Conuentus consensu non potest professionem accipere iure communi, iuxta glo. 1. [b] quam etiam praxis omnium fere religionum approbat.

b Ca. vlt. de reg. li. 6.

4 QVARTA, an professio inualida ratificetur, & fiat valida, ex eo solo, quòd admittatur à Conuentu ad actus solis professis conuenientes. Et memini me aliàs respondere negatiuè. Tum quia nullo iure, nec efficaci ratione mihi videtur probari sufficientia illius ratificationis, cùm admissio ad illos actus possit fieri alia ratione, quam animo ratificandi, puta per reuerentiam, & verecundiam, inaduertentiam, & incogitantiam, & per ignorantiam iuris, & per falsam credulitatem, qua professio facta credebatur valida. Tum per ea, quæ singulariter notauit Caieta. ad S. Thom. [c] dum amplius, quàm hoc, requirit ad ratificationẽ, quem etiam nos sequuti fuimus in Manu. confes. [d]

c 2. 2. q. 189. art. 5.
d Ca. 12. nu. 71.

5 QVINTA, an professio inualida reficiatur & ratificetur per consuetudinem religionis, in qua sic malè professi tolerari solent. Ad quam respondeo primò, certum esse quòd non, propter solam consuetudinem tolerandi, nisi tolerantia consequatur, neque si ea consequatur, nisi ratificatio fiat eo modo, quo Caiet. & nos, [e] diximus: quia multa per patientiam tolerantur, quæ si in iudicium deducerentur, exigente iustitia, non deberent tolerari, [f] Salua, &c.

e Vbi supra.
f Ca. cum iãdudũ. de praben. & c. denique. 4. dist. &c.

### SVMMARIVM.

*1 Actus factus contra legem prohibentem non valet: vnde professio emissa ante 18. annum in religione quæ habet statutum ne quis ante dictam ætatem admittatur ad professionem, videtur non valere. & nu. 2. & 4.*

*2 Professio apud quatuor ordines mendicantium emissa ante completum probationis annum iure communi habebat vim voti simpliciter obligantis ad religionem in genere, sed non facit verè religiosum. nu. 4. in fin.*

*3 Probationis annus requisitus respicit fauorem priuatum, cui iure communi scienter poterat renunciari: at certa ætas requisita respicit fauorem publicum. & nu. 1.*

## CONSILIVM XXV.

IN ordine Minimorum statuto cauetur, ne quis ante 18. ætatis suæ annum ad professionem admittatur. Quæritur, an N. qui ante dictam ætatem professus est, sit verè religiosus.

1 Quod N. non sit verus religiosus ordinis Minimorum, facit primò, quod actus factus contra legem prohibentem illum fieri, non valet, [g] & in regula illius ordinis cauetur, ne quisquam professionem faciat in illa, antequam attingat 18. annum.

g Le. non dubium. C. de legib.

Secundo, quod lex prohibens ne fiat professio ante talem ætatem, videtur plus respicere vtilitatem publicam, quàm partium: & ita, licet anno probationis potuisset ante Concilium Tridẽtinum, renũciari à partibus, quia videbatur ante illud principalius introductus in fauorem priuatum, quam publicum. nunc verò non videtur posse renunciari legi prohibenti, ne fiat professio ante certam ætatem.

Tertio, quod per Concilium Tridentinum, [a] annihilatur professio facta ante legitimam ætatem.

a Capi. 15. de regul. sess. 25.

2 Quarto, quod Hostiensis & communis opinio tenere videntur, [b] quod professio facta ante 18. annum in monasteriis, in quibus prohibetur illa fieri ante illum, nõ valet, & quod etiam facta in ordine Mendicantium ante finem anni nouitiatus non obligat ad religionem, quam professus est in specie, sed tantùm in genere, ita quod vim simplicis voti habeat, vt in cap. *non solum.* & ca. *constitutionem,* [c] statutum est.

b In ca. quia in insulis. de regul.
c De reg. l. 6.

3 Pro parte autem contraria, quod valeat, videtur casus in cap. *ad Apostolicam*, [d] vbi expressè declaratum est, quod, licet professio non debeat fieri ante finem anni probationis, si tamen fiat vtraque parte, scilicet nouitio, & monasterio volente, valet.

d De regul.

Secundo facit ratio, qua fundatur illa declaratio in illo cap. nempe quod ille annus nouitiatus statuitur in vtriusque partis fauorem, & ita vtraque pars potest renunciare illi fauori, vt cuilibet alij iuri suum fauorem concernẽti. [e]

Tertio, quod consuetudo est optima legum interpres, [f] & consuetudo generalis habebat ante Concilium Trid. vt professio facta ante finem anni probationis valeret extra religionem quatuor Mendicantium, de quibus in d. cap. *non solum.* [g]

e Ca. quod ob gratiã. de regu. iur. l. 6. & l. quod fauore. C. de legi.
f Ca. cum dilectus. de cõs.
g Et d. c. constitutionem.

4 Per hæc præmissa hæc quæstio videtur valde dubia: in cuius ego partem priorem multum inclino ob argumẽta pro ea supra formata, & quia responderi potest ad præfatum cap. *ad Apostolicam.* per tacta in argumento 2. pro priore parte adducto, scilicet, quod aliud est dicendum de prohibitione professionis, ne fiat intra annum probationis, quæ videtur potius facta in fauorem priuatum, quàm publicum, & aliud de prohibitione, ne fiat ante certam ætatem, quæ videtur potius respicere publicam vtilitatem, quàm priuatam. Dixi supra *inclinare multum in priorem partem,* & non asserere illam, propter dicta Panormitani, [h] qui videtur tenere contrarium contra communem: quamuis etiam ipse sub finem sentiat, quòd non obligat in specie, licet obligaret in genere ad religionem, & non perpẽdit differentiam, quam nos aduertimus inter prohibitionem, ne fiat ante certam ætatem, & inter prohibitionem, ne fiat ante annum probationis. Et ita desiderarem vt S. D. N. declararet pro N. consulente, qui salutem quærit æternam, quòd nullatenus valuit eius professio, vel quòd solùm vim habuit voti simplicis obligantis ad religionem in genere, & non facientis eum verum religiosum. Salua. &c.

h In d. c. quia in insulis.

### SVMMARIVM.

*1 Professio cum sit reciprocus contractus, quo monachus monasterio, & è contra obligatur, si alterius deficiat consensus, erit nulla, & nu. 16. quod si adsit consensus, tenebit, licet professus occultet illã qualitatem, quam habentes ex statuto prohibentur admitti. nu. 1. & nu. 11. nisi statutum ab habente potestatem factum haberet clausulam professionis annullatiuam. nu. 12.*

*2 Inhabilitati plures reperiuntur iure communi ad ordines & beneficia, & per extrauagantes ad religionem, immo & per statuta particularia inferiorum Papa ad beneficia regularia, & sæcularia aliquarum Ecclesiarum & Capitulorum. nu. 3. & hoc, modo statuta sint à Sede Apostolica sufficienter approbata, & confirmata. numero 10. aliàs inferior Papa non potest suo statuto aliquem inhabilitare ad id, ad quod iure communi est habilis. nu. 8. & 4. & seq. & nu. 6. nec statuere quod professio hoc vel illo modo facta teneat, vel non. num. 7. Fundator autem beneficiorum consentiente Episcopo potest statuere, vt tales & tales non sint habiles ad dicta beneficia obtinenda. nu. 10.*

*4 Statuere contra ius commune canonicum nullus potest inferior Papa. nu. 9.*

*4 Originem trahens ab infidelibus de iure nequaquam est inhabilis ad religionem: immo nec propria infidelitas præcedens baptisma obest promotioni. numer. 5. nec ad obtinendum canonicatum. nu. 4. secus est de hæresi: quia iure Pontificio nedum propria nocet, sed etiam paterna. & nu. 5.*

12 *Professus nulliter in religione, siue ob statutum professionem irritans, siue ob defectum consensus recipientis, non potest tuta conscientia in ipsa retineri, possuntq́ tales coram Deo liberè exire, immo & tenentur quærere, vt dimittantur à Superiore, præcedente iuridica sententia. nu. 13.*

14 *Taciti & expreßi regulariter par est virtus, nisi adducatur ratio diuersitatis. nu. 15. vnde sicut defectus consensus vitiat expressam professionem, & ita & tacitam. nu. 14.*

16 *Professio nulla ob defectum consensus recipientis, perseuerãte eodem defectu, non potest per quosuis actus subsequutos dici ratificata: immo si adfuit defectus in receptione habitus, ita vt admißio ad habitum sit nulla, post Concilium etiam accedente consensu expresso non posset ratificari, sed annus probationis esset legitimè à capite inchoandus. nu. 17. 18. & 19.*

17 *Probationis annus vt incipiat, requirit etiam consensum recipiẽtis, qui si absuit, postea superueniens non reualidat tempus elapsum, sed debet de nouo inchoari. & nu. 19.*

18 *Ratificatio professionis nulliter emissæ per nullos actus ratificatur nisi sciatur nullitas, & accedat nouus cõsensus approbationis: itẽ etiam requiritur, vt cessent impedimenta, nu. 15. consensusq́ liberè præstetur, nu. 16. in fi. adimpleanturq́ à Concilio Tridenti. requisita, nu. 18. & 19. vel super eis à Pontifice dispensetur. 20.*

## CONSILIVM XXVI.

ORta sunt grauia dubia inter Patres ordinis Minimorum, quæ desiderantur per excellentiam vestram declarari.

Primum, an Capitulum generale ordinis Minimorum auctoritate ordinaria potuerit, vel possit statuere, ne recipiantur ad suum ordinem, qui fuerunt infideles, vel descẽdunt ex eis.

Secundum, an recepti contra præfatum statutum à prędicto Capitulo factum, debeant exire, vel reiici, si non fuerint ipsi infideles, neque descendunt ex hæreticis, qui impœnitentes decesserunt, vel eorum statuæ combustę sunt.

Tertium, posito quod Capitulum potuerit statuere, vt tales nõ reciperentur, & quod, si recepti fuissent, receptio & professio essent nullæ, possint dicti fratres, qui ex tali genere descendunt, in foro conscientiæ à religione exire absque Romani Pontificis dispensatione.

Quartum, posito quod in foro interiori & conscientiæ possent exire, & prælati noluerint in foro exteriori exeũdi licentiam concedere, quid remedij eis relictum sit.

Quintum, an professiones præfatorum fratrum, licet nõ valeant vt expressæ, valeant tamen vt tacitæ.

Sextum, an licet præfatæ professiones non valeant neq; vt expressæ neque vt tacitæ, à tempore quo fuerunt factæ, sint tamen validæ per gestationes habitus per annum & amplius factas.

Septimum, an posito quòd nõ sint factæ validæ, possint aliquo modo fieri tales.

1 ANTEQVAM his respondeã, admoneo Dominos consulentes subintellexisse me, quibusdam eruditis visum fuisse, quòd responderim contraria in duobus responsis in hac materia redditis: in quorum altero respondi de quodã N. qui receptus & professus fuit contra prędictum statutũ, non esse religiosum, & de quibusdam aliis, qui fuerunt recepti & professi contra idem statutũ, esse religiosos. Sed licet occasionem aliquam id dicendi habuerint, non tamẽ iustam causam: quoniam si satis perpendant, non sunt cõtraria, sed diuersa: quia ratio principalis, ob quam respondi præfatum N. non esse religiosum, non est, quia fuit receptus contra præfatum statutum, licet etiam illam vnico verbo insinuauerim, sed illa firmior, quam tradidi in hæc verba, *Quia professio est in effectu quidam contractus reciprocus vltro citroq́ obligatori⁹, quo profitens se obligat monasterio, vel ordini ad seruiendum ei secundum regulam eius, & è contra monasterium ad alendum & tractandum eum secundum eamdem regulã: & ita est necessarius consensus vtriusq́ partis tam Prælati, & monasterij professionem recipientium, quàm ipsius profitentis: & in casu proposito defuit consensus Prælati, & monasterij: quia fuit præstitus sub conditione. si non esset de tali genere, & ita defuit cõditio, sub qua fuit admissus, & cõsequẽter ipsa admißio. quia dispositio cõditionalis nulla est deficiẽte conditione, & quia deficiente causa regulariter deficit effectus.* De aliis autem respondi, quòd erant religiosi: quia nihil aliud obstabat eis, ne essent, nisi quod præfatum statutum id prohibebat, quod solùm non erat iustum impedimentum ad annullandum valorem professionis: in casu enim præfati N. non valuisset professio, etiã si cõtra nullum tale statutum fuisset facta: quia deficiebat consensus recipientium: in aliis autem fuit valida: quia nõ deficiebat præfatus consensus, quamuis esset contra præfatum statutum.

AD PRIMAM igitur quęstionem responsurus dico, quòd pro illius parte affirmatiua, scilicet quod Capitulum præfatum potuerit huiusmodi statutum facere, facit primò, quod plura quam decem Capitula præfati ordinis Illustrißimi variis modis super contentis in eo constituerunt: & non videtur credendum tot eruditißimos, sanctissimósque viros toties id facturos fuisse, si non licuisset eis facere.

2 Secundò facit, quòd multa iura communia multos arcent ab ordine, & religione clericali, & beneficiis ecclesiasticis, vt habetur in c. 2. & c. *statutum*,[a] & etiam fel. recor. Pius V. in quadam extrauag. arcet à religione aliquos ab hæreticis descẽdẽtes, quin & Apostolus,[b] arcet neophytos ab episcopatu, quod latius tractat Gratia.[c]

3 Tertiò, quòd multæ sunt ecclesiæ, in quibus non recipiuntur vlli neophyti, nec descendentes ab infidelibus. Multa etiam collegia sæcularia & regularia habent statuta, etiam à sancta Sede Apostolica confirmata, de non recipiendis ad ea eis, qui ab infidelibus descendũt. Ergo etiã Capitula prædicti ordinis Minimorum potuerunt statuere contenta in præfato statuto: attento quod minores debent imitari maiores, iuxta illud, A *boue maiore discat arare minor.*[d]

Quarto, quod statutum præfati ordinis cõfirmauit Sedes Apostolica, quæ non solet confirmare illicita.[e]

4 Pro contraria autem parte negante facit primo, quod nullus inferior Papa potest contra ius commune canonicũ statuere,[f] & præfatũ statutũ videtur esse cõtra cõmune ius canonicum. Tũ quia iure cõmuni canonico omnes Christiani regulariter sunt apti ad intrandam & profitendam religionem à sancta Sede Apostolica approbatam, si non obest eis aliquod impedimentum canonicum, adeo quod etiam pueri possunt ad eam recipi secundum S. Thom. receptum,[g] & etiam presbyteri curati & archidiaconi secũdũ eumdem.[h] At descensio, & generatio, qua quis descendit ex infidelibus, non est impedimentum canonicum ad intrandam & profitendam religionem, nullo enim iure id cauetur, immo iure ipso diuino, vnde hauritur canonicũ, *cap. qualiter & quando. 2. de accusat.* expresse id conceditur: Apostoli enim, cum essent Iudæi, fuerũt facti Christiani.[i] Tum quia Paulus ex Iudaismo conuersus solos neophytos prohibet ab ordinibus.[k] Tum quia Alexander III. declarauit,[l] non debuisse quem à canonicatu repelli, eo quod ante fuisset Iudæus, immo vt ibi gloss. & Doctores addũt, commendari debuit potius, & laudari. Tum per illud S. Augusť.[m] *Vndecumque homines si parentum vitia non sectantur, honesti, & salui erunt:* & per illud Ioan. Chrysosto.[n] *Numquã de vitiis erubescamus parentum: sed illud vnum quæramus, & semper amplectamur, virtutem videlicet.* Tum quia non videretur inconueniens, vt etiam quorumlibet hæreticorum filij admitterentur ad religionem, vt colligitur ex cap. *recurrat*,[o] nisi exciperentur, & fierent inhabiles per constitutionem Papæ,[p] & præfatam extrauagantem Pij V.

5 Tum quia argumentum à speciali valet in hac forma: Hoc est speciale iure particulari, ergo contrarium est dicendum iure communi.[q] At speciale est, ne quis descendens ex infideli hęretico assumatur ad ordines per iura supradicta: ergo contrarium est dicendum in descendentibus ex aliis infidelibus. Tum quia Felin.[r] receptus ab aliis ponit regulam pro lege generali, quod infidelitas præcedens etiam propria non obest alicui quo ad ordines, & beneficia, nisi sit hæresis: ergo à fortiori non nocebit aliena: & ita iure communi canonico non debet nocere cuipiam infidelitas etiam propria, quanto minus aliena quo ad intrandam religionem? Cum ergo iure communi canonico liceat descendenti ex alio infideli, quàm hæretico, intrare & profiteri religionem à sancta sede Apostolica approbatam, statutum contra hoc factum debet dici statutum factum contra ius commune. Tum quia præfatus Pius V. in

[a] De hæret. lib. 6.
[b] 1. ad Timoth. 5.
[c] Dist. 48.
[d] Ca. ea quæ. de re iudic.
[e] Arg. extrauag. vnã sanctam. de maiorit. & obed.
[f] Capi. quod super iis. de maiori. & obedie. cum ei adnotatis.
[g] 2. 2. q. 189. art. 5.
[h] Ibid. art. 7.
[i] Ca. in nouo. 21. dist.
[k] Ad Timot. 5.
[l] In cap. eam te. de rescrip.
[m] Ca. vndecumque. 56. distinct.
[n] In ead. dist.
[o] 32. q. 4.
[p] Ca. 2. & c. statutum. de hæret. lib. 6.
[q] Ca. qualis. 25. dist. & c. præsenti. §. loca. de præbe. li. 6.
[r] In præcitato ca. eam te. colum. 8.

in prædicta extrauagante videtur hoc approbare, dum respondendo fratribus Minoribus de obseruantia sic ait, *Iis,qui ex Mahumetanorum ,vel Iudæorum genere descendunt,cùm post susceptum ab eis baptisma Græci & Iudæi distinctio esse nõ debeat, nullatenus defectus generis huiusmodi, quo minus in ordinem prædictum recipiatur, & ad cõsequẽdas in dicto ordine dignitates, gradus,& officia religionis,vel cuipiam alteri nocere possit, vel debeat.* Per hæc enim verba piétissimus Pius clarè vult,quòd iure communi canonico , immo & quasi diuino , recipi debeant,non obstante præfati generis impedimento,personæ aliàs idoneæ ad religionem Franciscanorum de obseruantia,& consequenter ad religionem Minimorum:cui consequens est esse iuri communi canonico contrarium.

7 Secundo principaliter pro hac parte negatiua facit, quod circa ea,quæ pertinent ad essentiam trium votorum solemnium religionis,dispositio videtur pertinere ad solũ Papam,argumento cap. *cum ad monasterium*, [a] vbi glossa & Innocentius communiter recepti ab aliis tenent solũ Papam posse dispensare in tribus præfatis votis, immo quod neque ipse Papa possit dispensare super voto solemni cõtinentiæ,affirmat S.Tho.[b] licet communis contra teneat, quam nos etiam sequimur post alios in Man.confess.[c] Ergo dispositio,qua disponendum est,vt professio huius vel illius hoc vel illo modo facta valeat,vel nõ valeat ad summam Papæ potestatem pertinet.

a §.fi.de stat. monach.

b 2.2.qu.88. art.11.

c Ca.12.

8 Cum igitur omnia Capitula quamlibet generalia præfati ordinis sint Papa inferiora,nõ pertinebit ad illa potestas faciendi hunc vel illum ineptum ad faciendam professionem in religione per Sedem Apostolicam approbata,quam omnes Christiani cõmuni iure canonico possunt vouere,intrare,ac solẽniter profiteri,præter illos, qui speciatim ab eodem iure prohibentur.

Per quas rationes nunc firmiter credo, quod antehac quasi dubitabam, nempe nulla Capitula quamlibet generalia præfati ordinis, nec alicuius alius posse statuere, vt professio trium votorum substantialium facta nõ valeat,si communi iure canonico ( sublato de medio illo statuto) esset valitura : sicut nec valeret statutum alicuius Synodi, vel Concilij prouincialis, vel nationalis, etiam omniũ ecclesiasticorum illius episcopatus, prouinciæ,vel nationis, quo absque auctoritate Papæ statueretur, vt certi generis personæ essent inhabiles ad matrimonium contrahẽdum, si iure communi canonico essent habiles : adeo quidem, quod matrimonium inter eos contractum valeret,nõ obstante talis Synodi,vel Concilij statuto.

9 Ad opposita respondemus. Ad primum quidem, concedendo interfuisse præfatis Capitulis, quæ prædictũ statutum fecerunt, viros sanctissimos , & eruditissimos:negando tamen nõ potuisse eos,vel maiorem partem eorum errare circa illud statutum,etiam absq; vllo peccato, quia errare circa ius dubium humanum nõ est peccatum, iuxta glossam [d] receptam ibi & vbique per omnes.

d Ca.1.de postulat. prælato. verbo de cætero.

Ad secundum respondetur , concedendo multos quidẽ factos esse inhabiles ad ordines,& ad beneficia , & etiã ad religionem, negando tamen esse factos inhabiles ab inferioribus Papa,de quibus agimus, cũ Capitula omnia quãlibet generalia sint Papa inferiora , quæ negamus posse facere contra ius canonicum ipsiusmet Papæ.

10 Ad tertium concedimus multas ecclesias, & collegia sæcularia,& regularia habere huiusmodi statuta, negando tamen quòd valeant,si non fuerunt confirmata, vel facta auctoritate Papæ , vel nisi sint collegia fundata à patronis sub hac conditione:quia licet eis cum episcoporum auctoritate ponere suæ donationi & fundationi conditionẽ iuri communi contrariam,arguméto cap. *cum dilectus*, [e] vbi hoc notatur:nos autem loquimur de professione regulæ Minimorum,cuius auctor nullam talem conditionem adiecit cum auctoritate Episcopi,neque Papæ,neque sine illis.

e De consue.

Ad quartum concedimus statuta prædicta Minimorum fuisse quidem confirmata à Papa, quatenus sunt licita, & honesta,& non sint contra ius commune , nec contra sacros canones,negando tamẽ,quod hoc, de quo loquimur, non sit contra ius commune , & sacros canones, siquidem est tale per prædicta.

11 AD SECVNDVM principale dubium respondetur primò,nullos,qui hactenus recepti sunt contra prædictum statutum,esse eiiciendos ob id solùm, quod contra prædictum statutum fuerunt recepti & professi:quoniam *ex nihilo nihil fit*, vt ait Philosophus , & vt Persius adiicit *in nihilum nihil posse reuerti* , & quòd , vt Iurisconsulti aiunt, [a] quod nullum est,rumpi non potest:nec spõsalia nulla posse dissolui:quia priuatio præsupponit habitum,[b] & consequenter,quod est nullum,nullum effectum potest producere. Cui consequens est,statutum pręfatum,cùm sit nullũ, nullum posse gignere fructum , nec consequenter rescindere,vel annihilare professionẽ alioqui legitimã. Secundò,quamuis nulli possunt eiici propterea solùm,quòd sint professi contra præfatum statutum, possunt tamẽ eiici aliquot eorum,propterea quod non interuenit consensus legitimus ex parte recipientium , vt tetigi in admonitione, quam dubiorum decisioni præposui. Illi namque ad professionem hos admiserunt, præmissa protestatione tacita, vel expressa,quòd eos nõ haberent pro professis, si descẽderent ex infidelibus,& quod possent eiici,si inuenirẽtur ab eis descendere,huiusmodi enim fratrum professio est omnino nulla,non quia est facta contra statutum,quod est omnino nullum,sed quia est facta sine consensu legitimo, cùm sit facta per consensum conditionale , si non descendissent ex infidelibus:quia propter falsitatem conditionis illa professionis acceptatio fit nulla , cum dispositio conditionalis non existente conditione nihil operetur.[c]

a In rub. de iniust.rup.irrit. fact. testamen.

b Le.decem. ff.de verb. oblig.

12 AD TERTIVM principale dubium respõdeo primò,quòd quia mihi certum est statutum præfatum esse nullum , non possum respõdere esse quidquam inualidum , eo quòd sit illi contrarium. Secundò , quòd is,qui teneret illud esse validum,non posset dicere esse veros religiosos fratres , qui cõtra illud essent professi , nec posse tractari , nec teneri pro talibus,nisi prius per dispensationem legitimam,& nouam,eamdémque legitimam professionem,fierent tales. Tertiò,quòd siue valeat statutum,siue nõ,non possunt iustè prædicti teneri nec haberi pro legitimis patribus,etiam quo ad forum cõscientiæ,si,vt prędictum est , consensus nõ fuerit legitimus in parte recipiẽtium , eo quòd fuerit præstitus sub cõditione falsa , vt prædictum est: & ita liceret eis quo ad forum cõscientiæ tantùm exire ab ordine sine dispẽsatione:quia quo ad illud forum non sint legati.[d]

c Capi. si pro te de rescrip. li.6 & c.præterea. 2. de appellat.

13 AD TERTIVM dubium respõdeo,quòd remedium est ei , cuius professio non est valida, ob prædicta, supplicare Prælato ordinis sui , qui sit iudex competens eius,humiliter,vt declaret professionem eius non valere: & ita non debere manere in monasterio agendo actus, quos non licet ei agere , nec impensis aliquibus comedẽdo,bibendo,& vestiendo conuentum grauare,& requirere vt id faciat vocato prius syndico,& eo audito, & vt ferat sentẽtiam in scriptis præsente notario monasterij pręfati,& toto cõuentu,vel aliquibus testibus , in quibus cõtineatur quod ipse ob tales & tales causas non est verè professus , & ideo declaret eum non esse verum religiosum monasterij præfati , & dimittat eum exutum veste in nomine Domini,cõcedendo illi patentes literas sententiæ, & dimissionis , vt possit facere fidem suæ dimissionis ad viuendum inter alios ad gloriam Dei , & salutem suarum animarum. Amen.

d Arg.ca.humanæ aures. 22.q.5.

14 AD QVINTVM dubium respõdeo negatiuè. Tum quia in cõtractibus par virtus est expressi,& taciti,[e] Tum quia qua ratione defectus cõsensus annullat professionem expressam , debet etiam annullare tacitam, immo quadamtenus magis:[f] quia qui tacitè cõsentit,potius fictè, quàm verè cõsentire censetur, vt rectè post alios probat Decius.[g]

15 Tum quia licet aliqua tacitè facta valeant,& facta expressè nõ,& econtrariò aliqua expressè facta valeãt,& tacitè non,regulariter tamen si alterum valet, vtrumque valet,nisi aliqua ratio particularis inueniatur, cur alterum valeat, alterum non , vt communiter videtur resolui per Doctores.[h] At in proposito casu nulla ratio potest reddi, cur tacita professio plus valeat,quàm expressa, si in vtraque deest consensus ex parte recipientium. Ergo non est dicendum. Tum quia cæteris paribus difficilius colligitur consensus tacitus, quàm expressus:ergo facilius colligitur actum non valere ex defectu cõsensus taciti , quàm

e Le.cũ quid. ff. si certum petat.gloss.in l.expressa.ff. de regul.iur.

f Arg.le.1.§. fin. iuncta le. Labeo. ff. de pactis.

g In d.l.cum quid.

h In d.le.expressa.

ex defectu consensus expressi: quia quicquid habet propositum in proposito, habet oppositum in opposito.[a]

Neque obstat primo, quod prędicti malè professi interuenerunt actibus professorum: quia durante impedimento, seu ignorantia, tales actus non faciunt professum, per singulare dictum Caietani,[b] & tradimus nos in Man. cōfess.[c] & in comment. 4. de reg.[d] Non obstat secúdo, quod acceperunt literas dimissorias ad ordines suscipiendos: quia non sufficit, vt diximus.[e]

16 AD SEXTVM dubium respondeo, quòd hoc dubium est longè grauius. Sed videtur respondendum primò, quod si idem defectus consensus interuenit post professiones factas, qui interueniebat ante, tempore, quo illæ fuerunt factæ, non sunt factæ per gestationem habitus postea validæ: quia, quicquid aliqui dicant, conclusio certa est, quòd inter profitentem & professionem admittentem cōtrahitur obligatio reciproca, qua profitens obligatur religioni ad præstanda quæ promittit secundum regulam, & religio ad præstandum ei quæ debet, & ita requiritur vtriusque partis consensus, vt nos post Innocentium & Panormitanum,[f] tradimus in dicto com. ca. *statuimus.*[g] Adeo vt nemo, nisi volens, & consentiens, possit fieri religiosus, cap. *integritas*,[h] ibi, *Res magis voti, quam præcepti est, quæ suaderi potest, imperari non potest.* Immo nec sufficit qualis qualis voluntas, & consensus, sed requiritur liber à metu,[i] etiā reuerentiali, iuxta cap. *præsens*,[k] adiuncta glossa & tradimus nos post alios vbi suprà.[l]

17 Secundo, quod non sufficit hodie post Concilium Tridentinum,[m] consensus religionis, & consensus profitentis etiam liber, nisi sit completus totus annus nouitiatus: & quod mea sententia non videtur etiam initiatus, nisi vterque, tam ingrediens religionem, quàm ipsa religio, consentiant in habitus nouitiatus susceptione: & cùm secundum idem Concilium non valeat professio eius, qui facit eam ante completum annum nouitiatus, consequens videtur nō posse prædictas professiones ratificari per præfatam religionem contra decretum Concilij, cui suus consensus derogare non potest, vt satis colligitur ex eodem Concilio.[n]

18 Tertio, quod, vt supra diximus, professio nulliter facta non censetur ratificari per consensum profitentis, neque per admisionem ad actus solis professis conuenientes, nisi approbent illam scientes non valere, & ad hoc, vt de non valida faciant validam, iuxta Cardinalem supra citatum,[o] quem sequuti fuimus in Manual. confes.[p] & multis rationibus probari potest, quas tetigimus in dicto cap. *statuimus.* Quartò, quòd ante prædictum Concilium Tridētinum poterat colligi consensus religionis, & profitentis ad ratificandum professionem nulliter factam ex eo solùm, quòd admisit eū, qui nulliter professus fuit, ad actus solis professis conuenietes, per prædicta. Itaque licet ante Concilium Tridentinum potuisset huiusmodi ratificatio fieri per religionem, & eam profitentem nulliter, post illud tamen non video rationem iustam, qua id fieri possit.

19 AD SEPTIMVM dubium respondetur, quod possunt fieri tam tacitè, quàm expresè professi, possunt enim eos nouè suscipere, vt faciant annum nouitiatus, & finito anno faciant nouè professionem expressam, quo casu erunt expresè professi, vel permaneant post annum de consensu recipientium, & receptorum aliquantulum, quo casu erunt tacitè professi, non quidem vt censeantur professi à tempore, quo fecerunt professionem primam, sed à tempore, quo fecerunt nouam professionem. Cùm enim susceptio prima ad probationem, & professio eam consequuta non valuerint, non compleuerunt legitimè annum nouitiatus, nec professioné legitimam nec validam facere potuerunt propter defectum consensus recipientium. & cum ad præteritum non sit potentia, vt ait Philosophus non possunt præfati recipiétes, & recepti facere, quòd annus nouitiatus fuerit legitimè completus, neque quod professio facta antea fuisset valida.

20 Posset tamen S. D. N. si suæ Sanctitati placeret, de consensu recipientium, & receptorum, annum nouitiatus habere pro legitimè completo contra Concilium Tridētinum & etiam professiones eorum de vtriusque partis consensu habere pro ratis, ad hoc vt ipsi posthac gaudeāt honoribus, & præeminentiis, quibus gaudere deberent à tēpore, quo fuerūt primo professi. Tū quia scienti & cōsentienti nō fit iniuria, neq; dolus. Tū quia videtur iusta causa, ob quā sua Sanctitas id sanctè facere potest ad tollendum scandalum, & inquietudinem, quæ orirentur ex magna mutatione, quæ contrarium consequeretur, per multa, quç in hoc citari possunt, sed non expedit ob canam & reconditam S. D. N. iuris quadruplicis, naturalis, diuiniq;, Canonici, & Cæsarei peritiam. Hæc occurrunt respondenda in præsentia prædictis dubiis.

a Cap. sciendum. 8. qu. 1. & l. & si contra tabulas. ff. de vulg. & pupill.
b 2. 2. q. 189. art. 5.
c Cap. 12. nu. 31.
d Super c. statuimus. num. 71. & 72.
e In dicto comen. nu. 71.
f In c porrectum. de reg.
g Num. 74.
h 32. q. 1.
i Cap. 1. de ijs quæ vi.
k 20. q. 3.
l à nu. 71.
m Cap. 15. de regul. sess. 25.
n Cap. 15. & seq. 16.
o 2. 2. q. 189. art. 5.
p Cap. 12. nu. 31.

*Aduertendum, licet nu. 13. dicat Prælatum ordinis adeundum pro obtinenda declaratoria nullitatis professionis, non tamen excludit, quin cum ipso etiam debeat interuenire ordinarius, iuxta decretum sacri Concilij cap. 19. sess. 25. de regul. Supra Consil. 23.*

### SVMMARIVM.

*1 Professio ante annum 16. completum post Concilium emissa est nulla, per perseuerantiam autem non ratificatur, nisi sciens eā nullam perseuerante monasterio in eadem voluntate, saltem intra se secreto ratificet. nu. 2. & ex tunc incipit esse professus, & non prius. nu. 3. locum autem prius sibi assignatum, tunc iustè retinere poterit, si bona fide credebat eius primam professionem validam. nu. 4.*

## CONSILIVM XXVII.

VTrum professio N. ante annum decimumsextum cōpletum stante Concilio Tridentino valeat, licet post illum annum manserit in monasterio: & an iterum profiteri oporteat, & quando incipiat esse valida professio, & an locum antea quæsitum sibi retinere possit?

1 Respondetur primò, quòd iste talis non est censendus professus quo ad forum Dei, etiam si post illum annum manserit in religione, nisi professionem inualidè factam ratificauerit,[a] & quod non censetur ratificare illam manendo in monasterio, eo quòd credebat, professionem, quam fecerat, valere: quia oportet, vt sciens eam non valere ratificet, & pro valida eam habeat, vt tradit bene Caietanus.[b]

2 Secundò, quòd non oportet eū publicè de nouo profiteri, sed satis videtur, vt ipsemet eam ratificet, & monasterium permanserit in illo consensu, quo eius professioni consensit, & eam recepit, argumēto cap. *ad id*,[c] vbi matrimonium metu contractum fit validum, si cessante metu, pars quæ metu consensit, ratum habeat illud saltem tacitè.

3 Tertio, quod eius professio incipit esse valida à tempore ratificationis, & non antea, coram Deo, argumento cap. *veniens.* iuncta glossa.[d]

4 Quartò, quòd, si bona fide putauit se benè professum, & superueniente mala fide ratificauit suam professioné, meritò debet gaudere loco, quem ab initio consensu Cōuentus accepit, argumento multorum, quæ de effectibus bonæ fidei, & de euitatione scandali, & de modicitate rei adduci possent. Salua, &c.

a Arg. c. non firmatur. de reg. iur. in 6.
b 2. 2. q. 189. art. 5.
c De sponsal.
d De eo qui duxit in matrimonium.

### SVMMARIVM.

*1 Probationis ann⁹ incipit à die ingressus, daturq; hinc inde ad probandum & monasterium, & nouitium.*

*1 Professio emissa anno probationis nondum exacto, etiam apud Minimos, qui licet non admittant ad illam nisi existentes in 18. anno, num. 5. tamen integrum annum probationis non exigebāt, est nulla, sicut & illius qui apud illos in ætatis suæ anno 17. illam emisit nullumq; producit effectum. nu. 2. adeo vt sicut non prodest, ita non noceat, quo minus continuando inceptum probationis annum, suo tempore secūdam, quæ valida erit, emittat professionem. nu. 3.*

*3 Professio nulliter emissa non vitiat legitimam receptionem ad annum probationis: vnde potest continuari, & eo sine alia interruptione in monasterio vel alibi de licentia Superioris manendo completo denuo profiteri.*

*3 Professio apud Minimos emissa ab existente in ætatis suæ anno 17. non tenet: vnde potest exire, & si sit in sacris, subiicietur Episcopo, aliàs non immo, vt sæculares laici, poterit ducere vxorem. numero 4.*

*5 Professio tacita non est sublata per Concilium Tridētinum, immo*

valebit

*valebit vt prius, modo annus integer continuatus probationis sit completus, & adsit ætas requisita, quæ apud Minimos est annorum 18. inceptorum.*

6 *Professionem expressam qui nulliter emittit, per continuationem & alios actus non censetur ratificasse, secus si nullam emisisset.*

7 *Professionis suæ nullitatẽ ignorans, eam ratificare non cẽsetur.*

## CONSILIVM XXVIII.

AD multas quæstiones concatenatas nobis propositas respõdemus sic ad primam, quòd professio illius, qui ingreditur ordinem religionis Minimorum, facta antequam expleatur annus integer nouitiatus, qui incipit à die ingressus dati ei ad probandam illam, & monasterio ad cognoscendum illum, est ipso iure nulla, siue ingrediatur in principio anni decimi octaui siue in medio, siue in fine, & siue cõsueuerit in illa religione fieri professio intra decimum octauum & intra annũ nouitiatus, siue non. Tum quia hoc expressè habet [a] Concilium Tridentinũ. Tum quia, licet ante præfatum Concilium professio ante finem anni probationis (quamuis non debuisset fieri ante completum annum) in omnibus religionibus, exceptis mendicantium, facta valeret, vt probatur in cap. *ad Apostolicam*, [b] adiuncto cap. *non solum*, [c] & quãuis id frequentissimè fieret, tamen post illud non licet facere, nec recipere talem professionem: & si fiat, & recipiatur, iudicatur ipso iure nulla: & nulla est ratio, quare facta in præfato Minimorum ordine debeat plus valere, quàm facta in aliis: immo tantò minus debet valere facta in illo, quantò arctior & durior est illa, quàm pleræque aliæ. argumento cap. *quia in insulis.* [d]

2 AD SECVNDAM respondetur, quod professio facta in dict. ordine Minimorum in decimo septimo ætatis profitentis anno, vel ante illum expletum, proculdubio ipso iure est nulla, & nullum producit effectum, per præfatũ cap. 15. de reg. Concilium Tridentinũ sess. 25.

AD TERTIAM, respondetur, quod nullus scrupulus est habẽdus de valore professionis factæ intra præfatum decimum septimum annum, antequam ille sit expletus: quia proculdubio, & absque vllo scrupulo est ipso iure nulla, & nullius effectus, & ita non obligat magis, quàm si non esset facta: & consequenter necessarium est facere nouam professionem post illum expletum, ad hoc vt sit professus.

3 AD QVARTAM, quòd non est necessaria noua receptio capitularis, sed sufficit, quod receptio prima cõtinuetur per totum annũ absque interruptione, ita quod absq; licentia Prælati non exeat, neque maneat extra monasterium, & perfecto anno faciat professionem validam siue ante finẽ anni decimi septimi fecerit illam, siue non, quia illa prius facta nulli[9] penitus est effectus. [e] Ergo nec prodest, nec nocet, quò minus valeat, vel non valeat illa, quæ fuerit facta post annum expletum, cùm non præstet impedimentum, quod de iure non sortitur effectum. [f]

AD QVINTAM, quòd proculdubio, qui in vestro ordine Minimorum fecit professionem ante decimum septimum annum completum, perinde potest transire ad aliam religionem laxiorem, vel arctiorem, ac si non fecisset, eadem supradicta ratione.

4 AD SEXTAM, quòd laici, & clerici minoribus tantùm ordinibus initiati, qui ante decimum septimum ætatis suæ annum fecerunt professionem, perinde possunt ducere vxores, ac alij nouitij, qui non fecerunt illam, non obstante illa professione, quia, vt ex nihilo nihil fit, ita nihilum nihil facit. [g]

AD SEPTIMAM, quòd, qui sacris ordinibus initiati fecerunt professionem ante decimum septimum annum completum, & noluerunt manere in monasterio, perinde subiicientur ordinario, simul ac exierint, ac alij nouitij, qui nullam professionem emiserunt, eadem penitus ratione.

5 AD OCTAVAM respõdetur primò, quod Concilium Tridẽtinum nõ tollit professiones tacitas, & ideo post illud perinde sunt habẽdi pro tacitè professis illi, qui per annum totum nullatenus interruptum tulerunt, siue gestarũt habitum indistinctum ab habitu professorum, ac ante illud: & consequenter qui acceperunt illum in decimo septimo anno, vel prius, si gestarunt illum toto vno anno, donec ingrederentur decimum octauum annum, censendi erunt tacitè professi. [a]

6 Secundo, quod vna subtilis differentia potest esse quo ad hanc expressam professionem inter illos, qui emiserũt professionem ante decimum septimum annum completum, & alios, qui eam non emiserunt: nam hi, qui nõ emiserunt, proculdubio censendi sunt professi, si per vnum annum totum gestarunt habitum, donec ingrederentur decimum octauum annum, nisi reclamauerint, vel protestati fuerint, nullatenus esse sibi animum profitendi, donec expresè profiterentur.

7 Alij verò, qui professionẽ expresè fecerunt ante decimum septimum annum impletum, non censebuntur tacitè professi, si ideo manserunt in monasterio post inceptum decimum octauum, quia putabãt professionem suam valere, in quo nõ mansissent, si putassent eam nõ valuisse: quia, vt singulariter decidit Caietanus, [b] quem sequimur nos in Man. confess. [c] non sufficit ad ratificationem professionis inualidè factæ, quod maneat in monasterio post illam factam aliquo spatio temporis, etiam magno, si mãserit, eo quod putabat professionem valuisse, & per illam obligari ad manendum: sed oportet, quod nouerit illam non valuisse, neque per eam obligari ad manendum, & non obstante hac scientia voluerit habere eam pro bona, & se ad seruandum eam obligatum: pro quo facit l. *si per errorem*, [d] cum aliis multis, quæ probant, errantem & ignorantem non censeri consentire. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Professio in vno monasterio post sex menses emissa nõ tenet, non obstãte, quod in alio, à quo sine licentia recesserat, per alios sex stetisset, quia probationis annus debet esse continuus, & completus, absque eo quod quis sine licentia de monasterio exeat.*

2 *Professus non censetur, nec probatur esse quis alicuius religionis, eo solo, quod à Sede Apostolica obtinuerit licentiam inde ad aliam transeundi.*

## CONSILIVM XXIX.

N. Ingressus religionem S. Mariæ redemptionis captiuorum in Hispania, post sex mẽses sine vlla licentia se contulit ad Indias in ciuitatem S. Dominici, vbi monasterium eiusdem religionis iterum ingressus, post alios sex menses professionem emisit. Deinde per breue S. D. N. ad quoddam monasterium ordinis Cisterciensis translatus, post decem menses professus est, & actus professorum exercuit. Dubitatur, an impetratio dicti breuis ita noceat ei, vt quocumque defectu non obstante censeatur professus ordinem Cisterciensem: adeo quod non possit clericaliter in sæculo viuere.

1 Ad quæstiones resultantes ex facto præmisso respondeo primò, quod professio, quam præfatus orator emisit in monasterio Sanctæ Mariæ redemptionis captiuorum ciuitatis Sancti Dominici partiũ Indiæ Occidentalis, non valuit, quia post Concilium Tridentinum nulla professio facta ante cõpletum annum nouitiatus, seu probationis, valet, vt habetur in præfato Concilio, [e] & quod præfatus orator emisit præfatam professionem ante completum annum nouitiatus, seu probationis. Nam sententia communis & receptior, quam etiam videmus in prætorio sacræ Pœnitentiariæ seruari, habet, quod, ad hoc vt annus probationis & nouitiatus censeatur legitimè completus, debet esse continuus, ita quod nouitius continuè per totum vnum annum mãserit in monasterio sub obedientia prælati, nec exierit ab illo, saltem sine ipsius licentia, per textum in cap. 1. [f] per quem illud ibi tenent Dominicus & Philippus Francus post Lapum Abbatem, & ob alias rationes nos quoque idem respondimus frequenter tam in præfato prætorio, quàm extra illud: in qua sententia etiam nunc sumus.

2 Secundò, quòd nec professio facta per eumdem oratorem in prædicto monasterio Cisterciensi valuit eadem ratione, quia facta fuit ante annum nouitiatus cõpletum.

Tertiò, quòd non præsumitur quis tacitè professus ex eo solo, quod intersit actibus solis professis conuenientibus, per rationes, quas in id adducimus in comment. 4. de reg. [g]

---

a Capit. 15. de regul. sess. 25.
b De regul. c Et c. constitutionẽ. eod. titu. li. 6.
d De reg. & d. c. non solũ. & ca. constitutionẽ. eod. tit. lib. 6.
e Per d. ca. 15.
f Ca. non præstat. de regu. iur. lib. 6.
g Le. eius qui in prouincia. ff. de reb. creditis. & leg. si seruum. §. 1. ff. actio. emptio.

a Arg. c. 1. §. 1. de reg. li. 6. & clem. eos. eod. tit.
b In 2. 2. quæ. 189. art. 5.
c Ca. 12. nu. 71.
d ff. de iurisd. om. iud.
e Sess. 25. cap. 15. de reg.
f De reg. l. 6.
g Super e. statuimus. 29. q. 3. nu. 72.

Quartò, quòd per impetrationem breuis transeundi de religione Sanctæ Mariæ redemptionis captiuorum ad aliam religionem nō est censendus orator profiteri præfatam religionem Sāctæ Mariæ, neque probari sufficienter eum illam professum esse. Tum quia talis impetratio, & talis professio sunt diuersa, & à diuersis non fit illatio.[a] Tum quia non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse.[b] Tum quia, vt prædictum est, professio legitima fieri non potest ante completum annum probationis.

Quintò, quòd præfatus orator nulla dispensatione indiget quo ad forum conscientiæ ad manendum & viuendum extra monasterium in habitu clericali: quāuis multum conueniat ei, vt S.D.N. iubeat hoc declarari, & corrigi, si quid in hoc iuris ignorantia peccatū est. Salua, &c.

a L. Papinianus. ff. de minoribus.
b In l. ad probationem. C. de probatio. ca. in præsentia. eod. tit.

SVMMARIVM.

1 *Prælati, & conuentus, finito nouitiatu, ex causa differre possunt professionem nouitij iudicati idonei.*
1 *Intellectus cap. 16. de regul. sess. 25. Conc. Trid.*
2 *Præsentationem admittere, & institutionem facere, diuersa.*
2 *Institutio post præsentationem diutius differri potest quam collatio libera, quæ non potest fieri post sex menses à die vacationis, institutio autem potest.*

## CONSILIVM XXX.

QVæritur, an liceat Superiori alicuius monasterij, & suo Conuentui, vel Capitulo, concedere dilationem ad profitēdum nouitio post annum nouitiatus probato à se pro idoneo ad profitendum, aliqua iusta de causa, non obstante.[c] Concilio Tridentino.

1 Respondeo, quod sic. Tum quia à iure antiquo non videtur recessum, nisi quatenus per nouum expressè receditur,[d] & ante præfatum Concilium Tridentinum hoc licebat, & erat in vsu, & cōsuetudine: ergo & nunc licet, quia per illud non videtur statutū contrarium. Tum quia illud cap. non disponit, quod Superiores statim finito anno nouitiatus cogāt nouitios habitos pro idoneis ad profitendum, sed solùm quod admittant eos, aut reiiciant, & cogere ad profitēdum, est aliud, quàm admittere ad professionem, vel reiicere, & à diuersis non fit illatio.[e]

2 Sicut & aliud est admittere præsentationem, & aliud instituere præsentatum: adeo quidem, vt Superior, cui fit præsentatio, post eam factam & admissam, potest differre institutionem, etiam maiori tempore, quàm collationem liberam, quoniam hanc non potest facere post sex menses à vacatione,[f] illam autem potest etiam post sex menses, nisi præfigatur ei terminus breuior à Superiore suo, secundum Panormitanum communiter receptum.[g] Superior item, in cuius manibus renunciatur beneficium, potest renunciationem admittere, & collationem differre. Tum denique quod annus nouitiatus, & admissio & reiectio sunt in fauorem recipientium & recepti statuta, & ideo non sunt cōtra consensum vtriusque retorquēda,[h] & ita videmus in aliquot religionibus id seruari. Salua, &c.

c Cap. 16. de reg. sess. 25.
d Le. præcipimus. C. de appellat.
e L. Papinianus. ff. de minoribus. c. ad audientiam. de decimis.
f Ca. 2. de cōcess. præb.
g In eodem c. nu. 12.
h Arg. c. quod ob gratiā. de reg. iur.

SVMMARIVM.

1 *Professio ante annum probationis emissa anno 1564. 1. Aprilis, non obstante declaratoria Pij IV. postea facta, quod decreta Concilij non ligarent nisi post primam Maij 1564. non tenet num. 2. & 5. & per totum: maximè quia declaratoria prædicta alio tendere videtur. num. 7.*
2 *Lex ligat post duos menses à die publicationis, nisi aliud præfigatur tempus: quia post dictum tempus ignorantia non est iusta. num. 7.*
3 *Lex facta & promulgata in Concilio præsente Papa per se, vel suos legatos, ad sui firmitatem non eget alia Papæ confirmatione: vndè ligat post duos menses vel tempus ab eodem statutum, etiam antequam confirmetur: licet Papa possit illam tollere.*
4 *Lex, quæ etiam virtualiter mandat, vt ex nunc exequutioni mandetur, ligat ignorantes non quidem quo ad pœnas, sed quo ad nullitatem actus, quæ non est pœna.*
5 *Lex illa censetur fauorabilis, quæ principaliter est lata in fauorem alicuius, licet in consequentiam alteri noceat.*
5 *Professio, sicut & matrimonium, ordo, vel baptismus, non potest esse in suspenso, sed statim valet, vel non: vnde eamdem, si non tenuit, Papa non potest sine partis consensu reualidare: at si tenuit, non potest sine maxima causa inualidare. num. 6.*

A

## CONSILIVM XXXI.

1 AN Professio regularis emissa anno 1564. die prima Aprilis, ante annum probationis expletum, ab eo, qui tunc ignorabat decretum Concilij Tridentini.[a] & in monasterio, quod habebat priuilegia à Sede Apostolica admittendi ad professionem volentes ante annum profiteri, iudicanda sit nulla, non obstante constitutione Pij IV. super declaratione temporis ad obseruanda decreta Concilij Tridentini.[b]

Ad hanc quæstionem respondeo, quod pro eius parte affirmante scilicet, quod valeat professio, facit primò, quòd iure antiquo attento valet professio facta ante annum probationis,[c] exceptis ordinibus mendicantibus,[d] & etiam in illis, si haberent ad id iustum priuilegium, B quale in quæstione proponitur habuisse monasterium.

Secundò, quod iura noua non ligant, ea saltem iustè ignorantes,[e] qualis fuit prædictus professus, quale item monasterium, in quo professio facta fuit, respectu Concilij Tridentini.

Tertio, quod Pius IV. in pūcto citato declarauit, ne constitutiones ab eo factæ obligare cēserētur ante Kal. Maias anni 1564. ante quas tamen prædicta professio facta fuit.

2 His tamen non obstantibus, videtur prædicta professio fuisse nulla. Primo, quia omnis lex iustè cōdita & promulgata ligat,[f] post duos menses à tempore promulgationis C illius, si longius tempus ad ligandum ei non præfigatur.[g] At lex prædicta Concilij Tridentini qua annullantur professiones factæ intra annum probationis, condita, & promulgata fuit anno 1563. Tridenti,[h] & professio prædicta emissa fuit Kal. April. anni sequentis.

3 Nec obstat respondere, quod Cōcilium non fuit confirmatum vsque ad 14. Kal. Febr. anno 1564. Nam replicari potest primò, quòd leges Conciliares latæ à Concilio vniuersali legitimè congregato, præsente Papa per se, vel per legatos suos, statim, vel saltem post duos mēses à promulgatione facta in Concilio ligant, quod satis sentit glossa,[i] loquens de legibus in Concilio Viennensi latis: D quippe quæ ad suam firmitatem substantialem non egent noua cōfirmatione Papæ: alioquin enim non essent Conciliares, sed Papales: licet confirmatio Papæ eo nomine sit vtilissima, ne ipse sua, quæ summa est, potestate, eas annihilet, iuxta cap. *cuncta per mundum.* 9. q. 3. & ita vidimus à Lusitaniæ regnis aliquot leges à prædicto Concilium latas seruatas fuisse multo tempore ante finem & confirmationem illius, iussu Episcoporum, & Regum.

4 Tertio, quia prædictum Concilium,[k] declarauit, velle se, vt statim leges factæ in illa sessione,[l] exequutioni mandarentur: quod perinde fuit, ac dicere, ex nunc, siue ex hoc tempore ligent, & exequutioni mandent illas Episcopi, & alij ordinum prælati, & cum lex hoc mandat, E ligat etiam ignorantes, quo ad actus nullitatem, licet non quo ad alias pœnas, iuxta glossam singularem communiter receptam,[m] per quā & alia eruditè resoluit Decius,[n] quòd lex ob hoc solùm, quod annullat actum in fauorem alicuius, non censetur pœnalis, nec inducere pœnam. At lex prædicta,[o] lata est principaliter in fauorem fragilitatis profitentium, vt ipsemet ait, & antea fuit assertum in cap. *ad Apostolicam,*[p] consequens est, eam comprehendisse profitentes ante annum probationis statim, vel certè post lapsum legitimi temporis.

5 Nec obstat dicere, quòd lex prædicta affert etiam præiudicium monasterio, quia, vt lex censeatur facta in F fauorem alicuius, sufficit, quòd principaliter intendat illum, licet minus principaliter, & per quādam consequentiam vergat in præiudicium alterius, iuxta cap. *non dubiū,*[q] & alia tradita ibi late per Felinum ex glossa putata singularis.[r] Quarto, quod si prædictus Pius IIII. prædictam declarationem non fecisset, & omnia iure communi decidenda reliquisset, omnes dicerent professionem prædictam non valere, quia post prædictam legem factam, promulgatam, immo & post confirmatam, & duos menses, & amplius lapsos, facta fuit intra probationis annum: at prædicta declaratio nihil profuit, nec nocuit prędictę professioni, quæ longo tempore præcessit illam: ergo illa nō est valida. Quod autem nihil profuerit, vel nocuerit, probatur efficaciter, eo quòd illa eo momento, quo ante

a Sess. 25. cap. 15.
b Sub Datū 15. Kal. Aug. 1564.
c Ca. ad Apostolicam. de reg.
d Ca. non solum. & c. constitutionē. de reg. lib. 6.
e Ca. 2. de cōstitut. tam in antiquis. quā in 6.
f 4. dist. ea. in istis. §. leges.
g Authen. vt factæ nouæ constit. coll. 5. c. quod dictis. 16. dist. & ca. 1. de postula. præl.
h 4. Decemb.
i Proœm. cle. vers. de cætero.
k In cap. fi. de reg. prædicta sess. 25.
l De reg.
m Clem. 2. de hæret. verbo ex nunc.
n Vbi supra.
o Ca. 15.
p De regul.
q De sententia excomm.
r In ca. sciant cuncti. de elect.

prædictam declaratioñe facta fuit, extitit valida, vel nulla; quia professio facta purè eo momẽto, quo fit, valet, aut non valet: non enim potest esse in suspẽso, sicut nec baptismus, ordo, vel matrimonium, per iura vulgata: & si nõ valuit; non potuit validari per illam declarationem.

6 Tum quia nihil tale facit. Tum quia quæstionis est inter S. Thomam 2.2. qu. 88. art. 12. & suos sequaces ex vna parte, & Innocentium communiter receptum,[a] ex altera, an Papa posit annihilare professionem semel factam: & quáuis communis teneat quod sic ex maxima causa; tamẽ nemo tenet, quod posit sine tali, qualis in casu isto non occurrit. si autem non valuit, non potuit eã validare prædicta declaratio, quia non potest Papa supplere cõsensum iure naturali requisitũ in matrimonio spirituali, nec carnali, secundum fere omnes; & ita non potuit prodesse; nec nocere: & consequenter perinde iudicãdum est de illa, ac si talis declaratio nõ fuisset facta: sed tunc iudicanda fuisset nulla; ergo, &c.

7 Ad primum ergo pro contraria parte concedo, quod prædicta professio non annihilatur iure antiquo, sed nouo Tridentino.

Ad secundum concedo quidem, quod lex non ligat iustè ignorantẽ illam; at nõ ignoratur iustè lex facta, & promulgata post tempus legitimum in id constitutum.

Ad tertium respondeo primò, quòd illa declaratio nihil iuuat ad iudicandum de valore prædictæ professionis per quartum argumentum pro parte nostra formatum. Deinde, quòd declaratio illa, vt ex illius tenore colligitur facta fuit solùm ad excusandos multos à pœnis extrinsecis, quas stricto iure incurrissent, vel post illam declarationem, si tempus præfixum ad parendum ante illas currere cœpisset. Salua, &c.

a In cap. eum ad monasteriũ. §. fin. de stat. monach.

### SVMMARIVM.

1 *Professio eius qui post susceptũ habitũ nõ stetit per annum non interruptum in monasterio, non tenet, nu. 2. in quo tamẽ stare censetur, qui alibi de licentia superioris sub eius obedientia viuendo num 3. iusta de causa moratur. num. 4.*

3 *Nouitiatus per exitum nouitii per tres dies sine licentia interrumpitur.*

5 *Nouitius austeritates religionis experiẽdo in genere satisfacit.*

## CONSILIVM XXXII.

NFVIT electus in canonicum nouitium à Priore, canonicis, & Capitulo Ecclesiæ Pampilonensis ordinis S. Augustini, & fere sesquimense anni nouitiatus intra septa prædictæ Ecclesiæ tantum resedit; & residuo tempore illius anni, de licentia, & mãdato prædictorum, ac sub eorum obedientia mansit in quadam curia, agendo negotia dicti Capituli magnæ importantiæ; & in fine anni fecit professionem per procuratorem ad id specialiter deputatum. Dubitant nunc Prior & canonici prædictæ Ecclesiæ, an eius professio valeat: & à sacra Concilij Tridentini Congregatione huius dubij declarationem humiliter petunt. *Congregatio remisit ad auctorem, qui respondit hoc, qui sequitur, modo.*

1 Pro parte negatiua facit primò, [b] Concilium Tridentinum quatenus habet, quod professio eius, qui post susceptum habitum non steterit in probatione per annum, non valet; & is, de quo est quæstio, non videtur stetisse in probatione, nisi sesquimensem.

Secundo, quod cessante causa cessat effectus,[c] & causa faciendi validam professionem est probatio, qua nouitius probat rigorem regulæ, & monasterium probat mores nouitij, an conueniant ei.[d] Et in casu proposito nec præfatus nouitius probauit rigorem regulæ, nec monasterium eius mores: ergo non interuenit probatio, quæ iustificaret professionem.

Tertio, quod illa verba cap. 1.[e] *Quod si per totum sequentem annum in monasterio permanserit*, significant nouitium debere per totum annum in monasterio manere, ad hoc, vt censeatur detulisse habitum per vnum annum. Adeo quidem, quod si aliqua parte anni manserit foris, interrumpitur annus probationis, & non coniunguntur illæ partes interruptæ, sed debet incipere ex integro à principio posterioris partis, secundum Ancharanum, Panormitanum & cõmunem, [f] etiã si per solos tres dies foris maneret, secundum Lapum, [g] cõmuniter receptum vt videre est apud Francum & citatos ab eo, c. 1. de reg. lib. 6. nu. 3.

b Cap. 15. sess. 25.

c Ca. cum cessante. cum simil. de appel.

d Ca. ad Apostolicam. de regula.

e De reg. l. 6.

f In d. cap. ad Apostolicã. de reg.

g Alleg. 46.

Quibus tamen non obstantibus, tenenda est pars affirmatiua. Tum quia prædictus nouitius detulit habitũ susceptum per totum vnum annum, partim intra monasterium, partim extra illud, manens semper sub obediẽtia sui Superioris, & cum eius licentia iusta de causa data, & faciens eius præcepta, & mãdata: quod videtur sufficere ad implendũ annũ suę probationis nouitiatus. Tũ quia nullo iure cauetur, quod nouitius debeat manere semper, & continuè totum annum intra monasterium, & quod Patrum sanctionibus non est statutum, superstitiosa inuentione non est præsumendum.[a]

3 Tum quia Abbas antiquus dixit,[b] quem refert Abbas iunior siue Panormitanus, [c] quod religiosus manens extra monasterium sub obedientia Superioris, & cum eius licentia, videtur residere intra illud: quos omnes retulimus & sequimur in Comm. 4. de regu. [d] allegando etiam Siluestrum idem tenentem.[e] Tum quia, etiã si prædictus Abbas, nec aliquis alius id dixisset, ita tamen dicendum erat, alioquin sequeretur, quòd omnes nouitij, qui intra annum exeunt monasteria de licentia suorum Superiorum, in quibus ceperunt habitum, vt peregrinarentur in stationes, vel alia loca pia, vel viserent suos parentes, aut cognatos ægrotantes, vel vt mendicarentur, vel vt testificarentur, vel recrearẽtur, vel alia iusta de causa, nõ cõplerent annos suorum nouitiatuum: quoniam, vt prædictum est, ann⁹ nouitiatus interrũpitur per exitũ nouitij à claustro per tres, vel quatuor dies sine licentia sui Superioris. Tum quod aliàs sequeretur, quod errãt Reges & Principes omnes, qui sunt Generales religionũ militarium, qui frequenter post datum habitum suarum religionum suis militibus nouitiis, eos statim, aut certè post duos, vel tres mẽses mittunt ad defendenda aliquot oppida munita, vel ad ipsamet bella, vt in eis compleant nouitiatuum annos.

a Cap. consuluisti. 2. q. 4.

b In ca. cum illorũ. de sent. excomm.

c C[illegible] ex resc[illegible] de iureiur.

d Super [illegible] 3. nu. [illegible]4.

e In verbo religio 3. qu. 19. vers. 5.

4 Tum quia cap. *insinuante*, [f] cum ei adnotatis satis superque probat, quod ann⁹ nouitiatus extra monasterium de licentia Superioris iusta de causa data agi & compleri potest. Tum quia consuetudo est optima legum interpres, [g] ac illa habet, quod prælati religionum etiam non militarium, cùm datur habitus suorum ordinum aliquib⁹ viris insigniter eruditis, vel in exercendis artibus mechanicis, aut aliis valdè expertis, mittũt eos intra annũ nouitiatus ad disputationes, & alia negotia peragenda, & ad instruendos alios ignorantiores, qui operantur in villis monasteriorum, ad aliquot dies, hebdomadas, vel menses, nec propterea cogunt eos ad inchoandum nouos annos nouitiatuum. Tum quia frequenter longe asperiorem & duriorem vitam ducunt extra monasterium, quàm ducerent intra illud, & probant magis duritiem obedientiæ in eundo, & redeundo, & laborando, & malè edendo, quàm hi, qui intra monasterium sub vmbra obediunt bene edendo.

f Qui cleric. vel vo.

g Ca. cum dilectus. de consuet. le. minime. ff. de legi.

5 Tum quia nullo iure est necessarium, vt nouitius probet & experiatur omnes austeritates monasterij in indiuiduo, siue in specie, sed sufficit, vt experiatur austeritatẽ eius in genere per totum vnum annum degẽdo sub obedientia Prælati. Si enim nouitius statim post susceptum habitum inciperet ægrotare, & maneret æger quatuor, sex, vel decem menses intra monasterium sub obedientia, posset in fine anni profiteri secundum mentem omnium Doctorum, quorum nemo dicit, nec, vt puto, auderet dicere contrarium: ergo non est absque vlla lege dicẽdum, quòd teneatur experiri omnes austeritates in specie.[h]

h Arg. §. considerem9. in auth. de triẽ. & semi. col. 3.

Non obstant opposita. Ad primum enim respondetur, concedendo, quòd professio facta, antequam steterit in probatione per annum, non valet: negando tamen, quod is, de quo quęritur, non steterit in probatione per annum: quia immo stetit in ea partim in monasterio, partim foris in negotiis eius de licentia superioris iusta de causa data. Et paria sunt consistere in monasterio, vel foris cum tali licentia, per prædicta.

Ad secundum respondetur, negando, quòd in casu proposito non præcesserit probatio sufficiens, per prædicta.

Ad tertium respondetur, quod satis manet in monasterio, qui de licentia iusta prælati eius manet extra illud sub obedientia sua. Salua quæ iustior fuerit sententia.

Congregatio

Congregatio censuit valere professionem, vt à nobis superius adducta probant.

SVMMARIVM.

1 *Nouitiatum non interrumpit latitatio momentanea, & non considerabilis in monasterio animo fugiendi facta.*
2 *Intellectus cap. quia in insulis. de regul. & an sit in vsu.*

CONSILIVM XXXIII.

PVER quidam 14. annorum, desperatione quadam, & paupertate motus, & à quibusdam consanguineis suis compulsus, confugit à suis parentibus ad monasteriũ sancti Francisci ordinis Minorum; & ibi cũ permãsisset quatuor, aut quinque dies, repertus fuit ab eius patre, qui ob eius minorem ætatem, & quia agnouerat potius desperatione; quam amore ad monasterium accessisse, domũ reducere conatus est. Puer respõdit, vt fineret eũ in dictum monasterium introire, aliàs ipse aliquem, vel aliquis ipsũ occideret, vnde pater tanti mali metu illum dimisit: post nõnullos verò dies, cùm dictus puer esset annorum quatuordecim, & mensium trium, vel circa, monachi induerunt ipsum vestibus monachalibus, & in alium locum ipsum transmiserunt; sed antequam peruenisset ad annum, & tempus faciendi professionem, vt ille, qui potius desperatus, & seductus, quam spontanea voluntate monasterium introierat, animo aufugiendi se in camera quadam abscondit, vbi repertus à Superiore, & blanditiis illectus permansit in monasterio, & cum peruenisset ad tempus faciendi professionem, professus fuit, vt moris est. Sed nec ante, nec post dictam professioné aliquos sacros ordines assumpsit, sed tantùm primam tõsuram, & quatuor ordines minores. Post dictam autem professionem eodẽ anno, quo professus fuit, aufugit, & à monachis repertus fuit incarceratus, & sic bis aut ter aufugit. Dubitatur, an teneatur reuerti ad religionem, cùm modo extra illam se reperiat.

1 Respondeo, videri posse alicui prædictum consulenté non esse verè & propriè religiosum, & vlli ordini certo ordinatum, sed esse obligatum religioni in genere: ita quod tenetur ad profitendum aliquam religionem approbatam, per cap. *non solum.*[a] adiuncto intellectu, quem Panormitanus ibi sequitur. Sed contrarium est dicendum quia prædictus consulens non fecit professionem ante annum probationis, immo fecit longè post illum; quia remansit circiter septemdecim menses in monasterio, priusquam profiteretur: nam illa latitatio, qua latuit in illa camera, nihil interrupit; quia fuit momentanea, & non considerabilis. Tum quia fortassis à latitatione in professioné fluxit annus integer, licet ex facto id necessario non colligatur; & cõsequenter nihil obstant prædicta c. *non solum.* & cap. *constitutionem.* quæ de vouente ante annum probationis in ordine mendicantium disponunt.

2 Non obstat etiam dictum c. *in insulis.* iuncto intellectu Panormitani, quia Ioannes Andreas ibi testatur se numquam vidisse illud cap. vsitari extra insulas aliquas solitarias, & in ordinibus strictioribus, & experientia omnium religionum mendicantiũ docuit vsque ad Conciliũ Tridentinum, quòd professio facta in illis post annũ probationis, & ante decimum octauum de quo loquitur d. capi. *quia in insulis.* valeat: quod etiam testatur Siluester post Antonium.[b] & facit Concilium Tridentinũ quatenus[c] ordinat, in quocumque ordine fieri professionem post decimum sextum annum completum; & ita ante decimum octauum. Quare nisi ex aliqua iusta causa Papa dispensauerit, tenetur consulens redire ad monasterium, & in eo Altissimo, vt ei promisit, seruire. Salua, &c.

a *De reg. l. 6. & c. constitutioné. & per c. quia in insulis. de regu.*
b *Verbo religio. 3. q. 2.*
c *In sess. 25. c. 16. de reg.*

SVMMARIVM.

1 *Professio ante iustam ætatem, vel nouitiatum completum, est nulla.*
1 *Professus non est. qui habitum in monasterio, vel extra de superioris licẽtia manẽs nõ gestauit per annum continuum. n. 2.*
3 *Protestatio actus dubios inde sequutos declarat.*
4 *Professionem ratificare non videtur, qui eius nullitaté ignorat.*

CONSILIVM XXXIV.

N. Ante decimum sextum ætatis annum suscepit habitũ religionis, & sine probationis anno publicè professionem fecit in illa religione approbata, sicuti prælati eiusdem consueuerãt: quia ipsi de vna ex illius prælaturis à Sede Apostolica prouisum fuerat ad eius vitam, licet effectus in annum vigesimum differetur. Post paucos mẽses Summus Pontifex eadem religione reformata, inter reliqua, Prælatos ex perpetuis triennales esse voluit, & sub grauibus pœnis & censuris mandauit reformationẽ obseruari. Tunc N. ex loco discedens, in quo professus fuerat, coram notario, testibus, & egregiis viris, protestatus est se nolle obligari prædictæ religioni, neq; per professionem emissam, neque per habitus gestationẽ, neque per quemcumque actum se factum vel faciendum; hoc etiam semel expresso, quòd metu censurarum in reformatione latarum prædicta fecerat. Interim aliquãto tempore latitauit. cùm verò palam versatus est, habitum Prælato conuenientem gestauit: & forte pluries Superioribus dictæ religionis, ei tamquam Prælato etiam sub censuris præcipientibus, obtemperauit. Quæritur, an de iure sit professus, nec ne, & an aliquo modo sit religioni obligatus.

1 Hoc dubium resoluturus, dico primum, præfatam professionem à præfato N. factam fuisse ipso iure nullam, tam propter defectum ætatis, quàm probationis annalis, per Conc. Trid. cap. 15. de regul. sess. 25.

Secundo dico præfatum N. non esse dicendum tacitam professionem fecisse propter susceptionem habitus, & gestationem eius. Tum quia non gestauit eum per totum annum intra monasterium, neque extra in alio loco, in quo de licentia Superioris maneret: quod requiritur ad hoc, vt dicatur tacitè professus per habitus gestationem, per cap. 1.[a] ibi: *per totum sequentem annum.*

2 Quem debere esse ad hoc continuatum, & non sufficere interruptum; determinant Petrus ab Ancharano & Philippus Francus,[b] & Panormitanus,[c] & Bartholus per illum textum in l. *interdum.*[d] licet aliqui sine iusta ratione contradicant.

Tertiò dico; nihil videri colligi ex argumento proposito; per quod iudicari debeat prædictus N. ita legitimè ratificasse professionem præfatam, quam nulliter fecit, vt debeat iudicari professus. Tum quia non colligitur eum expressè ratificasse.

3 Tum quia protestatio animi declaratiua operatur, vt actus dubij eam sequẽtes intelligantur secundum illam, iuxta communem omniũ, qui de hoc tractant, sententiã.[e] At omnes actus, qui narrantur hîc, ad hoc vt ex eis præsumatur tacitè professionem approbasse, sunt dubij: ergo debent intelligi secundum prædictam protestationem.

4 Quartò, dico, quòd licet prædictus N. portasset habitum etiam indistinctum ab habitu professorum, etiam intra monasterium, etiam post annum decimum sextum, completum, etiam per alium annum integrum, putans se esse professum; eo quòd putaret prædictam professionẽ à se factam fuisse validam; non est iudicandus eam validasse, nisi sciens & prudens illam fuisse nullam, voluisset de nulla facere validam: ita vt ab eo tempore inciperet esse profess⁹, vt eleganter & subtiliter de more determinauit Cardinalis Caietanus,[f] quẽ nos retulimus, & probauimus in Man. confes.[g] quod non probatur interuenisse in hoc casu.

Quinto dico, esse consequens prædictis, iudicandum esse prædictum N. nõ esse professum expressè, nec tacitè, nec esse ob præfata vlli religioni obligatũ in specie, nec in genere. Salua, &c.

a *De reg. li. 6.*
b *Ibidem.*
c *In c. ad Apostolicam. de reg.*
d *§. quoties. ff. de publicã.*
e *In cap. cum M. de constit. & in l. non solum. §. morte. de oper. nou. nunc.*
f *In 2. 2. quæ. 189. art. 5.*
g *Ca. 12. nu. 71.*

SVMMARIVM.

1 *Tertia regula S. Francisci à sui initio fuit approbata, nõ vt religio, sed vt bonus modus viuendi: & sic nisi aliud appareat, qui eam profitetur etiam emittendo tria vota, non est verus religiosus; tenetur tamẽ eam seruare, poterit autem de licẽtia sui Superioris viuere in eremo. num. 2.*
2 *Probationis annus factus in monasterio, ad finem, vt profiteretur primam regulam S. Francisci, non suffragatur, vt possit etiam in eodem monasterio recipi ad professionem in tertia regula eiusdem S. Francisci: vnde professio non tenet, potestq; sine alia licentia assumere sibi vitam eremiticam.*

CONSILIVM XXXV.

QVidam desiderans ingredi religioné primi ordinis S. Francisci, in monasterio quodam prædicti primi

ordinis habitum suscepit, animo profitẽdi prædictam regulam primam,& cùm esset in fine anni nouitiatus emisit professionem tertij ordinis sancti Francisci, & nõ primi: quia dixerũt illi; quòd non habebant facultatem illi dandi,seu concedendi aliam,nisi tertiæ regulæ professionem;& ita ipse exponens,ne remaneret sine habitu, illam acceptauit.Postremò cùm videret se non esse eiusdẽ ordinis,cuius erant reliqui fratres dicti monasterij,qui omnes,dempto custode, Conuentuales fuerunt, ad sæculum rediit, & cupit in aliquo eremitorio cũ dicto habitu, vel sine eo,dum vixerit, permanere. Quæritur, an id sibi liceat.

1 Perlecta tota regula tertij ordinis S. Francisci approbata per Nicolaum I V. respondeo primò, quod Domin⁹ consulens non est religiosus propriè dictus, vt colligitur ex c.*cum ad monasterium.*[a] & tradimus nos latius commẽt. 1.de reg.[b] quia licet illa tria vota emisisset,non tamen emisit in religione approbata pro religione, licet sit approbata pro bono modo viuendi,iuxta glossã singularẽ,[c] & de essentia religionis propriè est, vt ea emittantur & fiãt in religione approbata pro religione,vt probauimus nos vbi supra,& est gloss.[d] approbata per omnes,& fundata in cap.1.[e]

Secundò,quòd tenetur seruare prædictam tertiam regulam ordini sancti Francisci; quia obligauit se ad illam voto licito,& vota licita sunt seruanda.[f]

Tertiò,quòd prædicta duo dicta sunt certa,præsupposito quod nõ fuerit facta per Sedem Apostolicam aliqua reformatio viuentium in communi super prædicta regula;per quam de modo viuendi approbato fuerit facta regula approbata,quod mihi modo non constat.

2 Quartò,quòd satis magnæ quæstionis esset,an consulens esset verè religiosus,si talis reformatio fuisset facta; quamuis dici posset,responderi posse,quòd non; quia nõ egit per annum nouitiatum in illa regula, quamuis peregerit in alia:& hodie post Concilium Tridentinum,[g] nulla professio religionis propriè dictæ valet, si non fuerit facta post peractum nouitiatus annum.

Quintò;quòd his est consequẽs posse consulentem sine alicuius Superioris licẽtia facere id,ad quod optat sibi fieri licentiam à Papa.

Sextò,quòd vix faciet illam Sanctissimus D.N.ob aliqua,quæ suam Sanctitatem mouent ad difficile concedẽdum licẽtias aliquas religiosis,quas alias habent iure cõmuni,vel possunt habere à suis Prælatis.

Septimò,quòd in omnem euentum tenebitur seruare prædictam tertiam regulam,si non profiteatur aliam Frãciscanam,vel alterius ordinis approbatam.Salua,&c.

a De stat.reg.
b Super c.cui portio.12.qu.1.nu.18.
c In clem.ex eo.de senten. excomm.
d In clem.2. de regu. ver. religione.
e De reg.l.6.
f Ca.magna. de voto.
g Ca.15.sess. 25.

### SVMMARIVM.

*1 Professionis nouitiorum cathedralis regularis admissio diuersimodè potest ad Episcopum & Capitulum spectare: & quidem si spectet ad Episcopum,prout de iure communi videtur spectare;illius negligentiam Capitulum supplere nõ potest. num.3.Idem dicitur, quando ex æquo communiter spectat ad vtrumque,num.2 sicut obseruatur in collatione præbendarum, quam tamen in secundo casu confert Capitulum,si sedes vacat.*

## CONSILIVM XXXVI.

PRæsupposito:quòd regularis professio debeat fieri in manibus Capituli Ecclesiæ cathedralis regularis & ipsiusmet Episcopi, an valeat facta in manibus Capituli, Episcopo nolente illam recipere?

1 Respondeo primò, quòd ad respondẽdum rectè huic quęstioni,est necesse præscire quomodo hęc professionis susceptio pertineat ad Episcopum,& Capitulum,an scilicet ex æquo & immediatè,an ad Episcopum cum consilio vel consensu Capituli, an contrà Capitulo cũ cõsilio vel consensu Episcopi,an ad Capitulum immediatè, & ad Episcopum mediatè, nolente vel negligẽte Capitulo eam suscipere: quia diuersè respondendum est in huiusmodi diuersis casibus,iuxta cap.1.[h]

2 Secundo,quod si hęc potestas recipiendi professionẽ ex æquo & immediatè spectat ad Episcopũ & Capitulũ, videtur quod non potest solum Capitulum illam suscipere. Tum quia cùm collatio beneficij spectat ad Episcopũ & Capitulum ex æquo,non potest solum Capitulum sine Episcopo, nec solus Episcopus sine Capitulo conferre, iuxta doctrinam Hostiensis communiter quo ad hoc receptam,[a] quæ probatur per principium dicti c.1.[b] per locum ab speciali, quatenus pro casu speciali ponit, quòd Capitulum potest conferre beneficia communiter spectantia ad illud & Episcopum,vt Prælatum,mortuo Episcopo:& ita præsupponit,quod non regulariter.

h Ne sede vac.li.6.

3 Facit etiam,quod iura tractantia de persona, quæ potest recipere professionem, communiter loquuntur magis de Abbate,quàm de Conuentu,vt videre est in ca.*porrectum.*[c] ibi, *Abbate.* & cap. *ad Apostolicam.*[d] in quo bis fit mentio de Abbate,de conuentu autem nec semel.Ad idẽ faciunt cap.*Ioannes.* & c.*sane.*[e] facit item, quod Superior, qui tenetur aliquid facere,& non vult facere,compellendus est ad id per Superiorem regulariter:ita quod nec ipse, nec alius potest illud facere,nisi in casibus à iure expressis, vt satis probat textus cap.*nullus.*[f] vbi sic resoluit Panormitanus & Felinus referẽs alios.[g] Ergo licet Episcopus potuisset compelli ad suscipiendam professionem nouitij tam ad ipsum,quàm ad Capitulum pertinentem; non potuit tamen à Capitulo, quod non erat Superior eius,fieri id,quod ipse facere tenebatur.Salua,&c.

a In c.postulasti. de concess.præben.
b Ne sede vac.li.6.
c De regul.
d Eod. tit.
e Eod. tit.
f De iure pat.
g Cap.pastoralis. de officio ord.

### SVMMARIVM.

*1 Eiectus,& priuatus legitime habitu & ordine potest quamcũque aliam religionem ingredi & profiteri, nec prædictæ eiectionis taciturnitas vitiat secundum ingressum.*

*3 Generalis ordinis nõ potest sine cõsensu Capituli monasterij,ad quod admissio ad professionẽ spectat, aliquẽ illius professum facere:iubere tamen potest, vt tacitũ professum tractet pro professo; immo, nisi adducatur causa excusans,& mandare vt expressa fiat professio.num.5.*

*4 Professionis admissio de iure non ad mediatum Superiorem, puta Generalem ordinis sed ad immediatum prælatum, & monasterij conuentum spectat;& tunc etiam nec solus prælatus.nec solus conuentus admittit.num.2. immo nec sufficit dimidia,sed maior pars votorum requiritur.num.1.*

## CONSILIVM XXXVII.

B.Professus in ordine Prędicatorũ, & expulsus propter delicta,& priuatus legitimè à superiore,habitu & ordine:& postea ingressus ordinem Carmelitarum, tacita professione apud Prędicatores;& in fine anni nouitiatus,antequam profiteretur, venit Romam cũ testimonio dimidiæ partis eorum,qui debebãt eum admittere, & petit à Generali ordinis,vt faciat eum professum.

Occupatissimus simul & importunatissimus,vt respõdeam statim, dico primò præfatum consulẽtem iustè potuisse ingredi ordinem Carmelitarũ,& post annum nouitiatus iustè profiteri, si alias legitimè fuisset approbatus.

Secundò;quod prædictus Dominus consulens nõ potest dici professus expressè propter testimonium prædictorum quatuor,qui constituebant dimidiam partem eorum,qui debebant eum approbare,vel recipere eius professionẽ:quia requirebatur maior pars eorũ, argumẽto l. *quod maior.*[h]& iuxta glos.iũcto textu,[i] vbi post alios tradit Philippus Francus.[k]

2 Tertio, quod in monasteriis, in quibus receptio spectat ad Abbatem & monachos, non potest solus Abbas, nec solus Conuẽtus recipere monachum, nec consequẽter facere professum; eo quod vt diximus in Com.4.de reg.[l] valor professionis requirit duas personas, alteram quæ se obliget religioni,& alteram quę religionem obliget illi.

3 Quartò,quòd ex hoc videtur inferri, quod Reuerendissimus Generalis non potest sine prædicto Conuentu, vbi perfecit annum nouitiatus, facere prædictum consulentem monachum prædicti monasterij Carmelitarum, saltẽ sine cõsensu maioris partis illius,cui cõsequẽs est nõ posse illũ facere professum propter solã approbationem prædictorũ quatuor suffragium ad id habẽtiũ:quia nõ faciunt illi conuentũ,nec maiorem partẽ illius. Tũ quia aliud est approbare annũ probationis:& aliud professionẽ

h ff. ad municip.
i Cap.fin.de reg.li.6.
k Num.2.
l Super c.statuimus.num. 74.

approbati

approbati recipere,& à separatis non fit illatio.[a]

4 Quinto, quod etiam alia ratione videtur prædictum Generalem non posse facere prædictum consulenté professum solo iure communi attento; quia secundum illud receptio monachorum pertinet ad Conuentum, & Prælatum immediatum eius;& non ad Superioré mediatũ.[b]

Sextò, quòd his est consequens, non posse etiam congregationem Illustrissimorum DD. Cardinaliũ facere illum professum, nisi maior & specialior potestas fieret ei à S.D.N. de potestate absoluta, qua derogaret iuri communi.

5 Septimò, quòd prædictus consulens licet non possit dici expressè professus, vt prædictum est, posset tamen dici tacitè professus per delationé habitus annalis, si habitus professorum non est distinctus ab habitu nouitiorũ; per c.1.[c] & alia, quæ illi adiecimus in d. comment.[d]

Octauò, quòd prædictus cõsulens posset petere à prędicto Generali, vt iuberet prædicto Conuentui, in quo nouitiatus annum impleuit laudabiliter, vt haberent eũ pro tacitè professo, si vera sunt quæ ipse proponit, & non est ibi distinctus habitus professorum ab habitu nouitiorum, vt prædictum est: posset etiam iubere, vt acciperent professionem illius expressam, si facere vellet: immo & compellere ipsum ad faciendum eam; nisi iustam aliquã causam ab eo illum excusantem allegaret. Salua, &c.

a L. Papinianus. ff. de minor.
b Arg. ca. ad Apostolicam. de regul. cum ei annotatis.
c In fin. princ. de reg. lib. 6. ... supra.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus non efficitur quis emittendo tria vota in religione approbata, nisi illa emittat in manibus potentis illum illi incorporare, qualis non censetur nouitius.*

2 *Collegium, omnibus, vno dempto, sublatis, in dicto vno conseruatur, isque solus potest collegij iura exercere.*

## CONSILIVM XXXVIII.

1 Respondeo præfatos viros eruditos hac de re consultos rectè respondisse, quatenus dixerunt præfatum Ioannem non esse verum religiosum: quia id quod datur ab eo, qui dare non potest, habetur pro non dato. Tum quia professio trium votorum, quæ sunt religionis substantialia, non efficit ea profitentem vere religiosum, nisi ea emiserit secundum regulam à sancta sede Apostolica approbatam in manibus eius qui potest incorporare profitentem tali religioni approbatæ, vt etiam nos post alios tradimus in com. 4. de re.[e] & præfatus Ioannes nõ emisit professionem in manibus eius qui poterat eum incorporare vlli religioni à sede Apostolica approbatæ; quia non erat Prælatus canonicè institutus, immo neque religiosus verus; quia erat nouitius nullam potestatem canonicam habens ad suscipiendos vllos religiosos etiã ad vestiendos habitu religioso, & ad faciendum etiã nouitios, quantò minus ad faciendum professos, & veros religiosos. Tum quia licet religio, vniuersitas, vel collegium non pereat, quamuis redigatur ad vnum, omnibus aliis mortuis; quia potest conseruari & consistere in vno iuxta l. *sicut municipiũ*.[f] & tradunt Panormitanus & citati per eum,[g] non tamen defertur potestas eligendi Prælatum vel alios religiosos ad alios, quam ad illum vnum, in quo residet seu cõseruatur collegium: & ita cùm in casu proposito religio vel congregatio redacta fuerit ad vnum, qui potuisset exercere iura collegij; non tamen potuit exercere illa præfatus Ioannes Baptista, qui nondum erat professus, nec religioni incorporatus per professioné præsertim renuente ac cõtradicente præfato vno, in qué ius collegij fuit redactum.

e Super cap. statuimus. 19 qu. 3. nu. 73. & seq.
f ff. quod cuiusque vniuers.
g In cap. 1. de elect. à nu. 5.

SVMMARIVM.

1 *Eremita vt esset, qui in manibus superioris eremitarum professionem faciens vouit obedientiam, paupertatem, & castitatem, non efficitur religiosus, cum illa congregatio non sit religio, nec professionem recipiens possit profitentem religioni incorporare; nec potest ab aliquo cogi vt fiat religiosus. nu. 2. peccatq; qui talem ad id inuitum cogit: tenebitur tamen tria vota vti simplicia seruare. num. 3.*

2 *Regularis semel iustè à religione eiectus non potest inuitus cogi, vt ad eamdem reuertatur.*

## CONSILIVM XXXIX.

Qvidã Ludouicus volens esse eremita accessit ad quédam montem, vbi multi sub quodã Matthæo agebãt vitam eremiticam, & fecit professionem, vouendo castitatem, paupertatem, & obedientiam præfato Matthæo, qui nullum titulum canonicum id faciendi habebat; quo mortuo rogatus Papa fecit facultatem eius Abbati accipiendi professionem illorum secundum regulam B. Basilij. Quæritur, quid iuris?

1 Respondeo primò, quòd numquam fuit verè religiosus: quia professio, quam fecit in manibus prædicti Matthęi, non fuit professio religionis veræ & approbatæ à S. Sede Apostolica, nec fuit accepta ab eo, qui posset illum obligare alicui regulæ approbatæ: & iure optimo respõdit Papa nullas & inualidas fuisse professiones factas in manibus d. Matthæi.

2 Secundò, quòd vellem vidisse bullam Papæ, in qua declarauit d. professiones fuisse nullas: credo tamẽ, quod per illam bullam non cogebat ad faciendum nouas professiones in regula postea approbata ab eo, nolentes profiteri; quia non poterat iustè tam grandia præcipere.[a]

Tertio, quod licet professio dicti Ludouici valuisset, non potuit tamen compelli ad redeundum ad religioné, si iustè fuit eiectus à suo Superiori, vt probamus in com. 2. de reg.[b]

3 Quartò, quòd peccabunt mortaliter, qui compellent illum ad profitendum nouè religionem approbatam, cõtra dictum c. gestas, & illius glossam receptam.

Quinto, quod est obligatus, vbicumque fuerit, ad seruanda tria vota, castitatis, paupertatis, & obedientiæ, tãquam vota simplicia, & non solemnia, quæ quãtùm & ad quid obligent, dicimus in com. 1. de reg.[c]

a Arg. ca. integritas. 32. q. 1. & ca. gestas. 74. dist. adiũcta gloss. in verbo crescere.
b Super c. nõ dicatis. 12. q. 1. num. 36.
c Num. 18.

SVMMARIVM.

1 *Professio emissa in manibus Episcopi tenet, dummodo emittatur in monasterio Episcopo subiecto, prout erant antiquitus de iure, num. 4. & qui possit ordini incorporare: num. 5.*

2 *Professus ad hoc, vt quis sit, requiritur, quod tria vota substantialia in aliqua approbata religione seruare promittat in manibus Superioris habentis administrationem, nu. 5. & potentis illum religioni incorporare, n. 2. Vnde professio emissa in manibus alicuius monachi etiã (sed falso) dicentis, num. 1. se habere hanc potestatem, non tenet, nu. 4. sicut nec emissa in manibꝰ Episcopi quo ad religiones & monasteria exempta ab eius iurisdictione, nu. 2. 3. 4. & 5. nisi tales recepissent professionem nomine Superioris: quia tunc si Superior ratificaret, inciperet professio à die ratificationis valere; & hoc, dummodo etiam extrema adhuc sint habilia: nam si professus esset mortuus, non posset ratificari. num. 7. & 8.*

5 *Abbas electus ante confirmationem non est Abbas, nec habet administrationem, vnde nec potest admittere aliquẽ ad professionem, & num. 6. & admissio, etiamsi plures admisisset, non tenet. & num. 1. & 8.*

## CONSILIVM XL.

1 Matthæus professus fuit religionem S. Basilij primum in manibus Episcopi Cordubensis deinde in manibus cuiusdam Didaci, falsò dicẽtis se ad id habere à Superioribus potestatem. Tandẽ d. Matthæus in Abbatem electus, antequam confirmaretur, & benediceretur, multorum professiones tamquam Abbas admisit, & mortuus est.

His stantibus, quęritur primò, an dictus Matthęus censendus esset verus religiosus.

Secundo, an professiones per alios fratres in manibus eius emissę valeant.

Ad primam quæstionem respondeo, quod pro parte affirmante facit primò, quòd Innocentius expressè tenet,[d] quod potest quis fieri monachus faciendo professionem alicuius regulæ approbatæ in manibus Episcopi,[e] & prędictus Matthæus fecit professionem in manibus Episcopi Cordubensis antequam literæ Pij V. ei notificarentur.

Secũdò, quod prædictus fe. re. Pius V. posuit necessitatem, & fecit expressè facultatem omnibus, quibus scribebat, habitum à clericali differentem gestantibus, & volẽtibus illum gestare, deligendi vnam de regulis approbatis & eligendi Superiorem suæ congregationis, & faciendi professionem intra mensem; & consequenter videtur dedisse potestatem accipiendi professiones ipsis Prælatis electis, & quod ipsi prælati posset eligere personas, in quarum manibus profiterentur: quia concesso vno, omnino conceduntur ea, sine quibus id expediri nequit,[f] immo

d In c. porrectum. de reg.
e Argu. ca. si vir. 27. qu. 2.
f Leg. 2. ff. de iurisd. omn. iud. & ca. praeterea. de offic. deleg.

& ea

& ea sine quibus id cómodè expediri nequit,iuxta leges,[a] per quas id affirmat Aret.[b] & Decius,[c] licet glossa [d] contra sensisset.

2 Pro parte verò negante, quæ vera est,facit irrefragabiliter primo id, quod scripsi in com.1.de reg. [e] scilicet, quod ad hoc, vt quis dicatur verè & propriè religiosus professus,non sufficit,quòd voueat quomodocumque tria substantialia vota,sed requiritur,quòd voueat ea solemniter, ille autem dicitur vouere illa solemniter, qui vouet seruare in religione approbata à Sede Apostolica.[f]

Secundò,non sufficit hoc,sed oportet,quòd voueat illa in manibus eius,qui eum potest incorporare illi religioni, siue quod eius professio recipiatur ab eo, qui potest eum incorporare religioni,per cap.*ad apostolicam*,[g] ibi,*Abbate per se,vel per alium recipiente*.vbi hoc notat Card. & Pan. [h] ibi, *Recipitur ab Abbate*,vt ibi notat Innoc.quem Panormit. [i] & alij sequuntur: & prædictus Matthæus non fecit vllá professionem in manibus alicuius, qui posset eum incorporare religioni S.Basilij,quandoquidem prima professio, quá ait se fecisse mense Iunij anni 1569. in manibus Episcopi Cordub.non fuit facta in manibus eius,qui posset eum incorporare religioni S.Basilij, cùm illa religio sit, vt præsupponitur,à iurisdictione ordinaria exempta, & ita Episcopus Cordub. nullam in ea, præsertim ad hoc, habebat potestatem:quia receptio professionis à superioritate suá accipit virtutem,vt sentit Innocentius in d.ca.porrectum. & clarius tradit Geminianus. [k]

3 Secunda verò professio, quam fecit in manibus fratris Didaci,manifestius fuit nulla. Tum quia prædictus Didacus nulla ratione erat superior eius:non enim habebat vllam aliam potestatem, quàm datam sibi à prædicto Matthæo:& cum nemo sit sibi superior,[l] immo nec suo successori, [m] non potuit dare alij super se superioritatem, cum nemo det,quod non habet.[n]

4 Secundò facit, quod nec sufficit profiteri in manibus alicuius monachi,vel fratris regulæ,quam profitetur, nec quod ab eo recipiatur professio, nisi haberet potestatem eam recipiendi ab eo,qui potest eum incorporare religioni,vt idem Panorm. determinat, [o] declarando sic illud, [p] quamuis non requiratur, vt professio fiat intra monasterium eiusdem regulæ,vt ibidem probatur,& in d.cap. *porrectum*.Tertiò,quòd non sufficit facere professionem religionis approbatæ in manibus Episcopi,qui recipiat illam, vt tradit Antonius,[q] quem sequitur ibi Panormita. nu. 12.

Tertio,non obstat cap.*si vir*,[r] quod mouit Innoc. ad dicendum contrarium.Tum quia illud cap.nil de professione statuit:quia immo,vt ait glossa loquitur de separatione viri & vxoris à iudice facienda. Tum quia illud cap. si intelligeretur de professione, intelligédum esset de Episcopo ordinis & monasterij sibi subiecti, vt iure cómuni omnia subiiciuntur Episcopis, [s] & in casu proposito Episcopus Cordubensis nullam habebat superioritatem in religione S.Basilij prædicta.

5 Quartò,quòd ipsemet Innocentius, [t] ait, quod professio valida non potest fieri siue auctoritate superioris potentis incorporare profitentem religioni: & Episcopus nullatenus potest incorporare quemquam religioni à sua iurisdictione exemptæ,vt palam est:quia extra territorium suum ius diceret,contrà l.fi.[v] & cap.2.[x]

Quinto,quod electus in Abbatem ante confirmationé non est Abbas,[y] neque quicquam vt Abbas facere potest,[z] immo nec omnia ante benedictionem.[a]

Ad primum oppositorum respondetur, quod dictú Innocentij in eo citatum non potest habere locum, nisi ad summum in professione facta in manibus Episcopi habétis iurisdictionem & superioritatem in religionem, quam profitetur profitens in manibus suis, quod non contingit in nostro casu.

6 Ad secundú respondetur, negando, quod ex literis Pij V.satis efficaciter colligi posit, q̃ electi à congregationibus prædictis possent administratione sua vti, antequam cófirmarentur, per vltimú argumentum pro parte negáte formatú:non enim præsumendum est, Romanú Principé, qui iura tuetur,vnico verbo voluisse tot iura de electione, & professione,& religione confirmanda tollere,[b] nisi exprimeret id,aut aliud,ex quo id sequeretur,quod in nostro casu non fecit.

7 Addo tamen,quod licet nulla priorum professionum Matthæi valuisset, potuit tamen secunda validari in vita eius per ratificationem superioris prædicti ordinis S. Basilij, quia fecit illam in manibus prædicti Didaci nomine Superiorum prædicti ordinis,vt ex tenore suæ professionis cóstat:& receptio professionis facta in manu alicuius, qui non potest incorporare religioni,si tamen recipiat eá nomine eius,qui potest incorporare,ratificante eo illam, fit valida, vt dixit Innocentius receptus, [a] sed quia ratificatio non fuit facta in vita eius,non potest nunc fieri post mortem. Tum quia extrema nó sunt habilia,iuxta l.pen.[b] Tum quia talis ratificatio facit professioné validá à tempore ratificationis, & nó ante,vt ibidé Innocentius dicit.

8 AD SECVNDAM QVÆSTIONEM respondeo,quod nulla aliarum professionum supradictarum in manibus Matthæi factarum valuit:quia nulla fuit facta in manibus eius,qui posset profitentem incorporare religioni: nam per rationem ad primam constat, prædictum Matthæum non fuisse verè religiosum,nec verum Abbatem,sed solùm electum,& non cófirmatum,& minus benedictum, & consequenter non habuisse potestatem incorporandi religioni profitentes in manibus eius: immo nec ratificari possunt prædictæ professiones à Superiore ordinis, quia non fuerunt receptæ à prædicto Matthæo ipsius nomine, sed tantum proprio, vt ex earum tenore constat: & non potest quis ratum habere, quod non est gestum suo nomine.[c] Salua,&c.

SVMMARIVM.

1 *Professio tacita tunc demum ex gestatione habitus inducitur, si sit legitimè à Superiore eo animo traditus, & à nouitio acceptus,nó honoris causa,sed vt ad professionem prodesset, num.3.& sit indistinctus ab habitu professorum,in religioneque immo & in monasterio, num 1.vel alibi de licentia Superioris gestatus, num 2.per annum continuum, adeo vt menses interrupti non possint coniungi. num.1.*

2 *Regularis vbicumque sub obedientia manet, censetur in monasterio manere.*

3 *Habitus delatio,deuotionis,seu honoris causa permissa,non facit quem religiosum.*

## CONSILIVM XLI.

1 PEr delationem habitus religionis non fit tacita professio,nisi tria concurrant.Primum,quòd sit indistinctus ab habitu professorum.[d]

Secundum, quòd deferat eum in monasterio, & congregatione,per textum in clem.*eos*,[e] adiuncta glossa,[f] recepta ibi per Doctores & Panormitanum cum communi sequente Hostiensem, [g] & Francum in dicto cap. 1. [h] vbi bonus textus in principio,ibi, *In monasterio.*

Tertium, quod deferat illum intra monasterium per annum cótinuum:adeo quod,licet deferat quatuor menses continuos, si postea exiret, & iterum reuerteretur, & deferret octo vel plures menses,& exiret iterum ante annum continuum completum,nó censeretur professus,per cap.1. [i] ibi, *Per totum annum.* vbi hoc tenet Archidiaconus & Francus & latius Lapus.[k]

2 Is autem,qui deferret habitum extra monasterium de licentia,obedientia,vel mandato Superioris,censetur deferre illum intra monasterium,secundum Abbatem antiquum, [l] & sequitur Abbas iunior, qui postea fuit Panormitanus Archidiaconus.[m]

3 Ex quo infertur, milites Hierosolymitanos & alios Cruciferos,qui,vt armatam militiam exerceant, suscipiút habitú suæ religionis legitimè intra monasterium,& postea(quod sæpe fit de mandato magnorum Magistrorum) deferunt eum extra monasterium bellãdo, vel aliqua negotia suorum ordinum,vel monasteriorum faciédo,posse finire annum probationis extra monasterium: quia monachus,vbicúque maneat sub Superioris obedientia,censetur manere in claustro,vt vbi supra prędicti Abbates asseruerunt,nisi forte Superior concederet licentiam deferédi habitum sui ordinis causa deuotionis,vel honoris,ea mente tamen,quòd gestatio illius nó prodesset ei ad professionem tacitá,vel expressam:quod nuper scim⁹ factum fuisse, & sæpe solitum fieri accepimus à magno Magistro Hierosolymitanorú siue S.Ioannis.Tunc enim non cen-

a L.penult.ff. de vsufruct. & l.quicumque. §. si ei quẽ.ff. de instit. act.
b In c. de testib.colum. 3. de testib.
c In c.vt debitus. colum. 8.de appell.
d In ca.solet. de senten.excommu. li.6.
e Super c. cui portio.12.qu. 1.nu. 18.
f Per ca. vlt. de relig. domib. & ca.1. eod.tit. lib.6. & c.1.de voto,eodem lib.
g De reg.
h In c.porrectum. eodem tit.ibi.
i Num. 5. 9. & 11.
k In c. constitutioné. §. 1. de reg.lib.6.
l L.e.penul.ff. de recep. arbitr.
m Cap.innotuit.de elect.
n Capi. quod autem.de iure pat.& l.si vniuerse. C. de leg.
o In cap.insinuante. qui cler. vel vouen.
p Num. 1.
q In d.ca.por rectum.
r 27.q.2.
s Ca. Abbates.& c. Abbatibus.18.q. 2.
t In d.ca.porrectum.
v ff.de iurisd. om.iud.
x De constit. li.6.
y Argu.cap. postquam.ea. nosti.ca.nihil. de elect.
z Ca. auaritia. de elect. li.6.
a Capit.1. de supplen. neg. prælat.
b L.si quando.C.de inoffic. testamen.

a In d.c.porrectum.
b ff. rem ratam hab.
c Ca. ratum. de reg. iur li. 6.ca.cũ quis. de senten.excomm.eod.li. 6. cum aliis simili.
d Ca. 1.§.qui vero. de reg. li.6.
e De reg.
f Verbo in aliqua.
g In c.at clerici.de reg.
h §.fin.de regu.lib.6.
i De reg.l.6. in principio.
k Allegat. 46.num.2.in Dei nomine.
l In c.cum illorú. de sent. excomm.
m In c.ex rescripto.de iureiuran. n. 5.

ſetur profiteri,nec annum nouitiatus implere : quia actus agentiū non operantur vltra intentioné eorū.[a] Salua, &c.

a Ca. vlt.de præben.& le. non omnis.ff. de reb.cred.

SVMMARIVM.

*1 Votum ſimplex religionis eſt promiſsio facta Deo de permanendo, vel ingrediendo religionem in genere,vel ſpecie.*

*1 Votum ſimplex cùm annexā habeat promiſsionem,& conſequenter factum,non eſt præſumendum.& nu.9.*

*2 Oblata à parentibus in pupillari ætate liberè ad ſæculū redire pōt.*

*2 Habitum nouitiorum patenter diſtinctum deferēs,nec votum, nec voti ratificationem emittere cenſetur.nu. 4. nec eidem aliquod votum eſt annexum,nec impedit reditum ad ſæculum , nec matrimonium.nu.3.11.*

*5 Offerens ſe & ſua monaſterio cenſetur habere voluntatem mutādi vitam ſæcularem in regularem,ſed non ſic in oblata à parentibus.nu.4.& 11.*

*5 Profeſsionem tacitam non cenſetur facere,quæ in choro canit , & alios actus facit,qui per nouitios fieri ſolent.*

*6 Laici ad cantandum in choro cum profeſsis admitti poſſunt.*

*6 Præſumptio per contrarios actus tolli poteſt.*

*7 Iuramento ſtandum eſt in iis,quæ ad propriā ſpectant conſcientiā.*

*7 Diſpenſare ſuper voto caſtitatis ex cauſa poteſt ordinarius.*

*8 Votum requirit propoſitum,& poſtea promiſsionem.*

*10 Habitum nouitiorum diſtinctum etiam per decem annos deferēs profiteri non præſumitur.*

CONSILIVM XLII.

PORTIA quædam impubes,à matre, quæ ad ſecunda vota aſpirabat,monaſterio vna cum dote tradita fuit poſt 12. verò annum iuſſa ſuſcipere habitum nouitiarum , tondere capillos fecit,lacrymans tamen, & deinceps ſemper dimiſit tonſuram,& in ſermone quotidiano dicebat Abbatiſſę, & monialibus , ſe velle exire à monaſterio , & nubere : & quamuis poſt annum probationis per multùm temporis geſtauerit habitum, & interfuerit Horis canonicis , & inſeruierit monialibus profeſsis,habitus tamen erat manifeſtè diſtinctus ab habitu profeſſarum, & actus illi erant cōmunes profeſsis,& nouitiis,& interim permittebat nouitias poſteriores ſe ad profeſsionem admitti:quia numquā habuit animum ſe obligandi religioni , neque vllum votū fecit:tandem de licentia Vicarij Epiſcopi exiuit, & poſtea nupſit.Quæritur,an tuta conſcientia id facere potuerit,& an liceat ei permanere in matrimonio contracto.

1 Reuerend.Pater votum ſimplex in terminis noſtris nihil aliud eſt, quàm promiſsio facta omnipotenti Deo de permanendo , vel ingrediendo religionem in genere, vel in ſpecie,iuxta c.*qui poſt votū*,vbi Gem.[b] & Franc. [c] Arch. [d] Ioan. And. & alij notant, [e] vnde cùm votum ſimplex habeat annexam promiſsionem , & ſic factum nullo modo venit præſumendum in caſu noſtro.[f]

2 Et licet D.Portia in pupillari ætate tradita fuiſſet monaſterio à D. Antonina eius matre , tamen ex hoc non fit præiudicium D.Portiæ,quòd maior facta non poſsit liberè redire ad ſæculum. [g]

Neque dicendum eſt,quòd ſaltem per aſſumptionē habitus in pupillari ætate cū geſtatione illius per plures annos poſt annū probationis poſsit dici inducta ratificatio, ſeu mutatio voluntatis, ad effectum , vt D. Portia dicatur emiſiſſe aliquod votū ſimplex.Nam reſpondendo dicitur, quod ex geſtatione habitus patenter diſtincti ab habitu profeſſarum, prout erat in caſu noſtro , non poteſt dici inducta aliqua ratificatio,ex traditis per Abbatem. [h]

3 Abſque eo, quod mutatio voluntatis non præſumitur, vt ait Abbas, [i] & quātocūque tempore quis geſtauerit habitum probationis patenter diſtinctum,nō cenſetur emittere profeſsionem,nec obligatur religioni in genere, neq; in ſpecie,& poteſt redire ad ſæculum iuxta Innoc.[k] quem ſequuntur ibi Ioan.And.[l] & Anch.[m] Abbas,[n] Abbas antiquus,[o] & notat.ſecūdū Inno.[p] Fran.[q] & Gem.ibi,[r] Card.[s] Præpoſitus,[t] & cum Abb.[v] qui refert & ſequitur Inno.ibi tenet ſumma Ang.[x] & ſumma Tabiennæ.[y]

Et per conſequens , licet D. Portia geſtauerit habitum probationis patēter diſtinctū per plures annos poſt annū duodecimū ætatis ſuæ,tamen ex hoc non poteſt dici emiſiſſe aliquod votum ſimplex:cùm ſit,quod potuerit redire ad ſæculum,nec remanſerit obligata alicui religioni in genere,neq; in ſpecie,& votum ſimplex nihil aliud ſit,quam eſſe obligatum religioni in genere,vel in ſpecie,vt dixi.

b Nu.2.& 5.
c Num.1.ad fin. & nu. 2.
d In 1,notab.
e De regu. in 6.
f Le.in bello. §.facta.ff.de capt.& poſtl. reuer. c. 1.de conſtitu.in 6.
g Ca.ſignificatum.c.cum virū. de reg.
h In c.ſignificatum. nu.5. de reg.
i In ca. maiores. §. item quæritur.nu. 5.de baptiſ.
k In c.ex parte.
l In fin.
m Num.5.
n Nu.3.verſi.2. caſu , de regul.
o In ca. conſulti.col. 1.ad fin.verſ. 5.
p De regul.
q In cap. 1. in fin.princ.
r In §. 1. nu. 5.verſ.primū dictum de regul. in 9.
s In clem.eos. nu.3.verſ. 2. dilatio.de regul.
t In c. quidā. ad fi.27.diſt.
v In d.cap.ex parte.
x In verb.nouitius.nu.12. verſic. ſi vero diſtin.
y In verbo nouitius ad fin.nu. 6.

A Et hoc etiam clarius demonſtratur,quia Innocentius,[a] quem omnes alij cōmuniter ſequuntur,dicit,quod ſi quis geſtauerit habitum probationis quantocumque tempore non obligatur religioni in ſpecie, neque in genere , & ſic appellat habitum probationis,etiam quod ſit delatus poſt annum probationis:& Cardinalis, [b] dicit,quod quis dicitur nouitius etiam elapſo anno probationis. Si igitur D. Portia remanſit ſemper cum habitu probationis,non poteſt dici , quod emiſerit aliquod votum ſimplex , cùm ſit, quod huiuſmodi habitus probationis non habet annexum aliquod votum ſimplex,vt ait Innocentius,[c] & Ioannes Andreas.[d]

B Prout etiam in terminis,quod huiuſmodi habitus probationis non impediat matrimonium cōtrahendum, tradit Abbas, [e] ibi , *prima ſolutio.* [f] vbi etiam Hoſtienſis , [g] & Ioannes Andreas, [h] ibi,*de habitu probationis*,& Antonius de Butrio,[i] quod quando quis geſtauit habitum probationis diſtinctum etiam elapſo anno probationis poſsit contrahere matrimonium , tradit Ancharanus in cap. meminimus.num.2.qui cle.vel vouent.

4 Non obſtat,quod D.Portia fuerit tradita monaſterio cum eleemoſyna ducētorum ducatorum.Quia primo loco dicitur , quod D. Portia ignorauit factum matris ſuæ, prout etiam ita præſumendum eſt,[k] neque ſufficeret præſumpta ſcientia,cum agatur de amiſsione libertatis,& ſic

C iuris D. Portiæ , ex traditis per Sarnenſem, [l] Puteum. [m] Stante igitur ignorantia D.Portiæ,non poteſt dici, quòd ipſa ratificauerit factum matris ſuæ, cum ignorans non dicatur remittere, neque conſentire.[n]

Vlterius dicitur,quòd ſi quid traditum fuerit monialibus,& monaſterio,id non tradidit D.Portia, ſed D.Antonina eius mater,ideo ex facto matris nō poteſt fieri pręiudicium filiæ , & maxime quando filia permanſit cum habitu probationis diſtincto , ex traditis per Abbatem , [o] cum concordantibus ſupra adductis.

5 Accedit, quod id, quod dicitur ex traditione rei facta monaſterio cenſeatur quis mutare voluntatem,intelligitur, quando quis obtulit ſe, & omnia bona ſua vel maio-

D rem partem monaſterio : de quo non conſtat in caſu noſtro,vt per Francum, [p] ibi, *Tertio quando tempore.*[q]

Non obſtat,quod D.Portia interuenerit in Horis canonicis,& inſeruierit monialib⁹ profeſsis: quia hoc licet fecerit, id fecit tamquam nouitia, & prout aliæ nouitiæ ſolebant interuenire, & inſeruire, neque poteſt inferri, quòd vltra actum fieri ſolitum per nouitias voluerit ex hoc D. Portia in aliqua religione ſe obligare , cum actus voluntarij non extendantur vltra quam gerantur.[r]

6 Et eo magis, quia omnia iſta poſſunt fieri per merè laicas perſonas, quæ poſſunt admitti ad canendum à perſonis religioſis,& inſeruiendum diuinis, iuxta doctrinam

E Abbatis , [s] cum traditis per Decium, [t] & per conſequens cum non ſit probatio concludens , non poteſt colligi huiuſmodi præſumptio.[v]

Abſque eo quod generaliter dici poteſt , quod omnia prædicta tolli poſſunt per contrarias præſumptiones , & probationes,[x] conſtat enim,quòd D. Portia in ſuſceptione habitus & eius tonſura capillorum plangebat , & abinde poſtea ſemper dimiſit tonſuram , & permiſit, quod nouitiæ ſibi poſteriores in ordinē aſſumerentur ad profeſsionem,quòd ſi habuiſſet animum mutandi vitam vtique prædicta non feciſſet, cùm nemo præſumatur immemor ſalutis æternæ, neque veriſimile ſit , quod D. Portia voluerit ſibi fieri pręiudicium in antelatione,& per con-

F ſequens dicendum eſt, quod talis præſumatur voluntas D.Portiæ,qualis ex actibus colligi poteſt.[y]

Et maxime quia ſumus in claris : ex quo conſtat quod D. Portia, dum permanſit in monaſterio, expreſsè declarauit,quod ideo permittebat nouitias poſteriores ad profeſsionem admitti,quia dicebat id facere, ex quo valebat exire de monaſterio,& nubere:& id etiam ſępe ſæpius dicebat in ſermone quotidiano Abbatiſſæ, & monialibus, prout etiam exiuit poſtea de licentia Vicarij pro tempore,& nupſit, vnde in claris non opus eſſet coniecturis.[z]

7 Vltimo dicitur,etiam quod eſſemus in dubio, ex quo D. Portia in examine ſuo mediante iuramēto declarauit ſe nūquam votum aliquod emiſiſſe , ſed ſemper habuiſſe

a In d.cap.ex parte.
b In di.clem. eos. nu.1.
c In c. porrectum.num. 1.
d Ibi col.1.de reg.
e In cap.conſuluit, nu. 3. verſ. contra hoc.
f Qui cleric. vel vouen.
g Col.fi.verſ. habitus.
h Col.fi.verſ. in gloſſ. per hoc.
i Col. fin. ad medium in princ. diſtinctionis ſuæ,& ad terminos dictæ clemen. eos. de regul.
k Le.verius. ff. de probatio.ca.præſumitur.de reg. iur.in 6.
l Super regu. de annali. q. 48.in fin.
m Decíſ.6.de probation.
n L.ſi per errorem. ff. de iuriſd. omn. iud.le.ſi mulier decedēs. ff. de inoffic. teſtam.
o In d.c.ſignificatum.n. 5.
p In ca.2.col. 1.in fi. ver.in eadem gloſſ.
r De regu.in 6.
q L.voluntaria.C. de excuſat.tutorū. l.fin.C.ne vxor pro marito.
s In c.1.nu.2. verſ. in gloſſ. 2.de celebra. Miſſar.
t In ca.2.nu. 33. verſ. & laicus in Miſſa.de iudiciis.
v Ca.in præſētia. de probat.l.nō hoc. C. vnde legiti.
x Ad textum in le.diuus.ff. de reſtitu. in integr.& ca. accedēs. cum gloſſ. de crimine falſi.
y L.ſed Iulianus. §.proinde.ff.ad Macedon. Anch. conſil.302.n. 4.Dec. conſi. 476.nu.3.
z L.cōtinuus. §.cum ita. in fin.ff.de verbo.oblig.

animum

animum exeundi à monasterio, & nubendi, standum esset eius assertioni iuratæ, ex traditis per Abbatem,[a] prout etiã potius pro matrimonio carnali, quam spirituali præsumẽdum esset, vt per Ioan. And. Butrionem Abbatem Hostiẽsem & alios.[b]

Et in omnem euentũ non obstaret, quod ex gestatione habitus aliquod votum simplex esset emissum: quia super hoc habemus ordinarij dispensationem, quæ quidem saltẽ ex causa potuit fieri, & causæ legitimæ sunt tales, qualis metus etiam non iustus, prout erat in casu nostro, si non metus reuerentialis matris, saltem Abbatissæ, & monialiũ, à quibus fuit coacta habitum suscipere: alia verò causa est propter verisimilem impotentiam continendi, cùm palam in monasterio D. Portia expresè diceret velle exire de monasterio, & nubere, cùm esset iuuenis: vnde ordinarius potuit, stantibus prædictis causis, dispensare, vt ait Abb.[c] Summa Angeli.[d] Hæc aduocatus D. Portiæ. Sequitur responsum auctoris.

8 DOCTOR IS DOCTISSIMVS doctissimè locupletissiméque resoluit dubium propositum in fauorem Portię consulentis, ad quod etiam hæc pauca infrascripta suffecissent. Primum, quod ad hoc, vt aliquid dicatur, votum, requiritur propositum aliquid faciendi, & non sufficit illud, nisi consequatur promissio id faciendi cum animo se ad id obligandi, iuxta doctrinam S. Thomę,[e] & eiusdem & communiter omnium,[f] & nostrorum.[g]

9 Secundum, quod certum est non esse iudicandum aliquem fecisse votum, nisi probetur. Tum quia ei, qui dicit, incumbit onus probandi,[h] & facta non præsumuntur, nisi probentur.[i]

Tertium, quod ex præmissa facti narratione non colligitur vlla probatio voti facti vera, vel præsumpta: nam per ea, quæ narrantur, non probatur præfatã Portiam habuisse propositum faciendi se religiosam, & minus habuisse animum obligandi se ad illam, & minus quod id promisisset Deo, & se ad id obligasset.

10 Quartum, quod certissimum est, eum, vel eã, qui, vel quæ gestat habitum nouitiorũ distinctum ab habitu professorum, vel professarum, non præsumi profiteri, nec vllatenus vouere religionem, etiam si decem annis & eo amplius illum gestaret.[k]

Quintum, quod ea, quæ sunt animi alicuius, probantur per iuramentum eius, iuxta illas duas glos. solemnes,[l] cõmunitet recept. & quod prædicta Portia præstito iuramẽto deposuit, nullùm vmquam votum de ingrediendo religionem, vel in ea perseuerando fecisse, immo nec propositum id faciendi habuisse.

11 Sextum, quod assumptio habitus nouitiorum distincti ab habitu professorum, & eius delatio nullam inducit pręsumptionem voti emissi, etiam si deferatur per duos annos, & vltra, immo potest liberè exire à monasterio.[m]

Septimum, quod nulla lege, neque ratione inferri potest, impuberem emisisse votum intrandi, vel permanendi in religione, ex eo quod parentes eius inducant eam in cõsortium monialium, & pro alimentis eius, vel quo libẽtius eam recipiant, vel quò sit pro dote, vel parte dotis solitæ dari monasterio, casu quo voluerit fieri monacha, nonnullã pecuniæ summam dederint, vel mutuauerint. Tũ quia à diuersis non fit illatio,[n] & vouere filiam impuberem de permanendo in religione, & parentes eius illam summam dare, sunt longè separata, cùm alterum sit factum parentũ, alterum factum filiæ. Tum quod illa traditio summæ propter alias multas causas fieri potest, & quotidie fieri videmus à parentibus, qui filias impuberes educandas intra monasteria monialium includunt, quo pientiùs educẽtur, & quo, si fortè Deus inspirauerit, fiant sanctimoniales. Tũ per illam regulam topicam, *si quod magis videtur inesse non inest, neque id quod minus.*[o] At suscipere quem habitum religionis nouitiorum distinctum ab habitu professorum, & gestare illum etiam per multos annos, nõ inducit præsumptionem voti eiusmodi facti, vt supra probatum est: ergo minus inducet traditio pecuniæ ab alio facta monasterio, quo gratius illa ad educandum ibi assumatur. Tum denique, quòd nemo vmquam scriptorum huiusmodi præsumptionis meminit, nec vlla lege fundari potest, & ita succedit illud cap. *consuluisti.*[p] *Quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinuentione non est præsumendum.*[a] Cùm igitur non probetur prædictam Portiam vllum votum de intranda, vel retinenda religione expresè fecisse, neque vmquam suscepisse se, vel portasse habitum professarum monialium, sed tantum nouitiarum, neque aliud admisisse, per quod præsumatur in ea votũ, immo expresse contrariũ propositum se habuisse dictis & factis ostenderit, cúmque iuramento à iudice interrogata id firmauerit, proculdubio iudicandum est eam à nubendo nullo voti vinculo excludi, & quod piè ac eruditè clarissimus Doctor Aduocatus D. Portiæ per multò plura probat.

a In c. penul. nu. 7. de raptorib.
b In d. ca. penul. de raptorib.
c In cap. veniens. ad fin. nu. 6. qui cleri. vel vouen.
d In verb. votum. §. penul. nu. 9.
e 2. 2. qu. 88. art. 1.
f In 4. distin. 38. q. 1.
g In c. qui bona. 17. q. 1. & in c. literatura. de voto.
h L. ei qui dicit. ff. de probatio.
i Cap. cum in iure peritus. de off. deleg. & le. 1. C. de mand. princ.
k Ca. ex parte. de regu. cũ annot. ibi per Innoc. & alios, & clem. eos. eodẽ titu. & c. 1. §. fina. eod. tit. lib. 6.
l In §. sed ista. aliàs, al. . Instit. de action. in c. significasti. 2. de homic.
m Capit. 1. in princi. & §. 1. de reg. l. 6.
n L. Papinianus. ff. de minor.
o Arg. c. cum in cunctis. de electión. cum simil.
p 2. qu. 4. aliàs 5.
a Et cap. 2. de trãsl. prælat.

*SVMMARIVM.*

1 *Professio, anno probationis non completo, ante Concilium Tridentinum apud non mendicantes emissa valida est.*

2 *Religionem relaxatam professus potest cogi, vt seruet etiam illas austeritates regulæ, quæ tempore professionis non seruabantur, nisi tunc præcisè, quando professionem emisit, expresè fuisset protestatus se nolle obligari ad alias, quàm ad tunc vigẽtes, vel ageretur de illis austeritatibus, quæ ab immemorabili tempore probarentur non obseruatæ. & nu. 3.*

3 *Protestatio tollitur contrario facto subsequuto: vnde qui ante professionis tempus dixit se ita religionem professurum, vt ad austeriora non obligetur, si tempore professionis hanc non repetijt protestationem, ab ea, mutata voluntate, censetur recessisse.*

## CONSILIVM XLIII.

QVidam ingressus est religionem S. Basilij multùm relaxatam, præcipuè in voto paupertatis: & intra probationis, siue nouitiatus annum professionem emisit: & post viginti annos fuit reformata, & inducta durities quædam, quæ vix ferri potest.

Quæritur primò, an illius professio fuerit valida.

Secundò, an teneatur ad præfatam duritiem seruandam.

Tertiò, an teneatur, & quomodo subuenire matri extremè patienti.

1 AD PRIMAM quæstionem respondetur, quod præfata professio fuit valida: quia fuit facta ante confirmationem Concilij, ante quod valebat professio facta intra annum nouitiatus in ordinibus non Mendicantibus, iuxta cap. *ad Apostolicam.*[b] in sensu directo, & argumento à contrario vel à speciali probatur in capit. *non solum.* & capit. *constitutionem.*[c] vbi hoc expressit Philippus Francus.[d]

2 AD SECVNDAM respondetur primò, quòd si durities per prefatam reformationem inducta est de natura regulæ, & relaxatio esset adeo antiqua, vt non esset memoria initij eius, nõ posset præfatus D. consulens cogi ad seruandam eam, vt probat Philippus Decius,[e] post Panormitanum in cap.[f] quod etiam nos tangimus in Man. confess.[g] Et idem videtur dicendum de duritie nouè inducta, si cùm professus fuit, protestatus fuit se nolle obligari ad alias durities, & austeritates, quæ, quãdo professus fuit, non seruabantur, vt idem Decius post eumdẽ Panormitanum asserit.[h] Idem videtur etiam dicendum, si do. consulens est adeo corpore debilis, vt præfatam nouam duritiem & austeritatem pati non possit, secundum Innocentium,[i] quem videtur satis sequi Panormitanus,[k] & Decius.[l] Secundo, quòd, si durities est de natura regulæ, & relaxatio eius fuit noua, & à tempore cuius initij est memoria, poterit cogi ad seruãdam illam, si cùm fuit professus, non limitauit suam professionem & obligationem ad illum statum viuendi, qui tunc seruabatur.

3 Nec sufficeret saltem in foro exteriori, quòd ipse aliquanto ante professionem dixisset se cum hac limitatione præfatam regulam professurum: quia protestatio facto contrario tollitur, iuxta glossam solemnem quæ hoc in matrimo. carnali asseuerat,[m] & tradunt omnes,[n] post Bartholum,[o] quia vt præfata glossa dicit, potuit mutare voluntatem, & præsumitur mutasse profitendo absolutè.

AD TERTIAM respondeo primò, me in eadem opinione nunc esse, in qua fueram, in Manuali scili-

b De regula.
c De reg. li. 6.
d Nu. 2.
e In c. 1. & 3. nu. 9. de appella.
f Super eo. de reg.
g Ca. 12. nu. 50.
h Vbi supra nu. 8.
i In d. ca. super eo.
k Ibidem.
l Vbi supra nu. 7.
m In ca. tua. de spõs. verb. adhærem.
n In ca. cum M. de constit.
o In l. non solum. §. morte. ff. de operis noui nũc.

a Cap.14.nu. 14.
b Super cap. nullam.18.q. 2.nu.48.

cet,[a] & postea in com. 3. de reg. [b] circa exitum religiosi à monasterio propter necessitatem parentũ. Secundo, quod D. consulens potest ex prædictis colligere, quid oporteat ipsum facere, vt animam suam saluet secundum rigorem iuris, & viam iustitiæ, & per viam gratiæ, & dispensationis. Certum autem est mihi, eum non obtenturum nullitatem suæ professionis, neque in foro exteriori libertatem, ne cogatur subire reformationem nouam, nisi probet relaxationem cœpisse à tempore immemorabili. Tertiò, quòd per viam dispensationis & gratiæ satis piè eam posset petere, attento quod professio facta fuit intra nouitiatus annum: & quod ipse inuenit regulam quo ad votũ paupertatis ferè omnino relaxatam: & quòd non habuit animum illam seruandi, nisi in statu, quo illam inuenit: & quod reliquit matrem multùm indigentem ope sua: & quod viginti quinque annos inseruiuit regulæ relaxatæ: & quod nunc iam grandioris ætatis vix poterit paupertatem illam summam nouè indictam seruare. Salua, &c.

SVMMARIVM.

*1 Professionem intra annum, & post cœnam faciens mortaliter peccat.*
*2 Professio legendo schedulam absque intentione profitendi non est valida.*
*3 Professionem nulliter emissam videtur approbasse, qui ad titulum religionis ordines suscepit, & per multos annos mãsit, & fuit in ea Prælatus.*
*3 Professus nulliter, postea ordines suscipiendo ad titulum religionis, suspensionis pœnam non incurrit, modo illos nec extra tempora, nec sine dimissoriis sui prælati acceperit.*

## CONSILIVM XLIIII.

M. Religionis habitu suscepto post cœnam à prælato schedulam formam professionis continentem accepit, & legit, ac eodem anno ad titulũ religionis ad omnes sacros ordines fuit promotus, & per multos annos in monasterio mansit, & Prælatus in religione fuit. Quæritur, an dicta professio sit iusta & valida, seu per prædicta ratificata.

1 Respondeo primò, peccatum fuisse tam à consulente, quàm à Prælato eius professionem accipiente intra annũ probationis, & post cœnam, & sine alia solemnitate, & nõ considerando, quòd professio religionis est tam heroicus actus, vt per eum lucretur quis indulgentiam plenariam secundum S. Thomam. [c]

c 2. 2. q. vlt. art. 3. ad 3.

2 Secundò, quòd si legendo illam schedulam continentem verba solita proferri à profitente non habuit intentionem faciendi professionem, & legit ea quasi iocans, & aliud agens, non valuit professio.

3 Tertiò, quòd si, vt ipse consulens ait, non solum suscepit omnes ordines ad titulũ religionis, sed etiã mãsit in eo plurimis annis voluntariè, & fuit Prælatus per aliquot annos, videtur approbasse professionem illam, & consequẽter quòd est professus, & quòd non incurrit suspẽsionem, nec irregularitatem per ordinationes illas: quia nõ fuerũt factæ ante ætatem, neque extra tempora, nec sine literis dimissoriis, cùm eas habuerit à Prælato suo.

SVMMARIVM.

*1 Propositum etiam firmum de intranda religione non est votum.*
*1 Votum de intranda religione per introitum completur, etiam si postea non professus exeat.*
*2 Professus non est, qui fictè religionem ingressus post 13. mensem aufugit, nec censendus, si inuentus à Superiore, habitu spoliatus, ab ea sit dimissus.*

## CONSILIVM XLV.

De eo, qui postquam firmè proposuerat intrare S. Francisci religionem, eam intrauit, sed post vndecim mẽses eam egressus est, & fictè animo non faciendi professionem intrauit quoddam monasterium Conuentualium, in quo licet tredecim menses mansisset nulla expressa facta professione, postea egressus sine licentia fuit à Superiore captus, & habitu spoliatus. Quæritur, an teneatur aliam intrare.

1 Mea opinio circa factum propositum, & ius in eo resultans, est primò, quod Dominus consulens non fecit votum obligatorium intrandi religionem S. Francisci, quia propositum intrandi religionem, etiam firmum & enixè conceptum, non est votum obligatorium iuxta cap. *literaturam*,[a] vbi ponitur casus de hoc formalis, & probatur irrefragabiliter per definitionem voti traditam à S. Thoma communiter recepto, [b] declaratam à nobis in Manua. confess. [c] & præfatus Dominus consulens solùm proposuit firmiter intrare religionem.

a De voto.
b In 2.2.qu. 88.art.1.
c Cap.12.nu. 24.

Secundò, quòd etiam si vouisset, iam tamen impleuit votum intrãdo religionem prædictam, & manendo in ea vndecim menses, licèt post eos ante finẽ anni exierit, quia votum de intranda religione impletur per introitum, licet non faciat professionẽ, vt tradit S. Thomas receptus.[d]

d 2.2.q.189. art.4.

2 Tertio, quod non obstat ei professio tacita, quæ posset obiici ei, eo quòd fuisset ingressus in religionem fratrum Conuentualium, & in ea tredecim mẽses mansisset. Tum quia intrauit eam fictè, sine animo illam profitendi. Tum quia captus post exitum fuit à Superiore spoliatus habitu, & dimissus ab illa religione: ita quod nec in foro interiori, nec exteriori censendus est professus, argumento cap. *humanæ aures*, [e] & eorum quæ de matrimonio ficte contracto leguntur in cap. *tua*. [f]

e 22.q.5.
f De sponsal.

Quarto, quod ex præfatis sequitur debere me opinari præfatum consulentem non esse religiosum, nec teneri ad intrandam vllam religionem, si noluerit. Salua, &c.

SVMMARIVM.

*1 Professio intra nouitiatum in non Mendicantibus, vbi Concilium non viget, valet.*
*2 Professio metu nõ adipiscendi aliquod beneficium & cum perturbatione emissa valet, & tenet, quia voluntariè facta dicitur, obligatque, etiamsi non intenderet obseruare ipsam regulam: & hoc, modo haberet intentionem profitendi: nam si illam simulatè animo non profitendi emisisset, non ligaretur coram Deo. num. 3.*
*2 Dolo inductus professionem emittens obligatur: & hoc, dummodo aliqualiter in illam consenserit. num. 6. secus si dolus omnem substulisset consensum. num. 4.*
*5 Simonia est, quando famulus hero promittit se illi in omnibus obedire, si ille ei beneficium conferri curauerit.*

## CONSILIVM XLVI.

Herus, & famulus pacti sunt, vt, si herus procuraret ei conferri aliquod beneficium, ipse illi in omnibus obsequeretur: herus curauit illi conferri beneficium regulare sui fratris, quod tamen renũciare nolebat, nisi conferretur in titulum: & cùm dictus famulus illud obtinere non posset, nisi emitteret professionem illius religionis, cuius erat beneficium, licet non haberet animum profitendi, & se obligandi religioni, bis tamen habitum illius suscepit, & tandem eo indutus iuit ad Capitulum, & ibi exhibita sibi quadam scheda, in qua verba professionis continebantur, in cuius lectione conturbatus fuit, emisit professionem, & postea beneficium obtinuit.

Quæritur primò, an professio huiusmodi illũ obliget. Secundò, an excusetur ob dolum, & fraudẽ sibi factam. Tertiò, an in prædicta collatione interuenerit confidentia.

Quarto, stante quod nolebat profiteri, nec habuit animum se religioni obligandi, an relinquendo habitum fiat apostata.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo primò, difficile posse D. consulentem excusari ab obligatione professionis. Tum quia in terris, vbi præfata fuerunt facta, non est receptum Cõcilium Tridentinum, & ita professio facta ante finem anni nouitiatus in religione non Mendicãtium valet secundum Panormitanum & communem.[g] Tum quia præfatus Dominus consulens non fecit eam metu, sed voluntariè, ad acquirendũ vnum beneficium, quod concupiscebat habere: & vota voluntaria valent, licet metu facta sint inualida. [h]

g In c. ad Apostolicam. de regular.
h Ca.1. de his quæ vi. cum ei adnotatis.
i Cap. constituit. 20. qu. 3.

2 Tum quia professio facta per dolum valet in vtroque foro quo ad profitentem, & quo ad monasterium, [i] quãuis bona eius non quærantur monasterio, neque Abbati, neque monachis eius. Tum quia nõ videtur obstare id quod ait, nempe quòd non habuit animũ profitendi, & se obligãdi religioni, cùm asseueret accepisse bis habitum, iuisse ad Capitulũ cum veste religiosorũ, & accepisse, & legisse

quamdam

quamdam schedam, in qua continebantur verba professionis, & eorum lectione fuisse conturbatum, quod est signum intellexisse contenta in eis, quæ sibi parum placebant: quæ tamen legit, eo quòd magis placebat beneficiũ, quod cupiebat, & non poterat habere, nisi profiteretur.

3 Tum quia non potest allegari probabilis ignorantia, cùm dictum fuisset ei fuisse necessarium monachatum, siue statum religiosum ad habendum illum prioratum in titulum, & quod frater sui heri nullatenus volebat illum renunciare, nisi ad effectum, vt conferretur in titulum: & ignorantia iuris est improbabilis, nec excusat, [a] & qui voluit aliquam religionem sine intentione seruandi obseruãtiam regularem eius, obligatur ad eam seruandam, vt tradimus in Manu. [b] Verum tamen est, quod si consulens habuit animum non profitendi, neque vllatenus obligandi se religioni, sed solùm simulandi, non valeret votum: quia sine vllo consensu, & vllo animo obligandi religioni non potest coram Deo, & in foro conscientiæ constare professio, arg. cap. *tua*, [c] & l. 1. C. *plus valet quod agitur, quàm quod simul concipitur*, [d] & eorum quæ Panormitanus adnotauit. [e]

4 AD SECVNDAM responsum est in responso ad primam per d. c. *constituit* vbi est casus expressus quòd sic, cum limitatione ibi subiecta, scilicet, quod si dolus esset tantus, qui tolleret omnem consensum, non obligaret ad perpetuam seruandam religionem, neque ad aliquanto tẽporis seruandam illam, vt Panormit. præcitatus limitauit.

5 AD TERTIAM respondetur, quod in prædictis non interuenit confidentia damnata à Pio IIII. & Pio V. sed interuenit simonia, eo quod conuenit inter cõsulentẽ, & herum, quòd herus curaret ei conferri beneficium spirituale, & quod consulens ei pareret in omnibus, quæ præciperet, & cùm illud ab vtraq; parte fuerit cõpletũ, est incursa simonia realis, per ea quę nos latius dixim⁹ in Man. [f]

6 AD QVARTAM colligenda est responsio ex responsis datis ad primam, & secundam: scilicet, quod si nullatenus consensit, neque voluit profiteri religionem, neq; se obligare ad illam, non est apostata in foro conscientiæ, sed, si voluit, aliquatenus etiam dolo ad id inductus, erit apostata, & indiget absolutione, non obstante quòd non gestauerit habitum, nisi per paruum tempus: quia satis est quod professio eius valuerit etiam solùm per vnum temporis momentum, vt prædictum est. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

*1 Hermaphroditus iudicãdus vir, vel mulier, prout præualet in sexu: & inde sequitur, vt si præualet in sexu virili, possit professionem emittere in monasterio virorum, sed non mulierum, & è cõtra, nu. 2. quod si neutra magis præualet, in nullo poterit profiteri. n. 3. medici autem in dubio ex iis quæ ab ipso audient iudicabũt in quo præualeat. nu. 4. & constito quod professio sit nulla, potest etiam inuitus eiici. nu. 5.*

## CONSILIVM XLVII.

QVidam hermaphroditus ingressus & professus est religionem virorum approbatam, nulla facta mẽtione de huiusmodi defectu, quo postea cognito, & publicato quæruntur sequentia.

Primo, an professio valuerit.

Secũdo, an possit eiici à religione cũ dispẽsatione Papę.

Tertio, an possit eiici à monasterio absque dispensatione Papæ, si noluerit exire, licet professio teneat.

1 AD PRIMAM QVAESTIONEM respõdetur non valuisse professionem, si potentia virilis eius non erat maior, quando professus fuit, quàm potẽtia muliebris, quia hermaphroditus est iudicandus vir, vel mulier iuxta magnitudinem potentiæ virilis, vel muliebris, [g] ita quod est iudicandus vir, & dignus officio virili, si potentia virilis fuit maior: & contra iudicandus est mulier, si potentia muliebris erat maior. & vt professio viri facta in monasterio mulierum, vt eis conuiuat, non valet, ita & professio hermaphroditi in monasterio virorum est nulla, si potẽtia virilis non fuit maior, quàm muliebris.

2 Secũdò, professionem eius valuisse, si potẽtia eius virilis prædominabatur potentiæ mulieri, quando fuit professus: quia iudicandus erat vir, & dignus officio virili, per prædicta.

3 Tertiò, quòd si vtraque potentia erat par, videtur iudicanda professio eius nulla. Tum quod communiter tenetur, hermaphroditum, cuius vtraque potentia est par, nõ posse ordinari, nec ordinationem factam tenere, vt annotauit Siluester. [a] Tum quia data paritate, æquè iudicãdus est mulier, ac vir, & cum mulier non possit profiteri religionem ad cõuiuendum viris, non poterit etiam profiteri hermaphroditus, cuius vtraque potẽtia est par: sicut nec professio eius facta in monasterio monialium ad viuendum cùm eis esset valida, si non haberet potentiã muliebrem, quæ prædominaretur potentiæ virili. Tum quia valde indecora, & scandalosa, & inductoria sociorum ad libidinem esset professio illa: & huiusmodi scandalosa non sunt admittenda. [b]

4 Si autem dubitetur an vtraque potentiarum sit par, an altera maior, standum est eius dicto, secundum communem opinionem, vel iudicio medicorum, quod videtur recidere in eamdem, cùm oporteat iudicare medicos secundum ea, quæ ipse de se asseruerit. [c]

AD SECVNDAM respondetur quod sic, quia iusta videtur causa dispensandi scandalum, & occasio, quæ præbetur aliis fratribus monasterij ad peccatum, inducendo ad cogitandum de illo hermaphrodito, & appetendum illa, quæ cogitationes illæ præsentant, quæ sunt valde vitanda per d. cap. *nihil*, [d] & alia iura.

5 AD TERTIAM respondetur primò quod sic, si constet potentiam virilem eius non prædominari potentiæ muliebri. Tum quia per prædicta cõstat professionem eius nõ valuisse, nec potuisse valere: & monasterium non tenetur retinere illum, qui non potest suam religionem profiteri, iuxta Concilium Tridentinum. [e] Tum quia voluntas eius exeundi, vel nõ exeundi nihil ad rem pertinet: quia non est in eius potestate situs exitus, vel mansio, sed in virtute & validitate professionis, [f] quia ipse tenebatur confiteri ante professionem talem defectum monstruosum, quod impediebat professionem, quam nõ accepisset à monasterio, si sciuisset eum pati illum defectum. argumento cap. fin. [g] & cap. *illiteratos*. [h] & cap. 1. & vlt. [i] per quæ prohibentur ordinari eiusmodi viri monstruosi, & eadem vel maiori ratione non debent admitti ad professionem, per quam conuicturus sit in eadem domo cum castitatem solemnem professis.

*SVMMARIVM.*

*1 Criminoso regulariter valet facta collatio.*

*2 Professio emissa ab infecto morbo contagioso illud negante valet, & tenet, etiam quod si recipiens sciuisset, non admisisset. num. 1. nisi adsit statutum à Pontifice approbatũ talem annullans professionẽ. potest tamen à Superiore iudicialiter puniri, & in pœnam spoliatus habitu eiici ab ordine. nu. 3.*

*4 Honoris amissio, quæ sequitur ex pœna iustè imponenda, non excusat, quo minus teneatur eam reus subire, quia animæ salus honori præponenda.*

## CONSILIVM XLVIII.

PRimò quæritur, an professio facta à laborante morbo Gallico, vel alio contagioso, tacito illo, sit nulla.

Secundo, an Superior possit castigare huiusmodi professum.

Tertio, an ipse possit exire sine licentia.

1 Pro parte negante facit, quod collatio facta criminoso valet regulariter per scripta Felini. [k]

Pro parte autem affirmante facit, quod professio facta sine consensu conueniente Conuentus non valet, [l] & Cõuentus si sciuisset profitentẽ illo morbo laborarę, non consensisset professioni. His pro vtraque parte præmissis.

2 AD QVÆSTIONEM PRIMAM respondeo primò negatiuè, scilicet professionem prædictam nõ valuisse, si religio habet statutum Papæ, vel suum à Papa confirmatum, quod annihilet professionem factam negato morbo. Secundò, quòd si non habet tale statutum, solo iure communi attento, non videtur nulla: quia ægritudo etiam mortifera non videtur annullare professionem.

3 AD SECVNDAM, quod probabiliter dici posset, quod Superior possit iudicialiter procedere contra professum ad castigandum eum ob peccatum mortale, quod commisit negando defectum, quem sub pœna talis peccati tenebatur in ingressu confiteri, & in pœnam peccati expellere eum à religione, & priuare habitu, ac posset pro alio peccato mortali talem pœnam merenti.

a 1. q. 4. §. notãdum. & c. ignorãtia. de reg. iur. lib. 6.
b Ca. 12. nu. 50.
c De sponsal.
d Et in ca. cũ dilect⁹. de his quæ vi, metusve.
e Num. 13. & seq.
f Ca. 23. nu. 101. & 102.
g Le. quaritur. ff. de statu hom.

a Ver. hermaphroditus.
b Ca. nihil. de præscript. desumptum ex cap. 18. Matthæi.
c Arg. l. 1. ff. de iure delib. & c. de causis. de officio deleg.
d De præscri.
e Cap. 16. de reg. sess. 25.
f Argu. ca. in præsentia. de probat. & in auth. ingressi. C. de sacro sanct. eccles.
g De ætat. & qualit.
h 39. dist.
i 49. dist.
k In ca. postulasti. de rescr.
l Ca. vlt. ad iunct. gloss. de reg. lib. 6.

4 AD TERTIAM respondetur, quòd si professio non valuit, tenetur ipse exire religionem etiam non petita exeundi licentia à Papa: si verò tenuit professio, non videtur teneri ad petendam huiusmodi licentiã à Papa, nec ab alio: quia videtur satisfacere suæ conscientiæ pœnitẽdo iustè sui peccati, & submittendo se pœnæ, quam Superior iudicialiter procedendo per suam sententiam definitiuam imposuerit ei: neque curare debet de sui honoris amissione, quando iustè meretur, quæ iuris ordine seruato imponitur ei, & quando oportet perdere animam, vel honorem, perdendus est honor, qui minoris, quàm anima, valet, vt palam est. Salua, &c.

SVMMARIVM.

*1 Oblatus plenè is est, qui nihilo sibi retento, se & sua monasterio donat, licet habitum regularem vt cõuersus non assumat. nu. 3.*
*2 Professus religiosus is est, qui in manibus potentis religioni incorporare, tria substantialia emittit vota, dummodo hæc eo emittat animo, vt fiat religiosus: aliàs non. nu. 4. Vnde qui in manibus Abbatis habitu regulari non assumpto ea emittit cum protestatione, quòd non intendit profiteri regulam, nec teneri ad eius obseruantias, non est professus. nu. 3.*
*3 Oblatus cùm non mutat habitum, est quid minus quam Conuersus, qui illum mutat, & adhuc minus quàm religiosus, quia non facit professionem.*
*4 Societatis Iesu professores, qui post bienniũ in eadẽ tria etsi simplicia vota emittunt, sunt verè & propriè religiosi.*

## CONSILIVM XLIX.

AN sit verè religiosus professus, qui se donauit & obtulit monasterio in manibus Abbatis sãcti Benedicti per hæc verba: *Ego N. me dono & offero in Oblatum monasterio S. Benedicti, vouendo obedientiam, paupertatem, & castitatem tibi eius Abbati, non autem profiteor regulam ordinis, nec me obligo ad cæremonias, & obseruantias eius.* Idque fecit non mutato habitu, nec accepto habitu regulari, excepto scapulari paruo in signum oblationis.

1 Respondeo primò, quæstionem esse satis nouam in iure: quia non memini vllum textum, nec gloss. nec aliquem classicum auctorem, qui de oblato monacho tria essentialia vota emittente verba faciat: quamuis Siluester,[a] significet Pan. talem appellare plenè oblatum: quod tamẽ profectò non facit: quia,[b] vbi hoc dicturus erat, dixit eum esse plenè oblatum, qui se & sua donat, nihilo sibi reseruato, quod longè diuersum est: quamuis glos.[c] quamdam quæstionem huic propinquam moueat, sed non omnino talẽ.

2 Secundo, quod pro parte affirmante faciat conclusio illa Panormit. & communis,[d] quem sequitur ibi Felinus & Decius, quòd vouens tria substantialia vota religionis in manu potentis eum aggregare religioni approbatæ à S. Sede Apostolica videtur esse verè religiosus professus.[e]

3 Sed contrarium est verius. Tum quia actus agentium non operantur vltra intentionẽ eorum,[f] & ex verbis prædictis videtur colligi, eum, qui dixit illa verba, nõ habuisse animum se faciendi monachum, nec profitendi regulã, nec cæremonias eius. Tũ quia monachus & Oblatus monasterio longè differunt iuxta cap. *ex eo*,[g] & præfatum cap. *vt priuilegia*, & vtrobiq; Doctores: immo minus esse Oblatum, quàm esse Conuersum: quia hic mutat habitum, ille verò non, secundum Panormitanum,[h] communiter receptum: & consulens non mutauit habitum, & consequenter non est Conuersus, & minus monachus. Tum qui in præfato monasterio forma profitendi, qua fit quis monachus, longè alia est à prædicta faciendi se Oblatũ, immo cõtraria: quia secundum hanc non se obligat ad seruandam regulam, nec cæremonias eius, secundum illam verò sic, & forma dat esse rei.[i]

4 Nec obstat oppositum: quia illud procedit in eo, qui vouit tria prædicta vota animo se faciendi monachum, & religiosum, & non in illo, qui facit illa animo, vt se faciat Oblatum, vel vt magis placeat Deo strictius viuendo. Lõgè tamẽ alia ratio est eorum, qui in Societate IESV post biennalem probationem tria simplicia vota, paupertatis, castitatis, & obedientiæ emittunt. hi namque cùm ita voueant, vero certóque proposito, vt religiosi fiant, cúmque eadem mente, ac ratione ab eiusdem Societatis Superioribus admittantur, & cùm verè se obligent ad obseruãtiam regularem constitutionum ipsius Societatis, eiúsque instituti ab Apostolica Sede sæpi⁹ approbati, verè propriéque religiosi sunt, vt sapientissimè declarauit Gregorius XIII. in quadam bulla edita anno 1582. quæ incipit. *Quanto*, & in constitutione edita anno 1584. quæ incipit. *Ascendente Domino*, vt diximus in comment. 1. de regul.[a]

a *Verb. oblatus.*
b *In c. vt priuilegia, de priuileg.*
c *Ca. vt lex, 27. q. 1.*
d *In rub. de regul. & in c. ecclesia sancta Maria de constit.*
e *Arg. c. duo sunt genera. 12. q. 1. & ca. cum ad monasterium. de statu monachorum.*
f *Le. non omnis. ff. de reb. cred. c. fin. de preben.*
g *§. 1 de elect. li. 6.*
h *In d. ca. vt priuilegia.*
i *Cap. in ciuitate. iuncta gloss. de vsuris.*

a *Super c. cui portio. 12. q. 1. num. 19.*

SVMMARIVM.

*1 Professio defectu consensus nulla, eo superueniente, ratificatur: quia consensus ex parte recipientis ab initio præstitus censetur perseuerare.*
*2 Frror fortunæ, quo pauper creditur diues, est error qualitatis, qui matrimonium non vitiat, secus quando cõtrahitur cum absente, qui putatur primogenitus, & sic diues, cùm non sit.*
*3 Dolus profitentis, dicentis se diuitem, cùm nihil habeat, facit, ne monasterium eum alere teneatur: sicut dolus recipientium diuitem, ne monasterium habeat illius bona: sed non annullat professionem. & num. 2.*
*3 Maritus, cui non soluitur dos promissa, potest expellere vxorem, & non alere.*
*4 Infirmitas, & paupertas iustam causam saltem dispensandi, vt monialis extra monasterium maneat, præbet.*

## CONSILIVM L.

BErnardina, cùm malè tractaretur à matre, ingressa monasterium, conuenit cum illo, quòd loco dotis haberet hæreditatem, quæ ei contingebat post mortem matris, quam tamen ante ingressum matre petente occultè renũciauerat. Finito itaque probationis anno professa est verbo tantùm, & non corde, immo cum proposito quamprimum posset exeundi à monasterio. Huius tamẽ postea illam pœnituit, & octodecim vel viginti abhinc annis ratificauit in corde suo professionem. Cum autẽ plusquam per octo annos in monasterio semper fuerit infirma, cum licentia totius ordinis & monasterij quindecim abhinc annis egressa est causa prędictæ infirmitatis. Quæritur, an adsit iusta causa, vt de licentia Superioris, aut ex dispensatione Papæ, possit extra monasterium manere.

1 Ad hanc quæstionem respondeo primò, quòd prædicta oratrix est vera religiosa, & professa, per cap. *ad id*,[b] quatenus habet, matrimonium iusto metu contractum, licet à principio sit nullum, adueniente consensu libero fieri validum. Ergo etiam professio prædicta, quæ à principio erat nulla ob defectum consensus, superueniente illo censenda videtur valida. Nec potest dici, consensum illius, & Conuentus non concurrisse eodem tempore: quia id negari potest, cùm Conuentus perseuerasset in consensu recipiendi, & retinendi eam, donec ipsa sua vota ratificasset: sicut & matrimonium metu contractum sine noua dispensatione fit validum superueniente consensu libero partis coactæ, & perseuerante in suo consensu altera parte: quia concurrunt eodem tempore, vt probatur in dicto cap. *ad id*, & ei annotatis.

2 Secundò dico, quòd non videtur obstare huic conclusioni, quòd Cõuentus deceptus ab ipsa, & matre eius, promittentibus ipsam successuram matri in bonis, admisit eius professionem, & quòd errans & deceptus non videtur consentire,[c] quia deceptio & dolus non reddunt professionem nullam. Tum quia valida est professio eius, qui circumuentus ab Abbate, vt bona eius quærerentur monasterio, professus fuit in illo, licet bona eius nõ debeantur monasterio.[d] Tum quia matrimonium cõtractum per errorem fortunæ, vel qualitatis personæ valet, si non erratur in persona, iuxta cap. 1.[e] per quod & alia id affirmat communis,[f] quam nos quoque post alios referimus in Man.[g] Tum quia nõ obstat decisio illa Calderini,[h] nempe quod error, quo putatur aliquis primogenitus succedens in primogenio, vitiat matrimonium: quem sequitur Angelus,[i] quia illa procedit, quando consentitur in absentem ratione illius qualitatis. In nostro autem casu agitur de consentiente in præsentem pauperem, putatum diuitem, qui est error fortunæ, ex mente S. Thomæ & aliorum,[k] secundum quod limitabamus Calderinum.[l]

3 Tertiò dico, probabiliter posse dici, quòd, licet professio prædictæ oratricis tenuerit, Cõuentus tamẽ posset denegare illi alimẽta, donec traderẽtur illi bona in dotẽ, seu

b *De sponsalib.*
c *L. si per errorem. ff. de iurisd. omn. iud.*
d *Ca. constituit. 20. qu. 3.*
e *§. sicut ergo. 29. q. 1.*
f *In 4. sentẽ. dist. 30.*
g *Ca. 22. nu. 32.*
h *In ca. 2. de coniug. seruo.*
i *In verb. matrimoniũ. impedi. 4. §. 3.*
k *Vbi supra.*
l *In d. nu. 32.*

alimenta

alimenta promissa. Tum argumento à simili [a] videlicet, quod sicut ibi definitur, quòd dolus ex parte Prælati vel Conuentus efficit, ne monasterium debeat habere bona ingressi, licet ipsius professio valeat, ita econtrariò dolus ingredientis dicitur efficere, ne monasterium teneatur illum alere, licèt professio teneat. Tum quia maritus, cui promissa est dos, non tenetur vxorem accipere, & alere, donec illa ei soluatur, immo & acceptam potest expellere, vt Panormitanus post alios adnotauit per illũ textum in cap. *per vestras.* [b] & est similis textus in l. fin. [c] & glossa iuncto textu in auth. [d] & copiosissimè tradit Ioannes Lupus. [e] Non obstat dicere, quod promissio prædicta videtur fuisse simoniaca, & consequenter nulla, per capit. *quoniam.* [f] & extrauagantem *sane:* [g] quoniam per ea quæ nos latius retulimus in Man. [h] permissum est monialibus pauperibus pacisci cum ingressura super dote honesta.

4 Quarto, quod sola infirmitas ab oratrice allegata, licet iusta causa videatur manendi extra monasterium de licentia Prælati, attento solo iure naturali, & diuiuo, immo & humano, de quo in cap. 1. [i] & etiam in innouatione illius facta per Concilium Tridentinum: [k] non tamen videtur talis, attentis extrauagantibus felicis recordationis Pij V. quarum vna incipit *Circa.* & altera, *Decori,* & extrauagante feli. recor. Gregorij XIII. quæ incipit, *Deo sacris.* etiam secundum restrictiones, quas nos illis adiecimus in comment. cap. *statuimus.* [l]

Quintò, quod satis æquum videtur dicere, quòd infirmitas prædicta, adiuncta paupertate monasterij, & quòd conuentus fuit deceptus per promissionem matris eius, in petitione relata sufficiat ad manendum extra monasterium de licentia Prælati, aut certe sit iustissima causa, ob quam S. D. N. faciet ei facultatem sic manendi ob amorem Christi, qui nos omnes seruet. Salua, &c.

a D. cap. constituit.
b Num. 4. de donat. inter virum & vxorem.
c C. ad Velleia.
d De nō elig. secundo nub. §. fi. col. 1.
e In repetitione d. cap. per vestras. fol. 133. à vers. ex his.
f De simon.
g Eod. tit. inter com.
h Ca. 27. nu. 106.
i De statu mona. li. 6.
k Sess. 25. cap. 5. de regu.
l 19. quæ. 3. à nu. 39.

*SVMMARIVM.*

*1 Religio Minimorum arctior alijs mendicantibus. nu. 3. & 4.*
*2 Carthusiana religio strictior cæteris omnibus, etiam Minimorũ.*
*3 Carthusianorum clausura carcer quidam perpetuus.*
*3 Generali in sermone non veniunt quæ alia notabiliter excedũt.*
*5 Regula, quæ ad duriora ligat, siue ex voto speciali, siue generali obseruandi regulam, siue ex constitutionibus, est alijs arctior.*
*6 Statuta Minimorum, quo ad tria vota non tangentia, ad solam pœnam ligant.*

## CONSILIVM LI.

CARTHVSIANORVM religio an sit strictior, & arctior religione Minimorum?

1 Pro parte negante huius quæstionis facit primò, quòd Iulius II. in quadam bulla asserere videtur religionem Minimorum esse arctiorem alijs omnibus religionibus. Secundò, quòd religio Minimorum vltra sua vota substantialia requirit quartum de non vtendo vmquam alijs cibis, quam quadragesimalibus, excepto statu ęgritudinis, cùm tamen Carthusiana permittat edere, oua, & lacticinia tam in statu sanitatis, quàm ægritudinis.

2 Pro parte verò affirmante facit primò, quòd Carthusiana nullo casu permittit vsum vllarum carnium, etiam in tempore grauissimarum ægritudinum. Secundò, quod silentium religionis Carthusianæ est maximum onus, & fere intolerabile: quia religiosi eius inter se numquam loquuntur: ideoque cum sibi obuiant, sola inclinatione capitis se salutant: & numquam simul comedunt, præterquam dominicis & ferijs V. & cum simul comedunt, intendunt lectioni, & non collocutioni, & ita nec in choro, nec in dormitorio, nec in refectorio, neque in alio vllo loco colloquuntur, nisi cum ægrotant: neque extraneus vllus admittitur ad loquendum cum eis sine licentia Superioris, quę non datur nisi iusta de causa: ob quod Baptista Mantuanus silentia illorum vocauit *æterna silentia:* nam nec alloquuntur ministros, qui eis ministrant. Et quidam eruditus notauit eos, quòd ob tanta silentia incurrebant nonnullam vertiginem capitis. Tertiò, quòd, cùm homo sit animal sociabile, ipsi contra naturam & conditionem humanam fiunt inter se quodammodo insociabiles.

3 Quarto, quod clausura eorum est quidam carcer perpetuus, vt etiam nos post alios dicimus in commentario 4. de regula, [m] narratis paucis earum, quas habent ad exeundum, licentijs. Quinto, quod non obstat primum argumentũ pro parte negante formatum, nempe quod Iulius II. appellauit regulam Minimorum arctiorem omnibus. Tum quia videtur se referre ad omnes Mendicantes, non autem ad Carthusiam, eo quod satis id videntur sonare eius verba: & quod non expressit Carthusianos, qui notabiliter Mendicantes omnes præcedunt vitæ austeritate: & ea, quæ notabiliter excedunt alia, non videntur generali sermone notata, nisi specialiter notentur. [a]

m Nu. 31.

4 Ad secundum respondetur, concedendo, quòd religio Minimorum excedit arctitudine omnes alias religiones, eo quòd vltra tria substantialia vota, vouent vitam quadragesimalem, excepto ægritudinis tempore, quod Carthusiani non faciunt: quoniam etiam Carthusiani excedunt Minimos, eo quòd non licet eis, vmquam, etiam cùm ægrotant, vesci carnibus: & nostro iudicio tam graue, immo grauius est, abstinere semper à carnibus, etiam in ægritudinis mortiferę statu, quam abstinere à non quadragesimalibus, cum facultate vescendi carnibus in ægritudinibus.

5 Nec obstat huic rationi, quod Minimi vouent illam abstinentiam quadragesimalem specialiter & expressè, & Cathusiani solum obligantur ex constitutionibus. Tum quia incertum est mihi hoc. Tum quia parum refert quo ad propositum, an teneantur ex voto speciali expresso, an ex generali tacito, quo vouent regulam id continentem, non admittendo vllam dispensationem.

Tum quia regula Dominicanorum est arctior regula canonicorum regularium, [b] licet vtrique voueant eamdem regulam Sancti Augustini, eo quòd constitutionibus suis à Sanctissimo Pontifice approbatis suam vitam notabiliter arctauerunt.

6 Sexto, quod, vt audio, statuta Minimorum, quæ non tangunt tria vota substantialia, non obligant contrauenientes eis ad peccatum mortale, neque veniale, sed solùm ad subeundum pœnam temporalem à statuto impositam: cùm tamen statuta Carthusiana multa, & prȩsertim illud, quod iubet abstinere à carnibus, obligent ad mortale, nec vllus Superior potest dispensare: adeo, quòd etiam dispensatio Papæ non admittatur.

a L. itē apud. §. ait prætor. ff. de iniur.
b Capi. quod Dei timorē. de statu mona.

*SVMMARIVM.*

*1 Priuilegium concessum Cassinensibus ab Eugenio IV. prohibens suis ne sine obtenta licentia etiam ad arctiorem transeant religionem, excommunicansque receptatores, qui requisiti eos non eijciunt, ex limitatione Innocentij III. non comprehendit casum, in quo quis ad arctiorem transit, & hoc, modo licentiam petierit, aliàs comprehendit. num. 3.*
*2 Transiens ad arctiorem licentia non petita, repeti potest, & repetitus tenetur reuerti, & pœnitentiam secundum regularem disciplinam imponendam subire. num. 4.*

## CONSILIVM LII.

MONACHVS Casinensis transiuit ad Carthusianos non petita licentia à superioribus suis: at Cassinenses habent priuilegium ab Eugenio IV. per quod prohibetur, ne monachi præfati abstrahantur à sua religione, neque sponte venientes recipiantur, etiam occasione arctioris vitæ ordinis, & religionis, absque consensu Capituli generalis, seu Præsidentis, & maioris partis visitatorum dictæ congregationis, etiam auctoritate literarum Apostolicarum, in quibus de huiusmodi persona ac religione mentio facta non fuerit, sub pœna excommunicationis, quam ipso facto incurrant, qui, facta eis notitia de huiusmodi priuilegio, monachum dictæ congregationis intra triduum non relaxauerint, vel à se abiecerint: non obstantibus etiam, quod priuilegium Cassinenses ostenderunt Carthusianis coram iudice super illius obseruantiam protestantes.

Queritur primò, vtrum huiusmodi priuilegium teneat, sitque in vsu post Concilium.

Secundo, an monachus præfatus teneatur redire ad priorē religionem, vel à Superioribus suis licentiam petere permanendi in Carthusiana, ad quam veluti ad arctiorem transuolauit, quæ dicitur vocatio à Spiritu sancto.

Tertio, an qui retinuerunt præfatum monachum, scilicet Carthusiani, excommunicationem incurrerint.

Quarto, quid agendum in huiusmodi controuersia, cum monacho valde sit periculosus reditus ad primam religionem multis de causis.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondetur, quod præfatum priuilegium non reuocatur per Concilium Tridentinum: sed reuocatum, vel certè limitatum fuit per Innocentium III. in cap. *licet.*[a] per quod statuit, vt, non obstante tali priuilegio, possit regularis transire ad strictiorem regulam; petita licentia, licet non obtenta.

2 AD SECVNDAM respondetur, quòd Præfatus monachus potest reuocari à Prælato prioris monasterij, iuxta glossam in cap. *mandamus.*[b] & in capit. *intelleximus.*[c] per illum textum & hoc affirmat Panormitanus[d] & Cardinalis[e] & communis opinio est ista.

3 AD TERTIAM respódeo, videri excommunicationem incurrisse eos, qui præfatum monachum receperunt, scientes, vel scire debentes, quod non petita licentia se transtulit ad illos, & intra triduum post intimationem priuilegij non restituerunt eum, vel non abiecerunt: quia priuilegium præfatum licet non prosit Casinensi monasterio contra transeuntem ad Carthusianos, petita humiliter, licet non obtenta licentia, prodest tamen contra transeuntem leuiter non petita licentia, quia, vt notabiliter Cardinalis & Panormitanus vbi supra dicunt, temere per contemptum, & contra obedientiam videtur transire, qui transit non petita humiliter licentia, cui sic transeunti temerariè non fauet prædictum cap. *licet.*

4 AD QVARTAM respóderi potest, quod præfatus monachus debet & tenetur redire, & subire pœnitétiam sibi per regularem disciplinam iniungendam, quia grauiter peccauit exeundo à monasterio sine debita licentia, contra omnia iura antiqua, & nouum Concilij Tridentini statutum,[f] nisi summus Pótifex de sua potestatis plenitudine alia ei contra prædicta indulserit ex aliqua magna causa, quæ suæ Sanctitatis iuris naturalis, diuini, & humani prudentiæ canæ videbitur iusta.

a De regula.
b Verbo lapsus. 19. qu. 3.
c De ætat. & qualit.
d In d. ca. licet. nu. 10.
e Ibidem q. 2.
f In sess. 25. c. 4. de reg.

*SVMMARIVM.*

*1 Transitus de religione ad religionem vt sit licitus quo ad forum interius, plura quàm quo ad forum exterius, requirit.*

*2 Carthusiam omnes Mendicantes, etiamque & Minores possunt de iure ingredi: at quod Carthusianus transeat ad Mendicantes, nullibi quidem in iure legitur: si tamen id fiat zelo melius Deo seruiendi, indéque priori ordini infamia non inferatur: cessétque scandalum & timor ne per lites repetatur, videtur licere. num. 3.*

## CONSILIVM LIII.

VTRVM frater Minor possit transire ad Carthusiam, & contra Carthusianus ad fratres Minores?

1 Respondeo primò, quòd ad hoc, vt transitus de vna religione ad aliam sit licitus quo ad forum conscientiæ, plura requiruntur, quàm quo ad hoc, vt sit licitus quo ad forum exterius, per ea, quæ rectè tradit Siluester.[g]

2 Secundò, quòd est constitutio expressa in extrauagante *viam.*[h] quę probat, Minoritas, & omnes alios religiosos Mendicantes posse transire ad Carthusianos. Quod autem Carthusianus possit transire ad Minores, vel alios Mendicantes, non memini legere textum, qui hoc in specie declaret, quamuis Siluester[i] referat fuisse determinatum Parisijs posse Carthusianum transire ad Prædicatores seruantes ad vnguem regulam suam.

3 Tertio, quod si bonus zelus, & aliqua bona causa melius seruiendi Deo interueniret, & sine scandalo & infamia prioris religionis posset transire ad posteriorem, & non timeretur lis super eiusmodi transitum inter præfatas religiones, posset rectè fieri præfatus transitus quo ad forú consciétiæ, & manere bona fide in secúda. Salua, &c.

g In ver. religio. 4. qu. 2.
h De regula. inter comm.
i Vbi supra q. 6.

*SVMMARIVM.*

*1 Tertia regula sancti Francisci, illorum qui extra congregationem viuunt, non est religio, secus, si in congregatione viuunt: quia talium congregatio, in qua tria vota emittuntur, fuit approbata.*

*2 Regula religionum quæ sit strictior, etiam ex vtriusque statutis, & modo viuendi quo nunc vtuntur, dijudicanda: vnde religio sancti Benedicti strictior reputari debet religione tertiæ regulæ sancti Francisci in congregatione viuentium.*

*2 Transire volens ad arctiorem religionem petat licentiam, & de petitione ac responsione fieri faciat instrumentum. num. 3. non tamen est necesse vt illam obtineat. nu. 2.*

*3 Transeundi ad aliam quamuis laxiorem religionem iusta causa est, quod sua sit finienda.*

## CONSILIVM LIIII.

AN religiosus Tertiæ regulæ S. Francisci possit transire ad ordinem S. Benedicti absque vlla Superioris licentia?

1 Respondeo primò, quòd præfatus consulens verus religiosus est, quia licet glossa singularis[a] dicat, tertiam regulam S. Francisci non esse veram regulam, quæ facit veros religiosos, tamen illa est intelligenda de viuentibus extra congregationem, non autem de viuentibus intra eam, in qua fit vera professio trium votorum essentialium, vt habetur in statutis eorum à Papa confirmatis.

2 Secundò, quòd non potest transire ad aliam religionem etiam Mendicantium, nisi petita licentia, vt constituit Iulius II. in sua bulla relata cap. 9. præfatorum statutorú, & inseritur pro quinto priuilegio prædicti ordinis.

Tertiò, quòd præfatus Iulius non requirit, vt à Superiore obtineat licentiam petitam, sed tantùm quod petat: & ideo credo, quod sufficiat ei petere illam, licet non obtineatur, iuxta ca. *licet.* de regular. quia iudicio regulam S. Benedicti strictiorem, quàm sit prædicta tertia regula S. Francisci, etiam viuentium in congregatione, attentis vtriusque statutis, & maximè modo viuendi præsenti in vtraque, qui attendendus est iuxta notata in capit. *ad nostram.*[b] præsertim per Philippum Decium.

3 Quartò, quod iusta causa transeundi ad aliam regulam etiam æqualem, vel laxiorem, videtur esse, quod præfata tertia regula est ita instituta, vt debeat consumi non recipiendo nouitios: nam eam in simili casu reputauit iustam Gregorius X.[c]

Quinto, quod D. consulens debet petere licentiam transeundi ad ordinem B. Benedicti, eo quod sit arctior, & antiquior, quàm regula prædicta tertia S. Francisci, & quia præfata regula tertia non est perpetua, sed finienda, & consumenda, cum nequeat restaurari per nouè recipiendos, vt prædictum est, & faciat fieri instrumentum de petita licentia, & responso ei reddito, quia siue concedatur, siue negetur, potest transire.

Sextò, quòd non debet ante petitam licentiam tráſire, & quod præfatam licentiam etiam potest petere à Papa.

a Clem. 2. cũ ex eo. de sent. excõm. verb. tertio.
b De appella.
c Ca. 1. §. adhuc. de relig. dom. li. 6.

*SVMMARIVM.*

*1 Votum non transeundi ad arctiorem, seu non intrandi religionem, non tenet.*

*2 Argumentum de toto ad partem valet, cùm eadem ratio idem ius suadet.*

*2 Votum maioris boni impeditiuũ nõ obligat, licèt possit seruari.*

*3 Transitus à iure ad aliam religionem concessus præsupponit illam perfectiorem. & nu. 2.*

*4 Transit securius ad aliam religionem aliàs sibi à iure concessam, qui credit ad illam se aptiorem.*

*4 Transferens se ad strictiorem religionem sibi iure concessam, licentiam petere tenetur, nisi aliud ex concessione Apostolica, vel constitutionibus regulæ colligatur.*

*5 Regularis verus nihil sibi, seu nomine suo acquirere potest.*

*6 Regularis quidquid acquirit, Deo, Ecclesiæ, & suo quærit monasterio.*

*7 Regularis, profitendo, omnia sua transfert in suum monasteriũ.*

*8 Translatus, nihil eorum, quæ in priori monasterio habebat, transfert ad secundum, nisi solas vestes, & hoc ex tacita permissione, nu. 9. sicut & scripta sua primæ religioni inutilia. num. 10.*

## CONSILIVM LV.

RELIGIOSVS vouit non transire ad regulam arctiorem: nunc autem cuperet transire ad religionem N. quæ & ex constitutione suæ religionis, & concessione Apostolica, est strictior, eo quòd transitus de sua ad illam N. est licitus etiam sine Superioris licentia, quamque credit suæ naturæ, conditioni, & animi propensioni esse aptioré, & cõmodioré, & ad seruiédú Deo opportunioré.

Quæritur primò, an possit, & quomodo ad illá tráſire.

Secundo, an possit transferre omnia, quæ detulit in suam religionem, vel saltem aliqua scripta, quæ ipse tamquam prædicator in dies sibi dictauit, & scripsit.

1 AD

1 AD PRIOREM QVÆSTIONEM videtur respondendum, quod votum præfatum nihil obest D. consulenti transituro ad religionem N. Primò quidem argumento à toto ad partem, quod est firmum, quando eadem ratio idem iuris suadet in vtroque.[a] At votum de non intranda religione nihil obstaret voventi ad intrandam religionem, ergo nec votum de non intranda arctiori obstabit voventi ad intrandam illam. Eadem enim ratio idem iuris in vtroque suadet. Ratio enim, qua votum de non intranda religione non impedit introitum, est, quia est maioris boni impeditiuum, quæ ipsa inuenitur etiam in voto de non intranda arctiore.

2 Secundò, quòd institutio regulæ, & concessio Apostolica prædicta præsupponunt transitum de religione Domini consulentis ad religionem N. esse licitum etiam sine licentia Superiorum. Ergo præsupponunt, illam esse quiddam maius bonum: & consequenter videntur præsupponere votum de non transeundo ad illam, esse maioris boni impeditiuum. Ergo non obligat ad sui obseruantiam: quia votum etiam rei bonæ, si est maioris boni impeditiuum, licet seruari possit, non tamen obligat ad sui obseruantiam iuxta cap. fin.[b] & tradit S. Thomas receptus[c] ea ratione, quam tradit idem S. Thomas[d] scilicet, quod votum de re illicita, vel inutili, vel maioris boni impeditiua, non est Deo gratum.

3 Tertiò, quòd non oportet, vt Dominus consulens impendat sollicitudinem & laborem ad iudicandum vtra præfatarum religionum sit melior, vel arctior, quia sufficit ei, quòd constitutio regulæ, & Apostolica concessio præsupponat generaliter, quod transitus de sua religione ad illam non est prohibitus, & consequenter quòd propter arctitudinem, vel perfectionem, vel vtramque, est potior sua religione: & standum est regulæ confirmatæ à Papa, & ipsius declarationi explicitè vel implicitè factę.[e]

4 Quarto, quod Dominus consulens credit, & quidem firmiter, quod præfata religio N. est suæ naturæ, suæque conditioni, & inclinationi, animique propensioni aptior, commodior, & ad obsequendum Deo vtilior, & illa religio non solùm suo genere, & generali determinatione suæ regulæ, Papæque concessione est melior, sed etiam ex sua persona: & quamuis sola commoditas suæ personæ non sufficeret sine dispensatione ad transitum, auget tamen firmitatem, & securitatem transeundi, quam faciunt prædicta regula, & concessio Apostolica.

Solum dubitari potest, an teneatur, priusquam trãseat, petere licentiam: & quod non teneatur obtinere illam, certum puto per præfatum cap. *licet.*[f] Quod item non teneatur petere, satis certum putarem, si præfata constitutio regulę, & Apostolica concessio continerent id, quod Dominus consulens præsupponit eas continere.

5 AD POSTERIOREM QVÆSTIONEM respondeo primò, quod vera & solida doctrina canonica habet, quod nihil penitus potest sibi, nec suo nomine quærere vllus verus monachus: quia est omnino incapax dominij, & possessionis ciuilis, siue iuris etiam sui breuiarij: quamuis habere possit quemdam naturalem vsum, & quamdam detentionem, siue, vt aliqui vocant, tenutam, seu vt alij, asinariam, & quam etiam ipsa pecora habent, & serui, qui sibi & suo nomine nullum dominium, nec vllam possessionem iuris habere possunt, etiam eorum quæ manducant & vestiunt, vt alibi monstramus, reiecta quorumdam aberrantium phantasia.

6 Secundò, quòd quidquid acquirit monachus quomodocumque, siue per contractum, siue per vltimam voluntatem, siue per industriam suam, siue iussu, siue iniussu prælati, acquirit primum Deo, cui se & omnia sua dicauit, & sanctæ Sedi Apostolicæ, vti summo, & vnico omnium bonorum temporalium Ecclesiasticorum Dei in terris administratori, & per eius ordinationem religioni, quam est professus, vel monasterio, vbi est professus, siue quod acquirit sit stabile, siue mobile, siue immobile.

7 Tertio, quod huiusmodi monachus, quæsita iam verè per eum ante professionem, & nondum in alium legitimè translata, transfert per sacram professionem in religionem, vel monasterium, quibus se dicat, ordinante id per suos sacros canones sancta Sede Apostolica, vt satis clarè colligitur ex Authen. *ingressi.*[a] & cap. *in præsentia.*[b] & cap. *non dicatis.* vbi latè nos diximus,[c] & aliis similibus.

8 Quarto, quod huiusmodi monachus quamlibet iustè transeat ad aliud monasterium, nihil transfert ad illud, nisi quod expressè vel tacitè præfata Sedes ordinauerit, vel iam ordinatum & statutum habet: quia beneficia principum, & eorum canonum, & legum, immo & priuilegiorum, intelligenda sunt absque præiudicio tertij non expresso in beneficio, per resolutiones probatas, & receptas in cap. *super. eod.*[d] & l. 3.[e] & alibi sæpe.

9 Quinto, quod ex his infertur Dominum consulentem nihil posse transferre secum in religionem N. de bonis antea quæsitis, quocumque modo illa quæsierit, siue per industriam suam, siue per donationem, seu alium quemcumque contractum, seu vltimam voluntatẽ, vel per eleemosynas, absque expresso vel tacito consensu religionis suæ, vel Papæ. Nam & ea ratione etiam ipsas vestes non potest deferre: nisi quòd Sedes Apostolica faciendo facultatem transeundi per se, vel per suos sacros canones, vel legitimam licentiam Superiorum, tacitè videtur concedere, vt illas deferat, cum concesso vno concedantur omnia, sine quibus id fieri nequit, l. penult.[f] & l. *quæcumque.*[g] per quas id tenet Aretinus,[h] in multis locis à Decio & Alciato probatus: & non potest commodè, nec transire nudus.

10 Sextò, quòd hęc consequitur, posse quidem ipsum D. consulentem deferre scripta, quæ inutilia essent suæ religioni priori, & alia, quorum delationem probabiliter crederet Prælato suo non fore ingratam, reliqua verò minimè, nisi relictis originalibus, vel eorum copiis, per quas fieret, ne delatio eorũ esset religioni damnosa. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Transeundi ad laxiorem religionem, causa cognita & probata, licentiam concedit etiam Generalis ordinis, non obstante decreto sacri Concilij & non aliàs. nu. 3. & de his debet publica scriptura constare, vt sic non molestetur in foro exteriori num. 1.*

2 *Creditur nequaquam Superiori, etiamsi non recognoscat alium superiorem, subesse causam, in ijs quæ sine causa concedere non potest.*

2 *Transeundi ad laxiorem religionem sine causa licentiam non potest concedere Generalis: sed nec Pontifex id potest sine peccato.*

3 *Intellectus cap. 19. sess. 25. de regular. sacri Concilij Tridentini.*

## CONSILIVM LVI.

AN GENERALIS ordinis S. Augustini possit facere facultatem transeundi ad religionem laxiorem cum iusta causa?

1 Respondeo quod sic, vt post Innocentium, Hostiensem, Panormitanum[i] scripsimus in cõmentario de regu.[k] Admoneo tamen, necessarium esse sic translato (vt in foro exteriori defendatur à fratribus ordinis sui, repetentibus eum post mortem Generalis) habere aliam scripturam authenticam, per quam fides fieri possit, Generalem dedisse facultatem illam transeundi cum causæ cognitione, accepta iusta informatione de causa iusta transeundi ad laxiorem.

2 Quoniam Superiori etiam non recognoscenti alium Superiorem, dicenti se facere aliquid ex iusta causa, non creditur, nisi constet de illa, si id non potest facere sine causa, secundum veriorem opinionem, quam efficaciter probamus in comment. de spol.[l] & Reuerendissimus Generalis non potest facere præfatam facultatem sine iusta causa quo ad laxiorem, secundum omnes, immo neque Papa quo ad forum interius sine peccato, vt nos probauimus in d. comment. de regularibus[m] post alios relatos.

3 Non obstant illa verba[n] Concilij Tridentini. *Nemo regularis cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem religionem.* Tum quia fuit mens tollendi facultates iuridicas, quę sufficerent ad huiusmodi transmissionem, sed non iuridicas quales sunt, quæ sine iusta causa, & sine consensu conuentus, & sine ipsius causæ pręmissa cognitione fiebant ab aliquot prelatis. Tum quia nullo iure id prohibetur, immo probatur, argumento à contrario sensu in d. ca. *statuimus.*[o] in cuius commentario[p] id diximus. Salua, &c.

*Aduerte ad id, quod dicit infra Consil. 63. & 65.*

a *Leg. quæ de tota. ff. de rei vendica. & ca. pastoralis. §. item si totũ. de officio deleg.*
b *§. fin. 22. q. 4.*
c *In 2. 2. quæ. 189. art. 2.*
d *2. 2. qu. 88. art. 10. ad 3.*
e *Arg. c. virgines. 20. qu. 4. & ca. licet. de regul.*
f *De regu. & per d. c. virgines. 20. qu. 4.*

a *C. de sacros. eccles.*
b *De probatio. & c. 2. de testa. & c. 2. & c. cum ad monasteriũ. § fin de statu monach.*
c *12. q. 1.*
d *De officio deleg.*
e *§. si quis à principe. ff. ne quid in loco publico fiat.*
f *ff. de vsufr.*
g *§. si ei quẽ ff. de instito. act.*
h *In ca. de testibus col. 3. de testib.*
i *In c. non est, nu. 6. & c. significatũ. nu. 6. de reg.*
k *Super c. statuimus. num. 4. 19. q. 3.*
l *Super ca. nõ liceat. 12. qu. 2. §. 2. nu. 8.*
m *Vbi supra.*
n *Cap. 19. de regul. sess. 25.*
o *19. q. 3.*
p *Notab. 3.*

*SVMMARIVM.*

1 *Licentia & priuilegium ita debent vltra ius commune aliquid concedere, vt tamen ad alia, in quibus non videtur eadem ratio, non extendantur.*

2 *Licentia absolute à Prælato concessa religioso transeundi ad aliam religionem, est restringenda vt ad parem, vel strictiorem transeat, non autem ad laxiorem: quam tamen Prælatus ordinis generalis etiam potest ex causa concedere. nu. 2.*

## CONSILIVM LVII.

VTRVM licentia Prælati ad transeundum ad alium ordinem, ex causa iusta, non facta métione de laxiore, sufficiat ad transeundum ad laxiorem, an debeat tantùm intelligi de strictiore, vel æquali?

1 Respondeo, verius videri quòd non: quia priuilegium debet quidem operari aliquid vltra ius commune,[a] sed dato aliquo effectu, quem operetur, non debet extendi ad alium in quo nón inuenitur eadem ratio, argumento cap. *cum dilectus.*[b] & tradit Decius[c] post alios. & ita cum licentia præfata operetur effectum transeundi ad strictiorem, vel parem, non videtur extendenda quo ad transitum ad laxiorem, per ea quæ scribit S. Thomas[d] & alia quæ nos ei addimus in tractatu de regul. com. 4.

2 Quamuis pro certo habeam, quod præfatus reuerendissimus Generalis, & Prior potuit dare hanc licentiam ex causis in ea insertis, si essent veræ, ad transeundum in ordinem laxiorem, per doctrinam Innocentij, Hostiensis, & Panormitani.[f] Quare cum is, cui datur licentia, proponat transire ad ordinem canonicorum regularium, quem constat esse laxiorem[g], satis piè fecerit præfatus reuerendissimus Generalis, si suæ licentię addiderit expressam licentiam transeundi ad laxiorem, modo sit satis informatus de causarum veritate.

a Cap. in his. de priuil.
b De consuet. & l. si quando. C. de inoff. test.
c Ca. 1. de rescrip. num. 11.
d 2. 2. qu. fin. 189. art. 8.
e Super c. statuimus. num. 10. & seq.
f Ca. non est. & ca. significatum. nu. 6. de reg.
g Per c. quod Dei timorē. de statu mo.

*SVMMARIVM.*

1 *Regularis ordinis Mendicantis, dispensatus vt possit ad quamcumque etiam laxiorem atque etiam non Mendicantem, potest ad militarem transire, sed non potest habere vocem, nec beneficium. nu. 2. at extra claustrum poterit de licentia Prælati ex iusta causa stare, vt alij non translati. nu. 2.*

## CONSILIVM LVIII.

QVIDAM regularis professus ex ordine Mendicantium habuit dispensationem à Papa ingrediendi quamlibet religionem, etiam non Mendicantem, siue arctiorem, siue laxiorem.

Quæritur primo, an possit ingredi ordinem militarem.

Secundo, supposito quòd ingressus est ordinem militarem, an possit manere perpetuo extra claustrum.

Tertiò, an possit esse Prælatus, habere vocem in Capitulo, & habere beneficia in dicta religione.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondemus affirmatiuè, posse. Tum quia religio militaris à sede Apostolica pro religione approbata, vera & propria religio est, vt probamus in com. super cap. *quoniam quicquid.*[h] & in comment. 1. de reg.[i] Tum quia nil potest in contrarium afferri, quod facile non possit dilui.

2 AD SECVNDAM respondeo, quòd non videtur satis aptè proposita, sed quicquid propositio prætendat, esse verum, quòd tenebitur perpetuo in claustro manere, nisi quoties & quo tempore de iusta licentia Superioris abesse ab illo ei licebit: hoc enim sonant verba, quibus promissionem per professionem facturus est. argumento capit. *non dicatis*[k] & in comment. 4. de regul.[l] vt ibi late scripsimus.[m]

3 AD TERTIAM respódeo negatiuè: quia intentio Papæ est, eum adunare, & æquare transeuntibus auctoritate Apostolica à Mendicantibus ad non Mendicantes, de quibus hoc statuit clem. de regularib. & nos diximus in d. 4. com.[n]

*Aduertendum, per tales licentias, quæ conceduntur claustralibus, non licere eis transire ad non claustrales, vt sunt militares & hospitalariæ, & ita refertur resolutum à sacra Congregatione super negotijs regularium.*

h 16. qu. 1. de redit. ecclesi. qu. 1. mon. 55. & q. 3. mon. 27. & 28.
i Nu. 18.
k 12. q. 1.
l In c. statuimus. 19. q. 3.
m à num. 11. & 38.
n De reg. nu. 24.

*SVMMARIVM.*

1 *Bulla Pij V. reuocans facultates concessas recipiendi alienos religiosos, & iubens sic receptos ad suos redire, non ligat sic receptum, si postea delegati Apostolici ex causa iusserunt vt in secunda maneat, quia non dicitur iam receptus seu retentus vigore priuilegiorum, sed ex speciali delegatione Apostolica.*

## CONSILIVM LIX.

QVIDAM translatus de ordine Premonstratensi ad ordinem S. Spiritus de Saxia, per iudices electos virtute bullæ Pij IIII. per quam bulla Pauli IV. contra Apostatas edita reducta fuit ad viam iuris, iussus fuit redire ad pristinum ordinem, cuius prælatus noluit eum recipere, quia morbo podagræ comitialique laborabat: quo viso, præfati iudices virtute clausulæ præfatę bullæ Pij IV. qua poterant arbitrari remedium opportunum aliquod, casu quo non possent commodè reduci ad pristinos ordines, arbitrati fuerunt conuenire, vt remaneret in ordine præfato S. Spiritus de Saxia, in quo nunc remanet: & quærit, an iustè remanere possit, non obstante extrauagante Pij V. qua reuocantur priuilegia, & facultates recipiendi monachos aliorum ordinum, & iubet iam receptos redire ad pristinos.

1 Respondeo, præfatum D. consulentem iustè manere posse in pręfato sancti Spiritus ordine, non obstante pręfata extrauagante Pij V. quia illa licet reuocet omnia priuilegia, & facultates recipiendi alienos religiosos præter ordinem iuris: non tamen iubet omnes, qui iam erant translati, redire post pristinos ordines, sed tantum illos, qui erant translati tantùm virtute præfatorum priuilegiorum. At Dominus consulens non est translatus tantùm virtute præfatorum priuilegiorum: quia etiam est translatus virtute bullæ Pij IV. quoniam iudices electi illius arbitrati fuerunt, vt remaneret in præfato sancti Spiritus ordine, virtute clausulæ, quæ dabat eis potestatem arbitrandi aliquod remedium commodum his, qui commodè non possent reduci ad suas priores religiones, & constat præfatum Dominum consulentem non potuisse reduci commodè ad priorem religionem: quia eum iussum ab eis redire, & volentem id facere, noluerunt recipere Prælati, allegando ad id causas graues, propter quas præfati iudices prudenter arbitrati fuerunt vt maneret in eadem, ad quam translatus fuerat virtute priuilegij concessi ordini præfato sancti Spiritus, & ita non manet in ordine illo tantùm virtute priuilegij de recipiendo monachos alienos, sed etiam, immo magis virtute prædictæ bullæ Pij IV. & sententiæ iudicum, qui causa cognita arbitrati fuerunt iuxta facultatem eis datam, vt maneret in ea religione, in qua inueniebatur, vt seruiret altissimo in ea vocatione qua vocatus erat.[a] Salua, &c.

a 1. ad Corin. 1.

*SVMMARIVM.*

1 *Regularis perpetuo ad aliud monasterium translatus, siue vt præsit, siue vt subsit, debet iterum profiteri, saltem obseruantiam illam, quæ vltra tria vota in secunda est obseruanda.*

2 *Abbas translatus, dum confirmatur, vel aliàs promouetur in Prælatum secundæ religionis, illius obseruantias tacitè profiteri videtur.*

## CONSILIVM LX.

AN MONACHVS, seu regularis vnam religionem approbatam legitimè professus, transiens legitimè ad aliam approbatam, teneatur de nouo profiteri in secunda religione?

1 Hæc est quotidiana quęstio, & parum tractata. Et quidem pars negatiua videri posset ei, qui legerit consilium 5. Federici quatenus videtur affirmare, quòd monachus vnius religionis electus in Prælatum alterius, non tenetur ad profitendam secundam. Pro quo facit primò, quòd in omni religione vouentur tria vota substantialia, scilicet castitatis, paupertatis, & obedientiæ,[b] & ita qui profitetur vnam religionem approbatam, videtur profiteri omnia substantialia omnium religionum: & cum nihil sit faciendum frustra, iuxta cap. *si Papa.*[c] non videtur repetenda professio à translato in secundum monasterium. Secundò facit, quòd in translatione cuiusdam monachi ad abbatiam alterius monasterij nulla fit mentio de repetitione professionis in secundo monasterio secundum iura[d] vbi agitur de confirmandis omnibus electis, & non fit vlla mentio de huiusmodi professionis refectione à promoto ad secundam Ecclesiam facienda, nec in capit. *quorumdam.* & cap. *religiosis.*[e] in quibus agitur de translatione religiosi ad aliud monasterium.

b Cap. fin. de statu monac.
c De priuileg. li. 6.
d Capi. sicut tuis. de simō. & c. cum venerabilis. de consuet. & in cap. nihil. de elect.
e Et c. nullus de elect. li. 6

Sed contrarium videtur dicendum. Tum quia frequenter monasterium secundum est arctioris obseruantiæ, ad quam professio prioris monasterij non extenditur, & nisi profiteretur nouè in secunda, nullo iure ad illam obseruantiam, obligaretur, & ita omnes religiosi eius nō obligarētur eadem disciplina contra cap. *recolentes.*[a] Non obstat consilium 5. Federici, quia loquitur de religioso translato ad abbatiam, vel aliam præfecturam, quęstio autem nostra est de religioso simplici trāslato ad aliam religionem, vt in ea sit simplex monachus. & ratio diuersitatis posset assignari, quòd translatus ad hoc vt sit Abbas, vel præfectus, videri potest satis profiteri, eo quod tenetur ad curandum vt obseruātia eius monasterij à suis subditis seruetur. & melius mea sententia responderi potest negando determinationem illam Federici Tum quia ratio diuersitatis inter eum qui transfertur ad hoc vt sit Abbas, & ad hoc vt sit monachus, de qua proximè, nullo iure nititur. Tum quia nullum textum citat, per quem probetur promotum in Prælatum non teneri profiteri obseruantiam illam, quæ vltra tria vota substantialia seruanda est, maximè si sit arctior, quam obseruantia prioris. Tum quia per iteratam professionem soluuntur facilius alia dubia, quæ mouet ibidem Federicus. Quare concludendum est, religiosum vel monachum transeuntem legitimè ad aliam religionem teneri tacitè, vel expressè ad profitendam illam, saltem quo ad obseruantiam illorum, quę seruari debent in illa vltra substantialia vota, siue transferatur vt fiat in illa Prælatus, siue vt maneat ibi vt subditus, & filius monasterij.

a De statu monach. & c in noua. 16. q. 7.

2 Dico autem, *Vt subditus & filius monasterij:* quia si solùm transfertur, vt sit temporarius, nō tenebitur ad nouè profitendum, quod quotidie seruat praxis. Dico etiam, *Tacitè vel expressè:* propter eos, qui transferuntur, vt sint Prælati: quia potest dici eos tacitè profiteri illas obseruantias, cùm confirmantur, vel aliàs promouentur in Prælatos, qui obligantur præcepto & exemplo seruare illas, quo casu teneri potest consilium 5. Federici. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Regularis vnius religionis non est capax beneficiorum alterius religionis, vnde præsentatio ad illa facta non tenet, nisi sit episcopatus.*

3 *Translatio ad strictiorem, petita, vel si ad laxiorem, obtenta licentia, facta, ad hoc vt sit canonica, requirit, vt in secunda emittatur professio, num. 2 & hoc præcedente anno probationis, nisi Papa dispenset. nu. 4. desinitque esse primi monasterij monachus, & efficitur secundi, ita vt etiam breuiario secundi monasterij vti debeat. num. 5.*

## CONSILIVM LXI.

QVIDAM Abbas ordinis Præmonstratensis in quo celebratur officium diuinum iuxta Breuiarium Romanum nouum, est præsentatus à Rege Catholico Papæ ad alteram abbatiam ordinis Cisterciensis.

Quæritur primò, an valeat præsentatio, præsupposito quòd ius præsentandi pertineat ad Regiam maiestatem.

Secundò, an oporteat eum nouè profiteri in secundo monasterio.

Tertiò, an liceat ei transire ad secundum sine licentia Papæ.

Quartò, an oporteat eum agere nouitium per totum vnum annum, ad hoc vt professio valeat, iuxta [b] Concilium Tridentinum.

Quinto, an postquam transierit, oportebit eum dicere officium diuinum iuxta Breuiarium prædictum Cisterciense, an iuxta præfatum Breuiarium Romanum.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondetur primò, quod non: quia quamuis priuilegio Papę liceat laico habere ius præsentandi ad abbatiam, & ad aliud quodcumque beneficium, iuxta glossam in summa [c] & glossam capit. *imperium.* [d] debent tamen præsentare idoneos, alioquin non valet præsentatio. [e] At nullus etiam religiosus vnius ordinis est idoneus ad obtinēdum beneficium alterius ordinis, [f] nisi sit episcopatus. [g] Secundò, quòd præsentatio huiusmodi facta Papæ à Regibus, solet tolerari, vt valeat saltem in vim simplicis nominationis, & ita etiam hæc tolerabitur. [h]

b Capi. 15. de reg. sess. 25. c 16. q. 7. d 10. dist. e Ca. monasterium. 16. q. 7. & c. cum vos. de offic. ordin. f Ca. cum singula. §. fin. de præben. lib. 6. g Clem. 1. de elect. h Arg. ca pro posuit. de con cess. præbend. & ca. cuncta per mūdum. 9. q. 3.

2 AD SECVNDAM respondetur, quòd sic: quia, vt religiosus vnius ordinis fiat religiosus alterius, requiritur vt canonicè transferatur ad illum, iuxta præfatum capit. *cum singula.* Translatio autem canonica de vno ordine ad alium non fit sine noua professione illius ordinis, vt colligitur ex notatis in eodem cap. [a] & in alijs locis ibi citatis per doctores.

a Cum singu.

3 AD TERTIAM respondetur primò affirmatiuè, quòd sic, si ordo Cisterciensis est arctior & strictior ordine Præmonstratensi, quia sufficeret petitio licentiæ, licet non obtineretur. [b] Secundò, quòd, quia præsentatio in casu proposito est facta Papæ, ipse pro sua summa potestate potest supplere alius Superioris licentiam, præsertim si prior abbatia est exempta, & nulli alij Superiori subiecta: immo & credo quod expressè vel tacitè supplebit eam (præsertim si petatur) quod ex literis Apostolicis constare poterit: si autem ordo Cisterciensis est laxior Præmonstratensi necessaria erit licentia Papæ obtenta, vt communis opinio colligit ex glossa præfati cap. [c]

b Ca. licet. de regul.

4 AD QVARTAM respondeo primo, eam esse satis nouam, & quod mea sententia pars eius affirmatiua videtur verior, quia, licet præfatus D. Abbas sit iam religiosus professus, & quamuis non posit esse nouitius, siue nouus religiosus, quia est antiquus, potest tamen esse nouus huius, vel alius religionis, & ita potest esse nouitius illius, licet sit antiquus alterius, & consequenter comprehenditur in [d] Concilio Tridentino sess. 25. vt antea in simili casu respondimus. Secundo, quod Papa, si petatur ab eo, vt puto, dispensabit super obligatione continuandi nouitiatum per vnum annum ob regiam præsentationem, & ob antiquam in alia religione professionem, si hoc ab ipso nomine Regio petatur.

c Cum singula. in verbo canonice.

d D ca. 15. de reg.

5 AD QVINTAM respondetur, quod posteaquam præfatus consulens fuerit translatus canonicè ad præfatum ordinem Cisterciensem, tenebitur dicere officium diuinum iuxta eius Breuiarium, etiam si non efficeretur Abbas, quia per illam translationem desinit esse monachus Præmonstratensis, & incipit esse Cisterciensis, & alius nouus homo, vt in simili habetur capit. *ferrum.* [e] Salua, &c.

e 50. dist.

SVMMARIVM.

1 *Probationis anno introducto in priuatam vtilitatem professionem emittentis, & monasterij, iure communi poterant partes renunciare: & hoc, modo non essent de quatuor Mendicantium religionibus, nu. 7. nunc autem dicta renunciatio videtur per Concilium prohibita, vti respiciens ius publicum. nu. 10. adeo vt illi in nulla religione possit amplius renuntiari. nu. 9. & in hoc æquiparatæ sunt religiones Mendicantes non Mendicantibus. num. 7. etiam quod simus in transeunte de vna religione ad aliam etiam laxiorem. nu. 2. & num. 5.*

3 *Lex generalis etiam posterior limitatur per specialem priorem.*

4 *Legi prohibenti ne persona contrahat, renunciari nequit, licet posit, quando prohibitio non est directa in personas.*

6 *Legis verba etiam in materia stricta & odiosa ita interpretanda, ne ipsa frustretur.*

7 *Professio apud Mendicantes ante annum probationis emissa etsi iure communi ante Concilium Tridentinum non teneret, operabatur tamen, vt taliter professus teneretur aliquam ingredi religionem, nunc verò ex illa, apud quascumque emittatur, nulla talis oritur obligatio.*

8 *Bonorum renunciatio à nouitio vt facienda intra vltimos duos menses nouitiatus.*

## CONSILIVM LXII.

AN FRANCISCANVS, si transferatur ad ordinem canonicorum regulariū S. Augustini, possit renunciare anno probationis concesso per Concilium Tridentinum [f] eaque renunciatione per Superiorem admissa an ad professionem posit recipi intra annum.

1 Pro parte affirmante facit primò regula illa famosa iuris, quod iuri in fauorem suum introducto quilibet renunciare potest. [g]

2 Secundo, quod introductum in fauorem alicuius, in odium eius retorqueri non debet. [h]

Tertiò, quòd est casus expressus in cap. *ad Apostolicam.* [i] quod expressè habet, annum probationis inductum esse in fauorem tam monasterij, quàm illud intraturi, &

f Sess. 25. cap. 15. de reg. g L. si quis in conscribendo. C. de pact. & cap. gratum. de offi. deleg. h Ca. quod ob gratiam. de regu. iur. li. 6. & l. quod fauore. C. de legib. i De regul

quod de consensu vtriusque partis illi fauori renunciari potest.

Quartò, quòd licet communiter teneatur malè fieri regulariter professionem ante finem anni nouitiatus: fallit tamen, cùm id fieret cum aliqua causa iusta, vt propter merita personæ, vel vtilitatem & decus religionis, secundum mentem omnium in d.cap. *ad Apostolicam.* quod efficaciter videtur id probare [a] ponderando illud, vt ponderat Panormitanus communiter receptus. At in casu proposito videtur interuenire causa huiusmodi, cùm nouitius sit Franciscanus, & expertus arctiorem regulam, quàm sit canonicorum regularium. [b]

3 Quintò, quòd nihil videtur obstare prædictum Concilium. [c] Tum quia non derogatur per illud prædicto ca. *ad Apostolicam.* Tum quia leges generales etiam posteriores limitantur per leges speciales etiam priores, [d] cuius exemplum quotidianum est in l. *sciendum.* [e] & auth. *offeratur.* [f] quarum ambarum glossæ communiter receptæ asserunt, authenticam illam generaliter loquentem, licet posterior sit, limitari per prædictam legem *sciendum.* licet prior sit: & in neutra earum de altera fit mentio. At prædictum Concilium [g] est lex generalis dictans generaliter professionem factam ante annum probationis expletum non valere, cap. autem *ad Apostolicam.* est lex specialis, habens valere illam factam de consensu vtriusque partis. Ergo illud debet per hoc limitari.

4 Sexto, quod iurium correctio est vitanda, & concordia quærenda, [h] & tenendo partem hanc affirmatiuam vitatur correctio prædicti cap. *ad Apostolicam.*

Septimo, quòd licet legi prohibenti, ne persona contrahat, non possit renunciari, potest tamen lege prohibente contrahi, non referendo verba ad personas contrahentium, vt docuit Barthol. [i] & per nullum verbum prædicti Concilij [k] prohibetur directè vllus profiteri, licet prohibeatur professio, & declaretur nulla, si fiat.

5 Quibus tamen non obstantibus contrarium videtur tenendū consulendo, & iudicando, licet forte disputando pars affirmans per fundamenta supradicta defendi posset. Primò quidem, quòd ibi parificantur professio ante decimum sextum annum facta, & facta ante finem anni probationis. At nemo audebit dicere, professionem ante decimum sextum annum de consensu nouitij factam valere. Ergo nec debemus dicere, professionem factam ante finem anni probationis de consensu nouitij valere: quoniam de parificatis idem debet iudicari. [l]

Secundò, quòd mens & ratio sunt anima legis iuxta ca. fin. [m] adiuncto dicto Dini recepti per omnes [n] & vbique. *Nec debemus putare*, vt ait Hieronymus [o] *Euangelium esse in verbis Scripturarum, &c.* Quibus concordat Imperator in l. *non dubium.* [p] At mens & ratio, quæ mouerunt sacrum Concilium ad constituendum illud [q] videtur esse, ne illi anno renunciare possent nouitij.

6 Tertio, quod verba legis ita interpretāda sunt, vt ipsa non frustretur, & otiosa reddatur, etiam in materia stricta, odiosa, & correctoria, iuxta cap. *in his.* [r] cap. *si ciuitas.* [s] quod habet interdictum latum contra ciuitatem, quod est odiosum & restringendum, ita esse interpretandum, vt includat eius suburbia, ne suo frustretur effectu, quæ constat non esse partem ciuitatis. [t] Et glossa in capit. *quamquam.* [v] recepta per omnes, illum textum exorbitantem, & corrigentem ius antiquum, loquentem de testamento, extendit ad codicillos, qui sunt aliud, quam testamentum, [x] ne suo effectu frustretur. At interpretari prædictum Concilium [y] sic, vt limitetur per prædictum cap. *ad Apostolicam.* est illud frustrare: quia nihil, aut certè parum induceret noui: nam etiam ante illud professio facta sine vtriusque partis consensu, scilicet monasterij, & nouitij, erat nulla.

7 Quarto, quòd prædictum Conciliū [z] exæquat in hoc religiones Mendicantes, & non Mendicantes, vt palam colligitur ex eius contextu. At professio facta apud Mendicantes de consensu vtriusque partis ante finem anni probationis est nulla, vel certè non facit verè religiosum: quia nulli speciali religioni obligat, sed tantùm in genere religioni, per quod non fit verè religiosus, sed obnoxius, vt fiat religiosus, iuxta textum, glossam & communem, & veram opinionem. [a]

Quinto, quod ex contextu illius [b] colligitur mens Cōcilij fuisse ampliare illud cap. non solùm. quod solùm habebat locum in Prædicatoribus, & Franciscanis, & postea fuit extensum per cap. *constitutionem.* quod post illud immediatè sequitur, ad Augustinianos, & Carmelitas. quod colligitur ex illa ampliatione nullitatis, *ad nullum effectum:* quasi diceret, esto quòd professio antea facta intra probationis annum de consensu vtriusque partis aliquando esset nulla quo ad faciendum profitentem religiosum: habebat tamē aliquem effectum, scilicet quod faciebat profitentem religiosum in genere, id est obligatum ad intrandum religionem. Et clarum est, quòd non poterat hoc verificari, nisi in religionibus Mendicantium, de quibus agunt prædicta duo capit. [c] Ergo mens Concilij fuit, æquare professiones omnes de consensu partium factas, professionibus factis in Mendicantium religionibus, cum hoc auctario, quòd essent nullæ quo ad omnes effectus, etiam ad effectum obligandi religioni profitentem in genere.

8 Sexto, quod Concilium [d] expresse statuit, vt nulla renunciatio, aut obligatio nouitij, etiam cum iuramento facta, ante finem anni valeat, nisi cum Episcopi auctoritate, & intra duos menses postremos fiat, si renunciatio, & obligatio iurata de consensu nouitij facienda nulla est: ergo à fortiori professio, per quam alienatur persona, quę domina bonorum erat, de consensu nouitij, & etiam monasterij facta erit nulla, argumento cap. *cum in cunctis*, adiuncta glossa. [e]

9 Septimo, quod licet prædictum Concilium [f] non dictet expressè, non posse nouitium & monasterium renunciare prędicto anno sibi concesso, tacitè tamen id videtur facere geminando vniuersaliter toties prohibitionem, dū dicit, *In quacumque religione.* & iterum, *Tam virorum, quàm mulierum.* & rursus, *Non fiat.* & iterū, *Non admittatur.* & rursus, *Sit nulla.* & tandem, *Nullum effectum operetur.* Quam geminationem habere in se quoddam mysterium, & vim specialem, dicit glossa putata singularis & recepta: [g] pro qua est lex *balista.* [h] & congesta per Felinū [i] & quod præter hęc omnia idem Concilium [k] expresse statuit non valere renunciationem bonorum: quod constat esse minus, quàm renunciationem personæ, vt dictum est.

Octauo, quod prędictum sacrosanctum Concilium videtur voluisse principaliter obstare abusui, quo in grande præiudicium cùm animarum nouitiorū, & monasteriorū, tum totius Reipu. Christianæ iam ferè vbique & omnes priuatis affectibus abutebantur illo ca. *ad Apostolicam.* admittentes ad professionem viros, & fœminas, notos, & ignotos, sapientes, & ignaros, bene; & male moratos, ad importunas preces parentum, amicorum, heroum, regulorum, & nonnumquam Regum ipsorum. quæ obuiatio sufficiens non poterat fieri, nisi prohiberetur renunciatio legis tam salubris.

10 Nono denique, quod nemo iuri publico renunciare potest [l] & experientia, quæ rerum est magistra, [m] docuit, sanctos Patres præfati Concilij, renunciationem prædicti anni, quæ tempore quo factum fuit dictum cap. *ad Apostolicam.* solùm videbatur præiudicare iuri priuato, tempore tamen Concilij & nostro clarè cœpisse præiudicare tantùm vel plus iuri publico, quàm priuato: nam iam passim in aliquibus religionibus, intra vnam, vel alteram hebdomadam cœperant fieri professiones, ad hoc vt professi ad dignitates & beneficia promouerentur, & sic fierēt prius magistri, quàm discipuli, contra cap. *cum in magistrum assumi non debeat, qui non nouit esse discipulus.* [n] cum magno damno & dedecore publico ipsarum religionū, quæ sunt magna pars Reipubl. Christianæ, in qua ius publicum consistit, [o] & consequenter dici post Cōcilium vetuisse huiusmodi professiones in vtilitatem publicam, cui nemo potest renunciare sine summi Principis auctoritate, quæ nisi ob magnam publicam vtilitatem non esset impertienda. Per quæ fundamenta proculdubio hæc pars negatiua videtur esse gratissima Christo D. N. qui nos omnes in sua prædicta religione seruet. Amen. Et quia per tacta in prædictis fundamentis facile responderi potest obiectis, id gratia prolixitatis euitandæ non facimus. Salua, &c.

a In verbo quoslibet.
b Arg. clem. exiui. de verbor. signifi. & ca. quod Dei timore. de statu [illegible] monach.
c Ca. 15.
d L. & posteriores. ff. de legib.
e ff. qui satisdare cog.
f C. de litis contesta.
g Ca. 15.
h Cap. cū expediat. de elect. li. 6. & l. 1. C. de inoffi. dotib.
i In le. si quis pro eo. nu. 9. ff. de fideius.
k Ca. 15.
l L. fi. ff. mād. & ca. licet ex quadam. de testib. cum similibus.
m De regul. iur. lib. 6.
n Ibidem.
o In c. Marcion. 1. q. 1.
p C. de legib.
q Ca. 15.
r De priuileg.
s De senten. excom. lib. 6.
t Ca. Rodulphus. vbi late traditur, de rescript.
v De vsuris. li. 6. in verb. testamen.
x Le. si idem. C. de codicil.
y Ca. 15.
z Ca. 15.
a Ca. non solum. de regu. li. 6.
b Ca. 15.
c Non solum. & ca. constitutionem.
d Capi. 16. de regul. sess. 25.
e De elect. & auth. multo magis. C. de sacros. eccles.
f Ca. 15.
g In clem. 1. de iure pat. in verbo dicesis.
h ff. ad Trebell.
i Ca. si quando. de rescrip. versi. geminatio.
k In c. 16. seq.
l Cap. si diligenti. de foro competen. le. ius publicum. ff. de pactis. cum concord.
m Ca. quam sit. de electio. li. 6.
n De electio.
o L. 1. §. huius studij. ff. de iust. & iure.

SVMMARIVM.

*1 Ordo Minorum Conuentualium laxior quidem est omnibus ordinibus Mendicantibus, sed non aliis non Mendicantibus. nu. 2.*

*1 Religiosus professus de licentia sui Superioris transit ad strictiorē, immo & sine illa, modo sit petita, nec aliquo priuilegio prohibeatur: item cum dicta licentia ad parem, num. 2. ad laxiorem non nisi de licentia Papæ, nec licentia Generalis, aut Cardinalis Protectoris ordinis sufficit. nu. 3.*

*4 Papa regularem petentem sibi concedi licentiam transeundi ad certum ordinem, remittendo ad Protectorem, ei non facit aliam facultatem, nisi restrictam ad petitum ordinem.*

## CONSILIVM LXIII.

Regularis ordinis Minorum Conuentualium petijt à Pontifice licentiam transeundi ad quemdam alium ordinem, qui eum recipiat, Pontifex remisit negotium ad Cardinalem Protectorem, Protector ad Generalem Minorum. Quæritur quid agendum.

Respondeo primò, præfatum Illustrisimum Cardinalē prudentisimè de more rem hanc cum Generali præfato Reuerendisimo communicasse, quo res pientius & salubrius ageretur, & iure me desiderare, vt præfatus Reuerēdus frater expresisset, cuius ordinis sit professus, & quem alium ordinem, qui vult eum recipere, inuenerit.

1 Secūdo, quod quia verisimile est eum esse fratrem ordinis sancti Francisci Conuentualium, eo quod Illustrisimus Cardinalis sancti Sixti, ad quem remissus est à S.D.N. agit Protectorem eius, desideratur expresio ordinis alius, quem inuenit volentem eum recipere. Nam si est aliquis de Mendicantibus, certum est præfatum Reuerendisimū Generalem posse facere illi facultatem transeundi ad illū: quia iure communi laxior est ordo Minorum Conuentualium, quàm ordines aliorum Mendicantium: & præfatus Generalis potest facere ei facultatem transeundi ad strictiorem, immo etiam eodem iure communi ipsemet frater potest transire ad illum, petita, licet non obtenta licentia,[a] nisi particulari iure sit ei prohibitum.

2 Tertio, quòd si ordo, qui vult eum recipere, non est aliquis ordo de Mendicantibus, oportet scire an sit æquè strictus, ac est ordo præfatorum Conuentualium. Si enim est æquè strictus, poterit ei facere facultatem secundum glossam communiter receptam,[b] quam etiam nos in hoc sequimur in com. 4. de reg.[c] quæ habet prælatum inferiorē Papa posse facere facultatem trāseundi ad ordinē parem.

3 Quartò, quòd si ordo, quem inuenit volentem eum recipere, est laxior eo, quem professus est, non poterit præfatus dominus Generalis facere illi facultatem transeundi ad illū auctoritate sua: quia id soli Papę reseruatur per prę-fatam glossam communiter receptam, sed neque Illustriss. Cardinalis: quia vt Protector ordinarius, non potest, quia est inferior Papa, neque vt delegatus, quia Papa non delegat ei expresè facultatem præbendi licentiam transeundi ad laxiorem: solum enim, vt in narratione casus proponitur, remittit eum ad eius Dominationem Illustrisimā vti Protectorem, qui vt talis est ordinarius inferior Papa, qualis non potest facere transeundi facultatem ad laxiorem per prædicta.

4 Quinto, quod S.D.N. non videtur quidquam delegare præfato domino Cardinali Illustrisimo, nisi quo ad facultatem transeundi ad ordinem iam inuētum: & ideo nō potest eius Dominatio illustrisima nec Reuerendisimus Generalis quidquam facere auctoritate suæ Sanctitatis, nisi quo ad illum ordinem: quia delegatio Papæ est stricti iuris.[d]

*Aduerte, quia quæ dicit auctor hic num. 3. videntur limitanda in casu de quo supra consilio 56. & 57.*

a Ca. licet. de reg.

b In cap. cum singula. §. si. verbo canonice. de preb. li. 6.

c Super c. statuimus. 19. q. 3. nu. 10.

d Capi. P. & G. de off. deleg.

SVMMARIVM.

*1 Translatus ad aliam religionem, etiam vt in ea præsit, in secunda emittit profeßionem, sicq; desinit esse monachus primæ, & efficitur monachus secundæ, in qua etiam dimissa prælatura remanet monachus.*

## CONSILIVM LXIIII.

An regularis trāslatus ad aliam religionem, vt sit in ea prælatus, & renuncians præfecturam suam, remaneat regularis posterioris, vel prioris religionis?

1 Respondeo, quòd remanet monachus posterioris. Tū quia translatus legitimè perdit omnia iura prioris.[a] Tum quia omnis Abbas est monachus illius monasterij, cuius est Abbas.[b] Tum quia, vt aliàs diximus omnis monachus translatus ad aliam religionem, vel monasterium, tacitè vel expresè eam profitetur: quia beneficia illius monasterij vel ordinis non possunt conferri nisi monachis eius,[c] quò fit, vt nuper consultum fuerit, Franciscanos Conuentuales, quos fe. re. Pius V. suis monasteriis priuauit in Hispania, quoque transierunt ad Franciscanos Obseruantes, & apud eos regulam nouè S. Francisci absolutè profesi fuerunt sponte, non potuisse retrocedere ad regulam suā pristinam, sicut poterant alij, qui nouè non fuerunt profesi. Salua, &c.

a Cap. si quis iam translatus. 21. qu. 2. & cap. ne pro cuiuslibet 16. q. 1.

b Cap. fin. de simonia.

c Ca. cum singula. §. fin. de prabend. li. 6.

SVMMARIVM.

*1 Mendicantium ordo ille est, cui vel ab eius fundatione, vel per cōstitutiones Apostolicas, vel à sede Apostolica confirmatas non licet nec in particulari, nec in communi habere proprium: à quo si quis ad non Mendicantes transeat, efficitur inhabilis ad beneficia & officia religionis.*

*1 Translatio ad laxiorem cùm sit contra sacrum Concilium Tridētinum vt sit legitima, videtur egere Pontificis derogatione.*

## CONSILIVM LXV.

An N. translatus ab ordine de Mercede in non Mendicantem incidat in Clementinam 1.[d]

1 Respondeo, quæstionem hanc esse satis grandem. Sed sequutus Cardinalē, & mentem eius,[e] respondeo quod non, si à principio fundationis ordinis nō fuit ita creatus, vt esset vnus de Mendicantibus: ita quod non posint fratres illius ordinis in communi, nec in particulari propriu habere: vel nisi per constitutiones Papales, vel à Papa confirmatas astrictus fuerit prædictus ordo de Mercede ad prædictam paupertatem: in quibus duobus casibus diceretur esse ordinis Mendicantis, & religiosus prædicto modo translatus incurreret inhabilitatem Clemētinę prędictæ.[f] Cui consequens est posse prædictum translatū tenere beneficia ordinis, ad quem transiuit, nisi in prædictis duobus casibus: quia prædicta Clementina nō infligit pœnam, nisi Mendicantibus translatis. Sed, vt translatio censeatur legitima, videtur necessarium vt Papa deroget Conc. Trid. prohibenti translationem ad regulam laxiorem.[g] Salua, &c.

*Aduerte, quia hoc dictum videtur limitandum, ex mēte auctoris, in casu de quo sup. Consil. 56. & 57.*

d De reg.

e In d. clem. 1. q. 3.

f De regul.

g Cap. 19. de regul. sess. 25.

SVMMARIVM.

*1 Licentia transeundi ad laxiorem est contra ius commune, & sacrum Concilium, secus ad strictiorem.*

*2 Translatus iustè ab vna religione, modo non sit quatuor Mendicantibus, non efficitur inhabilis ad beneficia religionis, ad quam transfertur.*

## CONSILIVM LXVI.

An religiosus B. Mariæ de Mercede, obtinens facultatem à Papa transeundi ad alteriam religionem, posset obtinere beneficia religionis, ad quam transierit, & an sit contra ius commune, vel Concilium Tridentinum.

1 Respondeo primò, non esse ostensam nobis facultatē ipsam transeundi, & ita non posse nos de illa non perspecta satis rectè respondere.[h]

Secundo, quod si facultas fuit facta ad transeundum ad strictiorem, non est contra ius, per cap. licet,[i] si autem facta est ad transeundum ad laxiorem, est contra ius commune, & contra Concilium Tridentinum.[k]

2 Tertiò, quod Dominus consulens non incurret inhabilitatem obtinendi beneficia religionis, ad quam transierit, positam in Clementina,[l] si facultas se extendit ad trāseundum ad religionem non Mendicantiū: quia ordo prædictus S. Mariæ de Mercede non est de quatuor Mendicantibus, de quibus loquitur prædicta Clementina 1. vt præ aliis rectè definit Ioannes Imolensis,[m] & sentiunt alij, & ea ratione firma probatur, quod Clementina illa est pœnalis, & loquitur de Mendicante transeunte: & ideo

h Le. incivile. ff. de legibus.

i De regula.

k Sess. 25. ca. 19. de regula.

l 1. de regu.

m Ibidem.

ideo non debet extendi ad alium non Mendicantem.[a] Salua,&c.

a Cap. pœnit. de pœnit. dist. 1. & ei à nobis late adnotatis.

SVMMARIVM.

1 *Pœnitentis relationi circa ea quæ dependent ex iuris prudentia, vel intelligentia rescriptorum, non est facilè credendum, nec respondendum eius interrogationi. nu. 3.*

2 *Translatus à Mendicantibus ad canonicos regulares non Mendicantes si sit clericus, potest tam in Ecclesia numerata, quam nõ numerata dicti ordinis eligi in canonicum.*

4 *Regularis in Mendicanti professus, cui cõcessa est facultas vt trãseat ad non Mendicantes, non potest apud canonicos regulares admitti ad habitum, vel professionem, nisi peracto anno probationis.*

## CONSILIVM LXVII.

N. Olim ordinis fratrum Minorum de Obseruãtia fuit dispensatus vt posit transferri ad ordinem canonicorum regularium S. Augustini: & supponitur in breui nõ esse illam clausulam in similibus breuibus solitam apponi, *Sine spe tamen beneficiorum*, & derogatum fuisse Clem. *vt professores* [b] & fingimus etiam in breui esse illas clausulas solitas, scilicet, *Vt possis gaudere omnibus priuilegiis, indultis, immunitatibus, quibus alij non translati gaudent.*

b De regul.

Quæritur, an iste talis posit recipi in canonicum tam in Ecclesia numerata, quam non numerata canonicorum regularium, & posit prouideri de canonicatu & præbenda & dignitate ordinis canonicorum regularium sine alia dispensatione, & si posit admitti ad susceptionem habitus, & ad emissionem professionis, absque eo quod eligatur in canonicum, seu conferatur ei canonicatus. Quæritur etiam, an talis posit renũciare anno probationis inducto per Concilium Tridentinum pro quo est considerandum quod d. N. eam fecit probationem in dicto primo ordine, & dictum Concilium videtur loqui in sæculari, qui numquàm fecit professionem in aliquo ordine.

1 Ad has quæstiones responsurus dico primo, quòd non potest satis categoricè responderi non viso prædictæ dispensationis tenore: quia iurisperitus multo plura potest ex eo toto perpenso elicere, & colligere, quam consulẽs, vel alius iurium ignarus: & ita non potest esse certa relatio facta ab huiusmodi consulente, nec consequenter certum responsum dari à consulto.[c]

c L. vt responsum. C. de trãsact. & l. precibus. C. de impub. & aliis substitu.

Secundo, quod non video qua ratione derogetur Clementinæ 1.[d] nisi apponatur clausula, *Quod habere possit beneficia, vel officia ordinis, ad quem transfertur*: per cuius appositionem & tenorem daretur magna lux ad respondendũ quæsitis. & in hoc argumento videtur insinuari, quòd non sit posita: ex quo videtur resultare contradictio aliqua tacita.

d De reg.

2 Tertio, quod ad primam quæstionem responderi posse videtur affirmatiuè, præsupposito quod prædictus N. esset iam clericus: quia canonicatus regularis præsupponit clericatum, vt colligitur ex D. Thoma.[e]

e 2. 2. q. 189. art. 8. ad 2.

3 Quarto, quod ad secundam, & tertiam quæstionem nõ audeo respondere non viso tenore dispensationis.

4 Sexto ad quartam respõdeo, quod multa possent afferri pro parte affirmatiua etiam vltra rationem coloratam, quæ affertur in propositione ipsius: sed veriorem arbitror partem negatiuam. Tum quia textus Concilij,[f] generaliter nullo excepto decernit, ne professio fiat ante annũ probationis completũ: & vbi lex non distinguit, nec nos ipsius distinguere debemus textus.[g] Tum quia annus probationis non solùm datur in fauorem professuri, vt experiatur id, quod professurus est, sed etiam in fauorem eorum qui professionem suscipere debent, vt experiantur mores suscepti, an conueniant suæ congregationi.[h] Et ita licet frater Minor, qui expertus est regulam Minorum, & eam est professus, satis videri posit expertus regulam canonicorũ regularium, & sic ex parte illius cessare videatur necessitas eam probandi, non tamen ob hoc tollitur monasterio & congregationi necessitas probandi mores illius, qui longè melius cognoscuntur tractu annali, quàm menstruo, vel semestri, aut alio minori, vt palam est.

f Capi. 15. de regul. sess. 25.

g Cap. si Romanoru. 19. dist. & le. de pretio. ff. de publi. in rem act.

h Cap. ad Apostolicam. de reg.

SVMMARIVM.

1 *Translato potest nedum Pontifex, sed & suus superior iustè concedere licentiam, vt stet extra monasterium, modò subsit iusta causa, aliàs non.*

1 *Causa quæ sit iusta, vt superior regulari faciat licentiam standi extra claustrum, est arbitraria & multiplex, vt est vtilitas directa vel indirecta proueniens proprio monasterio, vel ordini docendi, vel discendi literas conuenientes monacho, vtilitas vniuersalis Ecclesiæ, vel reip. ex quibus potest diiudicari, an idem sit de illo, qui alienæ inseruit parochiali, nu. 2. & 3. ac si dubium sit, an sit iusta, proderit Papæ declaratoria, vel licentia, nu. 3.*

3 *Extra monasterium de licentia Superioris manens non potest citra mendacium dicere se degere in monasterio.*

## CONSILIVM LXVIII.

N. Translatus iustè ex ordine strictiore ad laxiorem, de licentia Superioris monasterij, ad quod fuit trãslatus, seruiuit beneficio curato sito in loco distanti à monasterio per 100. milliaria. Quæritur primo, an id ei liceat. Secundo, an indigeat licentia Papæ, sitque immunis à peccato, ei dicendo se manere in monasterio.

1 AD PRIMAM quæstionem respondeo primò, mõnachum non posse manere extra monasterium, nisi de licẽtia Superioris iusta de causa facta, vt nos clarius aliis tradimus in comm. 2. de regu.[a] per cap. *monachi*,[b] & quod iusta causa est vtilitas directa, vel indirecta proueniens monasterio ex illa absentia, vt probant prædicta cap. studium item discendi vel docendi literas conuenientes monacho, & aliæ similes, quæ arbitrio boni & prudentis viri iudicẽtur iustæ, vt nos ibidem extendimus, vbi etiam dicimus etiam Papam non posse dare hanc licẽtiam sine iusta causa, & cùm ea sic etiam inferiorem.

a Super c. nõ dicatis. 12. q. 1. nu. 40.

b 1. & 2. 16. q. 1.

2 Secundo, quòd punctus quæstionis huius consistit in decernendo, an Dominus consulens iusta de causa absit à monasterio, vt præfato beneficio curato deseruiat: quod coniiciendum est ex vtilitate, quæ directè, vel indirectè prouenit monasterio, & ordini, cuius est ipse, vel etiam ex vtilitate, quæ proueniret Ecclesiæ vniuersali, vel reipublicæ, quod ex solis contentis in casu proposito non potest coniici.

Tertiò, quòd tutus est, si ex iusta causa absit de licentia Superioris, alioquin minimè, etiam de licentia Papæ.

3 AD SECVNDAM respondetur primò, quòd D. consulens, vt insinuatum est, non indiget licentia Papæ, si iusta de causa abest, nec sufficit illa ei, si huiusmodi causa deest, nec licet ei narrare Papæ se manere in monasterio, si extra illud manet: quia nemini licet dicere falsum, etiam si aliquando liceat tacere verum,[c] & mẽdax precator debet carere impetratis.[d]

c Ca. ne quis. 22. q. 2.

d Le. 2. C. de precib. Impera. off. c. super literis. de rescrip.

Secundò, quòd vtilius esset D. consulenti petere à sua Sanctitate, vt declaret, quòd prædictum seruitium, quod facit beneficio curato, est iusta causa, vt inferior faciat ei facultatem manendi extra monasterium, aut certè petat à sua Sanctitate, vt ei faciat, si & quatenus opus est, facultatem seruiendi beneficio præfato de licentia sui superioris, cum qua iam illi seruit. Salua, &c.

SVMMARIVM.

3 *Licentia concessa monacho standi extra claustrum non iustificatur ex eo, quod Superiori ita videatur, nisi subsit iusta causa se extendens ad totum tempus, pro quo conceditur, num. 2. Nec in hoc differt an is cui conceditur sit translatus, vel proprius illius monasterij filius professus, nu. 1. & 2.*

## CONSILIVM LXIX.

AN superior ordinis, ad quem cum iusta licentia transit regularis alius ordinis, potest & qualem licentiã dare illi ad manendum extra monasterium?

Respõdeo, quòd nemo, quod sciam, tractauit hãc quæstionem ita vtiliter & clarè, ac nos in com. 4. de reg.[e]

e Super c. statuimus. 19. q. 3. qu. 2. & 3. num. 12.

1 Secundò, quòd ex resolutione illarum colligitur eiusmodi superiorem tantam & eadẽ de causa posse dare huiusmodi translato licentiam manendi extra monasterium, quantam & qua de causa potest dare regulari originario suo, & vernaculo, & è contrario.

2 Tertiò, quòd nec translato, nec originario vernaculo

potest dare licentiam manendi extra monasterium sine iusta causa,& cum ea sic vtrique, & cõsequenter quòd neutri potest facere potestatem manendi extra monasterium, nisi tantùm, quantùm iusta causa requirit & suadet, & ad tantùm sic:cui est consequens, quod neutri potest dari ad libitum suum, & eo quòd sibi absque iusta ratione benè videatur: per quod categoricè ac formaliter propositę quęstioni respondetur.

### SVMMARIVM.

*1 Extra claustrum stando regularis peccat,& nu.9.nisi adsit licentia à Superiore siue mediato,siue immediato, saltem tacita & generalis,nu.4.iusta de causa eius arbitrio concessa.nu.8.*

*1 Habitum regularem dimittere sine peccato non potest monachus, nec etiam occultare:fallit, si subsit causa,præsertim de licentia Superioris.nu.5.& 10.*

*2 Licentiam dimittendi habitum vel standi extra claustrum concedens Superior peccat sicut exiens, & dimittens.& 3.*

*5 Clericus ex causa potest tonsuram dimittere, & habitum transformare.*

*6 Sanitatis recuperandæ causa potest nedum monachis,etiam Carthusianis, sed & monialibus concedere Superior, vt ad tempus stent extra monasterium,immo peccaret id non concedendo ei, qui in claustro non posset seruari.nu.7.& 8.*

*7 Iurans non exire certum locum, non tenetur illud in præiudicium salutis corporalis,vel spiritualis seruare.*

## CONSILIVM LXX.

PRæfectus cuiusdam monasterij,expertus quòd quidam suus monachus contagioso morbo laborans nõ poterat satis commodè medicari intra monasterium,consulente,monente, promittenteq́; medico eruditissimo valdéq; pio,quòd ope diuina sanaret eum intra paucos dies,si mitteretur ad domum suam,in qua posset manere secretò, decreuit cum suis tribus consiliariis mittere illum in prædictam domum noctu secreto mutata veste,velatáque facie, ita quod à nemine posset in via cognosci,ea lege,vt maneret in domo inclusus durante medicatione, & mox rediret eo modo,quo abiit in monasterium,vbi more solito inseruiret:qui gratia Deo,intra paucissimos dies sanatus rediit, & vt antea solebat seruit.

Quæritur,an præfatus præfectus,& consiliarij eius, dãdo præfatam licentiã prædicto modo,peccauerint, necne, & puniri debeant,necne.

1 Pro parte affirmante, nempe quod peccauerint, facit primò,quod monachus peccat exeũdo è claustro, [a] & etiã relinquendo habitum, [b] & consequenter in casu proposito bis peccauit præfatus monachus,scilicet exeundo,& relinquendo habitum.At qui cõsentit in peccatum peccat, [c] ergo præfatus præfectus, & sui consiliarij non solùm semel,sed etiam bis peccasse videntur, cum duplici peccato consenserint,& consequenter puniri debent.[d]

2 Secundo facit [e] Conc. Trid. quatenus significat religiosum nulla de causa debere relinquere habitum, immò nec occultare.

Tertiò,quòd in regula ordinis, cuius est præfatum monasterium,expressè habetur non licere fratribus dimittere habitum,nisi causa mutationis,mundationis,reparationis, vel alicuius euidentis infirmitatis,super hoc tamen primitus onerata medici conscientia.

His tamen non obstantibus,vi detur cõtrarium esse tenendũ,nẽpe quod prædictus.prefect⁹ & cõsiliarij eius nec peccauerũt,nec puniri debẽt,immo benè meriti sunt corã Deo & hominibus. Tum quia licitum est monacho exire de claustro de licentia sui prælati iusta de causa data, vt probamus in com.4.de reg.[f] in hæc verba, *Omnis regularis quamlibet simplex potest iustè exire de licentia superioris non solùm Generalis & Prouincialis,sed etiam inferioris immediati,non tantũ expressa,sed etiã tacita, & non tantùm specialiter & in indiuiduo, sed etiam generaliter data,modò ea detur iusta de causa necessitatis, vel vtilitatis.*hæc ibi,quæ latè probo & declaro ibidẽ:& non solùm potest exire, sed etiam manere aliquo tempore, vt probo & declaro in eodem tractatu de reg.[g] per cap.*monachi*,[h] & quædam alia.

a Ca.placuit.1.& 2.& ca.monachi.16.q.1.
b Cap.procliuus.20.qu.3.& c.2.ne cleric. vel mon. li.6.
c Ca.1.ad Roma. cap.1.de off.deleg.
d L.sancim⁹.C.de pœn.& c.quæsiuit.de his quæ fiunt à maior.
e Capi.19.de regul.sess.25.
f Super c.statuimus.19.q.3.à num.34.
g Com.2.super c. non dicatis. nu. 68.
h 1.& 2.16.q.2.

5 Tum quia monachus iustè potest relinquere habitum iusta de causa,præsertim de licentia superioris, [a] vt & clericus suum habitum & tonsuram clericalem, vt dixit glossa notabilis & recepta, [b] in hæc verba: *Habitum semel susceptum non debet dimittere nisi ex iusta causa, infra eodem cap. clerici.vnde cum quidam reprehenderetur à Papa,respondit, Tutius,vt peterem laici sub imagine Romam,Fas fuit,vt finerem luxuriare comam.*& tex.expressus cap.penul.[c] habet posse, quem causa timoris transformare habitum:ex quo glos.[d] colligit eum qui iusta de causa dimittit habitum non esse apostatam.

6 Tum quia infirmitas, præsertim contagiosa, est iusta causa dandi licentiam monacho vt exeat monasterium, & maneat extra illud in loco conuenienti ad sanandum, vt probatur c. 1. [e] quatenus etiam monialibus facit facultatẽ exeundi monasterium ob infirmitatem contagiosam. & Concil.Tridentinum,[f] facit facultatem exeundi monialibus ex quacumque causa,quæ videbitur iusta Episcopo:& receptum est non posse moniales exire monasteria de tam leui causa,ac monachi etiam Carthusiani.

7 Tum quia etiã qui iurauit manere in aliquo loco, potest iustè ab illo exire,si salus corporalis eius id exigat, iuxta glossam memorabilem,& receptam. [g] Tum quia dicti præfectus & conciliarij peccassent,si præfata de causa non fecissent præfato monacho facultatem exeundi & manendi secreto ad sanitatem recuperandam, ex mente Gratiani, [h] asserentis prohiberi quem seruare iuramentum,cuius obseruantia spiritualis vel corporalis salutis recuperationem impediret:quæ videtur esse decisio specifica pro casu nostro,in quo experientia monstrabat salutẽ præfati monachi non posse reparari iudicio medici intra monasteriũ, intra quod non poterat adhiberi præsentia medici, & necessaria visitatio,& medicatio tanti morbi.

8 Tum quia iure non est determinatum , quæ causa sit iusta ad exeundum & manendum extra monasterium, vel relinquendum habitum , & ita relinquitur arbitrio boni viri determinandum , [i] & in specie de causa iusta exeundi tradidimus nos in d.cap.*non dicatis*,[k] & satis in dicto c.*statuimus*.[l] At in casu nostro mendicatio præfati morbi contagiosi,& ferè incurabilis visa fuit non solùm arbitrio boni viri,sed etiam suorum Superiorum iusta, & adeo quidẽ rectè & piè mea sententia, vt debuissent iudicari mali & prudentes viri,si contra iudicassent, ob multa, quæ gratia breuitatis non explico.

9 Non obstant opposita.Ad primum enim respondetur concedendo non licere monacho exire à monasterio, nec relinquere habitum temerè,& sine causa, & sine licentia prælati:negando tamen,quòd in nostro casu ita factũ fuerit,cùm intercesserit non solùm licentia prælati solius,sed etiam consiliariorum,& interuenerit iustissima causa, vt supra probatum est.

10 Ad secundum respondetur, quod illud cap. agit de dimissione habitus facta sine licentia Prælati , & ad finem numquam resumendi illum cum proposito procurandi,vt professio declaretur nulla. Nos autem agimus de exitu & dimissione habitus ad modicum tempus de licentia Superioris iusta de causa data.

Ad tertium respondetur primo,quod loquitur de dimissione habitus auctoritate propria facta,quæ nõ potest fieri extra casus expressos in illa clausula. Nos autem loquimur de dimissione Superioris auctoritate cum causa facta.Secundò respondetur,quod in illa clausula videtur esse casus pro nostra parte,quatenus habet posse dimitti habitum causa infirmitatis de consilio medici: nam in casu nostro medicus valdè eruditus & pius consuluit, vt exiret eo modo quo exiuit,monendo, quod si non exiret , nõ sanaretur,& si exiret,sic intra paucos dies;quod& factũ fuit.

*Aduertendum,pro eo quòd de monialibus dicitur nu. 6.vltra sacrum Concilium adesse bullam Pij V. quæ causas exeundi ad certas inibi expressas restrinxit,ferturq́, sacram Congregationem censuisse vltra illas causas non dari extensionem, sed recurrendum pro licentia ad Sedem Apostolicam. Vide item infra de statu monach. consilio 5.*

### SVMMARIVM.

*1 Religioso,vt ob necessitatem parentum stet extra monasteriũ, dat licentiam Papa,immo & Generalis,& Prouincialis,nu.2.vt autem*

a Capi. Deus qui. de vita & honest.
b Cap.si quis ex clericis.de vita & hon.
c Eodem tit.
d Verbo , timoris.
e De statu regu.li.6.
f In præfato titulo de reg. ca. 5.
g Ca si vero. de iureiuran.
h §. fin. ver. qui,quis. 22. q.4.
i L.1.ff.de iure deliber.ca. de causis. de off.deleg.
k Nu.68.
l Nu.34.

*etiam dimittat habitum non debet concedi, nisi quando eo retento non potest dictæ necessitati subueniri. nu.3. An autem ad hanc reducatur, quando Superiores nolunt consentire, vt stet extra claustrum, nisi dimisso habitu, non est ita certum.*

4 *Regulari si etiam sine iusta causa Pontifex beneficium sæculare confert ex certa scientia, tenet collatio, iustius autem illud in commendam concederet ei, cui ob iustam causam fecisset facultatem in habitu sæculari ad tempus extra monasterium manendi.*

## CONSILIVM LXXI.

QVidam religiosus prædicator, & doctus, quadraginta annorum, matrem habens, quæ quondam fuit ditissima, nunc pauperrima cum aliis multis, absque verbo Dei, & missa, non potest eam sustentare, nec est qui calleat linguam eius regionis ad prædicandum. Quæritur, an bona conscientia possit petere dispensationem, vt ibi maneat, & doceat in habitu tantùm clericali: nam id si fiat, non deerit quidam Episcopus, qui motus misericordia ei promittit quædam beneficia.

1 Respondeo primò, quod prædictus Dominus consulẽs iustam habet causam, ob quam Papa possit facere ipsi facultatem manendi extra monasterium in d. regione. Primo, ob necessitatem, quam mater sua olim multum diues, & nunc valde paupet patitur, argumento ca. *consideranda*,[a] vbi Ambrosius plurimum commẽdat opitulationem, quæ fit nobili, & seni, præsertim ei, qui diuitias sine culpa perdidit, qualis est mater eius prædicta. Secundo ob vtilitatẽ magnã, quam faceret vita, & verbo, prędicando illis lingua sibi nota: ob quam secundam causam non solùm est ipse licentia donandus, sed etiam rogandus, vt velit id facere, argumento c. *inter cætera*, [b] ibi, *Pabulũ verbi Dei, populo Christiano quàm maximè necessarium: quia sicut corpus materiali cibo, ita anima spirituali nutritur.*

Secundò, quòd sentẽtia est D. Thomę communiter recepta,[c] quòd religiosus ob necessitatem patris, vel matris iustè potest exire monasterium de licẽtia Superiorum, ad subueniendum ei, si potest id facere: quam licentiam non solùm Papam, sed etiam Generalem, vel Prouincialem suũ dare posse, etiam nos nuper scripsimus in com.3. de reg. declarando cap. *nullam*,[d] & antea in Man. conf.[e]

3 Tertiò, quòd, vt,[f] diximus, præfata licentia non est dãda deposcenti ad manendum relicto habitu, sed tãtùm eo retento, nisi quando præfata subuentio fieri non potest eo retento. An autem iustè dici posset non posse fieri subuentionem sine dimissione habitus, eo quòd prælati ordinis nolunt consentire, vt illa fiat retento habitu, quæstio noua videtur, & digna decisione.

4 Quartò, quòd, vt certum est, Papam posse iustè cõferre beneficium simplex religioso iusta de causa, immo quòd collatio facta sine illa, licet esset iniusta, teneret, [g] cùm id iure humano, cui Papa nõ sub est, saltem quo ad vim coactiuam, sit prohibitum, ita non est etiam incertum, S.D.N. difficilè id facturum, nisi S. Sanctitas sibi persuaserit, iustũ esse facere consulenti facultatem manendi, & prædicandi in locis prædictis prædicatoribus suæ linguæ destitutis, relicto habitu ordinis cum habitu clericali. Si enim hoc sibi persuaserit, satis poterit flectere animum ad conferendum beneficium clericale clericaliter viuenti, saltem in commendam, donec necessitas subueniendi duraret.

a 86. dist.
b De officio ordinar.
c In 2.2. qu. 101. art. 4.
d 18. q. 2. nu. 48.
e Ca. 14. nu. 14.
f In d. num. 48.
g Arg. c. cuncta per mundũ. 9. qu. 3. c. proposuit. de concess. preb.

### SVMMARIVM.

1 *Regulari, vt stet extra monasterium retento habitu, ad subueniẽdum matris & sororis grandi necessitati, etiam si non sit extrema, & superueniret post professionẽ, licẽtiam dat Generalis, & Prouincialis: at vt dimittat habitum, solus Pontifex concedere potest, nu.2 & hoc ex iusta causa, quæ iudicis arbitrio relinquitur, potestq́; ex multis simul collectis deduci nu.3.*

4 *Congregatio Concilij Tridentini non habet facultatem dandi licentiam manendi extra monasterium, & quatenus haberet, nõ tamen censeretur posse concedere, vt maneat dimisso habitu.*

## CONSILIVM LXXII.

N. Regularis habens matrem & sororẽ nubilem pauperrimas, impetrauit à suo Prouinciali licentiam manendi extra monasterium habitu relicto, vt eisdem opitulari posset, & sic in habitu clericali aliquot annos transegit: nunc ad obtinendum confirmationem, vel nouã prouisionem prædictæ gratiæ venit ad Vrbem, super qua in sacra Concilij Tridentini Congregatione supplicationẽ porrexit. Quæritur quid iuris.

1 Respondetur primò, præfatum Dominum consulentẽ iustam habuisse causam, ob quã suus Prouincialis potuisset ei dare licẽtiam manendi extra claustrum ad subueniẽdum matri & sorori pauperibus: quia, vt post vtrumque Thomam,[a] diximus in nostro Man. confess.[b] & in com.3. de reg.[c] & sequenti, necessitas nõ solùm extrema, sed grãdis, non solùm præcedens, sed etiam superueniens parẽtibus filiorum religiosorum, etiam post professionem eorũ, est iusta causa, vt superiores possint dare ipsis licentiam manendi extra monasterium causa eis subueniendi.

2 Secundo, quod præfatus Prouincialis peccauit, faciendo præfato consulenti facultatem manendi extra monasterium absque habitu regulari: quia solus Papa potest illam facere, vt diximus in præfato cap. *nullam*,[d] & probatur in cap.2.[e] & satis in cap. *sanctimonialis*,[f] & cap. *clerici*,[g] quatenus habet, religiosum etiam factum Episcopum debere sui ordinis habitum gestare.

Tertiò, quòd, quia ægrè ad difficulter dispensat Papa, vt religiosus maneat ob hanc causam foris absque habitu regulari, & Prælati inferiores ægrè sustinent, & patiuntur, vt huiusmodi religiosi remaneant foris habitu retento, frequenter aliqui religiosi non fruuntur præfata facultate, qua vt frui possint, quid facere debeant, admonuimus vbi supra.[h]

3 Quartò, quòd omnes causæ, quas Dominus consulens allegat pro iusta causa faciendi sibi facultatem manendi extra monasterium, videntur efficere vnam sufficiẽtem ad illam concedendam. Tum quia prædicta vtriusque Tho. opinio videtur communiter recepta. Tum quia, quando aliquid in genere determinatur, eius specificatio relinquitur arbitrio iudicis, [i] & prædictæ omnes causæ videntur arbitrio boni & prudentis iudicis efficere vnam iustã causam præfatæ facultatis consequendæ.

4 Quintò, quòd Illustrissima Illustrissimorũ Cõgregatio declarationi dubiorum Concilij Tridentini deputata habeat facultatem dispensandi in hoc casu, nullo iure cõmuni probari videtur, nec iure particulari, quòd ego sciã, cùm aliud sit dubia Cõcilij declarare, aliud cõtra Concilia & canones dispensare, & à separatis nõ fit illatio. [k] Quin etiam arbitror præfatam Excellentissimam Congregationem non posse ob prædictam causam concedere facultatem manendi foris absque habitu regulari, etiamsi haberet potestatem faciendi facultatem ob prædictam causam manendi foris, vt habent Generales, & Prouinciales ordinum suorum. Salua. &c.

a In 2.2. quæ. 101. art. 4.
b Ca. 14. nu. 14.
c Super c. nullam. 18. qu. 2. num. 48.
d Nu. 49.
e Ne clerici vel monachi, li. 6.
f 23 dist.
g 2. de vita & hone. cler.
h Nu. 49.
i L. 1. ff. de iure delib. c. de causis. de offic. deleg. cũ vtrobiq; not.
k Ca. ad audientiam. de decim.

### SVMMARIVM.

1 *Regularem etsi Prælatus possit ob delicta per suam diffinitiuam sententiam habitu spoliatum ita ab ordine eiicere, vt possit sub Episcopo in habitu clericali viuere, hoc tamen per suam dispensationem, etiam ob infirmitatis, vel parentum paupertatis causam, concedere non potest.*

2 *Regulari, vt propter infirmitatem, vel parentum paupertatem extra claustrum, retento tamen habitu, & obedientia regulari, stet, concedere potest eius Prælatus.*

## CONSILIVM LXXIII.

QVæritur, vtrum qui propter ægritudinem impetrauit licentiam à Priore Generali ordinis sancti Augustini manendi extra claustra vnà cùm absolutione à voto, possit in habitu clericali decenti sub obediẽtia ordinarij Missas, & alia diuina celebrare, & de bonis licitè acquirendis disponere.

1 Respondeo quòd non. Tum quia nullus inferior Papa potest facere facultatem religioso, vt dimittat suum habitum, & dimisso illo assumat clericalem, vel alium, & viuat sub obedientia ordinarij. Tum quia nullus Prælatus inferior Papa potest absoluere religiosum ab obedientia sui ordinis, nisi declarando per suam sententiam eum nõ esse

profes

professum, vel priuãdo per eam propter sua delicta, & eiiciendo eum ab ordine.

2 Tum quia propter ægritudinem quamlibet incurabilem superuenientem monacho post professionem nõ debet eiici monachus ab ordine, & obedientia eius, sed debet eum curare suis impensis, & quàm optimo modo dispensare posset cum eo id volente, vt retento habitu maneret in aliquo loco honesto, sub obedientia tamen ordinis, vt succurretur ei impensis cognatorum suorum, vel aliorum, qui vellent eius curationi subuenire, & eius infirmitati opem ferre. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Clausura regularibus indicta est solo iure humano, potestq; Prælatus facere licentiam suo subdito, vt retento habitu extra monasterium, sub obedientia tamen regulari moretur, & hoc nedum ex causa subueniendi parentibus. nu. 2. sed vt stet obses pro monasterio, vel inseruiat Episcopo pro Vicario & cubiculario. nu. 3. & pro quacumque alia legitima causa, donec ea subest. nume. 4. & 5.*

3 *Regularis potest dari obses pro monasterio.*

## CONSILIVM LXXIIII.

FRater quidam S. Francisci regularis Obseruantiæ professus, cum esset inquietus, & insolens, faceretque aliqua crimina, & delicta, propter quę fuit à Superiorib⁹ suis incarceratus, & detentus, qui cum de ipso carcere euasisset, & ita apostata per aliquod tempus extitisset, Romã venit, ac per S. Inquisitionis officium incarceratus propter aliqua delicta, & tandem conuictus, fuit ad triremes cõdemnatus: & cum in ipsis existeret, à Turcis captiuus ductus fuit, vbi pessimam captiuitatẽ per annos nouem sustinuit: de qua exiens, cùm nollet ad religionem redire, iterũ per dictum officium S. Inquisitionis in ciuitate Valentina fuit incarceratus, & postremo ad triremes per aliquot annos condemnatus. quibus transactis, pœnitentiáque completa, in libertatem deuenit: consulénsque sibi quo modo magis Deo placere posset, timensque fratrum consortium, & cõmunicationem, ne aliquando aliquis ob prędictas incarcerationes & condemnationes ipsum improperaret, aut cõtumeliis afficeret, cùm sit nobilis genere, cupit vitam & statum sibi assignari, vt melius securiúsque sublata occasione Deo inseruire possit. Quapropter desiderat sibi licentiam & facultatem impartiri, vt eodem habitu retento possit vitam eremiticam regulariter agere, vel in aliquo hospitali, vel Ecclesia, præstita per eum obediẽtia loci, vbi fuerit, ordinario, siue Reuerendiss. suo tantummodo Generali. Quæritur, vtrum attentis supradictis possit in conscientia prædictus Reuerendissimus Generalis prædictam licentiam & facultatem concedere. Additur præterea in facto, prædictum consulentem esse genere valdè illustrissimo, & ingenio valdè iracundo, & ad retaleandum propenso, manúque promptum: & quia verisimile est, multos fratres in multis locis multorum conuentuum, eidem, si moretur in eis, frequenter apostasiam prædictam cum damnationis remigio, & infamia seruitutis prædictæ exprobraturos, & quod ipse eiusmodi opprobria non æquo animo laturus, sed per se, aut per cognatos & amicos retaleaturus, & excitaturus noua scandala, & tumultus, ob quæ denuo opportebit eum damnari, & cum opprobrio suæ gentis & ordinis ad easdem triremes remitti. Additur item, quamdam affinem eius valdè illustrissimam ædificasse monasterium discalceatarum, cui gratissimum esset, vt prædictus consulens seruiret eis pro sua eruditione, facundia, & arte dicendi, concionando tam eis, quàm aliis, cum decore generis sui, & decore ac commodo ordinis sui. Additur & tertio, multos proceres cognatos, & affines consulentis esse valde addictos & deuotos ordini suo prædicto Minorum, & probabiliter animos suos ab eo aliqua ex parte alienaturos, si viderint Prælatos eius nolle misereri consulentis tamdiu & diuersè afflicti, sed velle ipsum duplici contritione conterere, contra [a] Naum Prophetam, & cap. *quid ergo*. [b]

1 Pro parte negante huius quæstionis faciunt primò illa tria argumenta, quæ formauimus nos in nostro com. 4. de reg. [c] ad probandum clausuram religiosorum esse iure naturali vel diuino iussam: & consequenter à nullo humano superiore posse illam vlli religioso relaxari.

Secundò, quòd nullus Prælatus inferior Papa potest contra legem Ecclesiæ, etiam humanam, dispensare, nisi in casibus expressis, eo quod inferior non potest legem superioris tollere, vel arctare, [a] & ita communiter resoluitur in capit. *at si clerici*, [b] at constat clausuram prædictam, etsi non lege Dei lege tamen vniuersalis Ecclesiæ esse inductam, [c] & nullo iure videtur caueri, vt Prælatus ordinis Minorum possit dispensare circa prædictam clausurã tam latè, ac in quæstione proponitur: ergo, &c.

Non obstantibus tamen prædictis pars affirmatiua videtur verior: Primò quidem per omnia illa, quibus in prędicto cap. *statuimus*, [d] satis perspicuè probauimus iure humano, & non naturali, vel diuino clausuram religiosis esse indictam.

2 Secundo, quod S. Thomas, [e] communiter receptus, & à nobis relatus in cap. *nullam*, [f] definit, quod Prælatus potest dispensare cum monacho, vt maneat extra claustrum, habitu suo retento, ad subueniendum parentibus, qui in illius subuentionis necessitatem etiam post professionem inciderunt.

3 Tertio, quod etiam pro debito monasterij monachi possunt in obsides dari. [g]

Quartò, quòd religiosus potest esse vicarius Episcopi de consensu Prælati secundum Cardinalem receptum, [h] & Rota, quam nos citauimus in cap. *non dicatis*, [i] potest itẽ esse cubicularius Episcopi, vt diximus in cap. *statuimus*, [k] iuxta Panormitanum, [l] per cap. *cum pastoris*. [m] Procurator item patroni, amici, vel principis, vnde vtilitas saltem latens redundaret in monasterium, secundum Innocentium receptum. [n]

4 Quintò, quòd Prælati ordinum possunt ex iusta causa eiicere ab ordine suo religiosos suos, etiam priuando eos habitu, vt in regulis B. Augustini, & B. Benedicti exprimitur, & probauimus nos in commentario cap. *non dicatis*, [o] contra Cardinalem. [p]

5 Sextò, quòd eadem ratione, qua potest hæc facere, poterit etiam alia de iusta causa dare religioso suo facultatẽ manendi extra monasterium, illa causa durãte: ratio enim, cur in præcedentibus casibus potest Prælatus concedere facultatem manendi foris, est, quod iusta id causa exposcit in illis.

Septimo faciunt illa verba Augustini relata in cap. *prodest*, [q] *siue plectendo, siue ignoscendo, hoc solùm benè agitur, vt vita hominum corrigatur*. & candido animo perpensis omnibus, quæ in hoc argumento deducuntur, optimus modus corrigendi vitam prædicti consulentis videtur esse is, qui in sua petitione continetur. Tum quia per illum ouis errans ad suas caulas reducitur. Tum quia ordinis Minorum decori consulitur. Tum quia splendor generis consulentis non contemnitur, & commoda, quæ à suæ gentis proceribus in ipsum ordinem manare solent, conseruantur, & augentur. Tum quia generosum ingenium, quod ægrè terroribus & pœnis flectitur, sæpè caritate atque beneficentia ad virtutem trahitur, & in officio sancto continetur.

Non obstant pro parte negante citata. Non primum: quia in primo argumento pro parte affirmante adducto, citatur locus, vbi perspicuè probatur clausuram monachalem non esse iure naturæ, neque diuino inductam.

Non etiam obstat secundum: quia in aliis argumentis probatur, posse Prælatum iusta de causa facere religioso facultatem manendi extra claustra: & in casu proposito, si omnes circumstantiæ in eo tactæ satis perpendantur, non tantùm vna, sed multæ apparebunt causæ concedendi facultatem manendi honestè in locis honestis, meditando, & faciẽdo honesta extra monasteria aliquo modo in quęstione proposita, Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Apostatis à religione quomodo consulendum, & numero 2. & quid ipsi facere debeant, ad hoc vt obediant mandato eis facto, vt prius requirant, an possint beneuolos receptores reperire. nu. 3.*

4 *Receptores beneuoli intelliguntur ij, qui possunt recipere & incorporare religioni.*

Marginal notes (left column):

a *Cap. 1.*
b *23. qu. 5. & ca. ea vindicta ead. causa q. 4.*
c *Super c. statuimus. 19. q. 3. à num. 29.*

Marginal notes (right column):

a *Arg. ca. inferior. 21. dist. & c. cũ inferior. de maior. & obedi.*
b *§. de adult. de iudic.*
c *Ca. placuit. ca. monachi. 2. 16. q. 1.*
d *Et prædicto. nu. 29.*
e *In 2. 2. qu. 1[..] art. 4.*
f *18. q. 2. nu. 48.*
g *Ca. ex rescript. de iureiur.*
h *In clem. 2. de rescrip. q. 16.*
i *Nu. vlt. 12. q. 1.*
k *19. q. 3. nu. 15.*
l *In ca. quanto. de offic. ordin. nu. 1.*
m *2. q. 7.*
n *In cap. cum I. & A. de re iudic.*
o *12. q. 1. nu. 65.*
p *In cle, ne in agro. §. quia vero. de stat. monach.*
q *23. q. 5.*

## CONSILIVM LXXV.

1 NEmo negare potest, apostatas, qui sui sacri ordinis habitu relicto vagantur, dignos esse regulariter vituperio, indignósque auxilio. Tum quia manum ad aratrũ missam contra consilium euangelicum, [a] retrahunt. Tum quia multa addunt, & omittunt digna, quæ durè castigarentur, cùm cæteris paribus omnia in eis peccata sint aliquantò maiora, etiamsi ob solam circumstantiam religionis non fiant semper mortifera, quæ absque illa solùm sunt venialia, secundum S. Thomam receptum, [b] ob quæ & alia multi nullo eos alio remedio iuuandos putent, quàm vt redeant in monasteria, vnde exierunt, pœnas omnes quantumlibet graues eis paratas subituri: & quòd, si redire noluerint, vel redeuntes non recipiãtur ab eis, nulla præterea de illis cura habeatur, immo tamquam perditę & derelictæ oues relinquantur à dæmonibus vt plurimũ deuorandi.

a Lucæ 9.

b In 2. 2. qu. 188. art. 9.

2 Nos autem illis assentimur, qui putant, primum, eos qua parte fieri potest, tum blandiendo, tum terrendo inducendos esse, vt ad idem aratrum, in quod manum miserant, redeant, & ita pareant, vt contumacia & inobediẽtia, quibus vsi sunt, in duplicatam obedientiam & reuerentiam commutentur. Deinde, quod si ad id non potuerint induci, audiantur, ex quibus impediuntur, & iuxta illarum varietatem eis prouideatur: aliis quidem facta facultate trãseundi ad alia eiusdem ordinis monasteria, aliis ad alias eiusdem ordinis prouincias, aliis ad alios ordines ęquales, aliis etiam ad laxiores, cum clausula tamen, vt in claustro more aliorum indigenarum perpetuo viuant: aliis, vt præstito obedientiæ voto aliquibus alicuius ordinis Prælatis etiam non mendicantis, & Superioribus eorum, qui recipiant onus reddendi de illis rationem Deo, possint manere extra claustrum sub cura & regimine ipsorum, & Superiorum eorum, quibus, sublatis primis, exhibebunt & indicabunt se esse obedientiarios ipsorum, resideréque in tali oppido, vel loco, parati sibi in omnibus licitis & honestis, de more probatorum religiosorum, parere. Postea vero si non inueniunt prælatum, qui sui ordinis habitum eis tradere, & onus prædictum reddendi de illis rationem suscipere velit, deligant episcopatum aliquem, cuius Episcopo præstita obedientia in suo episcopatu sub eius cura, vota paupertatis, & castitatis solemnia in habitu clericali honesto, de more aliorum eiusdem ordinis probatorum obseruent, impensis Episcopi, vel de quæsitis per se honestè, facta eis facultate, vt ea in suos honestos vsus cõuertere possint. Hæc omnia fundantur in eis, quæ scripsimus in com. 4. de reg. [c] vbi postquam nixi fuimus probare ob multas causas esse miserendum fratrum Conuentualium nuper à suis sedibus in Hispaniis deiectorum, laudando remedium pręstitutum ab Illustrissimis Cardinalibus in id deputatis, monstrauimus nõ esse illud sufficiens, nu. 16. in hęc verba.

c Super e. statuimus. à nu. 13.

3 *Quæritur, an prædictum remedium prædictis fratribus Minoribus Conuentualibus à S. D. N. & ab Illustrissimis, ac pientissimis Cardinalibus in id deputatis tantæ multitudini plenè satisfaciat.*

*Ad quod respondeo primò, illud esse quidem prouidum, iuri consonum, & magnum magnæ religionis decernentium argumentum, non tamen plenè videri ei satisfacere. Tum per proximè dicta. Tum quia nulli, vel certè paucissimi satis æquo animo transeunt ad alios ordines, alios habitus religiosos induturi: partim quòd parũ vmquã fuerunt eis benè affecti: partim quod credũt multa opprobria & cõuitia in illis se passuros: & vt Nicolaus Papa loquens de monastica vita ait, [d] quod quis non eligit, nec optat, profecto non diligit, quod autem non diligit, facilè contemnit. Tum quia feruntur plures quã mille: & palam est non posse omnes illos inuenire tot beneuolos receptores ad alendos eos perpetuo in claustra, neque apud Mendicãtes, neque apud non Mendicantes. Adeo quidem, vt acceperint à fide dignis, & prudentibus, vix inuenturos quadraginta huiusmodi beneuolos receptores in Hispania cum onere perpetuo tenendi & alẽdi eos in claustro. Tum quia paucissimi, aut nulli eorum quærunt apud omnes non Mendicantes, sed solum apud tres ordines iure communi prædicto expressos. Tum quia etiam apud illos tres pauci exacta diligentia, quæ eis præcipitur, quærunt, nec adeo candido & vero animo, ac opus esse, & requiri supra dicitur: & ita accipiunt ansam, vt ante exactam diligentiam quærendi eos apud Mendicantes, quærant apud non Mendicantes, contra verba & mentem S. D. N. & sic de remedio & medicina faciunt venenum & exitium. Tum quia vix vlli beneuoli receptores non Mendicantes retinebunt eos perpetuo in claustro, vt vernaculos, eo quòd quærent, & vtinam nõ fingant causas, & occasiones emittendi eos extra claustra. Tum quia vix poterunt ipsi æquo & placido animo in eorum claustris perpetuo manere, priuati contentis in Clementina 1. [a] quæ priuat eos voce actiua, & passiua, & capacitate beneficij, & officij cuiuslibet, etiã Vicarij, & Vicesgerentis: adeo quod ibi ait glossa, [b] quod non possunt esse Sacristæ, Camerarij, Castaldi, & Oeconomi, & cætera, nec prædicare. Quis autem eruditus, & benè moratus, quales sunt plurimi eorum (feruntur enim esse circiter centum in sacra Theologia Doctores, & egregij prædicatores) ferre possit perpetuò conuiuere multis iuuenibus indoctis, & fortassis parum benè moratis præeuntibus eum voce, officiis, beneficiis, prædicatione, & aliis præeminentiis? iudicet is, qui ex se cognoscit, quæ sũt proximi sui, [c] & illud adagium glos. [d] Etiam asinus intumescit, cùm per comparem apprehenditur.* Hæc ibi, & paulo prius num. 14. monuimus vsuros remedio prędicto Illustrissimo Cardinalium, in hæc verba.

d In ca. præsens. 20. qu. 3.

a De regula.

b In verbo officia.

4 *Quod prælati ordinum, ad quos transeunt, non possunt eos recipere sine suorum Conuentuum consensu, plusquam alios nouitios, quos secundum communem rationem & consuetudinem receptam de consensu Cõuentuum suorum recipiunt, vt dixi in cap. nullam. [e] Quia verba illa, Beneuolos receptores, referuntur ad potentes recipere, & incorporare ordini. Vnde nõ sufficit præstare obediẽtiam soli Prælato, vt ante Concilium prædictum solebat fieri. sed oportet, vt de cõsensu totius conuentus, vel maioris partis, recipiantur, vbi nouitij sic solent recipi, cùm ad valorem actus nõ sufficiat voluntas sine potestate, sicut nec potestas absque voluntate.* [f]

c Ecclesi. 31.

d In l. 1. §. veteris. ff de acquiren. possess.

e 18. q. 2.

f Ca. cũ causa. cum gloss. & ei annota. de offi. deleg.

### SVMMARIVM.

*Habitum religionis eiectus taliter quod ius repetẽdi monasterium illi nõ competat, gestare nõ tenetur, immo nõ potest: at qui exiuit, & cui ius illud repetẽdi competit, licet nõ recipiatur, etiámque quod monasterium esset destructum, nõ potest etiam de licẽtia sui Superioris nõ portare. & hoc, etiam dato, quod ex nõ gestatione nullum, & ex gestatione aliquod nasceretur scãdalum nu. 3. & si quis ob dictas causas bona fide crederet id sibi licere, posset, à peccato mortali excusari: qui tamẽ Romæ moratur, deberet ad plenam tranquillitatem animi sui à Papa petere verbalem saltem licentiam. nu 3. & 4.*

2 *Habitum nõ alienæ, sed propriæ religionis palam deferre tenetur professus, nisi eum iusta excuset causa.*

## CONSILIVM LXXVI.

VOlens Pontifex, vt monasteriũ S. Mariæ desolatum per moniales inhabitaretur, ad illud transtulit Abbatissam cum D. C. & nonnullis aliis monialibus cum potestate accipiendi nouitias: sed intra biẽnium omnibus aliis ob aëris intemperiem mortuis, dicta C. ad mortem ægrota, recepta à primo monasterio parte suæ dotis, ad propinquos se recepit, & recuperata sanitate, iussũ ordinarij tamquam gubernatrix accessit ad duo alia monasteria: quibus destructis, cum ad primum omnino derelictum & pestilẽs redire non auderet, petiit se in primo recipi, & reiecta à Vicario Vrbis hoc ore tenus accepit responsum, vt staret extra eũ meliori modo, quo posset, vnde ipsa ad euitandũ scandalum, à se ipsa dimisso habitu propij ordinis, accepit habitum religiosum in genere. Dubitatũ fuit, an esset tua in conscientia.

1 Pro parte affirmante facit, quòd eiectus ab ordine non videtur teneri ad deferendum illum.

Pro parte verò negante facit, quòd alia ratio videtur de eiecto, qui non habet ius petẽdi, vt recipiatur in monasterium, alia de exeunte cum licentia, & habente ius petendi, vt recipiatur: & præfata consulens non est eiecta, sed honesta de causa, & de iusta Superioris licentia in alium locum ad pium opus missa.

Secũdo, quod præfatus D. consulens eruditè allegat omnia substantialia, quę pro pręfata domina allegari posse videntur meritò, licet pro sua modestia noluit asserere omnino partem, quam fulsit, esse veram. Tum quia regula generalis habet religiosum habitũ suum relinquentem esse ipso iure excommunicatum. [g] Tum quia licet eiectus

g Capit. 2. ne cler. vel monach. li. 6.

ab or

ab ordine nō teneatur deferre habitum illius, immo iustè non poſsit, non tamen vllibi reperio ſcriptum, quòd deſtructo monaſterio, vel nolente monachum ſuum recipere, ipſe poſsit ſuum habitum relinquere auctoritate propria, neque (vt puto) auctoritate Superioris ſui, inferioris tamen Papa.

2 Tertio, quod non videtur excuſanda ſaltem in foro exteriori à geſtatione habitus ordinis S. Benedicti, eo quòd deferat alium, per quem ſignificatur, quòd ſit religioſa, quia religioſus tenetur deferre ſpecialem habitum ſuæ religionis, & patentem, niſi iuſta quæpiam cauſa eum excuſet, per ea quæ dominus Conſultor citat.

3 Quarto, quod dubitari poſſet, an iuſta cauſa id faciendi conſtari poſsit, partim eo quòd noluerit recipere illam præfatum monaſterium D. Ambroſij, partim quod Illuſtriſsimus Vicarius ſuper hoc ei nō prouidit, partim quòd tanto tempore ita inceſsit, partim quòd nullum ex hoc generatur ſcandalum, & ex contrario aliquod naſceretur: & quidem certum eſt ex his conſtari iuſtam cauſam diſpēſandi, & forte etiam quo ad hoc vt ipſa non peccet, ſaltem mortiferè, bona fide geſtando illum, per illud Innocentij, [a] quòd transgrediens ius humanum bona fide per errorem eius non bene intellecti non peccat mortiferè, quod commendauit Baldus. [b] & Felinus, [c] quibus ſoleo addere D. Thomam & expreſsius Caietanum, [d] vt eſt videre in Manuali confeſſ. [e]

4 Quinto, quod cum ipſa degat Romæ, vbi eſt præſentia ſummi Chriſti Vicarij, deberet ad plenam ſui animi tranquillitatem impetrare à Papa, vel verbalem diſpenſationem, quam S. Sanctitas facile concedet, &c.

a *In cap. per tuas 2. de ſimon.* b *In le. ab eo. C. quomodo & quando iud.* c *In ca. 1. fall. 7. de re iud.* d *In 2. 2. qu. 47. art. 9.* e *Prælud. 9. nu. 8. & melius capit. 23. num. 42.*

SVMMARIVM.

1 *Habitu & ordine ſuum ſubditum regularem ob delicta & incorrigibilitatem priuare poteſt Prælatus, eiecto autem, vt aliam ingrediatur religionem, iubere non poteſt. num. 2.*

2 *Iudex nec extra locum ſui territorij iudicare, nec in loco exempto præcipere quid poteſt, nec aliquid iubere pro tempore, quo non erit iudex.*

2 *Inhabili tempore aliquid diſponere, vel illud conferre in tempus quo erit inhabilis, paria.*

2 *Clericus à iudice laico citatus, comparere non tenetur, niſi dubium ſit, an ſit clericus.*

3 *Eiectus ab ordine regularis tenetur ſe præſentare ordinario, ſed Prælatus eijciens, id ei præcipere non poteſt.*

## CONSILIVM LXXVII.

Quæritur primo, an Prouincialis fratrum Auguſtinianorum poſsit regularem ſuum ſubditum, propter delicta, etiam incorrigibilitatem, priuare habitu, & ordine.

Secundò, an poſsit abiicere ab eis perpetuò.

Tertiò, an poſsit iubere illi, vt ingrediatur aliam religionem ſtrictiorem intra ſex menſes.

Quarto, an poſsit iubere, quòd, ſi non inueniet receptores, præſentet ſe coram ordinario, ſub quo victurus eſt.

1 AD PRIMAM præfatarum quæſtionum reſpondetur breuiter, quod ſic, per ea quæ ſcribimus in comm. 2. de regul. [f] & in comment. 3. ſuper cap. *nullam.* [g]

AD SECVNDAM reſpondetur etiam quod ſic.

2 AD TERTIAM, quod non: quia regulariter iudici extra territorium iudicanti non eſt parendum. [h] Vnde clericus citatus à iudice laico non tenetur coram eo comparere, niſi ſit dubium, an ſit clericus, iuxta gloſſam receptam, [i] & iudici ordinario non paretur in loco exempto, vt tradit Decius cum citatis ab eo, [k] & quod, ſicut iudex nō poteſt iudicare extra territorium & locum, vbi habet iuriſdictionem, ita nō poteſt extra tempus, intra quod habet illam, quia valet argumentum de loco ad tempus. [l] Cum ergo Prouincialis habeat iuriſdictionem in ſuum religioſum, quāto tempore ſibi ſubditur, & non vltra, iuſſum eius obligat illum, quanto tempore ſubditur illi. At, ſimul ac priuatur habitu, deſinit eſſe ei ſubditus: ergo non poteſt illo tempore illum obligare. Tum quia paria ſunt, facere aliquid tempore prohibito, vel in tempus prohibitum: nam, ſicut donatio coniugis facta coniugi tempore, quo eſt coniux, non valet, ita donatio ſponſi, pro tempore, quo eſt futura coniux, non valet, [m] & vt inſtitutio, qua incapax hæres inſtituitur, non valet, ita nec inſtitutio alicuius capacis, pro tempore quo erit incapax, non valet. [a]

f *Super c. non dicatis. 12. q. 1. nu. 36.* g *18. q. 2. nu. 52.* h *Le. fin. ff. de iuriſd. omn. iud. & ca. 2. de conſtit. l. 6.* i *In cap. conuenior. verb. congrueret. 23. q. 8.* k *In d. le. fin. nu 2.* l *L. vinum. ff. ſi cert. pet.* m *L. ſponſus ſponſæ. ff. de donat. inter virum & vxor.*

3 AD QVARTAM reſpondetur, quòd illud præceptum valebit, quatenus eſt præceptum canonis, & Papæ, iubentium, vt regularis eiectus ab habitu & ordine regulari, ſubiaceat Epiſcopo ſuo in habitu clericali, per notata in cap. fin. [b] non tamen valeret, quatenus eſt præceptum Prouincialis, & Superioris, ferentis ſententiam depoſitionis ab habitu regulari, & ordine, per prædicta, & ea, quæ poſuimus in comment. 2. de regul. [c] Salua, &c.

*Pro his quæ tradit auctor hoc cōſilio 77. & 78. 79. ac 80. Aduerte prudēs confeſsionū auditor, ne hæc indulgentior Nauarri doctrina, quæ ex compaßione, qua infirmioribus pœnitentibus afficiebatur, proceßiſſe videtur, alicui in occaſionē ſibi nimiū blandiēdi exiſtat. Nam cum, vt ipſemet ex vtroque Thomâ ait, [d] regularis ille ſit in ſtatu peccati mortalis, qui animum tendendi ad perfectionem ſecundum regulam non habet, vtique probabilior circa prædicta videtur doctrina Soti, qui, [e] concludit, eum, qui ceu incorrigibilis à monaſterio expellitur, tunc demum tutè in ſæculo morari, ſi poſtquam ſeipſum (vt tenetur) correxerit, ad monaſterium rediens, per ipſum non ſteterit, quo minus recipiatur. Sed & alia auctoris concluſio, qua aſſerit, per ſententiam, qua incorrigibilis iuſtè & diffinitiuè eijcitur, adeo omnem obligationem, qua profeſſus religioni tenebatur, extinguere, vt non poßit reuiuiſcere, talémque concluſionem non eſſe contrariam cap. fin. [f] quòd ſolùm quo ad iniuſtè, vel per interlocutoriā eiectos procedit, periculoſa pariter exiſtit: quandoquidem dicta decretalis expreßè loquitur etiam de illis eiectis, qui ſecundum ordinem regularem non poſſunt amplius recipi: qui non poſſunt eſſe alij, quàm iuſtè & diffinitiuè eiecti. Videtur præterea hæc auctoris restrictio ſingularis: ſed & Federicus de Senis, [g] ita habet: Ad hoc vt monachus poßit à clauſtro plene abſolui, neceſſe eſt, vt ad aliud monaſterium, vel ad curam animarum transferatur. Vnde verior videtur ſententia Vberti ſuper regulam S. Auguſtini, [h] quem ſequuta eſt Illuſtrißima, & doctißimorum religioſorum abundantißima religio Prædicatorum, quæ in ſuis conſtitutionibus, [i] in Capitulo generaliter habito Pariſiis, [k] ita habet: Ille autem, qui propter culpam ſuam eijcitur à Prælato, adhuc eſt ſubditus, ſicut ouis morbida, quæ licet expulſa à grege, adhuc eſt paſtoris: vnde talis expulſus non eſt abſolutus ab obedientia Prælati, quouſque tranſierit ad aliquam religionem, & in ea profeſſus fuerit, ſicut ponit Magiſter Vbertus ſuper regulā. Sanctus item Bonauētura ſuper regulam S. Benedicti, [l] agens de illo, qui ſi tertiò receptus, iterum eijcitur, non poteſt amplius recipi, ait: Aduerte quia hæc clauſula refertur ad eiectum, cui adimitur ius implorandi officium iudicis, vt recipiatur, non autem ad Prælatum, cui facultas non tollitur, ſcilicet repetendi. Federicus item, [m] interrogatus quomodo prouidendum eſſet illi, qui ex eo, qùod eiectus ab ordine cum prohibitione delationis habitus, cùm nō poſſet impetrare, vt cum ordinis diſciplina reciperetur, nec aliam religionem volentem eum recipere poſſet inuenire, in habitu ſacerdotali, non tamē omnino religioſo, viuebat in ſæculo, reſpondit, Epiſcopum debere curare, vt in aliqua religione recipiatur, & ſi id non poſſet, vt ipſe eumdem ad profeßionem in genere recipiat, & ei deputet habitum non clerici ſæcularis, ſed potius religioſum ſeu regularem, & det ei aliquē modum viuendi, ita vt etiā ſeruet vota. Ex quibus (licet id quod ait Federicus de profeßione emittenda in manibus Epiſcopi non habentis monaſterium, cui incorporetur, non ſit modo admodum certum) colligitur fore forte magis tutum, vt confeſſarij moneant ſic eiectos, ne prædictis aſſertionibus ita ſuperficialiter adhæreant, de illiſque ſibi blandiantur: ſed ipſis magis proſpiciant, maximè ſtante quodam priuilegio aliàs Minoribus, vt patet in eorum monumentis, [n] conceſſo, quo aliæ religiones ſaltem per viam communicationis gaudent, inhibente ipſis eiectis officium docendi & prædicandi: & quod ipſi ex dicta cauſa eiecti videntur effecti infames, vt notat Lapus, [o] ſciantque quod ſicut tranſlatus nō deſinit eſſe monachus primi monaſterij, niſi poſtquam factus fuerit monachus alterius, vt ſupra, [p] ita nec ipſi donec aliam profiteantur religionem, vel ad parochialem obtineant ſe transferri, deſinunt eſſe monachi primi monaſterij, & fortè etiam alicui nouum videbitur, quod iuſtè eiectus, ſecundum auctorem, [q] qui tamen alibi videtur variare, retineat ius contra monaſterium, & quod monaſterio in eiectum nulla reſeruetur poteſtas. Multa alia poſſent ad hæc adduci, quæ omitto, cùm & hæc admonitionis metas iam excedant.*

a *Le. in tempus. cū ei ad not. ff. de hæred. inſtit.* b *De regula.* c *Super c. nō dicatis. 12. q. 1. nu. 33.* d *In commē. 1. de regu. nu. 10.* e *Li. 7. de iuſt. q. 2. art. 1. ad finem.* f *De regula.* g *Conſ. 134.* h *Cap. 99.* i *Diſt. 1. c. 19.* k *1276.* l *Ca. 29.* m *Conſ. 38.* n *Conceßione 261.* o *Ad dictum conſil. Federici. 38.* p *Conſ. 61. & 64* q *Conſ. 78.*

SVMMARIVM.

1 *Eiectus per diffinitiuam ab ordine deſinit eſſe ſub poteſtate ordinis, num. 2. vnde licentia Prælati ordinis ei non prodeſt, nec nocet quo minus poßit aliam quancumque religionem*

*intrare, vel sub Episcopo in sæculo viuere, nu.1. secus si iniustè vel non diffinitiuè eiectus fuisset: & hi sunt quos Prælati tenentur requirere, & reducere ad monasteria. nu.3.*

3 *Eiectum iustè & diffinitiuè, volentem reuerti, tenetur Prælatus ad formam cap. fin. de regular. recipere, licet si eiectus nolit, non posit cogi, cum obligatio, qua tenebatur religioni, sit extincta. num.2.*

## CONSILIVM LXXVIII.

Generalis N. seruatis seruandis tulit sententiam diffinitiuam priuationis habitus, & expulsionis ab ordine contra B. fratrem suum propter demerita. Quæritur, an d. B. omnino remaneat exemptus à iurisdictione prædicti Generalis, ita vt sine illius licentia posit, vel in sæculo viuere, vel ad aliam transire religionem.

1 Respondetur, quod prædictus Reuerendissimus Generalis nullam iurisdictionem habet super consulentem, quia per sententiam prædictam est exemptus à sua iurisdictione, argumento l. *iudex posteaquam.*[a] & cap. *in literis*,[b] cum adnotatis eis ab aliis ibid. & à nobis in com. 2. super capit. *non dicatis*,[c] & consequenter eius licentia nec prodest, nec obest ei.

2 Secundo, quod prædictus Dominus consulens sine vllius licentia potest & debet manere in habitu clericali subiectus Episcopo suo, per ea, quæ nos scribimus in dict. comment.[d]

Tertio, quod æquè benè potest sine vllius licētia transire ad quamcumque regulam, siue strictiorem, siue æqualem, siue laxiorem, quam posset intrare, si numquam intrasset illam, à qua est iam solutus per præfatam sententiam, per quam extincta est obligatio, qua tenebatur illi regulæ: cum obligatio extincta non posit reuiuiscere, neque impedimentum tollere, vel afferre.[e]

3 Quarto, quod non obstat prædictum cap. vlt.[f] quatenus habet, Prælatos superiores ordinum teneri ad requirendum quotannis fugitiuos, & eiectos, & cogere monasteria ad recipiendum illos, quia loquitur de fugitiuis, & eiectis iniustè, vel inordinatè per sententias interlocutorias, vel sine causæ cognitione latas, vel etiam de iustè & ordinatè eiectis, sed volentibus ad monasteria redire, vt latè respondemus in dict. comment.[g] Salua, &c.

a ff. de re iudic.
b De offic. deleg. & ca. fin. de reg.
c 12. q. 1. nu. 33.
d D. nu. 33.
e L. e. qui res. §. aream. ff. de solut.
f De regula.
g Nu. 36.

### SVMMARIVM.

1 *Regularis eiectus de monasterio licitè potest in habitu clericali viuere sub obedientia Episcopi suæ originis, cui tenetur se præsentare, & cui exceptis necessarijs acquirit, quicquid acquirit, num. 4. estque absolutus à religione, adeo vt non posit ab ea reuocari. num.2. & hæc sunt vera, modo fuerit non per collusionem, sed iustè iurisque ordine seruato per diffinitiuam expulsus. num.1.*

2 *Monachus translatus legitimè ad Ecclesiam parochialem sæcularem liberatur à sua religione, nec etiam si postea illam dimittat, vel ea priuetur, vel deponatur, nu.1. potest reuocari ad claustrum, sed remanebit sub Episcopo. num.2. & num.1.*

## CONSILIVM LXXIX.

An expulsus à monasterio monachus, qui rogās suam receptionem non recipitur, posit manere in habitu sæculari clericali sub Episcopi obedientia?

1 Respondetur, quòd sic, vt rectè consuluit Federicus,[h] addendo idem esse dicendum de monacho translato ad Ecclesiam parochialem, quales sunt multi canonici regulares monasterij sancti Isidori, cuius corpus gloriosum honorificè ibi seruatur, & colitur, qua postea priuatur, vel deponitur.

Cui addo, primum eius dictum intelligendum esse de monacho expulso iuridicè, causa cognita, per sententiam diffinitiuam, vel habentē vim eius, non autem de expulso per iracundiam, vel per collusionem Prælati, & monachi aliqua de causa exitum eius optantis, quod aliquādo fieri audiuimus: quoniam eiusmodi expulsio non valet. Tum quia facta per iracundiam nō debent durare.[i] Tum quia fraus & dolus nemini debent prodesse.[k] Tum quia sententia iuris ordine non seruato non valet.[l]

Secundò addo, quòd monachus eiectus iuridicè, non solùm quādo rogat, vt recipiatur in monasterium, & non recipitur, vt ait Federicus: sed etiam antequam roget, potest remanere in habitu clericali sæculari sub obedientia Episcopi: quia de rigore iuris non tenetur redire ad illud, vt nos latè probamus in comment. 2. de regular.[a]

h Consf. 38.
i Cap. diuortium. de pœnitentia. dist. 1. ca. si quis iratus. 2. q. 3.
k Capi. sedes Apost. de rescrip. capi. 1. de collusione detegenda.
l Cap. ad nostram. il 1. de iureiurān. le. prolatam. C. de sententijs & interlocut. omnium iud.

Tertiò addo, quòd non solum monachus priuatus, sed depositus Ecclesia parochiali, ad quā fuit canonicè translatus, ratione cuius suberat Episcopo, potest, & debet remanere sub obedientia Episcopi, sed etiam si sponte legitimè renunciauit Ecclesiam. Tum quia in vtroque casu est eadem ratio idem ius suadet: quia in vtroque casu est absolutus à sua religione, & in neutro potest reuocari ad claustrum, iuxta glossam singularem,[b] & probatur in cap. *si quis iam translatus.*[c]

3 Quartò addo, quòd nullo iure videtur probari id quod ait Federicus vbi supra, scilicet teneri Episcopum ad assignandum aliquem locum huiusmodi monacho, in quo seruet substantialia suæ regulæ, ad quæ seruanda tenetur, licet ab aliis absoluatur, secundum omnes, sufficit enim, vt maneat, & viuat in aliquo loco honesto inter suos cognatos, vel amicos, vel solitarius.

4 Quintò, quòd huiusmodi monachus tenetur adire Episcopum, & illi significare se esse monachum, & obediētiæ suæ subiectum, & paratum iussis ipsius iustis obedire, vt posit Episcopus curam eius, & vitæ suæ suscipere, & bona, quæ quæsiuit, exceptis necessariis ad viuendum, recipere, vt tradimus in dicto cap. *non dicatis*[d] & rursus in cap. *nullam.*[e]

Sextò addo, quòd huiusmodi monachus remanebit subiectus Episcopo originario, cui ratione natiuitatis subiicitur, vt latè probamus in dict. cap. *non dicatis*,[f] quidquid Federicus vbi supra aliter dicat. Salua, &c.

a Super c. non dicatis. 12. q. 1. nu. 36.
b In clem. 1. §. ad hæc. de statu monacho. in verbo, claustrum.
c 21. qu. 2. & cap. quodam. 16. qu. 2.
d Nu. 35.
e Nu. 46. 18. q. 2.
f Nu. 34.

### SVMMARIVM.

1 *Eiectus iustè tamquam incorrigibilis per diffinitiuam ab ordine, non potest cogi, vt ad ordinem redeat, nec vt ad alium transeat: & si id petijt, sed eius petitio non fuit admissa, ei non nocet. num.2.*

2 *Eiectus diffinitiuè, etiam de voluntate superiorum rediens, fortè non potest sine noua professione recipi, saltem ad effectum, vt sic recuperet pristinum locum & gradum.*

## CONSILIVM LXXX.

N. Professus ordinis S. Dominici fuit expulsus & abiectus à prædicto ordine per Superiores ordinis per sententiam propter incorrigibilitatem, & postea adhibuit diligentias, vt reciperetur à Prædictis Superioribus, & ipsi illum admittere recusarunt.

Quæritur primo, an prædictus N. tutus remanere possit in sæculo sub ordinarij loci obedientia, adeo vt nec posit cogi, vt ad ordinem redeat, nec ad alium se transferre teneatur.

Et licet, vt suprà dictum est, prædictus N. debitas adhibuerit diligentias, vt reciperetur: nihilominus tamen vlterius sciendi gratia? Quæritur secundo, an tenebatur diligentias prædictas facere: quia videtur, quòd per solam expulsionem absque prædictis diligentiis potest tutus in sæculo remanere, cùm per expulsionem prælatus suus illum absoluerit à religione.

1 AD PRIOREM QVÆSTIONEM respondeo, quòd potest prædictus N. remanere tutus extra suum ordinem & monasterium: ita quòd si nolit redire, non posit cogi ad redeundum à confessario in foro interiori, nec ab vllo iudice in foro exteriori, vt nos latius quam alij determinauimus disputando quæstionem pro vtraque parte in com. de reg. super cap. *non dicatis.*[g] Quod autem minus posit cogi ad se trāsferendum ad aliam religionem, ea ratione irrefragabili probatur, quòd nemo potest cogi ad crescendum per ascensum ad religionem, quā non est professus, textus cum glossa, vt est in ca. *gesta*,[h] & quod nemo potest cogi ad virginitatem & castitatem, quam non vouit, seruandam, cap. *integritas*,[i] & translatio ad alium ordinem, vel religionem, non potest fieri sine noua professione secundum omnes.

2 AD POSTERIOREM QVÆSTIOMEM respondetur, quòd eiectus ab ordine per sententiam cum causæ cognitione latam non tenetur requirere, neque rogare Superiores, vt eam velint recipere. Tum quia id nullo iure cauetur, & ita non est asserēdum.[k] Tum quia sententia per lapsum decendij transit in rem iudicatam,[l] & res

g 12. qua. 1. à nu. 33.
h 74. dist.
i 32. q. 1.
k Cap. legatur. 24. qu. 2. & §. considereremus. in authē. de trien. & semiss. collat. 3.
l Authē. hodie. C. de appel. & c. cum sit Romana. eod. titu. cum eis adnotatis.

res iudicata pro veritate habetur, [a] & contra rem iudicatam nulla partium auditur per viam iustitiæ.[b] Tum quia, vt ad priorem quęstionem respondi, nullatenus ipse compelli potest redire ad ordinem, si non vult: quamuis illa rogatio & requisitio nihil nocet ei, si non fuit acceptata à Superioribus, licet prosit ad augendá bonam opinionem de animo eius erga religionem. Quin etiam forte addi posset non posse ipsum redire ad suum ordinem ita, vt sine noua professione, etiam de consensu Superiorum, recipiatur saltē ad eum locum, & gradum, in quo ante sententiá erat: quod tamen, quia nouè occurrit in Pœnitētiaria, neque approbo, neque reprobo. Salua saniori sentētia.

a L. res iudicata. ff. de regul. iur.
b Ca. cū Bertoldus. de sen ten. & re iud.

*SVMMARIVM.*

1 *Donatio facta ab ingressura monasterium, etsi poßit defendi quod non comprehendatur sub verbis decretorum cap. 15. & 16. seß. 25. de reg attamen sub eorum mente comprehendi videtur.*

2 *Lex exorbitans & pœnalis extenditur, vbi si non extenderetur, frustraretur.*

3 *Intellectus cap. 15. & 16. Concil. Trident. seß. 25. de reg.*

## CONSILIVM LXXXI.

NObilis tredecim annorum ingressura monasterium, antequam fieret nouitia, donauit bonam partem bonorum suorum suo patruo, eo quòd decreuit intrare monasterium. Quæritur an valeat donatio, non obstante. [c] Concilio Tridentino.

c Capi. 15. & 16. de regul. seß. 25.

1 Respondetur multa posse adduci pro vtraque parte quæstionis: nobis autem occurrunt duo breuiter respondenda. Alterum est, posse defendi propositum casum non includi sub verbis præfatorum duorum capitulorum. Alterum, consulendum & iudicandum esse præfatam donationé minimè valere, ratione illa neruosa, quòd lex etiam exorbitans & pœnalis extenditur ad aliú casum, ad quem si non extenderetur, frustraretur iuxta cap. *si ciuitas*, [d] & cap. 2. [e] adiuncta glossa, [f] quæ cōmunis & recepta sententia est à Dominico & Franco, [g] & à citatis per eos: & si præfata capp. non extenderentur ad hunc casum, passim frustrarentur: maximè autem extendenda videntur: quia donatrix hæc nobilis est, & paruula, & donauit parētibus, vel cognatis, quorum auctoritas est apud eam magna, & donauit facta expressa mentione de ingressu monasterij: & quòd ille ingressus præcōceptus monet eam ad faciendam illam: quia huiusmodi puellę facilius persuaderi possent ad donanda sua bona suis parentibus, cognatis, vel amicis, antequam ingrederentur, quàm post ingressum. Quare arbitror futuram litem, si pręfata donatio non muniatur aliquo firmo munimine, quia tamen vereor, ne præfata puella magis moueatur suasu hominum quærentium magis, quæ sua sunt, quàm quæ Christi, non audeo consulere quod munimen fuerit firmum quo ad homines, cùm nullum mihi videatur satis firmú quo ad Deum, & D. N. Iesum Christum, qui nos docuit nihil prodesse homini totum mundum lucrari, animæ suæ detrimentum patiendo. [h] Salua, &c.

d De senten. excomm. l. 6.
e De vsuris. eo lib.
f Verb. aliter facta.
g In cap. 1. de temp. ord. l. 6.
h Cap. Matthæus. de simonia.

*Aduertendum referri sacram Congregationem censuisse, cap. 16. seß. 25. de regul. sibi locum non vendicare in donationibus factis ante susceptum habitum probationis.*

*SVMMARIVM.*

1 *Donatio ab ingressuro religionem, antequam ingrediatur, & habitum probationis assumat, facta cum pacto, vt eo non profitente esset inualida, censetur nulla ob non seruatam formam sacri Concilij Tridentini. nu. 2. cui ea quæ in hac donatione seruata fuerunt, nec æquipollent, nec æquè vtilia sunt donanti, nec religioni. num. 5.*

2 *Solemnitas requisita ad actum omissa, si sit leuis, non vitiat actum, secus si sit de forma substantiali actus, qualis est omnis à lege cum clausula irritante requisita, num. 3. vel sub conditione, vel pro actu certo & determinato tempore agendo requisito. num. 4.*

5 *Intellectus cap. 16. seß. 25. Concil. Trident. de reg.*

## CONSILIVM LXXXII.

1 AN donatio, seu renunciatio bonorum suorum facta occasione futuri ingressus in religionem ab eo, qui religionem nondum ingressus est, neque habitum suscepit, cum pacto, quòd in omnem euentum, in quem dictus donator ante professionem à monasterio exiret, dicta donatio esset nullius momenti, sit valida, non seruata forma præscripta in [a] Concilio Tridentino.

Pro parte affirmāte facit primò, quòd non refert quod de æquipollentibus fiat, [b] & videntur æquipollentia donare intra duos menses ante professionem cum licentia Episcopi, siue vicarij, & donare ante ingressum monasterij, cum pacto, vt non valeat donatio in vllo casu, quo ingressus, vel ingressa exierit de monasterio, quod intrauit. Secundo, quod regula iuris, [c] est, *Plus continet in se minus.* & plus videtur prodesse ingressuro monasterium, quod donatio non valeat in aliquo casu, quo ipse egrediatur de monasterio, quàm quòd non valeat, nisi quando fuerit facta intra duos menses ante professionem de licentia vicarij, quia facta posteriore modo nullo casu videtur reuocari posse: in priore verò sic, quando exiret per dispensationem. Tertiò, quòd omissio leuis solemnitatis non vitiat actum, [d] vt tradit Baldus, [e] quem & alios in hoc citat Felinus. [f]

a Ca. 16. seß. 25. de reg.
b Leg. fin. ff. mand. & ca. licet ex quadā. de testib. cum simil.
c Lib. 6.

2 Non obstantibus tamen iis pars negatiua videtur tenenda. Primo quidem, quod à verborum propria significatione non est discedendum. [g] At verba præfati Concilij, [h] accepta propriè significant, donationem huiusmodi, aliter quàm in eo dicitur factam, non valere: ergo iudicanda est inualida.

3 Secundò, quòd actus factus contra formam substantialem à lege præstitutá non valet, [i] immo nec factus præter formam, cap. *prudentiam*, [k] at donatio facta priore modo videtur facta contra formam substantialem præstitutam in præfato Concilio: [l] ergo non est iudicanda valida. Quod autem præfata forma sit substantialis, & non leuis, probatur ea ratione, quod forma præstituta per legem habentem clausulam irritantem, est forma substantialis, & non leuis, argumento l. *non dubium*, [m] & tradunt Felinus & quos ille citat, [n] & præfatum Concilium, [o] continet clausulam irritantem, scilicet quod donatio aliter facta sit irrita & nullius effectus: & idem est, si forma daretur sub conditione, iuxta l. *prætor*, [p] & tradunt Felinus & citati ab eo, [q] & forma præfata Concilij satis videtur conditionalis, quatenus in effectu statuit, vt donatio si facta fuerit secundum illam formam, valeat.

d Le. 1. § fin. ff. de vent. inspic.
e In le. 1. ff. de liber. & posthum.
f In c. cum dilecta. nu. 10. de rescrip.
g Le. non aliter. ff. de leg. 3. cap. tua de spons.
h Ca. 16.
i Ca. cum dilecta. de resc.
k De offi. deleg.
l Cap. 16.
m Et l. fin. C. de legib.
n In d. c. cum dilecta. nu. 6. & 10.
o Cap. 16.
p ff. de coll. bon.
q In d. c. cum dilecta. num. 6.

4 Tertiò, quòd solemnitas requisita ad agendum actum certo tempore, censetur inducere solemnitatem substantialem, iuxta l. *scire oportet.* [r] per quam hoc dicit Baldus, [s] & præfatum Concilium, [t] præfigit tempus præfatæ donationi faciendæ: ergo illa solemnitas est substantialis.

r §. cōsequēs. ff de excusat. tutor.
s In authen. quæ supplicatio. sub fin. C. de precib. impe. offeren.
t Cap. 16.

5 Quarto, quod præfati duo modi donandi non æquipolēt sibi: nec forma, de qua quæritur, est tam fauorabilis ingressuris, quàm forma statuta per Conciliú. [v] Tum quia forma præstituta à Concilio est fauorabilior professuro, vel professuræ, quá alia forma propter præsentiam Episcopi, siue Vicarij, quam requirit, quæ est magni momenti, vt renuncians renunciet sapienter, & non stultè. [x] Tum quia grauius est ingressuro monasterium facere donationem ante ingressum, & susceptum habitum, quàm postea: partim quia perdit facultatem donandi alij postquam suscepit habitum: partim quia parentes, vel cognati volētes quærere bona ingressuri, vel ingressuræ monasterium, faciliùs possunt consequi suum propositum, persuadendo pueris, & puellis ante ingressum, vt donent sua bona sibi, vel aliis, quibus volent, quam postquam ingressi fuerint monasterium, vel susceperint habitú: eo quod sunt iuniores, & minus sapiunt, & plus subiiciuntur parentibus, vel tutoribus, & plus habent timoris reuerentialis, vt palàm est, è contra post susceptum habitum sunt liberiores, sapientiores, & est eis minus timoris reuerētialis, & habent plures consultores religiosos, vel religiosas, quæ vt personæ spirituales, & à mundanis separatę, præsumuntur rectius eis consulturæ. Tum quia plurimùm refert, an donationem faciant ante susceptionem habitus cum clausula, *vt nihil valeat casu, quo vellent exire*, an verò non valeat, nisi facta secundum formam Concilij, nam difficilius est donationes iam factas reuocare, & in statum pristinum redigere, quàm eas nō facere, & in statu pristino retinere,

v In d. ca. 16.
x Arg. le. non est verisimil. ff. de eo quod metus causa, & ca. nisi essent viri prouidi. de preb.

iuxta illud, *Turpius eijcitur, quam non admittitur hospes.* [a] & illud, *Melius est causam intactam seruare, quam post vulneratam remedium quærere,* [b] præsertim quod vt plurimùm in huiusmodi donationibus addunt notarij clausulam constituti, per quam donatarij fiunt possessores, [c] & possessores multis modis suas possessiones defendere solent, iuxta illud, *Magnum est commodum possessionis.* [d] Tum quod etiã fit quale quale præiudicium monasteriis, quę intrant: quoniam per tales donationes priuant monasteria omni spe succedẽdi in bonis eorum per donationes, vel vltimas voluntates. Tum ob alia, quæ consultissimè videtur sacrosanctũ Concilium circumspexisse. Per quæ palam est præfatos duos modos donandi longè differre, & non æquipollere: & sic cessant argumenta pro parte contraria formata.

a Ca. quemadmodum. de iureiur.
b L. fin. C. in quibus causis.
c Leg. quod meo. ff. de acqu. possess.
d §. retinẽda. vers. & quia. Insti. de interdictis.

*Aduerte quia refertur resolutum à sacra Cõgregatione dictum cap. 16. Concilij non habere locum in donatione facta ante susceptum habitum.*

SVMMARIVM.

1 *Liberatio tutoris facta ab ingressuro religionẽ, si sit inter viuos, etiam si sit scripta in testamento, subiacet irritationi sacri Concilij Tridentini, secus si sit pars testamenti non habens effectum nisi sequuta morte testatoris: quia sacrum Concilium irritat quidem vsque ab initio obligationes, & renunciationes inter viuos, num. 2. sed non vltimas voluntates. num. 3. An autem etiam irritet renunciationem factam inter viuos sub conditione quod non valeat nisi sequuta professione, alia est quæstio. num. 4.*

## CONSILIVM LXXXIII.

AN liberatio tutoris ab administratione, facta in testamento ab ingressuro religionem, sit valida?

1 Ad quæstionem hanc respondetur, quòd liberatio tutoris ab obligatione de reddẽda ratione administrationis bonorum ingressũri monasterium in testamẽto facta fieri potest dupliciter, vno modo per viam cõtractus, siue dispositionis inter viuos, eo modo, quo contractus, & donatio irreuocabilis fieri potest in testamento, ita vt incipiat esse valida irreuocabilis, & efficax à testamenti facti tempore, iuxta glossam finalem & Bartholum, [e] vbi latè tractat Aretinus & huiusmodi liberatio non valet, quia est quædam renunciatio, vel quædam obligatio ad non petendam rationem, quæ fieri nequit ab ingressuro. Alio modo fieri potest liberatio præfata in testamento non alterando naturam testamenti, & tamquam accessorium ipsius, ita quod maneat reuocabilis, sicut ipsum testamentum est reuocabile, & quod reuocato testamento censeatur reuocata eiusmodi liberatio, quo modo videtur fieri posse: sed tunc non remanet tutor liberatus ab obligatione reddendi rationem, nisi post mortem ingressuri, per quam testamentum firmatur. [f]

e In le. heredes palam. §. fin. ff. de testamen.
f Ca. cũ Martha. de celeb. miss.

2 Nec obstat dicere quod huiusmodi liberatio, & donatio, vel obligatio in effectu est renunciatio, vel obligatio facta adiecto modo, vt non valeat in omnẽ euentum, quo ingressurus exierit monasterium ante professionem, vt aliàs diximus non valere: quia responderi potest præfatam liberationem secundo modo factam non valere à principio plusquam ipsum testamẽtum, neque esse plus irreuocabilem, quàm ipsum testamentum, immo esse quoddam accessorium eius, sine quo nullam vim habet, & in effectu esse vltimam voluntatem, qualis non est donatio, vel obligatio, de qua loquitur Concilium Tridentinum, [g] & quod Concilium non loquitur de vltimis voluntatibus, neque consequenter de accessoriis earum, quæ sine illis consistere nequeunt.

g Sess. 25. de reg. cap. 16.

3 Non obstat etiam dicere, quòd ratio, quæ iam mouit Cõcilium ad annihilandas renunciationem & obligationem inter viuos, suadere videtur annullandas etiam esse vltimas voluntates: quia in effectu sunt donationes, vel renunciationes bonorum sub conditione, *in euentu si non exierit monasterium.* Quia responderi potest negãdo illud: quoniam renunciatio, & obligatio inter viuos valet, & est efficax à principio: vltima verò voluntas nequaquam. Et si roges an renunciatio, vel obligatio conditionalis si professionem fecerit, valeat, cùm sit inefficax vsque ad professionem factam: Respondetur hanc esse aliam quæstionem differentem à proposita, cui, cum vacauerit, Deo annuente respondebitur.

A

SVMMARIVM.

1 *Irregularitatum dispensationes Papæ regulariter reseruatæ.*
1 *Religionibus fere omnibus priuilegium concessum est dispensandi cum subditis circa irregularitates, excepta bigamia, & mutilatione, ac homicidio voluntario.*
2 *Episcopus originis regularem eiectum promouere potest.*
2 *Eiectus post professionem retinet dispensationem obtentam in religione.*

## CONSILIVM LXXXIV.

QVidam N. frater professus ordinis M. promotus iam ad ordinem diaconatus eiectus fuit ob sua delicta ab ordine, & exutus ordinis habitu. Quæritur, de cuius Episcopi vel prælati licentia ordinari possit.

B

1 Respondetur primò, quòd si præfatus Dominus consulẽs fuit eiectus ab ordine præfato ob aliquod delictum inducẽs irregularitatem, à qua non posset Episcopus absoluere, oporteret pro dispẽsatione recurrere ad Papam, si antequam eiiceretur, non fuisset dispensatum cum illo super ea per ordinis sui priuilegia, quia regulariter omnis irregularitatis dispensatio est Papæ reseruata, [a] licet fere omnes ordines, & religiones habeant priuilegia, per quæ superiores earum possunt dispẽsare cum subditis suis super omnibus irregularibus, excepta illa, quæ prouenit ex homicidio voluntario, & mutilatione, ac bigamia.

a Cap. 1. de re iudic. lib. 6. cũ ei adnot.

C

2 Secundò, quòd si delicta, ob quæ fuit eiectus ab ordine, non inducebant irregularitatem, neque aliam inhabilitatem, super quæ non posset Episcopus dispensare, poterit eius diœcesanus originarius recipere illum, & si habet beneficium sufficiens ad honestè viuẽdum, & est idoneus ætate, literatura, & moribus ad sacerdotium, ordinare ipsum presbyterio, facta ei fide prius de aliis ordinibus rite in religione susceptis, & facta dispensatione, si qua fuerit necessaria, super inhabilitate, quam ipse sua potestate ordinaria poterit tollere. Salua, &c.

SVMMARIVM.

D

1 *Regularis quicquid acquirit, siue suo, siue monasterij nomine, siue impersonaliter contrahendo, suo acquirit monasterio: fallit in Minoribus de Obseruantia, qui acquirunt sedi Apostolicæ, num. 2. quæ illis in actionibus actiuè succedit: passiuas autem non tenetur nisi de æquitate subire. num. 3. at quæ ad tales per vltimas voluntates deuenerunt, priorum dominorum remanserunt. num. 2.*
4 *Regularis ordinis Minorum de Obseruantia, omnia, quæ per contractus acquisiuit, tenetur Sedi Apostolicæ, cui hæc acquiruntur, ita indicare, vt possit ea recuperare & habere.*

## CONSILIVM LXXXV.

QVidam frater Minor de obseruantia apostata in sæculari habitu contrahendo quæsiuit aliqua iura, & obligationes passiuas & actiuas: ita quod fuit factus multorum creditor, & multorum debitor, & reuersus ad suam religionem, & ab omni apostasia liberatus.

E

Quærit' primò, qui fiet de huiusmodi creditis & debitis.

Secundo, an præfatus frater possit facere de omnibus obligationibus præfatis vnum memoriale, & instruere Prælatum suum super eis.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondetur primò, quod præfatus Dominus cõsulens nihil sibi quæsiuit singulariter, nec monasterio, nec alicui suo: quia licet regulariter religiosi aliorum ordinum contrahendo vtiliter quærant suo monasterio vel ordini, iuxta doctrinam Innocentij, [b] siue contrahant nomine suo, siue nomine sui monasterij, vel ordinis, siue impersonaliter, vt diximus in comment. 2. de regular. [c] post Baldum. [d] Franciscanus tamen non potest id facere: quia monasteria & ordo Sancti Francisci sunt incapacia dominij, & possessionis omnium bonorum pecuniariorum. [e]

F

2 Secũdo, quod omnes obligationes actiuæ, aliáque iura vtilia quæsita per præfatum Dominum consulentẽ vidẽtur pertinere ad Sedem Apostolicam, quia omnia quæ quærerentur saltem per contractus monasteriis & ordini S. Francisci, si essent illorum capacia, videntur quæri Sedi Apostolicæ, per præfatos §§. *ad hæc, & proinde.* Dixi, *contractus,* quia relicta eis per vltimas volũtates, & successiones saltẽ vniuersales ex testamẽto, vel ab intestato, vidẽtur remanere caduca, per eosdẽ §§. & ea quæ adnotauit Cardinalis, [f] & præfatus Domin' cõsulẽs præfatas actiones quæ-

b In ca. cum olim. 2. de priuil.
c Super c. nõ dicatis. 12. q. 1 nu. 32.
d In l. seruus. C. de pactis.
e Ca. exijt. §. ad hæc. de verb. sign. li. 6. & clemen. exiui. §. proinde. eod. tit.
f In d. §. proinde. q. 2.

siuit

ſuit per cōtractus: ergo illæ pertinēt ad Sedē Apoſtolicā.
3 Tertiò, ꝗ maioris quæſtionis eſt, an Sedes Apoſtolica, quæ ſuccedit in obligationibꝰ actiuis, & iuribus vtilibus, ſuccedat etiā in obligationibus paſsiuis, quibus præfatus conſulens, ſi fuiſſet habilis ad ſe obligandum, fuiſſet obligatus. Et diſputando quidem teneri poſſet de rigore iuris nō ſuccedere, per aliqua quæ nūc nō vacat ſcribere, conſulendo tamē videtur reſpondendum, quod de æquitate teneatur, argumento illius ſenarij, *Commoda qui ſentit, iungat onus emolumentis.* [a] & per quædam alia, quæ non vacat nunc afferre.

a Ca. qui ſentit. de reg. iure li. 6. & clē. 1. de cēſib. & le. ſecundum naturam. ff. de reg. iur.

Quartò, quòd Prælatus prædicti conſulentis prouidè faciet, ſi adierit S. D. N. & notum fecerit hoc factum, & ſimul orauerit S. Sanctitatem, vt pro ſua maxima benignitate dignetur committere alicui fidæ perſonæ omnes obligationes prædictas actiuas & paſsiuas, vt recuperet credita, & ſoluat debita, & reliqua impendat in eis, quæ ſuæ Sanctitati placuerint.

4 AD SECVNDAM reſpondetur, poſſe, debereque Dominum conſulentem ſcribere aliquod memoriale creditorum, & debitorum, & ſcripturarū, ac teſtium, quibus ea, quæ oportet, probentur, & tradere illud ſuæ Sanctitati, vel perſonæ ab ea deputatæ, & poſtea, quoties oportuerit, informare præfatam perſonam deputatam de licentia ſui Prælati, & ſeruatis eis, quæ ſeruanda forent per fratres ſui ordinis, ſi vocarentur ad ferendum teſtimonium in cauſis alienis, abſtinendo tamen ab eis, quæ ſibi per præf. §§. *ad hæc, & proinde*, vetantur. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Bona donata tam à laicis, quàm clericis Minoribus de obſeruantia, Sedi Apoſtolicæ, ſi ſint iuſtè donata, acquiruntur, aliàs non.*

## CONSILIVM LXXXVI.

AN minores fratres de obſeruantia rerum oblatarum à rectoribus Eccleſiarum dominium, proprietatem, ſeu poſſeſsionem acquirant.

1 Pro reſolutione quæſtionis ſupponenda ſunt nonnulla, & primò quòd ex cap. *exiit*, [b] & Clemētina, *exiui*, [c] non colligitur aliqua differentia inter dominium, proprietatem, & poſſeſsionem rerum oblatarum, vel donatarum iuſtè à perſonis priuatis, & inter dominium, proprietatem, & poſſeſsionem oblatarum & datarum à rectoribus Eccleſiarum, & aliis clericis, ſi ab omnibus eodem modo, & æquè iuſtè ab liberè offerantur, vel dentur.

b De verb. ſign. li. 6.
c Eod. tit.

Secundò, quòd ſicut dominium, proprietas, & poſſeſſio rerum oblatarum, vel donatarum à laicis Minoribus de obſeruantia quæritur Eccleſiæ Romanæ; ita dominium, proprietas, & poſſeſsio rerum oblatarum, vel donatarū à rectoribus Eccleſiarum, & aliis clericis, acquiretur Eccleſiæ Romanæ, vel Papæ, modò æquè iuſtè ac liberaliter offerantur, vel dentur ab vnis, ſicut ab aliis.

Tertiò, quòd ſicut multa ſunt bona, quæ non poſſunt iuſtè offerri, vel donari præfatis fratribus Minoribus à laicis ſine licentia Papæ, ita multa bona ſunt, quæ non poſſunt à clericis donari Minoribus ſine licentia eiuſdem, & cum illa ſic, & illa quæ iuſtè non donantur Minoribus, non quæruntur Papæ, ſiue donentur à laicis, ſiue à clericis, & ea quæ iuſtè offeruntur, vel donantur ab vtriſque, quæruntur quo ad dominium, proprietatem, & poſſeſsionem ipſi Papæ.

SVMMARIVM.

1 *Profeſſio contra legem decretum irritans habentem eſt nulla.*
1 *Profeſsio eſt ex vtraque parte obligatoria.*
2 *Profeſsio nulla in foro poli eget declaratione in foro fori.*
3 *Prælatus, quē ſcit nulliter profeſſum, ex officio expellere poteſt.*
3 *Prælatus nulliter profeſſum ſeruatis ſeruandis expellat, num. 4. expulſus autem in vtroque foro eſt liber. num. 5.*

## CONSILIVM LXXXVII.

AN qui de genere Iudæorum deſcendit, & contra ſtatutum religionis ei notum factum, cum proteſtatione, vt nulla eſſet profeſsio, ſi de tali genere deſcenderet, interrogatus negauit ſe de tali genere deſcendere, ob quam negationem fuit admiſſus ad profitendum, ad quod non fuiſſet admiſſus, ſi fuiſſet confeſſus veritatem, ſit verus religioſus?

1 Reſpondetur primò videri præfatum Dominum conſulentem non eſſe verè coram Deo, & in foro coſcientiæ religioſum. Tum quia profeſsio fuit nulla, quia contra legem habentem decretum irritans facta. Tum quia profeſsio eſt in effectu vltrò citróque obligatoria, qua profitens ſe obligat monaſterio, vel ordini ad ſeruiendum ei ſecundum regulam eius, & contra monaſterium ad alendum, & tractandum eum ſecundum eamdem regulam, & ita eſt neceſſarius conſenſus vtriuſque partis, tam præfati profeſsionē acceptantis, quàm ipſius profitentis: & in caſu propoſito defuit conſenſus Prælati, quia fuit præſtitus ſub cōditione, ſi non eſſet de tali genere, & ita defuit conditio, ſub qua fuit admiſſus, & cōſequenter ipſa admiſsio, quia diſpoſitio cōditionalis nulla eſt deficiente conditione. Tum quia deficiente cauſa regulariter deficit effectus.

2 Secundo reſpondetur, quod Dominus conſulens quo ad præfatū forum conſcientiæ cum licentia & ſine licentia prælati poſſet exire à monaſterio & ordine, ſed caſtigaretur in foro exteriori, ſi abſque licentia exiret: nec ſufficeret omnino qualis qualis licentia, ſed requireretur iudicialis data cum cauſæ cognitione, probatis, & ſeruatis, quæ probanda, & ſeruanda ſunt in tali iudicio, & cauſæ cognitione, cùm ſententia iudicialis ferenda ſit ſecundum allegata & probata.

3 Tertiò, quòd Prælatus in foro exteriori teneretur ad inſtātiam partis legitimæ, ſcilicet accuſatoris, vel denunciatoris, allegatis & probatis neceſſariis dare præfatam licentiam, immo & iudicare illum eiiciendum eſſe à monaſterio, & ordine, & eiicere illum per ſuam ſententiam.

4 Quartò, quòd præfatus Prælatus, qui probabiliter credit eum eſſe de tali genere, ex officio ſuo, ſine alio accuſatore, vel denunciatore poteſt, & debet, præmiſſa legitima cauſæ cognitione per viam inquiſitionis, expellere illum à monaſterio & ordine.

5 Quintò, quòd ſi Prælatus ad inſtantiam legitimæ partis, ſcilicet accuſatoris, vel denūciatoris, vel ex officio per viam inquiſitionis expulerit ipſum per ſuam ſententiam legitimā ab ordine ſuo & monaſterio, poterit ipſe viuere vitam quam iuſtè viuere poſſet, ſi præfatam profeſsionem non feciſſet, per iura, & rationes in his dictis inſinuatas, & quæ extendi poſſent ab eo, cui per valetudinem & otium magis quàm nobis id facere liceret. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Bulla Pij V. contra tranſlatos intelligitur de tranſlatis virtute priuilegiorum contra ius commune.*
1 *Religioſi de iure communi poſſunt tranſire ad arctiorem cum licentia ſuorum ſuperiorum.*
2 *Tranſeundi ad religionem laxiorem ſolus Papa poteſt facere facultatem.*
2 *Facultas tranſeundi ad laxiorem à Papa concedi debet ex iuſta cauſa.*

## CONSILIVM LXXXVIII.

AN frater Carmelitanus tranſlatus ſine facultate Papæ ad ordinem fratrum Minimorum, cum licentia tamen ſui Superioris, quia eum nolebat amplius religio retinere, teneatur redire ad ſuum priſtinum ordinem propter extrauagantem Pij V. 91. *Quæcumque*, quæ ſtatuit non poſſe recipi, nec retineri ab vlla religione fratres alterius ordinis, ſed debere remitti ad proprios ordines?

1 Reſpondetur quòd non, quia Pius V. non iubet per ſuā conſtitutionem, tranſlatos ab vna religione in aliam, redire ad priorem religionem, ſed tantùm tranſlatos virtute facultatum & priuilegiorum particularium conceſſorum à Sede Apoſtolica ſpeciatim contra ius commune aliquibus monaſteriis, vel religionibus, vt poſſent accipere apoſtatas, vel aliquos alios aliarum religionum. Et frater Carmelita, de quo quæritur, non tranſiuit ad fratres Minimos virtute huiuſmodi facultatis & priuilegij ſpecialis, ſed virtute iuris canonici, quo licet omnibus de religione laxiori ad arctiorem tranſire, iuxta cap. *licet*, [a] iuxta quod poſſunt hanc facultatem ſuperiores dare.

2 Quod autem diximus in com. 4. de reg. [b] eſſe neceſſarium licentiam Papæ, ibi id aſſerimus de facultate tranſeundi ad laxiorem: & intelligendum eſt de potentia id faciendi cum cauſa: alioquin etiam facultas conceſſa à

a De regula.
b Super c. ſtatuimus. num. 10.

Papa transeundi ad laxiorem sine iusta causa, non valeret, & præfatum cap. *statuimus*, [a] de proprio significatu verborum æquè comprehendit eas, ad alias à suis Generalibus concessas.

a 19.q.3.

*SVMMARIVM.*

1 *Professio ante 16. annum completum in quauis religione est ipso iure nulla.*
1 *Professio si fiat ante finem anni nouitiatus à suscepto habitu, est ipso iure nulla.*
1 *Annus nouitiatus non censetur esse completus, nisi sit cõtinuus.*
1 *Tempus omne à iure statutũ in dubio censetur esse continuum.*
2 *Professio metu facta est ipso iure nulla.*
2 *Votum metu factum est ipso iure nullum.*
2 *Professionem religionis annullare sufficit (etiam quo ad forum exterius) metus reuerentialis minor iusto timore, modo sit talis, sine quo professio non fuisset facta.*
2 *Actus metu factus non ligat agentem quo ad forum consciẽtiæ.*
3 *Professio ipso iure nulla non ratificatur ex longa mora in religione, nisi sciat esse nullam, & persistat animo ratificandi.*
4 *Professionem tacitam non inducit gestatio habitus indistincti per annum, & vltra, nisi fiat ante professionem expressam.*
4 *Actum vnum semel faciens expressè, frustra facit iterum illum expressè, & multò magis tacitè, vt stipulans, locans, mandans, & appellans & num. 5.*
5 *Professio tacita non inducitur solum faciendo actum ad professum tantum pertinentem, quando illum fecit post professionem expressam nullam, nisi alia concurrant, & sciat esse inualidam iam factam, & per talem actum induci professionem, & persistat in animo approbandi.*
5 *Sciens professionem prius expressè emissam fore nullam, si à die scientiæ per annum continuum in religione perseuerat animo illam ratificandi re vera, tacitè profitetur.*
6 *Professionem inualidam emittens, licet diu perseueraret per errorem, si post cognoscens esse nullam exeat, & vxorem ducat, tutus est in conscientia.*
7 *Professio inualida nullam obligationem inducit professum obligantem ad intrandum aliquam religionem in genere.*
7 *Scandalum etiam pusillorum potest facile desinere esse scandalum, reddendo iustam rationem, & monendo eos falli.*
7 *Ob scandalum proximi rationabile nemo tenetur relinquere bona spiritualia, nec temporalia.*
8 *Ob scandalum etiam pusillorum vitandum relinquenda illa, quæ sine peccato mortali relinqui possunt.*
8 *Intellectus verus cap. 2. de nou. oper. nunc.*
8 *Creditores à debitoribus & iniustis detentoribus sua repetere Ecclesia sanctè permittit.*

## CONSILIVM LXXXIX.

CVm de iure statutum sit, quòd duplex sit professio, tacita, & expressa, & Dominatio tua doctissimè in suis commentariis de regular. præsertim super ca. *cui portio*, [b] & super ca. *statuimus*, [c] idem affirmet: & cùm ad professionem expressam quatuor requiratur: Primum, vt fiat in manibus Abbatis, aut habẽtis facultatem incorporandi in monasterio iuxta capit. *porrectum*, de regularibus vbi Innocentius & Panormitanus dicunt, quòd si quis professionem fecerit coram, & in manibus alterius monachi, non esset professio. Secundum ex Concilio Tridentino, [d] qui facit professionẽ, opus est vt adimpleuerit decimum sextum annum, siue sit vir, siue fœmina, aliàs nullius efficaciæ erit professio illa: olim ius cõmune aliter habebat, nam in viro exigebatur decimus quartus annus, in fœmina duodecimus cap. *significatum*, & *ca. cum virum.* de regul. Tertium ex eodem Concilio vt sit post annum probationis, vnde ante id tempus nulla est professio, & est etiam contra ius antiquum: nam in cap. *constitutionem*, [e] habetur, quod in solis Mendicantibus debet esse annus elapsus, in aliis potest fieri ante annum. Quartũ debet esse cum habitu, ita vt per annum integrum gestet habitum, aliàs nõ: & hoc est contra ius antiquũ, vt habetur in cap. *porrectum*, de regu. Et cum tacita professio quatuor modis fieri possit: Primò, quando quis immiscet se in actibus professorum, dummodo deferat habitum, vt habetur in ca. *vidua.* [f] Secundo, quando elapso anno gestat habitum differẽtem nouitiis & professis: si tamẽ esset habitus distinctus, etiãsi maneat viginti annos, non est professus. Tertio, quando est distinctus habitus, & induit habitum professorum, &

b Nu. 18.
c Nu. 73. & seqq.
d Sess. 25. cap. 15.
e De regu. in 6.
f De regula.

A gestat per tres dies, est professus. [a] Quarto, [b] quando gestat habitum nouitiorum cum proposito mutãdi vitam, & ingreditur religionem: in foro autem interiori nihil horum valet: nam si non habet animum interiorẽ vouendi, etiam si centum annos maneat, non tenetur, cogetur autem in foro exteriori: sed iam ista post Concilium Tridentinum cessant: nam post Concilium debet præcedere annus probationis etiam in foro exteriori, & post illum est iam tacita professio.

a In c. ad nostram. de regul.
b In ca. consulti de regu.

1 Quæritur, quando sit valida, vel inualida professio. Respondeo, quod professio in quauis religione tam virorum, quam fœminarũ est ipso iure nulla, si fiat ante decimum sextum annum expletum, per Cõcilium Tridentinum. [c] Secũdo est ipso iure nulla, si fiat ante finem anni nouitiatus à suscepto habitu currentis per d. Cõcilium. [d] Tertio annus nouitiatus nõ censetur esse completus, nisi sit cõtinuus, vt probat Lapus Abbas, [e] & probat textus in ca. 1. [f] ibi, *Per totum annum*, & ibi Dominicus & Francus. & ratio, quam affert Lapus, est, quia omne tempus à iure statutum in dubio censetur esse continuum. [g] Idem probat Siluester, [h] & citat alios in suam sententiam.

B

c Sess. 25. c. 15. de reg.
d Vbi supra.
e Alleg. 47.
f De reg. li. 6.
g Leg. 1. ff. de var. & tẽp. præcept.
h Verbo religio. 5. q. 4.

2 Quarto professio metu facta est ipso iure nulla, [i] sicut & votum metu factum est ipso iure nullum, iuxta glossam receptam, [k] vt diximus in Man. confess. [l] & quamuis quo ad forum exteri⁹ oporteat metum esse iustum, & talẽ, qui etiam in constantem virum cadat, iuxta l. *metum*, [m] tamen quo ad annullandam professionem religionis etiam quo ad forum exterius sufficit metus etiã reuerentialis minor iusto timore, iuxta glossam, [n] vt diximus in Man. confess. [o] intelligendo de metu minore, tali tamen, sine quo nõ fieret professio, vt diximus in d. Man. [p] Præterea nullus actus metu factus ligat agentem, quo ad forum conscientiæ, ex mente Hostiensis & Ioannis Andræ. [q] & Adrianum, [r] vt diximus in dicto Manuali. [s]

C

i Ca. 1. de his quæ vi.
k In ca. Abbas. eod. titu.
l Cap. 22. nu. 51.
m 1. & 2. ff. quod metu. caus.
n Capi. præsens. 20. qu. 3.
o Ca. 22. nu. 50.
p Cap. 17. nu. 29. & seqq.
q In c. verũ. de iureiur.
r In 4. sente. de restitutione ca. aggredior.
s Cap. 17. nu. 29. & 30.

3 Quinto professio ipso iure nulla non ratificatur ex eo, quod sic professus persistat longo tempore in religione, quam professus est, sed oportet, vt sciat illam esse nullam, & animo approbandi & ratificandi eam persistat, vt ait Caietanus, [t] quem nos sequimur in dicto Manuali. [v]

D

t 2. 2. q. 189. art. 5.
v Ca. 12. nu. 71.

4 Sexto gestatio habitus indistincti ab habitu nouitiorum per annũ & vltra non inducit professionem tacitam, nisi gestatio illa fiat ante professionem expressam: quia ratio, quare per gestationem habitus annalem præsumitur tacitè fieri professio, est, quia gestãs habitum, præsumitur habere animum profitendi tempore debito, scilicet finito toto anno nouitiatus: at qui gestat habitũ post professionem expressam factam, non præsumitur habere animum profitendi in fine anni nouitiatus, quia iam expressè fecit eam, & gestat habitum tamquam professus, & nõ tãquam professurus: & cõfirmatur, quia qui facit vnum actum expressè, frustra facit iterũ illum expressè, ergo quanto magis si faceret illũ tacitè, vnde qui aliquid stipulatur semel, frustra iterum idem stipulatur, [x] etiam si ex interuallo secunda vice stipuletur, vt communis ibi cõcludit: & qui semel legat aliquid, frustra iterũ idem legat, [y] & qui semel mandat aliquid, frustra iterum idem mãdat, iuxta l. *licet*, [z] adiuncta glossa faciunt etiam alia quæ Iason & alij cõgerunt, [a] & ita qui dicit, *appello, appello*, semel tãtum appellat vt ait glossa, [b] à Panormitano & ab aliis recepta.

E

x Leg. qui bis idem. ff. de verb. obliga.
y L. cum qu. §. fi. C. de legat.
z §. ea obligatio. ff. de procur.
a In d. le. qui bis idem.
b In c. Lotharius. 31. qu. 2. & in cap. sua nobis. de appellat.

5 Septimo, professio nõ inducitur ex eo, quod nouitius facit actum aliquem ad professum tantùm pertinẽtem, vt dicere in Capitulo suam sententiam, accipere sacros ordines, &c. sed oportet, vt talis nouitius non sit prius expressè professus, vt de gestatione habitus dictum est: & sic intelligẽdum est ca. *vidua.* [c] Oportet præterea vt talis nouitius acceperit habitum professorum distinctum ab habitu nouitiorũ, vt declarat Panormitanus, [d] & nos in nostro com. super cap. *statuimus*, [e] diximus. Oportet præterea vt talis nouitius sciat per huiusmodi exercitiũ actus professionem induci, vt Innocẽtius receptus dicit. [f] Oportet demum vt talis absoluerit finẽ anni nouitiatus post Concilium Tridentinum. Quare qui professionẽ emisit inualidam, vel qui ante ætatem, vel quia ante finẽ anni nouitiatus, vel quia metu emisit, non censetur tacitè profiteri, vel quia longo tẽpore manet in religione, vel quia gestat habitum indistinctũ ab habitu nouitiorum, vel quia facit

F

c De regula.
d In dicto ca. vidua.
e Nu. 73. & seq.
f In d. ca. vidua.

actum

actum professorum proprium, quamdiu putat professionem, quæ re vera est ipso iure inualida, esse validã, & manet, & gestat habitum, & facit actum ad ratificandum, quã putat validam errans: & ignorans non censetur consentire,[a] sed tunc tacitè censeretur profiteri, & re vera profiteretur, quando sciens factam iam professionem esse inualidam ob aliquam præteritarum causarum, & ad ratificandã & approbandam eam persistit in religione integrum annum à tempore, quo sciuit eam esse nullam, annum inquã continuum, & non interpolatũ, scilicet, vt semper habeat intentionem illam ratificandi. Idem dicitur de gestatione habitus, & de actu.

6 Sed quæris, an qui inualidam emisit professionem, & mansit in religione multis annis, putans eam esse validam, postea verò cognoscens eam esse inualidam, & nullam, nõ solùm nõ approbat, sed redit ad seculum, & ducit vxorem, sit tutus in cõscientia, cùm nullũ habeat aliud canonicum impedimentum.

7 Iam respondimus ad casum cuiusdam Germani, esse tutum in conscientia. Tum quia professio inualida nullũ inducit effectum, neque vllam obligationẽ, vt habet Cõc. Trid.[b] adeo quod neque professum facit religiosum in genere, scilicet obligatum ad intrandum aliquam religionẽ, sicut ante præfatum Conc. Trid. obligabat, iuxta c. *nõ solũ.*[c]

8 Tum quia scandalum quod daretur per huiusmodi cõiugium, vel esset Pharisæorum, & non cauendum, vel si pusillorum, & cauendum, eo quod bona fide crederet aliqui talem esse verè professũ, potest tamen facilè fieri, vt desinat esse scandalum pusillorum, monendo illos falli, reddendo rationem veram, & iustam: quòd si post huiusmodi rationem noluerint acquiescere, scandalum patientur non pusillorum, sed Pharisæorum, vt D. Tho. ab omnibus receptus definit,[d] concludens neminem teneri ad relinquenda bona spiritualia, neque temporalia propter scandalũ proximi, quod patitur, eo quod non acquiescit rationi, & monitioni probabili sibi redditæ: pro quo est illud venerabilis Bedæ, *Vtilius est scandalum nasci, quàm quod veritas relinquatur,*[e] cuius glo. & comment. Panor. & aliorum sunt in præfata resolutione. Ex quibus etiam colligitur verus intellectus cap. 2.[f] quatenus habet pro vitando scandalo relinquẽda esse illa, quæ sine peccato mortali relinqui possunt: intelligendum enim est de scandalo pusillorum, non autẽ Pharisæorum, & malignorum: non enim tenetur quis pati rapinam, furtum, retentionem iniustam suorum bonorum, eo quòd raptor, fur, & vsurpator scandalizetur per repetitionem à se coram iudice competente petitam, & vsque ad sententiam exercitam: quia id esset præbere occasionẽ rapinis, furtis, & vsurpationibus, vt ex D. Greg. allegato à S. Thom.[g] colligitur, & ex praxi totius Ecclesiæ Christianæ, quæ sanctè permittit dominos & creditores sua bona & debita à suis debitoribus & detentoribus repetere. Et licet sic professus posset absque peccato vitam cælibem ducere, non tamen tenetur id agere propter scandalum eorũ, qui, probabili ratione sibi reddita, in sua pertinacia persistũt, vt diximus in nostro Man. confess.[h] & in nostro com. 4. de reg. super cap. *nullum.*[i]

a L. si per errorem. ff. de iurisdict. omnium iud.
b Sess. 25. ca. 15.
c De reg. l. 6.
d 2. 2. qu. 43. art. 1. penult. & vlt.
e Ca. qui scãdalizauerit. de regul. iur.
f De nou. oper. nunc.
g In dict. art. vlt.
h Ca. 14. nu. 31. L. & nu. 44. & c. 24. nu. 23.
i Nu. 35.

SVMMARIVM.

1 *Monachi ex antiquis originariis regulis nullum suffragium vel vocem habebant in Capitulo.*

2 *Prælati secundum recentiores regulas tenentur regere cum consensu vel consilio sui conuentus, vel consiliariorum.*

CONSILIVM XC.

Dvbitatur circa cap. nullam,[k] quatenus probat, quòd totum regimen monasterij pertinet ad Abbatem, siue prælatum, & non ad monachos.

1 Respondeo id procedere secundum illas regulas originarias & antiquas, secundum quas monachi nullum suffragium, vel vocem habebant in Capitulo.

2 Verum hoc non habet locum secundum regulas recẽtiores secundum quas prælati tenentur regere cum consensu, vel consilio sui Conuentus. vel consiliariorum. Et de hac materia vide quæ scripsimus super cap. *non dicatis,*[l] & cap. *nullam,*[m] & cap. *statuimus,*[n] vbi profundissimè tractatur de ea.

k 18. q. 2.
l 12. q. 2.
m 18. q. 2.
n 19. q. 3.

SVMMARIVM.

1 *Consecrari non potest consecratione virginum monialis, si constat esse corruptam.*

2 *Vidua potest vouere solemniter expreßè & tacitè castitatem, & velum profeßionis suscipere.*

2 *Viduæ poßunt benedici benedictione viduali etiã inter virgines.*

3 *Nouitia siue virgo, siue vidua, vt potest exire de monasterio, si ei non placet, ita monasterium potest eam excludere.*

CONSILIVM XCI.

An Monialis, de qua iudicialiter constat esse corruptã, nec ipsa id negat, immo fatetur, possit consecrari?

1 Respondeo primò, quòd non consecratione virginum, per textum cap. *acutius,*[a] etiam ad euitandum scandalum vt ait S. Thomas.[b]

2 Secundo, quòd vidua licet non debeat cõsecrari consecratione virginum, potest tamen vouere solemniter etiam tacitè ipso facto castitatem, & velum professionis suscipere & portare per textum cap. *vidua,*[c] & benedici benedictione viduali etiam inter virgines, vt in Ration. diuin. offic.[d]

3 Tertiò, quòd monialis, de qua est quæstio, potest benedici benedictione viduali, de qua in Pontificali, mutando verba viduitatem sonantia in alia honesta, scilicet, innupta, deuota, serua Christi, Deicola, iuxta S. Thomã.[e] Et sicut nouitia intra annum probationis potest exire de monasterio, si ei non placet, ita monasterium potest eam excludere.[f]

a 26. dist. cap. deuotis. c. iuuenculas. 20. q. 1.
b Li. 4. sentẽ. dist. 38. qu. 1. art. 5. & li. 3. dist. 33. qu. 3.
c De regula.
d Lib. 2. ca. 1. nu. 48 & ca. sicut bonum. c. viduas. 27. q. 1.
e 2. 2. qu. 111.
f Ca. ad Apostolicam. de reg. & cap. 1. c. non solum. eod. tit. lib. 6.

DE CONVERSIONE CONIVGATORVM.

SVMMARIVM.

1 *Sponsa sponsum ingressum religionem ipsa renuente iure per tempus duorum mensium tantùm, vel arbitrio iudicis statuendum, expectare tenetur, at post sacrum Concilium tenetur expectare per integrum annum. num. 4.*

2 *Leges generales, siue sint priores, siue posteriores, limitantur per speciales, & per rationem alterius legis.*

3 *Lex generalis, præsertim vniuersalis, & negatiua, vniuersaliter intelligẽda, licet maior ratio in vno casu militet, quã in alio.*

4 *Legum nouatio, limitatio, & extensio citra vel vltra verba ipsarum non videtur vtilis, cum sit quædam legum mutatio, quæ non ob quamlibet maiorem vtilitatem, nisi sit maxima, est facienda.*

CONSILIVM I.

An Sponsa de præsenti, cuius sponsus, ipsa renuente, ingressus est religionem, habitúmque suscepit, tamdiu expectare teneatur, donec elapso probationis anno professionem emittat, iuxta decretum[g] Concilij Tridentini,[h] vel præfigi possit sponso aliquis terminus, iuxta quem vel profiteatur expressè, vel ad sponsam redeat, iuxta cap. *ex publico*, de conuers. coniug.

1 Respondetur, quòd pro parte negante facit primò, quòd à iure antiquo non est recedendum, nisi quatenus per ius nouum receditur.[i] At expresse lege antiqua,[k] cauetur, ne huiusmodi sponsus, vel sponsa teneatur expectare vltra duos menses, vel extra tempus arbitrarium, iuxta cap. *commissum.*[l]

2 Secundò, quòd sicut leges priores generales limitantur per leges posteriores speciales, ita & leges posteriores generales limitãtur per leges priores speciales iuxta l. *sed & posteriores,*[m] & l. *in toto,*[n] vbi late Decius,[o] & probatur, & amplificatur per duas glossas solẽnes.[p] Cùm ergo prædictum ca. *ex publico*, sit lex determinans specialem casum de sponso, vel sponsa de præsenti volente intrare religionem, censendum est limitare legem generalem[q] Concilij Tridentini ne habeat locum in illo casu speciali.

Tertio, quod longè maior ratio limitandi tempus inuenitur in hoc casu speciali, quàm in aliis: quia in eo tractatur de grandi præiudicio tertij, de quo non agitur communiter in aliis nouitiis: & lex generaliter loquens non solùm limitatur per legem specialem, sed etiam per rationem alterius legis, secundum Baldum.[r]

3 Pro parte autem affirmante facit primò prædictum Concilium,[s] quod generaliter, immo & vniuersaliter, & negatiuè prohibet fieri professionem ante finem anni nouitiatus: & lex generalis, præsertim vniuersalis, & negatiua, vniuersaliter est intelligenda.[t]

g Cap. 15.
h Sess. 15. de reg.
i Le. præcipimus. C. de appell.
k Ca. ex publico. de conuers. coniug.
l De sponsal.
m ff. de legib. & c. generari per speciem. de reg. iur. li. 6.
n ff. de regul. iur.
o Num. 7.
p In le. sciendum. ff. qui satisd. cogãt. & auth. offeratur. C. de litis contest.
q Cap. 15. de regul. sess. 25.
r In l. de pretio. ff. de publ. in rem actio.
s Cap. 15. de reg.
t Ca. solitæ. §. fin. de maior. & obediẽ. & d. l. de pretio. de public. in rem actio.

Secūdò, quòd negatio quidquid post se inuenit destruit, & contrarium eius ponit, iuxta glossam celebrem & receptam,[a] & prædictum Concilium,[b] per negationem prohibet, ne intra prædictum annum fiat professio.

Tertiò, quòd regula prędicta de lege generali generaliter intelligenda procedit etiam quando maior ratio inuenitur, quare non debeat includere vnam speciem, ac aliam, vt ait Decius post alios,[c] per textum in hoc memorabilem,[d] qui tamen communiter est vitiatus, quatenus habet affirmatiuè, *puto verum* pro *non puto verum*, vt ratio sequens necessario concludit esse emendandum, vt adnotauit Antonius Augustinus.[e] Cùm ergo lex Concilij prohibeat generaliter, immo vniuersaliter, & negatiuè, ne quis professionem faciat ante finem anni nouitiatus, habebit etiam locum in casu proposito, esto maior ratio limitandi eam inueniatur in eo vt plurimùm, quàm in aliis.

a *In cap. cum dilecta. de cōsuet.*
b *Cap. 15.*
c *In consci. 669. num. 3.*
d *In leg. 1. §. quod autem. ff. de ale. lu. & aleato.*
e *Emend. lib. 4. c. 17.*

Quarto, quod ad solum principem videtur pertinere temperare legis rigorem per iuris æquitatem non scriptam.[f]

f *Leg. 1. C. de legib.*

4 Quintò, quòd licet vno respectu æquius videatur, vt seruetur ius antiquum, de quo in d. cap. *ex publico*, alio tamen videtur æquius, vt nouum seruetur potius in hoc casu, quàm in aliis. Tum quia frequenter contrahentes matrimonium pœnitet statim contraxisse, & turbati illa pœnitentia refugiunt ad remedium religionis, quam facilè profitentur, quod postea dolent fecisse. Tum quod maior est necessitas probandi religionis austeritatem ei, qui tam alienus fuit à religione, vt peruenerit ad cōtrahendum matrimonium, quàm aliis, qui non tantùm se elongarunt. Tū quod vtilius videtur relicto, vel relictæ in sæculo, vt relinquens probet integrè austeritatem religionis, quàm partem eius: quoniam magis potest sperare, quòd probata integrè austeritate illius pœnitebit ingressus, & redibit ad ipsam, quàm si solum ex parte probasset. Sextò, quòd nouatio & limitatio, vel extensio legum citra vel vltra verba ipsarum, nisi efficacissima ratione vrgente, nō videtur vtilis: quoniam est quædam mutatio legis, quam non expedit fieri, etiam ob maiorem vtilitatem, nisi fuerit maxima, iuxta l. 2.[g] & tradit S. Thomas.[h] His raptim consideratis, definitionem ad maius & maturius iudicium refero.

g *ff. de consti. princ.*
h *1. 2. qu. 97. art. 2.*

### SVMMARIVM.

*2 Religio S. Ioannis est vera religio, in qua tam profitentes ad chorum, quàm ad militandum, similem emittunt professionem. nu. 3. per cuius ingressum dissoluitur matrimonium non cōsummatum, nedum secundum eorum statuta, num. 3. sed etiam iure communi, & dispositione Concilij Tridentini. nu. 1.*

## CONSILIVM II.

QVidam nobilis contraxit matimonium per verba de præsenti, & vellet illud dissoluere per ingressum & professionem religionis hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani. Quæritur an possit illud facere.

1 Respondetur quòd sic, Tum quia glossa celebris, & recepta ab omnibus puris Canonistis & Theologis mixtis, qui canonicæ prudentiæ theologicam, vel theologicæ canonici iuris prudentiam adiunxerunt, hoc tenuit in ca. *ex publico.*[i] Tum quia illa glossa redacta fuit per Concilium Tridentinum in canonem necessario seruandum,[k] definiendo generaliter absque vlla exceptione, matrimonium ratum non consummatum dirimi posse per solemnem religionis professionem: & constat religionem prædictam S. Ioannis esse veram religionem, vt colligitur ex fundatione, & statutis eius approbatis à Summis Pontificibus.

i *De cōuers. coniuga.*
k *Sess. 24. can. 6.*

2 Tum quia omnes ingredientes prędictam religionem, & eam profitentes emittunt tria vota substātialia religionis approbatæ à Sede Apostolicæ scilicet castitatis, paupertatis, & obedientiæ, quæ qui in manibus pōtentis illum aggregare religioni facit, fit verè ac propriè religios⁹, secūdum Panormitanum communiter receptum,[l] & S. Tho. & alios,[m] & nos post alios tradimus in commen. 1. de reg.[n] Tum quia licet Domin. Sotus videatur negare religiones militares esse veras religiones,[o] religionem tamen prædictam S. Ioannis excipit.

l *In rub. de reg.*
m *In 4. sentē. dist. 33. & 2. 2. q. 136. art. 7.*
n *Super c. cui portio. nu. 18.*
o *Lib. 7. qu. 5. art. 2. de iust. & iure.*

3 Tum quia licet Papa dispensare possit circa votum castitatis religiosi ex iusta & magna causa, secundum glossam communiter receptam à Theologis & Canonistis,[a] contra S. Thomam,[b] tamen non solet dispensare plus circa castitatem religiosorum militum prædictæ religionis, quàm super castitate aliorum monachorum non militariū. Tum quod expressè in statutis & cæremoniis profitēdi prædictorum religiosorū militum habetur vna forma & vnus modus profitendi, & cōstat per professionem religiosorum, qui profitētur quo ad chorum, dissolui matrimoniū ratum non consummatum, ergo etiam per professionem eorum, qui eam profitētur quo ad militiam armatā. Tum quia specialiter in statutis & cæremoniis prædictæ religionis cauetur expressè, eos qui contraxerunt matrimoniū, & non consummauerunt illud, posse intrare & profiteri prædictam religionem. Tum denique quod etiam nos post alios efficaciter probauimus in tractatu de redit. eccles.[c] eos qui profitentur religiones militares, etiam quo ad exercitium armorum, esse veros religiosos.

a *In cap. cum ad monasterium. § fin. de statu monach.*
b *In 2. 2. qu. 88. art. 11.*
c *Qua. 3. nu. 27. & seq.*

### SVMMARIVM.

1 *Matrimonia clandestina ante Concilium Tridentinū valebant.*
2 *Matrimonium ratum non consummatum professio religionis soluit.*
2 *Professio ante nouitiatum, seu metu facta, est nulla.*
3 *Annus nouitiatus ab vltima receptione habitus continuus requiritur.*
4 *Metu reuerentiali facta professio est nulla.*
4 *Metus minor iusto, si est causa actus saltem sine qua non, in foro poli excusat.*
5 *Pœnitenti pro se & contra se creditur.*
6 *Scandalum vt vitetur, dissimulandum cum iis, qui in matrimonio putatiuo bona fide viuunt.*

## CONSILIVM III.

COntraxerunt duo ante Cōcilium Tridentinum matrimonium de præsenti clandestinè, ante quod consummatum fœmina post Conciliū aui sui timore intrauit monasterium, vbi intra triduum habitum sumpsit, & professionem fecit: & post sex menses, mortuo auo, reliquit habitum, & persuasione suæ matris resumpsit illum, & in fine anni accepit velum, nulla professione nouè facta: & post sex menses casu exiuit cum Abbatissa è monasterio, & confugit ad suum sponsum, & consummauit matrimonium: & coram iudice litis iurauerunt falsò se consummasse matrimonium ante religionis ingressum: & manserunt sine scrupulo in eo decem & septē annos, & habuerunt filios. Quæritur quid iuris quo ad forum consciētiæ.

1 Respondeo primò, certum esse, quod matrimonium valuit, iuxta cap. 1.[d] & [e] Concilium Tridentinum.

Secundo, certum esse item, quòd matrimonium illud fuit dissolutum per professionem præfatam, si fuit valida,[f] quia matrimonium ratum non consummatum soluitur per professionem legitimam regularem.[g]

2 Tertiò, quòd professio illa prima nō valuit, quia professio ante finē anni nouitiatus facta non valet, per Conciliū Tridentinū,[h] & quia metu & terrore aui facta fuit.[i]

Quarto, quod illa veli assumptio non habuit vim professionis validę. Tum quia nulla professio tunc facta fuit, & quæ prius facta fuerat palam fuit nulla: & fundamento nullo existente, vel omnino corruente, corruit etiam fundatum.[k]

3 Tum quia annus nouitiatus debet esse continuus, secundum communem sententiam per ca. 1.[l] quod latè tenet Lapus Abbas,[m] quem refert Francus,[n] referens alios ei concordantes,[o] & ita non potuit in fine præfati anni fieri professio, quia computandus erat annus incipiendo illum à secunda receptione habitus. Tum quia receptio illa secunda videtur fuisse facta ob metum reuerentialem matris, eo quod fuit facta persuasione ipsius, vt narratur in casu: & quòd verisimile est matrem allegasse illi voluntatem illam terribilem aui, qua nullatenus voluit restituere illam marito suo, etiam post excōmunicationem, & anathematizationem, immo detrusit eam in monasterium: & est etiam verisimile, quòd proposuit ei futuras sibi multas molestias: & ex eo quòd ante annum finitum post secundam receptionem confugit ad maritum, opportunitate oblata: & ex eo quòd verisimile est confugituram fuisse, si antea se obtulisset opportunitas: & ex eo quod statim vt confugit, consummauit matrimonium.

d *De spons. duorum.*
e *Ca. 1. de refor. matrim. sess 24.*
f *Ca. commissum. de sponsalib.*
g *Ca. ex publico. de conuers. coniug.*
h *Capi. 15. de reg. sess. 25.*
i *Ca. 1. de his quæ vi.*
k *Ca. cū Paulus. 1. q. 1.*
l *De reg. li. 6.*
m *In allegat. 47.*
n *In cap. 1. de regul. lib. 6. in princ.*
o *In d. cap. 1.*

4 Et constat professionem factam ob metum reuerentialem parentum non valere, vt tenet glossa,[a] quam etiam nos secuti fuimus in Manu.conf.[b] post Adrianum, & alios. Item addidimus in d. Man.[c] quod omnis metus, etiam minor iusto, excusat in foro conscientiæ tantùm, quantùm iustus, si metus ille fuit causa saltem sine qua non, si absque illo non fuisset factus actus. & quæstio proposita tangit forum conscientiæ tantùm: ergo quo ad illud forum iudicandus est actus irritus per metum reuerentialem.

5 Quintò, quòd partibus tam pro se, quàm contra se creditur quo ad forum conscientiæ secundum omnes, & quod quæstionis huius decisio petitur quo ad forum conscientiæ tantùm, & partes adeo putauerunt matrimonium præfatum esse validum, & professionem, quæ consecuta est illud, adeo nullam, quòd decem & septem annos perseuerauerunt in illo, suscipiẽdo liberos sine scrupulo cõsciẽtiæ.

Sexto, quod tractata lite in foro exteriori, iudicati fuerunt veri coniuges, & non fuerunt iudicandi tales ob id solũ quod iurauerunt se consummasse matrimonium ante professionem solemnem, argumẽto eorũ quæ habentur in c. super eo,[d] & eorum quæ Panormitanus notat,[e] ab aliis receptus. Ergo præsumendum est, iudicem, qui iudicauit eos esse veros coniuges, inuenisse per processum, quem fecit, professionem præfatam per veli susceptionem non fuisse firmatam, & ambas fuisse ipso iure nullas aliqua ratione supradictarum.

6 Septimò, quod dissimulari posset cum his, qui bona fide putant legitimum esse inter se matrimonium, si ex separatione graue timeretur scandalum, per textum in cap. *quia circa,*[f] & intellectum pulchrum eius Goffredi, quem rationibus irrefragabilibus defendimus,[g] contra Hostiensem & alios, qui illum per errorem secuti fuerunt, quos nos[h] referimus.

Octauo, quod per prædicta potest responderi prædictis oratoribus, vt remaneant in sua bona fide, in qua per tot annos remanserunt. Immo etiam potest declarari matrimonium valere quo ad forum conscientiæ tantùm, sicut iã pridem declaratum fuit in foro exteriori. Salua, &c.

[a] Ca. præsens. 1. q. 3.
[b] Ca. 22. nu. 51.
[c] Cap. 17. nu. 5. & 30.
[d] De eo qui cogno. cõsang.
[e] In ca. iurauit. de proba.
[f] De consang. & affin.
[g] In c. si quis autem. de pœnit. distin. 7. à nu. 67. vsque ad 75.
[h] In dict. c. si quis autem.

SVMMARIVM.

*1 Papa dispensare nequit quo ad vinculum super matrimonio rato, & consummato.*

*2 Vxor, si nupsit alij bona fide, maritum mortuum probabiliter credens, monenda non est, de vita mariti, aliàs secus, quia non esset in bono statu.*

*2 Religionem intrare, & profiteri potest publicæ adulteræ maritus, etiam sine alio iudicio Ecclesiæ.*

*3 Maritus diu absens ab vxore etiam sine iusta causa, licet eam de eius vita non moneat, non dat causam proximam adulterandi, & ideo eam adulterantem dimittere, & religionem ingredi, & in ea manere potest.*

## CONSILIVM IIII.

Ante Concilium Tridentinum quidam nepos cuiusdam canonici potentis, & diuitis contra illius volũtatem contraxit clam matrimonium & consummauit cum quadam nobili paupere, consentientibus tamen tacitè parẽtib. puellæ. quod cũ rescisset auunculus iuuenis, curauit eum absentare à ciuitate ad loca remota, quæ puella ignorabat, & ibi ingressus fuit, & professus religionem quamdam illustrissimam, cuius est confessarius, & prædicator in prætio habitus. Idque fecit consulto confessario, qui dixit ei licere prædictum ingressum. Puella item nesciens vbi ille habitaret, & putans esse mortuum, nupsit alteri nobili & potenti viro, qui ex ea multos filios suscepit, & habuit.

Quæritur quo remedio succurri possit eis, ne damnentur à Deo, neque ab hominibus.

1 Respondeo primum, non posse illis prodesse dispensationem Papæ: quia matrimonium prædictum fuit cõsummatum: & omnium tam Canonistarum, quàm Theologorum vna est conformis sententia, non posse Papam vlla de mundi causa dissoluere tale matrimonium quo ad vinculum, iuxta illud Euang.[i] *Quos Deus coniunxit, homo non separet.*[k]

2 Secundò, quòd fœmina non potest esse in bono statu, neq; absolui per vllum remediũ, nisi non exigendo, & non reddendo debitũ marito, vel nisi cõtraxisset bona fide probabiliter credens, quòd maritus eius obierat, nec postea sciuit, nec credidit, nec credit contrarium: quo casu nullatenus esset ipsa monenda de vita mariti viuentis.

[i] Matth. 19.
[k] Cap. quod Deus. 33. qu. 2. & ca. inter corporal. de translat. Episcop.

Tertiò, quòd prædictus maritus religiosus potest perseuerare iustè in sua religione, per capit. *Agathosa,*[a] quod clarè habet, maritum vxoris, quæ fornicata est publicè, vt ibi addit glossa posse intrare religionem, & perseuerare in ea etiam non facta separatione iudicio Ecclesiæ: & in casu proposito notorium est adulterium prædictæ vxoris.

3 Non obstat, quod maritus, qui causam dedit adulterio vxoris, non potest illam dimittere,[b] & quòd prædictus religiosus dedit causam adulterij prædictæ puellæ vxori suæ absentando se ad remota loca, & non scribendo illi, nec alias admonendo vitam suam: non inquam hoc obstat: quoniam non fuit causa propinqua, vel immediata adulterij: quia non tradidit illam adulterandam, nec rogauit, nec cõsuluit ei, vt id faceret: quo casu loquitur prædictum cap. *discretionem,* sed tantùm fuit causa remota, de qua loquitur d. cap. *si tu abstines,* quia renuit commisceri illi, vel reddere debitum, quo casu non est causa, sed tantùm occasio, cuius traditio non sufficit ad hoc, vt nõ possit eam relinquere, secundum glossam,[c] quam pulchrè tractando sic declarauit Panormitanus & Præpositus.[d]

[a] 27. q. 2.
[b] Ca. discretionem. de eo qui cogn. consangu. vxor. sua. & c. si tu abstines. 27. q. 2.
[c] In d. c. si tu abstines.
[d] In d. ca. discretionem.

SVMMARIVM.

*1 Vxoratus inuita vxore professus, si ab ea, vt potest, num. 4. in fine repetatur, remanet obligatus voto simplici castitatis, nu. 2. 3. & 4. Vnde si superstes aliam ducat, peccat, num. 2. tenet tamen matrimonium, num. 4 non tamen tenetur ad religionem redire. num. 1. quod si non repetatur, remanet obligatus voto solemni: adeo vt si aliam duceret, non teneret matrimonium. num. 1. & 4. in fin.*

*1 Vxoratus si consentiente vxore professionem emittat, tenet & valet. & num. 4.*

*3 Votum emissum à filiofamilias in præiudicium patriæ potestatis vsque à principio est nullum: vnde nec mortuo patre secundum Panormitanum contra Innocentium obligatur.*

*5 Professio emissa ab vxorato inuita vxore, quæ eum repetijt, resoluitur in simplex votum. Vnde Pontifex cum hoc, si superuiuat vxori, potest dispensare, seu illud, vt potest in simplici voto castitatis, commutare, etsi causa aliquanto maior in vno, quàm in altero requiratur.*

*6 Castitatis votum à nouitio post habitum nouitiatus emissum ad sui commutationem requirit causam aliquanto maiorem, quàm emissum in sæculo.*

## CONSILIVM V.

Qvidam inuita vxore intrauit & professus est religionem aliquam approbatam, & postea fuit repetitus ab vxore, & cum ea vixit aliquo tempore matrimonialiter. Quæritur an mortua illa possit aliam ducere.

1 Respondeo, quòd pro parte negante facit primò cap. *quidam intrauit,*[e] quatenus habet, quod huiusmodi coniugatus mortua vxore non potest aliam ducere.

Secundo, & fortius facit cap. *consuluit,*[f] quatenus probat, quòd coniugatus manens in religione per annum & vltra, non repetente illum vxore sua, mortua illa antequam repeteret, non potest aliam ducere, & si ducat, non tenet matrimonium.

Tertio facit cap. *ex parte,*[g] quatenus habet, coniugatum, qui consentiente vxore professus est religionem, ea mortua non posse ducere aliam, nec si duxerit, valere matrimonium.

Quarto facit capit. *placet,*[h] quatenus habet ingressum & professionem vxoris credentis maritum esse mortuum valere, quatenus sibi & non marito præiudicauit.

Pro parte autem affirmante facit primo dictum capit. *quidam intrauit.* quatenus habet huiusmodi coniugati votum non valere, & constat non præstare impedimentum id quod de iure non sortitur effectum.[i]

Secundo facit idem cap. quatenus habet, quòd mortua coniuge non potest cogi redire ad monasterium: cui consequens est non valuisse votum antea præstitum.

Tertio facit dicto cap. *ex parte,* quatenus habet à contrario sensu votum huiusmodi coniugati vxore consentiente factum valere, quasi diceret factum ipsa inuita non valere.

[e] De cõuers. coniug.
[f] Eod. tit.
[g] Eod. tit.
[h] Eodem tit.
[i] Capit. non præstat. de reg. iur. lib. 6.

2 Pro resolutione dicendum primò, quòd præfatus coniugatus non potest absque peccato citra dispensationem aliam ducere, per fundamenta pro parte negante adducta, & ratione illa firma, quòd votum illud professionis licet non valuisset vt solemne quo ad præiudicium vxoris suæ, quæ habebat potestatem in maritum, neque quo ad obligandum eum religioni, vt pulchrè tenuit Panorm. contra Ant.[a] valuit tamen tamquam votum simplex, id est, habuit vim voti simplicis con tinentiæ, vt affirmat Panorm.[b] & clarè sentit Goffred.[c] & Siluester post Paludanũ,[d] cui in sententia concordat Sotus,[e] & qui tale votum simplex vouit, non potest contrahere matrimonium sine peccato absque iusta dispensatione.[f]

3 Non obstat, quòd Innoc.[g] tenenti, quod licet votum filiifamilias factum in præiudicium patriæ potestatis non obliget eum durante illa, obligat tamen ea cessante, contradicat Pan.[h] per præfatum c. *quidã*. quatenus ait ex illo colligi vnum dictũ mirabile, scilicet, quòd votũ inualidum ex impedimento intrinseco nõ obligat etiã pro tempore, quo illud impedimẽtum cessauit: quia casus sunt diuersi. Ratio diuersitatis, quare in casu Pan. non obligatur minor ad implendũ votũ cessante patria potestate, & huiusmodi noster cõiugatus sic, cessante vita vxoris (licet neque à Panormitano neque ab alio, quod sciam, reddatur) potest esse, quòd votum de quo loquimur, à principio valuit quo ad præiudicium vouẽtis, & ita à principio fuit obligatus seruare illud in præiudicium suum, ita quod nõ poterat exigere ab vxore debitum, licet ei petenti negare non posset: minor autem à principio non fuit obligatus seruare votum in præiudiciũ patriæ potestatis, immo nec potuit seruare illud iustè.

4 Secundò dicendum, quòd licet huiusmodi cõiugatus peccet ducendo aliam, ductio tamen siue contractus matrimonij valet, per adducta pro parte affirmante, per illam rationem firmam, quòd qui vouit castitatem, vel religionẽ voto simplici, licet contrahendo matrimonium peccet, contractum tamen tenet.[i]

At professio huiusmodi coniugati facta inuita vxore est votum simplex, vel tantùm habet vim eius, vt Pan. post alios dixit,[k] & colligitur irrefragabiliter ex eo, quatenus habet ab vna parte votum illud non valere, & ab altera, quod videtur promisisse, & se obligare non exigere debitum, & quo ad hoc votum valere: quæ duo sibi repugnãt, nisi alterũ intelligatur de defectu voti solemnis, & alterũ de virtute voti simplicis, quod in effectu est dicere, non valet vt solemne, sed valet vt simplex. Nõ obstat huic cõclusioni c. *ex parte*:[l] quia loquitur de eo, qui fecit professionem consentiente vxore: in nostro autem casu fecit inuita ea. Nõ etiã obstat d. c. *cõsuluit*: quia disponit de cõiugato, qui emisit professionem sciente vxore, & dissimulante, & ita non contradicente, nec expresè consentiente, dum viueret. per illam enim dissimulationem & taciturnitatem vsque ad mortem, illa consecuta, videtur consensisse, vt post Ioan. And. & Cald. diligenter, & rectè intelligit illud Pan.[m]

Non obstat, quod Pan.[n] ait post Cald. quod in omnibus casibus, in quibus coniugatus post professionẽ potest repeti ab vxore, si nõ repetatur in vita vxoris, debet remanere in monasterio, & si illa mortua contrahat cum alia, non valet matrimonium: non inquam hoc obstat: quia in casu proposito agitur de illo professo, qui intrauit inuita vxore, & fuit reuocatus à monasterio in vita eius.

Tertiò dicendum, quòd ex his duobus infertur, S.D.N. iusta de causa sanctéque posse dispensare, vt consulens contrahat, sicut posset, si votum castitatis & religionis simpliciter sine forma solemnis voti emisisset: sed quòd aliquanto maior causa requiritur ad dispensandum secum, eo quod diu detulit habitum non solum nouitiorum, sed etiam professorum, & quod in forma solemnis voti vouit, quam ad dispensandum cum eodem, si simpliciter nullo habitu suscepto, vel etiam suscepto sine forma solemnis voti vouisset,

6 Sicut & aliquanto maior causa requirẽda esset si votum simplex castitatis vouisset post habitum nouitiorum aliquanto tempore delatum, quàm si vouisset ante illum susceptum. quæ tamen magnitudo cùm non sit iure definita, arbitrio suæ Sanctitatis definienda est.[o] Salua, &c.

a In d. ca. quidam.
b Ibidem.
c In summa eiusdem titu. vers. si vero.
d Ver. diuortium q. 16.
e In 4. distin. 27. q. 1. art. 4. col. penult.
f Ca. rursus. qui cleric. vel vouen.
g In c. script. nu. 31. de voto.
h Nu. 7.
i Ca. rursus. qui cler. vel vou.
k In d. c. quidam.
l Eodem titu.
m Ibid.
n In ca. 1. nu. 7. de conuers. coniug. aut.
o Leg. 1. ff. de iure delib. ca. de causis. de offic. deleg.

A

SVMMARIVM.

1 *Falsa causa, seu falsa persuasio & dolus vitiant quidem hæredis institutionem, non autem votum nec simplex, nec solemne, cum non vitient in spiritualibus. num. 2. & 4.*

1 *Coniugata sine consensu coniugis professionem emittens, ab eo (vt potest) de monasterio educta, mortuo viro non cogitur ad monasterium redire: quod si non repetatur, non potest exire, immo cogitur in sua professione perseuerare, num. 2. 4. nisi Episcopus ob incontinentiam viri in sæculo incontinenter viuentis educat, vt viro cohabitet. num. 3.*

1 *Dolus & fraus prodesse non debent immediatè, sed mediatè prodesse possunt. num. 4.*

B

1 *Coniugatam professam de consensu viri viuentis in sæculo incontinenter, vel iuuenis, & de incontinentia suspecti, potest Episcopus ex officio educere de monasterio, vt cohabitet cum viro.*

3 *Votum continentiæ coniugis sine alterius consensu valet quo ad solum vouentis præiudicium, vt non exigat.*

## CONSILIVM VI.

PAmphilius coniugatus abiit in regionem longinquam, in qua facto testamento, finxit se mortuum: sua coniunx intrauit monasterium, & professa est solemniter, credens illum esse mortuum, quod nullatenus fecisset, nisi id credidisset: vir autem certus de vxoris professione vult intrare monasterium, & profiteri.

C

Quæritur, an vxor possit exire de monasterio, & compellere maritum ad cohabitandum secum.

1 Pro parte affirmante facit primò, quod falsa causa vitiat institutionem hæredis.[a]

Secundò, quia vxor ingressa monasterium, ob id quod probabiliter credidit maritum mortuum, potest educi à marito, quo mortuo non potest cogi redire ad monasterium,[b] ergo.

Tertio, quia nemini suus dolus & fraus debet prodesse,[c] & præfatus maritus dolo finxit se mortuum, vt sua vxor fieret monacha. ergo.

D

Quarto, quia coniunx profitens, etiam de consensu alterius, potest exire iubente Episcopo ex officio, si manens in sæculo viuat incontinenter, vel est iuuenis.[d]

2 Pro parte autem negante facit primò, quòd vota iustè emissa seruanda sunt,[e] sed illa vxor iustè vouit, & sanctè professa est, quia iustè credidit maritum mortuum. ergo.

Secundo facit cap. *consuluit*,[f] quatenus probat, quod coniunx ingressus monasterium absque consensu alterius debet in sua professione permanere, nisi à coniuge dum viuit reuocetur. & Panormitanus relatis multis modis intelligendi illud cap. concludit, quòd coniunx professus, siue ignorante, siue sciente, & dissimulante, siue inuita sua coniuge, non potest redire ad sæculum, nisi in vita coniugis, sine cuius consensu intrauit, repetatur ab ea.

E

3 Tertiò, quia coniunx potest vouere continentiam sine consensu viri, & valet quo ad vouentis præiudicium, licet non ad præiudicium coniugis, secundum glossam memorabilẽ,[g] & ita non potest exigere debitum, licet teneatur reddere,[h] ergo etiam professio facta sine licentia alterius coniugis valebit quo ad suum præiudicium: & ideo si non quæratur ab altera parte, non potest exire. Per quæ omnia videtur, quòd prædicta vxor non potest sua sponte redire ad sæculum, nec repetere maritum approbantem suam professionem, nisi viueret incontinenter, & Episcopus ex officio suo iuberet, vt cohabitarent simul.

F

4 Ad primum respondeo, distinguendo videlicet, quod in spiritualibus nec dolus nec falsa persuasio vitiat, iuxta cap. *constituit*,[i] vbi glossa memorabilis, licet sic in temporalibus, quando dat causam contractui.

Ad secundum concedo, quod illa vxor potest reduci à marito repetente, sed non potest sponte sua exire, nec maritum repetere, vt dicit glossa, quam mente tenet dict. cap. *vxoratus*.

Ad tertium concedo, quod fraus & dolus immediatè non prodest doloso, sed mediatè sic.[k]

Ad quartum concedo, quòd posset vxor eduxi repetente marito, & Episcopo iubente ob causam in argumento

a Le. fin. ff. de hared. instit.
b Ca. placet. de conuersa. coniug.
c Leg. itaque fullo. ff. de furt. c. bona. de postulat. prælat.
d Ca. cum sis. ca. vxoratus. adiuncta glo. singul. verbo nullaten⁹. de conuers. coniugato.
e Ca. magnæ. de voto.
f Eod. tit.
g D. ca. vxoratus.
h D. c. placet.
i 20. q. 3.
k Capit. quia diuersitatem. de conc. præb.

contentam,

contentam, sed non sponte sua, vt dictum est. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Professio à coniugato, cuius vxor publicè adulterata est, etiam tacito matrimonio emissa, tenet.*

## CONSILIVM VII.

AN valeat professio viri coniugati, cuius vxor publicè adulterata est, facta in religione, tacito matrimonio, cui alligatus erat?

1 Respōdeo quòd sic, per cap. *Agathosa*,[a] quatenus habet virum posse profiteri religionem nolente vxore, quæ fornicata est; præsertim publicè, vt glossa ibi annotauit: quia talis vxor nec possessorio, nec petitorio pōt agere ad restitutionem sic professi,[b] & ita præfatus vir perinde quo ad hoc est censendus, ac si morte suæ vxoris esset ab ea solutus. Salua, &c.

a 27.q.2.

b Ca. signific. de diuortijs.

SVMMARIVM.

1 *Adulterium committit vxor, quæ viuente primo viro, qui eamdem etiam recedendo reliquit, nu.3. cum altero secundum contrahit & consummat matrimonium: adeo vt si eius primus vir ingrediatur, vt potest, religionem, verus efficiatur religiosus, nec possit repeti nu.2.*

2 *Bigamus relicta vxore adultera potest vt laicus religionem ingredi, sed non vt clericus, nisi secum Papa dispenset, cum ad hæc irregularitatem non se extendant, vt creditur, regularium priuilegia, nu.4.*

## CONSILIVM VIII.

QVæsitum est de quodam, qui contraxit matrimonium clam ante Concilium Tridentinum cum corrupta, & consummauit illud, & abiit in aliam regionem longinquã, vbi post duos annos confessarius iussit ei, vt rediret ad suã vxorem, quam inuenit publicè nuptam: & considerans nō posse probare matrimonium suum clandestinum, hócque post Concilium Tridentinum in facie Ecclesiæ contractũ fuisse, ingressus & professus fuit religionem quamdam approbatam, & presbyter factus quatuordecim annis vsus est sacris ordinibus, an debeat censeri esse in bono statu.

1 Responsum est primò, matrimonium eius fuisse validũ: quoniã Concilium Tridentinũ non annihilauit, immo cōfirmauit matrimonia clandestina ante illud contracta.[c]

Secundò, quòd vxor eius peccauit contrahendo publicè cum secundo, si habuit verum animum matrimonium contrahendi cum Domino consulente, & admisit adulterium, quod est grande peccatum,[d] & quia contraxit, antequam notitiam certam haberet de morte mariti.[e]

2 Tertiò, quòd Dominus consulens peccauit ordines sacros assumendo: quia erat bigamus, eo quod cōtraxit cum corrupta,[f] & bigamia impedit omnem ordinem.[g]

Quartò, quòd licitè potuit ingredi religionem, ad hoc vt esset in ea Conuersus laicus: quia bigamus potest esse talis monachus secundum omnes.

Quintò, quòd ipse per suam professionem factus fuit verus religiosus, ita quod repeti non posset à sua vxore: quia per adulterium, quod admisit consummando secũdũ matrimonium, perdidit ipso iure ius petendi debitum, & retinendi & repetendi illum,[h] vt post Caiet.[i] tradimus nos in nostro Man. conf.[k]

3 Nec obstat, quòd videtur ipse dedisse occasionem adulterandi per suam absentiam: quia non dedit occasionem propinquam, sed tantùm remotam, quæ non sufficit ad hoc, vt excuset vxorem à perditione iuris petendi debitum, vt in his ferè terminis determinant Panormitanus & Præpositus,[l] & est glossa satis apta,[m] etiamsi per suã confessionem vel aliàs probare possit prædictum matrimonium.

4 Sextò, Dominũ cōsulentē debere petere dispensationē à Sede Apostolica super irregularitate bigamię, super qua, vt puto, dispensare nequeunt Superiores eius per priuilegia sua: quoniam per Apostolica priuilegia, quæ mihi licuit videre, licet eis detur facultas dispensandi super irregularitatibus cum fratribus suis, ante vel post ingresũ monasterij contractis, excipitur irregularitas, quæ nascitur ex homicidio voluntario, & bigamia. Salua, &c.

c Ca.1. de refor. matrimonij sess.24.

d Ca. at si. §. de adulterijs. de iudic.

e Cap. antea. & ca. in præsentia. de spōsal.

f Ca. si cuius. ca. si quis viduã. 34. dist.

g Per totum tit. de bigam.

h Cap. Agathosa. 27. qu. 2.

i Tomo 7. tracta. 5. q. 2.

k Ca. 22. nu. 31.

l In c. discretionem. de eo qui cognouit consang. vxoris suæ.

m In ca. si abstinet. 27. qu. 2.

SVMMARIVM.

1 *Creditur nequaquam in foro exteriori viro & mulieri asserentibus in præiudicium ordinum sacrorum publicè assumptorum, se prius contraxisse matrimonium, & consummasse.*

2 *Adulteram non potest relinquere vir, qui & ipse (licet clam) adulterauit, & multo minus sacris initiari, etiamsi illa alteri nupsisset, immo dissoluto secundo matrimonio illam volentem redire cogitur recipere.*

2 *Dispensare potest Papa, vt qui adulteram clandestinè ductam, & postea alteri nuptam reliquit, & ordines suscepit, durante dicto publico matrimonio, in susceptis ministret ordinibus.*

## CONSILIVM IX.

CVm certum sit coniugem adulterantem ipso iure perdere ius petendi debitum à coniuge innocente, cui etiam ipso iure quæritur ius negandi illud delinquenti, vt tradit Dominatio vestra in suo Manuali confessar.[a] Cúmque item certum sit, coniugem innocentem, qui, vel quæ quæsiuit ius negandi debitum coniugi adulteranti, perdere illud adulterando, iuxta cap. *intelleximus*.[b] Cúmque verum sit, eum qui clandestinè contraxit, & consummauit matrimonium cum aliqua, quæ postea publicè contraxit cum alio, ex quo suscepit filios, & negante illa non potest probari matrimonium, posse ordines etiam sacros suscipere, iuxta cap. *Agathosa*. 27. quæst. 2.

Quæritur de marito adultere priùs innocente, qui post matrimonium clandestinè contractum cum ea ante Concilium Tridentinum, postquam ipsa alteri publicè nupsit, & adulterium commisit, & ipse clam adulteratus est, & postea ordines sacros suscepit, an rectè fecerit, vel teneatur redire ad eam repetentem.

1 Respondeo primò, multa posse pro vtraque parte adduci per eum, cui vacaret id facere.

Secundò, quòd in foro exteriori censendus erit rectè fecisse, nec posse redire ad illam, quia non potest probari matrimonium, nec credi debet eis confitentibus illud, quia id credi non potest in præiudicium sacri ordinis publicè accepti, iuxta capit. *super eo*,[c] & ei per glossam & alios adnotatis.

2 Tertiò, quòd videtur male fecisse. Tum quia per illud adulterium perdidit ius discedendi ab ea in foro cōscientiæ, per cap. *intelleximus*.[d]

Quartò, quòd teneretur in foro conscientiæ accipere illam, si mortuo marito vellet redire ad eum.

Quintò, quòd non videtur posse iustè vti sacerdotio sine Papæ dispensatione, quam opinor posse suam Sanctitatem facere pro tempore, quo illa viueret nupta: attento quod illa non petit eum, nec eum vendicaret, etiam si peteret, propter probationis defectum: & quod non videtur contra ius naturale, neque diuinum, quod in huiusmodi casu occultissimo ordine suo vtatur sacerdos. Salua, &c.

a Ca. 22. nu. 23.

b De adult.

c De condit. apposit.

d De adulte.

SVMMARIVM.

1 *Coniugatus, cuius vxor notoriè adulterium commisit, sicut sine alia diuortij sententia potest religionem ingredi, ita & sacris ordinibus initiari.*

2 *Ordines sacros coniugatus post consummatum matrimonium assumere potest in omnibus casibus, in quibus inuita vxore potest religionem ingredi.*

## CONSILIVM X.

VTrum vxoratus propter notorium vxoris adulterium potuerit sacris ordinibus initiari, relicta vxore in sæculo, & ingredi religionem?

1 Respondeo posse. Tum quia per adulterium notorium ipso iure absque sententia separationis soluitur matrimonium quo ad thorum & cohabitationem, adeo quod ipsa adultera non potest petere restitutionem iuxta cap. *significasti*,[e] vbi hoc tenent omnes, & in l. *naturaliter*,[f] vbi Iason.[g] Tum quod hac ratione glossa recepta,[h] per illum textum dixit posse coniugatum ingredi religionem inuita vxore, quæ publicè fornicata est. Tum quia quo ad hunc effectum parificantur ordo sacer, &

e De diuor.

f §. nihil commune.

g Col. 10. ff. de acq possess.

h In cap. Agathosa. 27. q. 2. in verbo conuersionis.

monachatus, iuxta cap. *coniugatus*,[a] & Siluester post Petrũ Paludanum,[b] ponit pro regula, quod in omni casu, quo post matrimonium consummatum licitum est religionem intrare, licitum est etiam ad sacros ordines promoueri.

*SVMMARIVM.*

1. *Professio bigami coniugati, cuius vxor adultera est, etiam hoc tacito emissa valet, nisi intentio recipientium sit, vel esse debeat nõ recipiendi tales. & nu. 5. in fi.*
2. *Maritus adulteræ factus religiosus ad eam redire non tenetur.*
2. *Adulterium opponi potest agenti rei vendicatione, spoliato autem non, nisi sit notorium.*
3. *Bigamus est corruptam ducens, & sine Papæ dispensatione nequit ordinari, nec ordinatus sine ea licitè ministrare. nu. 5.*
4. *Irregularis celebrando peccat, sed irregularitatem nouam non contrahit.*
5. *Scandalum actiuum. & non passiuum attendendum.*

## CONSILIVM XI.

FRanciscus duxit in vxorem quandam concubinam alterius publicam, quæ biduo post consummatum matrimonium rediit ad suum concubinarium, & ipse tanto dedecore commotus abiit in longinquam regionem, & ibi tacito matrimonio intrauit, & professus fuit ordinem Frãciscanum, & ad titulum religionis initiatus fuit omnibus ordinibus, etiam sacris, etiam presbyteratus, & pluribus annis missauit, & pœnitentes sibi confessos absoluit.

Quæritur primò, an professio eius valuerit.

Secundò, an teneatur redire ad suam præfatam vxorem in foro conscientiæ, & an cogi possit in foro exteriori, præsupposito, quòd illa palam & notoriè perseuerauit, & perseuerat diutissimè in illo adulterino concubinatu.

Tertiò, an potuit rectè ordinari.

Quartò, an per executionem ordinum incurrerit irregularitatem.

Quintò, an possit celebrare licitè, non obstante quod aliqui ob id scandalizarentur.

1 AD PRIMAM QVAESTIONEM respondetur, quòd decisio eius pendet ex facto animorum recipientium: nam si ea mente fuerunt, quod recepissent eum, si confessus fuisset se cõiugatum cum ea, quam iustè dimiserat, & qua volente nolente poterat fieri religiosus, valuit professio: si autem erant contraria mente, non valuisset: in dubio autem præsumi posset eos fuisse priori mẽte, nisi particulari aliquo statuto contrarium haberent: quia quo ad intrandam religionem paria sunt iure communi quem non esse coniugatum, vel talem coniugatum, qui perinde potest intrare illam, ac si non esset coniugatus: & de æquipollentibus idem est iudicandum.[c] Et supposito quod professio valuit.

2 AD SECVNDAM respondetur negatiuè. Tum quia est casus pro hác parte negatiua in capit. *Agathosa*.[d] Tum quia licet coniugi coniugem relinquere quo ad thorum propter fornicationem, auctoritate euangelica,[e] trãslata in capit. *Dominus*.[f] Tum quia adultera ipso iure ante omnem iudicis sententiam priuatur iure petendi debitum in foro conscientiæ, vt rectè resoluit Card. Caiet.[g] & probatur ipsa auctoritate euãgelica. Tũ quia in foro exteriori competit innocenti coniugi exceptio adulterij aduersus coniugem adulterantem, si agat via rei vendicationis, etiãsi adulterium sit occultum: & competit eadem exceptio, etiãsi agat via spolij, & restitutionis ante omnia faciendę, si adulterium est publicum, quale est in hoc casu, per text. singularem,[h] quamuis exceptio cognationis notoriæ non posset opponi petenti restitutionem,[i] cuius diuersitatis ratio à multis reddita ibi, & in l. *naturaliter*[k], fuit à nobis quidem,[l] paulo altius declarata.

3 AD TERTIAM respondeo, quòd non fuit ritè ordinatus: quia bigamus non potest ordinari absque dispensatione Papæ,[m] & caret omni priuilegio clericali,[n] & prædictus consulens erat &, est bigamus: quia omnis qui cõtrahit matrimonium cum corrupta, vel vidua, fit talis,[o] & consuleus contraxit cum corrupta.

4 AD QVARTAM, quod per executionem ordinis nõ contraxit nouam irregularitatem, irregularis enim licet peccet celebrando, non tamen nouam irregularitatẽ contrahit, secundum Innoc.[p] recept. ibi per alios, & nervosius per nos confirmatum in Manuali confessar.[a]

5 AD QVINTAM, quod licitè potest celebrare post iustam habilitationem, non obstante quod aliquis ob id scandalizaretur. Tum quia illud scandalum non est actiuum, sed passiuum, de quo, si prouenit ex malitia, non est curandum, vt docuit Dominus,[b] & probatur in ca. *qui scandalizauerit*,[c] & si scandalum processerit ex ignorantia, vel infirmitate, potest doceri ratio, cur celebrat viuente vxore dimissa, qua non obstante, qui scandalizaretur, ex malitia videtur scandalizari: & ideo de tali non esset curandum, iuxta doctrinam S. Thomæ receptam.[d]

Ex quibus infertur, quod prædictus Franciscus eget dispensatione super irregularitate bigamiæ, super executione ordinum, & presbyteratus malè assumptorum: & videtur iusta causa dispensandi, attento quod est religiosus tam stricti ordinis, & quod fuit illi tanta causa vxorem adeo impudicam dimittendi: indiget etiam professionis noua emissione, vel prioris ratificatione facienda à S. D. N. vel à prioribus receptoribus, si mens recipientium non fuit, nec debuit esse recipiendi eum, si veritatem patefecisset. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1. *Vxor, viuente primo marito, alteri nubendo, & consummando committit adulterium, ob quod ius petendi debitum, retinendíque, ac repetendi virum factum religiosum perdit.*
2. *Adulteræ si detur occasio remota adulterandi, non excusatur à perditione iuris petendi debitum.*
3. *Bigamiam contrahit matrimonium contrahens, & consummans cum corrupta, & si ordinetur, est male ordinatus.*
4. *Coniugatus fieri potest religiosus de iusta licentia vxoris, vel ea adulterante, & hoc casu potest ordinari.*

## CONSILIVM XII.

SOcrates contraxit clam matrimonium cum corrupta, quam putabat virginem, & consummauit illud, cohabitauitque cum ea quasi duobus mensibus, postea ex Hispania traiecit in Flandriam, vbi mansit duobus annis, & iussus à confessario redire ad vxorem, inuenit eam nuptam alteri publicè in facie Ecclesiæ. Quare ingressus, & professus fuit quamdam religionem approbatam, in qua etiam ad omnes ordines etiam presbyteratus promotus fuit, quibus vsus est quatuor annis circiter. Quæritur an iste sit in bono statu, & an teneatur requirere vxorem.

1 Respondendum est illum esse verum religiosum, nec posse repeti ab vxore: quia per adulterium, quod admisit, consummando secundum matrimonium, perdidit mulier ipso iure ius petendi debitum, & repetendi, & retinendi virum,[e] vt post Caietanum,[f] tradidimus nos in Manuali confessar.[g]

2 Nec obstat, quòd videtur, quòd ipse maritus tradiderit occasionem adulterandi per suam absentiam, & quod talem occasionem præbens non potest de adulterio vxoris se iuuare,[h] quia non dedit occasionem propinquam, sed remotam, quæ non sufficit ad hoc, vt excuset vxorem à perditione iuris petendi debitum, vt in his fere terminis determinat Abbas & Præpositus,[i] & est glossa satis apta.[k]

3 Nihilominus maritus fuit malè ordinatus, quia contraxit bigamiam contrahendo, & consummando matrimonium cum corrupta,[l] quæ bigamia impedit omnem legitimam ordinationem.[m] Quò fit, vt si illa tempore contracti matrimonij fuisset virgo, etiam ille fuisset ritè ordinatus, quia id quod dicitur, non esse ordinandum coniugatum,[n] intelligendum videtur de illo, cuius vxor non perdidit ius petendi debitum ab eo,[o] & sicut coniugatus de licentia iusta vxoris potest fieri religiosus,[p] sic etiam vxore adulterante,[q] ita videtur quod coniugatus de licentia vxoris, vel ea adulterante, possit ad sacros ordines promoueri. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1. *Coniugatum si ordinet Episcopus, punitur, nisi accedat consensus vxoris. nu. 3. at ea consentiente potest, num. 2. etiamsi matrimonium sit cõsummatum. nu. 4. licet vxor non ingrediatur monasterium, modo voueat continentiam: etsi in hoc Panormitanus dissentiat. num. 5. immo si sit non suspecta de incontinentia, dictum votum non est necessarium. nu. 4. & 6.*
1. *Ordinis sacri etiã de voluntate vxoris susceptio matrimonium*

etiam

a De cõuers. coniugat. ad iunct. ca. cum sit. eod. tit.
b In verbo diuortiũ. §. 17.
c Leg. fin. ff. mand. & ca. licet ex quadam. de testibus.
d 27. q. 2.
e Matth. 19.
f 32. q. 7. cap. fin. de coniug. le pros.
g Tomo 1. opusc. tract. 31. resp. 4.
h In ca. significasti. de diuort.
i Cap. porro. eod. tit.
k Nihil commune. ff. de acquir. poss.
l In d. ca. significasti.
m Cap. acutius. & c. de inde. 26. dist. ca. 1. de bigamis.
n Cap. 1. eod. tit. lib. 6.
o Cap. si quis viduam. 1. & 2. & c. si cuius. 34. dist.
p In c. si celebrat. de cler. excommun.

a Ca. 27. nu. 194.
b Matth. 15.
c De reg. iur.
d 2. 2. qu. 43. art. 7. & 8.
e Cap. Agathosa. 27. qu. 2.
f In opusc.
g Ca. 22. nu. 21.
h Ca. discretionem. de eo qui cogn. consangui. vxor. suæ.
i In d. ca. discretionem.
k In cap. situ abstines. 27. q. 2.
l Cap. si quis viduam. 50. d. & ca. si cuius. 34. dist.
m Per totum titulum de bigamis.
n Per totam 31. dist. & ca. 1. 28. dist.
o Arg. ca. Agath. 27. q. 2.
p Cap. si quis coniugatus. 27. q. 2.
q D. ca. Agathosa.

etiam non consummatum non soluit quo ad vinculum, soluit tamen quo ad thorum, num. 3. religionis autem professio tollit vinculum matrimonij non consummati. nu. 5.

2 *Coniugatus, qui de licentia vxoris cognitæ religionem ingreditur, ab ea educitur, & vxori restituitur: & hoc, quando vxor erat suspecta de incontinentia. num. 4. qua suspicione existente non sufficeret licentia etiam cum voto continentiæ, nisi & ipsa ingrederetur. num. 2.*

4 *Voti solemnitas causata ab assumptione ordinum differt à causata per professionem in religione emissam, quo ad effectum, vt quis possit ordinari: nec ab vno ad aliud bene infertur. num. 5.*

## CONSILIVM XIII.

1 AN CONIVGATVS de vxoris consensu nondum carnaliter cognitæ iustè possit ordinari? Et videtur quod non. Primò, quia punitur Episcopus ordinans coniugatum.[a]

Secundò, quia per susceptionem ordinis etiam sacri non soluitur matrimonium etiam non consummatum.[b]

Tertio, quod cap. *coniugatus.*[c] sic habet, *Nullus coniugatorum ad sacros ordines promouendus, nisi ab vxore continentiam profitente fuerit absolutus.* & ita non sufficit consensus vxoris, nisi illa continentiam voueat. Et pondera quod non distinguit inter coniugatum, qui consummauit matrimonium, & eum qui non consummauit.

Quarto, quod glossa[d] valde dubitauit an sufficeret consensus vxoris etiam cum voto continentiæ sine ingressu religionis, & Panormitanus post Antoninum super ea tenet quòd non.

2 Quinto, quod cap. 1.[e] habet quod maritus ingrediens monasterium de licentia vxoris debet redire ad eam post professionem, si illa non ingrediatur religionem, nec voueat continentiam.

Sextò, quòd in capit. *cum sis.*[f] definitur non sufficere consensum vxoris etiam votum continentiæ emittentis sine ingressu religionis, vt maritus fiat monachus.

Sed contrarium affirmat S. Thomas[g] dicens quod coniugatus accipiens ordines de voluntate vxoris non solum accipit verum ordinem, sed etiam executionem.

3 Ad primum oppositorum respondeo quod cap. vlt.[h] in eo citatum loquitur de ordinante coniugem sine vxoris licentia.

Ad secundum concedendo, quòd per ordinem etiam presbyterij susceptum post contractum matrimonium etiam non consummatum, etiam de licentia vxoris, non soluitur illud quo ad vinculum, sed negando quod non soluatur quo ad thorum.

4 Ad tertium, & quartum, quod procedunt quando vxor est suspecta: quia tunc requiritur, quòd illa voueat continentiam.

Ad quintum, quod procedit in suspecta de incontinentia.

Ad sextum, quod loquitur de intrante monasterium, & prædicta conclusio de suscipiente ordinem sacrum, quæ quo ad hoc videntur differre.

Sit ergo conclusio, quòd maritus de licentia vxoris iustè potest ordinari. Quod ampliatur primo, etiam si matrimonium sit consummatum,[i] quod est de sententia & mente prædicti S. Thomæ communiter recepti.

5 Secundo ampliatur, vt procedat, etiam si vxor non ingrediatur monasterium, modò voueat continentiam, per d. capi. *coniugatus.* iuncta glossa quæ communiter recepta videtur hanc opinionem approbare, ponendo illam pro vltima, argumento glossę singularis[k] licet Panormitanus in contrariam inclinet, argumento cap. *præcedentis, cum sit.* quod probare videtur oportere vxorem ingredi religionem, quo maritus de licentia eius illam profiteatur. sed non concludit. Tum quia arguit à separatis, à quibus non fit illatio.[l] Tum quia illa non æquiparantur, quia monachismus plus separat, quàm sacerdotium: vnde etiam quo ad vinculum tollit matrimonium ratum non consummatum, quod non facit sacerdotium, iuxta capit. *ex publico.*[m] & extrauagãtem 1.[n] Nec est eadem ratio: quia sacerdos melius potest prouidere vxori remanenti in sæculo, ne fornicetur, quàm monachus inclusus.

6 Ampliatur tertiò: vt procedat, etiam si vxor non voueat continentiam, modo sit senex, vel aliàs extra suspicionem incontinentiæ. Tum quia id quod excusat ab intranda religione vxorem intrantis eam, videtur excusare posse à voto continentiæ vxorem ordinandi. Sicut enim sed habet introitus vxoris ad introitum mariti religionem intrantis, ita se habet votum continentiæ vxoris ad sacerdotium mariti ordinandi, per præcedentem ampliationem.

*Aduerte, quia quintum dictum, & illius responsio videntur intelligenda vt supra consil. 6.*

### SVMMARIVM.

1 *Coniugatus post consummatum matrimonium de solo consensu vxoris iustè religionem ingredi non potest, nisi etiam vxor ingrediatur, num. 3. vel cum sit ab omni suspicione incontinentiæ aliena, continentiam promittat, aliàs si sit suspecta, solus consensus cum voto de ingrediendo non sufficeret, nume. 2. professio tamen facta teneret, nec posset reuocari. num. 3.*

3 *Coniugatus, consentiente vxore & continentiam promittente, ordines sacros potest assumere, & hoc, si ab ea cesset omnis incontinentiæ suspicio, nu. 2. nã si esset suspecta, non sufficeret, etiam si promitteret, religionem ingredi, nu. 2 ordinatio tamen facta teneret, & posset eis vir iustè vti, vxorque esset cogenda votum adimplere. nu. 3. ad fin. & 4. Item & viro possunt conferri beneficia, vt patet ex casu proposito.*

4 *Vxor, quæ consentiendo viro promisit continentiã, si eam non seruet, est cogenda, vt maneat reclusa in aliquo monasterio, vel alio loco simili, vt Tertiariarũ, quæ non sunt propriè moniales, quòd si etiam vouit ingredi religionem, debet ad id cogi.*

5 *Adulteræ vir innocens potest etiam contradicente vxore religionem præcedente iudicis sententia, & si sit notorium, etiam propria auctoritate ingredi, immo & ordinari: immo & si antea ordinatus fuisset, posset superueniente adulterio ordinibus vti.*

## CONSILIVM XIIII.

QVIDAM coniugatus de licentia suæ coniugis promittentis & iurantis se seruaturam castitatem perpetuam, & intraturam religionem per instrumentum publicum, ordinatus fuit presbyterio à suo Episcopo, & beneficio curato donatus, quod multis annis rexit. Coniux vero eius cõmorata diu inter Tertiarias ordinis Dominicani, deserto suo monasterio, vitam inhonestam agit.

Quæritur, an præfatus suus coniux possit cogi ab Episcopo denuo redire ad eam, vel suspendi ab officio suo.

1 Respondeo, quæstionem hanc difficilem videri, eo quod solæ duæ viæ occurrunt, quibus Dominus consulens defendi posse videtur, & neutra est nimis clara. Altera est, quod suscepit ordinem sacrum de licentia suę vxoris promittentis seruare perpetuam castitatem, & intrare religionem. Altera, quod sua vxor admisit adulterium, & vitam ducit inhonestam. Quod autem prior via non sit nimis clara, facit primò, quod coniugatus post consummatum matrimonium non potest ingredi religionem de solo consensu vxoris remanentis in sæculo.[a]

Secundò, quòd non videtur sufficere, quòd vxor promittat seruare continentiam, nisi esset tanta ætate, & ita bene morata, vt tolleret omnem suspicionem fornicationis, vt expresse probat præfatum cap. *cum sis.*[b] & in casu proposito vxor non erat talis, vt euentus probauit.

2 Tertiò, quòd ad hoc, vt vir transeat ad religionem, non videtur sufficere consensus vxoris etiam vouentis ingredi religionem, si est iuuenis, & suspecta de fornicatione, vt expresse tenet Panormitanus communiter receptus[c] & probatur clarè per cap. *ad Apostolicam.* & cap. *significauit.* à contrario sensu[d] & in casu proposito mulier erat iuuenis, & ideo suspecta de fornicatione: ergo non debuit maritus ordinari, antequam illa mutaret vitam, & profiteretur religionem.

Quartò, quòd nihil prodesse videtur Domino consulenti, quòd vxor intrauit ordinem Tertiariarum S. Dominici, quia ille non erat vera religio, argumenta glossæ singularis.[e]

3 Pro contraria verò parte facit primò, quòd coniugatus licet non possit regulariter promoueri ad sacros ordines,

a Cap. fin. de temp. ordin. lib. 6.
b Extrauag. 1. de voto Ioan. xxij.
c De conuers. coniugat.
d In d. c. coniugatus.
e De conuer. coniug.
f Eod. tit.
g In 4. l. sent. 37. dist. quæ. 1. art. 2.
h De tempo. ordin. li. 6.
i Arg. ca. qui vxorem. 33. q. 5. & ca. seriatim. 32. di.
k In l. qui filium. §. Sabinus ff. ad Trebel.
l Le. Papinianus. ff. de minor.
m De cõuers. coniug.
n De voto Ioan. xxij.

a Ca. cum sis. & c. coniugatus. de cõuers. coniugatorũ.
b Et ca. vxoratus. eod. tit. de conuersi. coniug.
c In ca. . nu. 8 de conuers. coniug.
d Eod. tit.
e In clem. tũ ex eo. de sent. excomm.

ordines, fallit, si vxor cõsentiat, & continentiam promittat, vt est casus in capit. *coniugatus.* [a] & hoc in nostro casu contigit, quia maritus fuit ordinatus de consensu vxoris promittentis, & iurantis seruare continentiam, immo & intrare religionem.

Secundò, quòd coniux potest ingredi religionem, si sua quoque coniux ingrediatur, [b] & in casu proposito vir assumpsit ordines sacros, & fœmina promisit & iurauit seruare continentiam, & intrare religionem, immo & intrauit Tertiariam Dominicanorum.

Tertiò, quòd licet consensus vxoris etiam vouentis continentiam, si est iuuenis, & suspecta de fornicatione, non sufficiat vt maritus iustè ingrediatur religionem, antequam vxor ingrediatur eam, si tamen recipiatur, & profiteatur, valet professio, & non debet extrahi à religione, sed vxor, quę consensit, & vouit continentiam, & religionem, debet cogi ad complendum votum, vt Panormitanus [c] concludit, & probatur in d. cap. *significauit.* & in d. cap. *ad Apostolicam.* & confirmatur ea ratione, quòd de substantia professionis mariti non est professio vxoris, sed consensus ipsius cum voto continentiæ, si non est suspecta de fornicatione, & cum voto religionis, si est suspecta, vt Panormitanus [d] dixit, & clarius Federicus [e] & efficacius probant quatuor præfata capp. scilicet cap. *cum sis.* & c. *vxoratus.* & ca. *ad Apostolicam* & cap. *significauit.* in sensu directo, vel à contrario sensu. Per quæ verior & canonibus consonantior est pars hæc posterior.

Non obstant opposita. Ad primum enim & secundum respondetur concedendo assumpta in eis, negando tamen, quòd in casu proposito non inueniantur omnia illa, quoniam interuenit consensus vxoris, & votum & iuramentum de seruanda perpetua castitate, & intranda religione.

Ad tertium respondet argumentum tertium pro nostra parte formatum, scilicet, quòd in casu proposito non debebat ordinari ordine sacro Dominus consulens, antequam illa intraret religionem, ordinatio tamen facta tenuit, & iustè potest ordine accepto vti, & vxor præfata debet compelli à Reuerendissimo Episcopo, vt adimpleat ea quæ vouit, iuxta præfatum cap. *significauit.*

4 Ad quartum respondetur primò, negando quòd non prosit ingressus vxoris in præfatum ordinem Tertiariarium, tenendo opinionem Innocentij & d. cap. *significauit.* scilicet, quòd huiusmodi vxor tenetur quidem intrare religionem, non tamen profiteri, sed manere ibi reclusa; quod videtur verum, si non promisit plusquam continentiam perpetuam, secundum Calderinum approbatum per Panormitanum. [f] Secundò, concedendo quòd non prosit, tenendo opinionem Hostiensis [g] quòd tenetur profiteri: quæ videtur verior, si vouit intrare religionem, sicut in præsenti casu vouit: sed negamus, quòd ex hoc sequatur non profuisse votum de intranda religione: quia potest compelli ad intrandam aliam. & satis est Domino consulenti, quòd illa consensit cum voto & iuramento de seruanda continentia, & intranda religione, ad hoc vt sua ordinatio valeat, & non possit ab vsu eius arceri, & illa compellatur adimplere sua vota.

5 Altera vero defensio Domini consulentis est, quod præfata vxor fornicata & adulterata est. Tum quia coniuge adulterante, coniux innocens potest absque illius licentia intrare monasterium, & profiteri, vt est casus in ca. *Agathosa.* [h] & ratio firma est, quia per adulterium coniugis liberatur coniux ab omni seruitute, quam illi debet ratione coniugij, auctoritate Euangelij [i] relata in cap. *dixit Dominus.* [k] & alibi sæpe etiam ipso iure sine vlla iudicis sententia saltem quo ad forum conscientiæ, & etiam quo ad forum exterius, si adulterium est manifestum, [l] vt nos latius tradimus in Manual. confess. [m] Tum quia præfatus Dominus consulens non expoliauit eam, immo de consensu eius ordinatus fuit, & diu ordines suos exercuit: & ita licet occultum esset adulterium, vel fornicatio, ob quã potuit dimitti, debet audiri exceptio eius de adulterio, antequam cogeretur ad eam redire, & probato eo esset absoluendus per prædicta. Tum quia, etiamsi non fuisset ordinatus de illius consensu, & licentia, posset nunc ordinari sine illa, & à fortiori vti ordine iam suscepto, argumento *quemadmodum:* [a] & per ea iura, quæ colligi possunt ex prædicto num. 21. & duobus seqq. Salua, &c.

a De cõuers. coniug.
b Ca. cum sis. & c. vxoratus eod. tit.
c Vbi supra.
d Vbi supra.
e Cons. 37.
f Vbi supra.
g In d. cap. significauit.
h 27. q. 2.
i Matth. 5. & Luca 16.
k 32. q. 1.
l Cap. significasti. de diuor.
m Ca. 22. nu. 21. & duobus sequentibus.
a De iureiur. cum simili.

*SVMMARIVM.*

*1 Dubio in casu tutius est pro matrimonij validitate præsumere.*
*1 Sponsus credere debet sponsam se passam cognosci maritali affectu, & hoc magis si ipsa id fatetur, num. 3. contrarium autem, etiam ipsa id asserente, nisi aliæ adsint coniecturæ, credere non potest. nu. 2.*
*1 Præsumere in dubio debemus id quod lex communis præsumit.*
*4 Monitio non est adhibenda, quando non est profutura, sed quando creditur profutura. & num. 7.*
*5 Adultera vir potest se ab ea separare, idemque & religionem ingredi, immo & ordines sacros suscipere, num. 6. & eis vti sine Papæ dispensatione. num 7.*

## CONSILIVM XV.

QVIDAM cõtraxit cum quadam sponsalia de futuro, & cognouit eam carnaliter ante Concilium Tridentinum & postea illa nupsit alteri publicè, & ipse assumpsit ordines etiam publicè: & nunc post multos annos dubitat primum, an præsupposito, quòd ipse cognouit eam vxorio affectu, sed dubitat an illa eodem effectu passa est cognosci, possit deponere scrupulum incitantem eum ad credendum valorem matrimonij.

1 Ad primum dubium respondetur quòd non, si alia coniectura non concurrit. Tum quia tutius est in dubio credere valorẽ matrimonij. [b] Tum quia scit se cognouisse vxorio affectu, & idem debet credere de illa, cùm tota Ecclesia id credat, nec habeat coniecturam sufficientem ad non credendum. [c] Tum quia habens potestatem arbitrandi, debet ad arbitrandum lege communi duci, vt dicit Panormitanus [d] & tradit Sotus. [e]

2 Secundo dubitat, an teneatur interrogare illam, vtrum in copulam carnalem consensisset vxorio affectu. Respondetur quòd non, ad effectum credendi ei, si responderet non consensisse, non adductis alijs coniecturis, quæ ad credendum sufficerent, sed sic ad effectum sciendi, an essent aliæ coniecturæ ad id credendum, per dicta Soti [f] & nos in Manua. confess. cap. 22. nu. 76.

3 Tertio dubitat, an ipse teneatur credere sponsæ, quæ interrogata diceret se passam fuisse cognosci vxorio affectu. Ad quod respondetur, quod sic indubie. Tum quia tota Ecclesia tenetur id credere, & non est vlla ratio, quæ contrarium suadeat.

4 Quartò dubitat, an teneatur monere illam, vt suę conscientiæ medeatur. Et videtur respondendum, quod si probabiliter credit nihil profuturam monitionem, & multum officere posse, omittat illam, iuxta ea quæ habentur in Manu. confess. [g]

5 Quintò dubitat, quo remedio potest sibi mederi quo ad forum conscientiæ. Ad quod respondeo primò, quòd consulens non potest sibi mederi solutione matrimonij quo ad vinculum, quia cum credere debeat verum fuisse matrimonium, & consummatum, illud non potest solui quo ad vinculum secundum omnes, etiam Papæ auctoritate. Secundo, quòd non potest etiam mederi depositione conscientię, iuxta responsum ad primum dubium. Tertio, quòd potuit separare se, & manere separatus etiam sine auctoritate Papæ, eo quòd adulterata fuit ipsa, & manet in adulterio, iuxta capit. *Agathosa.* & ei *adnotata.* [h] nec tenetur redire ad eam, quæ fuit adulterata.

6 Quarto, quod potuit iustè religionem intrare, & eam profiteri eadem ratione, qua potuit se separare, & manere separatus. Quinto, quod licitè potuit ordinari. Tum quia, licet nec per ordinem sacrum, neque per sacram professionem diuidatur quo ad vinculum matrimonium consummatum, diuidi tamen potest quo ad thorum, & cohabitationem, præsertim quo ad forum conscientiæ. Tum quia nullam irregularitatem, neque suspensionem incurrit per illam ordinationem, quæ, vt dictum est, iustè potuit suscipi à iustè separato, etiam quo ad thorum, & cohabitationem.

7 Sexto, quod consulens videtur posse tutè ordinibus suis vti absque alia Papæ dispensatione, & satisfacere suæ conscientiæ, dummodo occurrente aliqua occasione, in qua monitio prodesse posit (vt si maritus eius moreretur,

b Arg. c. iuuenis. de sponsa.
c Cap. is qui de spons.
d In cap. cum Ioannes, nu. 13. & in fine de fid. instit. arg. cap. 1. de dilat.
e In 4. distin. 27. q. 1. art. 5. concl. 4.
f In 4. distin. 27. q. 1. art. 7. col. 8.
g Ca. 24. nu. 12.
h 27. q. 2.

vel

vel adulteraretur, ita vt se posset ab illo separare, vel alia similis, ob quam posset illa manere separata, & abstinere à nouo matrimonio contrahendo) moneat illam, vt se separet, vel maneat innupta castitatem seruando.

## DE CONVERSIONE INFIDELIVM.

### SVMMARIVM.

1 *Statuitur cum quid, & omnia illa statuta censentur, sine quibus illud vel nullo modo, vel non commode fieri potest.*

4 *Conuersus ad fidem coniugatus antequam cum altera contrahat, tenetur per monitionem, vel aliter cognoscere obstinationem infidelis coniugis nolentis nec conuerti, nec sine contumelia Creatoris cohabitare: licetque iudicialis interpellatio, & separatio sit vtilis, necessaria tamen non est. & nu. 2. & sicut non potest prius nubere, ita nec castitatis votum emittere. num. 2. nec religionem ingredi. num. 3.*

5 *Matrimonium contractum inter infideles non dissoluitur ex eo solo, quod vno conuerso alter interpellatus duret in sua obstinatione sed per matrimonium cum infideli legitimè contractum: vnde si quæ prius erat obstinata conuertatur, tenetur primò conuersus, si nondum cum alia contraxit, nec professionem emisit, illam recipere.*

5 *Conuersus, qui in infidelitate plures habuit vxores, si velit cum prima permanere, non eget vt denuo contrahat: secus si velit cum secundo loco, & sic minus legitimè ducta, & ad fidem reuersa, remanere.*

### CONSILIVM I.

AN INFIDELIS coniugatus, & ad fidem conuersus baptizatus possit ducere aliam fidelem vxorem, antequam interroget priorem infidelem, an velit conuerti, vel manere cum suo marito sine contumelia Creatoris?

Pro parte negante facit, quòd nullo iure videtur monitio requiri. Apostolus enim Paulus [a] cuius auctoritate nititur facultas contrahendi cum fideli, si vxor prima non conuertatur, non inducit obligationem monendi primam: solum enim ait, *Si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus frater, aut soror in huiusmodi est.* nec Innocentius III. [b] nec cap. *gaudemus.* [c] in quibus præcitatum dictum Pauli commentatur, nec Ambrosius, [d] nec alia citata per Gratianum [e] videntur requirere aliquam monitionem, vel interrogationem: & quod Sanctorum decretis non est sancitum, non est superstitiosa adinuentione præsumẽdũ. [f] Addo, quod nec Magister [g] nec S. Thomas, nec Scotus, nec communiter alij in eum comminiscentes claram aliquam de huiusmodi monitione, vel interrogatione ad hoc propositum mentionem fecerunt, nec D. Antoninus [h] nec Angelus à Clauasio. [i]

1 Pro parte vero affirmante facit primò, quòd, qui statuit aliquid, videtur statuere illa, sine quibus id fieri nequit, [k] immo & illa, sine quibus id commodè fieri nequit, iuxta l. penult. [l] & l. *quicumque.* [m] per quas id affirmat Aretinus communiter receptus. [n] At non videtur posse satis commode sciri voluntas non conuersæ, nisi interrogetur, vel moneatur, an velit se conuertere, vel sine contumelia Creatoris conuiuere conuerso.

Secundo, quòd glossa [o] habet, fidem conuersum volentem ducere nouam vxorem fidelem, debere habere testes, quibus probet nolle priorem vxorem infidelem conuertere se ad fidem: quamuis non requiratur separatio per iudicis sententiam: & Hostiensis dicit tutum esse, vt iudex præfigat terminum, intra quem conuertatur, licet id non esse necesse dicat Panormitanus in capit. seq. quo se remittit.

Tertio, quod Innocentius III. [p] requirit quod prius infidelis renuat cohabitare coniugi conuerso sine contumelia Creatoris, ad hoc vt posit aliam ducere. At renutus ille non videtur satis innotescere, donec monita, vel interrogata respondeat nolle.

2 Quarto, quod nullo prædictorum citato, nec alio auctore, scripsit S. Thomas, [q] quòd conuersus non potest votum continentiæ emittere, nec ad aliud matrimonium transire, nisi requisita vxore, vt conuertatur: quod eo non relato tenuit Dominicus Sotus [r] dicit, quod vt conuersus licitè cũ alia fideli contrahat, nõ conuersa est prius admonenda, & requirenda Ecclesiastico more: quod etiam ante ipsum, quem ipse non refert, tenuit Siluester. [a]

3 Angelus item [b] licet non dicat requirendam esse antequam contrahat cum fideli, ait tamen requirendam esse antequam fiat religiosus: ex quo ex rationis identitate argui potest idem fieri debere, antequam contrahat.

Quinto denique allegatur textus à nemine, quod sciam, ponderatus, [c] qui sic habet, *Iudæi admoneantur vt fiant Christiani, si cum vxoribus suis conuersis habitare voluerint.*

4 Per quæ omnia pro hac parte adducta tenendum videtur firmiter primò, quòd necessaria est monitio, rogatio, vel interrogatio aliqua honesta, vel alia probatio sufficiens, per quam sciatur, vel cognoscatur obstinatio eius in sua secta, ad hoc, vt conuersus posit contrahere nouè cum alia fideli.

5 Secundo, quod tuta & vtilis esset monitio, & separatio iudicialis, sed non necessaria. Tum quia non requirit hoc Apostolus, nec aliquis canon, nec vlla ratio hoc efficaciter cõuincit. Tũ quia prædicta monitio & separatio iudicialis non inducit dissolutionem primi matrimonij, sed obstinatio infidelis nolentis se conuertere, neque cohabitare sine contumelia Creatoris suo coniugi conuerso, & contractus matrimonij consequutus cum secunda: quoniam sententia verior S. Thomæ est, vt præ alijs probat Siluester vbi supra sexto dicto in fine, quod primum matrimonium non dissoluitur per prædictam illius obstinationem ante contractum secundum matrimonium, ea ratione firma, quòd non obstante quacumque responsione ipsius, si verè conuerteretur ante contractum matrimonij secundi, & ante religionis professionem, teneretur eam accipere.

Ad apposita respondetur, quod licet Apostolus expressè non requirat prædictam monitionem, tacitè tamen requirit, vt sciatur, quod non vult se conuertere, nec commanere cum conuersa sine contumelia Creatoris, quæ scientia non potest commodè haberi sine illius monitione, rogatione, interrogatione, vel alia probatione, quæ arbitrio boni viri videretur sufficiens, & ideo visus fuit tacitè voluisse illam, non tamen iudicialem separationem, sine qua commodè illa potest haberi.

6 Idem iudicandum de conuerso, qui habuit plures vxores nulla repudiata, vel repudiata aliqua. Nam talis siue Hebræus, siue quilibet alius infidelis conuersus debet requirere, & monere illam, cum qua primò licitè contraxit, & non alias, cum quibus non poterat contrahere, & quæ non fuerunt veræ vxores eius, vt clarè colligitur ex d. ca. *gaudemus.* Quod si prima, quæ erat vera vxor, siue repudiata, siue non repudiata, monita, & supradicto modo requisita, permanserit obstinata, nolens se conuertere, nec conuiuere illi sine contumelia Creatoris, poterit accipere vnam ex alijs, quę se conuertere voluerit, perinde ac aliam fidelem, si nullum impedimentum legitimum obsit: aliter tamen potest accipere primam, & aliter aliam: nam primam accipiet tamquam vxorem veram, cum qua verum matrimonium contraxit in infidelitate, & numquam fuit dissolutum, iuxta illud, *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* Neque indiget nouè contrahere cum illa: aliam autem accipere debet contrahendo cum illa nouè matrimonium, perinde ac si numquam in infidelitate contraxisset: quia ille primus contractus nihil valuit, & ita nec iuuat, nec nocet ad essentiam matrimonij, iuxta illud Persij, *Ex nihilo nihil in nihilum nil posse reuerti.* Salua, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Matrimonium apud Iudæos & alios infideles verum inueniri.*

2 *Baptismus coniugia legitima non dissoluit: vnde conuersi coniuges iterum contrahere nequaquam tenentur. & nu. 6.*

1 *Infidelium coniugum alter conuersus aliam ducere potest, seruatis tamen requisitis.*

2 *Leges veteris testamenti pertinentes ad nuptias, vt iudiciales vel cæremoniales, expirauerunt per passionem Christi, adeo vt nec ipsos Iudæos ligent. & num. 4.*

3 *Matrimonia Iudæorum nullam aliam præter liberum consensum videntur requirere substantialem solemnitatem. nu. 6.*

4 *Matrimonia ante Concilium solo mutuo consensu per se, vel per literas, seu procuratorem & nuncium, modo personæ essent legitimæ, ad contrahendum dato, perficiebantur.*

5 Impedi

---

[a] 1. Corinth. 7.
[b] In c. quãto.
[c] De diuor.
[d] In c. si infidelis.
[e] 28. q. 1.
[f] Cap. consuluisti. 2. qu. 4.
[g] In 4. distin. 19.
[h] 3. p. tit. 1. ca. 6.
[i] In verb. matrimo. 3. imped. 10. §. 6.
[k] Leg. 2. ff. de iurisdict. omnium iud. ca. praterea. de off. deleg.
[l] ff. de vsufr.
[m] §. si ei quẽ. ff. de institut. actio.
[n] In c. de testibus.
[o] Cap. quanto. de diuort. verb qui relinquitur.
[p] In ca. gaudemus. de diuort.
[q] In 4. distin. 39. q. 1. art. 5. ad 4.
[r] In ead. dist. arti. 4. col. 8. & in artic. 3. colum. ante p.

[a] Verb. matrimonium 8. q. 10. nu. 8.
[b] Vbi supra.
[c] In c. Iudæi. 28. q. 1.

5 *Impedimenta dirimentia matrimonia secundum auctorem potest infidelis Princeps inducere.*

5 *Messiæ ab aduentu sceptrum à Iuda ablatum fuit: vnde nec quid validè statuere potuerunt Iudæi.*

## CONSILIVM II.

IVDÆVS & Iudæa contractis sponsalibus per verba de præsenti, non seruatis alijs cæremonijs secundum vsum Iudæorum seruandis, consummauerunt matrimonium, postea conuersi sunt ad fidem Catholicam. Quæritur an debeant contrahere matrimonium seruatis solemnitatibus Concilij Tridentini.

Respondeo sequentia. Primũ, quòd hęc quęstio potest habere duplicem sensum. Alter est, an coniuges infideles, qui in infidelitate validè matrimonium contraxerunt, conuersi ad fidem debeant iterum contrahere cum solemnitate Ecclesiæ. Alter est, an infideles, qui contraxerunt matrimonium omissa aliqua solemnitate secundum suam legem, vel sectam, conuersi ad fidem debeant contrahere cum solemnitate requisita Ecclesiæ.

1 Secundum, quòd prædicta quæstio est resoluenda negatiuè, scilicet quod non tenentur contrahere cum solemnitate Ecclesiæ. Tum quia matrimonium verum inuenitur apud Iudęos, & alios infideles, [a] & indissolubile. [b] Tum quia baptismus nullatenus soluit coniugia, si ambo coniuges conuertantur, licet altero in infidelitate manente, ei qui conuertitur fiat certo modo facultas contrahendi cum alia, iuxta sententiam Pauli [c] relatam & declaratam à Gratiano [d] & à Magistro, & à suis commentatoribus. [e] Tum quia nullo iure naturali, diuino, neque humano cauetur, vt coniuges infideles conuersi ad fidem iterum teneantur contrahere matrimonium: ergo non est dicendum. [f]

2 Tum quod leges pertinentes ad nuptias abrogatæ sunt, quippe quæ erant iudiciales vel cæremoniales. [g] & tradit S. Thomas receptus [h] & in specie de legibus Iudiciorum pertinentibus ad nuptias, quod omnes pręter naturales expirauerint per passionem Domini nostri Iesu Christi, ita quod non ligantur eis hodie Iudæi, tradit Dominicus Sotus. [i]

3 Tertium, quòd hæc quæstio secundum alterum sensum est difficilior, & pendet ab illa, an prædictum matrimonium fuisset verum & validum iudicandum apud Iudęos, antequam obseruaretur solemnitas, quę esset superaddenda consensui de præsenti: nam si illud fuisset iudicandum validum non obstante talis solemnitatis defectu, non tenerentur prædicti coniuges ad contrahendum iterum post conuersionem, per superius citata. si autem prædictum matrimonium fuisset iudicandum inualidum ob defectum talis solemnitatis, tenerentur iterum contrahere cum Ecclesiæ solemnitate: quia regulariter quod nihil est, nihil operatur, [k] iuxta capit. *ex tenore.* cum glossa de rescript. vbi latè Felinus. Nam si matrimonium præfatum ante conuersionem erat nullum, vtique per conuersionem non fuit factum validum, cùm aliud sit conuertere se ad fidem Catholicam, & aliud contrahere matrimonium, & à separatis non fit illatio. [l]

4 Quartum, quòd nec ex sacris literis, nec ex vllis Ecclesiæ canonibus videtur colligi, quod apud Iudæos esset ante aduentum Christi seruanda aliqua solemnitas vltra mutuum & liberum consensum personarum ad contrahendum legitimarum, ob cuius defectum matrimonium diceretur ipso iure nullum: neque aliquis comminiscentium in 4. lib. sent. vel aliquo sacrorum canonum videtur id perpendisse, cùm omnes vno ore dixerint sufficere vsque ad prædictum Concilium Tridentinum ad substantiam & essentiam matrimonij consensum personarum ad contrahendum legitimarum mutuum & liberum præstitum siue per se, siue per literas, siue per nuncium, siue per procuratorem, iuxta prædictum cap. *sufficiat.* [m] & multas leges. [n] Quin & Dominicus Sotus [o] significat omnes leges veteris testamenti pertinentes ad nuptias præter naturales, vti leges iudiciales, expirasse ab orbe redempto, nec eas hodie ligare Iudæos: & quidem rectè: quia omnes leges cæremoniales & iudiciales expirauerunt à passo D. N. Iesu Christo, [p] & tradit S. Thomas receptus. [q]

5 Quintum, quod dubitari potest, an respublica Iudæorum post orbem redemptum statuerit aliquam solemnitatem extrinsecam, cuius defectu matrimonium redderetur nullum: & mihi videtur quòd non. Tum quia non habuerunt rempublicam liberam, nec Principem, nec Regem, qui id statuerit. Tum quia res controuersa est, an vllus infidelium Princeps posset id statuere, & addere legi naturali, sicut prædictum Concilium addit præsentiam parochi & testium [a] quamuis ipse magis propendeam in partem affirmatiuam, quam tenet Sotus. sed vt prædixi, ablatum fuit sceptrum à Iuda, & regia potestas ab aduentu Messię, vt Iacob [b] significauit. Tum denique quod nullus classicus auctor, quod sciam, id meminit.

a Ca.gaudemus. de diuort.
b L.1.ff de rit. nupt. & melius Instit. de patria potestate. §. nuptiæ.ca. sufficiat.27.qu.2. & l. nuptias. ff de reg.iur.
c 1.ad Corin. 7.
d 28.q.1.cap. iam nunc. & in multis alijs capp.
e Lib. 4.sent. dist.39.
f Cap.consuluisti. 2. q. 4. & §.consideremus.in auth. de triente & semiss. col. 3.
g 6.dist.§.fin. & c.1.de purificat. post partum.
h 1.2.qu.103. art.3. & qu. 104.art.3.
i In d. distin. 39.
k Ca.nõ præstat. de regu. iur.lib.6.
l L. Papinianus ff.de minorib.
m 27.q.2. & d.l.nuptias.ff. de regul. iur.
n ff. de ritu nup.
o In d.distin. 39.art.1.q. 1. col.8.
p §.fin.6.dist. c.1.de purific. post part.cum ei adnotatis.
q 1.2.q.103. art.3.&104. art.3.

a In cap.1.de refor. matrimo.sess.24.
b Genes. cap. penult.

6 Sextum, quod attentis supradictis, credendũ est, quòd licet Iudæi seruent aliquas cæremonias de consilio, vel præcepto in consummandis suis matrimonijs, pręter consensum liberum & legitimum requisitum ad substantiam & essentiam eius, sicut Sacrosancta mater Ecclesia seruat in consummatione matrimoniorum suorum Christianorum: non tamen est credendum, quod seruant aliquam solemnitatem tantæ virtutis & efficaciæ, vt matrimonium iure naturali validum, & indissolubile, reddatur nullum propter defectum eius: & consequenter præfati coniuges ad fidem conuersi non debent contrahere denuo matrimonium cum solemnitate Ecclesiæ, neque absque illa. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

2 *Matrimonium inter infideles contractum est verum & inseparabile, non tamen ratum est, nec sacramentum, licétque non dissoluatur per baptismum ab altero assumptum, num. 7. 10. etiam si relictus in infidelitate nolit sine contumelia Creatoris cohabitare, & monitus protestetur se nolle conuertere, nu. 6. & 9. etiam quod alteram infidelem ducat, nu. 1. & nu. 8. adeo quod si infidelis, etiam si secundam duxisset, conuertatur antequam conuersa cum altero fideli contraxerit, teneatur adhærere primæ, & dimittere secundam, etiamsi & ipsa secunda baptismum suscepisset, quia non potuit esse eius vxor, nu. 5. & 8. & prima ei adhærere tenetur, nu. 6. dissoluitur autem eo ipso, quod conuersa, ipso infideli in sua obstinatione permanente, alteri, prout potest, nu. 11. nubit, nu. 4. quia cum hoc secundum matrimonium inter fideles contractum sit sacramentum, destruit primum matrimonium, quod non erat nec ratum, nec sacramentum, nu. 9. 11. & tunc fit facultas infideli aliam validè ducendi, adeo quod si postea conuertatur cum hac secunda, possunt, nu. 3. immo tenentur simul cohabitare, quia fuerunt veri coniuges, eorumque matrimonium per superueniens baptismum fuit factum ratum.*

3 *Sacramenta per easdem causas, quibus fiunt, nõ soluũtur. & 11.*

4 *Corporalia facilius destruuntur, quàm construantur, at spiritualia contra.*

7 *Matrimonium infidelium inseparabile est de lege naturæ, nec tollitur per baptismum, immo si ambo conuertuntur, efficitur per conuersionem ratum. nu. 10.*

12 *Matrimonium fidelium ratum nedum professio in religione emissa, sed & Papæ dispensatio, licet sit verum sacramentum, num. 13. dissoluit, secus si fuerit consummatum sacramento, quod significat Christi cum Ecclesia inseparabilem coniunctionem, nu. 14. & 17. at infidelium etiam, & catechumenorum potest, nu. 13. non obstante quod per baptismum fiat ratum, nu. 10. & quod ante baptismum fuerit consummatum: quia per illam præcedentem consummationem non dicitur consummatum sacramento prædicto, quod significat prædictam Christi cum Ecclesia coniunctionem. nu. 14. & 17.*

15 *Papa, aliusve Princeps contractus subditorum sine causa soluere potest.*

16 *Papa de consensu conuersæ facere potest, vt vir eius, qui adhuc infidelis cum alia contraxit, conuersus cum eadem valide contrahat.*

18 *Repudium vel numquam licuit, vel non post Euangelium.*

## CONSILIVM III.

1 LAZARVS Hebræus habens vxorem, eaque ad fidem conuersa, & antequam alij nupsisset, secundam duxit, ex qua liberis susceptis cum ea ipse quoque conuersus est, viuente adhuc priore innupta.

Dubitatum est primo, an d. Lazarus iure communi absque vlla Papæ dispensatione posit iustè cum secunda remanere.

Secundo

Secundo, an saltem cum dispensatione Papæ iusta de causa facta id facere possit.

Tertio, an subsit in casu proposito iusta causa id faciẽdi.

Ad hæc dubia responsurus, præmitto, quod illa videntur esse noua: quoniam non videntur determinari per Gratianum, nec vlla capp. illorum plurimorum, quæ citantur ab eo [a] neque per cap. *quanto.* & cap. *gaudemus.* [b] nec per Magistrum, nec S. Thomam & alios, qui comminiscuntur super dictis eius. [c] Licet enim in prædictis locis proponantur dubia de libello repudij olim in testamento veteri permisso dari, & de matrimonio infidelium, an reperiatur inter infideles, & an infidelis coniugatus ad fidem conuersus, vel conuersa possit contrahere cum fideli, & an debeat expectari conuersio infidelis, & alia multa his accessoria: non tamen vidẽtur tractari hæc tria dubia.

a 28. qu. 1. & 2.
b De diuor.
c In 4. li. sent. dist. 33. & 39.

2 AD PRIMVM ergo eorum, videlicet an solo iure communi attento liceat præfato Lazaro remanere cum secunda sine dispensatione Papæ, respondeo facere pro parte eius affirmante, primò, quod matrimonium per verba de præsenti contractum dissoluitur per professionem in religione approbata factam, eo quod licet sit ratum, non est tamen consummatum, per cap. *ex publico.* [d] at matrimonium contractum inter infideles licet sit verum, & & inseparabile, vt probat S. Thomas receptus, [e] non tamen est ratum, neque verum sacramentum, vt ipsemet tradit: [f] ergo per professionem fidei Catholicæ, quæ est maior, quam professio religionis, censendum est solutum: & ita potuit Lazarus contrahere cum secunda, antequam conuerteretur.

d De cõuers. coniug.
e In d. distin. 33. q. 2. art. 1.
f In d. dist. 39. q. 1. art. 5.

3 Secundo facit, quod Dominicus Sotus eumdem S. Thomam [g] sequutus dicit, quod si infidelis, qui remãsit in infidelitate post conuersionem prioris coniugis, ducat aliam infidelem, & postea conuertantur ambo ad fidem, poterit iustè continuare matrimonium cum secunda contractum, & non redire ad priorem conuersam, quæ decisio videtur specialis pro casu proposito.

g In eod. art. 5. colum. 8.

Tertio, quod omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur, iuxta cap. 1. [h] At prius matrimonium Lazari ex consensu prioris vxoris constabat, & firmitatem recipiebat: ergo etiam ex consensu ipsius solui potest, & ita ipse Lazarus ex ipsius consensu manere cum secunda.

h De reg. iur.

4 Quarto, quod non videtur obstare glossa [i] quæ habet illam regulam fallere in matrimonio, quod solo consensu contrahitur, [k] sed solo contrario consensu non dissoluitur, [l] & idem esse de alijs sacramentis baptismi & ordinis: pro qua est textus, quem illa non citat, in capit. *inter corporalia.* [m] quatenus habet inter corporalia & spiritualia hoc distare, quod corporalia facilius destruuntur, quàm construuntur: spiritualia vero facilius construuntur, quam destruuntur. Non inquam hoc videtur obstare: quia replicari posse videtur in casu proposito prius matrimonium Lazari per consensum vxoris potuisse destrui, & fuisset destructum, si iam ipsa nupsisset alteri, immo & si nunc ante conuersionem eius nuberet: quia Lazarus contrahendo cum altera verbo & facto significauit se obstinatum esse in perfidia, quod sufficere videtur ad hoc, vt ipsa contrahat cum alio fideli, per cap. *si infidelis.* [n] & sentit glossa. [o]

i In d. ca. 1. de reg. iur.
k Ca. sufficit. 27. q. 2.
l Cap. licite. 32. q. 7.
m De transl. prel.

5 Pro parte verò negante facit primò, quod ratio maxima, ob quam videtur id posse facere, est illa, quod hæc secunda fuit vxor eius antequam conuerterentur: sed hoc non videtur verum: quoniam licet infidelis coniux conuersa ad fidem Catholicam possit contrahere cum alio fideli, si vir eius infidelis nolit se conuertere ad eamdem, neque cohabitare illi absque Creatoris contumelia, per cap. *si infidelis.* [p] infidelis tamen, qui se non vult conuertere, non potest licitè contrahere cum alia etiam infideli suæ sectæ, antequam coniux conuersa contrahat matrimonium cum aliquo fideli, per quod soluatur matrimonium prius, quod cum infideli contraxerat, vt sentit glossa [q] & tradit S. Thomas communiter receptus [r] cui concordant idem Sotus, & Ioannes Maior. [s]

n 28. q. 2.
o In c. si infidelis. eadem causa, q. 1.
p Cũ aliquot alijs. 28. q. 1. & c. si infidelis. 28. q. 2. & prædict. capp. quanto. & gaudemus. de diuort.
q In d. c. gaudemus. de diuort.
r In d. dist. 39. q. 1. art. 5. ad 3.
s Per prædictum c. gaudemus.

6 Secundò facit, quòd per solam conuersionem alterius coniugis ad fidem Catholicam non soluitur matrimonium contractum inter illam, & alterum coniugem in infidelitate, immo neque per pertinaciam infidelis cõiugis manendi in infidelitate, & nolendi se conuertere, neque per monitionem factam ei, vt se conuertat, cum protestatione, quod alioquin nubet alteri fideli, immo neque per responsionem eius declarantis se nolle conuertere: quia etiam si post talem responsionem se conuerterit, antequam prius conuersa nupserit, tenebitur ipsa recipere illum, & non poterit alteri nubere, vt sentit glossa [a] & exprimit S. Thomas communiter receptus [b] & ex textus satis ad hoc efficax. [c]

a D. c. si infidelis.
b In præf. dist. 39. q. 1. art. 5. ad 2.
c In d. c. gaudemus.

7 Tertiò, quòd inseparabilitas matrimonij est de lege naturæ, vt probat S. Thomas communiter receptus [d] & facit definitio matrimoni posita in princ. Instit. [e] ibi, *Indiuiduam vitæ consuetudinem continens.* & quos Deus coniũxit, homo non separat, iuxta illud. [f] *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* translatum in cap. *quos Deus.* [g] Ergo prædictus Lazarus non fuit separatus à sua priore vxore, propterea quòd ipsa se conuerterit ad fidem Catholicam: quia conuersio & baptismus non tollunt legem naturæ, sed perficiunt, vt idem S. Thomas ab omnibus receptus in hac ipsa specie dicit. [h]

d In 4. distin. 33. q. 2. art. 1.
e De patria potest.
f Matth. 19.
g 33. q. 2.
h In d. distin. 39. q. 1. art. 3. in c. 9.

8 Quartò, quòd contra legem eamdem naturæ est, vt quis habeat eodem tempore duas vxores, vt probat d. ca. *gaudemus.* [i] & docet idem S. Thomas cum communi [k] & ita viuente prima vxore Lazari, antequam illa nupserit alteri fideli, non potuit Lazarus ducere secundam, & contractus cum illa non valuit, nec per eum facta fuit vxor eius: & consequenter non videtur posse redire ad eam, neque commanere ei, eo quod fuit eius vxor.

i De diuor.
k In d. dist. 33. q. 1. art. 1.

Quintò, quòd non potest etiam prædictus Lazarus accipere illam tamquam aliam fidelem, si conuertatur & baptizetur, quia iure naturali & diuino tenetur accipere priorem, iuxta dictum Apostol. [l] & tradit S. Thomas cõmuniter receptus [m] & antea declarauit satis Innocẽtius. [n]

l 1. ad Corint. 7.
m In dist. 39. q. 1. art. 4.
n In d. c. gaudemus.

9 Sextò denique, quòd licet coniux conuersa nolente coniuge marito se conuertere, post pertinaciam eius possit licitè nubere alij fideli: non tamen soluitur matrimonium prius, donec nubat alteri: quoniam matrimonium non soluitur, vt dictum est, per conuersionem & baptismum, neque per pertinaciam coniugis infidelis, neque per responsionem, quòd non vult conuerti, sed per matrimonium sequutum realiter, iuxta S. Thomæ opinionem magis receptam: [o] quod quia verum sacramentum est dissoluit prius matrimonium, quod non erat sacramentum propriè, licet esset contractus indissolubilis, sed nondum ratus, vt idem S. Thomas tradit. [p] Per quæ omnia videtur hæc pars verior, & religioni Christianæ conuenientior.

o In d. distin. 39. q. 1. art. 5. ad 2.
p In eod. art. 5. ver. sed contra.

1 Ad primum oppositum respondetur, concedendo assumptum, negando tamen consequentiam: quia nullo iure naturali, diuino, nec humano cauetur, quod per conuersionem ad fidem Catholicam dissoluatur matrimonium legitimum præcedens, immo ex ratione probatur contrarium, quod fides perficit matrimonium pręcedens, & facit de non rato ratum, vt tangitur in 3. & vlt. argumento pro hac parte factis.

Ad secundum respondetur, concedendo, quòd Dominicus Sotus scripsit verba posita in argumento, sed non sola: nam adiecit id esse verum, si iam conuersa contraxit tempore, quo infidelis contraxit cum secunda, significans, quod si conuersa non contraxisset antequam vir non conuersus contraheret cum secunda, non valuisset matrimonium cum secunda.

11 Ad tertium & quartum respondetur, quòd illa regula prima [q] non habet locum in sacramento matrimonij, neque in alijs. Nec obstat replicatio, scilicet, quòd vxor Lazari conuersa nubere poterat, attenta illius perfidia, qua duxit secundam, antequam se vellet conuertere: quia ad rescindendum matrimonium ante in infidelitate contractum non sufficit conuersum posse licitè cum alia fideli contrahere, sed oportet, vt actu & facto contrahat, quoniam prius durat vsque ad secundum contractum, cuius virtute, quæ maior est virtute prioris matrimonij, dissoluitur prius, vt probatur per argumenta pro hac parte facta.

q De reg. iur.

12 AD DVBIVM SECVNDVM respondetur, quod pro parte negante facit primò, quod licet Papa,

idem

idemque Maximus & optimus Pontifex poſsit diſpenſare in matrimonio per verba de præſenti contracto, & nondum conſummato ex cauſa iuſta, vt hi qui contraxerunt poſsint cum aliis contrahere, iuxta gloſſam illam ſolemnem [a] quam nos præ aliis confirmauimus in Manu.conſ.[b] non tamen poteſt diſpenſare in conſummato, vt omnes tam Canoniſtæ, quàm Theologi tenent: ſicut nec profeſſio religionis approbatæ id facere poteſt, licet diſſoluere poſsit matrimonium non conſummatum iuxta præf. cap. *ex publico*. At matrimonium Lazari contractum cum prius conuerſa fuit conſummatum: ergo non poterit Papa in eo diſpenſare, vt viuente priore poſsit contrahere cum ſecunda.

a Ca. ex publico. de conuer.coniug.
b Ca.22.nu.21.

13 Secundo, quod Papa non debet velle præiudicare tertio.[c] At vxor prior Lazari habet ius quæſitum per contractum matrimonium in ipſum Lazarum, per quod tenetur, ſi conuertatur, ad illam redire, per cap. *gaudemus*.[d] ergo non debet velle diſpenſare vt ipſe contrahat cum ſecunda, quamuis ambo conuertantur.

c Leg. 2. §. ſi quis à princip.ff.ne quid in loco publico fiat, ca. ſuper eo. de off. deleg. & reg. Cancell. de non tollendo iure quæſito.
d De diuor.

Pro parte verò affirmante facit primò, quòd quamuis matrimonium contractum inter infideles ſit legitimum, non eſt tamen ratum, ſecundum omnes, quia non eſt ſacramentum, cùm nullum verum ſacramentum ſit apud infideles, neque fideles catechumenos nondum baptizatos: baptiſmus enim eſt ianua ſacramentorum.[e] At matrimonium contractum inter fideles licet non ſit conſummatum, eſt tamen ratum, & verum ſacramentum ſecundum omnes. Cùm ergo omnes puri Canoniſtæ, & Theologi qui canones calluerunt, immo & Caietanus & Michael à Medina, qui fuerunt ſatis puri Theologi, affirment poſſe Papam ex iuſta cauſa diſpenſare ſuper matrimonio à fidelibus contracto nondum conſummato: à fortiori poterit diſpenſare ſuper matrimonio contracto inter infideles, cùm non ſit ratum.

e Ca. veniēs. de presby. nō baptiza.

14 Secundo, quod nuptias facit conſenſus, & non concubitus.[f] At copulatos ſolo conſenſu poteſt diſſoluere Papa iuſta de cauſa, ergo à fortiori coniunctos ſolo concubitu, niſi impediat ſacramentum, quod ſignificat coniunctionem D. N. Ieſu Chriſti, & Eccleſiæ, quæ eſt inſeparabilis, iuxta capit. *debitum*. de bigamis. At licet inter Lazarum & eius vxorem priorem fuerit matrimonium concubitu confirmatum, non tamen fuit conſummatum ſacramento, quod ſignificat prædictam mirabilem coniunctionem: ergo poterit iuſta de cauſa ſoluere illud Papa.

f Le. nuptias. ff. de reg. iur.

15 Tertio, quòd licet nec Papa nec alius princeps poſsit regulariter diſſoluere contractus ſuorum ſubditorum inter ſe, neque cum ipſomet factos, iuxta regulam *id quod noſtrum*.[g] & iuxta capit. *conuenior*.[h] & alia multa, quæ citat Felinus [i] poteſt tamē iuſta de cauſa id facere, iuxta ea quę adducit ibidē Felinus & omnes.[k] At inter Lazarū & ſuā priorem vxorem ſolum interuenit contractus lege naturæ quidem validus, ſed tamen legis ſupernaturalis vinculo & ſpirituali ſignificatione ſacramentali nudus: ergo poterit Papa illum diſſoluere iuſta de cauſa.

g ff. de regul. iur.
h 23. qu. 8. & ca. 1. de probatio.
i In ca. nouit. num. 8. de iudic.
k In c. quæ in eccleſiarū. de conſt. & alibi ſæpe.

16 Quartò, quòd licet Papa, & alius princeps non recognoſcens ſuperiorem non debeat velle præiudicare tertio ſine ipſius conſenſu, iuxta prædictam regulam, *id quod noſtrum eſt*, poteſt tamen id facere conſentiente parte, iuxta eamdem regulam, quæ habet, *Id quod noſtrum eſt ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt*. vbi per factum intelligitur conſenſus expreſſus, vel tacitus, vel aliquid aliud ei æquipollens. At in caſu propoſito prior vxor Lazari conuerſa vult conſentire, vt Papa diſpenſet, & det facultatem prædicto Lazaro, vt contrahat cum ſecunda. ergo ſanctè poterit id facere Papa.

17 Ad primum oppoſitorum reſpondetur, concedendo quod Papa non poteſt diſpenſare ſuper matrimonio rato & conſummato propter ſignificationem illam mirabilem ſacramentalem, quam lege ſupernaturali & ſpirituali, de qua in d. cap. *debitum*, habet, negādo tamen quod primum matrimonium prædicti Lazari fuit conſummatum, quia non fuit etiam ratum, ſed ſolum contractus purus habens inſeparabilitatem naturalem ſola lege naturæ inductam, & nudam à ſacramentali ſignificatione, vt probatum eſt ſupra in deciſione primi dubij, & per fundamenta pro parte ſecunda ſecundi dubij adducta.

Ad ſecundum reſpondetur primò, concedendo Papam non debere prę iudicare tertio ſine iuſta cauſa, ſed cum illa poteſt, & frequenter debet præiudicare per latiſsimè notata in d. cap. *quæ in eccleſiarum*. Secundo, quòd non petitur in hoc caſu diſpenſatio cum præiudicio tertij, quia, vt prædictum eſt, prior vxor, quæ poterat prætendere prę iudicium, conſentit, vt Papa id faciat.

18 AD DVBIVM TERTIVM reſpondetur, quòd iuſta, pia, & ſancta cauſa videtur eſſe in propoſito caſu faciendi diſpenſationem, quæ petitur, quia ex narratione mihi facta vna cum conſenſu prioris vxoris videtur conflari iuſta cauſa arbitrio boni & prudentis viri, cui remittitur hoc iudicium, ſicut & omnium aliorum, quæ nō ſunt determinata à iure.[a] quod quia ſatis manifeſtum videtur, non eſt neceſſe, nec expedit ſuperuacuam prolixitatem texere: quamuis id quod tangitur de repudio Moſaico non ſit attendendum, quia vel numquam licuit, vel non ſaltem poſt Euangeliū, vt recepta ſententia tenet [b] quamuis item quod tangitur de rato non ſit etiam verum, quia ſecundum receptam ſententiam matrimonium inter infideles contractum, licet ſit legitimum lege naturali, non tamen eſt ratum lege ſupernaturali Euāgelica, per quam, & poſt quam eſt verum ſacramentum, ſecundum omnes.[c] Et quidem incautè fuit poſitum verbum *ratum* inter cauſas faciendi diſpenſationem, quia magis prodeſt quod prius matrimonium non ſit ratum, quam quod ſit ratum, vt per fundamenta ſupra poſita conſtat. Salua, &c.

a Leg. 1. ff. de iure delib. & c. de cauſis. de off. deleg. cum eis adnot.
b In 4. libr. ſent. diſt. 33.
c In 4. diſt. 39.

SVMMARIVM.

1 *Patriam poteſtatem non perdit Iudæus, qui ad fidem conuertitur, eaque iure ciuili Romanorum introducta nu. 19. & communicata Iudæis, nu. 25. 26. quæ non eſt apud Francigenas. nu. 19. nec apud Græcos, Perſas, Indos, Nauarroſque, nu. 30. nec ſe extendit ad ſpiritualia eſſentialiter, conſequenter, & dependenter, ſeu beneficialia, nu 27. tollitur autem iure communi præſcriptione viginti annorum, nu. 13. & ſtatutario Vrbis annis quindecim, nu. 14. ac etiam præſumitur facta emancipatio eodem numero viginti annorum. nu. 12. eaque nihil operatur quo ad effectum dignoſcendi cuius voluntas & contradictio ſit attendenda in baptizandis paruulis. nu. 24. 27. vnde filij Iudæorum, ipſis inuitis, vel mortuo patre, inuita matre non poſſunt baptizari, etiam ſi auus paternus eos habens in poteſtate id velit. num. 29.*

1 *Educari debent pueri apud illum ex coniugibus, qui vel quæ ad fidem fuerit conuerſus, non obſtante quod alteri competat ius patriæ poteſtatis in illos: quia quo ad parentes ipſos inter ſe præferendos nihil operatur, num. 5. & 24. licet operetur multum reſpectu aui paterni, qui cum ex patria poteſtate impediat ne nepoti detur tutor, illū apud ſe retinebit, nu. 9. excluſa matre, nu. 10 à qua aliàs excluderetur. nu. 11.*

2 *Iuſtitia originalis, ſi non peccaſſet Adam, non fuiſſet extincta ob peccatum Euæ.*

2 *Gratia gratum faciens, & iuſtitia originalis, diuerſa, & diuerſo modo ſe habent in ſui acquiſitione, vel amiſsione. & 3.*

4 *Prolis in generatione magis attenditur vir, quam fœmina.*

5 *Iudæorum infantes apud parentes educari debent, ad quos iure naturali & diuino regimen eorum circa ſpiritualia ſpectat, nu. 19. 20. 21. 22. 31. 32. 36. 37. patre autem mortuo, apud matrem, auo paterno etiam Chriſtiano excluſo, eique tutela dari, nu. 9. 10. 11. non obſtante quod ſubſit timor quod puerum ad infidelitatem trahet. num. 14. quia plus fauendum eſt determinationi Eccleſiæ. nu. 37. & magis timendum ne poſtea inducatur à matre ad apoſtatandum. num. 3. 8. 14. 15. fallit, ſi auus haberet nepotem in poteſtate, quia tunc poſſet nepotem vendicare, nu. 11. nec tali eſſet dandus tutor, num. 6. & 9. ſed apud ipſum auum eſſet educandus. nu. 10.*

7 *Fidem Chriſti vt recipiat, nemo cogendus eſt, & hoc non ſolùm ob ſcandalum, vt putauit Biel. in quo reprehenditur à Soto, ſed etiam quia eſt de ſe illicitum. nu. 23.*

8 *Baptizandi non ſunt Iudæorum infantes pueri, ideſt, qui nondum ad duodecimum ætatis annum peruenerunt, nu. 17. parentibus vtriuſque inuitis, & nu. 14. nec mortuo patre, inuita matre. & hoc, etiam ſi auus paternus, etiam Chriſtianus, etiam habens nepotem in poteſtate, & apud ipſum nutriendum, ac etiam princeps loci id vellet, immo requiritur alterius ſaltem parentis expreſſus conſenſus, num. 16. 17. 20. 21.*

*22.25.28.29.31.34.nec parentibus mortuis, inuitis tutoribus, secundum Paludanum & Sotum, nu.17.18. ancillarum item filij spurij, ipsis inuitis, non sunt baptizandi.num.18. sed tales pueri relinquendi sunt prouidentiæ diuinæ, nu 15.cùm puerorum regimen eodem iure, & iure naturali quo ad prædicta eisdem parentibus spectet.nu.19. & 20.21.adeo vt lex de non baptizandis pueris, inuitis parentibus, sit lex naturalis à Deo ab exordio creaturæ data.nu.33.& nu.31.32. & licet Sotus putauerit, cessante scandalo, infantem infidelium iamiam moriturum posse inuitis parentibus baptizari, sedes tamen Apostolica aliter sentit. nu.23.& 35.*

13 *Libertatis ius contra dominum, & contra patriam potestatem præscribitur spatio viginti annorum de iure.*

21 *Baptizandi præceptum Domini non tollit legem naturalem, qua idem Dominus statuit, infantes vsum rationis non habentes esse sub potestate parentum quo ad ea quæ ad salutem animarũ spectant.& nu.20.*

## CONSILIVM IIII.

QVidam Hebræus, nomine Emanuel sunt anni viginti duo quod ad fidem Christianam conuersus, & per baptismum renouatus, Bernardinus nuncupatus est, relicta vxore, & filiis ipsius adultis, qui religionem Christianam sequi noluerunt. Sed omnia bona secũ tulit Bernardinus præfatus, relictis filiis seorsum à se tamquam à religione alienis, sine bonis aliquibus. At illi seorsum à patre viuentes sua industria alia bona quæsiuerunt. Et vnus eorum, nomine Benedictus, per annos 18. post patris conuersionem vxorem duxit Hebræam nomine Bonam, ex qua filium suscepit, quem vocauit Heliam, & decessit in iudaismo, præfato filio penes matrem Hebræam relicto ætatis vnius anni, cui mater præfata Curiæ decreto tutrix decreta fuit. Nunc autem, quando dictus infans triennium excessit, quarto anno incepto, eum tamquam eius nepotem Bernardinus præfatus à dicta matre auferre, & penes se retinere, & baptizare contendit etiã inuita matre, quæ præfatis repugnat.

Quæritur, an auus, an mater obtinere debeat.

Ex animo desideraui, vt hæc lis sine opinionis meæ notitia finiretur. At quando iubeor illam dicere, faciam id breuiter & humiliter, separata prius ope D. N. Iesu Christi, per eius Apostolam gloriosam Mariam Magdalenam, quam tota hodie celebrat Ecclesia, nouo respondendi ordine. Primo enim expendam singulatim valorem quorũdam argumentorum, quæ ab vtraque parte stant. Deinde ostendam in quo consistit iugulum huius dubitationis, & subiiciam argumenta, que videbuntur firma pro parte, quam elegero.

Pro primi articuli expeditione visis vtriusque partis informationibus, vnum eorum, quæ pro auo allegantur, est, quòd pater, vel auus ad fidem conuersus nõ perdit patriã potestatem, cap. *Iudæi*,[a] quatenus habet, conuersum ad fidẽ non debere esse peioris conditionis, quàm nõ conuersum: & constat Iudæos antequam conuertantur habere filios in potestate, vt probat c. fi. [b] & notant ibi Panormitanus & alij. Mater autem non habet filios in potestate. [c] Sed hoc argumentum nihil videtur concludere, quoniã matri conuersæ tradendi sunt filij, si pater nõ conuertatur, & ita patria potestas nihil operatur in hoc. Vnde Hostiensis, quem sequuntur omnes, dixit ibidem, breuius potuisse Gregoriũ IX. decisionem illius casus expedire, dicendo, quòd coniugi, qui vel quæ conuertitur, est faciẽda pueri traditio, nulla consideratione ad patriam potestatem habita, cùm mater, vt prædictum est, non habeat filium in potestate.

2 Secundum, quod pro auo allegatur, est, quod id quod operatur oppositum in opposito, operatur propositum in proposito. [d] At in perdenda iustitia originali magis fuit perpensa conditio viri, quam fœminæ: quia si Adam non peccasset: propter peccatum Euæ posteri iustitiã non amisissent, secundum D. Thomam communiter receptum[e] Sed hoc argumentum nihil cõcludit. Tum quia est è longinquo petitum, & non agitur in hoc casu de quęrẽda gratia, sed de educatione infantis, an debeat educari à matre, an ab auo, quod est diuersum, & à diuersis non fit illatio.[f]

Tum quia licet amissio iustitiæ originalis, & acquisitio eius dicerentur contraria apta ad formandum argumẽtum à contrario, non tamen dicerẽtur talia acquisitio gratiæ, & amissio iustitiæ originalis, cùm longissimè sit diuersa gratia gratum faciens, & iustitia originalis, vt per earum definitiones patet, ex traditis in 2. lib. sententiarum, [a] vbi post & ante alios irrefragabiliter hoc probat Ioã. Maior.[b]

3 Tum quia modus, & ratio, quam habent iustitia originalis, & gratia gratum faciens in modo quærẽdi, vel amittendi multum differunt, præsertim sub lege Euangelica: quia licet vtraq; ex Deo immediatè sit, vel fuerit ex creatione, & infusione, illa tamen fuit indita sine vllo sacramẽto, & sine vlla contritione, & sine vllo actu ad eam præparatiuo, & ad alium effectum, quàm gratia gratum faciens, & semel perdita non fuit amplius quæsita. Hæc autẽ si est prima, siue operans, quæritur nunc medio sacramento, nunc vera contritione, nũc aliquo actu liberi arbitrij præuio: & si est alia, siue cooperans, per meritum de condigno per tradita à S. Thóma,[c] & iuxta sacros canones Concilij Tridentini sess. 6.

4 Tertium argumentum est, quod in generatione prolis magis consideratur vir tamquam principium actiuum, quàm fœmina,[d] quæ est ratio, qua S. Thomas,[e] firmat ex Adæ peccato descensurum fuisse in nos originale, etiam Eua non peccante. Sed hæc ratio non concludit propositum: quia si id concluderet, etiam concluderet, quòd cùm conuertitur vxor, & non maritus, filij essent tradendi marito, quod tamen est falsum, iuxta cap. *Iudæorum*, [f] per quod hoc tenet Panormitanus & communis.[g]

5 Quartum argumentum est, quod omnes rationes, quibus, [h] filij traduntur patri, militant in auo, de quo hic agitur, puta, patria potestas, suspicio, quod saluti & vitæ pueri fiant insidiæ, & quod mater pueri, si contingeret cũ remanere apud eam, possit illum adducere ad infidelitatis errorem, & fauor fidei Christianæ. Sed neq; hoc argumentum efficaciter concludit. Tum quia patria potestas nihil operatur in d. cap. fin.[i] vt supra dictum est. Tum quia si solæ illæ rationes sufficerent ad tradendum hunc puerum, mortuo patre, auo, vt persuaderet ei Christianismum, etiã probarent, quòd sufficeret, vt mortua matre, & viuo patre, immo & viuo vtroque ei traderetur, quia esset in potestate aui, & non patris, quod nemo concedet. Tum quia præter rationes præfatas erat alia, quæ longè magis vrgebat, videlicet quod is, cui tradendus erat puer, erat verus pater eius, sicut pars aduersa vera mater, quod non contingit hoc casu.

6 Quintum est, quod Salicetus determinat, [k] quod matri non competit tutela filij viuẽte auo, in cuius potestate est ille. Sed neque hoc concludit intentionem aui. Tum quia pars aduersa negat, puerum, de quo agitur, esse sub potestate aui: & ipsemet Salicetus determinat,[l] quòd mater in tutela filij præfertur auo, qui non habet illum in potestate. Tum quia, vt supra dictum est, patria potestas parũ prodest quo ad propositum baptizandi hunc puerum, quamuis quo ad aliud prodesse possit, vt mox dicam. Tum quia viuente patre nepos est in potestate aui: & ita si sufficeret consensus eius, qui haberet filium infidelem in potestate, sequeretur, quod etiam patre viuente & renitente posset nepos baptizari, quod nec ipsa pars aui dicere audebit.

7 Primum autem eorum, quæ pro matre allegantur, est, quod nemini est vis ad credendum inferenda. [m] Nam à Christiana religione alieni ad fidem non asperitate, sed mansuetudine, & blandimentis alliciendi sunt.[n] Sed hoc non concludit, nec satis aptum argumentum est, quoniam dubium propositum non habet, an puer hic baptizandus sit inuita matre, nec ne, sed an tradendus sit matri, vel auo ad educandum, quod aliud est, vt palam est.

8 Secundum pro parte matris est, quòd filij Iudæorum non sunt inuitis parentibus baptizandi, iuxta glossam communiter receptam, [o] & iuxta sanctũ Thomam communiter receptum. [p] Sed & hoc non concludit, immo videtur esse ineptum: quia alia quæstio est, an is puer sit baptizandus inuita matre, antequam discretionem quærat, & doli prudentiæque capax sit, in quam tendit hoc argumentum: alia, an debeat tradi matri, vel auo ad

a 2. de Iudæis.
b De conuers. infidelium.
c §. cæteri. Insti. de hæred. quali. & differ. & §. mater. iũcta glo. Instit. de exhæredat. liberorum.
d Cap. sciendum. 8. q. 1. l. & si contra tabulas. ff. de vulgar.
e In 1. 2. q. 81. art. 5. & in 2. sentẽtiarum. dist. 31. qu. 1. ar. 2. ad 4. & aliis locis.
f L. Papinianus ff. de minorib. cap. ad aud entiam. de decimis.

a Dist. 30.
b In q. 1. conclus. 1.
c 1. 2. q. 1. a. 2. & 114. art. 3.
d 3. & 5. Physicorum.
e Vbi supra.
f 28. q. 1.
g In d. ca. fin. de conuer. infidelium.
h In d. ca. fin. de conuer. infide.
i De conuers. infid.
k In authen. matri & auia. C. quãdo mulier tut. officio fungi potest. col. 2. nu. 5.
l Ibidem.
m Ca. de Iudæis. 45. dist. & cap. ad fidem. 23. q. 5.
n Ca qui sincere. 45. dist.
o In c. Iudæorum. 28. q. 1.
p In 2. 2. qu. 10. art. 12.

ad educandum.

9 Tertium est, quod patria potestas nihil in hoc proposito operatur, vt supra dictum est. Ergo præfatus auus esto habeat patriam potestatem in puerum, non posset illum sibi vendicare. Sed nec hoc argumentum concludere videtur: quia negari non potest patriam potestatem operari multum quo ad propositam quæstionem: cum puero existenti sub potestate aui non sit dandus tutor: quia ille datur solùm in defectum habentis in eum patriam potestatem, argumento definitionis tutelæ, quæ ponitur in l.1.[a] & est satis expressum in *§.permissum*,[b] quatenus probat, nõ posse patrem dare filio tutorem, si erat in aui potestate: & ita plurimum facit patria potestas, si eam habeat auus, ad hoc, vt ei traderetur puer: quoniam non deberet habere alium tutorem, nec tutricem. Hactenus de primo.

Pro secundi expeditione videtur dicẽdum primò, quod hoc dubium continet duas quæstiones. Altera est, an is infans sit tradendus educandus matri, an auo? Altera, an possit iustè baptizari inuita matre, de consensu aui, siue tradatur huic educandus, siue illi?

10 AD PRIOREM QVAESTIONEM respondetur, quod est tradendus auo, si habeat in eum patriam potestatem. quod illa firma ratione probatur, quod si est in potestate aui, nullus est ei alius tutor dandus, per d.l.1.[c] & melius per principium & per d. *§.permissum*,[d] quia, vt supra dictum est, non est dandus aliquis tutor pupillo, qui mortuo suo patre recidit, vel remanet in potestate alterius cùm ille debeat eum defendere, regere, & gubernare: & illo casu non habet locũ præfata authen. *matri & auia*, vt e dixit Salicetus,[f] declarans, quod glossa illius, & Bartholus dicentes quod mater præfertur in tutela auo paterno, sunt intelligendi de auo, in cuius potestate non remanet nepos mortuo patre: quia frustra, inquit, quæritur de tutela eius, qui est in alterius patria potestate.

11 Cuius ratio, licet ipse illam non reddat, est, quod ex octo, quæ operatur patria potestas secundum glossam celebrem,[g] est, eum in quem illam habet, petere, & vendicare in suam potestatem, siue à nemine teneatur, siue teneatur ab alio volens, vel inuitus. Si autẽ auus, de quo loquimur, non habeat infantem prædictum in sua potestate, sed est sui iuris, debet manere in potestate matris, cui decreta est tutela, vt in facto proponitur: quia mater in tutela filij sui præfertur omnibus legitimis, & datiuis tutoribus, licet non testamentariis, per d. authent. *matri & auia*, etiam auo paterno, qui non habet patriam potestatem in illum, vt tenent ibi glossa Odofredus, Bartholus, & Salicetus & Andreas Siculus.[h]

Quare tota decisio huius prioris quæstionis pendet ex illa, an præfatus auus habeat in præfatum nepotem patriã potestatem? Ad quam respondetur quòd non: & probatur.

12 Primo, illa firma ratione, quod filius præsumitur emãcipatus, si per viginti annos in quasi possessione sui iuris seorsum à patre vixerit, per textum singularem,[i] & in facto proponitur, quod ante viginti duos annos præfatus auus (quæ fuit eius fœlicitas) fuit conuersus ad fidem Catholicam, & separauit se cum bonis suis à conuersatione suæ vxoris, & filiorũ suorum, qui tamquam liberi, & sui iuris, quæsiuerunt sibi bona, quibus viuerent, & ditarentur: & quod tali casu filius præsumatur emancipatus, & liberatus à patria potestate, affirmant,[k] glo. Barth. Bald. Salicetus, Fulgosius, Baldus,[l] Barbatius,[m] Iason,[n] Alciatus,[o] & alij multi.

13 Secundo probatur etiam ea ratione firma, quod ius libertatis contra dominum præscribitur spatio viginti annorum per l.2.[p] & ibi notant glossa & Doctores, maximè Baldus & Salicetus. Tum quod etiam libertas contra patriam potestatem præscribitur viginti annis, vt rectè probat Franciscus Baldus,[q] dicens quod filiusfamilias potest præscribere viginti annis existentiam sui iuris cõtra patriam potestatem, sicut seruus libertatem contra seruitutem dominicam per dict. l.1.[r] vbi id tenet glossa recepta per omnes, & glossa finalis.[s]

14 Tertio, quod dicitur Romæ extare statutum, quo omnes præscriptiones perficiuntur sexdecim annis: & præscriptio statuti minuens tempus præstitutum à iure communi sortitur naturam præscriptionis à iure communi

a ff. de tut. & Institut. de tutel. in princip.
b Eodẽ titul.
c De tutel.
d Institut. de tutel.
e Ibidem.
f Nu.5.
g In § ius autem. instit. de patria potest.
h In consil.11. 3. part. in 3. dubio.
i In le.1.ff.de patria potestate.
k In d.l.1.
l In l.post mortem. in fine ff. de adopt.
m In c. peruenit. num.9. de empt. & vẽd. & consil.135. nu.12. l.4. inter cõsilia Alexandri.
n In l.si emãcipati. nu.2. C. de collat. & le.si certis annis.nu.12. C.de pact.
o In regul.2. præsumptionum. de præsumptionib.
p C. de præscriptio. longi temporis, quæ pro libertate.
q In q. vlt.3. par. 4. part. principa. tractat. de præsc.
r C. de patria potestate.
s In l.2. in fine C. de præscrip longi temporis, quæ pro libertate.

A statutæ, secundum Baldum,[a] per illum textum,[b] quem sequitur Iason,[c] & habet vim præscriptionis iuris communis,[d] & notatur in capit. *cum omnes*,[e] & tradit Iason.[f]

Non obstat, quod est verisimilè eam procuraturam, vt Iudaismum imbibat. Tum quia iam ipse circumcisus est, quòd solùm plus satis incitabit ad illum, penes quẽcumque maneat. Tum quia etiam periculum est, quod si matre inuita baptizetur, eius amore, vel suasione clãdestina, vel manifesta, cũ ad discretionis annos peruenerit, & sciuerit, quòd ea renitente fuerit baptizatus, à Catholica fide deficiat, & apostatet, secundum mentem D. Thomæ & omnium, qui tenẽt filios Iudæorum non posse iustè baptizari inuitis parentibus eorum: quod peius esset illi, quàm si numquam esset baptizatus, secundum omnes. Tum quia nõ sunt facienda mala & iniusta propter bonum ex iis consequens.[g] B

15 Tum quia non est facienda iniustitia, quo pietati, vel viduis faueatur.[h] Tum quia ratio quare Iudæorum filij non sunt inuitis parentibus baptizandi, posita in cap. *quia sincera*,[i] est, quod hoc est relinquendum prouidentiæ Dei, qui quorum vult miseretur, & quos vult indurat, & non vult cuiquam vim inferri, vt quisquam fidem Catholicam suscipiat. Ex quibus palam colligitur, quod non vult Deus vt matri prædicti pueri denegetur ipsius educatio iure sibi debita, ex eo, quòd sit verisimile eam procuraturam, vt imbibat Iudaismum: nec propter bonum conuersionis, quod ex illa denegatione consequi posset, debet ei fieri iniustitia. C

16 AD ALTERAM QVAESTIONEM, scilicet an prædictus infans possit baptizari inuitata matre de consensu aui sui, siue tradatur educandus matri, siue auo. Respondeo, quòd affirmatiuè respondere deberet is, qui teneret opinionem Scoti,[k] videlicet quod Princeps bene potest pueros infidelium suæ ditionis inuitis Parentibus facere baptizari, immo etiam, qui teneret opinionem Durãdi,[l] adiũcta opinione Paludani.[m] Nã Durãdus tenet, filios infideliũ, qui sunt serui Christianorum, posse inuitis parẽtibus baptizari, & Palud. opinatur, quod Iudæi sunt serui Christianorum, quod tamen falsum esse rectè putat Dominc. Sotus.[n] Sed prædictæ opiniones nõ sunt tenẽdę, & communiter reiiciuntur non solùm per S. Thomam,[o] & alios,[p] & alios etiam,[q] & alios adhuc,[r] quorum nomenclaturam superfluum est referre: quia pro illis est textus in dict. capit. *de Iudæis*, & capit. *qui sincera*,[s] & expressa bulla Martini V. per quam firmiter est tenendum, filios Iudæorum, antequam ad discretionem peruenerint, non esse baptizandos sine expresso consensu parentum, vel alterius eorum: qua conclusione præsupposita videtur iuri cõsentaneum respondere ad quæstionem negatiuè. D E

17 Primo quidem, quia si tradatur educandus matri, tãquam tutrici, nullatenus potest ea inuita baptizari: quia tam iuri naturali, quam ciuili, tota cura ipsius ad eam spectat, præsertim tenendo opinionem Paludani,[t] nempe, quod inuitis tutoribus eiusmodi pueri non debent baptizari, quem satis sequitur prædictus Dominicus,[v] quod ipsum videtur dicendum, si tradatur educandus auo. Secundo, quod mater non desinit esse parẽs & mater huius pueri, eo quòd in eũ habeat patriam potestatem auus, argum. l. *iura sanguinis iure ciuili dirimi nõ possunt*.[x] At tam Toletana Synodus,[y] quam opinio prædicta S. Tho. & aliorũ communiter recepta tenent, quod huiusmodi infans non debet baptizari inuitis parentibus, & mater hæc est parẽs huius infantis, ergo nec inuita illa. F

Tum quia bulla prædicta Martini V. habet expresse, quod pueri Iudæorum ante duodecim, annos, aut antequam vsum rationis consequantur, non sunt baptizandi sine expresso consensu parentum, vel alterius eorum.

Cùm ergo alter parens, scilicet pater iam sit mortuus, requiritur expressus consensus matris viuentis, quæ est altera parens. Tum quia expresse sentiunt Paludanus & Dominicus vbi supra, dicentes, quod huiusmodi infans, qui vtroque parente orbatus est, sub tutoribus non debet baptizari sine illorum consensu.

18 Per quæ verba clarè sentiunt, quod si non est orbatus

a In l.in contractib.
b C.de nõ nu. pecun.
c In le. nemo potest. n.117. ff.de leg.1.
d Arg.l. omnes populi. ff. de iustitia. & iur.
e De constit.
f Vbi supra.
g Ca.non est putanda.1.q. 1. & c. forte. 14.q.5.
h Ca.ex tenore. de for. cõpet.
i Et in d.ca. de Iudæis.45. dist.
k In 4.l. sententia.dist.4. q.9.
l in d.dist.4. q.6.
m In eadem dist.q.4.
n In d. lib.4. dist.5.q.1.ar. 10.
o 2.2. qu.10. art. 8. & 12.
p In d.dist.4.
q In dist.5.
r In dist.6.
s 45.dist.
t Vbi supra.
v In d. dist.5. q.1.ar.10.col. 21.ver.additur ibidem.
x ff.de regulis iuris, & l.ius autem agnationis. ff. de pactis.
y In d.cap.de Iudæis.

vtro

vtroque parente, magis requiritur consensus parentis viuentis, quàm tutorum: & cùm tutores nō dentur, nisi mortuo patre, consequenter sentiunt, quòd consensus matris viuentis est magis requirendus, quàm consensus tutorum, & aliorum, qui haberent aliquam potestatem ciuilem in illum.

Tum quia omnes ad vnum hanc opinionem tenentes sentiunt requiri consensum amborum parentum, vel alterius tantùm, & ita consequenter volunt, vt si alter tantùm est superstes, illius consensus requiratur. Tum quia Capreolus, & Dominicus, qui eum [a] citat, dicunt consensum ancillæ requiri ad baptizandum filium eius, & communiter ancillarum filij sunt spurij, qui patrem ignotum habent: ergo matris superuiuentis consensus patre mortuo requiritur.

a Vbi supra.

19 Tum quia lex ciuilis debet cedere legi & iuri naturali, & diuino.[b] At iure & lege naturali ac diuina filij vsque ad annos discretionis sunt dirigendi per parentes suos, quo ad ea quæ pertinent ad salutem spiritualem eorum, vt sanctus Thomas & omnes alij supra fatētur, allegantes quòd sub lege naturali filij olim saluabantur in fide parentum, non distinguendo inter patrem & matrem. Potestas autem patria non est potestas inducta iure naturali, neque diuino, immo neque iure gentium, sed humano ciuili, & particulari Romano, quod affirmat sanctus Thomas & communis Theologorum opinio, & nostrorum, [c] & est textus expressus Institu. *de patria potestate*, [d] adeo quod glo. sing. & recepta ibidem, verbo *Romanorum*, habet Francigenas non habere filios in potestate. Ergo non obstante quòd auus haberet patriam potestatem, & dispositionem quo ad ea, quæ sunt iuris ciuilis, non tamen haberet quo ad ea, quæ iure naturali & diuino pertinent ad matrem, vel patrem.

b Ca. quæ cōtra. 8. dist.

c In l. si emancipati. C. de collat. & alibi sæpe.

d §. 1.

Tum quia si patria potestas, quam habet auus, sufficeret ad hoc, vt in sua potestate constitutus posset iustè baptizari, sequeretur, quod omnes nepotes, & pronepotes eius, viuentibus omnibus eorum parentibus, possent baptizari eis inuitis de ipsius aui consensu; quia omnes illi sunt sub illius potestate per supra dicta; quod tamen est absurdum, & ita non dicendum, l. nam quod absurdū. ff. de bonis [e] neque vllo vmquam vsu receptum, & contra præfatam bullam Martini V. quæ requirit expressum consensum alterius parentis.

e Le. nā quod absurdum. ff. de bonis libe.

20 Tum quia hoc concludit solutio illa solida & subtilis, qua Caietanus, [f] quem sequitur Sotus, [g] defendit sanctū Thomam, & communem ab argumento Scoti neruoso, quo concludebat pueros infidelium posse à Principe inuitis eorum parentibus iustè baptizari. Argumentum enim eius est, quod duobus contraria præcipientibus, maiori est obediendum, secundum Augustinum, [h] cuius dictum nos habemus translatum in cap. *qui resistit*, [i] quatenus habet, quod si Curator iubet aliquid, & Consul contrarium, huic est parendum, & si Consul iubeat aliquid, & Imperator contrarium, Imperatori, & si Deus contrarium, Deo. At Deus per legem Euangelicā iubet omnes baptizari, ergo illi est parendum, licet parentes contradicant: quia sunt Deo minores. At prædictus Caietanus pro sancto Thoma communiter approbato & vsu recepto respondet, quòd assumptum huius argumenti procedit, quando duo diuersi duo contraria præcipiunt: sed in proposito loquimur, quando idem præcipit illa duo. Deus enim, qui per legem Euangelicam iussit omnes baptizari idem ipse per legem naturalem toti generi humano indidit, ne inuitis parentibus quidquam, quod pertinet ad salutem animarum filiorum nondum habentium vsum rationis, disponatur: & quia sicut gratia non perimit, sed perficit naturam, ita diuina lex Euangelica non tollit, sed perficit diuinam naturalem: & ideo Dominus, qui Euangelicam tulit de baptizandis omnibus, noluit tollere suam legem naturalem, qua parentibus tradidit potestatem in huiusmodi filios quo ad ea, quæ ad suarum animarum salutem pertinent. Per quam solutionem satis expensam colligitur, ius parentum in filios vsum rationis nondum assequutos, quo ad ea quæ pertinent ad suam salutem spiritualem, non esse quale, neque ab humana potestate, vel consuetudine inductum, sed ab ipso omnipotente Deo naturaliter ante legem Euangelicam de baptizando toti generi humano inditum, & ita non posse illi per patriam potestatem, nec alia iure ciuili introducta derogari. & consequenter ius, quod habet mater prædicta in præfatum filium lege naturali sibi inditum, etiam si non esset tutrix, non potest tolli per præfatam patriam potestatem, quam haberet auus, quam tamen supra eum non habere validè conclusimus.

f In d. art. 12.
g In d. ar. 10.
h Serm. 6. de verbis Domini.
i 11. q. 3.

21 Tū quia super hac ratione, & iure naturali fundari videtur bulla Martini V. per Eugenium IIII. confirmata, quatenus prohibet huiusmodi Iudæorum filios baptizari sine expresso consensu parentum, vel alterius eorum: significando per illa verba, quod S. Thomas & alij Doctores asserentes huiusmodi filios non esse baptizandos inuitis parentibus, per verbum, *parentes*, intelligunt patrem, & matrem tantùm, & non alios: licet aliàs per illud significari auos, proauos, abauos, & tritauos, dixit Iurisconsultus Paulus.[a] Declarando enim directè non debere illos baptizari sine consensu alterius parentis, & indirectè quòd debent baptizari de consensu expresso alterius, per illud verbum, *alterius*, quod dicitur de duobus tantùm, clare significat solos duos hac in re appellari parentes, nempe patrem, & matrem, cum aui, proaui, abaui, vel tritaui possint esse plures, quàm quinquaginta. Tum denique quod ex dictis colligitur, quod priuilegium hoc iure naturali patri, vel matri concessum dirigendi filios suos rationi vsus expertes in spiritualia, est personale, & consequenter non extēditur ad tritauos, neque abauos, neque proauos, nec consequenter auos: quia priuilegium personale sequitur personam, & extinguitur cum ea.[b]

a In le. iurisconsultus. ff. de gradibus affinitatis.

b Ca. priuilegium. de reg. iuris in 6. & le. maritum. cum lege sequēti. ff. solut. matrim.

22 Per quæ omnia videtur concludendū, prædictū puerum sub tutela matris educandum esse, & nullatenus ea inuita baptizandum esse, etiam si in patriam aui potestatem venire deberet. Salua non solum sacrosanctæ matris Ecclesiæ, sed etiam cuiuslibet, & quamlibet humilis diuini iuris & humani consulti saniore sententia.

CVM IN HAC causa ab vtraque parte rogatus renuissem respondere, iussus ab habente in id potestatem, respondi ferè inuitus, & meam de illa opinionem clausam eidem misi, nec vlli parti roganti & flagitanti exemplum eius tradere volui. Nunc autem quia allatū est mihi quoddam scriptum auctoris incerti, quo meam refellit sententiam, non possum non tangere quædam, quæ magis obstare videri possunt. Gratia tamen in primis dominationi eius (quisquis ille sit) habita, quòd me titulis, meis meritis superioribus, honorat: simul laudato Deo, quod ipsum (vt eius responsum indicat) præcellente intellectus acrimonia cum pari eruditione & facundia coniuncta donauerit.

23 Primum, quòd non satis aptè significat, quod Gabriel reprehenditur à Dominico Soto, eo quòd dicat, filios paruulos Iudæorum propter solum scandalum nō debere baptizari sine consensu parentum: Sotus enim ibi, vbi hoc dicit,[c] non agit de baptizandis, vel non baptizandis paruulis inuitis parentibus, de quo postea tractat, sed de baptizandis, vel non baptizandis adultis ipsismet inuitis. Arguit enim ibi contra conclusionem receptam, quā posuit super eodem ar.[d] in hęc verba: *Neutiquam licet quemquam vel ad fidem, vel ad baptismum cogere.* Reprehendit autem Gabrielem, eo quòd putauit Concilium Toletanum ab vtroque citatum, cuius pars habetur in cap. *de Iudæis*, [e] non vetare coactionem infidelium ad fidem, tamquam rem de se illicitam, sed ob scandalum, quod inde sequitur, & merito eum reprehendit, quia suapte natura est illicita, eo quòd sit contra naturam fidei, quæ est, vt per spontaneam voluntatem suscipiatur.

c Scilicet in 4. lib. d. 5. art. 10. col. 9. arg. 12.
d Col. 4. vers. 3. conclusio.
e 45. dist.

Secundo, quòd non satis aptè significat, Sotum paruifacere scandalum, quod datur parentibus per baptismum filiorum suorum paruulorum eis inuitis ministratum.

Tum quia nihil ibi de hoc agit. Tum quia, [f] dicit licere paruulum iam iā moriturū baptizare inuitis parentibus, si cessaret scandalum, quod certè ego nullatenus dixissem, nec auderem dicere pro reuerentia, & fide, qua debeo esse in S. Sedem Apostolicam, & in eius declarationes, quibus declarauit absolutè, non licere paruulos Iudæorū sine alterius parentis consensu expresso baptizare

f In eodē art. col. vltima, vers. resp.

vt inferius fusius dicam.

24 Tertiò, quòd etiam non satis cautè ait me dixisse patriam potestatem nullius esse in hac re momenti. Nam si mea dicta, fideliter transcripta, fuissent ab eo integrè perpensa, inuenisset me in duobus vel tribus locis dicere, quod patria potestas in hac re plurimum importat quo ad traditionem paruulorum ad effectum educandi, licet nihil quo ad traditionem ad baptismum.

Quartò, quod nimis confidenter ait, quòd ratio, & causa præcipua, qua determinauit Gregorius IX.[a] quod patre ad fidem conuerso consentiente, filius (nolente matre) potest iustè baptizari, fuit patria potestas, quam pater in illum habebat, & quod ego dicens contrarium, fui falsus, cùm profectò non fuerim. Tum quia non potest esse ratio, & causa præcipua determinationis alicuius quæstionis illa, qua cessante nõ cessasset determinatio, & quæ posita non sufficeret ad illam faciendam, argumento eorum omnium, quæ notantur in cap. *cum cessante*,[b] & eorum, quę nos latius & resolutius aliis tradidimus in capit. *cum minister*,[c] definiendo causam principalem, & minus principalem, & ponendo inter eas differentiam.

25 At patria potestate cessante, immo & repugnante, nõ cessasset illa determinatio Gregorij. Nam matre conuersa volente, & patre non conuerso nolente, filius paruulus est baptizandus,[d] quod omnes fatentur.[e] Attamen patria potestas cessat in matre, immo posita in patre repugnat. Ergo causa & ratio præcipua & principalis, qua censetur decidere & determinare Gregorius,[f] tradendum esse ad baptismum paruulum patris conuersi, nolente matre non conuersa, non fuit patria potestas.

Tum quia patria potestas etiam cum fauore religionis coniuncta non sufficit ad baptizandos huiusmodi paruulos. Nemo enim pro reuerentia & fide, qua debemus esse omnes in sanctam Sedem Apostolicam, & eius definitiones, auderet dicere, quod patria potestas posita in atauo, vel tritauo Christiano sufficeret, vt paruulus, qui esset filius, nepos, & pronepos parentum, auorum, & proauorum Iudæorum & Iudæarum viuentium, & repugnantium, iustè possit baptizari: quia illud esset negare determinationem S. Sedis Apostolicę per Martinum V. factam, & per Eugenium IIII. confirmatam, qua definitur nõ licere baptizare paruulos Iudæorum sine alterius parentum consensu expreso: per quam (vt mox adiiciam) non liceret baptizare etiam paruulum patris & matris Iudæorum viuentium & repugnantium, ex consensu etiam aui paterni Christiani patriam potestatem habentis. Cùm ergo nec cesatio patriæ potestatis cesare fecisset prædictam Gregorij decisionem, nec contra positio illius suffecisset ad illam faciendam, consequitur profectò non fuisse me falsum, dicendo patriam potestatem non fuisse rationem & causam præcipuam & principalem illius decisionis. Tum quia patria potestas (vt in meo responso probaui) non fuit inducta iure naturali, nec iure gentium, neque diuino positiuo, sed humano Romano,[g] quam (vt contradictor ait) Marcus Antonius Imperat. videtur dedisse omnibus orbi Romano subditis, & consequenter Iudæis eis subiectis, vt testatur Vlpianus.[h] At si quæstio, quã determinauit Gregorius IX. incidisset in terris, vbi non est locus patriæ potestati, de qua loquimur, vel in tempore, in quo nondum illam Iudæi habebant, eodem modo decisa fuisset. Ergo patria potestas non fuit causa & ratio præcipua & principalis eam decidendi.

26 Tum quia decisio illa præcipuè facta fuit ad declarãdum ius naturale, quod cœpit ab exordio rationalis creaturæ, iuxta principium 5. dist.[i] & adnotata per glossas & Doctores in eis, & per S. Thomam receptum,[k] per totã, & ad declarationem iuris diuini Euangelici de baptizando, quod incepit ab Orbe redempto, vt probat S. Thomas receptus vbi supra.[l] Patria vero potestas, quæ est proprium ius & inuentum Romanum, vt habet textus Institut.[m] lõgè postea fuit communicata Iudæis, iuxta prædictam legem *in orbe Romano*. Non debuit ergo Gregorius summus legislator, idémque eruditissimus fundare principaliter suam declarationem iuris naturalis, & diuini Euangelici, quæ sunt antiquiora, & digniora, & vniuersos obligantia, in iure humano ciuili posteriori, & minus digno, & solam gentem Romanam & eis subditam obligante.

27 Quia, vt ait Philosophus,[a] demonstratio & declaratio priorum conclusionum fit per causas & principia earum. Pro quo facit cap. illud Gregorij *intelligentia verborum ex causis est assumenda dicendi*.[b] cum citatis ibi à glos.[c].

Tum quod patria potestas etiam in patre existens non extenditur ad vlla spiritualia,[d] adeo quod pater virtute illius neque agere, neque conueniri potest pro filio, neque dare illi vllam auctoritatem agendi, vel conueniendi circa illa: immo nulla ratione de patria potestate habita debet dari filio tutor vel curator ab Episcopo, vel alio Ecclesiastico iudice ad agendum, vel conueniendum circa illa, sed ipsemet, si est infante maior, constituet procuratorem cum auctoritate non patris, quatenus pater est, sed tutoris, vel curatoris dati ab Ecclesiastico iudice, etiam circa beneficia, quæ non essentialiter sunt spiritualia, sed annexa illis consequenter, siue à parte posteriori, secundum S. Thomam receptum.[e]

Quanto minus prædicta patria potestas extendetur ad spiritualia essentialiter, qualia sunt sacramenta, è quibus est baptismus, iuxta glossam solemnem.[f]

Tum denique quod auctoritas tutoris, vel curatoris alias legitimè dati, longè prestantior est quo ad spiritualia, quàm patria potestas, vt ex præfato cap. fin. & proximè dictis irrefragabiliter colligitur, & adeo quidem præstantior, quòd patria potestas nihil est. tutoris autem & curatoris huiusmodi potestas manet firma.

Per quæ omnia palam est, me non fuisse falsum, dicendo patriam potestatem non fuisse causam præcipuam & principalem præfatæ decisionis Gregorianæ, quatenus probat filium paruulum Iudæi posse iustè baptizari inuita matre, conuerso patre volente, licet sic, quatenus probat huiusmodi paruulum esse tradẽdum patri quo ad educandum. Ego enim in meo responso dixi duas in hac re quęstiones esse.

Altera, an puer esset tradendus matri, an auo ad educandum.

Altera, an inuita matre posit iustè baptizari, etiam si traderetur auo, & in duobus, vel tribus locis dixi patriam potestatem multùm facere quo ad priorem quæstionem pro auo, quo autem ad posteriorem nihil.

28 Non obstat quidquam §. fin.[g] immo facit pro nobis. Tum quia probat, libertatem datam seruo communi ab altero dominorum, inuito altero, valere solo fauore libertatis non habito alio respectu: ergo eadem ratione, tradito puero ad baptismum, altero parentum volente, inuito altero, valebit sola ratione liberationis à seruitute diaboli, nullo habito ad patriam potestatem respectu, quod nos affirmamus. Tũ quia ratio decidendi illius §. probat idem esse dicendũ in terris, in quibus est nulla talis patria potestas, & etiam idem fuisse dicendum ante tempus, in quo fuit hæc potestas communicata Iudæis, & consequenter, quòd patria potestas nihili habenda est ad hoc propositũ.

29 Quintò, quod prædictus D. cõtradictor videtur velle tenere, quod filius paruulus Iudæorum posit iustè baptizari de consensu aui Christiani tenentis eum in sua potestate, inuitis eorum parentibus, etiam viuentibus. Nec miror: quia eum, qui dicit patriam potestatem cum fauore religionis coniunctam esse præcipuam causam & rationem, cur paruulus Iudæorum posit baptizari patre volente, & matre inuita, oportet consequenter aserere hoc de nepote, qui est in potestate aui, etiam viuentibus parẽtibus nepotis, cùm ille habeat patriam potestatem cum fauore religionis coniunctam. sed hoc nullatenus est dicendum. Tum quia est nouum, à nullo eorum, qui tenent opinionẽ D. Thomæ, & communem à sancta Sede Apostolica receptam, affirmatum, cuiusmodi nouitates vitandæ sunt.[h]

Tum quia vnum præcipuum fundamentum, per quod S. Thomas tenuit paruulos infidelium non esse baptizandos inuitis parentibus, est, quòd Ecclesia non consueuit id facere. At nullum exemplum videtur, auditur, nec legitur baptismi collati de consensu aui, inuitis parentibus, qui sine illo non debuisset illi conferri: ergo nullatenus est affirmandum.

Tum quia eum, qui tenuerit id quod contradictor non veretur tenere, consequenter oportebit tenere, quod tri-

tauus

---

Marginal notes (left column): a In ca. fin. de cõuers. infide. — b De appell. — c 22. qua. 5. à nu. 36. — d Ca. Iudæorum. 28. q. 1. — e In d. ca. fin. — f In d. ca. fin. — g Institut. de patria potestate. §. 1. — h In l. in orbe Romano (quæ aliàs incipit, in vrbe Roma) ff. de statu hominum. — i Et §. fin. 6. dist. — k 1. 2. qu. 94. — l Qu. 106. art. 3. — m De patria potestate, in principio.

Marginal notes (right column): a In libris Posteriorum. — b De verborum. signific. — c In verbo causis. — d Ca. si annũ. de iudicis l. 6. — e 2. 2. qu. 100. art. 4. — f In c. veniẽs. de transactionibus. — g Institu. de donat. suprà citatus. — h Ca. cũ consuetudinis. de consuetud. c. quis nesciat. 11. dist.

tauus Christianus, qui haberet in potestate sua centum paruulos filios, nepotes, pronepotes, vel abnepotes parentum infidelium viuentium, & repugnantium, posset illos omnes inuitis eis omnibus ad baptismum tradere, quod absurdissimum est, & alienum à mente prædicti S. Thomæ, & aliorum, qui determinationem prædictam sanctæ Sedis Apostolicæ sequuntur, & suspiciunt.

30 Tum quia ex hoc posset fortè accipi occasio, vt Academiæ saltem extra Italiam institutæ, & earum gymnastæ, minoris quam par est, haberent determinationes Romanas iuris naturalis & diuini, cõsiderando Romæ determinari, quod per patriam potestatem (quæ est inuentum ciuile, & sæculare) à paruo tempore quibusdam datam, vel communicatam, extendatur priuilegium iuris naturalis & diuini parentibus tantùm concessum ad omnes personas, in quibus inuenitur patria potestas, ad quas non extenderetur, si illa patria potestas nõ fuisset eis nouè communicata, & cõsequenter quod alio iure naturali vtimur apud Græcos, Persas, Indos, Nauarros, Francigenas, & alios, quibus non esset huiusmodi patria potestas, & alio iure naturali apud Romanos, & alios, quibus est illa, cõtra capit. *ius naturale*,[a] & tradita per S. Thom. receptum.[b]

a In Institut. de iure naturali gen. & ciuil.
b In 2.2. quæ. 94.

31 Declaratio enim Martini V. non est quo ad hoc noui iuris humani introductoria, sed antiqui naturalis declaratoria: quod colligitur ex eadem, & ex eo, quòd nisi id teneamus, est insolubile illud argumentum, quod cõtra illam & communem format: Scotus,[c] ad probandum, quòd Reges, & Principes terræ non solum iustè possunt cogere paruulos Iudæorum sibi subditorum ad baptismum inuitis parentibus, sed etiam tenentur, vt in meo responso latius explicaui. Arguit enim in summa sic, Quoties duo, quorum vnus est superior, & alter inferior, cõtratria præcipiunt, superiori parendum est.[d]

c In 4. l. sent. dist. 5. q. 9.
d Ca. qui resistit. 11. qu. 3. cum ei similibus.

At Christus Deus, & superiorum supremus sua lege diuina præcipit, vt omnes baptizentur: & parentes Iudæi, qui sunt puri homines, & infirmi, voluntate sua humana & peruersa præcipiunt contrarium. Ergo Rex debet facere, quod præcipit Christus, non obstante voluntate cõtraria parentum.

Cui argumẽto, nemo, credo, ante Caietanum satis clarè & exactè satisfecit: nam etiam Sotus,[e] ab eo mutuatus fuit suam solutionem: respõdet autem sic, quod non duo diuersi præceperunt illa duo prædicta, quæ apparent esse cõtraria, sed vnus tantùm, nempe Deus, qui per legem diuinam naturalem, indendo parentibus potestatem, ius, & munus dirigendi paruulos suos circa spiritualia, donec sapere incipiant, cõsequenter præcipit, ne prædicti paruuli inuitis eis baptizentur, & per legem diuinam supernaturalem præcipit vt omnes baptizentur. Et quia gratia non destruit naturam, sed perficit, ita lex præfata supernaturalis de baptizandis omnibus non destruit legem naturalem de nõ baptizandis paruulis infidelium sine consensu parentum, vel alterius eorum, sed potius modificatur ab illa.

e Vbi supra.

32 Nec obstat quod S. Thomas & eius sequaces suam assertionem fundant in consuetudine Ecclesiæ, quæ non consueuit baptizare paruulos infidelium inuitis parentibus: & quod Ecclesiæ consuetudo non inducit ius naturale, neque diuinum, sed tantum humanum non scriptum.[f] Non inquam hoc obstat: quia S. Thom. non allegat illam consuetudinem vt inductricem, siue auctricem iuris noui, sed vt coniecturam, & traditionem Ecclesiæ grandem, ad coniiciendum, quòd illa potestas, & ius parentum ad dirigendos paruulos ad spiritualia, est naturale, & diuinum, vt ex dictis ipsiusmet,[g] colligitur, cùm sic ait: *Baptizatio huiusmodi paruulorum inuitis parentibus repugnat iustitiæ naturali. Filius enim naturaliter est aliquid patris. Et primò quidem à parentibus non distinguitur secundum corpus, quamdiu in matris vtero continetur. Postmodum verò, postquam ab vtero egreditur, antequam vsum liberi arbitrij habeat, continetur sub parẽtum cura sicut sub spirituali vtero, quamdiu enim vsum rationis non habet puer, non differt ab animali irrationabili. Vnde sicut bos, vel equus est alicuius, vt vtatur eo cum voluerit, secundum ius ciuile, sicut proprio instrumento, ita de iure naturali est, quod filius, antequam habeat vsum rationis, sit sub cura parentum. Vnde contra iustitiam naturalem esset, si puer antequam haberet vsum rationis, à cura parentum, subtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur inuitis parentibus.* Hæc ille.

f §. cõstat. Institut. de iure naturali gen. & ciui. & ca. consuetudo. 1. dist.
g In ar. 12. q. 10. 2. 2.

33 Per quod argumentum, & eius solutionem, & mentis S. Thomæ & sequacium eius expressionem palam colligitur prædictam legem de non baptizandis paruulis esse ius naturale, & ita omni loco & tempore vno modo seruandum: & consequenter non dicendum, quod consensus aui sufficit vno tempore, & apud vnam gentem, & non alio tempore, & apud aliam gentem. Cui consequens est, consensum aui numquam sufficisse, nec sufficere ratione patriæ potestatis vllo loco, neque apud vllam gentem.

Ad argumenta verò, & solutiones contra hęc supra adducta, respondetur, quod fundantur in illa falsa imaginatione, qua putatur patria potestas extendi ad spiritualia, sicut ad temporalia, & qua putatur eodem iure inducta, quo inducta est parentum potestas, & ius ad dirigendum filios in spiritualibus, & à tanto tempore, à quanto illa: Cùm tamen per prædicta palam sit patriam potestatem extendi ad temporalia tantùm, & non ad omnia, & esse inductam iure ciuili Romano, nec à principio suæ inuentionis fuisse apud Iudæos, sed longè postea communicatam eis, non quidem omnibus, sed orbem Romanum incolentibus, illam autem potestatem, & ius quod habent parentes ad dirigendos filios paruulos in spiritualibus, esse inditum iure naturali totius generis humani parentibus tantùm à Deo ipso in exordio rationalis creaturæ, ideóque esse longè diuersum à patria potestate, etiam si concurrant in eadem persona, vt concurrunt in patre habente potestatem in suum filium paruulum.

34 Fundantur etiam in falsa imaginatione, qua creditur Gregorius IX.[a] intendisse principaliter decidere hanc, de qua loquimur, quæstionem de baptizando filium de consensu patris conuersi, inuita matre non conuersa: cùm palam colligatur ex eo, præsertim ex allegationibus matris, eum principaliter intendisse decidere quæstionem, qua quærebatur, an paruulus, de quo erat quæstio esset tradendus ad educandum patri conuerso, an matri non conuersæ.

a In dicto ca. finali de conuers. infidel.

Ad quam quæstionem decidendam plurimum erat attendenda patria potestas Romana Iudæis communicata: cùm tamen ad decidendam aliam, non esset attendenda illa, sed alia potestas iure naturali diuino indita parentibus tantùm, ad dirigendos paruulos filios in spiritualibus: & consequenter non indigent alia solutione, neque explicatione. Ex quibus infertur, non me, vt aduersarij parũ cautè dicunt, sed illos in hac re paralogizari.

Sexto, quod nimis videtur extollere illud dictum Sot.[b] scilicet, iniuriam, quæ fit parentibus in baptizandis filiis suis sine suo consensu, non esse superstitiosè, sed secundũ prudentium iudicium intelligendam.

b In fine prædicti art. 10.

Tum quia secundum sensum directum est conclusio triuialis, & omnibus etiam lippis & tonsoribus nota, cùm quasi, per se notum sit, omnem superstitionem esse vitiosam, vt tradit S. Thomas receptus,[c] & latè probat Gratianus.[d]

c 2.2. qu. 92. per totam.
d Causa 26. præsertim q. 2. & 5.

35 In sensu autem indirecto, secundum quem laudari videtur ab eo, est talis, ex qua infert vnum, quod ego pro obseruantia & fide, qua esse debeo in S. Sedem Apostolicã & eius declarationes, non auderem dicere, neque credo ipse dixisset, si legisset prædictam Martini V. extrauagantem. Infert enim, quod iustè potest baptizari filius (inuitis parentibus infidelibus) iamiam moriturus, si non timeretur scandalum: quod nullatenus videtur dicendum. Tum quia prædicta extrauagans exactè & vniuersaliter declarat, non licere baptizare paruulos Iudæorum sine expresso alterius parentis consensu. Tum quia illa extrauagans nõ est iuris noui inductoria, sed declaratoria naturalis diuini, quod non recipit facilè limitationes priuatas, iuxta notata per omnes.[e]

Tum quia frequentissimè decipiuntur homines credentes aliquos ægrotos statim morituros, vt docet experientia rerum magistra.[f]

e In c. quia in ecclesiarum. de consti. & in l. 1. C. de legi.
f Ca. quã sit. de elect. lib. 6.

Septimo, quod parum cautè ait, me, cùm non potuissem tergiuersari patriam potestatem magni esse in hac re momenti, confugisse ad intendendum probare, auum, de quo loquimur, patria potestate carere.

Tum quia si meum responsum seriò legisset, in duobus vel tribus locis inuenisset me expresse dicere (vt prædixi) patriam potestatem multum importare quo ad quæstionem, de qua principaliter fuit consultus Gregorius,[a] scilicet, an patri, an matri esset tradendus paruulus ad educandum: non autem ad hanc, de qua nunc loquimur, an consensus prædicti aui, renitente matre, sufficiat ad iustè baptizandum hunc puerum.

a In d.ca. fin.

Tum quia ego prius tractaui, an patriam potestatem haberet auus in hunc puerum, quàm, an haberet potestatem ad consentiendum in baptismo. Et ideo palam est, me non confugisse ab huius quæstionis decisione ad tractandam illam: cùm post tractatam illam descendissem ad tractandam istam.

Octauò, ne nimium morosus videar, remitto responsiones, & replicationes, quæ fieri possunt aduersus ea, quæ ipse adducit ad probandum auum prædictum non perdidisse patriam potestatem, aliis eruditissimis dominis meis, qui pro matre responderunt, præmonens eorum dominationes, non parui ad hæc videri momenti, quod legitimè decreta fuit tutela matri in Vrbe, & filius ei traditus educandus, eodem auo præsente, sciente, & si verum coram Deo vt bonus Christianus voluerit fateri, consentiente, & quod auus cùm fuit conuersus, ea mente discessit ab vxore, & filiis suis, vt nullum magis commercium haberet cũ iis, quàm cum aliis Iudæis, & quod non habuit mentem vtẽdi potestate patria in filios suos, neque in filios filiorũ eorũ: & quod forsitan numquã huiusmodi filius viuẽtibus parentibus, eis in uitis, fuisset traditus auo potestatem patriam in cohabenti.

36 Nono præmoneo eosdem dominos meos, probabile videri, quod patria potestas iure humano Romano inducta non extendatur ad hoc, vt paruulus filius parentum vnius religionis tradatur educandus auo alterius religionis sine consensu illorum, vel alterius eorum.

Tum quia patria potestas non extenditur ad spiritualia, vt prædictum est: & quod directio in spiritualia plurimum pendet ab educatione paruuli: & quod cura omniũ pertinentium ad huiusmodi paruulum maxima est directio eius ad spiritualia.

Tum quia concurrentibus duobus potestatibus, quę in aliquo maior & dignior est, præferenda est in eo minori, & indigniori: & quòd potestas dirigendi paruulum ad spiritualia, quam habent parentes, multò maior & dignior est per prædicta, quàm patria potestas, & ideo illa videtur huic præferenda in tempore, quo vtraque concurrit, & consequenter quo ad educationem vsque ad tempus discretionis, quo ad quod illa durat, cum (vt dictum est) illa directio præcipuè ab educatione pendeat.

Tum quia, si, cum Imperatores Ethnici regnabant, contigisset casus, in quo auus fuisset infidelis, & pater & mater Christiani, & mortuo patre mansisset filius paruulus, Iurisconsulti Christiani consuluissent patriam potestatem illius aui non esse extendendam ad hoc, vt traderetur ei educandus nepos renitente matre, & quod pari ratione Iurisconsulti Ethnici respondissent paruulum filium infidelium parentum non fuisse tradendum ad educandum auo Christiano habenti eum in potestate: & dixissent nostris Iurisconsultis, *Quod quisque iuris in alterum statuerit, ipse eodem iure vti debebit.* Vnde licet priore responso, habẽs pro comperto auo non esse patriam potestatem, dixerim perfunctoriè satis teneri posse tradendum esse illi hunc nepotem ad educandum licet non ad baptizandũ: nunc autem altius perpensis iis, quæ præmonui de tutela legitimè decreta, & ratione, & æquitate non tradendi paruulos filios parentum vnius religionis, ad educandum hominibus alterius religionis, adeo subsisto, vt nolim secundum illud dictum meum ante maturiorem deliberationem iudicari.

37 Decimò præmoneo, quòd licet magni fiat ex aduerso fauor salutis huius pueri, qui fit per contrariam opinionẽ de baptizando illum inuita matre, ego verò maioris facio fauorẽ, qui fit sacrosanctæ Sedis Apostolicæ auctoritati, & declarationi eius, & iuri naturali diuino, quo solis parentibus datur ius & potestas dirigendi huiusmodi paruulos in spiritualia, & quòd contrarium consulentes debent cauere ne incurrant in Scyllam cupientes vitare Charybdim, dum volentes consulere saluti huius pueri, faueant iis, qui parui faciunt declarationes iuris naturalis & diuini Maximorum Pontificum extra Concilia generalia editas, qualis est prædicta Martini V. vt supra probatum est.

38 Vndecimò, sequutus aduersantis ordinem, addo, quòd non est tam parui faciendum periculum apostasiæ, in quam is puer iam circumcisus, baptizatus matre renitente recidere posset, quam contradictor facit, dicens hoc esse contra cap. fin.[a] & quod non est certum perdendum propter dubium an perdetur, non inquam est tam parui faciẽdum. Tum quia S. Thomas receptus ab aliis ait,[b] quòd vna potissimarum rationum, ob quas paruuli infidelium non debent inuitis parentibus baptizari, est illa, quã reddit in hæc verba: *Vna ratio est propter periculum fidei, si enim pueri nondum rationis vsum habentes baptismum susciperẽt, postmodum cùm ad perfectam ætatem peruenirent, de facili possent à parentibus induci, vt relinquerent, quod ignorantes susceperunt, quod vergeret in fidei detrimentum.* Hæc ille. Per quæ apparet, quam parum solida est ratio, quæ ex aduerso insinuatur, videlicet non esse certum perdendum propter dubium an perdetur.

a De cõuers. infidel.

b In 4. dist. 5. art. 12.

Tum quia etiã Sotus, qui adeo ex aduerso meritò magnificatur, sic ait.[c] *Tertium autem, & efficacius est argumentũ, quod ex fidei natura sumitur: dictum enim est, sic esse administrandum baptisma, vt nulla fidei irrogetur iniuria: ex baptizatione autem huiusmodi magna ei irrogatur: nam creat manifestum periculum, vt ad ætatem adultam pertingentes à parentibus inducantur, vt ad suam redeant pristinam legem. Quare quod ignorantes acceperunt, facilè relinquent.* Hæc ille. Non parui ergo, sed maximi æstimandum est in hac re periculum apostasiæ. Tum quia paulò pòst grauissimè idem Sotus reprehendit eos, qui plurimos huiusmodi paruulos apud Indos baptizarũt, ea intentione, vt saluarentur, si antequam ad vsum rationis peruenirent morerentur. Quæ omnia & singula non solùm sacrosanctæ Sedi Apost. sed etiam cuiuslibet alius rectius sentientis censuræ lubenter subiicio.

c In d. dist. 5. art. 10. col. 18.

*Aduertendum autem, contra hanc opinionem latam sententiã, infantemq; traditum fuisse auo Christiano, & demum baptizatum, perseuerareq; adhuc in fide. Vide etiam infra de baptismo Consil. 1.*

## DE VOTO ET VOTI REDEMPT.

### SVMMARIVM.

1 *Vota cum animi perturbatione ob instantis mortis periculum, vel ob iram præcedentem emissa obligant, nu. 3. modo perturbatio non abstulerit iudicium penitus, nec induxerit insaniam, num. 2. præbet tamen hæc perturbatio, sicut & modica deliberatio, & pueritia, causam commutandi, & dispensandi. nu. 3.*

2 *Iudicium quod obligat diabolo, sufficit ad obligandum Deo.*

## CONSILIVM I.

Qvia, vt Plin.[d] ait, *Votorum tunc maximè locus, cum spei vita nullus est:* Multi ob magna pericula mortis, quæ occurrunt ægrotis, & valentibus in præliis, & nauigantibus, & ob iram, & alias passiones siue perturbationes animi vouent, & frequenter religionis ingressum, & postea pœnitentes ea fecisse, quærunt an sit eis necessaria dispensatio aliqua.

d Naturalis historia lib. 8. c. 16.

1 Et quidem pro parte negante faciunt illa iura: quę allegat glossa in ca. *sunt qui opes*,[e] & glossa in cap. *dudum*,[f] & glossa in cap. *ex literis*,[g] quæ concludunt, acta calore iracũdiæ, vel alia perturbatione animi non valere, vel esse reuocanda: quæ glossæ aliæ ab aliis appellantur singulares, & commendantur, & per earum aliqua notabilia firmantur. & in specie quo ad votum dixit Romanus,[h] votum per calorem iracundiæ & turbationem animi factum esse nullum, & non obligare, & idẽ dixit Iason,[i] & alibi alij: quod tamẽ falsũ est. Pro parte verò affirmãte facit prẽfatũ c. *sunt qui opes*. quatenus habet, cum, qui donauit aliquid Ecclesiæ tumultuario animo, & postea reuocauit donationem, sacrilegium commisisse reuocando, quod non poterat dici,

e 17. q. 4.
f De conuers. coniug.
g De diuort.
h Sing. 508.
i In l. si filiã. C. de inoffici. testam.

nisi

nisi donatio facta Ecclesiæ animo tumultuario & turbato valuisset.

2 Tum quia glossa solemnis & recepta, [a] habet, iudicium, quod sufficit ad obligandum quem diabolo, sufficere ad obligandum quem Deo: & constat, eum, qui occidit, & mutilat, vel ferit proximum per calorem iracundiæ, mortaliter peccare, & obligare se diabolo, quia violat præceptum quintum Decalogi, immo & qui per iram inordinatam dicit fratri racha, vel fatue per Christi dictum, [b] relatum in cap. *quid in omnibus*. [c] Tum quia iura & glossæ illorum citata in contrarium sunt neganda, aut intelligenda de iracundia, vel alia turbatione animi, quę reponit turbatum extra sensum, & iudicium requisitum ad bene vel male merendum, vt declarant Ioannes Andreas, & Panormitanus & alij. [d] & Archidiaconus & Turrecremata, [e] quoniam furiosi, & amentes nec bene nec male mereri possunt. [f] Tum quia illa capp. regulariter probant perturbationem animi, quæ non aufert penitus iudicium, nec inducit insaniam, non excusare quem à peccato toto, licet sic à tanto, vt communiter Theologi loquuntur: quò fit, vt vota peregrinandi, & alia similia facta per iracundiam, vel aliam perturbationem, valeant & obligent, vt aiunt Archidiaconus & Turrecremata, [g] & est de communi mente Theologorum, [h] & nos asseruimus in nostro Manuali confessar. [i]

3 Ex quibus colligitur, præfatos, qui ex metu, calore iracundiæ, vel turbatione animi, quæ non reddit insanum, vel furiosum, vouent, obligari quidem ex voto, sed habere iustam causam dispensandi, vel commutandi, & posse iustè prælatos eorum dispensare, vel commutare vota eorum, secūdum omnes, pro quibus faciunt cap. 1. & 2. [k] quæ probant etiam ob pueritiam, & parum deliberatam mentem, vel propositum vouendi, posse dispensari, vel commutari votum, vbi hoc notat Panormitanus communiter receptus, quem sequuti fuimus cum communi in d. Man. [l] adiunctis his, quæ diximus alibi. [m] Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Voti obligationem non vitiat iracundia, quæ vsum rationis non sustulit, nec defectus maturæ & iustæ deliberationis, nec magna perturbatio, etiam ex iniusto amore vel timore progrediens, num. 2. licet præbeant iustam causam dispensationi, vel commutationi.*

## CONSILIVM II.

VOtum factum per iracundiam an teneat, & an sit iusta causa dispensandi?

1 Ad has quæstiones respondeo primò tenuisse me in Man. confess. [n] valere, & ad sui complementum obligare vouentem, vota facta per iracundiam, modo illa non esset tanta, quæ alienaret à iudicio rationis, iuxta Ioannem Andream & communem in cap. *dudum*, per illum textum, [o] quę est cōmunis opinio, & probatur per ea quę ibi adiicio contra Ludouicum Romanum & Iasonem, qui parum re perpensa contrarium tenuerunt in locis ibi citatis. Quibus consequens est, Dominum consulentem proculdubio esse obligatum ad complendum prædicta vota.

2 Secundo, posse tamen petere dispensationem, vel commutationem in prætorio sacræ Pœnitentiariæ, propterea quod fuerint emissa vota sine iusta & matura deliberatione, & cum magna turbatione timoris, & amoris parum honesti, per textum vbi hoc notat Panormitanus communiter receptus, [p] quem sequuti fuimus cum communi in dict. Manual. [q] adiunctis his quæ diximus alibi in dict. num. 24.

*SVMMARIVM.*

1 *Propositum etiam diu continuatum voto non æquipollet.*
1 *Magis & minus non faciunt differre specie, sed numero.*
2 *Pœnitentia à confessario imposita, & acceptata implenda, nisi ex iusta causa mutetur.*
2 *Facultas commutandi vota per Iobelæum non extenditur ad commutandam pœnitentiam iniunctam.*
3 *Sponsalia per ingressum religionis dissoluuntur: sed cauendum valde est ne qua infamia inde contra sponsam oriatur.*

## CONSILIVM III.

PRimo quæritur, vtrum propositum mutandi vitam, & ingrediendi religionem multo tempore conceptum & continuatum æquipolleat voto, & habeat vim obligandi proponentem.

Secundo, an teneatur adimplere pœnitentiam iniunctam à confessario, & à se acceptatam.

Tertio, & quid si post præfatum propositum contraxit sponsalia cum quadam virgine, licet sine præsentia parochi, & an teneatur contrahere matrimonium.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo, quòd proposita præfata quamlibet frequenter iterata, & quantolibet tempore continuata non æquipollent voto, nec inducunt obligationem necessariam ad intrandam religionem, per cap. *literaturam*, [a] vbi Panormitanus cum communi tenuit non sufficere propositum ad constituendum votum, quem & S. Thomam & Archidiaconum ante eum illam tenentes & alios sequimur in Manu. confess. [b] quibus addo rationem, quòd plus & minus non faciunt differre genere secundum Iuristas, neque specie secundum Dialecticos, sed numero. [c]

2 AD SECVNDAM respondetur, quod præfata pœnitentia iniuncta & acceptata seruanda est, [d] quamuis ex iusta causa mutari possit, vt nos tradimus latius in præfato Manual. [e] non autem mihi compertum est per Iobelæa posse commutari: quia per ea conceditur quidem, vt plurimum potestas commutandi vota, non autem potestas commutandi pœnitentias iniunctas, quæ sunt aliæ à votis, & à diuersis non fit illatio, [f] sed quilibet cōfessarius legitimus videtur habere potestatem commutandi pœnitentiam iniunctam, etiam à superiore, iuxta glossam. [g]

3 AD TERTIAM respondeo, quod Dominus consulens tenetur ad contrahendum matrimonium cum pręfata virgine, si promisit contrahere cum illa, quia Concilium Tridentinum non annihilauit sponsalia de futuro contracta sine pręsentia parochi, sed tantùm sponsalia per verba de præsenti, vt annotauimus in d. Manual. [h] verum tamen est, quod per ingressum religionis dissoluuntur, [i] sed cauendum valde est, ne qua infamia contra sponsam inde nascatur, iuxta notata. [k] Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Votum non inducunt hæc verba,* Deo sanitatem concedente, religionem ingrediar, *si non sit facta promißio.*
1 *Propositum, & deliberatio quantumuis firma non obligat.*
2 *Velle facere, & obligare se ad faciendum, diuersa.*
3 *Votum perturbatione animi iudicium non tollente non irritatur, sed fit dispensabile.*
3 *Dispensandi causam dant leuitas vouendi, perturbatio animi, grauis ætas, periculum cum dedecore retrocedendi, & auersio à religione, credulitas extra illam melius proficiendi. num. 4.*

## CONSILIVM IV.

DOctor quidam & presbyter quinquaginta annorum, ecclesiastica dignitate præditus, morbo grauissimo ad mortem vexatus proposuit multa pia facere, & inter alia deliberauit, dixitque, atque disposuit religionem ingredi, Deo sibi sanitatem concedente. Quæritur an sit religioni obligatus.

1 Interrogatus de casu proposito, respōdeo primò principaliter præfatum D. consulentem nullatenus esse obligatum de præcepto, & necessitate adimplendi quidquam eorum, quæ proposuit, dixit, disposuit & deliberauit facere. Primò quidem, quia nullum propositum quamlibet firmum, nec vlla deliberatio quamlibet resoluta & firma efficit votum, neque promissionē obligantem de pręcepto adimplendi proposita deliberata, & dicta, nisi promiserit vel vouerit facere illa, vt tradunt omnes, [l] post S. Thomam, [m] & Archidiaconum, [n] & alios, quos sequimur in Manuali confess. [o]

Secundo, quod casus præfati cap. *literaturam*, fuit fere idem qui supra positus. In hoc enim Dominus consulens est doctor egregius, & in illo magister, quem Alexander III. laudat de literatura. Et vt hic Dominus consulens valde ægrotabat, ita ille minutione quadam nimio erat mortis pauore perterritus: & sicut hic proposuit habitum religionis suscipere, ita & ille: & sicut hic dicit de hoc aliqua verba, ita & ille: dixit enim, *Diu hic non morabor*, proponens in animo quòd religionis habitum esset aliquando suscepturus. Cum ergo casus hic sit illi simillimus, responderi debet similiter, vt Alexander ibi respondit, nem-

a In c. mulier. 32. q. 2.
b Matth. 5. Exod. 20.
c 32. q. 7.
d In d. ca. dudum.
e In d. c. sunt qui opes.
f Ca. merito. & c. illud. 15. q. 1.
g Vbi supra.
h In 4. dist. 38.
i Cap. 12. nu. 24.
k De voto.
l In d. cap. 12. nu. 77.
m In dicto num. 24.
n Ca. 12. nu. 24.
o De cōuers. coniug.
p In cap. 1. de vot.
q In d. ca. 12. nu 77.

a De voto.
b Ca. 12. nu. 24.
c Le. fin. ff. de fund. instru.
d Ca. omnis. de pœnit. & remiss.
e Ca. 26. nu. 22.
f L. Papinianus ff. de minor.
g Cap. tempora. 26. q. 7.
h Cap. 25. nu. 144.
i Ca. 1. de conuer. coniug.
k In ca. commissum. de spons.
l In c. literaturā. de vot.
m In 2. 2. qu. 88. ar. 1. & 2.
n In cap. qui bona. 17. q. 1.
o Capit. 12. num. 24.

pe: *Tibi igitur respondemus, quòd si plus non est in votó processum, non es transgressor iudicandus, si non imples quod dixisti.*

Terriò facit, quòd alioquin oporteret dicere, quod quicumque vellet, proponeret, vel deliberaret adire templum, audire Missam, aut concionem, ieiunare, eleemosynam dare, visitare infirmos, vel sanos, vel quodpiam aliud honestum facere, teneretur ad id exequendum sub pœna peccati mortiferi, quod nemo vmquam dixit, & est absurdum, & ideo non dicendum.[a]

2 Quarto, quod ratio responsionis Alexandri fuit, à diuersis non fieri illationem,[b] & aliud esse velle aliquid facere, & aliud obligare se ad id faciendum, cum quotidie multa velimus, ad quæ tamen non nos obligamus, nec nos volumus obligare. Cùm ergo Dominus consulens solum voluerit, proposuerit, dixerit, vel deliberauerit ingredi religionem, non sequitur, quòd se obligauerit ad illud, vel voluerit se obligare.

3 Secundo principaliter respódeo, quòd S.D.N. sanctè posset relaxare obligationem intrandi religionem, etiam si se obligasset ad intrandum illam. Tum quod, sicut leuitas vouendi dat causam dispensandi, vt notat Panormitanus per illum textum,[c] ita magna perturbatio animi, quæ mouet ad vouendum, idem facit,[d] adeo quòd fuerunt aliqui, de quibus est Ludouicus Romanus,[e] qui dixerunt, quod votum perturbatione iræ factum non valet: quod tamen non est verum, nisi quando perturbatio est adeo magna, vt vouentem ponat extra iudicium, vt Ioannes Andreas, Panormitanus & alij adnotant,[f] alia autem perturbatio non reddit quidem votum nullum, sed dat causam dispensandi secundum omnes.

4 Tum quia cum præfata perturbatione concurrit ætas quinquaginta annorum, dignitas in Ecclesia cathedrali, auctoritas expediendi negotia Ecclesiastica, & austeritas religionis inexperta, & quod periculum est, vt ingressus religioné exeat illam, cum id liberè posit facere, quod non decet virum doctrina, gradu, dignitate, & longa ætate ornatum. Tum denique quod non vult eam ingredi, & putat fructuosiorem se fore seruiédo suæ dignitati, quàm religioni quasi coactè susceptæ. Itaque mea senténtia, nulla Dominus consulens indiget dispensatione. Salua, &c.

a L. nã quod absurdum. ff. de bonis liber.
b L. Papinianus. ff. de mino.
c In cap. 1. de voto.
d Cap. dudũ. de conuersi. coniug.
e In sing. 508.
f In d. ca. dudum.

*SVMMARIVM.*

1 *Votum non inducitur per solum propositum, & deliberationem, nec etiam per illius enunciationem, vel denunciationem futuri euentus, num. 3. sed requiritur animo se obligandi facta promissio, num. 1. mentaliter saltem, num. 4. per verba denotantia promissionem vel in actu signato, vt promitto, vel per actum exercitum, puta faciam hoc. num. 2.*

3 *Votum & promissio in dubio, nisi vouens magis inclinet in contrarium, censendum est factum per illa verba conditionalia:* Domine faciam hoc, si feceris illud: Da mihi salutem, & faciam hoc. *num. 2. & 4.*

3 *Correspectiuitatem ad gratiam obtinendam cum habent verba enunciatiuè prolata, puta,* Faciam hoc, si feceris illud, *in dubio resoluuntur in promissionem. num. 4.*

## CONSILIVM V.

Quæritur, an, qui dicit Deo, *Da mihi Domine salutem, & ego seruiam tibi,* intelligendo mente de seruitio in statu castitatis & continentiæ, obligetur ille ad seruandam castitatem.

1 Respondeo, quòd pro parte negante facit, quòd ad votum non sufficit propositum etiam deliberatum faciendi aliquid, sed requiritur promissio, & animus se obligandi, iuxta cap. *literaturam,*[g] quod habet, eum, qui dixit, *Si conualuero, non diu morabor hîc,* intendens adire religionem, non censeri vouere: vbi Ioannes Andreas, Panormitanus, & communis id tenent, & idem tenet vterque Thomas,[h] quod non videtur in hoc casu interuenire.

2 Pro affirmante verò facit, quòd consulens non solum videtur habuisse propositum deliberatum, sed etiam promisisse, dicendo cùm ægrotaret: *Da mihi Domine salutem, & ego seruiam tibi,* intelligens mente de seruitio in statu continentiæ. Tum quia, vt quis obligetur, nó requiritur quod dicat, *obligo me,* nec ad hoc quod promittat, oportet dicere promitto, sed satis est dicere, *dabo vel faciam.* Tum quia ita obligatur, qui dicit alteri, *tibi dabo centum, si hoc feceris,* ac qui dicit, *promitto dare centum, si feceris hoc,* vt colligitur ex

g De voto.
h 2. 2. qu. 88. art. 1.

A l. 1.[a] & l. *naturalis.*[b] Tum quia vt ait Caietanus,[c] non solum fit promissio per actum signatum & exercitum, dicendo, *promitto quod faciam hoc,* sed etiam per solum actum exercitum, dicendo, *faciam hoc.*

3 Per quæ concludi videtur, quod tota difficultas consistit in significatione illius verbi verbalis, vel mentalis, *faciam, vel seruiam:* vt enim ait Caietanus,[d] & in eodem proposito de verbo, *faciam,* quod potest tripliciter accipi illud verbum, *seruiam:* Primo pro denunciatione propositi, hoc est, intendo seruire. Secundo pro euentu quodam, scilicet, fiet seruitium. Tertio pro promissione seruitij: & quia per adducta pro parte affirmante proprior significatio verbi, *faciam, seruiam, vel dabo,* posita in conditionali, *faciam, seruiam, vel dabo tibi hoc, si feceris illud,* est promissio, quam denunciatio propositi vel euentus, arbitror iudicandum esse, quod est votum, nisi consulens inclinaret magis non habuisse tunc animum promittendi.

4 Non obstant in contrarium adducta pro parte negante: quia licet concludant necessariam esse promissionem verbalem vel mentalem ad votum, non tamen probant quòd sit necessarium mente vel verbo dicere, promitto, vel voueo: sed sufficit dicere mente, vel verbo id quod significat promissionem, quam facit, qui dicit, *faciam, seruiam, vel dabo tibi hoc, si feceris illud,* secundum propriorem verborum significationem. Salua, &c.

a ff. de pact.
b ff. de præsc. verb & c. iumenti. 22. q. 5.
c In d. art. 1.
d Vbi supra.

*SVMMARIVM.*

1 *Votum in rigore sermonis non est, Promitto Deo nolle in sæculo mori, intendens aliquo tempore velle ingredi religionem.*

2 *Promittere religionem intrare, & promittere me velle intrare, diuersa.*

2 *Volo vendere, vel contrahere tecum matrimonium, differt à vendo, & à contraho.*

## CONSILIVM VI.

Scrupulis quidam diuersis è rebus sæcularibus natis agitatus proposuit intrare certam religionem, aut dixit hæc verba, *Prometto à Dio di non voler mai morir nel secolo, intendendo in qualche tempo di voler entrare vna determinata religione.* Et postea obtenta quadam cura animarum, elapsis duobus annis, promisit cuidam fratri religionis prædictæ se ante duos annos elapsos velle intrare suam religionem non tamen intrauit adhuc, licet sint elapsi circiter decem anni. Nunc autem pœnitet illa dixisse, nec vellet intrare illam religionem: quia putat se plus Deo seruiturum extra, quàm intra illam.

Quæritur primò, an votum vouerit, & teneatur illo.

Secundo, an iustè posit ei à Papa illud relaxari.

1 AD PRIOREM QVÆSTIONEM respondeo, quod de rigore sermonis, & verborum, quæ dixit, non vouit, nec tenetur voto. Tum quia per illa verba, *Non morabor hic diu, intendens intrare religionem,* non inducitur votum.[e] Tum quia proponere etiam firmisimè intrare certam religionem, non est vouere, secundum S. Thomam communiter receptum,[f] quem retulimus in Manual. confess.[g] Tum quia verba prima vice pronunciata de rigore sermonis non significant quod promisit intrare, sed quod promisit non velle mori in sæculo, aut ad summum velle intrare illam religionem.

2 At aliud est promitto intrare religionem, & aliud promitto velle intrare, sicut aliud est ascendere arborem, & aliud velle ascendere, vt ait glossa,[h] & vend. immo & volo vendere, & vendo, secũdum communem ibidem, quicquid glossa subdubitet: & aliud contraho matrimonium, & aliud volo contrahere, iuxta notata.[i] Tum quia etiam verba secunda vice post duos annos prolata non concludunt votum de intranda religione: quia aliud est dicere, *promitto intrare religionem intra duos annos,* & aliud, *promitto me velle intrare intra duos annos,* per rationes supradictas.

AD ALTERAM QVÆSTIONEM respondeo, quòd videtur subesse iusta causa relaxandi votum, esto quod esset tale: & quod credo summũ Illustrissimum Pœnitentiarium maiorem relaxaturum, vel certè acturum, vt Papa relaxet, si offeratur ei petitio. Salua, &c.

*Aduertendum, hoc responsum cautè legendum: nam etsi qui verbis solùm profert voluntatem, quam gerit ingrediendi religionem, affirmátque se talem habere voluntatem & animum, non obligetur voto, rarò tamen verba, de quibus in casu, sub prædicto sensu*

e Ca. literaturam. de voto.
f 2. 2. qu. 88. art. 1. & 2.
g Ca. 11. nu. 24.
h In l. in vendentis. C. de cõtrah. emp.
i In c. ex parte. de sponsal.

*proferuntur,*

*proferuntur, immo qui ea profert, communiter profert per modum saltem tacitæ promißionis inducentis votum.*

SVMMARIVM.

1 *Vouens in genere mori in religione, implicitè vouet ingredi, & perseuerare, immo & profiteri, num. 3. potest tamen quam malit eligere, num. 2. sed exire sine causa & dispensatione non potest. num. 3.*

## CONSILIVM VII.

DE eo, qui postquam tractauit de ingressu in quadam certa religione, & de exitu ab ea, & de pœnitentia exitus à prima, & de intranda alia, tandem protulit hæc verba, *Promitto Deo mori in religione.*

Quæritur primò, an videatur vouisse religionem.

Secundò, esto illam vouerit, an poßit eligere, quam maluerit.

Tertiò, an ingrediendo poßit exire.

1 AD PRIMAM respondeo, proculdubio D. consulentē censendū esse vouisse religionem. Tum quia negari non potest ipsum vouisse: quia illis verbis conuenit definitio voti, quam post alios dedimus nos in Man. confess.[a] scilicet, quòd *est promißio deliberatè facta de aliquo bono maiori:* & constat, mori in religione esse suo genere maius bonum, quam mori extra illam. Tum quia posito & cōcesso quòd sit votum, & non potest dici esse votum de alia re, quam de religione intranda, & in ea perseuerando vsque ad mortem, ergo dicendum est esse votum de religione intranda. Tum quia non obstat, quòd non vouit specialiter intrare religionem: quia vouit aliquid, quod continet ingressum, & aliquid eo maius: & plus cōtinet minus per reg. *plus,*[b] & totum continet suam partem,[c] & ex narratis in casu proposito, quibus exprimitur quod consulens tractabat de vno ingressu religionis, & de exitu ab ea, & de ingrediendo aliam, & de quadam pœnitentia exitus à prima, & voluntate permanendi in aliqua religione, dicendo, *Promitto mori in religione,* tacitè videtur dixisse, *Promitto intrare religionem, & in ea mori.* Non etiam obstat dicere, quòd non expreßit religionem: quia votum generale de intranda religione valet.[d]

2 AD SECVNDAM respondetur, posse ipsum ingredi religionem quam voluerit, quia indefinitæ & generali promißioni per vnum suppositum satisfit, iuxta glossam celebrem,[e] qui enim promittit indefinitè hominem, vel seruum, per præstationem vnius liberatur.

3 AD TERTIAM respondetur, quod consulens, si intrauerit aliquam religionem, non poterit exire liber pro libito suo sine iusta causa, & superaddita dispensatione: eo quòd videtur fecisse duo vota, alterum de intranda religione, & alterum de perseuerando in ea, quorum prius completur intrando tantùm, posterius autem non nisi profitendo, per ea quæ nos tradimus contra Sotum.[f]

a Cap. 12. nu. 24.
b De regulis iur. lib. 6.
c Cap. cui licet. eod. tit. & ca. pastoralis. §. item cum totum. de offic. deleg.
d Ca. constitutionem. de reg. lib. 6.
e In c. vt circa. de electio. li. 6.
f In d. ca. 12. num. 47.

SVMMARIVM.

1 *Voti de essentia est quod promißio fiat Deo, vel sanctis non quidem tamquam quibusdam hominibus, sed vti quibusdam Dijs per participationem. num. 2. & 3. Vnde facta homini etiam de bono ad ipsum non respiciente, puta de ingrediendo religionem, num. 4. de non ludendo, num. 2. non est votum, sed potius quadam actio facta ad certiorem faciendum illum, cui promittitur, dubitantem, quod ita erit, nu. 3. & hoc etiam si promißio hæc fiat prælato. num. 2.*

2 *Votum etiam est, cùm quis Deo promittit obseruare id quod homini prius promiserat.*

## CONSILIVM VIII.

PVella, quæ deliberatè promisit in manibus visitatoris Episcopi, se futuram monacham, an censeatur fecisse votum simplex de intranda religione, & ita quod sponsalia de futuro postea contracta non valeant?

1 Pro parte affirmante faciunt verba ipsa, quibus promisit se facere religiosam: & quod promißio facta B. Mariæ, B. Petro, aut aliis sanctis, censetur votum, vt expreßè dicit vterque Thomas.[g]

Pro parte verò negante facit primò, quò de voti essentia est, vt promißio fiat Deo, iuxta ea quæ habentur in Manual.[h] vbi per hoc determinatur, quòd promißio, qua quis promittit alteri se amplius non lusurum, non est votum, & colligitur ex vtroque Thoma.[a]

2 Secundò facit, quòd vterque Thomas præcitatus dicit promißionem factam Sanctis dicendam votum, eo quod videatur facta Deo, cùm sit facta quadamtenus deificatis, & participatione indissolubili factis diis, & ideo promißio facta aliis hominibus viuis nondum beatificatis non potest dici votum.

Tertiò, quòd S. Thomas dicit promißionem alicuius boni factam homini posse cadere materialiter sub voto, vt cùm quis vouet Deo facere id bonum, quod promisit Prælato se facturum: per quod significatur, quòd promißio alicuius boni facta Prælato non est votum, sed tantùm materia voti: sic qui vouerit Deo facere id bonum, quod promisit homini, censetur votum, & non aliàs.

3 Quartò, quòd Caietanus per hoc definit, quòd qui promitteret Sancto aliquid boni tamquam homini rationali, non habito respectu quod est deificatus, non censeretur vouere, quo saluat S. Thomam dicentem, quod promißio facta Sancto de aliquo bono non est votum, sed tantùm materia voti: quod intelligendum ait de promittente Sancto, quatenus est quidam homo, & non de promittente Sancto, quatenus quidam Deus per participationem deificatus.

Quintò facit, quòd promißio facta ad faciendum certiorem futuræ rei illum, cui fit, non est votum: quod colligitur ex S. Thoma,[b] & promißio facta per præfatam mulierem prædicto visitatori fuit facta ad faciendum certiorem ipsum dubitantem de voluntate eius, an vellet mutare statum, & assumere religionem: ergo non fuit votum Deo factum, sed certificatio visitatoris, qui dubitatione sublata crederet illam velle mutare statum.

4 Sextò, quòd longe diuersa sunt promittere Deo in manibus alicuius hominis, quod faciet aliquid boni, & promittere alicui homini, quòd faciet idem bonum, immo & promittere Sanctis, vt quibusdam factis per participationem Diis, & promittere eisdem vt hominibus, vt colligitur ex vtroque Thoma,[c] dicente, quòd posterior promißio non est votum, & prior sic.

Septimò, quòd è contraria parte sequeretur, quòd omnis promißio facta alteri de faciendo aliquod opus virtuosum, saltem quod non esset vtile illi cui promittitur, esset votum: quod nemo dicat, & est absurdum, & ideo non dicendum.[d] Per quæ omnia dicendum videtur, prædictam profeßionem non fuisse promißionem Deo factam de se faciendo religiosam, sed promißionem factam homini ad certificandum illum de voluntate faciendi se religiosam, & consequenter non fuisse votum, cum prædicta puella non promiserit Deo, sed homini visitatori dubitāti de sua voluntate, se futurā religiosam. Salua, &c.

g 2. 2. qu. 88. art. 5.
h Capit. 12. à num. 35.
a In 2. 2. qu. 88. artic. 5. & S. Tho. art. 4.
b In d. art. 4.
c Vbi supra.
d L. nã quod. ff. de bonis libert.

SVMMARIVM.

1 *Vota tria in manibus religiosi non valentis religioni incorporare emittens, vt suffragijs gaudeat religionis, non est religiosus, nec eam intrare tenetur, num. 2. sed tamen castitatem & paupertatem vt simplicia vota seruare tenetur, num. 3. ita vt licet non admittat sua nec potestatem acquirendi, num. 4. peccat tamen acquirendo, & volendo acquirere, nisi saltem ab Episcopo impetret dispensationem, num. 5. voto autem obedientiæ non videtur astrictus, cùm non fuerit legitimè à religione acceptatum. num. 5.*

3 *Sacerdos si voueat castitatem, duplici tenetur vinculo.*

## CONSILIVM IX.

VIrgilius in articulo mortis vouit castitatem, paupertatem, & obedientiam in manibus cuiusdam Prioris, & in præsentia sui Confessarij, animo participandi suffragia ordinis prædictorum Prioris, & confessarij, cùm iam esset Prælatus, canonicus, & sacerdos. Quæritur, an sit religiosus, vel obligatus ad intrandam religionem.

1 Respondeo primò, prædictum Dominum consulentem non fuisse per prædicta vota factum religiosum prædicti ordinis. Tum quia prædictus Prior, & Confessarius non habebant potestatem incorporandi illum suæ religioni, quod requiritur, vt colligitur ex capit. *ad Apostolicam,*[e] & tradimus nos post alios in comment. 1. de reg.[f]

2 Secundò, quòd prędictus Dominus consulens non est

e De regula.
f Super c. cui portio. 12. qu. 1. nu. 18.

obligatus

obligatus ad intrandam religionem, quia non promisit intrare, sed solùm vouit tria substantialia vota simplicia, quæ non fuerunt facta solemnia per vllam professionem, quæ nec tacitè nec expresè fieri potest, donec impleatur annus nouitialis, iuxta [a] Concilium Tridentinum.

a Cap. 15. & seq. de regul. sess. 25.

3 Tertio, teneri Dominum consulentem ad seruanda vota prædicta tamquam simplicia, ita quòd tenetur seruare castitatem duplici vinculo, scilicet sacerdotali, & voti castitatis: votum autem paupertatis vno tantùm, quia vouit illam, quamuis arbitrer eum non teneri ad aliquid ratione voti obedientiæ, quia illud non fuit acceptatum saltem legitimè à prædicto ordine, nec ab eius conuentu, & ipse non habuit animum obligandi se Episcopo, vel alij Prælato plusquam erat ante votum.

4 Quartò, quòd non perdidit canonicatum, nec præbendam, neque aliquid aliud ipso iure propter illa vota ex iis, quæ antea sibi competebant, quia vota simplicia non habent vim tollendi vouenti præter libertatem vtendi matrimonio, & libertatem quærendi per emptionem, & alios contractus, & alios modos, per ea quæ tradimus in prædicto comment.[b]

b Super cap. cui portio. nu. 19.

5 Quinto, videri consulendum prædicto D. consulenti vt impetraret dispensationem saltem ab Episcopo suo, vt posset licitè quærere per contractus, & quasi contractus, vltimas voluntates, iudicia, & alia iuris ministeria, sicut poterat antequam voueret, ne peccaret, quærendo & volendo quærere prædictis modis contra prædictum votum simplex paupertatis, per ea quæ diximus in dicto cap. *cui portio.* siempe, quod licet, qui vouit votum paupertatis, non posit sibi licitè quærere, nec velle quærere, potest tamen saltem illicitè quærere: sicut qui iurauit non emere, nec alio modo quærere, peccat quidem emendo, vel quærendo, sed quod emerit, vel quæsierit, suum proprium fit: sicut & meretrix, quæ quidem peccat meretricando, sed quod sic quæsierit proprium eius fit.[c] Salua, &c.

c Le. 4. §. sed & quod meretrici datur. ff. de condict. ob turpem causam.

### SVMMARIVM.

1 *Vouens, vel iurans, etiam per iram, sine actuali intentione non intrandi, & sine actuali intrandi religionem, debet intrare: quia non debet præsumere se voluisse tunc tam graue peccatum committere, vt esset sic iurare, & vouere animo id non faciendi.*

2 *Tacens tunc videtur consentire, quando non datur medium inter consensum, & dissensum.*

## CONSILIVM X.

1 IVrans vel vouens intrare religionem cum intentione actuali non intrandi eam, dici potest non obligatus ad intrandum, sed si non habuit intentionem contrariam, neque intentionem actualem intrandi, videtur obligatus ad intrandum: quia non debet præsumere de se, quod voluit tam grauiter peierare, vt nolendo intrare, iuraret se intraturum, sed quod saltem per iram voluit intrare, argumento cap. *qui tacet, consentire videtur,*[d] quando, vt dicitur in regula sequenti, non est medium inter consensum, & dissensum. &c.

d De reg. iur. li. 6.

### SVMMARIVM.

1 *Vouens castitatem salua facultate ducendi vxorem, quæ continere velit, tenetur seruare castitatem, & non ducere vxorem.*

2 *Matrimonium cum pacto, quod seruetur castitas, contrahi nequit, sed & nec cum pacto vt non petatur debitum. & nu. 3.*

4 *Causa iusta ad dispensandum super continentiæ voto non est commoditas regendi domum.*

## CONSILIVM XI.

CAto, qui aliquod annis vixit cum vxore sua in castitate, ad quam vterque voto se astrinxerat, vouit se perpetuo castitatem seruaturum, etiam si vxor præmoreretur: cum hoc tamen moderamine, vt posset ducere vxorem aliquam, quæ vellet continere sicut ipse, qualem non inuenit, & vellet ducere vxorem ad administrandam domum.

Quæritur primò, an sit obligatus ad seruandam castitatem.

Secundò, an sit iusta causa dispensandi super huiusmodi voto.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo, quòd est obligatus ad seruandam castitatem, & non ad ducendam vxorem. Tum quia non inuenit aliquam, quæ velit contrahere, cum illo, & continere, sicut prior se continebat: & conditionalis, non impleta conditione, non habet effectum.[a]

a §. ex conditionali. Instit. de verb. obligat.

2 Tum quia conditio illa fuit impossibilis: quia non poterat occurrere casus, in quo ille posset iustè contrahere cum aliqua, ea lege vt cõtineret, & non peteret debitum: quoniam est pactum contrarium fini, & fidei matrimonij: fini quidem, quia virtualiter est pactum de vitanda prole: fidei autem, quia est pactum de non reddendo debitum, & de non tradenda potestate sui corporis: & proles & fides sunt duo de principalibus bonis matrimonij,[b] & conditio contra illa est contra substantiam matrimonij, quæ illud inualidat.[c]

3 Nec obstat, quod Paludanus,[d] tenet valere matrimonium cõtractum cum conditione, ne petatur debitum, vel vt seruetur continentia: eo quod non est turpis, sed honesta. Tum quia contrarium tenet S. Thomas.[e] & Adrianus,[f] quæ communis est opinio secundum Sotum.[g] Tum quia prædictum cap. vltim.[h] non solùm habet conditionem turpem contrariam substantiæ matrimonij reddere illud nullum, sed absolutè omnem conditionem, quæ est contra substantiam matrimonij, & consequenter etiam illam, quæ de se honesta esset.

b Cap. omne nuptiarũ bonum. 27. q. 2.
c Cap. fin. de cõdit. apposit.
d In 4. distin. 29. art. 2.
e Dist. 28. ar. 4. ad 3.
f De sponsal. q. 9.
g In eodẽ. 4. dist. 29. qu. 2. art. 3.
h De condit. appos.

4 AD SECVNDAM respondeo, quòd ex petitione oratoris non colligitur vlla iusta causa dispensandi super tam grãdi voto. Tum quia cum difficilius sit seruare continentiam conuersando die ac nocte secreto, & coram aliis cum vxore, quam amat, quam viuendo sine tali conuersatione,[i] & quia oratori videtur se posse castitatem seruare conuersando die ac nocte cum vxore amata, pro causa non potest allegari timor incontinentiæ. Tum quia si commoditatem regendi domum, quæ prouenit ex vxoris consortio (quod orator fortè prætendit) dicat esse causam iustã dispẽsandi, omnes fere haberent iustam causam relaxationis voti: quod est absurdum dicere, & ideo non est dicendum.[k] Quamuis dici posset, aliquam partem causæ colligi ex eo, quòd non omnino absolutè vouit castitatem, sed cum quadam exceptione, quæ licet à communi opinione, & mea sententia vera reputetur impossibilis, Paludano tamen viro sacrarum & canonicarum literarum callentissimo visa est possibilis. Salua, &c.

i Arg. c. cum omnibus. & c. clericus. & ca. volumus. & c. legitur. 81. dist.

k L. nã quod absurdum. de bonis libert.

### SVMMARIVM.

1 *Vouens non commisceri mulieri, quam falso suam cognatam esse putabat, non ligatur si tunc ea erat mente, quod si veritatem sciuisset, non vouisset.*

2 *Ignorantia qualitatis, quæ est causa peccati, excusat à peccato qualificato.*

## CONSILIVM XII.

AN putans aliquam esse suam sororem, vel cognatam spiritualem, vel carnalem, & vouit non habere rem cum illa, obligetur seruare votum, etiam si verè nõn sit soror, nec cognata?

1 Et videtur quod non quo ad forum conscientiæ, si prædictus vouens cum vouit, erat ea mente, quod non vouisset, si sciuisset eam non esse sibi cognatam, sed sic, si ea mente tunc erat, quod vouisset, etiam si sciuisset eam non esse sibi cognatam: quia ignorantia qualitatis excusat à peccato qualificato, si est causa peccati, aliàs non, iuxta doctrinam S. Thomæ receptam: sicut qui percutit laicum putans eum esse clericum non est excommunicatus, si verè non est clericus.

### SVMMARIVM.

1 *Vouens simul seruare castitatem, & ingredi religionem, tunc demum liberatus à religione liberatur à castitate, quando castitatem vouit non vt principale, sed vt accessorium ad religionem: & in hoc sequatur illam partem, quam magis probabiliter credit, an in dubio sequatur tutiorem, reputando se obligatum ad castitatem. num. 2.*

## CONSILIVM XIII.

FRanciscus literarum ignarus castitatem vouit, simúlque religionem quamdam intrare, non tamen recordatur, an tunc intenderet obligare se ad castitatem seruandam, licet ad dictam religionem non admitteretur: &

cùm

cùm non fuerit admissus, dubitat, an teneatur ad castitatem seruandam.

Pro parte negatiua, videlicet, quòd non teneatur extra religionem castitatem seruare, facit primò, quia quando non constat de actuali intentione vouentis, quæ dat regulam & vim ipsi voto, intentio potius virtualis attendenda est: sed intentio virtualis videtur fuisse castitatem in religione seruare, ergo extra eam non tenetur. Probatur minor: quia prædictus Ioannes modo interrogatus, quid respondisset, si in instanti, quo votum emisit interrogatus ab altero fuisset, *Si in religione admissus non fueris, seruare extra illam castitatem intendis?* respondit se credere sine dubio quod respondisset, nequaquam: ergo.

Nec obstat, quòd si ipse fornicationis peccatum committeret, crederet se prædictum castitatis votum violare, non enim inde iudicandum est, eum extra religionem ad dictam castitatem teneri: quia cum esset illiteratus, cogitabat se, ex quo prædictum votum fecit, ad castitatem teneri statim, cogitare autem esse obligationem, vbi non est, non inducit obligationem: sicut non facit religiosum, cogitare se esse professum, saltem si eius professio à principio ipso ignorante inualida fuit.

1 ROGATVS quid sentiam, respondeo, quod, vt subtiliter & eruditè supra insinuatur, decisio huius quæstionis videtur pendere ab intentione vouentis expressa, vel tacita: si enim principaliter voluit vouere castitatem, & accessoriè religionem, vt facilius eam in illa seruaret, tenebitur eam seruare, etiamsi excusetur ab intranda religione, si autem cõtra principaliter voluit vouere religionem, & veluti accessoriè castitatem, quã facilius in ea seruare posset, liberatus à voto religionis, erit etiam liber à voto castitatis. Tum per regulam cap. *accessorium sequitur naturã sui principalis.*[a] Tum per l. *in conditionibus primum habet locum mẽs testatoris.*[b] Tum quia, vt D. Hieronymus ait,[c] *Euangelium non tantum est in verbis, quantùm in sensu, nec tantum in folijs, quantum in radice rationis*, & vt ait Hilarius.[d] *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi: quia non res sermoni, sed rei sermo debet esse subiectus.*

a De reg. iur. li. 6.
b ff. de conditio. & demonst.
c In ca. Marcion. 1. q. 1.
d In ca. intelligentia. de verb. signific.

In supradicto casu desideratur sciri, quid dicendum, quando de prædicti vouentis non constat intentione?

2 Respondeo, quòd, si consulens nescit qualem intentionem habuit, vel non credit probabiliter qualem habuit, sed dubitat, tenetur in dubio eligere tutiorem partem, iuxta cap. *iuuenis*,[e] & consequenter reputare se obligatum ad seruandam castitatem extra religionem, quamuis ob eiusmodi dubitationem, & aliquam aliam causam, dispensationem, vel commutationem concedet, vt puto, Papa per sacram Pœnitentiariam. Salua, &c.

e De sponsal. & ca. ad audientiam. de homicid.

SVMMARIVM.

1 *Voto pœnali commutato, qui postea contra facit non cadit in pœnam: secus si solùm sit commutata obligatio adimplendi pœnam (puta, intrandi religionem) iam incursam.*

## CONSILIVM XIV.

AN qui vouit, vel iurauit se non peccaturum certum peccatum sub pœna intrandi religionem, & postea peccat illud, & consequenter obligatur ad intrandum religionem, & impetrata dispensatione super voto religionis, peccat iterum, teneatur intrare illam?

1 Respondetur, distinguendum videri, an dispensatum fuerit cum illo super obligatione, qua se obligauit ad non peccandum sub pœna intrandæ religionis, & non tenetur intrare, quia sublato principali, tollitur accessorium.[f] An verò solùm fuit dispensatum super pœna intrandæ religionis, quàm incurrit ob primam fractionem voti, & videtur teneri: quia non fuit dispensatum super voto non peccandi sub pœna intrandæ religionis, sed solùm super obligatione intrandæ religionis iam incursa, & à diuersis non fit illatio,[g] & obligatio intrandi religionem iam incursam propter primam trãsgressionem voti de non peccando sub pœna intrandæ religionis, est res diuersa ab illo voto, de non peccando sub pœna, vt in simili dixi in Manuali confess.[h] scilicet, quòd absolutio fractionis voti differt ab absolutione voti, ita quod votum perpetuum semper obligat, licet vouens à peccato fractionis voti absoluatur, vt ait S. Antoninus.[i] Salua, &c.

f L. cum principalis. ff. de reg. iur. & c. accessoriũ. de reg. iur. lib. 6. cum eis adnotatis.
g L. Papinianus ff. de minorib. cap. ad audientiã. de decim.
h Ca. 12. nu. 79.
i 2. par. tit. 11. §. 2. c. 2.

SVMMARIVM.

1 *Votum de intranda religione sub conditione factum, si frater Romam venerit, non desinit obligare, licet sint lapsi 10. anni, donec maior probatio mortis accedat.*

1 *Dispensatio voti religionis conditionalis etiam ante adimpletam conditionem est Papæ reseruata.*

## CONSILIVM XV.

QVidam N. vouit ingressum religionis, si frater eius Romam veniret, elapsi sũt decem anni, & frater Romam non venit. Quæritur, an possit vxorem ducere, vel saltem possit dispensari ab eo, qui ad reseruata vota facultatem non habet, vel saltem commutari.

1 Ad hanc quæstionem respondetur primò, quod non licet ei vxorem ducere, donec maior probatio mortis fratris accedat, argumen. cap. *in præsentia*,[a] & eorum quæ notantur in cap. *cum in tua.*[b] Secundo, quod non potest ordinarius dispensare in eo, nec commutare illud, quia votum religionis est etiam vnum de quinque reseruatis Papæ, vt diximus in nostro Manuali confess.[c] nec desinit esse de numero eorum, eo quod sit conditionale, vt tangimus in eodem Manuali.[d] Salua, &c.

a De sponsal.
b Eodem tit.
c Cap. 12. nu. 75.
d In eodem cap. num. 43.

SVMMARIVM.

1 *Filij viuentibus parentibus habent solam spem, eis morientibus, in legitima succedendi, sed ante eorum mortem nihil iuris habent, & præmorientes nihil iuris alijs relinquunt, nec per eorum renunciationem aliquid parentibus acquiritur, nisi sola libertas de bonis suis inter reliquos testandi. num. 2.*

2 *Votum, quod fecit mater ædificandi monasterium de legitima renunciata à filia, non tenet respectu legitimæ paternæ, quæ ad ipsam non potuit peruenire, nec respectu legitimæ maternæ: quia cum secundum leges patriæ per dictam renunciationem filiæ matri in nulla quantitate augeatur potestas de suis bonis disponendi, in effectu vouit ædificare de illis bonis, quorum dispositio eidem non acquirebatur. num. 3.*

4 *Vouens materfamilias aliquid facere de bonis suis, quæ deductis debitis superessent ei facta viduæ, tenetur, nec de illis potest deduci legitima debita filijs, deducit tamen sibi ad victum necessaria, num. 7. peccátque si ex illis dotet filias, num. 5. vel in alia opera pia conuertat, num. 6. nisi accedat Papæ dispensatio. num. 7.*

7 *Votum ædificandi ex suis bonis monasterium non ideo desinit esse validum, quòd non sufficiant, sed debent conuerti in aliud pium opus, & consulendum vouenti, vt à Papa petat commutari in alia opera pia, inter quæ etiam connumerarentur remunerationes ex gratitudine debitæ.*

## CONSILIVM XVI.

QVædam Illustris Comitissa, cùm quædam filia sua monasterium ingressa renunciasset legitimas eius, & patris, quas in bonis eorum habere sperabat, vouit de legitimis illis ædificare vnum monasterium alterius ordinis, addendo de suis bonis quod esset necessarium ad illud ædificium, quin & post iterum vouit, quod si superuiueret Comiti marito suo, ædificaret illud de suis bonis, quæ haberet aliunde, quàm ex prædictis legitimis, solutis prius aliis debitis omnibus suis. Postea tradidit nuptui alias filias, quas dotauit ex prædictis legitimis, & quia illæ non sufficiebant, obligauit tertiam partem suorum bonorum, de qua disponere poterat, ad soluendum residuum. Mortuo deinde Comite, pars bonorum quæ ipsi obuenit, fuit longè minor, quàm ipsa putauerat, ita quod nullatenus sufficiat ad ædificandum prædictum monasterium: debet præterea multa salaria multis personis, quæ inseruierunt ei, quibus vellet etiam vltra eis debita gratia gratitudinis aliquid dare, habet etiam nepotes, & neptes pro sua qualitate pauperes, quos vellet iuuare.

Quæritur nunc, quid eam oporteat facere, quo animæ suæ, & suis bonis desideriis satisfaciat.

1 Respondeo primo, quòd consulens videtur errare, putans, quod renunciatio legitimæ ingredientis monasterium, vel nubentis, sit quædam donatio alicuius rei præsentis, cùm tamen res aliter se habeat. Tũ quia filij viuentibus parentibus habent quidem spem succedendi in legitimis, si quæ post mortem eorum inueniantur, sed antea

nihil

nihil iuris habent, iuxta [a] & glossam not. [b] receptam ibi communiter, & ab Antonio Corseto.[c] Tum quia, si prædicta filia obiisset ante mortem parentum, inutilis fuisset illa renunciatio, nihil enim iuris cuiquam reliquisset per prædicta.

a l. 1. §. si impuberi. ff. de coll. bon.
b In c. Rainutius, verbo legitimam, de testam.
c In sing. verbo legitima.

2 Secūdò, quòd ex hoc videtur sequi, quòd votum prædictæ Comitissæ de ædificando monasterio ex legitimis prædictis erat inane quo ad legitimam patris, de qua pater, & non ipsa debebat disponere, fuit etiam inane quo ad legitimam matris, quam ex suis bonis filia expectabat. Tum quia illa nō poterat euenire vsque ad mortem prædictæ suæ matris comitissæ. Tum quia per renunciationem illam nihil quæsitum fuit patri, nec matri, nisi sola libertas testandi de bonis suis inter reliquos filios, perinde ac si ipsa non esset filia eius, vt post alios testatur Couarruuias.[d] Tum quia prædicta Comitissa non poterat disponere de legitima, quam in bonis patris erat habitura sua filia.

d In c. quamuis pactū. de pactis, 3. par. in initio relect. in 6.

3 Tum quia secundū leges Lusitaniæ de sola tertia parte suorum bonorum possunt disponere habentes filios, & per prædictam renunciationem filiæ nihil fuit aucta illa tertia: & ita vouere ædificare monasterium de legitimis, quas renunciauit filia, est vouere ædificare de nihilo, & quod est vix intelligibile id, quod ponitur in casu, videlicet, quod prædicta Comitissa dotauit alias filias de legitimis monialis.

4 Tertio, quod secundum votum, quo vouit facere prædictum monasterium de suis bonis, solutis tamen debitis, non habito respectu ad prædictas legitimas, fuit validum, & potuit implere illud, etiam si per illius implementum minuerentur legitimæ, in quas reliqui filij succedere sperant: quoniam in pauperes, & opera pia, & salutem animarum suarum possunt parētes impendere de bonis suis, non computando sumptus illos pios in tertiam, de qua libere possunt testari, vt tradimus in Manuali.[e]

e Ca. 26. nu. 39.

5 Quartò, quòd prędicta Comitissa potuit peccasse non implendo secundum votum, tardando implementū eius, & dotando filias suas de suis bonis, quo se faciebat impotentem ad soluendū votum. Peccat enim, qui post votum legitime factum, voluntariè se facit impotentem ad implendum illud, vt diximus in Manu.[f] nec credo eam excusatā à peccato, eo quod teneretur dotare filias, saltem pro medietate, si contraxit matrimonium cum Comite iuxta consuetudinem Lusitaniæ, secūdum quam non solùm lucra, sed etiam alia omnia bona communicantur inter maritum, & vxorem, cùm etiam quādo sola lucra fiunt communia, videatur teneri ad illud, iuxta tradita per Ioannem Lupum,[g] etiam si filiæ pro sua qualitate essent pauperes.

f Cap. 12. nu. 41. & 42.
g In rubr. de don. inter virum & vxorem, §. 6.

6 Tum quia debita in vsum vnum pium, non possunt conuerti in alium sine Papæ auctoritate,[h] nec relicta in vnum vsum profanū possunt conuerti in alium sine principis auctoritate.[i] Tum quia votum præcessit dotationem, & forte obligationem: quia forsan tunc non erant nubiles: & qui prior est tempore, prior est iure.[k]

h Clem. quia contingit. de relig. domi.
i Le. 1. & le. legata. ff. de administ. rerum ad ciuit. pertin.
k Capit. qui prior. de reg. iuris, li. 6.

7 Quinto, quod hoc quod dictum est de peccato, intelligo, si mortuo marito, & facta diuisione, & solutis omnibus debitis legalibus, poterat ædificare prædictum monasterium, quia votum ita fuit limitatum, & actus agentium non operantur extra intentionem eorum.[l] Sed quia non narratur in casu quāta pecuniarum summa, plus, minúsve erat necessaria ad prædictam ædificationem, neque quanta ad soluenda debita, neque quantum valeat pars bonorum, quæ sibi per diuisionem obtigerant, neque an debita præcessissent, an sequuta fuissent prædictam diuisionem, ideo difficile est certam in re incerta ferre sententiam.[m]

l Le. non omnis. ff. de reb. cred. cap. fin. de preb.
m Cap. indicantē. 3. q. 5.

Sextò, quòd ex iis ita expensis infertur, consulendum esse prædictæ Comitissæ, primò, vt pœniteat peccati admissi non adimplendo tempore opportuno votum, & obligando se ad alia, per quæ facta fuit impotens ad votum implendum, secūdo, vt porrigat vnam petitionem aptam S.D.N. in hanc quæ sequitur formam: *Sanctitatis vestræ oratrix vouit, &c. Debet multa salaria, quibus solutis, & reseruato sibi victu necessario, & honesto, reliqua, siue residua bona, nullatenus sufficiunt ad ædificādum prædictum monasterium. Quare supplicat humiliter Sanctitati vestræ, vt attento quòd prius dictorum* A *votorum fuit inane, quia est, &c. attento item quod secundum votum fuit de ædificando monasterio solutis omnibus debitis, &c. attento denique, quod reliquum bonorum suorum solutis debitis legalibus est adeo paruum, vt nullatenus sufficiat ad ædificādum prædictum monasterium, supplicat igitur Sanctitati vestræ humiliter prædicta oratrix, vt attentis prædictis, liceat sibi id, quod inuentum fuerit residuum bonorum, solutis debitis legalibus, impendere in opera alia pia, & iustæ remunerationis intuitu paupertatis, & gratitudinis, ita vt non teneatur ædificare prædictum monasterium, sitque à voto, & necessitate illud ædificandi absoluta.* Hæc est mea sententia.

### SVMMARIVM.

B

*1 Facere posse videtur is, qui impedimenta potest saltem facilè tollere, immo & tenetur tollere, num. 1. nisi inde amittat aliquod ius quæsitum.*

*3 Votum ingrediendi religionem ante consummatum matrimonium si mulier emisit, mortuo viro adimplere tenetur, at eo viuo, etiamsi consentiat, & offerat ad id necessaria præstare, probabile est eam inuitam ad id non cogendam. num. 12. quia durante matrimonio votum est extinctum, num. 8. & ei iura matrimonialia acquisita, quibus non tenetur renunciare. num. 7. nec reperitur canon eam ad id cogens, num. 6. immo lex diuina de indiuisibilitate matrimonij ei fauet. num. 4. vel certe eidem iam seni potius consulendum, vt petat dispensationem. num. 10. cum ad religionis statum vix possit se nunc bene disponere. num. 9. & 11.* C

*4 Coniux à marito, cui matrimonio iure diuino indissolubili coniungitur, inuita separari non potest, nisi in casibus iure diuino vel naturali statutis, videlicet ob fornicationem commissam, vel quia vita viri corporali seu spirituali insidiatur. num. 5.*

*6 Voto seu iuramento castitatis, seu religionis ingrediendæ astricta, si postea nupsit, & consummauit, non tenetur petere à viro, vt ei liceat dicta vota adimplere.*

*9 Voto religionis intrandæ astrictus non debet illud adimplere, nisi prius se bene disposuerit, sed si propter ætatem, consuetudinem, vel aliam causam hoc ei difficile est, debet petere relaxationem, seu commutationem. num. 10. & 11.* D

## CONSILIVM XVII.

Maria vouit religionem, postea nupsit, & consummauit matrimonium, habuitque in eo plures filios, qui omnes, vno dempto, mortui sui. Quapropter, & quia ei multæ tribulationes & calamitates aliæ euenerunt, cœpit cogitare, & dubitare intra se, an esset in statu salutis, & an omnes illæ calamitates sibi ob id euenerint, quod primam fidem violasset, rem viro aperuit, ille respondit, si ipsa vellet religionem intrare, libentisimè id permissurum: denique non solum offert, sed rogat vt religionem intret, nec est aliud, quòd ipsam rationabiliter posit impedire. E Dubitatur, an in isto casu ista mulier teneatur religionem intrare, vt adimpleat votum, siquidem obligatio manet, & mortuo viro teneretur intrare, & modo est in eius potestate vt faciat absque alicuius præiudicio.

Ad quæstionem respondeo, quod pro parte affirmante facit primò, quòd cessante causa cessat effectus,[a] ergo & cessante impedimento cessabit impeditio.

1 Secundò, quòd omnis qui tenetur ad aliquid faciendum, & excusatur ob aliquod impedimentum, cessante illo tenetur facere illud,[b] immo etiam tenetur ad tollendum impedimentum, si potest.[c]

2 F Tertio, quod qui potest facere vt posit, videtur facere posse,[d] adeo quod non excusatur impotentia, qui potest illam saltem facile tollere, vt post alios asserit Decius,[e] & prædicta consulens non solum potest tollere impedimentum, quod ex matrimonio sibi euenit, immo est sublatum, quia maritus consentit, immo & rogat, vt ingrediatur religionem, paratus facere quicquid fuerit necessarium ad hoc, vt consensus eius valeat: ergo non potest illa excusari à necesitate implendi votum religionis.

3 Quarto, quod de æquipollentibus idem est iudicandum.[f] At paria & æquipollentia sunt quo ad hoc, quod maritus sit mortuus, vel consentiat implemento voti vxoris de ingrediendo religionem, faciendo quicquid est

a Ca. cum cessante. de appellat.
b Ca. quā sit. & c. cum ex eo. & ca. commissa. de electi. in 6.
c Cap. fin. de electio. & ca. quia diuersitatem. de concess. præbend.
d Reg. qui potest. ff. de reg. iur. cum concord. adductis ibi per gloss.
e In d. le. quī potest.
f L. fin. ff. mādati. cap. licet ex quadam. de testib.

necessarium,

a Ca. ex parte. de cōuers. coniugat.
b Ca. consuluit. de cōuers. coniugat.
c Ca. sunt quidam. 25. q. 1.
d Capi. inferior. 21. disti. & clemen. ne Romani. de elect.
e Matth. cap. 19.
f 33. qu. 2. & in c. 2. de trāsl. at. prælat.
g Luc. 16. & c. dixit Dominus. 32. q. 1. ca. quoniam. de coniug. lepros.
h §. fin. de restit. spoliat.
i Le. vt. vi. ff. de iust. & iure.
k Ca. ipsa pietas. 23. qu. 4. & c. si non licet. 23. q. 5.
l In 4. sent. dist. 36. & 39.
m Ca. præcipimus. 12. qu. 1.
n ff. de regul. iur.
o Ca. 12. nu. 47.

necessarium, vt valeat tantum eius consensus, quantū mors ipsius: sed mortuo marito teneretur illa implere votum,[a] immo & manere omnino religiosa, si emisit votum solemne, etiam marito viuente, & non contradicente, sed sciēte, & dissimulante.[b] Ergo à fortiori tenebitur hæc de qua loquimur implere suum votum.

4 Pro parte autem negante facit primò, quòd lex diuina non potest tolli, nec limitari nisi alia diuina,[c] quia inferior non potest tollere nec limitare legem superioris.[d] At lex diuina,[e] est, vt *quos Deus coniunxit, homo non separet*, relata, cap. *quos Deus*,[f] ita quod per illam legem non potest coniux à coniuge saltem post consummationem matrimonij contra suam voluntatem separari, nisi propter fornicationem,[g] ergo non potest illa lex limitari, nisi per aliam diuinam naturalem, vel positiuam, qualis nulla inuenitur, quæ in casu proposito concedat separationem à coniuge inuita ea.

5 Secundò, quòd non prodest dicere quod in ca. *literas*,[h] singulariter probatur posse fieri separationem inuito vel inuita coniuge, quando probabiliter ex cohabitatione timetur mors corporalis, & non potest sufficienter caueri de securitate vitæ: quia illa limitatio fit per aliam legem diuinam naturalem, qua nobis licet defendere vitam,[i] immo & tenemur eam conseruare,[k] qua eadem ratione potest etiam fieri separatio inuito coniuge procurante inducere ad infidelitatem, vel aliam animæ perditionē, & nolente desistere à tali procuratione, iuxta doctrinam cōmuniter receptam,[l] quia cum anima sit pretiosior cor pore,[m] lex naturalis quæ permittit separationem ob defensionem necessariam vitæ corporalis: à fortiori permittet separationem ob defensionem necessariam vitæ animæ: quæ est ratio singularis decidendi illius §. finalis prædicti cap. *literas*. parum ab aliis perpensa. Cum ergo in casu proposito non immineat periculum vitæ corporis, vel animæ, non habet locum in eo prædicta limitatio.

6 Tertiò, quòd ex parte & conclusione cōtraria sequeretur, quòd omnis coniux, quæ fecit iuramentum, vel votum de castitate seruanda, vel de religione intranda, & postea contraxit matrimonium, teneretur sub pœna peccati mortalis ad se separandum, & ad implēdum votum, & ad castitatem seruandam, vel intrandam religionem, si coniux consentiret, & faceret ea, quæ requiruntur ad hoc, vt ingressus religionis cōiugis valeret, quod nemo hactenus, quod ego sciam, dixit. immo & sequeretur, quod teneretur sub pœna peccati mortalis ad procurandum consensum, & sublationem huiusmodi impedimenti, saltem si probabiliter speraret posse illud obtineri, argumento prædictæ, regulæ *qui potest*, & eorum quæ supra citata sunt ad probandum teneri quem ad procurandum sublationem impedimenti, quo impeditur à faciendo eo, ad quod obligatur.

Quartò, quòd licet multa responsa summorum Pontificum probent eum, qui post votum castitatis contrahit matrimonium, non posse exigere debitum, quamuis reddere posset, nullum tamen habet, eum teneri ad quærēdam huiusmodi separationem, neque consensum & licentiam intrandi religionem: quod tamen probabile est, aliquem eorum hoc insinuaturum fuisse, si necessarium esset.

7 Quintò, quòd per matrimonium non solum quæritur vxori ius petendi vel reddendi copulam carnalem, sed etiam ius alimentorum, & multarum aliarum consolationum, quas accipit ex cohabitatione mariti sui: & nullo iure diuino nec humano videtur esse priuanda eis sine suo consensu, argumento l. *id quod nostrum est*,[n] & late notatorū in cap. quæ in ecclesiarum. de constit.

8 Sextò, quòd votum de intranda religione videtur extingui omnino per matrimonium consecutum, quoad illud durauerit: quoniam non solùm potest reddere debitum, sed etiam exigere. Votum enim de intranda religione non obligat plus ad seruandam castitatem, quàm ad seruandam paupertatem, & obedientiam, & ieiunia, & recitandas preces horarias, & ad faciendum alia, quæ præcipiuntur in regula religionis, quam voluit intrare, donec fiat professio, vt post alios tradimus in Manual. confess.[o] At non tenetur ad hæc, donec professus fuerit, ergo nec ad castitatem, nec consequenter ad non exigendum debitum: & ita nec ad intrandam religionem, quantumcumq; consentiat maritus.

9 Septimò, quòd non debet quis intrare religionem, si non est satis ad id dispositus ea dispositione, quam nos post Caietanum & alios tradimus in com. cap. *cui portio*,[a] at prædicta vxor nō est ita disposita, ergo non solum non obligatur ad intrandum, sed tenetur non intrare, donec dispositionem illam impetret à Deo: & quòd non erit facile id etiam quinquagenariæ, & tam frequenter consuetæ parere, iam seni, & fere inhabili ad agenda sine opprobrio cum virginibus officia diuina & alia in choro, & aliis locis monasterij.

10 Octauò, quòd non videtur consulendum ei, vt mutet statum approbatum in senectute: quia secundum Senecam, *non debet officium mutare senex*. Tum quia secundum Hieronymum, *difficile est mutare linguam senis*. Tum quia difficilis est mutatio vitæ præsertim in senectute, secundum Imperatorem,[b] & potius esset consulendum ei vt impetraret relaxationem & commutationem voti à S. Sede Apostolica ne teneretur etiam mortuo marito intrare, quàm facile concedet.

11 Nono denique, quod videtur esse res noua, & in Ecclesia Christiana inusitata, quòd coniux legitimè coniuncta viro, ita quod legitimè potest ei conuiuere, cogatur separare se, & includere se intra septa monasterij, cum perpetua clausura, contra suam voluntatem sine suo delicto, & sine voluntate delinquendi, eo quòd vouisset ingredi religionem ante contractum matrimonium: & meritò est res inusitata. Tum quia licet peccasset contrahendo, est tamen absoluta ab illo peccato. Tum quia votum est extinctum quoad matrimonium durauerit. Tum quod per vsum matrimonij & ingrauescentem ętatem, & ignorantiam rei monasticæ, est facta fere inhabilis ad officia monialium, ad quæ, maximè nostra ætate, monachæ tenentur. Tum quia res nouæ frequenter noua inconuenientia adducunt, & ideo sunt cauendæ, iuxta illud Hippocratis? *Mutatio vitæ periculosa*. quod cum aliis ad hoc propositum adducit Ioannes Andreas, in cap. *cum consuetudinis*,[c] quod ad hoc multum facit, ibi, *Nouitates discordiam pariūt, &c.* cui addit glossa ideo illas esse cauendas. Tum denique, quòd lege diuina vetatur separatio coniugis à coniuge nolente separari, præsertim post consummatum matrimonium, & nulla lege alia diuina quo ad hunc casum inuenitur limitata: & quod continentia res consilij & voluntatis sit, & non præcepti.[d]

12 Quare, saluo saniori iudicio, hæc pars videtur nobis in hoc casu tenenda, & consulenda: quamuis forte disputando defendi posset contrarium, per ea quæ supra sunt adducta, quorum tamen solutio ex citatis pro nostra parte colligi potest, quòd breuitatis gratia & copia occupationis facere omitto.

*Aduerte, quod cum Caietanus 2.2. quæst. 189. art. 8. ad fin. teneat contrarium eius quod Auctor num. 8. habet, & doctrina eiusdem Caietanus d. quæst. 189. art. 3. in resp. ad 2. dub. videatur subuertere conclusionem Auctoris, tutior videtur via commutationis.*

a 12. qu. 1. nu. 7.
b In authen, de monach. §. 1. coll. 1.
c De consuet.
d Ca. integritas. 32. q. 1.

### SVMMARIVM.

1 *Presbyter effici qui vouit, non censetur emisisse castitatis votum ei annexum, sicut etiam dicitur de vouente ingredi religionem: vnde primum vti non reseruatum dispensat Episcopus, & commutat in melius, vel æquè bonum, num. 1. Pauca tamen, excepta religione, statu sacerdotali meliora sunt. num. 2.*

2 *Vota in aliud opus æquale sine causa commutari non possunt, in melius autem accedente auctoritate superioris sine alia causa possunt, immo & in totum tolli, vel in parte tolli, & in parte commutari, prout causæ, quæ subest, ad id satis est.*

3 *Causam iustè dispensandi seu commutandi sacerdotij votum non præbet sola propinquorum displicentia, præbet autem quantitas, vel qualitas familiæ conseruandæ.*

3 *Voti commutandi & dispensandi facultas ad vouentis instantiam, vel etiam alterius potest concedi, modo vouens gratiam libenter acceptet: at vouenti, ne votum adimpleat, non potest iustè præcipi, nisi ex voti adimplemento violaretur aliud præceptum, vel impediretur aliqua magna Regni vel Reipublicæ vtilitas.*

4 *Differre voti adimplementum potest vouens, vt interim reddat se ad illud magis idoneum: ex alia autem causa erit petẽda dilatio à potente dispensare & cõmutare, qui poterit super eo ad tẽpus dispẽsare, vel in aliud pro dicto tẽpore cõmutare.*

## CONSILIVM XVIII.

BRunellus vouit statim assumere habitum presbyteralem, & postea suo tempore fieri presbyterum.

Quæritur primo, an teneatur adimplere votum.

Secundo, an possit commutari, & per quem: attẽta scilicet displicentia patrui vouentis, qui ad conseruandã familiam cuperet vt ipse vouens duceret vxorem, quod non faciet, nisi à superiore id ei imperetur.

Tertio, cum sit ætatis legitimæ, licet non adeo sufficiẽtis literaturæ, an propter studium literarum possit differre assumptionem ordinis presbyterij.

1 AD PRIMAM QVAESTIONEM respondeo, quod votum presbyterij proculdubio fuit licitum, honestũ, & sanctum, & obligauit eũ ad sui implementum, etiam sub pœna peccati mortiferi, iuxta illud,[a] *Si quid vouisti, ne moreris reddere*, confirmatum per c. *licet*,[b] & D. Thom. receptum,[c] & eumdem & omnes alios.[d] Hoc quo ad primam quæstionem breuiter sufficiat.

2 AD SECVNDAM respondetur quòd prædictũ votum commutari potest in aliud æquè vel magis bonum, etiam auctoritate ordinarij, quia non est de numero quinque votorum reseruatorum dispensationi Papæ, scilicet, perpetuæ continentiæ, religionis, peregrinationis in Hierusalem, vel Romam, vel S. Iacobum Compostellæ, de quibus in extrauag. Sixti IIII.[e] & in nostro Man. conf.[f]

2 Nec obstat, quod votum presbyterij videtur sub se includere votum perpetuæ continentiæ, quod est illi annexum,[g] quia etiam votum religionis ad sui complementum proprius includit perpetuam continentiam, non tamen propter hoc vouens religionem cẽsetur vouere illam, per ea quæ nos in d. Man.[h] post alos scripsimus.

Sunt tamen aduertenda quædam. Primũ est, quod pauca sunt meliora presbyterio, vel æquè bona, excepta religione. Secundum, quòd ad faciendam commutationem in æquè bonum requiritur aliqua causa, licèt commutatio in melius fieri possit sine illa cum auctoritate legitimi superioris, vt post Caiet.[i] tradimus in d. Man.[k] Tertium, quod prædictum votum non solùm posset commutari, sed etiam per dispensationem ex iusta causa sine cõmutatione omnino tolli, immo & ex causa non omnino sufficiente, sed tãtùm notabili posset tolli partim dispẽsando, & partim in aliud bonũ inæquale cõmutando, vt traditur in prędicto.[l]

3 Quartum, quod licet ex casu proposito non colligatur aliqua iusta causa dispensandi, neque commutãdi, præterquam quædam displicentia patruorum vouentis, quæ ad hoc parum proficit, ex displicentia tamen patrui vouentis videtur colligi quædam, quæ in sacro Pœnitentiariæ prætorio solet ponderari, nempe conseruatio familiæ. Et ita quantitas, vel qualitas familiæ, & necessitas illius conseruandæ possent esse tales, quod facerent iustam causam tollendi votum prædictũ, partim dispẽsando, & partim cõmutando, vt prædictum est, ad effectum, quòd liceret illi contrahere matrimonium, si ipse id peteret, aut talem licentiam & facultatem sibi factam libenter acceptaret, non tamen esset, vt arbitror, iusta causa, vt superior præciperet ei sub pœna obedientiæ, ne votum suum exequeretur, cùm non impediatur per illud implementum alicuius præcepti voto contrarij, neque aliqua maxima alicuius Regni vel Reip. vtilitas, argumento eorum quę notantur in[m] & in c. *si diligenti*.[n] Quare non video vllam iustam rationem, qua Episcopus prædicti vouentis, nec etiã ipsemet Papa possit iustè pręcipere illi, vt à voti executione desistat. Et quia ipse asserit se non cessaturum ab ea, nisi id ei præcipiatur, non videtur iustè posse impleri desideriũ patrui sui, viri mea sentẽtia egregię pietatis, & prudentiæ.

4 AD TERTIAM respondetur, quòd consulens vouit plura distincta, scilicet assumere statim habitum presbyteralem, & postea ordinẽ presbyteralem: & certum est posse differre assumptionem ordinis presbyteralis causa studendi, & se ad illum idoneum faciendi, arg. c. *cum eo*.[o] Sed tenetur statim assumere habitum, nisi iusta de causa Episcopus dilationem concesserit, siue dispensauerit: quæ tamen eo difficiliùs occurret, quod non videtur facilè occursuram iustam causam id faciendi, cùm delatio habitus presbyteralis magis adiuuet, quàm impediat studia discendi ea, quæ presbyterio sunt necessaria: ea tamẽ occurrente, poterit dari dilatio, & etiam fieri dispensatio in tempus ad id opportunum, immo & commutari in aliud æquale, vel magis bonum ab habente auctoritatem dispensandi, & commutandi. Salua, &c.

a *Eccles. 5.*
b *Et ca. magna. de voto.*
c *2.2. qu. 88. art. 3.*
d *In 3. li. sent. dist. 38.*
e *Etsi dominici. de pœnit. & remiss.*
f *Cap. 12. nu. 75.*
g *37. & 39. dist per totas.*
h *Ca. 12. nu. 47.*
i *In 2.2. quæ. 88. art. 12.*
k *Ca. 12. nu. 63.*
l *Nu. 63.*
m *l. 4. §. hoc autem. ff. de dam. infect.*
n *De foro cõpe. in ca. magna. de voto.*
o *De elect. li. 6.*

### SVMMARIVM.

1 *Commutatio voti, ad hoc, vt sublato voto obliget ad illius obseruantiam, debet fieri in melius, vel æquè bonum, alioquin non tollet voti obligationem: & si dubitetur, an sit æquipollens, ex hac causa, & ob tranquillitatem vouentis potest ab habente potestatem commutandi reduci in pristinum statum, num. 2. ita vt solùm sit obligatus suo tempore primum votum adimplere. num. 3.*

2 *Sacerdotij votum simplex videtur præponderare menstruæ confessioni, & communioni: vnde in illa sola opera non videtur commutandum.*

3 *Presbyterũ esse qui vouit, potest differre accipere ordines, quando peruenerit ad ætatis suæ annũ XXV. nec ei imputabitur, si Episcopus, vt potest, cum eo nolit super interstitijs dispensare.*

## CONSILIVM XIX.

QVidam vouit presbyter fieri, & post aliquot dies non alia de causa, quàm pœnitentia ductus, obtinuit commutationem, vt quolibet mense in vita sua frequentaret confessionem, & communionem. Item secundo loco habuit aliam commutationem dicendi septem psalmos pœnitentiales septies tantùm. Nunc autem, cùm nondum attigerit vigesimum suæ ætatis annum.

Quærit primò, vtrum, dato quod primus confessor habuerit facultatem commutandi, & quod secunda commutatio non teneat, an prima commutatio sit sufficiens, ita vt æquipolleat, prout debet, voto presbyteratus.

Secundo, dato quod prima cõmutatio teneat, & æquipolleat, quæritur an possit ad instantiam vouentis iterum commutari ab habente simplicem & generalem facultatem commutandi vota omnia, exceptis reseruatis solitis.

Tertio, an nõ obstantibus prædictis commutationibus possit vouens, saltem auctoritate habentis facultatem commutandi vt supra, reducta re in pristinum statum, expectare tempus presbyterandi per sacros canones præfinitum, puta vigesimumquintum annum, vel ad implendum votum, vel ad vtendum remedio commutationis.

1 RESPONDEO AD PRIMAM, primò præsuppositum in ea videri iustum, cum cõmutatio voti debeat fieri in aliud opus melius, aut saltem æquè bonum, iuxta dicta in Manual.[a] & constat recitationem septem psalmorum septies faciendam nõ esse opus adeo bonum, ac confessionem & communionem mẽstruam. Secundò, quòd si prima commutatio fuit iusta, illa est seruãda, non obstante secũda, argumento regulæ, *non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum*,[b] Tertiò, quòd si etiam prima non fuit iusta, obligatio primi voti adhuc perstaret & duraret, quia per commutationes inualidas & nullas non potuit illa tolli.[c]

2 AD SECVNDAM respondeo affirmatiuè, assumendo pro causa commutandi partim dubietatem an illa confessio & communio mẽstrua sit bonum æquipollens presbyteratui, partim bonum tranquillitatis conscientiæ, quod ex reductione rei ad primũ statũ resultaret, partim quod ipse magis inclino ad credẽdum quòd illa menstrua cõfessio & cõmunio nõ fuit opus æquipollẽs assumptioni presbyteratus, propter multa quæ possent ad hoc adduci.

3 AD TERTIAM respondeo, quòd reducta re per præfatam commutationem in primum statum, potest expectare tempus ætatis vigintiquinque annorum, attento quod interstitia temporum potest Episcopus tollere, & quod ipse nõ ponit impedimẽtũ, & quod nõ tenetur esse presbyter ante vigesimumquintum annum, & intra illum potest fieri volente Episcopo, & si noluerit Episcopus, excusabitur impedimento iuris ab assumẽdo presbyterio intra illum fide bona, debitam adhibendo diligentiam.[d]

*Aduertendum, Episcopum non posse, ex sola sua libera voluntate tollere interstitia, sed requiri causã ex sacro Cõc. sess. 23. c. 11. & 14.*

a *Ca. 12. nu. 63.*
b *De reg. iur. li. 6.*
c *Arg. eiusdẽ regulæ.*
d *Arg. c. quia diuersitatẽ. de concess. prabẽ. c. commissa. de elect. & l. 1. C. de annal. excep. ca. fin. de appell.*

SVMMARIVM.

*1 Religionem qui ex voto pœnali intrare debet, prius debita soluat. nu.3.*

*2 Votorum adimplendi tempus ex mente vouentis est coniiciẽdum.*

## CONSILIVM XX.

Sempronius tenetur intrare religionem causa certorũ votorum pœnalium, quæ fregit, cum animo tamen adimplendi, postquam debita quædam persoluerit. Dubitatur, an attento, quod excedunt summam mille scutorum, quorum solutioni, quando vouit, nullum certum tempus præfiniuit, immò putat, quòd, si ad hoc animaduertisset, nõ se obligasset, nisi post eorum satisfactionem, & quoniam spem habet viuendo aliquod tempus in sæculo soluendi ea, an inquam possit tuta conscientia differre ingressum, quoad suis creditoribus satisfecerit, vel an possit in fraudẽ ipsorum ingredi religionem.

Respondeo primò, iure mihi videri desiderare, vt Dominus consulẽs exposuisset clarius & specialius vota præfata pœnalia, & trãsgressiones eorum, ad hoc, vt certius responsum reddere possem quæsitis.

1 Secundò, videri multum expedire, vt consulens ante alia omnia peteret in sacra Pœnitentiaria relaxationem, & moderationem aliquam modestam præfatarum pœnarum incursarum ob fractiones præfatorum votorum, fundãdo se in debitis, quæ debet, & in facilitate, qua solet trahi ad eiusmodi vota, & quòd aliqua dilatio ei concederetur ad soluendas pœnas illas moderatas, quæ omnia iustè potest & solet concedere præfata Pœnitentiaria.

2 Tertiò, quòd vota præfata non obligant consulentem ad soluendas pœnas incursas, nisi à tempore, quo mens & intentio eius expressa, vel tacita fuerit soluendi eas: & cõsequenter si eius intentio fuit soluendi prius alia debita, quæ naturalius & efficacius debebat, quàm illa, nõ tenebitur soluere tales pœnas, donec alia debita soluat, dummodo mediocrem curam & diligentiam in eis soluendis adhibeat.

3 Quarto, quod prius debet soluere debita, quam ingrediatur religionem, & cauere ne fraudẽtur creditores, quibus iusta & æqua ratione illa debentur. Salua, &c.

SVMMARIVM.

*1 Vouens ingredi certum monasterium, vel certum ordinem, si in eo non recipitur, liber remanet: at si vouit ingredi religionem in genere, repulsus ab aliquibus, nõ est liber, sed tenetur tentare, vt in aliqua ex aliis recipiatur. nu.3. admissus autem ad habitum in aliqua, si postea eiiciatur, vel ipse exeat, voto satisfecisse dicitur. num.5.8. sicut & is, qui cùm certum ingredi monasterium vouisset post habitum in eo assumptum exit, vel eiicitur. nu. 4. & 10. nec tenetur aliud ingredi, immo potest nubere. num.4. sicut nec is, qui cùm vouisset ingredi quod elegisset monasterium, si ab electo exeat, vel eiiciatur, tenetur aliud ingredi monasterium. nu.6. licetq; videatur, eum qui vouit in genere, si post ingressum exeat, vel eiiciatur ab vno monasterio, obligatum esse petere, vt recipiatur in alio, sicut teneretur, si ab aliquo, vel aliquibus fuisset non admissus, num.3. attamen contrarium verius est nu.8. at si in genere vouisset profiteri, vel perseuerare in religione, per solam habitus susceptionem non liberatur, sed exiens, vel eiectus, teneretur tentare, vt in alia ad habitum & professionem recipiatur. num.7. & 10. Vouens autem fieri religiosus, in dubio censetur vouisse ingredi ad probandum, non autem vouisse profiteri, seu perseuerare num.11.*

*2 Debitor generis rerum inanimatarum, cuius specierum indiuidua sunt vel ab homine vel à natura certis determinata finibus, eligit, & soluendo quam elegerit, liberatur, aliàs videtur, quod electio spectet ad creditorem, nu.2. & 9. vel quod obligatio sit nulla. num.8.*

## CONSILIVM XXI.

1 Præsupposito ex Manu.[a] quòd vouens ingredi religionem certam, non tenetur ingredi aliam, si non recipiatur ab illa, nec vouens ingredi religionem in certo monasterio, tenetur ingredi aliud eiusdem religionis, licet non recipiatur in illo, & quod vouens ingredi religionem in genere, tenetur solum ingredi aliquam ex his, ad quas tacitè se astrinxit, & si ad nullas tacitè se astrinxit, tenetur ingredi aliquam ex omnibus, ita quod aliis nolentibus recipere illum, tenetur tentare alias.

His igitur præsuppositis, quæritur, an vouens ingredi religionem in genere, & receptus ab vna, teneatur ingredi religionem, & tentare aliam, si egrediatur ab illa sua sponte, vel eiiciatur ab illa post habitum susceptum.

2 Et pro parte quidem affirmante facit primò, quod in debito generaliter, electio est creditoris:[a] at hoc debitum est generale ingrediendi aliquam religionem: ergo creditor, qui est Deus, vel Ecclesia, debet eligere, & non debitor, qui est vouens.

3 Secundo, quòd vouens ingredi religionem in genere idem videtur debere ante ingressum, & post ingressum, sed ante ingressum, si non recipiatur in vna, tenetur intrare aliam, & si alia, vel aliæ nolint recipere, tenetur quærere & tentare alias, ergo etiam post ingressum si fuerit exclusus ab vna, vel à multis, vel displicuerit ei vna, vel multæ, tenebitur tentare & quærere alias, quæ fortè non displicebunt ei, vel non expellent eum: quia parium eadem est ratio.[b]

4 Quibus tamen non obstantibus pars negatiua videtur verior, & probatur primò: nam sicut promittens ingredi certam religionem se habet ad illam, ita vouens religionem in genere. Vnde sicut vouens certam religionem, si ab ea non recipiatur, liber est à voto, & potest contrahere matrimonium, ita vouens ingredi religionem in genere, si à nulla recipiatur, liber est à voto, & potest contrahere matrimonium, vt viua ratione cõtra Innoc.[c] concludunt Angelus,[d] & Caietan.[e] At qui vouit ingredi vnam religionem, & ingressus illam exiit, censetur impleſſe votum secundum omnes, ergo & qui vouit religionem in genere, ingrediens vnam, quæ probata displiceat, vel à qua expellatur, satisfacit voto.

5 Secundò, quòd promissio generis aut non valet, aut si valet eò valet, quòd fit de genere continente res vtiles & habentes fines à natura, vel homine destinatos, & præstat electiones promittenti,[f] & est resolutio glos.[g] ergo qui promisit generaliter ingredi religionem, ingrediendo vnam satisfacit, quia religio est res habens fines designatos à natura, vel facto hominis.

6 Tertiò, quòd paria & æquipollentia sunt promittere generaliter ingredi religionem, & promittere ingredi religionem quam volet, vel eliget, per adducta in præsenti argumento: at qui vouit ingredi religionem, quam vellet, ingrediendo illam quam vult, satisfacit suæ promissioni, ergo & qui vouit ingredi religionem in genere, ingrediendo vnam, satisfacit illi: quia de paribus & æquipollentibus idem iudicabitur.[h]

7 Quarto, quòd ingressus religionis est aliud separatum ab eiusdem professione, & permansione in ea: & ita potest compleri, non sequuta professione: & consequenter, qui tenetur ad ingressum tantùm, potest satisfacere non profitendo, nec permanendo, quia separatorum separata est ratio,[i] at in casu proposito tantum tenebatur ad ingressum, & non ad professionem, neque permansionem: ergo præstando ingressum satisfecit voto, licet non præstiterit professionem, vel permansionem.

8 Quintò, quòd non obstant opposita. Ad primum enim respondetur quòd assumptum in eo non est verum de debito generali rerum inanimatarum habẽtium fines ad se circumscribendum destinatos, qualis est debitor ingressus religionis in genere. Ad secundum respondetur negando, quòd promittens ingressum religionis in genere ad idem teneatur post ingressum vnius religionis, ad quod tenebatur ante illum, quia immo ad nihil tenetur post illum: quippe qui præstando illum soluit suum debitum genericum, præstando speciem, quam ad soluendum delegit, cum ad eum spectaret electio, eo quod erat debitum generale rei habentis fines de se destinatos à natura, vel hominis facto, per prædicta.

9 Quæ omnia confirmantur ea irrefragabili consideratione, quòd nemo vnquam dixit, neque vt arbitror dicet, quòd promittens simpliciter & generaliter ingredi aliquam religionem, non habeat facultatem eligendi eam, quam voluerit de approbatis, sed quod tenetur ingredi quam religiones vel religiosi volent.

10 Ex hoc responso videtur sequi, quòd qui vouit profiteri religionem in genere, nõ satisfacit voto ingrediendo vnam, in qua non admittitur ad professionem, vel ipse eam

[a] Cap.12.nu.48.

[a] §. si generaliter. Institu. de legat. & l. legato generaliter. ff. de legat.1.

[b] Le. illud. ff. ad l. Aquil. c. dudum. 2. de elect.

[c] In c. porrectum. de reg.

[d] In verbo votũ.3 §. 11.

[e] 2.2.q. 109. art. 3.

[f] Le. si quis à filio. §. si quis etiam l. si domus. ff. de legat.1. & le.3. & 4. ff. de trit. vin. & ol. legat.

[g] In d. l. legato generaliter. & d. §. si generaliter.

[h] Leg. fin. ff. mand. c. licet ex quadã de test.

[i] L. Papinianus. ff. de minor. c. ad audientiam. de decim.

eam intra annum nouitiatus exit. Tum quia hoc respõsum habet aliud esse ingredi religionem, & aliud illam profiteri, & consequenter licet vouens ingressum satisfaciat voto suo ingrediendo, quamuis post egrediatur, vel expellatur, vouens tamen profiteri non satisfacit ingrediendo, nisi profiteatur: quia à diuersis non fit illatio, iuxta d. l. *Papin.* Tum quia debitor in genere etiam rei habentis fines designatos à natura, vel facto hominis, licet electionem habeat soluendi speciem, quam volet, tenetur tamen soluere aliquam: sic & qui vouit profiteri aliquam, tenetur, licet habeat electionem profitendi eam, quam volet.

11 At quia orator non vouit expresse ingressum, sed quòd fieret religiosus, suboritur quæstio, an sit iudicandum de illo, tamquam de eo, qui vouit ingressum, an tamquam de eo, qui vouit profiteri? Et verius videtur, quòd sit iudicandum tamquam de eo qui vouit tantùm ingressum: quia paria sũt vouere ingressum religionis, & vouere, quòd fiet religiosus, vt singulariter determinauit Caietan.[a] pro quo sumitur firma ratio ex eo quod S. Thom. ibi ait, nempe ꝙ nemo tenetur ad manendum perpetuo in religione, nisi expresse id intendat vouere, & votum religionis interpretandum est in dubio secundum ius commune, quod facit facultatem egrediendi intra annum nouitiatus. Salua, &c.

[a] *In 2. 2. qu. 189. art. 4.*

SVMMARIVM.

*1 Vouens religionem ingredi, & perseuerare, ac in ea mori, censetur vouisse profiteri: vnde ingrediendo, & etiam ex causa exeundo non satisfecit, sed eget dispensatione Apostolica.*

*1 Voti simplicis religionis commutandi causæ aliquot numerantur.*

## CONSILIVM XXII.

LVcius sacerdos, & parochus in infirmitate votum religionis emisit in vna trium religionum, aut Sancti Francisci, aut Sancti Dominici, aut S. Augustini, & perseuerare ac mori in ipsa religione. Postea animo satisfaciẽdi voto ingressus est religionem S. Frãcisci, & in ea per quatuor, vel quinque menses perseuerauit, post quos ratione cuiusdam infirmitatis egressus est. Dubitatur, an satisfecerit voto.

1 Respondeo, quòd huius quæstionis decisio clarè colligitur ex iis, quæ scripsimꝰ in Man.[b] videlicet, quòd quamuis per prædictum ingressum satisfecit cõsulens voto suo, quatenus erat votum de ingrediendo, non tamen satisfecit, quatenus erat votum de profitendo: quia non fuit professus, & ideo indiget dispensatione, vel commutatione. Quare porrigenda est petitio, in qua explicentur causę, videlicet, quòd ob infirmitatem fecit, quòd est grandis natu, quòd iam probauit religionem, quòd illius viuendi ratio non satis placuit, quòd putat se melius inseruiturũ foris Deo, quòd laborat infirmitate, & si habet patrẽ, matrẽ, aut neptes pauperes ad sustentandum, & denique, quòd nõ est benè affectus modo viuendi in religione. Salua, &c.

[b] *Cap. 12. nu. 46.*

SVMMARIVM.

*1 Vouens ingredi religionem in genere, accipiendo etiam bona fide, nu. 3. in fi. habitum apud Carthusianos ante ætatem per eorum decreta requisitam, & ob id eiectus voto non satisfecit, cùm teneretur inquirere, & intrare aliquam sibi aptam. nu. 4.*

*1 Nullum, & inutile seu inualidum facere testamentum & similia paria sunt.*

*2 Votum non obligat vouentem ad plura, quàm sua verba, & intentio se extendunt, estq́ hæc obligatio restringenda.*

*3 Religionem ingredi vouens non obligatur, nisi vt assumat religionis habitum, tenetur tamen bona fide religionem ingredi cũ intentione probandi, & si inuenerit illam sibi gratiam, profitendi. nu. 3. illamq́ intrare, quam iustè credere possit sibi aptam. nu. 4.*

*4 Sciens, & scire debens paria: scire autem debet quis requisita ad actum, quem vult facere, & statuta religionis, quam vult ingredi.*

*4 Religionis intrandæ voto obstrictus, qui post probationis habitum assumptum recedit, tunc demum in conscientia satisfecit, si ideo exiuit, quia religio ei ingrata, vel importabilis videtur.*

## CONSILIVM XXIII.

AN qui tenetur ad intrandam aliquam religionem in genere, intrando Carthusiam ante ætatem, quam eius statuta requirunt, & ob id eiicitur post sex menses nouitiatus, satisfaciat suo voto: ita quod non teneatur ingredi aliam vel ipsam post legitimam ætatem?

1 Hæc quæstio est adeo difficilis, quòd primum visa est resoluenda negatiuè. Primò quidem, quòd nullum, & inutile exæquantur,[a] vnde paria sunt nõ adire hæreditatem, & non adire modo debito,[b] & nullum facere testamentum, vel facere illud inualidum: ergo paria erunt non intrare religionem, & intrare illam, cuius non est capax. Secũdò, quòd alioquin sequeretur, quòd huiusmodi vouens satisfaceret voto intrando religionem, quam sciret non admissuram eum ad professionem ob aliquos suos defectus, quod non videbitur dicendum, quia daretur occasio fraudibus contra textum in cap. *ex parte.*[c]

2 Secundo visa est pars cõtraria verior. Primo quidem, quod vouens non obligatur ad plura, quàm sua verba & intentio se extendunt, vt colligitur ex S. Thoma in hoc recepto,[d] & probatur ea ratione, quòd obligatio est restringenda,[e] & quod actus agentium non operantur vltra intentionem eorum,[f] at nec verba, nec intentio consulentis extendebantur ad aliud, quàm ad ingressum religionis, hoc est ad assumptionem habitus approbatæ religionis, cum intentione probandi eam, & consulens fecit hoc, & mansit in religione sex menses, & mansisset perpetuo, si ea sibi grata fuisset isto anno probationis, & superiores admisissent: ergo satisfecit voto quatenus illum tangebat, & non fuit in voluntate, vel potestate eius, ne obstarent ei statuta, vel placita religionis, vel Superioris. Secundò, quòd ingressus quo ad ipsum vouentem fuit validus, & habitus rite susceptus, & datus, ita quod cœpit per eum gaudere priuilegio can. *si quis suadente.*[g]

Tertiò, quòd alioquin sequeretur, quòd vouens non satisfaceret ingrediendo religionem requirentem aliquam qualitatem, quam non habet vouens, puta quòd sit de tali regno, insula, genere.

3 Non videntur obstare opposita: non primum. Tum quia negari potest, quod ingressus præfatus fuit omnino inutilis, vt probat argumentum secundum pro nostra parte factum. Tum quia multa inualida operãtur aliquos effectus, vt tangit glossa,[h] & latè tradit Felinus.[i]

Ad secundum responderi potest, negando quòd ex hoc sequatur occasio fraudis, & quod intrãs religionem, cuius se sciret incapacem, satisfaceret. Nam vt quis satisfaciat voto intrandi religionem, nõ sufficit, quòd quoquomodo intret, sed oportet, vt intret bona fide, cum proposito probandi eam, & si inuenerit eam sibi gratam, profitendi, vt pulchrè declarat Caietanꝰ,[k] & probatur ea ratione, quod qui tenetur ad faciẽdum aliquid, non satisfacit, nisi faciat illud legitimè,[l] & ita concedo quod si consulens intrasset præfatam religionem sciens se non admittendum ad professionem in ea, non satisfecisset voto: at præsupponitur, quod ipse bona fide, & bono proposito intrauit eam.

4 Cùm autem his me subscribere vellem, occurrerunt duo. Alterum, quòd paria sunt scire, vel scire debere,[m] & quod quis debet scire, vel debet quærere scire ea, quæ pertinent ad id, quod debet facere.[n] Alterum, quòd vouens intrare religionem, & intrans eam, tum demum videtur satisfacere voto quo ad forum conscientiæ ad effectum exeundi, si ab ea vult exire, quia ingrata est ei, vel videtur sibi importabilis, vt colligitur ex vtroque Thoma:[o] consulens autem præfatus non exiuit, quia ingrata fuit ei religio, neque quia visa fuit ei importabilis, sed quia statuta ordinis repugnabant: & cum non vouerit ipse speciatim religionem Carthusianam, videtur teneri ad intrandam aliam, nisi iusta de causa Papa relaxauerit, vel cõmutauerit suum votum in aliud. Videtur enim affirmãdum, quòd ad hoc, vt vouens intrare religionem in genere, satisfaciat ad effectum exeundi, tenetur ad intrãdam aliquam nõ solùm approbatã, sed etiã quã sciat, vel credat iustè sibi esse aptã, ita quod non patiatur, vel iustè credat non se pati defectũ, ob quẽ per eius statuta reiiciatur, & quòd eam profiteretur, si ei esset grata, ita quòd ob id solùm principaliter exeat, quod non est ei grata, vel videatur importabilis.

*Gregorius XIII. oratori coram factum narranti & petenti, vel mandari Carthusianis, vt ipsum reciperent, vel declarari voto satisfactum, verbo respondit. Ingredere aliam religionem.*

[a] *Capit. 1. de transla. prælat. ca. Nicolao. de appell.*
[b] *Le. 2. C. de successo. edict.*
[c] *De consuet. & l. conueniref. ff. de pactis dotalib.*
[d] *In 2. 2. qu. 18. artic. 3. & 4.*
[e] *L. quidquid astringendæ. ff. de verbo. obliga. & ca. cum iura partium. de reg. iur. lib. 6.*
[f] *L. non omnis. ff. de rebꝰ cred. c. fin. de præb.*
[g] *17. q. 4. ca. religioso. §. 1. de sententia excom. lib. 6.*
[h] *Ca. non præstat. de regu. iuris li. 6.*
[i] *Ca. ex tenore. de rescrip.*
[k] *In d. q. 189. art. 4.*
[l] *D. ca. Nicolao. de appell.*
[m] *L. quod te. ff. de rebus cred.*
[n] *§. fin. 37. di. & cap. innotuit adiuncta gloss. verb. ignorantia. de elect.*
[o] *In d. art. 1.*

SVMMA

SVMMARIVM.

*1 Votò de intranda religione satisfacit, qui post ingressum, non quia religio ei sit ingrata, sed ob morbum exiuit.*

## CONSILIVM XXIIII.

VOuens ingredi religionē simpliciter, sine expresſione permanendi in ea perpetuò, nec exeundi, an si eā non inuenerit sibi gratam, satisfaciat voto ingrediendo, licet superueniente infirmitate egrediatur, an verò cessante infirmitate teneatur redire?

1 Respondendum videtur, ingrediendo satisfecisse. Tū quia, vt ait S. Thomas,[a] is qui sic vouet cēsetur vouere secundum formam iuris, quæ habet, vt intra annum probationis ingrediens religionem posſit libere exire.[b] Nō obstat quòd is non exiuit, eo quòd esset sibi ingrata religio, sed eo quòd infirmitas ei superuenit, adiuncto quod ait Caietanus ad S. Thomam,[c] talem vouentem in foro conſcientiæ teneri perseuerare, si in religione inueniat omnia sibi grata: quia reſpōderi poteſt, quòd iste nō inuenit omnia sibi grata, videlicet infirmitatem non gratam. Præterea ipse S. Thom. expreſsè ait, huiusmodi vouentem posse egredi propter infirmitatem, non distinguendo inter reſpectum hunc, vel illum. Salua, &c.

a 2. 2. q. 189. art. 4.

b Ca. ad Apostol. de reg. c. 1. & 2. eodē tit. li. 6.

c Vbi ſupra.

SVMMARIVM.

*1 Votum intrandi religionem, & se fratrem faciendi, paria. Vnde qui ingreditur poteſt ante profeſsionem liberè, ac si non vouiſſet exire, vxoremq; ducere, secus si vouiſſet intrare, & profiteri.*

## CONSILIVM XXV.

SAlustius vouit, quòd fieret frater certi monaſterij, quod poſtea fuit ingreſſus, & manſit in eo circiter nouē mēses, & cùm non placuiſſet illi modus ille viuendi, exiuit ab eo ante finem nouitiatus, nulla profeſsione facta expreſſa vel tacita. Quæritur, an licitè poſsit contrahere matrimonium.

1 Respondeo quod sic. Tum quia vouens ingredi religionem, poteſt liberè ab ea exire, antequam profiteatur expreſsè, vel tacitè, iuxta ca. 1.[d] Nec obſtat, quot cap. illud, loquitur de intrante religionem non præmiſſo voto: quia idem eſt dicendum, voto de intrando præmiſſo, vt tradit & probat S. Thom. receptus.[e] Non obſtat etiam dicere, quod S. Thomas loquitur de vouente intrare solùm, & nō de vouente intrare, ita quod fieret frater. Tum quia secundum opinionem Dominici Soti,[f] paria sunt votum de intrando religionem tantum, & de intrando & profitendo. Nec obſtat, quòd nos tenuimus in Manual. confeſſ.[g] contrarium eius, quod tenuit Sotus: quia Dominus consulens non vouit intrare & profiteri, sed solùm vouit, quòd fieret frater, & votum de intrando solùm, vel quòd fieret frater, sunt eiusdē virtutis, & paria quo ad hoc, vt singulariter aſſeruit Caietanus,[h] quem merito ac iure ſequuti fuimus nos,[i] quod nos sine vllo ſcrupulo affirmamus etiā in præſentia. Salua, &c.

d De reg. l. 6.

e In 2. 2. qua. 189. art. 4.

f Lib. 8. qu. 2. ar. 1. de iuſtitia & iure.

g Ca. 12. nu. 47.

h In d. art. 4. q. 189. 2. 2.

i Vbi ſupra ſub finē num. 47.

SVMMARIVM.

*1 Vouens vnam religionem ingredi, aliā profitens non tenetur primam ingredi, secus si ante profeſsionem exeat: etiam si secunda habeat priuilegium vt illam intrantes satisfaciant voto de intrando aliam.*

*2 Votum qui dubitat, an emiſerit, tutiorem partem eligat: videtur tamen, quòd poſsit in negatiuam inclinare, cùm facta non præſumantur, & hoc etiam si pro affirmatiua adſit aliqua coniectura, sed reſpiciens extrinſecum finem voti. nu. 3.*

## CONSILIVM XXVI.

N. Deſiderio diſcendi, & magiſterium ſumendi, vouit ingredi religionem Dominicanorum: dubitat tamen, vtrum etiam vouerit profiteri. Deinde perſuaſus à quodā religioſo, dicente, quod sua religio habebat priuilegium, vt non obſtante voto de intranda alia religione, illam intrādo satisfaceret, eam ingreſſus eſt: ſed cùm non placeret modus viuendi, poſt quatuor menſes, relicto habitu, ad ſæculum rediit. Quæritur, an ad aliud teneatur.

1 Respondeo, quòd præfatus D. conſulēs nō adimpleuit votum præfatum duplici capite, si vouit ingredi & profiteri. Primò quidem, quod in neutro ordine fuit profeſſus.

A

Secundò, quòd qui vouit ingredi certam religionem, licèt non teneatur illam ingredi, si poſt illud votum fuerit ingreſſus & profeſſus aliam religionem, iuxta cap. *qui poſt votum*,[a] tenetur tamen, si non profiteatur ſecundam, vt Archidiaconus & Francus ibi rectè adnotarunt: nec crederem huic deciſioni derogari à priuilegio dato religioni ſecundæ, donec videro tenorem illius.

2 Tertio, quod si Dominus conſulens dubitat, an vouiſſet etiam profiteri, debet quærere sibi idem remedium, quod quæreret, si sciret: quia in dubio certiorem partem tenetur deligere, ſaltem quo ad forum conſcientiæ.[b]

a De reg. l. 6.

b Ca. iuuenis. de ſponſal.

B

Quartò, quòd conſultè facit, si ſupplicauerit Papæ in prætorio ſacræ Pœnitentiariæ, vt diſpenſet cum eo modus autem petendi conueniens eſt ei, vt narrato caſu petat diſpenſationem, ne teneatur profiteri, neque ingredi præfatum ordinem Dominicanorum: allegando in hoc primum quod dubitat, an vouiſſet profiteri, & quod multùm inclinat in partem negatiuam, & quod viſum fuit sibi adimplere votum ingrediendi religionem Dominicanorum, ingrediendo aliam, propter præfatum priuilegium: alleget item alias cauſas, propter quas videtur ei meliùs ſeruire Deo in preſbyterio ſæculari.

3 Quod autem magis debeat inclinare in partem negatiuam, quòd non vouerit profiteri, facit quòd ipſe non meminit factum, & facta non præſumuntur: & quod sicut aliud eſt præceptum, & aliud finis præcepti, ita aliud eſt votum, & aliud finis extrinſecus, in quem vouetur: & quòd ille finis diſcendi & magiſterium ſumendi eſt extrinſecus voto: quia per profeſsionem conſequutam non fuiſſet obligatus ad illa, si noluiſſet, nec religio fuiſſet obligata ad faciendam ei facultatem intendendi eis pluſquam aliis profeſsis, cæteris paribus. Salua, &c.

C

SVMMARIVM.

*1 Vouens alternatiuè duo, alterum implere tenetur.*

*1 Soluens vni quod alteri debet, peccat, si per hoc redditur impotens ſoluere primo.*

*2 Abbas sine conſenſu, vel ſaltem sine conſilio Conuentus nec oblatos, nec monachos recipere poteſt.*

*2 Vouens ſeruire certo hoſpitali poteſt ab eodem compelli, vt ſeruiat.*

*3 Profeſsio laxioris religionis eius, qui ſtrictiorem vouerat, liberat à prima obligatione, ſed non oblatio, quæ non facit religioſum.*

D

## CONSILIVM XXVII.

HOratius vouit ingredi religionem Capucinorum, vel ſeruire cuidam hoſpitali celeberrimo: qui cum non reciperetur à Capucinis, obtulit ſe & ſua alterius religionis Prælato abſenti à ſuo monaſterio, & perſuadenti sibi ſe id iuſtè poſſe facere sine conſenſu ſui Conuentus confirmando oblationem iuramento: quem noluit recipere Conuentus in Oblatum, dicens quod non poterat Prælatus sine ipſius conſenſu illum recipere. Quæruntur circa hoc tria.

E

Primò, quid tenebatur hic facere, cùm fuit repulſus à Capucinis.

Secūdò, an is peccauerit offerēdo ſe alteri monaſterio.

Tertiò, an oblatio fuerit valida.

1 AD PRIMVM reſpondeo, quòd ipſe tenebatur ire ad ſeruiēdum hoſpitali præfato, quia qui promittit duo alternatiuè, tenetur alterum eorum adimplere, iuxta notata in cap. *in alternatiuis*,[c] & aliis iuribus per illius gloſſam citatis: & Dominus conſulens vouit duo alternatiuè, ſcilicet ingreſſum religionis, vel ſeruitium hoſpitalis, & non potuit implere prius, ergo tenetur implere poſterius.

c De reg. iur. li. 6.

F

AD SECVNDVM reſpōdetur affirmatiuè, quòd peccauit, quia quod debebat vni, ſcilicet hoſpitali, ita videtur ſoluiſſe alteri, vt fieret inhabilis ad ſoluendum, quod debebat alteri, quod eſt peccatum, iuxta notata in cap. *ex te*, de iureiur.

2 AD TERTIVM videtur, quòd non valuit oblatio, quia non videtur poſſe Abbas obligare monaſterium ad alendum Oblatum sine conſenſu, vel ſaltem conſilio ſui Conuentus, ſicut nec recipere monachos, iuxta gloſſam,[d] & ea quæ nos latius tradimus in cōment. 3. de reg.[e] Tum quia præfatum hoſpitale poteſt cōpellere conſulentem ad implendum ſuum votum, quo tenetur ſeruire illi.

d Cap. fin. de reg. li. 6.

e Super c. nullam. 18. qu. 1. nu. 5.

3 Neque obstare videtur, quod professio facta in religione etiam laxiore, ab eo qui vouit strictiorem, valet, [a] quia nos loquimur de oblatione, quæ non est tantæ virtutis, nec facit religiosum, iuxta contextum cap. *vt priuilegia*, & quæ ibi notat Panormitanus & alij. [b] Nec etiã videtur obstare l. *quoties*, [c] quatenus habet quòd res vendita duobus fit posterioris emptoris, si prius tradatur ei, quàm priori, & quod consulens tradidit se prius præfato monasterio, cui se obtulit. Tum quia non valuit oblatio, vt dictum est. Tum quia licet res vendita duobus fiat posterioris, si prius ei tradatur, vendens tamen obligatus manet ad soluẽdum priori, quod sua interest: & ita hospitale præfatum habebit ius ad cogendum consulentem ad seruiendum sibi. Tum quia Prælatus, cui se dedit, decepit ipsum, dicens quod iustè poterat omittere seruitium prædicti hospitalis, & quod poterat eũ ipse absoluere ab obligatione, qua teneretur hospitali, & ita non debet ex suo dolo reportare commodum, contra l. *itaque fullo*, [d] nam & qui dolo inducit aliquem ad profitendã religionem, licèt professio teneat, bona tamen non debet habere. [e]

a Ca. qui post votum. de regul. lib. 6.
b De priuile.
c C. de rei vend.
d ff. de furtis, c. 1. de postula. præl.
e Cap. constituit. 20. q. 3.

SVMMARIVM.

1 *Vouens ingredi vnum certum monasterium, si in eo non recipitur, liber est: at qui sine saltem virtuali restrictione vouit ingredi aliquam religionem, tenetur de rigore omnia monasteria dictæ religionis, & qui vouit ingredi religionem in genere tenetur omnes religiones tentare, etiam extra regnum existentia. nu. 3. quamquam de æquitate qui ex causa refutatur à maiori parte monasteriorum vel religionum prouinciæ, possit iudicari absolutus. nu. 4. refutatio autem ab eo debet fieri, qui potest admittere & refutare. nu 3.*

3 *Generalis, & etiam Prouincialis, causa cognita, posset suis monasteriis præcipere, ne talem recipiant: at ex eo quòd Generalis aliquem vouentem refutauerit, non inde sequitur, quod talis sit liber, nu. 1. & 2. cùm receptio & refutatio non ad ipsos, sed ad prælatos & suos Conuentus simul spectet. nu. 3.*

## CONSILIVM XXVIII.

QVidam ægrotus vouit ingredi religionem Minimorũ, & factus sanus adiit Generalem, qui noluit eum recipere. Quæritur an satisfecerit voto, ita quod possit declarari absolutus ab eo sine alia causa in id accedente.

1 Respondetur quòd non. Tum quia licet vouens ingredi religionem in certo monasterio, quod non vult eũ recipere, possit declarari absolutus à voto secundum cõmunem sententiam, quam nos quoque sequuti fuimus in Manu. confess. [f] qui tamen vouit religionem in genere, vel in specie, non se restringendo ad aliquod monasteriũ certum est teneri quærere alias religiones, vel alia monasteria eiusdem religionis, licet ab aliqua, vel ab aliquibus repudietur, vt præter alios notabiliter ait Caiet. [g]

2 Tum quia nemo, quem meminerim, dicit sufficere refutationem solius Generalis, non reddita saltẽ causa sufficiente, quare omnia monasteria suæ religionis debeant eũ refutare.

Tum quia, sicut acceptatio & admissio volentis ingredi religionem pertinet ad prælatum, & conuentum, secũdum glossam communiter receptam, [h] ita etiam refutatio volentis ingredi pertinet ad eosdem, & non ad solum prelatum, nec ad solum conuentum: contrariorum enim eadẽ est disciplina: & ita refutatio Generalis non videtur sufficere.

3 Tum quia vbi supra Caietanus quem nos quoque, [i] sequimur, satis in terminis videtur decidere hoc, quatenus ait ex natura voti (nisi restringatur saltem tacitè ab intentione vouentis) obligari eum, qui vouit in genere religionem, ad requirendas omnes religiones, & omnia monasteria eorum etiam extra, & aliorum regnorum: per quod præsupponit non sufficere refutationem etiam Prouincialis, nec omnium Prouincialiũ vnius vel alterius regni, & consequenter nec refutationem prælatorum ordinis. Tum denique, quòd Generalis posset eum refutare odio, amore, precibus, vel sordibus ad id motus, ad quod non mouerentur Conuentus, & prælati minores, ad quos spectat admissio, vel reseruatio volentium ingredi.

4 Quamquam fateor, Generalem, immo & Prouincialẽ, causa cognita, & partibus auditis, posse suis subditis iubere, ne reciperent talem, vel talem ad sua monasteria, eo quòd ob talem causam iudicauit eum esse indignum, qui recipiatur: quamquam item credam, eum qui refutatus est à maiori parte Prælatorum, & Conuentuum sui regni, vel magnæ prouinciæ, ex æquitate iudicari posse absolutum, si ob aliquam rationem probabilem fuisset repulsus. Salua, &c.

f Cap. 12. nu. 48.
g In 2. 2. qu. 88. art. 3. col. 3. vers. in eadem responsione.
h In c. fin. de reg. li. 6.
i Vbi supra.

SVMMARIVM.

1 *Conditionale votum obligare videtur, quando per vouentem stetit, quo minus conditio adimpleretur: fallit, quando conditio non pendet à sola voluntate vouentis. num. 2. item & quando vouens voluit conditionem verè & non per fictionem adimpleri, licèt non sit impleta. num. 3.*

4 *Religionem ingredi intra certum tempus vouens per illius lapsum non liberatur.*

## CONSILIVM XXIX.

PAschasius, qui vouit infra triennium ingredi religionem, si interim fieret grammaticus sufficiens ad ordines suscipiendos, an teneatur ingredi lapso triennio, si non didicit grammaticam, esto quòd non desierit eam discere eo fine, vt non intraret religionem?

1 Pro parte affirmante facit l. *iure ciuili*, [a] quæ habet conditionẽ censendam esse impletam, cùm per eum, ad quem pertinet impleri, stat quo minus impleatur: & ad præfatum vouentem pertinebat implere præfatam conditionem, & per eum stetit quo minus impleretur, quia non studuit grammaticæ discendæ. Facit etiam regula *cum non stat*, [b] argumento à contrario sensu.

2 Pro parte verò negante facit, quòd regula illa in præfata l. *iure ciuili*, posita, non habet locum, quando promittens voluit conditionem verè & non per fictionem adimpleri, vt determinat Baldus, [c] & Bartholus, [d] & consulens videtur habuisse voluntatem, vt conditio impleretur verè, & non per fictionem, etiam si casu euenerit, vt non fuerit impleta.

3 Secundò facit, quòd illa regula præfata l. *iure ciuili*, limitatur, quando conditio pendet à libera voluntate promittentis, per l. *centesimis*, [e] vbi Iason, [f] post Alexandrum eam limitauit: & conditio illa discendi grammaticam videri potest non pendere à sola & libera voluntate huius vouentis, & consulentis.

4 Sed quòd facit hac in re difficultatẽ, est, quod vouens ingredi religionem intra triennium, non videtur liberandus ab ea intranda per lapsum triennium: quia terminus ille non videtur positus causa finiendæ obligationis, sed potius causa incipiendæ executionis. Qui enim promisit dare ante Kalend. Iulias, non liberatur lapsu illarum Kalendarum, immò tunc incipit necessitas exequendi promissum. Vnde videtur adhuc teneri.

*Vide etiam sequens Concilium.*

a ff. de condit. & demõstra.
b De reg. iur. lib. 6.
c In le. si pater. q. 3. C. de condit. instit.
d In le. vterque. sub fin. ff de conditiõ. institut.
e §. si ita stipulatus. ff. de verb. obligat.
f Notab. 3.

SVMMARIVM.

1 *Religio S. Ioannis latior est religione Prædicatorum mendicante: ideo qui hanc ingredi vouit, illam ingrediendo, voto non satisfacit.*

2 *Vouens scholasticus ingredi religionem, si peruenerit ad scientiam ingressui necessariam, si ob ægritudinem vel aliam iustam causam ad illam non potuit peruenire, liber est à voto, secus si per ipsum stetit.*

## CONSILIVM XXX.

AN scholasticus sexdecim annorum vouens ingressum ordinis Dominicani, si perueniret ad scientiam necessariam ingressui illius ordinis, & reiectus ob insufficientiam, & relinquens studium teneatur ad ingrediendum eam, & an possit ingredi religionem S. Ioannis?

1 Ad hanc quæstionem præmissam, & ad aliquot alias solo verbo propositas, respondeo primò, certum esse votum valere.

Secundò, quòd non impletur illud per ingressum religionis S. Ioannis, quæ videtur laxior regula Dominicanorum, quæ est mendicans & strictior, ad quam votum obligauit.

Tertiò, quòd votum fuit conditionale, si perueniret ad scientiam necessariam ingressui ordinis Dominicani.

Quartò, quòd non videtur satisfecisse voto, eo solo quòd ab vno solo monasterio fuit repulsus.

Quintò,

2 Quintò, quòd decisio huius quæstionis, quæ mihi difficilis est, videtur pendere ab alia, scilicet an conditio præfata censeatur impleta, eo quòd per eum stetit, quo minus adimpleretur, iuxta l. *iure ciuili*.[a]

Sextò, quòd si per præfatum Dominum cõsulenté non stetit quo minus adimpleretur conditio, eo quod ob ęgritudinem, vel aliquam aliam iustam causam non potuit continuare studium grammaticæ, quod cœperat, non tenetur adimplere votum, quia non adimpletur conditio, sub qua vouit, & dispositio conditionalis non obligat, donec conditio adimpleatur.[b]

Septimo, quod si consulens noluit studere, cum posset, & procurauit nescire, vel obliuisci quæ sciebat, ne ingrederetur religionem, vel si contigerit eum scire & discere necessaria ingressui, tenebitur ingredi ad gloriam Dei, qui nos, &c.

a ff. de cond't. & demonst. & c. imputari. & ca. cum non stat. de reg. iur. lib. 6.

b Cap. si pro te. cum similibus de resc.

SVMMARIVM.

1 *Votum qui commutare valet: pœnam ob illius fractionem iam incursam remittere nequit.*

CONSILIVM XXXI.

VTRVM habens potestatem cõmutandi certa vota, queat dispẽsare super voto pœnali quo ad pœnam?

1 Respondetur quòd non, quia aliud est commutare, aliud remittere pœnam ob fractionem voti, & à diuersis & separatis non fit illatio, nec bona argumentatio.[c] Verum tamen est, quod si ante pœnam incursam fieret commutatio, non incurreretur pœna: quia non frágitur votum iam per commutationem sublatum, quod enim non est, non potest frangi, nec dissolui,[d] & priuatio præsupponit habitum.[e]

c L. Papin. ff. de minorib. c. ad audientiã. de decim.

d Ca. ad dissoluẽdum. de despons. impub.

e Le. decem. de verb. obligat.

SVMMARIVM.

1 *Voto pœnali commutato, non censentur commutatæ pœnæ prius incursæ, quas nec condonare potest, qui etiam ex Iobelæo potest vota commutare.*

2 *Accessorium tum naturam sequitur principalis, cùm eadem ratio militat.*

2 *Principali sublato, & accessorium illud censetur sublatum, quod sine eo consistere nequit.*

CONSILIVM XXXII.

ANNIBAL vouit se facturum quasdam eleemosynas, si amplius cum certa muliere rem haberet, & quia postea habuit frequenter, petijt à Papa commutationem illius voti, & cõdonationem pœnarum: qui commutationem pœnarum incursarum fecit, cũ clausula, *Firmo manente voto quo ad futura*. qua gratia non fuit vsus, immo iterum & sæpius contrauenit voto: sed postea alius confessarius, virtute Iobelæi ab alio Papa concessi, commutauit ei prædictum votum in dotationem cuiusdam virginis pauperis, nulla facta mentione de firmitate voti quo ad futura, neque de condonatione pœnarum antiquarum incursarum. Quæritur, an videantur condonatæ pœnæ antea incursæ.

Videtur quod non. Tum quia aliud est obligatio soluendi pœnam iam incursam ratione violati voti, & aliud votum ipsum: & in Iobelæo prędicto Papa concesit confessarijs facultatem commutandi vota, nulla facta mentione de condonatione obligationis ad soluendas pœnas iam incursas. ergo non poterant confessarij condonare obligationem soluendi eas: quia à diuersis non fit illatio.[f]

2 Nec obstat dicere, quod accessorium sequitur naturam sui principalis, iuxta regulam *accessorium*.[g] & ibi per glossam citatam: cum, vt ait[h] Ioannes Andreas receptus intelligitur illa de accessorio producente, & producto, de deriuante, & deriuato, qualis videtur prædicta obligatio: & quod sublato, vel confirmato principali censetur sublatum vel confirmatum accessorium, iuxta doctrinam Lapi, relati per Ioannem Andream & Francum.[i] pro quibus est aptus contextus in l. 1.[k] & quod obligatio prædicta pœnam soluendi videtur esse accessorium ad vxorem seruandum: non, inquam, hæc obstant. Tum quia ea intelliguntur de accessorio, quod non potest consistere sine principali: at obligatio ad pœnam soluendam consistere potest sine voto, & post votum solutum, vel dispensatione sublatum, vt palam est. Tum quia votum non producit illam pœnam, sed fractio voti, quæ est res contraria voto. Tum quia, quidquid inuoluant glossa & Doctores[a] vario modo illam limitando, & extendendo, verus intellectus eius videtur esse, quod tum demum accessorium sequitur naturam sui principalis, cum eadem ratio militat in vtroque, & non quando est diuersa. quod satis colligitur ex cap. *debitores*.[b] Salua, &c.

f L. Papinianus. ff. de minor. & ca. ad audientiam. de decim.

g De reg. iur. li. 6.

h In d. regul.

i In d. reg. accessorium.

k De pecula. leg.

a In d. regul. accessorium.

b Et ca. cum contingat. de iureiuran. & authen. sacra mẽta puber. C. si aduers. venditio. & l. 1. & 2 ff. de pecul. leg.

SVMMARIVM.

1 *Votum de intranda vna religione commutat, & non relaxat Papa, si petenti dispensationem respondet, vt aliam intret.*

CONSILIVM XXXIII.

AN PAPA, qui rogatus super dispensatione voti de intranda religione Capucinorum, respondit vt ingrederetur aliam religionem, videatur dispensare super voto, ne teneretur illo, vel commutasse illud in aliud?

1 Respondeo, quòd Papa non videtur dispensasse, sed tantùm commutasse: quia non est præsumendum Papam frustratoriè respondisse,[c] & si responsio prædicta intelligeretur de dispensatione, & non commutatione, frustranea fuisset, & nullius effectus adiectio illa de intranda alia religione, cum nihil aliud operaretur, quàm, quod, si vellet, ingrederetur aliam religionem, quod poterat facere sine vlla Papæ concessione: & frustra precibus impetratur, quod iure communi conceditur,[d] cui consequens est præfatum consulentem teneri ad intrandam aliquam religionem in genere. Salua, &c.

c Arg. ca. cõmissa. §. fin. de elect. li. 6.

d Leg. 1 ff. ad municip. §. ff. solemn. ca. 1. de rescrip.

SVMMARIVM.

1 *Votum dandi pecuniam Ecclesiæ alicuius certi Sancti iustè potest Pontifex concedere, vt conuertatur per vouentem in alios pios vsus.*

2 *Donatio facta alicui cum adiectione, vt eam alicui tertio det volente donatore, & donatario principali, reuocari potest.*

CONSILIVM XXXIIII.

QVIDAM nobilis iuuenis habens coniugem iuuenem infirmam, & morti proximam turbatus dolore vouit cuidam Sancto mille scuta, si vxor conualesceret, quæ conualuit. Deinde superuenit mors patris eiusdem iuuenis, qui reliquit multa debita, & filiam virginem indotatam, & natæ sunt eidem iuueni duæ filiæ. Quæritur, an Papa iustè possit commutare illa mille scuta in dotem sororis pauperis, & filiarum suarum, attento quod bona vouentis vix valebant quatuor millia scuta.

Pro parte negatiua facit, quòd Ecclesiæ quæsitum fuit ius ad illa mille, per l. *qui Romæ*.[e] & id quod nostrum est, sine consensu nostro auferri non potest,[f] & ita videbatur necessarius consensus Ecclesiæ.

1 Pro parte verò affirmatiua facit primò, quòd Papa potest relicta in aliquos vsus pios conuertere in alios.[g]

Secundo, quod votum principaliter fit Deo, etiamsi fiat sanctis, quia est actus latriæ, iuxta S. Thomam,[h] & est promissio facta principaliter Deo secundum eumdem.[i]

3 Tertiò, quòd donatio alicuius rei facta principaliter alicui cum adiectione, vt eam det alteri tertio, potest reuocari quo ad illum tertium volente donatore, & donatario principali, vt est casus singularis in d. l. *qui Romæ*.[k] & ibi tenet expressè Bartholus fere ab omnibus receptus, & latius confirmat Iason, & nos tenuimus in tract. de reditibus ecclesiast.[l] atqui donatarius principalis Deus est, vt supra dixi, qui videtur velle, volente iusta de causa Papa eius Vicario, & ita teneo.

e §. Flauius Hermes. ff. de verb. obliga. & l. quoties. C. de donat. quæ sub mo.

f Le. id quod nostrum. ff. de reg. iur.

g Clem. quia contingit. de relig. domi.

h 2. 2. qu. 88. art. 5.

i In 4. dis. 38. q. 1. art. 1. ad 5.

k §. Flauius.

l Qu. 1. mon. 71.

SVMMARIVM.

1 *Scrupulis variè agitatus quid secum perpendere debeat. & seq*

2 *Vota licita omnino implenda, nisi iustè relaxentur.*

3 *Votum religionis sanctum, & melius est ingredi illam ob votum, quàm sine.*

3 *Votum perseuerandi in religione obligat magis, quàm intrandi.*

4 *Religionem qui vouit, cogitatus, qui eum ad intrandum terrent, abijciat.*

4 *Vita religiosa humiliter ducta suauior seculari.*

5 *Status nullus in hac vita beatus.*

5 *Religionem qui sæpius ingressus in nulla perseuerauit, statum clericalem eligat.*

## CONSILIVM XXXV.

VIR quidam egregiè doctus narrat se vouisse frequenter ingressum religionis, & intrasse illam sexies,& ante finitos annos nouitiatus & professionem exijsse,& nihilominus impugnari cogitatibus auertentibus eum à religione,eo maximè quòd abest ab eo alacritas,& deuotio prosequendi eam & perseuerandi, licet etiam putet se vouisse perseuerantiam in aliqua religione faciendam, & propendeat in persuasionem quod non saluabitur,si in statu sæculari moriatur:& quærit quid ei sit faciendum.

1 Respondeo primò, opus esse illi commendare se humillimè & submissisimè Deo optimo Maximo,implorata in id ope Virginis Matris,& Angeli sui custodis, vt cōferatur ei donum constantiæ ad perstandum in rectè cogitatis, & sibi rectè consultis, mediante totius Ecclesiæ Christianæ precatione Dominicæ 8. post Pentecosten: *Largire quæsumus Domine seruo tuo spiritum cogitandi quæ recta sunt,propitius & agendi:vt qui sine te esse non potest, secundum te viuere valeat.*

2 Secundo,persuadere sibi id,quod tota Ecclesia Christiana Catholica Romana firmisimè persuasum habet, vota licita & honesta esse omnino implenda, vel certè auctoritate legitima iusta de causa relaxanda esse, vel commutanda,iuxta illud,*Vouete,& reddite Domino.* psal.75. quorum prius,scilicet, *Vouete,* consilij est,secundum præcepti, vt declarat Innocentius III. [a] cuius rationem reddit S.Thomas ab omnibus receptus, [b] scilicet, quia *displicet Deo infidelis promißio.* [c]

a In cap.magna.de voto.
b 2.2.qu.88. art.3.
c Eccles.5.
d Per totum tit.de regula.
e 2.2.q.189. art.1.

3 Tertio,quod votūm intrandi religionem à Sede Apostolica approbatam est licitum, & sanctum: [d] immo melius est mediante voto ingredi, quàm sine illo, vt probat S.Thomas receptus. [e]

Quartò, quòd magis obligat votum de perseuerando in religione suscepta,quam de intrādo eam,vt nos probamus contra Dominicum Sotum in Man.confess. [f] & consequenter Dominus Consulens non solū est obligatus ad intrandam religionem, quia vouit eam intrare,sed etiam perseuerare in illa,& facere professionem,nisi Papa relaxet ei illam obligationem dispensando iusta de causa,vel commutando iustè. [g]

f Cap.12.nu. 47.
g Ca.non est. iuncta glossa. de voto.

4 Quintò, quòd satagat vitare & abijcere à mente sua cogitatus illos, qui terrent eum proponendo grandia onera & labores, quæ oportet subire in seruanda religione:quoniam si rectè res perpendatur,maiora oportet sufferre extra illam decenter viuendo, quàm intra illam humiliter sese Christo,& ob eum alijs Prochristis & Prælatis subdendo:quia compertum est suauiorem esse religiosis vitam religionis humiliter absque ambitione seruiendo,& obediendo, quàm sæcularibus suam sæcularem decenter & castè viuendo:& si placeat Domino consulenti, videat ea quæ nos scribimus in comment. de regula. [h] in principio de dispositione,quam debet habere religionem intraturus,& persuadeatur quòd religiosorum vitam non tantum facit horrendam arctio eius, & paupertas, quantùm ambitio, & cupiditas in ea dominandi, & habendi, quibus imperet & gratificet.

h Super c.cuiportio.12.q.1.

5 Sextò,quòd reputet, & conferat se cum curas, labores,& onera,quæ patiuntur Papa, Cardinales, & alij Ecclesiastici Prælati,& Reges,Principes,ac alij diuersi sæculares,cum curis religiosorum, præsertim simplicium, & carentium dominatu,& regimine, & certè inueniet longè placidiorem & suauiorem esse vitam horum, quàm illorum: modo sit eis victus ad sustentandam vitam sufficiens.Reputet item secum illos senarios,quibus apud Baptistam Mantuanum in Parthenice Mariana lib. 2. post principium vtitur illa gloriosissima, sed tunc mœstissima B.mater Reginæ cælorum Anna, per quæ reducat in memoriam nullum esse in hac vita statum fœlicem, & quod cuilibet imminēt multæ infelicitates:&,cum hoc legerit, ne grauetur legere totam orationem præcedentem, & aliam,quam ipsa eadem Anna egit apud eumdē Baptistā [i] dum sic prope finem cōcludit, *& certè breuis est felicior æui.*

i In l.1.eiusd. Parthenices.

Septimò, quòd licet quatuor hæc supradicta sint certissima,arbitror tamen prædicto D.consulenti cōuenientiorem futuram esse vitam clericalem sæcularem ob experientiam, quam habet suæ in permanendo in religione inconstantiæ,& adiuto ope diuina abigere illam satanicā tentationem,qua Satā ipse nititur persuadere ipsi contra omnem veritatem, non posse vitam æternam consequi finiendo temporalem in statu sæculari, cùm in introitu Missæ huius Dominicæ post Pentecosten 10. habeatur illud,*Iacta cogitatum, &c. & non dabit in æternum fluctuationem iusto* præsertim adeo erudito, & maximo timore filiali timenti Deū,qui nos omnes sua misericordia saluet. Amen.

### SVMMARIVM.

1 *Ludus triplex, honestus virtutis, venialiter malus, & malus mortaliter.*
1 *Votum non ludendi ludo honesto,seu virtutis,non obligat, quia vltra bonos mores.*
2 *Votum non peccādi venialiter obligat,sed iustè potest relaxari.*
3 *Votum de non ludendo ludo mortali non videtur relaxandum: sed ex causa.vt minus peccet, in melius, vel æquè bonum, arbitrio præsidentis commutari,immo & dispensari potest. num.4 & seq.*
3 *Dispensatio fieri debet ad Dei honorem augendum in persona vouentis,vel vtilitatem Ecclesiæ.*
4 *Peccaturo suaderi potest,vt minus peccatum peccet.& num.2.*
6 *Causa iusta dispensandi super voto continentiæ est tanta propensio vouentis in luxuriam, quod æquè peccabit, ac si non vouisset.& nu. 5.*

## CONSILIVM XXXVI.

VOVENS non ludere,an iustè posit à Papa absolui ab obligatione voti,ea de causa,quòd est nobilis, & veretur se non seruaturū votum in exercitu,vel curia,vbi magna est ludendi consuetudo inter homines sui ordinis?

1 Respondeo primò, triplicem esse ludum primum honestum,seu virtuosum,siue actum virtutis eutrapeliæ, & recreationis honestæ, secundum malum venialiter tantùm, tertium malum mortaliter, vt tradimus in nostro Manu.confess. [a] sequuti S.Thomam. [b]

a Ca.20.post principium.
b 2.2.q.168. art.3.& 9.

2 Secundo respondeo, quòd votum de non ludendo, quatenus includit primam speciem ludi,non obligat,quia est contra bonos mores, [c] quatenus autem includit secundam speciem ludi,obligat,quia est votum honestum,sicut enim omne votum peccandi venialiter est malum, [d] ita omne votum non peccandi venialiter est bonum: quia quod operatur propositum in proposito operatur oppositum in opposito, [e] & ita iustè videtur posse relaxari ob prædictam causam: quia videtur licitum esse consulere minus peccatum volenti peccare maius,ne illud peccet, [f] & Papa tollendo votum de non ludendo venialiter videtur consulere, ne peccet mortaliter, quia tollit occasionem peccandi mortaliter contraueniendo voto:quia prudentis est occasionem probabilem peccandi mortaliter fugere,iuxta illud Apost. [g] *Fugite fornicationem.*

c Argu.ca.in malis.22.qu. 4.& cap.non est obligatorium. de reg. iur.lib.6.
d Cap. si aliquid.22.q.4. adiūcta gloss.
e Cap. sciendum.8.qu.1. & l. & si contra tabulas. ff.de vulgari.
f Ca. si quod verius.33. q. 1.
g 1. Corinth. 6.

3 Tertio,quòd maius dubium est de præfato voto,quatenus tertiam speciem ludi attingit: quia pro parte negante facit,quòd pro absolutione à tali voto non videtur tolli occasio peccandi mortaliter:quia etiam sublato per dispensationem voto remanet peccatum mortale, quod vouit non facere. Tum quia datur occasio liberius peccandi,quæ non est danda. [h] Tum quod non videtur esse iusta causa relaxandi votum de non fornicando, propensio vouentis ad fornicandum,& timor,quod non seruabit illud: quia,vt ait S. Thomas, [i] omnis dispensatio petita à prælato debet fieri ad honorem Dei & D.N. Iesu Christi augendum in persona vouentis, vel ad vtilitatem Ecclesiæ,quæ est ipsius corpus, quorum neutrum videtur inueniri in huiusmodi dispensatione. Tum quia eadem causa non operatur contraria,contra l.*vbi repugnātia.* [k] ergo causa,quæ operatur obligationem voti,non operabitur solutionem eiusdem:quod in specie dixit Sotus. [l]

h L.conuenire.ff. de pact. dotalib.ca.ex parte.de consuet.
i 2.2.qu. 88. art.12.in corpore quæstionis.
k ff. de regul. iur.& l. rem legatam ff.de adimen. leg. & cap.solicitudinem. de appell.
l Lib.1.q.vlt. de iust.& iure.

Pro parte vero affirmante facit,quod absolutio præfati voti posit fieri per commutationem in maius, vel æquè bonum arbitrio præsidentis:quia per dicta vtriusque Thomæ [m] & Soti [n] commutatio voti nō requirit causam obstantem executioni eius, sed sufficit quod sit melius id, in quod commutatur. Tum quia rectè ac bene facit, qui commissuro alterum de duobus peccatis cōsulit, vt committat id,quod est minus, [o] quæ videtur recepta sententia: & nos loquimur de commissuro aliquid, quod non

m Vbi supra.
n Li.7.qu.4. art.3.
o D.c.si quod verius.33. q. 2.

solùm est peccatum per se, sed etiam quia est contra votum: ergo rectè faciet, qui per suam dispensationem efficit, vt paratus committere duplex peccatum, vel vnum cum circumstantia fractionis voti, peccet vnum, quod careat tali circumstantia voti.

5 Tum quia proximè dictum est posse Prelatum dispensare super voto non peccandi certum peccatum veniale, ea de causa quod minus peccabit peccãdo illud sine violatione voti, quam cum illa: ergo eadem ratione poterit bene dispensare super voto non peccãdi quodpiam mortale, vt minus peccet peccando illud sine fractione voti. Tum quia sacra Pœnitentiaria frequenter solet admittere pro causa, vel parte causæ dispensandi super voto castitatis, quòd qui vel quæ vouet, valde vrgetur grauibus stimulis carnis ad fornicandum, eo quòd reputet esse bonum ei liberari à peccatis venereis cum fractione voti per sanctum matrimonium, iuxta illud Pauli 1. [a] *Melius est nubere, quam vri.* Per quæ posteriora argumenta videtur tenendã hæc pars posterior.

a *Ad Corint.* 7.

Non obstant in oppositum citata. non quidem primum: quia respondetur concedendo quòd per illam dispensationem non excusatur vouens omnino à peccato mortali: sed negando quod non excusatur à maiori mortali, quæ excusatio est sancta, cùm, vt prædictum est, sancta sit illa exhortatio facta ei, qui paratus est peccare alterum de duobus, vt peccet eorum minus, per præfatum cap. *si quod verius.* & receptam sententiam, pro qua facit & illud præfati Pauli, *Melius est nubere, quam vri.*

Ad secundum respondetur negando quod detur occasio inordinata liberius peccandi, eo quòd aliqua occasio detur minus peccandi: quia immo satis ordinata, eo quòd vitatur maius peccatum.

6 Ad tertium etiam negando quòd non sit iusta causa dispensandi super voto ad non fornicandum, quando perinde vouens fornicatur, ac si non vouisset: quia, vt dictum est, illa dispensatio retrahit à maiori peccato ad minus: quod videtur sufficere ad dispẽsandum, per prædicta.

Ad quartum respondetur concedendo quòd vna & eadem causa non operatur contraria vno & eodem respectu considerata, sed sic considerata diuerso respectu: vt passio D.N.Iesu Christi, quam hoc tempore maioris hebdomadæ ope diuina nitimur venerari, lætificat, quatenus eam sponte passus est, & nos cõtristat, quatenus eam infideles inflixerunt, iuxta illud, *Actio displicuit, passio grata fuit.* quod post alios retulit glossa, [b] & multæ medicinæ prosunt vno respectu, & nocent alio. Salua, &c.

b *Capit. 7. de consec. eccl. li. 6.*

SVMMARIVM.

2 *Subdiaconatum esse ordinem non quidem participatiuè, vt putauit Durandus, sed integrè, & iure diuino, vt cætera sacramenta, secũdum communem, à Christo Domino institutum, verius est. nu. 1. & 7. licètque ei sit annexum votum castitatis, quod est iuris diuini, quod ad sui obseruantiam eodem obligat iure, num. 3. & 5. sitque solemne, quod matrimonium postea contractum irritet, nec Papa possit ius diuinum tollere, nu. 6. & 13. attamen inde non sequitur, quin Papa, qui super omni iure humano dispensat, nu. 8. possit secundum communem ex causa cum tali, vt ducat vxorem, dispensare. nu. 3. cui etiam concordat S. Thomas nu. 10. prout de facto sæpe dispensauit. nu. 12. quandoquidem solemnitas voti, ex qua oritur dictum impedimentum, non iure diuino, sed humano probatur inducta. nu. 7. & 11. nec Papa dispensando facit vt manente voto & obligatione voti non teneatur vouens illud obseruare: sed ex causa, vt potest, facit vt hæc non sit materia voti, vt fit etiam, quando relaxantur iuramenta. nu. 13.*

3 *Dispensatio voti, etiam simplicis, etiam à Papa sine causa facta, ipso iure nulla est, sicut & relaxatio iuramenti. nu. 4.*

9 *Dispensare potest ex causa Papa cum professo, vt ducat vxorem, secundum communem Canonistarum, & nonnullorum Theologorum, licet S. Thomas & alij Theologi contrarium senserint. num. 10. & 11.*

## CONSILIVM XXXVII.

PETO primo, an ordo subdiaconatus sit institutus à Christo Domino, an verò sit iure tantùm humano introductus.

Secundo, an summus Pontifex possit dispensare, existente causa iusta, vt subdiaconus ducat vxorem.

A 1 AD PRIOREM QVÆSTIONEM respondeo primò, certam & indubitatam esse mihi communem sententiam Catholicorum Ecclesiam Sãctam Romanam venerãtem, tam Theologorum, quàm Iuris vtriusque peritorum, ordinem subdiaconatus esse iuris diuini, hoc est ab ipso Deo & homine Domino nostro Iesu Christo institutum: ea ratione firma, quòd omne sacramentum noue legis est institutum ab ipsomet Domino Deo nostro Iesu Christo, vt nouissimum Concilium Tridentinum definiuit: [a] quod etiam ante illud communis omnium ferè Catholicorum affirmauit, [b] quia nemo præter Deum potest dare virtutem producendi gratiam gratum facientẽ, cùm solus ipse illã creare possit: & de fide Catholica est, quod ordo sit vnum de septẽ sacramentis conferentibus gratiã.

a *Sess. 7. can. 1.*
b *In 4. libr. sent. dist. 1.*

B 2 Non obstat dicere, id solùm esse verum de ordine presbyterij, sed nõ de ordine subdiaconatus, eo quòd aliqui, de quibus etiam videtur esse Durandus, tenuerunt, diaconatum, & subdiaconatum esse quidem ordines participatiuè, sed non integrè, vt sacerdotium: quos latè refert Dominicus Sotus, [c] quia illud est contra communem Catholicorum opinionem, à qua (vt ait idem Sotus temerarium esset in hac materia periculosa discedere: & respondet eius argumentis, & præfatam communem & fere omnium sententiam multis antiquioribus testimonijs confirmat Thomas Vualdensis. [d]

c *Lib. 4. sent. dist. 24. qu. 1. art. 4.*
d *Tomo 2. de sacramen. ca. 116.*

C 3 Secundo respondeo, quòd ex prædicta responsione & conclusione non infertur, sanctissimum Dominum nostrum Papam non posse dispensare vt subdiaconus ducat vxorem ex iusta causa: quia etiam omnia vota licita, etiam simplicia, sunt iuris diuini, nam ius diuinum obligat vouentes ad implenda ea, iuxta illud [e] relatum in ca. *magnæ.* [f] *Vouete, & reddite Domino:* quorum prius, scilicet *Vouere*, est consilij, posterius vero *reddere*, vel *implere vota*, est precepti diuini, adeo quod dispensatio voti sine iusta causa facta est ipso iure nulla, iuxta glossam ab omnibus receptam: [g] attamen constat, Papam relaxare posse omne votum simplex ex iusta causa, immo esset error dicere contrarium. [h]

e *Psal. 75.*
f *De voto.*
g *In cap. non est de voto.*
h *Ca. 1. c. non est. c. magnæ. & per totum titul. de voto.*

D 4 Iuramenta item sunt iuris diuini, & non qualis qualis: sed secundo præcepto Decalogi seruanda, & adeo quidem, quod relaxatio eius sine iusta causa facta est ipso iure nulla, iuxta glossam ab omnibus receptam: [i] attamen quotidie ex iusta causa relaxantur per Superiorem, adeo quod error esset dicere id fieri non posse. [k]

i *In ca. quanto. de iureiuran.*
k *Ca. si Christus. cum ei adnotatis. de iureiuran.*

5 Tertiò, quòd non solùm non sufficit aliquid esse iuris diuini, ad hoc vt non possit Papa dispensare, sed etiam non sufficit obligationem adimplendi, vel non implendi esse iure diuino inductam. Nam vota & iuramenta licita non solùm sunt iuris diuini, vel approbata iure diuino, sed etiam obligatio adimplendi ea est inducta & præcepta iure diuino, per supradicta.

E 6 AD POSTERIOREM quæstionem. Pro parte negante facit primo, quia Papa non potest tollere ius diuinum, immo vsque ad animam & sanguinem tueri debet ea, quę in Euãgelio & Prophetis continentur, [l] at subdiaconatus iure diuino habet annexũ castitatis votũ, ergo Papa nõ potest cũ subdiacono dispensare vt ducat vxorẽ.

l *Ca. sunt qui dam. 25. q. 1.*

Secundo, votum contentum in subdiaconatu non solùm impedit matrimonium, ita vt peccet mortaliter, qui contrahit illud post susceptum subdiaconatum, sed etiam impedit valorem eius, ita quod ipso iure est nullum, [m] & vt videtur, non alia ratione, nisi qua est inducta castitas in tali ordine iure diuino, cõtra quod nihil potest statuere Papa.

m *Cap. 1. qui cler. vel vouen.*

F 7 Sed contrarium est tenendum. Primò quidem, quòd solemnitas voti castitatis non est inducta iure naturali, nec diuino, sed humano Ecclesiastico, vt est textus expressus in d. cap. 1. [n] tum in illis verbis, *Voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inuenta*, id est, quamuis omnia vota obligent iure diuino, nullum tamen votum est solemne castitatis, nisi solùm illud, quod ecclesiastica constitutione, & iure humano Ecclesiastico est tale. Tum quatenus habet matrimonium fuisse institutum ab ipso Deo in Paradiso, & in statu innocentię, significando solemnitatem voti castitatis ab Ecclesia post aduentum Christi fuisse inductã. Tum alijs verbis, quibus expresè dicit, solo voto castitatis solemnizato per religionis professionem, & ordinis sacri assumptionem annullari matrimonium post votum

n *De voto li. 6.*

caſtitatis contractum, non quidem eo ſolo, quòd votum caſtitatis impediat iure diuino contrahere matrimonium, ſed quia iure humano eſt addita ei virtus ſolemnitatis, per quam id poteſt facere: & ita ille textus irrefragabiliter probat, quòd licet omne votum caſtitatis perpetuę licitum iure diuino prohibeat contrahere matrimonium, ſicut omne aliud votum licitum obligat iure diuino vouentem adimplendum, quod vouit, tamen illa vis, quam habet votum caſtitatis ſolemne factum per ordinem ſacrum, vel ſacram profeſsionem, non ineſt ei iure naturali, neque diuino, ſed iure humano Eccleſiaſtico.

8 Secundò, quòd eſt concluſio certa, & de fide Catholica, quod Papa poteſt diſpenſare circa omne ius humanũ, iuxta cap. *cuncta per mundũ.* [a] & tradunt omnes [b] & ſunt multi canones de hac re, [c] adeo quod iudicaretur hæreticus, qui contrariũ teneret. At conſtat ſolennitatẽ voti caſtitatis in ſubdiaconatu tacitè contentã eſſe iure humano inductã, ergo poterit ſuper ea iuſta de cauſa Papa diſpẽſare.

9 Tertiò, quod gloſſa & Innocentius recepti ab omnibus canonum peritis [d] tenent poſſe Papam diſpenſare iuſta de cauſa, vt monachus legitimè & ſanctè profeſſus regulam monachalem ducat vxorẽ, vt etiam nos poſt alios tradimus in Manu. confeſſ. [e] licet S. Thomas contrarium teneat [f] vt plerique ſentiunt, quamuis ibidem Caietanus eum aliquo modo conciliet cum communi, & multo neruoſius doctiſsimus Michael Medina Franciſcanus. [g] Ergo eadem, immo maiori ratione poterit Papa diſpenſare ſuper voto continentiæ contento in ſubdiaconatu.

10 Quartò, quòd non ſolùm omnes Canoniſtæ, & etiã omnes qui Canonicam ſcientiam cum ſapientia Theologica coniunxerunt, ſed & prædicti magni Theologi, Caietanus quidem ordinis Prędicatorum, & Medina ordinis ſeraphici Franciſcani, affirmant poſſe Papam diſpenſare ſuper voto ſolemni religionis, immo omnes Theologi, & Canoniſtæ, & Iuriſtæ aſſerunt cum ipſomet S. Thoma, [h] quòd Papa poteſt diſpenſare in voto facto ſolemni per ſuſceptionem ſacri ordinis, etiam ſacerdotij, ergo à fortiori ſuper voto contento in ſubdiaconatu.

11 Quintò, quòd ipſemet S. Thomas [i] reddendo rationem quare poteſt diſpenſare Papa ſuper voto ſacri ordinis ſuſceptione ſolennizato, & non ſuper voto monachali, ait votum ordini ſacro annexum eſſe annexum ei accidentaliter ſtatuto Eccleſiæ, & iure humano: quem quo ad hoc omnes tam Theologi, quam Canoniſtæ ſequuntur. Cum ergo votum ſubdiaconatus ſolemnizetur per ſuſceptionem ſacri ordinis, palam eſt S. Thomam & omnes Theologos, & Canoniſtas affirmare, poſſe Papam ſuper voto caſtitatis ſubdiaconatus diſpenſare.

12 Sextò, quòd frequentiſsimè ſummi Pontifices diſpenſauerunt ſuper voto ſolemnizato per ſuſceptionem ſubdiaconatus, & diaconatus, in Hiſpania præſertim, vbi etiam nos cognouimus diſpẽſatos, & in Italia, vt frequenter audiuimus: & me ſupplicante fel. recor. Gregorius XIII. diſpenſauit cum quodam nobili viro ex cauſis iuſtis, vt non obſtante ſubdiaconatu poſſet ducere vxorem, & duxit. Quibus rationibus concluditur non eſſe dubitandũ S.D.N. habere poteſtatẽ diſpenſandi iuſta de cauſa ſuper voto ſolemni caſtitatis in ſubdiaconatu incluſo.

13 Non obſtant in contrarium adducta. Non quidẽ primum: ad quod concedimus primò non poſſe quidem Papam tollere ius diuinum, ſed negamus non poſſe iuſta de cauſa diſpenſare, vt quotidie diſpenſat, in votis & iuramentis, quę ſunt iuſſa etiam præceptis decalogi, vt omnes tradunt poſt Innocentium [k] & in reſponſo ad priorem quæſtionem latius eſt dictum. Papa enim non facit, vt manente obligatione & voto iſte non teneatur ſoluere votum, aut iuramentum adimplere, ſed facit, vt in hoc caſu hæc nõ ſit materia voti, quod poteſt facere: & hoc non eſt tollere ius diuinum. Secundo reſpondemus, verum quidem eſſe, ſubdiaconatui annexum eſſe votum caſtitatis ſolemne, ſed nego, quòd illa ſolemnitas ſit inducta iure diuino, vt expreſsè habetur cap. 1. [l]

Ad ſecundum reſpondetur negando, quòd ratio, quare votum caſtitatis ſolemne impediat & dirimat matrimonium contractum, ſit, quod iure diuino prohibeatur, ſed quod ſolemnitas voti caſtitatis eſt inducta iure humano, vt eſt textus expreſſus in d. cap. 1. [a] Salua, &c.

a 9. q. 3. c. *propoſuit. de conceſſ. præb.*
b *In c. quæ in eccleſiarũ. de conſt.*
c 25. qu. 1. & 2.
d *In cap. cum ad monaſteriũ, §. fin. de ſtatu mon.*
e *Ca. 12. nu. 75.*
f *in 2. 2. quæ. 88. art. 11.*
g *In l. de continen. ſacro.*
h *In d. art. 11.*
i *Vbi ſupra.*
k *In c. quæ in eccleſiarũ. de conſtit. & in 3. ſenten. diſt. 37.*
l *De voto, li. 6.*
a *De voto, li. 6.*

SVMMARIVM.

1 *Papa (contra ſententiam, quæ attribuitur S. Thomæ) ex cauſa diſpenſat, vt monachus matrimoniũ cõtrahere poſsit. & n. 9.*
1 *Matrimonium ſtatui ſacerdotali repugnare videtur. & nu. 2.*
2 *Repugnantia vt ſimul ſtent, efficere nequit Papa.*
2 *Sacrorum miniſterium ſummam munditiem & attentionem requirit, quas tamen coniugati habere etiã poſſunt. & nu. 13.*
3 *Sacerdotiũ noui teſtamenti mundius, quã veteris, miniſtrandũ.*
4 *Papa nequit ſuper lege diuina, ſed ſic ſuper humana diſpenſare. num. 6.*
4 *Traditio illa habetur pro lege diuina, quam Apoſtoli verbo vel facto, vt à Chriſto, non autem tamquam à ſe ipſis latam promulgauerunt: prima indiſpenſabilis, ſecunda non. & nu. 14.*
4 *Traditio Apoſtolica ſacerdoti matrimonium contrahere vetare videtur.*
5 *Ordinatus ſacris, ſi matrimonium contrahat, eſt deponendus.*
6 *Deo res ſemel dicata ad humanos vſus non poteſt transferri, ex graui tamen cauſa ab habente poteſtatem poteſt, nu. 16. non tamen in illum qui ſit contrarius ſui natura vſui diuino, in quem fuit dicata. num. 18.*
6 *Lex clericis matrimonium prohibens cum ſit humana, eſt diſpenſabilis. num. 15.*
7 *Sacerdotibus veteris legis matrimonium contrahere licebat.*
8 *Sacerdotiũ, & coniugiũ cõcurrere in vno homine poſt Euangeliũ potuerũt, & nũc poſſũt, vt eſt apud Orietales. & n. 10. 12.*
9 *Monachus ex diſpenſatione Papæ poteſt deſinere eſſe monachus, ita vt exuto monachatu poſsit contrahere matrimonium.*
9 *Papa ſecundũ omnes ex cauſa diſpenſare poteſt cũ presbytero, vt vxorem ducat, & etiã cum Epiſcopo, & Archiepiſcopo. n. 18.*
10 *Continentia ordinis ſacri non eſt de eſſentia, nec tam ei annexa, vt ſeparari nequeat.*
11 *Diſpenſauit ſæpius Eccleſia, vt liceret ſubdiaconib⁹, diaconibus, ac etiã monacho, qui ſimul erat & archipresbyter, vxorẽ duceret.*
12 *Papa ex plenitudine poteſtatis diſpenſare poteſt ex cauſa cum presbytero, vt matrimonio contracto, ac etiam ſacerdotio, diuerſis tamen temporibus, vtatur.*
16 *Calice, & alio vaſe conſecrato in neceſsitate ad bibendum vti poſſumus.*
16 *Sacram rem aſſumere, vt medium neceſſarium ad componendam confirmandamque pacem vel fidem alicuius magni populi, non eſt eam aſſumere in profanos vſus, ſed ſanctos.*
17 *Papa diſpenſare poteſt, vt ſacerdos, & monachus citra irregularitatem prælientur, & cauſas criminales exerceant.*
19 *Ordinibus ſacris conſecrati omnes, ſiue ſint ſubdiaconi, ſiue quiuis alij Superiores, eadem lege ad continentiam obligantur, eademque ſpecie peccati peccant omnes, nec ordinum diuerſitas addit qualitatem neceſſario confitendam: licet qui in ſuperiori ſunt ordine, grauius peccent.*
20 *Continentiæ perpetuæ bono etſi nihil videatur melius, tamen meliora reperiuntur, maximè ſi bonum publicum concernant. & num. 21. 22.*
20 *Bona certa ſunt incertis meliora, ſed hoc, ſi cætera ſint paria. & num. 22.*
21 *Voluntaria Deo inuoluntarijs gratiora, cùm cætera ſunt paria. & num. 22.*
21 *Diſpenſandi iuſta cauſa adeſt, cũ votum maius bonũ impedit.*
22 *Obedientia voluntas propria, victimis aliena caro mactatur.*

## CONSILIVM XXXVIII.

QVÆRITVR primo, an Papa iuſta de cauſa poſsit diſpenſare, vt presbyter ritè ordinatus ducat vxorẽ.

Secundo, an etiam poſsit facere, vt id liceat Epiſcopo, vel Archiepiſcopo.

Tertio, an in caſu occurrenti ſit iuſta cauſa id faciendi.

1 AD PRIMAM RESPONDEO, partem eius negatiuam tenere Iodocum Clicthoueum [b] & Ioannem Maiorem [c] & Michaelem à Medina. [d] Pro quibus facit primo opinio, quæ adſcribitur S. Thomę [e] nempe, quòd nulla ex cauſa poteſt Papa diſpenſare, vt monachus contrahat matrimonium, per cap. *cum ad monaſterium.* [f]

Secundò, quòd ſtatus coniugalis videtur repugnare ſtatui ſacerdotij, & ſacri ordinis, vt ſignificat Innocentius III. [g] dum conſultus de quibuſdam clericis coniugatis volentibus beneficia eccleſiaſtica retinere, ſic ait: *In horum conuerſatione cithara cum pſalterio malè concordat. Cùm ergo vir cogitet quomodo placere poſsit vxori, & ideo minus quæ Dei ſunt*

b *De continẽtia ſacerdotũ cap. 13.*
c *In 4. li. ſent. diſt. 38. qu. 3. col. 6. & ſeq.*
d *Lib. 5. ca. 7. de ſacror. homi. contin.*
e *In 2. 2. quæ. 88. art. 11.*
f *§. fin. de ſta. mon.*
g *In c. diuerſis fallacijs. de cleric. coniug.*

*valeat cogitare, cùm quaſi diuiſus in duo plenam ſui non habeat poteſtatem, vt ei, à quo ſtipendium recipit, plenius famuletur.* At Papa non poteſt efficere, vt repugnantia & contraria ſimul ſe compatiantur. [a]

2 Tertiò, quòd miniſterium ſacrorũ ordinum ſummam requirit munditiam, iuxta illud, [b] *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum.* per quod Innocentius reſcribendo ſancto Exuperio ait, [c] *Seruientes ſacris obligationibus puros, & ab omni labe purgatos ſibi vindicare diuina miniſteria, neque eos ad ſacra officia fas ſit admitti, qui exercent etiam cum vxore carnale conſortium: quia ſcriptum eſt, Sancti eſtote, &c.*

Quarto, quod ſacrum myſterium non ſolum munditiam ſummam, ſed etiam ſummam in miniſtrando animi attentionem requirit, vt prædictus Innocentius [d] & Cyprianus, [e] ſignificant. At ſcitum eſt illud (quod non latuit gloſſam prædictam. [f]) *Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.* & illud, *Qui binos lepores vna ſectabitur hora, Vno quandoque, quandoque carebit vtroque.* iuxta l. *nemo.* [g]

3 Quinto vrget argumentum prædicti Innocentij tactum in d. cap. *propoſuiſti.* & dilatatum per Gregorium [h] quòd ſacerdotium noui teſtamenti mundius, reuerentius, & attentius debet adminiſtrari, quàm miniſterium veteris teſtamenti: & quod etiam in veteri teſtamento ſacerdotes, quo tempore miniſtrabant, à coniugibus abſtinebant. Cum ergo ſacerdotium noui teſtamenti ſit iugiter adminiſtrandum, ſacerdos eius iugiter debet à coniugio abſtinere.

4 Sexto, quod Papa non poteſt diſpenſare in lege diuina, [i] at lex ne ſacerdos contrahat matrimonium, videtur eſſe diuina D.N. Ieſu Chriſti, licet non ſit ſcripta in Euangeliis, ſed tradita ab Apoſtolis, qualis traditio pro lege habetur diuina, vt videtur aſſerere Auguſtinus [k] & probatur, quia multa fecit Ieſus, quæ non ſunt ſcripta, [l] quæ Apoſtoli promulgarunt verbo, & facto, non vt legislatores, ſed vt legis à Chriſto latæ promulgatores, vt omnes fatentur: & conſuetudo ac traditio Eccleſiaſtica videtur habere, quòd numquam licuit cuiquam ſacerdoti coniugium contrahere, & eo, ac ſacerdotio ſimul vti. Igitur non poterit circa eam diſpenſare Papa.

5 Septimò, quòd omnis ordine ſacro initiatus eſt inhabilis ad contrahendum matrimonium: adeo quod ob tale contractum deponi poteſt. [m]

Octauo, quod tenere contrariam partem videtur eſſe in fauorem hæreticorum execrantium legem inhibentem matrimonium ſacris initiatis, & Catholicorum malè & importunè petentium, vt præfata lex abrogetur: cùm qua ratione dici poteſt poſſe Papã diſpenſare circa eã, eadem concludi poſsit poſſe illũ eam abrogare, & per abrogationẽ eius innumeris fornicationibus & adulterijs obuiare.

6 Nono, quòd id quod ſemel dicatum Deo eſt, non poteſt in vſus humanos trans ferri. [n] neque conſecratum poteſt, dum durat, deſinere eſſe conſecratum. [o]

His tamen non obſtantibus, quæ verè non obſtant, contrarium eſt tenendum. Primò quidem, quòd Papa poteſt diſpenſare circa omnem legem humanitus in ſcriptis, vel ſine illis latam, aut inductam. [p] At omnis lex, quæ prohibet, ne ſacerdos contrahat matrimonium, eſt humanitus in ſcriptis data, vel conſuetudine Eccleſiaſtica inducta: ergo circa eam poteſt Papa diſpenſare eximendo illum, aut illum ab eius obligatione iuſta de cauſa.

7 Secundò, quòd in veteri teſtamento licebat ſacerdotibus ducere vxores, vt palam eſt ex mille locis teſtamenti veteris, [q] & Chriſtus non inuenitur ſtatuiſſe contrarium, immo ipſemet elegit in Apoſtolos aliquos viros coniugatos, ſecundum omnes.

Tertiò, quòd nec vlla lege naturali eſt id prohibitum. Tum quòd ante omnem legem diuinam ſupernaturaliter in veteri teſtamento datam coniugati erant ſacerdotes, vt probatur cap. *quam periculoſum.* [r] adiuncta gloſſa, quæ habet, quòd primogeniti (non diſtinguendo inter non coniugatos, ſiue coniugatos, qualis erat Eſau, cum vendidit primogenita ſua Iacob, [s]) offerebant ſacrificia: & ſucceſsiuè probat quòd ſacerdotes erant coniugati. Tum quia ius naturale definitur eſſe, quod eſt per ſe notum, aut ex eo in bonam conſequentiam infertur, iuxta *ius naturale.* [t] & traditur communiter à Doctoribus [v] & à S. Thoma. [a] At nõ eſt per ſe notũ, neq; deducitur ex per ſe notis in bonã conſequentiã, quòd ſacerdos nõ poſsit eſſe coniugatus: ergo nõ eſt dicendũ id iure naturæ eſſe prohibitũ.

8 Quartò, quòd ex ſacra Euangelij hiſtoria habetur, poſſe coniugium, & ſacerdotium in eodem homine concurrere, vt concurrit in B. Petro omnium Apoſtolorum Principe, de cuius ſocru fit mentio in Euangelio [b] & in Eccleſia Orientali etiam hodie concurrunt, & quidem iuſtè ſecundum omnes in eis, qui primò contraxerunt matrimonium, & poſtea efficiuntur ſacerdotes: quod colligitur ex epiſtola Pauli, [c] & tradunt communiter omnes [d] & probant multa capp. quæ adducit Gratianus. [e]

9 Quintò, quòd communis opinio, in qua ſunt Ricardus Palud. Ioannes Maior in lib. 4. ſent. diſt. 38. & gloſſa Innocentius, Hoſtienſis, Ioannes Andreas, Panormitanus, & communiter omnes [f] immo & Caietanus alioquin defenſor acerimus S. Thomæ [g] tenet, Papam poſſe diſpenſare cum monacho iuſta de cauſa, vt contrahat matrimoniũ. Quin & Sotus [h] etiam ſi defendat S. Thomam qui videtur dicere contrarium, tenet tamen communem ad hunc ſenſum, quòd poteſt facere Papa vt monachus deſinat eſſe monachus, & exuto monachatu contrahat matrimonium. At omnes reputant difficilius defendere, quòd Papa poſsit diſpenſare cum monacho, quàm cum ordine ſacro inſignito: ergo à fortiori poterit diſpenſare cum eo.

Sextò, quòd etiam S. Thomas qui communiter dicitur tenere [i] quòd non poteſt Papa diſpenſare in voto ſolemni caſtitatis, expreſsè affirmat ibidem Papam poſſe diſpenſare cum presbytero iuſta de cauſa, vt contrahat matrimonium: quod ipſum affirmat Caietanus & Sotus [k] addentes, quòd diſpenſatio ſuæ Sanctitatis valeret, etiam ſi abſque iuſta cauſa id faceret, niſi eſſet iniuſta.

10 Septimò, quòd continentia non eſt de ſubſtantia & eſſentia ſacri ordinis, nec ſuapte natura illi adeo annexa eſt, quòd ſeparari nequeat. Tum quòd nullo iure id caueatur. Tum quod per ſacras literas conſtet eſſe inuenta, & adhuc inueniri ſeparata aliquando iuſtè, aliquando iniuſtè. Iuſte quidem in Petro, & alijs, qui ſimul fuerũt ſacrati, & coniugati, & in Oriẽtali Eccleſia omnes, qui poſt coniugium contractum ordine ſacro initiantur, vt prædictum eſt. Iniuſtè verò omnes coniugati, qui in Eccleſia Latina, poſt coniugium legitimè contractum, ſine vlla diſpenſatione, & ſine legitimo vxorum conſenſu ſacris initiantur, hi enim verum ordinem, & eius characterem indelebilem ſuſcipiunt, & fiunt ſacrati, [l] & nihilominus ſunt veri mariti ſuarum vxorum: ergo non ſunt inſeparabiliter coniuncta, & conſequenter legitima poteſtate poſſunt ſeparari. Per quam rationem S. Thomas poſuit inter monachatum & presbyteriũ præfatã differentiã, nẽpe quòd poſsit diſpenſare cũ presbytero, non autẽ cum monacho.

11 Octauo, quod Sacroſancta Sedes Apoſtolica frequenter diſpenſauit cum ſubdiaconibus, & aliquando cum diaconibus, vt contraherent matrimonium, vt multi teſtantur, præſertim præfatus à Medina, qui [m] ait, ſe vidiſſe multas ſubdiaconorum diſpenſationes, & non paucas diaconorum. Ramirus delato ſibi regno Aragoniæ, item Ramianus, qui monachus & archipresbyter erat, matrimonium ex diſpenſatione S. Sedis Apoſtolicæ contraxit, vt teſtantur Paludanus, Caietanus & alij graues hiſtorici, quos nouè citauit prædictus à Medina [n] & latè confutat id negantes, [o] & videtur quod Papa id fecit tamquam Vicarius Chriſti, aſsiſtente ſibi diuina prouidentia, & habito grauiſsimorum virorum conſilio, quod grauiſsima res exigebat, & ita piè credi poteſt non potuiſſe errare, iuxta doctrinam S. Thomæ [p] communiter receptam. Cùm ergo nullo iure diuino naturaliter indito, neque ſupernaturaliter tradito vetentur ſacerdotibus matrimonia: cumque cõtinentia, & ſacerdotium nõ ſint inſeparabiliter annexa, immo ipſiuſmet D.N. Ieſu Chriſti electione ſacerdotia & coniugia in eiſdem hominibus ſimul cõcurrant: cúmque Sacroſancta Sedes Apoſtolica nõ ſolùm cum ſacris ordinibus initiatis, ſed etiam cum monachis diſpenſauerit frequenter: cum denique S. Thomas & alij, qui mordicus tenent non poſſe Papam diſpenſare cum monacho, vt matrimonium contrahat, ingenuè & expreſsè affirment poſſe diſpenſare cum preſbytero

bytero

---

a L. vbi repugnantia. ff. de reg. iur. ca. ſolicitudinem. de appell.
b Leuit. cap. 19. & 20.
c Ca. propoſuiſti. 82. diſt.
d Vbi ſupra.
e Ca. quãdo. de conſec. diſt. 1.
f Ca. diuerſis.
g C. de aſſeſſo.
h Capit. ante triẽnium. 31. diſt.
i Capit. ſunt quidam. 25. qu. 1.
k Cap. eccleſiaſticarum. 11. diſt.
l Ioan. vlt.
m Cap. ante trienniũ. cum multis ſeqq. 31. diſt.
n Capi. quod ſemel. cũ ſuis concord. de reg. iur. lib. 6.
o Ca. comperimus. 14. q. 6.
p Ca. cuncta per mũdum. 9. q. 3. ca. propoſuit. de conceſ. preben.
q Et Luc. ca. 1. & d. ca. propoſuit. ex ca. licet Heli. de ſimon.
r 7. q. 1.
s Gene. 25.
t 1. diſt.
v In 3. lib. ſententiarum. diſt. 37.

a 1. 2. qu. 94. art. 1.
b Mar. 1. & Luca 4.
c 2. ad Timo. 3. & ad Titum 1.
d In 4. ſent. diſt. 38.
e In diſt. 27. 28. & 31. & 32.
f Ca. cum ad monaſteriũ. §. fin. de ſtat. mona.
g In opuſcul. ſuis tomo 1 tracta. 27.
h In lib 7. de iuſt. & iur. art. 3.
i In 2. 2. quæ. 83. art. 11.
k Vbi ſupra.
l Capit. quod quidam. 1. q. 1.
m In diſt. lib. 5. c. 100.
n Diſt. lib. 5. ca. 28.
o In diſt. lib. ca. 32.
p In quolibet. 9. art. 16.

bytero iusta de causa, vt id ei liceat; intrepidè tenendum est posse Papam de plenitudine suæ potestatis dispensare cum quolibet sacro ordine initiato, tam presbytero, quàm subdiacono, & diacono, iusta de causa, vt id ei liceat.

12 Ad ea, quæ in oppositum adducta sunt, respondetur, concedendo præfatos Ioānem Clicthoueū, & IoannēMaiorē, & aliquos alios id tenuisse, quos Michael à Medina videtur sequutus [a] sed hunc [b] declarasse suam sententiam intelligendam esse in hoc sensu, quòd nō potest Papa dispensare cum presbytero, vt ita contrahat matrimonium, quòd simul vtatur eius, & sacrorum ordinū exercitio, nō autē quòd nō possit dispensare, vt relicto sacrorū ordinū exercitio possit vti coniugio, & actibus cōiugalibus. Quę declaratio honestissima quidem restrictio est, & digna, quæ in casu præsenti suscipiatur, & seruetur. Quamquam profecto rationes pro nostra parte adductę probant, quòd stricto iure Papa de plenitudine potestatis, si iusta causa occurreret, posset dispensare, vt etiam aliqua temporis parte vteretur exercitio sacerdotis, non vtendo eodem tempore exercitio coniugij more antiquo sacerdotum veteris Testamenti, & nouo sacerdotum Orientalis Ecclesiæ. Quamuis arbitrer vix posse occurrere vllam iustam causam, quæ ad tam amplam relaxationem faciendam sufficeret: vix enim potest occurrere casus, in quo non sufficiat dispensatio ad contrahendum coniugium, & vtendum eo, abstinendo à sacrorum ordinum exercitio.

a In præd. lib. 5. ca. 7.
b Eod. li. cap. 100.

Ad primum ergo argumentum oppositorum respondetur, negando assumptum in eo nempe quòd Papa non possit dispensare cum monacho iusta de causa, vt matrimonium contrahat, per adducta in argumento quinto pro nostra parte formato.

13 Ad secundum autem respondetur, concedendo quidem honestum & decorum esse, vt ministri sacrorum à coniugiis abstineant: & ideo latam esse legem, qua sacris initiati fiunt inhabiles ad coniugia. [c] Negando tamen, quod suapte natura ita sibi repugnent sacerdotium, & coniugium, vt nulla potentia in eodem concurrere possint, per adducta in primis quatuor argumentis, [d] pro nostra parte formatis.

c Capit. ante triēnium. 31. dist. & clem. 1. de consang. & affin.
d Et in 7.

Ad tertium, quartum, & quintum, respondetur primò, concedendo quidem ministerium sacrorum magnā munditiam & attentionem requirere, negando tamen, quod sufficientem non possint habere, separando se ad tempus ab exercitio coniugali, vt est credendum habuisse se Aaronem, Samuelem, Zachariam, & alios similes. Secundò respondeo, quòd in proposito casu non quęrimus dispensationem, qua liceat viro sacro contrahere matrimonium, ita quod possit vti eo simul & ordinum exercitio, sed vt relicto alijs sacerdotibus sacerdotali ministerio ipse ob magnam necessitatem occurrentem coniugio contrahendo vtatur. cui rei nihil obstāt illa duo argumenta.

14 Ad sextum respondeo, quòd duplicis generis sunt traditiones Apostol. vt colligitur ex S. Thoma recepto [e] præsertim in responsione ad primum. Aliæ quidem, quas ipsemet Christus tradidit, quales sunt traditiones sacramentorum, & fidei Catholicæ, quarum non fuerunt latores, sed promulgatores Apostoli. Aliæ verò, quas ipsi sua potestate tanquam Prælati Ecclesiæ tradiderunt, qualis est de non comedendo suffocatum lata in suo Concilio omnium primo, [f] qualis item est de non ordinando bigamo, [g] & priores quidem esse diuinas leges, & indispensabiles, posteriores autem humanas, & dispensabiles, vt ibidem ait S. Thomas receptus & quòd lex ne viri sacrati ducant vxores non est traditio prioris ordinis, seu speciei, sed posterioris: & ita potest circa eam dispensare Papa, qui eamdem potestatem habet, quàm ipsi Apostoli à Christo susceperunt. [h]

e Quolib. 4. art. 13.
f Actuum c. 15.
g 1. ad Timo. 3. ad Tit. 1. & 26. distin. per totam.
h Cap. in nouo. 21. dist. c. 1. de homic. li. 6.

15 Ad septimum concedimus omnem virum ordine sacro insignium esse inhabilem ad matrimonium contrahendum iure humano Apostolico: negamus tamen esse inhabilem iure naturali, vel diuino supernaturaliter dato, vt supra probatum est: & consequenter potest Papa circa illud dispensare, cum sit supra omne ius humanum. [i]

i Le. princeps. de legib. cap. cūcta per mū dum. 9. qu. 3.

Ad octauum negamus vllum ex hoc fauorem præstari hæreticis, neque Catholicis improbè petentibus relaxationem legis de continentia viris sacris imposita: non enim ex eo, quòd Princeps possit abrogare aliquam legē, & illum aut illum eximere ab ea, consequitur conuenire reipubl. vt eam abroget: & ita licet ex nostra conclusione inferatur, posse Papam de plenitudine potestatis prefatam legem abrogare, vti humanitus latam, non tamen ex eo infertur conuenire reipub. vt ea tollatur, cùm plurimis rationibus conuincatur illam legem esse conuenientem, decoram, & valde vtilem reipub. Christianæ, & statui clericali, & Deo deuoto quarum multas colligunt præfatus Sotus & Medina vbi supra.

16 Ad nonum respondet Caietanus [a] & præfatus à Medina [b] ex quorum & aliorum mente, præsertim Ioannes Andreas [c] respondetur primò, quod illa regula, *semel*, procedit in translatione rei Deo dicatæ, ad humanos vsus, facta sine causa, & per non habentem ad id potestatem: non autem de translatione facta iusta de causa per habentem potestatem, qualis est Papa, qui licet mea sententia non possit de plenitudine suæ potestatis passim & quomodolibet transferre ad humanos vsus, neque per quamcumque auctoritatem, & propter quamlibet causam, negandum tamen quod non possit aliquo casu transferre per auctoritatem Vicarij summi administratoris omnium Dei aliquid Deo dicatorum, occurrente grandi necessitate illius casus: vt sacerdos Achimelech panes propositionis Deo sanctificatos tradidit Dauid, & pueris eius laicis ob necessitatem famis, qua premebātur [d] per quod & illud. [e] *Misericordiam volo, non sacrificium*, probauit Dominus [f] licere sabbato discipulis suis esurientibus vellere spicas, &c. & consequenter tempus sabbatorum Deo dicatorum & sanctificatorum posse propter necessitatem & caritatem in vsus hominum impendi: vnde D. Ambrosius [g] definit, vasa aurea & argentea Deo sacrata posse in redemptionem captiuorum, & in sustentationem pauperum impendi, non solum fracta, vel alio modo profanata, sed etiam durante sanctificatione, per illa verba. *Quod si desunt noua, & quæ nequaquā initiata, idest, sacrata videantur, & in huiusmodi, quos supra diximus, vsus omnia arbitror piè posse cōuerti.* Vnde necessitate, instante vt rectè Caieta. ait, liceret in calice, vel alio sacrato vase bibere. Secundo responderi potest, quòd assumere rem sacratam in vsum & medium necessarium ad componendam vel conseruandam alicuius magni populi Christiani pacem, vel fidem Catholicam, & caritatem, & gratiam Dei, qua in ęternam gloriam perueniatur, non est rem sacratam assumere in vsus profanos, sed pios, & sanctos: pro valde enim sacra & pia re commendauit D. N. suis Discipulis pacem & caritatem, per illud, *Pacem meam do vobis pacem meam relinquo vobis.* & illud, *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* & alia plurima, quibus apte respondet illud Concilij Viennensis. [h] *Nisi tempore pacis non colitur pacis auctor.*

a In d. tract. 27. tomo 3.
b Præfato lib. 5. ca. 49.
c In Mercuria. præfa. regular. semel Deo. & in d. ca. cū ad monasterium. de sta. monach.
d 1. Reg. c. 21.
e Osee 6.
f Matt. 12. & Luc. 6.
g Cap. aurū. 12. q. 2.
h In princip. clem. dudum. de sepult.

17 Tertiò, quòd licet Deo dicata non possent transferri ad vsus humanos, qui suapte natura, & iure naturæ essent contrarij vsui diuino, ad quem sunt dicata, possent tamen transferri ad vsus humanos, qui solùm iure humano sunt illis cōtrarij. Potest enim Papa facere facultatē, vt presbyteri & monachi arma capiant in infideles, & alios iniustè bellantes, ob magnam necessitatem, licet iure humano sint eis vetita, iuxta cap. *clerici.* cum ei concordantibus [i] & quòd iudicarent in causis criminalibus sine vllo metu irregularitatis, licet iure humano id eis vetetur, [k] & ita licet iure humano sit vetitum coniugium ordine sacro insignito, quia tamen non est suapte natura & iure naturali ei contrarium, potest per auctorem eiusdem iuris humani ob iustā causam ad id habilis fieri.

i De vita & honest. cleric.
k Ca. sententiam sanguinis. ne cleri. vel monachi.

18 AD SECVNDAM QVÆSTIONEM respondeo breuiter, quòd sicut Papa iusta de causa potest facere facultatem ducendi vxorem presbytero, ita potest facere etiam Episcopo, Archiepiscopo, & cuilibet superiori. Tum quia eadem lege continentię obligantur presbyter, diaconus, & subdiaconus, qua Episcopus, & Archiepiscopus, & alij superiores. iuxta ca. *lex.* [l] cuius verba sunt hæc, *Lex continentiæ eadem est altaris ministris. quæ Episcopis, aut presbyteris.* Ad idem facit cap. *Episcopus.* [m] & ita vna & eadem lege, siue vno & eodē voto solemni tenetur quis, &

l 31. dist.
m Et c. omnino. eadē dist.

eadem

eadem obligatione ad continentiam, suscepto solo subdiaconatu, quod tenetur postea suscepto diaconatu, presbyteratu, & episcopatu, & adeo quidem, quòd licet magis peccet fornicando, qui est omnibus sacris ordinibus insignitus, quàm qui solùm subdiaconatu, eadem tamen specie peccati peccat, & non interuenit circumstantia, quæ mutat speciem peccati, necessariò confitenda: sicut nec religiosus, qui est prælatus alicuius ordinis, fornicando peccat alia specie peccati, quã si esset religiosus simplex professus, cum vno & eodem voto solemni castitatis omnes obligentur, per ea quæ post alios dicimus in Manual. confess.[a]

19 Tum quia in assumptione subdiaconatus omnes incipiunt obligari ad continentiam, & fieri inhabiles ad cõiugium siue voto expresso, siue tacito, siue inuiolabili statuto Ecclesiæ.[b] Tum quia episcopatus non est ordo, secũdum communem Theologorum sententiam,[c] esto quòd opinio Canonistarum contraria magis consona videtur iuri communi, & Concilio Tridentino per ea quæ diximus in Man. confessariorum,[d] & ita certius est Episcopũ obligari ad continẽtiam ratione ordinum subdiaconatus, diaconatus, & presbyteratus, qui secundum omnes & ipsã fidem Catholicam sunt veri ordines, quàm ratione Episcopatus, qui non est verus ordo secundum communem Theologorum.

20 AD TERTIAM QVAESTIONEM respondetur, quòd pro parte negante, nempe, quod non occurrat iusta causa dispẽsandi in casu pręsẽti, facit primo illud.[e] *Non est æqua ponderatio cõtinentis animi*, quod secundum aliquos sonat nullum esse bonum melius continentia perpetua.

Secũdo, quod bona certa meliora sunt incertis,[f] & pręsentia futuris, iuxta illud Claudiani citatum à glossa.[g] *Omne futurum Despicitur, suadentq; viris præsentia fructũ*. At in proposito casu bona, ob quæ petitur hæc dispensatio, sunt, quod nisi certus successor præsentis Regis declaretur, multis rationibus timetur maximus tumultus vnius magni Regni, magnæq; seditiones inter magnates eiusdem Regni prætendentes illud sibi competere, maxima item bella inter ipsum Regnum, & eius regnicolas ab vna parte, & quosdam alios Reges, & principes exteros, qui iure cognationis, vel alio illud sibi obuenire videntur putaturi, & quies futura & prouentura ex matrimonio per dispensationem contrahendo. at ea ob quæ Innocentius & omnes alij,[h] & Ioannes Andreas,[i] & D. Thomas,[k] & reliqui omnes tenent Papam posse dispensare cum presbytero, debẽt esse certa: hæc autem sunt incerta & futura, ergo non sunt æquè bona, ac bonum continentiæ præsens, & certũ, quod amittitur, & consequenter nec iusta causa dispensandi super illo.

21 Tertio facit, quod cum voluntaria gratiora sint Deo, quàm inuoluntaria,[l] & coniugium sit futurum inuoluntarium huic, pro quo petitur dispensatio, qui est persona præcellenti virtute continentiæ prædita, cuiq; illius, quàm in ætatem senectuti proximam inuiolabiliter obseruauit, violatio sit futura molestissima, sequitur, vt futurum inuoluntarium matrimonium non sit adeo gratum Deo futurum, ac continentiæ præsentis obseruatio, & consequẽter vt non sit locus dispensationi faciendæ.

His tamen non obstantibus tenenda est pars affirmatiua. Primò quidem præsupposita illa vera sententia S. Tho. communiter recepti (quicquid Altissiodoren. & aliquot alij Theologi relati à Caietano & Medina tenuerint, cõtra quos est casus in cap. 1.[m] nempe quòd votum ex iusta causa relaxari potest, dicendum est autem iustam causam dispensandi adesse, cùm votum est maioris boni impedimentum, siue impeditiuum, vt docet S. Thom. communiter receptus.[n] At in casu proposito votum continentiæ est impedimentum maioris boni, nempe certi successoris in Regno. ergo, &c. Secundo, quia omne votum cõuerti põt in melius at bonum commune est melius & dignius bono priuato:[o] Ergo votũ continentię, quod cõtinet bonum priuatum, potest auctoritate legitima conuerti in sacramentum matrimonij, per quod certus Regni successor, & consequenter pax, & Christianismus eius conseruetur. Multa præterea Indiarum, & noui orbis Regna, quæ Christianismum susceperunt, & conseruant auctoritate, prudentia, potentia, & virtute militari Regni, cuius successor certus quæritur, deficerent à fœdere Regni, immo & à fide Christi, quam susceperunt, & in dies suscipiunt, si orbata prædicti Regni pace impediretur opportunitas mittendi ad ea, Proreges militib. & armis de more munitos. quin & merito timeri potest, quod exorto bello, & tumultu ob defectum certi successoris, aliis aliunde subsidia petentibus, aliquot hæreticorum cohortes in illud euocarentur, qui Christianismum illius regni limpidissimũ cõmacularẽt in maximam Iesu Christi irreuerentiam, & sacrosanctę Sedis Apost. iacturã, cũ Regnũ illud cũ primis omniũ sit ei obedientissimum. Ergo non solùm iusta, sed etiam iustissima causa est in casu proposito dispẽsandi, immo & compellẽdi dispensatum ad matrimonium contrahendum, vt quidam Ramirus monachus & presbyter fuisse coactus refertur à Paludano & Caietano.[a]

22 Ad primum oppositum respondetur negando, quòd non occurrant multa bona maiora, quàm cõtinentia: omnes enim virtutes Theologicæ, & actus earum, religio vitæ, & actus eiusdem, puta deuotio, sacrificium, & oratio, sunt potiora bona, quàm continentia, & actus eius, vt colligitur ex S. Thoma communiter recepto,[b] dum virginitati, & actibus eius, scilicet castitatis, præfert dictas virtutes, & actus earum.

Ad secundum, admittendo quod bona certa cæteris paribus sunt in certis meliora, dico quòd in hoc casu cætera non sunt paria: quia bonum conseruandi pacem & Christianismum vnius Regni, & multorum pendentium ab eo, longè maius est, quàm bonum continentiæ priuatũ vt prędictum est: & præsentia licet cæteris paribus sint meliora futuris, non tamen cùm cætera non sunt paria: maius enim bonum est magni reditus alicuius fundi, oppidi, vel beneficij futuri anni sequentis, quàm decem scuta præsentia. quod satis probat dicta l. *cum ij*,[c] ff. de transact. & nos resoluimus d. c. *si quis autem*.

Ad tertium concedimus etiam quòd cæteris paribus meliora sunt, quæ grata voluntate fiunt, iuxta illud Apostoli, *Hilarem datorem diligit Deus*. non autem cũ cætera sunt imparia. Cùm enim iubemur accipere læta & grata, minuitur meritum accipiendo ea promptè & lætè, & augetur, cùm ingrata & non placẽtia accipiuntur propter solã obedientiam, iuxta Gregorium in c. *sciendum*,[d] cuius finis sic habet, *Obedientia victimis iure præponitur: quia per victimam aliena caro per obedientiam verò propria voluntas mactatur*. Et ita in casu proposito quanto magis maiestas personæ, cui dispensatio quæritur, est suorum omnium æqualium pręcellentissima, & virtute continentiæ resplendentissima, & ab actibus coniugalibus etiam sanctis abhorrentissima, ita nolens volendo coniugium ob amorem Dei, & caritatem suæ Reip. Christianæ, quæ est omnium proximorum maximè proxima, præcellentem sibi gratiam apud homines, & præcellentissimum meritum merebitur apud Deũ, qui Regiam eius maiestatem, quam diutissimè seruet, & eidem abituro in gloriam seraphicam prouideat filium successorem sui patris in regnando consimillimum. Quæ tumultuario quasi studio scripta cuiuscumque melius sentientis censuræ subiicimus.

a Cap. 4.
b Ca. à mult. de ætat. & qualitat. & d. c. ante triẽnium. & alijs similibus 31. dist.
c In 4. distin. 24.
d Ca. 22. nu. 18.
e Ecclesiastici 26.
f Cap. si quis autem. de pœnit. dist. 7.
g L. cum ij ff. de transactio.
h In dicto c. cum ad monasterium.
i In præfatione Mercurial.
k 2. 2. qu. 88. art. 11.
l Ca. merito. 15. q. 1.
m Et ca. non est de voto.
n In d. q. 88. art. 10. in corpore q.
n Ca. scriptura. cũ ibi notatis, de voto.
o Ca. licet. de de regul.
a In d. tract. 27. in d. col. vltima.
b In 2. 2. qu. 152. art. 5.
c Vt ibi notatur.
d 8. q. 1.

### SVMMARIVM.

1 *Subdiacono, qui publicè ordinem suscepit, vt ducat vxorem, non est concedendum ex ea solùm causa, quòd ordinem, cùm esset diues, dolo consanguineorum putans se pauperem, inductus suscepit.*

## CONSILIVM XXXIX.

AN adolescens circiter viginti annorum in Hispania natus, & Romam delatus, initiatus ordine subdiaconatus, illectus importunis precibus parentum, & aliorum cognatorum, & dolosis circumuentionibus eorumdem, & aliorum, occultatione dolo adhibitã donationis, & institutionis vltimæ voluntatis, quibus reliquit ei longissime absenti auus eius prædiues magna bona temporalia, quę suffecissent ei ad viuendum nobiliter Romæ in statu cõiugali, quod si nouisset, numquàm fuisset ordine præfato insignitus: quas preces, dolos, & fraudes parentes eius & cognati adhibuerunt, & adhiberi fecerunt, ne ipse ab eis

vendicaret vel repeteret bona sibi donata,& relicta. Quęstio inquam resultans est, an præfato N. volenti ducere vxorem debeatur dispensatio de iustitia temperata gratia quadam,& æquitate.

1 Respondeo primò, præfatum Dominum consulentem non posse de pura iustitia retrocedere nec in foro conscientiæ, nec in foro exteriori. Secundo, adesse quidem etiam notabilem causam dispensandi, non tamen tantam, quanta meo iudicio requiritur, vt dispensatio sit omnino iusta, cùm ordinatio præfata sit manifesta, nisi aliquid aliud, quod iustitiam illius compleat, accedat. Salua,&c.

SVMMARIVM.

*1 Votum transeundi ad arctiorem obligat, & Prælatus illud irritare nequit. & 2.*
*2 Regularis subest Prælato quo ad contenta in regula, & opportuna ad eam seruandam. & nu.4.*
*3 Prælatus regularis dispensare & commutare valet votum transeundi ad arctiorem suo subdito.*
*3 Reseruatio commutationis & dispensationis votorum Papæ est lex exorbitans, & ita non extendenda.*

## CONSILIVM XL.

QVæritur ex facto, primò an votum religiosi de ascendendo ad arctiorem religionem factum sine auctoritate Superioris obliget eum.

Secundò, an superior possit illud irritare.

Tertiò, an possit dispensare iuxta illud.

Quartò, an possit commutare illud.

1 AD PRIMAM QVAESTIONEM respondetur affirmatiuè, quod obligat votum: quia quo ad hoc non subiicitur religiosus Superiori, vt colligitur ex vtroq; Thoma,[a] & in specie determinant Caietanus,[b] & Sotus,[c] & quidem satis vtiliter, ac nouè, quoniam monachus nullā videtur habere propriam voluntatem, sed à voluntate Superioris pendet, iuxta c. *non dicatis*,[d] in cuius commentario latius diximus.[e]

2 Adeo quod subiiciatur Superiori, & hoc quo ad omnia cōtenta in regula, & etiam quo ad non contenta, si quę tamen sunt, vel esse possunt opportuna regulæ seruandæ, exitus tamen & transitus ad aliam religionem non est de contentis in regula, nec de opportunis ad eam seruandam, immo potius de contrariis, iuxta cap. *licet.* & ei adnotata,[f] per quod limitatur illud Basilij relatum im cap. *monacho.*[g] *Monacho non licet vota vouere sine consensu Abbatis sui, & si vouerit, frangendum est*: ne procedat in his quæ ad exitum monasterij pertinent.

AD SECVNDAM quæstionem, quod eadem ratione, qua votum illud obligat sine Superioris consensu, colligitur quòd non potest illud irritare. Tum quòd quo ad illud, non subiicitur ei, & potestas irritandi votū nascitur ex subiectione, per pręfatum cap. *monacho.* & latè adducta per vtrumque Thomam,[h] cōmuniter receptos.

3 AD TERTIAM respondetur affirmatiuè, scilicet posse prælatum, cui subiicitur præfatus religiosus, dispensare super pręfato voto: quia non est votum religionis, sed de transitu ab vna ad aliam religionem: & longè aliud, & minus est, quàm votum de intranda noua religione, vt palam est, & ideo reseruatio, qua votum religionis reseruatur Papæ, quæ est exorbitans à communi regula iuris (quæ concedit Episcopis dispensationem, & commutationem votorum) non extendenda ad hoc, quod est minus, cum à separatis non fiat illatio,[i] nec iura exorbitantia sint extēdenda ad alium casum,[k] quæ potuit esse radicalis ratio, cur Caietanus,[l] & Sotus etiam,[m] idem determinarent.

EX QVO infertur responsio affirmatiua ad quartam quæstionem, scilicet, quòd eadē ratione, immo & maiore, potest commutare, cùm longè magis sit dispensare, & cui licet quod est plus, licet vtique quod est minus.[n] Salua, &c.

a In 2. 2. qu. 88. art. 8.
b Ibidem col. vlt. in vers. ex quibus omnibus.
c Li. 7. de iust. & iure qu. 3. art. 1. col. 3.
d 12. q. 1.
e Et ca. quorūdā. & c. religiosus. de elect. li. 6.
f De regula.
g 20. q. 4.
h Vbi supra.
i L. Papinianus ff. de minorib.
k Ca. ea quæ. & c. odia. de reg. iur. lib. 6.
l Vbi supra.
m Vbi supra q. 4. ar. 3. col. 4.
n Cap. cui licet. de regul. iur. lib. 6.

SVMMARIVM.

*1 Religionis voti commutatio Papæ quidem reseruata est: at vt loco vnius vota alteram etiam laxiorem ingrediatur, sicut & votum transeundi ad arctiorem, etiam inferior Papa commutat & dispensat.*
*2 Religionis intrandæ votum, vt non intret, solus dispensat Papa: at vt alteram etiam laxiorem ingrediatur, vel ad strictiorem votū non transeat vouens, inferior Papa dispensat, seu commutat.*

## CONSILIVM XLI.

AN cum vouente intrare certā religionem possit dispensare alius, quàm Papa, vt liceat ei intrare æqualē, vel laxiorem.

1 Ad quod respondeo, quæstionē videri nouam, sed resoluendam affirmatiuè. Tum quia aliud est dispensare, ne qui vouet religionem in genere, vel in specie, teneatur ad intrandam vnam, quod reseruatur Papæ; aliud, quòd vouens vnam religionem intret aliam, quod nullibi reseruatur Papæ: sicut aliud est dispensare super voto religionis, quod est reseruatum Papæ; aliud dispensare super voto de transeundo ad religionem strictiorem, quod non reseruatur illi, secundum Caietanum,[a] quem nos sequuti sumus in com. 4. de reg.[b]

2 Tū quia votū de intranda certa religione videtur duo vota cōtinere, alterum de intranda religione, cuius dispēsatio soli Papæ reseruatur, alterum de intranda hac religione, cuius dispensatio nullibi videtur Papæ reseruata, sicut professio certæ religionis videtur continere duo, alterum, quòd per eam fit religiosus, super quo solus Papa dispēsat; alterum, quòd fit religiosus illius ordinis, super quo dispensant etiam alij Prælati, vt possit transire ad strictiorem, vel æqualem. Salua, &c.

a In 2. 2. qu. 88. art. 8.
b In c. statuimus. 19. q. 3. n. 10. & sequ.

SVMMARIVM.

*1 Votum de non tangendo mulierem libidinosè non est castitatis, sicut nec votum non nubendi, nec sunt reseruata Papæ, sed Episcopus dispensat super illis.*

## CONSILIVM XLII.

AN votum de non tangendo mulierem libidinosè sit votum castitatis?

1 Videtur quòd non. Tum quod votum de non nubendo, vel de non ducendo vxorem non est votum castitatis, vt dixi in Man.[c]

Tum quod votum castitatis longè plura includit, quàm hoc votum: cum includat omnia quæ sexto præcepto Decalogi prohibentur, quæ sunt longè plura, iuxta ea quæ in declaratione illius diximus in d. Man.[d] immo & matrimonium & copulam eius,[e] quibus est consequens, huius voti dispensationem non esse reseruatam: ideo licere eam Episcopo, per ea quæ diximus in d. Man.[f] Salua, &c.

c Ca. 12. nu. 43.
d Cap. 16. à num. 12.
e Ca. vouentibus. 12. q. 1.
f Nu. 12.

SVMMARIVM.

*1 Vouens ordines sacros accipere licet sit ignarus, nec habeat titulū ad quod ordinetur, non tamen potest coniugium contrahere: nisi sit factus incapax doctrinæ, vel nisi postquam arbitrio boni viri iudicabitur ei impossibile esse, vt acquirat titulum.*

## CONSILIVM XLIII.

BVrleus vouit suscipere ordines sacros, & nō habet beneficium, neque patrimonium, ad cuius titulum ordinetur, neque scientiam sufficientem. Quæritur an possit ducere vxorem, sicut qui vouit monachatum, & non inuenit recipientem.

1 Respondeo, credo quòd non, nisi iam sit factus doctrinæ ad id sufficientis incapax, aut prudentis arbitrio videatur impossibilis moraliter acquisitio beneficij, vel patrimonij.

SVMMARIVM.

*1 Votum ingrediendæ religionis non annullat collationem beneficij postea factam, sicut nec matrimonium postea contractum.*

## CONSILIVM XLIIII.

COllatio beneficij facta ei, qui vouit religionis ingressum, an valeat, antequam eam profiteatur?

1 Respondeo quòd sic. Tum quia nullo iure cauetur cōtrarium.

Tum quia valet argumentum à matrimonio carnali ad

spiri

spirituale regulariter, iuxta glossam memorabilē,[a] & matrimonium post votum religionis contractū valet,[b] quod mihi est indubitatum. Salua, &c.

## DE STATV MONACH. ET CANONICORVM REGVLARIVM.

### SVMMARIVM.

*1 Monachatus non est nec dignitas, nec officium honorificum: vnde nec infamis, nec irregularis, nec excommunicatus sunt illius incapaces.*

*1 Abbas monachorum laicorum si non sit clericus, honore inferior est omni clerico etiam minorum ordinum.*

### CONSILIVM I.

AN excommunicatus, infamis, irregularis, coniugatus, vel alij ad beneficia Ecclesiastica inhabiles, sint habiles ad monachatum?

1 Respondetur ꝙ sic: quia secundū Federicum,[c] monachatus non est honor, non dignitas, nō officiū honorificū: quò fit, ꝙ etiā Abbates monachorum, qui non sunt clerici, sed tantùm laici, vt olim esse solebant, & aliquot fuerūt in Lusitania in monte & deserto, quod Ossam appellant, est inferior honore quolibet clerico, etiam in minoribus constituto.[d]

### SVMMARIVM.

*1 Abbatissa nisi intra annum post confirmationem benedicatur, perdit abbatiam, & hoc quo ad illa monasteria, in quibus benedici solent, nu. 2. semel autem benedicta iterum non benedicitur, nu. 2. etiam si transferatur ad aliud monasterium, nu. 4. nisi probetur Curiam seruare contrarium. nu. 3. triennali autem non videtur benedicenda. nu. 2. & 3.*

*5 Corrupta virginum consecratione consecrari non potest: sed quo ad occultè tales, loco illius dictionis, Virginitatis, potest assumi dictio, Castitatis, vel & melius, ne delictum manifestetur, potest Episcopus vti verbo Virginitatis, accipiendo illam in mente sua pro verbo Castitatis. nu. 6. benediceturq; hæc non vt mera virgo, sed quasi virgo. nu. 7. palam autem corruptæ si volent benedici, poterunt mutato nomine Virginitatis in Castitatis nomen: quod si recusent, cùm non sint adhuc professæ. poterunt de monasterio liberè dimitti. nu. 7.*

### CONSILIVM II.

AN abbatissa triennalis possit, vel debeat benedici? Secundo, an monialis, de qua iudicialiter constat esse corruptam, nec ipsa id negat, immo fatetur, possit cōsecrari?

1 Respondeo, quòd pro parte affirmante facit primò ca. *indemnitatibus*,[e] quatenus habet, Abbatissam electam & cōfirmatam perdere abbatiam, si intra annum non benedicatur, & Clem. *attendentes*,[f] quatenus idem statuit.

Secundò quòd glossa & omnes fere Doctores quęrunt, an benedictio Abbatissæ sit iterabilis: quę quæstio videtur superflua esse, nisi Abbatissa posset iterato eligi, & non videtur posse iterato eligi, nisi esset temporalis.

2 Pro parte verò negante facit primò, quòd Abbatissa monasterij, in quo non est solita benedici Abbatissa, non est benedicenda, vt à contrario sensu probant præallegata, & adnot. per gloss. quam sequuntur ibi Cardin. Imol. & Bonif.[g] &, vt arbitror, in nullis monasterijs solitæ sunt benedici Abbatissæ triennales: quoniam à pauco tēpore cœperunt Abbatissæ esse triennales: quāuis, vt ipse puto, melius fuisset seruare antiquum morem, secundum quem Abbatissæ erant perpetuæ, vt videor mihi satis probasse in commen. cap. *nullam*,[h] & ideo ex eo, quod Abbatissæ perpetuæ consueuissent benedici, non sequitur consueuisse benedici triennales.

Secundo, quod benedictio Abbatissæ non est iterabilis, vt tenuit prædicta glo. communiter recep.[i] & si Abbatissa triennalis esset benedicenda, sequeretur, quòd cum sæpe posset vna eligi in Abbatissam, sæpe deberet rebenedici.

Tertiò sequeretur, quòd multæ moniales manerent simul in monasterio in Abbatissas pluries benedictæ, quod non videtur decere.

3 Per quæ vltima fundamenta videtur tenenda pars hæc posterior negans, nisi probaretur Curiam seruare contrarium, propter glossam prædicti §. *statuimus*,[a] quatenus innuit benedictionem Abbatissæ non esse iterandam, nisi Curia Romana seruaret contrarium: qua de re nil testatur ibi Bonifacius, licet fuerit Auditor Rotæ. & Stephanus, quem citant Card. & Imolensis ait audisse, quòd aliquando fuit iterata, & ita videtur sentire, quòd raro vel nūquā id fuit factū, licet per potestatem Papæ possit illud induci.

Non obstant pro parte affirmante adducta. Ad primum enim respondetur, quòd illa iura nō probant omnem Abbatissam debere benedici, sed solùm illam, quæ solita est benedici: at nescimus Abbatissam triēnalem, vel alias tēporalem solere benedici, vt supra dictum est.

4 Ad secundum autem respondetur, negādo, quod quęstio de benedictione Abbatissæ, an sit iterabilis, non possit vendicare sibi locum, nisi in Abbatissis temporarijs: quia etiam potest in Abbatissis perpetuis, quando Abbatissa perpetua vnius monasterij eligitur in Abbatissam perpetuam alterius. Itaque videtur resoluendum Abbatissam temporariam non esse iure benedicendam, nisi Sacrosancta Sedes Apostolica aliud statuat expressè, vel seruet cōtrarium.

5 AD SECVNDAM respondeo primò, quòd nulla corrupta, etiam occulta, vllatenus potest consecrari consecratione virginum,[b] etiam ad euitandum, secundum S. Thomam receptum.[c]

Secundò, quòd vidua licet non debeat consecrari consecratione virginum, potest tamen vouere solemniter & tacitè ipso facto castitatem, & velum professionis suscipere, & portare,[d] & benedici benedictione viduali, quod testatur Gulielmus,[e] dicens se vidisse in Vrbe Episcopum Ostiensem benedicere duas viduas inter alias virgines, quod difficile factu fuit, cum in plurimis locis fiat mentio virginum, & virginitatis in officio consecrationis virginum: nisi fortè addendo verbo *virgines* illa verba, *& viduas*, verbo *virginitatem*, illa verba, *& castitatem*, prout casus & numerus, in quibus fit mentio de virginibus, vel virginitate, requirunt.

6 Terio, quòd monialis occultè corrupta potest simulatè consecrari consecratione virginum, mutatis verbis virginitatem sonantibus in verba castitatem significantia, ad euitandum scandalum & infamiam, secundum eumdem S. Thomam,[f] quod etsi videatur receptum ab omnibus, non tamen videtur tutum, nec vsitandum: quoniam id esset infamare consecrandam, vel benedicendam, cùm semper aliquot periti, præsertim ministri Episcopi, soleant interesse huiusmodi cō secrationi, & audiētes loco nominis sonantis *virginem* vel *virginitatē*, poni nomē *castitatis*, intelligerent eam esse corruptam. Quare satius putarem, vt Episcopus pronunciaret verba ipsa consecrationis, quæ virginem & virginitatem sonant, accipiendo illa intra mentem pro verbis castitas, & castitatem significātibus: per quod excusaretur mendacium simul, & scandalum, per ea quæ nos infimul post alios tradimus in Man. conf.[g] & in cap. *humanæ aures*.[h]

7 Quarto, quod monialis, de qua est quæstio, & quæ palam scitur esse corrupta, potest benedici benedictione, qua moniales viduæ benedici debent, de qua tamen non videtur haberi rubrica specialis in Pōtificali: licet illa, qua benedicuntur virgines, adaptari posset, mutatis nominibus significantibus *virgines*, *& virginitatem*, in nomina significantia *viduitatem*, *& castitatem*, vt S. Tho. supra citatus significauit,[i] in consecratione virginis occultè corruptæ fieri posse. Quia per hoc responderi potest ad argumentū propositioni quæstionis insertum, videlicet quod non benediceretur vt vera virgo, neque, vt vera vidua, sed benediceretur, vt quasi vidua, sicut & virgo occultè corrupta benedicitur vt quasi virgo, & ita non est necessarium eiicere illam ad alia loca, modo Abbatissa & moniales velint eam retinere secum, & vt faciat professionem quasi vidua: si enim noluerit id pati, oporteret eā adire aliud monasterium conuertitarum, vel aliarum monialium, vbi beneuolas inueniret receptrices, vel rediret ad suos cognatos, aut nubere alicui: quoniam moniales primi monasterij, licet recepissent eam ad velum conuersionis, & probationis, non tamen tenentur, si nolint, admittere illam ad

EE 2 pro

---

Left margin notes:

a In ca. bona. 1. verbo metuebant. de elect.
b Ca. nos nouimus. 17. q. 2.
c In cons. 5. nu. 5.
d Ca. à subdiacono. 93. dist.
e §. verum. de elect. li. 6.
f §. statuim⁹. de statu monach.
g In d. §. statuimus.
h 18. q. 2.
i In d. §. statuimus.

Right margin notes:

a In verbo benedictio.
b Capit. accutius. 26. dist. c. deuotis. & c. iuuenculas. 20. q. 1.
c Li. 4. sentē. dist. 34. qu. 1. art. 5. & sentit in eod. lib. dist. 33. qu. 3. art. 1.
d Ca. vidua. de regul.
e In ratio. diui. offi. li. 2. c. 2. nu. 48.
f In d. art. 5.
g Ca. 25. nu. 42. & ca. 18. nu. 61.
h 22. q. 5.
i D. art. 5.

professionem, neque ad velum consecrationis: cum sicut nouitia intra annum professionis potest libere exire de monasterio, si ei non placet, ita monasterium possit, antequam profiteatur, eam eiicere.[a]

a Ca. ad apostolicam. de reg. ca. 1. eod. & ca. non solum eod. titu. lib. 6.

Quinto addo, quod benedictio veli monialium, quod etiam viduæ aptatur, ponitur in dicto Pontificali: & quod fortè benedictio, qua benedicitur electus laicus in monachum, conueniret tam viduæ, quam huic palam corruptæ, mutato verbo *monachus* in *monacha*, & verbũ *seruus* in verbum *ancilla*. Salua, &c.

## SVMMARIVM.

*1 Confiteri iterum semel legitimè confessa peccata obligari nemo potest sine eius consensu. nu. 3. & 59.*
*1 Restituere temporalia cum famæ iactura nemo cogitur, si iactura sit notabilis. nu. 6.*
*1 Excommunicatio sine monitione ferri non debet nisi pro futuris culpis. nu. 9.*
*2 Statutum Carthusianum de reuelando Superiori sibi appropriata intra tempus præfixum, validum, & vtile. nu. 3.*
*4 Cõfessor erga confessum, propter peccata audita, aliter circa multa, quæ extra confessionem tractantur, se habere potest, & ob peccata sibi confessa potest talem non eligere ad aliquod munus.*
*5 Religiosus damna, quæ ordini intulit, restituat parcius viuendo.*
*6 Carthusiani debent superflua communitati restituere.*
*7 Confessio sacramentalis etiamsi fiat Prælato, notabilem famæ læsionem non inducit.*
*8 Detractio propriæ famæ vt plurimum venialis.*
*10 Furtum, & appropriatio parua etiam in Carthusiano nõ est mortale. nu. 14.*
*11 Peccatum veniale placendo fit mortale, si adsit legis præcipientis contemptus. nu. 16.*
*11 Furans minimum animo domino notabiliter nocendi mortaliter peccat. nu. 17.*
*12 Mendacium non omne etiam formale est mortale, contra quosdã. numero 17.*
*12 Proprietas, & voluntas appropriandi, monachis est peccatum, sed non mortale, si sit rei modicæ. nu. 17.*
*13 Statuto Carthusiano proprietarius 12. denariorũ caret sepultura.*
*13 Sepultura carent tantùm qui in mortali mortui esse noscuntur, non veniali.*
*14 Paruitas rei, subreptio, & iudicij defectus passim excusat à mortali, etiamsi sit transgressio voti rei modicæ facti. nu. 17.*
*15 Peccata omnia esse mortalia dicere hæreticum.*
*18 Proprietatis peccatum mortale eadem quantitas in religioso, quæ in laico, furtum mortale facit.*
*18 Furtum mortale non videtur, quod non excedit vnum regale. n. 19.*
*19 Proprietas vltra tres solidos statuto Carthusiano excõmunicatur.*
*20 Capitulum Carthusianum generale, & Priores excommunicare possunt.*
*21 Priores Carthusiani non excommunicant, sed denunciant proprietarios excommunicatos.*
*21 Suspensionem non incurrit verbo denuncians aliquem excommunicatũ, quã incurrit sic exõmunicando: sunt enim diuersa. & n. 65.*
*22 Statutum Carthusianum omnes subditos proprietarios excommunicans comprehendit etiam plenè donatos, qui subditi sunt, licet votum paupertatis non emittant. nu. 23.*
*22 Donati plene sunt subditi ordini.*
*23 Dispositio aliqua ex parte odiosa, ob rationis identitatem extenditur ad latam significationem, saltem cum talis coniici, potest intentio statuentis.*
*24 Pluribus vicibus minuta, quæ simul iuncta facerent notabilem quantitatem subtrahens numquam peccat mortaliter, dummodo numquam habuerit volũtatem capiendi notabilem quãtitatẽ & licet Sotus teneat hunc mortaliter peccare vltima vice, per quam deuenitur ad notabilem summam, nu. 25. hæcque sit communis, nu. 27. & 45. attamen in foro conscientiæ potest teneri illã procedere, quando committendo vltima furta recordatur præteritorum, aliàs non peccaret, nec consequenter teneretur restituere, cùm minus peccet, qui non restituit, quàm qui furatur. num. 24. & 27.*
*28 Euentus, cuius nullus speratur fructus, frustra expectatur.*
*28 Impotens ad restituendum, sed non ad reuelandum, licet excusetur à restitutione, non tamen excusatur à debita & præcepta reuelatione. nu. 29.*
*29 Denunciandus non est correctus ad futurum lapsum cauendum, nisi ad id quis speciali iure teneatur.*
*30 Restituens ante tempus ad restituẽdum præfixum pœnam euadit, & obligationem manifestandi.*
*31 Priuatio præsupponit habitum.*
*32 Donare quæ quis iustè potest, potest & similiter donanti consentire. & 64.*
*32 Restitutio, & debiti remissio exæquantur.*
*32 Carthusiani à reuelandis appropriatis non excusantur ob remissionem factam à Prælatis.*
*33 Prior impensa à monachis ratificare nequit, nisi sint impensa in vtilitatem monasterij, vel pios vsus, iustamve remunerationem.*
*33 Prior remittens generaliter appropriata malè facit, operatur autem eius remissio facta ante incursam excommunicationem, vt qui in licitos vsus expenderunt, non teneantur restituere, & successiuè nec manifestare, aliis autem non prodest.*
*34 Absoluendi facultas priuilegio perpetuo dignitati competens est delegabilis, sicut & competens virtute alterius ordinariæ potestatis.*
*35 Carthusianus proprietarius per Cruciatam absolutus à peccato, remanet tamẽ obligatus reuelare prælato hanc ipsius appropriationem.*
*36 Excommunicatus, nisi præuia satisfactione per Cruciatam absolui nequit.*
*36 Acta à delegato, postposita forma sibi præscripta, sunt nulla.*
*37 Absolutio à Papa delegata cum clausula, Secundum iuris formam, ea non seruata, valet: quia tantum importat monitionem, & non formam, nisi aliter constet de mente Papæ.*
*37 Priuilegium principis citra tertij præiudicium interpretandũm.*
*38 Iudici quo ad pœnam nondum impositam non est satisfaciendũ.*
*39 Absolutus ante satisfactionem ad effectum quærendi Iobelæum, statim in vtroque foro reincidit secundum clausulam in Iobelæo Greg. XIII. insertam.*
*40 Regularis furans, vt quærat monasterio, peccat semel, sibi autem appropriando, bis, vel semel cum circumstantia confitenda.*
*41 Excommunicationes pro re leui ab homine ferendas, non à iure latas vetat Concilium.*
*42 Abbas vel Prior in odiosis appellatione monachi non venit regulariter, præsertim vbi est probabile disponentem de ipsis non sensisse.*
*42 Excommunicatio Papalis, eum qui eam denunciat, æquè ac alios comprehendit, si sit in eadem culpa.*
*43 Regularis literas dans, vel accipiens proprietarius dici tunc debet, quando literæ ipsæ datæ receptæ reputari solent vt bonum aliquod pecuniarium, secus si reputentur res nihili. & nume. 44. & seq.*
*46 Regulari non licet reliquata distribuere in pios vsus, nisi cum certa portio pro victu & vestitu assignatur, quia tunc in dubio videtur ita data, vt reliquata possit in pios vsus distribuere, & 48. nisi aliunde constet de contraria Superioris intentione: quia tunc non poterit distribuere. nu. 47. 48.*
*48 Licentia dandi superflua pauperibus regulari, virtutis magis, quàm vitij occasio est.*
*49 Legatum monacho, donec prælati eo ad suos vsus vti ei permiserint, valet: an autem expediat ordini illud repudiare, vel non, ex diuersitate circumstantiarum per prudentiæ regulas diffiniendũ. num. 52.*
*49 Proprietarius est, qui occultè vel contra voluntatem prælati aliquid tenet.*
*50 Regulari bona temporalia vt ita assignẽtur, vt sine Superioris sui regularis vel Papæ licentia de illis in suos, vel alienos etiam pios vsus, modò nõ agatur de extrema necessitate, disponere licitè possit, nulla cautela, vel via fieri potest. & 51.*
*51 Papa omnium monachorum superior, immo & omnium Christianorum, concurritq; cum omni Prælato in iurisdictione.*
*53 Intellectus statuti Carthusiani de nouitiorum donationibus.*
*54 Regularis de licentia Prælati pro Missis dicendis quid capere potest ad vsus licitos præsertim certos impendendum.*
*55 Prælati ad arbitrium impendi censetur, quod de illius licẽtia impenditur.*
*56 Peccatum omne mortale ante communionem confitendum.*
*57 Intellectus Carthusiani statuti de reuelando proprietatis peccato.*
*58 Confessionem iteret, qui peccatum mortale non fuit confessus, nisi obliuione vel ignorantia excusetur probabili.*
*59 Confessori eidem confitenda reseruata & non reseruata, nisi in in certis casibus.*
*60 Absolutus legitimè à reseruatis cum iusta obligatione illa iterum Superiori confitendi, tenetur secunda vice illa cum cæteris postea*

commis

*cōmißis, vel prius oblitis, integrè confiteri sacramentaliter. nu. 61.*

*62 Vicarij alterius factum, in iis, ad quæ sua potestas se extendit, cēsetur vt factum ab illo, cuius est vicarius. & 63.*

*62 Commendatarius abbatiæ, seu cui libera Ecclesiæ administratio est concessa, potest omnia quæ titularis, immo & potest esse delegatus, sed non potest alienare immobilia.*

*64 Consensus tacitus prælati ex communi vsu ab eo scito, & non contradicto colligitur.*

## CONSILIVM III.

ILLVSTRIS ADMODVMQVE REVERENDE IN CHRISTO PATER, ET *Domine mi per quam colende.*

AGnosco in primis, vir multis nominibus suspiciende, culpam in respondendo ad te adeo tardè admissam: tametsi excusari possem ob frequentissimas à multis orbis partibus quæstiones, vt decidam, missas, & multitudinem, grauitatémque dubiorum, quæ tua hæc epistola in librum iustum aucta continet, super omnia verò phrasim elegantissimam, verborum & rerum selectarum copia, & apta œconomia redundantem: cui parem referre nequirem, etiã nactus tempus ad id iustum, opportunum, & vacuum, quale vix mihi viuenti continget. Et quidem iam putare cœperam, quòd tanta tarditate stomachatus, non semel dixisses: nolo responsum tantæ tarditatis felle amarescens. At quando tua ista ænea in Christo patientia perseueras etiamnum idem, qui cum scripsisti fueras, & desideras nostrum quamlibet aridum de terra sitienti promanans responsum, accipe id quod cum hoc epistolio ad te damus, implorata ope sancti Spiritus summi, & æterni Dei nostri, cui dies hic Pentecostes sacer est, in quo & ipse profusis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat: damus inquam, non quidem quale tu speras largissimè de illius largissimis fontibus haustum, sed quale per quampiam stillã de sua immensa bonitate mihi non maiora merenti dignatus fuerit stillare benignus.

Ad epistolam tuam elegantissimam ineleganter respõsurus, admoneo te primum, vir candidissimè, non iustè mihi tribui titulum Doctoris V.I. quoniam etsi prius & maiore tempore incubuerim iuri Cęsareo discendo, quàm iuri Pontificio: quamuis item vtrumque docuerim in Galliis, munus tamen Mineruale, quod vocant Doctoratum, iuris tantum Canonici petere ausus fui, id autem bis, semel in Galliis, & iterum Salmáticę illius legibus ad id coactus, eo quòd Decretorum cathedra fui donatus. Deinde gratias ago tibi maximas, quod memineris illius persancti viri, Domini Francisci à Nauarra Archiepiscopi olim Valentini, & quod me quoque illius memorem feceris, ne suus è nostro vmquã labatur pectore vultus. Simul doleo, quòd literæ, quas admones ad me datas, in quibus me aliqua in Enchiridio meo confessariorum expedientia monebas, ad me non peruenerint, quod meminerim. Voluptati enim non mediocri fuisset eas legisse, eisque respondisse, tuáque memoria magis fruitum fuisse. Gratias item, quam maximas possum, ago eidem æterno Deo, Spiritui Sãcto, quòd dignatus fuerit inspirare tibi tantæ religionis & eruditionis viro, vt mea scripta tam vulgari sermone, quàm Latino edita legere dignareris, & te legisse ingenuè profitearis: sed candor caritatis (quæ non æmulatur) id tibi (gratia eidem Spiritui sancto) præstitit. Omissis igitur multorũ statutorum tenoribus super proprietate Illustrissimi vestri ordinis damnata dictatorum, quæ ad me mittis (super quibus multa eleganter pro tua eruditione, quasi aliud agens, tangis, & sine vlla hæsitatione decidis) reliqua proponam breuiter, & singulatim, vt breuior & clarior responsio subiiciatur.

PRIMVM igitur dubium, an iustitia illius statuti Illustrissimi ordinis Carthusiani, quod obligat proprietarios summæ excedentis summam trium solidorum ad confitendum, vel reuelandum illud Priori intra certa tempora sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & quod ab ea iam incursa non possit absolui nisi à Priore iterata confessione, defendi possit?

1 Ad quod respondeo primò, quòd pro parte negãte facit, quòd nemo humana lege obligari potest ad confitendum iterum peccatum semel legitimè confessum, vt & nos post alios ibi citatos diximus in Man. conf.[a]

Secundò, quòd nemo tenetur ad restituẽdum bona pecuniaria cum iactura suæ famæ, arg. ca. *officij*,[b] & tradimus nos post alios in repet. c. *inter verba*,[c] & tãgimus in d. Man.[d]

Tertio, quod excommunicatio nõ est ferenda sine præuia monitione, iuxta cap. *sacro*,[e] & ca. *constitutionem*,[f] cum suis concordantiis.

2 Quibus tamen non obstantibus, tenenda est pars affirmatiua, quam tu vir eruditissime tenes. Tum quia præfatũ statutum dicitur esse factum ante circiter quingentos annos, & à nullo sanctissimorum, eruditissimorumque virorum eiusdem ordinis (quales multi fuerũt in vestra omniũ religionum optima) vsque ad hæc tempora iniustitiæ dãnatum fuit, & ita obseruandum,[g] donec contrarium esse iustitiæ, auctoritate authentica, vel efficaci ratione probetur.[h] Tum quia non obligat peccantem ad confitendũ bis idem peccatum in sacra confessione, cùm faciat proprietario facultatem satisfaciendi ei etiam per reuelationem externam, saltem antequam in excõmunicationem incidat.

3 Tum quia potest quis de suo consensu obligari ad cõfitendum iterum peccatum semel legitimè cõfessum, vt tu eruditissimè diligentissimeq; probas, allegãdo etiam nos in hoc post alios in ca. *fratres*,[i] per text. satis in hoc aptum, in extrauag. *inter cunctas*,[k] & in Man.[l] & cõstat monachũ qui consentit seruare Carthusiana statuta, consentire etiã obligationi, si quam illa imponunt, ad confitendum his idem peccatum. Tum quia non est inutilis, sed valdè vtilis, vt illa confessio fiat intra, vel extra sacram confessionem Priori ob pulchras considerationes tuas.

4 Nec obstat dicere contra eas, quod confessarius perinde debet tractare confitentem, ac si nihil per suam confessionem nouisset, & consequenter non esse vtile monasterio, vt sciat Prior illum, aut illum fuisse proprietarium per cõfessionem sacram, ad hoc, vt posset illi denegare officia, vel munera, quæ præbent occasionem peccandi peccatũ proprietatis. Responderi enim potest, negando, quòd eodẽ omnino modo teneatur se habere: quia quo ad multa potest habere aliter propter illam scientiam, quam sine illa, vt nos latius probamus in cap. *sacerdos*.[m] Non enim est verum, quòd aliqui dicunt, confessarium scire vt Deũ tantùm, & non vt hominem: quia verè scit vt homo, per nostra scripta d. cap. *sacerdos*,[n] vbi speciatim diximus, posse confessarium iustè non eligere aliquem in prælatum, vel aliud munus propter scientiam priuatã alicuius criminis, vel defectus quam haberet per solam sacram cõfessionem.

5 Tum quia etiam religiosus potest restituere ordini suo damna, quæ per proprietatis peccatum intulit ei, per illos modos, quos nos scripsimus in tracta. de reditibus eccles.[o] & tetigimus.[p] Ex quibus vnus & facilis est per reliquationes aliquas honestas de iis, quæ honestè impendere possunt, quas facilè facere possunt qui mittũtur ad aliqua negotia longè peragenda, & etiam alij manentes in monasteriis, licet non tam facilè, procurãdo, vt aliqua pars opsonij, & vini, quæ ipsis vt aliis sunt propinanda, non propinẽtur eis, neque educantur ex communi cellario, sed maneãt ibi, licet ea ipsi honestè comedere, & bibere possent.

6 Nec obstat, quod, vt infra dicetur, cauetur per statuta illius ordinis, quod monachi tenentur reddere communitati omnia, quæ in vestibus, cibis, & aliis rebus necessariis eis datis superfuerint: quia illa intelligi possent quo ad effectum non distribuendi ea in alios vsus: nec nos dicimus, quod ipsi possent ea dare aliis, sed tantùm communitati: nec mens statutorum videtur fuisse tollere ipsis facultatẽ reliquandi pro suarum animarum exoneratione in vtilitatem monasterij, cùm ex eo nullum penitus præiudicium ei eueniat. Et si hoc fuisset ab statuentibus petitum respõdissent idem, & consequenter habendum est pro statuto, argumento glossæ singularis & receptæ.[q] Tum denique quod ad opposita facilè responderi potest.

Ad primum quidem respondent 2. & 6. fundamenta propositi nostri.

Ad secundum autem respondetur dupliciter: Primò quidem concedendo, quod non est facienda restitutio boni pecuniarij cum notabili iactura famæ, negando tamen,

a *Capit. 9. in principio.*
b *De pœni. & remiss.*
c *11. q. 3. cõcl. 6. corolla: 70. nu. 865 & seq.*
d *Ca. 16. nu. 43. & seq.*
e *De sententia excomm.*
f *Eod. tit. l. 6.*
g *Arg. ca. de libellis. 20. distin.*
h *Arg. c. consuluisti. 2. qu. 4. & le. illud. ff. de peti. hæredi.*
i *Num. 30. de pœnit. dist. 5.*
k *De priuilegi. & ca. vltimo de pœnit. dist. c. nu. 111.*
l *Capit. 9. in princip.*
m *Nu. 146. de pœnit. dist. 6.*
n *Nu. 143. & seq.*
o *Q. 2. mon. 20.*
p *Qu. 3. mon. 34.*
q *Le. tale pactum. §. qui prouocauit. ff. de pactis.*

quòd in præsenti dubio agatur de restitutione. Non enim quæritur, an monachus proprietarius teneatur restituere, sed solum an teneatur iterum confiteri id, quod semel legitimè tenebatur confiteri, & est iam legitimè forte confessus: & à diuersis non fit illatio.[a] Et ita non est bona illatio, siue consequentia: Tenetur confiteri peccatum, ergo tenetur restituere, nec è contrario, Non tenetur restituere, ergo non tenetur confiteri, cùm in peccatis tantùm mentalibus, & aliis impotentium restituere facilè dentur antecedentia vera, & consequentia falsa.

7 Secundò respondere potest, concedendo restitutioné pecuniæ non esse faciendam cum iactura notabili famæ, sed negando, quod confessio sacra peccati, quod quis teneatur confiteri, inducat notabilem famæ iacturam: immo inducit reparationem & resartionem ipsius, iuxta illud, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Quamuis enim illud in sensu proprio forum Dei tangat, bonitate tamen ipsius infinita fit, vt frequenter coram eo tecta etiam quo ad externum forum tegantur. & præterea secretum inuiolabilis sigilli confessionis efficit, vt nulla, vel certè minima dicatur infamia legitimè confitentis etiam grauissimum peccatum occultum.

8 Facit ad hoc, quod detractio, qua quis suum verũ peccatum prodit, etiam extra sacram confessionem, vt plurimum non est plusquam venialis, vt post alios tradimus in præfato cap. *inter verba.*[b] & in Man.[c] facta autem in sacra confessione vt nullatenus est peccatum, ita certè nullam, vel minimam infamiam parit.

9 Ad tertium respondetur concedendo quidem, quod propter culpas præteritas, quatenus solum sunt præteritę, non est ferenda excommunicatio sine præmonitione, vt probant iura in eo citata, negando tamen quod pro futuris culpis non detur sine monitione, vel pro præteritis in hac forma, *Si non restituerìs furtum intra tale tempus*, &c. cum contrarium probet cap. *à nobis*,[d] cum sufficiat vt præcedat culpa, mora, vel offensa, vt est casus expressus, ca. *Romana.*[e] Et in casu nostro præcedunt omnia tria, quamuis vnũ eorum sufficeret, nam proprietarius offendit, rem sibi appropriando,[f] & committit moram in nõ restituendo, cum fur semper sit in mora,[g] & in culpa, quia non est confessus intra terminum sibi à statuto præstitutum: & ita potuit optimè statutum excommunicare proprietarium, si intra tale tempus nõ manifestaret, eo modo quo tenebatur, per præfatum §. *caueat.*

SECVNDVM DVBIVM est, quantæ quãtitatis appropriatio sufficiat ad hoc, vt monachus Carthusianus iure dicatur mortiferum peccatũ proprietatis admittere.

10 Ad quod respondeo primùm, esse quosdam (vt tu inter cęteros eruditissime Michaël verè eruditissimè refers) qui aiunt sufficere quamlibet minimam, modo ea mente accipiatur, vel retineatur, vt velit eam sibi appropriare: ita quod occultans vnum denarium, siue quatrinum, vel volens habere illum clam, nolente Superiore, peccat mortaliter. Pro quibus facit cap. fin.[h] vbi Hieronymus sic ait, *Fur autem non solùm in maioribus, sed in minoribus etiam iudicatur, non enim quod furto ablatum est, sed mens furantis attẽditur.* & iterum in fine sic, *In furto quantumcumque quis abstulerit, furti crimen incurrit.*

11 Secundò illud Augustini.[i] *Nullum peccatum adeo veniale est quod non fiat criminale, dum placet* & Beda relatus in pręfato §. *criminis.* videtur definire mortale esse, quod peccatur ex deliberatione: cui fauet illud Ciceronis Paradoxon, ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα, quod æqualia sunt peccata.

Tertiò, quòd S. Thomas expressè videtur dicere,[k] quod furans aliquod minimum mente nocendi domino eius peccat mortaliter.

12 Quartò, quòd omne mendacium formale, siue dictum intentione mentiendi videtur aliquibus esse mortiferum, ergo & omnis appropriatio formalis, siue cum intentione appropriandi erit mortalis.

Quintò, quòd omnis proprietas, siue voluntas appropriandi in vniuersum est vetita monachis,[l] & voluntas appropriandi vnum denarium est proprietas, & voluntas appropriandi: ergo est etiam illa vetita, & contra legem vetantem proprietatem, & consequenter videtur mortifera, & quod votum de non bibendo vinum per quamcumque ipsius potationem violatur: votum item faciendi aliquid quamlibet minimum violatur non faciendo illud, secundum omnes. At violatio voti mortifera est, iuxta cap. *vouentibus*,[a] & colligitur ex S. Thoma.[b]

a L. Papinianus. ff. de mino.
b Conclus. 6. nu. 573.
c Cap. 18. nu. 27.
d 1. eod. tit.
e §. caueat de sententia excomm. li. 5.
f Ca. cum ad monasteriũ de stat. mon.
g L. in re fur tiua ff. de con dictio. furti.
h 14. q. 6.
i 25. dist. §. criminis.
k In 2. 2. qu. 66. art. 6. ad 3.
l Ca. 2. & c. Super quodã. & ca. cum ad monasteriũ. §. fin. de stat. monach.

13 Sexto vrget grauiter statutum eiusdem ordinis positum in 2. parte statutorum antiquorum,[c] disponens, quod monachi defuncti in proprietate duodecim denariorum & infra non sepeliantur in cœmeterio, aut sepulti exhumentur. Ex quo palam colligitur, eum, qui admittit proproprietatem summæ minoris summa duodecim denariorum, debere carere sepultura Ecclesiastica, qua tamen non debet carere quis ob peccatum veniale, ca. *pro obeuntibus*,[d] & glossam,[e] quatenus significant, eos solos, qui noscuntur in mortali peccato mori, esse priuandos sepultura Ecclesiastica, & meritò, quia peccatum veniale non excludit gratiam Dei, & caritatem eius, qua saluamur, iuxta S. Tho. receptum,[f] pro quo nouus textus.[g] Conc. Trid. & qua ratione carere debet sepultura proprietarius summæ vndecim, vel decem denariorum minoris summa duodecim denariorum, eadem debet carere proprietarius vnius denarij, cum nullæ illarum quantitatum efficiant quantitatem notabilem, cuius furtum dicatur mortiferum, per ea quæ mox dicemus.

14 His tamen non obstantibus, quæ verè nõ obstant, cõtrarium est tenendum, scilicet quod appropriatio vnius denarij, vel plurium non facientium quantitatem notabilem non facit monachum Carthusianum peccati mortiferi reum. Tum ob illam rationem firmã, quòd licet omnis transgressio præcepti obligantis sub pœna peccati mortiferi sit mortifera regulariter, fallit tamen, quoties vnum de tribus concurrit, scilicet rei paruitas, subreptio, vel defectus iudicij ad id sufficientis, vt post S. Thom. in diuersis locis post alios tradidimus in Man. conf.[h] At in transgressione præcepti de nihilo sibi appropriando per appropriationem vnius denarij occurrit paruitas rei, vt palam est: ergo illa non est mortifera. Tũ quia lex monachorum de nihil appropriando sibi non est fortior, quã lex Dei de nihil furando, nec adeo fortis: quia hæc est lex naturalis, & diuina sine vllo facto humano mediante obligans, illa verò est humana, aut certè diuina, mediante facto humano, scilicet voto obligans, vt palam est. At transgressio legis de non furando excusatur à culpa mortali propter rei exiguitatem, iuxta S. Thomam ab omnibus receptũ.[i] Tum quia transgressio legis temperantiæ exigua nõ est mortalis, ebrietas enim vna vel altera, licet sit transgressio legis sobrietatis, quæ temperantiæ species est, non est mortalis, iuxta cap. *vnum*,[k] à contrario sensu. Tum quia inter minuta & venialia peccata numerat Augustinus,[l] comedere, aut bibere plusquam oportet. Tum quia etiam trangressio parua legum caritatis, affabilitatis, & mansuetudinis inter eadem minuta & venialia numerat ibidem idem Augustinus in illis verbis, *Quoties aliquis in cibo, aut in potu plus accipit, quam necesse est.* Tum quia etiam inter minuta & venialia ponit idem Augustinus,[m] transgressiones paruas legum benè loquendi, & tacendi, immo caritatis, & affabilitatis, per illa verba: *Quoties plus loquutur, quam oportet, plus tacet, quàm expedit, quoties pauperes petentes exasperat.* Tum quia qui cantat, vel recitat Horas canonicas, non peccat mortiferè propter omissionem vnius vel alterius verbi, nec vnius vel alterius versiculi, sine contemptu, secundum omnes, & tradimus nos in Enchi. de oratione.[n]

15 Tum denique quia contraria opinio nimis accedere videtur ad hęresim Lutheranorũ, asserentiũ omnia peccata esse mortalia, & nulla venialia. Equidem arbitror actũ fore de omnibus nobis, si per exiguitaté & paruitaté non excusaremur à culpa mortifera: cũ palam sit in bona parte nostrarum actionũ inueniri aliquos defectus paruos circa substantiam, earum vel suarum circumstantiarum, iuxta illud.[o] *Et quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ.* & illud.[p] *Si dixerimus, quod peccatũ nõ habemus ipsi nos seducimus.* Quis enim nostrũ omnia & singula errata parua cõfitetur speciatim, & numeratim, vt mortifera, scilicet proponendo expressè, vel virtualiter, potius mortem subire, quam eorum aliquod iterare? quod tamen teneremur

a 17. q. 2.
b 2. 2. qu. 88. art. 3.
c Ca. 31. §. 9.
d Et cap. non æstimemꝰ. 13. q. 2.
e Ca. ex parte. 2. de sepultu.
f 2. 2. qu. 24. art. vlt.
g In ca. 5. sess. 14.
h Cap. 11. nu. 4.
i 1. 2. qu. 88. art. 5. & 6. & 2. 2. q. 59. ar. 4.
k §. criminis. 25. dist.
l In d. ca. vnum. §. quæ autem sunt minuta.
m In eodẽ §.
n Super cap. quando. de cõsecr. dist. 1. ca. 10.
o Esaiæ c. 64.
p 1. Ioan. 1.

facere,

facere, iuxta ea quæ latius tradimus.[a]

a In c.1. Man. confess.

Ad primum oppositorum respondetur, concedendo cum D. Hieronymo, furtum rei etiam paruæ esse furtum, vt Hieronymus ait: negando tamẽ esse mortiferum, quod ille non ait: concedendo item quod non est attendenda tantùm quantitas rei furto subtractæ, quantùm mens subtrahentis, vt dicit Hieronymus, quia frequenter quis capit rem notabilem alienam, & non committit furtum, propter mẽtem, qua capit, putans probabiliter illam subtractionem domino placituram, [b] frequenter item quis capit rem paruam, propter quam non peccat mortiferè, sed sic propter mentem, qua eam capit, volens capere eam, etiam si esset notabilis quantitatis: declarando item illud Hieronymi in fine argumenti citatum intelligendum esse de furto notabilis quantitatis, aut facto cum mente notabilem quantitatem furandi.

b L. inter omnes. §. recte. ff. de furt.

16 Ad secundum respondeo, quod illud dictum Augustini, *Nullum peccatum est adeo veniale, quod non fiat mortale, dum placet*, non potest intelligi sine aliqua restrictione: alioquin enim probaret, quòd omne peccatum ex deliberatione procedens esset mortale, quod est contra omnes Catholicos, & in iis contra S. Thomam, [c] per cuius dicta est restringendum, vt solùm procedat in eo, cui placet peccatum veniale cum contemptu legis, contra quam est illud veniale: nos autem loquimur de trãsgressione parua legis, sine contemptu eius. Ad dictum Bedæ respondetur restringendum esse, sicut præfatum dictum Augustini, vt etiam restringit ipsemet magister Gratianus, [d] vbi ea citat: alioqui enim probaret omne peccatum veniale deliberatè admissum esse mortiferum, quod est contra omnes Catholicos, vt prædictum est.

c 1.2. qu.74 art.9.

d In d. §. criminis.

17 Ad tertium respondetur, quod Caietanus animaduertit difficultatem dicti S. Thomæ & ait esse intelligendum de illo, qui furatur minimum non solùm simpliciter animo nocendi domino illius, sed etiam notabiliter: qui quidem intellectus, licet ipse non dicat, satis clarè colligitur ex solutione ipsiusmet S. Thomæ, qui nisi sic exponeretur, secum pugnaret, contra l. *vbi repugnantia.* [e]

e ff. de regul. iuris.

Ad quartam respondetur, negando quod omne mendacium formale sit mortiferum: nemo enim Catholicorum id vsquam dixit, vt satis colligitur ex vtroque Thoma. 2.2. quæst. 110. art. 2.

Ad quintum conceditur omnem voluntatem appropriandi esse monacho peccatum, sed negamus omne tale peccatum esse mortiferum, vt & omne animal est animal, sed non rationale. Eodem modo respondetur ad voti violationem, scilicet, quod eius violatio est peccatum, sed nõ mortiferum: quia ob exiguitatem desinit esse mortifera, sicut furtũ, & quælibet alia transgressio præcepti minima.

Ad sextum vario eruditóque modo respondes tu Michael, & negari non potest vrgere multum, nisi dicamus literam incuria librariorum vitiatam habere, *infra*, pro *vltra*. quod grauiter coniicis, ex eo quod statuta nouissima nondum typis excusa sic habent: *Quamquam dici potest, sed non ita germanè, quod est intelligendum de illo monacho proprietario rei minimæ, qui ex aliquot coniecturis præsumitur per contemptum legis, vel animo maiora appropriandi eam appropriasse.*

TERTIVM DVBIVM, quantæ quantitatis appropriatio requiratur, vt ob eam monachus Carthusianus censeatur mortiferè peccare?

18 Ad quod respondeo primò, quod sufficit & requiritur tanta quantitas, quanta sufficit & requiritur, vt aliquod furtum laici sit mortiferum: vtrumque enim est furtum, quia vtrumque est contrectatio rei alienę inuito domino: quæ est definitio furti, [f] & vtrumque est illicita vsurpatio rei alienæ. [g] Et consequenter ratio, quare vtrumque aliquando censeri debeat esse mortale, est, quod vtrumque sit contrectatio illicita rei notabilis.

f Leg. 1. ff. de furt.
g Ca. penale. 14. q. 5.

Secundò respondetur, quod magna cum deliberatione respondimus ante circiter 50. annos, id quod postea scripsimus super hoc in commentario ca. fin. [h] quorum summam inseruimus. [i] Manu. confess. vbi tenuimus quantitatem minorem quarta parte vnius iulij, vel regalis Hispani non constituere notabilem quãtitatem, sed sic dimidium iulij, vel regalis, & quod non damnarem eum, qui teneret mediam inter quartam & dimidiam non esse notabilem.

h 14. q. 6.
i Ca. 17. à nu. 3.

Pro qua mea opinione multùm facit quoddam statutum Carthusianum citatum à te vir diligentissime, quo probatur appropriationem vnius solidi Gallici (quod non excedit, nec hodie omnino attingit quartam partem regalis Hispani, siue iulij) esse sufficientem ad priuandum sepultura monachum id sibi appropriantem, & consequenter esse mortiferum: cum propter veniale non priuetur quis sepultura. [a]

a Arg. ca. pro obeuntibus. & c. non æstimemus. 13. q. 2. & gloss. notabilis cap. ex parte. 2. de sepult.

Nunc autem, quia ab eo tempore in hoc vsque multùm abundauit pecunia numerata in bona Europæ parte, facile consentirem opinioni, in qua tu quoque vir doctissime inclinas, nempe, nec furtum, nec appropriationem minoris quantitatis, quam trium solidorum, siue quartarum regalis, vel iulij, esse mortiferum.

19 Quin & augerem vsque ad vnum iulium, vel regale, nisi quoddam statutum vestrum expressè haberet appropriationem vltra valorem trium solidorum esse dignam excõmunicatione, & consequenter mortiferam. [b] Quãuis responderi posset, tam illud statutũ, quàm aliud præfatum de priuante sepultura ob appropriationem valoris vnius solidi, fuisse quidem iusta tempore quo facta fuerunt, non autẽ adeo hoc nostro, quo multũ viluit pecunia numerata: & forte iustè mutari posset: ꝙ credo non facile persuasũ iri ordini vestro, paupertatis voti quã obseruãtissimo.

b Arg. ca. nemo. & c. nullus. 1. q. 3.

QVARTVM DVBIVM continet aliquot scrupulos circa statuta, [c] quorum tenor est, qui sequitur, [d] *Statuto irrefragabili duximus ordinandum, vt quicumque subditus, monachus, redditus, & cõuersus crimen furti, vel alienationis commiserit, seu proprietarius extiterit vltra valorem trium solidorum Turonensium, & illud suo Priori saltem temporibus contentis in statutis confiteri, vel reuelare scienter neglexerit: hoc est, præsens vsque ad diem Cœnæ inclusiuè, & absens vsque ad diem octauum reuersionis ad domum suam post prædictum terminum, similiter inclusiuè: ipso facto, hoc est elapsis dictis terminis, excommunicationis sententia, quàm in his scriptis ferimus, sit ligatus, à qua nõ possit absolui, nisi per proprium Priorem, vel eo absente, per Vicarium, vsque ad dicti Prioris aduentum, cui necessariò erit confessio iteranda, & ab eo absolutio exigenda.* Et aliud, [e] omisso principio sic habet: *Ego F. N. Prior, aut Vicarius, siue Rector huius, vel illius domus, vigore & virtute sententiæ latæ, vt præmittitur, à dicto Capitulo generali, excommunicatos denuncio omnes tam monachos, quàm conuersos, quam etiam redditos, professos huius domus, ac de mandato ordinis ibidem hospitantes, qui occultandi animo, vel celandi vltra valorem trium solidorum prædictorum retinuerint, donauerint, accommodauerint, vel modo quolibet alienauerint, donec mihi illa reuelauerint, & à me beneficium absolutionis meruerint obtinere.*

c Cap. 5. §. 12. 13. & 14. in 2. par. statutorum nouorum.
d §. 12.
e §. 14.

20 Pro quorum complanatione dico primo, Capitulum generale, & Priores ordines Carthusiani procuidubio habere potestatem excommunicandi subditos suos, quia habent iurisdictionem spiritualem in foro exteriori super eos, qualem qui habet, omnis potest excommunicare, vt diximus in Manual. confessar. [f] per notata in cap. *cum ab ecclesiarum*, [g] & in clementina 1. iuncta glossa sua singulari, [h] & alia ibi citata.

f Cap. 27. nu. 5.
g Et c. quanto. de offic. ordin.
h De reb. eccles. nõ alien.

21 Secundò, quòd Capitulum generale non statuit, quòd Priores excommunicent proprietarios, sed tantùm vt denuncient eos excommunicatos virtute sui statuti, vt palam exprimitur vbi supra. [i] Et quod certum est longe differre denunciationem ab excommunicatione. [k]

i §. 13.
k Ca. pastoralis. §. verum. de appella. le. hæres palam. §. 1. ff. de testam.

Tertiò, quòd sicut non iubentur Priores excommunicare proprietarios, ita non excommunicant eos, sed solum denunciant, vt palam continetur consequenter. [l]

l In §. 14.

Quartò, quòd hæc consequitur, præfatos Priores denunciando verbo tantùm proprietarios esse excommunicatos, non incidere in pœnam suspensionis, quæ contra excommunicãtes verbo tantùm sine scriptis profertur. [m]

m In ca. 1. de sentẽ. excom. li. 6.

22 Quintò, quòd Capitulum generale videtur excõmunicare non solùm monachos, & conuersos, sed etiam donatos plenè, qui deferunt habitum aliquem differentem à sęculari, licet non deferant tam diuersum, ac cõuersi. Tum quia statutũ excõmunicat subditos, & huiusmodi donati sunt subditi, secundum cõmunem doctrinam. [n] Tum quia eadem vel maior ratio suadet excommunicare hos, qui diuinis parum seruiunt, quàm monachos, qui multùm.

n In c. vt priuilegiis. de priuilegiis, & c. non dubium. de senten. excom. & ca. 2. de foro compet.

Sexto, quod etiam Priores videntur denunciare huius-

modi plenè donatos,& aliquem habitum deferêtes.Tum quia non solùm denunciant monachos, & conuersos, sed etiam redditos. Tum quia redditorum appellatione non video,qui alij possint in illa denunciatione cõtineri.Non enim memini canonem, qui hac voce in hoc propositum vtatur. Tum quia Capitulum generale videtur excõmunicare illos, vt pdixi, quia excõmunicat subditos,& redditos: & ipsummet Capitulum iubet Prioribus,[a] vt suam sententiam denuncient in præfata Dominica Palmarum.

a In §.13.

23 Nec obstat, quòd illi donati non possunt dici proprietarij,cum non emiserint votũ paupertatis. Tum quia licet strictè sumpto vocabulo non debeant dici proprietarij, largè tamen sumpto possunt dici tales: & dispositio etiam aliqua ex parte odiosa ob identitatem, vt ita dixerim, vel maioritatem rationis extenditur ad contenta sub verbis eius largè acceptis, iuxta doctrinam Dominici, & Franci, [b] saltem cùm probabiliter coniicitur id voluisse disponens, vt in casu proposito coniicitur Priori esse animum denunciandi omnes, quos Cap. excommunicat, & illud, vt diximus, videtur excommunicare illos, cùm excommunicet omnes subditos,quorum de numero sunt hi.

b In cap.1.de tempor. ord. li.6.

QVINTVM DVBIVM,an monachus Carthusianus occultans, furans, vel impendens sine sufficienti licentia vltra summam trium solidorum,incidat in excommunicationem,siue illam occultet,furetur, vel impendat vna sola vice,siue duabus,siue decem,vel viginti,aut pluribus vicibus?

24 Pro parte negante facit primò,quòd qui minutatim multis vicibus capit,aut furatur aliquod minima,quorum nullum separatim efficit quantitatem notabilem, licet coniuncta efficerent talem, nulla vice peccat plusquam venialiter,vt post alios diximus in Manual.confess.[c]quod ipsum tenuit Sotus, [d] dummodo nulla vice iam inde à principio, vel postea habuerit animum capiendi notabilem quantitatem, vt etiam ibi tradimus. At ob peccatum veniale nemo debet excommunicari.[e]

c Cap.17.nu. 140.
d Li.4.qu.7. art.3. de iust. & iur.& lib. 1.qu.3.art.3. ad tertium.
e Cap.nemo. ea.nullus. 11. q.3.

Secundò, quòd nullum furtorum prædictorum minutorum obligat furantem ad restitutionem sub pœna peccati letalis, quia exiguitas rei non solùm excusat à culpa mortali, sed etiam ab obligatione restituendi rem acceptam, secundum mentem omnium: pro qua videtur esse ratio hæc irrefragabilis, scilicet quod licet secundum Innocentium III.[f] non multùm intersit inter inuadentem rem alienam,& inter detinentem illam,interest tamen aliquid,vt idem ipse significat: ita quod aliquantò grauius peccat inuadendo,& capiẽdo,quàm qui retinet inuasum, ceteris paribus,quia si quis furando aliquid nõ peccat nisi veniale,à fortiori non restituendo non peccabit mortale.

f Ca. sæpe.de resti.spol.

Tertiò, quòd nos ipsi videmur dixisse in cap. *inter verba*, [g] quòd nemo tenetur respondere ad excommunicationem latam contra eos, qui furati sunt, nisi furtum sit mortale.

g Conclu. 6. nu.470.

25 Pro parte affirmante facit primo, quod in præfato statuto, [h] exæquat capere vna vice vltra summam trium solidorum,& capere ea pluribus vicibus: verba enim eorum sunt hæc:*si vltra valorem trium solidorum Turonensium simul,vel per partes alienauerint, vel retinuerint,&c.*

h Ca.5.§.12.

Secundo, quod licet qui fecit multa furta minuta singulatim sine animo nocendi notabiliter, non teneatur restituere illa, donec omnia coniuncta faciant notabilem quantitatem, postquam tamen peruenerint ad illam, sic, vt & nos post alios diximus in Manual.[i] & tradit Sotus.[k] Ergo, licet non posset excommunicari, quia furatus est, potest tamen excommunicari, quia non restituit, cùm id non faciendo mortiferè peccet.

i Dict.ca.17. nu.140.
k Vbi supra.

Tertiò,quòd licet is,qui fecit multa furta minuta,non peccet plusquam venialiter, donec faciat illud, per quod additum efficiunt illa furta notabilem quantitatem, peccat tamen mortaliter faciendo illud, vt exprimit Sotus, [l] & ita potest excommunicari,nisi omnia illa restituat.Per quæ tria fundamenta videtur præfatum dubium resoluendum esse in partem affirmatiuam, iuxta communem opinionem,quam sequuti fuimus in præfato Manual.

l In dict.art. 3. ad tertiũ.

26 Ad duo prima opposita responderi potest primò per fundaméta pro parte affirmatiua formata. Secundò,quòd monach⁹ Carthusian⁹ sponte sua se obligauit ad seruãda sua statuta, & ideo licet iure communi non teneretur ad restituenda furta minima multis vicibus surrepta,iure tamen speciali ad id teneretur, vt supra in primo dubio diximus teneri eum ad confitendum aliquando bis idem peccatum iure suo speciali propter suum consensum.

Ad tertium respondetur,quòd ego [a] loquor de illo,qui non peccauit mortaliter furando,etiam si furatus esset vsque ad notabilem quantitatem, eo fortè quòd probabiliter credebat eius subtractionem placituram domino,iuxta l. *inter omnes*, [b] non autem de illo, qui post multa furta minima, quæ non pertingunt ad notabilem, facit aliud, per quod pertingat ad illam: quia is faciendo illud peccat mortifere.

a In d.c.inter verba. num. 480.
b §.qui rectè. ff. de furt.

27 Quamuis autem hæc opinio probabilis sit, & communiter recepta, ideo & à nobis,[c] probata: verior tamen videtur profecto sequẽs, quam fundant quinque sequentia. Primùm, quod nemo peccet mortiferè coram Deo propter furtum rei minimæ, nisi expressè, vel virtualiter intenderit inferre damnũ notabile, etiam si per vltimum, penultimum, vel aliud additum omnia coniuncta perueniant ad notabilem quantitatem: quia nullo iure naturali, diuino, nec humano efficaciter probari potest, quòd furtum secundum,quartum, decimum,vel vlterius, quod de se propter exilitatem rei non est plusquam veniale, fiat mortale propter furta præcedentia venialia, si nec expressè, nec virtualiter, seu tacitè habuerit animum nocendi in pluri,quàm furabatur, cum veniale additum veniali etiam in maximo numero non faciat mortale,secundum S.Thomam,[d] communiter receptum.

c In d.ca.17.
d 1.2.qu.88. art.4.

Secundùm,quòd nemo, qui non peccat plusquam venialiter furando, tenetur restituere aliquid illorum, quæ solùm venialiter peccando furatus fuit, quia magis peccat quis furando, quam retinendo furtum, cæteris paribus,& ideo qui nõn peccat plusquam venialiter furando, non peccabit plusquam venialiter non restituendo illud, cæteris paribus.[e]

e Arg.ca.sæpe.de restitu. spol.

Tertium, contingere posse, quòd vnus tribus vel quatuor vicibus furando notabilem quantitatem intra viginti dies non peccet mortiferè, nec ad restituendum obligetur: & quod alius eamdem quantitatem furans in tribus annis peccet mortiferè,& teneatur restituere:quia fieri potest,vt quis intra viginti dies furetur aliqua minuta, quæ coniuncta facerent notabilem quantitatem, cum minori memoria aliarum vicium, quibus furaretur,quàm alius,qui totidem vicibus intra tres annos furaretur notabilem quãtitatem:& quòd memoria furti prioris,vel posterioris faciat multum ad hoc, quod fur habeat expressè, vel virtualiter animũ nocẽdi in pluri,quàm tunc furatur.

Quartum,quod pręfata statuta Carthusiana possent restringi ad illos tantùm,qui multis vicibus vltra summam trium solidorum sic acceperũt, quod expressè,vel virtualiter illud nocumentum aliqua illarum vicium inferre intenderunt, vel præsumuntur intendisse: quia fieri potest, quòd monachus Carthusianus aliquo tempore aliqua minima capiat sine vlla memoria postea capiendorum, & immemor eorum, quæ cœpit, vel capturus est, capiat alia minima sine vlla mente nocendi monasterio in pluri,quàm tunc capit.

Quintum,quòd licet hæc sint vera in foro interiori,tamen in foro exteriori præsumetur huiusmodi monachus, vel alius homo, qui fecit huiusmodi minima furta multis vicibus vsque ad quantitatem notabilem, quod in aliqua earum habuit animum expressum virtualem, vel tacitum nocendi notabiliter ei, cui talia furaretur: & quòd per hoc conciliari possunt opiniones contrariæ,scilicet,quod hæc posterior nostra sit vera in foro Dei, quod sola nititur veritate,[f] & prior communis in hominum foro,quòd multum iuuatur præsumptione.[g]

f Cap.multi. 2.q.1.
g Ca.tua.ca. is qui.de spon sal.

SEXTVM DVBIVM,an monachus Carthusianus, qui cepit aliquã rem sine sufficienti ad id licẽtia de bonis monasterij,quã nõ potest restituere,quia omnino perempta est,vel donatarius,cui data fuit, abiit numquam rediturus, vel in extremam & perpetuã incidit paupertatem, aut ob aliquã aliam rationem incidat in excõmunicationem præfati statuti, si iuxta formã illius id nõ manifestet?

28 Pro parte negãte facit primo,quod frustra expectatur

euentus,cuius nullus sequitur effectus,[a] de manifestatione peccati nullus sperari posse videtur effectus in casu proposito,cùm in eo nulla speretur restitutio. Secundo,quod accessorium sequitur principale,[b] & excommunicatio lata contra non restituentem videtur accessorium ad restitutionem:cùm ergo impotentia & inopia excusent à peccato non restituendi,[c] excusabit quoque ab excommunicatione ob omissam restitutionem: cùm adeo sit eius accessorium, vt iussus restituere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ,non incidat in illam,si restituere nequit,per ea quæ latius tradimus in dicto Manuali.[d]

29 Non obstantibus his, contrarium est tenendum, vt tu ipse neruosè comprobas. Tum quia non quæritur in dubio proposito de excommunicatione lata contra non restituentem,in qua procedunt argumenta præmissa, sed de lata contra non manifestantem, qui se sua sponte saltem tacitè obligauit ad manifestandum. Tum quia monachus Carthusianus, & quilibet alius religiosus multis modis potest restituere monasterio, quod læsit, vt supra diximus citando dicta nostra in tractat. de reditib.[e] Tum quia monachus per suum consensum potuit obligari ad obseruanda statuta sui ordinis, ad quæ seruãda iure communi non esset obligatus, vt in primo dubio dicimus de obligatione ad confitendum bis idem peccatum. Tum quia manifestatio præfati peccati proprietatis non est inutilis,& superuacanea, etiam si per illam nulla speraretur restitutio. Potest enim prodesse, vt supra dictum est, ad hoc,vt cautius committantur munia, quæ præstant occasionem appropriandi, & vt magis timeat appropriare, ne subeat onus se prodendi Priori. Nec obstat, quòd nos alibi diximus non esse prodendum peccatorem iam correctum Superiori, ad cauendum futurum lapsum, quia illud est verum, attento solo iure communi, hoc autem, quod dicimus, procedit attento iure speciali præfati statuti Carthusiani.

SEPTIMVM DVBIVM, an monachus Carthusianus, qui appropriauit vltra summam trium solidorum, & postea fecit restitutionem sufficientem ante lapsum termini ad manifestandum Priori præfixum, incidat in excommunicationem propter omissam manifestationem intra terminum ad id præfixum.

30 Et quidem pro parte affirmante facit primò, quod paria videntur esse non posse restituere,& restitutionem esse factam, quo ad hoc, vt non teneatur quis furtum à se, vel ab alio factum manifestare, per ea quæ nos latius diximus in cap. *inter verba*,[f] vbi definire videmur non teneri quem ad manifestandum furem, qui iam restituit, vel non potest restituere, propter monitoria de manifestando à Superiore proposita, & in proximo dubio diximus teneri monachum Carthusianum ad manifestandum appropriationem malè à se factam intra terminum ad id præfixum, etiam si res appropriata nullatenus posset restitui:ergo tenebitur,licet iam restituerit.

Secundo,quod statutum prefatum excommunicat omnem proprietarium,siue qui proprietatis peccatum admisit vltra valorem trium solidorum. At qui illud admittit, licet rem appropriatam restituat, non potest dici non fuisse proprietarius: ergo videtur comprehendi in eo.

His tamen non obstantibus, cõtrarium videtur tenendum. Tum quia monitorio Episcopi de manifestando furto non ligatur,qui restituit illud, neque qui nouit ipsum iam esse restitutum,per ea quæ diximus in capit. *inter verba*.[g] Tum quia diuersa sunt appropriare,& appropriatum non manifestare Priori, & statutum præfatum non excommunicat appropriantem solùm, sed appropriantem,& non manifestantem id,quod deberet manifestare: & qui restituit rem appropriatam ante manifestandi terminum,desinit habere rem appropriatam cum obligatione manifestandi eam, & consequenter desinit esse obligatus ad rescindendam proprietatem per manifestationem, quia priuatio præsupponit habitum, [h] & quod non est, dissolui non potest.[i]

31 Tum quia legis, quæ dupliciter aptè intelligi potest, benignior intellectus est accipiendus.[k] Et ideo licet prædictum statutum aptè posset quo ad verba forsitan intelligi de illo, qui est, aut fuit tantùm proprietarius, benignius tamen intelligitur de illo tantùm, qui fuit, & est proprietarius tempore manifestationis,vt palam est:ergo tantùm debet intelligi de illo. Tum quia vtilior est is intellectus monasterio,& animæ proprietarij, quoniam est incitamentum ad hoc, vt proprietarius per se, vel per amicos ante tempus manifestandi restituat rem appropriatam aliquo illorum modorum, quibus diximus monachum restituere posse, [a] quoniam item est consolatio monacho ad excusandum pudorem, quem cum nulla,vel parua vtilitate monasterij aliàs est passurus. Tum quod est lex pœnalis, & ideo restringenda. [b] Tum denique quod non est credendum Patres illos pientissimos, qui statutum illud composuerunt, fuisse adeo tetricos, & saxeos, vt non posset eos mollire, & contentos facere iusta restitutio, quæ etiam crudeles quosque, ac militares homines mollit, & reddit contentos.

Ad prius oppositorum respondetur,negando quod paria sint restituere, & non posse restituere, per ea ipsa,quæ ipse dico in dicto cap. *inter verba*.[c]

Ad posterius respondetur, negando quod statutum præfatum debeat intelligi de quolibet, qui est, vel fuit proprietarius: sed tantùm de eo, qui fuit, & non desiuit esse proprietarius per iustam restitutionem tempore manifestationis,per rationes supradictas.

OCTAVVM DVBIVM,an Priores præfati ordinis Carthusiani possint remittere suis monachis obligationem manifestandi sibi appropriata, ita quod propter omissam manifestationem non incidant in excommunicationem,& sufficiat eis confiteri sua peccata proprietatis confessariis electis per bullam Cruciatæ, vel aliis habentibus potestatem absoluendi à reseruatis Prioribus.

32 Et quidem pro parte affirmatiua facit, quod Priores videntur posse dare suis monachis facultatem donãdi ea, quæ ipsi possent iustè donare, & impendere,vt nos tradimus in commẽt.2.[d] & consequenter habere pro rectè impensis ea, quæ sui monachi impenderunt, vel donarunt, quo facto videtur facta restitutio, quia restitutio, & remissio, siue condonatio debiti exæquantur, iuxta cap. *peccatum*, [e] adiuncta glossa, [f] cum similibus.

Sed videtur respondendum primo,quod præfati Priores per nullam remissionem suam excusantur ab obligatione faciendi denunciationem, quam debent facere in Dominica Palmarum. Tum quia iubentur id facere per præfatum statutum. Tum quia,etiam si nullus fuerit proprietarius toto illo anno,tenentur tamen ipsi facere illam denunciationem,cùm nesciant nullum talem esse:& præfata remissio ad summum non potest efficere, nisi quod sui monachi desinant esse coram Deo proprietarij, quod non potest Prior certò scire, nisi per manifestationem.

33 Secundò videtur respondendum, quòd Prior non potest ratam habere dispensationem suorum monachorum,nisi fuerit facta in vtilitatem monasterij,& vsus pios, vel iustã remunerationem,quia(vt dixi in prædicto Comment.[g]) non habet ipse Prior facultatem dispensandi in alia:& nemo dat quod non habet.[h]

Tertiò, quòd Priores non viderentur rectè facere, si monachis suis generaliter remitterent appropriata & impensa sine sua licentia, quia darent occasionem delinquendi, contra cap. *ex parte*, [i] & contra l. *conueniri*.[k]

Quartò, quòd si Prior remitteret eis appropriata, & impensa, vel occultata sine ipsius sufficienti licentia, valeret remissio quo ad impensa in vtilitatem monasterij, vel in pios, aut iustos remuneratorios vsus, non autem quo ad impensa,vel occultata in alios:& ita non tenerentur manifestare suas appropriationesmagis,quàm si restituissent : quia per responsum ad septimum dubium, qui restituit ante terminum manifestandi,non tenetur manifestare, alij autem, qui in alia impendissent, tenerentur manifestare, vel restituere ante terminum, aliàs inciderent in excommunicationem per supradicta.

Quintò, quòd vero propius videtur non posse Priores remittere suis monachis obligationem manifestandi eis suam appropriationem. Tum quia interest ordinis, vt illa fiat eis ob respectus supra tactos. Tum quod totus ordo videtur reseruare illam Prioribus ratione industriæ illorum,quòd videtur facere illam indelegabilem.[l]

a Ca. cũ contingat. de offic. deleg. l. ad probationem. C. de probat.
b Ca. accessorium. de reg. iur. li. 6. cum suis concordantijs.
c L. nam is. ff. de dolo. c. Odoardus. de solutio.
d Ca. 17. nu. 60.
e Qu. 1. mon. 20. & qua. 3. mon. vlti.
f Concl. 6. coroll. 65. aliàs. 66.
g Conclu. 6. corolla. 65. & aliàs 66. 11. q. 3.
h Le. decem. ff. de verb. oblig.
i Ca. ad dissoluendum. de desponsa. impube.
k L. benignius. ff. de legib.

a Vbi supra.
b Cap. pœna. de pœnit. dist. 1.
c Corolla. 65. vel 66.
d De reg. super c. non dicatis. 12. q. 1. nu. 23. & seq.
e De reg. iur. li. 6.
f Verbo restituatur.
g Nu. 23. & seq.
h Cap. quod autẽ. de iure pat. l. si vniuersa. C. de legat.
i De consuet.
k ff. de pact. dota.
l Capi. fin. §. cęterum. de offi. deleg.

NONVM

NONVM DVBIVM, an Priores Carthusiani possint aliis confessariis subdelegare potestatem absoluendi monachos proprietarios à peccatis proprietatis, & ab excommunicatione incursa ob omissionem non reuelationis eorum iuxta statuta ordinis faciendæ?

34 Ad hoc respondeo affirmatiuè, quod sic, attento iure communi. Tum quia iure Pótificio omnia, quæ pertinent ad iurisdictionem, sunt delegabilia, iuxta glossam memorabilem & receptam.[a] Tum quia quædam alia solemnis glossa etiam recepta,[b] tenet, quòd omnes, qui possunt absoluere ab excommunicatione virtute iurisdictionis delegatæ à Principe, aut concessæ in priuilegium perpetuum ratione dignitatis, aut officij, aut virtute alterius ordinariæ potestatis, possunt committere aliis. Et constat huiusmodi Priores habere iurisdictioné ordinariá in suos monachos, & potestatem absoluendi ratione suarum dignitatum,[c] & per statuta ordinis, quæ etiam sunt leges particulares,[d] nescio autem an aliquo statuto particulari ordinis à Sede Apostolica probato id eis vetetur.

35 DECIMVM DVBIVM, an monachus Carthusianus absolutus à peccato proprietatis per bullam Cruciatæ, teneatur ad reuelandum illud Priori.

Respondeo, quòd sic: quia absolutio à peccato proprietatis non tollit obligationem ad manifestandum illud Priori, per responsum ad primum dubium.

VNDECIMVM DVBIVM, an absolutus per bullam Cruciatæ ab excommunicatione incursa, eo quòd non denunciauit intra certum terminum id, quod iubebatur denúciare per edictum Superioris, incurrat nouam excommunicationem, si non denunciauerit post termini lapsum, quam cito commodè poterit, quod eum facere debere diximus in Manuali confessar.[e]

36 Respondeo primò, quòd quæstio videtur præsupponere falsum, scilicet, quòd excõmunicatus potest absolui per bullam Cruciatæ sine præuia satisfactione: contrarium enim videtur verum, quod affirmat Sotus,[f] pro quo facit glossa singularis solemnis, & alia quam ipse non citat,[g] communiter recepta, præsertim à Felino,[h] quæ habet non valere actum ab eo, cui data est potestas faciendi illum, adiecta certa forma, si non seruat eam, nec habet aliunde potestatem, qua illum faciat. Et confessarius electus per Cruciatam accipit potestatem absoluendi, adiecta forma præuiæ satisfactionis, & non habet communiter aliunde facultatem absoluendi: vnde hinc ipse Sotus infert, quod non potest quis absolui ab excommunicatione per Cruciatam ante satisfactionem, etiamsi omnino impotens sit ad satisfaciendum.

Secundo respondeo, quòd, etiam si confessarius per bullam Cruciatæ electus haberet potestatem absoluendi ab excommunicatione non potentem satisfacere, non tamen posset absoluere monachum Carthusianum ab excommunicatione incursa propter omissam manifestationem, antequam eam faceret. Quia licet non habeat potentiam restituendi appropriatum, & malè dispersum, habet tamen potentiam manifestandi appropriationem: & ita non posset illum absoluere non faciédo illud, propter cuius omissionem excommunicatur.

37 Nec obstat, quòd absolutio facta mandato Papæ, cùm mandat aliquem absolui secundum formam iuris, non seruata illa, valet, vt etiam nos diximus in præfato Manu.[i] etiam si fiat ab eo, qui aliunde nõ haberet potestatem absoluendi, licet contrarium sit regulariter verum per præfatam glossam singularem & cõmuniter receptam,[k] quia illud intelligitur, quádo Papa facit mentionem de forma iuris, non animo inducendi nouam formam, sed monendi formã inductam, argumento dictorum Innocentij,[l] quem probat glossa magna communiter recepta,[m] at Papa per bullam Cruciatæ facit mentionem de præmittenda satisfactione animo inducendi nouam formam: quod colligitur ex eo, quod priuilegium Principis intelligendum est sine præiudicio tertij,[n] & si priuilegium præfatum Cruciatæ aliter intelligeretur, præiudicaret innumeris, & grauissimè.

38 Non obstat etiam, quòd non est facienda satisfactio iudici, vt Sotus ibi dicit. Tum quod non potest suum probari dictum, nisi quo ad pœnam nondum impositam, iuxta glossam singularem,[a] quam didicimus ab Aretino.[b] Tum quod in nostro casu Prior est vt pars. Tum quod ipsemet ait id esse verum quando non potest satisfieri mandato, non autem quando potest, & perfidia durat, & potest ab ea recedi, vt in casu nostro, in quo monachus licet nõ possit satisfacere statuto restituendo appropriatum, potest tamen satisfacere illi manifestando, vt prædictum est.

DVODECIMVM, quid dicendum sit super diuersitate Iobelæorum, quæ emanarunt à fœl. recor. Pio V. & à S.D.N. quo ad absolutionem à censuris, cum priora significent posse quem absolui per illa quo ad forum cõscientiæ tantùm ante satisfactionem, & non quo ad forum exterius, per posteriora verò non, etiam quo ad forum conscientiæ, nisi quo ad effectum indulgentiæ quærendæ.

39 Respondeo, quòd memini facere quędam verba cum fœl. record. Pio V. super duritia formæ absoluendi à censuris Iobelæis suis insertæ: quod forte fuit in causa mutandi in alias formas, & tandem visum est & quidem rectè S.D.N. Gregorio XIII. quod absoluantur quidem omnino quo ad momentum, quo quæritur indulgentia, sic tamen vt statim reincidant etiam omnino, etiam quo ad vtrumque forum in easdem censuras, vt euitetur grauissimum præiudicium, quod fieret his, in quorum fauorem essent illæ latæ, etiam per absolutionem quo ad forum conscientiæ tantùm, cum per eam debitores longè negligentiores fierent ad soluendum, videntes se quo ad Deum absolutos.

DECIMVMTERTIVM, an monachus Carthusianus furans aliquid ab exteris ad vtilitatem monasterij peccet bis, aut semel cum circumstantia necessario confitenda ob transgresionem legis de non furando, & voti paupertatis.

40 Respondeo quòd non, quia non frangit votum paupertatis: quoniam per illud solum vouit nil sibi quæsiturum, immo nec appropriaturum sine licentia superioris, per ea quæ nos latius scribimus in comm. 1. de reg.[c] & is, de quo quæritur, nihil sibi vult quærere, nec appropriare: si autem furaretur animo quærendi, vel appropriandi sibi, bis peccaret, vel saltem semel cum circumstantia necessario confitenda, per ea quæ diximus in Manuali.[d]

DECIMVMQVARTVM, an statuto Carthusiano excommunicanti monachum appropriátem vltra valorem trium solidorum, & non reuelantem id intra tempus in eo præfixum, aduersetur Cócilium Tridentinum.[e]

41 Respondeo, quod facile cuipiam videri potest vera pars eius affirmatiua. Tum quia procemium illius capit. probat excommunicationem non esse pro re leui ferendam: ergo nec pro omni re valorem trium solidorum non excedente: cùm is valor, qui non pertingit ad valorem vnius iulij Itali, vel regalis Hispani, satis leuis censeatur. Tum quod dispositio illius cap. expresè prohibet, ne pro leui furto manifestando feratur excommunicatio, & præfatum statutum profert illam pro re trium solidorum manifestanda.

Sed contrarium est dicendum. Tum quia cap. illud inducit ius nouum, quod colligitur ex illo verbo *statuimus*, quod est signum iuris noui, iuxta glossam,[f] quã cum aliis citat Felinus.[g] Et ita non extenditur ad præterita.[h] Statutum autem præfatum ante multa sæcula fuit editum. Tum quia cap. illud loquitur de excommunicationibus ferendis ab homine, & non de latis à iure, quarum de numero est illa, quæ à statuto præfato fertur. Tum denique quod ex verbis ipsius planè colligitur Concilium noluisse per illud alterare excommunicationes à iure ante illud latas: & in dispositionibus maximè attendenda est mens disponentis,[i] per quas considerationes in oppositum adducta soluuntur.

DECIMVMQVINTVM, an Prior Carthusianus, qui malè appropriat, vel impendit vltra valorem trium solidorum, & non manifestat intra terminum, quem Capitulum præfato statuto præfixit, incidat in excommunicationem?

42 Respondeo, quòd facile cuipiam videri potest vera pars affirmatiua. Tum quod Abbates & Priores sunt monachi,[k] vt tradit Panormitanus communiter receptus.[l] Tum quod Abbas, vel Prior malè dispendens, vel occultans

a In c. peruenit. 95. dist.
b In ca. fin. de offi. iud. deleg.
c Ca. cum ab ecclesiarum. prælatis. & c. quanto. de offic. ordin.
d L. omnes populi ff. de iusti. & iure. & ca. cũ omnes. de cõstitutio.
e Ca. 27. nu. 46.
f In 4. distin. 21. q. 2. art. 3. concl. 2.
g In clemẽ. 1. verb. inhibentes. de iure patro.
h In c. ex parte. col. 4. de consti.
i Cap. 27. nu. 37.
k In clemẽ. 1. verbo inhibẽtes. de iur. pa.
l Capi. fin. de præsumptio.
m In cle. 1. de offic. deleg.
n Leg. 2. §. si quis à principe. ff. ne quid in loco publi. fiat. & cap. si pro eo. de officio deleg.

a Clem. 2. §. 1. verbo officij. de hæreti.
b L. 4. §. Cato. in princ. de verb. oblig.
c Super c. cui portio. 12. q. 1. num. 23.
d Ca. 6. nu. 3.
e Sess. 25. c. 3. de reform.
f In clem. fin. verb. declaramus. de rescrip.
g In c. decernimus. de re iud.
h Ca. vlt. de constitut.
i L. in conditionibus. ff. de condi. & demonstra. c. fi. de prabend.
k Cap. fin. de simo.
l Cap. quoniã Abbas. de offic. deleg.

tans res monasterij, peccat contra votum paupertatis, & fit proprietari⁹ æquè, vel plus quàm monachus, argumento cap. *cum ad monasterium*, [a] & tradit Ioannes Maior, [b] ergo æquè, vel magis debet esse excõmunicatus. Tum quia excommunicationem præfatam non ferunt Priores, sed Capitulum generale, quod edidit statutum, quodque tantam & maiorem iurisdictionem habet in Priores, quàm ipsi in monachos. Tum quod excommunicatio Papalis denunciata per Episcopum merum denunciatorem ita ligat ipsum, ac alios Episcopos, vt & nos diximus in Manu. confess. [c] ergo cum Prior sit merus denunciator excõmunicationis pręfatę, æquè ligabit ipsum, ac alios monachos.

a §. fin. de statu mon.
b In 4. distin. 38. q. 9.
c c. 27. nu. 6.

Sed contra est tenendum. Tum quia Capitulum generale per præfatum statutum solos monachos subditos videtur excõmunicare, quod colligitur ex illo verbo ipsius, *subditos*. Tum quod solum illum monachũ proprietarium excommunicat, qui suam appropriationem nõ manifestat suo Priori: & Prior non habet Priorem, cui subsit, vt monachus simplex illi. Tum quod omnes, quos statutum excommunicat, Prior denunciat, & tamen ipse non denunciat nisi sibi subditos. Ergo Capitulum generale solos monachos, qui nõ sunt Priores, excommunicat. Tum quia peccatum proprietatis vt plurimum fit occultando, quo modo Prior raro peccat, vt palam est. Tum quia, licet appellatione monachi veniat Abbas in fauorabilibus, non tamen regulariter in odiosis, vt ibi communis concludit, præsertim cum est probabile, quod disponens noluit eos comprehendere, vt post alios tradimus nos alibi. [d]

d In d. ca. fin.

43 DECIMVMSEXTVM, an monachus Carthusianus dans, vel recipiens literas sine Prioris licentia, peccet peccatum proprietatis?

Et quidem pro parte affirmante facit primo cap. *non dicatis*, [e] quatenus habet, esse grande peccatum accipere, vel dare literas sine licentia Prælati: cuius vnam rationem diximus ibidem videri esse, quod frangit votum paupertatis, in quantum dispendit papyrum monasterij dando literas, & appropriat papyrum literarum ad se scriptarum recipiendo illas occultas.

e 12. q. 1.

Secundo faciunt illa verba [f] Augustini. *Si quis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur*. & nemo negare potest literas rem aliquam esse, licet paruam: & quamuis paruitas rei surreptæ excuset à culpa mortifera, iuxta S. Thomam, [g] non tamen excusat à furto veniali, vt & supra dictum est in responso ad dubium secundum.

f Ca. 9. eiusdem regulæ.
g 2. 2. qu. 5. art. 9.

44 Tertio, quòd licet alia ratione: nempe inobediẽtiæ, datio, & receptio literarum posset dici esse peccatum, non ideo desinit esse tale ob istam, cùm idem peccatum multis rationibus posit esse tale: furtum enim, quo sibi monachus quærit aliquid, maximè de rebus monasterij, non solùm est peccatum, quia vetatur lege naturali & diuina Decalogi, [h] sed etiam quia per illud frangitur votum de non volendo aliquid sibi appropriare, contra dict. cap. *non dicatis*, [i] per quam rationem diximus in dicto comment. [k] quod licet nuncia, & literæ vt plurimum æquentur, iuxta cap. *vbi periculum*, [l] hac tamẽ ratione differunt, quòd literæ possunt esse res in se pecuniariæ, quales non sunt nuncia.

h Exod. 20.
i 12. q. 1.
k In d. nu. 13.
l §. nulli. de elect. lib. 6.

Quartò, quòd per hanc eandẽ rationem possunt solui omnia illa argumenta, quibus neruosè hanc cõclusionem tu eruditissimè oppugnas: illa enim probant hanc literarũ dationẽ & receptionẽ posse dici peccatũ inobediẽtiæ, sed ex eo nõ infertur non posse dici peccatũ proprietatis.

45 Quare videtur resoluẽdum, quod si charta literarum data, vel recepta, adeo est inutilis, vt nil penitus valeat cõmuni æstimatione, eius datio, vel receptio non est peccatum proprietatis, cùm non sit appropriatio, vel dispensatio boni pecuniarij, per ea quæ diximus in d. comm. 1. [m] si autem valet notabili pretio, æstimatis saltem characteribus auratis, aut aliis imaginibus affabrè depictis, & illustratis, eius datio vel receptio erit peccatum proprietatis, etiam mortiferum: si autẽ charta cum scriptis & depictis in ea fuerit parui valoris, erit quidem peccatum proprietatis, sicut & furtum pecuniæ similis valoris, sed non mortiferum, per responsa dubio tertio. Ex quo inferri potest primò, quod huiusmodi datio & receptio non sit vllum peccatum, vel tantùm veniale proprietatis, etsi magnum inobedientiæ.

m De reg. nu. 13. & seq.

Secundo, quod aliqua datio, vel receptio literarum occulta non erit tamquam peccatum proprietatis manifestandum superiori, & tamen toties multiplicata, vt excedat valorem trium solidorum, esset manifestanda, secundum communem opinionem, quam tamen in responsione ad dubium secundum diximus esse multùm quo ad forum conscientiæ limitandam.

46 DECIMVMSEPTIMVM, an monacho Carthusiano liceat ea, quæ sibi supersunt de iis, quæ ad se alendũ tribuuntur, in opera pia pro suo arbitrio dispẽdere.

Circa quod tu eruditè, eleganter, & copiosè spatiaris quædam dicta nostra probando, & in dubium reuocando quoddam, quod nos dixisse aliqui arbitrantur in tract. de redi. eccles. [a] & tu addis temperatum fuisse idem à nobis in Apologia illius libri. [b]

a Qu. 1.
b Quæ. 1. nu. 30. & ca. non dicatis. 12. q. 1. num. 1.

Secundo, quod ego numquam dixi, nec somniaui vlli monacho simplici licere præfata superflua in eleemosynam, vel alia pia sine licentia prælati expressa vel tacita conuertere, vt latissimè declaro in dicto comment. [c] sed quod illud licet ei, quãdo dantur ei aliqua pro sua sustentatione ad aliquod negotium peragendum, ea lege, vt nihil amplius petere posit à monasterio, neque monasterium ab eo, siue plus, siue minus impendat: & quod data regulari in suum victum, & vestitum, videntur in dubio ita data, vt honestè reliquata posit in vsus pios impendere, eo quod tacitè videtur dari sibi ea facultas.

c In d. nu. 41.

47 Tertiò, quòd monacho Carthusiano simplici nullam habenti administrationem, & intra suum monasterium degenti, non licet vlla talia reliquata in eleemosynam, vel in alia pia opera sine licentia impendere, quoniã ordo iste vester huius voti paupertatis obseruantissimus habet multas constitutiones, quas ipse citas, per quas expressè prohibetur eis illa facultas, & expressim præcipitur, vt omnia quæ illis superfuerint ex cibo, & vestitu, reddant communitati: & consequenter nullam habent ad id licentiam expressam, nec tacitam, nec vllum est eis ad hoc dubium, immo præceptum expressum illi contrarium, quod etiam nititur iure communi, vt nos vbi supra diximus. [d]

d Nu. 8.

48 Quarto, quod in aliis regularibus, quibus non est tale præceptum contrarium, & datur singulis certa quantitas pecuniæ, panis, vini, & opsonij, ita quod non dabitur eis plùs, licet plùs impendant, nec minùs, licet minùs impendant: videntur eis ita in dubio dati, vt posint impendere reliquata in illas eleemosynas, & in illa pia, in quæ ipse Prælatus iustè potuisset, quia videtur illa facultas tacitè eis data, si tamen per sua statuta, vel alia iusta Prælatorum præcepta restringeretur eis expressè (vt scio in quodam illustri monasterio expressum fuisse) ne vltra certam summam etiam de reliquatis possent in pia impendere sine licentia Superioris, non liceret eis vltra illam summam eleemosynam facere, quia sunt extra casum dubium, cùm expressè sit eis id vetitum.

Quarto, quod negari nõ potest facultatem tacitam vel expressam impendendi honestè reliquata in opera pia, esse magnam occasionem abstinentiæ, sobrietatis, parsimoniæ, & continentiæ, modestiæ, humilitatis, immo & caritatis, quæ perfectionis vinculum est, quamuis etiam confitendum sit eamdem esse quibusdam incitamentum aliquod cupiditatis, & terrenæ cogitationis, sed illa facilè sopit pietas, & amor Dei, & proximi pauperis, propter quem subtrahit suæ carni, & voluptati aliqua, quæ seruiẽt alterius consolationi, fami, & paupertati, quamuis item palàm sit, conuenientius esse per se religionis perfectioni, vt tota in pauperes, & in opera pia distributio sit penes ipsos Priores, & simplices monachi reliquationi honestæ per abstinentiam, sobrietatem, & alias virtutes præfatas, amore boni communis augendi, & distribuendi ad pia per Prælatos, tantopere studerent, ac si reliquata per ipsosmet essent in eadem pia distribuenda.

DECIMVMOCTAVVM, an sit vera communis illa resolutio Bartholi & aliorum, [e] scilicet, quod legatum factum monacho, donec Superior permiserit ei vti in suos priuatos vsus, & non vltra, valeat.

e In l. Lucius. §. tres heredes. ff. ad Trebellia.

49 Respondetur quòd sic. Tum quia id nulla lege naturali vel diuina vetatur, cùm talis vsus non sit voto vlli solemni, nec simplici contrarius, vt palam est. Tum quia

nulla

nulla etiam lege humana id vetatur, cùm ille solus monachus à Ioãne Andrea communiter recepto, [a] dicatur proprietarius, qui tenet occultè, vel contra voluntatem Superioris aliquid, & præfatus monachus per dispensationem huiusmodi legati nil tenet occultè, neque contra voluntatem Superioris, quippe qui sciens & prudens vsum illius ei permittit.

50 An autem aliqua, quæ iusta fuerit, cautela poßit inueniri, per quam tribuatur alicui monacho aut monachæ facultas aliquid in vsus suos, vel alienos pios, quos ipsi volent, absque licentia Superioris expressa, vel tacita licitè impendendi? Et pro affirmante facit primo prædicta resolutio communis super glossam. [b]

Secundò, quòd contra nullam legem naturalem, diuinam, nec humanam videtur esse donatio inter viuos, vel vltima voluntas, qua quis donat alicui monacho vel monachæ aliquam quantitatem diurnam, menstruam, vel annuam, donec permittitur illi à Superioribus suis vsus eius in suas necessitates, vel alia pia.

Tertiò, quòd Papa frequenter concedit monachis pensiones super beneficiis sui ordinis, & etiam aliorum cum facultate dispendendi eas in suos, vel alios pios honestos vsus, & quidem iustè, per cap. *nisi essent*, & adnotat ibi Panormitanus de præbend.

His tamen non obstantibus, contrarium est tenendum. Tum quia id vetatur in cap. *non dicatis*, [c] & in aliis locis multis in com. eius à nobis citatis. Tum quia non possunt duo contraria simul inueniri vera, [d] at contraria & repugnantia sunt, quòd monachus per eumdem actum contraueniat voto suo, & non contraueniat illi, vt palam est. Et monachum vti aliquibus bonis absque licentia Superioris extra necessitatem extremam, & non transgredi votum suum solemne, sunt contraria, vt patet: ergo pars affirmatiua quæstionis est falsa.

Ad primum oppositorum respondetur, concedendo quidem illam resolutionem communem in eo citatam, negando tamen quod ex ea inferatur monachum posse vti aliqua re sibi relicta sine consensu expresso, vel tacito Superioris, cùm potius perdatur, & desinat eidem legatum, simul ac Superior noluerit, vt eo vtatur.

Ad secundum respondetur, concedendo assumptum in eo, sed negando, vt dictum est ad primum, quòd ex eo sequatur pars affirmatiua quæstionis propositæ.

51 Ad tertium, concedendo etiam id, quod in eo assumitur, sed negando, quòd qui monachus vtitur aliqua re de consensu vel licentia Papę, vtatur ea absque superioris licẽtia: cùm ipse sit superior omnium monachorum, immo & omnium Christianorum prælatus primus, & maximus cõcurrens in iurisdictione cum omni prælato, vt S. Thomas in opusc. cõtra errores Græcorum. [e] & Innocentius, quem sequuntur omnes, præsertim Felinus. [f]

52 DECIMVMNONVM, an expediat ordini Carthusiano, vt Prælati eius repudient legata, quæ parentes, vel alij cognati, aut amici fecerint monachis Carthusianis, vt eis vtantur, donec Prælati permiserint ipsis vti eis ad vsus suos, vel pios, quos ipsi volent, & non vltra.

Ad quod (quia de illo eruditè, religiosè, ac elegãter disputas) nihil aliud respondeo, quàm quòd Prælati debent prudenter & serio pensare, an monasteriũ egeat, an abundet, & an per repudiationem exasperentur legãtium filij, vel cognati, adeo vt auerterent animos ab amore ordinis, an item monachi legatarij ob morbos, vel complexionis debilitatem egeant alimentis, vel medicinis extraordinariis, an item sint tales, qui valdè, & ad multum temporis scandalizarentur, eo quòd non conceditur eis id quod licitè sine ordinis damno concedi potest: an item sint ad prudenter dispendendum propensi, an ad effundendum vanè inclinati, & alias rerum legatarum, quantitatis, vtilitatis, finis, & modi appositi circumstantias, & secundum illas acceptet illa, vel repudiet, vt Deo, proximis, & ordini videbitur conuenientius. Tum quia non fuerit caritatis & prudentiæ illa ex abrupto repudiare. [g] Tum quia fieri potest, vt sint aliqua monasteria Carthusiana similia quibusdam aliorum ordinum, in quibus vix panis, vinum, & vestitus de cellario communi exhiberi potest.

53 Non obstat iis statutum, [h] quod à te proponitur conceptum in hæc verba. *Si nouitij, tempore quo professionem facturi sunt, libere aliquid, & sine omni pacto, nulla præcedente petitione, dare voluerint, libere accipi poterit, & iuxta dantis voluntatem expendi, dum tamen talis voluntas non deuiet à rigore statuti, nec per eam lapsus aliquis in ordine fiat. Vnde si vellent, quòd ex re donata aliqua pitantia pro tempore, vel in perpetuum danda conuentui, diebus quibus ex ordine pitantia nõ datur, vel quod aliquid alicui, vel aliquibus particulariter, & non ad communem vsum & commune commodum daretur, aut quid simile, nullo modo debent audiri.* Hactenus statutum, cui dicitur concordare aliud. [a]

Non inquam præfatum statutum obstat prædictis. Tum quia loquitur de solis nouitiis, exorbitatque ab illo iure communi, quod continet præfata resolutio communis, de qua in decimoseptimo dubio, & ideo non debet extendi ab alios, in quibus saltẽ eadem ratio non idem suaderet. [b] Tum quia loquitur in casu, quo ex obseruantia modi donationi appositi lapsus regulæ timeretur, & prædicta intelliguntur extra illum casum. Tum quia statutum videtur loqui de modo & onere tendente ad delitias, vel superflua, vel saltem non necessaria, vt eius exempla confirmant: prædicta verò de iis, quæ tendunt ad necessaria, & vtilia monasterio, saltem per quamdam consequentiam, quia releuant illud à dando illi monacho aliqua necessaria, in quæ ipse impenderet legatum.

54 VIGESIMVMDVBIVM, an monachus Carthusianus de licentia & consensu Prioris poßit accipere aliquas pitantias Missarum, impendendas in aliqua pia, puta in libros, aut vestes sibi conuenientes, aut in illas, aut illas pauperum eleemosynas, &c.

Respondeo quòd sic, dummodo non impendat eas in alia, quia, vt nos diximus in commẽt. 2. de reg. [c] monachus de licentia prælati potest iustè impẽdere de bonis monasterij in illos vsus, in quos iustè posset ipsemet Prælatus. Nec obstat statutum, [d] quod à te proponitur conceptũ in hæc verba: *Nulla etiã persona ordinis per se, aut quãuis aliam interpositam personã pro Missis & alijs prædictis officijs, & beneficijs pecunias, etiã gratis oblatas, vel aliquid aliud ad suos vsus cõuertẽdũ sub pœna disciplinæ generalis, recipiat: sed si quid pro fideliũ deuotione offeratur, illud cũ gratiarũ actione, cessante omni pactione, recipiatur, & ad vsus, & cõmodum, non illius, cui offertur, sed totius cõmunitatis cõuertatur ad Prioris arbitrium.* Hactenus statutũ.

55 Non inquam id obstat. Tum quia loquitur simpliciter de accipiente pitantiam, vel eleemosynam in vsum suum: quæstio autem quærit de accipiẽte eam de licentia Prælati. Tum quia statutum ipsum cõtinet, vt illa impendantur arbitrio Prioris, & constat eius arbitrio impendi, quod de ipsius licẽtia impẽditur, præsertim cùm vsus certus, in quem sunt impendenda, exprimitur ab ipso. Tum denique quòd in vsum communem videtur impẽdi, quod de prælati consensu in aliquem decentem vsum monachi impẽditur, quia cum monachi sint potißima pars monasterij, cũ personæ præstent rebus, [e] sequitur quod dictũ est.

56 VIGESIMVMPRIMVM, an monachus Carthusianus qui peccatum mortiferum proprietatis admisit alienando, vel occultando rem monasterij, teneatur illud confiteri, antequã misset, vel cõmunicet: an ita vt nõ sufficiat, quod cõfiteatur illud Priori ante diẽ Cœnæ Domini?

Respõdeo quòd sic. Tum quia opinio vera & communis etiam ante Cõcilium Tridentinũ tenebat omne peccatum mortiferum esse confitendum ante sumptionẽ Eucharistiæ, iuxta glossam singularem, [f] quam nos late probauimus in summa, [g] & ante præfatum Concilium quod eam in canonem redegit, addens esse errorem contrarium eius. [h] Tum quia nihil obstat statutum eiusdem ordinis in primo dubio relatum, quatenus significat sufficere monachis præfati ordinis confiteri peccata proprietatis Priori ante diem Cœnæ Domini, quoniam nõ statuit, nec potuit statuere contra ius diuinum, quod non teneretur confiteri illud ante sumptionem Eucharistiæ, [i] sed solùm statuit, quod sit excommunicatus, si non confiteatur, vel non reuelauerit illud Priori ante diem Cœnæ Domini: quod tam longè aliud est à præcedenti, quantùm excommunicatio differt à peccato, pro quo illa fertur, & quantùm necessitas confitendi sacramentaliter peccatum mortiferum, à necessitate confitendi sacramentaliter, vel reuelandi extra sacramentum Priori.

a In cap. cum ad monasterium. de statu regul.
b Le. Lucius. § tres hæredes. ff. ad Trebell.
c 12. q. 1.
d L. vbi repugnantia. ff. de regu. iur. cap. solicitudinẽ. de appell.
e Cap. 66. & præcedẽti, & sequenti.
f Nu. 2. in ca. 2. de constitu.
g Arg. titulorum de iure deliberan. ff. & C.
h Ca. 8. §. 4. 3. cõpilat statutorum eiusdem ordinis.
a In ca. 5. §. 8. secundæ partis nouorum.
b Arg. c. quæ à iur. de reg. iur. lib. 6.
c Super c. nõ dicatis. 12. q. 1. nu. 23.
d De quo in ca. 3. §. 20. 3. compila.
e Leg. 2. ff. de statu homi. l. si quæramus. ff. de testam.
f Ca. sane. de celebra. miss.
g De pœnit. dist. 5.
h Cap. 7. & can. 11. sess. 13.
i Ca. sunt quidam. 25 q. 1. & arg. ca. inferior. 21. dist.

57 Tum

57 Tum quia verus intellectus eius est, quòd qui monachus peccauit peccatum mortiferum proprietatis ante diem Cœnæ, & non confitetur illud sacramentaliter ante communicationem corporis Domini, peccat quidē mortiferè communicando ante confeßionem, propter transgreßionem legis diuinæ de confitendo ante communicationem, sed non est ob id excommunicatus ante diem Cœnæ, sed si ante illum non confiteatur, vel nō reuelet illud Priori, erit excommunicatus, non quidem per legem diuinam, vel canonicam omnibus Christianis cōmunem, sed per illud vestrum statutū ordini vestro particulare. Tum quia, vbi lege Synodali cauetur, vt sit excommunicatus, qui decimas occultatas nō manifestauerit parocho ante diem Aßumptionis, ille qui occultasset illas mense Iulio, peccasset mortiferè, cùm occultauit; & etiam si communicat ante confeßionem sacramentalē, licet non incidat in excommunicationem ante diem Aßumptionis.

58 VIGESIMVM SECVNDVM, an præfatus monachus, qui omisit confiteri sacramentaliter peccatū proprietatis mortiferum admissum ante aliquot menses, vel circiter vnum annum ante diem Cœnæ, & intra illud tempus confessus est frequenter, & missauit, cōmunicauit, tacito illo peccato, quod proponebat confiteri Priori ante diem Cœnæ, an inquam is monachus teneatur omnes illas confeßiones tamquam non integras iterare, iuxta notata per omnes,[a] quos nos quoque retulimus in Man. confess.[b]

Respondetur quòd sic. Tum quia cōfeßio, quæ nō est integra omnium peccatorum mortiferorum, quorū memoriam cōfitens habet nihil valet, vt habetur in c. *omnis*,[c] & in decreto Eugenij Concilij Florentini & ca. 5. seß. 14. Conc. Trid. Tum quia peccatum mortiferum proprietatis non excipitur à lege illa generali diuina, qua iubemur pœnitentes confiteri omnia peccata mortifera, quę admisimus, quorumq; memores sumus, quando cōfitemur, iuxta præfata iura, & S. Thom. ab omnibus Catholicis receptum.[d] Sicut autem obliuio aliorum mortiferorū facta iusta diligentia reminiscendi excusaret ab iteratione, ita & obliuio peccati proprietatis excusaret. quin & si aliquis adeo simplex & ignorans esset, vt bona fide probabiliter secundum conditionem suam putaret auctoritate fortè, vel exemplo peritorum, quod per præfatum statutum leuabatur onere illud confitendi vsq; ad diem Cœnæ, non peccaret tacendo illud, nec teneretur iterare cōfeßionem tacito illo factam, argumento eorum, quæ de monacho simplici bona fide cōtraueniente dicit Card.[e] arg. item eorum, quæ nos diximus,[f] de illo, qui tacet in confeßione aliquod mortiferum, quia nō putat esse tale.

59 VIGESIMVM TERTIVM est circa statutū,[g] quo dicitur, in ordine Carthusiano cōfessarios expositos in absentia Prioris à reseruatis cōfitentes absoluere posse, ita tamen, vt iterum eidem Priori reseruata crimina, quam primum eius habuerint copiam, confiteantur. dubium inquam est, an monachus, qui admisit peccata mortifera, tam reseruata, quàm non reseruata, teneatur confiteri omnia, etiam reseruata præfato confessario exposito, an sufficiat confiteri ei non reseruata, & postea cùm venerit prælatus, confiteri ei sola reseruata.

Respondeo, quòd tenetur confiteri omnia pręfato cōfessario, & postea iterum reseruata Prælato, cùm venerit: quia integritas confeßionis requirit, vt quorum memoriam habet vni & eidem confessario, nisi aliquot casibus, quorum de numero non est hic, cōfiteatur, iuxta S. Tho.[h] & quòd confessario reseruatorum, & non reseruatorum fiat confeßio, tenet idem S. Thom.[i] & Sotus,[k] quorum dictum communiter receptum probat cap. *omnis*,[l] licet Sotus in aliquot locis,[m] videri posset alicui contrarium tenere, nisi in dictis duobus locis,[n] apertè communem teneret, & satis sentit Conc. Trid.[o]

60 VIGESIMVM QVARTVM, circa idem statutum, an confeßio monachi, quæ in casu præfati statuti iterato fit Prælato, debeat esse sacramentalis?

Respondetur primò, quòd potest esse sacramentalis, & si fieret talis, oporteret Prælatum absoluere ipsum sacramentaliter, per quam absolutionē conferretur noua gratia sacramentalis, vt tradit Sotus,[a] quia licèt ille non dicat, potest dici nouum sacramētum propter nouam confeßionem peccatorum reseruatorum, cùm etiam peccata semel confessa, & legitimè, ac penitus absoluta poßint esse iusta materia sacramenti pœnitentiæ, sicuti & venialia secundum omnes Catholicos.

Secundò, quòd posset excusari hæc noua sacramentalis confeßio, si à prælato reuertente impetraret pœnitens commißionem absoluendi ad priorem confessarium, vel alium, cui tamen videtur facienda sacramentalis confeßio, quam deberet subsequi absolutio sacramentalis: quia huiusmodi commissarius subrogatur in locum prælati, & subrogatum debet sapere naturam eius cui subrogatur.[b]

61 VIGESIMVM QVINTVM, circa idem statutum, an in casu præfati statuti teneatur monachus Prælato reuertenti, vel commissario eius confitenti omnia peccata, quæ confessus fuit priori confessario, an sufficiat confiteri sola reseruata?

Respondetur, quod sufficit confiteri sola reseruata, si post posteriorem omnium confeßionem non admisit alia confitēda, neque nouè venit in memoriam aliquod prius commissum nondum legitimè confessum, quia reliqua iā sunt penitus absoluta. Si autem admisisset alia noua, vel vetera non confessa in memoriam venerint, oporteret etiam illa, quamuis non essent reseruata, confiteri cum reseruatis. quod quamuis non videam ab aliquo tactum, probatur illa firma ratione, quòd confeßio sacramentalis debet esse integra omnium peccatorum nondum confessorum, quorum habetur memoria: & per prædicta confeßio reseruatorum debet esse sacramentalis, quando fit ad habendam absolutionem sacrametalem ab eo, cui fit illa.

62 VIGESIMVM SEXTVM est circa intellectū statuti,[c] quod habet, vt Vicarius apud vos in ordine vestro Priore deposito eamdem in spiritualibus potestatem habeat, quam Prior ipse, eamque libere exerceat. Dubium inquam est, an monachus, qui peccatum proprietatis fuit legitimè confessus, vel reuelauit Vicario huiusmodi, vel obtinuit absolutionem excommunicationis ab eo, teneatur iterum confiteri, vel reuelare illud nouo Priori, vel nouam ab eo impetrare absolutionem.

Respondetur quòd non: quia idem tribunal, & eadem potestas & auctoritas fuit penes Vicarium, quæ fuerunt penes Priorem depositum, & quæ sunt penes Priorem nouum, & ita facta à Vicario censentur facta à Priore. Tū quia facta per Vicarium Episcopi, quo ad ea in quæ sua potestas vicaria extenditur, censentur facta ab ipso Episcopo.[d] Tum quod facta per Capitulum sede vacante, in eis in quibus succedit Episcopo, videntur facta ab ipso Episcopo.[e] Tum quia facta per eum, cui administratio libera Ecclesiæ conceditur, perinde valēt, ac facta per eum, cui esset illa collata, præterquam in alienatione immobilium,[f] vnde is, cui commendatur abbatia, potest esse iudex delegatus, & vti omnibus, quibus potest is, cui ea confertur in titulum, vt post alios resoluit Decius.[g]

VIGESIMVM SEPTIMVM, an alienatio & dispēsatio facta à monacho de licētia Vicarij, posito loco prioris officio depositi, debeat manifestari Priori nouo, vel ab eo ratificari, vt monachi cōscientia sit à proprietate tuta.

Respondetur quòd non argumento iurium in proximo dubio citatorum.

63 VIGESIMVM OCTAVVM, an manifestatio proprietatis facta visitatori tenenti locum Prioris, & Vicarij, eis deficientibus, debeat fieri denuo Priori nouo.

Respondetur quod non, per præfata iura, & eis adnotata, præsertim.[h]

64 VIGESIMVM NONVM, an monachus Carthusianus poßit petita à prælato licentia, de illius consensu expresso, vel tacito fructus arborum, vt sunt poma granata, &c. in hortulo cellæ insertarum excultarum in vsus suos seruare, aut mittere amicis suis, & fautoribus monasterij in xeniola absque peccato proprietatis.

Respondeo quòd sic. Tum quòd proponitur vsum cōmunem id habere, ex quo scito per Prælatum, & non contradicto colligitur tacitus consensus, qui ad hoc sufficit, vt post vtrumque Cardinalem diximus nos in cap. *non dicatis*.[i] Tum quod ad redundantiam interuenit expressa petitio

a Ca. omnis. de pœnit. & remiß. & in 4. li. sent. dist. 17.
b Ca. 9. num. 11.
c De pœni. & remi. ca. 1. §. cautus. de pœnit. dist. 5.
d In 4. dist. 17. q. 3. art. 4.
e Cle. 1. q. 39. de priuileg.
f In d. Man. cap. 9. nu. 12.
g De quo ca. 6. §. 11. tertia compila.
h In 4. dis. 16. q. 3. art. 4.
i In 4. distin. 17. q. 3. art. 4. q. 2. ad 4.
k Dist. 8. q. 2. art. 5. col. 12. versic. quartus igitur. & melius col. 16. vers. quare.
l De pœnit. & remiß. & c. consideret. §. cautus de pœnit. dist. 5.
m Prædicti artic. 5.
n Præsertim col. 16.
o Capit. 5. & can. 7. seß. 14.

a D. artic. 5. col. 17.
b L. eam qui. §. iniuriarū. ff. si quis cautio. & c. ecclesia. S. Mariæ. vt lite pendē.
c De quo ca. 4. §. 23. 3. compila.
d Ca. non putamus. de cōsue. li. 6. & c. Romana. 1. de appel. eod. lib.
e Ca. cum olim. & cap. is qui. de maio. & obed. & c. 1. de insti. l. 6.
f Capit. is cui prouisio. de elect. li. 6. & c. cū nobis. eod. titul. in antiquis, & c. relatio. & c. sequenti. 21. q. 1.
g Ca. edoceri. col. vlt. de rescrip.
h Ca. relatio. & c. illud. 21. q. 1. & c. cum nobis. de ele. & cap. is cui prouisio. eod. tit. lib. 6.
i 12. qu. 1. nu. 40. & seq.

petitio licentiæ, & consensus Prælati. Tum deniq; quod prælatus posset illa seruare, & in xenia modo supra dicto mittere: & quidquid Prælatus potest per se custodire, aut dispendere in aliquos vsus, potest etiam monachus eius facere de consensu, vel licentia expressa, vel tacita ipsius, vt supra diximus ad dubium vigesimum, per ea quæ scrisimus in com. cap. *non dicatis*.[a]

65 TRIGESIMVM est circa statutum.[b] An præsupponat sacerdotes simplices posse excommunicare. Et videtur quod sic, habet enim hæc verba, *Singulis annis excommunicentur à Priore, & à singulis sacerdotibus omnes tam præsentes, quàm absentes, qui occultandi animo, &c.* Sed cõtrarium tenet communis cum Collectario, Card. & Panor. in cap. *sacerdos*,[c] & Panorm. cap. *cum contingat*.[d]

Ad hoc dubium dico, quòd non expedit ei respõdere, Tum quia non est necessarium, & non vacat etiam necessariis respondere. Tum quod illud statutum mutatũ videtur per ca. 5.[e] quatenus habet quod Prior debet denunciare, esse excommunicatos proprietarios, nisi, &c. & ita loco excommunicare ponit denunciare: & cõstat denunciationem differre ab excommunicatione,[f] & fieri potest, & quotidie fit à parochis in Ecclesiis. Tum quod Iuris canonici prudentia, qua nunc vtitur Ecclesia Romana, parum curat de illis modis intelligendi excommunicationem D. Pauli,[g] neque alios, nisi ad effectũ, de quo in cap. *cum sit Romana*.[h] Quæ omnia submitto tuæ, & cuiusuis alius sanius sentientis censuræ, ad gloriam Dei, qui te Illustrem admodumque Reuerendum in Christo Patrem quam diutissimè seruet incolumem. Amen.

a [illegible] 7. 1. nu. 23.
b In ca. 22. §. 19. secunda partis antiquorum.
c De offi. ordin.
d De foro cõpet. nu. 30.
e §. 13. ex 2. part. statutorum nouorũ.
f Ca. pastoralis. §. verum. de appell.
g 1. ad Corin. 7.
h §. fin. de appell.

### SVMMARIVM.

*1 Monachus, qui in vno monasterio vouet stabilitatem, non potest de iure inuitus ad aliud mutari.*

*2 Regulari debet nedum à Pontifice, sed etiam à suo Generali concedi licentia, vt retento habitu stet extra claustrum, vt subueniat necessitati, quæ matri superuenit: nam si præcessisset professionẽ, nec iustè posset in claustro manere, sed teneretur exire, vt subueniat. nu. 3.*

## CONSILIVM IIII.

*BEatissime Pater, deuotus Sanctitatis vestræ orator monachus sancti Bernardi proponit eidem humiliter, quòd cùm puer esset nondum quindecim annos natus, emisit professionem in monasterio sanctæ Mariæ eiusdem ordinis, in quo honestè mansit vsque ad præsens tempus, velletque in eo perseuerare donec vixerit, sed habet in prædicta prouincia propè dictum monasterium matrem valde senem, pedibus impeditam, fere cæcam, & paralyticam, & quæ cùm sit alienigena, nullos habet ibidem propinquos, & necessarios, præter oratorem prædictum, quem solùm genuit, & à quo vitæ sustentationem expectat: quapropter supplicat Sanctitati vestræ, vt dignetur ei cõcedere alterum de duobus, puta, vt iubeat, quòd non possit de monasterio mutari, nisi sua culpa id exegerit, dum mater ipsa (quæ iam parum duratura est) vixerit, aut tribuat illi facultatem manendi extra monasterium, habitu regulari retento, vt matrem modis honestis alere possit, dum ipsa vixerit.*

1 Rogatus, an Sanctissimus D. N. iustè, & quo ad forum conscientiæ prædictas facultates facere possit, respondeo primò proculdubio posse priorem, scilicet, quod nõ mutetur absque sua culpa: quia iure communi attento monachus de ordine non Mendicantium, qui vouit stabilitatem in vno monasterio, non potest absque iusta causa mutari ad aliud, nec solebant olim mutari: licet nouiores nouitatum studiosiores, quàm antiqui, multa in hoc & aliis innouarint, vt quod prælati essent triennales, de quo late dixi in cap. *nullam*.[i]

2 Secundò, quòd etiam potest facere secundam: quia secundum D. Thomam,[k] quem post alios secuti fuimus in Manual.[l] necessitas parentum religiosi superueniens eis post professionem est iusta causa vt exeat monasterium ad succurrẽdum eis, si aliàs non potest. Dixi, *superueniens*: quia præueniens efficit, vt non possit iustè intrare monasterium, nec ingressus iustè profiteri, nec professus iustè manere: quia obligatio iuris naturalis & diuini seruiendi parentibus efficit, vt nullatenus possit filius eis derelictis intrare monasterium, vt prædictus D. Thomas receptus affirmauit.

i 27. q. 2.
k 1. 2. q. 101. art. 4.
l Cap. 14. nu. 14. & in com. 4. de reg. super ca. nullã. 18. q. 2. num. 48.

3 Tertiò, quòd non solùm S. D. N. sed etiam Generalis ordinis vtramque earum potest facere, sed nõ faciet: quia adeo refrigescit caritas, & quòd pauci Superiores volunt concedere inferioribus libertatem, quam nõ habent ipsi, vel sui cognati, & addicti erga multos religiosos: & multi volunt videri nimium iusti erga extraneos, etiam si Deus sua lege naturali, vel diuina positiua eam concedi iubeat: & vtinam multi, qui valde rigidi & sancti videri volunt, non persuadeant multis Prælatis, quo nimis summo iure vtantur, ex quo iniuriæ aliquid nascatur, dum leges humanas & rigidas non patiuntur æquitate naturali siue epiikeia molliri. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

*1 Lex generaliter loquens, generaliter intelligenda: cui si addatur dictio vniuersalis, plura comprehendet, quàm sola indefinita: & si dictio vniuersalis præcedens sit negatiua, omnia sequentia destruit, & contrarium ponit, si tamen à lege negatiuè concepta reperiatur aliquis casus alia lege exceptus, poterit, sic docente nos legislatore, à paritate rationis ad alios similes extendi. num. 4 & 5.*

*2 Impetratio eius, quod iure conceditur, non inutilis: nam dubia & scrupulos tollit. num. 5.*

*3 Monialis ex causa correctionis, & vt alteri præficiatur, de monasterio ad monasterium de iure, & ex Concilio Tridentino à suo Superiore, saltem cui non obstet extrauagans Pij V. num. 6. & 7. transferri potest.*

*6 Intellectus cap. 5. sess. 25. de regularibus est, vt moniales, quæ ex causa volunt de monasterio egredi, habeant licentiam ab Episcopo, si ei, vel nulli, nisi Pontifici immediatè sint subiectæ, vel ab earũ Superiore regulari, si sint exẽptæ, & illi subiectæ.*

## CONSILIVM V.

AN Generalis ordinis Minorum de obseruantia possit transferre moniales sibi subditas de vno ad aliud monasterium causa correctionis, vel nouæ fundationis? Præsupposita confirmatione priuilegiorum eiusdem ordinis à Gregorio XIII. nisi sint contraria Concilio Tridentino, quibus id expressè eidem conceditur. Et an dictæ facultati obstet Bulla Pij V.

QVÆSTIONES hæ longè difficiliores sunt, quàm à principio putaui, & ad earum integram responsionem addenda videtur alia, quæ præcedat illas, nempe, an solo iure communi scripto attento circumscripta præfata extrauagante Pij V. & præfatis sacris Sedis Apostolicæ priuilegiis possit præfatus Illustrissimus idemque Reuerendissimus Generalis transferre moniales sibi subditas de vno monasterio ad aliud ex prædictis duabus causis, scilicet correctionis, & nouæ fundationis, ita quod erunt tres quæstiones, quarum prima sit hæc, & prior aliarum propositarum secunda, & posterior tertia.

1 AD HANC IGITVR PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo, quòd pro eius parte negatiua vrget primo cap. vnic.[a] ibi. *nulli monialium religionem tacitè vel expressè professæ valeat, quacumque ratione vel causa, nisi forte tanto & tali morbo euidenter earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque graui periculo, seu scandalo commorari, monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas, &c.* Quæ verba constituunt legem non solùm generalem, sed etiam vniuersalẽ, signo vniuersali munitã, quæ in summa habet, nulli monachæ professæ patere facultatẽ exeundi monasterium, nisi vno casu, sub quẽ neutra duarum nobis propositarum includitur. At lex generalis generaliter intelligenda est,[b] etiamsi in vna specie maior inueniatur ratio includendi eam, quàm in aliis vt habet, l. 1.[c] & tradit Decius,[d] quem sæpe nos alibi sequimur: & signum vniuersale adiectum verbo generali efficit, vt extendatur etiam ad alia, ad quæ non extenderetur indefinita generalis, iuxta glossam solemnem in clemẽtina 1.[e] & gloss. solemnem cap. *circa*,[f] quæ per iura expressa probat longè amplius legatum relinqui per illa verba, *Lego omne marmor, vel omnem lanam*, quam per illa, *Lego marmor*, vel *lego lanam*. præsertim autem si est signum vniuersale negatiuum, quod omnia sequentia destruit, & contrarium eorum ponit, vt dicit glossa singularis & recepta,[g] quale est illud, *Nulli*, quod positum est in dicto cap. 1.

2 Secundo vrget, quod frustra impetratur, & pro priui-

a Post initiũ de stat. regu. li. 6.
b Le. de pretio ff. de publ. in rem actio. cum multis similibus.
c §. quod autem. de alea lus. & alea.
d In cõs. 669.
e Vers. quãuis. de re iudic.
f De electio. li. 6.
g In cap. cum dilectus. de consuet.

legio datur, quod iure communi conceditur, iuxta l. 1.[a] & tradit glossa recepta.[b] At impetratum fuit ab ordine præfato, & ei priuilegio datum, vt Generalis eius possit transferre moniales præfatas in prædictis duobus casib. ergo iure communi non licebat eis illud.

3 Sed his non obstantibus, contrarium videtur verius. Primò quidem quod intentio Pij V. non fuit laxãdi clausuram monacharum, sed restringendi, vt ex eius verbis colligitur: attamen excipit à sua prouisione tres casus, cũ tamen Bonif. VIII. nõ expressisset nisi vnũ,[c] ergo efficax argumentum est, quod nõ obstante sua extrauag. licebat monialibus exitus in illis tribus casibus iure communi, non obstãte dicto cap. 1. quod fuit Bonifacij VIII. quod innouauit Conc. Trid.[d] sess. 25. & definiuit licere monialibus exitum à monasterio, sufficiente causa legitima ab Episcopo probata, clarè significando, quod præfatum ca. 1. non solum erat iure communi limitãdum in vnico casu ibi expresso, sed etiam in omni eo, qui esset causa legitima exeundi.

Secundò, quod nos pridem respõdimus potuisse monacham vnius monasterij electam legitimè in Abbatissã alterius, transire ad illud de licentia sui Superioris legitima: quod postea scripsimus in com. 4. de reg.[e]

4 Tertiò, quod est textus iuris optimus per multa ibi à Decio tradita in cap. *dilecta*,[f] quatenus habet casum exceptum à regula ob aliquam æquitatem, extendi posse, debereque ad alios casus ob similem æquitatem. Cùm igitur casus ille vnicus exceptus à Bonifacio,[g] excipiatur à regula illa negatiua, ne qua monacha exeat clausuram, extendi potest & debet ad casus alios, in quibus similis æquitas id suadet: quod certe fuit in causa, vt Concilium Tridentinum extenderit illum casum ad omnes alios, in quibus inueniretur causa, quam legitimam arbitraretur Superior legitimus.

5 Non obstant supra in contrariũ citata. Ad prius enim illorum respondetur, concedendo quidem, generalem legem generaliter esse intelligendam regulariter, & legẽ vniuersalem vniuersaliter, sed fallere illud, quando inuenitur alia lex, quæ limitat illam generaliter, vel vniuersaliter loquentem, quod in proposito casu contingit. Nam inuenitur lex, quæ habet, casum exceptum à regula generali extendi posse, debereque ad similem casum.

Ad posterius respondetur, concedendo non esse necessarium impetrare in priuilegium speciale, quod iure communi conceditur: quod probant iura in eo citata, sed communi conceditur: quod probant iura in eo citata, sed frequentissimè id impetrari concedique solere à S.R.E. idque esse vtile ad tollenda dubia & scrupulos: quorum vnum exemplum quotidianum est impetratio, & concessio pronunciandi officium matutinum sequentis diei vespere præcedentis, quod iure communi licere ait S. Thomas receptus ab omnibus,[h] & etiam à nobis citatus in Enchir. de oratio,[i] vbi latius hoc tradimus. & ita impetratio & concessio priuilegij facta præfatis Generalibus nõ fuit facta vti iure necessaria, iuxta veram & legitimam iuris Canonici impetrationẽ, licet fuerit vtilis ad quãdam maiorem declarationem, & scrupulorum euitationem.

6 AD SECVNDAM respondeo, quod extrauag. prædicta nihil obstat: quia, vt prædiximus, tam illa, quam cap. 1.[k] & quàm Concil. Trid. sunt limitãda, ne procedat prohibitio exitus monacharum, cùm occurrit causa legitima: & ita non videtur prohibere exitum monacharum per viam iustæ correctionis, vel nouæ fundationis, quæ sunt causæ legitimæ ad exeundum. Secundò, quòd magis videtur obstare Concilium Tridentinum quod videtur exigere, vt causa legitima exeundi approbetur per Episcopum, & consequenter, quod non sufficiat licentia Generalium, & quod confirmatio priuilegiorum præfati ordinis prædicta non extenditur ad contraria Concilij Tridentini, Sed respondetur, illa verba præfati Concilij intelligenda esse, vt nos intelleximus alia similia eiusdẽ in d. cap. *super*,[l] scilicet, quod approbatio illa Episcopalis requiritur quo ad exitum monialium eisdem subiectarum, vel ita exemptarum, quòd soli Papæ immediatè subsunt: non autem de aliis exemptis, quæ subsunt aliis Prælatis aliorum ordinum, de quibus hic agimus: quoniam quæstiones mouentur de monachis subiectis Generalibus ordinis Minorum de Obseruantia.

7 AD TERTIAM respondetur affirmatiuè, quòd præfatus Reuerendissimus D. Generalis potest, ea quæ in quæstione continentur, facere, non obstante præfata extrauagante Pij V. Tum quia S.D.N. in sua confirmatione derogat generaliter illis, & aliis, quæ possent esse suę confirmationi contraria, modo fuissent in vsu, & non essent contraria Concilio Tridentino. Nec potest obstare reseruatio Pij V. quia non potuit ille tollere S.D.N. eius successori potestatem concedendi, vel innouandi priuilegia concessa ordini præfato, cùm par in parem non habeat imperium,[a] & quoniam res clara videtur, etiam videbor nimis prolixus, & ideo facio finem, submittendo ea, quæ dicta sunt, ei, cuius iustior fuerit sententia.

*Vide ad hoc responsum, quod positum est supra de regu. consil. 70.*

a ff. ad municip.
b In cap. 1. de rescript.
c In d. cap. 1.
d In cap. 5. de reg. sess. 25.
e Super c. statuimus. 19. q. 3. nu. 48. ibi, Nota quarto.
f De confir. vtili.
g In d. cap. 1.
h Quo. 5. art. 28.
i Ca. 3. num. 57.
k De stat. regula. li. 6.
l Cap. statuimus. nu. 60.
a Cap. innotuit. de elect.

SVMMARIVM.

1 *Oblatæ Turris speculorum Vrbis, quia non sunt veræ monachæ, ad clausuram non obligantur. num. 9.*

2 *Dispositio eum non comprehendit, cui dispositionis verba non adaptantur.*

3 *Crescere nemo inuitus cogatur, nec vitã, quã non vouit, seruare.*

5 *Iura pœnalia, vltra quam verborum proprietas patiatur, etiam ex identitate rationis, nisi aliud concurrat, non extendenda.*

6 *Moniales, sponsæ Christi, nubẽdo bigamiam quãdam cõtrahunt.*

7 *Regularibus limitatã vitam professis austerior imponi nequit.*

8 *Regularibus etsi quandoque austerior vita præcipi potest, sæcularibus autem non.*

8 *Dispositio odiosa de regularibus loquens, ad eos qui tria vota non emittunt, non extendenda.*

9 *Oblatæ Turris speculorum Vrbis etiamsi collegialiter more religiosarum in vna domo viuant, donatæque sint ordini S. Benedicti cum aliqua mutatione habitus promittentes stabilitatem & obedientiam Præfectæ, itemque etsi voueant paupertatem, & castitatem perpetuam, num. 21. tamen verè non sunt moniales professæ, nec esse possunt, cùm in nulla à Sede Apostolica approbata religione tria vota seu professionem, nec tacitam, nec expressam emittant, num. 10. & 11. earumque congregatio non sit vt religio, sed vt bonus viuendi modus approbatus, num. 11. 13. 17. obedientiáque promissa non sit monachalis facta in manibus, vt requiritur, potentis alicui religioni incorporare. num. 20. 22.*

9 *Obedientiam perpetuam promittens censetur tria substantialia religionis vota promittere, & sic professionem emittere: & hoc quando non quamcumque, sed monachalem obediẽtiam secundum aliquam regulam approbatam, nu. 16. 17. in manibus potentis illi religioni incorporare promittit. num. 20. 22.*

16 *Oblatæ, seu donatæ, à monialibus, quæ suscipiunt habitum religionis, & profitentur regulam vt seruiant in choro, & à conuersis, quæ accipiunt habitum religionis, & profitentur regulam vt seruiant extra chorum, differunt, cùm ipsæ nec profiteantur regulam, nec assumant habitum regularem, licet se & sua perpetuo donent, per quem actum efficiuntur plenè oblatæ, non tamen religiosæ, num. 15. & 16. sed eis similes, num. 9. non absolutè, sed quo ad quædam priuilegia, num. 19. & si contrahant matrimonium, teneat. num. 15.*

18 *Beatæ in Hispanijs, & Canonissæ in Germania, quæ collegialiter viuunt facientes vnum collegiũ, non tamen ob id efficiuntur moniales propriè, immo nisi aliud obstet, possunt testari, & hoc etiamsi habeant habitum specialem, & domos similes monasterijs cum oratorio, promittántque obedientiam suæ Præfectæ, & perpetuam stabilitatem viuendi secundum earum viuendi modum. num. 9.*

22 *Vota tria substantialia aliter quàm in manibus potentis approbatæ religioni incorporare etiam sæpius emissa non faciunt quem religiosum, seu monachum.*

CONSILIVM VI.

Dubitatum fuit primo. an monachæ, siue oblatæ Turris nouæ speculorum Vrbis teneantur ad clausuram, sicut cæteræ moniales.

1 Respondeo ad hanc quæstionem, quod eius decisio videtur pendere à decisione alterius quæstionis, scilicet an prædictæ oblatæ sint verè monachæ, siue moniales tacitè vel expresse professæ: nam si sunt professæ, proculdubio tenentur ad obseruantiam prædictæ clausuræ: quoniam tam mens, quàm verba capit. *periculoso*.[b] Concilij Tridentini,[c] & bulla fœl. reco. Pij V. super hoc lata comprehendunt

b De statu regula. lib. 6. & ca. 5.
c Sess. 25. de regul.

hendunt eas: quia lex generaliter loquens generaliter est intelligenda, [a] etiam si sit odiosa & pœnalis quo ad ea, ad quæ verba eius ex propria significatione extenduntur, iuxta, l. *cum lex*. iuncta gloss. [b] quod ibi notat Aretinus & Decius & cap. *quia in tantum*, [c] si autem non sint verè monachæ, contra dicendum videtur.

2 Primo quidem, quod nec lex, nec aliqua dispositio cōprehendit eum, cui verba eius aptari nequeunt, iuxta ca. *indemnitatibus*, [d] & l. 4. [e] vbi hoc Bart. & Paul. & alij adnotarunt, & præ aliis commendat Fel. [f] at verba prædicti c. *periculoso*. & Conc. Trid. & constitutionis prædicti Pij nō aptantur mulieribus monasteriis oblatis solùm, sed tantū professis: ergo illa non comprehendunt prædictas oblatas, si non sunt professæ.

3 Secundo, quod nemo cogi potest crescere, nec inuitus obligari ad austeriorem vitam, quā non vouit, c. *gesta*, [g] cum glo. recepta, quæ habet, quod monachis, & canonicis inuitis districtior vita non potest imponi, vbi Archid. quem sequitur Card. à Turrecremata, allegat illud S. B. ad Abbatem in persona cuiuslibet monachi, *Vota mea non augeas sine mea voluntate, sicut nec minuas sine certa necessitate.* & prædictę oblatę nō vouerūt sub tanta clausura viuere: ergo nequeūt ad illā seruādā cogi, si verè nō sūt monachę.

4 Tertiò, quòd nemini sua bonitas debet nocere, nec malitia prodesse. [h] At prędictę oblatæ collegialiter viuētes longè melius faciunt, quàm aliæ oblatæ, quæ singulæ, binæ, aut ternæ viuunt cum omni libertate, quoquo velint sine vllius licentia exeuntes. At illas, quæ maiori custodia indigent, nō comprehendunt prędicta iura libertatem exeundi tollentia: ergo à fortiori non comprehendūt has oblatas, quæ longè honestius viuūt, & minori custodia indigēt, si hę nō sunt magis verè monachę, quā illę.

5 Quartò, quod iura pœnalia, qualia sunt prędicta, vt ex eorum tenore patet, non sunt extendenda, etiā ex similitudine rationis, vltra quàm propria verborū eorū significatio permittit. [i] Nec obstat dicere, quod eadē omnino ratio permittit extensionē legū pœnalium, iux. glo. sing. [k] Tum quia id solùm non sufficit, nisi aliquid aliud cū idētitate rationis concurrat, vt concurrit in casu d. c. 1. vt resoluunt Dominicus & Francus. [l]

6 Tum quia non est eadem omnino ratio. ratio enim, vel saltem magna pars eius, quare clausura indicitur monialibus, est, quia illæ per professionem regularem renūciarunt voluntati suæ. [m] At hæ non fecerunt idem, si non sunt monachæ professæ. Præterea moniales peculiarius dicuntur sponsæ Christi, adeo quod per nuptias dicātur incurrere quamdam bigamiam, [n] & ita iustum est, vt maior custodia circa earum continentiam & pudicitiā ponat Papa eis tamquam sponsis Christi, cuius est ipse Vicarius, quàm circa aliarum, quæ cùm nondum sint voto solemni desponsatæ Christo, tam liberam habent voluntatē ad ea, quibus non se astrinxerūt, quā alij Christ. liberi. [o]

7 Quintò, quòd communis conclusio habet, quod etiā religiosis professis non potest imponi austerior vita, si vouerunt limitatam seruare regulam, secundū quod obseruatur tempore professionis, quam tenet Host. [p] & Panorm. [q] & Dec. [r] & Fel. [s] cum citatis ab eo: & quod limitata causa limit atū producit effectū. [t] At prædictæ oblatæ limitatè promiserunt viuere secundum cōsuetum viuendi modum congregationis; ergo non tenentur ad austeriorem vitam, nec illa potest eis renuentibus imponi.

8 Sextò, quòd licet regularibus possit aliquando præcipi austerior vita, sæcularibus tamen non potest, vt distinguit gloss. [v] quam Panor. Felin. & Dec. approbant, [x] & prædictę oblatæ si non sunt professę, sunt seculares, & nō regulares: quia solùm duo sunt genera hominum, sæcularium, & regularium. [y]

Septimo, quod in specie Panormitanus communiter receptus ait, [z] constitutiones odiosas de regularibus disponentes non extendi ad eos, qui non profitentur tria vota substantialia, etiamsi seruent aliquem modum viuendi à Sede Apostolica approbatum. Cùm ergo certum videatur, prędictas, de quibus agimus, oblatas non teneri ad clausuram ob prædicta iura, si verè non sunt monachę, id est expresè vel tacitè professæ, & teneri ad eam si verè sunt monachæ, oportet resoluere alteram

a Cap. si Romanorū. 19. dist. & leg. de pretio. ff. de publi. in rem act.
b ff. de testa.
c De præben.
d §. penul. de elect. li. 6.
e §. toties. ff. de dam. infec.
f In ca. nonnulli. colu. 31. de rescript.
g 74. distin.
h Ca. 1. de postulat. prælat. l. itaque fullo. ff. de fur.
i Cap. pœna. de pœnit. dist. 1. & le. interpretatione. ff. de pœnis.
k In c. 1. verbo Italia. de tempor. ordi. li. 6.
l Ibidem.
m Ca. quorūdam. & ca. si religiosus. de elect. li. 6.
n Cap. quotquot. 27. q. 1.
o Arg. ca. integritas. 32. q. 1.
p In summa de voto. §. vtrum.
q In ca. super eo. de reg.
r In c. ad nostram. de appell.
s In cap. nam de constit.
t Le. non omnis. ff. de reb. cred. ca. si. de verb. signific.
v Cap. quod omnes. de regul. iur. lib. 6.
x In d. cap. ad nostram. de appell.
y Capit. duo sunt. 12. qu. 1.
z In rub. de reg.

A quæstionem, à cuius resolutione diximus pendere hanc, quæ nobis est proposita.

9 AD ALTERAM QVÆSTIONEM resoluendam considerandum est, quod ad dicendum prædictas oblatas esse verè moniales, facit primò, quòd viuunt conuentualiter intra vnam domū habentes vnum oratorium, vnum refectorium, vnum vestiēdi modum, & vnam Prælatam, quæ sunt signa vere profitentium. [a]

Secundo, quod se suáque viderunt perpetuò donare monasterio ordinis S. Benedicti: & ita sunt plenè oblatæ: & plena oblatio æquipollet professioni, vt significat Panormitanus, [b] cui etiam æquipollet humilis, deuota, & iurata oblatio, vt ait Felinus. [c]

B Tertiò, quòd ingrediens ordinem volendo mutare vitam videtur profiteri, capit. *consuluit*, vbi videtur id dicere Innocentius iuxta, [d] & facit cap. *non solum*, [e] quatenus significat, quod assumptio habitus religionis cum euidenti proposito mutandi vitam, inducit professionem saltem in genere. At prædictæ, de quibus agimus, oblatæ volunt mutare vitam: ergo videntur tacitè profiteri.

Quartò, quòd promittunt stabilitatem perpetuam in prædicto modo viuendi, & obedientiam Præfectæ suæ, vt constat ex modo, quo sese offerunt: & qui promittit obedientiam perpetuam, videtur promittere tria vota substantialia religionis, vt significat contextus dicto capit. *consuluit*. vbi videtur id adnotare Innocentius: ergo videntur etiam monachæ saltem tacitè professæ.

C 10 His tamen non obstantibus, dicendum est, eas non esse veras monachas & religiosas, neq; tacitè vel expresè professas, & ligatas voto soleni. Primò quidem, quòd notorium facti & iuris est, alias esse mulieres monasteriis oblatas, & alias in monasteriis professas: facti quidem, quod passim in monasteriis etiam virorum, præsertim habentiū hospitalia annexa, inuenies mulieres oblatas, quæ nullatenus sunt moniales, neque professæ, immo pleræque nuptæ, quæ vna cum suis viris se, suáque illis obtulerunt. Iuris autem, quod nulla est, nec potest esse vera monacha, & sanctimonialis, nisi quæ tria substantialia vota in religione aliqua à sancta Sede Apostolica approbata in manibus Superioris ad id potestatem habentis emiserit, [f] vt ait Panormitanus communiter receptus, [g] quem ibi Felinus, Decius, & alij sequuntur. At multæ sunt oblatæ monasteriis, quæ prædicta tria vota non emittunt: & consequenter aliæ mulieres sunt oblatæ, aliæ monachæ.

D 11 Secundò, quòd oblatæ, de quibus agimus, numquam faciunt professionem monachalem trium votorum prædictorū expressam, vel tacitam: de expressa supponitur in facto: de tacita constat, eo quòd nullū actum faciunt, quo tacita professio fieri censeatur. Tres enim sunt actus, quibus censetur professio tacitè fieri, quos post alios colligit Siluester. [h] Primus, immiscere se actib⁹ professorum, puta interuenire cum habitu illius religionis alicui actui solis professis conuenienti cum perseuerantia tridui. Secūdus, delatio habitus professorum patenter distincti ab habitu nouitiorum. Tertius annalis delatio habitus nouitiorum non distincti distinctione patenti. At oblatæ, de quibus agimus, nullum horum actuum faciunt. Tum quia nullus est eis habitus alius à sæculari indictus. Tum quia nulla est diuersitas habitus inter eas. Tum quia nulli sunt actus reseruati professis. Tum quia nullæ sunt nouitię distinctę à professis, immo nulla est inter eas mentio de professione, neque de nouitiatu, sed solū de oblatione facta, vel facienda secundum modum ab omni professione omnium regularum approbatarū aliena, vt patet ex modo quo illæ se offerunt, per quem ad nullam approbatæ religionis regulam se obligant, sed solùm ad modū consuetum viuendi in illa cōgregatione, qui licet sit approbatus pro licito modo viuendi, nō tamen pro regula religionis approbatæ, cùm hoc longè distet ab illo, iuxta glossam receptam. [i]

E

F 12 Tertio, quod magis & minus non mutant speciem, [k] ergo omnes oblatæ, quatenus tales, sunt eiusdem speciei, licet aliæ aliis religiosius viuant, & consequenter, aut omnes sunt professæ, aut nullæ: at constat non esse omnes professas, quia constat non esse tales illas, quæ singulæ, binæ, vel ternæ viuunt: ergo nullæ sunt professæ.

Quarto, quòd in ipsomet Benedictinorum ordine sunt

a Arg. c. cum ad monasterium. de statu monac. & in ca. in nona actione 16. q. 7. & clem. 1. de elect.
b In c. vt priuilegia. de priuile.
c In c. in præsentia. de probat. colum. 3.
d Qui clerici vel vouētes.
e De reg. l. 6.
f Ca. ad Apostol. de regu. & ca. cum ad monasteriū. de statu monach.
g In rubr. de de regula. in c ecclesia sancta Mariæ. de constit.
h Verbo religio. 3. qua. 19.
i In clem. cū ex eo. de sent. excom. & in clem. 1. de relig domib.
k Le. fin. ff de fundo instru.

moniales,& oblatæ:moniales quidem, quæ professionẽ secundum regulam B.Benedicti faciunt:oblatę verò,quæ se & sua monasteriis eiusdem ordinis, tum virorum,tum mulierum offerunt ergo solum oblatæ non sunt monachæ, cum diuersitas nominum diuersitatem denotet rerum.[a]

13 Quintò, quòd si prædictæ oblatæ essent monachæ, maximè essent monachę S.Benedicti, cùm sint monasterio eius oblatę. At ex ipso instrumento consensus, quem præstitit Abbas generalis monasterij Sanctæ Mariæ Nouæ, colligitur clarè eas non esse monachas S. Benedicti: ergo nullius ordinis monachæ sunt.

14 Sexto,quod neque Eugenius in commissione,quam dedit ad probandum modum viuendi earum,si esset talis, qualis ei referebatur, nec executor illius commissionis, nec Abbas prædictus,cuius consensus requirebatur, vocant eas monachas,nec sanctimoniales,nec religiosas,sed tantum oblatas, & id quidem non semel, sed frequentissimè:& idem verbum sępius in eadem dispositione repetitum mysterium iuris denotat,secundum glo.receptas,[b] cum traditis à Decio, [c] & nullum aliud mysterium iuris significare potest, quàm quod illæ ita sunt oblatę,vt non sint monachæ.ergo,&c.

15 Septimò, quòd est casus expressus in clem. [d] in qua cum glo.cõmuniter recepta probatur primò, quòd oblatus & donatus non sunt monachi. Secundò,quòd constitutio pœnalis suspendens, vel excommunicãs monachos & religiosos,non comprehendit oblatos & donatos eorum. Tertiò,quòd oblatus & donatus,qui se & sua donauit monasterio,est verè & plenè oblatus. Quartò, quòd eiusmodi plenè donatus propter hoc solùm non est religiosus. Quintò,quòd,si eiusmodi plenè donatus contraheret matrimonium,valeret: gloss.enim in verbo *oblatos.* refert se ad glo.c.*vt lex continentiæ*, [e] receptam communiter,quę habet tale matrimonium valere.Pro quibus omnibus facit c.*in præsentia.*[f] per quod ibi Pan.[g] ait,quòd eo quòd quis donet se & sua monasterio, non efficitur monachus,quod ipsum ait in c.vlt.[h] & quod Ioan.Andr. relatus ibi à Dominico, [i] ait eum propriè dici religiosum, qui habitum accipit in religione.

16 Octauò,quòd monahus conuersus,& oblatus,etiam plenè & perpetuò valde differunt,vt colligitur ex prędicta cle.1.adiunct. glo.c.*vt lex continentiæ*,& glo.[k] Domin. & Frãc.[l] li.6.& c.*per exemptionẽ.*[m] Colligitur enim, quod monachus vel monacha dicitur, qui, vel quę suscipit habitum religionis,& profitetur regulam,vt seruiat in choro:conuersus verò,qui suscipit habitum,& profitetur regulã,vt seruiat extra chorũ: oblatus autem, qui se & sua perpetuo donat,sed non profitetur,nec suscipit habitum ordinis:quod satis exprimit Panor. [n] quem sequitur Deci[o], & paulo clarius Fel.[p] adiũctis quæ ait Cald.ab eodẽ relatus, [q] quatenus relatis multis modis sese offerendi monasterio,concludit,quod ex nulla oblatione efficitur quis monach.professus,nisi pręstet obedientiã monachalem,quod antea dixerat Innoc.[r] à quo nemo recedit,quẽ probat Arch.[s] At oblatę, de quibus loquimur, nec suscipiunt habitum monialium ordinis S.Benedicti, nec profitentur regulã earũ,quę est S. Benedicti, nec promittũt obedientiam monachalem secundum regulam prędictã, immo nec saltem expressè omnia sua donant, vt patet ex modo,quo sese offerunt:ergo non sunt monachæ, immo nec conuersæ,sed solùm oblatę,quo nomine appellat eas Eugenius Papa,& Commissarius eius,& Abbas S.Marię Nouę,qui earum viuendi modo consensit, & quo etiam ipsęmet sese nominant expressè etiam in ipso modo sese offerẽdi,cum vnaquęque illarum dicat sese offerre, & recipi pro commissa & oblata.

17 Nono tandem hoc concluditur eo, quod si prędictæ oblatę essent vere monachę ordinis S. Benedicti, frustra petitum fuisset ab Eugenio, vt earum modum viuendi approbaret, & frustra commisisset Archiepiscopo Commissario, vt de tali viuendi modo se informaret, & frustra requisitus fuisset Abbas monasterij, cui se offerunt, vt illi consentiret: quandoquidem regula monachorum sancti Benedicti, & regula ipsorum Benedictinorum est approbatissima à sancta Sede Apostolica: & à toto orbe

a L. si idem. C. de codicill.
b In clem. 1. de iure patro. verb. dicæcesanis, & c. 1. de cleric. ægrot. li. 6.
c In cap. cum M. col. 13. de constit.
d 1. de decim.
e 27. q. 1.
f De probationib.
g In 4. notabili.
h De successab intest.
i In c. vt officium. §. verũ. de hæret. li. 6.
k 27. q. 1.
l In ca. ex eo. §. 1. de elect.
m De priuil. eodem lib.
n In cap. non est. de regul. & in ca. tuis. de testib.
o In d. c. ecclesia notabil. 6.
p In dicto ca. in præsentia. de probatio. nu. 4.
q In consilio. vlt. de regul.
r In c. consuluit. qui cleri ci vel vouen.
s In d. cap. vt lex.

Christiano sine vlla noua approbatione eiusdem Sedis, vel alicuius Abbatis particularis: & ita,ne sequantur hæc absurda, quæ vitanda sunt, [a] proculdubio affirmandum est eas non esse verè monachas, immò neque conuersas, sed tantum oblatas particulari modo strictiori aliis modis, quibus communiter aliæ oblatæ sese offerunt.

18 Ad opposita responderi potest, & quidem ad primum, negando, quod signa in eo collecta sufficiant ad concludendum esse eas regulares, & religiosas, licet sufficiant ad concludendum illas facere collegium: nam multi canonici, immo & canonicæ sæculares in Germania, & multæ, quas appellant Beatas in Hispania, & alibi viuunt collegialiter siue conuentualiter sub vno viuendi modo,& sub vno habitu, & sub vno Prælato, vel Prælata, habentes vnum oratorium, & refectorium, qui tamen non faciunt professionem, vt efficaciter probat capit. *indemnitatibus*,[b] & cap. vlt.cum Archidiacono,& Cardinali Alexandrino, [c] quatenus per illum textum dicunt aliquas sanctimoniales posse testari: quod est verum de monialibus sæcularibus, siue collegialiter, siue conuentualiter viuentibus.

19 Ad secundum respondeo, negando,quòd sola donatio, qua quis se & sua donat, inducat professionem, vt supra probatum est in argumento septimo & octauo pro nostra parte formatis. Et id quod aiunt Panormitanus,& Felinus, quòd æquipollet professioni, intelligendum est non absolutè, sed secundum quid, & quo ad aliqua, puta quo ad gaudendum priuilegio dato monachis ad audienda diuina tempore interdicti,de quo loquitur prædictum cap.*vt priuilegia*, vel vt animalia eorum congaudeant priuilegio animalium monasterij, vt in dicta clementina 1. non autem ad hoc, vt videantur solemniter vouisse tria substantialia vota, vt ait prædicta glossa recepta.[d]

Ad tertium respondetur, quòd præfatæ oblatæ nullum ordinem ingrediuntur, nullum habitum regularem suscipiunt,& non intendunt mutare vitam sæcularem in regularem, sed in sæculari statu & modo viuendi seruire Deo: & ita assumpta in argumento: quod fundatur in ingressu & susceptione habitus, & voluntate mutandi vitam sæcularem in regularem, nihil obstant.

20 Ad quartum respondetur, quòd prædictum cap.*consuluit*, in eo citatum non intendit, quod per omnem obedientiam quis efficiatur regularis: quia etiam canonici sæculares pręstant obedientiam, [e] & omnes etiam principes debent Episcopis obedientiam, [f] & etiam regna omnia sæcularia suis Regibus pręstant obedientiam, iuxta B. Petrum, [g] & Paulum [h] & Imperator Papæ, [i] nec propter hoc efficiuntur regulares, & monachi: & ita dixit Innocentius ibi receptus ab omnibus, quòd non fit quis religiosus per omnem obedientiam, sed per monachalem tantùm,hoc est illã, quę fit alicui potenti recipere professionem regularem seruãdi regulam aliquã alicuius religionis approbatæ à Sede Apostolica, qualem obedientiam monachalem non pręstant prædictæ oblatæ: quia non pręstant obedientiam secundum regulam Sancti Benedicti, nec obedientiam absolutè, sed limitatè secundum modum viuendi earum congregationum: quam palam est non esse regulam de approbatis à Sede Apostolica quę non sunt nisi quatuor, vel quinque, vt inter cæteros testatur religiosissimus, idemque præsertim circa huiusmodi eruditissimus D. Antoninus, [k] de quibus non est hic modus viuendi.

21 His consequens est, prædictas oblatas consulentes ob clausuram non obseruatam nullas incurrisse censuras, nec vllum peccatum propter violationem iurium prædictorum,quæ quia non comprehendebant eas,non potuerunt ab eis violari,nec subinde ob id peccare.[l]

SECVNDA DVBITATIO fuit, an præmissa procedant, etiam si mulieres ipsæ ab aliquot annis retro lapsis in sua oblatione etiam castitatem & paupertatem vouerint,non quidem eo quod suus viuendi modus id requirat,sed ob deuotionem propriam.

22 Respondeo affirmatiuè: quia ratio primaria, quare præmissa non habent locum in præfatis oblatis, ea est, quòd non sunt verè monachæ, eo quòd non emiserunt tria vota substantialia in aliqua religione per Sedem

a L. nã quod absurdum. ff. de bonis liber.
b §. penult. de elect. lib. 6. & clem. 1. de relig. dom.
c 12. q. vlt.
d In d. ca. vt lex continentiæ.
e Ca. his qui. de maiorita. & obed.
f Ca. omnes. eodem tit.
g In eius canon prioris c. 2.
h Ad Rom. 13.
i Clem. 1. de iureiur.
k In 3. parte cap. 1. §. 3. tit. 16.
l Ca. qui peccat. 22. qu. 4. & 15. q. 11. §. 1. in fine.

Apost.approbata, neque obedientiam monachalem, id est, obedientiam factam potenti aggregare monasterio, vel ordini approbato secundum aliquam regulam à Sede Apost.approbatam: & hæc eadem ratio militat in iis, de quibus quæritur, quæ in aliis: quoniam monachæ, quæ prædicto modo prædicta vota emiserunt, non emiserunt illa in manibus potentis aggregare monasterio ordinis pro religione approbati, nec emiserunt illa in regula per Sedem Apost.approbata pro religione. Ergo idē ius militat in eis, quod in aliis: nam emisio trium substantialiū votorum etiam bis, ter, & sæpius repetita alibi, quam in manibus potentis aggregare ordini per Sedem Aposto. approbato, & secundū regulam à Sede Apost.approbatā, non efficit quem, vel quam monachum vel monacham, secundum omnes: & ita in multis religionibus & monasteriis inueniuntur multi, qui emiserunt tria vota substātialia, antequam solemniter profiteantur regulam & tamen non sunt verè religiosi, nec monachi, donec illam profiteantur. Salua, &c.

*Aduertendum circa ea quæ dicuntur nu.8. referri sacram Cōgregationem censuisse superiores religionum posse solum sua monasteria obligare, vt obseruent eorum instituta, à quibus fortè recesserunt, Pontificem autem posse religiosis indicere strictiorem vitam, quam sit illa, quam requirebat eorum regula.*

SVMMARIVM.

1 *Oblatæ Turris speculorum cùm non sint propriè religiosæ, non includuntur sub constitutionibus iubentibus monialibus clausuram, vtq; eligant triennalem Abbatissam.nu.2.*
3 *Constitutio nulla iis aptatur, quibus verba non aptantur.*
4 *Verba canonum & legum propriè in dubio sunt accipienda.*
5 *Clausula generalis in bulla posita, maiora expresis non includit.*
6 *Constitutio noua canonica, & exorbitans, de regularibus disponens, non extenditur ad illas, quæ non sunt verè religiosæ, quāuis collegialiter & religiosè viuant.*
7 *Abbatissa habet dignitatem, & lex de ea loquens non extenditur ad impropriè tales.*
8 *Prælati perpetui vtilius in religionibus eliguntur, quàm triennales.*

## CONSILIVM VII.

Excellentisimè Domine, Mulieres oblatæ Turris nouæ speculorum cùm consueuerint eligere suam Abbatissam, siue Priorissam (quam vocant Præsidentē) perpetuam, & non ad tempus, expertè enim sunt hoc regimē melius eis succedere, quam cum eliguntur ad triennium, dubitant modo, cum sint fortè nouam electuræ (nam, quā nunc habent, grauiter ægrotat) an earum tam laudabili consuetudini obstet bulla fe.re.Greg. XIII. qua præcipitur, vt deinceps Abbatissæ, siue Priorissæ eligantur triennales, & non perpetuæ.

1 Ad hanc quæstionem dico, quod memini me respondisse olim, vestras dominationes non fuisse inclusas, nec includi sub constitutione Bonifacij VIII. [a] nec sub illo Conc.Trid.[b] neque aliis constitutionibus fe. rec. Pij V. & Greg.XIII. statuentibus vt moniales, cuiuscumq; ordinis & religionis sint, perpetuo seruent clausuram: multis rationibus id pro tenuitate mea confirmando, & latissimè ac neruosissimè probando vestrum sanctum viuendi modum non esse vllā de religionibus à Sancta Sede Apost.pro vera religione approbatis, neq; vllam personam vestri collegij esse verè ac propriè regularem monachā, siue religiosam, sed tantùm oblatam religioni S. Benedicti, tali oblatione, quæ non facit eas monachas S.Benedicti, sed tantùm oblatas illius religioni: quod longè differt ab eius veræ regulæ professione: & ita tantùm obligatas esse ad seruandum obedientiā, & suū peculiarem viuendi modum, iuxta formam statutorum suorum, approbatā quidem à Sede Apost.pro bono & sancto viuendi modo, sed non pro vera illa, & alta religione, quæ facit profitentes esse veras monachas.

Nunc autem responsurus ad quæstionem in hac epistola propositam, dico, posse, ac debere insinuare S.D.N. prædictam meam priorem responsionem datam super prædicta clausura cū suis fundamētis, & rationib. ob quas fœl.re.Greg.XIII. excusauit vos ab obligatione seruandi clausuram perpetuam, eo quòd illa responsio multum facit ad excusandas easdem à non mutanda consuetudine eligendi Præsidentem perpetuam, sicut profuit ad excusandas eas à non mutanda consuetudine super clausura ad illud vsque tempus seruata: & posse iustè seruare consuetudinem hactenus seruatam in eligendo Præsidentem nouam perpetuam, quando placuerit D. N. Iesu Christo extrahere, quam nunc habetis, ex hac terrena & misera vita in cælestem & fœlicem, quæ sibi fiat cohæres & commensalis. Primò quidem, quòd communitas vestra nec verè, nec realiter est monachalis, neque nomine ipso appellatur talis: quandoquidem etiam vulgo non appellamini monachæ, sed solum oblatæ, quas plurimum differre iure latè probatur in responsione prædicta prioris quæstionis, quam mihi olim proposuistis.

2 Secundo quidem rationibus, quibus olim excusatæ fuistis à clausura perpetua, & iudicatæ non includi sub vlla multarum constitutionum, quibus illa iniungebatur omnibus cuiuscumque ordinis & religionis monialibus, ita nunc debetis iudicari non esse includendæ sub constitutione Gregorij quæ statuit, vt omnes sanctimoniales eligant Abbatissam triennalem, & non perpetuam, cum de similibus idem sit iudicium. [a]

3 Tertio, quod nulla constitutio aptatur illis, quibus illius verba non aptantur, vt est textus iuris optimus in ca. *indemnitatibus*, [b] & l. 4 [c] & ibidem Bartholus & Paulus notant, & Felinus latè, [d] & verba prædictæ constitutionis Gregorianę solùm aptantur sanctimonialibus normam & regularem disciplinam seruantibus, quales non estis vos, vt in dicta responsione efficacissimè probatur.

4 Quarto, quòd verba canonum & legum in dubio propriè sunt accipienda, [e] at numquam vel rarissimè inuenietur, & quidem mihi in præsentia non occurrit locus ex iure Pontificio vbi Præsidens, vel Præposita fœminis, quæ non sunt verè religiosæ, licet viuant communiter religiosè, vocetur Abbatissa, neque Præfecta normam & disciplinam regularem seruantibus: ergo constitutio Gregoriana, quæ loquitur de electione Abbatissæ, vel Præfectæ monialibus normam & disciplinam regularem seruantibus, non comprehendet Præsidentem, & Præpositam sæcularibus, quę neque est verè religiosa, nec præest verè religiosis.

5 Quinto, quod Gregorius vti vir canonum peritissimus, licet in sua constitutione multas moniales multorum ordinum expresisset, nullam tamen expresit earum, quæ dicuntur vulgò religiosæ, quæ verè non sunt tales: solum enim expresit moniales ordinis S. Benedicti, Cistercensis Carthusiani, addita clausula generali, & aliorum quorumcūque ordinum, non comprehendēte maiora expresis: & ita credendum est certè prædictum Gregorium noluisse includere Præpositas tertij ordinis S. Dominici, & S. Francisci, nec alias similes, si verè non sunt professæ regulam à S. Sede Apostolica pro vera regula approbatam, nec consequenter vestras Dominationes, quarum nec Præsidens est verè religiosa, nec præest verè religiosis.

6 Sexto, quod constitutio Canonica statuens aliqua noua, & à iure communi exorbitantia de sanctimonialibus & fœminis religiosis, solum est intelligenda de verè religiosis, & regulam per sanctam Sedem Apostolicam pro vera regula approbatā profesis, & non de aliis quantumuis religiosè & collegialiter viuentibus, nisi expresè suam legem ad illas extendat, vt est casus notabilis & memorabilis in d.cap. *indemnitatibus*. [f] At Gregorius prædictus tulit legem de electione Abbatissarum, & Præfectarum normam & disciplinam regularem seruantium, & non extendit ad alias expresè: ergo non est intelligenda de aliis.

7 Septimò, quòd Abbatissa habet dignitatem, vt probat prædictum cap. *indemnitatibus*, [g] & de talibus videtur loqui prædicta constitutio Gregoriana, & non de aliis, quæ impropriè vulgo dicuntur tales.

8 Octauo, quod multis efficacibus modis probauimus, [h] quòd sanctius & conuenientius est, vt prælati & prælatæ sint perpetui, & quod triennalis hæc mutatio est nouum inuentum eorum, qui per ambitionem & superbiā volunt dominari, & non obedire, & quòd licet aliquo respectu sit vtilis ad seruāda temporalia, alio tamen est ad



a *In c.periculoso. de statu regularium li.6.*
b *Sess.25.cap.5.de reg.*

a *Le. illud.ff. ad le. Aquil. & c.dudum. 2. de electio.*
b *§.penult.de elect.*
c *§. toties.ff. de dam. infect.*
d *In c.nonnulli. col. 31. de rescript.*
e *Le.non aliter.ff.de lega. 3 & ca.ex literis.de sponsalibus.*
f *§. supradicto.*
g *§. primo. versiculo verum.*
h *In com. 3. de regu.super c.nullam. 18. q.2.*

id damnosa,& quo ad spiritualia bona perniciosissima:nã per eam minuitur auctoritas & reuerentia Superiorum ad præcipienda bona, & castiganda mala,minuitur etiam caritas, obedientia, humilitas,& concordia subditorum ad subeunda præcepta Superiorum, & augentur factiones,rixæ,discordiæ, & murmurationes: adeo quòd nihil magis & ardentius tractatur in illis monasteriis, quàm quomodo per fas aut nefas ille aut ille illo vltimo anno fiat Prælatus,qui faueat suis fautoribus,& obsit contradictoribus.quas rationes,quia in prædicto comment. facile videri possunt,hic nõ repeto:sed testor, vt annosus testis, & consultor,ad quem innumerorum peccatorum tam simoniæ,quàm ambitionis,superbiæ,factionum, discordiarum,& murmurationum cognitio frequẽtissimè, tum per confessarios, tum per ipsosmet Prælatos & subditos pro medicina contra scrupulos quærenda,peruenit, testor inquam,quod,si absque scãdalo possem, restituerem statum antiquum perpetuorum Prælatorum,quẽ S.Basilius, Augustinus,Bernardus,Bernardinus,& etiam Dominicus,& Sanctus ipse Franciscus instituerunt, seruatis ad vnguem canonibus, quibus Prælati suo munere abutentes eiicerentur, & sine vlla negligentia castigarentur. & consequenter non solùm videtur non extendenda hæc triennalis mutatio, sed valde vitanda, vt caritas,& humilitas, vnitas,& mansuetudo seruetur,vt dicitur seruata fuisse in prædicto cœnobio, in quo absque scrupulo credo non seruatum iri,si triennalis pręfata mutatio introduceretur. Salua,&c.

### SVMMARIVM.

1 *Explanatio doctrinæ Auctoris positæ cap. statuimus.19.q.3.nu. 44.& 55. & nu.2.*

1 *Tertiariæ in cõgregatione viuentes si volunt profiteri,coguntur omnino clausuram seruare, & sic poterunt alias in earum congregatione recipere: aliter non permittitur eis, vt alias de nouo recipiant, debéntque seuerè ab ordinario puniri, si scandalosè viuant.*

2 *Dimidium omnium eleemosynarum, quæ ex obligatione debent distribui in victum, vel in quosuis alios incertos tamen vsus incertorum pauperum, à Gregorio applicatum fuit in subsidium pauperum monasteriorum monialium.*

## CONSILIVM VIII.

1 AD PRIMVM dubium transmissum Mediolano super com.cap.*statuimus.*[a] respondeo notabile nostrũ esse conforme textui extrauagantis Pij V.ibi transcriptæ:quòd illa habet locum nõ solùm in Tertiariis,sed etiam in aliis: ponderando quòd tria statuuntur in textu: duo quidẽ de tertiarijs viuentibus in congregatione non professis: alterum, vt volentes profiteri seruent clausuram,& multiplicentur,vt aliæ monachæ: alterum, quòd nolentes vouere, viuant quidem sine clausura, sed quod ab ordinariis seuerissimè puniantur, si viuant scandalosè: tertium de cæteris omnibus sine professione & clausura viuere volentibus, vt permittantur quidem viuere sic illæ,quæ hactenus sunt receptæ, non tamen habeant facultatem aliquam vlterius recipiendi.& extrauagans prædicta secundum hunc modum intelligendi seruatur Romæ in congregatione nobilium Turris Speculi, nec arbitror posse Mediolani iustè seruari contrarium,nisi per dispensationem, vel quia constitutio non sit recepta: quia lex etiam iusta non recepta non ligat.§.*leges.*[b]& adducta per nos in Manual.[c]

2 Ad secundum dubium[d] respondeo,quòd sensus commentarij summariè collectus consonat textui: quia verbum,*præterquam*, non excludit à verbo principali *distribui*, sed à verbo *incertos*:ita quod est sensus,dimidium eleemosynarum faciendarum pauperibus incertis ad incertum vsum specialem, nisi vsus ille esset ad victum distribuere, ita quod significet, quod etiã relictũ in certos vsus victus & alimenti debetur.Verum est,quod subobscurè ponitur, nec mirum: quia est summa textus,quæ debet breuis esse.

a 19.q.3.nu. 44.

b 4.dist.

c Prælud. 9. nu.8. & melius cap.23.à num 40.

d Super eodẽ com.num.55.

### SVMMARIVM.

1 *Monialium monasteria nulli,qui non sit superior, ingredi licet sine causa vrgenti, & iusta licentia à Superiore obtenta:superior autem monasterij siue sit earum Prælatus regularis, siue Episcopus siue Episcopi Vicarius generalis, vel Visitator, licet non egeat licentia,eget tamen quod subsit causa sufficiens.num.2.& 3.*

## CONSILIVM IX.

AN EPISCOPIS liceat intrare monialium monasteria causa visitationis,vel alia?

1 Pro parte negante videtur esse textus expressus,[a] qui sic habet:*Nullique aliquatenus inhonestæ personæ, nec etiam honestæ, nisi rationabilis & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit specialiter licentia, ingressus, vel accessus pateat ad easdem,&c.* quod fœl. record. Pius V. innouauit in extrauagante.*Circa.*

Secundo, quòd Concilium Tridentinum [b] sic habet: *Ingredi autem intra septa monasterij nemini liceat, cuiuscumque generis,aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint.sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtẽta.sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda.*quod etiã Pius V. vbi supra innouauit.

Tertiò,quòd extrauagãs Gregorij XIII.quæ incipit,*Vbi gratiæ.* reuocauit omnes & quascumque licentias ingrediendi monasteria monialium à S. Sede Apostolica vel eius Legatis datas,& addit hæc verba. [c] *Quin etiam sub eisdem pœnis ipso facto incurrendis prohibemus, at interdicimus omnibus & quibusque personis ecclesiasticis,& secularibus, ac etiam ordinum quorumcumque,etiam mendicantiũ regularibus, ne prætextu licentiarum ab Episcopis,vel Superioribus &c.ne monasteria ipsa pro libito.sed necessitatibus vrgentibus dumtaxat ingredi, neve moniales sub eisdem pœnis illos aliter admittere præsumant.*

Quartò,quòd verba prædictarum constitutionum generaliter & vniuersaliter statuunt, vt nulli liceat ingredi prædicta monasteria,nisi de licentia Superiorum: immo postrema Gregorij expresiùs aliis habet, vt nulla persona etiam ecclesiastica, cuiuscumque gradus & conditionis sit ingrediatur etiam de licentia Superiorum,nisi pro vrgenti necessitate. At palam est, Episcopum esse aliquem, & esse Ecclesiasticum, & talem quem illa verba, *Cuiuscumque conditionis*,excludunt. Ergo etiam ipse prohibetur ingredi.

Quintò,quòd,vbi est eadem ratio,idem ius est censendum,[d] & argumentum à simili valet,[e] at eadem,vel similis quo ad hoc ratio dictat, ne Prælati superiores monialium ingrediantur earum monasteria. ergo etiam ipsi supradictis constitutionibus includuntur.

2 Pro parte tamen affirmante videtur vrgere,quòd nullo expresso iure videtur prohiberi superioribus monialium,ne monasteria earum ingrediantur.

Secundò,quòd,cui conceditur quod est plus, conceditur vtique,quod est minus,[f] & Prælati superiores possunt ex causa iusta dare licentiam ingrediendi aliis, vt prædictum Concilium Tridentinum & prædictæ extrauagantes præsupponunt,ergo etiam ipsimet.

His pręmisis,videtur dicendum primò,prædictam extrauagantem Gregorij XIII. nihil noui inducere, quod obstet,quin Episcopi possint monasteria sibi subiecta intrare, quandoquidem solùm duo noua videtur inducere, scilicet reuocationem facultatum ingrediendi ea concessarum à S.Sede Apostolica & à Legatis eius, & quòd licentia Superiorum ad ingredienda monasteria non sufficiat,nisi vrgentissima de causa.

Secundò, quòd iure communi non videtur expresim & speciatim cautum, ne superiores monialium sine licentia superiorum ingrediantur monasteria subiecta.

Tertiò,quòd verba generalia & vniuersalia iuris communis prædicti [g] de vigore verborum videntur eos includere, quia includunt omnes personas cuiuscumque generis,conditionis,sextus,vel ætatis fuerint.

Quartò, quòd his videtur consequens, vllum Episcopum non posse intrare monasteria sibi subiecta sine vrgenti causa. Tum per omnia argumenta pro parte negante adducta. Tum ne cogamur dicere,quòd etiam Vicarius generalis & Prouisor posit id facere,quia vnam & eamdem iurisdictionem habet,quam ipse, & ita sunt ei subiecta,sicut Episcopo,cum sit vnum & idem tribunal vtriusque,[h] & etiam Visitatores eius, & Vicarij Visitatoris,[i] quod menti pręedictarũ constitutionũ videtur repugnare.

3 Quintò, quòd probabiliter dici potest, posse Episcopum intrare monasteria sibi subiecta sine licentia Superioris, dummodo intret pro tam vrgenti necessitate, pro quanta potest dare alteri ad intranda ea. Tum per duo argumen

a In cap.1. de statu reg. lib. 6.

b Sess. 24. de reg.ca. 5.

c In constitu. 36.

d Le. illud ff. ad le. Aquil. cum similib.

e Le.non possunt.ff.de legib.

f Cap. cui licet. de regul. iur.li. 6. cum suis concordantiis.

g Capit. 1.de statu regul.

h Ca. 2.de cõsuet.li 6.

i Ca. 1.ne sede vacante.

argumenta supra pro parte affirmante insinuata. Tum quia sicut [a] statutum fuit, vt Episcopi, & Superiores, & alij Prælati exempti possent eligere confessorem prouidum absque licentia superioris, ne præ nimia dilatione salus animę differetur, sic etiã videtur posse Episcopum intrare monasteria sibi subiecta, ne præ nimia dilatione deficiat suæ necessitati prouisiò. Tum quod iure naturali & diuino tantùm attẽto id ei licet, quia neutrum illorum id prohibet expresse, immo nec tacitè, quia ex neutro illorum potest per bonam consequentiam inferri non licere id ei: & quod licet vtroque illo iure, non est dicendum non licere, nisi per regulas Sanctorum id vetetur, [b] & non videtur id prohibitum per prædictum [c] Concilium Tridentinum quatenus requirit Superioris licentiam, non solùm qualem qualem, sed scriptam, quia videtur loqui de licentia Episcopi, vel Superioris monialium alijs concedenda, non autem de ingressu ipsorum superiorum, pro quo standum est iuri antiquo communi.

a In ca. fin. de pœnit. & remiss.

b Ca. consuluisti. 2. qu. 4. & c. 2. §. fin. de translat. præl.

c Ca. 5. de regul. sess. 25.

Sextò, quòd casus omissus habetur pro omisso, & prouisio specialis in vno non extenditur regulariter ad aliũ, immo statur prouisioni communi, [d] & cum per proximè dicta Concilium specialiter non prouiderit de ingressu ipsorummet Superiorum immediatorum, videtur omissum, & non prouisum, de quorum licentia illi ingredi debeant, & ita standum est prouisioni communi per quam Superiores ipsi poterant ingredi iusta de causa sine alterius licentia. Tum quia pro lege habendum est id, quod legislator statuisset, si cum legem faceret, id ei propositum fuisset, iuxta glossam singularem & receptam. [e] At si Concilium interrogatum fuisset, de cuius licentia ingressuri essent, cùm oporteret, Episcopi, & alij Prælati, qui debent dare licentiã alijs ingressuris, profecto respondisset, quod ipsi acciperent eam sibi pro tam iusta causa, pro quanta essent daturi alijs, & non respondisset, vt quærerent eam à Papa, vel ab Archiepiscopo, quos non poterant faciliter, nec decenter adire pro causis, quæ possent quotidie occurrere. Per quæ omnia & alia, quæ, si vacaret, adduci possent, videtur resoluendum, Episcopos, & alios Prælatos non debere intrare monasteria sine iusta causa, cùm ea verò sic, non petita ab alio licentia.

d L. commodissime. ff. de li. & posth. & cap. suscepta. de rescrip. li. 6.

e In l. tale pactum. §. fin. ff. de pactis.

Omnia supradicta confirmantur per constitutionẽ 75. fel. record. Gregorij XIII. quæ incipit. *Dubijs quæ emergunt, &c.* vbi habet hæc verba: *Quocirca vniuersos, & singulos Episcopali, seu maiori, ac etiam Cardinalatus dignitate præditos, nec non quorumuis ordinum Abbates, Priores, Ministros, & alios quoscumque Superiores regulares monemus, vt facultate huiusmodi, qui eam habent, præter quam in casibus, vt præfertur, necessarijs neutiquam vtantur. quod si, &c.*

SVMMARIVM.

1 *Canonicus regularis, sicut nec monachus, nequit esse patrinus.*
1 *Leges fundatæ in religione disponentes de monachis canonicos regulares concludunt, nisi earum verba illos excludant, vel ratio diuersitatis possit adduci.*

## CONSILIVM X.

AN CANONICVS Regularis possit esse patrinus?

1 Respondetur, idem videri dicendum quo ad hoc de canonicis regularibus quod est dicendum de monachis, iuxta cap. *non liceat.* [f] & notata ibi per Panormitanũ communiter receptum, quatenus dicit leges disponentes de monachis habere locum in canonicis regularibus, quando leges illæ fundantur in religione, & non continent aliqua verba, quibus significent nolle includere canonicos, & non potest reddi ratio diuersitatis. ob quam opinionem ego his quinquaginta annis nolui esse patrinus & leuare baptizatum de fonte, quamuis fuerim ad id inuitatus etiam in Vrbe: licet quæstio hæc subtiliter sit mota, & multa possint pro contraria parte adduci, quę tamen per ea quæ Panormitanus ait [g] possunt dissolui.

f De consecr. dist. 4. c. 2. de postulan.

g In d. cap. 2.

SVMMARIVM.

1 *Canonico regulari sine dispensatione Apostolica conferri non potest beneficium sæculare non curatum, item nec regulare alterius ordinis. & nu. 5. sæculare autem curatum potest. nu. 2. & hoc etiam si sit annexum alicui monasterio & num. 5.*
3 *Vicariatus perpetuus parochialis Ecclesiæ vnitæ dignitati vel monasterio est beneficium curatum, præsentatióque spectat ad obtinentem dignitatem, seu ad monasterium.*
4 *Beneficium eo solo quod monasterio vnitũ sit, regulare non est.*
6 *Regularis iure communi per patronum laicum sine dispensatione ad curatam sæcularem præsentari non potest secundum illam sententiam, quam auctor, Rota controuertente, putat veriorẽ: nisi adsit consuetudo in contrariũ præscripta:*
7 *Concilium Tridentinum sess. 7. cap. 7. non tollit potestatem præsentandi vicarios temporales ad curata cathedralibus, collegiatis, & monasterijs vnita: licet concedat ordinarijs, si videbitur, loco temporalium decernere, vt deputentur perpetui: à quo tamen decreto, si grauet, datur appellatio deuolutiua.*

## CONSILIVM XI.

QVÆRITVR primò, an beneficia curata sine dispensatione Papæ possint conferri canonicis regularibus.

Secundo, an patronus laicus possit præsentare religiosum professum ad Ecclesiam parochialem sæcularem.

Tertiò, an per decretum Concilij Tridentini [a] intelligatur ablata potestas præsentandi vicarios temporales ad Ecclesias curatas, quæ vnitæ sunt cathedralibus, collegiatis, monasterijs, &c. ijs, quibus aliàs competebat.

a Ca. 7. de refor. sess. 7.

1 Ad prædictas quæstiones breuiter ob penuriam temporis respõsurus præsuppono primò, certum esse nullum canonicum regularem iure communi posse absque dispensatione Sedis Apostolicæ obtinere beneficium sæculare non curatum. Tum per regulam illam generalem, *Regularia regularibus, sæcularia sæcularibus.* quæ colligitur ex ca. *vt possessiones.* [b] & significat Concilium Tridentinum. [c] Tum quod ita Calderinus & Panormitanus communiter recepti determinant. [d]

2 Secundò, quòd communis sententia, vt ait Panormitanus [e] habet, quod canonicus regularis potest habere beneficium sæculare curatum sine dispensatione speciali, cum illa generali, quæ conceditur per illud ca. & alia quę ipse ibi citat, & traditur [f] Rota, [g] licet omnes dicant cautius esse, vt id cum Episcopi dispensatione fiat.

3 Tertio, quod vicaria siue vicariatus perpetuus, qui debet institui in Ecclesia parochiali vnita alicui dignitati, vel monasterijs, est beneficium curatum, & habent in eo locum iura statuentia de Ecclesijs parochialibus, [h] & huiusmodi vicarius debet institui ad præsentationem eius, cuius dignitati Ecclesia parochialis est annexa, vt satis probat textus in d. ca. *extirpandæ.* [i] & ibi sentit Panormit. [k]

b De reb. eccle. non alienan. & ca. cũ de beneficio. de praben. li. 6.
c In ca. 10. de refor. sess. 14.
d In ca. quod Dei. de statu. mon.
e In d. c. quod Dei timorẽ.
f In decis. 5.
g De iur. patro. in nou.
h Clem. 1. de offic. vicarij.
i §. qui vero. de præben.
k Nu. 9.

4 Quarto, quod prædicta vicaria, siue vicariatus perpetuus non est beneficium regulare eo solo, quòd sit vicariatus Ecclesiæ parochialis vnitæ dignitati, vel monasterio regulari. Tum quia id nullo iure cauetur. Tum quia contrarium significare videtur prædictus §. *qui vero.* cum ei adnotatis per Panormitanum & alios, nisi per literas vnionis, vel consuetudinem præscriptam factus fuerit regularis, vt fieri potest, per d. cap. *cum de beneficio.*

5 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo primò per primum præsuppositum, quod beneficia curata sæcularia non consueta regi per regulares, de quibus in eo citati loquuntur, possunt conferri canonicis regularibus.

Secundò, quòd beneficia curata regularia, siue consueta regi per canonicos regulares, possunt conferri canonicis illius monasterij, cui sunt annexa, sine vlla dispensatione. [l] quia illa sunt regularia, & possunt regularibus in titulum conferri.

l Arg. c. cum singul. de præbend. li. 6. & clem. 1. de supplen. neg. prælat. & d. cap. cum de beneficio.

6 AD SECVNDAM respondeo varios fuisse Doctores Prætorij Rotæ, [m] vt eius collector refert super hac quæstione: & quòd arbitror etiam nunc varios fore, si eis occurreret: tametsi iure communi verior mihi videatur sententia negatiua Panormitani nisi contrarium præscriptum esse legitimè probaretur.

m In decis. 5. de iur. patro. in nouis.

7 AD TERTIAM respondeo primo, quod per illud [n] Concilium Tridentinum non videtur tolli ius præsentandi vicarios ad Ecclesias prædictas pertinens iure communi ad dignitates, vel Ecclesias, quibus sunt vnitæ: quia id ex illius verbis non colligitur necessario: & à iure antiquo non est recedendum, nisi quatenus expressè recedi iubetur. [o]

n Capit. 7. de reform. sess. 7.

o Le. præcipimus. C. de appell.

Secũdò, quòd arbitrio ordinariorum videtur relictum,

an oporteat ponere vicarios perpetuos, non obstante priuilegio ponendi temporales: quia id sonant illa verba Concilij, *Per vicarios perpetuos, si pro bono regimine id videbitur.* Nec quo ad hoc ordinarijs obstant priuilegia literarũ vnionum, quia expressè derogatur contrarijs priuilegijs.

Tertiò, quod si prædicti ordinarij malè sine iusta causa id arbitrarentur, & vicarios temporales in perpetuos commutarent, potest appellari ab eis. Tum quia verbum, *videbitur*, arbitrium boni viri regulatum denotat, iuxta doctrinam Bartholi receptam. [a] Tum quia iustè potest appellari à iudice, cuius arbitrio aliquid relinquitur, si malè arbitretur, vt tenet glossa cõmuniter recepta [b] & quamuis appellatio eiusmodi non suspenderet eorum sententiam, quo minus executioni mandaretur, deuolueret tamen iurisdictionem ad Superiorem, qui cognita causa illam reuocaret, per ca. *pastoralis*. cũ ei adnotat. [c] Salua, &c.

*Aduertendum, referri à tempore Greg. XIII. & citra obseruari, ne canonicis regularibus dentur beneficia curata sæcularia.*

a In extrauag. ad reprimendum. in verb. videbitur.
b In c. super his. in verb. arbitrio. de accusat.
c De appell.

SVMMARIVM.

1 *Canonici regulares possunt suscipere beneficia curata extra ordinem suum cum licentia Generalis.*

CONSILIVM XII.

PETITVR, an canonici regulares congregationis Lateranensis, ordinis sancti Augustini, possint suscipere beneficia curata, & exercere curam animarum extra ordinem suum cum licentia sui Generalis absque vlla alia dispensatione.

1 Respondetur quòd sic, per cap. *quod Dei timorem.* [d] & Panormitanum communiter receptum post glossam, Hostiensem, & Ioannem Andream & argumento à fortiori per cap. *in parochia*. cum glossa 16. quęst. 1. & latissimè probat Lambertus [e] & ante illum Rocchus [f] pro quo etiam est glossa. [g]

d De statu monach.
e De iure patro. l. 2. 1. par. q. 7. prin. art. 19.
f De iure patrona. verbo honorificum. q. 4.
g In clem. 1. verb. religiosus. de electio.

SVMMARIVM.

1 *Regulares simplices, vt sunt religiosi sancti Spiritus, nihil proprij possunt habere: quibus si aliquid conceditur, non possunt illud impendere nisi in eorum victum, & vestitum, & quod superest tenentur consignare Prælato: nam is cui conceditur aliquid in certum peculium, non potest impendere in aliam causam, quàm in concessam, nu. 9. n[i] amplior ei fiat à prælato licentia. num. 8.*

2 *Commendatarij sancti Spiritus, sicut & alij regulares habentes beneficia, etiam quod sint ad nutum amouibilia, nu. 5. 6. 7. & 10. possunt de fructibus suarum commendarum, num. 2. immo & aliunde quæsitis, nu. 5. disponere in suos necessarios & alienos pios vsus. nu. 2. perinde ac si essent beneficiati sæculares. nu. 4. & 10. & quicquid acquirunt, dictis beneficijs & commendis acquirunt. num. 3. & 7. non autem superiori, qui illa ipsis contulit, nec monasterio in quo professionem emiserunt. num. 5. 6. & 7.*

5 *Prælatus beneficia regularia suæ religionis etiam manualia tenetur infra sex menses conferre, alioquin deuoluuntur ad superiores, nec possunt nouas imponere pensiones, vel antiquas augere, nec fructus illorum dum vacant, qui ad successorem in beneficio debent reseruari, sibi applicare.*

10 *Regularis etiam de licentia Papæ, immo nec si ipse efficiatur Papa, potest habere dominium, seu proprium, licet possit habere administrationem rerum, ac regnorum. nu. 11.*

CONSILIVM XIII.

QVÆSITVM est, an commendatarij sancti Spiritus in Saxia possint quidquam disponere vltra victum & vestitum de fructibus suarum commendarum, an verò teneantur, quod superest, reddere Reuerendissimo Præceptori hospitalis.

Quæstio hęc magna est, & magis quotidiana, quàm bene adamussim communiter tractata. ob quod nos vt satisfaceremus plurimorum interrogatis, latissimè commenti fuimus super ea, & attinentibus ad eam in com. 2. de reg. [h] pręsertim notabili primo, & secundo, & aliquot præambulis eius. Cui ob maximas occupationes, quibus premor, non respondissem, nisi tam ipsius Illustrissimi hospitalis, quam Illustris admodum ac Reuerendissimi eius prælati, & admodum Reuerendissimorum fratrum, & commendatariorum eius flexisset auctoritas.

h Super cap. non dicatis.

1 Responsurus autem vtcumque, quatenus per impedimenta licet, dico primò, quod pro parte negante, scilicet quod prædicti fratres non possint quidquam disponere, nisi pro victu & vestitu de fructibus prędictarum suarum commendarum, & quod teneantur, quod superest reddere præfato Præceptori hospitalis, faciunt tota regula S. Augustini, sub qua viuunt, & d. cap. *non dicatis.* [a] cum multis aliis similibus, quæ habẽt, canonicos regulares, & omnes alios verè religiosos vouere votum solemne paupertatis, quò fiunt incapaces omnium bonorum, tam quo ad possessionem, quam quo ad proprietatem, siue dominium in particulari: adeo quod peccat religiosus dicens aliquid esse suum proprium, vt habet præfatum cap. *non dicatis.* in cuius 1. notabili nos illud confirmamus: & [b] affirmamus, magis peccare religiosum, qui habet, vel vult habere proprium, cũ contraueniat, vel velit contrauenire voto, quod esse peccatum constat ex capit. *non est.* [c] & ex aliis multis, quam qui dicit se habere proprium. Adeo quidem, quod ibi dicimus maximopere cauere debere religiosos etiam canonicos regulares, tam habentes, quàm non habentes beneficia, vel officia, ratione quorum habent facultatem emendi boues, vaccas, verueces, & alia mobilia, seu se mouentia, siue immobilia, ne comparent illa intendentes actu, seu actualiter, virtute, seu virtualiter quærere illa sibi: quia hoc est peccatum mortale.

a 12. qu. 1. & c. 2. & ca. super quodam. & c. cum ad monasterij. de statu monach.
b In 2. notabili.
c De voto, & ca. vouentibus. 17. q. 1.

2 Pro parte verò affirmante, scilicet quod præfati fratres, siue commendatarij possint de fructibus suarũ commendarum disponere non solùm ad ea quæ pertinent ad victum suum, sed etiam in alia opera pia, & remuneratoria, & quòd non teneantur, quod superest reddere præfato Magistro Pręceptori, facit primò, quod in tota Ecclesia Christiana id seruant omnes religiosi habentes beneficia regularia siue in titulum: siue in commendam, vt vidimus in Castella in Ecclesia cathedrali Oxoniensi, antequam fieret sæcularis, in Ecclesia S. Isidori Legionensi & in Aragonia in canonicis regularibus Ecclesię archiepiscopalis Cæsaraugustanæ & in monasterio & hospitali B. Mariæ del Pilar eiusdem ciuitatis, & in Nauarra in canonicis ecclesiæ cathedralis Pampilonensis & in monasterio B. Mariæ Roncęuallis, & in Cathalonia in Ecclesia cathedrali Dertusensis & in Gallijs in archiepiscopatu Tolosano, antequam fieret sæcularis, & etiam nunc in celeberrima ecclesia S. Saturnini eiusdem ciuitatis, & in omnibus cõmendis, & prioratibus ordinis hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani per totum orbem dispersis, & in omnibus commendis ordinis S. Iacobi de la Spata fundati super regula S. Augustini, & ordinis de Alcantara, & Calatraua degentium sub regula B. Benedicti: & in omnibus alijs monasterijs, in quibus sunt huiusmodi prioratus & commendæ.

3 Secundo facit cap. *cum olim.* [d] quatenus habet, canonicum regularem assumptum ad episcopatum non quærere bona quæsita post eum habitum ecclesiæ priori, nec prælato, sed episcopatui. quod clarius probat ca. *statutum.* [e] & cap. *si quis iam translatus.* [f] quæ omnia probant, religiosum, qui ab vno beneficio transfertur ad aliud, non quærere postea quæsita priori beneficio, nec priori Ecclesiæ, sed posteriori, quã regit & gubernat. Cùm ergo præfati fratres commendatarij de statu simplici religiosorum, quem acquirunt per professionem solemnem, ascẽdant per acquisitionem commendarum sibi collatarum ad noua iura, & noua beneficia, & nouum statum commendatariorum, non dicentur acquirere monasterio principali, vbi professi sunt, sed hospitali, vel pręceptorijs, vel commendis, ad quarum gubernationem assumpti sunt.

d De priuileg.
e 18. q. 1.
f 21. q. 2.

4 Tertio facit Clementina 2. [g] quæ faciendo differentiam inter simplicem religiosum, & eum, qui habet beneficium, vel administrationem regularem, statuit, vt simplex religiosus, qui epitogium, siue vestem breuem contrariam religioni detulerit, tradat illam superiori, vt ille in pios vsus eam conuertat: si autem fuerit beneficiatus, vel administrationem habẽs, eroget eam pauperibus. per quem textum singularem singulariter ibi dixit Cardinalis, quòd religiosus beneficiarius potest de fructibus sui beneficij disponere, perinde ac clericus sæcularis de fructibus sui beneficij sæcularis. Cuius dicto nemo contradicit, & nos illo vsi sumus in tractatu de reditib. ecclesiastic. ad quædam alia proposita. Cũ ergo fratres religiosi,

g Vers sed & tales. de vita & honest. clericor.

de quibus

de quibus loquimur, sint beneficiarij, habeantque administrationem fructuum suarum commendatum per collationem canonicam Superioris sibi factam, possunt de fructibus illorum disponere, perinde ac clerici sæculares de fructibus suorum beneficiorum, & consequenter de illis se decenter sustentare, & in opera pia consumere.

5 Quarto est textus singularis, quem vt credo, Bartholus non vidit, vel non ponderauit, vt nos in dicto cap. *non dicatis*. dicebamus in Clementina 1.[a] quatenus habet, primum huiusmodi præceptorias, & commendas, etiam manuales, & ad nutum prælati remouibiles, esse beneficia talia, quod in eis habet locum dispositio cap. 2.[b] scilicet, quod debent conferri intra sex menses ab earum vacatione: ita quod, si non conferantur intra illos, earum collatio deuoluitur ad Superiores eorum, qui eas conferre debẽt. Secundum, quod earum superiores collatores nõ possunt augere pensiones iã impositas, nec nouas imponere. Tertiũ, quod irrefragabiliter hãc nostrã partẽ confirmat, scilicet, quod nõ possunt Prælati superiores, qui eas cõferunt, quidquã de fructibus earum, qui proueniũt durante illarũ vacatione, accipere, sed debẽt reseruari futuro successori.

6 Quintò, quòd sicut religiosus prouisus à Papa de beneficio manuali, & ad nutum amouibili, non quęrit Papę, sed ipsi, & suo beneficio, vel Ecclesiæ suæ, siue conferatur ei à Papa cum clausula, vt teneat ad vitam, siue sine illa, ita quod maneat manuale,[c] ita eadem vel maiori ratione religiosus prouisus à Superiore, qui est inferior Papa, nõ quæret conferenti, sed sibi, & beneficio, & Ecclesiæ suæ.

7 Sextò faciunt multa, quę nos in dicto cap. *non dicatis*.[d] scripsimus. Primum, quod religiosus, prętertim canonicus regularis non simplex, sed beneficiarius quærit suę Ecclesiæ, vel beneficio, non ordini, quem professus est.[e] Secundum, quod religiosus translatus ad aliam ecclesiã, vel beneficium, quærit illi Ecclesię, vel beneficio.[f] Tertiũ, quod regularis habens beneficium manuale, tam amplè potest disponere de fructibus sui beneficij manualis, quàm amplè potest disponere de quæsitis opera sua, vel aliàs vndecumque: quia vt nihil eorum est suum quo ad dominium, ita illa omnia sunt eius quo ad ius administrandi, & dispensandi. Quartum, quòd hæc non solùm procedunt in fructibus beneficij regularis, sed etiam in quæsitis aliũde, quidquid, aliqui dicant, vt affirmat Panormitanus[g] sequutus Federicum.[h] Tum per rationes prædictas. Tum per decisionem præfati Federici determinantis, quod pœna statuti posita contra occidentem aliquem debet applicari prioratui manuali, occiso Priore, & non monasterio, cuius erat monachus, etiam si esset Prior ad nutum reuocabilis, motus ad id firmis rationibus, quem Decius latè sequitur[i] cum aliis citatis ab eo.[k]

8 Septimò facit, quod omnia argumenta, quę supra sunt pro contraria parte insinuata, soluuntur per ea, quæ nos diximus in d. com. 2. de reg.[l] vbi licet concedamus, quòd nullus religiosus simplex carens beneficio, officio, & administratione, potest quidquã sine licentia superioris impendere: negamus tamen, quòd id procedat in religioso habẽte beneficium, officium, vel aliam administrationem collatam sibi in titulum, vel commendam, etiam manualem, & ad nutum Superioris reuocabilem. Alioqui nullus religiosus, qui esset Abbas, Episcopus, Archiepiscopus, vel etiam Papa, vt fuit Pius V. quidquam posset impendere, nisi tantùm in iis, quæ pertinent ad suas dignitates.

9 Et in casu proposito non agimus de religioso simplici, sed de beneficiario, & habente administrationẽ datam sibi in beneficium, & commendam, saltem manualem, & ad nutum reuocabilem. Ibidem etiam secundo ponimus differentiam inter religiosum habentem peculium, & habentem beneficium: quoniam ille non potest impendere, præterquam in ea, quæ pertinent ad bonam administrationem eius: hic autem, scilicet beneficiarius, potest impendere etiam in illa, in quæ possunt alij beneficiarij siue religiosi, siue sæculares. & in commẽt. 1.[m] etiam dicimus, quod propriũ accipitur propriè pro dominio rei, & quod monachus, siue religiosus non potest habere proprium huiusmodi vllius rei pecuniariæ, neque possessionẽ eius, nomine suo. Et de huiusmodi proprio intelligenda sunt vota solemnia paupertatis omnium religionum.

a *De suppl. neg. prælat.*

b *De concess. præbend.*

c *Cap. ad nostram. & ca. porrecta. de confir. vtil. vel inutil.*

d *Nu. 6.*

e *Ca. cum olim. de priuil. & c. statutũ. 18. q. 1.*

f *Cap. si quis iam translatus. 21. q. 2. & c. ne pro cuiuslibet. 16. qu. 1.*

g *In c. monachi. de statu monach.*

h *Consi. 35.*

i *In c. in præsentia. nu. 37. post medium.*

k *De probation.*

l *Super c. non dicatis. nu. 8.*

m *Nu. 15.*

10 Adeo quod nec Papa potest dispẽsare cum religioso ad habendum huiusmodi proprium, iuxta cap. *cum ad monasterium*.[a] Immo, sententia mea, non habet illud religiosus, etiam si sit Papa, immo, vt alibi dicimus, licet sua Sanctitas possit ex maxima & iusta causa dispẽsare super voto solẽni castitatis, nõ tamẽ potest super voto solẽni proprietatis, accipiẽdo propriũ hoc modo pro dominio vero rei.

11 Sed optimè potest dispensare cum eo ad habendum administrationem etiã regni, & Imperij: quia habere administrationem non est habere dominium.[b] Itaque concedimus, quod præfati religiosi, & commendatarij non habent, nec possunt habere proprium huiusmodi, sed sic administrationem beneficialem, vel peculiarem, vel aliam titularem perpetuam, vel ad nutum reuocabilem, qualem habent præfati religiosi, de quibus agitur, vt nos[c] latius probamus. Et qui contrarium dicunt, non aduertunt hæc, quæ toto iure Canonico probantur.

12 Addimus, quòd quamuis radicalis ratio horum à nemine, quòd sciam, tradatur: illa tamen videtur esse, quòd omnium est vna opinio, quòd de licentia prælati, præsertim expressa, religiosus potest habere proprium huiusmodi improprium. Et religiosus, qui habet beneficium siue perpetuum, siue amouibile, aut manuale, vel aliam administrationem à suo Superiore collatam per titulum perpetuum, vel manualem, habet licentiam tacitam inclusam in illo titulo ad administrandum eius bona, sicut & alij beneficiarij sæculares, iuxta textũ & ibi Card.[d] Salua &c.

a *§. fin. de statu monach.*

b *Toto titulo de administr. rerũ ad ciuit. per. & de administ. tutor. & curat. & ca. grandi. de supplen. negligen. prælat. li. 6.*

c *Vbi supra.*

d *In clem. 2. §. sed & tales. de vita & honest. cleric.*

SVMMARIVM.

1 *Regularibus stabilia nec ad vsum concedi possunt, & hoc nisi subsit iusta causa, vt si fiat ob vtilitatem monasterij ad augenda & melioranda bona, & huiusmodi. num. 6.*

2 *Regularis etsi nihil habere, possidere, dare, vel recipere sine Superioris licentia possit, cum illa tamen pro sibi iniuncta administratione habere potest. itemque & potest habere aliquid annuum pro vestiario & similibus, num. 4. immo & in sua professione etsi non conditionem suspensiuam, modum tamen adiicere potest, vt ad sui sustentationem etiã extra conuentum manendo possit olim sua sibi retinere, nu. 3. & 4. hæc tamen vti propria habere non potest, num. 1. sed solum vt peculium suis necessitatibus deputatum. num. 6.*

3 *Fœmina vouendo religionem in monasterio virorum, manendo extra illud, efficitur religiosa, debetque ei permitti peculium habere, vnde possit se sustentare, num. 4.*

8 *Regulari per Superiorem ex iusta causa & iusto contractu alicuius rei facta concessio non obligat Superiorem plus quam obligetur dominus suo seruo, cui monachus æquiparatur in actionibus actiuè & passiuè. vnde potest reuocare: & hoc procedit quò ad obligationẽ ciuilẽ, non autẽ quò ad naturalem descendentẽ ex cõtractu vel pacto, qua adeo obligatur, vt sine peccato nõ possit sine iusta causa non seruare. n. 12. 13. & 14.*

9 *Prælatus etiam cũ conuentu non potest statutũ facere aliquod, quod successorem, immo quod nec ipsum statuentem, etiamsi iurasset, ita obliget, vt nõ teneat illius, sicut & cuiuslibet alterius obligationis suis subditis factæ reuocatio, absq; eo quòd subdito contra Superiorẽ reuocantẽ aliqua cõpetat actio. nu. 10. si tamẽ sine causa fiat, etsi reuocatio mero iure teneat, tamen peccabit reuocans. nu. 12. & 13. at si faceret malo animo, tunc posset aduersus hanc iniuriosam actionem per viam querelæ habere recursum ad mediatum Superiorem. nu. 15.*

11 *Seruitus regularium spiritualis quidem est, sed strictior censetur, quàm qua serui obstringuntur suis dominis carnalibus.*

13 *Obligatur Prælatus suo subdito naturali obligatione descendente ex contractu vel pacto, nec sine peccato, nisi subsit iusta causa, potest eam non obseruare, & nu. 14. licet pro eis non detur obligatio ciuilis. nu. 8. & si Superior reuocet contractum, tenet. nu. 11. 12. 13.*

15 *Regularis adeũdo Superiorem per viã querelæ opponere potest Prælato quod malo animo ei sine causa beneficium aufert, & sic impedire, sed de spolio agere non potest. nu. 12. in fin.*

16 *Collatio manualis à Papa ad vitam confirmata non potest per inferiorem auferri ab ipso regulari.*

## CONSILIVM XIV.

GENERALIS Ordinis Eremitarum S. Augustini, de consensu Prioris, & Conuentus S. Augustini Vrbis, concessit Ecclesiam sibi vnitam, cum quodam horto, & aliis ad eam pertinentibus, cuidam monacho sui

ordinis, ad vitam eius, ea lege, vt solueret certos census ãnuos debitos,& regeret,gubernaret,& melioraret, siue redderet meliora omnia ad Ecclesiam pertinentia, & celebraret quasdam Missas,& faceret quędam alia pia. Quęritur,quid iuris.

Duo in hac consultatione quæruntur. Alterum est, an concessio præfata licita sit.

Alterum, an esto sit licita, reuocari possit per concedentes,vel successores eorum.

1 Pro parte negante prioris dubij,facit cap. *non dicatis.* [a] cum multis quæ in com.2.de reg.illi adiecimus:[b] per quę, & per ipsam regulam Patriarchæ nostri Augustini constat,monachos nihil proprij posse,nec debere habere.

Secundò facit [c] Concilium Tridentinum cuius verba sunt, *Nemini regularium,tam virorum,quam mulierum liceat bona immobilia,vel mobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam Conuentus nomine possidere,aut tenere.*

Tertio fortissime facit idem Concilium [d] in illis verbis, *Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commendam.*

2 Pro parte tamen affirmante facit primo præfatum ca. *non dicatis.* quod est pars regulę S. Augustini,quatenus habet monachum nihil debere habere,possidere, dare, vel accipere sine Superioris licentia, significans clare à contrario sensu posse accipere de licẽtia Superioris.& in casu proposito præfatus Dominus consulens habet Ecclesiã prædictam cum pertinentibus ad eam de licẽtia tam Generalis sui,quam Prioris, & Conuentus præfati monasterij,vt patet per tenorem concessionis.

Secũdo facit tenor, [e] prętatę regulę,relatus in sentẽtia,[f] de statu monach.quatenus religioso permittit habere peculiũ de Prioris licentia pro sibi iniũcta administratione.

3 Tertio facit ca. *de viduis.* [g] quod habet,& viduas,& virgines posse fieri regulares,& manere in domibus suis, secundum intellectum glossæ,& certũ est eas in eis nõ posse absque proprio peculio viuere. Et quamuis posset respõderi aliqualiter illi textui,est tamen textus singularis & irrefragabilis in cap. *insinuante.* [h] Primum quidem,quatenus habet,fœminam posse fieri verè religiosam vouendo regulam in monasterio virorum,non intrãdo illud, & manendo in domo, quæ sua erat ante professionem. quo casu necessarium est eam habere aliquod peculium proprium,quo se sustentet. Secundo fortius facit quatenus probat, valere professionem factam cum pacto, vt viuat extra monasterium cum bonis, quæ ante professionem erant sua,sustentando se de illis:vbi & in ca. *monachus.* [i] Panormitanus receptus sequitur Bartholus etiam communiter receptus, [k] dicẽtem,valere professionem, qua quis profitetur,adiecto saltem per viam modi,& nõ per viam conditionis actũ suspendentis,vt relinquatur ei administratio bonorum suorum ad se sustentandum.

5 Quarto facit decisio illa Ioannis Andreæ, [l] quod valet statutum iusta saltem de causa factum, vt monasteriũ solum det victum monialibus,& pro vestitu habeat quæ labore manuum suarum lucrantur.per quod Panormitanus,[m] ait,satis licitam esse constitutionem, vel consuetudinem,qua religiosis certum quid annum pro annuo vestitu traditur : quod etiam dicit in aliis locis citatis per Decium,[n] referentem alios id tenentes.

6 Ad opposita respondetur:ad primum quidem,concedendo, quod non licet monacho habere vllum propriũ sine licentia Prælati,vt habet præfatum ca. *non dicatis.* neque de licentia vti rem propriam, cuius habeat dominiũ, & possessionem nomine suo, vt habet ca.vlt. [o] negando tamen, quod nõ possit habere aliquid de licentia sui Superioris, tamquam peculium deputatum suis vsibus, & necessitatibus, vti præfatus Dominus consulens habet præfatam Ecclesiam,&domum cum pertinentibus ad eã.

Ad secundum respondetur, quod illud cap. [p] nihil noui iuris inducit;sed tantùm declarat antiquum cõtentum in d.c. *non dicatis.* [q] & ita solui potest,sicut illa.

Ad tertium respondetur, quòd illud cap.est intelligẽdum de concessione sine iusta causa facta: quæstio verò proposita loquitur de concessione facta iusta de causa,nõ

a 12.q.1.
b Notabil.5. nu.14.& ca. vlt. de stat. monach.cum ei adnot.
c Ca.2.de regul.sess.25.
d Cap.2.
e Cap.9.
f In c.2.
g 27.q.2.
h Qui cleric. vel vouen.
i Et cap. cum ad monasterium. de statu monach.
k In auth.ingressi. C. de sacros. eccles.
l In Mercuria.regula nõ est obligatorium. de reg. iur.lib.6.
m In d.ca. cũ ad monasterium.
n In c.edoceri.nu.5.de rescrip.
o In princ.& fin. de statu mon.
p In princ.
q 12.qu.1.& c.vlt. de statu monach.

vna tantùm,sed etiam multiplici:facta est enim primo ad exonerandum præfatum monasterium impensa sustentãdi aliquos monachos in ea,& impensa celebrandi festum vsitatũ in die sancti Matthęi,quod constat pluribus,quàm duodecim scutis;impensa item conseruandi, & reficiẽdi, & meliorandi Ecclesiam, domum,& hortum,& soluendi censum decem scutorũ, & celebrãdi Missas diebus festis: maximè verò exonerauit illud ęre alieno,& debito ducẽtorum scutorũ,quæ monasteriũ debebat pro pretio emptionis prædicti horti,quæ pręfatus Dominus consulẽs habuit ab amicis suis mẽdicãdo,mutuãdo, vel alia obsequia pro industria sua exhibendo:quibus ad gratias referendas iure naturali tenetur; licet monasterium ad eas obligare non potuerit, vt nos satis probamus in comment.d.ca. *nõ dicatis.* [a] Quod autem liceat huiusmodi concessionem iusta de causa facere etiam post Concilium Tridentinum, efficaciter probamus in præfa.cap. *non dicatis.* [b] & per tertium argumentum pro hac parte factum.

7 AD ALTERVM DVBIVM principale,scilicet,an esto sit licita concessio præfata,reuocari possit per concedentes? Respondeo,hoc esse pulchrum dubium. Nã pro parte negante facit primò regula, *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.* cum regul. *mutare.* [c] cum multis in earum glossis allegatis.

Secundò,quòd cõtractus,licet à principio sint volũtarij,postea tamẽ sunt necessarij,[d] eo quod, quo quisque est iustior,eo grauius est ei fidẽ fallere,[e] & quod viri religiosi sunt,vel certè præsumũtur,& debẽt esse iustiores aliis.[f]

Tertiò,quòd præfatum monasterium teneretur seruare concessionem præfatam, si eam fecisset alicui laico agricolæ per viam emphyteusis, vel aliam donationem modalem,siue modis & cõditionibus prætactis onustam.

8 Pro parte autem affirmante facit primò, quod monachus ad suum Prælatum ita se habet, vt seruus ad dominum suum, secundum Innocentium receptum [g] Federicum [h] & Bartholum [i] & Panormitanũ [k] & tradimus nos in com. 2.de reg.[l] concludentes monachum actiuè & passiuè seruo comparari. At seruus non potest obligare sibi dominum suum per vllum contractum,etiam transactionis, [m] ergo neque monachus potest obligare sibi suum prælatum,& monasterium.& ita Bartholus,[n] quem Iason cum communi sequitur, dicit, illam legem, quæ habet, dominum non posse obligari seruo,habere locum in pręlato,& monacho suo,vt non possit ei obligari.

9 Secundo est casus in cap. *cum ad monasterium.* [o] ibi, *nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda, tamquam in sua sibi vita locetur,sed, cùm oportuerit, à Superiore sine contradictione aliqua reuocetur.* Per quod ibi determinat Panormitanus communiter receptus quòd Abbas, & conuentus non possunt facere statutum, per quod ligetur successor,& quod Abbas non ligatur ex suo statuto, licet cum conuentu illud fecerit, quo minus possit contrauenire:nam monachi non possunt resistere sibi, cum habeant obedire,& eorum velle dependeat à voluntate Abbatis,vt habetur in cap. *si religiosus.* [p]

Tertiò,quòd licet prælatus & conuentus possint facere diuisionem inter se bonorum monasterij,iuxta cap. *edoceri.* [q] & ibi Panormitanus,Felinus & Decius, & communiter omnes tenent,etiam sine consensu Episcopi,& alius Superioris, non tamen irreuocabilem:quia poterit illam reuocare Abbas,cum ei libuerit, secundum omnes. Ergo à fortiori poterit Abbas,vel alius Superior similis ei reuocare diuisionẽ bonorũ factã cũ vno, vel altero monacho.

10 Quarto facit, quod Ioannes Andreas [r] sentit, quod etiamsi Abbas iurauerit seruare statutum,nihilominus reuocatio tenet,licet incidat in periurium:per quod Panormitanus [s] infert,si Abbas concedat Priori obedientiario, seu mandatario,vt ad vitam teneat prioratum, seu administrationem sibi concessam, potest nihilominus reuocare:quia non potest Abbas sibi imponere legem,nec venire contra dispositionem illius §. *tales.* quia labefactaretur vis voti obedientiæ, quod est vnum de tribus substantialibus regulæ.

11 Quinto, quòd Panormitanus consultus [t] an quidam Ioannes monachus posset agere contra Prælatum suum ad cogendum eum seruare promissa quædam sibi ratione

studiorum

a Nu.41.
b Nu.14.
c De reg.iur. li.6.
d Le.sicut ab initio. C. de actio.&oblig.
e Arg.cap.ex tenore. adiit. gl.ff. de foro comp.
f Arg.ca.homo Christianus.40. dist. & cap.pracipue.11.q.3.
g In ca. cum olim. de priuil.
h In cõs.259. casus talis est.
i In le.1.ff.de stipul. seruorum.
k In cons.88. videtur. volum.1.& in ca.edoceri.de rescrip.& melius in c. cum ad monasterium. de statu mona.
l Super c.non dicatis. 12.q. 1.num.3.
m L.interpositas.in fin.de transact.
n In d. le.interpositas.
o §. tales. de statu monac.
p De elect. li. 6.& ca.2.de testa. eodem lib.
q De rescrip.
r In c.non est obligatoriũ. de reg.iur. li. 6.
s In d.c. cum ad nu.11.
t In cons. 88. vol.1.

ſtudiorum facta, reſpondit, contra eum facere, quod ſicut ſeruo aduerſus dominum agere taliter non permittitur, [a] ita nec monacho aduerſus Prælatum ſuum: cenſetur enim monaſterij ſeruus: & quamuis hæc ſit ſpiritualis ſeruitus, ſtrictior tamen cenſetur, quàm ſæcularis, vt probatur in cap. *multos*. [b] & mundo mortuus cenſetur, & Deo viuere. [c] Hinc dicitur, quod monachus non habet nolle, nec velle, ſed totus dependet à Superioris arbitrio, quod vice Dei ſuper caput poſuit, [d] hæc ibi Panormitanus qui licet poſtea concludat, potuiſſe præfatum Ioannem agere contra Epiſcopum, qui erat ei loco Abbatis, vt alimenta temporis in ſtudijs conſumpti ſolueret, & conſequenter ſentiat promiſſa illa fuiſſe licita, non tamen ait non potuiſſe reuocare illa. Et ita, licet in caſu noſtro dicendum ſit conceſsionem præfatam licitam fuiſſe, non tamen ex eo infertur non poſſe concedentes illam reuocare.

12 His pro vtraque parte conſideratis, videtur dicendũ primò, partem hanc poſteriorem affirmantem reuocationem præfatæ conceſsionis poſſe per concedentes fieri eſſe de rigore iuris veriorem per fundamenta proximè tacta, in hunc ſenſum, quòd talis reuocatio cenſebitur valida in foro exteriori, etiã ſi fiat abſq; alia iuſta cauſa, quam quod concedentes volunt illam facere, eo quod præfatus Dominus conſulens eſt eis per votum obedientię ſolemne ita ſubditus, vt nihil temporale poſsit obtinere quo ad dominium, neque quo ad poſſeſsionem, etiam nomine monaſterij vlla de cauſa ſine licentia & voluntate Superioris: quia quo ad huiuſmodi obtentionem nullam habet voluntatem, ſed tota eius voluntas pendet ab arbitrio & voluntate Superiorum, quos loco Dei voluntariè & ſponte ſibi præpoſuit, iuxta præfatum cap. *non dicatis*. [e] Vt in ſimili Superior regularis, qui plenè contulit beneficium regulare ſubdito regulari, poteſt illud pro libito ſuæ voluntatis auferre illi ſine alia iuſta cauſa, quàm quia vult, [f] adeo quod non poſſet agere etiam de ſpolio contra prælatum ſpoliantem, modo id bono animo faceret, iuxta Innocentium quem poſt Rotam ſequimur in præfat cap. *non dicatis*. [g]

13 Secundò, quod huiuſmodi reuocatio, licet de rigore iuris facta valeret, non tamen deberet fieri ſine iuſta cauſa: & concedentes, vel ſucceſſores eorum, qui eam facerent, grauiter peccarent, ea ratione firma, quòd, ſicut dominus obligari poteſt ſeruo naturali obligatione deſcendente à pacto, vel contractu, [h] ita etiam Prælatus poteſt obligari monacho, vt in pręfatis legibus tradunt ſcribentes, & Panormitanus, [i] quem cum aliis nos retulimus, & ſequuti fuimus in præfato comment. ſuper ca. *non dicatis*. [k]

14 Et contraueniens naturali obligationi ex pacto vel contractu licito deſcendenti peccat, etiam mortaliter, vt ex Innocentio [l] rectè colligit Bartholus [m] & Felinus [n] & nos inſinuauimus in Manu. confeſſ. [o]

15 Confirmatur etiam illa conſideratione, quod, licet prælatus regularis pro voluntate ſua ſine alia iuſta cauſa poſsit auferre monacho ſuo beneficium regulare, quod ei contulit, vt proximè dictum eſt, tamen is, cui ſic auferretur, poſſet opponere malo animo id eũ facere, & per hoc impedire effectum huiuſmodi ablationis, iuxta doctrinã Innocentij, [p] quem ſequitur Coſmas, [q] quos in praxi ſequuntur parlamenta Gallicana, vt diximus in d. ca. *non dicatis*. [r] & tanto maiore cum ratione poſſet Dominus conſulens querelam ſuper hoc ad Papam deferre, ſi abſque iuſta cauſa ea ſpoliaretur, quo hęc conceſsio propior eſt locationi, quàm beneficij ſpiritualis collationi, cũ etiam conuerſo laico fieri poſſet, vt aliàs facta eſt, & quanto maior pecunia pro ea ſoluta eſt, quàm beneficiarius pro collatione ſoluere ſolet, cum nihil ſoluere citra ſimoniam poſsit, iuxta cap. *quam pio*. [s]

16 Tertiò principaliter dico, prouide acturum Dominum conſulentem, ſi curauerit habere à Papa confirmationem huius conceſsionis ad vitam ſuam. Tum quia id ſolent curare habentes beneficia manualia, iuxta cap. *ad audientiam*. [t] Tum quia habita præfata confirmatione nihil eſſet ei timendum, & ea non habita poteſt timere fore aliquos æmulos, qui concedentes, vel ſucceſſores eorum aliquo colore moueant ad reuocandum illam, licet abſque peccato id facere nequeant: præſupponendo, quòd licet fieri non deberet, facta tamen teneret. Tum quia, licet contra reuocantes ſine iuſta cauſa poſſet vti remedio ſupra inſinuato, quo religioſi Gallicani vti ſolent aduerſus auferentes ſibi beneficia manualia, tamen id non poſſet fieri ſine ſumptu, & lite, & periculo eam perdendi, eo quod eſt exterus, & monaſterium & Superiores eius indigenæ & potentes. Salua, &c.

*Aduertendum difficile eſſe ſuſtinere dictam conceſsionem non eſſe contra diſpoſitionem dicti capit. 2. ſeſſ. 25. de regularib. expreſſe decernentis, adminiſtrationem immobilium non aliis quàm officialibus, qui ob vtilitatem monaſterij creari ſolent, concedendam eſſe: qualis non eſt hic conductor, qui vt priuatus religioſus, & ad ſuam vtilitatem & damnum hanc obtinuit adminiſtrationem.*

a *Vt l. vix certis ex cauſis. ff. de iud.*
b *54. diſt.*
c *16. q. 1. cap. placuit.*
d *12. q. 1. cap. nolo. & c. non dicatis. & c. ſi religioſus. de elect. lib. 6. & in ca. 2. de teſta. eod. lib.*
e *12. qu. 1. & c. ſi religioſus. de elect. li. 6. & c. 2. de teſta. eod. lib.*
f *Cap. porrecta. ca. ad audientiam. de cõfirmat. vtili, & ca. cum ad monaſt. §. tales. de ſtatu mona. & clẽ. 1. §. penult. de ſupplen. negligen. prælat.*
g *Nu. 65.*
h *L. naturaliter. & l. ſi id quod. ff. de cõdi. indeb.*
i *In cõſi. 104. primi volum.*
k *Nu. 42.*
l *In ca. nouit. de iud. nu. 4.*
m *In extrauag. ad reprimendã. verb. denunciationem.*
n *In procœmio Greg. nu. 25. & in ca. quæ in eccleſiarũ. de conſtit. nu. 55.*
o *Ca. 18. nu. 6.*
p *In cap. inſinuante. qui cler. vel vouen.*
q *In pragm. tit. de collat. §. ita quod parochialis. verbo perpetuis.*
r *Nu. 98.*
s *1. q. 2. & ca. cum pridem. & vlt. de pactis.*
t *Et c. porrecta. de confir. vtil.*

SVMMARIVM.

1 *Abbas legem ſibi ponere non poteſt, à qua recedere nequeat.*
2 *Papa & non alius poteſt regulari concedere licentiam ab alio, quam ab ipſo non reuocabilem, vt quid ad vſus pios & honeſtos ſine alterius licentia impendere & habere poſsit. & n. 2.*

## CONSILIVM XV.

N. NOBILIS vellet dare 500. aureos fratri ſuo regulari, hac tamen conditione, quod ipſe ſolus ſuo arbitrio eos impenderet, ita vt à quoquam Superiorum prohiberi non poſsit. Quæritur, quid iuris.

Ad propoſitam quæſtionem reſpondeo primò, omnia fere, quæ poſsent adduci pro vtraque illius parte, tacta eſſe à nobis ante circiter ſex annos in comment. 2. de regul. [a] præſertim notab. 5. [b]

1 Secundò, quod nullus prælatus, etiam Generalis, inferior Papa poteſt concedere firmiter præfato Domino conſulenti id quod frater eius deſiderat, quod ipſe ſolus pro ſuo arbitrio impẽdat illos 500. aureos, & vt nec Prior, nec Prouincialis, nec alius Superior poſsit prohibere id ei, neque auferre illi eos, vel aliquam partem eorum ad impendendos eos in alios vſus, quàm ipſe vellet: quia nõ poteſt Abbas ponere ſibi legem, à qua recedere nequeat, nec directè, nec indirectè facere ſuum monachum proprietarium, vt probat ca. *cum ad monaſterium*. [c] vbi hoc adnotauit Panormitanus, [d] & nos in caſu fere huic ſimili inſinuauimus poſt Panormitanum & Decium vbi ſupra. [e]

2 Tertio, quod S. D. N. vel alius Superior eius, cum auctoritate Sanctitatis ſuæ, poteſt præfatam licentiam concedere: ita quod nullus pręlatus inferior alius à ſe, vel eius ſucceſsor poſsit illam tollere, vel diminuere, argumento generali cap. *cuncta per mundum*. [f] & argumento ſpeciali cap. *ad noſtram*. & cap. *porrecta*. & eis adnotatis, [g] vt illa in vſus pios & honeſtos ſine alia vlla licentia ſuorum Prælatorum impendere poſsit: & quod illi non poſsint ei illum vſum impedire, vt colligitur ex cap. *niſi eſſent viri prouidi*. & ibi notat Panormitanus communiter receptus. [h]

3 Quarto, quod ſimilem fere facultatem conceſsit cuidam nobiliſsimę virgini volenti religionem ingredi fœl. re. Pius V. quam nos referimus, [i] & ita credimus, Sanctiſsimum D. N. præfatam facultatem pro ſua inſigni benignitate, & in pia opera facienda propenſione, libentiſsimè conceſſurum, vel ab alio Prælato conceſſam confirmaturum, cum clauſula, *ne quis alius Prælatus eam tollat, vel minuat*. Tum ob prædicta. Tum quia ſolita eſt Sancta Sedes Apoſtolica concedere aliquot religioſis penſiones ſuper fructibus aliquorum beneficiorum, ea lege, vt ipſi ſoli impendant.

Quare ſupplicandum eſt ſuæ Sanctitati, vt dignetur id facere in conſolationem Domini conſulentis genere nobiliſsimi, & totius ſui Conuentus, & in gloriam Dei optimi maximi, qui ſuam Sanctitatem quam diutiſsimè ſeruet incolumem, nos omneſque ſaluet in æternum.

a *Super c. nõ dicatis. 12. q. 1.*
b *Nu. 14.*
c *§. tales. & §. fin. de ſtatu monachor.*
d *Nu. 9.*
e *Nu. 16.*
f *9. q. 3. & c. propoſuit. de conceſsio. præben.*
g *De confirma. vtili vel inut.*
h *De præbe. nu. 13.*
i *Vbi ſuprà.*

SVMMARIVM.

1 *Monachum ſeu canonicum regularem ſine licentia de monaſterio recedentem, etiam ad curiam Romanam accedentem Superior vbicumque capi, & incarcerari facere, item & literas, quas ſecum defert, aliorum monachorum etiam Pontifici directas capere, & aperire impune poteſt. num. 2.*
2 *Literas ad Pontificem etiam legitime ſcriptas aperiens, cenſuram aliquam incurrere, nequaquam iure cauetur.*
2 *Literas, quas priuati monachi ſine Superioris licentia, etiam ad Pontificem ſcribunt, vti minus legitimè ſcriptas, poteſt Superior impune aperire: ſecus ſi ſint à Conuentu iuridice,*

*hoc eſt,*

*hoc est, pro rebus pro quibus potest quis sine Superioris consensu agere, conscripta.*

## CONSILIVM XVI.

CAnonicus regularis sine licentia Prælati ad curiam quamdam sęcularem proficiscens literas scriptas ab aliis canonicis ad Papam secum deferebat. Prælatus auté eum capere, & carceribus mácipare fecit, literasque præfatas acceptas aperuit, & legit.

Quæritur primò an incarcerando, & ad præfatam curiam ire impediendo, aliquam censuram, vel pœnam incurrerit.

Secundo, quid dicendum sit, eo quòd aperuit, & legit literas missas ad Papam.

1 AD HORVM dubiorú primum respondeo, quod nullam Ecclesiasticam censuram, nec vllam pœnam temporalem incurrit. Primò quidem, quia quod legitimè factum est, pœnam non meretur. [a] At prædicta captura iustè fieri potuit, quoniam Prælatus & Superior religiosi potest ipsum fugientem, vel sine licentia eius & obediétia recedentem capere vbicumque, etiá extra territoriú, eius, & reducere ad monasterium, cui subiectus est, arg. l. 1. [b] quatenus habet, curialem, vel cohortalé, hoc est, curiæ, vel cohorti obligatum, fugientem capi posse auctoritate curiæ, vel cohortis, cui obnoxius est. argu. item l. 1. [c] quatenus habet, ancillam fugientem, & inuentam etiam extra prouinciam capi posse à domino, vel eius auctoritate.

Secundo, has leges habere locum in vxore fugiente maritum, & monacho, & canonico regulari fugiéte Pręlatum, & monasterium, affirmant ibi Bart. Bald. Salicet. & communis, & præsertim Bald. qui singulariter ad propositum nostrum, [d] determinat de quodam canonico regulari fugiente, quem ait potuisse capi à Prælato, etiam ante quam monuisset eum redire sub pœna excommunicationis, & ob contumaciam excommunicasset, & antequam brachium sæculare implorasset.

Tertio, quod Clem. [e] excommunicat monachú, & canonicum regularem, qui ad curias principum accedit animo nocendi monasterio. & Concil. Tridentinum, [f] statuit ne quis regularis ex suis Conuentibus recedat, etiam sub prætextu accedédi ad superiores, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Cùm igitur is canonicus, de quo loquimur, sine licentia Superioris portaret ad curiam literas ab aliis simplicibus canonicis temerariè conscriptas, iustè poterat eum capere, tamquam fugiétem, delinquétem, & magis delinquere volentem, & adeuntem ad curiá principis in damnú, dedecus, & discordiá monasterij.

2 AD DVBIVM posterius respódeo idem, quod responsum est ad prius. Tum quia nullo iure Pontificio césura vlla innodatur ipso iure aperiens literas, etiam legitimè scriptas ad Papam, arg. *cum olim*, [g] & eorum, quæ ibi glossa & alij, quos Felin. refert, scribunt. Tum quia prędictæ literæ non fuerunt legitimè ad Papam scriptæ, nec ab eo qui poterat eas dare, quia fuerunt confectæ à canonico regulari simplici, qui non potest accipere, nec dare literas sine consensu Prælati, vt habetur in regula eorú, & transumptiuè in cap. *non dicatis*, [h] vbi nos latè id, [i] tractamus. Tú quia literæ prædictæ erant sui monasterij, & suæ; quoniam omnia, quæ habent & faciunt canonici regulares simplices, pertinent ad monasterium, [k] & ad administrationem prælati, [l] vt in commentariis vtriusque cap. latè diximus. Nec obstat, quod canonici, & monachi possunt agere, petere, & scribere, & dare, & accipere literas super accusatione Superioris, & aliis, super quibus possunt agere, & defendere sine superioris consensu, cap. *ex parte*, [m] & tradita per Innocentium & alios, [n] quod & nos defendimus. [o] Nó inquam hoc obstat, quia hæc procedunt in his, quæ iuridicè fiunt in necessitatem & vtilitatem nonasterij, non autem in aliis, quales fuerunt præfatæ literæ confectæ, datæ, & acceptæ contra ius, & eius ordiné, & contra vtilitaté & auctoritaté monasterij, &c.

a L. Gracch°. C. ad legem Iul. de adult. l. săcimus. C. de pœn. ca. 2. de constit.
b C. vbi curialis, vel cohortalis.
c C. vbi causa status.
d In d. l. 1. C. vbi causa status.
e 1. §. quia vero. de statu. monach.
f In cap. 4. de regul. sess. 25.
g 2. de offic. deleg.
h 12. q. 1.
i In 4. notab.
k Ca. non dicatis. 12. q. 1. & c. cum ad. de stat. monach.
l Ca. nullam. 18. q. 2.
m De accusat. cap. cum dilecta. de rescript.
n In c. cum te & A. de re iudic.
o In d. not. 4.

### SVMMARIVM.

*1 Bona quæsita ab Apostata Cameræ Apostolicæ debentur.*

## CONSILIVM XVII.

REgularis apostata transiuit ab vno ordine ad alium, & ab illo iterum rediit ad statum sæcularem, & quęsiuit manens extra statú regularé multa bona, & decessit. Quæritur, vtri monasterio debeant adiudicari.

1 Respondetur, neutri præfatorum monasteriorú præfata bona deberi, sed in ea succedere, vt veram & legitimam hæredem, Cameram Apostolicam per extrauagantem Gregorij XIII. quæ incipit, *Officij nostri*. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

*1 Cap. 8. sess. 25. de regular. Concilij Tridentini an sit per desuetudinem sublatum. nu. 3.*

*1 Lex non recepta non ligat, & si à principio non fuit recepta, per non vsum decem annorum amittit vim suam, nu. 2. & hoc dúmodo non vsus implicet contrarium vsum dispositioni legis. nu. 3. quod si à principio fuit recepta, requiritur lapsus 40. annorú. numero 2.*

*3 Conuocatio monasteriorum ad triennale Conciliú ex statuto sacri Concilij sess. 25. de regul. cap. 8. ad Prælatos & non subditos monasteriorum spectat, nu. 3. & in horum negligentiam succedit Metropolitanus nu. 4. & si in eius prouincia nó sint tot monasteria, quæ sufficiant ad vnum Concilium triennale, seu vná iustam congregationem faciendam, num. 7. tunc deuoluitur ad plures Metropolitas simul, nu. 5. cuius seu quorum Metropolitarum præcepto si non paruerint monasteria, tunc subduntur Episcopis suis respectiuè tamquam Sedis Apostolicæ delegatis. nu. 6.*

*5 Dispositio in singulari, eadem suadente ratione, in pluribus militat.*

*6 Appellatur ad Papam ab ordinario tamquam delegato procedente.*

## CONSILIVM XXVIII.

COnuocatio Canonicorum regularium immediatè Sedi Apostolicæ subiectorum ad Concilium triennale faciendum iuxta [a] Concilium Tridentinum, ad qué spectat, an ad Prælatos monasteriorum, an ad Capitula eorum?

1 Respondeo primo, arbitrari me futuros esse aliquos Prælatos, vel aliquot Capitula eorum, qui dicant statutú Concilij præfati amisisse vires suas, eo quòd numquam fuerit receptum in suis regionibus: & quod lex nó recepta non ligat, nec habet vires, iuxta cap. *in istis*, [b] in hæc verba: *Leges instituuntur, cùm promulgantur, firmantur, cú moribus vtentium approbantur: sicut enim moribus vtentium in contrarium nonnullæ leges hodie obrogatæ sunt, &c.* per quem textum glossa solemnis & reputata singularis, [c] dixit transgressorem legis vel canonis non recepti minime peccare, nec puniendum esse. cuius rei exemplum est in d. c. 1. quo statutum fuit, ne bellum etiam iustum fieret in Aduentu vsque ad octauam Epiphaniæ, nec à Septuagesima vsque ad octauam Paschę: quod tamen non ligat, quia nó fuit receptum. & duo similia exempla ponit Gratianus in cap. *statuimus*. & cap. *denique*, [d] & est conclusio recepta per omnes communiter, vt copiosissimè tradit Felinus post alios, [e] Cardinalis Alexandrinus, [f] & alij multi citati per eosdem, & confirmatur per cap. fin. [g] & nos etiam post alios tradimus in Manual. confess. [h]

2 Et quamuis sit controuersia, tamen verior resolutio videtur quod sufficiat tempus decem annorum ad tollédum vires legis humanæ nondum receptæ, quamuis ad tollendas vires legis canonicæ iam receptæ requiratur tempus quadraginta annorum, vt tradunt Calderinus, & Imolensis, [i] relati & approbati à Felino. [k] Et in casu proposito fluxerunt viginti anni & amplius, quod præfati canonici regulares non sint vsi præfato cap. 8. occurréte quolibet anno, vel saltem triennio opportunitate, aut obligatione vsus eius secundum statutum Concilij.

3 Secundò respondeo, quòd non deerút etiam aliquot Prælati, vel canonici, quibus videbitur contrarium, scilicet statutum Concilij non esse per desuetudinem sublatú: vel quia videbitur desuetudiné præfatam fuisse merú non vsum præfati cap. & non contrarium: vel quia iá fuit facta vna vocatio ad faciendum Concilium prædictum triennale, quæ tamen fuit contradicta à præfatis dicentibus ius vocandi ad illud non pertinuisse ad canonicos, sed ad Prælatos, quorum contradictio videtur fuisse iuri propior.

4 Tertiò respondetur, quod qui tenuerit præfatú statutú adhuc vigere, & nondú desiisse habere vires propter

a Capit. 8. de Regu. sess. 25.
b §. leges dist. 4.
c In cap. 1. de treug. & pace.
d 4. dist.
e In d. cap. 1. de treug. & pace. nu. 6. & in alijs seqq.
f In d. §. leges.
g De consue.
h Ca. 23. nu. 40. & 41.
i In d. ca. 1. de treug. & pace.
k Ibid. nu. 13.

non vsum, oportebit eum dicere iura vocandi ad illa Capitula, & iura alia pertinere ad Metropolitanum illius regionis, vbi sunt illa Capitula congreganda: quia per prædictum c.8. id exprimitur:[a] & vbi est casus legis, nõ est locus dubitandi.

a Le. ancilla. C. de furtis.

5 Quarto, quod in regnis, in quibus quæstio vertitur, scilicet Castella, Aragonia, & Nauarra, non videntur in vna prouincia esse tot monasteria, quot videntur esse necessaria ad facienda illa Concilia triennalia. Nam quedã illorũ subsunt Metropolitano Cæsaraugustæ, & alia Burgẽsi, & alia Compostellano. Quare videtur respondẽdũ prædictum ius vocandi pertinere ad duos, vel tres Metropolitanos, sub quibus degũt prædicta monasteria, & prædicta Capitula canonicorũ regulatium. Pro qua consideratione facit, quia dispositio, quæ loquitur de vno in numero singulari, habet locum in pluribus, vbi eadẽ ratio id suadet, per cap. *si compromissarius*. iuncta gloss. & notata in eo per Dominic. & Philip. Franc. [b] & alios alibi.

b De electio. li. 6.

6 Quinto, quod qui tenuerint dispositionem prædicti c.8. non esse sublatam per nõ vsum, oportebit etiam eos dicere, quod si Metropolitano instante prædicti canonici non se redegerint in congregationem, & non fecerint prædicta Capitula triẽnalia, suberunt Episcopis ordinariis tãquam à Sede Apost. in id delegatis, & hoc per negligentiam Prælatorum & Capitulorum prædicti ordinis, per quod bona ex parte perderent suam exemptionẽ. Dixi, *bona ex parte*: quia non omnino, quoniã non iudicarẽtur auctoritate ordinaria, sed delegata Sedis Apost. & non possent ipsi, nec fiscus, nec aduersarij appellare ad Metropolitanum, sed solùm ad Sedem Apost. quoniam ab ordinario procedente virtute iurisdictionis delegatæ à Sede Apost. debet appellari ad eadẽ, & nõ ad Metrop.[c]

c Ca. licet. de off. ord.

7 Sexto, quod vtilius esset exẽptioni prædictorum canonicorum regularium, quorum nomine consulimur, vt dispositio prædicti c.8. esset per non vsum sublata. Tum quia, si conirarium teneatur, vix poterunt effugere iudicium ordinariorum volentium procedere contra eos auctoritate delegata: quia vix vnus Metropolitanus habebit potestatem ad compellendum prædictos canonicos, vt faciant prædicta Concilia: quia nullus illorum in suo archiepiscopatu habet tot monasteria, quæ sufficiant ad iustam cõgregationem, & difficile est duos vel tres Metropolitanos ad hoc cõiungere: & sic, dispositio illa esset sublata, eorum exemptio remaneret intemerata.

Septimo, quod vtilius esset animabus, & regulari obseruantiæ prædictorum canonicorum, vt dispositio prædicti c.8. per non vsum non esset sublata, vt vtilius esse visum fuit prædicto Concilio: & quod consulendum esset, vt recurrerent ad S. D. N. qui sua suprema potestate potest prædictum cap. Conc. etiam si esset sublatum, restituere, & addere illa, quę viderentur opportuna ad hoc, vt Reuerendis eorum prælatis delegaretur in Hispania ius & potestas vocandi tam Prælatos, quã canonicos prędictorum monasteriorum ad iustam congregationem faciendam de triennio in triennium, vt exequerẽtur pręd. c. *in singulis*, [d] ad cuius executionem faciendam prædictũ Concilium statuit prædictum c.8.

d De statu. monach.

## DE RELIGIOSIS DOMIBVS.

### SVMMARIVM.

*1 Hospitalis rector tenetur recitare Horas canonicas, & ad habitum clericalem, quando hospitale est beneficium, aliàs non.*

*2 Hospitale iudicatur beneficium, quãdo ex fundatione id statuitur, vel per electionem & confirmationem superioris datur.*

*3 Hospitale esse, & non esse beneficium, ex multis conijcitur.*

*4 Hospitale, quod clericis & laicis solet commendari, non est beneficium.*

## CONSILIVM I.

1 AN rector hospitalis N. teneatur dicere Horas canonicas, & gestare habitum clericalem, nec ne? pendet ex illa, an præfatum hospitale sit beneficium Ecclesiasticum, nec ne? quia si est beneficium, tenetur: si non est, non tenetur, argumẽto traditorũ per omnes in c. 2.[e] & latiùs per nos in enchirid. de oratio.[a] Cõstat enim, duplex genus esse hospitalium: alterum, quod datur in titulum beneficij: alterum, quod solùm datur in administrationem, vt probat clem. 1. iuncta glossa, [b] & est textus in clem. *quia contingit*. [c]

e De celebr. missar.

a Super cap. quando. de consecra. dist. 1. cap. 7.
b De præben.
c §. vt autẽ. de religio. dõ.

2 Secundò, quòd hospitale dicitur esse beneficiũ duobus casibus, puta, quando in fundatione ipsius statutum fuit ab ordinario, vel à Papa, quod esset beneficium, & quando datur per electionem, & confirmationem Superioris, vt est text. in d. *§. vt autem*. quod omnes ibi adnotãt. quibus addo, quod etiam est censendum beneficiũ, quando per quadraginta annos fuisset possessum vt beneficiũ, argumento cap. *cum de beneficio*, [d] & aliorum multorum, quæ ad hoc adduci possunt.

d De præben. li. 6.

Tertio, quod mihi non constat, quòd in fundatione præfati hospitalis fuerit adiectum, vt esset beneficiũ, nec ne: neque constat mihi, quod secundum fundationem suã debuisset prouideri ei per electionem, & confirmationẽ: quia nihil tale mihi monstratum est.

3 Quàrto, quod vidi copiam prouisionis Pij V. qua pręfato N. contulit illud ante ætatem sexdecim annorum, ex qua colliguntur aliqua signa coniiciendi quod est beneficium: Primum per illa verba, quod quidam Cæsar cessit illi in manibus Pij, & quod Pius cessionem admisit. Secundò, quòd concessit. Tertiò, quòd concessit Philippo clerico. Quartò, quòd præfatus Philippus cessit in manibus Papæ. Quintò, quod ipse Papa admisit. Sextò, quòd concessit Maximo clerico. Septimò, quòd valor præfati hospitalis exprimitur. Octauò, quòd præsupponi potest illud vacasse aliis modis, quam per illam cessionem. Nono, quod præsupponitur potuisse esse reseruata Papę. Decimò, per illa verba, *Non sit alicui alij canonicè cõmissum*. Vndecimo, per illa, *Aliud canonicum non obstat*. Duodecimò per illa, *Inducere in possessionem, & defendere*.

4 Quintò, quòd ex eadem copia colliguntur etiam aliquot coniecturæ, quòd non sit beneficium, scilicet quòd in nulla eius parte appellatur beneficium: & quòd, si quibus concessum fuisse dicitur, quòd appellãtur Rectores, & Gubernatores, & quod eius fructus sunt distribuendi pauperibus, & quod secundum communem opinionem hospitalia, quæ non sunt beneficia ecclesiastica, possunt commendari, & tradi regenda, & gubernanda clericis, sicut laicis: & quod responderi potest coniecturis superioribus, quod non concludunt necessario quod sit beneficium: & quod regulariter hospitalia non sunt beneficia: & à regula non est recedendum, nisi per textum expressum, vel rationem necessario concludentem, iuxta gloss. celebrem in l. *omnis definitio*, [e] quæ habet similem in rubrica.[f]

e ff. de regul. iur.
f Eodem tit. li. 6.

Sexto, quod ad iudicandum certo & sine errore, oporteret videre fundationẽ præfati hospitalis, & inquirere modos, quibus his quadraginta annis proximis fuit collatum, seu concessum, & quales personæ fuerũt illæ, quibus fuit concessum, seu à quibus fuit rectum, & gubernatum, &, si fieri posset, qua mente illud fuit gubernatũ, an scilicet tamquam beneficium, an tamquam hospitale, cuius est capax laicus. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

*1 Pacta confirmata per sententias non tolluntur sublatis pactis per legem.*

*2 Papa non potest eximere aliquem à iurisdictione Papali in spiritualibus.*

*3 Lites & causæ ecclesiasticæ agi & finiri debent in prima instantia in partibus per Concilium Tridentinum.*

*4 Probatio sine aliqua tela iudiciali iustè fieri non potest.*

*4 Congregatio Concilij non habet potestatem ad definiendas contentiones facti, sed tantùm ad decidendas quæstiones iuris, quæ super intellectu Concilij emerserint: vnde nec cognoscit de validitate sententiæ illius, ac intelligentia, & similibus. numero 3.*

## CONSILIVM II.

AN hospitale sancti Sebastiani oppidi Palmæ possit visitari ab Episcopo Cordubensi saltem vti delegato

gato Sedis Apostolicæ?

1 Contra Episcopum facit, quòd allegatur sententia lata contra eum, quæ transiuit in rem iudicatam, & consuetudo immemorialis, & statutũ in fundatione, & quod pacta confirmata per sententias non tolluntur sublatis pactis per legẽ, iuxta glossam singularem,[a] & quod Concilium Tridentinum non obstat, & quod Iulius II. declarauit illud hospitale non subiici ordinario, neque alteri.

2 Pro Episcopo autem facit ius commune, clementina *quia contingit.*[b] innouatum per Concilium Tridentin.[c] & quod Papa non potest eximere quem à iurisdictione Papali in spiritualibus, & ita potest mandare, vt ordinarius tamquam delegatus posит visitare hospitalia, quæ quia sunt pia loca, videntur subiici Papæ.

3 Videtur quod determinatio huius contentionis non pertineat ad Illustrissimam eamdemque Reuerendissimam Dominorum meorum Cardinalium congregationem. Tum quia non habent iurisdictionem ordinariam, nec delegatam, ad cognoscendum & definiendum an sententia, quæ contra Episcopum allegatur, sit vera, quis eius tenor, & an transierit in rem iudicatam, vel fuerit nulla, quæ non indiguit rescisione, & an de nullitate posit post tantum tempus agi, & renouari sine vlla appellatione, cùm in prima instãtia in partibus debeat agi & finiri per Concilium Tridentinum lis. Tum quia etiam allegatur immemorialis possessio contra Episcopum, quod negatur à sua parte.

4 Tum quia allegatur contra Episcopum ordinatio facta in fundatione hospitalis, quæ negatur à sua parte. quorum trium determinatio requirit cognitionẽ & definitionem iudicialem: quia cõsistunt in facto à partibus controuerso: & ita est necessaria probatio, quæ sine aliqua tela iudiciali iustè fieri non potest. Et vt audio, potestas præfatorum Dominorum meorum non extenditur ad definiendas huiusmodi contentiones facti, sed tantùm ad decidendas quæstiones iuris, quę super intellectu Cõcilij emerserint. Salua tamen in omnibus eorum sententia, & ampliore potestatis sibi commissæ notitia.

a In clem. dudum. §. nos vero. verbo pacta. de sepult.

b De religio. dom.

c Cap. 15. sess. 7. & c. 8. sess. 22. & c. 8. §. illis. sess. 25.

SVMMARIVM.

*1 Hospitale erectum de bonis laici, in quo non adest nec altare, nec capella, nec campanile, non præsumitur auctoritate Episcopi erectum: illud tamen, mortuo fundatore, visitabit Episcopus, etiam ex decreto Concilij tollentis omnia priuilegia, & consuetudines etiam immemorabiles contrarias. nu. 2. rationesq; deputatis reddi quidem debent, sed Episcopo, si voluerit, præsente. nu. 3.*

*2 Episcopus, vt bona in pios deputatos vsus per defunctos relicta conuertantur, curare potest, etiamsi testator id prohibuisset.*

CONSILIVM III.

QVidam N. laicus suo testamento reliquit multa bona pauperibus, ita vt fieret xenodochium ad excipiendos pauperes, & quod regimen eius spectaret ad vniuersitatem vrbis N. quæ poneret in eo Rectores, qui certo anni tempore mutarentur, & redderent rationem iuxta dictæ vniuersitatis ordinationem. Postquam fuit fabricatum xenodochium, fuit ducẽtis annis & amplius gubernatum per dictam vniuersitatem, & rectores ab ea constitutos, nulla vmquã visitatione facta, nec attentata per Episcopum. Nunc autem post Concilium Tridentinum prædictus Episcopus ordinarius vult visitare illud, & exigere rationẽ à Rectoribus eius: nec in eo est aliquod altare, capella, nec campana, neque campanile, nec scitur fuisse constructum auctoritate Episcopi, sed solùm laica, & executoria executorum testatoris laici.

Quæritur primò, an debeat præsumi constructum auctoritate Episcopi.

Secundo, an esto non præsumatur, liceat illi visitare illud.

Tertio, an liceat ei rationes exigere.

1 AD PRIMAM respondeo negatiuè, per illa quæ adducunt Panormitanus,[d] & Ludouicus Romanus.[e]

AD SECVNDAM, pro parte negãte facit, quòd hospitale constructum à laico sine auctoritate Episcopi, & bona eius illi collata per eum, sunt bona laica, quæ nullatenus subsunt Episcopo, argumento à cõtrario sensu cap. *de xenodochiis.*[a] Consequenter non possunt visitari ab eo, quia visitatio arguit superioritatem, & iurisdictionem.[b]

d In disputat. Sempronius q. 3.

e Cons. 477.

2 Pro affirmatiua est, quod Episcopus est pater pauperum, & curator bonorum eorum, ne pereant eis,[c] & habet potestatem à canone curãdi, vt omnia relicta in pios vsus, impendantur in eos, etiamsi testator prohibuerit ne se Episcopus eis intromitteret,[d] & hic agitur de bonis relictis pauperibus. Secundo, quod Concilium Tridentinum,[e] expressè disponit, quòd non obstante quocumque priuilegio, & quacumque cõsuetudine, etiam immemorabili, Episcopus posit & debeat omnia loca pia visitare. Tertiò, quod opposita pro parte negante procedunt in locis & rebus nondum donatis, vel relictis piis operibus, quorum domini viuunt, & habent potestatem plenã de illis disponendi. In casu verò nostro agitur de relictis operi pio, quorum dominium non est penes laicos, sed penes Ecclesiam: quia per suam constitutionem vniuersalem cura illa rectè gerendi, & impendendi applicata est Episcopis, per prædictos canones, & leges, vt sẽtit Panor.[f] & latius expresit in prædicta disput. *Sempronius*, q. 3.

3 AD TERTIAM videtur dicendum, quòd prędicti Rectores satisfacient reddendo suas rationés vniuersitati prædictæ, tempore à testatore præfixo, & notificando ordinario diẽ, quo redditurі sunt rationem, vt si placuerit ei, adsit, & videat redditionem eius. Tum quia non tenẽtur illi bis reddere rationem, & tenẽtur reddere die præstituto eis, quos prædicta vniuersitas ad id nominauerit. Tũ quia prædictum Concilium,[g] expressè hoc sentit, dũ ait, *quod quando rectores hospitalium. vel aliorum piorum locorum tenentur reddere rationem aliis quam Episcopo, sufficit tunc quod ipse adhibeatur præsens eis reddendis.*

a Et cap. ad hæc. de relig. domi.

b Ca. auditis. & ca. ex officij. de præscri. & ca. Romana. de censib. lib. 6.

c L si quis ad declarãdam. & le. id quod pauperibus. C. de Episco. & cler.

d Ca. tua. de testam. & §. si quis pro redemptione in Auth. de eccles. tit. coll. 9.

e Sess. 22. c. 8.

f In d. cap. ad hæc.

g Ca. 9. eiusdem sess.

## DE IVRE PATRONATVS.

SVMMARIVM.

*1 Præsentatio facta ab excommunicato declarato non valet.*

*2 Excommunicatus declaratus non facit fructus suos, nisi quo ad sustentationem.*

CONSILIVM I.

1 AN præsentatio ad beneficiũ facta à patrono declarato excommunicato valeat?

Respondeo quòd non, iuxta Ioannem Andream, Antonium, & Panormitanum,[h] & post multas disputationes concludit Lambert.[i] Nec institutio facta virtute talis præsentationis valet, vt etiam concludit idem Lambertus.[k]

2 Et nota, quod excommunicatus declaratus non facit fructus suos nisi quo ad sustẽtationem, per glossam,[l] adiuncta declaratione Panormitani & Decij.[m]

h In c. nobis. de iure patron.

i In tractatu de iure patron. lib. 2. 1. parte. 2. quæ. princ. art. 2.

k Eod. li. 2. 3. par. q. 3. princip. art. 4.

l In verb. subtrahantur.

m Ca. pastoralis. §. verũ. de appell.

SVMMARIVM.

*1 Præsentare validè potest is, qui bona fide posidet ius patronatus, vel beneficium cui ius præsentandi est annexum, secus si sit malæ fidei.*

*2 Malæ fidei possessor non præsumitur quis ex eo solo, quòd contra ipsum pendeat lis mota. Talis autẽ præsumitur, qui de beneficio in mense Papæ vacante fuit ab ordinario prouisus.*

CONSILIVM II.

AN beneficiarius possessor beneficij vacantis in mense reseruato Papæ, & accepti per titulum ordinarij, qui litigat cum prouiso Papę, posit præsentare ad beneficia pertinentia ad præsentationẽ illius beneficij sic possessi?

1 Ad quod respondetur primò, certum esse, possessorẽ bonæ fidei iuris patronatus, vel beneficij, siue dignitatis, ad quam pertinet præsentatio, posse præsentare, non obstante quòd litiget super iure patronatus vel super beneficio, ad quod pertinet præsentatio, per cap. *consultationibus.*[n] & alia quæ adducit Lambertus.[o]

Secundò, communiter etiam teneri, possessorem malę fidei non posse id facere: & si faciat, & postea declaretur ius patronatus nõ pertinere ad eum, & mala fide possedisse illud, institutus ad præsentationem eius eiicietur, iuxta glossam,[p] & Innoc.[q] communiter receptus & alia, quæ idem Lambertus tradit.[r]

n De iure patro.

o In tract. de iure pat. 1. p. lib. 2. quæst. 3. princ. art. 1.

p Pen.

q In d. c. consultationib.

r Vbi supra art. 2.

2 Tertio, quod possessor iuris patronatus vel dignitatis, ad quam pertinet præsentatio, non præsumetur malæ fidei quo ad hunc effectum, eo solo quòd litigat super illo iure patronatus, argumento cap. prædicti *consultationibus*, & aliorum quæ prædictus Lambertus adducit.[a]

Quartò, quòd dubium huius quæstionis videtur reduci ad illud punctum, vtrum possessor huiusmodi beneficij reseruati præsumatur malæ fidei, an bonæ? Et in præsentia, saluo maturiori studio, ipse inclino in partem, quæ diceret eum præsumẽdum fuisse malæ fidei possessorem, posteaquam fuerit expulsus à prædicto beneficio ob reseruationem, per ea quæ prędictus Lambertus tangit,[b] & nos tradimus in repetitio. cap. *accepta*.[c] Salua, &c.

a *Vbi supra num. 4.*

b *Vbi supra.* c *De restitu. spoliat. opposi. 5. num. 5.*

SVMMARIVM.

*1 Vendens vniuersitatem bonorum, cui annexũ est ius patronatus, si nullam de eo fecit mentionem, illud transfert in emptorem: item si vendat per hæc verba, Vendo vniuersitatem hanc cum iure patronatus. Quod si illud expressè excipiat, non transit: at si ita copulatiuè dicat, Vendo hanc vniuersitatem bonorum, & ius patronatus, res dubia est.*

*2 Decimas in ecclesia percipiendi ius, quod alicui competit, non potest, etiamsi accedat ordinarij consensus, cum bonis temporalib. permutari, sed requiritur Sedis Apostolicæ auctoritas.*

## CONSILIVM III.

N. Habens multa bona, & ius patronatus, necnon ius percipiendi decimas in quadam Ecclesia, prædicta bona & ius patronatus vendidit, ius autem percipiendi decimas permutauit ordinarij auctoritate pro quibusdã bonis temporalibus. Quæritur quid iuris.

1 Respondeo primò, certum esse ius patronatus consistens in vniuersitate bonorum transire in alterum per vniuersitatis dictorum bonorum emptionem, & permutationem, nulla mentione facta iuris patronatus cap. *ex literis*.[d] & ibi adnotat glossa communiter recepta: quamuis controuertatur, an idem sit, si de iure patronatus mẽtio fiat, & certum est non esse idem, si fiat mentio ad excipiendum illud à contractu & translatione prædicta, vt habetur in dicto capit. *ex literis*. si autem fiat mentio ad transferendum per præpositionem, *cum*, dicendo *quod vẽdit vel permutat bona cum iure patronatus*, valet translatio: si autem expressio fiat per copulationem, *&*, dicendo, *vendo vel permuto bona, & ius patronatus*, sicut videtur factum in casu præsenti, dubium est, vt tradit latè Decius.[e]

d *Et ca. cum seculiũ. de iure pat.*

Secundò, quòd decimarum permutatio pro aliis rebus temporalibus non videtur posse fieri cũ auctoritate ordinarij: quia videtur admitti simonia, vt tradit Panormitanus,[f] & alij alibi: & in proposito casu videtur fieri permutatio quarumdam decimarum pro bonis temporalibus. quare videtur consulendum, vt præfata permutatio auctoritate Apostolica confirmetur, ad tollendas lites, & dubia, quæ possent ex prædictis suboriri. Salua, &c.

e *In c. quanto. de iud. nu. 6.*
f *In cap. 2. de transact.*

SVMMARIVM.

*1 Filius legitimus ex spurio clerici natus non prohibetur vllo iure præsentari ad capellaniam iuris patronatus dicti clerici.*

*2 Filij etiam bastardi & spurij dicuntur de parentela & familia defuncti: inspecto iure naturæ, cùm in eis naturalis effectus cadat.*

## CONSILIVM IIII.

Qvidam clericus habens vnicam filiam legitimauit eam per rescriptum Principis, vt succederet in omnibus eius bonis, cùm plura ex patrimonio suo haberet, viroque nobili eam locauit in facie Ecclesiæ: & ex dicto legitimo matrimonio ita contracto prædicta filia plures filios reliquit masculos. Rebus sic stantibus, pręfatus clericus vigore prædictæ legitimationis in sua vltima voluntate reliquit pro hærede eius vniuersali prædictam eius filiam. Item in ipsamet eius vltima voluntate reliquit institutam quamdam capellaniam pro anima sua, cum clausula, vt in ea succederet clericus magis proximus, & consanguineus eius, bonæ vitæ & famæ. Et ad præsentationem prouisionemque dictæ capellaniæ reliquit pro patronis eius Principem suæ ciuitatis in perpetuum, qui dictam legitimationem concessit. Dubitatur nunc, an quidam clericus filius legitimus prædictæ filiæ, nepósque clerici fundatoris præfatæ capellaniæ possit & debeat admitti ad præsentationẽ dictæ capellaniæ, & præferri aliis in paribus terminis existentibus, an verò indigeat dispensatione à sũmo Põtifice ad omnia supradicta.

1 Respondetur in hoc casu nulla dispensatione indigere, ideo si bonæ famæ & vitæ sit, debere non solum admitti, sed in paribus terminis aliis præferri, cùm nullum impedimentum patiatur, iuxta glossam,[a] quam ibi sequitur communis opinio, secundum Abbatem ibi, & Rochum,[b] & Lambertum.[c]

2 Item cùm sit consanguineus, & de parentela defuncti præcipuè in hoc casu attenta voluntate testatoris, inspectisque verbis testamenti, cùm naturaliter inspecto iure naturæ etiam filij bastardi & spurij dicantur procedere ex sanguine, parentela, domo, & familia defuncti, cũ in eis naturalis affectus cadat, vt notat Bartholus iuxta textum in l. *pronunciatio*,[d] ibi, *Cum ex eodem sanguine proficiscuntur*. idem Bartholus,[e] idem Bart. in l. fi. C. de verb. signific. ita tenet Abbas,[f] latius per Decium.[g]

a *In ca. quia clerici. in ver. filij. de iure patron.*
b *De iure patron. verb. honorificum. q. 4.*
c *1. par. lib. 2. 12. art. 4. qu.*
d *§. familia. in fi.*
e *In le. tutelas. ff. de capi. dimin.*
f *In c. nõnulli. de rescript.*
g *Consi. 365. & consi. 570. num. 1. cum seqq. & consi. 495. num. 3.*

SVMMARIVM.

*1 Episcopus ex præsentatis æquè idoneis vnum eligere potest, quem instituat.*

*2 Patronus clericus ex approbatis ad curatum magis idoneum præsentat, at ex æquè dignis vni gratificari potest illum præsentando. & nu. 3. & 5.*

*3 Iure ab antiquo non receditur, nisi quantùm à nouo cauetur.*

*4 Lex Principis quo ad expressa præiudicat alteri, & non vltrà.*

## CONSILIVM V.

AN concurrentibus duobus presbyteris ad beneficium curatum de iure patronatus clericorum, si ambo reperiantur idonei, ius gratificandi spectet ad Episcopum vel ad patronos, stante Concilio Tridentino.[h]

1 Respondetur, quòd pro Episcopo facit ca. *cum autem*,[i] quod habet, Episcopum, cui duo æquè idonei præsentãtur, habere ius gratificandi, & posse instituere vtrum illorum voluerit, quod ibi tenet Panormit. & communis, & Lambertus lib. 2. 3. par. princ. q. 4. art. 11.

h *Cap. 18. de refor. sess. 24.*
i *De iure patro.*

Pro patrono ecclesiastico verò facit primò, quòd præfatum cap. *cum* autem. loquitur de iam præsentatis Episcopo, & casus propositus agit de nondum, sed tantùm examinatis & approbatis.

2 Secundò, quòd licet examinatio & approbatio competitorum, & concurrentium ad Ecclesiam parochialem iuris patronatus ecclesiastici pertineat ad Episcopum, & examinatores, præsentatio tamen debet fieri per ipsum patronum ecclesiasticum,[k] Concilio Tridentino. Nec obstat, quod ipse teneatur præsentare digniorem. Tum quia nõ potest institui sine sua præsentatione. Tum quia non tollitur ei ius, & potestas præsentandi, sed tãtùm restringitur ad præsentandum digniorem. quod etiam corã Deo tenebatur facere etiam iure communi antiquo, vt nos probamus in Miscel.[l] de oratione.

k *Ex d. c. 18.*

l *38. & 42.*

Tertio, quod si gratificatio pertineret ad Episcopum, vana esset potestas præsentandi, quæ per prędicta pertinet ad patronum Ecclesiasticum, quod non intendit prędictum Concilium.

3 Quarto, quod à iure antiquo non est recedendum, nisi quatenus iure nouo receditur.[m] At iure antiquo poterat patronus Ecclesiasticus digniorem, vel æque dignũ sanctè pręsentare, secundum omnes, & iure nouo Concilij Tridentini non tollitur ei huiusmodi potestas, vt patet satis perpendenti illud,[n] immo cõfirmatur, quatenus reseruat ei potestatem præsentandi. Ergo ipse potest præsentare, quando duo examinati sunt iudicati æquè idonei: & nullo iure neque antiquo, neq; nouo tenetur pręsentare illum, quem elegerit Episcopus: ergo ad ipsum pertinet electio & gratificatio.

m *L. præcipimus. C. de appell.*

n *Cap. præf. 18.*

4 Quintò, quòd lex Principis non præiudicat alicui, nisi quo ad summum in eo, quod exprimit,[o] vbi rectè resoluit Decius. At Concilium Tridentinum,[p] non exprimit vt fiat in hoc preiudiciũ patrono ecclesiastico. ergo non est dicendum in dubio id facere voluisse.

5 Sexto, quod cessante causa cessare debet effectus.[q] At causa præfata noui iuris indicti per præfatum Cõciliũ,[r] fuit, vt potestas patronorum Ecclesiasticorum tantùm restringeretur, quantùm erat necesse ad bene prouidendum Ecclesiis parochialibus, & non plus. Et in casu pro-

o *L. 2. si quis à Principe. ff. ne quid in loco publi. fiat. & c. super eo. de off. deleg.*
p *Vbi supra.*
q *Ca. cum cessante. de appell. cum concordan.*
r *Ca. 18.*

posi

posito non est necesse ad illam bonam prouisionem, vt eligat Episcopus, quem volet ex æquè idoneis, sed satis est, quod patronus Ecclesiasticus id faciat, cùm vterque eorum sit iudicatus ab Episcopo equè dignus & idoneus. Ergo seruandum est in hoc casu patrono Ecclesiastico suū ius præsentandi vtrū ex duobus voluerit, Salua, &c.

*Aduertendum referri resolutum fuisse ad examinatores non spectare iudicare quis sit magis idoneus. vnde patronus ecclesiasticus ex approbatis pro idoneis eliget eū qui sibi magis videtur idoneus, quem præsentabit Episcopo, ad quem spectat ius instituendi. At si institutio ad alterum pertineret, Episcopus ipse ex approbatis eliget magis idoneum, quem patronus præsentabit ei, qui debet instituere.*

### SVMMARIVM.

*2 Consentire præsentationi, seu electioni, vel institutioni, differt à præsentare, eligere, vel instituere: vnde cui conceditur primum, non censetur concessum secundum.*

*3 Collegiatę tam sæcularis, quàm regularis, patronatum potest habere laicus, cui iure communi competit, vt possit beneficiandos, & monachandos præsentare Superiori, qui habentes qualitates requisitas tenetur eos admittere. num. 5. nec præsentatam, vt sit monialis, potest eo solo repellere, quod minorem dotem habeat alia, quàm Superior offert. nume. 6. Prælati autem præsentatio ad ipsum, nisi ex priuilegio Apostolico, non spectat. nume. 1. & 3. quæ facultas non censetur concessa, eo solo quòd Pontifex concesserit aliquem in Prelatum, ipso non consentiente, eligi non posse. nu. 2.*

*3 Conuentualis Ecclesiæ appellatio tam regularibus, quàm sæcularibus ecclesiis congruit.*

*4 Patrono conuentualis Ecclesię concedens Papa, vt nec moniales in monasterium, nec in Prelatam sine ipsius consensu recipiantur, non ob id censetur priuasse eumdem patronum facultate presentandi moniales sibi de iure competenti, ne inducta ad augmentum operentur diminutionem.*

## CONSILIVM VI.

QVæstio prima, an laicus ex priuilegio Papæ in monasterio ius præsentandi Abbatissam, seu Prælatum habere possit.

1 Respōdeo, clarum esse, quòd ad laicum patronum & nominatos ab eo pertinet præsentatio Abbatissæ: quia licet Cardinalis, Panormitanus, Ioānes Andreas & alii discordent, vel dubitent de aliquot aliis articulis, [a] omnes tamen conueniunt in hoc, quod laicus potest habere nō solùm ius patronatus in Ecclesia collegiata, sed etiam ius præsentandi Prælatum ex priuilegio Papę: & cōstat prædictum Doctorem, & nominatos ab eo habuisse & habere ex priuilegio Papæ ius patronatus, & ius presentandi Abbatissam in prædicto monasterio, vt in casus propositione exprimitur: ad quod alia multa possent adduci ex Rocho, [b] & aliis citatis ab eo, & ex Lamberto, [c] quæ vt nullatenus necessaria omitto.

a *In c. nobis. de iur. patrō.*

b *In tract. de iure patro.*

c *In tract. de iure patro. 5. quæst. part. 1. princ. 2. lib.*

2 QVAESTIO SECVNDA: Patrono cùm sit à Papa concessum, ne quæ monialis in monasterio recipi, aut eligi possit sine eius consensu, an virtute talis clausulę censeatur habere ius presentandi moniales?

Respondeo primò, quod est clarum non posse aliquā in prædictum monasterium intrare, vel eligi sine consensu prædicti Doctoris, & nominatorum ab eo: quia Papa hoc expressè concessit, vt in casu proponitur: & quod principi placuit, legis habet vigorem. [d]

Secundò, quòd dubitari potest, an præsentatio monacharum, siue monialium pertineat ad prædictum Doctorem, & nominatos ab eo ex priuilegio Papę. & videri potest alicui quòd sic, eo quod videntur paria esse, quod Petrus debeat facere illud, aut illud non possit fieri sine ipsius consensu, argumento *decreuimus*, [e] qua parte significat idem esse dicere, quod patronus potest præsentare rectorem, & quod Episcopus spreto illo non potest presentare. Contrarium tamen arbitror, scilicet, quod ex priuilegio verborum Papæ in casu relatorum non poterit præsentare: quoniam aliud est, quod aliquid non possit fieri sine consensu alicuius, & aliud, quòd ille, cuius consensus requiritur, posit illud facere, vt irrefragabiliter probatur in cap. 1. [f] quatenus habet, mortuo Episcopo posse Capitulum conferre beneficium pertinens ad collationem Episcopi, & Capituli, nō autem si pertineat ad Episcopum de consensu Capituli. Probatur etiam per l. *aliud est vendere, aliud est vendenti cōsentire*, [a] & quia licet in promotione Episcopi requiratur consensus Regis, vt in casu cap. *cum terra*, [b] nō potest tamen Rex eligere, secundum omnes.

d *§. sed & quod princip. instit. de iure naturali gēt. & ciuili, & c. proposuit. de concess. præb.*

e *16. q. 7.*

f *Ne sede vacante. lib. 6.*

a *ff. de regulis iuris.*

b *De elect.*

3 Tertiò, quòd præsentatio monialium prædicti monasterij iure comuni pertinet ad prædictum Doctorem, & nominatos ab eo: quia patronus alicuius Ecclesiæ collegiatę, quam construxit, & dotauit, licet iure communi nō habeat præsentationem Prelati, [c] habet tamen presentationem canonicorum, & beneficiatorum illius collegij, vt satis probat ca. fin. [d] & tradit Panormitanus ibi, & post Ioannes Andreas, [e] & Felinus post alios, [f] & latissimè Lambertus, [g] & quod idem dicendum sit de patrono Ecclesiarum regularium collegiatarum, & monasteriorum, quod in ecclesiis collegiatis sæcularibus, idem Lambertus conclusit, [h] & probatur ea ratione firma, quòd iura generaliter & indistinctè loquuntur de patronis Ecclesiarum secularium & regularium, & dictum cap. *nobis* loquitur de ecclesia conuentuali, quæ vtrisque aptatur, vt ibi tradit Panormitanus communiter receptus: & constat ius patronatus queri posse in monasteriis, vt latè tradit Rochus, [i] & citati per eum, & post illum prædictus Lambertus 1. parte lib. 1. q. 2.

4 Non obstat, quod in bulla Papa, vt prędictum est, nō prestat, nec reseruat eis facultatem pręsentādi moniales, sed solùm quod non possint illę recipi absque illorum consensu. Tum quia sicut eam non reseruat expressè, ita etiam eam non tollit, & relinquit illam iuri communi, argumēto, l. *commodissimè*, [k] quatenus probat casum omissum haberi pro omisso, & relinqui iuri communi, quod multis confirmat ibi Iason, & probat ca. *præscriptum*. [l] Tū quia posita ad augmentum non operantur diminutioné, neque è contrario, [m] at illa clausula, ne sine consensu prędictorum patronorum possint moniales recipi, fuit posita ad augendam potestatem eorum, vt palam est: ergo non induxit diminutionem potestatis iure communi eis competentis.

5 Quarto, quod forma propositionis casus præsupponit, quòd prędicti patroni pręsentāt moniales Episcopo, quatenus habet, quòd Episcopus confirmat electionem Abbatissę, & monialium: quod satis est consonum iuri communi, quòd habet patronum debere pręsentandos præsentare Superiori, [n] & Episcopus est Superior quo ad conferendum beneficia, & instituendum in eis. [o] Quo presupposito, concedendum est Episcopū habere in hoc casu potestatem cognoscendi de persona presentata, & qualitatibus eius, an videlicet sit conueniens, & an concurrāt in ea qualitates iure communi, vel speciali requisitę, argumento cap. fin. [p] & ei concordantibus, seruando tamen sua iura salua patronis.

Sexto, quod eadem forma casus propositionis videtur continere illam quęstionem particularem.

QVAESTIO TERTIA, An pręsentata à patrono cū dote centū ducatorum, aut pręsentata ab Episcopo cum dote ducentorum sit instituenda?

6 Ad quam dicendum est primò, iure communi audiēdum esse patronum: quia secundum illud gratis, & non pretio sunt recipiendæ monachę, iuxta cap. *quoniam.* cum communi multa citante. [q] Secūdo, quòd cùm Episcopus hoc casu non habeat potestatem cōferendi monachatus, nec pręsentandi, nec nominādi monachas, sed solum instituendi, vel admittendi præsentatas, non potest Episcopus ponere in prædicto monasterio vllas magis, vel minus dotatas, quia id esset facere extra suam potestatem, & ita quodammodo extra suum territorium ius dicere, cōtra l. fi. [r] & cap. 2. [s] Nisi deuolutio huiusmodi potestatis fieret ad eum per negligentiam patroni, vel aliàs legitimè, de quo non nobis proponitur. Salua, &c.

c *Ca. nobis. de iure patron.*

d *De concess. præb.*

e *In dicto ca. nobis. col. 3. versic. circa 1. & cap cum ecclesia Vulterana. de elect. nu 8. & in ca postulasti. de iur. patron.*

f *In ca. cum venerabilis. de except. nu. 33. vel 37.*

g *Tract. de iure patron. vbi supra arti. 3. qu. 5 princ. 1. parte 2. lib.*

h *In d. qu. 5. princ art. 4.*

i *De iure patro. verbo in ecclesijs.*

k *ff. de liberis & posthum.*

l *De prescri. li. 6.*

m *Cap. fin. de verb signific. l. ligata inutiliter. ff. de adimend. legat.*

n *Cap. nobis. & ca. nullus. & toto tit. de iure patro.*

o *Cap. omnes basilicæ. 16 q. 7. & arg. ca. cum ex iniūcto. de hæreticis.*

p *De elect. li. 6.*

q *De simonia.*

r *ff. de iurisd. omnium iudicum.*

s *De constitu. li. 6.*

### SVMMARIVM.

*1 Fundum donans Ecclesiæ nihil iuris postea in eo potest prætendere, nisi donet ad fundandam Ecclesiam: quia tum acquirere po-*

test in ea ius patronatus.n.6.14.& hoc dũmodo accedat consensus Superioris qui potest etiam ex post facto accedere,num. 10.& 18.semelq; datus non potest reuocari, nu.19.etiamsi fundus sit modici valoris,sufficiens tamen ad ædificandam Ecclesiam num. 15. & hoc etiamsi sit Ecclesia collegiata & regularis:licet non acquirat ob id ius præsentandi, nec eligendi Prælatum.nu.16.

2 Mores diuersi non debent esse in eadem religione seu congregatione,& hoc quando sunt adeo diuersi,vt sint aduersi, & contrarij.nu.17.

3 Regulares:siue religiosi omnes suo quidem Generali præposito obedire debent, sed non si præcipiat aliquid contra præceptum maioris Prælati.nu.18.

4 Posterior regula, seu regulæ constitutio derogat actibus præcedentibus.

4 Subreptitius est,qui petit confirmationem actus, tacens quod ille prius fuisset sublatus:aliud fortè est, quando solùm tacetur an valeat,vel non.nu.20.

5 Intellectus Concilij Tridentini sess.25.de regul.cap.2.& nu.21.

6 Patronatus ecclesiæ acquiritur tribus modis,traditione fundi ad illam ædificandam, constructione,nec non & dotatione,immo & potest ab ordine statui vt patronatum acquirat, qui maiorem partem monasterij construit,vel grandi dotat quantitate. & nu.7.

8 Fundatoris in honorem & commoditatem potest Prælatus & Superior,vt est Generalis, in fundatione apponere aliquas cõditiones.puta,vt ei detur annuus census, vt non eligantur Superiores nisi de sua natione.& num.9.& si postea tale onus vel conditio esset mutanda,etiã ipse fundator esset vocandus.n.13.

11 Monasterium S.Trinitatis Minimorum soli Generali subest, & à Gallis gubernari toti ordini vtile.num.12.

20 Præscriptio quadraginta annorum sufficit ad præscribendum res Ecclesiæ:qua tamen non eget, qui ius quæsitum per iustum statutum habet.

## CONSILIVM VII.

SAnctus Frãciscus à Paula institutor ordinis Minimorum, procurante in Ludouico XI. Galliarum Rege Christianissimo ab Italia transiuit in Galliam,vbi à Rege & proceribus regni maximo in honore habitus fuit, & adeo gratus,& sanctus,vt adhuc viuens vocaretur, *Le bon & sainct hõme.*& tanta deuotione fuerunt in eum adhuc viuentẽ præfatus Ludouicus,& eius filius Carolus VIII. quòd ad amplificandum suum ordinẽ vltra multa magnifica monasteria, quæ in Gallia ordini eius fundarunt, & construxerunt, prædictus Carolus,cum Roma in regnũ Neapolitanum transiret, magno exercitu instructus,ad preces prædicti S.Francisci, iussit emi fundum amplissimum in monte Pincio ad fundandum vnum monasteriũ sui ordinis in Vrbe, quod nunc appellatur Sanctissimæ Trinitatis,ad gloriam Dei, & in monumentum pietatis, qua ipsi, & alij Reges Francorum semper erga Romanã & S.Sedem Apost.fuerunt,& ope diuina erunt:& cõtra ipsemet S. Franciscus fuit in hoc gratissimus, teste fel. recor.Iulio III. per hæc verba in literis suis Apostolicis scripta.*In memoriam tanti beneficij, & ad hoc,vt fratres dicti ordinis in eadem domo pro tempore residentes pro salute animæ dicti benefactoris magis memores redderentur,inter alia, quod ex tunc in posterum dicta domus per fratres Gallicæ nationis, quamdiu inuenirentur qui inibi residerent, sin autem per alios regi, & gubernari, & inhabitari deberet, per publicum instrumentum desuper confectum, & manu notarij publici subscriptum, voluit,& ordinauit.*Hæc ille,qui mox subdit hæc alia, *Volentes voluntati,& ordinationi tam pij Patris annuere, & illũ satisfacere,nec non pium,& caritatiuum, ac liberale donum dicti Regis in illius memoriam(prout par est)recognoscere, eiusdem Henrici Regis Christianissimi supplicationibus in hac parte inclinati, voluntatem,& ordinationem S.Francisci, & desuper confectum publicum instrumentum,nec non prout illa concernunt omnia, & singula in eis contenta,ac inde secuta quęcumque, ex certa scientia nostra,& de Apostolicę potestatis plenitudine,auctoritate Apostolica,tenore præsentium approbamus & confirmamus:districtius inhibentes omnibus & singulis Prælatis prædicti ordinis, & sub cẽsuris,priuatiõis,& inhabilitatis pœnis,ne de cetero, quãdiu fratres prędicti ordinis præfatę nationis Gallicę idonei reperirentur,alium quam eiusdem nationis Gallicæ in Correctorem dictę domus eligere,seu admittere,aut electũ confirmare quoquo modo audeãt*

A *vel præsumant:decernentes ex nunc irritũ, &c.* Vnde ab initio, suæ fũdationis ad hoc vsque tẽpus nemo fuit Corrector, nec Prælatus illius monasterij alius nationis,quã Gallicę, præter vnũ,contra quem reclamatum fuit, & obtentum, ne vmquam vltra alius alterius nationis eligeretur, & qđ prędictarũ literarũ S. Frãcisci cõfirmatio à S. Sede Apost.obtineretur,quæ mox à pręfato Iulio III. fuit obtẽta.

Quęritur,an Regibus Franc.Christ.& nationi Gallicę, & conuentui prædicti monasterij non solùm debeatur hoc ius præeminentiæ honorificum seruari de honestate & decẽtia, sed etiam de iustitia ipsa legali, & necessaria.

1 Huic questioni satisfacturus,diuina ope per pręfatũ S. Frãciscũ optata,& sperata,primo adducã in aciem copias, B quibus pars negans vincere tentat,deinde illas,quib.pars affirmans vincat,tertio loco subsidia, quibus dissipentur cohortes partem negantem sustentare conantes.

Pro parte negante adduco primò Conc.Tolet. relatũ à Gratiano,[a] in hęc verba. *Nouerint conditores basilicarum, in rebus,quas eisdem Ecclesiis conferunt,nullam potestatẽ habere.* Rex ergo Carolus nihil iuris prætendere potest in fundo,quem dedit prædicto monasterio construendo.

Secundò,quòd fundus,quem Carolus dedit,fuit minoris valoris,quàm vt ob eũ tãti monasterij fieret patronus.

2 Tertiò,quòd fundans, vel construens Ecclesiam collegiatam,non videtur quærere ius patronatus in ea,iuxta C c.*nobis*.cum ei adnotatis per omnes.[b] At ecclesia, de qua loquimur,collegiata,& regularis est:ergo nihil habuit in ea Rex Carolus.

Quarto, quod in eadem congregatione non debent esse diuersi mores,[c] iuxta illud.[d] *Non arabis cum boue simul, & asino.*id est, homines diuersæ professionis non iungas in eodem officio, vt ibidem eadem actio exprimit. ergo nec cõuentus Romanus alio iure,quàm alij ordinis eiusdem vti debet.

Quintò,quòd non probatur,S. Franciscum suis literis cõcessisse huiusmodi ius particulare pędicto monasterio in gratiam Regum Francorum,& nationis Gallicæ.

D Sexto,quod omnes supradicti ordinis professores debent obedire Generali suo,& eius pręcepta implere,[e] & in cunctis,quę suę animę & regulæ non cõtrariantur,Superioribus parere,[f] ergo & conuentus parere debet Generali suo pręcipienti, vt cuiusque nationis monachus habeat vocem passiuam in electione Correctoris eius.

Septimo, quòd assertores huius partis contendunt, literas S. Francisci, & instrumentum super eis confectum præcessisse regulam prędictam,& ideo illam tamquã posteriorem,cùm sit contraria ipsi,derogasse,iuxta cap.1.[g]

4 Octauo, quod possessio eligendi Correctorẽ nationis Gallicæ fuit interrupta, & ita non prodest Regi, nec nationi,nec cõuẽtui,iuxta c. *sanctorũ*.cũ gl.& aliis multis.

E Nono,quòd Pont.Max.Iulio III. non fuit dictum,quòd per regulam erat derogatum literis prędicti S.Francisci, & ita eius confirmatio fuit subreptitia,& *Mendax precator debet carere impetratis.*[i]

5 Decimo, quod huius partis assertores contendunt Conc.Trid.[k] statuisse, vt administratio monasteriorum ad solos officiales ad Superiorum nutũ amouibiles pertineat,per quod videtur tolli prędictũ ius particulare.[l]

Vndecimo,quòd iidem contendunt obliuiosum iudicandum esse S.Franciscum, si, cùm in sua regula iussisset communitatem,induxisset hanc particularitatem.

Duodecimò, quod iidem tentant arguere falsi literas prædictas Iulij III.eo quod confirmatio literarũ S. Frãcisci datarũ anno 1501. fuit facta per eas anno 1553. & ita F post 52.annos à data literarum:dicunt enim,quod, si vera esset,longè prius facta fuisset.

Decimotertio denique iidẽ contendunt arguere falsi prędictas literas Apost. eo quod emptio fũdi fuit facta anno 1549.& literæ S.Francisci 1501. Turonis, & quod in literis Apostolicis dicitur: *Nos pie considerantes Regiã Maiestatẽ Franciæ cõparasse locum Sanctissimæ Trinitatis Romæ,&c.*

6 Hactenus de copiis,quibus pars negans vincere tentat,nunc adducamus illas, quibus pars affirmans vincat. Et primo quidem,quòd negari non potest, quòd prædictus Carolus fuit effectus patronus prædicti monasterij: siquidẽ ipse emit,& tradidit fũdũ totũ,in quo est illud cõ

structum

a In ca.1. 10. q.1.

b De iure patro.

c Ca.in nona actione.16.q. 7.

d Deuter.22.

e Per cap. 1. sua regulæ.

f Per c.5.eiusdem regulæ.

g De constit. lib.6.& l.pacta nouissima.C.de pactis.

h De præscri.

i Ca.super literis.de rescr. l.& si legib[9]. C.si cõtra ius vel vtilit.public.

k Sess.25.c.2. de regul.

l Arg.c.1.de const.li.6.

ſtructum,ad hoc, vt in eo fundaretur illud,rogatu & precibus ipſiuſmet S.Franciſci,& ſuorum,cùm tranſiret Roma in Regnum Neapolitanum magno exercitu inſtructus, vt in facto proponitur: & ad hoc, vt aliquis fiat patron⁹ eccleſiæ,ſufficit vt det fundũ,in quo illa ædificetur.

7 Tria enim ſunt, quorum quodlibet ſufficit ad quærendum ius patronatus, nempe traditio fundi,ædificatio, & dotatio,iuxta illum ſenarium gloſſ.[a] & ab omnibus receptæ: *Patronum faciunt dos,ædificatio,fundus* & de traditione fundi eſt caſus in cap. *Abbatem,*[b] ibi, *poſſeſsionis dominus.* & in cap.*nobis,*[c] ibi, *pro fundatione.*& tradunt Panormitanus & omnes.[d] & Panormitanus,[e] & latius Rocchus,[f] alios referens,[g] ſufficit enim,quòd alius vel alij conſtruãt, & dotem Eccleſiam,ad hoc,vt tradens fundum efficiatur patronus,vt poſt alios pròbat prædictus Rocchus.[h] Quin & per Capitula generalia ordinis declaratum eſt, vt ille habeatur in ordine ſuo pro fundatore, qui dedit fundum ad ædificandum monaſterium, vel maiorem partem conuentus ædificat, vel qui in grandi quantitate dotat,vt videre eſt in Cap.2.habito Toloſæ.[i]

8 Secundò, quòd fundanti Eccleſiam Prælatus, & eius Superior poteſt apponere aliquas conditiones honeſtas in fauorem & gratitudinem & vtilitatẽ fundatoris, adeo quod poteſt imponere annuum cẽſum ei ſoluendum,iuxta cap.*Eleutherius,*[k] vbi & alibi Archidiaconus communiter receptus hoc adnotauit,& ca.*præterea,*[l] vt poſt Panormitanũ & communem ibi & alibi aſſeruit Rocchus, Paulus de Cita.& Lamberus,[m] declarando verbum, *honorificum,*& verbũ, *vtile,* poſita in definitione iuris patronatus, quam Ioannes Andreas,& poſteriores tradunt.[n] At ſuperior nõ qualis qualis, ſed Generalis totius ordinis,ac non qualis qualis Generalis,ſed inſtitutor & auctor ipſiuſmet ordinis,& non quali quali tempore, ſed circa exordia ipſius, & non in gratiam & fauorem qualis qualis hominis, ſed potentiſsimi & Chriſtianiſsimi Regis Francorum, à quo, & precibus eius, multa beneficia ſibi, & ordini ſuo, & ſpeciatim fundationem prædicti monaſterij ſuſcepit, ſtatuit,vt prædictum monaſterium gubernaretur per monachos nationis Gallicanæ, qui iudicarẽtur ad id idonei: ergo ſeruandum eſt illud, & adeò quidem, vt procuratio cõtrarij ab vllo ſui ordinis facta videatur inſigne ingrati animi ſignum erga Regem, & nationem Gallicanam, & magna irreuerentia erga ſuum tam ſanctum Patriarcham, & auctorem,cùm non ſolùm nolunt eſſe tanto Regi grati, ſed piget eos ſuum ipſum auctorem gratum fuiſſe, & quidem malè, & quod probatiſsimum ſit illud, Baptiſtæ Mantuani.

*Nil magis auertit cælum à telluris amore,*
*Quam ſcelus ingratæ mentis, quæ corde maligno*
*Muneris auctorem nullo dignatur honore.*

Pro quo eſt textus iuncta gloſſa ſingulari in *l.ſi nõ ſortem.*[o]

9 Tertio, quod palam eſt, ſtatuto in fundatione appoſito poſſe fieri,quod Abbas,vel Prior monaſterij eligatur de monachis alterius tertij monaſterij, vt eſt textus ſingularis in cap.*cum dilectus,*[p] vt ibidem Antonius & Panormitanus id adnotarunt:à fortiori ergo potuit ſtatui,quod deberent eligi de tali vel tali natione,cùm minus tollatur libertas eligendi per hoc, quàm per illud,vt palam eſt.

10 Quintò,quod ad hoc,vt conditio poſita in fundatione valeat,ſufficit, quod conſenſus ſuperioris accedat poſt illam poſitam etiam ex interuallo,per textum memorabilem in cap. *cura,*[q] ibi, *Aut diæceſani Epiſcopi habuerit poſtea conſenſum.* vbi Panormitanus hoc adnotauit, & late confirmat Rocchus,[r] & confirmatur ea regula receptiſsima, quod conſenſus requiſitus ad aliquem actum poteſt interuenire poſt illum: & ideo licèt fortè non fuiſſet adhibitus conſenſus Superioris in cõditione prædicta,vt præfatus cõuentus regimini nationis Gallicanæ ſubiiceretur tempore traditionis fundi,fuit tamẽ adhibitus poſtea per literas S.Frãciſci Superioris,& Generalis ordinis,& quod maius eſt, acceſsit conſenſus prædicti Pontificis Maximi Iulij III.qui laudauit,& cõfirmauit prædictum S.Franciſci ſtatutum gratificum, & non vtcumque,ſed eius tenore narrato, & non ex ignorantia, & poteſtate ordinaria, ſed ex certa ſcientia,& abſoluta plenitudine poteſtatis Sedis Apoſtolicæ & non vane, ſed in honorem & reuerentiam

a Ca.pia mẽtis.16.q.7.
b 18.q.2.
c De iure patro.
d In rubr. de iur.patr.
e In cap.cum eccleſia Vulterana.col.4. de elect.
f In tract. de iure patr.
g In verbo fundari. q.11.
h Vbi ſupra q.2.
i Anno 1514. 23. Maij, & anno 1532.
k 18.q.2.
l De iure patro.
m In ſuis tractat. de iure patro.
n In rubr.de iur.pat.
o §. libertus. ff. de condit. indeb.
p De conſuetud.
q De iure patr.
r In d. tract. ſuper verbo. pro eo quod de conſenſu. à nu.7.

A S. Franciſci, & in gratiam Regis Henrici II.cum primis Regum omnium Francorum glorioſiſsimi: à qua confirmatione nemo ſupplicauit, immo ab eo tempore nemo, qui non eſſet rationis Gallicanæ, Corrector præfati monaſterij extitit.Quin & Capitulum generale ſecundo Ianuæ celebratum ordinauit, vt prædictarum literarum S. Franciſci confirmatio à S.Sede Apoſtolica, cùm primum commodè poſſet,impetraretur, vt mox impetrata fuit.

11 Quinto facit, quod Capitulum generale ſecũdo Romæ celebratum, cui præfuit Epiſcopus Teudonenſis nomine S. Sedis Apoſtolicæ ſtatuit in hæc verba: *Quod deinceps Conuentus ipſe nullius alterius ſubiaceat ditioni,niſi Reuerendi Patris Generalis pro tẽpore exiſtentis, vel eius Vicarij viſitatoris.* B Hæc ibi.Per quod ſignificatur totum ipſum ordinem Patriarcham ſuum imitantem noluiſſe auferre ſpecialem honorem prædicto monaſterio, ſicut & Patriarcha ſuus Sanctus Franciſcus voluit illo inſigni ſpeciali illud decorare. Quare nullus prædicti religioſiſsimi ordinis profectò deberet contrarium procurare, cùm oporteat partem ſuo toti vniuerſo conuenire.[a]

12 Sextò, quòd honorificum & vtile fuit toti ordini, & præfato monaſterio, fuiſſe reſeruatã eius gubernationem viris nationis Gallicanæ: quia fuit in cauſa, non ſolùm vt tantus Rex, & Legati eius, & omnes ad vnum Galli habeãt ſpecialem de illo curam, & piã ad illud deuotionem, C ſed etiam vt ædificia eius magnificè amplificarentur:nam Illuſtriſsimus Cardinalis Maclonienſis Gallus apportatis ex Narbona lapidibus chorum Eccleſiæ conſtruxit, & feneſtris vitreis ornauit,& à conſtruenda miro artificio Eccleſia ſuis ſumptibus ſola mors impediuit. Deinde Rex Henricus,& aliquot Cardinales Galli clauſtrũ conuentus extruxerunt.Illuſtriſsimus autem Cardinalis Armeniacus ſuis eleemoſynis alteram partem clauſtri cum refectorio ædificauit,ſed Illuſtriſsimus Cardinalis Lotharingius nuper fratrum chorũ magnificè conſtrui & pingi fecit. Nec obeſt,quod populus Roman⁹,cui præfatum monaſterium plurimũ debet,multa beneficia in illud per ſe,& per ſuos D ciues Romanos ei contulerit,& numquam non confert,& Pontifices Maximi,iidemque ſanctiſsimi cum toto ſacroſancto Collegio ſemper protegunt illud, & fouent. non enim id faciunt,vt Chriſtianiſsimo Regi nationis Gallicę quidquam detrahant, ſed potius,vt exordium, & illuſtre, quod ab initio dedit,exemplum,& crementum,quod ſucceſſores eius,& Cardinales gentis Gallicanæ addiderant, collaudent, & magnificẽt in gloriam ſanctiſsimæ & adorandiſsimæ Trinitatis, quæ omnes proſperet æternum.

Septimo,quod ipſemet Generalis,qui hanc controuerſiam mouere dicitur,in duabus epiſtolis ſuis ad duos celebres eiuſdem ordinis viros hoc ipſo anno 1576.datis, ore pleno fatetur contrarium eius,quod nunc proponit,in altera quidem per hæc verba, E *Il Conuento di Roma è della natione di Francia,* & in altera per illa, *Il Conuento di Roma è di voſtra natione.*erat enim Gallus ad quem ſcribebat: & non eſt ferendus, qui quod voce ſua dilucidè teſtatus eſt, in eumdem caſum proprio teſtimonio infirmat.[b]

13 Octauò denique,quòd hæc res longè plus pertinet ad Regem Francorum Chriſtianiſsimum, & nationem Gallicanã,quàm ad Cõuentum prædicti monaſterij,vt palam eſt: & ita cùm non ſolùm Cõuentus, ſed & eius patronus Rex Francorum, & natio Gallicana fuerit in poſſeſsione, vt prædicti monaſterij Corrector ex ea eligatur: non poteſt quidquam,quod huic poſſeſsioni præiudicet,decerni, F niſi vocatis,& plenè auditis eis,vt Gregorius agẽs de cauſa poſſeſſorij determinauit,[c] in hæc verba, *Nec nos contra inauditam partem aliquid poſſumus definire.*Et concluſio iuriſperitorum in l.*duo,*[d] & alibi ſæpe recepta habet, omnes, quorum intereſt,eſſe vocandos,quò eis ferenda ſententia noceat. Quare qui voluit de prædicta poſſeſsione deturbare Regem Chriſtianiſsimum, & nationem Gallicanam ampliſsimam,& conuentum re & fama cum totius ſui ordinis primis Populo Romano Vrbi, & orbi religionis & regulæ ſuæ obſeruantia,modeſtia,humanitate,& cõtinuo Dei obſequio gratiſsimũ, debet eos aperto marte vocare in iudiciũ,in quod veniſſe,vt certo credo,eum pudebit,& pœnitebit: ꝙ facile ex oppoſitorum dilutione apparebit.

14 Primum oppoſitorum diluitur, eo quod Concilium

a Ca.quæ cõtra mores. 8. diſt.
b Le.generaliter.C.de nõ nu.pecu. cap. tuas.de prob.
c In cap. 1.de cauſa poſſ. & propr.
d ff.de re iudi.

Toletanum in eo citatum intelligendum est de dominio, & aliis iuribus nō reseruatis iure cōmuni, vel particulari, donatoribus, & benefactoribus Ecclesiarum, iuxta resolutionem omnium in multis capp. supra citatis: ita quod donator, legator, fundator, & cōstructor Ecclesiæ, nullum dominium, neque vllum aliud ius potest sibi vendicare in rebus à se donatis Ecclesiæ, quàm ius patronatus, vel aliquid aliud, quod iure communi, priuilegio Papali, vel particulari statuto legitimè concedatur: & prædictus Rex, natio, & Conuentus nihil aliud prætendunt.

15 Secundum, negando, quod fundus à Christianissimo Rege Galliæ emptus, & traditus, fuit paruus, & parui pretij. Tum quia fuit tantus, quantus vt esset voluit ipsemet S. Franciscus, qui petiit, immo idem, quē petiit. Tum quia Rex iussit, vt emeretur ei fundus, quem petebat, nulla de pretio facta mētione, eo certè animo regio, vt quodcumque pretium, quo valeret, pro eo daretur. Tum quia fuit emptus mille quingentis florenis & octoginta aureis in auro de Camera. Tum denique quod canonum grauissimi latores, iidemque auaritia vacui, & caritate pleni, quibus placuit concedere ius patronatus tradentibus fundum, non tantùm pretium fundi, quantùm purum animum illum offerentis pensarunt: & ideo per traditionem fundi etiam viginti aureorum, modo sit capax Ecclesiæ construendæ, quæritur ius patronatus, secundum eorum mentem, quam sequuta Capitula generalia eiusdem ordinis Tolosæ & Genuæ celebrata meritò declararunt illum pro fundatore habendum, qui fundum dedit, nulla de valore magno vel paruo facta mentione.

16 Tertium verò refellitur, negando, quod fundans Ecclesiam collegiatam non fiat patronus eius, quamuis non quærat ius præsentandi Prælatum ipsius: multa enim alia iura potest habere patronus in Ecclesia tam collegiata, quàm simplici, vltra ius præsentandi Rectorem, vel beneficiarios eius, vt probatur in cap. *pia mentis*,[a] & in ca. *nobis*, in argumento citato,[b] & latè post & ante alios tradunt Rocchus, & Lambertus,[c] declarando verba illa, *honorificum, & vtile*, posita in definitione iuris patronatus: & præfatus Rex & natio non prætendunt habere ius præsentandi Correctorem prædicti conuentus, sed quod Conuentus ipse debet eligere Correctorem ex natione Gallicana, si quis inueniatur idoneus, quod longè aliud est; & à separatis non fit illatio.[d]

17 Quartum autem soluitur, primò quidem concedendo, quòd in eadem congregatione non debent esse homines professionis ita diuersæ, vt sint aduersæ, & contrariæ, vt habetur in d. cap. *in nostra*, in argumento citato, quales sunt professio laici, & clerici in administrando vicariatu Episcopali, de qua ibi dicitur, negando tamen quod non possint esse in eadem cōgregatione homines diuersarum professionum sibi mutuo non repugnantium, quales sunt in monasteriis ipsis Itali, Galli, & Hispani, quales sacerdotes, & primæ tonsuræ tantùm clerici, quales professi, & nouitij, conuersi laici, & monachi ad chorum professi, & religiosus in Episcopum promotus, & canonici sęculares, qui possunt esse in eadem ecclesia.[e] Et ita non repugnat quod vnum monasterium de multis alicuius ordinis teneatur eligere Prælatum de natione Gallicana, & nō alia, quàm illa, aut de aliis nationibus. Secundò, quod assumptum in argumento procedit solo iure communi attento, secus autem attento priuilegio Apostolico, vel statuto Ecclesiæ particularis. Vnde videmus Regem Francorum priuilegio Apostolico esse canonicum in aliquot ecclesiis Franciæ, & Marchionem Asturitem in ecclesia Asturiensi & vidim⁹ nuper Romæ Dominicanum Fratrem in ecclesia S. Petri canonicū: & in specie habemus casum clarum in di. cap. *cum dilectus*,[f] quod habet, valere statutum etiam sola ordinaria auctoritate confirmatum, quod vnum monasterium de multis eiusdem ordinis teneatur eligere Prælatum de monachis alterius certi monasterij, quod longè grauius est: & præfati Rex, Conuentus, & natio non prætendunt habere hoc ius iure communi tantùm attento, sed iure particulari, videlicet statuto ipsiusmet S. Francisci, & priuilegio S. Sedis Apostolicæ benignissimè indulto, ordine toto id volente & procurante.

18 Quintum reiicitur, eo quòd, quidquid senserit Ioannes Andreas in eo citatus, monstratum est supra in argumento quarto, cōsensum Superioris ordinarij requisitum ad quærendum ius patronatus, posse superuenire post fundationem, constructionem, & donationem: & in casu proposito non solùm superuenit consensus ordinarij, sed etiam ipsiusmet Papæ, de quo nemo vmquam dubitauit posse longè post factum consentire, præsertim cum id facit cum clausula, *ex certa scientia, & de plenitudine potestatis*, quod in nostro casu effecit, & per quod cessant omnia, quæ contra partem hanc adduci possunt contraria.

Sextum autem tollitur, concedendo quidem, omnes monachos debere Superioribus suis obedire, & parere omnibus honestis, iuxta moderationem, quam tradit S. Thomas,[a] negando tamen, quod sit honestum, vt in hoc prædictus Conuentus obediat Generali contra præceptum Papæ, qui sub grauissimis cēsuris priuationis, & aliis pœnis interdixit, ne id fieret: & non est obediendum vni Superiori, quando superior illius contrarium præcipit.[b]

19 Ad septimum, dicitur primò, negando, quòd regula S. Francisci fuerit facta post gratiam, quam ipse fecit Carolo Regi, & nationi Gallicanæ: quandoquidem gratia illa facta fuit anno 1501. & longè antea viuo adhuc Ludouico Beatus præfatus vir transiuit in Gallias, vbi erexit aliquot monasteria, & deinde anno 1484. rogauit Carolum, vt prædictum fundum emeret, & ita longe ante gratiam factam habuit monachos non solùm in Calabria, sed etiā in Gallia, adeo quod postea in Capitulo generali primo celebrato Romæ anno 1532. constitutum fuit, vt inter prouincias ordinis multas prouincia Turonica esset secunda post Calabriā, & ante suum prædictum statutum fecit emi prædictū fundum Romæ pro monachis ibi constituendis: & quod non est verisimile, tunc toto illo tempore absque regula vixisse. Secundò diluitur, negādo per prædictam regulam, etiam si posterior fuisset, derogasse gratiæ iam factæ. Tum quia non potuit honestè velle tollere id, quod tam honestè cōcesserat in gratiam tanti Regis, & tantæ nationis, à quibus tanta beneficia susceperat, ingratitudinem incurrendo, contra l. *si non sortem*,[c] adiuncta glossa. Tum quia, etsi maximè voluisset, non potuisset: nullus enim vmquam iurisperitus, qui mediocriter saperet, dixit, Episcopum, qui consensit fundationi Ecclesiæ, posse in præiudicium iuris patrono quæsiti dissentire, contra regulam, *Quod semel placuit, displicere non potest*,[d] & ei adnotata. Tertio, quod postea prædicta gratia fuit ex certa scientia, & de plenitudine potestatis confirmata à prædicto Iulio III. quod omnia complanat, & contradicenti ruborem non vulgarem iniicit.

20 Octauum autem refellitur primò, eo quòd ab anno emptionis fundi vsque ad interruptionem prædictā lapsi fuerunt plures quàm quadraginta octo anni, & à tempore literarum S. Francisci plures quam quadraginta, qui sufficiunt ad præscriptionem etiam rerum Ecclesiarum.[e] Secundo, quod non est necessaria præscriptio ei, qui habet ius quæsitum per iustum statutum confirmatum per Generalem, & maximè iterum reconfirmatum per S. Sedem Apostolicam: & maximè in gratiam tanti Regis, cùm iuribus regiis Papa raro deroget, iuxta regulam 40. Cancellariæ, & multa, quæ congerit ibi Gomezius in proœmio regularum eius, quale hoc, de quo loquimur, fuit, argumento cap. *cuncta per mundum*.[f]

Nonum reiicitur primo, quod falso præsumunt regulam derogasse prædicto statuto, vt suprà monstratum est. Secundò, quòd non fuit dictum quod statutum valeret, sed solùm quod fuit factum, & id est verum. Tertiò, quòd, an valeret de iure illud, est quæstio iuris, cuius decisio non est necessario innotescenda Papæ.[g]

21 Decimum tollitur, negando, quod Concilium Tridētinum in illo citatum statuerit, vt administratio monasteriorum fiat per officiarios ad nutum reuocabiles, vt ipsi dicunt, sed quod administratio bonorū monasteriorum per tales officiales fiat, quod longè diuersum est: cùm administratio monasteriorum fiat per Prælatos electos, & confirmatos, qui non sunt ad nutum amouibiles.[h] Et ita in ordine præfato Correctores non amouentur, nec amoueri possunt ad nutum sine causæ cognitione tempore suæ correctionis durante, nec vmquam Concilium tale

quid

a Et c. frigentius. 16. qu. 7.
b Et in c. praeterea. 2. de iure patro.
c In suis tractat. de iure patron.
d L. Papinianus. ff. de minorib.
e Clem. 1. de elect.
f De consuet.

a 2. 2. q. 104. art. 5.
b Cap. Iulianus. cap. non semper. 11. q. 3.
c §. libertus. ff. de cond. indeb.
d De reg. iur. li. 6.
e Ca. de quanta. & c. illud. de præscrip.
f 9. q. 3. & c. proposuit. de concess. preb.
g Arg. c. 1. de const. li. 6.
h Capit. 2. §. priores. de statu monach.

quid somniauit, sed volentes astruere falsum in ipsam dilucidam veritatem impingunt.

Vndecimum tollitur admirando, quod putent communitatem bonorum, quam inducit S. Franciscus in sua regula, esse contrariam particularitati, de qua loquimur, de eligendo prædicti conuentus Correctore de natione Gallicana. Tum quia hæc particularitas tangit solam personam Correctoris monasterij, illa verò bona monasterij. Tum quia alioqui diceretur in quolibet monasterio similem induxisse particularitatem contrariam suæ communitati: in nullo enim voluit, vt officium Correctoris esset commune, sed quod ad vnam solam personam pertineret.

Duodecimum, negatur, quod confirmatio præsumatur esse falsa, eo quod fuerit facta de actu longè antea facto, quasi non possit confirmare Papa ea, quæ ante quinquaginta & centum annos fuerunt facta, tum in forma communi, tum ex certa scientia, contra notata in titul. de confirm. vtili, & contra omnia iura.

Decimumtertium per se corruit, cùm per ea, quæ assumit, in nulla bona cõsequentia inferri possit vera, vel præsumpta vlla falsitas, vel subreptio in literis in eo allegatis, vt palàm est: quòd autē prætendunt literas & instrumentum S. Francisci, de quibus testatur Iulius III. non fuisse verè facta, duplici ratione exploditur: nempe, quòd cõtra Capitula sui ordinis generalia, quæ de illis testantur, parum reuerenter loquantur: & quod irreuerentius astruere videntur, non esse credendum Papæ in his, quæ testatur facta, suam dispositionem super eis fundando, contra clementinam I.[a] præsertim in his, quæ suæ absolutæ voluntati, & plenitudini potestatis subiacent: quale est hoc, de quo agimus, statutū, per notata,[b] maximè per Felinum & Decium. Adde, quod allegatur hoc post circiter triginta annos, & diuturnam possessionem, & obseruantiam hac prædicta confirmatione facta seruata, contra glossam singularem & notata ibi & alibi sæpe ab omnibus.[c]

Per quæ omnia videtur proculdubio dicēdum, non solum hoc ius præeminentiæ honorificum esse conseruandum Regibus Francorum Christianissimis, Gallicanæ nationi, & Cõuentui prædicto Romæ, sed etiam pudere debere quemlibet prædicti ordinis Minimorum religiosum contra statutum sui S. Patriarchæ gratificum Pontificis Maximi decreto tam benignè confirmatum, & tanto tempore vsu receptum, quidquam attentare. Salua, &c.

a De prob.

b In dicta cle. & in ca. quæ in ecclesiarū. de constit.

c Ca. peruenit. de empt. & vend.

SVMMARIVM.

1 *Personale beneficium seu personatum instituens, vel habens, si ad illud aliquem beneficiatum nominet cum pacto etiam tacitè inito, vt nominatus in fauorem nominantis suam resignet beneficium, simonia committitur.*

1 *Instituens personatum eo fine, vt per illud via commutationis aliquod obtineat beneficium, videtur simoniacus, nu. 2. attamē verè non est, nu. 19. nisi interueniat conuentio, nu. 20. & 21. purius tamen sine dicta spe & intentione institueretur, num. 19.*

3 *Immemorialis consuetudo vim priuilegij habet, ita vt per illam inducatur quicquid priuilegio etiam Papæ induci potest: nec desinit esse talis ex eo, quòd in aliquo reperiatur mutata, seu non omnino formaliter semper seruata, modo æquipollenter & in effectu semper fuerit obseruata. num. 17. & 18.*

3 *Approbans actionem aliquam, censetur etiam approbare conditiones, cum quibus scit illam exerceri.*

4 *Bona propria alicui vinculo, vel oneri perpetuo, vel temporali, etiamque spirituali, vel pio, sine tamē alterius præiudicio subijcere quilibet potest, tam per contractum inter viuos, quam in vltima voluntate, nu. 5. & hoc etiam sine Episcopi auctoritate, num. 4. non tamen erit beneficium Ecclesiasticum, etiamsi sit cum onere, vt solis assignetur clericis missantibus, num. 6. & 7. vel cum onere dicendi Missas aliquas. num. 13.*

6 *Beneficium ecclesiasticum non potest erigi sine auctoritate Ecclesiastica, sine qua nihil, quod sit sacrum aut religiosum, effici potest: vnde opera erecta priuata auctoritate etiamsi appellentur capellaniæ, & ad illa soli sacrifici possint deputari, non sunt beneficia, nu. 7. & hoc etiamsi sit impositum onus dicendi certas Missas. num. 13.*

8 *Beneficium ecclesiasticum, attento solo iure communi, non potest etiam accedente Episcopi auctoritate institui, nisi sit perpetuum, & à solo Superiore Ecclesiastico conferendum, & talis conditionis, quod ab habente non possit sine Episcopi licentia renunciari, & num. 16. at priuilegio Papæ, qui super humanum ius est, immo & immemoriali consuetudine, quæ vim priuilegij Pontificij habet, potest. num. 10. 11. & 17.*

9 *Pensionem alicui super beneficio ad vitam illius reseruationi consentientis duraturam dumtaxat reseruat Episcopus: at quæ reseruatur à Papa durat ad vitam pensionarij.*

10 *Laicis potest priuilegio Papæ competere facultas beneficia conferendi, vt pluribus concessum legitur: immo & consuetudine immemoriali, quæ vim habet priuilegij, seu priuilegio Papæ comparatur. num. 17.*

14 *Beneficia sine dote consistere nequeunt: vnde beneficia, quæ vocari solebant de pertica, nullos habentia reditus, nulliusque valoris, non sunt propriè beneficia, cùm eis non competat descriptio beneficij, quæ habet quod sit ius percipiendi aliquos reditus ecclesiasticos. num. 17. & 18.*

17 *Permutatio etsi iure communi non possit sic fieri, videlicet, vt tu resignes tuum beneficium in manibus ordinarij mihi conferendum, & ego tibi auctoritate priuata idem meum beneficium personale, consuetudine tamen immemoriali potuit hoc, sicut & priuilegio, cuius vim obtinet, præscribi.*

17 *Interrupta etsi censeatur immemorialis consuetudo, si in aliquo reperiatur quandoque mutata, hoc tamen fallit, quando eadem saltem æquipollenter & in effectu, licet non omnino formaliter, semper fuit continuata. num. 18.*

20 *Beneficium fundari non potest cum pacto, vt alter suum beneficium permutet cum isto, postquam fuerit erectum, & sibi collatum: at sub hac spe, modo cesset pactum, potest. num. 19. & 21.*

## CONSILIVM VIII.

IN Prouincia Tarraconensi reperiuntur quædam beneficia à iure communi, & ab aliis beneficiis, quæ in reliquis mundi prouinciis instituuntur, omnino discrepātia, & aliena, quæ beneficia, personatus, seu beneficia personalia vulgò appellantur, & à Concilio prouinciali Tarraconensi,[a] fuerunt approbata. Verum quia in dicto c. nulla fit mētio specialis de vsu ipsorum, sed tātùm quòd possint resignari, & permutari, operæpretiū visum est referre, qualiter ipsorum vsus se habuerit, & ad præsens se habeat.

a De institutionib. cap. 6.

Sciendum igitur est, quòd vbi verbi gratia N. clericus desiderabat obtinere beneficium Ecclesiasticum, quod B. possidebat, sub pacto expresso de dando ipsi B. vnum personale beneficium valoris annui decem ducatorum, vel vltra, illud instituebat, decreto ordinarij interueniēte, sed in institutione nullum verbum fiebat de intētione, propter quam fundabatur personatus, sed tantùm dicebatur, quod attendens quod erat melius commutare mundana cū cælestibus, N. instituebat illud personale beneficium: cuius quidem reditus à principio iam applicabātur alicui causæ piæ, & sæpenumero propter pactū expressum alicui beneficio, etiam patronatus laicorum, seu ad certam piam causam, de quo pacto nulla mentio in applicatione fiebat. Quo personali beneficio fundato ad vnam seu plures vitas, N. qui fundauerat nominabat ad illud B. clericū simpliciter, & absque eo, quòd exprimeretur, quòd nominabat in recompensam: qui quidem B. ante Concilium Tridentinum ex causa permutationis cum beneficio vulgariter dicto de pertica resignabat in fauorem N. beneficium Ecclesiasticum, quod possidebat: sed post Cõcilium Tridentinum B. simpliciter beneficium illud Ecclesiasticum resignabat in manibus ordinarij, & ordinarius illud conferebat N. quæ quidem prout fiebant non narrabantur ordinariis: sed certissimum est, quòd ordinarij, & reliqui omnes clerici, & laici sciebant hæc ita fieri, prout narrata sunt, & ita quotidie fit, & obseruatur passim.

Super quibus omnibus est in primis aduertendum, quod huiusmodi personalia beneficia seu personatus non poterant, nec possunt obtineri, nisi per clericos sæculares, vel regulares, intelligendo per regulares monachos claustrales ordinis sancti Benedicti, & canonicos regulares sancti Augustini, qui officia distincta & proprium saltem de facto habent: per horum enim professionem, & status mutationem non vacant huiusmodi personatus: non possunt tamen obtineri per regulares mendicantes, sed vacant per huiusmodi status assumptionem. Secundò, quòd per pactum expressum, fere semper qui nominat ad personatū, promittit, quod nominatus poterit nominare alium ad illud personale beneficium, & aliquādo quod secundo

nominatus

nominatus poterit tertiũ nominare, prout sibi reseruauit in fundatione institutor tres, vel quatuor vitas, per quod tempus vult, quod duret personale beneficium. Tertiò, quòd quamplures personatus ex pacto expresso applicantur alicui piæ causæ, nimirum vel pro maritandis puellis pauperibus, vel alicui monasterio, seu beneficio Ecclesiastico in augmentum redituũ eius ad voluntatem alterius, qui beneficium Ecclesiasticum dat in recompẽsam illius personalis beneficij, seu alicui alteri piæ causæ, decreto ordinarij ad hoc interueniente. Quartò, quòd numquam permutantur, nec resignãtur, nisi per simplicem nominationem, quæ fieri potest etiam aliquando in mortis articulo, quæ nominatio nullam requirit postmodum collationem, nec institutionem ordinarij, sed solùm fit coram notario, & testibus. Ex quibus posset inferri, quòd Concilium prouinciale vbi approbauit, quòd possent resignari, & permutari, intellexit, prout ipsa resignantur, vel permutantur per simplicem nominationem, non quod intellexerit, quod permutentur prout solent reliqua beneficia ecclesiastica: nam hoc esset directè contra mentem institutoris illorum: quia semper, si fundatur hoc vult, reseruat sibi, quod ad simplicem nominationem suam, vel alterius nominati, detur illud beneficiũ personale. Quinto, quod nulli personatus sunt perpetui, quia à principio applicari debẽt certæ piæ causæ post illud tempus, ad quod sunt instituti. Sextò, quòd vacant per contractum matrimonij, quia nõ possunt obtineri nisi per personas ecclesiasticas, vt habetur in [a] Concilio prouinciali. Septimò, aliquando sunt personatus annui valoris sex ducatorum, aliquando 100. 200. & etiam 400. Octauo, beneficium de pertica appellatur beneficium ecclesiasticum perpetuum nullius valoris, quod semper vacat in manib⁹ ordinarij. Nono, instituenti personatum in recompẽsam nominationis conferebatur beneficium nominati ad personatum, etiam aliquando assignato eidem nominato commodo nonnullorum redituum annualium addictorum ad aliquod beneficium perpetuum, reseruato tamẽ nominanti iure instituẽdi ex dictis reditibus quoddã personale beneficium.

a D. *ca. 6.*

Quæ omnia ea maxime de causa sunt ibi approbata, quia tendunt ad augmentum cultus diuini: nam à principio illi redditus, qui ad tempus instituũtur pro personali beneficio, applicantur alicui piæ causæ, seu beneficio Ecclesiastico, ita quod efficiũtur reditus Ecclesiastici, vel pij.

Et est maximi momenti immemorabilis cõsuetudo, de qua testimoniũ reddit Concilium prouinciale, quod confirmat huiusmodi personalia beneficia, verisimile est enim, quod illa immemorabilis cõsuetudo ita militat circa vsum personaliũ beneficiorũ, seu personatuũ, atque circa ipsa personalia beneficia, seu fundationes eorũ: & qui sint cõsuetudinis immemorabilis effect⁹, nemo est qui nesciat.

Sed pro maiori omnium elucidatione ponitur hic tenor constitutionis prouincialis, quæ habetur lib. 3. [b]

b *Tit. 5. ca. 7. de institutio.*

*Licet personatus, siue personalia beneficia ideo nuncupata sint, quòd non vt in perpetuum beneficia remanerent, sed ad vitam aliquarum personarum ecclesiasticarum dumtaxat instituerentur, & postea eorũ reditus in alios pios vsus applicarentur: & ab immemorabili tempore in hac nostra Tarraconensi prouincia erigi & institui consueuerint, cùm ea in diuini cultus augmentum tendant, & Christi fidelium pias voluntates ampliari, nõ autem restringi conueniat: institutiones eorumdem adiuuari oportere cẽsuimus. Verùm cum nonnumquam in dictorum personatuum, seu personalium beneficiorum fundatione plurimæ fraudes, & sæpe non sine simoniaca labe (quod vehementer dolemus) commissæ fuerint: vt huiusmodi fraudibus, quãtùm à nobis fieri posit, occurratur, sacri approbatione Cõcilij statuimus, vt nullus personatus, seu personale beneficium, sine auctoritate, & decreto Episcopi, seu eius Vicarij generalis erigatur, qui decretum & auctoritatem suam in fundatione interponere non possint, nisi dos assignata in censualibus, vel alijs reditibus perpetuis consistat. Ea verò dos, siue ij reditus non super bonis dotantis, vel eius qui patronus efficitur ex censuali, vel alio nouo contractu fundentur, sed sint alij veri reditus in locis tutis & firmis consistentes ab eisdem ordinarijs antea approbãdi, ita vt prius pecuniæ rectè collatæ sint, quàm decretũ interponatur, nec dos in sola pecunia numerata consistat, aut in prædijs, vel domibus inutilibus, alijsve rebus mobilibus, vel immobilibus, aut animalibus, nisi ea perpetuò fructuosa esse verisimiliter possint. Quod si permittatur in fundatione, vt in alia opera pia redtius supradicti collocentur post primæ, vel secũdæ, vel vlterioris personæ obitum, quæ beneficium obtinebit (nolumus enim vt post earumdẽ resignationem, aut aliam vacationem id fieri permittatur) in ipsa erectione, seu fundatione declarentur species piorum operum, & cùm casus euenerit, in ea pia opera illi reditus distribuantur, & vt horum omnium & singulorum nihil vmquam possit celari in libro speciali, tam personatuum erectiones, & dotationes, quàm collationes, & institutiones, necnon in libro piarum causarum, vel operum piorum ea pia opera in dictos euentus instituta describãtur. Maximam quoque curam prædicti ordinarij adhibebunt, ne quis dolus, vel fraus, aut aliqua simoniaca pactio in fundatione, aut erectione, vel in collatione, aut institutione, aut etiã in permutatione dictorum personatuum, siue personalium beneficiorum interueniat, eàque prohibere, ac punire seueritate canonicã procurent: quod non solùm in futura, sed etiam in præterita criminã iure communi prohibita locum habere declaramus.*

1 VISIS omnibus supradictis dubiis ad me transmissis, dico quod contra prædictum vsum videtur facere primò, quòd est simoniacus, argumento cap. *quam pio,* [a] & ca. fin. [b] quatenus conueniunt expresè vel tacitè instituens personatum, & habens beneficium, vt hic relinquat beneficium, quo nominetur ab illo ad personatum: & quatenus habens beneficium renunciat illud in manibus ordinarij cum pacto tacito vel expresso, vt conferat illud nominanti: & quatenus ordinarius confert illud nominanti virtute duarum præcedentium pactionum: immo quatenus nominaturus instituit personatum eo fine, vt verè, vel æquipollenter commutet illud pro beneficio nominati: & consuetudo mala & simoniaca, quæ est contra legem diuinam, est inualida, & nullius effectus. [c]

a *1. q. 2.*
b *De pact.*

2 Secundo facit prædicta constitutio prouincialis. Primo quidem, quatenus ægrè probat institutionem prædictorum personatuum: adeo quidem, quòd multis còditionibus restringit modũ, quo illa fieri debeat. Deinde, quia dixit multas fraudes solere in huiusmodi institutionibus interuenire, immo & multas simonias, quas non solum non laudat, sed reprobat. Tertiò, quia grauissimè hortatur ordinarios, vt curent, ne quis dolus, aut fraus, vel aliqua simoniaca pactio in erectione, aut fundatione, vel in collatione, aut institutione, aut permutatione dictorum personatuum interueniat. Quartò, quatenus etiam iniũgit eisdem, vt prohibeant, & seuerè puniant prædictas fraudes, & simoniacas pactiones. Quintò, quatenus iubet vt non solùm futura, sed etiam præterita circa hoc peccata puniãtur, nõ obscurè significans illa esse adeo intolerabilia, vt nullo vsu, neque consuetudine iustificari potuerint.

c *Cap. mala. & c. quæ contra mores. 8. dist. & specialius in ca. non satis. ca. sicut. 3. & ca. Iacobus. de simon.*

3 Pro vsu verò prædicto facit primò, quòd consuetudo immemorialis videtur hoc approbare, & quod illa habet vim priuilegij, [d] ita quod quicquid induci potest priuilegio, induci possit tali consuetudine, per ea quæ tradunt Panormitanus & Felinus, [e] & iterum Felinus, [f] & Decius in cons. 171. post Panormitanum, [g] & alij alibi. At priuilegio Papæ posset induci talis vsus: ergo etiam prædicta consuetudine potest ille iustificari.

Secundò facit constitutio prædicta prouincialis, qua parte approbat permutationẽ prædictorũ personatuum, & beneficiorũ personalium, quæ quia facta est à sciẽtibus prædictum vsum, videtur intelligenda de permutatione illa tacita, qua instituens personatum tacitè commutat illum cum beneficio eius, quem ad personatum nominat.

Tertiò, quòd huiusmodi personatus instituuntur & eriguntur auctoritate Episcopi, & ita dicuntur fieri religiosa, & spiritualia, argument. cap. ad hæc. de relig. domi. & ita beneficia ecclesiastica.

d *Cap. super quibusdam. §. præterea. de verb. sign. leg. hoc iure. §. ductus aquæ. ff. de aqua quot. & æsti.*
e *Nu. 4. & 5. in c. cum contingat. de foro compet. & in ca. accedẽtes. nu. 6. de præscrip.*
f *In eadẽ rubr. nu. 6. & in capit. causam quæ. eod. tit.*
g *In c. de hoc. de simo.*

4 Pro resolutione huius difficultatis, quæ profectò maxima est, dico sequentia. Primò, quòd deputatio, vinctio, seu vinculatio bonorum aliquorũ immobilium, siue mobilium, vt maneant vincta, & perueniant ad nominandum per deputationem, & nominandos per nominatum ab eo post vnã vel plures vitas, & postea cedant alicui operi pio in se, est iusta & sancta, etiã sine auctoritate Episcopi facta & prædictus personatus ante prædictam constitutionem erat talis. Tum quia quilibet potest ad suũ libitum re sua vti. [h] Tum quia in traditione suæ rei quilibet potest modũ à legibus non improbatum apponere. [i] At deputare & vincire, vt prædictũ est, aliqua bona, nulla lege naturali,

h *L. in re mã data. C. mandati. & in le. sed & si. §. cõsuluit. ff. de petit. hæred.*
i *Ca. verum. cum gloss. de condi. appos. l. in traditionib⁹. C. de pact.*

neque diuina neque humana, modo sine alterius iuris præiudicio fiat, improbatur.

5 Secundò, ex hoc sequi, quòd prædicta deputatio, siue vinctio, & vinculatio nō incipit esse iusta ob constitutionem prædictam Prouincialem, nec ob vllam consuetudinem memorialem vel immemorialem: quia sine vllo tali munimine ipsa per se erat iusta, & laudabilis. Tū per prædictam irrefragabilem rationem. Tum quia vbique gentium relinqui possunt, & frequenter relinquuntur in Regnis Castellæ & Nauarræ fideicommissa aliquorū bonorum aliquibus, ita vt post vitam eorum cedāt quibusdam aliis, & post eorum vitam cedant pauperibus, vel fabricæ alicuius Ecclesiæ: & non est dubium, quod testatores possent dare prioribus fideicommissariis facultatē nominandi secundos. Nec est dubium, quod qua ratione potest hoc facere testator in vltima voluntate, potest etiam donator facere inter viuos: quin & quotidie fit in Lusitania in cōtractibus emphyteuticis, quibus datur ab Ecclesiis emphyteusis ad tres vitas, quarum prima posit nominare secundam, & secunda tertiam, quibus finitis redit ipsa emphyteusis cum melioramentis ad Ecclesiā, vnde manarat.

6 Tertio huiusmodi deputatio, & vinctio, seu vinculatio si fiat sine Episcopi auctoritate, non est beneficiū ecclesiasticum, sed temporale quoddam bonum piis operibus sub aliqua conditione vel modo dicatum, vinctum, siue (vt vulgus ait) vinculatum, etiam si adderetur in deputatione, quod non possent nominari nisi Ecclesiasticæ personæ, nec possent teneri à coniugatis.

7 Tum quia beneficium Ecclesiasticum spirituale non potest constitui sine auctoritate Ecclesiastica, sine qua nihil potest dici sacrum, siue religiosum iure canonico, d. ca. ad hæc. de relig. domib. & beneficium est ius spirituale, [a] siue spiritualibus annexū consequenter secundū S. Thomam receptum, [b] etiam si deputator vocaret illa bona sic deputata & iniuncta personatum, vel beneficium personale, immo nec si appellaret clericatum, vel beneficium personale clericale, eo quòd non posint ad illa nominari nisi clerici, neque posint teneri nisi ab Ecclesiasticis, neque si eiusmodi deputationem appellaret institutionem: quia huiusmodi nominatio sine auctoritate Episcopi facta nihil prodest, quò verè sit spirituale beneficium, vt palam est. Tum quia multa sunt munera & stipēdia clericalia temporalia, quæ nō possunt teneri nisi à clericis, immo & multæ capellaniæ, quæ non possunt teneri nisi à sacrificis, quæ tamen non sunt beneficia spiritualia, quia non sunt perpetua, qualia sunt omnia beneficia Ecclesiastica.[c]

8 Quartò, quod huiusmodi institutio, etiam decreto & auctoritate Episcopi accedente facta, non potest dici beneficium Ecclesiasticum solo iure communi attēto. Tum quia nō est perpetuum, ita quod illud debeat teneri à nominato eius vita durante, & quod nō posit renunciari sine auctoritate Superioris, quod requiritur ad hoc, vt sit beneficium Ecclesiasticum.[d] Tū quia multa stipendia instituuntur in Ecclesijs auctoritate Episcoporū ad docendum, canendum, vel ad alia ministeria exercenda per solos clericos, quę ob hoc nō sunt beneficia, licet sint ministeria clericalia, quæ conferuntur ad tempus, & relinquuntur sine Superioris auctoritate, quę palā est nō esse beneficia.

9 Tum quod pensio, quæ super fructibus beneficiorum de more constituitur renunciantibus, vel aliis, tum ab ordinariis ad vitam illius impositioni consentientis, tum etiam à Papa ad vitam eius, cui constituitur, etiam cū clausula transferendi, non est vere beneficium ecclesiasticum, vt tenent omnes contra Andream Siculū [e] per illius contextum & per cap. *quamuis*.[f] vbi idem annotauit Dominicus receptus & late tradimus post alios in rub.[g] & certum est quod huiusmodi pensio magis approximat ad naturam beneficij spiritualis, quàm prædicti personatus, & beneficia personalia.

10 Quinto, quod si præfata cōsuetudo immemorialis, de qua testatur constitutio prouincialis, expresè determinaret, aut necessario tacitè pręsupponeret, quod pręfati personatus sint beneficia spiritualia, essent talia, quia si Papa id expresè ordinaret, vel necessariò tacitè id in sua ordinatione præsupponeret, essent beneficia spiritualia: quia cum iure humano tantùm beneficia spiritualia debeant

a Ca. dilecto. de prabend.
b 2. 2. q. 100. art. 4.
c Ca. pracepta. 55. dist. & cap. sanctorū. 70. di. & glos. recep. in ca. si gratiose. de rescrip. lib. 6.
d Ca. admonet. & capit. quod in dubiis. de renū.
e In c. ad audientiam. 2. de rescrip.
f 1. de prab. li. 6.
g De prab.

A esse perpetua, & teneri perpetuo à collatario, ita quod nō posint renunciari nisi de Superioris licentia, neque conferri nisi à Superiore Ecclesiastico, posset Papa id mutare. Tum per prædictā glossam adiuncto dicto cap. *si gratiosè*.[a] Tum quod est supra omne ius humanum.[b] Tum quod etiam laicis fecit gratiam, vt haberent ius præsentandi ad beneficia, quæ fundarent, [c] & potest concedere gratiosè contra ius commune, vt ea conferant, immo & alia quæ non fundarent, vt concesit Regi Apuliæ, iuxta glossam, [d] Regi Galliæ, [e] & aliis Regibus, iuxta aliam glossam, [f] & id quod Papa potest statuere, potest etiam induci consuetudine immemoriali, quæ habet, vt supra dictum est, vim priuilegij.

B 11 Sexto principaliter dico, quod ad dicendum quod prædicta consuetudo & præfata constitutio etsi expresè non dicant illos personatus esse beneficia spiritualia, tacitè tamē videntur præsupponere illud, facit primo, quod Concilium Prouinciale significauit consuetudinem immemorialem operatam fuisse, induxisse, vel effecisse aliquid in hoc vltra ius commune: at non videtur dari posse aliud, quòd operata fuerit, quàm hoc: nam iure communi præfati personatus, & eorum institutio in se erant licita, & iuridica quo ad alia, puta quòd essent opera valida iustè instituta, & non indigebant quo ad hoc alio munimine, quàm iure communi, vt probatum est suprà: ergo prędicta consuetudo & constitutio significant, quòd consuetudine immemoriali introductum & effectum sit, vt ij personatus essent beneficia spiritualia ad tempus aliquod

C tantùm duratura, & quæ conferri posint ab institutoribus etiam priuatis, & à collatariis, & nominatis etiam priuatis, etiam solo verbo, vel instrumento notarij, modo auctoritas Episcopi in id accederet, cui accessuræ dedit nouam formam præfata constitutio.

12 Secundo, quod constitutio & consuetudo præfatæ, quæ appellant illos personatus beneficia personalia, & quod eo dicuntur personalia, quod non sunt perpetua, sed finiuntur finitis aliquot personis Ecclesiasticis, significāt, quod hi personatus ita sunt beneficia, ac alia Ecclesiastica, nisi quòd parte hæc sunt temporalia, & alia perpetua.

D Tertiò, quòd prædicta constitutio habet præfatos personatus particulariter solere institui in prouincia Tarraconensi & quod in aliis, vbi non est talis consuetudo, nec solēt, nec possent institui. At certum est quod etiam in aliis locis per viam fideicommisi, vel capellaniæ, vel donationis certis vinculis astrictæ, possunt & solent fieri similes fundationes à testatoribus, & donatoribus, ita quod posint appellari beneficia in genere, prout beneficium definitur ab Huberto,[g] dicente, quod est beneuola actio, siue beneuolum datum gaudium tribuens accipienti: ergo in prouincia Tarraconensi specialiter habet consuetudo, vt præfati personatus dicantur & sint beneficia spiritualia ad tempus duratura.

E Quarto, quod Concilium vetat, ne posint institui, nisi auctoritate Episcopi, quā tamen supra probatum est non esse necessariam ad hoc, vt illa institutio valeat in se, sicut valeret quoddam fideicommissum, vel quoddam donatum, vel quoddam stipendium temporale, vel quædam capellania dicendi aliquas Missas: ergo sensit Episcopi auctoritatem requiri ad hoc, vt dicatur beneficium spirituale.

14 Quinto, quod Concilium appellat dotem bona, in quibus fundantur: per quod significat esse spiritualia beneficia, quæ sine dotibus consistere nequeunt, [h] & quod

F præcipit dotem constitui non in quibuscumque bonis, sed in à se nominatis: cùm tamen ad hoc quod sint beneficia, seu bona bene data non spiritualia, in quibuscumque posint constitui, vt palam est.

15 Sexto, quod Concilium præsupponit in huiusmodi personatuum institutione solere interuenire simoniam, quæ tamen non potest interuenire, nisi essent spiritualia: nō enim esset simonia alicui dare pecuniam, vt relinqueret aliquod fideicommissum, vel donaret aliquod donarium grande illi, vel illi, etiam cum onere faciendi aliqua opera pia, etiam dicendi aliquas Missas: quia nō datur aliquid temporale pro spirituali, nec contra: ergo significat hos personatus esse spiritualia beneficia, in quibus com-

a De rescr. li. 6.
b Ca. cuncta per mūdum. 9. q. 3. & ca. proposuit. de concess. prab.
c Toto tit. de iure patr.
d 16. qu. 7. in sum.
e Ca. dilect⁹, 3. de prab. ca. generale. de elect. l. 6. glos. c. imperium. dist. 10.
f In §. hinc etiam. 17. dist.
g In tit. quæ sit prima causa benefic. amitt. in vsib. feud.
h Cap. nemo. de consec dis. 1. cap. si quis obiecerit. 1. q. 3.

mitteretur

mitteretur simonia, si daretur aliqua pecunia institutori, vt cum personatus fuerit institutus, conferatur ei, vel nominetur ad illum, vt habetur in ca. *tua.*[a] vbi probatur, eum qui dat bona sua Ecclesiæ eo pacto, vt præbenda ex eis erepta præbeatur sibi, admittere simoniam. Septimo prædictum Concilium significat posse huiusmodi personatus vacare per resignationẽ, & alio modo, ita vt ad nulla opera pia obligarentur hi, qui eos postea acciperent: puta si à principio ita instituerentur, vt vnus, alter, vel tertius eos tenere posśint, nulla à principio facta specificatione alicuius operis pij, cui applicarẽtur bona post finitas personas nominatas: quo casu videtur Concilium significare, quòd posset ordinarius illos ita vacantes cõferre cui vellet, vt manerent beneficia spiritualia perpetua, & consequenter à principio erant spiritualia, cum temporale non posśit fieri spirituale, nisi spirituali auctoritate accedente, iuxta dictum cap. *ad hæc,*[b] qualis in hoc casu non accedit post vacatioẽ: quæ maxima & profunda declaratio præfatę constitutionis est. Octauo, quod prædictũ Concilium seriò præsupponit posse prædictos personatus permutari, siue commutari, quod nullius momenti esset, si non essent spiritualia beneficia, cùm palam sit tẽporaria commutari posse: & ideo vt id aliquid operetur, intelligendum est, quòd sunt beneficia spiritualia. Nonò, quòd vacant per contractum matrimonium, vt in informatione facti præsupponitur, & non vacarent, nisi essent spiritualia beneficia, c. *quod à te,*[c] quatenus habet beneficiarium in minoribus cõstitutum cõtrahendo matrimoniũ perdere quidem beneficium, sed nõ alia bona, quæ dederat Ecclesiæ. Decimo, quod non possunt nominari ad illos nisi clerici: quod est magnũ signũ præsumendi esse beneficia Ecclesiastica.

a De sim.

b De religio. domib.

c De cleric. coniug.

16 Septimo principaliter dico, quod pro cõtraria parte quod prædicti personatus nõ sint nec debeant dici beneficia spiritualia, facit primò, quod nõ sunt perpetui, qualia esse & dici debere beneficia Ecclesiastica supra probatũ est. Secundo, quod non cõferuntur à superioribus Ecclesiasticis, vt debere conferri, si essent spiritualia beneficia, supra probatum est. Tertio, quod omne beneficium spirituale est sæculare, aut regulare, iuxta notata in ca. *possessores,*[d] & prædicti personatus non videntur esse sæculares: quia si eos tenentes fiant canonici regulares non mendicantes, nõ videntur vacare, vt in informatione facti significatur: nec sunt regulares, quia conferuntur sæcularibus. ergo non sunt beneficia Ecclesiastica. Quartò, quòd non permutantur cum beneficiis Ecclesiasticis, cum tamen possent permutari, si essent talia.[e] Quintò, quòd si essent beneficia, tenerentur recitare Horas canonicas qui eos haberent: quia omnes beneficiati tenentur ad eas.[f]

d De reb. eccle. non alien. c. cum singula. de præb. li. 6.

e Ca. cũ olim. de rer. permut. & ca. 1. eod. tit. lib. 6.

f Cap. fin. 92. dist.

17 Octauò principaliter dico, quod ad hæc argumenta responderi potest. Ad primum quidem cõcedendo, quòd omnia beneficia spiritualia iure communi attento debent esse perpetua, sed quòd priuilegio Papæ fieri potest, vt aliqua sint temporaria,[g] & cõsequenter consuetudine immemoriali, quæ habet vim priuilegij, vt supra dictũ est, id induci potest, quod in nostro casu facit. Ad secundũ idem respõdetur, quod ad primum, nempe priuilegio Papę cessante conferenda esse beneficia à Superiori spirituali, per illud tamen fieri posse, vt à priuato etiam laico per supradicta conferantur. Ad tertium cõcedo quidem iure communi omnia beneficia esse regularia ad hunc effectum, vt sæcularia sæcularibus, regularia regularibus conferantur: sed priuilegio Papæ fieri posse, vt vnum & idem beneficium sit regulare, & sęculare, ad hunc effectum, quod conferri posśit tam sæculari, quàm regulari, & contra: quia illud est iure humano inductum, & ideo etiam cõsuetudine immemoriali, quæ priuilegio Papæ comparatur, vt prędictum est, tolli potest. Ad quartum concedo, quòd nõ permutẽtur cum beneficiis eo modo, quo iure communi alia beneficia permutantur, puta renunciando illa in manibus superiorum, & accipiendo eadem per nouam eorum collationem, iuxta notata in d. c. *cum olim,*[h] nego tamen, quod non permutentur modo speciali inducto per prædictam consuetudinem immemorialem, videlicet, quod habens beneficium resignet illud in manibus ordinarij, qui conferat illud habenti personatum per potestatem nominãdi ad eum, & quod ille nominet ad personatũ illum, qui resignauit beneficium, vt sibi conferretur. Nec obstat, quod non potest fieri pactũ inter duos, quo alter renunciet beneficio suo, vt alteri conferatur, & quòd alter conferat ei aliquid auctoritate sua: quamuis posset renunciari alteri beneficium in manibus Superioris, quo illud per eũ conferatur alteri, qui renunciauit suo, vt sibi conferretur: non inquam hoc obstat: quia concedimus id ita esse in permutatione beneficiorum iure cõmuni & regulari modo erectorum: sed nos loquimur de permutatione beneficij iure cõmuni & regulariter creati cum beneficio anomalo, & irregulari, & diuersæ naturæ per priuilegiũ, vel consuetudinem habentem vim priuilegij creato. Obstat autẽ grauissimè, quod ante Concilium Tridentinum permutatio fiebat cum beneficio perpetuo de pertica, & ita modo regulari erecto, non autem eo modo, quo nunc fit proximè relato: & consequenter modus hic permutandi non est inductus consuetudine prædicta immemoriali, & ita non licebit, cum sit contra ius commune.[a]

g D. c. si gratiose. iuct. glo. de rescri. li. 6.

h Et ca. cum vniuersorũ. de rer. permut. & ca. 1. eod. tit. lib. 6.

a L. quod iure. ff. de legib.

18 Sed responderi potest, quod illa beneficia de natura sua non erant verè beneficia spiritualia, quippe quibus nõ conueniebat definitio beneficij spiritualis, videlicet, *Ius percipiendi aliquos fructus, siue reditus ecclesiasticos:* quę colligũtur ex Ancharano[b] & Calderino & Felino[c] quos & alios late referimus in rub.[d] non inquã conuenit eis, cùm nullos reditus haberẽt, & nullius essent valoris, vt ponitur in facto: atque ideo sublata fuerunt per Concilium: & consequenter in effectu permutatio fiebat, sicut hodie fit: & ita cõsuetudo hęc, etsi non omnino formaliter seruata sit, tamen æquiualenter, & in effectu seruata est à tẽpore immemoriali, quod sufficit, cum de æquipollentibus idẽ iudicetur.[e] Ad quintũ concedo, eos qui tenuerunt illos personatus, teneri ad recitãdas Horas canonicas: & quamuis forte probari posśit aliquos eas non recitasse, arbitror tamen etiã probari posse, quod omnes cõmuniter recitauerunt: quia nemo potest nominari, nisi sit clericus: & communiter nominãtur, qui ratione beneficij, vel ordinis suscepti, vel mox suscipiẽdi tenentur ad recitatioẽ illarum.

b In cap. 1. de reg. iur. lib. 6.

c In ca. postulasti. de rescr.

d De præb.

e L. fin. ff. mãdat. & c. licet ex quadam. de testib.

19 Ex quibus infertur primò, prædictos personatus non solum posse institui in finem quærendi aliquod beneficiũ alterius per viam renunciationis eius ob spem habendi in recompensationem illum personatum, sed etiã & melius, & purius in finem, vt teneantur ab ipso institutore, vel à nominãdo ab eo primo loco, vel alio vlteriori. Tũ quòd, vt in facto proponitur, in institutione & creatione illorũ solùm dicitur, quod instituit illos institutor, vt mundana cum cælestibus commutet. Tum quod licet illa intentio intra solam mentem retenta non inficiat actum, vt mox dicam: purior tamen erit, si absque illa fiat: quia finis est purior & cælestior, & quo melior est finis cæteris paribus, melior est actus, ex doctrina S. Thomæ.[f]

f 1. 2. q. 7. art. fin. & qu 78. art. 4. & 7.

20 Secundo infertur, quòd licet institutio talis personatus facta intentione sola mentali quęrendi aliquod beneficium per permutationem supradicto modo speciali faciendam non reddatur simoniaca, immo nec aliàs illicita, argumento cap. *tua.*[g] & glossæ cap. *ordinationis.*[h] & clarius D. Antoninus[i] quem refero refellẽdo Panormitanum, & Decium in Manu. confess.[k] institutio tamẽ personatus facta præmisso pacto cum aliquo beneficiario, quod ille renũciabit beneficio suo, vt detur institutori personatus, & quod institutor postea nominabit eum ad personatum, est simoniaca, quia est pactio & conuentio super beneficiis nec iure cõmuni, nec speciali probata. Quod enim sit cõuentio super beneficiis spiritualibus, patet: quia tam personatus, quam aliud beneficium pro eo habendũ sunt beneficia spiritualia per sextum dictum. Quod autẽ illa conuentio non probetur iure cõmuni, palàm est: quod autem non probetur etiã iure speciali prouinciæ Tarraconensis probatur. Tum quod cõstitutio eius reprobat simoniacas fraudes & pactiones, quæ in institutionibus personatuum fiunt. Tum quod licet consuetudo immemorialis habeat, vt talis personatus institui posśit, & quod instituẽs illum posśit quærere aliud beneficium Ecclesiasticum per permutationem speciali & priuilegiato modo factã: non tamen habet, quòd posśit pacisci cũ alio beneficiario, vt renunciet ei suum beneficiũ pro personatu ab ipso fundando, vel instituendo: & ita non licet, sicut nec liceret alicui

g De simo.

h 1. q. 1.

i 2. par. tit. 1. ca. 5. §. 11.

k Capi. 23. à nu. 107.

pacisci cũ habente aliquod beneficium, quòd ipse fundabit vnum beneficium perpetuum auctoritate Episcopi tanti reditus, & quod post fundatum illud, & legitimè erectum præsentabit eum ad illud, per d.c. *tua*,[a] & per d.c. *quam pio*,[b] immo neque quod postquam fundauerit, & ei collatum fuerit, permutabit cum illo, per eadem.

21 Tertio, quod ad damnandas simoniæ conuentiones circa permutationes prædictorum personatuum cum aliis beneficiis faciendas, seruari debent regulæ, quas seruamus ad damnandas simoniachas conuentiones super permutatione aliorum beneficiorũ iure cõmuni constitutas, exceptis his, quę cõsuetudo illa immemorialis permittit, videlicet, quod personatus dabuntur renunciantibus beneficia auctoritate priuata per solam nominationem sine alia superioris auctoritate: quia de similibus idem est iudicandum.[c]

Quarto, quod narratio facti nihil obstat proximo corollario præcedenti: quia licet habeat institutorem huiusmodi personatus ea intentione solitum illum instituere, vt quæreret aliquod beneficiũ, non tamen habet eum solitũ prius pacisci cũ alio beneficiario, quòd renũciaret illi suũ beneficiũ, & in recõpensam acciperet personatũ tanti valoris, si illud nouè institueret: immo habet, quod nil tale in institutione & decreti Episcopi appositione exprimebatur: & consuetudo adeo exorbitans à iure cõmuni non est extendenda,[d] sed quatenus fieri potest ad concordiam iuris communis reducenda.[e] Et quamuis, vt prædictum est,[f] liceat beneficium spirituale perpetuum fundare ea intentione intra solam mentẽ retenta, vt post illud fundatum Episcopi auctoritate, & sibi collatũ permutaret cum beneficio alterius, non tamen liceret illud antea pacisci, per prædicta.

*Aduertendum circa prædictos personatus est, in prouincia Tarraconensi varia esse personatuũ genera, pro varietate diœcesum, & ordinariorũ suum decretum interponentium, tabellionumq́ instituitiones stipulantiũ. Quidam enim personatus nullo modo beneficia spiritualia sunt, sed piæ institutiones ab initio suo omnino temporales: alij secundum nomen tantùm personalia beneficia appellãtur, re vera tamen beneficia perpetua sunt, & eiusdem naturę cum aliis perpetuis beneficiis: alij continent in suis institutionibus, aliquas dispositiones, & conditiones à iure communi, & à cõstitutionibus prouincialibus, vsuq́ immemoriali prouinciæ Tarraconensis omnino alienas: alij conferuntur per verã collationem ab ordinario ad præsentationem instituentis, seu patroni personatus, dũ vacant per resignationem etiam ex causa permutationis cũ aliis veris beneficiis perpetuis fiendæ: alij verò ab ipsismet institutoribus, seu etiam à possidentibus, prout dictum est supra, conferuntur, dantur, seu assignantur: & alij tandem sunt alterius generis. Auctori autẽ nõ fuerunt narrata omnia genera personatuum, neque super omnibus fuit consultus, & idcirco neque eius responsio ad omnes personatus prouinciæ Tarraconensis se extendere potest, sed ad eos tantum, super quibus informatio fuit sibi exhibita.*

Et quoniam ex prædictis fundamẽtis & radicibus poterit quiuis ingeniosus elicere resolutionem dubiorum, quæ circa prędictos personatus occurrent, finem facio. Salua, &c.

## DE CENSIB. EXACTIONIB. ET PROC.

*SVMMARIVM.*

1 *Notarius potest accipere iustum salarium pro decretis & ordinationibus à visitatu, nisi sit de familia visitatoris, vel habeat illud ex publico, vel statutum seu consuetudo habeat, vt gratis hæc præstet.*

### CONSILIVM I.

AN notarius, seu cancellarius Episcopi possit quidquã accipere ab his, qui visitantur occasione decretorũ, & ordinationum in visitatione factarum?

1 Multa possunt adduci pro & cõtra in hac quæstione: nam c.1.[g] & c. *exigit*,[h] prohibent ne visitator aliquid pręter procurationem accipiat: & Conc. Trid.[i] habet quod visitatores gratis omnia faciant, & prohibet ne quidquã ipse vel sui, vt habet Conc. vel aliquis de familia sua, vt habet prędictus §. *procurationes.* pręter procurationes accipiant: & gloss.[k] habet, quod nec scriptor, nec sigillator, nec alij similes officiales.

Sed pro contraria parte facit, quod lex naturę habet.[l] *Mercenarium dignum esse mercede sua:* & quod licet delegatus Sedis Apostolicæ nihil debeat percipere à partibus, notarius tamen recipit iustum salarium,[a] & licet ordines gratis debeant dari, notario tamen soluitur pro scriptura, qua fidẽ facit de collatis ordinibus, si non habet salarium de publico, secũdum Panormitanum, communiter receptum,[b] vel nisi consuetudo laudabilis habeat, ne quidquam recipiatur, iuxta Conciliũ Tridentinum,[c] & notarij nõ solent esse de familia visitatoris, nec famuli eorum, & non tenentur seruire gratis visitatis, nec visitatoribus.[d] Quare videtur, notarium posse accipere iustũ salarium, si nõ est de familia visitatoris, nec habet salariũ ex publico, nec cõsuetudo, vel statutũ rationabile prohibet illud sibi.

*SVMMARIVM.*

1 *Intellectus cap. exigit. de censibus in 6.*

1 *Visitatoribus etsi imponatur pœna suspensionis ipso iure incurrenda, nisi duplum intra mensem restituant, attamen restituendo simplum illam euitant: immo & si postquã incurrit, simplum restituat, potest adhuc à suspensione absolui. num. 3.*

2 *Pœnam concussionis, quæ vtroque iure est quadrupli, minuit cap. exigit. de censib. lib. 6. quo ad visitatores.*

4 *Remissio & solutio quo ad satisfactionem exæquantur regulariter.*

5 *Pœna temporaria cap. exigit. de cens. de restituendo duplum, non respicit forum conscientiæ tantùm, item & debetur parti: vnde eam non potest remittere sacræ Pœnitentiariæ officium, cui conceditur, vt remittat pœnas Ecclesiasticas.*

### CONSILIVM II.

VTrum pœna statuta in cap. *exigit*,[e] renouata in Concilio Tridentino,[f] qua visitatores ipso iure suspenduntur, si non restituant intra mensem duplum eius, quod acceperunt, debeatur in foro conscientiæ, ita quod nõ sufficiat eis restituere acceptum, ad euitãdam pœnam?

1 Pro parte affirmatiua facit, quòd qui restituit tantum simplum, nõn restituit duplum, & ita non videtur adimpleta conditio, qua deficiente pœna imponitur, etiam si restituatur simplum.

Pro negatiua facit, quòd pœna illa restituendi duplum non videtur posita ipso iure plusquam pœna cõcusionis, de qua,[g] *in cap. concussionis*,[h] & pœna non debetur in foro conscientiæ, iuxta glossam receptam,[i] & Panormitanum & communem.[k]

2 Circa hoc dico sequentia. Primum, cap. illud, quatenus punit pœna dupli, potius diminuere pœnam iuris, quàm inducere pœnam: nam pœna concussionis est quadruplum, tam iure canonico, iuxta cap. *quoniam*,[l] quam Cæsareo, per l. *sancimus*,[m] transcriptam à Gratiano,[n] & præfatum cap. *exigit*, loquitur de concussionis crimine, quod committitur, quoties quis ratione officij publici capit male aliquid,[o] & imponit pœnam dupli.

Secundum, quòd præfatum cap. inducit pœnam etiam ipso iure incurrendam, quatenus suspendit ipso iure visitatorem concussorem.

3 Tertium, quòd huiusmodi visitator concussor posset absolui à peccato, restituto tantum simplo, per clementinam,[p] in illis verbis, *A qua, scilicet excommunicatione, non possint absolui, donec plenè satisfecerint de pecunia sic extorta.* per quæ clarè significatur sufficere restitutionem simpli.

Quartum, visitatorem, qui intra mensem restitueret simplum, siue tantum, quantùm accepit via concussionis, non incursum iri suspensionem: nam, *Turpius eiicitur, quam nõ admittitur hospes.*[q] vt difficilius tollitur quæsitum, quàm impediatur quærendum.[r] At absolui posset à suspensione incursa, si solueret simplum, vt mox dicam: ergo à fortiori tolleret incurrendam.

Quintum, quod à præfata suspensione incursa posset absolui, restituto simplo, argumentò præfatæ clementinæ,[s] iuxta glossam,[t] quatenus habet, officialem Inquisitionis aliquid per concussionem quærentem incurrere quidem pœnam quadrupli præter excommunicationem, sed absolui posse ab ea restituto simplo, & ita pœna non soluta. per quem textum & glossam probatur, non solùm quem posse absolui à peccato non soluta pœna, sed etiam ab excommunicatione, quam haberet annexam: quam ponderationem primum didicimus à Francisco Aretino,[v] vt diximus in Manuali confessar.[x]

a De simon.
b 1.q.2. & c. fin. de pact.
c Le. illud ff. ad l. Aquil. c. dudum. 2. de elect.
d Cap. quæ à iure. de regu. iur. lib. 6.
e Arg. e. cum dilectus. de cõsue. & c. causam quæ. de rescrip.
f Coroll. secundo.
g §. procurationes. de censib.
h Eodem tit. li. 6.
i Ca. 3. de reform. sess. 24.
k In verbo officij.
l Luce 10.

a Cap. statutum. §. notarius. de rescr. li. 6.
b In c. 1. de simon. nu. 3.
c Ca. 1. de reform. sess. 21.
d 13. q. 1. ca. 1.
e De censib. li. 6.
f Sess. 24. ca. 3. de reform.
g 1. q. 1.
h Et cap. seq.
i Ca. fraternitas. 12. q. 2.
k In cap. 1. de consuet.
l 18. dist.
m C. ad l. Iuliam repetũ.
n In c. sancimus. 1. q. 7.
o Le. 2. ff de concussion.
p 2. §. 1 de hæreti.
q Ca. quemadmodum. de iureiuran.
r Le. seruus. C. de pact.
s 2. §. 1. præcitato.
t In verbo officij.
v In l. 4. §. Cato. ff. de verb. obliga.
x Ca. 13. nu. 66.

4 Sextum, quod præfatum c. videtur esse pœnale, quatenus iubet remissionem in eius casu non æquipollere solutioni, cùm remissio & solutio exæquentur quo ad satisfactionem.[a]

5 Septimum, quòd sacra Pœnitentiaria non potest tollere illam pœnam, nec oportet illam tolli, vt ipsa sua potestate vtatur: quia nihil potest nisi quo ad forum conscientiæ tantùm, & pœna illa non pertinet ad illud.

Octauum, quod nullam pœnam temporariam, quæ in foro conscientiæ deberetur alicui parti, posset remittere præfata Pœnitentiaria. Tum quia solùm habet facultatē remittendi pœnas ecclesiasticas, vel absoluendi ab eis, vt exprimitur in facultatibus eius. Tū quia in procemio earū dicitur dari ei facultas ad pœnitentiam necessariā, & ita non videtur extendendum ad alias temporarias, præsertim pertinentes ad tertium, etiam in foro conscientiæ: quia non fit illatio à separatis & diuersis,[b] Salua, &c.

a L. si rem. §. omnis. ff. de pigno. actio. & l. 1. ff. qui satisd. cogan.

b L. Papinianus. ff. de minor. & ca. ad audientiam. de decimis.

SVMMARIVM.

*1 Clerici non tenentur iure communi suo Prælato tributum capitis soluere: ab eis tamen exigente necessitate petit caritatiuum subsidium. nu. 2.*

*2 Consuetudine immemoriali probatur præsumptiuè quilibet titulus, qui allegatur.*

*3 Consuetudo irrationalis illa solùm est, quæ iuri naturæ, vel diuino aduersatur directè vel indirectè, licet ex circumstatiis possit extra hos casus etiam aliqua talis reputari, ad effectum vt tollatur. nu. 4.*

CONSILIVM III.

1 PRo Presbyteris Neapolitanis, ne teneātur singuli singulos aureos ducatos soluere Archiep. facit tota causa 3. q. 10. quatenus,[c] statuitur, ne liceat Episc. ab Ecclesia quidquam vltra duos solidos exigere: sed quia illa capitula disponunt de Ecclesiis, & in casu proposito agitur de solis presbyteris, magis pro eis facit cap. *cauendi*,[d] quatenus habet Episcopum non debere tyrannidem in socios exercere, nec subditis esse scandalo, & quatenus proponit exemplū Apostoli, qui, vt eius prædicatio suauius audiretur, manu propria & arte viuebat. Neruosius tamen facit c. *cum Apostolus*,[e] quatenus prohibet Episcopos imponere tallias suis clericis. ex quo Pan. colligit solum Papam posse imponere clericis collectas. Sed quia hæc, & alia multa, quæ in hanc sententiam congeri possunt, solùm probant prefatos clericos non posse compelli ad soluendum hos ducatos, quorum soluendorum onus tributum capitis aptius appellatur à Iurisconsulto,[f] quā ab Imperatore capitatio,[g] non tamen probant non posse id consuetudine induci, nisi ratione aliqua necessariò cōcluderetur illud esse onus iuri naturali & diuino contrarium, quæ non erit facilis inuentu, cum vtroque illorum, & etiam canonico liceat Episcopo, quoties id exegerit necessitas, caritatiuum subsidium à suis clericis petere, iuxta finem præfati §. *prohibemus*.

2 Quare videtur distinguenda quæstio: ita quod, si intelligatur de consuetudine immemoriali, respondeatur pro Archiep. per theoriam, quæ desumitur ex c. *super quibusdam*,[h] & ex l. *hoc iure*,[i] scilicet, quod cōsuetudo immemorialis habet vim constituti, & priuilegij: & quod per illam probatur præsumptiuè quilibet titulus allegatus pro illa: & certum videtur præfato Archiep. posse competere illud ius priuilegio Papæ. quod si alleget, probauit præsumptiuè, nullis aliis literis probatis. Si autē quæstio intelligatur de alia cōsuetudine, si nō est bona fide ac legitime prescripta, respondeatur pro præfatis presbyteris, pro quibus est ius cōmune, quod non tollitur per consuetudinem, quæ legitimè non fuerit præscripta.[k]

3 Si vero bona fide ac legitimo tempore fuerit prescripta, respondendum erit pro Archiep. nisi iudicata fuerit irrationabilis, qualis tamen quæ consuetudo videatur iudicāda, difficilis quæstionis est tractatæ per Pan. Rocchū, & omnes,[l] post glos.[m] Equidem aliquando prælegendo illud c. vlt.[n] & ca. 1.[o] declarando prædictā glo. mihi persuasi, illam solam esse irrationabilem, quæq; præscribi nō possit, quę directè, vel indirectè iuri naturali, vel diuino est contratria: & quod illa, quę continet id quod solū priuilegio Papę cōcedi potest, non est illis iuribus cōtraria, cùm Papa vsque ad sanguinem teneatur illa defendere.[p]

c In c. 1. ca. illud. ca. inter.

d Eadē causa, qu. 4.

e §. 1. de censibus.

f In le. fin. de censib.

g In rubr. C. de anno. & capita.

h §. preterea. de verb. signifi.

i §. ductus aquæ. ff. de aqua quot. & æst.

k Ca. fin. cum ei adnota. de consuet.

l In d. ca. fin. de consuet.

m Cap. frustra. 8. dist. & in c. 1. de consit. li. 6. verbo rationabilia.

n De consuet.

o De constit. li. 6.

p Capit. sunt quidam. 25. q. 1.

A 4 Quamuis tot & tales circumstantiæ rerum, personarum, redituum, scandali, & aliquorum aliorum possent afferri, quod posset S. D. N. censere huiusmodi consuetudinem satis esse à iure improbatam ad hoc, vt iudicaretur irrationabilis, saltem ad effectum, vt post tempore Archiepiscopi præsentis huiusmodi cessaret exactio, nisi per viam caritatiui subsidij. Salua, &c.

SVMMARIVM.

*1 Consuetudo potest inducere obligationem præstandi aliqua aliquibus, puta Prælatis pro iucundo aduentu, Ecclesiasticisque pro administratione sacramentorum. num. 2.*

*4 Munera quæ olim fuerunt, potuerunt consuetudine transire in debita: vnde qui à muneribus abstinere iubentur, hæc vt debita possunt accipere: vt quæ Episcopis offerunt in suo iucundo aduentu, num. 1. clericis ministrantibus sacramenta, num. 2. immo & tenentur recipere, ne successoribus præiudicent. num. 3.*

B

CONSILIVM IIII.

AN liceat Archiepiscopo accipere à ciuitate sua, vel ab Ecclesiis, & monasteriis eius, aliqua munera consueta dari Archiepiscopis in primo sui aduentu, cùm primum venit ad illa?

1 Respōdeo, proculdubio posse, & debere accipere illa. Tum quia Proconsul & Præses possunt accipere aliqua munera.[a] Tum quod consuetudo non solùm dat iurisdictionem,[b] sed etiam inducit obligationem præstandi aliqua annua, iuxta textum iuncta glossa cap. *seruitium*.[c]

C

2 Tum quod consuetudo dandi aliqua Ecclesiasticis, etiam pro sacramentorum exercitio, valet, & seruanda est.[d] Tum quod multa de consuetudine debentur Regibus, & Prælatis in suo iucundo aduentu.

3 Tum quod Prælati tenentur ad conseruandum iura suis dignitatibus debita, argumento cap. *ea quæ*.[e] & glossæ,[f] & argumento cap. *sine exceptione*.[g] Non obstat illud.[h] *Non accipies munera*. & illud.[i] *Munera excæcant oculos*. quia hæc non sunt verè munera: sed quæ olim fuerunt quidem munera, per consuetudinem facta sunt iura debita, iuxta notata in l. *si certis annis*,[k] & alibi sæpe.

D

*Aduerte, ne ex iis quæ dicuntur nu 2. inferas consuetudine posse induci, vt pro sacramentorum collatione cleri à clericis aliquid possint exigere, contra Panormitanum cap. Iacobus. num. 2. de simon.*

a L. solent. ff. de offic. proconsu. & Leg.
b Ca. conquestus. 9. q. 3.
c 18. q. 2.
d Ca. ad Apostolicam. de simon.
e De off. archid.
f In c. ex literis. de pign.
g 12. q. 2.
h Exod. 23.
i Deut. 16.
k C. de pact. & in dicto c. seruitium.

SVMMARIVM.

*2 Subsidium caritatiuum peti potest ratione beneficiorum: an autem à diuitibus ordinatis ad titulum patrimonij, non est ita certum: an autem bulla Pij agens de subsidio respiciat hanc materiam, vide num. 1.*

CONSILIVM V.

E QVæritur, an in bulla S. D. N. Sixti V. caueatur, vt clerici tam beneficiati, quàm non beneficiati teneantur ad subsidium locale, & personale.

1 Respōndeo primò, quòd bulla S. D. N. Sixti V. intelligi potest de subsidio tam locali, quam personali.

Secundò, quòd iure non est definitum, quantum debeat clericus soluere pro personali subsidio: neque bulla hæc id definit, neque extrauagans, *vas electionis*. Benedicti XII. relata in ea id terminat. Tum quod tota illa agit de visitatione & procuratione propter illam præstanda vsque ad vers. *præmissis*. & in illo agit, sed parum de subsidio caritatiuo, & solùm definit, non debere illud excedere procurationem, quæ debetur pro visitatione, quam supra definit, & supra nihil definit de visitatione personali, vt palam est eam legenti.

F

2 Tertiò, quòd potest peti prædictum subsidium à personis clericorum ratione beneficiorum suorum, iuxta cap. *conquerente*,[l] & iuxta capit. *cum Apostolus*,[m] sed non definitur quantitas soluenda de beneficiis simplicibus, neque de curatis, quæ non habent Capitula, vel collegia parua vel magna.

Quartò, quòd vidēdus est Bartholomæus Bellésinus,[n] vbi determinat clericū pauperem nō teneri ad hoc subsidium, neque diuitem, si non habet beneficium, nec si fuerit ordinatus ad titulum patrimonij, quamuis contrarium possit teneri, cùm patrimonium est amplum, &c. quæ apud eum videri possunt. Salua, &c.

l De offic. ordin.
m In princip. §. prohibem⁹. de censib.
n In li. de charitatiuo subsid. qu. 15. vsque ad 31.

SVMMARIVM.

1 *Gabellam, cùm sit de regalibus principi reseruatis, non potest ciuitas Regi subiecta, nec suis subditis imponere, poterit autem, si licentiam à Rege prius, vt debet, obtineat, vel saltem illam ea imponat mente, vt nolit eam nisi illa obtenta exigere, nume. 3. subsitq́, causa, sine qua licet euitetur pœna excommunicationis bullæ Cœnæ, non tamen euitatur peccatum. nu. 2 & 5.*

3 *Intentio inferioris principe imponentis gabellam, nolentis illam exigere, nisi prius principis obtenta licentia, præseruat imponẽtes à peccato, vt & clausula illa, Saluo Sedis Apostolicæ beneplacito, quæ in pactis beneficialibus apponitur.*

4 *Consensus auctoritatem præbens præcedere debet, simplex autẽ potest sequi.*

7 *Gabellam iusta auctoritate impositam qui ab exemptis exigit, non ligatur per bullam Cœnæ Domini, si tamen exigat ab Ecclesiasticis, incidet in excommunicationem iuris, Papæ tamen non reseruatam. num. 8.*

8 *Gabellam minimam iniustè exigens ab Ecclesiasticis, tunc demũ incidit in excommunicationem & obligationem restituendi, si animo saltem virtuali per minima intendebat deuenire & deuenit ad quantitatem notabilem, vnius videlicet iulij. & numero 6.*

9 *Difficultas exigendi minutam gabellam à laicis, nisi etiam ab exemptis exigatur, non excusat sic exigentes à culpâ & pœna, sed debent modum talem reperire, vt ita à laicis eam exigant, ne exemptos sua fraudent libertate.*

## CONSILIVM VI.

Primo quæritur, an gabella possit imponi à ciuitate regia cum solo consensu regio, vt certum quid de certa mensura vini, & de certo pondere piscis salsi soluatur, exceptis Ecclesiasticis, & aduenis.

Secundò, an exigentes dictas gabellas ab Ecclesiasticis, & aduenis, inciderint in excommunicationem bullæ Cœnæ, vel in aliam excommunicationem.

Tertio, an item cum prædicta venduntur absque pondere, vel absque vlla mensura, debeat remitti personis exceptis illa parua pars gabellæ, quæ pro rata contingeret ementem?

Quarto, quid remedij sit adhibendum ad hoc, vt non fiat contra libertatem istorum exemptorum?

AD PRIMAM quæstionem respõdeo primò, quod iure communi ciuitas non potest gabellam imponere ciuibus: quia gabellam imponere est ius reseruatum principi pertinens ad regalias.[a]

Secundò, quòd non potest eam imponere, quãuis possit Regi eam imponenti consentire: quia aliud est imponere, aliud imponenti consentire: sicut aliud est vendere, & aliud vendenti consentire.[b] Vnde qui prohibetur manumittere, non prohibetur manumittenti consentire.[c]

2 Tertiò, quòd nulla gabella etiam à principe potest iustè imponi sine iusta causa: quia nec princeps, nec Rex potest quemquam etiam subditum priuare inuitum bonis suis sine culpa sua, vel iusta causa,[d] vt latè notãt omnes post Innoc.[e] & probatur per factum Nabuthæ,[f] relatum in capit. *conuenior.*[g] At qui imponit gabellam, tollit aliquid alicui eo inuito: ergo non potest illam imponere nolenti siue culpa, vel iusta causa.

3 Quartò, quòd ciuitas, quæ vult imponendo gabellã vitare peccatum, deberet prius facultatem, vel licentiam id faciendi obtinere à Rege: alioqui meritò posset dici peccatum præsumptionis, & etiam comprehensum in bulla Cœnæ, nisi imponeret animo non vtendi ea impositione, donec confirmatio Regis accederet. argumẽto eorum quæ de pacto iure humano simoniaco facto saluo beneplacito Papæ diximus in Manual. confess.[h] Nam consensus auctoritatem inducens præcedere debet, licet simplex consensus consequi posit. argumento §. *tutor,*[i] & *si quis mihi,*[k] cum eis & alibi sæpè annotatis.

Quintò, quòd ciuitas, quæ auctoritate Regis precedente, & ipsemet Rex imponerent gabellam sine iusta causa, licet peccarent imponendo illam, non tamen incĩderent in censurã bullæ Cœnæ latam contra imponẽtes, nouas gabellas: quia non fertur contra omnes imponentes, sed solùm contra imponentes, & ad id potestatem nõ habẽtes, vt patet in prædicta bulla relata à nobis in Man. conf.[l] quia & Rex habet ordinariam ad id potestatem, & ciuitas delegatam.

Sextò, quòd iustè credi potest, gabellam præfatam adeo antiquam, & tamdiu Regio consensu solutam, iusta de causa fuisse impositam, & sufficienti auctoritate munitam.[a]

6 AD SECVNDAM respondeo primò, quòd pro parte affirmante facit, quod valet argumentum de toto ad partem, saltem quando eadem ratio idem iuris in ea dictat,[b] & quod videtur prædictos exactores incursuros præfatam excommunicationem, si exigerent à clericis & aduenis emptoribus præfati piscis salsi duos carlenos pro barilo, vel vnum granum pro rotulo. Secundo, quod licet furari minimum sine intentione furandi vsque ad quantitatem notabilem, non sit peccatum mortiferum, furari tamen cum ea, est tale, iuxta cap. fin.[c] cum latius ibi per nos adnotatis, & breuius postea tactis in Manual. confessar.[d]

Pro parte verò negante facit primò, quod furari minimum sine intentione actuali, vel virtuali furandi vsque ad quantitatem notabilem, non est mortiferum, nisi illud minimum toties repetitum constituat quantitatem notabilem, secundum communem sententiam à nobis,[e] relatam.

7 Secundo, quod Caietanus,[f] quem sequuti fuimus,[g] tenuit quod exigentes gabellas à personis exemptis ab eis tunc demum incidunt in censuram præfatæ bullæ, cum exigunt gabellas à nullis debitas, & non cum exigunt gabellas debitas ab aliquibus, licet non debeantur ab exemptis: alioqui enim exigentes eas à militibus, & aliis personis exemptis, licet non essent clerici, inciderent in eam: quod non esse verum, videtur manifestissimum, vt ille ait. Et gabella præfata non est gabella simpliciter prohibita, sed tantùm prohibita exigi à clericis & aduenis.

Quibus pro vtraque parte consideratis, dici potest primò, præfatos exactores non incidisse in excommunicationem bullæ Cœnæ, eo quòd præfatam gabellam ab aduenis & clericis exegerunt, quia exactio præfatæ gabellæ non est simpliciter & in vniuersum prohibita, sed tantùm quo ad aduenas, & ecclesiasticos.

8 Secundò, quòd illi exactores, qui minutatim multis vicibus voluerunt exigere ab Ecclesiasticis vsque ad notabilem quantitatem, & de facto exegerunt vsque ad illam, inciderunt in excommunicationem cap. *quamquam,* de censib. lib. 6. per quod excommunicantur exigentes ab Ecclesiasticis gabellas indebitas ab eis, quamuis non inciderint in censuram bullæ Cœnæ, inter quas est illa magna differẽtia, quod hæc est reseruata Papæ, illa verò non.

AD TERTIAM respondetur, quod omnes illi exactores, qui exegerunt ab aduenis vel Ecclesiasticis vsque ad notabilem quantitatem, tenentur restituere: & quod notabilem quantitatem facit, erat olim dimidium iulij, vt diximus vbi supra,[h] nunc autem vnus iulius integer, per ea quę nuper ad aliud propositum monachis Carthusiensibus respondimus, & quod facienda est restitutio eisdem personis, à quibus exacta est, vel hæredibus earum, si per iustam diligentiam sciri posint, alioquin pauperibus, vel piis locis, argumento capit. cum M. iuncta glossa.[i]

9 AD QVARTAM respondeo, quod quatenus illa est facti, & non iuris, melius satisfacient ei domini consulentes, qui melius nouerunt quæ in præfata ciuitate fiunt, & fieri possunt, quam nos informando se præsertim de iis quæ prudenter & exactè seruantur in principatu Cataloniæ, & in regnis Aragoniæ, & Valentiæ. Ad eam tamen, quatenus est iuris, respondemus, quod debent inuenire talem modum, per quem exactores ita recipiant quod iustum est, quòd exempti non fraudentur libertate, qua frui debent. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Gabellas imponendi potestatem habet Princeps, qui habet regalia, qualia is habet à cuius sententia non appellatur, num. 2. quas si iniustè imponat, peccat, sed non incurrit excommunicationem bullæ. num 3.*

## CONSILIVM VII.

Interrogatus primò, an Illustres Domini de Gonzaga vigore inuestituræ licitè possint imponere noua datia in

Marginal notes:

[a] Cap. 1. quæ sunt regal. in vsib. feud.
[b] L. aliud. ff. de reg. iur.
[c] L. 2. l. si pater. ff. de manumiss. vind.
[d] Ca. sine culpa. de reg. iure. li. 6.
[e] In c. quæ in ecclesiarũ. de constit.
[f] Li. 3. Regũ. c. 21.
[g] 23. q. 8.
[h] Ca. 23. n. 1.
[i] Inst. de act. tutor.
[k] §. iussum. ff. de acquir. hæred. c. nullus. de iur. patr.
[l] Cap. 27. nu. 61.

[a] Arg. ca. super quibusdã. de verb. sign.
[b] Le. quæ de tota. ff. de rei vend. c. pastoralis. §. item si totum. de offic. deleg.
[c] 14. q. 7.
[d] Cap. 17. nu. 3. & seq.
[e] Vbi supra.
[f] In sum. ver. excomm. casu 71.
[g] In d. ca. 27. nu. 61.
[h] Nu. 3 b.
[i] De vsur.

in castris S. Martini insulæ Douariensium, & aliis in inuestitura citatis locis.

Secundo, dato quòd imposuerint, an inciderint in censuras bullæ in Cœna Domini.

1 Respondeo ad primum, quòd possunt. Tum quia expressis verbis conceditur eis potestas ea imponendi in inuestitura Federici, [a] & in inuestitura Maximiliani I. [b] Tum quia per multa verba generalia se referentia ad inuestituram Maximiliani I. id ipsum concedit Carolus V. in sua inuestitura, [c] ibi, *Necnon omnes & singulas gratias, libertates, indulta, facultates, concessiones, & alia quæcumque in supradicto priuilegio Auin. expressa & contenta.* etiã Maxim. II. id concedit in sua inuestitura, [d] ibi, *Necnon omnes & singulas gratias, libertates, indulta, facultates, concessiones, & alia quæcumque in supradictis priuilegiis expressa & contenta.* Tũ quia extra scripturam quæstionis verbo proponitur à prædictis Marchionibus non appellari ad alium Superiorem, quod etiam prædictæ inuestituræ satis significant per illa quidem Sigismundi, [e] ibi, *Quod tu, & hæredes, & successores tui legitimi Marchiones Mantuæ perpetuis in antea temporibus omni dignitate, præeminentia, nobilitate, potestate, iure, libertate, honore, & consuetudine gaudere ac frui continuo debeatis, quibus alij nostri, & Sacri Romani Imperij Principes, & nominatim Marchiones Illustres fruiti sunt hactenus, & quotidie potiuntur.*

2 Aliæ verò, quatenus omne merum & mixtum imperium, & quatenus liberam potestatem, & quatenus omnimodam iurisdictionem expressè concedunt, aliæ quatenus idem concedunt per relationem ad alias. At illi, à quibus non appellatur, habent iura regalia, & non prohibentur per bullam Cœnæ imponere noua datia, & vectigalia, vt etiam nos post alios notauimus in Manual. conf. [f] & probatur per cap. *innouamus.* ibi, *Regum, & Principum,* [g] quatenus probat, eum qui habet regalia, posse etiã noua vectigalia imponere: & per inuestituram Sigismũdi constat prædictos Marchiones habere regalia.

3 AD SECVNDVM respondeo, consequens esse eius, quod dictum est ad primum, eos non incidisse in excommunicationem bullæ Cœnæ, eo quod prędicta datia imposuerint, vt palam est, quãuis potuissent peccare secundum Alexandrum III. [h] Sed esto peccassent iniustè imponendo, non tamen incurrissent prædictam censurã, quæ contra solos non habentes ius ea imponendi fertur vt litera prædictæ bullæ habet. Salua, &c.

a Fol. 2.
b Fol. 2.
c Fol. 2.
d Fol. 3.
e Fol. 1.
f Cap. 27. nu. 61.
g De censib.
h D. ca. innouamus.

### SVMMARIVM.

1 *Gabellas nouas per bullam Cœnæ imponi prohibitas videtur imponere Superior vetans extrahi triticum non molitum.*

## CONSILIVM VIII.

AN qui dominus terræ ordinat, vt subditi sui nõ possint vendere triticum extra territorium eius integrum non molitum, contraueniat bullæ Cœnæ Domini, vetanti, ne quis noua pedagia & gabellas imponat?

1 Si ducerer affectu ingenti, quo sum in prudentem Principem, qui dignatus est iubere mihi, vt respondeam, absque vlla mora & studio responderem licere, quod in hac re desiderat sua Excellentia: quia verò affectus est lege naturali, diuina, & humana dirigendus, non audeo dicere id esse licitum. Tum quia omni iure præfato prohibetur, ne quis supergrediatur, neq; circumueniat in negotio fratrem suum, [i] & ne id qđ nostrũ est à nobis absq; nostro cõsensu auferatur per l. *id quod nostrũ*, [k] & scribunt Innocent. & omnes, [l] & negari non potest, quòd libertas exportandi triticum vendibile non molitum extra territorium sit quoddam bonum & pecunia ęstimabile subditorum suæ Excellentiæ, & consequenter, quòd absque illorum consensu non est eis auferendum. Tum quia difficile potest dici, quòd illud non vetatur in d. bulla Cœnę Domini, cum secundum receptam sententiam per verba illa, *pedagia noua & gabellas*, intelligatur etiam incrementum eorum, vt super ea nos in Manual. confess. [m] diximus, & secundum mentem illam Pontificis comprehendunt omne onus & grauamen nouum pecunia æstimabile, quale videtur onus non exportandi triticum vẽdibile sanum & integrum extra territorium, propter multa, quæ in hoc adduci possent. Quare oranda videtur sua Excellentia, & Celsitudo, ne id tentet facere, nisi de consensu eorum, quos res tangit, quò sit gratior suis subditis, & D. N. Iesu Christo, qui suam Excellentiam semper & vbique conseruet sibi gratiosam.

i 1. ad Thess. ca. 4.
k ff. de regul. iur.
l Cap. quæ in ecclesiarum. de const.
m Ca. 27. nu. 61.

### SVMMARIVM.

1 *Hospitalitas laudatur, & eam negantes Dominus arguit.*
2 *Hospitibus, quàm indigenis, carius vendere, vetitum.*
2 *Consuetudo hospitandi gratis vbi aliquando fuit.*
2 *Venditio iurium hospitandi iuri naturæ aduersatur.*
3 *Peccanti qui consentit, præsertim cooperando, peccat.*
4 *Consuetudo vendendi ius hospitandi, cum priuilegio vendendi vinum carius hospitibus, iniqua, itemque, & libera concessio hospites recipiendi omnibus facta cum onere soluendi aliquid pro qualibet mensura vini vendendi.*

## CONSILIVM IX.

AN Communitas Tiburtina solita vendere, siue locare ius hospitandi hospites certo pretio, cum priuilegio, vt posset vendere fogliettam vini vno quatrino plusquam venditur in ciuitate, posit nunc statuere, vt ius hospitandi sit liberum cuiuis, modo soluat duo scuta pro singula quaque cupa vini, quam vendiderit.

1 Attento primo, quod hospitalitas in sacris literis laudatur, adeo quod ob eam meruit Abraham habere Angelos in hospites, [a] & quod Dominus apud Matth. [b] arguit eam non exhibentes, per illa verba, *Hospes fui, & non recepistis me.* & Apostolus eius, [c] omnes Christianos hortatur, vt sint hospitales, adeo vt nollet fieri quemquam Episcopum, nisi esset hospitalis, [d] quem citat Gratianus in summa, [e] corroborando id postea per multa capp. quæ in eadem subiicit.

2 Attento item, quod Concilium relatum in cap. 1. [f] statuit, ne quidquam carius vendatur hospitibus & peregrinis, quam indigenis: Attento item, quod in multis partibus Hispaniæ ante septuaginta annos gratis hospitio suscipiebantur, & alebantur hospites, immo & nunc in hanc diem id fieri audimus in Hibernia, & Noruegia: Attento etiam, quòd rationali naturali obuiare videtur, quòd hospitantes accipiant aliquid vltra iustam mercedem ab hospitibus, quos suscipiunt, & multo magis, quod vendantur iura recipiendi hospites cum priuilegio, ne qui alij recipiant eos.

3 Attento præterea, quòd non solùm facientes, sed etiam consentientes peccato damnabuntur, [g] præsertim cum consentit cooperando, & participando de lucro, vt post Caietanum scripsimus in Manual. confess. [h] & quod peccatum est carius vendere hospitibus, quàm indigenis, vt probat capit. 1. [i] & quod vendendo ius hospitandi cum priuilegio vendendi carius vno denario fogliettam vini, vel cum onere soluendi duo scuta pro qualibet cupa vini, est consentire, daréque causam & occasionem pluris vendendi peregrinis, quàm indigenis, participando de lucro: Attento etiam, quòd in multis regionibus dant communitates aliqua priuilegia hospitantibus cum onere ipsarum sine vllo grauamine hospitum, quò benignius eos suscipiant: Attento denique, quod huiusmodi ius hospitandi non venditur in Vrbe, nec quod sciam, in vlla ciuitate, vel opido Hispaniæ, vel Galliæ.

4 Attentis inquam his omnibus, nescirem defendere prædictum antiquum morem vendendi ius hospitandi prædictæ communitatis cum priuilegio vendendi cariùs vno denario fogliettam vini: nec auderem laudare prædictum nouum modum vendendi ius hospitandi eiusdem communitatis, cum onere soluendi duo scuta pro qualibet cupa vini, etiam si nulla bulla Cœnæ id prohiberet: quoniam iure naturali, diuino, & humano antiquiore illa, videtur esse prohibitum, per superius dicta: quamuis fateat modum nouum non esse tam illaudabilem, quàm antiquum. Salua, &c.

a Genes. 19.
b Ca. 25.
c Ad Romanos 12. d 1. ad Timot. 3. & ad Titum 1.
e 42. dist.
f De empt.
g Ca. 1. ad Roman. & ca. 1. de offic. delegat.
h Ca. 17. nu. 195.
i De empt.

## DE CONSECRATIONE ECCLESIÆ, VEL ALTARIS.

### SVMMARIVM.

1 *Cœmeteria polluta iisdem casibus & modis reconcilianda, quibus Ecclesia, & si sint consecrata ad sepeliendum, vt dicitur de Ecclesia, quæ consecratur ad celebrandum, num. 3. debent ab Episcopo reconciliari, num. 2. & 3. nisi ex priuilegio hac facultas sacerdoti competat. nu. 5. at si solùm sint auctoritate*

*Episcopi ædificata, vel benedicta, tunc à sacerdote cum aqua ab ipso exorcizata poterunt reconciliari. nu 2.3.& 4.*

5 *Consuetudo non videtur sufficere sacerdotibus, vt Ecclesias, vel cœmeteria consecrata, si polluantur, reconcilient, nisi innitatur priuilegio aliquo.*

CONSILIVM I.

AN recōciliatio violati cœmeterij à simplici sacerdote fieri posit?

1 Respondeo primò, quòd cùm reconciliatio cœmeterij eisdem casibus sit facienda, quibus reconciliatio Ecclesiæ, vt dicit Gulielmus Durandus, [a] eodem etiam modo videtur facienda: quod satis significat cap. *consuluisti*, [b] ibi, *sicut in dedicationibus*. quod glossa exponit per, *reconciliationibus*.

2 Secundò, quòd Ecclesia polluta, si est consecrata, debet reconciliari per Episcopum, & non per presbyterũ, [c] si autem non est consecrata, sed solùm benedicta, seu auctoritate Episcopi in Ecclesiā consecrandā ædificata, potest fieri per presbyterum per aquam exorcizatam à semetipso, iuxta cap. fin. iuncta glossa recepta per Cardin. Panorm. & communem. [d]

3 Tertio, quod ex his duobus videtur inferri, quòd cœmeterium non solemniter consecratum, sed simpliciter auctoritate Episcopi deputatum ad sepeliēdum, sicut Ecclesia non consecrata ad celebrandum, poterit reconciliari, si polluatur, per presbyterum cum aqua per se exorcizata: quia maius quiddam & principalius est Ecclesia, quàm cœmeterium eius, vt habet cap. 1. [e] & consequenter non est necessaria reconciliatio solemnior cœmeterij, quàm Ecclesiæ.

4 Quartò, quòd cœmeterium solemniter consecratum per Episcopum, si polluatur, debet etiam reconciliari solemniter per Episcopum, aqua solemniter cũ vino & cinere per Episcopum benedicta, vt habet præfatum cap. *consuluisti*.

5 Quintò, quòd non obstat consuetudo in quæstione proposita: quia videtur ea niti priuilegio simili ei de recōciliāda Ecclesia consecrata, cuius meminit Innocētius IIII. [f] quem sequuntur Card. & Panormitanus, [g] & in effectu præfatus Gulielmus vbi supra, [h] *nisi fortè hoc ex priuilegio sibi competat speciali.*

a In rational. diuin. off. c. 6. nu. 45.
b De cōsecr. eccles. vel alt.
c Cap. aqua. de consec. eccles.
d Eod. tit.
e De consecr. eccle. vel alt. lib. 6.
f In d. cap. aqua.
g Ibidem.
h Nu. 38. ibi.

SVMMARIVM.

2 *Parochis omnia quæ sunt ordinis, exceptis iis quæ sunt ordinis episcopalis, licent, vnde quam lustralem benedicunt, ecclesiam nondum consecratam, si polluatur, aqua à se exorcizata expiant, integumenta, & alia ornamenta altarium benedicunt. nu. 3. fallit in iis quæ sunt eis interdicta specialiter, vel iure cōmuni, vt est consecratio corporalium, nu. 1. vel consuetudine, vt sunt vestes, & alia indumenta sacerdotalia, num. 3. qua cessante, mero iure possent etiam dicta indumenta benedicere. nume 2 & 3.*

CONSILIVM II.

AN vestium sacerdotalium benedictio sacerdoti simplici competat? An & integumentorum altarium?

1 Respondeo, quod hæc quæstio persunctoriè perpensa facilis videtur, seriò tamen, & cum iudicio liberata satis difficilis est. Nam frequentior opinio est pro parte negante in clem. *attendentes*, [i] vbi Cardinalis ait hoc cōmuniter teneri, & ei concordat Philippus Francus, [k] & Siluester, [l] pro quibus facit cap. *consulto*. [m] quatenus habet corporalia benedicenda esse ab Episcopo, & cap. *quāuis*, [n] quatenus multa prohibet presbyteris, & in iis altarium consecrationem.

2 Pro parte vero affirmante facit, quod omnia quę sunt ordinis, exceptis quę sunt propria ordini episcopali, & quæ sunt expressè prohibita parochis simplicibus, possūt parochi facere, [o] at communis opinio habet, quòd Abbates possunt ea benedicere, & consequenter non sunt ordinis episcopalis, nec reperitur iure aliquo speciali id eis prohibitū, exceptis corporalibus, ergo, exceptis illis, possunt alia omnia indumenta benedicere. Qua ratione hāc partem tenet Angelus. [p] Facit etiam præfatum c. *quamuis*. quatenus inter multa prohibita presbyteris nullā de benedictione sacrarum vestiū mētionē facit, licet illud cōmunis pro se satis incautè alleget. Facit & cap. *aquam*, [q] qua parte habet, omnes sacerdotes posse benedicere aquam lustralem, quæ maioris effectus videtur, quam benedictio amictus, vel cinguli, seu zonæ sacerdotalis. Facit & cap. fin. [a] quatenus habet, presbyterum posse expiare ecclesiam pollutam, si nondum est consecrata, per aquam à semetipso exorcizatam: quod maius quiddam videtur, quàm benedicere zonam, seu cingulum sacerdotale. Facit denique, quod communis opinio nullum pro se canonem, neque firmam rationem habet.

i §. statuim⁹. de statu monach.
k In c. abbates. de priuil. li. 6.
l In summa, verb. benedictio. §. 2.
m De consec. dist. 1.
n 08. dist.
o Capit. ecce. 95. dist.
p In summa, verb. benedictio. post princip.
q De consecr. dist. 3.
a De consecr. eccles.

3 Itaque nobis propius vero videtur, primum, quod solo iure scripto attento posset parochus vestes sacras, seu indumenta sacerdotis benedicere.

Secundo, quod consuetudo vniuersalis videtur contrarium induxisse: & constat eam posse legem inducere, & legem inductam abrogare. [b]

Tertio, quod consuetudo præfata religiosa potius videtur mouisse Doctores ad dicendum id esse iuris, quàm iura scripta.

Quartò, quòd consuetudinem, quæ in aliquibus terris seruaretur, dicerem iuri consonantiorem.

Quintò, quòd iure & consuetudine arbitror licere parochis integumenta altarium, & alia ornamenta, exceptis vestibus necessariis sacerdoti ad dicendam Missam, benedicere: quia sola benedictio illarum videtur ab eorum potestate consuetudine subtracta.

b Cap. fin. de consuet. l. 2. C. quæ sit lon. consuet.

## DE CELEBRATIONE MISSARVM, ET SACRAMENTO EVCHARISTIÆ & diuinis officiis.

SVMMARIVM.

1 *Die Natiuitatis Domini iure communi nemo tenetur audire tres Missas, nec sacerdos eas celebrare, num. 2. licet posit: siue dicat omnes tres post auroram, siue primam antea, & alias post: secundam autem & tertiam ante auroram dicere non potest: & satisfacit, si vnam tantum dicat, secundam inquam, vel tertiam.*

CONSILIVM I.

QVæsitum est primo, an omnis sacerdos in die Natiuitatis Domini teneatur sub præcepto celebrare tres Missas.

Secundò, qua hora illas dicere conueniat.

Tertiò, vbi sunt plures sacerdotes, an omnes debeant dicere primam vel omnes ante auroram, vel si non tenentur omnes dicere, quam, vel quas omittere possint.

Ex eis quæ latius commenti fuimus in cap. *nocte sancta*, [c] & breuius in Manu. confessar. [d] & aptius quo ad propositum in cap. 21. [e] colligi potest breuis responsio ad quæstiones supradictas.

1 AD PRIMAM quidem, quod iure tantùm communi attento, & secluso voto, iuramento, promissione, & statuto particulari, vel alia obligatione speciali, nullus sacerdos tenetur dicere tres Missas in nocte & die sancta Natiuitatis Domini. Tū quia in nulla illius parte id præcipitur, quod sensit glossa præfati cap. dum pro verbo *celebrent*, ponit verbum *celebrantur*, significando quòd verbum *celebrent*, non est verbum præceptiuum imperatiui modi, sed verbum narratiuum, & permissiuum optatiui, vel subiunctiui modi. Tum quia S. Thomas, [f] communiter receptus sentit præfatum cap. quo ad singulos Christianos continere consilium, quo ad effectum celebrandi, & audiendi celebrantem, quod nos magis expressimus. [g]

2 AD SECVNDAM, quod sacerdos illo die potest solo iure communi attēto dicere omnes tres, vnam noctu, & duas post auroram, & omnes tres post eam, & primam tantùm earum ante auroram, & alias duas solas, vel cum prima post auroram, & secūdam, & tertiam, vel vnam tantùm earum post auroram, & neutram illarum ante illam.

AD TERTIAM, quod in Ecclesia, in qua sunt plures sacerdotes, vnus solus, & omnes possunt dicere ante & post auroram primam illarum, & secundam, & tertiā post eam, & neutram ante illam, & possunt alteram illarum, quam volent omittere, vel dicere, attento, vt dixi, solo iure communi, & nihilo alio, quod minuat vel augeat facultatem à iure communi concessam, accedente. Salua, &c.

*Sed quod qui audit Missam noctis Natalis satisfaciat præcepto, notat Siluester verb. Missa 2. post num. 1. vers. dicitur secundo: vnde*

c De consecr. dist. 1.
d Ca. 25. nu. 87.
e Nu. [illegible]
f In 3. par. q. 80. art. 10. & in 4. dist. 12. q. 3. art 1.
g In d. ct. cap. 21.

*idem videtur posse dici de celebratione: licet D. Nauarrus hic vtatur illa dictione, alteram, quæ dicitur de duobus: sed quia alterum etiã potest dici de tribus, ideo posset dici D. Nauarrum non dissentire à Siluestro.*

*SVMMARIVM.*

*1 Missas duas in die celebrare licet ob necessitatem, seu vtilitatem non dicentis, sed audientis: & quæ sit sufficiens, arbitrio boni viri relinquitur. nu. 2.*

## CONSILIVM II.

AN liceat sacerdoti in magna sacerdotum penuria bis in die Missam celebrare: quia est nũc in Anglia sacerdotum inopia, vt in itinere centum milliarium vix tres Catholicos sacerdotes reperias, qui Missã celebrẽt, & sacramenta ministrent.

1 Respondeo, licere. Tum quia cap. *consuluisti*, [a] habet expresse, posse quem bis celebrare propter necessitatem: & in hoc casu occurrit illa. Tum quia ex illo cap. colligũt Cardinalis Panormitanus, & alij, quod regula de nõ dicenda Missa ab vno eodem die bis, fallit in casu necessitatis, qualis est hic. Tum quod glossa eiusdem ca. habet posse quem dicere duas Missas, causa vtilitatis non quidẽ dicentis, sed audientis, vt ibi Cardinalis egregiè adnotauit: & in casu proposito occurrit necessitas audientis, vel audientium.

2 Tum quia, quæ necessitas ad hoc sufficiat, relinquitur arbitrio viri prudentis, vt adnotauit Panormitanus ibidem, & probatur ea efficaci ratione, quòd cum aliquid indeterminatũ iure statuitur, determinatio arbitrio boni viri est facienda. [b] At quilibet vir prouidus, & bonus iudex, qui legerit & perpenderit casus, in quibus licet bis in vno die celebrare propter necessitatem, vel vtilitatẽ, quos summatim nos colligimus in Manual. confes. [c] facilè iudicabit in casu proposito iustam occurrere necessitatem, ob quam id fieri, possit denique quod Cardina. [d] expresse habet id posse fieri propter raritatẽ sacerdotũ, quæ in hoc casu maxima esse proponitur. Salua, &c.

*a De celebra. Miss.*

*b Leg. 1. ff. de iur. delib. ca. de causis. de offi. deleg.*
*c Ca. 25. nu. 87.*
*d In eod. cap. q. 3.*

*SVMMARIVM.*

*1 Missas secundum ritum & caremonias Missalis sub ipso recogniti dici cum pracipiat Pius V. sua bulla, sequitur vt etiam debeant dici orationes aßignatæ, dicendæ dum sacerdos vestibus se sacris induit, & nu. 2. illarúmque omißio esset mortalis, si ex contemptu fieret, vel etiam si omnes sine causa reputata legitima omitteret, secus si vnam aut alteram, modo cesset contemptus. nu. 4.*

*2 Presbyter sine sacris vestibus etiã metu mortis missando peccat.*

*3 Gerundium adiectiuum, vel participium paßiuum necessitatem signant.*

## CONSILIVM III.

AN orationes, quas dicunt sacerdotes, cùm vestiuntur vestibus sacris, sint præceptę?

1 Iussus respondere huic quæstioni ab eo, cuius ego responsum libentissimè audirem, & ei parerem, sub eius emunctissima censura, respondeo, pro indubitato me habere obligari presbyteros ad dicendas preces ordinatas in Missali, vt eas dicant, cũ vestiuntur sacris vestibus. Tũ quia fœl. re. Pius V. iussit, vt Missæ dicantur secũdum ritũ & cęremonias in suo Missali institutas, vt habet bulla eiusdem: & in Missali postea recognito sub rub. ritus seruandus in celebra. Missæ, habet singulas orationes pro singulis vestibus institutas esse dicendas à sacerdote, cũ se illis vestit. Tum quia consuetudo antiquissima totius Ecclesiæ saltem Latinæ seruat illud à tempore immemoriali: & constat consuetudinem rationabilem esse seruãdã, cũ deficit lex, [e] præsertim cum est immemorialis, quæ habet vim constitutionis, [f] & consequenter licet nulla esset lex, quæ presbyteros ad hoc obligaret, est tamen consuetudo notoria, quæ ad id obligat, iuxta l. *de quibus*. [g]

2 Tum quia certum est presbyteros peccare missando sine sacris vestibus: adeo quidem, vt nos scripserimus in Manual. confess. [h] sequuti Caietanum, [i] non posse licitè Missam celebrari sine vestibus sacris, etiam ob metũ iusti timoris, etiam mortis: & constat prædictas orationes esse

*e Ca. consuetudo. 1. dist. & cap. fin. de consuetud.*
*f Cap. super quibusdam. §. preterea. de verb. sign. l. hoc iure. §. ductus aquæ. ff. de aqua quot. & æst.*
*g ff. de legib. & l. 2. C quæ sit long. cõsu.*
*h Cap. 25. nu. 83.*
*i 1. 2. quæ. 96. art. 4.*

A quædam accessoria prædictis vestibus, & accessorium debere sequi naturam principalis, iuxta ca. *accessorium*, [a] cum iis quæ ibi glossa citat. Tum quia nihil cum scandalo est agendum, [b] & grande scandalum esset toti clero, quod presbyteri orationibus omissis sese induerent, & ad missandum pararent. Tum quia non obstat, quod prædictus Pius V. non posuit præfatas orationes in prima sui Missalis editione: quia etiam nihil meminit de vestibus ipsis, quæ erant principaliora precibus. Immo argumento retorqueri potest in arguentem sic, Non meminit ille piissimus Papa in prima editione Missalis, & postea addidit in eius recognitione, ergo sensit defectum fuisse notabilem, & memorandum, atque supplendum.

*a De reg. iur. li. 6.*
*b Matth. ca. 18. & c. nihil. de præscrip.*

B 3 Tum quia non obstat etiam dicere, quòd in præfata recognitione non est verbum præceptiuum: partim quia, licet non sit expressum, est tamen tacitum, dum rubrica, cui debet conuenire nigrum, habet *Ritus seruandus in celebrat. Missæ*, siue verbum *seruandus* sit gerũdium adiectiuum, quod significat necessitatem, iuxta glossam, [c] & clarius, si est participium, quia participia passiua resoluuntur regulariter in verbum *debet* adiunctum infinitiuo passiuo, ita verbum *ordo seruandus*, resoluetur in illa verba, *Ordo qui seruari debet*.

*c In rub. ff. de edendo.*

4 Maioris autem quæstionis est, an illarum omissio esset peccatum mortiferum: & quidem putarem esse tale, si C per contemptum fieret, quia etiam omissio consiliorum talis est, si fiat ex contemptu, iuxta glossam singularem & receptam, [d] immo etiam si omitterentur omnes absque contemptu scienter, deliberatè, sine causa, aduertendo se illa omittere: quia esset notabilis defectus eorum, quæ in vestiendis sacris vestibus requiruntur, qualem esse mortiferum nos probamus in Enchir. de orat. [e] non autem si eas omitteret per incogitantiam, vel obliuionem, & aliam causam, quam reputaret ad id iustam, etiam si non omnino talis esset, per ea quæ scripsimus in Manual. confess. [f] neque si vnam, vel alteram illarum omitteret scienter, & sine vlla causa, absque tamen contemptu, quia in omni materia paruitas & subreptio transgressionis legis, vel D consuetudinis excusat à mortali, per ea quæ aiunt S. Thomas & alij citati à nobis. [g] Per quæ omnia explodi possunt scrupuli omnes, qui ex antinomia præfata circa hoc cuipiam insurgerent. Salua, &c.

*d In cap. qui autẽ. 10. dist.*
*e Super cap. quando. de consecr. dist. 1. cap. 10. nu. 9.*
*f Prælu. 9. à nu. 10. præsertim nu. 16.*
*g Vbi supra nu. 11.*

*SVMMARIVM.*

*1 Missam celebrans addere clausulam,* Et Regem nostrum, *vbi adest consuetudo, &c.*

*1 Lex pro parte vsu non est recepta, non obligat, & pro lege habetur, quod legislator interrogatus responderet.*

*2 Festum Præsentationis B. Mariæ, & aliquot alia celebrari possunt in quibusdam regnis.*

E *2 Legem Superioris inferior ex magna transgredi potest, & ex ea contra canones statuere potest Episcopus.*

## CONSILIVM IIII.

VTrum in vltima oratione, quæ in Missa post communionem pro Papa dicitur, addere liceat iuxta antiquum vsum, *Regem nostrum cum prole regia, & Episcopum nostrum, &c.* non obstante bullá Pij V. in nouo Romano Missali, qua Pius V. in Missarum celebratione, decernẽdo, nihil vmquam addendum, detrahendum, aut mutandum esse præcipit, ne sacerdotes alias cæremonias, vel preces, quam quæ in dicto Missali continentur, addere, vel recitare præsumant.

F Secundo, vtrum festum Præsentationis B. Mariæ, Sancti Herminigildi, Coronæ Domini, & Angeli custodis in Archiepiscopatu Cæsaraugustano celebrari possint, iuxta declarationem, quam Don Ferdinandus ab Aragona Archiepiscopus Cæsaraugustanus fecit.

1 AD PRIMAM quæstionem respondeo affirmatiuè, quod possunt addi. Tum quia lex, quæ non est recepta, non obligat. iuxta §. *leges*. [h] & glossam solemnem in c. 1. [i] vbi latè Felinus: ad nihil quidẽ, si in nihilo recipiatur, neque ad partem, quo ad quã non est recepta, etiamsi quo ad alias omnes recipiatur, per ea quę nos tradim⁹ in Man. conf. [k] & const. præfatam legem quo ad prædictam particulam non esse receptam in Hispania. Tum quia lex, quæ

*h 4. dist.*
*i De trenga. & pace.*
*k Ca. 23. nu. 61.*

vetat

vetat fieri aliquid, non includit facientem illud per simplicitatem,& bonum finem,sine contemptu,dolo, superbia,& temeritate, iuxta doctrinam Cardinalis [a] & sacerdotes celebrantes non faciunt præfatam commemorationem per superbiam, & contemptum, sed per bonum respectum,& obseruantiam,siue pietatem, qua sunt, & debent esse in suos Reges,& ne ipsi & populus stomachentur propter omisionem tam piæ consuetudinis fundatæ in præcepto Pauli 1. [b] iubentis fieri obsecrationes pro Regibus,& ijs qui in sublimitate constituti sunt. Tum quia etiam ipso Pio viuente, & postea in hunc diem omnes Hispani seruant illam consuetudinem, & addunt illam particulam in hac ipsa Vrbe in tribus Ecclesijs, S.Iacobi, B.Mariæ de Monserrat,quæ est Aragonum,& S.Antonij, quæ est Lusitanorum:&, si rogatus fuisset ipsemet, an esset contentus, vt consuetudo illa seruaretur vniformiter ab omnibus ferè Hispanis recepta, verisimile est responsum iri quòd sic: & habendum est pro lege id, quod respondisset legislator, si fuisset interrogatus, cum legem conderet,iuxta glossam singularem & receptam. [c]

a *In clem. 1. q. 39. de priuil.*
b *Ad Timot. 2.*
c *In le. tale pactum. §. fi. ff. de pact.*

AD SECVNDAM respondeo primo,quòd in eius propositione non narratur declaratio, quam fecit Don Ferdinandus ab Aragona Archiepiscopus Cæsaraugustanus prædecessor Illustrisimi,qui de hoc dicitur dubitare, super indulgentia & concesione facta Regnis Hispaniarum, addendi aliqua festa, quæ non sunt in Breuiario & Missali Romanis, per quam declarauit celebrari posse in prædicto Archiepiscopatu festum Præsentationis B. Mariæ,S.Herminigildi, & Coronæ, & Angeli custodis, de quibus quæritur.

2 Secũdo,omisis quæ possunt adduci pro vtraque parte,videtur respondendum, quod declaratio præfata Illustrisimi Archiepiscopi absque vllo reatu seruari potest, donec S.D.N. consultus contrarium responderet. Tum quia facta fuit, antequam Sanctitas eius interpretaretur concesionem illam Pij V.de qua meminit, quam si forte vidisset,eam probasset.Tum quia innititur maxima deuotione populi Christiani sui Archipræsulatus:& ex magna causa potest iudex inferior transgredi canonem & legem superioris,vt sentit Innocentius receptus, [d] cuius dictum dilatat ibi Felinus, [e] confirmando illud per l. *si homine.* [f] & quod per illam dixit Baldus, [g] quod ex magna & euidenti causa potest Episcopus statuere cõtra ius canonicũ: per quæ omnia probatur fortiori ratione posse defendi præfatam declarationem Don Ferdinandi. Tum quia maius scandalum orietur nunc illi declarationi iam semel susceptæ contraueniendo, quàm à principio, cum sola prohibitio Pij V.id vetaret: & scandalum, qua parte potest, vitari debet. [h] Tum quia officia in prædicta declaratione expressa sunt illi regioni valde celebria,& satis pauca, cũ in varios menses sint digesta. Tum quia, etsi reliquiæ illius gloriosisimi principis Herminigildi non sint adeo nobiles in sua specie consideratæ, sunt tamen maximæ, pensata ea, qua sunt magnitudine celebratæ in illo celeberrimo cap. *Herminigildus*.24.quæst.1.Salua,&c.

d *In cap. 2. de const.*
e *à nu. 48.*
f *ff. mand.*
g *In l. omnes populi. ff. de iust. & iur.*
h *Ca. nihil cũ scandalo. de præscript.*

SVMMARIVM.

1 *Missæ diebus festis audiendæ præceptum est iuris humani, cui iusta præscriptione potest derogari. Illam item, quam Græci ritu suo præscripto dicunt, potest Catholicus audire, modo in ea non fiat, vel omittatur aliquod iuri diuino contrarium.*

2 *Horas canonicas obligatus recitare secundum aliquod Breuiarium ante 200. annos ab editione Romani editum, non potest priuata auctoritate illas dicere secundum Breuiarium Romanum, nisi prius Episcopus cum Capitulo, seu Prælatus cum conuentu communiter Romanum receperit.*

## CONSILIVM V.

AN Italus habitans in terris Græcorum in die festo Missam ritu Græcorum audire posit, an verò excusetur à præcepto Ecclesiæ audiendi sacrum, quando ritu tantùm Græcorum audire potest?

Secundo,an Breuiarium priuatum ante 200.annos habens,Romano Breuiario horas recitare valeat.

1 AD QVÆSTIONEM primam respondeo primo,illam esse maximam,& dignam Sophocleo cothurno, quali non licet in præsentia mihi vacare. Secundo, quod responsurus ad illam informandus esset prius de modo celebrandi Missas illarum terrarum, an sit contrarius ritui Catholicorum necessario iure diuino in eis celebrandis seruando,an non,licet sit contrarius in aliquo iuri canonico consuetudine antiqua abrogabili. Nam si priore modo esset contrarius,non liceret Catholico eam audire, quia iure diuino eius auditio videretur prohibita,sicut & ipsa celebratio, cum esset consensus in peccatũ iure diuino prohibitum,& ita dãnabile,iuxta illud Pauli *ad Rom.* 1. & cap.1. [a] cum ei similibus.Si autem posteriore modo esset contrarius,cessaret hæc obiectio:quia Græci non obligantur in terris suis celebrare secundum modum Catholicorum abrogabilem,si iam est abrogatus. [b] Informandus etiam esset de consuetudine,quam obseruant, vel obseruarunt præfati Catholici circa eam audiendam: quoniam si esset legitimè præscripta, posset excusare ab audienda illa,quia præceptum de audienda illa festis diebus humanum est,vt colligitur ex ca. *missas.* [c] & aliis multis locis. Informandus esset etiam de aliquibus aliis, de quibus nulla informatio datur,& ita nulla responsio certa reddi potest.

a *De officio deleg.*
b *Arg. c. fin. de consuet.*
c *De consecr. dist. 1.*

AD SECVNDAM quæstionem respondetur, videri eam duplicẽ sensum habere. Alter est,an clerico habenti aliquod Breuiarium priuatum ante ducentos annos scriptum,liceat vti nouo Romano? Ad quam in hoc sensu acceptam respondendum videtur affirmatiuè, quia Breuiarium illud priuatum,siue auctoritate priuata scriptum non excipitur à generali præcepto dicendi Horas iuxta formulam huius noui Romani.

2 Alter sensus est,an clericus habens Breuiarium publicum auctoritate publica Episcopi, vel alia legitima compositum ante ducentos annos,priusquã institueretur hoc nouum Romanum, per cuius formã obligatur dicere horas,posit dicere illas secundum formam huius noui? Et ad hanc quęstionem in hunc sensum acceptam respõdendum videtur negatiuè,quod nõ, nisi de cõmuni consensu Episcopi & Capituli susciperetur pro Breuiario,per cuius formulam omnes recitarent, argumento à contrario sensu præfatæ bullæ,quæ habet, quod obligatus ad pronunciandas horas secundum formulam breuiarij ante præfatos ducentos annos compositi posit relinquere illam, & dicere secundum hanc nouam, consentiente prælato & maiori parte prædicti Capituli,vel conuentus,significans à contrario sensu, quod non potest id facere suo solo consensu priuato: quod argumentum à contrario sensu est firmum in iure. [d]

*Pro hac 2. quæstione vide Consilium 15. & 16. & quæ ibi notatur.*

d *Le. 1. ff. de officio eius cui mand. & ca. à nobis. 2. de sententia excommunicationis, &c.*

SVMMARIVM.

1 *Defunctorum Missa, & officium vt pro me adhuc viuente dicatur, curare possum: caueat tamen sacerdos, ne orationes, in quibus enunciat aliquem mortuum, mihi applicet.*

## CONSILIVM VI.

VIVENTI an liceat facere celebrare officium, vel Missas defunctorum pro se, antequam moriatur?

1 Respondeo,quòd licet viuo procurare,vt fiant,vel dicantur Missæ,vel officium defunctorum pro se,antequam moriatur,modo caueat sacerdos; ne orationes, per quas pronunciat aliquem, vel aliquos esse mortuos, applicet illi viuo,qualis est illa,quæ incipit, *Inclina*, quæ habet illa verba, *animam famuli tui quam de hoc sæculo migrare iusisti*, & aliæ similes: quia id esset mentiri, quod numquam licet etiam in loco profano & sermonibus profanis. [e]

e *Ca. 1. & c. cum humilitatis. 22. q. 2.*

SVMMARIVM.

1 *Missa ne tecto capite dicatur, nullo iure speciali, sed solùm generali, & num. 5. speciali tamen consuetudine inhibitum videtur. nu. 6. in fin.*

2 *Missans etsi ex consuetudine amictum super humeros retorqueat, non tamen prohibetur eo in capite retento, & num. 4. & 5. & id modo cesset scandalum, nu. 5. etiam sine alia causa infirmitatis celebrare, num. 6. alio autem pileo vti tunc licebit, præsertim vsque ad consecrationem, si adsit manifesta causa alijs nota: quod si sit dubia, Episcopi, si potest commodè, obtinenda erit dispensatio. num. 6.*

3 *Amictus oratio potius respicit caput, quàm humeros.*

4 *Missa Sabbati sancti in primitiua Ecclesia sub nocte celebrabatur.*

5 *Missa vrgente necesitate dici potest in loco non sacro.*

## CONSILIVM VII.

N. SACERDOS laborat debilitate, & frigiditate capitis, adeo vt nullo pacto eo detecto stare possit. Quæritur, an celebrare possit Missam tecto capite.

1 Respondeo primò, vidisse me quinquaginta abhinc annis in diœcesi Legionensi terra Hispaniæ frigida quemdam presbyterum senem hyeme valdè frigida celebrantem Missam capite pileolo tecto, quod tunc aliquatulum me offendit. Tum quod non memineram vidisse aliquem ita celebrantem: & quod ea quæ contra mores fiunt, videntur esse vitanda.[a] Tum quia cùm tunc essem ætate iunior, arbitrabar posse illum præstare, quod ego præstabā: sed postea cùm longe senior venissem ad Vrbem, vidi quemdam facultatem habentem intra domum celebrandi celebrantem panniculo lineo supra caput ob frigiditatem & dolorem capitis superposito absque vlla dispensatione. Tum quia solis familiaribus præsentibus, & in loco priuato sine vllius scādalo id aliquot vicibus faciebat. Tum quia nullo iure id videtur specialiter prohibitum. Tum quia vidi aliquos seniores, & ęgrotos canere in choris ecclesiarum, & officium præsertim nocturnum facere capitibus ad obuiandum frigori bene tectis.

2 Secundo respondeo, videri mihi licere dicere totam Missam capite amictu sacro tecto. Tum quia totius Ecclesiæ instituto ad faciendum Missam vtimur sacro amictu, quo caput operimus: & non memini vllum canonem, quo iubeatur illum in collum retorquere, licet consuetudo generalis id habeat. Tum quia videtur nobis in primitiua Ecclesia solitos fuisse presbyteros missare capite amictu tecto. Tum quia licet aliquot, in quibus est etiam S. Thomas[b] significent amictum esse vestem superhumeralem, indutam ad significandam fortitudinem necessariam ad celebrandum diuina, quia fortitudo præcipue in humeris viget: nobis tamen aptius & rationabilius videtur esse tectorium capitis, illo irrefragabili totius Ecclesię instituto, quo iubemur dicere, quando eo amicimur, illa verba, *Impone Domine capiti meo galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursus.* in quibus illud verbum, *galea*, palam significat armaturam capitis, & expressius verbum, *capiti meo*, nulla de humeris facta mentione.

3 Omnia item alia verba, quæ significāt finem, in quem amicimur, scilicet vitatio fraudum diaboli, & superatio versutiarum eiusdem, potius respiciunt caput, quàm humeros: quia magis fiunt per prudentiam, & sapientiam, quæ habent sedem in capite, quàm per vires corporis, quę collocantur in humeris. Tum quia doctissimus ille Episcopus Miniatensis auctor Rationalis diuinorum officiorum[c] sic ait. *Ideo amictu caput operimus, ne circumquaque liberè prospiciendo illicita cogitemus.*

4 Quibus verbis videtur sentire amictum magis esse tectorium capitis, & sensuum in eo constitutorum, ne ad extranea vagentur, quàm tectorium humerorum, sine quo illi teguntur. Tum quia verisimile est, sacerdotes potius induxisse consuetudinem eum ad collum demittendi, ad leuandum se fastidio tenendi eum in capite, & velandi ferè oculos, aures, & alios sensus, quàm ad significanda alia mysteria, quæ sine aliqua violentia significare nequeunt. Tum quia non obstat dicere, quod per consuetudinem generalem liceat celebrare illo ad collum retorto: quia non sequitur ex hoc, quod non liceat celebrare illo in capite retento. Nam vt in Enchir. de oratio.[d] diximus consuetudinem quidem induxisse, vt liceat hodie Missam Sabbati sancti, quę in primitiua Ecclesia celebrabatur sub noctem longe post meridiem, celebrare sub meridiem, vel paulo ante, non tamen induxit, vt non liceat celebrare post meridiē, immo hoc videtur religiosius: sicut item adhuc tempore S. Thomæ non licebat cœnare die ieiunij, nisi peruentum esset vsque ad horam nonam, id est vsque ad 2. vel 3. post meridiē, vt colligitur ex eodem[e] & quamuis consuetudo induxerit, vt liceat cœnare in meridie vel circa, non tamen induxit, vt non liceat differre cœnam in horam nonam & tardiorem: Ita videtur, quòd etiam hodie liceret celebrare Missam tecto capite amictu, quamuis liceat per consuetudinem generalem celebrare etiam eo ad collum retorto, cessante scandalo, cum quo nihil licet.[f]

5 Tertio, quod ex hoc solo non sequitur satis licere celebrare tecto capite pileolo, vel alio amictu non sacro: quia à separatis non fit illatio.[a] Facit ad id tamen multùm, quod in primitiua Ecclesia celebraretur capite tecto amictu, & quod etiam nunc liceret id facere, si non esset audientibus scandalum. Faciunt etiam supra insinuata, nempe quod nullo iure id specialiter prohibeatur, sed generaliter tantùm, nempe, vt diuina sacramenta reuerenter tractentur, & non desinunt illa ita tractari, eo quod ex iusta causa, & necessitate vitandi frigoris, vel doloris capitis, pileolo aliquo honesto caput tegatur. Nam & necessitate grandi vrgente potest quis dicere Missam in loco non sacro,[b] quod longè magis adhorret à sacris canonibus citatis ibi per glossam quam celebrare partem Missæ tecto capite aliquo honesto pileolo.

6 Quare resoluendo respondeo primò, quòd non solum debili, vel ægroto, sed etiam sano, & forti liceat celebrare etiam hodie capite amictu sacro tecto, ad honestius, attentius, & religiosius celebrandum, cessante scandalo, quod facilè cessabit publicata causa qua id facit.

Secundo, etiam licere ex iusta causa aliis nota & manifesta celebrare, præsertim vsque ad consecrationem, capite velato aliquo velamento honesto ad resistendum frigori, vel dolori capitis instanti, etiam sine dispensatione argumento illius dicti S. Thomæ[c] quod habens iustam causam manifestam non ieiunandi licitè potest frangere ieiunium.

Tertiò, quòd minor causa sufficeret ad celebrandū capite tecto aliquo panniculo albo, quàm alio pileolo: quia propius ille ad amictum sacrum accedit, quàm hic.

Quartò, quòd si causa non esset manifestè iusta, sed dubia, & posset commodè adiri Episcopus, deberet impetrari dispensatio ab eo: quia etiam habens causam non ieiunandi dubiam, debet eiusmodi dispensationem impetrare ab Episcopo, vt ait præfatus S. Thomas receptus, & negari non potest præcepto generali de reuerenter tractandis sacramentis, & speciali consuetudine inductum esse, ne quis velato capite, alio, quàm sacro amictu celebret. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Missa pro vna sacerdos à pluribus in id non consentientibus pitantias accipiens etiam de superioris licentia non satisfacit, nisi pitantiæ sint adeo tenues, vt iustè præsumi possit dantes non intendere, vt tota Missa ipsis applicetur. num. 3.*

2 *Missam pro vno, & pro alio collectam dicens non satisfacit.*

3 *Missæ valores infiniti, sed non infinitè applicātur satisfactioni.*

## CONSILIVM VIII.

SACERDOS regularis an à pluribus pitantias pro vna Missa accipiendo peccet, & an excusetur, si de licentia seu ordine sui Superioris illas accipiat, vel si satisfaciat pro vno dicendo sacrum, pro alio in eo orando, & collectam dicendo, vel applicando partem Missæ sibi debitam pro intentione aliorum.

1 Respondeo, quòd non, vt respondimus in Manu.[d] nisi expressè, vel tacitè consentiant illi, pro quibus dicenda, vel quibus ipsa Missa est promissa, vt dicitur ibidem, & paulo ante[e] per rationes, quæ tanguntur in eisdem numeris, nec scientia, nec licentia Superioris in hoc quicquam prodest, quia non habet ipse potestatem remittendi obligationem soluendi debitum, quæ iure naturali, diuino, & humano contrahitur, iuxta cap. *si res alien.*[f] & ca. *peccatum.*[g] nec potest quis dare alteri facultatem, quam ipse non habet,[h] & ipsemet Prælatus nulla ratione habet facultatem satisfaciendi per vnam Missam duobus, quibus singulæ debentur, cùm omni iure statuatur neminem liberari ab obligatione soluendi aliquid vni, eo quòd debitum illud soluatur alteri.[i]

2 Quod autem prædictarum collectarum adiectio non sufficiat ad id, colligitur ex eo, quòd per illas collectas nō potest sacrificus tollere partē valoris Missæ debitę vni, vt applicet alteri, per ea quę diximus in d. Man.[k] Nec obstat opinio S. Thomæ[l] & Caietani & aliquorum sequacium Thomæ dicentium, quod vna Missa dicta pro pluribus tantùm prodest singulis eorum, ac si singulæ dicerentur pro singulis: quia Thomas non recipitur communiter in hoc, & vsus Ecclesiæ habet contrarium.

[a] Ca. quæ cōtra mores. 8. distin. & cap. quisquis. 41. dist.

[b] In 4. libr. sent. dist. 24. q. 3.

[c] Lib. 1. ca. 2.

[d] Cap. 3. nu. 43.

[e] 2. 2. q. 147. art. 1.

[f] Ca. nihil cū scandalo. de præscrip.

[a] L. Papin. ff. de minor.

[b] Cap. sicuti. de consecrat. dist. 1.

[c] 2. 2. q. 147. art. 4.

[d] Ca. 25. nu. 111.

[e] In eod. cap. nu. 92.

[f] 14. q. 6.

[g] De reg. iuris lib. 6.

[h] Cap. quod autem. de iure patron.

[i] Ca. ea quæ. de iureiuran.

[k] Nu. 92.

[l] 3. par. q. 76. art. 5.

3 Tum quia licet Christus in Missa oblatus sit, & valores eius sint illimitati & infiniti, non tamen infinitè & illimitatè applicantur satisfactioni, sed limitatè, vt in dicto Manu. tangitur. Quod autem nec paruitas pitantiæ in id prodesse posit,[a] etiam monstratur, nisi tanta esset paruitas, vt iustè præsumi posset, quod is qui dat pitantiam, non dat illam, vt tota vna Missa ei applicetur, sed tantum aliqua pars eius, quæ sacrifico videbitur.

a Eod. num.

SVMMARIVM.

1 *Missæ suffragium mortuis applicari potest intentione, memoria in canone, item per collectas, sed plenius per applicationem totius Missæ de requiem.*
2 *Missa pro pluribus dicta, singulis nō ita prodest, ac dicta pro vno.*
3 *Suffragandi defunctis modus aptior per collectas, quàm per solam intentionis applicationem, vel memoriam in memento.*
4 *Suffragium pinguius erit, si intentione ante Missam, memoria in canone, & in collectis, mortuis suffragemur, quàm vno tantùm vel duobus modis.*
5 *Missæ & collectæ de defunctis sunt aptiores illis, quàm de viuis.*
6 *Commemoratio de mortuis non vetatur fieri in Missa priuata de festo: immo in die festo potest dici Missa de defunctis.*
6 *Specialis precatio pro mortuis fit in omni Missa quamlibet solemni.*
6 *Collegiata in Ecclesia duæ Missæ quotidie collegialiter dicendæ, vna de defunctis, altera de tempore vel festo.*
7 *Missam peculiarem non esse in solemnibus festis dicendam, vt intelligitur.*
7 *Auditione cuiuslibet Missæ, etiam priuatæ, etiam peculiaris, satisfit præcepto de sacro audiendo.*
8 *Missam de S. Maria quotidie dici, per statutum potest ordinari, modo id onus vni soli non imponatur.*
9 *Prælati facultate diminuendi obligationes iam inductas dicendi Missas sibi data parcè vtantur, & non sine iusta causa.*
10 *Missas diminuentes imponant eas dicturis, vt iuuent mortuos intentione ante Missam applicando eius valorem, & in Missæ canone, & per collectas, & quod hæc fieri possint virtualiter.*
10 *Collecta de defunctis potest dici etiam in festis solemnibus.*

## CONSILIVM IX.

Ex CONCILII Tridentini præscripto[b] tributa est facultas Episcopis, vt in Synodo diœcesana circa Missarum reductionem statuere possint, quidquid ipsi expedire censuerint: ita tamen, vt eorum defunctorum semper commemoratio fiat.

b In c. 4. sess. 25. de refor.

Dubitatur, an commemorationi prædictæ satisfieri posit sola intentione, Missarum applicatione, aut sola, ac simplici commemoratione in *memento*. aut potius certis collectis, & quibus, & si pro defunctis, quid faciendum festis diebus, quibus collecta defunctorum ex rubricarum regulis haud fit.

1 Respondeo primò quæstionē hanc circunspectissimè propositam videri, quatenus triplicem modum applicandi mortuis Missarum suffragia præsupponit, scilicet per intentionem animi, & per memoriam, quæ fit in decima parte canonis Missæ, quæ incipit, *Memento etiam*, &c. & per collectas expressas in ipsa Missa, vt colligitur ex cap. *cum grauia*. & cap. *non æstimemus*. & cap. *animæ*. & aliis multis[c] adiuncto cap. *visum*.[d] & nihilominus maior & melior esset per totam ipsam Missam de defunctis, vt probat Panormitanus.[e]

c 13. q. 2.
d Et c. de nominibus. de consecra. dist. 1. c. cum creatura. de celebr. Miss.
e In cons. 99. vol. 2. nu. 4.

2 Secundò, quòd piè, certè, ac verissimè præsupponit vnam Missam dictam pro pluribus non prodesse singulis eorum tantùm, quantùm prodesset vni eorum, si pro eo singulariter diceretur, vt post alios dicimus etiam nos in Manu. confe.[f] quidquid Ludouicus Romanus male consuluerit,[g] & aliquot alij, quos non expedit referre, non rectè intelligentes D. Hieronymum.[h]

f Cap. 25. nu. 103.
g Consil. 339.
h In cap. non mediocriter. de consecrat. dist. 5.

3 Tertiò, quòd prædictorum trium modorum suffragandi per Missas optimus videtur esse per collectas, cæteris paribus: quia triplex bonum, cæteris paribus, melius & maius est vno.[i] At suffragatio per collectas includit alias duas, aliæ verò non illam: qui enim debito modo per collectam suffragatur, intendit applicare suffragium defunctis, pro quibus pronunciat collectam, & facit memoriam eorum, & præterea precatur pro eis verbis appositis, & ab Ecclesia consuetis.

i Capit. 1. de treu. & pace. auth. itaque. C. communi. de success.

4 Quartò, quod cęteris paribus pinguius suffragium esset suffragari primum intentione ante Missam, & memoria debitè habita in prædicta decima parte canonis & in tribus collectis, quæ de more adduntur, eadem ratione: quia hæc trina applicatio continet applicationem collectarum, & multiplicat intentionem, & memoriam debitam: per intentionem enim habitam ante Missam, & memoriam debitè habitam in secundo *memento*. non tollitur, neque excusatur intentio, & memoria actualis, vel virtualis, quæ habendæ sunt à pronunciante rectè collectas prædictas.

5 Quinto, quod cæteris paribus collectæ Missarum de defunctis sunt in hoc aptiores, & fructuosiores, quam collectæ Missarum de viuis. Tum quod specialia præferuntur generalibus.[a] Vnde & quod singulariter promittitur, magis obligare dicitur,[b] & quod specialis prouisio melior est generali,[c] & per collectas Missæ defunctorum singulariter, specialiter, expressè, ac directè oratur pro illis, per collectas autem aliarum Missarum non ita. Tum quia, vt supradictum est post Panormitanum,[d] Missa pro defunctis cæteris paribus magis prodest defunctis, quàm Missa de sanctis, vel feria. ergo etiam collecta Missæ de defunctis magis proderit, quàm collecta Missæ de viuis: quia quod iuris est de toto ad totū, idē est de parte ad partē.[e]

a Ca. generi. de reg. iur. li. 6. & le. in toto. ff. eod.
b Ca. quamquam. 23. dis.
c Cap. si aduersus. de hæret.
d In d. cons. 99.
e Le. quæ de tota. ff. de rei vendicat. & ca. pastoralis. §. item sito ium. de off. deleg.

6 Sexto, quod nullo iure vetatur fieri commemoratio de defunctis in Missa de festo saltem priuata, immo expressè permittitur, & interdum præcipitur. Tum quia in qualibet Missa quamlibet solemni debet fieri, & semper fit precatio specialis pro mortuis.[f] Tum quia iure communi in Ecclesiis collegiatis quolibet die sunt dicendæ duæ Missę, altera de defunctis, altera de festo, vel feria occurrente, iuxta ca. *cum creatura*.[g] quod Panormitanus clarius aliis sic summat. *In ecclesiis collegiatis debent celebrari duæ Missæ collegialiter, vna pro defunctis, & alia secundum exigentiam diei, vt pro festo, si festum occurrat, vel pro feria, si feria.* & Archidiaconus,[h] reprehendit eos qui dicunt in Missa de Dominica non esse orandum pro defunctis, & Panormitanus eleganter & eruditè consulit,[i] dicendas fuisse quolibet die etiam festo 30. Missas de defunctis, quas quidam testator ordinauit dicendas pro anima sua.

f D. c. visum. de consecrat. dist. 1. & cap. seq.
g De celebr. miss.
h In d. ca. visum.
i In d. cons. 99.

7 Septimo, non obstat prædictis ca. *& hoc attendendum*.[k] quod videtur probare, non esse faciendas Missas peculiares in festis solemnibus: & constat bonam partem Missarum de defunctis esse peculiarem: non inquam hoc obstat. Tum quia non loquitur specialiter de Missis, de defunctis, sed generaliter de peculiaribus, quales sunt omnes priuatæ, siue sint Missæ de defunctis, siue de viuis, & constat licere diebus quamlibet solemnibus dicere peculiares de viuis, vt videmus in tota Christiana Ecclesia seruari. Tum quia solùm probat peculiares non ita esse faciendas, vt impediant accessum ad solemnem Missam, quod non fit magis per Missas peculiares de defunctis, quàm per peculiares de viuis, immo minus: quandoquidem multò plures omittunt audire solemnem publicam propter auditionem Missarum priuatarū, & peculiarium de viuis, quàm propter auditionem peculiarium de defunctis. Tum quia illi cap. fere vbique derogari cœptum fuit, posteaquam communiter cœpit opinari non teneri nos de præcepto ad audiēdum Missā de die, & minus publicam die festo, quod maximè in Vrbe receptū videmus.

k De consec. dist. 1.

8 Octauo quod non obstat etiam cap. *significauit*.[l] quatenus probat, non valere statutum, vt habens certum beneficium teneatur dicere quotidie Missam de sancta Maria, quia non probat non licere quotidie dicere officium de sancta Maria, sed per nullam ordinationem quemquā cogi posse ad dicendam quotidie Missam de illa, vel aliquam aliam de alio festo, vel de alio officio, quod est longè diuersum. vnde licet ordinari non posit, vt vnus & idem sacerdos dicat quotidie eamdem Missam eiusdem officij, potest tamen ordinari, vt Missa vnius & eiusdem officij quolibet die dicatur ab vno, vel pluribus, qui reperiuntur ad id idonei & dispositi, vt pulchrè Panormitanus cui nemo contradicit[m] respondit.

l De preben.
m In d. cons. 99.

9 Nono, quod Prælati, quibus data est facultas moderandi obligationes iam inductas ad dicendas Missas in quibusdam Ecclesijs, & monasterijs, diligenter debent, & cum timore lædendi suas conscientias, vt ait ipsummet

Concilium,

Concilium quod hanc facultatem dedit, prędictam reductionem, & diminutionem Missarum facere. Tum quia agitur de mutanda, vel de diminuenda voluntate & dispositione, quam dominus rei habet in ea, iuxta l. *in re mandata.* [a] quæ est contra ius illud naturale, id quod nostrum est sine facto nostro ad aliū transferri non potest. [b] Tum quia commutatio vltimarum voluntatum defunctorum ob magnam rei difficultatem soli principi non recognoscenti superiorem conceditur, [c] & in relictis vel donatis ad pias causas soli Papæ, [d] idque iusta causa interueniente secundum Innocentium, Panormitanum, & communem, [e] quæ definit esse contra ius naturale contentum sub septimo præcepto Decalogi, ne quis sua re priuetur, & consequenter, ne cuiuspiam dispositio iusta de re sua facta impediatur, tollatur, minuatur, vel mutetur ab alio: quia illud effectu est alium re sua, vel iure disponendi de illa priuare. Tum quia multi prælati, & multa Capitula, & conuentus facilè se obligant ad dicendas Missas, & alia diuina officia, cùm auaritia, cum cognatione, amicitia, & precibus, & facilius postea pœnitet eos oneris suscepti, & desiderant & procurant se illo exonerare, vel diminuere, sine tamen acceptorum restitutione, cum magno relinquentiū, vel donantium scandalo, quod est vitandū. [f]

10 Decimo, quod ex his sequitur, prædictos Prælatos, quibus facta est noua hæc facultas contra canones antiquos, iustè posse ac debere onerare illos, qui dicturi sunt Missas diminutas, & in numerum minorem redactas, vt animas defunctorum iuuent tripliciter applicādo eis valorem eius intentione ante Missam, memoria in Missæ *memento*, & speciali collecta conuenienti. Tum quia hoc sine iactura temporis & alterius operis fieri potest. Tum quia resectio illarum Missarum debet fieri quàm conuenientissimo modo potest. Tū quia sanctè addi potest collecta de defunctis etiam in festis solemnibus, vt prædictū est: quamuis etiam permitti possit, vt in maximè solemnibus omittatur, ad gloriam eorum referendo illam omissionem, & gloriam in præfatorum defunctorum opem & auxilium. Prudentiæ tamen fuerit, eo animo hanc triplicem applicationem iniungere, vt Missaturus satisfaciat per intentionem & memoriam virtualem, quando per inaduertentiam, vel obliuionem interdum expressè illam non faceret, argumento eorum, quæ nos de proposito actuali, vel virtuali attendendi ad preces horarias & alia diuina officia post alios diximus in Enchirid. de orat. [g]

a C. mandati. l. sed et si. §. consuluit. ff. de petitione hæred.
b L. e. id quod. ff. de regu. iuris.
c L. 1. & l. legatum. ff. de administ. rerum ad ciuitat pertine.
d Clem. quia contingit. de religio. domibus.
e Cap. quæ in ecclesiarū. de constitutio.
f Matt. 18. & cap. nihil. de præscriptio.
g Ca. 3. à nu. 17.

## SVMMARIVM.

1 *Missarum reductioni faciendæ nec multùm prodest, nec obest, quòd eleemosyna pro eis dicendis sit magna, vel parua.*

1 *Eleemosyna, quæ offertur à petente fieri sacrum, non datur vt illius pretium, sed sponte & liberaliter offertur.*

1 *Potestas concessa à Pontificibus Generali alicuius religionis dispensandi, vt multitudini Missarum, quas visitando reperiet à monasterijs receptas, possit minori numero, cum aliqua alicuius boni operis adiunctione satisfieri, competit nedum illi qui erat Generalis die datæ potestatis, sed etiā successoribus: item & extenditur ad Missas, quæ post dictam diem, antequam fiat visitatio, successiuè reperientur acceptæ: & nō potest dicta potestate vti quo ad Missas post visitationem à monasterijs recipiendas, num. 2. nisi potestas prædicta Missarum multitudini sic satisfaciendi expressè ad successiuè recipiendas extenderetur, nu. 3. immo nec tunc, cùm quamdam deceptionem petentiū Missas cōtineat, potest saltē sine peccato veniali exerceri, nisi magna id faciēdi subsit causa. n. 3. & 6.*

3 *Missarum multarum dicendarum onus ab offerentibus eleemosynas suscipere cum intentione dictæ obligationi ex facultate antea concessa aliter satisfaciendi, indecens valde videtur: immo nec sine peccato saltem veniali id potest fieri, nisi ex magna causa. nu 6.*

4 *Delegabilis minus videtur potestas faciendi, quàm dandi, item & illius facti, quod æquè bene non potest per quemuis explicari, quodve respicit publicam vtilitatem, requiritve magnā animi constantiam, vel respicit principaliter concessionem non iurisdictionis, sed arbitrij, auctoritatis, motúsve animi, qui per alium concedi non potest.*

4 *Dispensandi potestas secundum glos. & multos alios non potest subdelegari.*

5 *Causa cognita, cū quid faciendū est, debent omnia authēticè geri, ita vt possit probari cognitionē illā adhibitā, etiā si sint religiosi.*

## CONSILIVM X.

AD SEPTEM quęstiones fratrū Minorū super quadā bulla Iulij II. & alia Leonis X. per quas fit facultas Generali eorū ordinis, vt possit dispensare super multitudine Missarū, ad quas monasteria eorū sunt obligata.

1 AD PRIMAM quidem respondeo, quòd nō solùm Generali, qui tunc fuit, sed etiam alijs, qui ei successerunt, & posthac succedent, est data præfata facultas: quia id satis innuit bulla Iulij, & clarè exprimit bulla Leonis. Nec videtur quo ad propositū referre, an eleemosyna, quæ data fuit, vel dabitur secundū consuetudinē patrię, sit parua, vel magna, & maior, vel minor. Tum quia non datur, nec dabitur pro pretio eius, & sponte ac liberaliter offertur, iuxta ea quę post alios nos diximus in Man. nostro cōfess. [a]

2 AD SECVNDAM, quòd potest dispensare non solum super Missis receptis tempore Generaliū, qui præerant tempore datarum bullarum prędictarum, sed etiam pro postea receptis ante suam visitationem, & tempus, in quo petitur dispensatio: sed non potest facere facultatem recipiendi Missas, seu eleemosynas ad dicendas eas, ita quod fratres suscipientes eas possint satisfacere sine dispensatione subsecuta.

3 Tū quia dispensatio, & absolutio peccati non debent dari antequā fiat, ne videatur dari occasio nimis propinqua peccandi, contra cap. *ex parte.* [b] Tum quia non decet fratres, dolo, & fraude, ac deceptione rogantium Missas, accipere onus dicendi eas cum proposito illud tollendi. Tum quia Leo X. licet faciat facultatem recipiendi Missas cum facultate redimendi onus eis impositū modo posito in sua bulla in Alemania, & Boemia, nō tamen facit illam omnibus monasterijs ordinis: licet Generalibus faciat facultatem dispensandi super eis, quas inuenerint receptas: per quam diuersitatem videtur sentire id, quod dicimus. Tum quia negari non potest, valde indecens esse viris adeo perfectis accipere dolosè Missas onustas cum proposito tollendi onera, nescientibus id ijs, qui rogarunt illas: saltem sine causa iusta, quæ fortè inueniebatur in Alemania, & Boemia propter paruitatē eleemosynæ, quæ dabatur pro eis dicendis. Tum quia negari non potest propinquiorē causam peccandi dari concedendo, vel dispensando pro Missis committēdis, & accipiēdis, quā pro iam acceptis. & hanc partem cōsulerem, licet vtraque pars de rigore iuris posset defendi per ea, quæ adduxi in com. indulg. [c] & tetigi in Manu. confess. [d] super illo dubio solemni, an concessio indulgentiæ, vel potestas dispensandi super voto, & alijs huiusmodi, includat ea, quę post illā contingunt: vbi tamen tenui partē affirmatiuā, eo quòd licet per ea detur occasio aliqua peccandi, nō tamen adeo propinqua, nec adeo indecens, ac daretur in casu præsenti.

AD TERTIAM respondetur, quòd illa continet duas. Altera est, an præfatus Generalis possit etiam extra tempus visitationis dispensationem præfatam facere? & huic respondetur, quòd hoc innuit bulla Iulij, & satis clare exprimit bulla Leonis.

4 Altera est, an præfatus Generalis possit dispēsare per alium, delegando ipsi potestatem suam? & respōdetur æquius videri quòd non. Tū quia est potestas de faciendo, & non de dando, inter quæ est differentia. [e] Tum quia est factum, quod communiter non potest fieri æquè benè per quamlibet. Tum quia in vtraque loquitur de solo Generali. Tum quòd potestas hæc est magna, & videtur requirere constantiam magnam, & concernit vtilitatem publicam animarum. Tum quia concessio huius potestatis non est principaliter cōcessio tam iurisdictionis, quàm cuiusdam arbitrij, & auctoritatis, & motus animi, qui nō potest per alium concedi, iuxta glossam [f] & ex simili potestate tutoris, curatoris, & arbitratoris, quæ non exercetur per alium, vt ait Bartholus in l. *cum magistratus.* per illū textum & alia. [g] Tū per ea quæ colligi possunt ex Innocentio Panormitano & Felino [h] & per Cardinalem [i] & Rotē [k] tenuit potestatem dispensandi non possè subdelegari: per quæ omnia pars hæc videtur verior, quamuis etiam pro contraria facit principium præfati cap. vlt. & primi notabilis Cardinalis, [l] & alia multa, quibus videtur responderi posse per superius insinuata.

a Ca. 23. nu. 102. & 106.
b De consue.
c Super §. in Leuit de pœnit. dist. 1. not. 34. nu. 4.
d Ca. 12. nu. 80.
e Leg. 1. §. ne autem. C. de cod. toll.
f In le. sicuti. ff. de arb.
g C. quand. prouoc. nō est necess.
h In ca. fin. §. is autem. & §. cæterum. de off. deleg.
i Ibidem q. 9.
k Decis. vlt. de officio vicary in antiquis.
l ibidem.

5 AD QVARTAM, scilicet quomodo & quando fieri debeat huiusmodi dispensatio, respondetur, quòd debet probari primò præfatas Missas fuisse receptas cum onere dicendi eas propter necessitatem fabricæ, & fratrum. Secundò, cognoscere quàm grandis sit multitudo earum,& iubere,vt celebrentur eę,quę commodè posint celebrari,& super alijs dispensare. Tertiò, quòd omnia hæc fiant authenticè coram secretario,vel notario monasterij, coram quo solent fieri acta publica, & cum oportuerit, fiat fides de cognitione præmissa de contentis in bullis, & quod Generalis communicet, & applicet ijs, qui Missas instituerunt,omnia bona, quæ fient in ordine, vsque ad quantitatem, quæ attingat valorem, quem haberent ipsæ Missæ, si singulariter & integrè dicerentur pro eis,vel ad intentionem eorum.

AD QVINTAM respondetur, quòd dicendæ sunt omnes collectæ, quæ iubentur dici per præfatos Romanos Pontifices,quia seruanda est forma commissionis.[a]

AD SEXTAM respondetur, quòd non potest Generalis facere id per Vicarium,per responsum ad tertiam.

6 AD VLTIMAM satis responsum est in responsione ad secundam, scilicet quod sine magna causa non debent fratres recipere, & minus quærere præfatas Missas sine magna causa necessitatis fabricæ, vel fratrum, cum proposito decipiendi eos,qui eas rogarent,vel rogati darent. Tum quia fraus & dolus sunt peccata saltem venialia, iuxta l. 1.[b] & tradit S. Thomas.[c] Tum quia fraus & dolus nemini debent prodesse,[d] quamuis propter magnam causam id citra culpam fieri posse videtur asserere finis bullæ Leonis,vt tactum est in responsione ad secundã,scilicet propter vrgentem necessitatẽ,iuxta glossam.[e]

a Ca.prudentiam. de officio deleg. & ca.Pisanis.de rest.spoliator.

b ff.de dolo. c 2.2.quæ.55. art.4.

d Capi. sedes Apostolica. de rescrip. le. itaque fullo. ff.de furtis.

e In ca. sicut. de consecrat. dist.1.

SVMMARIVM.

1 *Missa vna votiua non satisfacit pluribus, qui data eleemosyna rogant vt ad eorum intentionem sacrum faciam, nisi adsit eorum tacitus consensus, qui tamen numquam accedere solet:nec ob paucitatem sacerdotum, nec ob caritatem annonæ,vt id liceat,petendum est.num.3.*

2 *Missarum numerus in fundationibus appositus vt minuatur, causam præstat diminutio redituum, & augmentum pretij rerum ad victum necessariarum,prout secundum diuersitatem temporum pinguiores,vel minus pingues assignabuntur dotes.num.3.*

## CONSILIVM XI.

IN QVADAM Ecclesia, vbi sunt sacerdotes beneficiarij,restrictus est numerus beneficiariorum, & diminuti sunt etiam reditus, & victus & vestitus pluris constant nunc, quàm antea. Quæritur quid iuris tam circa Missas,quas de nouo suscipiunt dicendas, quàm circa obligationem antiquam,qua ex fundatione suorum beneficiorum tenentur facere sacra.

1 Videtur primò causas prædictas nõ esse iustas,ad hoc, vt Missæ votiuæ, quas petunt deuotæ personæ, vt ad intentionem suam dicantur singulæ pro singulis pitantiis, ita diminuantur,vt per vnam satisfiat illis, qui petierunt tacitè vel expresè singulas pro singulis pitantiis,nisi consensus eorum,quibus illæ promittuntur,accederet, quod rarò vel numquam accidere solet: in quod confirmandum multa induci possunt, quæ doctissimus, idemque piissimus consulens perpendere potest.

Secundo videtur prædictas causas esse iustas ad diminuendum Missas quotidianas,ad quas prefati beneficiarij ex fundatione beneficiorum suorum tenentur:quod facile confirmari potest ex iis, quæ leguntur & notantur in cap.*cum accessissent.*& cap.ex parte.de const.

2 Tertio videtur prædictas causas esse iustas ad diminuendas aliquot Missas fundatas in aliquot capellis, presertim illis temporibus,quibus longè paucioribus pecuniis viuebatur, quàm nunc, & ita longè minoris dotabantur capellæ, quàm nunc, quando maiore pecunia victus & vestitus emuntur.

3 Quàrtò,videtur hæc consequi,non esse petendum, vt personis deuotis petentibus singulas Missas pro suis singulis pitantiis satisfiat per pauciores absque suo consensu:& quod maior diminutio debet peti circa Missas quotidianas olim in fundatione iniunctas, quàm circa alias postea in capellis fundatas, & minor circa fundatas à pauco tempore, quàm circa fundatas ante plurimos annos,præsertim certum.

SVMMARIVM.

1 *Horas priuatim potest quis quouis,vel partim vno, partim altero idiomate ex causa recitare.*

2 *Officium paruum Beatæ Mariæ, quod in choro recitari iubetur, non obligatur recitare canonicus, qui choro interesse non tenetur.*

## CONSILIVM XII.

QVÆRITVR primò, an liceat ei,qui callet plures linguas, dicere priuatim suas horas canonicas idiomate,quod sibi magis arriserit, & partim earum vno, & partim altero.

1 Respondeo,quòd sic, modò id faciat sine contemptu, & aliquo bono respectu,per ea quæ adduco in Enchir.de oratione.[a]

QVÆRITVR secundo, an canonicus, qui non interest choro, teneatur extra illum recitare officium B. Virginis.

2 Respondeo negatiuè, scilicet quòd canonicus, cùm non tenetur interesse choro, non tenetur ad officium paruum B.Mariæ,quod iubetur dici in eo à canonicis, nõ tamen iubetur dici à recitantibus extra chorum: de quo etiam in prædicto Enchirid.memini. Salua,&c.

a Cap.13.nu. 7.

SVMMARIVM.

1 *Canonici horas extra chorum recitantes non satisfaciunt, nisi adsit causa excusans.nu.4.*

1 *Obligatus ad aliquid certo loco faciendum, extra illum faciens non satisfacit.& seq.*

2 *Canonici tenentur collegialiter in choro psallere, & recitare.*

3 *Obligatio ad quid aliqua qualitate qualificatum faciendum, sine ea non soluitur.*

## CONSILIVM XIII.

AN CANONICIS Ecclesiarum præsertim cathedralium, qui nolunt adire choros suarum Ecclesiarum ad canendas,psallendas, vel pronunciandas collegialiter in eis horas canonicas horis ad id statutis, peccent mortaliter,& non sint absoluendi?

1 Respondeo primò, quod peccant mortiferè secundum legem regularem,nisi habeant aliquam causam specialem iustã,quæ à culpa mortali eos excuset. Quod probatur primum ea firma ratione,quòd qui tenetur de præcepto facere aliquid in aliquo loco, vel erga aliquod genus personarum,si non facit illud in eo,vel erga illas personas,non satisfacit suæ obligationi, etiam si faciat illud in alio loco,vel erga alias personas,vt probat cap.*nos quidem.*& cap.Ioannes.[b] & l.*si quis ad declinandam.*[c] & per notata in eis;& per glosã.celebrẽ[d] & Stephanũ Aufredũ.[e]

2 At canonici omnes iure communi & regulari tenentur canere,psallere,& pronunciare collegialiter cum aliis in choro ex mente sacrorum canonum, quæ colligitur ex cap.1.[f] & melius ex cap.*dolentes.*[g] & magis exprimunt statuta Ecclesiæ Gallicanæ,[h] & Concilium Coloniense[i] & exprimitur in Concilio Tridẽtino.[k] Ergo transgrediuntur legem præceptiuam,si eas non dicũt in choro, etiamsi alibi dicant. Secundo probatur etiam ea quoque firma ratione,quòd omnes, qui tenentur ad orandum aliquo genere precum in horis statutis,& designatis,peccant, si absque causa desinunt id in eis facere,vt nos efficaciter probamus. Tum per Concilium Viennense clementina 1.[l] in illis verbis,*debitis horis.* Tum per alios canones,& per alias rationes,quæ ibi possunt videri in Enchir.de orat.[m] Ergo simili & pari ratione peccãt,qui eas in locis debitis,& cõsequenter in choro non dicũt, licet eas alibi pronũcient.

3 Tertiò, quòd qui tenetur ad faciendum aliquid qualitate aliqua qualificatum, non satisfacit suæ obligationi faciendo illud simpliciter sine illa qualitate, iuxta cap. *ab eo.*[n] quatenus probat,eum qui obijcit electo aliquem manifestum defectum,non satisfacere probando illum inesse illi, nisi probet id esse manifestum. & qui accusat alium percusionis factæ cum sanguinis effusione, non vincet probando percussionem,nisi probet etiam effusionis sanguinis qualitatem, secundum Panormitanum communiter receptum in capit. *licet causa.*[o] cuius contextus etiam probat, eum qui tenetur ad probandum testes corruptos falsa dixisse,non satisfacere probando eos falsa dixisse,nisi

b De testam. c C. de episc. & cler.& le. quæ conditio. §. cum ita.ff. de condit. & demonstr.

d In ca.si pater. in verb. pauperibus. de test. lib.6.

e In decis.capellæ Tolosanæ,q.128.

f De celebr. miss.

g In ver.choro.eodem tit. & in Clem. 1.ver.chorũ. eodem tit.

h In rub. & nigro,tit. quo tempore quisque debet esse in choro.& titu. qualiter horæ dicendæ sint extra chorum.

i Tit. de metrop.eccles.c. 5.

k In decr. de refor.sess.24. ca.12.

l De celebra. Miss.

m Cap.3.nu. 22.

n De elect.li. 6.

o De probationibus.

corruptio

corruptionem quoque ac subornationem probet; quod etiam per alia confirmat Felinus. [a]

4 Secundo respondeo, quod præfata lex generalis fallit in aliquot casibus de more aliarum regularum, & legum humanarum, quarum nulla est, quę aliquam exceptionem non patiatur, excepta illa, quę habet, Episcopum non posse suo Episcopatui renunciare, nisi de summi & maximi Pontificis consensu, vt ait Innocentius III. [b] & ita canonicus infirmus, captus, & violenter detentus, & aliquot alij excusantur à canendis & pronunciandis horis in choro. [c] Salua, &c.

a Ibidē à nu. 40.

b Ca. licet. de regular.

b Ca. 1. de cleric. non resid. li. 6. cap. cum dilectus. & c. ad nostram. eodem tit. in antiquis.

SVMMARIVM.

*1 Cæcus, qui horas dicere non valet, nulla ad hoc eget dispensatione.*

## CONSILIVM XIV.

QVIDAM clericus, qui à duobus annis Missam cantauit, excæcatus fuit ob nimiam sanguinis emissionem: hucusque dixit officium in antiquo Breuiario, partim adiutus ab alio, partim memoria tenens: nunc iubetur dicere nouum officium, quod nescit mente, & caret adiutorio. supplicauit Papæ Gregorio XIII. pro remedio.

1 Responsum fuit, quòd si potest, dicat nouum officium, si non potest, excusatus est etiam sine Papæ dispensatione. pro qua resolutione faciunt ea, quæ scripsimus in Enchir. de orat. [d]

d Super cap. quando. de cōsecr. dist. 1. ca. 11. nu. 14.

SVMMARIVM.

*1 Horas extra chorum ex Breuiario Romano potest collegiatæ clericus recitare, etiam si in choro recitentur secundum Breuiarium vltra 200. annos receptum.*

*1 Chorus quidem non potest, omisso Breuiario ante 200. annos admisso, vti Breuiario nouo Romano, nisi accedat consensus Episcopi, seu Prælati, & Capituli: at dictus consensus non est necessarius ijs qui volunt eo extra chorum vti.*

## CONSILIVM XV.

QVIDAM Abbas ordinis Cisterciensis, in cuius monasterio nondum est acceptum Breuiarium nouum Pij V. recitauit, & recitat suas Horas canonicas extra chorum iuxta formam præfati Breuiarij.

Quæritur, an satisfaciat præcepto Ecclesię de dicendis horis canonicis.

1 Pro parte negante facit primò, quòd forma recitandi horas canonicas ordinis Cisterciensis non est sublata per Pium V. vt patet ex bulla eius præfato Breuiario præposita, præsupposito, quòd illa fuit ante 200. annos inducta, & præfata bulla significat, quòd ad hoc vt liceat dicere officium hoc nouum in Ecclesia cathedrali, in qua iam inde à 200. annis aliud dicitur, requiritur consensus Episcopi, & Capituli: ergo eadem ratione requiritur consensus Abbatis, & conuentus, ad hoc, vt liceat in illa Ecclesia dicere hoc officium nouum.

Pro parte autem affirmante facit præfata bulla, quatenus in ea præcipitur, vt omnes tam regulares, quàm seculares vtantur hoc officio nouo, exceptis his, qui astringuntur antiquo modo ante 200. annos recepto. Et quod non obstat exceptio præfata Abbati, quia non præcipit bulla, vt astricti antiquo modo seruent illum antiquum modum, sed quod non teneantur seruare nouum modum, si noluerint, immo facit facultatem seruandi nouum, si voluerint, etiam in choro, si Prælatus & Capitulum voluerint: ita quod consensus Episcopi & Capituli non requiritur ad seruandum nouum extra chorum, sed solùm ad seruandum in choro. qui sensus & intelligendi modus videtur irrefragabiliter colligi ex bulla, quatenus reseruat officia ante 200. annos instituta, per hæc verba ibi, *Inueteratum illud officium non adimimus: sic hoc nostrum, si magis placeat, dummodo Episcopus & vniuersum Capitulum in eo consentiant, vt id in choro dicere, & psallere possint, permittimus.* aut enim ex verbo illo, *in choro*, colligitur quiddam absurdum, vel debet subintelligi verbum *etiam* ante illud: &, si subintelligatur verbum *etiam*, sonat quod diximus. Quod autem absurdum sequatur, nisi illud subintelligatur, ex eo patet, quod illa clausula sonaret posse quidē hoc officium nouum dici in choro ecclesiæ, cui reseruatur antiquum de consensu Episcopi & Capituli, non autem extra chorum, quod manifestè absurdum esset: cùm si liceret dicere illud in choro interueniente tali consensu, à fortiori liceret extra illum interueniente eodem: & ita, ne hoc absurdum sequatur, necessariò est ita intelligenda illa clausula, vt significet officium hoc nouum non posse dici in choro, nisi de consensu Episcopi & Capituli, extra verò illum sic: & theorica iuris habet cessare argumentum à contrario sensu, cùm ex eo sequitur absurdum, seu contrarium iuri, per Felinum qui refert alios [a] Confirmatur, eo quòd præfata bulla obligat primum omnes ad dicendum nouum, & ab hac obligatione excipit habentes antiquum 200. annorū, & ab hac exceptione excipit eosdem quo ad chorum, quando Episcopus & Capitulum consentiunt, & non excipit dicentes extra chorum, etiam cum possunt dicere intra chorum cum consensu Episcopi & Capituli, quod est absurdum: aut fatendum posse dicere extra chorum, per regulam generalem, qua conceditur omnibus facultas dicendi hoc officium sine consensu illo Episcopi & Capituli. argumento eorum, quæ notantur de regulis, & de exceptione regularum per Felinum & citatos ab eo, [b] & Decium & citatos ab eo. [c] Salua, &c.

a In c. significasti. num. 10. & seq. de foro compet.

b Cap. quam frequēter. vt lite non contest.

c In rub. ff. de regu. iur.

*Aduertendum, Nauarrum hoc loco videri recedere ab opinione negatiua, cui videtur adhærere supra hoc eodem titulo consilio 5. ad 2. quæst. & quod refertur sacram Congregationem etiam adhæsisse negatiuæ. vide etiam consilium sequens.*

SVMMARIVM.

*1 Breuiario nouo extra chorum vti non posse clericum illius ecclesiæ, in cuius choro vetus licite adhuc retinetur, tutius & pientius videtur, licet etiam contrarium possit teneri.*

## CONSILIVM XVI.

AN QVI non tenentur Breuiario Romano nouo vti, possint, si velint, vti eo extra chorum.

Quæstio hæc longè maior est, quam apparet, mihi autem videtur vtraque pars eius probabilis?

1 Pro cuius parte affirmante facit, quòd Pius in sua bulla non vetat eis vsum eius, sed solum permittit vsum antiquum: & quòd permittit eis vti nouo, si voluerint, & Episcopus & Capitulum consenserint: & quod permittit præfatum vsum nouum in choro, & nihil de vsu extra chorū dicit: & certum videtur, quod si eis liceret in choro, liceret extra chorum, & non alia ratione, quàm quia non vetuit vlli vti nouo extra chorum: quod generaliter præcepit omnibus vti nouo, & permittit veteri in choro.

Pro parte verò negante facit, quod non videtur voluisse diuersitatem ponere in his, qui sunt vnius ordinis, & habitus, & Capituli: & si eis, quibus permittitur vti veteri Breuiario in choro, liceret vti nouo extra chorum, poneretur magna diuersitas; & difformitas: quia alij dicerent extra chorum per nouum, & alij per vetus, contra cap. *in nona actione.* [d] & clementinā 1. [e] & quod indecens videtur in eodem monasterio vsus diuersorum Breuiariorum: & videtur quòd diminueretur concordia & deuotio, & augeretur discordia & dissensio. Itaque ego consulerem partem negatiuam tamquam pientiorem, sed non damnarem vtentem parte affirmatiua. & ad vtriusque partis argumenta facile respondere posset is, cui otium & valetudo suppeterent. Salua, &c.

*Vide supra Consil. XV.*

d 16. q. 7.

e De electio.

SVMMARIVM.

*1 Horas recitare non tenetur, qui adhuc ius in re in beneficio non habet: vnde is, cui debet conferri beneficium, etiam si sententias pro se obtinuerit, & beneficium sit sub sequestro, immo & is cui fuit collatum, si adhuc collationi consensum non præbuit, non tenetur ad Horas, num. 2. at qui habet ius in re, etiam si non habeat possessionem, num. 3. sitque litigiosum, tenetur: quia sufficit quod in casu victoriæ poterit fructus habere. num. 1.*

## CONSILIVM XVII.

N. PETIIT ab ordinario, vt priuaret B. beneficio, quod possidebat, ob aliquot causas priuandi iustas, & postea proposito edicto citatorio eorum, qui poterant prętendere ius ad illud, cōferret illud ei, tamquā digniori. qui ordinarius priuauit eū, & posuit edictum citatoriū, & præfatus N. inuentus fuit dignior, & pridie quā illud conferret N. iudex appellationis inhibuit ordinario, ne vltra

procede

procederet, & ita non processit, & iudex appellationis confirmauit sententiam ordinarij, & condemnauit appellantem in impensis, à qua sententia appellauit B. Romam. Quæritur an præfatus N. obligetur ad pronunciãdas horas canonicas.

1 Pro parte affirmante huius quæstionis facit primò, quod beneficiarius, qui non pronunciat eas post sex mẽses ab habito beneficio, perdit fructus eius per §. *statuimus*,[a] & per extrauag. Pij V. *ex proximo*. relatam à nobis in Enchir. de oratio.[b] & in Man. conf.[c]

Secundo, quod non excusatur ab eis pronunciandis, eo quod nondum est adeptus possessionẽ, neque eo quod litigat super illo ab alio possesso, vt nos probamus in dicto Enchir.[d] quia sufficit quod poterit in casu victoriæ eos percipere, vt ibidem traditur.

2 Pro parte verò negante contraria & vera facit primò irrefragabile illud fundamentũ, scilicet, quod nemo beneficiarius tenetur recitare Horas canonicas ratione beneficij, donec illud obtinuerit: iura enim omnia quę imponunt onus dicendi eas, loquuntur de beneficiario habente ius in re quæsitum in eo, vt videre est per allegata in d. Enchir.[e] & præfatus N. nondum habet ius quæsitũ in prædicto beneficio, quia nondum sibi est collatum.

Secundò, quòd nemo tenetur ob expectatiuã, de qua in clementina 2.[f] vel aliam similem ad recitandas Horas. argumento eorum quæ in d. clem. notantur, neque vllus vmquam dixit teneri quem ad hoc onus, propterea quod sit præsentatus, vel nominatus ad aliquod beneficiũ, nec propterea quod sit electus, si nondum est confirmatus, iuxta notata in cap. *transmissam*.[g] adeo quidem, quòd neq; prouisus, neque is cui collatio est facta tenetur ad illud, nisi consenserit prouisioni sibi factæ: quia vsque ad illum præstitum non est suum beneficium, vt habet ca. *si tibi absenti*.[h] per quod hoc in specie diximus vbi supra.[i]

3 Quæ conclusio procedit etiam in eo, qui obtinuit vnam, vel duas sententias, quibus declaratum est beneficiũ vacare, & esse debitum obtinenti eas, etiamsi iudex processerit ad ponendum sequestrum super fructibus eius in fauorem obtinentis eas. Tum quia propter huiusmodi sequestrum non quæritur ius in beneficio. vnde, si moreretur antequam ei conferretur, non conseretur vacare per mortem illius, sed eo modo quo ante vacabat. Tum quia eadẽ ratio cõcludit hãc ampliationem, quæ cõcludit cõclusionẽ, scilicet quod nondum est ius quæsitum in re, plusquam per præsentationem, vel nominationem, vel etiam collationem absenti factam, vel præsenti, qui nondum consensit, ita quod nihil fructuum sequestratorum ei deberetur, si ante collationem, institutionem, & confirmationẽ moreretur: quæ omnia sunt memoranda. Per quæ responsum est ad opposita, quæ procedunt, quando est quæsitum ius ad beneficium, licet nõdum adepta fuerit possessio.

SVMMARIVM.

*1 Horas non recitans beneficiarius fructus pro rata restituere tenetur, non quidẽ Ecclesię pręcise, sed satisfacit alteri operi pio, vel, si est pauper, sibi tamquam pauperi erogando.*

## CONSILIVM XVIII.

AN beneficiarius, qui omisit recitationem Horarum per aliquod tẽpus, teneatur restituere fructus perceptos, & cui?

Respondeo primò, certum esse quod D. consulens tenetur restituere fructus perceptos pro rata temporum & officiorum, in quibus recitare omisit, per extrauag. Pij V. quam edidit postquam nos venimus Romam, quamque nos transcripsimus ad verbum in Enchir. de orat.[k] *quamque* declaramus ibidem, & numeris sequentibus.

1 Secundo, quod non tenetur restituere ipsimet Ecclesiæ, cuius est beneficium, sed satisfaciet restituendo pauperibus, & aliis operibus piis, immo etiam restituendo sibimet, si est pauper, tamquam vni ex pauperibus, accipiẽdo ea in eleemosynam, sicut pauper Christi, per rationẽ efficacem, quæ videri potest vbi supra,[l] per quam additionẽ consolatos fuisse nõnullos ibidẽ referimus: & quod etiã potest se cõponere cũ Camera Papę, sed quod prior modus restituendi videtur nobis futurus gratior Christo, qui nos omnes saluet. Amen.

a Sess. 9. Cõc. Lateranen. postremi.
b Cap. 7. nu. 32.
c Cap. 25. nu. 112.
d Vbi supra nu. 28.
e Cap. 7.
f De rescrip.
g Et c. nihil. de elect.
h De preben. li. 6.
i Ca. 7. num. 29.
k Cap. 7. nu. 31.
l Nu. 34.

A B C D E F

SVMMARIVM.

*1 Horas non recitans beneficiarius pro primis sex mensibus peccat pro reliquo tempore tenetur etiam restituere fructus, quos propria auctoritate debet Ecclesiæ, vel pauperibus etiam propinquis non habentibus necessaria ad decentiam viuendi, vel filias maritandi, immo si sit pauper, sibimet saltem de consilio Episcopi, vel confessarij, omnes vel partem erogare.*

## CONSILIVM XIX.

DE beneficiario, qui omisit recitationem Horarum canonicarum aliquot annis, cõdemnatus, cuius auctoritate, & cui restituere debeat.

1 Respondeo primò, ad huius quæstionis claram & integram resolutionem legenda esse illa, quæ nos clarius & vtilius, quàm alij pręcessores nostri, scripsimus in Enchir. de orat.[a] vbi referuntur ad verbum iura noua, quę induxerunt perditionem præfatam ipso iure incurrẽdam per omissionem Horarum canonicarum, cum additionibus non contemnendis.

Secundo, ex illis colligitur, quòd præfatus Dominus consulens non eget auctoritate Papæ, vel Episcopi ad faciendam restitutionem præfatam fructuum amissorum: quia ipse potest auctoritate propria id facere: & verbum *condemnatus* in quæstione positum intelligo ipse de condemnatione iuris, quod ipsum ipso iure sine alia sententia imponenda condemnat ad eam.

Tertiò, quòd nihil tenetur restituere de fructibus intra primos sex menses receptis, licet grauiter peccasset omittẽdo horas in eis, vt præfata extrau. Pij V. declarat.

Quarto, quod D. cõsulens adeo fortè est pauper, quod saltem cõsilio Episcopi, vel cõfessarij posset illos. vel partem eorum sibi applicare, tamquã vni de pauperibus, vt ipse vbi supra probo. Quare conueniens, & Deo gratius forè arbitror, vt D. consulens, ostensis Episcopo illis, quæ vbi supra scribo, aliquam partem fructuum restituendorum de consilio eius accipiat sibi, tãquam vni pauperum ad leuandam inopiam, & partem det, vel promittat aliquibus cognatis fœminis pauperibus in dotem, & aliquã Ecclesiæ, in qua est situm beneficium: & omnes eleemosynas, quas posthac facturus est, deputet in hanc restitutionem pro exoneratione, qua tenetur illam facere: quãdoquidem extrauag. prędicta, & §. *statuimus*,[b] obligat eũ ad restituendũ Ecclesię, vel pauperibus. & per pauperes intelligo ego, vt ibi dixi satis, & latius in tract. de reditib.[c] non solùm mendicantes, sed etiam alios, qui non habent ad se decenter sustentandum, & collocandum se, vel filios, vel filias suas in honesto matrimonio. Salua, &c.

SVMMARIVM.

*1 Fructus, quos ob Horas non recitatas suos non fecit beneficiarius, qui non est canonicus, restituat ipsi Ecclesiæ, vel pauperibus, nisi se cum Camera Apostolica componat: si sit canonicus, distributiones restituat illis canonicis, qui horis interfuerunt illius diei, in quo ipse non recitauit, quo ad grossam, & alias obuentiones, similiter restituat iis, quibus beneficio vacante acquisitæ fuissent. nu. 2. & 3.*

*3 Canonicus in canonicatu non habet propriè successorem, vnde quæ vacationis tempore obueniunt, diuiduntur inter superstites, nec pars, quæ obuenisset defuncto, reseruatur successori.*

*4 Fructus, quos parochus ob absentiam suos non fecit, conuertat in fabricam Ecclesiæ, vel det pauperibus loci, etsi eos qui sibi superfluunt, possit etiam exteris dare pauperibus.*

## CONSILIVM XX.

CAnonicus cathedralis per multos annos absuit, & licet fructus continuè perciperet, numquam tamen Horas canonicas recitauit. vnde cũ illos nõ fecerit suos, dubitat.

Primo, cui restituere teneatur.

Secũdo, quid de fructibus parochialis propter absentiam malè perceptis dicendum sit.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM, qua quęritur quibus debeat consulens restituere, respondeo primò, quòd si beneficium, de quo agitur, non esset canonicatus, sed aliud separatum à canoniis, & præbẽdis Ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ, sufficeret restituere fruct⁹ ita malè perceptos ipsi Ecclesiæ, cuius esset beneficium, vel pauperibus, vel componere secum Camera Sedis Apost. per dicta in commentario de spoliis.[d]

a Notab. 7. à nu. 3.
b Conc. Later.
c Qu. 1. monit. 27.
d Super cap. non liceat Pape. 12. q. 2. §. 12. per totũ, præsertim nu. 4.

2 Secundo, quod quia beneficium, de quo agitur, est canonicatus, cuius, vt par est credere, licet in quæstione non exponatur, fructus consistunt in distributionibus quotidianis, & in eo quod grossam vocant, dicendũ primo, quod quæsita ex distributionibus quotidianis non sũt restituẽda pauperibus, neq; Ecclesię, quia illa debentur illis, qui Horis, illis diebus, in quibus illi non recitarunt, interfuerunt, quibus accrescunt, per cap. 1. [a] cum ei adnotatis, & non sufficit dare pauperibus, quod debetur alteri, [b] nisi quando ignoratur quis sit, iuxta cap. *cum tu*, [c] vbi gloss. cum communi.

a De cleri. nõ residen. lib. 6.
b Cap. ex te. de iureiuran.
c De vsuris.

3 Quod idem eadem ratione dicẽdum videtur de fructibus Ecclesiarum, vbi est statutum, vt fructus malè percepti restituantur certis operibus piis: quia illis deberet fieri prædicta restitutio. quod ipsum videtur de parte, quam corpus, seu grossam vocant, canonicatus, quam canonici ita lucrantur ratione suorum canonicatuũ, vt pars nõ lucrifacta ab vno accrescat aliis, & obueniens tẽpore vacationis non reseruatur successori, qualem regulariter non habet canonicus, secundum gloss. singularem, [d] sed diuiditur inter superstites, iuxta notata in cap. *relatũ*, 2. [e] vt latius diximus in Enchir. de orat. [f] & postea breuius in Manual. [g]

d In ca. quod sicut. de elect. verbo consentire.
e De testam.
f Ca. 7. num. 32.
g Capit. 25. à nu. 121.

4 AD SECVNDAM respondeo, quod qui ob absentiam ab Ecclesia parochiali perdit fructus per nouum canonem. [h] Concil. Tridentini tenetur restituere illos fabricæ illius Ecclesiæ parochialis, aut pauperibus loci, oppidi, vel pagi, vbi sita est. Tum quia contextus prædicti canonis id expresè statuit. Tum quia aliqui tenuerunt, quod beneficiarius, qui tenetur superflua erogare pauperibus secundum communem, quam latisimè nos fundamus in tract. de reditibus eccles. [i] sit obligatus erogare pauperibus loci, vbi situm est beneficium: & quamuis nos contrarium esse verius probauimus ibi, [k] ea potisimum ratione id asseruimus, quia nullo canone id exprimitur: quæ ratio cessat in proposito casu, in quo canon exprimit, vt erogatio fiat fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus loci, vbi sita est illa. Salua, &c.

h Qui est primus de refor. sess. 23.
i Qu. 1. monito 21. & 24.
k Quæ. 1 monito 27. nu. 2.

SVMMARIVM.

*1 Dispensatio est odiosa & restringenda: vnde data monacho ad beneficium sæculare curatum, non extenditur ad simplex. itẽ nec extẽditur ad accessoria, nõ necessaria. n. 2. itẽ Minor dispẽsat⁹ ad dignitatẽ, vel canonicatũ in cathedrali, nõ erit delegatus Papæ, nisi habeat annos viginti. nec restitutus aduersus contractum, censetur restitutus aduersus vsuras ex eo solutas. nu. 3. item nec minor dispensatus vt accipiat sacros ordines, censetur dispensatus vt habeat vocem in Capitulo. nec dispensatus vt fiat ante ætatem sacerdos, censetur dispensatus, vt accipiat parochialem. nec factus capax ad vnum actum, censetur habilitatus ad alium separatum. numer. 4. attamen dispensatus ad duos canonicatus debet vocari in vtroque ad actus canonicis competentes. num. 5. & dispensatus ad duo incompatibilia, censetur dispensatus à residentia in vtroque facienda. Vnde, quia congruit accessorium sequi naturam sui principalis, num. 4. dubitatur, an subdiaconus, qui ex dispensatione Apostolica duxit vxorem, teneatur ad horas canonicas. nu. 1. & 2.*

## CONSILIVM XXI.

1 AN subdiaconus dispẽsatus vt ducat vxorem, per hęc verba, *Teque specialibus fauoribus prosequi volentes, &c. tecum, vt sacro subdiaconatus ordine huiusmodi non obstante, &c. matrimonium cum aliqua muliere tibi bene visa contrahere, & in eo postmodum remanere, &c.* teneatur, ducta illa, dicere Horas?

Ad quæstionem respondeo, pro parte illius affirmante facere, quod dispensatio est odiosa, & restringenda secundum omnes, per c. 1. [l] & per reg. *quæ à iure*, [m] per quam ibi Ioan. And. ait [n] dispẽsationem factã monacho ad beneficium curatum, non extendi ad beneficium simplex.

2 Secundo, quod Dom. recep. [o] quem sequitur Fel. [p] ait dispensationem super vno actu factam non extendi ad alium actum accessorium, sine quo potest cõsistere & esse vtilis actus ille, super quo facta est dispensatio. at liberatio ab obligatione dicendi Horas non est actus necessarius ad coniugium, quoniam coniugatus potest recitare horas canonicas, & multi recitant. ergo dispẽsatus ad cõiugia non videtur liberatus ab obligatione dicẽdi eas.

l Et 2. de fil. presby. li. 6.
m Lib. 6.
n In Mercuri al.
o In cap. 1. in p inc. nu. 12. de fil. presby. in 6.
p In ca. postulasti. de rescr. nu. 10.

A Tertio, quod gloss. sing. [a] definit, dispensatum ad obtinendum canonicatum, vel dignitatem in Ecclesia cathedrali, non esse dispensatum ad hoc, vt posit esse delegatus Papæ ante vigesimum annum.

3 Et restitutus contra aliquem contractum, non censetur restitutus ad vsuras, quas ratione illius soluit. [b] Et dispensatus ad sacrum ordinem, non censetur dispensatus ad habendam vocem in Capitulo, secundum glo. [c] Et dispensatus ad presbyteratum, & dicendam Missam ante iustam ætatem, non censetur dispensatus ad obtinendum beneficium curatum, iuxta gloss. [d] ibi, *& ætate legitima.* [e]

a In c. statutum. in princ. de rescri. li. 6.
b L. fin. §. Lucius. ff. de cõd. indeb.
c In verbo annexi. in fin clem. 1. de ætat. & qual.
d In clem. 1. in ver. constitutus.
e De ætate & qual.

B 4 Quartò, quòd factus capax per dispẽsationem alicuius actus non censetur factus capax alterius separati ab ipso, secundum glossam. [f]

Pro parte verò negante, quod non teneatur ad dicendas Horas canonicas primò facit, quia congruit accessorium sequi naturam sui principalis, iuxta ca. *accessorium*, [g] desumptum ex l. *cum principali*. [h]

5 Secundo, quod gloss. solemnis cõmuniter recepta dixit, [i] quod dispensatus ad duos canonicatus debet vocari ad actus competentes ei ratione illorum, puta ad dãdum vocem in Capitulo, & ad electionem faciendam de Prælato, si est in loco vnde debeat vocari. & glo. sing. [k] determinat, quod dispensatus ad duo beneficia incõpatibilia, C est dispensatus à residentia in vtroque facienda, & maior viginti annis dispensatus ad dignitatem potest esse iudex delegatus, si habet viginti annos, licet specialiter non sit dispensatus ad illud secundum Dominicum. [l]

f Ca. ex ratione. in ver. congruam. de ætat. & qualit.
g De reg. iur. li. 6.
h ff. eod.
i In d. c. quia in tantum. de præben.
k In ca. si quis in clero. 7. q. 1.
l In cap. nos consuetudinem. dist. 11.

SVMMARIVM.

*1 Lex etiam in odiosis extenditur, quantum eius verba secundum proprietatem patiuntur.*
*2 Lex extẽditur & limitatur ex legislatoris mẽte & ratione legis.*
*2 Pensionarius clericus, si efficiatur miles militaris religionis cum indulto retinendi pensionem, non tenetur ad horas B. V. sed sufficit quòd recitet orationes Dominicas & Angelicas à religione præscriptas, quæ sunt loco horarum: sicut nec sacerdos regularis, siue sæcularis, habens pensionem ad dictas B. V. horas teneretur.*

D

## CONSILIVM XXII.

1 IVlius ab Apostolica Sede habet indultum, vt cũ habitu D. Iacobi de Spata, cuius miles & professor existit, certã annuam Ecclesiasticã pensionẽ retinere posit. Dubitatur, an præter horarias preces centum viginti Pater noster, cum totidem Aue Maria, ex ordinis institutione à militibus quotidie persoluendas, teneatur etiam ad officium Beatisimæ Virginis ex Pij V. consti. dicendum.

Pro parte affirmatiua facit, quòd verba legis secundum propriam significationem comprehendunt eũ, & lex extenditur etiam in odiosis, & pœnalibus, & aliis obligatoriis, quatenus verba eius in proprio significatu se extendunt, iuxta l. *cum lege*. iunct. gloss. [m] cõmendatã in hoc per Aret. [n] quem Dec. sequitur, [o] & continentur in aliis septẽ vel octo locis.

E

2 Pro parte negatiua facit, quòd lex extenditur & restringitur secundum mentem legislatoris, & rationem legis, iuxta l. *cum pater*, [p] cap. *suggestum*, [q] vbi pulchrè Pan. communiter receptus: & mens auctoris, & ratio prædictę legis videtur fuisse, ne fruentes fructibus beneficiorum Ecclesiast. omnino essent immunes ab onere dicendarũ precum, ad quas beneficiarij tenẽtur, quæ non habet locum in consulẽte, qui tenetur ad multas preces, immo & ad maiorem quantitatẽ, quàm sint preces officij B. V. F Facit etiam, quod non obstat dicere, quòd alia ratione tenetur ad prędicta Pater noster, & Aue Maria, quam ratione pensionis: quia etiam religiosus eiusdem ordinis presbyter, qui haberet pensionem, alia ratione quam pensionis, teneretur ad Horas canonicas, qui tamen nõ obligaretur ratione pensionis ad officiũ paruũ B. Virg. plusquã alius presbyter. Facit etiam, quod subrogatum sapit naturã eius, cui subrogatur, [r] & illa 120. Pater noster, & Aue Maria, succedunt loco Horarum canonicarũ, ad quas tenentur clerici eiusdẽ ordinis, & consequenter videntur quodãmodo Horæ canonicæ, & qui tenetur ad illa, teneri ad quasdam Horas canonicas: at qui alia ratione tenetur ad horas canonicas, non tenetur ratione pẽsionis, virtute

m ff. de testa.
n In c. de testibus. col. 3. de testib.
o In l. factũ. §. in pœnalibus. ff. de reg. iur.
p §. dulcisimis. ff. de leg. 2.
q Et c. meminimus. de appell.
r Le. cũ quis §. qui iniuriarum. ff. si quis caut. & c. ecclesia. vt lite pend.

prę

prędictæ legis ad prædictum officium paruum, ergo nec religiosi milites tenebuntur. Et quoniam posteriores rationes videntur firmiores, & per eas potest responderi illi, quæ in oppositum adducitur, resoluo dubium in partem negantem. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Indultũ seu dispensatio, nisi fiat id ob quod conceditur, nõ prodest.*
2 *Dispensatio eius, qui ob febrem, vel alium dolorem, non valet recitare Horas, ad cæcum, nisi fortè ex identitate rationis extẽdi non videtur.*
3 *Dispensatio non valenti recitare officium, vt non teneatur, parũ prodest.*
3 *Indultum concessum alicui, vt loco Horarum recitet aliquot orationes, non prodest ad acquirendum meritum quod acquiritur recitando Horas.*

CONSILIVM XXIII.

AN indulgentia, vel dispensatio, quòd obligatus ad dicendas Horas canonicas satisfaciat dicendo quinquies Pater noster, & quinquies Aue Maria, si tenetur febre, vel tanto alio dolore, quòd eas recitare non possit, extẽdatur ad eum, qui est cæcus, vel dolore oculorum ita laborat, vt non possit recitare sine periculo perdendi visum, licet non teneatur febre?

1 Respondeo primò, quòd indulgentia, vel dispensatio non prodest ei, qui non facit illud, propter quod illa fit, vt colligitur ex his, quæ nos tradimus in cõment. de Iob.[a]

2 Secundo, quòd prædicta dispensatio non extenditur ad cæcum, qui non laborat præfato dolore: quia sola cæcitas non inducit febrem, nec dolorem impedientem recitationem.

Tertiò, quòd probabiliter dici potest, quod extẽditur ad dolorem oculorum, quo impeditur potentia recitãdi.

3 Quarto, quod præfata indulgentia parũ videtur prodesse: nam sola febris, vel solus dolor impediens potentiam recitandi, sufficit, vt excusetur à recitando sine præfata indulgentia: quãuis quis diceret, quòd licet prædicta indulgentia non prosit ad excusandum à peccato omittendi recitationem, potest tamen prodesse ad quærendum meritum recitationis, quod in præsentia nõ approbo multum. Tum quia id non quæritur. Tum quia nõ pertinet ad Papam potestas augendi meritum gratiæ & gloriæ sine opere meritorio: quia gratiam & gloriam solus Deus conferre potest.[b]

a *Super §. in Leuitico. de pœnit. dist. 1. notab. 11. & 19.*

b *Iuxta psal. 183.*

DE BAPTISMO ET EIVS EFFECTV.

SVMMARIVM.

1 *Catechizari qui petunt, non coguntur obligare se ad suscipiendũ baptismum, nec etiam relicta vxore & filiis infidelibus se includere in aliqua domo. nu. 2. sed nec minores regulariter possunt ab iis, in quorum sunt tutela, abstrahi, vt catechizentur, & baptizentur. nu. 5.*
3 *Catechismus, sicut & exorcismus, si fuit ante baptismũ omissus, debet post illum supleri, & nu. 4. duraréq; tanto tempore, quousque baptizandi sint sufficienter instructi & persuasi de veritate fidei. nu. 3.*
6 *Infans mortuo patre penes matrem infidelem est educandus.*
6 *Catechizari & baptizari contra infidelium parentum voluntatem petentibus debet quidem de alimentis prouideri, & nu. 4. ad id tamen onus parochi non videntur obligati. nu. 3.*

CONSILIVM I.

VTrum catechizandus ad baptismum se offerens debeat coram notario & testibus obligare se ad baptismum suscipiendum? Et an Episcopus, seu parochus teneatur catechumenos, dum in fide instruuntur, alere?

1 Responsurus fidelis quidem fidelissimo, parum eruditus eruditissimo, minus expertus expertissimo, circa contenta in his quæsitis, protestor me solum dicturum ea, super quibus hæsito, & cupio informari.

Dico primo, me non satis meminisse legere legem, qua catechizandus debeat se obligare coram notario & testibus ad suscipiendum baptismum.

2 Secundo, nec meminisse legem, qua ligentur catechizandi vxor, & liberi eius, & qui tutelæ, vel curæ ipsius sunt commissi, consentire separationi ab infidelibus, & submittere se disciplinæ certorum magistrorũ, & includere se intra vnam domum, antequam baptizentur, & fiant subditi Ecclesiæ, neque legem quæ cogat parochos ad alendos & docendos eos intra illam.

3 Tertio, quod, vt puto, in Indiis, & in aliquot regnis Hispaniæ, & aliorum regnorum Saracenorum, Lutheranismo, & aliis infidelitatibus infectorum, pauci parochi sunt collatione aliorum, qui possint id præstare, etiamsi velint, cùm etiam baptizatorum tot millia sint egentium catechismo: præsertim tenendo, quod, sicut exorcismus est supplendus post baptismum, vt tradit S. Tho. recept.[a] ita etiam catechismus sit supplendus, si fuit ante baptismum omissus, arg. eorum, quæ dicit idem S. Thom.[b] & præsupposito eo, quod experientia compertum est, scilicet ferè omnes paruulos, qui baptizantur, & relinquũtur in potestate parentum, numquam callere catechismum, & indigere illo, postquam adolescunt, & in terris Christianorũ vix etiam suscipietur id onus ab omnibus Episcopis.

a *3. par. q. 71. art. 3. ad 3.*
b *Ibidem art. 5.*

Quarto, prouida admonitio & prouisio videtur, ne catechizationi finem præstituat certus dies, sed potius certa scientia & sufficiens persuasio.

4 Quinto, quod quia numquam fere præfati paruuli catechizantur, oporteret eos denuo catechizare. quod vtinam aliquo modo introduceretur, quod ego aliquando speraui, sed nunc despero: quia malunt aliqui Episcopi augere suos reditus, quàm impẽdere illos in magistros huiusmodi catechizandorum. quod non video etiam aliquam legem canonicam, quæ obliget ipso iure patres & consanguineos catechizandorum, antequam illi se ad id obligauerint sponte sua, ad relinquendum filios pupillos & minores suos sub potestate aliena, qui ante vsum rationis inuitis parentibus ducerentur ad baptismũ, vt persuadeantur ad conuersionẽ, nisi in casibus, in quibus velint nolint, debeant obedire catechizatoribus, per ea quę docet S. Thom. communiter receptus.[c]

5 Sexto, quod licet prouisio hæc sancta Illustriss. D. Cardinalis de administranda catechumenis largiter sustentatione, & de tractandis eis humaniter, seruari possit Romæ, & aliquibus aliis in locis, vbi ad id sunt deputati reditus publici, in aliis tamen nõ videtur posse satis seruari.

c *In 2. 2. quæ. 10. art. 8. 9. & 12.*

6 Septimo, meminisse me in hac ipsa Vrbe interrogatũ ab vtraq; parte litigantium, an infantes nondum vsum rationis habentes sint relinquendi apud matrem infidelem, donec eo incipiant vti, si pater eorum mortuus fuerit, tenuisse partem affirmantem, & postea replicasse cõtra quemdam virum doctissimum, sed incertum, qui putauit me fuisse deceptum: & meo iudicio, in quo etiam nunc sum, irrefragabiliter probasse meam priorẽ sententiam. Quare admoneo Dominum meũ Illustriss. id, quod circa hoc tunc dixi, & tradidi, si non fallor, Illustriss. D. Card. Sirleto, apud quem fortè illa inueniri possent.

Octauò, quòd videtur prouidendum de alimentis eis, qui contra voluntatem patrum & cognatorum suorum volunt catechizari, & baptizari. Salua, &c.

*Aduertendum, hoc responsum, ad quod se remittit, esse illud de quo supra fit De conuersione infidelium consil. 4.*

SVMMARIVM.

1 *Baptismus verè confertur, si pueri intra ventrem matris existẽtis manus vel aliud membrum extra corpus matris apparens abluitur: causaturq́; ex eo, & non ex sequenti, qui datur ad cautelam, cognatio spiritualis, quæ impediat & dirimat.*

CONSILIVM II.

DE quodam N. qui tenuit infantem ad baptismum, datum ei, antequam nasceretur integrè in aliqua sui corporis parte, etiam alia quàm capite, nempe brachio, vel pede, an fiat compater, ita vt non possit contrahere matrimonium cum matre sic baptizati.

1 Respondeo primò, in ea me semper fuisse sententia, quæ habet, puerum seu infantem nondum integrè natũ, & propter timorem mortis baptizatum per ablutionem capitis, vel alius cuiusque partis iam natæ, vel apparentis extra corpus matris, esse verè baptizatum, vt diximus in cap. vulgaris,[d] & quod licet ad cautelam sub conditione, *Si non est baptizatus, &c.* possit licitè baptizari, secundus tamẽ ille baptismus non est verè baptismus, si prior verè fuit ministratus in illa parte apparente: & quod ex secundo baptismo ad cautelã ministrato cum catechismo

d *Num. 3. de pœnit. dist. 1.*

& exorcismo non nascitur compaternitas, nec cognatio spiritualis, quæ impediat, & dirimat matrimoniũ, sed ex priori baptismo ministrato sine catechismo & exorcismo.

Secundo, quod ex prædicta resolutione sequitur dicẽdum, præfatum N. fuisse, & esse verum compatrem prædictæ matris, & non posse cõtrahere cum illa sine dispẽsatione Papæ. Salua, &c.

SVMMARIVM.

*1 Monstrum illud non est baptizandum, quod caret anima rationali, sine qua non constat homo, qui solus baptismi est capax: an autem sit talis natus cum capite ferino, & reliquis mẽbris humanis, iudicio peritorum relinquitur. nu. 2.*

## CONSILIVM III.

AN monstrum natum cum vno solo capite, eodemq; ferino, debeat baptizari?

1 Respondeo primò, quòd si est certum eum non habere animam rationalem, non est baptizandus. Tum quia solus homo est baptizandus secundum omnes, & quod caret anima rationali non est homo.[a] Tum quod hoc in specie asseuerant Card. & And. Sicul.[b] & satis colligitur ex Soto,[c] & summa Angelica,[d] & Siluestro.[e]

2 Secundo, quod præfatus Cardinalis & Andreas Siculus videntur significare quod monstrum habens caput ferinum non censetur homo rationalis: sed quia mõstrum, de quo quæritur, habet omnia membra humana præter caput, ego nihil de hoc iudico, nec est facultatis meæ iudicare de illo. itaque remitto hanc partem ei, ad quem spectat de illa ferre iudicium, & declarare si est cẽsendus homo rationalis, an verò brutum irrationale. Salua, &c.

a *Ca. in quadam de celeb. Miss.*
b *In clem. 1. §. ad hoc. de summa Trinit.*
c *In li. 4. sententiarũ dist. 6. q. 4.*
d *Verbo monstrum.*
e *Verbo baptismus 3. qu. 10.*

SVMMARIVM.

*1 Baptismatis collatio facta secundum ritum Græcorum tenet, & nu. 4. sed nec vitiatur ex eo quod sit collatum ab heretico, Iudæo, vel Pagano, numer. 3. modo adhibita fuerint necessaria cũ intentione faciendi, quod facit Ecclesia. nu. 7.*

*2 Baptismum non vitiat diuersitas verborum, modo actum baptizandi, & causam principalem baptismi, sanctißimam scilicet & gloriosißimam Trinitatem, sufficienter exprimant, secus si aliquod necessarium omittatur, vel corrumperetur substantialis sensus verborum, vt faciunt Bosnenses, qui loco illius vnicæ dictionis* Spiritussancti, *ponunt hanc* Spiritus, *omissa alia particula* Sancti, *nu. 4. 5. & 6. vel mutatio esset facta ad fouendum errorem intolerabilẽ, aut omitteretur vna ex tribus personis adorandißimæ Trinitatis. nu. 6.*

## CONSILIVM IIII.

CVm Græci & schismatici, præsertim Seruiani, hoc est, Græci sacerdotes defecerint à Sancta Romana Ecclesia, & perdiderint ritum Catholicum, & sacramentum: dubitatur, si contingat aliquem ex his conuerti ad fidem Catholicam, num is baptizari debeat absque conditione in forma baptismi, *Si non est baptizatus.* Et ratio dubitandi est, quia forma baptismi eorum est hæc, *Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus*: & nõ exprimunt verbum *Sancti*, & *amen.* & propterea non intendunt ipsi facere, quod facit Ecclesia Romana.

1 Ad hanc quæstionem dico, quod facilè cuique videri potest vera pars negatiua. Primo, quia forma baptismi Græcorum, licet quo ad verba differat à forma Ecclesiæ Romanæ, sufficiens tamen est ad conficiendum verum baptismum, vt præsupponit Innocentius iij. in Concilio generali, de quo in cap. *licet*,[f] quod longè expresius definiuit Concilium Florentinum,[g] & affirmat D. Thomas communiter receptus.[h] At in prædicta prouincia Bosnæ Græci baptizant secundum formam Ecclesiæ Græcorum: ergo.

2 Secundo, quod diuersitas verborum formæ baptizãdi non reddit baptismum nullum, modo actum baptizandi, & causam principalem baptismi, sanctisimam scilicet & altisimam Trinitatem sufficienter exprimãt,[i] at verba formæ, qua baptizantur, & de qua quæritur, videntur eam sufficienter exprimere: ergo.

3 Tertiò, quòd nihil obstat, quod ij, de quibus quæritur, fuerint baptizati ab hæreticis, & schismaticis, quoniam licet S. Cyprianus cum multis aliis Episcopis opinatus fuerit, hæreticos non posse sacramenta vera & valida alicui dare, & refertur in dict. cap. *si non sanctificatur*,[a] contrarium tamen est verum, vt prædicti canones probant, & nouus canon 4.[b] Concilij Tridentini,[c] & facit etiam canon 12. de sacramentis eiusdem sessionis, præsertim autem sacramentum baptismi, quod conferri etiam potest à Iudæo, & Pagano.[d]

f *De baptis.*
g *In suo decreto de sacramentis.*
h *In 4. dist. 3. & in 3. part. q. 67. art. 6.*
i *Capi. si non sanctificatur. & ca. retulerunt. de consecr. dist. 4.*

4 Non obstantibus tamen his, pars verior videtur affirmatiua, scilicet, quod sint iterum baptizandi, saltem sub conditione, *si non es rite, &c.* iuxta cap. 2.[e] immo & meo iudicio purè. Tum quia forma, qua baptizant in prędicta prouincia hæretici, & schismatici, non est consona formæ baptizandi Ecclesiæ Romanæ, neque Ecclesiæ Græcorum, quam prædicti canones & doctores probant: in illa enim ponuntur ista verba: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti. Amen.* In hac autem nostri casus, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus*, tacentes illud verbum, *sancti*, & *Amen.* Tum quia diuersitas verborum formæ sacramenti, per quam corrumpitur legitimus & substantialis sensus verborum, quæ sunt de substantia & essentia sacramenti facit inualidum sacramentum, iuxta cap. *multi.* adiuncta glossa,[f] & tradunt D. Thomas & alij,[g] vbi nouisimè latè declarat Sotus,[h] ponendo regulã, quod mutatio formæ verborum baptismi, siue subtrahendo, siue addendo, siue transponendo, siue corrumpendo, per quam quidpiam necessarium omittitur, efficit baptismum nullum.

5 At in forma prædicta baptizandi Bosnæ subtrahitur verbum, *Sancti*, quod est necessarium ad significandum Spiritumsanctum, tertiam personam beatisimæ Trinitatis: solum enim verbum, *Spiritus*, sine adiectione verbi, *Sanctus*, non est nomen proprium Spiritussancti, nec appropriatũ Spirituisancto, vt docet D. Thomas receptus,[i] vbi ait, quod nomen *Spiritussanctus* captum in vim duorum nominum omnibus personis competit: quia etiam Pater, & Filius est spiritus, & sanctus, sed captum in vim vnius nominis est nomen proprium Spirituisancto ex sacræ Scripturæ accommodatione. At in prædicta forma Bosnæ ponitur verbum *Spiritus* sine *Sancti*: ergo non ponitur ibi nomen Spiritussancti, & ita non ponuntur nomina trium personarum, quæ necessariò debent poni in forma baptismi, iuxta cap. vltim. Matthæi: & cõsequenter per illam non conficitur baptismus.

6 Tum quia verba sacramenti, mutata ad fouendum errorem intolerabilem, destruunt sacramentum, vt latè post alios tradit prædictus Sotus vbi supra. At baptizatores Bosnæ mutant verba ad fouendum hæresim suam de Spiritusancto, quod non est Deus, & creator, sed creatura: ergo. Tum quod Zacharias Papa in duabus vel tribus partibus cap. *in Synodo*,[k] dixit expresè, quod baptisma, in cuius collatione defuit vnum nomen trium personarum sanctisimæ, excellentisimeq; Trinitatis, nihil valet, & idem ait Didymus in libro de Spiritusancto, quem citauit Sotus,[l] dicẽs, Si quis baptizare conetur, vt vnum ex prædictis nominibus omittat, scilicet, Patris, & Filij, & Spiritussancti, sine perfectione baptizabit.

Ad primum oppositorum respondetur, concedendo quod forma baptizandi Ecclesiæ Græcorum, de qua Innocentius iij. & Concilium Tridentinum & alij Doctores in eo citati loquuntur, est sufficiens ad conficiendum verbum baptismum: negando tamen, quod forma prædicta Bosnæ sit illa, de qua loquuntur illi, cum desit nomen proprium Spiritussancti, quod habetur in alia.

Ad secundum respondetur concedendo in eo assumptum, negando tamen quod prædicta forma Bosnæ contineat verba sufficientia ad exprimendum legitimum & necessarium sensum: quia deest nomen *Spiritussancti*, sine quo non satis sufficienter exprimitur sacrosancta & venerandisima Trinitas, cuius expresio vti causa principalis baptismi est legitima & necessaria per superius dicta.

7 Ad tertium respondetur, concedendo, quòd baptisma collatum ab hæretico, schismatico, & etiam Pagano valet, modo ea sint illi mente, vt velint facere id, quod Ecclesia intendit, & exprimant sanctisimam & sublimisimam Trinitatem, vti causam principalem eius sufficiẽter, & non addant, vel tollant verba, quibus suum errorẽ

a *Et in c. quo modo. de consecr. dist. 4.*
b *De baptis.*
c *Sess. 7.*
d *Ca. à quodam. de consecr. dist. 4.*
e *De baptis.*
f *De consecr. dist. 4.*
g *In 4. dist.*
h *Artic. 7. & melius art. 8. & dist. 3. qu. 1. art. 5. col. 4.*
i *1. p. q. 36. ar 1.*
k *De consue. dist. 4.*
l *In 4. dist. 3. art. 6. col. 4.*

into

rem intolerabilem apertè foueant: negando tamen, quod talis sit forma Bosnæ, per prædicta.

*SVMMARIVM.*

*1 Baptizandus non est rationis capax, qui vult in peccato vel infidelitate perseuerare: si tamen baptizetur, habeatq; intentionem illud recipiendi, verum recipit baptisma. At infidelium filij vsu rationis carentes, quos parentes, penes quos sunt remansuri, ob id petunt baptizari, vt sic ab infirmitate liberentur, baptizandi sunt, sicut & maiores, qui ideo excitantur vt baptizentur, quia sperant sanitatem corporis recipere.*

## CONSILIVM V.

Quia interdum reperiuntur Turcæ, & eorum filij grauißimis morbis arrepti, qui in hoc tantùm casu baptismum requirant, quòd sæpe viderint, aut audierint talibus collatum sanitatem restituisse: queritur, an baptismus iis tali intentione petentibus sit concedendus: vbi sciendum est fratres de Obseruantia periculum vitæ incurrere, si negent, cum negari sibi hac de causa putent, ne corporis sanitatem consequantur: eóque magis, quia superioribus temporibus multi hoc tantùm nomine fuerunt baptizati, & post Concilium Tridentinum fratres prædicti abstinuerunt, quod id illis non licere dicerent ex decretis Franciscanæ religionis, non autem Concilij, & de ritu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quia hac ratione mortem subiissent.

1 Respódeo primò, quod nulli peccatori peccato mortifero infecto volenti perseuerare in eo est dandum baptisma, per ea, quæ ad hoc citat D. Thomas, [a] nec consequenter infideli volenti perseuerare in infidelitate, vt ipsemet affirmat. [b]

Secundo, quod si huiusmodi ægroti essent infantes, vel paruuli, qui nondum sunt iudicium rationis assequuti, possunt de consensu parétum baptizari, vt ipsemet receptus, [c] definit. Si autem sunt adulti, & iudicium rationis assequuti, non sunt baptizandi, si non volunt ab infidelitate recedere, & catechizati credere fidei necessaria: quamuis verum baptisma susciperent, si veram haberent intentionem illud suscipiendi, vt ex prędicto D. Thom. [d] colligitur. Si autem velint ab infidelitate recedere, & catechizati credere fidei necessaria, possunt, & debent baptizari, etiam si ad id morbus, vel amor salutis incitauerit, cùm omnes etiam infideles præceptum de baptismo suscipiendo obliget, secundum eundem D. Thomã, [e] & latius Sotus, [f] licet D. Thomas ibi non rectè citetur. Salua, &c.

a 3. p. qu. 68. art. 4.
b In ead. qu. ar. 8. ad quartum.
c 2. 2. qu. 10. art. 12.
d Art. 8. & adductis in eo.
e In d. qu. 68. art. 1. & qu. 70. artic. 2. ad 3. & melius in 4. d. 3. q. 1. arti. 3. quæstiunc. 3.
f In eodẽ. 4. dist. 5. artic. 1.

*SVMMARIVM.*

*1 Martyrium à prægnante pro Christo assumptum valet fœtui animato pro baptismo, & prodest ad salutem: immo & is, sicut sancti Innocentes, dicitur pro Christo occisus.*

*1 Innocentes pro Christo occisi, non quidem proprio merito, cùm vsu rationis carerent, sed per gratiam Christi, salui facti fuerunt, & martyrij laureolam adepti.*

## CONSILIVM VI.

Vtrum, sicut mulier grauida pro Christo mortem subiens est martyr, ita etiam filius in vtero eius existens, si moriatur cum illa, sit etiam martyr, & saluetur, an verò in limbum cum aliis pueris non baptizatis descendat?

1 Respondetur, quod paruulus ille probabiliter saluabitur cum matre. Tum quia baptismi vicem & effectum habet mors pro Christo illata, cap. *baptismi vicem.* cum ei annotatis, [g] & præfatus puer in vtero matris morientis pro Christo moritur pro eodem. Tum quia Innocentes, qui nondum adepti fuerant iudicium rationis, antequam occiderentur iussu Regis Herodis crudelißimi tyranni, salui facti fuerunt, immo & martyrij laureolam seu coronam obtinuerunt, adeo quod festum martyrij eorum celebrat vniuersa Ecclesia intra octauam Natalis Domini, vt est notorium. Tum quia eadem ratio concludit præfatum puerum saluatum iri, quæ concludit præfatos Innocentes saluatos fuisse. Ratio enim, qua præfati Innocentes saluati fuerunt, & martyres effecti, non est quod ipsi suis actibus saluationem illam meruerunt: quia sine iudicio & libero arbitrio, cuius vsum nondum fuerunt assequuti, non potuerũt mereri suam saluationem. argumento §. 1. & cap. *illud,* [a] & S. Thomas receptus ab aliis, [b] reiicit opinionem illorum, qui sine iusta & sufficienti auctoritate dixerunt datum fuisse Innocentibus vsum rationis, & liberum arbitrium ad merendam gratiam & saluationem. Et ita, sicut Innocentibus sine suo merito dedit Christus gratiam, ita eadem ratione & misericordia dabit prefato puero illam sine baptismo, & sine vllo merito proprio. Vnde in specie Caietanus, [c] dixit, quod effusio sanguinis pueri, facta etiã intra vterum matris pro Christo, prodest ipsi puero nondum nato, sicut profuit effusio sanguinis Innocentium ipsis nondum vsum liberi arbitrij & iudicium adeptis. Salua, &c.

g De cõsecr. dist. 4.
a 15. q. 1.
b In 2. 2. qu. 124. art. 1.
c Super dict. art. 1.

*Aduerte, quia ex rationibus adductis, ac ex citata auctoritate Caietan. elicitur D. Nauarrum loqui in casu, in quo intentio occidentis matrem pro Christo fertur etiam saltem virtualiter in occisionem filij nondum nati.*

## DE RELIQVIIS ET VENERATIONE SANCTORVM.

*SVMMARIVM.*

*1 Reliquias Sanctorum in oratorio in capsulis honestè asseruari, ac in collo deuotè portare licet, dummodo cesset omnis superstitio, & agatur de corporibus nequaquam perpetuæ sepulturæ traditis, nisi iam inde licitè extractis. nu. 3. & 4. iisque suffragatur consuetudo.*

*1 Corpora Sanctorum si nondum sint perpetuæ sepulturæ tradita, sine alicuius licentia possunt de loco ad locũ transferri: quod si sint ei tradita, tunc principis requiritur, vel accedente iusta causa, præsidis sufficit licentia. nu. 3. & 4.*

*2 Concessa omnia videntur, quæ cum de se mala non sint, non leguntur prohibita.*

## CONSILIVM I.

An liceat tenere reliquias corporum Sanctorum in oratorio suo, & portare in collo, vel aliqua alia parte sui corporis, vel suarum vestium?

1 Respondeo, quod S. Thomas videtur tenere quod sic, [d] quatenus ait licere illas portare in collo ad honorem Sancti, cuius illa sunt, ob fiduciam & spem intercessionis eius ad diuinam maiestatem, modo id fiat sine aliqua vanitate, & superstitione: qualis est, quod vas sit triãgulare, aut de illa vel illa materia: & à fortiori licebit eas tenere in aliquo oratorio honesto, vel seruare in aliqua honesta arca.

Pro cuius sententia facit primò l. *si necdum,* [e] quatenus habet, posse quem corpus nondum perpetuæ sepulturæ traditum sine alius licentia in alium locum mutare.

2 Secundò, quòd ea quæ per se non sunt mala, videntur concessa, si non sunt prohibita, argumento l. 1. [f] & l. *si quæramus.* adiuncta glossa, [g] at nullo iure naturali, diuino, vel humano authentico quis prohibetur tenere, vel deferre honestè reliquias Sanctorum: ergo, &c.

Tertiò, quòd legitur, Constantinum, & Helenam matrem eius, & alios multos reliquias habuisse, & portasse, immò & cõsuetudo fere omnium deuotiorum totius orbis Christiani habet, procurare sibi reliquias aliquorum Sanctorum, quas vel portent secum, præsertim ad prælia, & loca periculosa, vel teneant eas domi in aliquo honesto loco ad excitandam deuotionem in eos, & fiduciã sperandæ pietatis à Deo per eorum intercesßionem.

3 Non obstat, quod Angelus in summa, [h] dicat tenendum esse contra Sanct. Thomam, quia non probat id efficaciter: l. enim 1. & vltim. [i] & rationes, quibus mouetur, solùm habent, corpus perpetuæ sepulturæ datum nõ esse sine principis licentia transferendum absque causa, neque cũ illa absque licentia præsidis: quia Sanct. Thomas non loquitur de translatione corporis Sancti sepulti, sed de aliqua particula, vel mutatione eius, vel aliquarum rerum ad illum pertinentium, quæ vel numquam fuerunt perpetuæ sepulturæ traditæ, vel iam iusta cum facultate fuerunt translatæ, vel mutatæ.

4 Quare meritò etiam Syluester, [k] contradicit Angeli

d In 2. 2. qu. art. 4. ad 3.
e C. de religio. & sumpt. fune.
f ff. de testib.
g ff. de testa.
h Verbo reliquia. § fin.
i C. de religio. & sump. fun.
k In summa verbo reliquia, q. 5.

consentiendo aliis à se citatis. Non obstat etiam ca. *Corpora Sanctorum de loco ad locum non sunt transferenda sine licentia principis,&c.* [a] quod magis facit pro Angelo,quàm illa quæ ipse citat:quia eodem modo responderi potest illi, vt responsum est prædictis legibus.& ita glossa expressè limitat illud non procedere in corporibus Sanctorũ non traditis perpetuæ sepulturæ,per d.l.*si necdum*.Salua, &c. *Vide consil.9. de sepul.*

a De consecr. dist.1.

SVMMARIVM.

*1 Reliquiæ sanctorum nec venales exponi, nec extra capsam ostẽdendæ:minus tamen peccat qui eas vendit, quàm qui terrã cœmeteriorum,in quibus corpora sanctorum sepulta fuerunt, per campos dispergunt cum periculo etiam dispergendi reliquias eidem permixtas.*

*2 Dubitans probabiliter,an quid liceat,si illud facit, peccat, sicut & qui contrauenit conscientiæ probabiliter dubiæ.*

## CONSILIVM II.

Abbas ex cœmeterio Sancti N. vbi legitur tot Sanctos martyres sepultos fuisse, extraxit puteolanam ad ædificandum,dispersitque terram per campos. Quæritur,quam pœnam incurrerit.

1 Respondeo, prædictum D. Abbatem videri grauiter deliquisse. Tum quia prohibitum est l.Cæsarea 3.[b] vt *nemo martyres distrahat, neque mercetur*. Tũ quia reliquiæ Sãctorum non debent exponi venales, neque ostendi extra capsam,vbi sunt repositæ,[c] propter reuerentiam,quę debetur eis: & prædictus Abbas licet non videatur vendidisse reliquias martyrum ecclesiæ S. N. videtur tamẽ eis irreuerentiam fecisse extrahendo prædictam terram puteolanam,intra quam est verisimile multas reliquias cõminutas ex ossibus & corporibus Sanctorum in terram conuersas commixtas inueniri potuisse, quandoquidem maior irreuerentia videtur eis facta, quàm si vendidisset eas,vel exposuisset vendendas aliquibus in finem reuerenter colendi eas.

2 Tum quia non videtur excusari posse prædictus Abbas ob ignorãtiam:quia verisimile videtur eum sciuisse, in cœmeterio tot millium martyrum, & tot Pontificum à tanto tempore ibi sepultorum, multas reliquias tã ossium,quàm corporum esse permixtas terræ prædictæ,quã extraxit,& dispersit:& cũ id sit verisimile omnibus, maximè erit prædicto Abbati, qui credere debuit id quod adeo verisimile est,iuxta l.*quia verisimilè*. cum ei adnota.[d] nam & non solùm peccat qui contrauenit ei, quod certũ est non debere fieri, sed etiam qui probabiliter dubitat an debeat fieri, & facit,iuxta c.*dubius in fide infidelis est*.[e] & non solùm delinquit qui contra conscientiam certã facit, sed etiam qui cõtra probabiliter dubiam, vt latè nos tradimus in cap.*qualitas*,[f] post S. Thom.[g] quandoquidẽ ( vt ibi probatur) qui dubio probabili peccandi mortaliter se exponit,mortaliter peccat,iuxta illud. [h] *Qui amat periculum,peribit in illo.*

b C. de sacrosf.eccles.

c Ca.2.de reliq.& vener. Sanct.

d De præsum. & le. non est verisimile. ff. quod metus causa.

e De haret.

f Num.18.de pœnit. dist.5.

g Quodlibet. 8.art.13.

h Eccles.3.

SVMMARIVM.

*1 Crucis signum ne sculpatur in pauimentis statuere potest Synodus diœcesana & prouincialis.*

*1 Statuere contra ius cõmune etsi non possit Synodus prouincialis, vel Episcopalis seu Episcopus, hoc tamen secundũ aliquos non procedit,quando per hoc statutum reduceretur res ad ius antiquum,nec quando derogatur consuetudini, quæ est præter ius, vel solum permissa,non autem approbatiua.*

## CONSILIVM III.

Vtrum Synodus Prouincialis,vel Episcopalis possit statuere, ne signum crucis pingatur, vel sculpatur in aliqua re humi iacente?

1 Respondeo,videri probabile, posse Concilium Prouinciale statuere id,quod statuit Imperator in l.1.[i] Tum quia est constitutio iuri communi consona. Tum quia Episcopus potest statuere contra ius commune nouum redeundo ad ius commune antiquum, secundum Panorm. & quosdam alios,quos citat Felinus.[k]

Tum quia licet hoc displiceat Felino, tamen non est hoc statuere contra ius commune,sed solùm contra consuetudinem generalem,vt videtur probare cap. *in his*. & cap.*Catholica*, [a] & nos tradimus in Manual. confess. [b] ad propositum satis huic simile,post alios ibi citatos, negari tamen posset,quod sit generalis consuetudo,cùm in plerisque partibus abstineatur ab huiusmodi sculptura, & pictura. Tum quia dici posset,quod consuetudo contraria prædictæ legi Cæsareę videtur potius permissiua,quã approbatiua,inter quas magna differentia est secundum glossam,[c] & tradita per Ioannem Andream. [d] Tum deniq; quòd propter hæc omnia satis iustè potest dici prædictam constitutionem esse potius præter ius quàm cõtra illud. Salua, &c.

i C. nemini licere signific. Salu. &c.

k Capi. quod super his. de maior. & obed.

a 11.dist.

b Cap.21.nu. 5.

c Cap. denique.4.dist.

d In Mercu. ca.peccatum. die regu. iuris c.6.

## DE OBSERVAT. IEIVNIORVM.

SVMMARIVM.

*1 Vigilia Pentecostes est ieiunanda,& ita se habet generalis Ecclesiæ consuetudo.*

## CONSILIVM I.

Respõdeo, quòd vigilia Pentecostes est ieiunãda,per ca.*nosse*.[e] vnde glossa.§.*necessario* posita sub ca.*scire*. [f] reprehendit Gratianum, qui visus est contrarium tenere per d.cap.*scire*. & subdit quod Ecclesiæ consuetudo generalis habet, quòd debeat ieiunari vigilia Pentec.quod addo ipse, quod in omnibus regnis, in quibus moratus sum,tam Galliæ, & Lusitaniæ, quàm Castellæ,Nauarræ, & Romæ,vbi nunc moror, consuetudo habet ieiunandi prædictam vigiliam, quamque vbique ieiunaui,& ieiuno,gratia Deo, qui nos omnes ieiuniorum amatores faciat. Amen.

e Et per c.de ieiunio.76.

f 76.dist.

SVMMARIVM.

*1 Ieiunium Quadragesimæ duo præcipit.primum,vt totam,secundum,vt singulos dies eius ieiunemus: & qui fregit primum,tenetur adhuc seruare secundum.*

## CONSILIVM II.

An qui fregit ieiuniũ quadragesimale, teneatur ieiunare reliquos dies Quadragesimæ,qui supersunt?

1 Respondeo quòd sic:quia præceptum de ieiunanda Quadragesima duo præcipit,alterum, vt ieiunemus totã, alterum,vt ieiunemus singulos quosq; dies eius:ita quod, licet fracto priori pręcepto nõ ieiunando vno vel altero die, tenetur quis reliquos singulos quosq; dies ieiunare, vt colligitur ex his quæ determinat S. Thomas, [g] & ibi Caietanus,[h] & ex his quæ nos tradimus in Man.conf. [i]

g 2.2.q.147.

h Artic.6.& 7.

i Cap.21.nu. 20. & 27.

SVMMARIVM.

*1 Ieiunare valentibus famulis, & cœnam petentibus debet dominus denegare,etiamsi inde debeat reputari auarus.*

## CONSILIVM III.

DOMINVS timoratæ conscientiæ,animaduertens pueros suos,cùm possent, non ieiunare,eosdem admonuit, vt si possent, ieiunent: sed quia credit eos clam comedere,non curat amplius rem indagare, ne habeatur pro auaro. Dubitatur, an teneatur ad aliquam maiorem diligentiam,& ad quam,maximè cum credat eos sine aliqua causa iusta ieiunium frangere.

1 Respondetur,quòd præfatus dominus debet denegare cœnam famulis potentibus ieiunare, non curando de opprobrio auaritiæ, immo gaudendo, cum maledicant ei propter Deum,iuxta illud,*Beati eritis, cum maledixerint*. Salua,&c.

SVMMARIVM.

*1 Dispensatus vt secretè & sine scandalo diebus pisculentis carnibus vesci possit,non coram sociis, sed separatim eas ita comedere potest, vt alij videant, quod in quo potest Ecclesiæ obedit.*

## CONSILIVM IIII.

An DISPENSATVS, vt possit comedere carnes diebus pisculentis secretè, & sine scandalo, possit eas edere coram sociis, quibuscum ordinariè comedit?

1 Quæstio hæc satis magna est:& pro parte quidem affirmante faciunt illa, quæ nos scripsimus de publico, &

occulto

occulto & pene occulto, in Manuali confessar. [a]

Pro parte verò negante facit, quod in omnibus dispositionibus mens & intentio disponentis est seruanda, [b] & quod mens & intentio Papæ dispensantis cum hac clausula videtur esse, ne solito modo cum aliis sociis domesticis, & exteris aduenientibus, comedat, sed quòd ita comedat, vt scientes eum comedere intelligant eum recognoscere, quòd Ecclesia sancta sanctè instituit dies ieiuniorum, & alios pisculentos, in quibus abstinendum sit à carnibus, & quod præstat ei obedientiam, quam potest præstare, licet non posit eam, quam omnino deberet. Et ita separatim eas comedat.

Et ad opposita, quæ ex loco supra citato adduci possent, responderi potest, procedere in aliis materiis, in quibus alia mens & intentio statuentis Ecclesiæ consideratur: quamuis in præsentia non liceat per occupationes id speciatim & singulatim monstrare. Salua, &c.

a Ca.27.nu.250.
b L. in omnibus.ff de cōd. & demonstr. & cap. fin. de præben.

SVMMARIVM.

1 *Dictiones*, huiusmodi, præfata, dicta, *faciunt relationem restrictiuam ad præcedentia.*
2 *Priuilegia, dato aliquo quod operentur, restringenda.*
3 *Dispensationes exorbitantes odiosæ sunt, & restringendæ.*
4 *Ieiunium ecclesiasticum differt à ieiunio per Iobelæum, vel confessarium, vel voto, vel alia causa particulari indicto: vnde dispensatus per Cruciatam, vt comedendo oua satisfaciat ieiunio ecclesiastico, non tamen comedendo illa satisfaciet aliis prædictis ieiuniis num.1. & seq.*

CONSILIVM V.

GRegorius XIII. concessit Cruciatam, cum clausula, vt *qui acciperent illam, possent comedere oua & lacticinia diebus, quibus est indictum ieiunium ecclesiasticum, & satisfacere huiusmodi ieiunio, seruando alia, quæ requirit ieiunium:* postea Sixtus V. concessit Iobelæum cum ieiunio feriæ quartæ, sextæ, & sabbati. Quæritur, an gaudentes clausula Cruciatæ, & ieiunantes secundum formam eius, satisfaciant ieiuniis indictis à Sixto in bulla sui Iobelæi?

1 Respondeo, quòd non. Tum quod dispensatio, siue priuilegium prædictæ clausulæ Cruciatæ solùm concedit facultatem comedendi oua & lacticinia in diebus ieiuniorum Ecclesiasticorum: cōcedit etiam facultatem gaudentibus illa, vt posint comedere oua & lacticinia in diebus ieiunij Ecclesiastici, & quòd seruando alia, quæ requirit ieiunium, censeatur satisfacere huiusmodi siue præfato ieiunio: quod est restringendum ad ecclesiasticum: verbum enim *præfatum*, vel *huiusmodi*, sunt restrictiua ad illud, quod refertur iuxta l. *huiusmodi*, cum ei adnotatis, [c] & sic habent verba Hispana Cruciatæ, *Guardando enlo demas la forma del ayuno ecclesiastico* Ioan *vistos hauer complido y satisfecho al dicho ayuno.*

c ff. de leg. 1.

2 Tum quia priuilegia, licet ita sint interpretanda, vt aliquid operentur vltra ius commune, cap. in his. de priuileg. nōn sunt tamen extendenda ad alios effectus, dato aliquo, quem operentur, & ad quem sint vtilia, vt tradit Panormitanus, [d] quem copiosè cum multis aliis citat & sequitur Decius, [e] & consequenter præfatum priuilegium non debet extendi ad alios effectus, dato aliquo, quem operetur: & interpretando, quod præfatum priuilegium operatur quo ad ieiunia ecclesiastica, siue ab Ecclesia iure communi instituta, non est extendendum ad ieiunia per præfatum Iobelæum inducta.

d In c. certificari. de sepul.
e In ca. 1. nu. 16. de rescrip.

3 Tum quod dispensationes, quæ exorbitant à iure communi, quale est prædictum priuilegium, sunt odiosæ, & restringendæ. [f]

4 Tum quod à separatis non fit illatio, [g] & secundum proprium & vulgarem modum loquendi aliud est ieiunium Ecclesiasticum à communi iure inductum, & aliud ieiunium, quod quis vouet, & aliud ieiunium à confessore in pœnitentiā impositum, & aliud ieiunium alio respectu particulari impositum: & consequenter priuilegium datum ad moderandum ieiunium Ecclesiasticum institutum à iure communi, non est extendendum ad ieiunium votum, vel à confessore iniunctum, vel à summo Pontifice, vel ab aliquo alio Superiore ad aliquem particularem respectum impositum alicui particulari homini vel personæ: quale fuit ieiunium iniunctum à S. D. N. ad quærendam Iobelæi indulgentiam propter grandem & particularem respectum. Tum quod generi per speciem derogatur, [a] & consequenter pręceptum speciale factum de ieiunando à summo Pontifice, quod præsumitur factum de modo ieiunādi secundum ius commune, derogat priuilegio generali satisfaciendi ieiunio Ecclesiastico. Salua, &c.

f Ca. ea quæ. & c. odia. de regulis iuris lib. 6.
g L. Papinianus. ff. de minorib.

a Ca. generi. de regu. iuris lib. 6. & in regul. in toto. ff. eodem.

*Vide consilium sequens, quod licet alicui videri posit, non tamen est huic contrarium.*

SVMMARIVM.

2 *Priuilegium præsertim personale non extenditur vltra proprietatem verborum.*
3 *Ieiunare dicitur, qui necessitate ductus aliud non habens, edit quidem carnes, sed in reliquis ieiunium obseruat: quia necessitas facit, vt carnes sint cibi ieiunij: quod & dici probabiliter potest de eo, cui Papa concessit, vt diebus ieiuniorum posit vesci carnibus, & ouis. num. 2. verba tamen concessionis in primis erunt ponderanda. num. 1.*

CONSILIVM VI.

PApa fecit facultatem N. comedendi carnes & oua diebus ieiuniorum. Quæritur, an ipse N. lucretur meritum ieiunij seruando alia, quæ requirunt ieiunia.

1 Respondeo primò, quod cùm non viderim breue, non possum cum certitudine integra respondere. [b]

Secundo, quod priuilegium præsertim personale non debet extendi vltra id quod verba propriè significant. [c]

b L. incinile. ff. de legib.
c Cap. porro. de priuileg.

Tertio, quod potest dubitari, an facultas vescendi carnibus & ouis in die ieiunij includat facultatem, vt ille, qui eam habet, censeatur ieiunare seruando reliqua, & an sit maior facultas, quæ datur comedendi vetita, cum facultate, vt seruando alia censeatur ieiunare, quàm simplex facultas comedendi vetita in die ieiunij, super quam quæstionem multa possent dici.

2 Ego verò nunc (salua mente Papæ) inclino in partem affirmatiuam: quia videtur sua Sanctitas, concedendo huiusmodi facultatem, virtualiter concedere, vt carnes & oua sint priuilegiato cibi quadragesimales, vel cōuenientes diebus ieiunij, & consequenter, quòd talibus vescens non censeatur vesci nisi cibis cōuenientibus diebus ieiunij: ex quo sequitur, quod comedendo tales cibos non frangit ieiunium, & quod verè ieiunat, & consequentur consequetur meritum ieiunij.

3 Sicut credo quod consequeretur illud, qui, quia non potest habere panē & cibos quadragesimales, comederet semel tantùm in die carnes, aut oua, aut lacticinia: quia necessitas facit hos cibos quadragesimales, quales etiam facit priuilegium Papæ, quia in vtroque videtur esse eadem ratio.

*Vide consilium præcedens.*

DE ECCLESIIS ÆDIFICANDIS, VEL REPARANDIS.

SVMMARIVM.

1 *Pensionem habens super beneficio tenetur pro rata ad reparationem illius Ecclesiæ, nisi pensio ab omni onere sit libera.*

CONSILIVM I.

QVæritur an pensionarius clericus habens pensionem impositam super aliquo beneficio Ecclesiastico, & fructibus eius, teneatur pro rata soluere impensas faciendas in refectione tecti & parietum Ecclesiæ.

1 AD HANC QVÆSTIONEM respondetur primo, quòd eam tractat Gigas doctor egregius in tract. responsorum ad quasdam quæstiones ei propositas super pensionibus, [d] & respondet affirmatiuè, quod sic, si non fuit imposita ita, vt esset libera ab omni onere, &c. vt frequentissimè imponi solet à sancta Sede Apostolica.

d Quæ. 8.

Secundò, quòd si pensio prædicta non fuit imposita ita, vt solueretur libera ab omni onere, Dominus consulens tenetur ad soluendos sumptus in prædicta refectione factos pro rata redituum prædicti beneficij. Et quia fundamenta, quibus prædictus Gigas mouetur, apud eum, & apud allegatos ab eo videri possunt, & quia etiam non vacat ob alias occupationes, remitto consulentem ad ea.

Aliqua ad accessoria huius quæstionis pertinentia videri possunt per Felinum, [e] & per Caccialupum, [f] & glossam celebrem. [g] Salua, &c.

e In c. ad audientiam. 2. de rescrip.
f In tract. de pension. q. 10. & 16.
g In clem. 1. de decim. in gloss. 1.

DE IMMVNITATE ECCLESIARVM, COEMETERII, ET RERVM ad eas pertinentium.

SVMMARIVM.

1 *Iudex extrahens ab Ecclesia exempta hominem, & iussus ab eiusdem Ecclesiæ Prælato vt captum restituat, non satisfacit, si captum liberum abire permittat, vel se subiiciat obedientiæ Episcopi non habentis in illa Ecclesia iurisdictionem.*

## CONSILIVM I.

EX Ecclesia exempta prætor hominem malefactorem extraxit, & postea Episcopo ordinario se submisit, & incarcerato fugiendi facultatem fecit, & Ecclesiæ exemptæ conseruator mandauit dictum carceratum restituere. Dubitatur, an prætor pœnam per monitorium conseruatoris positam incurrerit.

1 Respondetur primò, desiderare me videre copiam mandati conseruatoris, vt certius respondere possim, iuxta l. *vt responsum.*[a]

Secundo, inclinare me multum ad dicendum Dominum prætorem de rigore iuris incurrisse pœnam, quia non restituit captum illi Ecclesiæ, de qua cepit eum: quia non excusat ab inobedientia illa submissio, quam fecit Episcopo, qui non habebat iurisdictionem in illa Ecclesia exempta.

Tertio, putare me facile consequuturum eum gratiam cum Prælato, eo quod permiserit fugere, & ita facere libertatem, vt posset, si vellet, redire ad Ecclesiam prædictam regularem, in cuius porta fuit captus: nisi aliquid aliud, quod tamen non proponitur in casu, pacem inter eos impediat. Salua, &c.

a C. de transac.

SVMMARIVM.

1 *Iurisdictionem etiam sæcularem ad personas ecclesiasticas spectantem sibi vsurpans laicus incidit in excommunicationem bullæ: & hoc modo dicta iurisdictio ad dictos ecclesiasticos ratione dignitatis Ecclesiasticæ spectet, aliàs non, num. 2.*

3 *Patronus laicus, cui competunt menses quatuor tantummodo ad præsentandum, is dicitur, cui, etiamsi sit clericus, competit id ius præsentandi ratione bonorum laicalium: Ecclesiasticus autem, cui dantur menses sex, est, cui dictum ius ratione tituli Ecclesiastici competit.*

4 *Ecclesiasticis, inter quos etiam sunt monachi, etiamsi non sint clerici, insolita etiam mediatè vel indirectè imponens onera incidat in bullam Cœnæ.*

5 *Ecclesiasticis onus illud censetur impositum, quod ita eorum subditis imponitur, vt ipsi cogantur illud in effectu subire.*

## CONSILIVM II.

PRætor & magistratus ciuitatis N. incolas castri Turris S. Seuerini ad suum tribunal traxerunt, & eis imposuerunt onus soluendi singulis annis cereum in recognitionem dominij. Et cum iurisdictio dicti castri pertineat ratione abbatiæ ad Abbatem monasterij sancti Seuerini, & cum indirectè onus Abbas, & monasterium soluere cogatur, quæritur, an prætor, & homines de magistratu in bullam Cœnæ inciderint.

Dubium prædictum videtur resoluendum affirmatiuè, videlicet prædictum prætorem, & prædictum magistratum incurrisse excommunicationem bullæ Cœnæ Domini duplici capite. Vnum est, quòd qui vsurpat iurisdictionem pertinentem ad personas Ecclesiasticas, incidit in illam, & prædicti, vt præsupponitur in dubio, vsurparunt iurisdictionem pertinentem ad Abbatem sancti Seuerini, qui est persona ecclesiastica: nam decreuerunt, & relaxarunt mandatum executorium contra subditos prædicti Abbatis, quos sciebant illi esse subiectos, & à iurisdictione sua exemptos: nec prodest illis dicere, quòd non vsurparunt iurisdictionem Ecclesiasticam, sed sæcularem tantum: quia ad incurrendam illam, sufficit vsurpare iurisdictionem pertinentem ad personam Ecclesiasticam, modo pertineat ratione dignitatis Ecclesiasticæ, vt nos declaramus in septima declaratione decimæquartæ excommunicationis in Manuali.[b]

b Ca. 27. nu. 69.

2 Vbi dicimus dictum Caietani ibi citatum intelligendum de vsurpante iurisdictionem sęcularem pertinentem ad personam ecclesiasticam ratione sui patrimonij separati à bonis Ecclesiasticis, & non de pertinente ad personam Ecclesiasticam ratione dignitatis, vel bonorum, quæ antea erant sæcularia, & per donationem, vel aliàs facta sunt Ecclesiæ, quibus est annexa iurisdictio temporalis, vt in casu nostro.

3 Sicut in simili patronus clericus habet semestre ad præsentandum,[a] & laicus quadrimestre,[b] & licet clericus, qui est patronus ratione patrimonij sui separati à bonis Ecclesiasticis, censeatur patronus laicus, iuxta cap. *cum dilectus*, adiuncta glossa & doctrina communi:[c] qui tamen habet præsentationem ratione dignitatis suæ, censetur Ecclesiasticus, etiam si eam habeat ratione bonorum sæcularium donatorum Ecclesiæ suæ, vel beneficio.[d]

4 Alterum caput est, quòd qui imponunt onus insolitũ Ecclesiasticis personis, incidunt in excommunicationem decimamquartam prædictæ bullæ, vt ex ea patet: & licet prædicti prætor & magistratus solis laicis directè & immediatè imposuerint onus insolitum recognoscendi in superiorem castri Turris sancti Seuerini ciuitatẽ N. mediatè tamen, & indirectè imposuerunt illud Abbati monasterio, & monachis, qui sunt Ecclesiasticæ personæ, etiam si non essent clerici.[e] Cum si prædictum castrum deberet subire onus soluendi prædictum cereum in recognitionem dominij, Abbas & monachi prædicti deberent recognoscere prædictam superioritatem quo ad prædictum castrum: & qui vult antecedens, vult etiam consequens, quod illud necessariò consequitur, iuxta l. *illud*,[f] cum allatis ibi per Iasonem, & cap. *præterea*,[g] cum citatis ibi per Decium, & qui vasallo & domestico facit iniuriam, videtur eam domino facere.[h] Salua, &c.

a Ca. cum autem. de iur. patr.
b Ca. cũ propter. eod. tit.
c De iure patr.
d Arg. c. 1. §. verũ. de iur. patr. in 6.
e Ca. non dubium. cap. de monialibus. de sententia excommunicationis.
f ff. de acqui. hæred. le. 2. ff. de iurisdict. om. iud.
g De officio deleg.
h Clem. 1. de excess. prælat. in princ. vbi Card. not. 3.

SVMMARIVM.

1 *Fructus beneficiorum, vt tales, subiacere potestati & dispositioni laicorum, asserere, impietatem sapit quandam: illorúmque administratio ita Papæ est reseruata, vt de illis laicus princeps non possit se intromittere. num. 3. attamen postquam à clericis in alios fuerunt translati, tunc effecti profani laicæ subiacere poterunt potestati. num. 3.*

1 *Beneficium ius spirituale est dependenter, & spirituale quid in recipiente requirit, vt eius sit capax.*

2 *Beneficium non solùm prout est ius percipiendi fructus ecclesiasticos, sed & eius prædia sunt quid sacrum: quique ea vsurpat, est sacrilegus.*

3 *Christus est verus dominus bonorum ecclesiasticorum, Papa summus administrator.*

4 *Iudices laici si non præcipiendo, sed rogando petunt ab Episcopis monitoria, Concilio non contraueniunt Tridentino.*

## CONSILIVM III.

QVæsitum fuit primò, an fructus beneficiorum Ecclesiasticorum subiaceant potestati, & dispositioni laicorum.

Secundo, an particula illa decreti Concilij Tridentini,[i] ibi, *Nec ad eas concedendas cuiusuis sæcularis, etiã magistratus, auctoritate adducatur*, aduersetur stylo parlamentorum Galliarum præcipientium Episcopis, vt dent literas monitoriales ad effectum reuelandi.

1 AD PRIOREM QVÆSTIONEM respondeo, quòd impietatem quandam sapere videtur, asserere fructus beneficiorum Ecclesiasticorum, quatenus sunt tales, subiacere potestati laicorũ. Tum quia beneficia sunt iura spiritualia,[k] vel certe illis annexa, non quidem antecedenter, vt est ius patronatus, sed dependenter, quod est plus, ita quod ad capacitatem illorum requiritur vt præcedat quiddam spirituale, quo quis fiat capax eorum, iuxta capit. *cum adeo*,[l] & tradit S. Thomas receptus ab omnibus.[m]

2 Tum quia ipsemet paulò prius,[n] dicit, non solùm beneficia, quæ sunt iura percipiendi reditus ecclesiasticos, vt definiũt Petrus ab Ancharano,[o] Calderinus,[p] & ibi resolutè Felinus,[q] sed etiam prædia ipsa Ecclesiarum, quatenus sunt talia, esse sacra, & qui diripit ea, vel absque solemnitate Ecclesiastica vsurpat, est sacrilegus.[r]

3 Tum quia per plura irrefragabiliter probauimus in tractatu de reditibus ecclesiasticis.[s] D. N. Iesum Christum esse verum & plenariè Dominum omnium bonorum Ecclesiasticorum, non solùm iure illo generali, quod,

i Ca. 3. de ref. sess. 25.
k Ca. dilecto. de praben.
l De rescript. ca. ex literis. de transact.
m In 2. 2. qu. 100. art 4.
n Q. 99. art. 3.
o In cap. 1. de reg. iur. lib. 6.
p In ca. in nostra. qu. 3. de rescrip.
q Nu. 9.
r Ca. sunt qui opes. & cap. quisquis. 17. q. 4.
s Qu. 1. mon. 21.

*Domini est terra & plenitudo eius*, [a] sed etiam speciali, quali quilibet homo est dominus rei sibi donatæ, vel aliàs legitimè quæsitæ: adeo quidem, quòd post Concilium Tridentinum, quod ibi citauimus, non liceat opinari contrarium. Tum quia Concilium Lateranense sub Leone X. habitum, [b] in indiuiduo declarauit Papam esse summum administratorem & dispesatorem omnium fructuum beneficiorum, & Reges & principes nullam super hoc habere potestatem: quem §. etiam nos allegauimus in tractatu de Iobelæo. [c] Dixi supra, *quatenus sunt tales*, id est fructus & reditus beneficiorum: nam quatenus sunt res vendibiles, & emibiles, & translatæ à beneficiariis in aliquem per aliquam dispositionem licitam ab Ecclesia probatam, quia per illam facta sunt profana, possunt dici subiecta Regum & principum potestati.

a *Psal.* 23.
b *Sess.* 9. §. & *cum fructuũ.*
c *Notab.* 29. *num.* 2.

4 AD SECVNDAM respondetur, particulam illam præfati Concilij non esse contrariam praxi celeberrimorum & omnigena eruditione præfatorum parlamentorum. Quandoquidem non est credibile parlamenta illa Christianissimi Regis auctoritate collecta, vti stylo præceptiuo in rogando Episcopos, vt dent literas monitorias in quæstione contentas: quia id esset contra omnia iura naturalia, diuina, & humana, vt palam est: sed stylo præcatorio, vt in omnibus terris, quas ipse incolui, fieri intelleximus: quod non est contrarium præfato Concilio quod vetat, ne Episcopi auctoritate laica eas dent. quia id intelligendum est eo modo, quo cap. 2. [d] decernit, ne iudices ecclesiastici spiritualia negotia iudicio laicorum expediant: per quod non prohibet expedire aliqua ad preces & literas precatorias Regum, principum, & aliorum iudicum laicorum. Quod si replicetur præfata parlamenta vti stylo præceptorio, & quasi superiores iubentes aliqua suis inferioribus, emendandus est vti contrarius iuri diuino, & sacris canonibus irrefragabilibus qualia, sunt cap. *quoniam.* 10. dist. cap. *cum ad verum ventum est*, [e] & alia multa, per quæ, vt arbitror, Rex Christianissimus id admonitus facile iubebit emendare. Salua, &c.

d *De iudi.*
e 96. *dist.* & *cap. nouit. de iudic.*

*SVMMARIVM.*

1 *Gabella nedum personalis, sed nec pro rebus propriis potest imponi clericis, etiam quando eas vendunt in territorio, vel extra illud, etiam vt alteri donent, modo non causa negotiationis, seu non gratuiti cõtractus expressè vel tacitè initi transmittant. num. 1. 3. & 4. & cùm dubitatur an causa negotiationis transmittant, eorum statur iuramento. num. 4.*

## CONSILIVM IIII.

RESpublica N. imposuit nouum pedagium, siue portorium, ità vt etiam Ecclesiasticus dono mittens aliquos fructus, etiam ad Ecclesiasticos, teneatur portorium soluere. Quæritur, an incurrerit aliquam censuram.

1 Respondeo primò, ad hanc quæstionem responsuro conuenire multum legere statutum, vel declarationem, qua præfata Respon. imposuit, vel declarauit impositam præfatam gabellam, seu portorium ex his, quæ dono mittunt subiecti eius existentibus extra territorium eius, contra omnia iura, quæ vetant imponi, & exigi à clericis gabellam personalem, vel de rebus propriis eorum, quæ nos tetigimus in Manuali nostro confessar. [f] & copiosius citant Decius, [g] & citati ab eo: vt melius intelligeret causam, finem, & intentionem huiusmodi impositionis & exactionis.

f *Cap.* 17. *nu.* 201.
g *Cons.* 496.

2 Secundò, quòd iuxta iura communia canonica non potest prædicta gabella, seu portorium exigi licitè à clericis mittentibus dono pro xenio aliquos fructus de suis hortis & arboribus collectos alicui amico, vel domino, etiam extra territorium existenti: quia secundum illa non possunt cogi ad soluendum portoria, vel gabellas de rebus propriis, vel de fructibus eorum, nisi causa negotiationis ea transmitterent, iuxta clementinam vltim. [h] cùm donatio non sit genus negotiandi, cùm sit contractus gratuitus, & negotiatio fiat per contractus non gratuitos, vt colligitur ex l. 1. & 2. [i] iuncto capit. *negotiatorem*, & capit. *eijciens.* [k]

h *De censib.*
i *Et tot. tit. ff.* & *C. de donat.*
k *Et tot. dist.* 88. & *ex toto titulo ne clerici vel monachi.*

3 Tertiò, quòd clerici per iura communia supra dicta non debent vllam gabellam impositam à potestate sæculari de fructibus propriarum rerum, quos vendunt intra territorium suum: ergo neque portorium ab eadem impositum pro transmissione ad aliud territorium per viam donationis, argumento à fortiori: quia magis debetur de rebus venditis, quàm de rebus donatis, vt colligitur ex prædictis iuribus, & [a] Panormitano & ex præfato consilio Decij, qui citat multos asserentes Ecclesiam non debere gabellam de quæsitis ex titulo lucratiuo.

a *Cons.* 6. *lib.* 1.

4 Quartò, quòd glossa notabilis, [b] communiter recepta habet, quòd si inter clericum, & publicanum, seu eius exactorem fuerit controuersia, an res, pro qua petitur gabella, deferatur causa negotiandi, vel alia, & non possit alio modo probari, deferetur iuramentum clerico deferenti: cui sequens est non deberi portorium à clerico, nisi sciatur eum deferre causa negotiandi.

b *In clemen. vlt. de censib.*

Per quæ omnia, & alia, quæ adduci possent, respondendum videtur, non esse soluendam prædictam gabellam, seu portorium à clerico mittente dono aliquid, etiam extra territorium, nisi dolo, vel fraude excusandi portorium mitteret illud nomine doni, facto fortè prius expressè vel tacitè pacto, vt is, cui mittitur, tantumdem vel plus remittat nomine doni. quod est in causa, vt suspicer prædictam Remp. motam fuisse ad iubendum solui prædictum portorium ex fraudibus clericorum, quæ præfato modo & aliis consueuerant fieri publicanis suis: cum fraus & dolus nemini patrocinari debeant. [c] Ob quod conueniret, vt dixi, nosse finem, & causam, quæ mouit prædictam Remp. ad imponendam, vel declarandam prædictam exactionem. Salua, &c.

c *Cap. Sedes Apost. de rescript.*

*SVMMARIVM.*

1 *Bona clerici patrimonialia non gaudent priuilegio bonorũ Ecclesiæ, nisi in casibus in iure expressis, vel ad illorum titulum loco beneficij sit ordinatus.*

2 *Clericus soluens sponte collectas peccat, sed non excommunicatur, exigens autem sic.*

## CONSILIVM V.

N. Sacerdos habet patrimonium, ad cuius titulum fuit ordinatus.

Quæritur primò, an teneatur ad collectas publicas laicorum, quæ in dies imponuntur.

Secundo, an si eas soluerit, incurrat aliquam censuram.

1 Respondetur primò, quòd quamuis inter doctores res controuertatur, communis tamen conclusio habet, quòd bona patrimonialia non gaudent regulariter priuilegio bonorum Ecclesiæ, nisi in casibus à iure expressis, vt tradit Panormitanus, [d] & alij multi, quos citat & sequitur Felinus. [e]

Secundò, quòd hæc conclusio fallit in bonis patrimonialibus, quæ habet clericus ordinatus ad illa data ei pro titulo ordinationis loco beneficij: quia pro huiusmodi bonis gaudet priuilegiis bonorum Ecclesiæ, etiam in casibus non expressis à iure, per glossam, [f] quam citat & sequitur Felinus, [g] & Decius, [h] qui omnes firmius tenuissent, si tempore suo Concilium Tridentinum statuisset de huiusmodi patrimonio illa, quæ statuit, [i] vbi prohibetur tale patrimonium alienari, nisi de licentia Episcopi, &c.

d *In c. fin. de vita & honestate cleri.* & *in c. si diligenti. de foro compet.*
e *In ca. ecclesia sanctæ Mariæ. de constit. nu.* 8. *sub finem.*
f *In c. Episcopus. de præb.*
g *Vbi supra nu.* 10.
h *In d. c. Episcopus. nu.* 11.
i *Ca.* 2. *de reform. sess.* 21.

Tertiò, quòd ex his sequitur decisio quæstionis, scilicet quòd huiusmodi clericus non tenetur ad soluendas collectas impositas, vel imponendas de huiusmodi patrimonio, plusquam de aliis bonis Ecclesiæ.

2 AD SECVNDAM respondeo primò, quòd ob solam solutionem collectæ, quam non debet ex illo patrimonio, non incurrit vllam censuram. Tum quia cap. *clericis*, [k] per quod Bonifacius VIII. statuit, vt incurreretur excommunicatio ab eis, qui soluerent huiusmodi indebita sine licentia, vel auctoritate Papæ, fuit correctum & sublatum à Concilio Viennensi. [l] Tum quia licet dici posset huiusmodi solutionem vetari per Innocentium III. [m] non tamen excommunicauit soluentem, & ita remansit sola excommunicatio Concilij Lateranensis positi in cap. *non minus*, [n] in quo tamen nihil statuitur contra soluentem, sed contra exigentem tantùm.

k *De immunit. ecclesi. lib.* 6.
l *In clem. fin. eod. tit.*
m *In c. aduersus. de immunit. ecclesiarum.*
n *Eodem tit.*

Secundò, quòd probabiliter dici potest eum peccaturum grauiter, si sciens & credens non teneri ad soluendam illam soluerit sponte sine timore iusto incurrendi aliquod maius malum, quia videtur transgredi præfatum celebre cap. *aduersus.* [o] Salua, &c.

o *De immunit. eccles.*

SVMMARIVM.

1 *Statutum ut confrater sine consensu Prioris non possit confratrem in ius coram Ecclesiastico vel saeculari iudice vocare, sub poena expulsionis à confratria, non est contra libertatem Ecclesiae.*

2 *Libertatem Ecclesiasticam non laedit statutum continens consilium sancti Pauli de non litigando.*

3 *Statutum bona fide seruans nullam incurrit censuram, etiamsi reuera esset contra libertatem Ecclesiasticam.*

4 *Tempus immemoriale habet vim priuilegij, si allegetur, etiamsi per illud derogetur Ecclesiasticae libertati.*

## CONSILIVM VI.

QVędam confratria disciplinatorum ante centum annos inter alia statuit, vt nullus confratrum posset alterum confratrem conuenire coram iudice Ecclesiastico, vel saeculari, super spiritualibus, vel temporalibus, nisi de consensu Prioris praefatae confratriae, sub poena expulsionis à confratria. Quaeritur, an huiusmodi statutum sit contra libertatem Ecclesiae.

1 Respondeo, quòd non. Primò quidem, quia, si vlla ratione praefatum statutum esset contra libertatem Ecclesiae, maximè foret, eo quod tollit confratribus libertatem conueniendi confratres super spiritualibus coram Episcopis: qua tamen ratione non potest dici contra libertatem Ecclesiae. Tum quia praefatum statutum nihil in effectu continet aliud à consilio B. Pauli Apostoli, [a] ibi, *Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum, sed frater cum fratre iudicio contendit.* Tum quia illud statutum non astringit nisi volentem illud seruare: partim, quòd non cogit nisi volentem intrare confratriam, quam nemo cogitur intrare: partim, quòd confratrem nulla alia poena punit, quàm quod desinat esse frater confratrum: partim, quòd alioquin etiam votum virginitatis esset contra libertatem ecclesiasticam, per quam clerici minorum ordinum possunt ducere vxores.

2 Secundò, quod praefatum statutum in effectu solum statuit, vt qui nō vult seruare consiliū Pauli, nō sit confrater illius confraternitatis: & absurdum esset dicere, quod facere obseruare consilium Pauli apud aliquam confratriam, esset contra libertatem Ecclesiae, apud quam totam Paulus volebat illud seruari: & ita non dicendum. [b]

3 Tertiò, quòd praefati confratres bona fide, sinceróque corde à maximo tempore tenent illud statutum in sua confraternitate: quod sufficit ad hoc, vt non incidant ob id in aliquam censuram, secundum Innocentium, [c] quem communiter receptum retulimus in Manual. confessar. [d]

4 Quartò, quòd tempus immemoriale habet vim priuilegij, [e] & ita praefata confraternitas potest se tueri allegando priuilegium habuisse faciendi & retinendi tale statutum, secundum mentem omnium ferè scribentium. Salua, &c.

[a] 1. Corinth. 6.

[b] L. nā quod absurdum. ff. de bonis libert. c. ad audientiam. de decim.

[c] In ca. nouerit. in fin. de sent. excommun.

[d] Ca. 27. nu. 119.

[e] Cap. super quibusdā. §. praeterea. de verb. signifi. & l. hoc iure. §. ductus aquae. de aqua quoti. & aestiua.

## NE CLERICI VEL MONACHI SAECVLARIBVS NEGOTIIS SE IMMISCEANT.

SVMMARIVM.

1 *Tutelam & curam minorum suscipere nec Episcopus, nec sacerdos saecularis coguntur, etiamsi sint miserabilium personarum, licet Siluester & alij contrarium senserint. num. 3. possunt tamen: & hoc, modo non accipiant illas turpis lucri gratia, vel ob alium malum finem, num. 2. quia tunc etsi non incurrant suspensionem, possunt tamen puniri. num. 5.*

3 *Exequutor testamenti, tutórque, & curator esse potest nedum presbyter saecularis, sed etiam religiosus, modo obtineat à suo superiore licentiam.*

4 *Miserabiles personae reputantur omnes curatore, vel tutore egentes.*

## CONSILIVM I.

AN Presbyter possit licitè suscipere tutelam, vel curam minoris?

Respondeo primò, quòd de tutela & cura minoris idem videtur quo ad hoc propositum iudicandum, per textum in hoc mihi notandum in cap. *peruenit*. [f]

1 Secundo, quod generaliter omnes clerici, & monachi sunt exempti à qualibet tutela & cura, per l. *generaliter*, [g] siue tutela sit legitima, quae lege defertur, siue datiua, quae à iudice datur, siue testamentaria, quae à testatore defertur, iuxta illos titulos de legitimis tutoribus & curatoribus datis ab his. [a]

2 Tertiò, quòd presbyteri, & etiam Episcopi possunt suscipere illas, si volunt, sine vllius alterius licentia, modò non suscipiant illas gratia turpis lucri, vel auaritię, vel ad alium finem malum, quoniam omne, id cuius finis malus est, ipsum quoque malum est. [b]

3 Quartò, quod etiam religiosus potest esse exequutor testamenti, petita tamen & obtenta Superioris licentia, [c] & eadem ratione tutor, vel curator, vt rectè ait Siluester, [d] addens, quod tutelam miserabilium personarum tenentur suscipere: quod ante ipsum dixerunt & alij, vt in his Cardinalis Turrecremata. [e]

4 Quod tamen nulla ratione probatur, & videtur reprobari, eo quod indigentes tutoribus & curatoribus censentur miserabiles personae, vt satis probat praefatum cap. *peruenit*, & tota dist. 87. & 88.

5 Quintò, quod presbyter, & alij praedicti, qui malè suscipiunt tutelas vel curas, non incurrunt iuris communis suspensionem ipso iure, per praefatum cap. *peruenit*, quod solum dictat esse subiiciendos correctioni, quam dictionem glossa malè videtur exponere per suspensionem, vt colligitur. Tū quia ex Hugone Archidiaconus & Turrecremata sanius intelligunt de correctione arbitrio maiorum facienda, & sic de poena imponenda à iudice, & non ipso iure. Tum quia nullibi probatur, quod verba illa, *subiaceant correctioni, vel castigationi*, debeant intelligi de poena ipso iure, cùm alienum sit à sua significatione, cúmque mitior intelligenda sit alia, & in dubio intelligenda est lex de mitiori poena. [f]

[f] 86. dist.

[g] C. de Episcopis & clericis. ca. generaliter. 16. q. 1.

[a] ff. C. & in Inst.

[b] Ca. cum ministter. 3. qu. 5.

[c] Ca. 2. de testam. li. 6.

[d] In verbo tutela. qu. 3.

[e] In d. ca. peruenit. num. 5.

[f] Cap. in poenis. de regul. iur. li. 6. cum ei annotatis.

SVMMARIVM.

1 *Presbyter doctoratum in iure ciuili etiam sine licentia Episcopi assumens nullam poenam incurrit, peccat tamen capiens sine sufficienti scientia.*

## CONSILIVM II.

QVaestio est, an presbyter beneficiatus possit sine licentia sui ordinarij doctoratus gradum in iure ciuili assumere sine incursu alicuius censurae, irregularitatis, & sine amissione beneficij.

1 Respondetur, quod si presbyter, de quo loquitur quaestio, callet sufficienter leges ciuiles, poterit assumere doctoratus gradum in iure ciuili sine incursione irregularitatis & censurae, & sine periculo perdendi beneficium, licet non habeat licentiam sui ordinarij, secundum opinionem, quae nobis magis placet, Panormitani. [g] Si autem non callet satis leges ad sumendum gradum doctoratus in eis, peccabit eum assumendo, iuxta glossam, [h] sed non incurret vllam censuram: sicut etiam, si ignoraret canones, & assumeret gradum in eis, peccaret quidem, iuxta praedictam glossam sed non incurreret censuram. Et addo nihil prodesse ipsi licentiam ordinarij: quia non potest eam dare ordinarius, iuxta notata in dicto cap. *super specula*. & alibi communiter. Salua, &c.

[g] In ca. super specula. à nu. 16. ne cleric. vel monach.

[h] 2. clem. 2. de magist.

SVMMARIVM.

1 *Medicinae exercitium prohibetur clerico existenti in sacris, alias non, nisi habeat beneficium etiam non sufficiens ad sui sustentationem: non tamen ob id incurrit censuram, vel irregularitatem: peccaret tamen id faciens, num. 2. sine dispensatione Papae, nu. 4. immo nec peccaret, si causa pietatis, vel etiam causa cognationis, vel instantis necessitatis infirmi, vel suae, vt sic sibi, cùm aliunde non habeat, victum lucretur. n. 3.*

## CONSILIVM III.

DE Medico clerico saeculari prima tonsura vel minoribus tantùm ordinibus insignito, & habente duas capellanias non reddentes victum ei sufficientem, an medendo peccet?

Respondeo primo, praefatum Dominum consulentem debere cauere, ne committendo, vel omittendo peccet aliquod septem generum peccatorum, quae prohibentur, & esse peccata diximus in Manuali confessar. [i] de peccatis medici, & chirurgi, cum declarationibus eisdem ibidem habitis.

1 Secundo, debere item cauere, ne vtatur officio, & arte medica; quia licet clericus simplex ordine sacro & beneficio ecclesiastico carens non peccet officio & arte

[i] Cap. 25. nu. 60.

medica vtens, plusquam laicus medicus: ordine tamen sacro insignitus, vel habẽs beneficium Ecclesiasticum peccat vtẽdo eis, ea ratione, quod est officium sæculare, cuius exercitium prohibetur clericis, & monachis, per rubric. *ne clerici vel monachi sæcularibus negotijs se immisceant*, & [a] Concilium Tridentinum: per quod innouantur canones, & statuta vetantia clericis negotia sæcularia: in quod facit etiam capit. 6. [b] eiusdem Concil. licet non æquè clarè, quæ duo capp. etiam nos citamus in Manual. confess. [c] Nec obstat, quòd beneficia Domini consulentis sint parui prouentus, & ad victum eius honestum non sufficientia: quia in ea sumus opinione, quæ tenet beneficium etiam non sufficiens victui honesto obligare ad recitandas Horas canonicas: quam nostram sententiam efficaciter probamus contra Dominicum Sotum in Enchirid. de oratio. [d] & qua ratione obligat ad Horas canonicas, debet etiam obligare ad vitanda officia sæcularia. [e]

a Et ca. 1. de refor. sess. 22.
b De refor. sess. 14.
c Cap. 25. nu. 111.
d Ca. 21. nu. 11.
e Arg. l. illud. ff. ad le. Aquil.

2 Tertio respondetur, quòd præfatus D. consulens solo iure communi attento non incurreret excommunicationem, nec vllam aliam censuram, nec irregularitatem propter exercitium artis prædictæ medicinæ, licet peccaret per prædicta: quia nulla talis pœna incurritur ipso iure, nisi alicubi exprimatur. [f]

f Cap. is qui. de sent. excõmu. li. 6.

3 Quartò, quòd posset etiam licitè sine vlla dispensatione curare causa pietatis infirmos miserabiles, & pauperes, & mea sententia etiam causa cognationis, & instantis necessitatis ægroti, & etiam ipsiusmet consulentis, si eguerit, argumento capit. 1. [g] quia necessitatis propriæ causa posset etiam negotiari, & aliquo honesto officio vel arte victum honestum sibi quærere, per ea quæ citamus in dicto Manuali. [h]

g Et 2. de postulan.
h Ca. 25 nu. 111.

4 Quinto, quod indiget dispensatione Papæ ad curandum per prædictam artem generaliter quoscumque infirmos diuites, & pauperes, propinquos, & extraneos sine peccato, vt prædictum est. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Generalia verba mãdati & præcepti ad licita restringẽda sunt.*
2 *Constitutio Gregorij XIII. contra receptatores bannitorum lata ligat etiam clericos eis fauentes extra casum confessionis, & alios in quibus iure naturali vel diuino eos iuuare tenentur: nemini autem præcipit, vt bannitos denunciet. num. 2.*
3 *Tolerare bannitos qui prohibentur, non ideo cẽsentur obligati ad eos denunciandos.*
4 *Denunciatio bannitorum quando non potest nisi cum propriæ mortis periculo fieri, in dubio non est censenda per legislatorem præcepta.*

## CONSILIVM IIII.

SVper contentis in bulla Gregorij XIII. contra receptatores bannitorum, &c. dubitatur primò, an omnes teneantur accusare, propalare, vel denunciare bannitos. Secundo, an esto laici teneantur ad accusandum, denunciandum, & propalandum, etiã clerici teneantur ad idem.

1 Respondeo primò, quòd alicui videri posset nõ includi clericos, vel monachos in prædicta bulla. Tum quia nullam de illis specialem mentionem facere videtur: & quòd nullam mentionẽ facit de Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Decanis, Canonicis, &c. Tum quod meminit in specie Duces, Marchiones, Comites, & alios sæculares, siue laicos. Tum quod verba illa, *Ecclesiastica dignitate præditus, &c. Beneficio ecclesiastico priuati*, possent intelligi de dignitate, & beneficio temporali, quam, vel quod quis teneret ab Ecclesia. Tum quod clerici vel monachi non possunt licitè facere multa, quæ in ea iubentur, & verba generalia restringenda sunt ad licita. [i]

i L. si procurator. ff. de cõditio. indeb. c. 1. de iureiur. li. 6.

2 Tum denique quòd non est tanta ratio includendi eos, cũ rari videantur clerici, vel monachi fauentes huiusmodi sanguinariis, & grassatoribus: & quod constitutio est valde exorbitãs à iure communi, & pœnalissima, ideóque restringẽda. Sed quia vtitur illo verbo generali, *Quicumque*, & illis verbis, *Etiam ecclesiastica dignitate præditus*, & illis, *Ecclesiasticæ dignitatis, vel mundanæ cuiusuis conditionis, & ordinis*, & illis, *Ecclesiastico beneficio*: & quia conditor eius, ad quem pertinet interpretari, [k] est præsens: & quòd etiam Ecclesiastici solent aliquibus eorum malè fauere: non auderem excludere illos, qui eis fauerent extra casus sacræ confessionis, & alios, in quibus iure naturali vel diuino tenerentur eis fauere.

k L. fin. C. de legib.

2 Secundo, quod non videtur quẽquam per eam teneri ad accusandum, vel denunciandum: quoniam nulla eius parte id cauetur: licet in versiculo *communitates, &c.* iubetur, vt vniuersitates, quę nouerint accessum, stationem, vel transitum aliquorum illorum, debeant pulsu campanæ conuocare populum armatum, illósque capere, si possunt, & si nõ possunt, commonefacere finitimas quasque communitates, vniuersitates, vel dominos, non tamen iubet id singularibus personis, quas mox obligat ad alia diuersa, in quibus non includitur accusatio, nec denunciatio, quãuis includatur receptatio, & largitio, & opitulatio per cibum & commeatum & aliud ad euadendum: & iussus non tolerare, non videtur iussus accusare, vel denunciare.

3 Tum quod apud emendatè loquentes, *tolerare*, significat sufferre, vel sustinere, vel tenuiter alere: & ita potest quis non tolerare contradicendo, vel nolendo cõuersari, vel cohabitare, licet non accuset, neque denunciet. Tum quod aliud est non tolerare iniuriam, & aliud deferre illam iudici: passim enim videmus nobiles non tolerantes iniuriam, neque deferentes eam in iudicium, & multi non tolerant excommunicatos, nec deferunt eos in iudicium, vt colligitur ex toto tit. de sentent. excommunicat.

4 Tum quod si S.D.N. voluisset obligare omnes ad accusandum, vel denunciandum, id expressisset, vt ait cap. *ad audientiam*, [a] sicut expressit in sua extrauag. *ab ipso*. Tum quod periculosissima & morti vicina est huiusmodi denunciatio: & legislator præsertim iuris callẽtissimus, qualis est S. D. N. nouit non debere legem ligare aliquem ad huiusmodi periculosissima, iuxta cap. *erit autem lex*, [b] declaratum per S. Thomam. [c] Tum denique quod ipsemet S.D.N. nouit, quòd leges huiusmodi denunciationes pręcipientes malè recipiuntur à populo: nouit enim quòd extrauagans 2. [d] quæ hoc præcipit, numquam fuit recepta, vt tradimus in Manual. confessar. [e] neque extrauagans prædicta, *ab ipso*, quantum ad hoc est recepta. Salua, &c.

a De decim.
b 4. dist.
c 1. 2. qu. 95. art. 3.
d De simo.
e Ca. 27. nu. 106.

SVMMARIVM.

1 *Ius ciuile etiam respiciens materiam criminalem prælegere, & super eo commentarios scribere nequaquam clericis beneficiatis etiam in dignitate constitutis prohibetur, nec ob id incurritur aliqua irregularitas. num. 2. auditio autem iis solùm prohibetur, qui sunt sacerdotes, vel habent dignitates, seu personatus, vel sunt monachi. num. 1.*
3 *Absolutio & dispẽsatio petita ab eo, qui ea non eget, ei nõ nocet.*

## CONSILIVM V.

N. Lector materiarum criminalium in Academia Romana aliquot beneficia à Papa obtinuit, propter quod prima tonsura insignitus fuit: & cùm ipse Papa illi propitius esset, ad maiorem cautelam absolutionem cum noua prouisione petiit, vt & lectionem criminalem, & dicta beneficia retinere posset: supplicationeque signata, & ad registrum missa, Papa vita functus est: vnde in expeditione literarum orta fuit difficultas.

Quæritur primò, an dispensatio sit necessaria.

Secundo, si nocet pro illa fuisse supplicatum.

AD PRIMAM respondetur, quod si antequã conferrentur D. consulenti prædicta beneficia, assumpsit primam tonsuram, de qua loquitur, vt par est credere, non indiget noua collatione, nec noua expeditione bullarũ, nec vlla dispensatione ad prælegendum ius ciuile: quia non habet dignitatẽ, neque est presbyter, nec monachus: nec etiam indigeret dispensatione ad prælegendum iura ciuilia propter beneficia præfata, quæ nõ sunt dignitates, nec personatus, neque officia, de quibus loquitur cap. *de multa*, [f] neque per consequutionem ad prælegendum partem iuris ciuilis, quæ materiam criminalem continet.

f De præben. & cap. super specula. ne clerici vel monach.

2 Tum per rationem prædictam. Tum quia non vetatur prælectio legum ciuilium etiam constitutis in dignitate, sed tantùm auditio, vt post Innocentium tradimus nos in Manual. nostro confess. [g] neque debet timere incursionem irregularitatis, eo quod prælegit materiam criminalem, quia illa non incurritur propter prælectionem legum criminalium, neque propter commentarios super illis compositos, sed tantùm propter homicidium, vel mutilationem factam, ope, consilio, vel auxilio ad id præstito, & ob eam præstationem consequuto.

g Ca. 27. nu. 16.

3 AD SECVNDAM respondetur, quòd nihil nocet ei petitio dispensationis prædicta. Tum quia non est necessaria per prædicta: quia petitio etiam absolutionis ab excommunicatione nõ inducit necessitatem eius, licet petatur, vt satis sentit glossa singularis, [a] quatenus loquitur de petitione ad cautelam, & allegat capit. *ad eius.* [b] & Panormitanus communiter receptus post multos à se citatos tenet: & citius ipse consulerem D. consulenti, vt eiiceret eam à domo, si haberet in arca, quàm quæreret, vt eam mitteret in illam: quia ad nihilum prodesset, & veniens in manus alicuius parum eruditi posset nocumentum facti afferre, licet non iuris, quo ipse defenderetur, & ideo relinquat dormire. Salua, &c.

a *In c. venerabilem. de electio. verbo postulauit.*
b *5. dist.*

### SVMMARIVM.

1 *Clericus in minoribus constitutus, beneficio carens potest sine peccato etiam in criminalibus patrocinari, nec eget ad id indulto: quod si eidem se talem narrãti concedatur, non tamen ei ascendenti ad sacros, vel postea obtinenti beneficium proderit, sed peccabit patrocinando, non tamen incurrit irregularitatem, si ex suo patrocinio mors non sequatur.*

## CONSILIVM VI.

CLericus in quatuor minoribus constitutus, cupiens promoueri ad sacros, fecit se absolui, eo quod patrocinatus fuisset in causis ciuilibus & criminalibus: & post huiusmodi absolutionem patrocinatus est in causis ciuilibus sæcularibus. Quæritur, an indigeat de nouo absolui, si ad sacros ordines promoueri voluerit, & an idem sit, si in causis ciuilibus Ecclesiasticis sit patrocinatus, & quid dicendum, si in indulti patrocinandi supplicatione narretur, quod in quatuor minoribus ordinibus constitutus existat, nullumque habens beneficium: Vtrum si ad ali- A quem sacrorum ordinum promoueatur, vel beneficium sine cura obtinuerit, indultum ipso iure fiat nullum?

1 Respondeo primò, quòd nullus clericus, siue tantum quatuor minoribus, siue etiam sacris initiatus, incurrit excommunicationem, vel aliam censuram patrocinando in causis, siue sint ecclesiasticæ, siue sæculares, & siue criminales, siue ciuiles: quia nullo iure id cauetur: quamuis peccaret etiam mortiferè id faciendo, si haberet beneficium Ecclesiasticum, vel si constitutus esset in sacris, licet non haberet beneficium, [a] incurreret tamen irregularitatem, si ex suo patrocinio sequeretur mors, vel mutilatio membri, per ea quæ habentur in cap. *sententiam sanguinis.* [b]

a *C. a. 1. de postul.*
b *Ne clerici vel monachi.*

B Secundo, non posse satis facilè intelligi, à quibus fuit absolutus Dominus consulens, eo quod in quatuor minoribus constitutus patrocinatus fuerit, cùm non dicat se tunc habuisse beneficium, nec proponat se incurrisse irregularitatem, nec petiisse dispensationem super illa.

Tertio, quod etiam ex primo dicto sequitur, non indigere ipsum absolutione aliqua noua, nec dispensatione, si non fuit patrocinatus in causis criminalibus, ita vt ex eius patrocinio mors, vel mutilatio sequuta fuerit.

Quarto, quod indultum præfatum, vt posset patrocinari in statu quatuor minorum, & carens beneficio, non fuit indultum, nec priuilegium, sed ius commune, quandoquidem constitutus in quatuor minoribus tantùm, & C omni beneficio carens, nullo iure prohibetur patrocinari, per præfatum c. 1. [c] & resolutionem Panormitani communiter recepti: & perinde debet iudicari de ipso, ac si non habuisset illud indultum, quia frustra precibus impetratur, quod iure communi conceditur. [d]

c *De postul.*
d *L. 1. ff. ad municip. & gloss. cap. 1. de rescript.*

Quintò, quod posteàquam fuerit aliquo sacro ordine insignitus, vel aliquod beneficium etiam simplex adeptus, non poterit patrocinari virtute illius indulti, nec iure communi, nisi in casibus permissis in dicto capit. [e] Salua, &c.

e *De postul.*

FINIS TERTII LIBRI, QVO PRIMA PARS ABSOLVITVR.

*Deo Iesu Christo æterni Dei æterno filio, qui noster Aduocatus & Iudex est, sit gloria & honor in perpetuum.*

MARTINI

# AB AZPILCVETA

## DOCTORIS NAVARRI

## CONSILIORVM

## SIVE RESPONSORVM,

*VOLVMEN SECVNDVM:*

NVNC SECVNDO IN LVCEM EDITVM,
diligenter recognitum, ac multis denuò locupletatum consilijs.




*LVGDVNI,*

SVMPTIBVS IOANNIS BAPTISTÆ BVYSSON.

*M. D. XCIIII.*

# CONSILIORVM SIVE RESPONSORVM MARTINI AB AZPILCVETA DOCTORIS NAVARRI

## LIBER QVARTVS.

### *DE SPONSALIBVS ET MATRIMONIIS.*

SVMMARIVM.

1 *Matrimonij sacramenti materia est vtriusque consensus, forma autem sunt verba, vel signa, quibus ille hinc inde manifestatur.*

#### CONSILIVM PRIMVM.

A

QVæritvr, quis consensus sit materia matrimonij, an primus, an secundus?

Ad quæstioné respondeo primò, me non satis intelligere quis consensus appellatur in quæstione primus, & quis secundus volentium contrahere.

Secundo, quod si per primum consensum intelligitur consensus primus consentientis, & per secundum consensus posterius consentientis, perpensa varietate de hac re opinionum, ego delegi eam, quam posui in Manuali confessariorum, [a] scilicet quod consensus vtriusque est materia; & verba, vel signa, quibus ille idoneè exprimitur, forma.

a cap.22. nu. 20.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium fictè per procuratorem fictionis ignarum, cum vna, & deinde per se cum alia contrahens, bis censetur contraxisse, sed coram Deo solum secundum tenet.*

1 *Matrimonium qui cum duabus eodem tempore contraxit, pro remedio, antequam molestetur, accedat ad officium sanctæ Inquisitionis.*

#### CONSILIVM II.

N. DEDIT mandatum P. ad contrahendum matrimonium cum A. sine intentione vlla contrahendi cum illa: P. recepto mandato ignarus huius intentionis mandátis, cum A. contraxit. Deinde idem N. contraxit matrimonium publice, & consummauit cum alia. Quæritur quid agere debeat.

1 Respondeo primo, quod D. consulens censebitur in foro exteriori contraxisse bis matrimonium tam à iudice ecclesiastico, quàm sæculari. Secundo, quod in foro interiori iudicabitur contraxisse tantùm cum secunda, & quod ei cohabitare debet. Tertio, quod ad excusandum se à pœna, quam meretur in foro exteriori, oportet vt ipse accedat ad Illustrissimorum Inquisitorum Romanæ Vrbis officium, & præsentet vnam petitionem, quæ contineat vnam narrationem facti; & præter eam dicat se pœnitere plurimum, quod vsus fuerit præfata simulatione; & quod confitetur eam plane corá prædictis Illustrissimis & supplicat eisdem, vt sua sententia diffinitiua condemnent eum pœna, & pœnitentiá, quam meretur in foro interiori, & exteriori, vtentes misericordia solita: attento quod nondum est vocatus ad vllum iudicium, neque ecclesiasticum, neque sæculare; & quod venit ad Vrbé mille labores & pericula passus; & quod sponte sua confitetur hoc peccatum, quod tamen non commisit propter vllum erroré, quem circa sacrosanctum sacramentum matrimonij haberet; & quod se subdit eorum summo iudicio, promptus ad suscipiendam pœnam, & pœnitentiá, quam lacrymabúdus petit.

SVMMARIVM.

1 *Plebeius nobilem, primogenitum, & diuitem se fingens, quo nobilis secum matrimonium contrahat, Deum, & familiam offendit, sed tenet matrimonium.*

2 *Papa ex iusta causa matrimonium non consummatum dissoluit. & num. 4.*

2 *Error personæ & conditionis seruilis matrimonium annullat, ad quem multum accedit error, vilitatis. num. 3.*

3 *Error personæ, vbi plebeius, nobilis, primogenitus, patri diuiti in primogenio successurus falso creditur, dici posse videtur, ad effectum, vt Papa matrimonium ratum dissoluat. num. 4.*

#### CONSILIVM III.

B

A. PLEBEIVS, se nobilem, primogenitum, & diuité fingendo matrimonium cum nobili puella ex nostri familia orta nepte D.B. cótraxit. Quæritur an matrimonium teneat: & cùm non sit matrimonium consummatum, an adsit iusta causa, vt illud Papa dissoluere valeat.

1 Ad propositam quæstionem respondeo primo, præfatum A. si præmissa sunt vera, grauissimè offendisse Deum [illegible] maximum, & Illustrem D.B. & familiam eius, tot falsitatibus & dolis aspirando & machinando ad tam sacrum sacramentum, quod sanctissimè & limpidissimè vti vnum de septem sacramentis à D. Iesu Christo summo Deo nostro institutum iuxta canonem [a] summa reuerentia tractandum est.

C

Secundo, quod etsi prefatus A. grauissime peccauit vtendo falsitatibus & dolis præfatis, ad inducendum præfatum Illustré D.B. & eius neptem in multos errores, non tamen videtur induxisse penitus in errorem personæ, qui solus ipso iure annihilat matrimonium, [b] & nos post alios tradimus in Man. nostro confess. [c] & consequenter dicendum videtur de rigore iuris matrimonium præfatum per verba de præsenti contractum seruata forma in id necessaria per Conciliú Tridentinum inducta in cap. 1. [d] esse validum, & non separabile regulariter.

a 1. sess. 7. Cócilij Tridentini.

b Cap. 1. 29. qu. 1.

c Cap. 22. nu. 32.

d De reform. matr. sess. 24.

2 Tertio, quod S.D.N. qui, vt dixit Anglicus poëta relatus à glossa in procemio clem. propter suam admirabilem altitudinem & potentiam, est quidá stupor mundi, ***Nec Deus est nec homo, quasi neuter inter vtrumque***, potest iusta de caussa dissoluere illud; quia nondum est consummatú iuxta glossa mcelebérrimam & receptam. [e]

D

e In capit. ex publico. de cóuer. coniug.

Quarto, quod meo tenui iudicio in casu proposito occurrit iusta caussa id faciendi. Tum ob multa falsa, & dolosa quæ machinatus est præfatus A. Tum ob scandala magna, & etiam homicidia, quæ probabiliter præsumútur occursura. Tum quod error non solum personæ, sed etiam conditionis seruilis ipso annihilat matrimonium, vt habetur in dict. c. 1. [f]

3 ET error vilitatis, & (vt ita dicam) plebeitatis, qua præsertim vir creditur valde nobilis, cum sit plebeius, multum accedit ad errorem seruilis conditionis apud nobiliores, quorum de numero sunt Illustres D.B. & eius neptis. Tum quod error, quo falso creditur esse aliquis primogenitus in primogenium patris diuitis successurus, censeri potest error personæ, annihilans matrimonium, vt & nos tradimus vbi supra [g] post Calderinum [h] & Hostiensem [i] quos sequitur Angelus. [k]

E

f 29. qu. 1. & toto titulo de cóiugio seruorum.

g Nume. 32.

h In c. 2. de cóiug. seruorú.

i in summa.

k In summa, verbo matrimonium, impedimento 4. §. 3.

4 Tum denique quod licet nulla prædictorum constituāt omnino errorem sufficientem personæ, qui matrimonium, ipso iure dirimat: omnia tamen coniuncta videntur profecto constituere errorem proximum errori præfato personæ dirimenti: quæ conficiunt iustam causam, ob quā S.D.N. iustè ac sanctè possit illud dirimere, iuxta glossam præfatam celeberrimam,[a] præsertim considerando, quod præfatus A. per se ore proprio finxit præfata falsa, & dolo malo persuasit ea præfato Illustrissimo D.B. octogenario, & præfatæ nepti in cuius potestate manebat; quorum alter ob iuuenilem eius ætatem, & alter ob senilem facilè poterant decipi: & quod non solum quo ad vitam in terris pacificè agēdam, sed etiam quo ad vitam æternam consequendam plurimum prodest præfato A. vt præfatum matrimonium dirimatur, ad gloriam Iesu Christi, qui nos omnes saluet in æternum. Amen.

a Cap. ex publico. de conuers. coniug.

SVMMARIVM.

1 *Infideles sponsi, qui se citra animum consummandi matrimonium cognouerunt, conuersi matrimonium contrahere debent secundum formam Trid. Conc. & subiiciuntur aliis canonum impedimentis.*

## CONSILIVM IV.

IACOBVS & Lętitia neophyti nuper baptizati in proximo pręterito Sabbato Pētecostes, dū essent in Hebraismo, factis tantum sponsalibus de futuro per instrumentum dotale parentum, se ipsos per incontinentiam semel carnaliter cognouerunt, non animo, vt aiunt ipsi, tunc consummandi matrimonium; cum existimarent nullū adhuc inter eos esse posse matrimonium; quia nondum secundum ritum Hebræorum publicè & legitimè contraxerant. Quibus sic stātibus conuertunt se ad fidem.

Quæritur nunc, an inter eos fuerit legitimum matrimonium, an post baptismum debeant in facie Ecclesiæ saltem in dubio contrahere.

1 Respondeo primo, quod proculdubio præfati Iacobus & Lætitia debent denuo contrahere matrimonium, vt sint veri & legitimi coniuges: quia nullo iure naturali, diuino, nec humano potest esse inter aliquos verum matrimonium, nisi cōtrahant illud per verba de præsenti. sicut enim sufficit cōsensus legitimus sine copula subsequuta ad essentiā matrimonij, iuxta c. *sufficiat.*[b] & leg. *nuptias.*[c] ita requiritur consensus per verba de præsenti, & nō qualis qualis, sed liber, & legitimus,[d] Vnde Augustinus, relatus in cap. 1.[e] dixit duas esse fides circa matrimonium; alteram pactionis, siue promissionis; alterā consensus, qua mutuo se recipiunt in coniuges: & quod hæc requiritur ad constituendum matrimonium, & illa non sufficit. Non obstat cap. *ex parte.*[f] quamuis habeat, quod per illa verba, *Ex hac hora te habebo in vxorem*, licet sint de futuro, cōtrahitur verum matrimonium: quia licet formaliter sint de futuro, virtualiter tamen continent consensum de præsenti, vt in eo declarant omnes doctores: qualia si fuissent verba præfatorum Iacobi, & Lętitię, verum matrimonium esset inter eos contractum, nec oporteret denuo inter eos contrahere, per ea, quæ in alio casu aliqua parte huic simili nuper respondi.

b 27. q. 2.
c ff. de reg. iu.
d Cap. cū locum. de sponsal.
e De sponsal.
f De sponsal.

Secundo respondeo, quod præfati sponsi tenentur contrahere matrimonium secundum formam sacrosancti Concilij Tridentini quod sunt faciendę proclamationes; &, si per eas inuenirentur cognati, vel affines intra 4. gradum, non possent absque dispensatione verum matrimonium contrahere; licet ante cōuersionem & baptismum potuissent: quia simul ac fuerunt Christiani effecti, cœpit obligare illos ius canonicum, de quo in cap. *non debet.*[g] Concilium Tridentinum arg. cap. 1.[h] & cap. *gaudemus.*[i] Salua, &c.

*Aduerte Auctorem per hoc, quod hic requirit expressionem consensus per verba, non excludere expressionem consensus, si fiat per signa vt sup. cons. 1. & infra cons. 5. n. 12.*

g De cōsang. & affinit. & ca. 1. de reformat. sess. 24.
h De constit.
i De diuort.

SVMMARIVM.

1 *Catholico cum hæretica matrimonium non licet contrahere, contractum tamen tenet.*

2 *Matrimonium præsumptum, quod olim oriebatur ex copula post sponsalia, non cessat, nisi vbi Concil. Trid. est receptum, & eius decretum sess. 24. de refor. matrim. cap. 1. fuit in parochiali publicatum. & num. 4.*

3 *Sponsalia clandestina valida, licet non matrimonium post Concilium.*

5 *Sponsalia inualida aliter, quam ob defectum consensus, vt sunt contracta à Catholico cum hæretica, causant quidem, vbi Concilium non est receptum, impedimentum publicæ honestatis, non tamen iuncta cum sequenti copula inducunt matrimonium præsumptum. & num. 11.*

6 *Promissio de matrimonio cum hæretico contrahendo turpis, & ipso iure nulla.*

7 *Sponsalia cum vna ex pluribus filiabus Petri ob incertitudinem personæ sunt nulla.*

8 *Sponsalia per superuenientem hæresim dissoluuntur.*

8 *Matrimonio contrahēndo plus impedimentum præsens, quam futurum, obstat.*

9 *Sponsalia cum duabus contrahere iurans, dicens, Iuro contrahere matrimonium cum vtraque vestrum, alteram cognoscens, matrimonium non censetur contrahere.*

10 *Sponsalia per copulam in matrimonium transire præsumūtur ne præsumatur peccatum fornicationis.*

10 *Hæreticam sponsam cognoscere vxorio affectu, per quem contrahitur matrimoniū, grauius est peccatum, quàm cum eadem fornicari.*

11 *Sponsalia per causam notoriè iustam dissoluuntur ipso iure.*

12 *Cognoscentes se affectu maritali sine præcedentibus spōsalibus ita demum contrahunt matrimonium, si aliquo signo externo ad inuicem animum contrahendi sibi significent.*

12 *Matrimonium ad contrahendum requiritur & sufficit mutuus consensus de præsenti hinc inde per signum exterius significatus.*

## CONSILIVM V.

QVÆSTIO hæc vt noua, ita magna videtur: pro cuius resolutione diuido casum in duas partes. Prior sit, an sponsalia de futuro Catholici contracta cum hæretica, cōsecuta copula carnali, transeant in matrimonium? Posterior, an in casu proposito, etiam si talia sponsalia non transirent per copulam in matrimonium, censendum sit matrimonium cōtractum per copulam carnalem & cohabitationem menstruam enarratam.

1 Pro resolutione prioris præsuppono primo, quod quāuis non liceat Christiano Catholico contrahere matrimonium cum hæretica, si tamen contrahit, validum est, iuxta glossam memorabilem,[a] & omnes communiter.[b]

Secundo præsuppono, quod in parochiis, in quibus Cōcilium Tridentinum est receptum & publicatum, non habet locum cap. is qui finem de spons. argumento[c] Concilij Tridentini: adeo quod nullum sit in eis hodie post præfatū Cōcilium matrimonium præsumptum per copulam carnalē subsecutam, vt nos adnotauimus in Man. confess.[d] In terris tamen, in quibus præfatum Concilium nōdum est receptum, & minus in Ecclesiis parochialibus decretū dicti Concilij publicatum, iura antiqua videntur seruanda. Tum quia lex non recepta non ligat, vt est in cap. in istis.[e] & glossa solemni latè dilatata per Felinum.[f] Tum quia in prędicto Concilio,[g] expresse statuitur non esse locum illi cap. nisi in parochijs, in quibus fuerit publicatum, & lapsi 30. dies.

a Cap. non oportet. 28. q. 1.
b In 4. li. sent. dist. 29.
c Ca. 1. de reforma. matr. sess. 24.
d Cap. 25. nu. 144.
e §. leges. 4 d.
f In cap. 1. de treu. & pace.
g Ca. 1. §. fin.

3 Tertio presuppono, quod licet per præfatum Cōcilium[h] matrimonia aliter quam coram parocho, & duobus testibus contracta in terris vbi receptum est præfatum Concilium Tridentinum sint ipso iure nulla: sponsalia tamen de futuro videntur valida, vt dicimus in Man. conf.[i]

h Cap. 1.
i Cap. 22. nu. 3.

4 His præsuppositis, pro parte affirmatiua huius quæstionis, scilicet, quod præfata sponsalia transeant in matrimoniū per copulam carnalem, facit primo, & quidem neruosissimè d. cap. *is qui.*[k] quatenus habet sponsalia de futuro per copulam carnalem subsecutam facere matrimonium saltem præsumptum, & quod illi non est derogatum per Concilium Tridentinum in parochiis, in quibus illud non est publicatū, vel non sunt lapsi triginta dies à publicatione facta, & quod in casu proposito narratur Conciliū præfatum non esse receptum in terris, in quibus casus hic contigit, nec ca. eius[l] in parochiis publicatum.

5 Secundo facit, quod sicut sponsalia etiam quamlibet nulla ob aliam causam, quam ob defectum consensus, producunt impedimentum publicæ honestatis,[m] ita & in casu nostro secuta copula inducere videntur matrimonium.

6 Pro parte autem negante, nempe quod non transeant in matrimonium, facit primo, quod omnis promissio turpis rei est ipso iure nulla.[n] At promissio Catholici de

k De sponsal.
l 1. de reform. matr. sess. 24.
m cap. 1. de spons. lib. 6.
n cap. in malis promiss. 22. q. 4. l. iuris gentium §. si ob maleficiū ff. de pac. l. generaliter. ff. de verbor. obligat.

contrahendo matrimonium cum hæretica est promissio rei turpis: cum secundum omnes peccatum sit contrahere matrimonium cum hæretica, licet contractum teneat, vt prædictum est & consequenter præfata sponsalia, fuerunt nulla, & ita nullum videntur producere effectum, argumento ca. *non præstat.* [a] & illius poëtę:

*Ex nihilo nihil, in nihilum nil posse reuerti.*

a *De reg. iur.*

7 Secundo facit, quod promittens contrahere cũ vna filia Petri, qui habet multas filias, habens copulam cum vna, non videtur contrahere matrimonium; quia sponsalia illa propter incertitudinem personæ sunt nulla, secũdum glossam notabilem Bernardi [b] quam Præpositus efficaciter defendit.

8 Tertio facit cap. *non solum.* [c] allegatum à Ioanne Andrea [d] quod secundum ipsum probat sponsalia de futuro dissolui per superuenientem hæresim. Nec obstat, quod in casu proposito non superuenit: quia plus obstat circa matrimonia & sponsalia impedimentum præsens, quàm superueniens: affinitas enim præsens reddit matrimonium nullum, non autem superueniens, [e] cognatio item spiritualis idem facit. [f]

b *cap. ex literis. il 2. de spõsal.*
c *28. qu. 1.*
d *In sum. de spons. num. 4.*
e *cap. 1. c. discretionem. de eo qui cogno. consan.*
f *ca. 2. de cognat. spirit. ca. ad limina. 30. qu. 2.*

9 Quarto, quod qui iurauit contrahere sponsalia cum duabus, dicens, *Iuro contrahere matrimonium cum vtraque vestrum,* licet postea rem habeat cum altera earum, non censetur contrahere matrimonium, eo quòd illa sponsalia erant nulla secundum Astensem sum. [g] quem sequitur Ioannes Brunnus. [h] Ergo cum in casu nostro sponsalia fuerint nulla ratione turpitudinis promissionis, consequitur eadem ratione dicendum ea non sufficere, vt per copulam carnalem secutam censeatur matrimonium contractum.

g *Lib. 8. tit. 6. de effect. spõs. qu. 13.*
h *De spons. cõclu. 5. post n. 5.*

10 Quinto, quod ratio potissima, quare sponsus cognoscens sponsam præsumitur id facere animo consummandi matrimonium, est, ne in dubio præsumatur peccare: quæ ratio cessat in casu proposito: nam Christianus promittens hæreticæ contrahere cum ipsa, non euitat peccatum cognoscendo illam vxorio affectu, immo magis peccat cognoscendo illam tali affectu, & contrahẽdo cum illa, quam cognoscendo affectu fornicario; quia committit grande sacrilegium, secundum omnes, [i] ergo non est censendus velle complere sponsalia, seu consummare matrimonium.

i *In dist. 39.*

11 Sexto, quod sponsalia quamuis iusta dissoluuntur ipso iure per causam notoriè iustam, præsertim si sunt clandestina, vt resoluit Siluester, [k] quem nos sequimur in Man. conf. [l] At in proposito casu causa non solum dissolutionis, sed etiam nullitatis sponsalium est notoriè iusta; quia notorium est non posse illa sine peccato sacrilegij impleri. ergo cẽsẽda sunt dissoluta, & nullius momẽti. Per quæ oĩa hæc pars videtur probabilior.

k *Verbo sponsal. qu. 11.*
l *Cap. 21. nu. 18.*

Nec obstant opposita. Non primum: quia præfatum cap. *is qui fidem.* non procedit in sponsalibus, quæ sunt ipso iure nulla per prædictas rationes.

Non obstat etiam secundum: quia sponsalium varij sunt effectus, vt tradit Ioannes Andreas, [m] & effectus publicæ honestatis est diuersus ab effectu transmutandi sponsalia in matrimonium, de quo in d. cap. *is qui.* & ita concedo quod sponsalia nulla producebant effectum publicæ honestatis impedimenti ante Concilium Tridentinum sed nego, quod producerent effectum transmutandi illa in matrimoniũ. Tum quia à diuersis non fit illatio. [n] Tum quia in hoc casu non est eadem ratio. Tum quia cap. *illud*, [o] est exorbitans à regula illa supradicti cap. *non præstat impedimentum.* [p] immo & ab illa iuris naturalis, *Ex nihilo nihil.* Et ideo tamquam exorbitanti Concilium Tridentinum, [q] derogauit. Tum quia nusquam reperitur expressum sponsalia ipso iure nulla producere effectum matrimonij per copulam subsecutam.

m *In sum. de spons. à nu. 2.*
n *Lege Papinianus. ff. de minor. cap. ad audientiam. de decim.*
o *1. de spons.*
p *Lib. 6.*
q *Capit. 3. de refor. matri.*

12 AD POSTERIOREM respondeo illam pendere à quæstione illa parum tractata, an cognoscentes se carnaliter vxorio affectu, nullis præcedentibus verbis matrimonium, vel sponsalia efficiẽtibus, cẽseantur cõtrahere matrimonium? Et quo ad forum quidem exterius respondendum est quod non, si non constaret de tali vxorio affectu per confessionem vtriusque: quo ad forum autem conscientiæ dubitari potest: quia glossa, [r] recepta ait, quod ad contrahendum matrimonium verba requiruntur in valentibus loqui, per illud c. *tua.* [s] & hi de quibus loquimur valebant loqui.

r *Dict. ca tua.*
s *De spons.*

In contrariam partem facit, quod secundum receptiorem sententiã sufficit, quod interueniant nutus, vel alia signa exteriora, vel sensibilia sufficiẽtia ad exprimendũ cõsensũ vxoriũ, vt resoluitur in d. c. *tua.* & c. *cũ apud.* [t] à nostris & à Theologis, [v] ita quod secundum omnes licet non sufficiat solus consensus, nec sola verba illum exprimentia sine illo; sufficit tamen & requiritur quod interueniat consensus, quo vir de præsenti velit accipere fœminam, & quod verbis, vel alio signo exteriori eis æquipollenti ab vtraq; parte alteri significetur: quod clarè colligitur ex cap. *licet.* [a] ibi, *vel mutuo consensu.* Et quia id pendet ex facto, ideo non dilato latius. Salua, &c.

t *Eod tit.*
v *In 4. di. 27.*
a *De sponsal. duorum.*

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium consensum vtriusque partis requirit.*
2 *Consensus defectus ex protestatione colligitur, & aliis cõiecturis.*
3 *Testis vnius dicto fides non est adhibenda: ne deponenti ex interuallo contra id, quod prius in iudicio etiam summario deposuit, creditur. & num. 4.*

## CONSILIVM VI.

DISTVLI dicere id quod sentiebam super hoc dubio, donec afferretur mihi D. Tiberij informatio, ne qui causam commendaui dominationi vestræ reuerendissimæ, magis affectu quam ratione duci viderer. Nunc ea visa, & perpensa confessione Ioannis de Caiatayud, & testium dictis; proculdubio videtur dubium resoluendum negatiuè. Primo quidem ob ea, quæ ipse D. Tiberius eruditè adduxit. Deinde, quod matrimonium sine consensu vtriusque partis consistere nequit, vt est textus in c. *si inter.* [b] ibi, *mutuo consensu,* & ibi, *vtroque dicente:* qualis hic non fuit, quia defuit consensus alterius partis, & actus agentium non operantur vltra intentionem eorum. [c]

b *De sponsa.*
c *Leg. non õnis. ff. de reb. cred. cap. fin. de preb.*

2 Quod autem omnes non habuerint intentionem contrahendi, neque consentiendi, sed decipiendi prędictam Mariam abnuentem, iudicandũ est ex multis cõiecturis: nempe, quod cum contraheret, expressit se nolle contrahere secundum legem Romanã, & quod ipsemet id testatus fuit, tam cum interrogaretur, quàm cum ad aram Sancti Antonij solenniter iudice deferente iuramentũ iurauit: & quod Bartholomæus, & Francus testes principales testantur se fuisse rogatos ab eo promisso pretio, vt essent fictionis & deceptionis illius iniquę mediatores, & quod ad contrahendum sinistram manũ contra morem omnium obtulit: & quod id per se est verisimile, eo quod prędicta Maria erat pauper, ipse autẽ Ioannes filius patris diuitis: & quod prudentissimus Vicarius generalis maxima inquisitione præmissa ita iudicauit, cum adhuc factum esset recens: & quod tam ille, quàm illa iudicatis saltem facto paruerunt, ille quidem contrahendo cum alia, illa verè cum alio: & quod 30. circiter annis sine vllo conscientiæ scrupulo manserunt sic cõiugati: & quod firmiter creditur, quod numquam ea de re vlla quęstio mota fuisset, nisi amor inordinatus habendi partis aduersæ fuisset causa eam mouendi.

3 Secundo, quod non satis videtur probari, quod ter fuerunt dicta verba contractoria matrimonij, quia sola vna testis 13. annorum dicit illud, & duo testes principales solum deponunt de vna sola vice, quam illa dicit esse tertiam; & omnes contestantur, quod illa vice renuit Ioannes se velle contrahere secundum legem Romanam, & ita cum non videatur satis probari, quod ter fuerunt dicta illa verba; & probatur sufficienter, quod illa vice, qua fuerunt dicta, interuenit renutio, siue noluntas Ioannis contrahendi secundum legem Romanam; necessario videtur iudicandum nõ fuisse contractum vllum matrimonium inter illos ob adiectionem declarationis noluntatis contrahendi; & consequenter matrimonium inter eos contractum, defectu consensus, & intentionis alterius partis, fuisse omnino nullum.

Tertio, quod, etiam si esset probatum quod ter fuit contractum matrimonium, vt dicit prædicta testis; quia tamen illæ tres vices fuerunt continuæ, declaratio noluntatis contrahendi secundum legem Romanam adiecta tertiæ cogit præsumere, quòd ea nolũtas fuit etiam in duabus vicibus præcedentibus, per ea multa, quæ prædictus D. Tiberius adducit; addito præsertim, quòd ideo videtur nõ declarasse in duabus prioribus vicibus illam noluntatem, quia de lege Romana nulla fuit in illis facta mentio à despõsante illos, & in tertia sic.

4 Quarto, quod depositio secunda Ioannis nil videtur obstare. Tum quia antea in prima depositione deposuit contrarium: & deponenti contrarium eius, quod antea deposuerat ex interuallo non creditur, iuxta glossam receptam, [d] quam Panormitanus, Felinus & alij approbant tam per illũ textum,

d *In cap. cum in tua. de testibus.*

quàm per cap. *ſicut.* [a] & cap. *per tuas.* [b] etiamſi prima depoſitio fuiſſet facta in iudicio ſummario,& ſecunda in plenario, iuxta gloſſam ſingularem recep. ibi per Panormitanum,Felinum & alios, [c] & ante illos dixit Innocentius receptus ab omnibus. [d] Tum quia poſt illam ſecundam depoſitionem ſolemnius idem quod in prima ad altare diui Antonij depoſuit.

a Eod.tit.
b De probat.
c In capi. veniens 2. verbo vtraque pars de teſtibus.
d In cap præterea. verb. incontinenti. de teſtib. cogend.

*SVMMARIVM.*

1 *Sponſalia non contrahit, qui iureiurando mulieri, vt illa potiatur,dixit, Promitto tibi me aliam non ducturum,niſi te: ſed videtur quod ſic deceptam teneatur ducere, iudexque fori externi eum coget.*

## CONSILIVM VII.

SEMPRONIVS cum iuramento mulieri viduæ hæc protulit verba, *Promitto tibi me nõ aliam ducturum vxorem, niſi te,neque aliam mulierem ingreſſuram in domum meam, niſi te ipſam.* ita autem Sempronius mulierem eſt allocutus, vt illam ad ſecum concumbendum induceret,vt induxit.

An Sempronius teneatur dictam mulierẽ ducere in vxorem? & ſuppoſita obligatione,an ab ipſa liber eſſe poſſit,ſi vel mulier ſe monialem faceret, vel ipſe Sempronius ſacris ordinibus initiaretur?

1 Reſpondeo primo, quæſtionem hanc eſſe magnam, & quod veriorem puto opinionem Hadriani, [e] quod per præfata verba non fuerunt contracta ſponſalia inter præfatos,ſaltem quo ad forum conſcientiæ tantum:& quod licet de rigore iuris non fuerint contracta ſponſalia, videtur tamen interueniſſe deceptio,qua Sempronius decepit præfatam viduam, argumento l. *vnicæ.* [f] & diffamatio,propter quas videtur teneri ad contrahendum matrimonium cum ea.

Secundo,quod ſi Sempronius fateatur præfata coram iudice in foro exteriori, condemnabit eum ad contrahendum matrimonium cum ea, per opinionem Panormitani, [g] niſi ea fuerit contenta remittere illi obligationem illam, iuxta cap. *præterea.* [h]

*Aduerte hoc reſponſum non eſſe integrum. Deeſt.n.reſponſum ad vltimum dubium.*

e In 4.lib.ſẽ. quæſt.12. de ſponſ.
f § fin.Co.de rapt.virg.
g In capit. ex parte.de ſpõſ.
h De ſponſ.

*SVMMARIVM.*

1 *Sponſalia per parentes,ſponſis præſentibus,vel ratificantibus,contracta tenent,& ſponſos obligant,num.3.aliàs non.num.2.*
2 *Parochus non intererit matrimonio contrahendo, ſciens horum alterum cum alia tertia perſona ſponſalia de futuro cõtraxiſſe.*
3 *Pœna ad matrimonium contrahendum nemo obligari poteſt.*
3 *Sponſalia etiã iurata,mutuo conſenſu,etiam tacito diſſoluuntur.*

## CONSILIVM VIII.

PARENTES ſponſalia inter A.filium,& B.filiam contraxerunt, & ex parte B. fuerunt iurata, pacto appoſito, vt is,per quem fieret, quo minus matrimoniũ inter eos contraheretur,alteri pœnæ nomine 300.ſolueret. Nunc A.ſponſus matrimonium cum B. ſponſa, niſi aucta dote conuenta, contrahere negligit: B.autem ad augendam dotem non teneri,nec velle,reſpondet.

Dubitatur primo,an teneantur ad matrimonium contrahendum.

Secundo,an præfata pœna peti poſſit.

Tertio,an obligationem contrahendi ſibi mutuo conſenſu remittere poſſint.

1 Ad has quæſtiones reſponſurus dico primò, quod ſi præfati ſponſi non fuerunt præſentes, quando parentes contraxerunt pro eis ſponſalia; neque poſteaquam ſcierunt ea eſſe inter ipſos per ſuos parentes contracta,ratificauerunt ea;omnes quæſtiones manent ſolutæ: quoniam illa nihil valuerunt, & nullum effectum produxerunt. [i]

2 Secundo dico ad primam quæſtionem, quod ſi præfati ſponſi fuerunt præſentes prædictis ſponſalibus, cùm contraherentur,vel ea poſtea ratificauerunt, tenentur contrahere matrimonium,etiamſi illa non iuraſſet cõtrahere: quia ſponſalia valuerunt:& magis illa,quàm ille, cum illa iuraſſet contrahere,& non ille; quia duo vincula ſunt fortiora vno, [k] & conſequenter ei volenti contrahere cum alio poterit opponi vinculum ſponſalium cum altero ab ea contractorum, & iuratorum,argumento cap.*ex literis.*& cap.*iurauit.* cum eis adnotatis, [l] adiuncto d.*§.porro.* Et parochus, cui hoc impedimentum denunciabitur, non audebit intereſſe matrimonio eorum contrahendo,donec Epiſcopus declaret eſſe diſſoluta ſponſalia inter illos per reſpuitionem præfati ſpõſi: quod non declarabit Epiſcopus,niſi audito illo.

i Cap.1.§.porro.de deſpon. impub. lib. 6.
k Cap. 1. de treug. & pace.
l De ſponſ.

3 Ad Secundã reſpondetur, quod non poterit peti pœna illa: quia nemo poteſt obligari per pœnam ad contrahendum matrimonium. [a]

Ad Tertiam reſpondetur, certũ eſſe quod ſponſalia etiam iurata poſſunt ſolui de conſenſu amborum ſponſorum, [b] & quod ſi ſponſus verè noluit contrahere cum ſponſa ſine auctario dotis,neque ipſa cum illo dando auctarium, videntur ſibi mutuo remiſiſſe fidem,& promiſſionem datam, & etiam iuramentum vti acceſſorium earum: & quod non indigebit abſolutione vlla,ſi res ita ſe habet. Cauendum autem, an res ita ſe habeat:quia non videntur omnino cõuenire in ſeſe mutuo abſoluendo. Quamuis de rigore iuris per quamdam conſequentiam ſatis præſumetur ſponſus voluiſſe diſcedere à ſponſalibus,ſi ſatis probetur eum noluiſſe contrahere, & implere ſponſalia in forma conuenta ſine auctario nouo dotis, & quod illa noluit dare auctarium,& per conſequentiam voluit etiam diſcedere ab illis.

a Cap. gemma. de ſponſ.
b Cap.præterea.de ſponſ.

*SVMMARIVM.*

1 *Sponſalia de futuro diſſoluuntur,ſi ſuperueniat aliquid,quo tunc exiſtente veriſimiliter non fuiſſent contracta.*
2 *Pœnitentiaria ſuper occultis tantum in foro conſcientiæ diſpenſat.*

## CONSILIVM IX.

FRANCISCA contraxit ſponſalia de futuro cum Franciſco:deinde Franciſcus propter crimina fuit bannitus. Quæritur,an Franciſca indigeat diſpenſatione Pœnitentiariæ,vt poſſit legitimè alij nubere.

1 Reſpondeo, præfatam D. Franciſcam conſulentem non egere diſpenſatione ſacræ Pœnitentiariæ. Tum quia ſponſalia de futuro diſſoluuntur, quando ſuperuenit aliquid, quod ſi à principio interueniſſet,veriſimiliter non fuiſſent cõtracta, per cap. *quemadmodum.* [c] adiuncta gloſſa & ei adnotatis: & ſic delicta,& bannimenta,quæ poſt illa contracta ſuperuenerunt præfato D.Franciſco, ſi interueniſſent tempore quo ea fuerunt contracta,non contraxiſſet ea cum illo.

2 Tum quia ſi præfata ſponſalia tráſiſſent in matrimonium per aliquem modum legitimum, non potuiſſet ſacra Pœnitentiaria diſpenſare,& ita nihil profuiſſet eius diſpenſatio, & ſic non eguiſſet præfata D.conſulens tali diſpenſatione inutili. Tum quia diſpenſatio ſacræ Pœnitentiariæ non prodeſt, niſi quo ad occulta,& quo ad forum conſcientiæ tantùm:& præfata D.conſulens vel non indiget illa, vel indiget etiam quo ad forum exterius,quia videntur fuiſſe publicè contracta.

c de iure iuran.

*SVMMARIVM.*

1 *Matrimonium bona fide contra ius humanum contrahentes, & longo tempore continuantes in ſua bona fide ſunt relinquendi.*

## CONSILIVM X.

CONVENERVNT parentes A. maſculi,& B. fœminæ filiorum ſuorum,in domo vnius eorum, vt contraherent matrimonium, vel ſponſalia poſt Concilium Tridentinum,ſed neſcitur quæ verba protulerunt, præter quam quod ſympoſium fecerunt, & præfati A.& B.manibus ſe tetigerunt: & poſtea mortuo A. ſine copula carnali, ad conſilium Rectoris contraxit B.cum patre A.mortui bona fide, in qua manſerunt decem annos, & nunc manent ſuſcepta prole. Quæritur quid faciendum.

1 Reſpondeo primo, multa poſſe adduci circa hanc quæſtionem pro eius vtraque parte ab eo, cui vacaret id facere. Secundo,quod omiſſa vlteriori perſcrutatione, videtur conſulendum præfato D.Rectori, vt nihil ſuper hac re moneat præfatos,qui cõtraxerunt, ſed relinquat eos gaudere ſuo matrimonio bona fide contracto, & continuato: attento quod impedimentum præfatum eſt iuris humani tantùm, & quod neſcitur an fuerit ortum, quia neſcitur qualia verba fuerunt prolata, & per conſequentiam non poteſt probari fuiſſe ortum impedimentum in foro exteriori: & ſcitur quod non interuenit copula carnalis: & quod quando impedimentum eſt

ſolius

solius iuris humani tantùm,& matrimonium est contractum bona fide,& continuatum tanto tempore eadem bona fide, relinquendi sunt contrahentes in illa sua bona fide permanere; vt est casus in cap. *quia circa*, [a] secundum intellectum veriorem Goffredi, quem citat ibi Hostiensis quemque nos irrefragabiliter defendimus in cap. *si quis autem*. [b]

a De consang.
b De pœnit. distinct. 7. à num.68. vsq; ad n. 75. &c.

SVMMARIVM.

1. *Affinitatis impedimentum sine copula carnali non oritur.*
2. *Publicæ honestatis impedimentum oritur ex sponsalibus & matrimonio non consummato.*
3. *Publicæ honestatis impedimentum restringitur per Concilium Tridentinum,& hoc solum quo ad illud quod oritur ex sponsalibus de futuro: quod autem oritur ex matrimonio rato durat vt prius,vt declarauit Pius V.& num.4.*

## CONSILIVM XI.

PETRVS contraxit matrimonium per procuratorem cum Maria, quę mortua est,priusquam esset consummatum,immo & priusquam de facie fuisset cognita. Quæritur, an & quod impedimentum sit inter ipsum & sororem D. Mariæ iam mortuæ, nomine Ioannam, ortum, quo minus matrimonium contrahatur.

1 Respondeo primo, quod nullum impedimentum consanguinitatis,neque affinitatis, neque cognationis spiritualis, neque legalis,quod impediat matrimonium,est inter illos,vt palam est:quia si esset vllum tale, maxima esset impedimentum affinitatis, quod tamen non est:quia non fuit habita copula carnalis cum sorore mortua, & sine copula carnali non potest inueniri affinitas, per definitionem affinitatis, quam ponit glossa recepta in arbore affinitatis.

2 Secundo, quod impedimentum, quo ipsi prohibentur contrahere matrimonium inter se, vocatur impedimentum publicæ honestatis, de qua est textus solemnis in cap. *sponsam*. [c] cuius verba sunt, *Sponsam alterius (maxime si est nubili ætati proxima) nullus consanguineorum aliquo modo sibi potest matrimonio copulare.* Ex quo colligunt omnes doctores,contrahi publicæ honestatis impedimentum impediens & dirimens matrimonium inter sponsam,& omnes consanguineos sponsi:dummodo sponsa sit septennis,cum contrahit sponsalia,iuxta cap. *literas*.& cap. *accessit*. [d]

Tertio, quod id quod statuunt prædicta iura de sponsa, quæ contrahit sponsalia de futuro, idem est seruandum fortiori ratione in ea quæ contrahit matrimonium, vt declarat Panormitanus receptus ab omnibus. [e]

Quarto, quod idem quod statuunt prædicta capp. de sponsa quo ad consanguineos sponsi, censetur statutum & seruandum de sponso quo ad consanguineas sponsæ, vt satis expressit prædictus Panormitanus receptus ab aliis bis, [f] proferendo illud verbum, *& contra*, [g] licet solùm expresse exemplificet de affinitate.

3 Quinto, quod Concilium Tridentinum, [h] restrinxit hoc impedimentum publicæ honestatis, & statuit duo. Alterum, quod post illud non nasceretur ex sponsalibus, quæ ipso iure forent nulla: per quod corrigit capit. 1. [i] Alterum, quod etiam natum ex sponsalibus validis non impediret, nisi in primo gradu consanguinitatis; id est sponsa contrahere posset cum consanguineo sponsi, qui vlteriori gradu quam primo esset consanguineus prioris sponsi; & è contrario sponsus posset contrahere cum consanguinea spōsæ, quæ illi esset consanguinea vltra primum gradum, non autem cum ea quæ in primo gradu esset consanguinea: per quod corrigit præfatum cap. *sponsam*. & alia similia, quibus antea prohibebatur matrimonium inter sponsam, & omnes consanguineos sponsi vsque ad quartum gradum, & è contrario inter sponsum, & omnes consanguineas sponsæ vsque ad quartum gradum.

4 Sexto,quod fel.recor.Pius V.declarauit in extrauagante quæ incipit, *ad Romanum Pontificem*, &c.quod correctio,qua Concilium Tridentinum correxit præfatum capit. *sponsam*. cum ei similibus,non se extendit ad impedimentum publicæ honestatis,quod diximus supra nasci ex matrimonio per verba de præsenti contracto, etiam non consummato, licet aliqui vocent illud sponsalia, sed non sunt propriè talia, immo sunt verum matrimonium ratum, licet non consummatum, vt tradit Panormitanus, [a] communiter receptus, & multùm dilatatus ibidem à Felino, [b] ita quod extrauagans prædicta intendit in summa,quod solum impedimentum publicæ honestatis natum ex sponsalibus propriè dictis,quibus non contrahitur matrimonium, sed solùm spondetur & promittitur, vt habet l.1.& 2. [c] quod impedit & dirimit matrimonium, restringatur ad primum gradum.

c De spons.
d De despons. impub.
e In d.cap. sponsam.
f In d.cap.spōsam.
g Num.2. & 3.
h In sess. 24. tit.de reform. matrim.ca.3.
i De spons.li.6.

a In rubr. de sponsal.
b Num.1. & seq.
c ff.de sponsa.

Septimo, quod præfata Ioanna erat consanguinea prædictæ Mariæ sororis suæ in primo gradu: quia fratres & sorores sunt consanguinei in primo gradu secundum ius canonicum,vt habetur in arbore consanguinitatis, & eius glossa recepta, & consequenter prædictus P. non potest contrahere cum prædicta Ioanna propter impedimentum publicæ honestatis,quod est inter ipsum,& consanguineas primi gradus prædictæ Mariæ mortuæ, qualis est prædicta Ioanna; quod cum sit natum ex matrimonio de præsenti, impediret & dirimeret,etiam quod esset in vlterioribus gradibus.

SVMMARIVM.

1. *Intellectus regulæ cap.non firmatur de reg.iur.lib.6.num.4.*
2. *Matrimonium vi contractum per spontaneam cohabitationem sine nouo consensu videtur contrahi; sed contrarium verius. num.3.*
2. *Matrimonium ignoranter cum coniugato contrahens, vxore mortua non separetur, si decepta de nouo contrahere velit. & num.3.*
3. *Matrimonium solo consensu contrahitur,si sit legitimus.*
3. *Matrimonium sublato impedimento nouum consensum requirit,tuncque incipit valere.*
4. *Votum ante pubertatem emissum non censetur ratificatum,ex eo quod pubes factus proposuit adimplere,sed requiritur vt ratificet sciens illud irritabile.*

## CONSILIVM XII.

AN habita dispensatione super impedimento matrimonij iam contracti,quod altera pars ignorabat, sit necessarius nouus consensus amborum,etiam partis ignorantis?

1 Et quidem pro parte negante facit primo,quod regu. illa cap. *non firmatur*. [d] & illa, *quod initio*. [e] quæ habet, id quod nullum est ab initio,tractu temporis non conualescere: fallit, cum tractu temporis superuenit id, ob cuius defectum actus non valuit;vel ablatum est id, quod impediebat actus valorem:vt alienatio,quæ facta est sine assensu Capituli,est nulla; postea illo consentiente ratificatur, [f] & matrimonium, quod non valet inter ancillam, & liberum hominem ignorantem eam esse ancillam,fit validum, si resciuerit eam esse ancillam, & maritali affectu tractauerit eam. [g]

2 Secundo, videtur ad hoc casus in cap. *ad id*. [h] quatenus habet,eam quæ metu contraxit, fieri vxorem eius,cum quo contraxit, si cohabitauerit illi sine alio nouo consensu; & ibi glossa allegat similes, [i] & ita ibi videtur casus adiuncta glossa pro hac parte.

Tertio videtur casus in d. cap. 1. [k] quatenus habet, eam, quæ contraxit matrimonium cum aliquo nesciens eum habere vxorem, non esse separandam mortua prima vxore; & nihil meminit de huiusmodi nouo consensu.

3 Sed contrarium est tenendum cum glossa; [l] cui concordat S.Thomas cum alijs omnibus, [m] præsertim Scoto, [n] vbi prædictæ glossæ tenoris bonam partem refert. Primo quidem,quod licet matrimonium solo consensu contrahatur, [o] illud tamen debet esse legitimum, [p] qualis non est consensus solutæ cum coniugato, qui non potest habere duas vxores. [q]

Secundo, quod matrimonium contractum ab inscia impedimenti, cum eo,qui vxorem habebat viuentem, est ipso iure nullum secundum omnes, & patet in d. cap.1.quatenus probat à contrario sensu esse faciendum diuortium, etiam quo ad vinculum coniugale ad petitionem vxoris,quæ ignorans nupsit marito alij coniugato, etiam quod petat diuortium post mortem primę illius coniugis:& cum primus consensus non fuerit matrimonialis, nullatenus (vt verbis Scoti vbi supra vtar) potest esse licitus virtute illius;& ideo ad hoc, quòd sint coniuges requiritur consensus.

4 Tertiò, quod vt votum simplex factum ante puber-

d De reg.iur. lib.6.
e ff.eodem.
f Cap. 3. de his quæ fiunt à prælat.
g Cap.proposuit.de coniu. seruor.
h De sponsa.
i In cap.1. de eo qui duxit in matrimon. quam poll. per adult.
k De eo qui duxit.
l Prædicti ca. 1.
m In 4.di.35.
n Quæ.1.
o cap.sufficiat.27.q.2.& ca.cum apud. de spons.
p cap.cum locum eod. tit.
q Ca.gaudemus.de diuortiis.

tatem censeatur ratificatum sic, vt à parentibus irritari nequeat, non sufficit quod post pubertatem intendat illud implere pubes factus credens illud à principio valuisse, sed oportet vt sciens illud à principio fuisse irritabile ratificet, vt pulchre determinat Caietanus.[a]

Quartò, videtur casus expressus in cap. *veniens*,[b] in illis verbis: *potuit de nouo consentire.* vbi glossa addit, quod valebit matrimonium vt ex nunc, idest ex tempore cōsensus noui, & non ex tempore contractus, sed nec ex tempore noui consensus, si mulier non consentiret: & ita determinauimus in Manuali confess.[c]

Non obstant contraria: non primum: quia illud intelligitur de actu, qui non est ipso iure nullus, vel cum superuenit omne illud, quod requiritur ad actus valorem, & consequenter consensus nouus, si is fuisset necessarius.

Ad secundum, quod qui vel quæ per metum contraxit, scit vel scire debet matrimonium non valere: & ita si cessante metu cohabitat, sponte videtur consentire de nouo, & ita nouè contrahere matrimonium.

Ad tertium respondetur, quod illud cap. I. quatenus habet non esse separandam vxorem insciè contrahentem, debet intelligi, si vult denuo consentire, vt glossa ibi satis explicat.

a 2. 2. quæst. vlt. art. 5.
b De eo qui duxit in matrim. quam poll.
c cap. 22. nu. 86.

SVMMARIVM.

1 *Impedimentum matrimonij probabiliter ignorans non est monendus quo ad effectum vitandi peccatum, à quo excusat ignorantia; sed sic quo ad effectum, vt sublato impedimento, validè denuo contrahi possit.*

## CONSILIVM XIII.

AN coniux ignorans impedimentum matrimonij dirimens debeat certa fieri de illo, etiam si sit occultum, ad hoc, vt denuo in matrimonio consentiat?

1 Respondeo primo, non esse necessarium ad excusandum eum, vel eam ignorantem à peccato, si probabilis erat ignorantia: quia illa excusat à peccato vt est in cap. 2.[d] cap. *ignorantia.*[e] cum eis adnotatis & tradit S. Thomas receptus communiter.[f] Secundo, quod ad hoc vt matrimoniū incipiat valere, oportet vt ignoranti coniugi innotescat impedimentum, & habita iusta dispensatione consentiat nouè, vt dictum est in Manual. confess.[g] vbi additur quod coniugi ignoranti debet notificari præfatum impedimentum, & fieri libertas ad consentiendum, vel renuendum consentire; & quod satis videtur id notificari, & dari libertas faciendo, quod ibi apponitur.

d De constit.
e De reg. iur. lib. 6.
f 1. 2. quæ. 76. art. 3.
g cap. 22. nu. 47.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium in gradu prohibito contrahentes, obtenta dispensatione, de nouo consentire necesse habent. & num. 5. & per totum.*
2 *Dispensandi mandata super matrimonio contracto hanc olim ex stylo continebant clausulam, vt in contracto matrimonio remanere possent: hodie additur, de nouo præstito consensu. & num. 1. & 15.*
3 *Impedimenta, excepto primo gradu ascendentium, sunt de iure positiuo, quæ Papa auferre potest. num. 9. cum seq.*
4 *Papa dispensare potest per legem specialem, & tollere impedimenta quo ad aliquos, ita vt in illis locum non habeant.*
5 *Matrimonium sacramentum est: & Papa quod non est sacramentum, non adhibitis necessarijs ad sacramentum, efficere non valet.*
6 *Dispensatio reualidat collationes beneficiorum, & contractus à principio nullos, non tamen matrimonium absque nouo consensu. & num. 14.*
7 *Dispensatio superueniens matrimonium contractum sub conditione, si Papa dispensauerit, sola non reualidat.*
8 *Graduum Leuitici prohibitio non moralis, sed iudicialis.*
9 *Papa inter fratrem & relictam fratris ob grauem causam dispensat.*
10 *Gradus primus ascendentium & transuersalium pertinet ad naturalem honestatem.*
11 *Papa potest auferre impedimenta, ita vt subsequens consensus sit legitimus, sed non vt consensus illegitimus sufficiat ad matrimonium.*
13 *Consensus olim præstitus censetur durare: vnde si alter consentiat, efficitur consensus.*
15 *Matrimonium præcedentibus denunciationibus contractum, habita dispensatione super defectu occulto denuo sine parocho & testibus contrahitur.*

## CONSILIVM XIIII.

1 AD interrogata respondeo, quod in signatura sacræ Pœnitentiariæ propositæ fuerunt variæ supplicationes, in quibus petebatur dispensatio pro coniugibus, qui matrimonium contraxerunt, & postea detecto aliquo impedimento, præsertim affinitatis ex actu fornicario prouenientis, supplicabant vt secum dispensaretur.

2 Antiquus quidem sacræ Pœnitentiariæ stylus erat, vt cum talibus dispensaretur, vt in contracto matrimonio remanere possent, &c. Sed dubitatum fuit, an esset necessarium vt de nouo consentirent. Et stante decreto sacri Concilij Tridentini videtur etiam necessarium, quod saltem coram parocho & duobus testibus præstetur hic nouus consensus.

Pro defensione styli, & ita pro parte negatiua, quod non sit necessarius nouus consensus saltem expressus, adducebantur huiusmodi argumenta.

3 Primum, quod fere omnia impedimenta huiusmodi, præsertim illa quæ nata sunt ex copula fornicaria (qualia impedimenta, quia solent esse occulta, frequentius proponuntur in foro conscientiæ) excepto primo gradu ascendentium, sunt ex iure positiuo. vnde cum illa possit Papa auferre, videtur quod impedimento sublato prior consensus possit dici reualidari, & ita non sit necessarius nouus.

Eam opinionem videtur tenuisse Innocentius,[a] sed clarius Ioannes Andreas,[b] quam opinionem idem Ioannes Andreas suo tempore ait fuisse secundum omnes, & ipsum sequuntur Ancharanus Panormitanus Præpositus.[c] Ancharanus latè,[d] quam etiam sequitur D. Couarruuias nunc Episcopus Segobiensis. Et quamuis distinctio Ioannis Andreæ in eo quod distinguit gradus prohibitos in Leuitico, & eos gradus accipit, quasi sint in lege Euangelica iure diuino prohibiti, non sit tenenda, vt infra latius dicam: tamen in eo quod dicebat de impedimentis lege canonica inductis, quod Papa posset ea liberè auferre, videbatur non carere magna ratione. & si negaretur post dispensationem seu legitimationem valere matrimonium prout ex tunc, vt ait Ioannes Andreas, quia hoc esset quodammodo dicere quod Papa posset supplere consensum coniugum; saltem hoc non videretur negandum, quod valeant prout ex tunc, nempe post obtentam dispensationem: quæ videtur fuisse sententia Innocentij.[e]

4 Secundum argumentum, quod pro ea opinione facit, est, quia negandum non est, quod Papa per generalē constitutionem possit tollere & mutare multa huiusmodi impedimenta, sicut in Concilio Lateranensi tempore Innocentij III. habito,[f] & in Concilio Tridentino factum est,[g] & in 3. & 4. gradu affinitatis fornicariæ,[h] & quia dubium poterat esse, an ex dicto decreto essent omnino sublata, vel cessent impedientia contrahendum, non autem dirimentia contractum, S. D. N. per propriam constitutionem declarauit illa impedimenta esse omnino sublata; & quatenus opus esset, ipse illa penitus abstulit. Sumebatur ergo ex his argumentum hoc modo: Quemadmodum Ecclesia potest per legem generalem mutare ac tollere huiusmodi impedimenta, ita etiam per legem specialem, nempe cum aliquibus ex causa dispensando, potest eadem tollere, ita vt in illis locum non habeant, & consensus ab illis præstitus censeatur omnino legitimus. Facit pro hoc glossa singularis[i] in qua expresè dicitur, quòd tanta est Papalis potestas circa ea quæ sunt simpliciter de iure positiuo, quod reuocat illa, vt ex tunc. & quia hęc glossa est Ioannis Andreæ addit hoc pertinere plurimum ad ea, quæ dixit in d. cap. *per venerabilem.*

Tertio adducebatur cap. fi.[k] in quo ponitur à principio fuisse impedimentum seruitutis, & ad conseruandum illud matrimonium ibi non dicitur quod de nouo vterque debeat consentire; sed innuit quod matrimonium sit legitimum, si vir postquam sciuit, quam duxerat, esse ancillam, facto, vel verbo in eam consensit. Ad idem potest optime referri cap. 1.[l] vbi videtur quod non sit necessarius nouus consensus viri, quia ille erat in dolo: sed si mulier eum velit, ipse cogendus est, vt habeat eam tamquam vxorem. Ad idem etiam videtur pertinere cap. *veniens.*[m]

5 Et quia præcipuum argumentum eorum, qui asserebant nouum consensum legitimum esse omnino necessarium, vt

a In cap. 1. de eo qui duxit in matrim. quam pollu. per adult.
b In cap. per venerabilē. qui filij sint legit.
c In eod. cap. & repetit.
d consil. 409.
e In dicto c. 1.
f cap. non debet. de consā. & affin.
g In decr. de cland.
h ca. 4. de refor. matrim. sess. 24.
i In clem. 1. de immunit. eccles. in vers. in rectis.
k De coniug. seru.
l De eo qui dux. in matr. quam poll.
m Eod. tit.

infra

infrà latius dicemus, erat; quia cùm matrimonium sit sacramentum, si à principio non fuit legitimè contractum, non potest reualidari; quia nulla est potestas humana, quæ possit facere, vt quod non est sacramentum, non adhibitis his, quæ necessariò requiruntur, sit tale; propterea in contrarium adducebatur hoc argumentum: Si duo contrahunt per verba de præsenti, & alter verbis tantùm, non autem animo, nec mente consentit, non est dubium hoc non esse matrimonium quo ad Deum: quare neque erit sacramentum, & quamdiu hic perseuerabit in eo animo, non erit sacramentum: quòd si mutauerit animum, illud, quod non erat sacramentũ, sine alio consensu nouo illius coniugis, qui simpliciter à principio verbis & corde consensit, efficietur sacramentum. ergo videtur, quod facto hominis matrimonium, quod prius non erat sacramentum, possit effici tale. quod si hoc potest facere priuatus, multo magis videtur posse facere Papa tollendo impedimentum à lege canonica inductum, vt supra latius diximus.

6 Quinto adducebatur quoque à simili, quod quamuis collatio alicuius dignitatis à principio fuerit nulla; si postea dispensatio accedit, videtur reualidari. & hæc est opinio Innocentij & Hostiensis, [a] quos sequitur Antonius, [b] qui hoc præsertim vult locum habere, quando illud impedimentum veniret ex irregularitate occulta: vt tunc verè dicendum sit, illum, qui postea est dispensatus, esse tutum in conscientia; eo quod collatio, quæ prius erat nulla, validetur per dispensationem subsequentem. Hanc opinionem Antonij & aliorum sequitur Felinus, [c] à simili, & sic deducebatur argumentum: Quemadmodum propter irregularitatem, vel aliud impedimentum occultum, collatio beneficij, per quam etiam fit quoddam matrimonium, est quidem nulla; sed si postea accedit dispensatio, validatur; ita quod ille sic obtinens beneficium est tutus in conscientia: pari modo matrimonium, quod à principio fuerit nullum ob aliquod impedimentum occultum, si postea accedit dispensatio, videtur reualidari.

7 His tamen non obstãtibus contraria opinio post longam disputationem fere per tres signaturas super ea habitas fuit approbata; nempe requiri nouum consensum, vt matrimonium dicatur legitimè contractum. Ratio præcipua, quæ vt hoc omnes assereremus vicit, est, quia matrimoniũ Christianorum est sacramentum, quod si à principio fuit nullum, non potest ab vlla humana potestate confirmari; quia si hoc esse posset, diceremus Papam id, quod nõ erat sacramentum, posse facere sacramentum; quod est falsum. Vnde cum matrimonium, seu contractus matrimonialis habitus stante aliquo impedimento dirimente contractum, non possit dici sacramentum; fit necessariò, vt postquam fuerit sublatum impedimentum, adhibendus sit nouus consensus legitimus, ex quo legitimum matrimonium, quod sit sacramentum, oriatur. Et in confirmationem adducebatur cap. *super eo.* [d] vbi dicitur non esse matrimonium, etiam si præcedant verba de præsenti, si illis additur aliqua conditio, vt, si pater consenserit. & quamuis fere omnes iuris Pontificij doctores innuant potius, quàm expresè dicant, adueniente conditione valere matrimonium, neque opus esse nouo consensu; id tamen, quod in glossa, [e] dicitur, nempe quod si ante euentum conditionis alter coniugum cum altero contrahat, valet hoc secundum matrimonium, apertè probat illum priorem consensum, etiam si esset per verba de præsenti, ob conditionem appositam non esse talem, ex quo inducatur matrimonium: nam si esset, cùm sit sacramentum, esset indissolubile. ac propterea Panormitanus qui dubitat de ea glossæ opinione, rectius fecisset, si ob hanc rationem glossæ refutasset eam opinionem, qua dicebat, adueniente conditione esse matrimonium; nam causa diuersitatis, quam ille ait se non videre in matrimonio, & alijs contractibus, est, quia hoc est sacramentum, alij verò sunt tantùm contractus ciuiles, ac politici. & hæc est communis opinio Theologorum: ob quam etiam rationem sacramenti reijcienda est communis opinio Canonistarum in hac parte.

In eodem cap. *super eo.* quærunt doctores; Quid si stante aliquo impedimento dirimente contractum, contrahant per verba de præsenti sub hac conditione, si Papa dispensauerit; an accedente dispensatione sit matrimonium sine nouo consensu? Innocentius, Cardinalis, Panormitanus & communis opinio nostrorum est, quod ex illo consensu non possit effici

A matrimonium; & singuli suas rationes afferunt: sed illa Panormitani facit ad nostram quæstionem principalem, cùm ait, *Quia matrimonium non poterat esse à principio tempore contractus, ergo non potest retrotrahi.* hæc enim ratio probat, stante quocumque impedimento dirimente contractum, non posse vllo modo confirmari matrimonium, quacumque dispensatione adueniente: quæ opinio Panormitani hic expresè videtur repugnare cum his, quæ dixit in capit. *per venerabilem.* [a]

Theologi autem, quorum opinionem in hoc verissimam iudico, nõn dicunt illud matrimonium nõ valere ob aliquam illarum rationum à Zabarella, vel Panormitano adductarũ; B sed quia consensus, ex quo inducitur matrimonium, debet esse mutuus, purus, ac sine vlla conditione. Adducta etiam fuerunt multa à simili in alijs sacramentis, quæ suppleri non possunt, sed necessaria est repetitio sacramenti: vt si quis aqua rosacea baptizaret, Papa non potest facere, vt ratum sit hoc sacramentum, sed necessario est reiterandum. Item si quis confiteatur sacerdoti excommunicato, hęretico, vel schismatico, cùm scit eum esse talem, debet repetere confesionem. Et vt aliquid etiam ex iure ciuili pro hac opinione citetur, facit l. *inter stipulantem.* [b] vbi apertè dicitur, rei sacræ, vel religiosæ, & hominis liberi nullam esse stipulationem: quin etiam si dicatur, *Eum, cùm seruus esse cœperit, dare spondes?* vel, *Eum locum, cum ex sacro religiosóve profanus esse cœperit, dare spondes?* C huiusmodi stipulationem ait ibi Vlpianus nullam: & addit optimam rationem: *quia nec præsentis obligationem temporis recipere potest: & ea dumtaxat, quæ natura sui sunt possibilia, deducuntur in obligationem.* A simili ergo in casu nostro, quia tum inter illos, in quibus est aliquod impedimentum dirimens contractum, non potest esse legitimus consensus, fit, vt nec postea possit confirmari, cùm est sublatum impedimentum: quemadmodum non valet stipulatio, nisi in his quæ de præsenti promitti possunt.

His positis, nunc respondendum est ad ea argumenta, quæ pro altera parte adducebantur.

8 Ad primum ergo fatendum quidem est ea impedimenta esse iuris positiui, & Papam posse illa auferre per legem D generalem; sed negandum est, quod vigente illa lege canonica possit facere, vt consensus, qui à principio illegitimus & nullus fuit, sit legitimus & validus; quia hoc esset quodammodo supplere consensum; quod omnes tam Theologi, quam Pontificij iuris doctores negant fieri posse: sed de hac re latius in secundo argumento tractabimus. Ad illam vero communem opinionem nostrorum, [c] fatendum est verè & ingenuè in ea tripliciter nostros errasse. Primum peccatum est, dum putant prohibitionem Leuitici valere in lege Euangelica. Alterum peccatum est, quod in his aiunt Papam posse dispensare, prout nunc. Tertium peccatum est, quod aiunt in impedimentis lege canonica inductis posse dispensari, vel le- E gitimari prolem, prout tunc: quod perinde est, ac si diceretur posse Papam facere vt proles sit legitima, ac si à principio matrimonium esset legitimè contractum. ac quamuis posset aliquid subtiliter dici, quod ipsi totum referunt ad effectum legitimationis prolis, non autem ad stabilitatem matrimonij: sed quia dicunt hoc posse fieri in impedimentis lege canonica inductis, quia illa Papa potest tollere, fit vt ipsi iudicarint, sublato impedimento huiusmodi matrimonium ita confirmari, ac si tunc legitimè contractum fuisset: ac propterea censent ipsi prolem omnino ea via legitimari posse, ita vt excludat etiam venientes ab intestato. Ad primum ergo peccatum nostrorum, dum putant gradus in Leuitico F prohibitos obligare nos, qui sub lege Christiana sumus, dicendum, hoc verum non esse; & hæc est communis opinio Theologorum, quamuis Paludanus cum nostris sentire videatur. Rationes Theologi plurimas adducunt: præcipua est, quod nos nullis præceptis legis veteris tenemur, nisi quatenus ius naturale, & morum honestatem attingunt: hæc autem prohibitio graduum Leuitici non est simpliciter moralis, sed potius est cæremonialis, vel iudicialis, quod omnes fatentur, & latè multis adductis rationibus, quas ineptum esset hic repetere, docet noster Franciscus Victoria; & cum ex multis locis noui testamenti apertè demonstretur legem amplius non obligare: sicut est illa vox Domini in cruce pendentis, *Consummatum est:* [d] & illud decretum Concilij Apostolorum, [e] *Visum est Spiritui sancto, &* nobis,

a *In cap. nisi cum pridem. de renunc.*
b *In cap. innotuit. qu. 1. de elect.*
c *In cap. cum dilectus. 4. de accus.*
d *De cõd. appos.*
e *2. illius cap.*

a *Qui fil. sint legit.*
b *§. sacram. de verb. oblig.*
c *In cap. per venerabilẽ.*
d *Ioan. 19.*
e *Actor. 15.*

*nobis, nihil aliud imponere vobis oneris, quam hæc necessaria:* & illud Pauli Rom. 7. *Lex in homine dominatur quanto tempore viuit. Itaque vos fratres mortificati estis legi per corpus Christi:* quod declarat Paulus comparatione mulieris, quæ mortuo viro soluta est à lege viri. & ad Gal. 4. affert similitudinem pueri, qui sub pędagogo est vsque ad tēpus pręfinitū à patre. & ad Hebr. 7. *Reprobatio fuit prioris mandati propter infirmitatem eius & inutilitatē.* & Hebr. 8. inducit illud Hierem. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo super domum Israël, & super domum Iuda testamentum nouum, non sicut testamentum quod feci patribus eorum:* & addit Paulus: *nouū antiquauit prius, quod autem antiquatur, & senescit, prope interitum est.* ex quibus, & aliis, quæ aliunde colligi poterant, rectè probat Victoria omnia præcepta legis antiquæ, quæ cessare potuerunt, cessauisse, ac proinde præcepta moralia nullam vim habere nunc ex lege; sed omnem vim, quam habent, habere vel ex iure naturali, vel quia sunt aliqua in Euangelio, aut lege canonica repetita: ex quo infert idem vir doctissimus, hæreticum esse, si quis asserat Christianum prohiberi aliquo gradu consanguinitatis, quia sit in Leuitico prohibitus: quia esset quodammodo asserere pugnare legem cum Euangelio, quod est damnatum. [a]

At quamuis hæc omnia vera esse iudicem, negandum tamen non est in aliquibus canonibus maiorem habitam fuisse rationem illorum graduum, qui expresse erant in Leuitico prohibiti, quod habetur in cap. *literas*, iuncta glossa, [b] quod quidem factum est ob honorem quemdam diuinæ legis, & quia illi gradus inueniuntur aliquando præcepto diuino fuisse prohibiti: propterea tamen dicendum non est Christianos ea prohibitione Leuitici obligari ob rationes supra adductas: & hæc de primo peccato sufficiant.

Alterum peccatum est, cum dicunt in his impedimentis lege diuina inductis Papam posse dispensare, vt nunc: quod illi intelligunt, vt si matrimonium contractum est stante aliquo illorum impedimentorum Leuitici, Papa possit dispensare, ita vt matrimonium valeat, ac si nunc, idest, post dispensationem statim esset contractum: quod quidem illi ita accepisse videntur, quasi Papa in omnibus illis impedimentis possit dispensare; quod verum non est: nam in primo ascendentium, vt inter patrē & filiam, & matrē ac filium, ac filiastrum & nouercam, ac vitricum & filiastram dispensare non potest: nō quia in Leuitico, sed quia iuri naturali est contrarium, vt inter quos debet esse dominatus, & subiectio iure naturali, inter eos sit paritas matrimonij; & quia hoc natura abhorret, vt pater filiæ, vel matri filius carnali copula misceatur, quod etiam multa animalia detestari narrantur. Inter fratres etiam, ac sorores, vel relictas ex fratribus quamuis aliqui iudicarint iure naturali esse prohibitum matrimonium, tamē verior ac receptior opinio est nō esse in illis tale impedimentum; rectè tamen videtur dixisse Alexander Alensis, qui inter fratrem ac sororem ait prohibitum matrimonium ob quamdam decentiam & honestatem à iure naturali profectam: ac propterea numquam legitur fuisse dispensatum, vt quis sororem suam ducere posset.

9 Inter fratrem tamen & relictam fratris ob grauem causam fuit aliquoties dispensatum: & si illa non habuerat prolem ex suis fratribus, similitudine illius, quod Deut. cap. 25. habetur, in cap. fin. [c] legitur cum tota ea natione Liuoniensi cum ad fidem Catholicam venerunt, fuisse dispensatum. Ergo vera non est illa opinio, quod in vniuersum Papa in illis impedimentis contentis in Leuitico possit dispensare: quia saltem in primo ascendentium, quia iure naturali est prohibitum, non potest Papa dispensare: ac si à iure diuino essent adhuc illa impedimenta, sicut ipse videtur accepisse, cum referenda essent ad præcepta negatiua, in nullo posset Papa dispensare, sed quia, vt supra diximus, omnis vis huiusmodi prohibitionum fuit sublata, fit vt inter Christianos in huiusmodi impedimentis tantùm consideranda sit prohibitio à iure naturali emanans, vt in primo gradu ascendentium, ac primo etiam transuersalium ob honestatem quamdam naturalem, vt supra dixi.

10 Reliqua verò omnia impedimenta pertinent ad prohibitionem canonicam: ex quo fit, vt non possit dici constare illa distinctio, vt in his impedimentis valeat prout nunc, in illis prout tunc; quia, vt supra diximus, excepto primo gradu, in quo Papa non potest dispensare, alia omnia à lege canonica vim inter Christianos habent: quare eadem potestas est dispensandi in omnibus.

11 Ad tertium peccatum, cum dicunt, in impedimentis lege canonica inductis Papam posse dispensare, vt valeant, prout tunc; respondendum est ex his, quæ supra dixi in probanda parte affirmante; quod requiritur nouus consensus: nam cum matrimonium sit sacramentum, & constare non possit sine legitimo consensu; si hic nō præcessit, à nullo suppleri potest: sed quia de hac re latissime supra tractauimus, non videntur hic ea fastidiosè repetenda: & hæc de primo argumento.

12 Ad secundum, fatendum quidem est, Concilium generale, ac Maximum Pontificem per se posse auferre aliqua impedimenta, vt factum fuit in magno Concilio Lateranensi & nuper in Concilio Tridentino. [a] quod etiam fuit declaratum & extensum per extrauagantem, Sanctiss. D. N. Pij V. & posse etiam addere aliqua impedimēta, sicut in eodē Tridentino Concilio. [b] factū fuit, & ex eo textu probatur, quod Papa generalem constitutionem edendo possit tollere huiusmodi impedimenta; ita vt illis sublatis, consensus, qui subsequetur, sit legitimus, sed vt consensus, qui à principio fuit illegitimus, possit efficere matrimonium, quod sit sacramentum; hoc inde nullo modo probatur, nec probari potest. quin etiam ex decreto de clandest. si rectè consideretur, clarè demonstratur, ante latam legem generalem non posse dici vlla ratione vel additum, vel sublatū impedimentum matrimonio: nam in eo decreto, in quo tolluntur clandestina, in principio tamen damnantur anathemate illi, qui dicerent ea ante illud decretum contracta, vera ac rata matrimonia nō fuisse: ergo à contrario, qui dicit matrimonium stante aliquo impedimento dirimente contractum posse fieri verum ac ratum (quod propriè ad rem nostram facit) videtur eodem anathemate damnandus. Et ad glossam singularem [c] dicimus ipsam secum afferre respōsionem; quia loquitur in his quæ sunt iuris positiui, quod etiam fatemur. sed quod fiat matrimonium sacramentum sine legitimo consensu, obstat ius diuinum, vt supra diximus.

Ad tertium, dicendum est c. fin. [d] & ca. 1. & cap. *veniens.* [e] propriè pertinere ad forum externum. & quod matrimonium non sit inter illos ratum demonstratur: quia si post scientiam veri, quod vxor sit serua, & ipso volente consentire, si illa nolit, & interim alteri nubat, tenet hoc secundum matrimonium, vt omnes fatentur; ergo primus ille consensus nullius est momenti; & ille qui potest facere ratum matrimonium, est hic secundo præstitus post scientiam impedimenti, sed necesse est quod sit mutuus, vel verbis, vel facto indicatus nec te moueat, quod in d. c. fin. nō videtur haberi ratio consensus ancillæ, sed tantùm est mētio de consensu viri: hoc enim verum est; quia præsumendum est coniugem, qui habet deteriorem causam, non negaturum esse cōsensum: quare in eo casu ancilla, quæ faciebat meliorem conditionem, libenter consentiebat: sed si nollet præstare cōsensum, esset quidem cogenda in foro externo, modo prius alteri non nupsisset. Idem etiam colligitur ex c. primo supra citato; vbi dicitur, quod vir, qui erat in dolo, cogendus est vt cohabitet; sed ex eo quod significatur ad petitionem mulieris posse fieri diuortium, demonstratur inter eos nō esse matrimonium: vnde si alter contrahat, valebit hoc secundum matrimonium. Idem dicendum est ad ca. *veniens.* quod propriè referendum est ad forum externum, & intelligi consensum legitimum secundo loco esse præstitum.

13 Quartum argumentum, quod videbatur multum stringere, fuit solutum duobus modis. Primum, quod consensus illius, qui simpliciter verbis & animo consensit, cēsetur semper durare: vnde cum alter, qui verbis tantum consentit, cōstituit etiam animo cōsentire, fit mutuus, purus, ac perfectus consensus: & hæc solutio videtur bona. Altera fuit, quod etiā hoc casu requiratur nouus consensus mutuus, ac plenus: & quod hæc coniux quando habet in animo, corde, & verbis consentire, debet cautè interrogare alterum, vt tum etiam mutuo consentiat. pro quo facit, quia cum per procuratorem contractum est matrimonium, solet semper præsentibus cōiugibus peti, si ipsi etiam cōsentiant, prout procuratores nomine ipsorum fecerunt.

14 Quintum argumentum, quod similitudine quadam collationis inualidæ nititur, facile dissolui post: nam quia illa omnia sunt iuris positiui, rectè per dispensationem possunt

a ca. *maiores de baptismo & eius effec.*

b *In vers. diuina lege. de restitut. spolia.*

c *de diuort.*

a *Sess. 24. de reform. mat. cap 4.*

b *In decre. de clandest.*

c *In cle. vni. de immu. eccles.*

d *De coniug. seru.*

e *De eo qui dux. in mat. quam pol. per adult.*

CONTRAH,

confirmari,secus est in matrimonio, quod est sacramentum, ac propterea pendet à iure diuino.

Qua quidem dispensatione habita,fuit constitutum, vt in futurum mutaretur stylus,& in huiusmodi supplicationibus adderetur hæc clausula,*de nouo præstito consensu*.

Sed dubitatio magna orta fuit,an propter decretum Côc. Trid. [a] in hoc secundo consensu præstãdo necesse sit saltem adesse parochum cum duobus vel tribus testibus:& propter illa verba decreti,*Et huiusmodi contractus irritos ac nullos decernit*,visum fuit esse necessariam præsentiam parochi & testiu: sed quia hoc in multis casibus non posset fieri sine periculo maximi scandali,& in Concilio nô videtur fuisse cogitatum de huiusmodi casibus occultis, dictum fuit Illustrissimo Cardinali Propœnitentiario,vt nomine totius signaturæ exponeret Sanctiss.videri æquissimum,vt per aliquam constitutionem declaretur,quando præcesserunt denunciationes, vel aliàs seruata est forma Concilij,in hoc secundo consensu sufficere,vt secreto præstetur,sed ita vt coniux, qui ignorabat,in genere intelligat impedimentum dirimens matrimonium subesse,& necessarium esse,vt de nouo mutuo côsentiant, vt matrimonium valeat. & ita Illustrissimus Cardinalis Alciatus Propœnitentiarius retulit in signatura placuisse Sanctiss.vt in huiusmodi impedimẽtis occultis, quando matrimonium est renouandum, possit hoc fieri inter ipsos coniuges secretè,& quod non sit necessaria præsentia parochi, vel testium : & ita exprimenda est clausula,*& secretè inter se contrahere.*

*Vide pro hoc vltimo dicto infrà de despons.impub.consil.* 3.

a De clan.

SVMMARIVM.

1 *Sacramentalia, & sacramenta,excepto baptismo in morte, ab hæretico vel schismatico scienter accipere non licet.*

2 *Benedictio nuptiarum,siue bene,siue male,puta ab hæretico accepta,nec auget,nec minuit vinculum essentiale matrimonij.*

## CONSILIVM XV.

INueniuntur homines,qui suscipiunt benedictionem nuptialem à sacerdotibus Græcis hæreticis, qui blasphemant ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ:& ex istis inueniũtur quidam,qui propterea dereliquerunt vxores suas: & isti homines sunt Orthodoxi,qui habitant inter Græcos hæreticos in Bosna Turcæ supposita. Quæritur quid agendum sit.

1 Respondeo primo,quod oportet eos pœnitere peccati, quod in hoc admiserunt,quia nulli Catholico licet accipere ab hæreticis vel schismaticis,quos nouit esse tales,sacramentalia,de quibus est benedictio nuptialis, neque sacramenta, præter baptisma in morte vt est in c. *præter.* [b] iuncta glossa [c] communiter recepta [d] per nostros,cui concordat D. Thomas communiter receptus. [e]

2 Secundo,quod etiam peccant separando se à suis vxoribus,cum quibus legitimè contraxerunt:quia benedictio nuptialis neque bene accepta auget vinculum substantiale & essentiale matrimonij, neque malè accepta minuit illud; quia illud vinculum est indissolubile. iuxta illud Christi [f] *quos Deus coniunxit*, &c. relat. in capit. *quos Deus.* [g] & consequenter quod debent ad eas redire, etiam si secundas duxerint. [h]

b §.verum. c Verbo sed agentibus. d 32.dist. e 3.par.q.91. ar.7. & in 4. dist.13.quæst. 1 art.1. quæstiuncula 3. f Matth. 19. g 33.qu.2.& in c.inter corporalia. de translat.prælat. h cap.1.& vlti. de sponsa duorum.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium in foro exteriori præsumitur contractum per hæc verba,Volo hunc accipere in maritum;& hæc,Volo hanc accipere in vxorem;prolata à viro & muliere ad interrogationem parochi præsentis,& postea subdentis, Ego non possũ modo vos coniungere,sed coniungam post Pascha. At coram Deo attenditur contrahentium intentio.*

## CONSILIVM XVI.

PArochus,vt matrimonio tunc côtrahendo interesset, accersitus,volentibus matrimonium contrahere dixit,*Cùm sit tempus quadragesimale,non possum vos coniungere: coniungam vos post Pascha*:Itatimque interrogauit virum in hæc verba: *Vis tu Petre Mariam in vxorem accipere?* & Petrus respondit, *Volo*.similiter Mariam interrogauit,*Vis tu Maria Petrum in virum tuum accipere?*& Maria respondit,*Volo*.his auditis subiũxit parochus,*Ego vos post Pascha coniungam.* Dubitatur an si inter Petrum & Mariam matrimonium contractum.

1 Respõdeo,quod iudex,in cuius tribunali tractaretur hoc negotium in foro exteriori,iudicaret esse matrimonium côtractum inter præfatos Petrum & Mariam:in foro auté côscientiæ,quia mulier affirmat voluisse quidem matrimoniũ contrahere,si parochus voluisset eos coniungere; sed quod tempore quo ipsa verba prædicta protulit,ex quo parochus dixerat ea quæ præmittuntur,noluit eum in maritum accipere,sed solũ sponsalia de futuro contrahere; non est matrimonium:nam perinde est,ac si diceret in effectu,Volo hunc Petrum habere pro marito,quando contraxero cum eo; sed nunc non accipio eum in talem.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium contrahere nequeunt, qui se per adulterium polluerunt,si probetur fidem datam de post mortem mariti contrahendo.*

2 *Vxor duorum nulla esse potest:vnde matrimonium secundum non valet.*

3 *Mariti prioris mors nisi probetur,præsumitur eo viuẽte matrimonium côtractum cum secundo.cùm quis præsumatur viuere vsque ad centesimum annum.*

4 *Matrimonium,nisi aliunde impediatur,sufficit si in præsentia parochi & testium contrahatur,etiam si desint aliæ solemnitates.*

4 *A iure antiquo non recedendum, nisi quatenus exprimitur in nouo.*

5 *Filij spurij nati viuente primo coniuge, non legitimantur per subsequens matrimonium.*

## CONSILIVM XVII.

AN quis possit ducere in vxorem eam, quam antea cognouit,dum dubitatur an esset nupta alteri, & dubium est vtrum maritus viuat,vel vita functus sit?

1 Huius quæstionis decisio videtur pendere plurimum ex facto:& ideo respondetur primo,quod si probari posset virũ dedisse fidem contrahendi matrimonium post mortem mariti sui,viuente illo,non valet matrimonium propter impedimentum,de quo in titulo. [a]

2 Secundo,quod non valeret matrimonium,si viueret adhuc maritus concubinæ:quia nulla potest esse vxor duorum, vt per totum tit. [b]

3 Tertio,quod nisi probetur mors mariti prioris,præsumeretur eo viuente fuisse contractum,& ita nullum iudicaretur;quia præsumitur quis viuere vsque ad centum annos. [c]

4 Et nota matrimonium aliàs non impeditum valere etiam omissis alijs solẽnitatibus,modo præsentia parochi, & duorum,vel trium testium sit suffultum,esto quod possit ob id parochus castigari, [d] quoniam à iure antiquo nô est recedendum, nisi quatenus exprimitur in nouo, [e] & iure antiquo nullum matrimonium eo solo,quod clãdestinum esset, reddebatur nullum, vt ipsummet Concilium, [f] affirmat: iure autem nouo prædicti Concilij tum demum fit nullum matrimonium ob clandestinitatem,quando non fuit côtractum præsente parocho,& duobus testibus.

5 Et nota hic filios spurios natos ante legitimum matrimonium non fieri legitimos per matrimonium contrahendũ. [g]

a De eo qui ducit in vxo. quam pol. b De sponsa duorum. c l.fin. & ibi not.C. de sacrosan.eccle. d cap. cum inhibitio.de cla. despons. e l præcipim°. cod.de appellatio. f In princ. ca. 1.de reform. matrim. sess. 24. g cap. tanta. qui filij sint legitimi.

SVMMARIVM.

1 *Fidem præstitam,& præcipuè in sponsalibus præsertim iuratis, in vtroque foro seruare quilibet tenetur.*

1 *Trid.Conc.circa sponsalia de futuro nihil mutauit:quare perinde in eis locum habent antiqua iura post illud,ac antea.*

2 *Matrimonium contractum absque parochi præsentia,vel alterius presbyteri de eius vel ordinarij licentia, vel sine testibus,est nullum post Conc.Trid.*

3 *Matrimonium præsumptum per copulam affectu maritali post sponsalia habitam cessat post Conc.Trid.*

4 *Sponsalia etiam iurata diluuntur si sponsus etiam post motam litem contrahat de præsenti cum altera.*

## CONSILIVM XVIII.

PEtrus contractis solemniter sponsalibus de futuro cum Paula, antequam matrimonium per verba de præsenti coram parocho & testibus per Concilium Tridentinum ad id requisitis contraheret,habuit rem cum ea, & postea frequenter confessus est illam esse suam vxorem.

Quæritur primo, an præfatus Petrus teneatur esse maritus Paulæ.

Secundo, an sit iam verè talis.

1 Ad horum prius respondeo affirmatiuè, quod præfatus Petrus tenetur esse maritus Paulæ in vtroque foro; quia in vtroque foro tenetur quis ad præstandam fidem, præsertim stipulatam, [a] & maximè fidem sponsalium, quæ sunt futurarum nuptiarum promissio, [b] præsertim iuratorum. [c] Nec quicquam obstat Concilium Tridentinum quippe quod nihil circa sponsalia de futuro mutauit; & ita in eis perinde habent locum antiqua iura post illud, ac antea habebant. [d]

2 Ad posterius respondeo (& quidem doleo) negatiuè, nimirum, quod præfatus Petrus in neutro foro est verus maritus Paulæ: quia nullo modo quis potest fieri hodie maritus alicuius, nisi contracto matrimonio coram parocho vel de licentia eius, vel ordinarij, coram altero presbytero, & duobus vel tribus testibus, secundum ius nouum inductum à prædicto Concilio, [e] & inter prædictum Petrum & Paulam non fuit contractum matrimonium saltem coram parocho & testibus.

3 Nec prodest Paulæ cap. illud solemne, *is qui fidem*, [f] quod habet matrimonium præsumi contractum inter sponsum & sponsam de futuro, sequuta copula carnali: quia sublatum est illud per præfatum Concilium Tridentinum quod & nos nuper adnotauimus in nostro Manual. confess. [g] vbi diximus cessare hodie huiusmodi matrimonia præsumpta.

4 Quare cum Petrus contrahendo de facto matrimonium cum altera, possit præfata sponsalia dissoluere, licet cum grauissimo eodemque mortifero peccato, etiam post motam litem, prudentiæ (vt mihi videtur) fuerit, vt prædicta Paula, & mater eius prudentissima Hadriana, antequã illam moueant, rem hanc prouidè tractent, nullisq; iniuriis nec minis prædictum Petrum exasperent, & ad iram prouocent, immo publicè dicant se ipsius nobilitati & Christianitati fidere; secreto autem quanta maxima poterunt instantia, querelis, lacrymis, & eiulatu plenæ moueãt Illustrissimum Cardinalem & alios magnates, quo misereantur earum, & nitantur persuadere prędicto Petro, vt in constantia & fide suæ maximæ nobilitatis iurata perseuerans præstet promissa: quin & magnopere curent, vt Maiestas Regia, quæ huiusmodi fraudibus maximè est inimica, scribat ei, & Illustrissimo Cardinali, ne rem adeo fœdam in suo Regno cum filia tanti ministri fieri admittat. Salua, &c.

a l. 1. ff. de pac. & leg. 1 ff. de verb. oblig.
b l. 1. ff. de spõsal.
c Cap. ex literis. de sponsal.
d Arg l. præcipimus. C. de appell.
e Cap 1. de reform. mat. sess. 24.
f De sponsal.
g Cap. 25 nu. 144.

### SVMMARIVM.

1 *Promittens ducere aliquam in vxorem, tenetur ducere, etiam si talem promissionem fecerit absque animo adimplendi.*

2 *Iuramentum, quacumque arte verborum concipiatur, debet adimpleri in eo sensu, quem cui iuratur intellexit.*

## CONSILIVM XIX.

Promisit quis puellæ ducere eam in vxorem absque animo implendi, sed potius decipiendi. Quæritur, an teneatur eam ducere, cum non haberet intentionem eam accipiendi?

1 Ad quæstionis præfatæ decisioné, & ad ea quæ respondétur à prædictis viris doctissimis, addo primo, quod qui promittit mulieri, præsertim virgini, ducere illam vxorem, tenetur ad impléndam promissionem, etiam si absque animo illam ducendi promiserit. Tum quia omnis promissio rei notabilis licitæ deliberata obligat promittentem ad implendum promissum sub pœna peccati mortiferi iure naturali, & canonico. [h]

2 Tum quia quacumque arte verborum iuretur, ita iuramentum est implendum, vt is cui iuratur intelligit, [i] & nos diximus in nostro Manual. confess. [k] & in nostro comment. super cap. *humanæ aures.* [l]

h Cap. 1. de pact. cap. iuramenti. 22. qu. 5.
i Cap. quacumque. 22. qu. 5.
k Ca. 16. nu. 18.
l 22. q. 5. à n. 6. & seq.

### SVMMARIVM.

3 *Conuersationem, vsque ad tactum & impudica oscula deueniendo, cum puella sub fictione illam in vxorem ducendi habens, ob id non tenetur illam in vxorem ducere, etsi dotem damni illati compensatiuam dando satisfacit.*

2 *Restituere damnum qui tenetur puellæ læsæ, potest id secreto facere, ac etiam palam, adiecta tamen causa dationem honestante.*

3 *Dotem qui puellæ deceptæ tenetur præstare, non cogitur antequam nubat fructus dotis persoluere magis, quam si ex contractu teneretur.*

## CONSILIVM XX.

Virginem quidam vir diu solicitauit, fingendo eam velle vxorem ducere, & tantùm ad tactus & oscula peruenit. Postea ad Deum conuersus dubitat an teneatur illam ducere, seu saltem dotare: & quomodo salua eius fama, cùm eam non cognouerit, dotem constituere valeat: & an dotem in manibus mercatoris teneatur constituere, vt lucretur interesse interim dum nubit.

1 Visis & perpensis suprascriptis responsis egregia pietate & eruditione datis, respondeo primo illa mihi videri iuridica, attento quod D. cósulens volens decipere non peruenit ad habendum rem cum decepta, & quod offert iustam restitutionem damni, quod illa ex sua conuersatione passa est.

2 Secundo, quod etsi aliquo respectu conueniat (vt primus D. consultor tangit) ne nomen D. consulentis in restitutione exprimatur; aliis tamen videretur conuenientius, etsi non necessarium, vt exprimeretur se facere illam ob egregiã, quam habet de virtute illius Christiana opinionem conceptam, & quod videt eam non habere fortunas suæ virtuti respondẽtes. Et licet expediret (quod cumulatæ pietatis fuerit) vt D. consulens fiat presbyter in pœnitentiam præfatæ deceptionis, non tamen est necessariæ iustitiæ.

3 Tertio, quod licet prudens & vtile consilium sit, quod præfatus D. secundus consultor addit, nempe quod pecunia restituenda reponatur in manibus alicuius, vt inde aliquid lucri eueniat præfatæ puellæ, iusta cap. *per vestras*, [a] non tamen videtur necessarium, modo D. consulens tradat illa, quæ ob damnum illatum restiturus est ei, & eo modo, quo restituendo, ac si deberet ex contractu, satisfaceret.

a De donatio. inter vir. & vxor.

## DE DESPONSATIONE IMPVBERVM.

### SVMMARIVM.

1 *Pubes, qui cum impubere contraxit sponsalia, non potest cum alia, etiam impubere, antequam fiat pubes, consentiente, sine peccato contrahere matrimonium, & contrahendo punitur, licet teneat matrimonium.*

## CONSILIVM I.

Vir vigesimum annum agens contraxit sponsalia de futuro cum agente decem. Quæritur quid agendum.

1 Respondetur primo valere sponsalia, & non posse puberem discedere à puella etiam de consensu eius, donec pubescat, & peruenerit ad duodecimum annum.

Secundo, quod expectare debet, donec illa pubescat; & si tunc noluerit ipsa contrahere cum ipso, potest vterque resilire à præfatis sponsalibus: si autem ipsa voluerit contrahere cum illo, tenetur ipse ad contrahendum cum illa.

Tertio, quod si vir contrahat cum alia matrimonium per verba de præsenti, etiam de consensu sponsæ, antequam illa perueniat ad pubertatem, vel postquam peruenerit ad pubertatem sine consensu eius, peccabit grauissimè, quamuis matrimonium aliàs legitime contractum valeret, sed deberet ipse puniri secundum communem opinionem DD. [b] quam sequitur etiam Couarruuias. [c]

b In cap. de illis. I. de despõsatione impu.
c In epitome super 4. 1. pa. ca. 5. §. 1. &c.

### SVMMARIVM.

1 *Matrimonium per verba de præsenti inter impuberes contractum, matrimonium quidem non est, nec adueniente ætate efficitur; sed talia sponsalia, quæ plus obligant, quàm sponsalia contracta per verba de futuro: vnde tales tenentur: & si nondum cum aliis de præsenti contraxerunt, qui renuit vt contrahat potest cogi.*

2 *Coactio, qua iudex cogit sponsum ad contrahendum cum sponsa, non est iniusta; immo ei sine peccato, nisi adsit causa, non potest resisti.*

## CONSILIVM II.

N. & M. impuberes per verba de præsenti contraxerunt inter se matrimonium, à quo M. vellet resilire, & cum alio contrahere. Quæritur an liceat.

1 Respondetur primo, certum esse non contrahi matrimonium inter impuberes, nec inter puberem & impuberem, etiam si se desponsent per verba de præsenti; sed tantùm iuris fictione censentur sponsalia de futuro, [d] nisi sint pubertati proximi, & malitia vel potentia suppleat ætatem.

2 Secundo, certum esse quoque talia sponsalia non transire

d Cap. 1. §. idem quoque. de despõ. imp. lib. 6.

in matrimonium per solam ętatem superuenientem, vt ibidem habetur: & ita, si alter non vult esse coniux alterius, nō potest cogi ad illud.

Tertio, quod mea sententia vtraque pars obligatur contrahere cum altera in foro cōscientiæ, nisi aliqua iusta de causa excusetur: quoniam matrimonium illud est potentius, quàm sponsalia de futuro, secundum omnes; & sola sponsalia de futuro obligant in conscientia ad contrahendum; ergo & illud matrimonium. argumento reg. *cui licet quod est plus, licet vtique quod est minus.* [a] Quod autem supra dixi nō posse cogi ad illud, in hunc sensum dixi, videlicet, quod si ipse contraxerit cum alia, erit validum matrimonium, & erit inseparabilis ab illa: sed antequam cum alia contrahat, poterit compelli ad contrahendum cum illa, tamquam sponsus eius, qui virtualiter contraxit sponsalia cum illa priore: nec se poterit defendere iustè sine peccato ab huiusmodi coactione, quam conscientia in foro interiori, & iudex in exteriori facere poterit. Salua, &c.

a *De reg. iur. lib. 6.*

### SVMMARIVM.

1 *Matrimonium qui seruata forma Concilij contraxere ante iustam ætatem, de licentia ordinarij iterum, omißis solemnitatibus, coram parocho, vel debita etiam ad hoc præcedēte licentia coram alio sacerdote, & duobus testibus secretè, cum impedimentum sit occultum, contrahant.*

## CONSILIVM III.

Rogatus quid facere debeant duo coniuges, qui pridem post Concilium contraxerunt matrimonium, & susceperunt filios, & nunc resciuerunt vxorem non habuisse tempore contractus duodecim annos, quamuis maritus haberet plusquam quatuordecim.

1 Respondeo, quod latissima super hoc disputatio haberi potest, tangendo ea, quæ nuper allegauimus coram S.D.N. super dispensatione ad contrahendum matrimonium inter duos Illustrissimos impuberes. [b]

b *Vide cons. sequ.*

Sed omissis illis, videtur respondendum, debere præfatos, de quibus quæritur, dicere ordinario, quod ipsi ex causa quadam, quam non oportet ei notam facere, habent scrupulum, qui iam cessauit, de valore matrimonij sui contracti coram parocho ante tot annos: & quod ad deponendum illum vellent denuo contrahere: & quod supplicant ei, vt det eis licentiam id faciendi coram suo parocho, vel alio sacerdote de sua licentia, non præmissis denuntiationibus per Concilium Tridentinum requisitis, attento quod iam antea cum illis contraxerunt: & post illam licentiam habitam, adeant suum parochum, vel alium sacerdotem, cui det licentiam ipse vel ordinarius ad assistendum matrimonio contrahendo: & vocatis duobus vel tribus testibus amicis suis, qui rem teneant secretam, contrahant in nomine Domini, qui nos omnes saluet. Amen.

*Aduerte hic præsentiam parochi, ac testiū requiri ad cautelam, ne detecto impedimento matrimonium validum negetur: nam in conscientia possunt inter se sine parocho, & testibus valide contrahere. Vide supra de sponsal. cons. 14. in fine, & clarius in Manual. confess. cap. 22. n. 70.*

### SVMMARIVM.

1 *Coniugio regulariter ineptus est, qui debitum reddere nequit. num. 18.*
2 *Leges determinantes ætatem ad matrimonium videntur, sed non sunt naturales. num. 13. 14. & 18.*
3 *Obligari quis ad impoßibile nulla lege nec priuilegio potest.*
4 *Matrimonij de essentia videtur esse actualis potentia coëundi tempore contractus, sed non est. num. 14. & 19.*
5 *Pueros ante certam ætatem voto solemni non obligari facit ius humanum.*
6 *Papa consensum ad matrimonium requisitum supplere nequit, nec discretionem, nec potentiam iure naturali ad matrimonium necessariā. num. 20.*
7 *Papæ omnis lex humana subiicitur.*
8 *Lege humana multa iuris diuini indeterminata determinantur: ita vt licet ipsum indeterminatum sit iuris naturalis indispensabile, ipsum tamen determinatum sit iuris humani dispensabile. & num. 12.*
9 *Aetatis ad matrimonium determinatio iuris humani, super quo Papa dispensat. 12. & 13.*
10 *Matrimonium ante pubertatem ex aliqua vrgentißima necessitate contrahi potest.*
11 *Pubertati proximus, masculus inquā post decimum annum cum dimidio, & mulier post nonum cum dimidio, contrahendo, saltem naturaliter obligatur.*
12 *Ius naturæ ad matrimonium contrahendum prudentiam requirit; sed humanum, respiciendo id quod solet communiter accidere, determinat quando illa eueniat.*
13 *Coëundi potentiam inesse multis ante tempus à iure præfixum.*
15 *Impotentia non omnis ad coëundum, etiam perpetua, est contra matrimonij essentiam.*
15 *Senex ad coëundum impotens potest matrimonium contrahere. & num. 18.*
16 *Papa etsi legem diuinam nec tollere, nec limitare, nec in ea dispensare propriè poßit, attamen ex ratione desumpta ex alia lege diuina potest declarare ea non procedere in tali & tali casu.*
17 *Voti, & iuramenti iure naturæ reddendi obligationem remittit Papa, faciēdo de voto & iuramēto non votū, non iuramentum.*
17 *Vota ne fiant, vel iuramenta, potest ex causa Pontifex efficere.*
19 *Corporum traditio necessaria est ad verum matrimoniū, etiamsi in tradente non adsit potentia copulæ.*
19 *Traditio corporum necessaria ad matrimonium potest fieri sine actu carnali.*

## CONSILIVM IV.

Tractatum est diu in Hispania de mandato Regiæ Maiestatis Catholicæ per multos proceres, & tandem auctoritate eiusdem cōclusum, vt ad vtilitatem priuatam & publicam contrahantur duo matrimonia, alterum inter Illustrissimum Don Ioannem Ludouicum de la Cerda Ducem Medinæ cæli, & Marchionem, ac Comitem aliorum dominiorum, & Domnam Ioannam del Alama Ducem Alburquerquensem relictam quondam Don Gabrielis Illustriss. Excellentiss. q. Ducis Alburquerquensis, qui ante paucos annos fuit Ducatus Mediolani Gubernator, eamdemque multorum dominiorum dominam: alterum inter Illustrissimos & Excellentissimos Don Ioannem de la Cerda Marchionem de Cogolludo filium & successorem prædicti Ducis Medinæ cæli, & Domnam Annam del Alama, & de la Cueua, filiam prædictæ Ducis Alburquerquensis, impuberes, quidē, sed præter communem aleam animorum & corporum viribus à Deo & natura dotatos. Conclusum inquam est, dummodo intra sex menses, quorum iam tres sunt elapsi, S. D. N. dignetur dispensare, vt prædictus Don Ioannes Marchio de Cogolludo ætatis duodecim annorum possit contrahere matrimonium cum prædicta Domna Anna decem annorum, & non aliter, nec aliàs: quoniam visum fuit viris eruditissimis, nulla pœna, nec arrha, nec fideiussione fieri posse certam & securam prędictam Ducem Domnam Ioannam de matrimonio futuro inter prædictam Domnam Annam filiā suam, & prædictum Don Ioannem de la Cerda filium prædicti Ducis Medinæ cæli, nisi mediante prædicta dispensatione. Et quia sunt, qui subdubitēt, an S.D.N. id facere possit, petitur informatio iuris, quo palam ostendatur suam Sanctitatem id facere posse.

Responsurus ad hanc quæstionem, à nemine, quod sciam, tactam, primum opem diuinam submississimo animo imploro; deinde humiliter supplico S.D.N. vt dignetur sublimitatem animi sui demittere ad hæc humilia, quæ humiliter suæ censuræ sublimi, eidemque profundo iuris tam naturalis, & diuini, quam humani callo munitæ subiicimus. Et quidē pro parte negante, quod non possit, facit primo cap. *quod sedem.* [a] vbi puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus coniugio, & videtur loqui de aptitudine requisita iure naturali diuino: nam per illum textum tenet Sotus, [b] quod impotentia ad carnalem actum omni iure impedit matrimonium: & postea in solutione 2. argumenti tenet, quod senex omnino impotens ad actum matrimonialem nulla ratione potest matrimonium contrahere. At prædicti Illustriss. domini ambo sunt impuberes; quia puella nō impleuit duodecimum annum, neque attigit, & puer nondum impleuit decimumquartum, neque attigit illum: & ita præsumuntur impotentes ad actum carnalem, & consequenter omni iure esse inepti coniugio, cui consequens est, Papam non posse eos aptos facere.

a *De frig. & malef.*

b *In 4. lib. sent. dist. 34. quæst. 1.*

2 Secundo, quod lex tam canonica, quā Cæsarea, quæ statuit, ne fœmina ante duodecimum annum completum, nec

masculus ante quartumdecimum annum completum possit contrahere matrimonium, [a] videtur esse potius lex naturalis diuina, quam humana, cum vbique gentium seruetur, [b] & Papa licet possit supplere omnem defectum prouenientem ex lege humana, [c] non potest tamen supplere defectum prouenientem ex lege naturali & diuina; quia secundum Vrbanum vsque ad sanguinem tenetur eam seruare, [d] ergo non potest supplere prædictum defectum.

3 Tertio, quod nulla lege, neque Papæ priuilegio, vel dispensatione fieri potest, vt quis obligetur ad impossibile, [e] nam neque Deus, secundum S. Hieronymum receptum ab omnibus, obligat quem ad impossibile, at impossibile videtur prædictos dominos impuberes debitum coniugale reddere posse, vt præcitatæ leges significant. ergo non possunt obligari Papæ priuilegio ad reddendum illud.

4 Quarto, quod ad substantiam matrimonij requiritur, vt contracturus illud tempore contractus habeat potentiam coëundi, vt præ cæteris tradit Scotus, [f] illa ratione, quæ videtur firma, quod de substantia matrimonij est datio potestatis sui corporis pro parte, quam dat sibi alter: & qui illam non habet, non potest eam dare, iuxta illud, *Nemo dat, quod non habet.* [g] Cum ergo præfati Illustriss. impuberes non possint dare potestatem suorum corporum, quam non habent; consequens videtur, per nullam dispensationem posse illos contrahere matrimonium.

5 Quinto, quod prædicti domini impuberes non possunt se obligare ad contrahendum matrimonium spirituale cum Deo per votum solemne, secundum omnium sententiam, ex defectu sufficientis discretionis, & prudentiæ: ergo nec ad perpetuam seruitutem matrimonialem, cum iudicium sufficiens ad obligandum diabolo, vel homini, sufficiat ad obligandum Deo, iuxta glossam solennem & receptam. [h]

6 Sexto denique, quod Papa non potest supplere consensum necessarium ad matrimonium, vt tenet Ioannes Andreas quem sequitur Panormitanus, [i] quem sequuntur alij illa firmissima ratione, quod licet Papa possit supplere defectus iuris humani iuxta cap. 1. & ei notata, [k] non potest tamen supplere defectus naturales, vt Speculator receptus ab aliis tenet, [l] pro quo aptus textus in clem. *pastoralis.* [m] per quem Cardinalis etiam receptus, [n] adnotauit, Papam non posse supplere defectum citationis, quia iuris naturalis est. At præfati domini impuberes non videntur habere tam liberum, tam discretum & prudentem consensum, quàm necessarius videtur iure naturali ad tantum sacramentum, & iugum maritale perpetuo duraturum, argumento textus & glossæ singularis in cap. *notificasti.* [o] ergo Papa non potest illum supplere.

7 His tamen non obstantibus, contrarium proculdubio est dicendum. Primo quidem, quod Papa est summus, & vnicus summi Christi Dei & hominis Vicarius, de quo est illud Ioannis Anglici citatum per glossam. [p] *Papa stupor mundi, qui maxime rerum Nec Deus est, nec homo, quasi neuter, & inter vtrumque,* cui omnis lex humana subiicitur, [q] saltem quo ad hoc, vt pro loco & tẽpore iuste possit eam relaxare, vt dixit D. Thomas receptus ab omnibus, [r] & probatur irrefragabiliter per l. *princeps.* [s] & cap. *proposuit.* [t] & per tradita ab Innocentio, [v] & per alios alibi sæpe.

8 Secundo, quod licet aliqua generalia indeterminata sint iuris naturalis, vel diuini: determinatio tamen eorum quo ad quantitatem, tempus, vel locum facta à legislatore homine constituit ius humanũ: ita quod ipsa determinata, puta tempus, locus, sint iura humana, & non naturalia, nec diuina. Verbi gratia, ius naturale diuinum est, vt delicta puniantur. [x] At determinatio, quod illa vel illa pœna, tanta vel tanta, tempore vel loco illo vel illo puniantur, ius humanum est secũdum omnes: & licet non possit legislator homo statuere, ne crimina puniantur; potest tamen dispensare, ne illa vel illa pœna, illo vel illo tempore, & loco puniantur. Præceptum item, vt confiteamur saltem semel omnia peccata mortifera, diuinum est, latum à redemptore omnium Christo Domino Deo nostro, vt declarauit sacrosanctum Concilium Tridentinum, [y] determinatio autem, vt confiteamur illa semel in anno, [z] humana est, & licet Papa non possit dispensare, vt non teneamur confiteri mortifera saltem semel in vita; potest tamen ex causa iusta dispẽsare, vt non teneamur cõfiteri mortifera semel in anno, vel in Quadragesima secundum mentem omnium, [a] quidquid Panormitanus, [a] inuoluat. Ita etiam licet præceptum de ieiunando sit præceptum iuris naturæ indigenti eo ad salutem, vt tradit D. Thomas, [b] determinatio verò, quod illo vel illo tempore ieiunemus, est præceptum humanum: & licet Papa non possit dispensare super lege illa naturali de ieiunando, potest tamen dispensare, & quotidie dispensat ex causa super ieiunio illius vel illius diei. Insuper, licet præceptum de cessando aliquo tempore ab opere seruili, vt vacemus Deo, & diuinis, ac spiritualibus, sit præceptum naturale, & lex naturalis; præceptum tamen determinans, vt illo vel illo tempore feriemur ab opere seruili, & Deo vacemus, atque rebus diuinis, præceptum est humanum, & lex humana, vt colligitur ex D. Thoma etiam recepto, [c] vnde infertur omnia festa Christianorum, etiam dies dominicos, esse præcepta, & iura humana, vt post multos alios nos quoque intulimus in Man. confess. [d] & vltra omnes irrefragabiliter probat Thomas Vvaldensis. [e]

9 Sic igitur, licet iure naturali ætas aliquorum annorum requiratur ad matrimonium contrahendum; determinatio tamen eius, quod requiratur in masculo ætas quatuordecim annorum completorum, & in fœmina duodecim, ius est humanum, & lex humana est: & ita licet Papa non possit dispensare, quod nullorum annorum ætas requiratur ad contrahendum matrimonium, potest tamen dispensare ex causa, quod non requiratur ætas quatuordecim annorum in masculo, & duodecim in fœmina.

10 Tertio, quod est casus in cap. 2. [f] quatenus habet expressè, matrimonium posse contrahi ante pubertatem pro aliqua vrgentissima necessitate, puta bono pacis. Et ne quis dicat cap. istud loqui de sponsalibus tantum, consideret glossam & ante illam Innocentium intelligere illum textum de coniunctione tam matrimonij, quàm sponsalium; & quod Panormitanus, [g] probat irrefragabilibus argumentis potius intelligendum esse de matrimonio, quàm de sponsalibus.

11 Quarto, quod pupillus proximus pubertati, qualis est fœmina post nonum annum dimidiatum, & masculus post decimum dimidiatũ, contrahere potest, & contrahendo obligari saltẽ naturaliter iuxta l. 1. [h] & per alia, quæ citat Decius, [i] immo & tunc negotium rectè gerit tutore auctore, vbi eius auctoritas est necessaria iuxta §. pupillus. cum ei concordantibus. [k] At matrimonium est contractus: ergo auctore Papa, cuius auctoritas tantum, immo plus potest in spiritualibus, quàm tutoris in temporalibus, [l] poterit contrahere matrimonium.

12 Quinto, quod licet iure naturali ad contrahendum matrimonium requiratur discretio, prudentia, & iudicium, ius tamen, quod determinat tale iudiciũ euenire masculo in 14. anno, & fœminę in 12. non est ius naturale, sed humanum determinatum arbitrio legum latorum, qui respiciunt id, quod communiter accidit, vt ait Celsus, [m] & ita, quando contingit discretio & prudentia alicui ante tempus determinatum, sanctè potest legislator, habita ea de re iusta informatione, permittere, vt illud ante determinatum tempus fiat. At per iustam informationem constat prædictos Illustrissimos dominos impuberes habere, prçter communẽ suorum æqualium, aliam prudentiam, discretionem, & iudicium sufficiens ad cognoscendum & iudicandum magnitudinem sacramenti matrimonij, & iugum maritale perpetuum, vt in facto proponitur, ergo iustè potest S. D. N. permittere inter illos matrimonij contractum.

13 Sexto, quod licet coëundi potentia non soleat euenire vt plurimum ante prędictas ætates, tamen frequẽter euenit ante illas, illis maximè, qui nati in murice & auro, & nutriti, vt ille ait, inter superbas opes, & delicias, vires maiores, maiusq; robur corporeum sibi quęrunt. Vnde Gregorius lib. Dialogorum 4. relatus à glossa, [n] in summa refert. quemdam puerum ætatis nouẽ annorum nutricẽ suam fecisse pręgnantem: & D. Hieronymus narrat in epistola ad Vitalẽ presbyterum, se audisse, quemdã puerum decẽ annorum grauidã fecisse suam nutricẽ, Salomonemq; in decimo anno genuisse Roboã, & Achaz in anno ætatis vndecimo Ezechiã, & sunt viri magna fide digni, qui asserunt quamdã puellam decẽ annorum ante paucos annos peperisse in regno Neapolitano. Cũ ergo prædicti domini impuberes sint in murice & auro nati, & in deliciis nutriti, sitq; iam puer duodecim annorũ, ac puella decem, facile potest per iustam informationẽ & corporis staturã sua-

deri,

Marginal notes (left column): a l. 4. ff. de rit. nupt. & l. à cimus: Co. de nupt. & cap. puberes & c. de illis. & ca. fin. de despon. impub. — b Arg. ca. ius gentium. & c. ius naturale 1. dist. — c Cap. cuncta per mũdum. 9. quæ 3. — d Cap. sunt quidam. 25. quæst. 1. — e l. impossibilium. ff. de re. iur. & ca. nemo ad impossibile. eod. tit. lib. 6. — f Lib. 4. sent. dist. 34. qu. 1. — g Cap. quod autem. de iure patron. l. si vniuersa. Co. de leg. — h In sum. 20. qu. 1. & in ca. mulier. 32. q. 2. — i In ca. per venerabilem. n. 21. qui fil. sint leg. — k De trãsac. — l Tit. de legat. § nunc ostendendum. ver. 18. — m §. cæterũ. de re iud. — n Ibidem. — o 33. quæst. 5. — p In procem. Clem. — q Cap. cuncta per mũdum. 9. qu. 3. ca. innotuit. de ele. — r 1. 2. q. 96. a. 5. ad secundũ. — s ff. de legib. — t De concess. preben. — v In dict. cap. innotuit. — x l. ita vulneratur ff. ad l. Aquil & ca. vt fama. de senteut. excõ. — y Sess 14. ca. 6. — z Cap. omnis. de pœnit. & remiss. — a In 4. sentẽt. dist. 17. & in cap. omnis.

Marginal notes (right column): a Ibidem. — b 2. 2. q. 147. art. 3. — c 2. 2. q. 122. artic. 4. & 5. — d cap. 13. nu. 1. e In lib. de sacramentali. cap. 14. — f De despõs. impub. — g Ibid. — h ff. de actio. & oblig. — i In l. pupillus l. in negotiis. ff. de reg. iur. — k Instit. de inutilibus stipul. — l Arg. cap. vlt. de iudi. lib. 6. — m In l. 4. & 5. ff. de legib. — n 2. quæst. 1.

deri, eos habere potentiam coëundi; qua probabiliter creditã, nulla est difficultas dispensationi locum esse cessante præcipua causa, ob quam facultas contrahendi matrimonij in illas ætates differtur, argumento ca. *cum cessante.*[a] & l. *adigere.*[b]

a De appella. b §. quamuis ff. de iurepat.

14 Septimo, quod potentia actualis coeundi non est de substantia matrimonij, secundum sola iura naturalia diuina. Tum quia pueri quatuordecim annorum possunt contrahere matrimonium, licet non euenerit potentia coëundi secundum receptam sententiam, quæ probatur, eo quod nullatenus debent tales propter frigiditatem separari. Tum quia impedimentum, quod processu temporis tolli potest naturaliter, vel per artem, non est contra substantiam matrimonij, secundum D. Thomam receptum, [b] & probatur in cap. *fraternitatis.* & fere toto tit. de frig. & malef. Tum quia nullum impedimentum naturale, quod non est perpetuum, est contra essentiam & substantiam matrimonij, etiam secundum legem humanam canonicam vt est in d. cap. *fraternitatis.* in quo ipse Innocentius III. definit, impedimentum perpetuum esse illud, quod non potest tolli per naturam, vel medicinam, absque periculo vitæ probabili. At impotentia prædictorum dominorum ad actum carnalem (si qua talis esset) tolli potest, & vita comite tollitur processu temporis: ergo eorum petitio non solum non continet, vt S. D. N. dispenset contra id, quod de iure naturali est contra substantiam matrimonij, sed neque id quod de iure humano est contra substantiam eius, sed solùm vt relaxet ius humanum, quo vetitum est fieri matrimonium ante illas ætates.

c In præd. di. 34. artic. 2. in corp. quæst.

15 Octauo, quod non omnis impotentia ad actum carnalem, etiam perpetua, est contra substãtiam matrimonij, etiam secundum legem humanam: senex enim quamlibet impotens, & quamlibet senio grauatus, potest contrahere matrimonium; quod tota seruat Ecclesia, vt ait Scotus vbi supra, propter rationem, quam reddit D. Thomas. [d] Mulier etiam sciens virum esse aliqua impotentia perpetua facti impotentem ad actum carnalem, & hoc non obstante contrahit cum eo, tenet matrimonium, per rationem, quam reddit S. Thomas. [e] Ergo defectus potentiæ ad actum carnalem ratione talis ætatis non est contrarius, iure naturali solo inspecto, substantiæ matrimonij; quia illa crescente tolli potest, & passim tollitur: quamuis iure humano ob illam reddatur quis inhabilis ad contrahendum: & consequenter S. D. N. iusta de causa iustè illum tollere potest.

d Vbi supr. in respons. ad 4.

e Vbi supra in corp. quæst.

16 Nono denique, ad redundantiam, licet non ad necessitatem, facit, quod quamuis Pontifex Maximus non possit tollere, neque limitare legem Dei naturalem, vel diuinam, & consequenter nec dispensare super ea, accepto verbo dispensationis propriè & strictè, secundum eos, qui verius & exactius videntur nobis loqui; eo quod inferior non potest tollere, nec limitare leges superioris, nec consequenter legislator humanus legem Dei legislatoris supremi, [f] potest tamen eam interpretari, & declarare, vt non debeat seruari, quando ratio desumpta ex alia lege ipsiusmet Dei naturali vel diuina id suadet: vt in clem. 1. [g] declarat illam legem naturalem Decalogi, quæ damnat homicidam, non comprehendere occidentem ad defensionem sui omnino necessariam, & in ca. 1. [h] declarat, legem Decalogi de seruando iuramento non obligare iuratem seruare statuta Ecclesiæ quo ad illicita. Potest etiam per viam epicheiæ, siue epiciæ, siue æquitatis, de qua Philosophus, [i] & S. Thomas, [k] efficere, quod aliquod factum hominis, quod suapte natura includitur sub verbis legis naturæ, vel diuinæ, propter aliquam causam non includatur sub ea. Verbi gratia, lex naturæ & diuina præcipit, vt inferior obediat superiori, iuxta l. *vt patriæ parentibusque obediamus.* [l] At Pontifex Maximus potest efficere iusta de causa, non quidem vt inferior non obediat superiori, sed vt is qui est inferior alicuius, desinat esse subditus illius per suam iustam exemptionem, & consequenter ne teneatur parere illi, qui iam non est suus superior.

f Arg. cap. inferior. 21. dist. clem. ne Romani de elec.
g De hom.

h De iureiur. lib. 6.

i 5. Eth.
k 2. 2. q. 120. art. 1.

l ff. de iust. & iur. & cap. 2. de maior. & obed.
m Cap. magnæ de voto. & cap. si vero. de iureiu.
n ca. 1. & ca. debitores. de iureiu. cap. 1. & c. literaturam. de voto.
o Lib. 7. q. 4. ar. 1. de iust. & iur.
p 1. 2. qu. 100. art. 8.

17 Potest etiam facere, quod votum, & iuramentum, quæ per legem naturalem sunt reddenda & implenda, [m] iusta de causa desinant esse vota, & iuramenta, [n] & consequenter licet non possit efficere, quod vota, & iuramenta licita non debeant adimpleri, quia id esset tollere, vel limitare legem naturalem, vel diuinam; potest tamen efficere iusta de causa, quod non sint vota, nec iuraméta: quod post alios declarat Sotus, [o] & ante illum profundius Caietanus ad aliud propositum, [p] & alio stylo Didacus à Couarruuia, [a] feliciter dilatando seminaria, quæ à nobis olim Salmanticæ susceperat. Et nostro proposito non est necessarium, quod S. D. N. tollat vel limitet legem præfinientem certam ætatem ad contrahendum matrimonium, quamuis id proculdubio facere possit, quia est lex humana per prædicta: sed satis est, quod sua Sanctitas declaret, quod illa lex, quæ lata fuit habito respectu ad communiter accidentia, secundum quæ non habetur iusta prudentia, & potentia ad contrahendum matrimonium ante illas ætates, non habeat locum in præfatis excellentissimis impuberibus, quibus per iustam informationem constat inesse illas.

a In epito. 4. 2. par. cap. 6. §. 9.

18 Non obstant opposita. Ad primum enim respondetur primo, quod cap. *quod sedem.* in eo allegatum, & alia iura, quę habent, puerum, qui non potest reddere debitum, non esse aptum matrimonio, intelligenda sunt primo de aptitudine regulari communi præsumpta, & ideo non habere locum in casu proposito; cum præfati domini habeant aptitudinem veram & particularem maiorem, quàm sit communis & præsumpta, vt prædictum est.

Secundo, quod id quod videtur dicere Scotus in arg. citatus, scilicet, senem omnino impotentem non posse contrahere matrimoniũ, non est verum; quia, vt & ipsemet ait in propositione argumenti, contrarium seruat Ecclesia, & tenet D. Thomas receptus, [b] & Michaël Medina, [c] negat Scotum id asserere, quod satis ex eo colligitur.

b In loco citato in argu. 8. pro nostra parte adducto.
c In lib. 5. de sac. hom. conti. cap. 74.

Ad secundum respondeo, quod licet leges super ætate ad contrahendum matrimonium latæ essent iuris gentium, non sequeretur ex eo, quod essent leges naturales; quia aliud est ius gentium, & aliud ius naturale, per rubricam de iur. nat. gent. & ciuili. & definitiones illorum positas ibi, & in cap. ius natur. & cap. ius gentium. [d] & à diuersis non fit illatio. [e]

d 1. distin.
e l. Papinia. ff. de minoribus.

19 Ad tertium respondeo primo, negando esse impossibile præfatis dominis impuberibus reddere sibi mutuo id, quod debetur virtute matrimonij. Tum quia virtute illius solùm tenentur dare potestatem suorum corporum, quæ dari potest sine actu carnali, vt contigit virgini Matri, & sponso eius Ioseph, inter quos fuit verum matrimonium secundum receptam sententiam, per cap. *beata Maria.* [f] & alia multa. Tum quia senex omnino impotẽs potest cõtrahere matrimonium, vt supra probatum est. Tum quia etiam potens non tenetur reddere debitum coniugale, quia possunt deliberare prius de intranda religione. [g] Tum quia maior 14. annis, cui nondum venit potẽtia coëundi, satisfacit reddendo postea, cum venit, & vt probatũ est in arg. 7. pro parte nostra facto, præfati DD. impuberes possunt hæc omnia facere, etiam si non inesset eis potentia coëundi. Secundo respondetur negando, quod non inest eis potentia coëundi: quia per iustam informationẽ probabiliter creditur eos illam habere. Tertio, quod non est necessarium ad substantiam & essentiam matrimonij, quod insit eis actu potentia coëundi: quod constat ex eo, quod senex, & infirmi possunt contrahere, & ex aliis, vt supra probatum est.

f 27. q. 2.

g cap. commissum. de spons.

Ad quartum respondeo primo negando, quod sit de substantia matrimonij, vt potentia coëundi insit actu tempore contractus per supradicta, quicquid sentiat Scotus. Secundo negando, quod non insit illa præfatis dominis impuberibus, cum per iustam informationem contrarium probari possit.

20 Ad quintum respondetur cõcedendo, quod præfati domini non possunt solemniter vouere religionem ante præfatas ætates, immo nec post illas ante decimumsextum annum completum post Concilium Tridentinum negando tamen, quod id eueniat per legem naturalem, vel diuinam, secũdum quas votum obligat omnes doli capaces, & potentes mortiferè peccare, quia, vt supra dictum est, quæ discretio sufficit ad obligandum diabolo, sufficit etiam ad obligandum Deo. Et ita concedimus, quod etiã prædicti domini non possunt obligari ad prædicta ante prædictas ætates; sed negamus id statutum esse per legem naturalẽ, vel diuinam, sed tantùm per humanam, quam S. D. N. iustè potest ex causa relaxare.

Ad vltimum respondetur, concedendo non posse Papam supplere cõsensum, qui lege naturali requiritur ad matrimonium, nec consequenter discretionem, & prudentiam ad illud lege naturali necessariam; nec illud prædicti domini petunt: negando tamen quod illis desit prudentia, & discretio iusta ad consentiendum in illud, vt per informationem allatam constat, & largius constabit per faciendam, si placuerit S. D. N.

quem vti Ecclesiæ pastorem incomparabilem,& huic sæculo accommodatissimum & necessarium D.Iesus,cuius est summus Vicarius, pro sua in populum Christianum misericordia quam diutissimè seruet incolumen. Amen.

*SVMMARIVM.*

1 *Impuberibus quibusdam, vt matrimonium de præsenti contrahere possent,concessisse dicitur Pius V.*

2 *Impuberes non habere consensum sufficiens ad matrimonium de præsenti contrahendum,etsi insinuare videatur cap. 2. de despons. impub. verius tamen est id solum verificari in infantibus,& alijs doli non capacibus. num. 3. nam in alijs potest inueniri.num.4.& 6.*

3 *Decretalium decisarum initia antiqua etsi ad opportunitatem facilioris citationis ponantur,ex eis tamen potest desumi aliqua præsumptio mentis statuentis.*

5 *Tolerare, verbum est generale ad tolerantiam bonam & approbatiuam, & ad illam qua actus non approbatur, sed relinquitur impunitus;& in vtroque significatu sæpe in canonibus reperitur.*

## CONSILIVM V.

1 BEATISSIME Pater, interrogatus heri à S.V. an viderim aliam dispensationem antehac à sacrosancta Sede Apostolica datam aliquibus impuberibus ad contrahendum matrimonium, respondi me non vidisse: sed postea sub noctem didici,quod fel.rec.Pius V.cuius acta S.V.præter ferè omnium successorum morem raro & mirabili exemplo libenter solet imitari in iis quæ iure sustineri possunt, & in aliis ad viam iuris redigere, dispensauit per suum legatum & commissarium Rosanum in Hispania in quodam simili casu illius nationis. Quare humillimè supplico S.V. vt dignetur condonare mihi hanc importunitatem, & audire duo, quæ sequuntur.

2 Alterum est,quod ad illa duo argumenta, quæ S.V. opposuit mihi grauissima ex cap. 2.[a] quæ nullus comminiscentium in illud meminit:quorum vnũ est, quod per illa verba, *Vbi non est consensus,& infra*,significari videtur quod impuberes non possunt habere consensum sufficientem ad matrimonium: secundum est, quod illud capit. non videtur probare quod matrimonium inter impuberes contractum approbari possit,sed tantùm quod propter vrgentem causam solum tolerari possit;& quod multa tolerantur,quę nõ approbantur.[b]

a *De despons. impub.*

b *cap. cum iã dudum. de prab n*

3 Ad quorum prius respondebam,quod Gregorius Nonus non posuit clausulam illam integram,*Vbi non est consensus, non est coniugium*.sed solùm posuit initium,scilicet,*Vbi non est consensus,& cætera*.ad opportunitatem allegandi,vt sæpissime fecit in compilatione libri Decretalium; & quod omisit residuum, ad denotandum quod id non erat verum in omnibus impuberibus; sed solum in infantibus, & aliis, qui non sunt doli & consilij capaces. Ad quod facit, quod licet Antonius Augustinus, vt S.V. optimè ponderauit, non ponat in initio cap. illam clausulam, vt ego putabam, ponit tamen postea in sua nota desumptam ex Nicolao, quem Gratianus citat.[c] Ex quo patet, quod Gregorius IX. noluit vt illa integra reponeretur in suo libro Decretalium.

c *30.q.2.c.1.*

4 Salua grauissima censura Sanctitatis vestræ, humiliter respondetur primo,quod per memoriale, quod heri Sanctitati vestræ tradidi, irrefragabiliter probatur posse inueniri consensum sufficientem ad coniugium inter impuberes, vt inuentus fuit in casu cap. *continebatur*.[d] & in casu cap. vlt.[e] Et ita nec per illud cap. nec per vllum alium textum potest probari contrarium.

d *De despons. impub.*

e *De eo qui cog. consang. vxo.sua.*

Secundo, quod præfatum cap. adeo non probat contrarium huius conclusionis, quod immo videtur probare illam, ea consideratione vt supra.Facit etiam illud, quod idem Antonius,[f] allegat ex quodam loco Greg.illa verba, *Manifestum est,eum puberem esse,qui gesticulatione sui corporis talis est,vt iam procreare poßit, licet ad metas legibus definitas non peruenerit*.cui satis concordat cap.*puberes*.[g] in illis verbis,*Certum est,eum puberem esse.qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, & generare iam potest*. Facit etiam, quod Nicolaus Papa relatus à Gratiano,[h] ex illa clausula integra, *Vbi non est consensus,non est coniugium*, solum infert,quod pueri in cunabulis existentes non possunt contrahere matrimonium, nec contractum pro eis à parentibus eorum valere: & ita mens eius fuit, dicere quod consensus infantilis non sufficit;quod omnes fatentur.

f *In cap.3. eiusdem tit. de despons.col.1.*

g *Eod.tit.*

h *In cap.vbi 30.q.2.*

5 Ad posterius autem argumentum cum eadem reuerentia & humilitate respondetur, præsupposito quod verbum, *tolerare*, est generale,& significat ferre, pati, & sustinere, secundum omnes Latinè callentes; & ita est genus ad patientiam,& sufferentiam bonorum,& malorum, iuxta illud Terentij, *Vna tecum bona maláque tolerabimus*. Vnde duplex est tolerantia:altera, per quam actus approbatur tamquam bonus:altera, per quam actus non approbatur, sed relinquitur impunitus, iuxta glossam celebrem & receptam.[a] De priore approbatiua loquitur cap.*si quando*.[b] quatenus habet,Papam patienter sustinere,vt ab eius mandato rationabiliter supplicetur:& cap. *cum teneamur*.[c] quatenus habet, Papam æquanimiter sustinere,ne mandatum eius,quo mandat alicui prouideri,impleatur,si ipse habeat aliud beneficium sufficiens,& in l.*quæsitum*.[d] sententia bona appellatur tolerabilissima, & in cap. *tolerabilius*.[e] patientia malorum pœnæ, per quam vitatur consensus in peccato,dicitur tolerabilis,& toleranda;& tamen actus ille toleratus est optimus.vnde patientia martyrum appellatur tolerabilis, quæ tamen adeo est bona, vt per eam ipsi dicantur, *victorum genus optimum*. De posteriori, qua non approbatur actus, sed tantum relinquitur impunitus, loquitur præfatum cap. *denique*.[f] & cap. *cum iamdudum*.[g]

a *In ca. denique.4.dist.*

b *De rescrip.*

c *De preben.*

d *ff.de hæred. inst.*

e *32. quæst.5.*

f *4.distin.*

g *De preben.*

6 Hoc igitur præsupposito, respondetur quod præfatum cap.non est intelligendum de tolerantia priore approbatiua. Tum quia in dubio verba in meliorem partem sunt intelligenda.[h] Tum quia sancta Sedes Apostolica approbauit matrimonia cõtracta inter impuberes in casu cap. *continebatur*.[i] & cap.fin.[k] sequuta copula carnali,non tamquam contracta per copulam carnalem, quia illa non facit matrimonium,sed à tempore quo illa fuerunt contracta per verba de præsenti, per quæ matrimonium contrahitur. Tum per alia,quæ in hesterno memoriali fuerunt Sanctitati vestræ præsentata,& alia plura,quæ in informatione prima fuerunt scripta.

h *Capit.2. de reg.iur.*

i *De despons. impub.*

k *De eo qui cognou. cõsã. vxo.su.*

*Refertur Greg.13.die 13.Aprilis 1580. respondisse Sedem Apost. ob hoc non esse interpellandam,cum si desit discretio, vel potentia consummandi matrimonium Sedes Apost.nihil poßit. Quod si neutrum deesse cognouerit Ordinarius,poterit (si causæ,quæ narrantur sunt veræ) suo iure dictam licentiam concedere.*

# DE CLANDESTINA DESPONSATIONE.

*SVMMARIVM.*

1 *Parochi remittere nequeunt denunciationes trinas matrimoniis contrahendis præmittendas.*

## CONSILIVM I.

QVIDAM volentes matrimonium contrahere,& timentes ne si publicaretur,antequam esset contractum, à maleuolis retardaretur, vel etiam impediretur, quæsiuerunt, an denunciationes trinæ, quæ ante fieri debent, possint à parocho remitti.

1 Ad quam quæstionem respondimus id quod diximus in Manu.confess.[l] scilicet, quod parochi non possunt relaxare obligationem præmittendi tres denunciationes faciendas super impedimentis eorum qui volunt contrahere matrimonium. Tum quia Concilium Tridentinum concedendo hanc facultatem Episcopis, videtur tacitè negare parochis, vt ibi diximus.[m] Tum quia illa trina denunciatio pręcepta fuit ante Concilium Tridentinum per Concilium generale, de quo in cap. *cum inhibitio*.[n] quod Concilium Tridentinum non tollit,immo confirmat: & secundum mentem communem doctorum non poterant parochi obligationem illius cap. tollere,vel relaxare,&c.

l *Cap.22.nu.70.*

m *Arg. cap. nonne. de præsumpt.& l.cũ prætor ff. de iud.*

n *De clãdest. despons.*

*SVMMARIVM.*

1 *Commendatarius potest omnia,quæ Abbati titulari competunt ratione dignitatis; & si sit exemptus habens iurisdictionem quasi Episcopalem,potest regulariter omnia, quæ sunt iurisdictionis Episcopalis,& est ordinarius: vnde & ipse remittit denunciationes matrimoniales.& num.2.*

1 *Indefinita locutio legis & canonis intendentis tradere regulam æquipollet vniuersali.*

2 *Diœcesanorum appellatione non veniũt inferiores Episcopo prælati,etiam exempti.licet veniant appellatione ordinariorum.*

## CONSILIVM II.

AN Commendatarius abbatiæ,quæ habet iura episcopalia,& est nullius diœcesis, possit tamquam ordinarius

remittere denunciationes matrimonium, quæ fieri deberent in ecclesijs suæ abbatię, iuxta decretum Concilij Tridentini.[a]

1 Videtur dicendum affirmatiuè quod sic. Primo quidem, quod quidquid potest Abbas titularis ratione dignitatis, potest commendatarius illius, vt notat Panormitanus, [b] quem & alios sequitur Decius. [c]

Secundo, quod omnis ordinarius potest remittere denunciationes matrimoniales: quoniam præfatum Concilium Tridentinum indefinitè disponit, quod ordinarius potest; & indefinita canonis vel legis intendentis tradere regulam, æquipollet vniuersali, iuxta glossam solemnem & receptam. [d]

2 At palam est præfatum Abbatem commendatarium esse ordinarium, per glossam adiuncto textu cap. *ordinarij*. [e] & per rubricam de offi. ordinar. adiuncto cap. *cum ab ecclesiarum prælatis*. [f]

Tertio, quod glossa solemnis & recepta, [g] definit plurimum referre, an constitutio cõcedat aliquam facultatẽ diœcesanis, an ordinarijs: quia priore casu videtur concedere solis Episcopis, posteriore verò etiã alijs inferioribus ordinarijs.

Quarto, quod prælati exempti, qui habent iurisdictionem quasi episcopalem, possunt regulariter facere omnia, quæ possunt in diœcesi sua Episcopi, circa ea quæ sunt iurisdictionis, iuxta glossam quæ putatur singularis. [h]

a Sess. 24. ca. 1. de refor.
b Ca. querelam de elect.
c In cap. edoceri. in vltim. q. de rescript.
d Cap. vt circa. de elect. li. 6. verbo aliorum ecclesiasticorum.
e De officio ordi. li. 6.
f Eod. titulo.
g Clem. de iure patro. verbo diœcesanis.
h Cle. 1. ver. proprij. de re. eccle. nõ aliẽ.

*SVMMARIVM.*

1 *Parochi loci, vbi contrahitur matrimonium, siue sit habitationis viri, siue mulieris præsentia sufficit.*

3 *Matrimonium sine præsentia parochi contractum nec vim sponsalium habet, adeóque notoriè nullum est, vt contrahentes propria auctoritate possint alteri nubere. num. 2.*

4 *Deflorans virginem tacitè saltem rogantem, vel leuiter sine deceptione rogatam, quamuis intercesserit matrimonium ob impedimentum nulliter contractum, non tenetur eam in conscientia nec ducere, nec dotare; licet secus in foro exteriori. & num. 5. & 7.*

6 *Fornicatio commissa post matrimonium contra formam Concilij contractum liberat quidem virum ab obligatione validè contrahendi, sed non dotandi, si quam fortè prius occasione deflorationis contraxerat.*

## CONSILIVM III.

QVÆSITVM fuit primo, coram quo parocho contrahi debeat matrimonium, quando coniungendæ sunt personæ diuersarũ parochialiũ; viri, an mulieris, vel vtriusq;?

Secundo, an qui matrimonium sine parochi præsentia contraxerunt, possint ab eo absque iudicis licentia discedere.

Tertio, an matrimonium sine parochi licentia contractum vim saltem sponsalium habeat.

Quarto, an matrimonio sine parochi præsentia cum virgine contracto, si vir eam deflorauerit, nec amplius cum ea contrahere velit, eam dotare teneatur.

Quinto, an ad idem teneatur, qui virginem pellicentem deflorat.

Sexto, matrimonio sine parochi præsentia cum virgine contracto, & consummato, si mulier cum alio fornicatur, an vir qui eam deflorauit, nec amplius cum ea contrahere intendit, ad damni restitutionem teneatur.

Septimo, an etiam ad idem teneatur coniugatus, vel in sacris constitutus, qui cum virgine coit, & eam deflorat.

1 AD PRIMAM respondeo, quod ad hoc, vt matrimonium valeat, sufficit quod interueniat parochus habitationis fœminæ, quando contrahitur in parochia habitationis eius; & sufficit parochus viri, quando contrahitur in parochia habitationis viri, vt declarauit Congregatio Illustrissimorum Cardinaliũ ad dubia Concilij Trid. declarãda deputatorum.

2 AD SECVNDAM respondetur affirmatiuè, quod contrahentes matrimonium sine præsentia parochi, vel eius substituti, possunt discedere à tali matrimonio propria auctoritate, & sine vlla iudicis auctoritate potest vir ducere aliam fœminam, & fœmina nubere alij viro. Tum quia tale matrimonium est ipso iure nullum, & omnino irritum, per [i] Concilium Tridentinum & impedimentum non pręstat, quod de iure non sortitur effectum. [k] Tum quia censetur ab illegitimis personis contractum, per prædictum [l] Concilium: & consequenter adeo notoriè nullum, quod non est cur adeatur iudex ad illud dissoluendum. [m]

3 AD TERTIAM, quod tale matrimonium non videtur habere vim sponsalium. Tum quia contextus prædicti [n] Concilij habet huiusmodi contractũ esse irritum, & nullum, & habendum pro contracto inter personas omnino illegitimas, inter quas non possunt interuenire sponsalia. Nec obstat cap. 1. [a] Tum quia matrimonium contractum, eo quod sit contractum inter impuberes, non censetur contractum inter personas omnino illegitimas. Tum quia casus ille est specialis, & non est trahendus ad alia saltẽ dissimilia, & in quibus non militat eadem ratio, argumento ca. *præsenti*. [b] & cap. *qualis*. [c]

i Cap. 1. de reform. matrimonij sess. 24.
k Reg. nõ præstat. de re. iu. lib. 6.
l cap. 1.
m Arg. ca. ad nostrã. de iureiur.
n cap. 1.

a §. 1 de despons. impub. lib. 6.
b §. loca. de præb. lib. 6.
c 25. dist.

4 AD QVARTAM respondeo, quod is qui matrimonium cum virgine sine parochi præsentia contraxit, & eã deflorauit, ad eum modũ satisfacere tenetur, vel nõ tenetur, quo modo tenetur, aut non tenetur is qui deflorauit virginem volentem, & non deceptã: quomodo autẽ hic teneatur, aut non teneatur, videatur c. 1. & 2. [d] & ea quæ nos diximus in Man. confess. [e] vbi resoluimus, eum, qui deflorauit aliquam leuiter rogatam sine vlla deceptione, & à fortiori rogantẽ saltem tacitè, non teneri ad dotandum eam in foro conscientiæ, licet in foro exteriori sic: eum verò, qui deflorauit magnis precibus ad consentiendum adductam, teneri ad dotandum.

5 AD QVINTAM respondeo, quod adolescens deflorans virginem pellicientem seu inducentem ad fornicationem, vel stuprum, in foro conscientiæ non tenetur ad ei restituendum aliquid, sed in foro exteriori condemnabitur, vt in dicto Man. [f] dicitur in simili fortiori casu, videlicet, cùm adolescens non rogatur, sed rogat, leuiter tamen, & sine vlla deceptione, vt proximè dictum est.

6 AD SEXTAM respondeo primo, quod qui contraxit cum aliqua contra formam prædicti Concilij & consummauit matrimonium, si postea illa fornicata fuerit, non tenetur contrahere cum illa, argumẽto cap. *quemadmodum*. [g] quatenus probat; eum qui iurauit ducere aliquã, non teneri, si postea fornicata fuerit. Secundo, quod tenetur ad dotandum, si ante illam fornicationẽ erat obligatus: quia fornicatio sequens non est causa tollendi obligationem, qua ante illam tenebatur dotare. [h] An autem teneretur ante illam fornicationem, videtur colligi ex responsione ad quartam.

7 AD SEPTIMAM respondeo, quod si coniugatus, vel sacris initiatus deflorauit virginem consciam coniugij, vel ordinis sacri, non tenebitur quidem illã ducere, vt proponitur in ipsa quæstione; nec tenebitur eam dotare in foro conscientiæ, si deflorauit volentẽ, vel rogantem, vel tantùm leuiter rogatam sine vlla deceptione, per responsa ad quæstionẽ quintam. Si autẽ deflorauit rogatam magnis precibus, tenebitur ad dotandã in vtroq; foro, per responsum ad quartã quæstionem. Addo tamen id, quod apud neminẽ legere memini, preces quæ viderentur esse leues, si fierent à gregario iuuene, posse dici graues, si fierent ab aliquo magnæ auctoritatis viro puellæ gregariæ, argumento illius vulgaris, *Preces superioris sunt iussus*. [i] & glossa, [k] & consequenter fieri posset, quod rogatio, quæ esset leuis, si fieret à gregario iuuene, diceretur grauis & importuna, si fieret ab aliquo, cui notabilem auctoritatem adderet coniugium, aut sacer ordo.

*Aduerte, ne ex solutione primæ quæst. inferas; Ergo si solus parochus viri interueniat, quando matrimoniũ contrahitur in parochia fœminæ, vel è conuerso, sit nullum, quia refertur à sacra congregatione resolutum validum esse, vt etiam auctor refert consilio seq.*

d De adult.
e ca. 16. n. 16.
f Vbi supra.
g De iureiur.
h Arg. totius tituli Instit. quibus modis tollitur obligatio.
i l. 1.
k Verbo quẽadmodum. ff quod iussu.

*SVMMARIVM.*

1 *Parochi vnius cõtrahentiũ præsentiam etiã sufficere in quacũq; parochia cõtrahatur, Congregatio Concilij declarasse refertur.*

2 *Parochi illius præsentia requirenda potius videtur, in cuius parochia, siue sit viri, siue mulieris contrahitur matrimonium, & hoc etiam censuit Congregatio. & nu. 1.*

## CONSILIVM IV.

VTRVM ad matrimonij valorem sufficiat præsentia parochi viri in parochia mulieris, vel contra præsentia parochi mulieris in parochia viri?

1 Respondeo primo, quod decisio huius quæstionis pendet ex intellectu illorum verborum Concilij Tridentini, [l] quibus requiritur ad valorem matrimonij præsentia parochi, vel alius sacerdotis de licẽtia ipsius, siue ordinarij; & ex intellectu verborum, quibus Congregatio Illustrissimorum Cardinalium cum assensu Papæ declarauit præfata verba, cum dubitaretur vtrius parochi præsentia requireretur, quando vir & mulier sunt diuersarum parochiarum.

l cap. 1. de reform. sess. 24.

Secundo dico, quod quia inciuile est iudicare de lege, nisi ea tota perspecta, [a] ita non potest apte responderi huic quæstioni, nisi respectis omnibus verbis, quibus constat declaratio illa præfatorum Illustrissimorum.

a l. inciuile. ff. de legib.

Tertio, quod ego à fide dignis accepi, quod declaratio præfatorum DD. Cardinalium constabat ex verbis, quæ significant id, quod adieci in Manual. confess. [b] scilicet sufficere parochum mulieris, cum in eius parochia contrahitur, & parochum viri, cum in eius parochia contrahitur. Nunc autem subaudio præfatam Congregationem declarasse, quod præsentia parochi vnius contrahentium sufficit, in quacumque parochia contrahatur.

b Cap. 25. nu. 144.

Quarto dico, quod si per priora verba declarant, arbitror non sufficere præsentiam parochi viri, si contrahatur in parochia fœminæ, neque è contrario, si contrahatur in parochia viri. Si vero declarant per verba posteriora, arbitror sufficere alterum parochum, in quacumque parochia contrahatur.

2 Quinto, quod prior declaratio in dubio mihi videtur esse germanior verbis & menti Concilij. Tum quod secundum illam neutri parochorum datur auctoritas in aliena parochia, per aliam verò sic: quod ægrè conceditur in his quæ pertinent ad forum exterius, cum præiudicio tertij. [c] Tum quod duplex ratio secundum primam interpretationem concurrit: scilicet quod est parochus alterius contrahentium, & contrahitur in parochia sua: & secundum alteram vna tantùm, scilicet quod est parochus alterius contrahentium: & duo vincula sunt fortiora vno. [d] Tum quod parochus, in cuius parochia contrahitur, videtur quadamtenus esse parochus vtriusque contrahentium, alterius quidem propriè ratione domicilij, vel habitationis, alterius verò ratione contractus matrimonij, iuxta cap. [e]

c Lugdunensis. 9 qu. 2. & cle. 1. de priuileg.

d cap. 1. de treu. & pace. auth. itaque. C. communia ff. de successio.

e De foro cõpet.

Sexto, quod si vir parochum suum duxerit in parochia mulieris, cum qua volebat contrahere, nihil concludit pro matrimonio. & consideratio illa subtilis, quod mulier per matrimonij contractum mutat domicilium ad locum domicilij viri, [f] nihil prodest: quia matrimonium est causa illius mutationis, & acquisitionis domicilij, & præcedit eum saltem natura, siue ordine naturæ: & cum effectus non possit esse causa suæ causę, mutatio illa & acquisitio domicilij noui non possunt esse causa matrimonij, quod est ipsorum causa, iuxta tradita per Aristotelem & omnes, [g] & sæpe à nostris recepta. Nec argumenta sumpta ex facultate exercendi iurisdictionem voluntariam in alieno territorio videtur posse concludere pro matrimonio. Tum quod in proposito non agitur de exercenda iurisdictione, sed de exhibenda præsentia. Tum quod illa concluderent, quod præsentia parochi viri sufficeret in parochia, quæ non est viri, nec mulieris, quod non videtur admittendum. Quæ omnia subiicio Illustrissimi Domini mei, quæ emunctissima est, censuræ.

f l. cum quedam puella. ff. de iurisdict. omnium iud.

g In 2. Physicorum.

*SVMMARIVM.*

1 *Matrimonium, cui nec parochus, nec alius sacerdos de parochi seu ordinarij licentia assistit, adeo nullum est, vt partes à se ipsis possint discedere, & alteri copulari. & seq.*

3 *Diuortium quo ad cohabitationem potest petere coniux, qui ex suspicione probabili timet ne alter sibi mortem machinetur.*

## CONSILIVM V.

N. & M. contraxerunt matrimonium per verba de præsenti coram quodam presbytero, & quibusdam aliis testibus, nulla denunciatione in Ecclesia faciendarum facta, & postea septennio conuixerunt vt veri coniuges.

Quæritur primo, an matrimonium valuerit, vel ratificatum fuerit per cohabitationem septennij.

Secundo, supposito quod non valuit, an possint à sese separi, & cum alijs contrahere.

1 AD PRIOREM quæstionem respondeo, quod si præfatus presbyter non erat parochus vllius eorum, neque habuit licentiam ab eorum parocho, vel ab ordinario, ad assistendum præfato matrimonio, vt quæstio ipsa videtur significare, illud fuit nullum, & cohabitatione præfata septennij non fuit factum validum per [h] Concilium Tridentinum.

2 AD POSTERIOREM respondetur, quod ex prioris solutione redditur ipsa superflua, cum ex illa sequatur quod etiam sine alia vlla causa, quàm defectu præsentiæ parochi, vel alterius sacerdotis de licentia eius vel ordinarij, matrimonium contractum adeo sit nullum, vt vir ipse possit se ab illa putatiua coniuge separare: & consequenter potest quilibet eorum nouè contrahere matrimonium, vir quidem cum alia fœmina, & ipsa mulier cum alio viro, perinde ac si illo septennio in puro concubinatu conuixissent.

h cap. 1. de reformat. mat. sess. 24.

3 Quamuis etiam si matrimonium valuisset, posset petere separationem ex suspicione probabili, quod illa machinaretur sibi mortem, per textum singularem. [a] Salua, &c.

a In cap. literas. §. fin. de restit. spoliat.

*SVMMARIVM.*

1 *Matrimonium de licentia parochi tempore pestis coram acolytho contractum est nullum.*

2 *Episcopus, seu parochus solis presbyteris potestatem assistendi matrimonio contrahendo delegare potest.*

## CONSILIVM VI.

AN valeat matrimonium contractum tempore pestis coram sacrista Ecclesiæ parochialis, clerico minorum tantum ordinum, de licentia facta sibi ad id per parochum eiusdem Ecclesiæ?

1 Respondeo quod non. Tum quia tamquam necessarium statuitur in Concilio Tridentino, [b] quod matrimonium quod non contrahitur præsente parocho, aut alio sacerdote de eius licentia, sit nullum: vnde cum prædictus sacrista neque sit parochus, neque sacerdos, matrimonium coram illo cõtractum erit nullum. Tum quia verba illius canonis videntur adeo clara pro hac parte, quod in nullo casu videtur posse ab illa forma recedi. Tum quia, si dicatur propter pestem posse ab illa recedere, oportebit continuo dicere posse ab ea recedere propter metum, & quodlibet aliud notum impedimentum: & consequenter aperietur ostium ad inducẽdas multas fraudes, & aliqua, & maiora forsan impedimenta, quàm quæ ante Concilium oriebantur ex matrimoniis clandestinis.

b cap. 1. de refor. matri. sess. 24.

2 Tum denique quòd nec parochus, nec Episcopus, siue Ordinarius (hoc enim verbo vtitur Concilium, & non verbo Episcopi) potest delegare hanc assistentiam, nisi ei, qui sit sacerdos, etiam si parochus nondum fuerit presbyter, neque Episcopus consecratus, sed tantùm subdiaconus: quos tamen demandare posse illam sacerdoti, non videtur dubitandum.

*SVMMARIVM.*

1 *Parochus contrahentium, & non loci vbi contrahitur, interesse debet matrimonio contrahendo.*

2 *Parochianum non facit habitatio ad tempus extra domicilium.*

2 *Domicilia duo potest quis habere in locis separatis, si in vtroque æqualiter habitet.*

3 *Confessio sacramentalis facta parocho rurali, ad quem pœnitens rusticandi gratia aliquoties accedit, non valet.*

## CONSILIVM VII.

CIVITATIS incolæ, & in rure prædia habentes, & ad rusticalia exercenda aliquoties in anno ad rus accedentes, dimissa in vrbe parte familiæ, coram parocho rurali & testibus matrimonium contraxerunt, cum in dicta ecclesia esset Conc. Trid. receptum, & publicatum. Quæritur, an matrimonium teneat?

1 Ad quæstionem hanc respondendum est, proculdubio prædictum matrimonium iudicandum esse inualidum, illa ratione syllogistica in prima figura, & modo tertio, qui dicitur vulgo, *Darij*, scilicet; Omne matrimonium contractum post Concilium Tridentinum receptum & rite publicatum, aliter quam præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, aut ordinarij licentia, est inualidum & nullum, [c] at matrimonium prædictum est contractum post Concilium Tridentinum rite & rectè publicatum, aliter quàm præsente parocho, aut alio sacerdote de ordinarij, vel parochi licentia; ergo est inualidum & nullum. Non obstat, quod prædictus presbyter ruralis erat fortè parochus Ecclesię parochialis illius ruris. Tum quia contextus Concilij intelligendus est de parocho contrahentium, vel saltem alicuius eorum, secundum omnes: & prædictus presbyter nullius cõtrahentium erat parochus, licet esset parochus ruris.

c cap. 1. de re for. matrim. sess. 24. Concilij Tridentini.

2 Non obstat etiam, quod prædicti contrahentes, vel alter eorum habet domus & prædia in illo rure, siue pago, & quod

aliquanto

aliquanto tempore soleant ibi commorari causa recreationis, vel rusticãdi, vel exercendi per se, vel per alios aliqua rusticalia: quia ea non sufficiunt ad faciendum quem parochianum parochiæ ruris, vt est casus irrefragabilis in cap. *is qui.* [a]

3 Nec obstat, quod potest quis habere duo domicilia in duobus locis separatis: quoniam id est verum quando quis in vtroque loco æqualiter habitat, & non aliàs, vt est casus in c. 2. [b] & in l. *assumptio* [c] ibi, *si vtrobique*, &c. cui satis concordat l. *eius qui*, [d] & Paulus Iurisconsultus in l. *Labeo*, [e] requirit ad hoc, vt ex æquo se habeat ad vtrumque locum. & nemo auderet dicere, quod confessio sacramentalis facta prędicto presbytero rurali sine licētia sui parochi valeret: quia id esset contra cap. *omnis vtriusque sexus*, [f] & contra Concilium Tridētinum requirens quod sit iudex competens, & habeat iurisdictionem spiritualem in confitentem. [g] Salua, &c.

a De sepult. lib. 6.
b Sub fin. eo. tit. & lib.
c §. iuris prudentibus. ff. ad municip.
d §. si quis. eo. tit.
e Eod. tit.
f De pœn. & remiss. & ca. fin. de pœnit. dist. 6.
g Ca. 5. & cā. 9. sess. 14. eiusdem Concilij.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium ob defectum parochi non desinit esse validum si in parochia Concilium Tridentinum non est publicatum.*

2 *Matrimonium contractum coram schismatico parocho saltem coloratum titulum habente: si non fuit vt talis declaratus & parochia priuatus, validum est.*

## CONSILIVM VIII.

AN TENEAT matrimonium coram parocho schismatico tum parochialē ecclesiam regente contractū?

1 Ad quæstionem respondeo primo, desiderare me scire, an hoc contigerit in terris vbi est receptum Concilium Tridentinum & vbi eius canon, qui de hac re disponit, sit publicatus in ecclesia parochiali, cui subditi sunt contrahentes: quoniam si non est receptum, ita vt prędicitur, censendum est validum matrimonium, iuxta canones antiquiores.

2 Secūdo, quod, si receptum est, & publicatio facta, videtur distinguendū, an præfatus sacerdos habuerit canonicam institutionem: si enim eam habuit, & non est per sententiam declaratus schismaticus, & priuatus suo iure, videtur censendum validum: si autem non obtinuit institutionem canonicam, neque coloratam, videtur censendum non fuisse validum, per ea quę non vacat in præsentia scribere.

SVMMARIVM.

1 *Parochus etiam qui sacerdos non est matrimonio contrahendo præsens esse potest. num. 2. & sect.*

1 *Alternatiua vna pars declarat alteram; sufficitque alterā implere. num. 6.*

1 *Relatiuum alius significat similem qualitatem in relato.*

2 *Verba sunt in propria significatione accipienda, à qua tamen propter communem vsum receditur interdum. num. 3.*

2 *Parochus est, qui habet partem curæ animarum populi intra certos limites congregati, vel habet parochiam, licet sacerdos non sit. num. 3.*

4 *Parochus nondum sacerdos potest omnia, quæ ad parochum spectant, per se exercere, exceptis actibus pertinentibus ad ordinem.*

4 *Dare licentiam alteri, vt exerceat sacramenta, potest etiam is qui non habet ordines.*

4 *Episcopus non consecratus omnia quæ pertinent ad Episcopum, præter ea quæ sunt ordinis exercere potest.*

5 *Parochus actu regimen animarum ante promotionem ad ordines habet.*

## CONSILIVM IX.

VTRVM in contrahendo matrimonio sufficiat præsētia parochi, qui nondum est sacerdos?

1 Pro parte negante facit, quod [h] Cōcilium Tridentinum videtur requirere, quòd sit sacerdos, per illa verba: *Parochus vel alius sacerdos.* Tum quod vna pars alternatiuę declarat alteram. [i] Tum quod relatiuum, *alius*, significat similem qualitatem in relato. & ita cum altera pars alternatiuæ habeat, *sacerdos*, cum relatiuo, *alius*; præsupponit, quod alia pars alternatiuæ, quæ est, *parochus*, debeat intelligi de parocho sacerdote.

2 Pro affirmatiua tamen facit primo, quod verba in propria significatione sunt accipienda. [k] At verbum, *parochus*, secundum linguæ Latinę callentiores significat habentem munus præbendi quędam necessaria vitæ quibusdam: est enim dictio Gręca deducta ἀπὸ τοῦ παρέχειν, quod est prębere, vt ad notauit Budæus. [l] Et parochus, de quo est quæstio, licet nondum sit sacerdos, habet potestatem prębendi quędam necessaria vitæ spirituali.

h Capit. 1. de reform. matrimony.
i l. 1. ff. de re. dub.
k l. nōaliter. ff. de leg. 3.
l ff. de mune. & honorib. in l. fin.

3 Secundo, quod licet interdum recedatur à propria significatione propter vsum communem, [a] & quod secundum vsum communem idem significat parochus, quod curatus sacerdos: attamen quia etiam secundum vsum communem Iuristarum significat eum, qui habet partem curę animarū, videlicet populi infra certos limites congregati, iuxta Archidiaconum, [b] receptum cōmuniter ibi, & in rubrica de parochijs & alie. par. sed etiam canonibus insertum significat habentem parochialem ecclesiam, vt satis colligitur ex d. cap. *licet canon.* & cap. *cum ex eo.* & cap. *commissa.* [c] & cōstat prouisum canonicè de Ecclesia parochiali, etiam si nondum sit sacerdos, habere Ecclesiam parochialem, & curam animarum certo loco deputatarum: ergo etiam secundum communem vsum dicitur parochus.

4 Tertio, quod parochus, de quo est quęstio, potest facere omnia: quæ pertinent ad habentem parochialem Ecclesiam, etiam per se, exceptis actibus pertinentibus ad ordines, arg. cap. *suffraganeis.* & cap. *transmissam.* [d] quę probant electum & confirmatum in Episcopum, & nondum consecratum, posse exercere omnia pertinentia ad Episcopum, pręter ea quę sūt ordinis: & pręterea dicit glossa recepta, [e] posse parochum adhuc non presbyterum, de quo est quęstio, dare licentiam religioso ad administrāda omnia sacramēta in sua parochia: quia illud nō requirit ordinē. at exhibere pręsentiam matrimonio cōtrahendo nō pertinet ad ordinem: ergo potest eā exhibere.

5 Quarto, quod huiusmodi parochus dicitur habere regimen animarum actu, vt probant prędictum cap. *licet canon.* & cap. *cum ex eo.* & cap. *commissa.* [f] quatenus expresse habēt, eū, cui est collata Ecclesia parochialis, debere assumere presbyteratum intra annum à commisso sibi regimine animarū: per quod clarè præsupponunt eū habere regimen animarū: ante promotionem ad presbyteratum.

Quinto facit, quod in d. Concilio, [g] vndecies facit mentionem Synodus de parocho, & nulla illarum vicium facit mentionem de sacerdotio, nisi cum actus permittitur fieri per alium, quàm parochum: & ita sensus germanus illius canonis videtur esse, quod parochus sine sacerdotio potest exhibere præsentiam matrimonio contrahendo, sed non per alium, nisi sit ille sacerdos.

6 Sexto, quod ad satisfaciendum dispositioni alternatiuę sufficit pręstare alteram partium. [h] At Concilium alternatiuę requirit parochū, vel aliū, qui sit sacerdos. ergo sufficit quod sit parochus, licet non sit sacerdos.

Septimo, quod non est verisimile, voluisse Conciliū tollere proprio parocho auctoritatem exhibendi pręsentiam in actu, qui non requirit ordinem, cogendo eum ad concedendū illum alteri propter sacerdotium: cum maiorem auctoritatē habeat ipse in hoc, quàm sacerdos.

*Aduertendum, referri sacram Congreg. inclinasse in sententiam, vt parochus non sacerdos non possit matrimonio contrahendo interesse, sed debeat licentiam alicui sacerdoti illi interessendi concedere, vt etiam auctor tradit consilio seq.*

a l. Lab. ff. de supel. leg. cap. ex literis. de sponsalibus.
b In cap. licet canō. de elec. lib. 6.
c De elect. li. 6.
d De electio.
e In clemē. 1. de priuileg.
f De electio. lib. 6.
g Cap. 1 de reformatio. matrim.
h Leg. plerūque. ff. de iure dot. cap. in alternatiuis. cū gloss. de reg. iur. lib. 6.

SVMMARIVM.

1 *Vicarius Episcopi non sacerdos matrimonijs contrahendis non præsit, sed sacerdotem ad id deleget.*

## CONSILIVM X.

AN vicarius Episcopi, qui sacerdos non est, possit pręsētiam matrimonio contrahendo pręstare?

1 Respondetur, quod articulus est satis anceps, in quo intellexi Congregationem sacri Concilij, cum quæretur an sufficeret in contrahendo matrimonio præsentia parochi, qui nōdum sacerdos est, inclinasse in negatiuam, ponderando verba Concilij posita cap. 1. [i] *vel alio sacerdote.* in quibus colligi videtur, quod etiam parochus, si vult matrimonium auctorizare, debet esse sacerdos. vnde licet affirmatiua sit etiam de iure probabilis, non auderem tamen recedere à declaratione sacrę Congregationis. Quare consulto faciet talis Vicarius dando licentiam alteri, qui sacerdos sit, vt matrimonio contrahendo interesse possit.

*Vide supra Concilium proximè præcedens.*

i De reform. matri. sess. 24.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium coram parocho & testibus licet ad id non vocatis contractum valet.*

## CONSILIVM XI.

QVidam contrahere volentes matrimonium, & suspicãtes quod parochus, cuius præsentia erat necessaria ad valorem matrimonij, iuxta [a] Concilium Tridentinum nollet esse præsens illi cõtrahendo, vocauerunt eum quasi ad aliud propositum in quandam domum; & mox eo præsente, & ignorante quid agere volebant, surrexerunt prędicti cõtracturi, & mutuo se receperunt in coniuges per verba de præsenti coram illo parocho, & aliis duobus vel tribus testibus. Quæritur an matrimonium valeat.

a Capit. 1. de reformat. matrimo. sess. 24.

1 Respõdeo, quod multa pro vtraque parte possunt adduci: sed quia non vacat, breuiter dicimus, prędictum matrimonium valere. Tum quia est contractum pręsente parocho, & duobus vel tribus testibus; quod solùm requirit pręfatum Concilium ad substantialem valorem matrimonij. Tum quia non requiritur saltem regulariter, vt testes sint rogati, & sciãt ad quid rogantur, sed sufficit quod sint præsentes ad id quod agitur per aliquem sensum corporeum: & prædictus parochus, licet nescisset quod fuisset vocatus ad hoc, vt videret contrahi dictum matrimonium, tamen vidit, & audiuit illud contrahi per sensum corporeum visus, & auditus: ergo satisfactum fuit Concilio. Tũ quia finis & causa principalis, propter quam id statuit Concilium fuit vt matrimonium alioquin indissolubile contrahendum nõ esset adeo clandestinè, vt probari non posset, & quod sciretur esse contractum, & in casu proposito satisfactum fuit huic fini, & causę principali: quia potest probari, & scitur esse cõtractum; immo est magis publicum, quam si parochus sponte, & prudens rei futuræ adijsset locum, vbi contrahendum erat: quoniã parochus cõquerẽdo de contrahẽtibus, quòd eũ decepissent, magis illud publicabit, quàm aliàs publicasset. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Licentia, quam dat parochus sacerdoti, vt intersit matrimonio cõtrahẽdo, sufficit vt sit verbalis, & probari potest per testes.*

1 *Scriptura fit ad faciliorẽ probationem, in nulloq; actu est necessaria, nisi in casibus, in quibus lex eã ad actus valorẽ requirit.*

## CONSILIVM XII.

VTRVM licentia, quam dat parochus alteri sacerdoti vt sit pręsens pro eo matrimonio cõtrahẽdo, debeat esse scripta, an sufficiat data verbo tãtùm, & quomodo probetur?

1 Respondeo, quòd sufficit verbalis tantùm. Tũ quia omnis dispositio potest fieri verbo, nisi canon vel lex requirat ad actus valorem scripturam, iuxta glossam singularẽ & receptam. [b] Tum quia quamuis sententia definitiua debeat in scriptis ferri, iuxta cap. vlt. [c] quia id ibi specialiter statuitur; interlocutoria tamen, & alia præcepta in iudicijs possunt verbo tenus fieri, iuxta glossam receptam [d] quia nulla iura specialiter requirunt ad eorum prolationem scripturam. Tum quia etiam collatio beneficij potest fieri; & probari absque scriptura secundum omnes. [e] Tum per illa multa, quæ post alios adducit Decius [f] pro illa conclusione communiter recepta, quod ad essentiam & valorem gratię non requiritur scriptura: & sic dici potest, quòd prędicta licentia potest probari per testes. Tum quia quo ad effectum probandi regulariter testes & instrumenta æquiparantur. [g] Tum quia nihil valerent, saltem quo ad forum exterius, dispositiones sine scriptura factę, si per testes absque scriptura non possent probari, vt palam est, cum facta non pręsumantur, nisi probentur. [h] Tum denique quod regulariter scriptura non requiritur ad probationem, sed tantum ad illam facilius faciendam. [i]

b In cap. 1. de censib. lib. 6. sub fin. gloss. magna.
c De senten. & re iudic. lib. 6.
d In d. ca. vlt. verbo definitiua.
e In cap. 2. de restit. spolia.
f In rub. de cõstitutio.
g l. in exercẽdis. C. de fid. instru.
h l. in bello. §. facta. ff. de captiu. & postli. reuer. & in c. iureperitis de offic. deleg.
i l. cõtrahitur. ff. de pignorib.

### SVMMARIVM.

1 *Speciali nota digna, nisi specialiter notentur, neglecta cẽsentur.*

2 *Matrimonio interesse potest sacerdos habens generalem à parocho licentiam exercendi curam.*

3 *Parochus vices suas committere valet, & à regula non disceditur, nisi expresse caueatur.*

4 *Vicarius parochi contrahendis matrimonijs assistere valet, & hoc etiam si sit datus ab eo, qui ad modicum tempus sine licentia scripta Episcopi recessit.*

5 *Parochi in matrimonio cõtrahẽdo assistẽtia requiritur, ne desit probatio, nec reputatur inter functiones digniores parochi.*

## CONSILIVM XIII.

AN sacerdos ex generali licẽtia sibi impertita à parocho, vt possit exercere omnia, quę ad curam pertinent, possit interesse matrimonio contrahendo, iuxta decretum Concilij [k] Tridentini.

k Sess. 24. ca. 1. de reformat. matrim.

A 1 Ad hanc quęstionem respondetur, quod pro parte negante, scilicet quod non sufficiat licentia generalis parochi, facit, quod ea quę sunt speciali nota digna, nisi specialiter notentur, videntur quasi neglecta, [a] & pręfata licentia videtur speciali nota & concessione digna.

2 Pro parte autem contraria facit primo, quod regulariter concessio & dispositio generalis generaliter est intelligenda, [b] ergo cõcessio vicium suarũ facta alicui sacerdoti à parocho, comprehendit etiam vicem, & facultatem assistendi matrimonio contrahendo.

Secundo, quod à regula non est discẽdẽdum, nisi expressè caueatur discessio, & exceptio, iuxta glossam celebrem [c] cui B similis in rub. de reg. iur. [d] & probatur per l. 1. [e] At omnis parochus regulariter omnes vices suas potest committere alteri sacerdoti generaliter, & specialiter, argumẽto glossę solemnis & receptę: [f] quaten9 habet, iure canonico omnia esse delegabilia: ergo parochus generaliter & specialiter potest committere pręfatam licentiam assistendi.

Tertio, quod sacerdos, cui committũtur generaliter exercenda in aliqua parochia, potest administrare omnia sacramẽta, immo & dare licentiam alteri sacerdoti ad administrãdum illa omnibus parochianis, iuxta glossam notabilem [g] quatenus habet pręfatum sacerdotem posse ministrare sacramentum Eucharist. & extremę vnctionis: ergo à fortiori potest pręfatam assistentiam facere, argumento auth. *multo magis.* [h] cùm C administratio sacramentorum longè maior sit, quam assistentia pręfata.

4 Quarto, quod consuetudo est optima legum interpres, [i] & receptum videtur, quod omnes vicarij substituti à parochis nondum factis presbyteris iux. cap. *licet canon.* [k] vel aliam absentiam iuxta [l] Concilium Tridentinum, [m] etiam quando parochi absunt ad paruũ tempus sine licentia scripta Epis. vt durante illa absẽtia assistãt matrimoniis cõtrahẽdis, etiãsi non mãdetur specialiter illa assistẽtia. ergo ita seruãdum videtur.

5 Quinto, quod ratio, quare illa assistentia iubetur committi alteri sacerdoti, non est quod illa sit maior & dignior functio parochi: quandoquidem alię functiones sacramentales D sunt longè maiores; sed vt non desit probatio matrimoniorum, ne clandestinè matrimonia contrahãtur: & consequenter non obstat argumentum pro contraria parte formatum, scilicet quod speciali nota digna videntur neglecta, nisi specialis de illis fiat mentio.

a l. apud Labeonem. §. ait prætor. ff. de iniur.
b Cap. si Romanorũ. 29. di. l. de pretio. ff. de pub. in rem actio.
c l. omnis definitio. ff. de reg. iur.
d Lib. 6.
e ff. eod.
f In ca. peruenit. 95. dist.
g Clem. 2. de priuil. verb. presbyterij.
h C. de sacro. eccles.
i Cap. cum dilect9. de cõsuetud.
k De elect. li. 6.
l Ca. 1. de refor.
m Sess. 23.

### SVMMARIVM.

1 *Cardinales in suis titulis habent iurisdictionem quasi episcopalem; vnde & dant licentiam, vt in eis coram non parocho sacerdote à suis subditis matrimonium contrahatur.*

1 *Matrimonij contrahendi coram alieno parocho licentiam dare potest ille, qui est ordinarius illius parochi, coram quo & in cuius parochia debent contrahere: at si matrimonium sit* E *contrahendum in aliena parochia vel diœcesi, nec licentia, immo nec præsentia parochi, vel ordinarij ipsorum contrahere volentium sufficit, nu. 3. & 4. quandoquidem præsentia auctoritatiua ordinarij, parochi ve, vel alterius sacerdotis ab ipsis licentiati, quæ à sacro requiritur Concilio: in alieno territorio, in quo sunt priuatæ personæ, præstari non potest. nume. 4. & 5.*

2 *Licentiam pœnitentiæ sacramentum, ordinesque etiam extra diœcesim ab alieno accipiendi, sicut & alios contractus faciendi dat proprius ordinarius; quia in his sola sufficit licentia. nu. 6. secus quo ad contrahendum matrimonium, in quo sola licentia non sufficit, sed auctoritatiua requiritur præsentia. nu. 4.*

3 *Voluntaria iurisdictione vtimur extra territorium, modo in ea* F *exercenda non requiratur præsentia auctoritatiua. nu. 6.*

4 *Banna matrimonialia debent fieri in parochia, non ipsorum contrahentium, sed in qua contrahitur matrimonium.*

6 *Extra territorium suum existens ordinarius potest licentiam dare alicui sacerdoti, vt intersit matrimonio per subditos ipsius licentiãtis contrahendo, modo illud contrahatur in territorio eiusdem licentiantis.*

## CONSILIVM XIV.

QVIDAM volentes contrahere matrimonium inter se, & timentes impedimentum sibi factum iri in ciuitate, cuius erant incolæ, abierunt in aliam ciuitatem longè ab illa sitam, in qua post aliquot dies de licentia ordinarij prædictæ ciuitatis, cuius erant incolæ, contraxerunt ma-

trimonium in facie Ecclesiæ. Quæritur, an valeat matrimonium?

Respondeo primo, quod decisio huius quæstionis pendet à declaratione illius particulæ, quæ habetur in Concilio Tridétino.[a] *Qui aliter quàm præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarij licentia, &c.* de quo ordinario intelligatur.

1 Secundo dico, quod sufficit licentia illius ordinarij, cui subiicitur parochus eius, cuius præsentia sufficeret ad contrahendum in parochia huiusmodi parochi; ita quod sufficeret licentia Episcopi, vel vicarij eius generalis, vel alius prælati, qui habet iurisdictionem quasi episcopalem, qua esset superior parocho, cuius parochianus est, qui vel quæ vult contrahere, qualem habent Illustrissimi Cardinales in suis titulis,[b] argumento glossæ singularis,[c] quatenus habet, tenendum esse, saltem post factum, Episcopum, vel vicarium generalem posse dare religioso licentiam administrandi sacramentum Eucharistiæ, vel extremæ vnctionis parochianis parochorum Episcopo subiectorum: & quod etiam ante factum id sit tenendum affirmat communis, & probat efficaciter Bonifacius.[d]

2 Maior tamen est difficultas; an licentia ordinarij proprij sufficiat ad contrahendum matrimonium extra diœcesim & territoriū suum. Nam pro parte affirmante facit primò, quòd sacerdos de licentia parochi potest audire confessionem illius parochiani extra parochiam (vt ita dixerim) licentiati secundum omnes,[e] & etiam Episcopus extraneus potest ordinare subditum alterius Episcopi de licentia eius extra ipsius episcopatum, secundum omnes.[f]

Secundo, quod mulier, vel minor, qui iure prohibentur communi vel particulari contrahere aliquibus casibus sine licentia suorum iudicum, possunt contrahere cum illa, extra eorum territoria, si nihil aliud obstat secundum omnes. ergo.

3 Tertio, quod potest quis sua voluntaria iurisdictione vti extra suum territorium, vt habet glossa,[g] iuncto textu.[h]

Quarto, quia alioquin sequeretur, quod si duo Romani diuersarum parochiarum vellent contrahere in aliqua domo alicuius Illustrissimi sita in tertia parochia, non possent contrahere in ea, etiam ambobus parochis præsentibus; & quod ad hoc esset necessaria licentia Papæ, vel eius vicarij.

Quibus tamen non obstantibus pars negatiua videtur vera. Primo, quod præsentia ipsiusmet ordinarij proprij, licet esset sacerdos, non videtur sufficere extra suam diœcesim, nec præsentia parochi extra suam parochiam: quia id videtur significare verba illa prędicta ipsius Concilij, *de ipsius parochi, seu ordinarij licentia*: videntur enim significare, quod præsentia parochi, vel sacerdotis ipsius licētiati debet interuenire in sua parochia, & quod nō sufficit vt interueniat in aliena. & idem eadem ratione videtur de pręsentia ordinarij, vel licentiati ab eo, quod non sufficiat, vt interueniat extra territorium, vel diœcesim suam, sed quod interueniat intra illam.

4 Tū quia parochus extra suā parochiā, & ordinarius extra suā diœcesim vt est cēsētur priuatę personę, saltē quo ad exequēdū suā potestatē ibi, l.3. adiūcta gl.[i] & gl.[k] adiūcto tex.[l] Tū quia bāna, seu proclamata faciēda tribus diebus festis cōtinuis, videntur esse facienda in parochia, in qua est contrahendum, iuxta cap. fin.[m] & notata ibi per Innocentium, & latius per Panormitanum receptum, & Præpositum.[n] Tum quia alioqui Espicopus, vicarius generalis eius, & parochus possent ira ad ciuitatem per cētum millia distantem ad exhibendam suam pręsentiam matrimonio contrahendo per sibi subditum, & etiam possent ibi licētiare aliquem sacerdotem, qui eiusmodi pręsentiam pręstaret. quod videtur contra mētem Concilij, & ita non dicendum.[o]

5 Tum quia ratio quare Concilium desiderauit pręsentiam parochi, vel sacerdotis ab eo, vel ab ordinario licentiati, in cōtrahendo matrimonium, fuit, vt cum maiori auctoritate illud contraheretur: quæ auctoritas cessat, cum eiusmodi præsentia exhibetur extra parochiam, vel territorium; quia, vt dictū est ibi censentur esse priuatę personę: & sensus genuinus prędictæ clausulę videtur esse, quod parochus, vel sacerdos alius de licentia eius, debet esse præsens matrimonio contrahendo, & quòd illud cōtrahatur in sua parochia, vel quod sacerdos licentiatus ab ordinario sit præsens matrimonio contrahendo, & quod illud contrahatur in sua diœcesi, vel territorio.

6 Ad opposita responderi potest: Ad primū negando, quod sit eadem ratio de confessione & ordine ac matrimonio. Nam id de confessione & ordine verum est, sed non est eadem ratio de volente contrahere matrimonium de licentia parochi: quia in assumptis sufficit consensus facientis facultatem confitendi, vel ordinandi sine pręstatione præsentiæ, vel auctoritatis eius: in contrahendo autē matrimonium non solùm requiritur consensus parochi, vel ordinarij, sed etiam præsentia auctorizans per potestatē, quam habet in subditum in eo loco; in quo contrahitur matrimonium.

Ad secundum respondetur, quod etiam in assumpto eius sufficit decretum siue licentia iudicis sine pręsentia illius auctoratrice; quod in matrimonio non sufficit.

Ad tertium autem concedo posse vti quem iurisdictione voluntaria extra suum territorium, & consequenter posse parochum & ordinarium extra parochiā & diœcesim existētes pręstare licentiam alij sacerdoti ad auctorizandum matrimonium sua pręsentia in parochia vel diœcesi licentiati: sed negando, quod executio illius auctorizationis posset fieri extra parochiam vel territoriū eius, per prædicta, quæ subtiliter sentit glossa.[a]

Ad quartum respondeo, concedendo consequentiam, & sequelā; sed negando, quod ea sit nimis dura: pręsertim quia, si illa concederetur, consequeretur illud absurdum, quod illatum est in quarto argumento pro nostra parte facto, nempe quod vnus Romanus de licentia parochi sancti Laurentij posset contrahere matrimonium ab hinc mille milliaria præsente sacerdote sibi nominato, & quod passim parochi aliarū parochiarum possent pręstare pręsentiam necessariam matrimoniis contrahendis in alienis parochijs. Salua, &c.

*Vide tamen supra consil. 9. & 10. ex quibus videtur posse concludi contrarium.*

*SVMMARIVM.*

1 *Matrimonium clandestinum contrahentes ante Conc. peccabant, sed censuram aut pœnam non incurrebant.*

2 *Absoluti ab omnibus virtute cruciatæ, etiam ab oblitis reseruatis, & censuris eisdem annexis absoluti censentur, cum de omnibus & ipsi contritionem habuerint.*

3 *Sponsalia per copulam ante Conc. fiebant matrimonium.*

4 *Matrimonium qui clandestine ante Concil. contraxerunt, possunt nunc secretè coram parocho & duobus testibus denuo contrahere.*

## CONSILIVM XV.

DVo ante Concilium Tridentinum dixerūt ad se mutuo verba apta quidem ad contrahendum sponsalia de futuro, sed nesciunt an fuissent sufficientia ad constituendum matrimonium de præsenti, & conuixerunt sic in hunc diem, & habuerunt & habēt liberos. Quęritur, quid facere debeāt.

1 Respondeo primo, quòd videntur peccasse contrahendo matrimonium clandestinè contra cap. *cum inhibitio.*[b] & quod peccatum hoc per solam contritionem & confessionem potuit deleri, & videtur iam esse deletum per confessiones tot annorum præteritas.

2 Secundo, quod non videntur indigere absolutione vlla censurarum: quia iure communi nulla censura incurritur ob matrimoniū clādestinū: & si qua excōmunicatio inuenitur in diœcesi sua contra sic clandestinè contrahentes, illa potuit tolli ab Episcopo, & per bullam cruciatæ, quam consulentes videntur accepisse, & post eam acceptam confessi fuisse, & absoluti à confessarijs: & quamuis fortè ipsi non fuissent confessi illud peccatum, quia tamen habuerunt contritionem omnium peccatorum suorum in genere, & confessarij absoluunt communiter ab omnibus censuris, quatenus possunt, iuxta ea quæ nos consuluimus in Man. confess.[c] manserunt absoluti ab eo tempore, quo post acceptam bullam confessi fuerunt, per quamdam singularem conclusionem, quam nos ponimus in prędicto Manuali,[d] etiam si non soluerint pœnā per constitutionem synodalem impositam: quia solutio eiusmodi non est necessaria in foro conscientiæ, iuxta gloss. sing.[e]

3 Tertio respōdeo, quod nō indigent vlla ratificatione matrimonij: quia licet verba prędicta nō fuerint sufficiētia ad efficiendum matrimonium de pręsenti, fuerunt tamen sufficientia saltem ad contrahenda sponsalia de futuro; & quia sequuta fuit copula, transierunt per illam in matrimonium, iuxta c. *is qui.*[f] cui erat locus ante Concilium Tridētinum, ante quod hæc fuisse facta pręsupponitur in casus propositione.

4 Quarto possent ad maiorem securitatem, licet non sit necessarium

a Cap. 1. de ref. form. matri. sess. 24.
b Cap. is qui. de maior. cū ibi not.
c Clement. 1. ver. presbyteri. de priuileg.
d Ibidem nu. 32.
e Cap. omnis. de pœnit. & remiss. & ca. placuit. de pœnit dist. 6.
f Ca. cum nullus. de tempo. ord. lib. 6. & cap. cum quis §. 1. de sepult.
g l. 2. ff. de offic. procons.
h In capi. nouit. de officio legat. ergo.
i ff. de offic. præsid.
k Subfin.
l Ca. 1. de rap.
m De clandest. despons.
n Eod. nu. 7.
o Arg. l. in cōditionib. ff. de cond. & demon. ca. fi. de preb.
a Dicta l præs. ff. de off. præs.
b De clādest. desponsa.
c Cap. 26. nu. 10.
d cap. 26. nu. 13.
e In cle. 2. §. 1. de hæreti. verbo officij.
f De sponsal.

necessarium, nouè, si & quatenus opus est contrahere matrimonium coram suo parocho, adhibitis duobus testibus secretò: quia in hoc casu non sunt necessariæ denunciationes, & alia, quę requirit Concilium Tridentinum argumento eorū, quę nos diximus in Manu. confess.[a]

a Cap. 22. nu. 70.

## DE CONDITIONIBVS APPOSITIS IN DESPONSATIONE, VEL ALIIS contractibus.

### SVMMARIVM.

1 *Matrimonium post Conc. Trid. per verba de præsenti sub licita conditione coram parocho & testibus cōtractum, si antequā mutetur voluntas, purificatur conditio, perinde est, ac si tunc purè contractum fuisset, adeo vt non possit postmodum cum altera contrahi. nu. 6. nec est opus vt amplius cōtrahatur, secundum magis communem, nu. 7. vnde nec erit necesse, vt denuo coram parocho fiat. num. 5. conditione autem pendente, minorem habet vim, quàm sponsalia de futuro purè contracta: cùm ex hoc, sicut nec ex sponsalibus de futuro sub conditione contractis, nequaquam oriatur publicæ honestatis impedimentum. num. 4. & 10. & si interim consensus reuocaretur, prædictum matrimonium euanesceret. nu. 4. idem, si interim cum altera contraheret, & secundum teneret. numero 4.*

2 *Cōsensus de præsenti ad essētiam matrimonij necessarius debet esse liber, liber inquam à metu & coactione, pendens autem ab alterius voluntate, modo sit spontaneus, similis est illi, qui à quacumque alia pendet conditione. num. 8.*

3 *Matrimonium confert gratiam ex opere operato, vt cætera sacramenta.*

4 *Iustitiæ publicæ honestatis impedimentum oritur quidē statim ex sponsalibus de futuro purè contractis, sed non, si sint contracta etiam per verba de præsenti sub conditione, nascitur autem ea purificata. num. 10.*

6 *Conditionalis dispositio purificata conditione, perinde ab eo tēpore censetur perfecta, ac si à principio purè fuisset contracta.*

9 *Matrimonium inter absentes per procuratorem, etiam post Concilium contrahi posse videtur, secus per nuncium seu per epistolam.*

### CONSILIVM I.

AN qui contraxerunt matrimonium coram parocho & testibus per verba de pręsenti sub conditione licita, teneantur post purificatam ipsam conditionem denuo coram parocho iuxta pręceptum Concilij contrahere?

1 Pro parte affirmante facit primo cap. *super eo.*[b] quatenus habet, eum qui contraxit matrimonium per verba de pręsenti cum conditione, si patri eius placuerit, superueniente eius beneplacito, cogendum esse ad contrahendum matrimoniū: per quod videtur pręsupponere nō fuisse prius contractum.

b De condit. apposit.

2 Secundo, quod ad substantiam & essentiam matrimonij nō sufficit consensus de pręsenti, nisi fuerit liber: quia requiritur ad id liber consensus, iuxta glossam singularem,[c] quæ suam conclusionem probat per ca. *cum locum.*[d] & alia: & consensus pendens ab alterius voluntate non est liber, vt habet dictum cap. *super eo.* nec eadem ratione pendens ab alicuius alius conditionis implemento.

c In cap. notificasti. 33. qu. 5.
d De sponsal.

3 Tertio, quod matrimonium est sacramentū, quod ex opere operato confert gratiam, secundum communem & veram opinionem, quam pro infallibili articulo fidei tenendā esse ait Cōcilium Tridētinū,[e] & in cā. 1. declarauit: & videtur absurdum dicere, quod cōditione impleta, ignorante fortè vel dormiente vtraque parte, vel altera, cōferatur eis gratia ex opere operato, cū coniugandi debeant se parare ad gratiam illā suscipiendam, in quod pręfatum Cōcilium expresim hortatur.[f]

e In sess. 24. de reformat. matrimon. c. 1.
f In dict. ca. 1.

4 Quarto, quod matrimonium per verba de præsenti sub conditione contractum, effectu est sponsalia de futuro: cum secūdum omnes valeat matrimonium cuiuslibet patris, si pēdente conditione contrahat cum alio, vel alia: & quod pendente conditione non producit impedimentum iustitiæ publicæ honestatis plusquam sponsalia conditionalia, iuxta c. 1.[g] & quod si alter eorum ante adimpletam conditionem mutaret voluntatem, non esset matrimonium coram Deo, etiam si parte alia ignorante illa mutatio fieret.[h]

g §. fi. de Desponsal. lib. 6.
h Arg. cap. fi. de procurat. lib. 6.

Quinto, quod hanc partem videntur tenere Theologi, quos refert Couarruuias.[i]

i In epito. 4. 2. par. capi. 3.

A 5 Pro parte autem contraria negante facit primo pręfatū cap. *super eo.* quatenus in casu illius interrogatus fuit Papa, an ille, qui sub conditione contraxit matrimonium per verba de præsenti, adueniente illa posset compelli ad consummandum illud; & Papa respondit posse compelli ad contrahendum. quod verbum videtur intelligendum de contractus perfectione, siue consummatione, vt responsio congruat interrogationi, sicut congruere debet.[a]

a Ar. ca. qualiter & quādo. il 2. sub fi. de accusa. & l. final. Co. de fideicomm. libert.

Secundo facit, quod verba, omnia illius cap. quæ pro parte contraria ponderari possunt, solùm probant, quod consensus conditionaliter præstitus non perficit matrimonium, durante conditione; quod nemo negat: & à contrario sensu significant, quod consensus continuatus vsque ad impletam B conditionem perficit illud. Nam verba illa significant in directo sensu, consensum non esse liberum, pendente conditione: à contrario vero, quod ea impleta fit liber, cum desinat pendere, & verba illa, *Nisi patris voluntas interueniat, &c.* significant in directo sensu, non fieri matrimonium antequam conditio impleatur; à contrario verò sensu, quod sic illa impleta. & verba Alexandri citata ibi in directo sensu significant valere matrimonium contractum cum altera, pendente conditione, ab eo, qui contraxit matrimonium de præsenti sub illa: & à contrario sensu significant, quod non valeret, si contraheret post impletam illam.

C 6 Tertio, quod regula iuris receptissima est, quod dispositio conditionalis adueniente conditione purificatur, & perinde ab eo tempore censetur perfecta, ac si à principio purè fuisset contracta,[b] & nullo canone inuenitur exceptum ab illa regula matrimonium: ergo iudicandum est secundum illam, iuxta glossam solemnem.[c]

b §. omnis. ad iuncto §. ex cō ditionali. Inst. de verb. obli.
c l. ōnis quod initio. ff. de re. iur. & in rub. eodem tit. lib. 6.

Quarto, quod durum videretur dictis contrahentibus, si postquam contraxerunt semel iuxta formam Concilij Tridentini præmissis denunciationibus in facie ecclesiæ, vel coram parocho, & testibus, matrimonium per verba de præsenti, iterum deberent cum eadem solemnitate contrahere post adimpletam conditionem: & quod etiam esset grande scandalum populo, si illi post impletam conditionem nulla mutatione D consensus antea facta, dimissis primis sponsis, validè (quod esset admittendum, si prima opinio esset vera) contraherent cum alijs.

Quinto, quod æquum videtur, vt quemadmodum contrahens matrimonium per procuratorem cogendus est in eo perseuerare, nisi probet se mutasse voluntatem, & reuocasse mandatum; ita etiam contrahentes conditionaliter per verba de præsenti, cogerentur perseuerare in contractu, nisi volens discedere ab eo probaret se mutasse voluntatem, per d. capit. fin.[d]

d De procur. lib. 6.

7 Sexto, quod communis opinio Canonistarum est pro hac parte, vt ipsemet Couarruuias testatur, inclinando in opinionem Theologorum: & à communi opinione non est discedendum sine textu, vel efficaci ratione, iuxta conclusio- E nem Ioannis Andreæ,[e] communiter receptam per cap. *de libellis,*[f] & nullus textus nec vlla ratio adduci potest, cui facile non respondeatur.

e In cap. 1. de const.
f 20. distinct.

Septimo, quod hæc opinio fauet sacramenti auctoritati, fidei datæ conseruationi, obuiat leuitati, aufert materiam delinquendi, & diffidia inimicitiasque contrahendi.

Ad primum oppositorum responderi potest, quòd adeo non obstat, quod potest in arguentem retorqueri, vt in primo & secundo argumento pro hac parte factis retorquetur.

8 Ad secundum respondetur primò, quod iura probantia consensum matrimonij debere esse liberum intelligēda sunt de libertate à metu & coactione, ita quod sit spontaneus, & F non meticulosus, vt dixit prædicta glossa singularis,[g] & in casu proposito agitur de consensu conditionali spontaneo: & ita nihil obstat proposito. Secundo, quod etiam intelligendo verbum, *liberum,* ita vt significetur non pendens, vel non suspensus conditione, nihil obstat: quia concedimus cum communi consensum conditionalem non esse quidem liberum in hac significatione, pendente conditione: & consequenter concedimus non fieri per illum matrimonium, durante conditione, & suspensione: sed negamus quod non fit liber, adimpleta conditione: nec pars contraria potest dicere contrarium; & ita quamuis consensus conditionalis non sufficiat ad constituendum matrimonium, durante conditione; sufficiet tamen, simul ac impleta fuerit cōditio: quia incipit esse liber.

g Præfati ca. notificasti.

9 Ad tertium eadem facilitate responderi potest, qua respondebatur ante Concilium Tridentinum ad simile argumentum, quod fiebat ad probandum, quod matrimonium non poterat contrahi per literas, vel literas, vel per nuncium inter absentes: eadem item facilitate, qua defendi possent matrimonia, quæ quotidie cõtrahuntur per procuratores in absentia; cùm contingere possit, quod altera pars contrahentiũ dormiat, vel nihil cogitet, quando altera pars accipiẽs literas, vel nuncium, vel audiens verba procuratoris coram parocho & testibus præstat consensum.

10 Ad quartum respondetur, concedendo, quod matrimonium conditionale per verba de præsenti contractum nõ habet maiorem vim durante conditione, quam sponsalia de futuro: immo nec tantam, quantam illa, si sint pura, sed negando, quod non incipiat habere maiorem vim, quàm sponsalia de futuro, simulac conditio impletur; quia per illud implementum consensus, qui à principio fuit suspensus, & vsq; ad implementum perdurauit pendens, & non liber, fit in illo instanti liber, & sufficiens ad constituendum matrimonium: sicut etiam sponsalia de futuro nullam vim habent pendente conditione; sed in illo momento, quo illa impleta fuerit, fiunt efficacia, & producunt impedimentum publicę honestatis, & alios effectus, quos producunt sponsalia de futuro pura. quod cum omnes tam Theologi, quàm Canonistæ concedant, non satis intelligo cur non aduertant, quod qui hoc concedit de sponsalibus conditionalibus, consequenter tenetur concedere idem de matrimonijs conditionalibus.

Ad quintum respondetur, quod si prædictus D. Couarruuias audiuisset me verbo supradicta proponentem, & inducentem, vt me audiuit totum fere quartum librum Salmanticæ prælegentem, non inclinasset in opinionem Theologorũ, quia id non satis perpenderunt, &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Filia post vigesimumquintum annum stuprum committens exhæredari nequit, nec dote priuari.*
2 *Matrimonio collocare qui puellam tenetur, siue sit pater de iure, siue hera vel herus ex promissione, constituitur in mora per lapsum vigesimiquinti anni, vel saltem per lapsum temporis sufficientis arbitrio boni viri. num. 3.*
3 *Indeterminato tempore promittens facere, intelligitur obligatus intra tempus arbitrio boni viri declarandum exequi. & num. 4.*
4 *Nuptiæ primæ nec directè nec indirectè prohiberi possunt virgini fœmina, aut masculo.*
5 *Facta ad augmentum, diminutionem operari non debent.*
5 *Dote promissa ancillæ, si honestè vixerit, non tollitur quin deficiente conditione ei debeatur iustum salarium iuxta tempus seruitij.*
6 *Promissio geminata plurimùm operatur.*
6 *Conditione, sub qua facta est promissio, deficiente, seu defecta, si promittens perseueret aliquid attentando circa negotium ipsum, censetur denuo se obligare.*

## CONSILIVM II.

AN MVLIER, quæ promisit ancillę centum pro dote, si ei honestè seruiret, teneatur dare illa, si post nouẽ annos seruitij, & vigintiquinque ętatis ipsius ancillę permiserit se illicitè deflorari?

1 Pro vtraq; parte quęstionis multa possent adduci, quibus vtraque coloraretur: sed nobis vero propior videtur pars affirmatiua, scilicet quod præfata D. consulens videtur obligata ad soluendum ei centum promissa, vel saltem salarium honestum, & consuetum solui ancillis eius qualitatis, cuius erat, & est præfata. Primo quidem, quòd filia non potest exhęredari, nec dote sua priuari à parentibus, propterea quod peccet in corpus suum, & stuprum admiserit post vigintiquinque annos, eo quòd fuerint in mora tradendi eam marito, per Auth. *se si post.*[a] & constat magis peccare filiam committendo stuprum manentem in custodia & domo parentum, quàm peccet ancilla manens in custodia & domo herę suæ: ergo minus poterit illa pro minori peccato dote sibi promissa priuari.

a *Co. de inoff. testam.*

2 Secundo, quod sicut parentibus definitur à iure tempus vigintiquinque annorum ad incurrendum moram collocãdi filiam in matrimonium, eadem vel maiori ratione videtur constitutum idem tempus ei, qui sua promissione tenetur ad locãdam aliquam in matrimonium: ergo prędicta hera tenebatur eam locare, antequam attingeret vigintisex annos, & ita ob moram perdidit facultatem negandi dotem promissam.

3 Tertio, quod ea, quę debent fieri in tempore indeterminato, faciẽda sunt intra tempus, quod leges vel bonus vir determinauerunt,[a] ergo pręfata hera promittendo centum pro dote sine vlla prefixione temporis tacita, vel expressa, videtur promisisse dare illa centum pro dote intra tempus, quod iudex vel bonus vir arbitraretur. At bonus vir iure arbitrari posse videtur tempus nouem annorum esse sufficiens tempus, immo sufficiente maius ad tradendam illam dotem, & constituendam in mora prędictam herã: & cõsequenter prę fatam ancillam non peccasse post illam moram quę debet nocere potius herę, quàm ancillę, iuxta reg. *mora sua cuilibet est nociua.*[b] sicut & parentibus nocet mora dotãdi filiam quo ad hoc, vt dictum est in primo arg.

a *l. 1. ff de iur. delib. cap. de causis. de offi. deleg.*

b *De re[illegible] lib. 6. [illegible] num [illegible] cret.*

4 Quarto, quod virgini, siue sit vir, siue mulier, non possunt directè, siue indirectè, prohiberi nuptię primę, vt habetur toto tit.[c] Ergo per conuentionem prędictam de dando cẽtum, si seruierit honestè, non debet intelligi, quòd debeat seruire honestè tota vita sua, sed vsque ad certum tempus, quod prudenti viro videbitur iustum: & seruitium nouem annorũ videtur iustum Romę, vbi communiter accipiuntur ancillę ab heris cum promissione dandi eis id, quod conuenit ad collocãdas post seruitium trium vel quinque annorum.

c *De [illegible] via[illegible].*

5 Quinto, quod prędicta hera tenebitur ei soluere salarium honestum cuiuslibet anni, in quo seruiuit, etiam si non teneatur ad omnia centum soluenda: quoniam promissio illa dandi centum pro dote fuit facta ad augendum salarium: & quę fiunt ad augmentum non debent operari diminutionem,[d] & si prędicta hera absolueretur à solutione centum, & non condemnaretur ad soluenda salaria honesta, promissio illa operaretur diminutionem eius, quod iure naturali & diuino debetur, iuxta illud Euangel.[e] *Dignus est operarius mercede sua.* cum adductis à Gratiano ex Dionysio.[f] Et consequenter necessario tenetur prędicta hera soluere centum promissa, aut omnia salaria prędictorum nouem annorum, inter quę non videtur multum distare, si rixa & impensę litis coniungantur cum debitis salariis.

d *l. rem. legatam. ff. de adim. leg. & c. si de verb. signif.*
e *Lucæ 10.*
f *Cap. Ecclesiam. 15. qu. 1.*

6 Sexto, quod ipsa hera repromisit illa centum in sponsalitijs; & posteaquam sciuit eam fuisse defloratam, procurauit vt spõsalia verterentur in matrimoniũ, ne sibi & ancillæ resultaret incõmodũ: quę geminatio multũ prodesse poterit ãcillę ad vincendum, & nocere dominę ad hoc, vt vincatur in iudicio, iuxta adnotata post alios per Felinum,[g] de geminatione actus: pręterquã quod ancilla, vel maritus eius, si fortè probaret, quod domina sciuit, vel olfecit stuprum, antequam fieret repromissio, condemnaretur in iudicio virtute secundę repromissionis, & cogeretur soluere promissam dotẽ, & perdere multas curas, labores, & impẽsas in lite faciendas, & aliquam honoris sui iacturam.

a *In capit. si quãdo. de rescrip.*

Per quę omnia consulendum videtur prędictę D. herę, vt faciat super hoc aliquam bonam concordiam, qua fiat contẽta illa ancilla; vel, si id fieri nequit, det ei eleemosynam, quã ad nubendum promisit.

*SVMMARIVM.*

1 *Clausula illa bona fide posita in fine instrumenti census (quod si quid in eo contineatur contrarium bullæ Pij V. habeatur pro non apposito) excusat partes, item & notarium coram Deo: at in foro exteriori tunc demum si per illam pacta bullæ cõtraria verè tolluntur. & num. 2.*

## CONSILIVM III.

QVÆRITVR, an instrumentum constitutionis census, in quo multa pacta & clausulę ponuntur cõtra bullam Pij V. iustificetur per clausulam generalem, quę in fine eiusdem instrumenti apponitur, scilicet, *Non intendentes partes contraire Bullæ Pij V. & si quid contra illius dispositionem appositum est volunt pro non apposito haberi, & ad illius formam reduci*; an etiam excusetur notarius, & partes quo ad vtrumque forum.

1 Respondeo, quod (vt rectè proponens illam insinuat) nõ potest excusari notarius à peccato, ponẽdo clausulas cõtrarias præfatæ bullæ Pij V. propter præfatã clausulã generalẽ, quã in fine ponit, nisi iusta ignorãtia eũ excusaret: quæ ignorãtia iusta posset euenire duplici de causa. Altera, quod inter doctos dubitatur, an prædicta clausula sit contraria alicui parti bullæ præfatæ: ignorantia enim illa, quæ nascitur ex socordia, vel negligentia interrogandi doctos, non videtur probabilis. Altera est ex eo, quod dubitant, an in terra, in qua conficiunt instrumentum, obliget præfata bulla quo ad illud, cõtra quod clausula illa adiicitur: vt enim nos,[a] profundè diximus, non omnes particulæ præfatæ bullæ videntur in omnibus terris extra statum Apostolicum necessario seruandæ.

a *In cõment. de vsur. super præfata bulla num. 105.*

2 Secundo respõdetur, quod si ambæ partes bona fide absque fraude sua & notarij conuenirent, vt clausula præfata generalis apponeretur, esset tantæ virtutis, vt deleret clausulas contrarias, & excusaret notarium ab infamia, & suspicione mala fouendi vsuras, vel aliam iniquitatem. Item putarem eũ excusatum in foro conscientiæ, quamuis fortè in foro exteriori reprehendi posset ob ignorantiam supinam, socordiam, vel fraudem, quam præfatæ bullæ sanctissimæ facere voluisse crederentur. Partes autem in hoc bona fide conuenientes à peccato excusarentur, & permitteretur eis in vtroque foro, vt curarent effici aliud instrumẽtum, si opus esset, absque vllius partis damno.

## QVI CLERICI, VEL VOVENTES MATRIMONIVM CONTRAHERE POSSVNT.

### SVMMARIVM.

1 *Votum religionis non tollitur per sponsalia, etiam cum copula postea subsequuta.*

1 *Matrimonium per verba de præsenti non tollit votum religionis præcedens, si statim vult illud adimplere.*

1 *Religionis, & castitatis voto astrictus, si postea habeat copulam carnalem cum puella, cum promissione illam in vxorem ducendi, tenetur votum implere. & num. 2.*

2 *Votum religionis non tollit, sed differt restituendi obligatio, siue ante, siue post votum nata sit.*

## CONSILIVM I.

QVÆSITVM est, an qui post votum emissum de intranda religione, & seruanda castitate, promisit puellæ ducere eam in vxorem, vt consentiret in copulam carnalem, quod illico fecit, & manet ob id infamata, teneatur potius votum implere quàm eam ducere, vel contra potius eam ducere quàm votum implere.

1 Respondeo, quòd pro implemento voti facit, quod prius fuit obligatus Deo, quam puellæ; & consequenter prius debet ei solui, per cap. *qui prior.* cum suis similibus.[b]

Secundo, quod sponsalia de futuro nulla ratione tollunt votum de intranda religione, argumento c. *commissum.*[c] quatenus probat, quod etiam matrimonium per verba de præsẽti contractum non tollit votum, si vouens vult illud statim adimplere.

Tertio, quod est casus formalis in cap. *rursus.*[d] quatenus habet eum, qui vouit castitatem, peccare promittendo alicui contrahere matrimonium, & magis si iurauit promissionem; & quod non obstante iuramento tenetur adimplere votum castitatis, quamuis matrimonium per verba de præsenti contractum præferatur voto castitatis, vt ibidem habet.

2 Quarto, quod non obstat, quod puella fuerit infamata, & quod ipse obligatur ad restituendum ei damnum, quod intulit, per ea quæ habentur in cap. 1.[e] Tum quia illa obligatio tolli potest per restitutionem damni illati, dando ei tantùm, quanto eget, vt æquè bene collocetur, non obstante hac infamia, ac collocata fuisset, si nõ fuisset infamata. Non obstat etiam dicere, quod transiturus ad religionem debet prius soluere sua debita, arg. cap. 1.[f] & aliorum, quibus id contra Paludanum & Siluestrum probamus in com. 1. de reg.[g] quia obligatio voti præcedit obligationem restituendi.

Sed quia contra hoc facit, quod ex eo sequeretur, eum, qui fecit votum de intranda religione, non teneri prius ad soluendum debita contracta post votum, quod videtur reprobari per allegata:[a] ideo melius responderi potest, quod illa obligatio restituendi poterit differre ingressũ religionis, donec fiat, sed non tollit votum, neque obligat ad remanendum.

b *De reg. iur. lib. 6.*

c *De sponsal.*

d *Qui cle. vel vou.*

e *Et cap. 2. de adult.*

f *De obligatis ad ratio.*

g *Super cap. cui portio. 12. qu. 1. num. 8.*

a *In dicto nu. 8.*

### SVMMARIVM.

1 *Peccati venia non datur nisi correcto, & male percepta restituenti. num. 2.*

2 *Fingens beneficiarius se habere illum ordinem, sine quo fructus seu distributiones non lucraretur, restituere tenetur ijs, quibus accreuissent.*

3 *Intentio nedum ordinantis, sed etiam ordinem suscipientis saltem virtualis conferendi & suscipiendi sacramentum ordinis est necessaria; alioqui non imprimitur character, potestque in conscientia sine dispensatione coram Deo vxorem ducere, num. 5. & cum eadem manere, num. 9. licet secus quo ad Ecclesiam, quæ adhæret apparentibus, & non occultis. num. 4.*

6 *Dispensatione fori exterioris non eget, qui cùm coram Deo verè impeditus non esset, creditur, etsi falso, dispensatus.*

7 *Probat dispensationem obtentam semipleně fama, adiuncta probatione direptionis bonorum, ac tolerantia ordinarij; quæ probatio perfici posset per iuramentum suppletiuum.*

8 *Interrogatus super aliquo impedimento fori exterioris, quod verè coram Deo non patitur, vt se purget, potest allegare se dispensatum, dispensationemque amissam, peteréque sibi deferri iuramẽtum, & iurare exterius simpliciter, addita tamen intrinsecus cautela, qua euitetur mendacium.*

9 *Legitima proles est, nata ex muliere, quæ bona fide nupsit subdiacono, quem talem probabiliter ignorabat, vel quem probabiliter credebat sufficienter dispensatum.*

## CONSILIVM II.

N. PROVISVS de præbenda in quadam collegiata, iubente patre, vt posset lucrifacere fructus, ad subleuãdam domum necessariis, ficto animo accepit sacrum subdiaconatus ordinem: post octo annos, dimisso beneficio, fingens secum dispensatum, duxit vxorem, & prolem suscepit plurimam, & militiæ sæculari se dedit. Quæritur, quo medio præfatus N. possit exire à peccatis, quibus (vt multis videtur) est vinctus, ita vt coram Deo & hominibus iudicetur absolutus, & regno Dei dignus, quam minima honoris iactura facta.

1 Ad quæstionem propositam respondeo, petita prius ope diuina, primo quidem quod D. consulens ad recuperandam & conseruandam postea gratiam Dei, quam perdidit, debet primum indolere plurimũ de peccato illo grandi fictionis adeo magno tempore continuato cum mala fide; quia peccati venia non datur nisi correcto & pœnitenti.[b]

2 Secundo, quod debet restituere fructus omnes, quos percepit inseruiendo canonicatui & præbendæ sine vero subdiaconatus ordine, quẽ nec suscepit, nec voluit suscipere, sed tantum finxit decipiendo proximos, ad quos pertinuissent illi, & quibus fuissent quæsiti, si non malè percepisset eos ipse: quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.[c]

3 Tertio, quod debet credere se non esse subdiaconum, nec vmquam fuisse coram Deo, & in foro conscientiæ; quia noluit assumere illum, nec habuit vllam intentionem assumendi; & ordinatus ab Episcopo, vel baptizatus ab alio sine animo & intentione actuali, vel virtuali recipiendi ordinem, vel aliud sacramentum, non recipit illud coram Deo, & quo ad forum interius, sed est falsarius, fictor, peccato mortali se maculans, vt est in cap. *maiores.*[d] & tradit S. Thomas ab omnibus receptus,[e] sicut & intentio ministri ordinãtis requiritur secundum eumdem,[f] vt ibi pulchrè tradit Caietanus.

4 Quamuis etiam credere debeat, quod quo ad forum exterius sit censendus ordinatus, & cogi possit ad vtendum ordine, & puniri, nisi eo vtatur, quando Ecclesia id facere iubet, nihil curando de defectu intentionis recipiendi ordinem, & de mala fictione ordinati: quia de non apparentibus idem iudicium est, quod de non existentibus, in foro exteriori.[g]

5 Quarto, quod ex præmissis infertur non fuisse vmquam, neque esse necessariam dispensationem Papæ D. consulenti ad contrahendum matrimonium, non obstante subdiaconatu quo ad forum Dei & interius; quia quo ad illud non est sub-

b *Ca. legatur 24. q. 2. & c. venia. de reg. iur. lib. 6.*

c *Ca. si res aliena. 14. qu. 6. & cap. peccatum. de re. iuris lib. 6.*

d *§. item quæritur. de baptismo.*

e *3. par. q. 68. art. 7.*

f *In eadem 3. par. q. 64. ar. 8.*

g *Le. duo sũt Titij ff. de testament. tutel. & cap. si sacerdos. adiuncta glos. verb. remoue re de offic. ordin.*

a Cap. ad dissoluẽdum. de desponsa. impuberum.
b l. decem. ff. de verb. obli.

diaconus: & quod non est non potest tolli, & dissolui, [a] quia priuatio præsupponit habitum. [b]

6 Quinto, quod etiam probabiliter dici potest non esse in proposito casu necessariam dispensationem quo ad forum exterius. Tum quia probabiliter credi potest neminem vmquam facturum esse illis controuersiam super hoc: eo quod in facto præsupponitur vxorem D. consulentis, & cognatos vtriusque, & etiam alios extraneos credere dispensationem interuenisse; & quod ipsi sunt licitè coniuncti, non obstante illa; & quod in neutro foro est hactenus accusatum prædictum matrimonium tamdiu continuatum, quod iam sunt multi liberi suscepti; & ita minus videtur accusatum iri in futurum.

Sexto, quod si accusaretur, responderi posset à D. consulente, & ab vxore, & à filijs, primò quidem negando ordinem talem verè suscepisse, sed solùm finxisse suscipere, vt satisfaceret precibus, & minis matris, & vt non negarentur ei alimenta, & vt lucrifaceret illa ex seruitio facto Ecclesiæ ad sustentandam decenter suam nobilitatem: & ad colorandam eiusmodi responsionem, allegare, quod numquam vsus fuit ille tali ordine nisi semel, & tunc non quia erat ordinatus verè, & ad seruiendum Deo, sed ad lucrandos fructus præbendæ ad se alendum: & quod numquam vllibi est visa nec inuenta dispẽsatio super impedimento talis subdiaconatus, nec inuenietur in vllo regesto Curiæ Romanæ, quia non egebat ea coram Deo: & quod non est verisimile, quod homo nobilis & Catholicissimus fuisset ausus contrahere matrimonium in statu subdiaconatus, & alia similia, quæ D. consulens posset congerere, præsertim si haberet aliquos testes, quibus secretò & amicè dixisset, antequam ordinem susciperet, ipsum illum suscepturum, vel suscepisse fictè, & non verè ad satisfaciendum matri & suę sustentationi: neque vllum Christianum esse adeo malum iudicãdum, quod ecclesiam tam insignem relinqueret, & arma caperet ad exercendum ea perpetuo inseruiendo fidei Catholicæ Romanæ absque vlla dispensatione super impedimento subdiaconatus, si vero animo suscipiendi ordinem ordinatus fuisset.

7 Sed quia probatio ordinationis publicæ poterit multis modis probari, securius videtur, vt respondeat alio modo, scilicet, quod habuit dispensationem: & ad probandum illam allegare famam præfatam sparsam de dispensatione habita, & quod est prædita cum multis alijs bonis, quæ perdiderũt tam maritus, quàm vxor in tumultibus tot & tam grandibus, quod vix suas vitas seruarunt: & quod præfata fama cum probatione amissionis bonorum, quæ in facto allegatur, seruiret eis pro semiplena probatione: & in supplementum probationis plenę posset addere pręsumendum esse Episcopum, vicarium eius, vel parochum, coram quo contractum fuit matrimonium, vidisse dispensationem, de qua erat fama, & offerre iuramentum faciendum licitè eo modo, quo infra dicetur iustè offerri, & fieri posse.

8 Septimo, quod præfatus D. consulens potest iustè offerre iuramentum super prædicta dispensatione habita & perdita, ad finem propositum gerendo in mente & quo ad Deũ & interius forum aliud quam sonent verba eius foris quo ad homines & forum exterius, per illa quæ nos latè adduximus in commen. cap. *humanæ aures.* [c] vbi efficaciter probamus, eum qui non tenetur respondere secundum mentem interrogantis, posse respondere id quod est verum secundum suam mentem, licet sit falsum secundum mentem interrogantis. interrogatus enim quis, an peccauerit, vel confessus fuerit confessario certum peccatum, quod ipse nullo iure naturali diuino vel humano tenetur ei reuelare, potest respondere quod non, intelligendo intra se ita vt sit obligatus ei manifestare illud, licet verè id fecerit vel confessus fuerit; per illum modum, quo in Euangelio interrogatus Dominus ab Apostolis quando futurum esset vniuersale iudicium, respondit se nescire, intelligendo intra sese nescire ad indicandum illud eis, quamuis ab æterno illud sciebat: & per alia quæ cum hoc dicto Domini adducimus in d. cap. *humanæ aures.* & D. consulens nullo iure tenetur ad confitendum se obtinuisse & perdidisse veram dispensationem, quia numquam tali indiguit: & ita potest iustè affirmare, immo & iurare se habuisse dispensationem ad ducendam vxorem post subdiaconatum susceptum, intelligendo intra mentem suam per verbum dispensationem facultatem à diuino & humano iure sibi datam ad ducendam illam: & interrogatus an verè perdidit illam cum bonis alijs potest iustè respondere quod sic, intelligendo intra se per perditionem dispensationis facultatem ducendi aliam vxorem præsenti viuente. Quæ omnia sunt seruanda secretissima, & solum reuelanda alicui confessario erudito amico & Catholico, si per semetipsum non potest prædicta satis intelligere.

c 22. quæst. 5.

9 Octauo, quod D. consulens per semetipsum, si est eruditus, aut per confessarium eruditum amicum & Catholicum intelligere potest, quod ad redeũdum in viam gratiæ ac salutis æternæ nulla dispensatione indiget super subdiaconatu ad remanendum in matrimonio iam contracto quo ad forum Dei & interius: immo nec quo ad forum exterius quoad legitimationem filiorum suorum eget aliqua dispensatione, si præfata vxor ignorabat ordinationem prædictam, vel probabiliter credebat dispensationem sufficientem fuisse impetratam: quia bona fides alterius coniugum credentis matrimonium valere sufficit ad legitimandum illos, iuxta cap. *ex tenore.* cum glossa ab omnibus recepta, [a] nec etiam indiget quo ad alia, si pręfata secreta tenuerit, & iuxta ea respõderit. Quę omnia fiant in gloriam D. N. Iesu Christi, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quibus hic dies sacer est. Salua, &c.

a Qui filij sint legitimi.

## DE EO QVI DVXIT IN MATRIMONIVM QVAM POLLVIT PER adulterium.

### SVMMARIVM.

1 *Adulterium solum non impedit, quin adulter possit adulteram viro suo superstitem ducere, nec sola fides data: at si concurrat fides data de contrahendo cum adulterio dirimit.*

1 *Machinatio in mortem coniugis, si sit ex parte vnius tantùm, non dirimit; secus si ex parte vtriusque: nisi fortè occidissent in alium finem, quàm contrahendi: quia tunc non esset machinatio, nec dirimit matrimonium etiam inter adulteros contractum. num. 2.*

2 *Vxoricidium machinatum ideo Ecclesia statuit esse impedimentum dirimens, vt sic impediret, ne qui cupiunt ducere quas amant, incitentur ad occidendas coniuges.*

2 *Adulterium cum machinatione causat impedimentum dirimens.*

### CONSILIVM I.

MARITVS vxorem adulteram, & adulterum oderat, & per insidias occidere parabat: adulter, & vxor hoc scientes absque intentione contrahendi matrimonium illius mortem machinati sunt, & secreto occiderunt, postmodum matrimonium contraxerunt in facie Ecclesię. Quæritur, an teneat.

1 Respondeo, præfatæ quæstionis decisionem pendere ab illa generaliori, an occidens coniugem alterius ad alium finem, quàm ad contrahendum matrimonium cum relicto, vel relicta, impediatur contrahere matrimonium cum illo, vel illa. Pro cuius decisione dico primo, quod Panormitanus [b] videtur sibi satisfecisse quo ad omnes casus: resoluendo primo, quod solum adulterium habitum cum aliqua, viuẽte vxore, non impedit matrimonium cum illa, mortua sua vxore. [c] Secundo, quod nec fides data per verba de pręsenti, vel de futuro, non interueniente adulterio, per c. fi. [d] Tertio, quod neque machinatio mortis vnius volẽtium contrahere, sed machinatio vtriusque sic, per cap. 1. [e] per quam resolutionem videri potest dicendum quod in casu proposito non valuit matrimonium: quia vtraque pars consensit, & cooperata est mortem mariti, præsertim quod interuenit etiam adulterium viuente marito: & ita concurrunt adulterium & machinatio mortis ab vtraque parte.

b Tam in ca. 1. de eo qui duxit in matrim. quã in cap. 1. de conuersio. infide.
c Cap. significauit. de eo qui duxit in matrimoniũ.
d Eod. tit.
e De conuersio. infidel.

2 Secundo, quod prædicta resolutio Panormitani non videtur tangere punctum huius quæstionis: quia illa agit de casu, in quo vtraque pars procurat, seu machinatur mortem ad contrahendum matrimonium post illam: quæstio verò nostra est de casu, in quo neutra pars procurauit, nec machinata est mortem coniugis ad finem contrahendi matrimonium, sed ad alium. S. Thomas non videtur satis apertè hoc determinare, [f] solùm enim ait, quod adulterium cum machinatione mortis coniugis impedit matrimonium; sed non aperit, an dicatur machinari mortem, eo solo quod occidit, an

f In lib. 4. sent. d. 35. in ex. litera. & quo lib. 5. ar. 15.

requiratur quod machinetur, siue procuret mortem ad contrahendum matrimonium. Nos autem in Manual. confess.[a] re satis perpensa dicimus nõ videri mortis machinationẽ quo ad hunc effectum interuenire, nisi procuretur mors ad effectum contrahendi matrimonium cum relicto, vel relicta. Pro quo facit principaliter cap. 1.[b] quatenus probat non impediri matrimonium inter duos, eo quod alter occiderit coniugem alterius in bello, vel odio, aut alia causa, quàm contrahendi matrimonium cum eius coniuge. Secundo facit gloss. cap. *super hoc.*[c] quatenus determinat hoc impedimentum non nasci ex sola occasione, sed ex illa facta ad matrimonium contrahendum cum eius cõiuge. Tertio, quod S. Thomas,[d] ait, quod tunc demum vxoricidium inducit impedimentum dirimens contractum, quãdo quis interficit vxorem, vt contrahat matrimonium cum qua est mœchatus. Quarto, quod Panormitanus etsi non omnino apertè, tacitè tamen,[e] sentit quod requiratur propositum contrahendi cum coniuge relicto, vel relicta. Siluester etiam hoc ipsum videtur tenere.[f] Denique quod ratio & fundamentum inductionis huius impedimenti fuit, ne coniuges suos vel suas coniuges occiderent ad contrahendum matrimonium cum alijs, quos, vel quas amant; quæ ratio funditus cessat, cum alia de causa eos, vel eas occidunt: & causa finali cessante cessat lex,[g] & in casu proposito prædicti oratores non occiderunt maritum alterius ad finem contrahendi inter se matrimonium, sed longè alium. Salua, &c.

a Ca. 22. nu. 46.
b De cõuersi. infid.
c De, eo qui duxit in mat.
d In 4. di. 37. quæst. 2. art. 2.
e Vbi supr. & in d. ca. super hoc.
f In Verb. matrimonium. 8. qu. 9.
g l. si. ff. de hæredib. inst.

SVMMARIVM.

1 *Adulterium, cum fide sub conditione etiam impoßibili, vel nulliter data, causat impedimentum dirimens.*

2 *Conditio impoßibilis, modo non sit contra essentiam matrimonij, vitiatur, & non vitiat.*

## CONSILIVM II.

QVIDAM, qui rem habuit cum coniugata, cum illa peteret vt ipsam vellet ducere, dicens posse fieri, quia vir absens fuisset per septem annos, respondit se id facturum, si illa probaret posse fieri, vt dicebat: nec aliud factũ est, nisi quod perseuerabant in adulterio. Postea viro mortuo duxit illam. Dubitatur, an sit matrimonium validum: quia non promisit formaliter, sicut doctores requirunt, quod duceret illam post mortem viri; sed quod duceret, si ostenderetur quod posset eo viuente. Quod autem sit inualidum, videtur, quia est promissio adulteri de ducenda adultera: & quidem doctores & textus simpliciter dicunt talem promissionem esse impedimentum dirimens.

1 Respondeo vero propius videri, ortum fuisse hoc casu impedimentum impediens & dirimens matrimonium, de quo in rub. de eo qui duxit in matrimonium, &c. Tum quia interuenit promissio conditionalis ducendi adulteram, si probaret id fieri posse propter absentiam tam longam mariti: & licet promissio conditionalis non habeat effectum obligandi promittentem ante conditionem impletam, habet tamen effectum ad hoc, vt verè dici possit esse datam fidem, quæ datio cum adulterio sufficit,[h] &c. Tum quia non requiritur valor promissionis ad hoc, vt ex illa, & ex adulterio oriatur impedimentum, cùm palam sit omnem promissionem etiam puram de contrahendo cum adultera post mortem eius mariti nihil valere.

2 Tum quia nihil prodest dicere, quod dicta promissio fuit facta sub conditione impossibili. Tum quia, vt dictum est supra, non requiritur promissio valida. Tum quod in matrimonialibus conditio impossibilis reiicitur, & non vitiat, sed vitiatur,[i] modo non sit contra substantiam matrimonij, qualis hæc non est, vt per ibidem notata probatur. Salua, &c.

h Cap. fin. & per totum tit. de eo qui.
i Cap. fin. de cond. app.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium qui viuente prima, publicè, sed nulliter cum secunda impedimenti occulti ignara contraxit, tenetur vel eam dotare, vel iterum cum eadem legitimè contrahere. nu. 2. quod occultè inter se contrahere validè possunt. num. 3. expedit tamen vt adhibeantur parochus, testes, & notarius. num. 4. Quod si hæc secunda vxor, sciens primam adhuc viuere, passa fuisset se à dicto viro cognosci carnaliter, dispensatione opus esset.*

4 *Matrimonium publicè, sed ob occultum defectum nulliter contractum, quando denuo secretè validè contrahitur, expedit quandoque adhibere notarium.*

## CONSILIVM III.

A. VIVENTE priore vxore, motus rumore mortis eius, quæ degebat longè absens ab eo, contraxit cum B. absolutusque fuit ab illo peccato per iudicem competentem, demum est mortua prior vxor. Quæritur quid oporteat eum pro salute vtriusque hominis facere.

1 Respondetur primo, quod præfatus A. non potest iustè conuiuere matrimonialiter cum prædicta B. nisi denuo contrahant matrimonium: quia prius contractum non valuit quicquam, quia fuit contractum viuente priore vxore, quod lex Christiana non patitur.[a]

Secundo, quod A. non potest contrahere cum B. quæ habita notitia primæ vxoris adhuc viuentis non abstinuit à copula adulterina; nisi habita dispensatione quo ad vtrumque forum super impedimento, quod nascitur ex tit. *de eo qui duxit in matrim. quam poll. per adult.* vt probatur per cap. 1. & totum illum titulum.

2 Tertio, quod præfatus A. potest cogi ad contrahendum denuo cum B. vel ad dotandam eam, eo quod videtur decepisse illam, & abstulisse pudorem eius deceptoriè, & infamasse, per cap. 1. & 2.[b] & ea quæ vtiliter traduntur in nostro Manual. confess.[c] eo quod non manifestauit ei se habuisse vxorem, de cuius morte non habebat certum testimonium.

3 Quarto, quod ex quo prædictum impedimentum est occultum, potest dictum matrimonium denuo contrahi clandestinè absque denunciationibus, quas requirunt antiqua iura, & noua Cõcilij Tridentini, quia vt declarauit Pius V. potest matrimonium contrahi denuo absque denuntiationibus, quando prius contractum fuit cum illis; quod praxis sacræ Pœnitentiariæ seruat, & latius tradimus in d. cap. 16.[d]

4 Quinto, quod conuenit plurimum in hoc casu, ne causa, propter quam prius matrimonium fuit nullum, sciatur ab alijs, quàm ipsis A. & B. ne detur occasio Inquisitori loci tractandi de illa iterum; qui licet cessaret monstrato absolutionis instrumento; tamen fieret aliqua molestia, & spargeretur mala fama de A. etiam quod est reconciliatus; & fieri potest matrimonium coram parocho & testibus, nescientibus illis quidquam de culpa in specie, sed tantùm in genere, vt tangitur in sequenti dicto.

Sexto, quod licet omnia supradicta non requirantur in omnibus casibus, in quibus matrimonium prius publicè contractum denuo est contrahendum; secundum tamen, & quartum, & hoc quod sequitur frequentissimè seruari possunt, & debent; videlicet vt contrahant etiam præsente parocho, testibus, & notario, qui cum illis testibus fidem faciat de matrimonio denuo contracto; attestando quod fuit rogatus à prædictis A. & B. vt faceret publicam fidem de hoc matrimonio contracto coram præfato parocho & testibus, eo quod prius matrimonium, quod publicè antea contraxerunt, non erat validum ob quoddam impedimentum, quod ipsi sciunt, & conuenit eis ne publicetur. quoniam si huiusmodi instrumentum non fieret, contingere posset quod mortuo parocho & testibus reuelaretur impedimentum prædictum, scilicet, quod prius matrimonium fuit contractum viuente priore vxore; & si non posset probari postea denuo contractum fuisse sublato impedimento, ipsi castigarentur, & filij eorum iudicari possent illegitimi, & multa alia scandala orirentur.

a Ca. gaudemus. de diuort. cum similibus.
b De adult.
c Cap. 16. nu. 16.
d Vbi sup. nu. 36.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium qui viuente prima cum alia impedimenti ignara publicè contraxit, mortua prima, si impedimentum sit occultum, potest cum secunda, nouo præstito consensu, clam validè contrahere; sed & debet, vt poßit in eo perseuerare. numero 2.*

## CONSILIVM IIII.

CONTRAXIT M. clam ante Concilium Tridentinum cum N. & postea ea viuente cum O. ignara prædicti matrimonij, in facie Ecclesiæ. deinde obiit N. postquam habuit liberos ex præfata O. Quæritur remedium, quo possit præfatus M. contrahere cum præfata O. denuo, & viuere cum illa absque scandalo, & peccato, non obstante quod N. fuit à principio vera vxor præfati M.

1 Ad hanc quæstionem respondemus primò, necessarium esse remedium, quo præfatus M. & O. conuiuere possint absque peccato: quoniam matrimoniũ eorum non fuit validum;

quia matrimonia clandestina ante Concilium Tridentinum contracta, licet peccarint contrahentes, erant valida: & ita cum M. fuit coniugatus cum O. iam erat verus maritus N. & non poterat contrahere cum præfata O. quia lex humana non patitur vllum virum habere simul plures vxores, nec vnam fœminam plures viros, iuxta cap. *gaudemus.* [a] quod se fundat in Euangelio [b] Marci.

a *De diuort.* b *Cap.10.*

2 Secundo, quod nullum remedium potest adhiberi, vt ipsi conuiuant absque peccato mortali, præterquam contrahendo denuo matrimonium, cùm possint contrahere iam illud mortua præfata N. vxore legitima.

Tertio, quod possunt contrahere, si volunt, contrahendo nouè, legitimè nouo consensu præstito, & non aliàs: quia matrimonium, quod ab initio est nullum ob aliquod impedimentum, non potest validari, nisi denuo contrahendo, vt tradimus in nostro Manual. confess. [c] & supra repetimus in alijs consilijs.

c *Ca. 22. nu. 47. & n. 86.*

Quarto, quod possunt contrahere absque scandalo contrahendo denuo clam: quia omne matrimonium contractum inualidè in facie Ecclesiæ potest etiam post Concilium Tridentinum denuo contrahi clam & secretè, vt diximus in dicto Manua. confess. [d] Quo iure de consensu Papæ vtitur sacra eius Pœnitentiaria. Modus autem notificandi impedimentum vxori ignoranti, ne renuat denuo consentire, tangitur in præd. Manual. [e]

d *Ca. 22. nu. 47. & 86.*

e *Ca. 22. nu. 47.*

SVMMARIVM.

1 *Papa solus dispensat super impedimento procedente ex eo, quod quis duxit alteri adhuc viuenti nuptam.*

## CONSILIVM V.

1 AD Quæstionem respondetur, quod non potest Episcopus permittere matrimonium contractum inter eos, de quibus quæritur; quia illud à principio non valuit, eo quod viuebat maritus mulieris, & mortuo illo oportet nouè contrahere; quod non possunt facere sine dispensatione propter impedimentum, quod est inter eos natum ex titulo *de eo qui duxit in mat. quam poll. per adult.* super quo solus Papa dispensat; quia est impedimentum impediens, & dirimens, secundum omnes.

# DE COGNATIONE SPIRITVALI.

SVMMARIVM.

1 *Cognationem spiritualem non contrahit non baptizatus baptizans; secus si baptizatus, licet non confirmatus teneat ad confirmationem.*

## CONSILIVM I.

AN non baptizatus baptizando contrahat cognationem spiritualem? & an baptizatus non confirmatus tenendo ad confirmationem eamdem contrahat?

1 AD PRIOREM respondeo, quod sicut nondum habens vitam carnalem non potest esse cognatus alterius carnaliter, sic expers vitæ spiritualis non potest esse cognatus alterius spiritualiter: & consequenter non baptizatus, vt ait S. Thomas communiter receptus, [f] non contrahit cognationem. Non dixi autem vt Siluester nondum natus carnaliter &c. Quia nondum natus carnaliter potest esse cognatus alterius. [g]

f *Lib. 4. sent. dist. 42. qu. 1. art. 3.*

g *ff. de liber. & posthu. per totum.*

AD POSTERIOREM respondeo, quod baptizatus non confirmatus tenens confirmandum contrahit cognationem spiritualem, vt concludit Siluester, [h] quia habet vitam spiritualem. Salua, &c.

h *Verb. matr. 8. qu. 7. nota. 12.*

SVMMARIVM.

1 *Infans occidens nec lege Cornelia ligatur, nec pœna irregularitatis, nec aliter potest se obligare. nu. 2. quia regulariter præsumitur incapax doli. nu. 3. At si, haberet talem rationis & iudicij vsum, quod sufficeret ad peccandum, obligaretur iuramento, nu. 4. & esset occidendo irregularis, nu. 5. & factus compater contraheret cognationem spiritualem, num. 3. & hoc etiam si plenè non intelligeret id, quod agit. num. 7.*

2 *Pupillus, seu impubes, quidquid videt, ignorat: hoc est, licet possit habere tantùm vsum rationis, qui sufficiat ad peccandum, plenè tamen id quod agit non intelligit. num. 7.*

3 *Patrinus is regulariter assumi debet, qui sit aptus ad catechizandum infantem, & erudiendum in virtutibus: sed defectus huius qualitatis non impedit quin contrahatur cognatio. num. 6.*

6 *Lex generaliter loquens, non distinguens inter sexum & sexum, ætatem & ætatem, omnes generaliter comprehendit, licet maior ratio militet in vno, quàm in alio.*

7 *Rationis vsum etsi impubes non habere dicatur, ita vt ignoret quòd agit, non tamen tollitur quin habere possit sufficiens iudicium ad peccandum.*

## CONSILIVM II.

QVÆRITVR, an infans tenens baptizatum in baptismo fiat patrinus, & contrahat cognationem spiritualem cum baptizato. Ex quo infertur solutio quæstionis post hæc propositæ, scilicet, an puer decennis tenens puellam sexennem, contrahat prædictam cognationem, tenendo eam ad confirmationem.

1 Quæstio hęc noua est, & profectò difficilis. Pro parte negante facit primo, quod infans occidens aliquem non patitur pœnā legis Cornelię de sicarijs, [a] nec incurrit irregularitatē. [b]

2 Secundo, quod carens rationis iudicio non potest obligari, nec iniuriam facere, licet pati sic. [c] At infans est expers rationis, & iudicij, & æquiparatur furioso, [d] immo & de pupillo maiore infante dixit Imperator, [e] quod quicquid videt ignorat.

Tertio, quod patrinum oportet esse doctum, qui docere possit baptizatum fidem Catholicam, & admonere eum castitatem, & alios bonos mores, iuxta ca. *vos ante.* [f] & tradit ante & post alios S. Thomas. [g] At infans non potest prædicta docere, neque admonere: ergo neque potest esse patrinus.

Quarto, quod, vt profundè docet S. Thomas, [h] ineptus est quilibet intra primum septennium ad quoquo modo contrahendum, & quod ideo non potest contrahere sponsalia. ergo pari ratione nemo poterit se obligare intra illud septennium ad faciendum ea, quæ ad officium patrini spectant. [i]

3 Pro parte autem affirmante facit primo, & grauissime, quod infans licet non præsumatur doli capax, & communiter verè non sit talis, frequenter tamen est talis, & adeo quidem, vt Hippolitus, [k] testetur se vidisse, & scire, quod multi infantes in 6. vel 7. anno plus doli & malitiæ exercent hodie, quàm olim in 14. & 15. & probatur irrefragabiliter per illud B. Gregorij, [l] asserentibus filium cuiusdam quinquennem propter blasphemiam arreptum à diabolo de vlnis patris in gehennam inferni, quem refert S. Thomas, [m] & Ioannes Andreas, Panormitanus, & alij, [n] quod fieri non potuit, nisi fuisset doli capax. Nec obstat quod aliqui dicunt id fuisse factum ad terrendum patrem, & non propter peccatum filij: quoniam, vt rectè ponderat Sotus, [o] verba ipsa B. Gregorij repugnant eis.

a *l. infans. ff. ad legem Co. de sicar.*
b *Clem. 1. de homicidio.*
c *l. illud. ff. de iniur. transla ta in ca. illud 15. qu. 1.*
d *In dict. l. infans. & in d. clem. 1.*
e *In l. fi. Cod. de falj. mone.*
f *De consecr. dist. 4.*
g *In 4. dist. 6. quæ. 2. artic. 2.*
h *In 4. distin. 27. qu. 2. art. 2.*
i *l. illud. ff. ad legem Aquil. cap. dudum. il. 2. de elect.*
k *In l. infans. ff. ad legem Corneliā de sica.*
l *In 4. Dialo.*
m *In d. di. 27. quæ. 1. ar. 2.*
n *In cap. 1. de delict. puer.*
o *In d. di. 27.*

4 Secundo facit, quod infans doli capax etiam obligatur iureiurando, & potest esse periurus, vt probatur ex multis, quæ Ioannes ab Anannia scribit. [p]

Tertio, quod iudicium sufficiens ad obligandum Diabolo, est sufficiens ad obligandum Deo, iuxta glossam celebrem. [q]

5 Quarto, quod licet clem. 1. [r] absolutè statuat infantem occidentem non fieri irregularem, tamen Ioannes, Andreas, & Panormitanus, [s] aiunt esse limitandum, vt procedat in eo, qui non est doli capax: is enim illam incurrit, vt ipsi ibi aiunt. quæ opinio communiter recepta est secundum Didacum, [t] & Hippolytum, [v] qui licet verè dicat posse inueniri infantem doli capacem, & hodie aliquos in 6. & 7. anno plus habere doli & malitiæ, quam olim in 14. & 15. parum consideratè tamen in hoc allegat glossam cap. fina. [x] quia non loquitur de infante, sed de puero.

6 Quinto, & efficacissimè facit, quod lex generaliter loquens generaliter est intelligenda, [y] etiam si maior ratio militet in vna specie, quam in alia, [z] & tradit post & ante alios Decius. [a] At canones generaliter statuunt, vt leuans de fonte baptismi contrahat cognationem spiritualem, nō distinguendo inter sexum & sexum, nec inter ætatem & ætatem, inter iuuenem & senem, puerum & infantem: ergo in omnibus illis habet locum, quamuis aliqua maior ratio militaret in iuuene, quàm in senio confecto, & in puero vel infante.

p *In capit. 1. à num. 7. & 8. de delict. pue.*
q *In cap. mulier. 32. qu. 2.*
r *De homici.*
s *In capi. 1. de delict. puerorū.*
t *In di. cle. 1. 3. par. relect. §. 1. à nu. 5.*
v *In d. l. infās.*
x *De sent. excommu.*
y *Cap. solitæ. de maior. & obed. l. de præ tio ff. de publ. in rem. act.*
z *l. 1. §. quod autem ff de alea lusu.*
a *Consi. 669. num. 3.*

Sexto, quod nemo auderet dicere, quòd senio confectus & iamiam moriturus non contraheret cognationem, si quem leuaret de fonte: ergo neque id negare debet de infante doli capace, cum maior sit spes quod huiusmodi infans possit instruere leuatum, quàm senio cōfectus & iamiam moriturus.

Septimo denique, quod nulla ratio reddi potest, cur infans, vel furiosus leuando de fonte non contrahant prædictam

cognationem, nisi quia non habent vsum rationis; nec sunt capaces doli, vel prudentiæ. Cum ergo in infante homine vsus rationis & doli & prudentiæ capace cesset hęc ratio, consequens est, vt & cessare debeat in illo responsio negatiua, scilicet quod non contrahat illam cognationem.

7 Quibus omnibus satis perpensis, videtur resoluendum primo, quod argumenta pro parte negante adducta debent intelligi de infante, qui nondum habet vsum rationis, nec potest peccare, nec obligare se voto; argumenta vero pro parte affirmante adducta, de illo infante, qui iam vtitur ratione, & potest peccare, & obligare se voto.

Secundo ex hoc sequitur, quod non est necessaria dispensatio in specie proposita, ad hoc vt oratores contrahant, si verba illa in supplicatione porrigenda posita, *quod omnino ignorabat quid ageret*. intelligantur de ignorantia, quę causaretur ex defectu iudicij, & vsus rationis sufficientis ad peccandum, & obligandum se voto; quia non fuisset doli capax.

Tertio, quod esset necessaria dispensatio, si verba illa prædicta significarent ignorantiam, quam habet impubes etiam doli capax ante secundum septennium, de qua ignorantia loquitur l. vlt.[a] quatenus habet impuberem ignorare quidquid videt: illa enim ignorantia non solum inuenitur in eo qui nondum est septennis, nec vtitur vsu rationis, nec potest peccare, sed etiam in eo qui est maior septennio, & iam habet vsum rationis, & potest peccare, vt prædictum est.

a *Cod. de fal. mon.*

SVMMARIVM.

1 *Cognationem spiritualem tunc demum contrahit minor tenendo in baptismo, vel confirmatione, si habet iudicium ad peccandum mortaliter.*

## CONSILIVM III.

TANNORVM duodecim tenuit Iuliam puellam sex annorum, dum susciperet sacramentum confirmationis. Quæritur an inter ipsos sit contracta affinitas spiritualis.

1 Respondeo, quod ante paucos dies multis & firmissimis rationibus nixi respondimus, quemdam infantem doli capacem, & habentem iudicium sufficiens contrahere prędictam cognationem spiritualem, leuando alium infantem de baptismatis fonte. ex quo infertur, quod si is, de quo quæritur, non maior 12. annis erat iam discretus, & doli rationisque capax, & habebat iudicium sufficiens ad peccandum mortaliter, contraxit cognationem spiritualem impedientem & dirimentem matrimonium cum ipsa Iulia,[b] & licet per Concilium Tridentinum,[c] aliquot cognationes spirituales fuerunt sublatæ, ista tamen non. Si autem is non maior 12. annis erat doli & rationis expers, adeo quod non habebat iudicium ad peccandum sufficiens, non contraxit prædictam cognationem, sed quia credo eum non fuisse adeo rationis vsu carentem, non subiicio prædictas rationes, sed concludo necessariam esse dispensationem, quo iustè possint contrahere.

*Vide in cons. superiori.*

b *Cap. 1. §. 1. de cogn. spir. in 6.*
c *Ca. 2. de reform. matri. sess. 24.*

SVMMARIVM.

1 *Patrinus non requiritur quod sit maior baptizato, nec gerit personam patris: cum in baptismo baptizans patris, & aqua matris personam gerant.*

## CONSILIVM IIII.

AN PATRINVS ętate maior baptizato esse debeat?

1 Respondetur, quod pro parte affirmante facit primo, quod Panormitanus & Archidiaconus determinant,[d] nō debere patrinum esse baptizati, qui non est maior baptizato saltem 14. annis, argumento §. minorem.[e] qui habet, adoptantem debere maiorem adoptato 18. annis. Secundo, quod patrinus censetur pater baptizati: & monstrum videtur, quod quis dicatur pater alicuius, nisi sit maior eo tot annis, vt possit esse pater eius naturalis, cùm ars imitetur naturam. Tertio, quod argum. à patrino baptizati ad patrinū confirmati valet.[f]

Quibus non obstantibus, pars negatiua videtur vera. Tum quia fundamenta Panormitani & Archidiaconi videntur infirma, & parabolica. Tum quia præsupponunt falsum, scilicet patrinum, vel matrinam gerere personam patris, vel matris. quia tantum baptizans gerit personam patris, & aqua matris, vt ait Augustinus.

*Vide tamen quoad hoc vltimum dictum infra Cons. sequ. in fin.*

d *In cap. debitum. de baptis.*
e *Instit. de adoption.*
f *Ca. 1. in pri. de cognat. spirit. lib. 6.*

SVMMARIVM.

3 *Baptizans in necessitate filium suum ex vxore, nullum contrahit impedimentum, seu cognationem talem, quæ impediat vsum matrimonij.*

2 *Cognatio impediens & dirimens contrahitur, vbi quis filium suum fornicarium etiam in necessitate baptizat.*

## CONSILIVM V.

SPONSI ante Concilium Tridentinum in eorum terris publicatū se carnaliter cognouerunt, & prolē susceperūt; & cū paruulus in periculo mortis esset, pater eū baptizauit.

Dubitatur primo, an impedimentum ad contrahendum matrimonium cum dicta sponsa contraxerit.

Secundo, an baptizans in tali necessitate suum & concubinæ filium illud incurrat.

1 AD PRIOREM quæstionem respondeo, quod ex prędicto baptismo nullum impedimentum, quod noceat, ortum est inter prædictos parentes baptizati: quia per sponsalia præcedentia, & copulam carnalem subsequutam constitutum fuit matrimonium de pręsenti, iuxta cap. *is qui*.[a] & pater baptizans in necessitate in casu relato filium suum, & vxoris suæ, nullam contrahit cognationem, quę noceat, vel impediat vsum matrimonij, vt est casus in cap. *ad limina*.[b] quia per actum bonum non debet præiudicari matrimonio sanctè antea contracto: & certum est quod Concilium Tridentinum nihil obstat matrimonio clandestinè contrahendo in terris, in quibus non est publicatum,[c] quæ responsio firma est in foro exteriori, in quo pręsumptio est iuris, & de iure, quæ non admittit probationem in contrarium: præsumitur enim, copulam, quam sponsus habet cum sponsa, esse matrimonialem, & vxorio affectu habitam. est etiam firma quo ad forum interius conscientiæ, si res ita habet coram Deo, ac præsumitur exterius. si autem copula prædicta verè fuisset fornicaria, & non habita vxorio affectu, secus esset dicendum; quia non esset coram Deo, & in foro interiori cōtractum matrimonium, & consequenter attendenda est decisio sequentis quęstionis.

2 AD SECVNDAM respondeo affirmatiuę: regula enim iuris habet, quod inter baptizantem, & patrem & matrem baptizati oritur cognatio impediens, & dirimens contractum matrimonij,[d] & quamuis prædictum Concilium,[e] abstulerit aliquas cognationes spirituales, non tamen abstulit hanc, vt ex eius tenore apparet. & ita qui fornicarium filium baptizat in necessitate, includitur sub illa regula, & non excluditur per d. cap. *ad limina*. & alia similia ei, quod tantum excusat patrem baptizantem filium suæ vxoris in necessitate, nec potest extendi ad patrem baptizantem filium fornicarium suæ concubinæ: quia non est eadem ratio, cum in illo casu agatur de non præiudicando matrimonio iam contracto, in hoc autem de non præiudicando contrahendo; per quod videntur solui argumenta, quæ in contrarium adducit Sotus,[f] qui tamen non fuit ausus tenere cōtrarium, nec etiam Paludanus vt nos diximus in nostro Manua.[g] Salua, &c.

a *De spons.*
b *30. qu. 1.*
c *Cap. 1. sess. 24. de refor.*
d *Capit. 1. de cog. spir. in pricip lib. 6.*
e *In prædicto cap. 2.*
f *In 4. di. 42. art. 1.*
g *Cap. 22. nu. 40.*

SVMMARIVM.

1 *Regula illa, Potest quis per alium quod per se, fallit in cognatione spirituali, & alijs, num. 5.*

1 *Matrimonium per procuratorem & literas contrahi posse, expresso quidem iure cauetur; sed de cognatione spirituali hoc non reperitur expressum. num. 9. & verior videtur negatiua. num. 5. & 7.*

1 *Cognatio spiritualis olim contrahebatur, etiam mediante persona sui coniugis suscipientis num. 10.*

2 *Patrinus in baptismo fideiussorem, pædagogum, & cognatum se facit. num. 10.*

3 *Cognatio spiritualis actum proprium patrini per se tenentis & respondentis requirit. num. 4.*

3 *Cognatio spiritualis est attinentia ex sacramenti datione proueniens.*

6 *Impedimenta matrimonij restringi Reipublicæ interest.*

6 *Patrinum sola præsentia sine alio actu non facit.*

7 *Cognationem spiritualem per alium non contrahi, verius: sicut etiam dicitur de corporali & legali cognatione. num. 5.*

8 *Consuetudine induci posset, vt cognatio spiritualis per alium contrahatur; sed an sit inductum, dubitatur.*

8 *Consuetudinem esse, nisi probetur, non creditur.*

## CONSILIVM VI.

AN cognatio spiritualis, siue compaternitas contrahatur per alium, scilicet per procuratorem, vel mandatarium, ita vt perinde impediat matrimonium, ac si per seipsum fuisset contracta?

1 Pro parte affirmante facit primo regula illa iuris, *potest quis per alium quod potest per seipsum*.[h]

h *Lib. 6. cum suis concord.*

Secun

Secundo, quod poteſt quis contrahere matrimonium per alium. [a]

Tertio, quod ſecundum antiqua iura Concilium Tridentinum præcedentia cognatio ſpiritualis per alium contrahebatur: vxor enim, vel maritus ſuſcipientis, vel leuantis, fiebat patrinus & cognatus ſpiritualis earum perſonarum, quibus ſuſcipiens, vel leuans fiebat. [b]

2 Quarto, quod patrinus per ſuſceptionem baptizati nihil aliud videtur facere, quàm conſtituere ſe quemdam anadochum, & fideiuſſorem pro perſeuerantia illius in fide Catholica, & pædagogum, & eruditorem ipſius, iuxta cap. *vos ante.* [c] At certum eſt, quod poteſt quis per alium fideiuſſor fieri, & ad docendum obligari, ergo & patrinus fieri.

3 Pro parte negante facit primo, quod ad hoc, vt quis fiat patrinus requiritur leuatio, vel tactus, [d] & quod quo ad hoc parificantur carnalis generatio, & ſpiritualis, [e] ſed carnalis requirit actum patris, ergo & ſpiritualis actum patrini.

Secundo, quod cognatio ſpiritualis definitur eſſe attinentia proueniens ex ſacramenti datione ſecundum gloſſam receptam, [f] quæ probatur per canones, qui de hac re loquuntur, per illa verba, *ſuſcipit, accipit, tenet, leuat.* [g] & interdum per illa verba geminata, *ad ſuſcipiendum accedant.* [h]

4 Tertio, quod canones antiqui habent, quod patrinus offert, reſpondet, geſtat, profitetur, [i] per quæ omnia coniuncta probatur, quod requiritur propria perſona, vel propria manus, oblatio, & reſponſio, & conſequenter, quod non ſufficit aliena perſona, iuxta notata in cap. *cum parati.* [k]

Quarto, quod requiritur, vt baptizandus perſonaliter aqua tangatur, iuxta cap. 1. [l] ibi, *Ego baptizo te*, quaſi *non alium loco tui.* & ſi eſt adultus, per ſe reſpondere debet, non per alium. [m] Ergo etiam requiritur, quod patrinus per ſe teneat, & reſpondeat, & non per alium.

5 Quinto, quod cognationis tres ſunt ſpecies, carnalis, legalis, & ſpiritualis. Prima diuiditur in conſanguinitatem, & affinitatem: ſecunda in adoptionem, & arrogationem: tertia in paternitatem, & compaternitatem, & fraternitatem. ſed prima quo ad neutram ſui ſpeciem contrahi poteſt per procuratorem: quod patet per ſe, & ex definitionibus conſanguinitatis & affinitatis datis per gloſſas receptas in arborib. earum. Item neque ſecunda quo ad aliquam ſui ſpeciem, [n] ergo nec hæc tertia, vt pars congruat ſuo toti vniuerſo. [o]

Sexto facit, quod regula prædicta, poteſt quis per alium, &c. fallit etiam in alijs multis caſibus, vt notat gloſſa illius. nam non poteſt quis confiteri per alium, [p] nec adire per procuratorem hæreditatem, [q] nec per alium petit maſculus veniam ætatis, [r] nec ſubſtituit quis datus ad certum miniſterium. [s]

6 Septimo facit, quod videtur expedire reipubl. vt impedimenta matrimoniorum potius reſtringantur, quàm amplientur, vt colligitur ex Concilio Tridentino, [t] quod iubet, quod parochus antequam ad baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab his, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem vel quos elegerint, vt baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant, & eum vel eos tantum ad ſuſcipiendum admittat, & in libro eorum nomina deſcribat. Per quę verba ſatis probatur, Concilij mentem & propoſitum fuiſſe, vt illi tantum fiant patrini, qui ad id nominantur, & nominati ſuſcipiunt baptizandum, qualis non poteſt eſſe abſens.

Octauo, quod non ſufficit, quod quis conſentiat, neque quod ſit præſens, ad hoc, vt fiat patrinus, ſed requiritur vt ſuſcipiat, teneat, vel tangat, & faciat aliquem perſonalem actum, iuxta canones in 2. argum. citatos; qualem non facit, qui per procuratorem ſuſcipit.

Nono, quod nemo diceret, quem contrahere cognationem ſpiritualem ex eo, quod rogaret, vel mandaret alicui, vt baptizaret alium: ergo neque contrahet, qui mandat alij, vt teneat, vel ſuſcipiat. [v]

7 Reſpondeo igitur dico primo, quod per hæc omnia poſteriora coniuncta videtur verior de iure hæc poſterior pars negatiua, quam tenuit Archidiaconus, [x] quem ſequuntur ibi Ioannes Andreas, Ancharanus, Dominicus, & Franciſcus, & Ioannes Andreas, [y] contra ſuum magiſtrum Marſilium & eum videtur ſequi Bartholus, [z] dum dicit, ita tenere Canoniſtas, quem ſequitur ibidem Aretinus poſt Ioannem Imolenſem, quod etiam tenet Silueſter, [a] & alij alibi; licet contrarium tenuiſſet prædictus Marſilius, quem Cardinalis & Panormitanus videntur ſequi, licet non omnino firmiter, [a] Panormitanus enim, quem ſequitur Angelus, [b] dicit ante factum ſequendam eſſe opinionem Ioannis Andreæ, poſt factum verò opinionem Marſilij.

8 Dico ſecundo, quod per conſuetudinem induci poſſet contrarium, ſcilicet, quod cognatio ſpiritualis contraheretur per alium, & ſic per procuratorem, & mandatarium: quia quæcumque induci poſſunt per legem, poſſunt induci per cõſuetudinem, vt late probamus in commẽt. *de ſpolijs cleric.* [c]

Tertio dico, quod an conſuetudo id habeat, nec ne, dubitari poteſt: nam Baldus ſignificat partem affirmãtem, [d] quod etiam videtur ſentire Felinus, [e] cum dicit communiter id teneri; quia verbum illud, *communiter*, non videtur referri ad ius, cùm communiter teneatur contrarium, ſed ad factum conſuetudinis. ſed ipſe id non credo. Tum quia, vt prædixi, contrarium eſt iure communi tenendum: & neque gloſſæ, nec alij doctori, quantumuis præcellenti, aſſerenti eſſe aliquam conſuetudinem, præſertim contra ius commune, eſt credendum, niſi aliter probetur, ſecundum eumdem Baldũ, [f] quem ſequitur Iaſon, [g] & eſt verior & receptior ſententia contra Bartholum, [h] & quoſdam alios à ſe allegatos. Tum quia non aſſerit firmiter eſſe conſuetudinem generalem inter omnes, ſed ſolùm inter principes, qui non poſſunt perſonaliter ire ad ſuſcipiendum baptizandum. Tum quia nunquam in tota ætate mea vidi aliquem eſſe cognatum iudicatum ſpiritualem, eo quòd per mandatarium vel procuratorem aliquem baptizauerit, vel ſuſceperit in baptiſmo, vel confirmatione. Quãquam ſtandum eſſet huiuſmodi conſuetudini, vt prædixi, in ea regione, in qua probaretur illã vigere.

Non obſtant oppoſita. Ad primum enim reſpondeo concedẽdo, eſſe verum regulariter, poſſe quem facere per alium, quod poteſt per ſeipſum, & eum qui facit per alium id, quod poteſt per ſe, videri facere per ſe ipſum: negando tamen, quod id non fallat in multis caſibus, vt tactum eſt in 6. argu. pro hac parte facto, de quibus vnus eſt hic.

9 Ad ſecundum, concedendo, quod quis poteſt contrahere matrimonium per procuratorem: negando tamen ex eo inferri poſſe etiam contrahere ſpiritualẽ cognationem. Tum quia ſunt diuerſa & ſeparata, & à diuerſis & ſeparatis nõ bene infertur. [i] Tum quia nullo iure expreſsè nec tacitè cauetur, quod quis contrahat matrimonium perſonaliter per ſe ipſum, immo expreſsè cauetur, quod poteſt contrahere per nuncium & literas, [k] & multi canones ſupra citati, qui quaſi expreſſe requirunt præſentiam & actum aliquem perſonalem ſuſceptionis, vel tactus, ad hoc vt quis ſit patrinus. Tum quia, vt ait Aretinus [l] prædicta præſentia & actus videntur introducta pro ſolemnitate producendi effectum cognationis ſpiritualis, quæ tamen non ſunt introducta ad effectum producendi actum matrimonij.

10 Ad tertio reſpondeo, concedendo, quod ſecundum iura antiqua cognatio ſpiritualis contrahebatur per perſonam ſui, vel ſuæ coniugis: ſed negando, quod ex eo inferatur poſſe contrahi per procuratorem. Tum quia ratio, quare contrahebatur per coniugem, erat, quia per conſummationem matrimonij coniuges fiunt vna caro, & vna perſona: quæ ratio ceſſat in alijs. Tum quia nemo vmquam dixit, quod coniux, ex eo quod rogaret coniugem, vt baptizaret, vel ſuſciperet, fieret patrinus, vel patrina, ſed ſolum quod coniunx communicabat illam cognationem ſpiritualem coniugi, propterea quod eſſent vna caro. vnde retorqueri poteſt argumentum contra arguentem, ſic; Speciale eſt in coniugibus, vt per ſuum vel ſuam coniugem contrahant huiuſmodi cognationem: ergo regulariter eſt dicendum contrarium. [m]

Ad quartum reſpondeo negando aſſumptum, quod patrinus nihil aliud faciat, quam ſe conſtituere fideiuſſorem, vel pædagogum: quia immo ſe facit cognatum ſpiritualem, & non qualem qualem, ſed patrem, vel matrem eius, Eccleſia vniuerſa id teſtante: & ideo non ſufficit promiſſio erudiendi, & curandi, vt perſeueret in fide, ſine tactu corporali, per quem naſcatur illa cognatio ſpiritualis, quæ eſt dignior, ſecundum omnes. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Actus factus contra legem regulariter eſt nullus: fallit, quando lex, abſque eo quod expreſſe actum annullet, vlterius progreditur imponendo pœnam contrafacienti, nec validitas actus fauorem reſpicit illius, cui pœna imponitur. num. 2.*

a *Cap. fin. de procurato. li. 6.*
b *Cap. Martinus. de cogna. ſpiri. cum cõcord. ei.*
c *De conſecr. diſt. 4.*
d *Ca. vlt. 30. quæſt. 4.*
e *Cap. debitũ. de baptiſ.*
f *Ca. 1. de cognatio. ſpirit. li. 6.*
g *Cap. 1. 2. 3. 4. & 5. & ca. omnes. 30. q. 1. & cap. 1. 2. & 3. & capi. ſuſceptum. 30. qu. 3. ca. 2. & cap. Martinꝰ. & ca. contracto. & ca. veniens. de cogna. ſpiritua.*
h *Ca. non plures. de conſec. diſt. 4.*
i *Cap. illud. & ſeq. & ca. hi qui. c. quæris. cap. mater Eccleſia. de cõſecr. diſt. 4.*
k *De appella. cap. 2. primo reſponſ. de hæret. lib. 6. cap. cupientes. de electio. eo. lib.*
l *De baptiſ.*
m *Ca. cũ pro paruulis. de conſecr. di. 4.*
n *l. neque. & l. poſt mortẽ. §. final. ff. de adoptio.*
o *Ca. quæ cõtra. 8. diſt.*
p *Cap. quem pœnitet de pœnitent. diſt. 1.*
q *l. Paulus. alias, per procuratorem. ff. de acquir. hære.*
r *l. 2. Cod. de his qui veniã ætat. impet.*
s *Cap. fin. de off. deleg.*
t *Cap. 2. de reform. matr. ſeſſ. 24.*
v *Arg. l. illud. ff. ad l. Aqui. & cap. dudũ. 2. de electio.*
x *In capi. 1. de cognat. ſpiritual. lib. 6.*
y *In Mercur. regulæ poteſt quis. de regu. iuris lib. 6.*
z *In l. Gallus. §. forſan. ff. de lib. & poſthu.*
a *Verbo matrimoniũ 8. quæſt. 7. verſ. 14.*

a *In cap. veniens. de cogna. ſpirit.*
b *In ſumma verb. matrimonium 3. q. 7. §. 14.*
c *§. 14. nu. 7.*
d *In l. 1. §. nos autem. col. 3. C. de caduci. tollen.*
e *In capi. licet ex quadam. de teſtib.*
f *In le. conſentaneum. col. 6. oppoſit. C. quomodo & quando iudex.*
g *In l. de quibus. nu. 17. ff. de legib.*
h *In ead. l.*
i *l. Papinianus. ff. de mino. l. fin. ff. de calu. cap. ad audientiam. de decim.*
k *l. mulierem. ff. de ritu nuptia. l. ſufficit. ff. de ſponſal. ca. fin. de procur. lib. 6.*
l *In d. §. forſitan.*
m *Ar. ca. præſenti. §. locat. de prob. lib. 6.*

3 *Patrini etsi plures, quàm duo, contra prohibitionem iuris communis, & Concilij, designati & admissi fuerint, actus tamen tenet, & omnes efficiuntur patrini.*

## CONSILIVM VII.

PARENTES cuiusdam baptizandi nominauerunt tres patrinos, quos admisit parochus contra.[a] Concilium Tridentinum. Quæritur quid iuris.

1 Respondeo, quod pro parte negante facit, quod factum contra legem non valet.[b]

Pro parte autem affirmante facit primo, quod aut est dicendum nullum eorum esse patrinum, aut omnes: sed durum est dicere primum, ergo dicendum erit secundum.

Secundo, quod multa prohibentur, quæ tamen facta tenent.[c]

2 Tertio, quod licet regulariter actus factus contra legem non valeat per d. l. *non dubium.* fallit tamen, quando lex expresse non annullat actum, & addit pœnam extrinsecã, quæ potest consistere cum actus valore, & valor actus non respicit fauorem eius, cui pœna imponitur, vt resoluit Bartholus communiter receptus,[d] & in casu proposito præfatum cap. 2. non annihilat adhibitionem plurium patrinorum, & addit pœnam parocho admittenti plures patrinos: & valor actus patrinorum non respicit fauorem, vel vtilitatem parochi, sed baptizandi: ergo valet actus.

Quarto, quod quantum ad hoc nihil noui induxit Concilium, quia etiam iure antiquo prohibebatur, ne plures patrini fierent eiusdem baptizandi.[e] Attamen semper seruatum est, vt omnes leuantes, immo & tangentes, etiam si non essent designati à parentibus, fierent patrini, & haberentur pro talibus, per cap. *quamuis.*[f] & à iure antiquo non est recedendum, nisi quatenus per nouum exprimitur.

3 Cum ergo per nouum Concilij ius non annulletur actus patrinorum plurium, non est dicendum eorum actum esse nullum, vt diximus in nostro Manual. confess.[g]

Quinto, quod non debet alteri per alterum iniqua inferri conditio,[h] ergo nec per parochum admittentem plures patrinos debet inferri iniqua conditio baptizato, vt careat patrino, & minus solemnitati tanti sacramenti, quod iam inde à nascente Ecclesia ornatur assistentia patrini tamquam pædagogi baptizandi. & ideo merito Concilium addidit pœnam parocho, nulla de annullatione actus facta mentione.

Sexto, quod non obstat dicere, quod sublato vno remanent alij duo: quia nulla ratione potest dici, cur magis aliorum adhibitio valeat, quàm vnius, cùm omnes fuerint designati, & omnes à parocho admissi, & omnium nomina in libro descripta.

a *Cap. 2. de reform. matrim. sess. 24.*
b *l. non dubiū C. de legibus.*
c *Cap. 2. de matrim. contract. contra interd. eccles. cap. 1. de cler. per sal. prom.*
d *In l. prætor ait. num. 3. ff. de noui operis nunc.*
e *Ca. non plures. de cōsecr. dist. 4.*
f *De cognat. spirit. lib. 6.*
g *Ca. 22. nu. 39. & sequen.*
h *l. non debet. de reg. iur.*

### SVMMARIVM.

1 *Incestus, qui inter consanguineos & affines committitur, etsi causet impedimentum impediens, secus tamen, si committatur inter cognatos spirituales. num. 8. nec est propriè incestus, num. 6. licet cognatio spiritualis sit nobilior carnali quo ad reuerentiam & casus in iure expressos; non tamen ab vno ad aliud arguitur. num. 10.*

2 *Impedimenta plura cum adsunt, potest ab vno peti dispensatio, absque eo quod de alio fiat mentio; potestque postea super alio separatim impetrari alia dispensatio, nu. 5. etiam si vna à Papa, & altera ab Episcopo esset petenda. nu. 9. sed & absolutio ab vna ex duabus excommunicationibus potest obtineri, alia tacita. num. 5.*

3 *Falsa expressio vitiat quidem gratiam; ac taciturnitas illius, quod scitum principem redderet difficiliorem, tunc demum vitiat, cùm iura id iubent exprimi.*

4 *Criminoso facta collatio beneficij, tacito crimine, modo non inducat irregularitatem, tenet.*

7 *Filiam spiritualem pœnitentiæ cognoscens sacerdos adulterium dicitur committere, sed impropriè.*

11 *Coniunctæ personæ cùm fit mentio in iure, intelligitur in dubio de coniunctione carnali, non autem de spirituali.*

## CONSILIVM VIII.

I. & A. qui erant cognati cognatione spirituali compaternitatis, tractauerunt de matrimonio inter se contrahendo, & scripserunt Romam pro dispésatione habenda, nullis sponsalibus, neque matrimonio contractis; antequam tamen impetraretur dispensatio, vel mandatum, vel commissio ad dispensandum, habuerunt inter se copulam: & commissio ad dispensandum fuit impetrata, nulla mentione facta de copula. Quæritur, an impetratio sit subreptitia.

Pro parte affirmante facit primo, quod taciturnitas eius, quod expressum redderet principem difficiliorem ad gratiam concedendam, reddit eam nullam,[a] & videtur quod Papa difficilius concessisset dispensationem, si nouisset eos copulam inter se habuisse.

1 Secundo, quod incestus impedit matrimonium contrahendum,[b] & copula inter cognatos spiritualiter videtur esse incestus: ergo oportet habere dispensationem super eo.

2 His tamen non obstantibus, contrarium est dicendum. Primo quidem, quod nullo iure canonico, vel Cæsareo cauetur, quod in impetratione dispensationis super vno impedimento matrimonij debeat fieri mentio de alijs, ad hoc vt valeat dispensatio quo ad impedimentum, ad quod illa impetratur: & non est inducenda obligatio iuris sine iure ad id obligante.[c]

3 Secundo, quod licet omnis expressio falsi, qua mouetur princeps ad facilius concedendam gratiam, faciat eam subreptitiam, & ipso iure nullam,[d] non tamen omnis taciturnitas veri, cuius expressio retraxisset principem ad non tam facile concedendum, reddit gratiam nullam, sed sola illa, qua tacetur verum, quod iura iubent exprimi in tali impetratione. quæ est resolutio Rotæ,[e] & Egidij,[f] & Felini,[g] relata à nobis in Man. confess.[h] pro qua facit glossa recepta,[i] quatenus habet in impetratione beneficij faciendam quidem esse mentionem de beneficio habito, sed non de cura vel ordine illi annexis, licet mentio illorum difficiliorem redderet principem ad concedendum: quia id nullo iure præcipitur.

4 Facit etiam, quod valet collatio beneficij facta criminoso crimine non inducente irregularitatem, & inhabilitatem ad beneficium, non facta mentione de illo crimine, licet expressio illius difficiliorem reddidisset principem ad conferendum, vt sentit Innocentius,[k] & resoluit Felinus post alios.[l]

5 Tertio, quod valet impetratio absolutionis ab vna excommunicatione, non facta mentione de alia, secundum glossam 1. communiter receptam.[m]

Quarto, quod passim contingit in curia impetrari dispensationem super vno impedimento matrimonij, non facta mentione de alio, & postea impetratur dispensatio super alio, quarum vtraque iudicatur valida.

6 Quinto, quod copula inter cognatos spirituales tantùm non est verè incestus: quia incestus definitur esse consanguineorum affiniumque coniunctio,[n] & palam est cognatos spiritualiter tantum non esse consanguineos, neque affines, vt manifestè demonstrant rubricæ diuersæ de consanguinitate & affinitate, & de cognatione spirituali: & expressè dicitur,[o] quod talis cognatio non est consanguinitas: neque iura, glossæ, & doctores appellant illam copulam incestum; & sicubi appellaretur, deberet intelligi de appellatione impropria, & similitudinaria: sicut in cap. *si sacerdos.*[p] appellatur adulterium copula sacerdotis cum filia spirituali pœnitentiæ, quam tamen constat non esse verè adulterium.

7 Non obstant citata in contrarium: non primum, quia nō cuiuscumque veri taciturnitas reddit gratiam nullam, sed solùm illius quod iura iubent exprimi, per resolutionem positam in secundo fundamento.

8 Ad secundum respondetur primo, negando copulam inter cognatos spirituales esse verum incestum, per tertium fundamentum. Secundo, quod nullibi probatur, quod per talem copulam inducatur impedimentum ad contrahendum matrimonium, & ita non est dicendum, per primum fundamentum. Tertio, quod impedimentum incestus non dirimit matrimonium contractum, & super eo potest dispensare Episcopus, immo videtur consuetudine sublatum, per ea quæ dixi in Manual.[q]

9 Et ideo esto quod esset necessaria dispensatio super illa, posset haberi ab Episcopo ante vel post impetrationem super cognatione ipsa spirituali, quam certum est non esse necessariam ad hoc vt matrimonium contractum valeat, secundum omnes; neque est vllus qui dicat eam necessariam etiam ad impediendum peccatum, quod in contrahendo committeretur, per prædicta.

10 Nec obstat, quod nobilior est coniunctio spiritualis, quam carnalis,[r] quia id verum est quo ad ius quoddam reuerentiale, & spirituale, & quo ad effectus expressos

in iure,

a *Cap. postulasti, de rescri.*
b *Ca. 1. & 2. & cap. transmissa. de eo qui cons. vx. su.*
c *Arg. ca. consuluisti. 2. qu. 1. & cap. 2. de translat. prælat.*
d *Cap. super literis. de resc. l. & si legib. Co. si contra ius vel vtil. pub. qua est §. sub ca. dicenti. 25. qu. 2.*
e *De resc. 32. decis. in nouis num. 5.*
f *Decis. 698.*
g *Dict ca. postulasti. de rescrip. col. 4.*
h *Ca. 22. nu. 86.*
i *In clem. 1. de preb. in verb. vel alteri.*
k *In ca. proposuit. de cōcess. prabend. in verbo executore.*
l *In ca. 2. nu. 4. de rescript.*
m *In capit. ex parte. de off. ord.*
n *36. q. 1. ca. 1.*
o *In c. 1. 30. q. 3.*
p *30. qu. 1.*
q *Cap. 22. nu. 75.*
r *Cap. ita. & cap. Pictaui. 30. qu. 3*

in iure, non tamen quo ad alia.

11 Vnde licet coniuncta persona possit pro coniuncta agere sine mandato, & canonici vnius ecclesiæ sint coniunctæ personæ spirituali ter, non tamen potest alter pro altero agere sine illo, vt est glossa celebris, [a] recepta à Panormitano & communi, & dilatata per Felinum concludentem, quod vbicumque aliquid statuitur in iure de coniuncta persona, debet intelligi de coniuncta carnaliter, & non de coniuncta spiritualiter, nisi quo ad effectus expressos: & nullibi reperitur expressum quod huiusmodi coniunctio & copula sit incestus, nec pariat vllum impedimentum ad matrimonium, licet ipsa cognatio spiritualis producat impedimentum, non solum ad contrahendum, sed etiam ad dirimendum contractum.

a Cap. cũ M. de cõst inter consortes.

## DE EO QVI COGNOVIT CONSANGVINEAM VXORIS SVÆ.

### SVMMARIVM.

1 *Incestus cum consanguinea, sicut cum affine, impedit matrimonium contrahi cum quacumque alia, secundum Canonistas contra Theologos. & num. 2.*

### CONSILIVM I.

AN incestus cum consanguinea impediat contrahere matrimonium cum alia, sicut incestus habitus cum affine?

1 Respondeo, quod communis opinio Theologorum videtur tenere quod non. nam id tenet S. Thomas, [b] communiter receptus, & Sotus. [c] S. Antoninus 3. par. cap. 16. §. 4. titul. 1. Siluester, [d] quos sequitur Couarruuias. [e]

Tum quia videtur eis nullo iure id caueri, eo quod cap. 1. & 2. & 4. [f] solum tribuunt illud incestui cum affine habito, & non incestui cum cõsanguinea. Tum quia vt ait Richardus, [g] non videtur hoc inductum ob grauitatẽ criminis, sed ob iniuriam quæ fit matrimonio per coitum cum cognata coniugis.

2 Contrarium vero tenent Canonistæ plerique cum Panormitano & Præposito, [h] quos sequuti fuimus in nostro Man. conf. [i] cum Angelo. [k] Tum quia, vt ibi dixi, stylus curiæ id seruare videtur, quatenus cum dispensat, vt consanguinei, qui se incestu polluerunt, contrahant inter se matrimonium, apponit clausulã vt superstes sine spe coniugij maneat. Nec dicatur, incestum quidem impedire matrimonium contrahendum inter ipsos consanguineos, qui se incestu polluerunt, non autem cõtrahendum cum aliis: quia per illam clausulam iubetur superstes sine spe coniugij manere cum alio. Tum quod cap. *si duo.* [l] habet consanguineos matrimonio coniunctos separari debere, & posse cum aliis contrahere, si iuuenes sint; significando indigere dispensatione, quę propter iuuentutem & timorem incontinentiæ illis concedi potest. Tum quia c. fi. [m] de concubinariis consanguineis habet, *Si alter eorum morte præuentus fuerit, alter quamdiu viuit grauiter pœniteat, & sine spe coniugij maneat.* Tum quia cap. *de incestis.* [n] habet, *incestuosos nullo nomine deputandos.* Tum quia cap. *qui propinquam.* [o] habet, *Qui propinquam sanguinis vxorem ducunt, & separantur, non licebit eis, quamdiu vterque viuit, alias vxores sibi in coniugio sociare, nisi ignorantia excusentur.* Tum denique quia ratio Richardi non concludit: quia potest assignari aliqua alia ratio, quare præd. capp. [p] disponunt de incestu cum affine, & non de incestu cum consanguinea; scilicet quia de illo plus potest dubitari, quam de hoc.

b In 4. di. 34. qu. 1. ar. fi.
c Dist. 37. ar. 2. sub fin.
d Verbo matrimonium 7. imped.
e In epit. 4. 2. par. capi. 6. in princ. num. 4.
f De eo qui cog. cons. Vxoris sua.
g In supradicta dist. 34.
h In d. c. 1. & 2. de eo qui cog. cons. vx. sua.
i Cap. 22. nu. 75.
k Verbo, incestus. §. 87.
l 25. qu. 6.
m 35. q. 8.
n 35. qu. 3.
o 35. qu. 3.
p De eo qui cog. cons.

### SVMMARIVM.

1 *Deflorans virginem post sponsalia nulliter cum eadem impedimenti ignara contracta, vt minimũ tenetur dãnum resarcire.*

2 *Dispensationem petere non tenetur, qui simpliciter cum aliqua occultum impedimentum ignorante in gradu prohibito contraxit: & hoc, etiam si tacite in mẽte sua gerat intentionem illam petendi, quod si eam deflorauit, damnũ resarciat: si tamen intendebat se obligare, vel promisit illã petere, tunc tenetur: at si solum promisit eam ducere, si Papa dispensabit, non tenetur illam procurare: ea tamen à parte obtenta, tenetur (contra sententiam Innocentij) ducere.*

### CONSILIVM II.

AN qui cum matre rem habuit, postea contraxit sponsalia cum filia, cum qua etiam rem habuit, post quæ iterum habuit rem cũ matre, teneatur in foro conscientiæ quærere pro viribus dispensationem, vt possit contrahere valide cum filia, & post eam obtentam contrahere solemniter cum eadem?

1 Pro parte negante facit, quod impossibilium nulla est obligatio, [a] ergo sponsalia illa non valuerunt, quia non erant possibilia ob impedimentum affinitatis in primo gradu.

Pro parte affirmante facit primo, quod decepit filiã ignorantem fornicationem eius cum sua matre, & consequenter impedimentum, quod erat inter ipsos: & ita tenebitur resarcire damnum deflorationis eius. Secundo, quod non est omnino impossibile quod posset fieri iustè aliquo modo, saltem per dispẽsationem Papæ, quamuis aliquo modo sit tale, [b] saltem si solet super eo dispensare princeps, vt ille §. significat in illis verbis, *non valet*, ac satis probat l. *quidam relegatus.* [c]

2 Pro resolutione videntur considerandi multi casus. Primus, si contraxit sponsalia simpliciter, nulla facta mentione expresè, nec tacitè de dispensatione: quo casu spõsalia videntur omnino nulla, & ita ad nil obligantia, [d] quamuis ob deceptionem, qua sciens impedimentum contraxit cum ignorãte, teneatur resarcire damnum ex alio capite, nempe damni dati. Secundus casus, si contraxit cum proposito & intentione obtinendi & procurandi dispensationem: quo casu videri potest alicui ipsum teneri ad procurandum dispensationem; sed alij videri potest contrarium: quia non sufficit intentio vnius partis se obligandi, nisi id alij patefiat, [e] sicut neque emendi, vel vendendi, nisi emat, vel vendat; nec ascendendi arborem, nisi ascendat, iuxta notata per glossam. [f] Et puto, quod, si intra se habuit animum obligandi se Deo, qui vbique est præsens, teneretur in foro interiori, alioqui non. Tertius casus est, si promisit ducere, si Papa dispẽsaret: quo casu si non promisit procurare dispensationem, non videtur teneri ad eam procurandam, immo neque ad contrahendum procurata illa per aliam partem, secundum mentem Innocentij, [g] quamuis contrarium putem verius per adducta à Couarruuia, [h] sed licet teneatur ad contrahendum, nõ videtur teneri ad procurandam dispensationem. Quartus, in quo promisit tacitè vel expresse illam procurare: quo casu tenebitur adhibere mediocrem diligentiam ad impetrandam illam, & ad contrahendum post eam impetratam, &c.

*Vide infra Cons. 5. de consang. & affini.*

a l. impossibilium. ff. de re. iur. & l. nemo ad impossibile. de reg. iur. lib. 6.
b l. apud Iulianũ. §. constat. ff. de legat. 1.
c ff. de reb. dub. & l. interdicit. ff. de condit. & demonstrat.
d Arg. reg. nõ præstat. de re. iur. lib. 6.
e Arg. l. qui absenti. ff. de acq poss.
f In l. in vendentis. Co. de contrah. emp.
g In ca. super eo. de condit. appos.
h In epi. li. 4. 2. par. ca. 3.

## DE CONSANGVINITATE ET AFFINITATE.

### SVMMARIVM.

1 *Affinitatis impedimentum ex illicito coitu, tam occulto, quàm publico, nascitur.*

2 *Matrimonium iustè nemo contrahit, nisi credat non adesse impedimentum.*

### CONSILIVM I.

ANTONIVS vellet matrimonium contrahere cum Lucretia, quam Hieronymus eius frater adamarat, & dubitat an secreto eam cognouerit. Quæritur, an Antonius tuta consciẽtia illud matrimonium contrahere possit.

1 Ex coitu carnali illicito nascitur affinitas iure canonico quo ad effectum impediendi matrimonium, secundum omnes, siue coitus sit publicus, siue occultus, vt colligitur ex definitione affinitatis data in arbore affinitatis, [i] & singulariter colligitur ex cap. *discretionem.* [k] quatenus probat non referre quo ad hoc, an coitus incestus sit publicus, aut occultus, colligitur etiam in cap. *concubuisti.* & aliquot aliis, [l] quatenus probant per coitus admissos cum cognatis primi gradus impediri matrimonia: & clarum est huiusmodi coitus esse solere secretos, & occultos.

2 Et ideo sicut publicus coitus generat affinitatem quo ad forum publicum & conscientiæ, ita coitus occultus generat affinitatem quo ad forum conscientiæ, & consequenter præfatus Antonius cum præfata Lucretia non potest iustè contrahere matrimonium, nisi coram Deo credat quod Hieronymus non cognouit Lucretiam, vel nisi obtinuerit dispensationem, saltem quo ad forum conscientiæ tantum, etiam si nullatenus probari posset, nec vllum scandalum ex contracto matrimonio generaretur; quod stylus sacræ Pœnitentiariæ quotidie seruat. Salua, &c.

i Lib. 6.
k De eo qui cognou. consãg. vxo. sua.
l 32. qu. 7.

### SVMMARIVM.

1 *Matrimonium contrahendum non potest impediri ad dictum vnius testis asserentis se ab vno alio audiuisse eos esse consan-*

*guineos. Idem est, si secundus deponens de veritate nollet iurare: secus esset, si plures deponeret, se à pluribus id audiuisse, vel vnus tantum iuratus deponeret de veritate. nu. 2.*

1 *Tutior pars non est de necessitate sequēda; sed sufficit vt tutam, etiam in contrahendis matrimoniis, sequamur.*

## CONSILIVM II.

VOLENTIBVS duobus, viro scilicet, & muliere, contrahere matrimonium, dum fierent denunciationes in Ecclesia, mulier quædam declarauit & testificata est intercedere inter eos impedimentum, quia vt ab vno ex suis maioribus audierat, quarto consanguinitatis gradu sibi inuicem attinebant. Quæritur, an istud sit impedimentum, ita vt contrahere non valeant.

1 Videtur resoluendum, quod dictū præfatæ mulieris non sufficit ad impediendum matrimonium contrahendum inter eos, quos ait se contingere 4. gradu consanguinitatis. Tum quia est vnica testis, quæ nihil probat.[a] Tum quia est testis de auditu, qualis non probat, etiam in hac materia, nisi audisset à pluribus maioribus,[b] & hæc non audiuit nisi ab vno tantum. Tum quia dictum vnius testis de auditu, & alterius de veritate sine iuramento non probat sufficienter impedimentum, etiam ad contrahendum, secundum Panormitanum.[c] Tum quia ad opposita responderi potest.

Ad primum quidem concedendo testes de auditu plures, & qui à pluribus audierunt, probare quidem per allegata in argumento; sed quod hæc est vnica, & singularis, & non audiuit à pluribus.

Ad secundum, non esse necesse eligere tutiorē viam: quia sufficit eligere tutam, vt nos latè probauimus in cap. *si quis autem.*[d]

2 Ad tertium negando, quod ex eo, quod dictum vnius testis de veritate sufficiat, cōsequatur quod dictum vnius testis de auditu sufficiat; quoniam maioris ponderis est dictum de visu, & veritate, quam de auditu, etiam si dictum de auditu esset validum: quia testimonium de veritate est probatio naturalis, & regularis; testimonium autem de auditu irregularis; & non est relaxandum vltra casum, ad quem admittitur. argum. cap. *tua.*[e] & ait Felinus.[f] Et esto quod eiusdem valoris esset dictum testis de auditu, cuius est testis de veritate, intelligendum tamen esset de testimonio de auditu valido, quale non est hoc, de quo loquimur, per supradicta pro nostra parte.

Ad quartum negando, quod hoc testimonium nemini noceat, cum palam lædat facultatem à iure naturali, diuino, & humano concessam volentibus contrahere.

Ad vltimum, negando assumptum, licet enim cap. *in omni.*[g] probet denunciatorem admitti pro vno teste, non tamen probat sufficere vnum, immo clarè requirit alterum, vel duos.

a Cap. cum à nobis. de testibus.
b Ca. licet ex quadam. de testibus.
c In ca. 1. nu. 2. de consanguinit.
d De pœn. di. 7. num. 35. & sequ.
e De consāg. & affini.
f In capi. licet ex quadam. de testib. nu. 1.
g De testib.

### SVMMARIVM.

1 *Consanguinei sunt, cū vnus descendit ab alio, vel ambo à tertio.*
2 *Primum genus affinitatis hodie post cap. non debet, de consanguinit. & affinit. solum inducit impedimentum: hoc autem contrahitur inter viros, & consanguineas mulierum cognitarum, & vice versa.*

## CONSILIVM III.

IVLIVS duxit vxorem Artemisiam sororem Saturni, & ea mortua duxit Pantam, & mortuus est. Quæritur, an Saturnus possit ducere Pantam.

1 Respondeo quod sic. Tum quia nullum impedimentum canonicum inuenitur inter eos; non quidem consanguinitatis, quia non sunt consanguinei, quia non descendit vnus ab alio, nec ambo à tertio, quod requiritur ad consanguinitatem, iuxta glossam receptam in arbore cōsanguinitatis: neque impedimentum affinitatis, quia nec Saturnus cognouit vllam consanguineam Pantæ, neque Panta vllum consanguineum Saturni, quod requiritur ad impedimentum affinitatis, iuxta glossā receptam in arbore affinitatis, quoniam Iulius non erat consanguineus Saturni, sed solum cognatus, vel affinis eius.

2 Tum quia solum primum genus affinitatis inducit hodie post cap. *non debet.*[h] impedimentum; quia per illud sublata sunt secundum & tertium genus affinitatis. Primum autem genus affinitatis solum contrahitur inter viros & consanguineas mulierum, & inter mulieres & consanguineos virorum.

h De consāg. & affinit.

A Nam genus affinitatis, quod oritur inter viros & mulieres cognitas ab affinibus eorum, & è contrario inter mulieres, & viros cognitos ab earum affinibus, est quidem genus affinitatis secundum, vel tertium, sed non primum, quod solum hodie inducit impedimentum, vt dictum est. Et ita inter Saturnum & Pantam est quidem genus affinitatis secundum, quia ortum fuit ex coniunctione Iulij affinis sui cum Panta, & non ex coniunctione consanguinei; & ita nō inducit impedimentum hodie. Et qui contrarium responderunt Reuerendissimo Episcopo, inaduertenter putauerunt omne genus affinitatis inducere impedimentum; quia solum primum genus inducit illud, & non secundum, nec tertium, vt dictum est.

B

### SVMMARIVM.

1 *Affinitas propriè sumpta non contrahitur, nisi interueniente copula carnali, quæ sit completa per seminis commixtionem, adeo vt non sufficiat claustra pudoris fracta fuisse; sicut nec pollutio extraordinaria, vel contra naturam, nu. 5. eaque definitur quod sit proximitas personarū ex copula carnali proueniens. nu. 4. & 5. quæ licet de iure ciuili non proueniat nisi ex iusta maritali copula, tamē de iure canonico oritur etiam ex illicita, & etiam cum propriis consanguineis habita. nu. 3. & 4. At quæ oritur inter ipsosmet maritum & vxorem qui non affines sed affinitatis causa appellātur, item & quæ oritur inter sponsos, propriè affinitas non est. nu. 2. sicut nec quæ oritur ex matrimonio rato, & non consummato. nu. 1. & 4. per totum. Vnde sacrum Concil. quod prohibet ne nisi cum principibus dispensetur in primo & secūdo affinitatis gradu, non est extendendū ad dictas affinitates impropriè dictas. n. 8.*

C

3 *Affinitas, & affinitatis impedimētum differunt, sicut cognatio, & cognationis impedimentum: nec omnis affinitas parit impedimentum, etiā quod sit licita; quia extra quartum gradum illud non producit. num. 7.*
8 *Iustitiæ publicæ honestatis impedimentum fuit solo iure humano post legem Euangelicam introductum; vnde facilius tollitur, quam alia impedimenta.*
9 *Dispensatio, & actus dispensationis sunt restringendi, quia sunt contra ius, & sic odiosi: at facultas dispensandi est fauorabilis, adeo vt illius restrictio & sublatio sit odiosa, & strictè intelligenda.*

D

## CONSILIVM IIII.

1 CONTRA id, quod aliàs respondi, scilicet non contrahi affinitatem, nisi ex copula carnali, dicuntur aliqui scrupulum mouere, ex eo quod S. Thomas in additionibus ad eius tertiam partem.[a] videtur tenere, impedimentum affinitatis nasci ex sponsalibus, vel matrimonio ante copulam carnalem habitam. Ad cuius sublationem præsuppono primo, verbum hoc, *affines*, generaliter & largè sumptum significare secūdum suam etymologiam duo, quorum vnum trahitur ad finē alius, & è contrario: quo modo accepit Cicero,[b] ibi, *Huic sceleri ne paucos affines esse puteris.* & Modestinus,[c] ibi, *Affines dicuntur, eo quod alter ad alterius cognationis finē accedit:* per quem contextum idem dicit glossa recepta & approbata per omnes.[d]

E

2 Hoc etiam modo videtur accipi in l. *non ideo minus.*[e] quæ habet, institutionem vxoris factam à marito appellando eam affinem valere; licet, vt ibi ait glossa, vxor propriè non sit affinis viri, sed causa affinitatis, vt habet lex præallegata *non facile.* sic etiam accipitur in l. *quod seruus.*[f] quæ dicit, inter sponsum & sponsam de futuro esse quamdam affinitatem: vbi glossa recepta per omnes ait, impropriè, & non propriè esse affinitatem, & ita largo & generali modo illam ibi appellari affinitatem. Sic etiam glossa recepta per omnes,[g] ait, regulam illius legis, quæ habet, ratione affinitatis non dari successionē, procedere vniuersaliter, licet aliquando vxor succedat marito, & aliquando maritus vxori: quia licet largo modo & impropriè maritus & vxor possint appellari affines, non tamen sunt propriè tales.

F

3 Secundo, quod aliud est loqui de affinitate, aliud loqui de impedimento affinitatis: sicut & aliud est loqui de cognatione, siue de consanguinitate, & impedimento cognationis, siue consanguinitatis, sicut enim non omnis cognatio vel consanguinitas parit impedimentum cōsanguinitatis, ita neque omnis affinitas parit impedimentū affinitatis: & consequēter non omnis, qui ait esse aliquam affinitatem inter aliquos, videtur

a q. 55. art. 4.
b In Catilinā.
c In l. non facile. §. affines. ff. de gradibus affinit.
d In arbore affinit.
e C. de hære. institu.
f ff. de cōdict. causa data.
g In l. affinitatis. C. commu ni. de succes sio.

dicere inter eos esse impedimentum affinitatis, nec iure Canonico, nec Cæsareo, quo non nascitur affinitas, nisi ex legitimis nuptiis copula carnali subsequuta, licet iure Canonico nascatur etiam ex sola copula illicita sine vllis nuptiis legitimis præcedentibus, iuxta cap. *discretionem.* [a] & ei concordata, quæ omnia sunt ab omnibus vtriusque iuris interpretibus recepta.

4 Tertio, quod hæc consequitur rectissimâ esse definitionem affinitatis, quam posuit glossa in arbore affinitatis typis excusa tam in Decreto Gratiani, [b] quâ in Decretali, [c] quam lib. 6. [d] & receptam per omnes in omnibus prædictis locis, & per omnes Theologos, [e] post S. Thomá, [f] scilicet, *Affinitas est proximitas personarum ex copula carnali prouenienti omni carens parentela*: intelligendo per illa verba vltima, quod ea ratione qua est affinitas, non requirit vllam cõsanguinitatem interuenire, licet alia ratione possint cõcurrere cõsanguinitas, & affinitas, vt concurrit cum contrahatur etiam ex concubitu consanguineorum licito, vel illicito, vt declarat S. Thomas. [g]

5 Quarto, quod ex his colligitur, quam friuolus sit scrupulus, quo angere cupiût nos, & nostrum respõsum, ex eo quod videtur eis dixisse S. Thomas ex solo matrimonio sine copula consequuta nasci impedimentum affinitatis in primo gradu impediens & dirimens matrimoniũ. Tum primo, quod additiones prędictæ nõ sunt D. Thomæ, sed longè post eius mortem collectæ ab alio, vt in titulo ipsarum expressè docetur. Tum secũdo, quia S. Thomas in 4. [h] vnde videtur desumpta additio illa, expressè tenet definitionem datã à prædicta glossa prędictæ arboris affinitatis, scilicet, quod est propinquitas personarum ex carnali copula proueniẽs omni carens parentela, & quia bona definitio est de substantia & essentia definiti, & conuertitur cum eo; ita quod cui conuenit definitũ, conuenit definitio, & è cõtrario, vt probatur in l. 1. [i] & l. 1. cum notatis à Bartholo & aliis, [k] & latè tradit Decius, & citati ab eo, [l] consequitur, quod S. Thomas approbando illã definitionem, sentit expressè non posse dari propriã affinitatem sine interuentu copulæ: quia definitio eius habet eã nasci ex copula & coitu. Tum tertio, quod ipsemet S. Thomas paulo post ait, [m] quod affinitas adeo requirit copulã carnalẽ ad sui productionem, quod quantumcumq; aliquis claustra pudoris inuadat, vel frangat, nisi cõmixtio seminum sequatur, non contrahitur ex hoc affinitas, vnde nec copula contra naturam, neque extraordinaria pollutio generat affinitatẽ, secundũ eumdem, [n] pro quo facit cap. vlt. [o] & cap. *extraordinaria.* [p] Tum quarto, quod nõ obstat id quod ipsemet S. Thomas subdit, ex contractu matrimonij per verba de præsenti nasci quãdam propinquitatem, seu affinitatem, quæ pertinet ad societatem: quia loquitur de affinitate generaliter & largo modo sumpta, sicut leges citatæ in primo pręsupposito, quarum omniũ glossæ receptæ ab omnibus dicunt eam non esse propriè affinitatem. Tum quinto, quod aliud est dicere quod aliqui sunt affines, & aliud, quod inter eos est impedimentũ affinitatis, vt habet præsuppositum secundum, & ideo ex eo quod S. Thomas dixerit ex matrimonio solo nasci affinitatẽ, non infertur quod dixerit ex illo nasci impedimentum affinitatis: quia à diuersis non fit illatio. [q]

6 Tum sexto, quod aut est dicendum S. Thomã loqui variè, aut esse sibi ipsi concordandũ, si dicamus loqui variè, non est ei credendum; quia testi variè vel cõtrario modo loquenti non creditur, vt tradunt Panormitanus & Felinus, [r] & alia citata per ipsos. Aut esse ipsum sibi concordandum: & nõ sese offert alia concordia melior, quàm quod in vna parte loquitur de affinitate propriè dicta, & de impedimento affinitatis, & in alia de affinitate largo modo & generaliter dicta: quoniã glossæ citatæ in primo præsupposito sic concordant textus de affinitate loquentes impropriè & largo modo accepta. Tum septimo, quod ipse est fere solus, & omnes iuris interpretes sunt ei contrarij, & communis opinio præfertur singulari, vt est doctrina receptissima Ioannis Andreæ. [s]

7 Tum octauo, quod etiam singularis opinio præfertur communi, quando neruosiore ratione nititur, vt probat cap. *capellanus.* [t] vbi Panormitanus ab omnibus receptus tradit, & Felinus & citati ab eo, [v] & S. Thomas fortiore ratione tenet id quod communis fere omnium, quam id quod prædictis scrupulosis videtur dicere.

Per quæ omnia concluditur efficacissime, friuolum esse prædictum scrupulum: & quod illo non obstante planè asserendum est affinitatem propriè dictam nõ posse generari sine copula carnali licita, vel illicita, & minus impedimentum affinitatis: quia ad id requiritur quod sit intra gradum quartum.

8 Quod autem lex Concilij Tridentini [a] quę prohibet dispensationem dari coniunctis secundo gradu consanguinitatis, & affinitatis, non comprehendat impedimentum publicæ honestatis primi gradus, facit præter alia, quod longè aliud est impedimentum publicæ honestatis ab impedimento affinitatis: quoniã hoc saltem quo ad aliquas personas & gradus fuit inductum iure diuino scripto antiqui testamenti, [b] illud verò nullo iure veteri, nec scripto, sed est inuentum nouum post passium Christum, secundum omnes; & ita non est tanta ratio inhibendi dispensationem circa illud: & lex pręsertim prohibitoria non est extendenda ad casum, in quo non est tanta ratio prohibendi. [c] Facit etiam illa ratio firma, quod nulla dispositio restringibilis est extendenda vltra terminos propriæ significationis illius, per reg. *quæ à iure.* [d] cum ei concordant.

9 Et sublatio prædicta dispensandi est restringibilis: quia contrarium eius, quod est potestas dispensandi, est fauorabile, iuxta glossam solemnem, [e] receptam communiter per omnes, quorum aliquos citat & sequitur Felinus, [f] quamuis ipsa dispensatio, & actus dispensationis sint restringendi; quia sunt contra ius: sicuti dispensatio illegitimi est odiosa, sed potestas legitimandi est fauorabilis, & ampliabilis, vt tradit idem Felinus post alios. [g] Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Stipulatio, etiam in matrimonialibus, quæ sit contra bonos mores, non obligat.*

1 *Promissio rei, quæ iure impleri non potest, non valet.*

2 *Sponsalia contracta inter habentes impedimentum publicæ honestatis sub conditione si Papa dispensauerit, de iuris subtilitate non obligant partes, etiam si postea mandet Pont. super eo dispensari contra num. 9.*

4 *In obligationẽ ea dumtaxat deducuntur, quæ natura sua possibilia sunt.*

4 *Euentus illius rei frustra expectatur, quæ etiam quod eueniret, nullum produceret effectum.*

5 *Stupratam cum promissione ducendi tenetur stuprator ducere, & dotare. & 9.*

6 *Stuprans de iure ciuili non tenetur stupratam ducere, nisi particulari statuto caueatur.*

7 *Obligatus ex statuto aliquid facere, tenetur facere, vt actus valeat.*

8 *Promissio rei sacræ, seu religiosæ, licet non valeat; si tamen adsit iuramentum, cum cõditione, si ex dispensatione principis fiat profana, tenet.*

9 *Stuprans consanguineam cum promissione ducendi illam, tenetur quærere dispensationẽ, & obtenta per se vel per alium tenetur eam ducere. Impensas vero in dispensatione factas vtraq; pars soluet. Quod si nõ poterit obtineri, tenetur eã dotare.*

## CONSILIVM V.

CVM quidam nobilis quamdam filiam familias virginem sibi secundo consanguinitatis gradu coniunctam adamaret, post decreti Concilij Tridẽtini de matrimonio publicationem iam antea sufficienter factã, ad cubiculum d. virginis accedẽs, præcedẽte promissione, quod eam in vxorẽ duceret, eamdẽ deflorauit, & postea scientibus & consentientibus dictæ mulieris parentibus cum eadẽ in sermone, mensa, & lecto, tamquã cum vxore, per multum tẽporis commoratus est, & liberos ex ea suscepit; quæ cum ordinario loci innotuissent, eisdẽ, ne simul cohabitarent, prohibuit. Qua separatione facta, dictus iuuenis sæpius dictæ mulieri, quã vxorem nominabat, per literas significauit sicuti omni opera nitebatur à summo Pontifice dispensationẽ ad cum eadẽ contrahẽdum impetrare. Tandẽ post aliquot annos dictus iuuenis à d. ordinario petiit declarari inter ipsum & dictã mulierẽ nullũ extare matrimoniũ, secumq; dispensari, vt non obstante prædicto incestu possit liberè & licitè cũ alia sibi aliâs de iure non prohibita matrimoniũ ad euitandã incontinentiam contrahere. Opposuit dicta mulier, immo dictũ iuuenẽ cogendũ ad pro posse impetrandã dispensationẽ pra dictã, vel saltẽ pati, vt ab ipsa impetretur, & successiuè ea impetrata cogẽdum ad cum ipsa matrimoniũ cõtrahendũ, prout tenetur, tũ quia promisit, tũ quia defloraiut modo prænarrato. Quæritur quid iuris, & quis soluere debeat impẽsas in obtinẽda dispensatione factas.

Responsum

a De eo qui cognouit consang. vxoris suæ.
b Sub 35. qu. 5.
c Post titu. de cõsang. & affinitat.
d Post. tit. de cognat. spirit.
e In 4. li. sen. dist. 41.
f In q. 1. art. 1. quæstiuncula 3.
g In prædicta quæst. 1. art. 1. quæstiũcula 3.
h Dist. 41. qu. 3. art. 1.
i ff. de dolo.
k ff. de testa.
l In rub. de probatio.
m In responsione ad secũdum.
n Ibidem.
o De sponsal.
p 25. q. 2. & 3.
q l. Papinian. ff. de minorib.
r In princ. prooem. decret. in prima eius gloss.
s In c. 1. de cõstit.
t De feriis.
v In cap. 1. de constit. nu. 54.

a Sess. 24. ca. 5. de reform.
b Leu. 18.
c Arg. ca. pœna. de pœnit. dist. 1. cum similib.
d De reg. iur. lib. 6.
e In cle. 1. de offic. vic.
f In ca. postulasti de rescr. num. 10.
g Vbi sup. nu. 8.

*Responsum alterius Doctoris.*

1 Videtur respondendum primo, quod si dicta sponsalia fuerunt absolutè, vt præmittitur, contracta, nulla fuerunt, nullamque produxerunt obligationem. arg. l. *si stipulor.* [a] vbi si quis sororem adoptiuam nupturam sibi stipuletur, non valet stipulatio, quia statim fit contra bonos mores, vnde non obligat. Facit cap. *non est obligatorium.* [b] Et hanc opinionem admittunt omnes doctores infra adducendi. Nam vt inquit Petrus Sotus in hac materia, [c] non valet promissio rei quæ iure impleri non potest. [d]

2 Secundo, si dictis sponsalibus adiecta fuit conditio, si Pontifex dispensabit; res habet maiorem difficultatem. Nam Couarruuias, [e] tenet hæc spõsalia esse etiam valida. Antonius de Butrio, [f] idem tenet; in quam partem inclinat Præpositus ibi, licet relinquat cogitandum; & inter summistas tenet Angelica, [g] & inter Theologos Adrianus. [h] Contrarium, scilicet quod hæc sponsalia sint nulla, & nullam producant obligationẽ, tenent Innocentius, Hostiensis, Ioãnes Andreas, Cardinalis, Ancharanus, Abbas, [i] Aretinus, [k] qui in causa inter Ducem Mediolani & Marchionẽ Mantuæ tenet, quod sponsalia contracta inter habentes impedimentum publicæ honestatis, sub conditione, si Papa dispensauerit, de iuris subtilitate non obligant partes; etiam quod post dicta sponsalia Pontifex mandasset super d. impedimento dispensandum; licet additio Abbatis, [l] adducere videatur Aretinum pro contraria parte, & hanc opinionem Innocentij prædictã fatetur communem, idem Adrianus vbi vsupra, & alij.

3 Hanc eamdem opinionẽ tenet inter summistas Rosella, [m] Siluester, [n] & Victoria de sacramentis, [o] & contra Adrianum tenet Sotus, [p] & concludit quod non obstantibus prædictis sponsalibus vna pars, etiam altera inuita, & etiam post obtentum dispensandi mãdatum à Papa potest ab eisdem recedere. Pro quo dicto facit Baldus, [q] qui respondit, quod si inter consanguineos sit tractata parentela, & subsequuta subarratio, vna pars potest ad aliud conuolare matrimoniũ, siue Papa velit, siue nolit dispensare. quod dictum refert & sequitur Parisinus. [r] Et hanc partẽ amplectimur per rationes, quas vltimo loco refert & ponit Sotus vbi supra, & tanto magis in casu proposito, in quo agitur de dispẽsatione in secundo consanguinitatis gradu, cui resistit Concilium Tridentinum, [s] & in quo rato solet Pontifex dispensare. Couarruuias autem & alij loquuntur in gradibus magis remotis, in quibus facilius dispensari solitum erat. Item ex quo sumus in casu, in quo dispensatio nondum est obtenta: in quo casu, inquit Sotus nullum est dubium, quin vterque possit, etiam altera parte inuita, à pacto recedere.

4 Et certè pro hac parte me multum vrget tex. l. *inter stipulantem.* [t] dum reprobat hanc stipulationem; *Eum locum, cum ex sacro religiosove profanus esse cœperit, dare spondes?* & subdit rationem, quæ communis est casui nostro, dicens: *Quia nec præsentis obligationem temporis recipere potest: & ea dumtaxat, quæ natura sui poßibilia sunt, deducuntur in obligationem.* Sed quod, si tacitè vel expressè promisit propriis expensis & labore dispensationem impetrare, & eum vt dictum est secũdum magis communem opinionem prædicta sponsalia non obligent, vtique nec hoc accessorium tenebit: frustra enim expectatur euentus illius rei, quæ etiam quod eueniret, nullum produceret effectum. [v]

5 Descendendo autem ad articulũ stupri, videtur, quod ex quo ex narratis constat dictam puellam seductam, & prout etiam præsumitur ex Carrerio, [x] Abbate: & ibi additio, [y] dictus iuuenis tenetur eamdem dotare, & ducere, [z] & Dominatione tua in Man. confess. [a]

6 Nec obstat, si dicatur textum c. 1. & 2. [b] procedere solum inter subditos locorũ & terrarum subiectarũ iurisdictioni Ecclesiæ, non autem in locis subditis principi sæculari, in quibus seruãda est pœna iuris ciuilis, vt notat Abbas, [c] de iure autem ciuili stuprans nõ tenetur stupratã ducere, vt ait Carrerius. [d] Nam respondetur Abbatem, & alios doctores solũ dicere ius canonicum mitigasse quo ad subditos Ecclesiæ pœnã legum statutam contra stupratores; ita tamen, vt iudex sæcularis minimè prohibeatur pœnam legalem imponere suo subdito, qui stuprum perpetrauit: non negant tamen quin iudex ecclesiasticus possit hunc stupratorem oppidi subiecti principi sæculari in hac materia, quæ etiam spectat ad forum ecclesiasticum, punire pœna canonica, secundum Ancharanũ, [a] & hoc tãto magis procedit in hoc casu, in quo (vt audio) oppidum, in quo moratur dictus iuuenis, & mulier, est sub principe sæculari, qui vniuersali statuto obligat stuprantes, vt ducant deflorantes; vnde ex hoc capite potest iudex ecclesiasticus in decisiuis sequi & seruare ipsorum laicorum leges, secundum Abbatem, [b] & ibi Felinum. [c]

a De verb. oblig.
b De reg. iur. lib. 6.
c De sacramento matrimonij lect. 18.
c l. pacta quæ contra. Co. de pact.
e In 4. in epis. de sponsal. 2. p. cap. 3. num. 7.
f ca. sup. eo. de condit. appos.
g In ver. matrimonium 3 in 3. impedimento. nu. 4.
h In 4. de matrim. qu. 10.
i In d. c. super eo.
k Cons. 142. ex facto. nu. 1. 2. & 3.
l Dic. c. super eo.
m Ver. matrimonium 6. in fin.
n Verb. matrimonium 3. quæ. 9.
o De sponsal. quæ. 158.
p In 4. sen. d. 29. qu. 2. ar. 1. ante fin.
q Cõs. 60. vol. 2.
r Cons. 52. n. 4. cum sequ. vol. 4.
s Sess. 24 c. 5.
t §. sacram. ff. de verb. obli.
v l. pen. ff. de fideiuss. l. aliquando. §. si. ff. ad senat. consul. Velle.
x In sua pra. crimin. §. circa igitur quartum. nu. 7.
y Ca. 1. de adulter.
z In cap. 1. & 2. de adulter.
a Ca. 16. nu. 16.
b De adulter.
c Dict. cap. 2.
d Vbi supra num. 9.

7 Facit etiam c. 1. [d] Cum autẽ teneatur dictus iuuenis eamdem ducere, vtiq; tenetur necessariã dispensationẽ pro posse obtinere. [e] Nam vt singulariter inquit Iason, [f] qui ex statuto tenetur aliquid facere, tenetur facere vt actus valeat; vnde & legatario debetur ab herede via ad ædes legatas, ne ius ipsius legatarij sit inutile, vt est in l. *binas ædes.* [g] & habet Bartholus, [h] licet secus sit in fundo empto, quia potuit emptor apertius legem dicere vt ait Decius. [i] Quæ ratio cũ cesset in hac puella seducta, nõ videtur dubiũ quin iuuenis, qui tenetur eã ducere, teneatur etiã procurare dispensationẽ ad hoc necessariam: sicut & qui tenetur dare hominẽ, talem debet dare, qui ab eo non possit auferri, iuxta l. *qui decẽ.* [k] cum concordatis ibi per gloss. [l] & l. 3. vbi etiã gloss. [m] Hoc autẽ totũ debet dictus iuuenis suis expensis procurare. [n] Et si d. mulier dubitat ne dictus iuuenis procedat bona fide in procurãda dicta dispensatione, poterit pro suo interesse in ipso negotio assistere, & adesse. [o]

8 Ex quibus arbitror dictũ iuuenem condemnandũ iuxta petita à dicta puella; & hoc multo magis, si nedũ promisisset eam in vxorẽ ducere, sed & iurasset, vt voluit Tabiena. [p] & Baldus. [q] Nã licet non valeat promissio rei sacræ, seu religiosæ; si tamen adsit iuramentũ, adiecta cõditione, si ex priuilegio, seu dispẽsatione principis dicta res fieret profana, teneret. Et hæc opinio potest teneri, licet Sotus, [r] teneat in hoc casu dicta sponsalia non obligare.

*Responsum Doctoris Nauarri.*

9 Visis supradictis, quę prudenter & erudite sunt perpensa, & citata, & aliquot aliis, arbitror partes Reuerẽdis. Episc. esse, declarare quidẽ nullũ extare matrimoniũ inter præfatũ iuuenem, & præfatã puellã, iuxta petitionẽ præfati iuuenis; teneri autem eũ ad cõtrahendũ matrimoniũ cum illa, si S. D. N. placuerit dispẽsare super præfato impedimẽto consanguinitatis gradus secũdi; teneriq; ad procurandã bona fide præfatã dispensationẽ, & ad acceptandã, si ea per pręfatã puellã, vel procuratores suos fuerit obtẽta: & casu, quo nõ potuerit obtineri, obligatum esse ad dotandam eam arbitrio boni viri: impensas autem, quæ in dispensatione impetrãda factæ fuerint ab vtraque parte soluendas esse, siue ipse, siue ipsa eam obtinuerit.

SVMMARIVM.

1 *Affinitas, quæ ex illicita, sicut & quæ ex licita procedit copula, semel orta, etiam post mortẽ sic cogniti durat, matrimoniumque postea subsequutum dirimit, at antea contractum non, immo nec impedit illius vsum, nisi respectu delinquentis, qui non potest sine peccato debitum exigere: restringitur tamen modo post sacrum Concilium ad secundum gradum; ita vt quæ oritur ex illicita copula in tertio vel quarto gradu, nullum ex prædictis amplius operetur effectum. nu. 2. & 3.*

3 *Impedire dicitur etiam id, quod in aliqua tantum parte impedit.*

4 *Negatiua præcedens, omnia quæ sequuntur, destruit, & contrarium eorum ponit.*

## CONSILIVM VI.

DVBIVM est, an impedimentũ, quod propter affinitatem ex fornicatione cõtractã inducitur, & matrimoniũ postea factũ dirimit, quod ad eos tantũ, qui in primo vel secũdo gradu coniũguntur, restringitur, habeat locum etiã in impedimento affinitatis superuientis post contractum matrimonium, vt non extendatur vltra dictum secundũ gradum.

1 In hac quæstione: si errore amanuensis non est scriptum, *superuiuentis*, pro *superuenientis*, non video quod dubium contineatur; cum palam sit, affinitatem contrahi ex coitu illicito iure canonico, cap. *discretionem*, [s] & tradit glossa recepta, [t] & quod affinitas semel contracta non extinguitur morte personæ, qua mediante contrahitur, iuxta cap. *fraternitatis*, [v] & traditur à dicta glossa recepta.

2 Si autem per errorem scriptum est, *superuiuentis*, pro, *superuenientis*; respondendum videtur, quod nulla affinitas superueniens matrimonio contracto dirimit illud, licet partem culpabilem impediat ab exigendo debito, [x] & consequenter palam esse impedimentum huiusmodi præueniens matrimonium in prædictis duobus gradibus longe maioris virtutis esse quo ad matrimonium præuentũ, quàm superueniens quo ad

a Ca. conquestus. de foro comp. num. 7.
b Cap. quod clericis. nu. 11.
c In fine de for. compet.
d De nou. oper. nunc.
e Arg. l. 2. ff. de iurisd. omni. iud.
f l. huiusmodi. in prin. nu. 27. ff. de lega. 1.
g ff. de seruit. vrba. præd.
h l. 1. ff. de seruit. legat.
i Dict. l. 2. nu. 31.
k §. Qui hominem.
l ff. de solutio.
m ff. de actio. empt.
n Argu. l. suo victu. ff. de opert. libert.
o Arg. c. 2. in fin. de procur. lib. 6. l. si suspecta. ff. de inoff. test.
p Verb. sponsa. nu. 9. vers. S. quæro.
q Ca. cum cõtingat. nu. 22. de iureiurã.
r Vbi supra.
s De eo, qui cogno. cõsangui. vxoris suæ.
t In prima arboris affinitatis lib. 6.
v 35. quæ. 10.
x Cap. transmissæ & cap. tua, de eo qui cog. cõs. vxor. suæ.

ad matrimonium præueniens ipsum; cum præueniens affinitas matrimonium sequens impediat,& dirimat,superueniens autem nec dirimat,nec impediat,nisi quo ad hoc ne culpabilis debitum exigat,per iura supradicta.

3 Maius dubium esset, an affinitas tertij & quarti gradus contracta ex illicito coitu superueniens impediat exactionem debiti; licet præueniens non dirimat matrimonium contractum,per expressam Concilij Tridentini decisionem, [a] nec etiam impediat contrahendum,per declarationem Pij V.

Nam pro parte affirmante facit, quod aliud est dirimere matrimonium, de quo loquitur Concilium & aliud impedire tantum,de quo ait declaratio Pij V.& aliud exactio debiti, de qua nihil statuit Concilium,nec declaratio prædicta:& secundum ius commune vetatur exactio per prædictam affinitatem superuenientem:& casus omissus habetur pro omisso. [b]

Pro parte verò negante, quod non impediat exactionem, facit,quod lex per similitudinem rationis extenditur ab vno ad aliud. [c] Facit etiam,quod Pius V.declarauit, quod nec dirimit,nec impedit; & consequenter non obstante illa, licitè contrahitur.quod videtur consequi, quod etiam licitè petatur debitum. Tum quia minus est exigere, quàm contrahere,ergo qui concedit contractionem, à fortiori videtur concedere exactionem,arguméto cap.*cui licet quod est plus.* [d]

4 Tum quia id, quod impedit exactionem debiti, quo ad aliquam partem impedit matrimonium;& prædictus Pius V. declarauit simpliciter, quod non impedit, & consequenter quod nulla ex parte impedit:quia negatiua præcedens,omnia quæ sequuntur destruit, & contrarium eorum ponit, iuxta glossam singularem receptam. [e] Facit etiam, quod verba declarationis Pij V.scilicet quod non impedit matrimonium,satis includunt per proximè dicta impedimétum exactionis; & ita per illa tollitur illud: quia lex generaliter loquens intelligenda est generaliter. [f] De hoc autem dubio, quod aliàs in sacræ Pœnitentiariæ prætorio propositum fuit, & non resolutum,non videtur loqui quæstio proposita: & ideo non resoluo illud,tametsi multum inclino in partem negantem, scilicet vt non extendatur.

*Et ita refertur sacram Congreg.inclinasse in hanc partem,vt incestus vltra secundum gradum superueniens non impediat exactionem debiti.*

a Sess.24. ca. 4.
b l.commodissime.ff. de liber.& posthũ & cap.susceptum.de rescrip.lib.6.
c l.non possũt. ff.de legib. & cap. dudum. 2.de elect.
d De reg.iur. lib.6.
e Ca.cum dilectus.de consuetud.
f Cap. solitæ. in fin.de maiorit. & l. de pretio. ff. de pub. in rem. act.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatio super affinitate non extenditur ad publicam honestatem concurrentem,nisi de ea saltem tacitè fiat mentio.*
2 *Dispensationem super affinitate taciturnitas publicæ honestatis concurrentis non vitiat, remanet tamen ipsum publicæ honestatis impedimentum.*
3 *Impedimento vno ex duobus sublato,remanet alterum.*
4 *Subreptio non vitiat gratiam,nisi pro illa parte,cuius fuit causa:potestque gratia & rescriptum pro vna parte valere, & non pro altera.*

## CONSILIVM VII.

QVÆRITVR, an dispensatio super affinitate extendatur ad publicæ honestatis impedimentum, & an valeat quo ad affinitatis impedimentum.

1 Per dispensationem, per quam tollitur affinitatis impedimentum, non censetur sublatum impedimentum publicæ honestatis concurrentis cum affinitate, iuxta glossam communiter receptam in arbore affinitatis circa principium, cui videtur contraria glossa.3.cap.*non debet.* [g] quæ est vera,quando saltem tacitè fit mentio de illo:altera verò,quando nec expressè,neque tacitè fit talis mentio,iuxta concordiam, quam inter illas ponunt Panormitanus & Præpositus. [h]

2 Sed quæstio noua est, an dispensatio super affinitate valeat saltem quo ad affinitatis sublationé, licet non valeat quo ad sublationem publicæ honestatis. Nam pro parte negante facit,quod tacetur aliquid, quo expresso difficilius concessa fuisset dispensatio super affinitate; & ita videtur subreptitia. [i]

3 Sed præfata glossa arboris affinitatis à nemine adhuc ponderata contrarium tenet, & idem videtur sentire Panormitanus & Præpositus, [k] & alij omnes,qui sequuntur eam in sensu prædicto,quatenus in cõfirmatione eius allegant illud vulgatum,Vno de duobus vinculis sublato,remanere aliud, [l] per quod significant,per impetrationem dispensationis super vinculo affinitatis, nulla facta mentione expressa, nec tacita de vinculo publicæ honestatis,alterum quidem tolli, & non alterum:& hoc est aptum ac singulare exemplum illius theoricæ Rotæ, [a] scilicet taciturnitatem veri, quod expressum retraheret principem à gratia facienda, non efficere illam subreptitiam,nisi sit tale, de quo iure caueatur illud esse exprimendum,quam decisionem nos quoque sequimur in Manu. confessar. [b]

g de consang.
h In dicto ca. non debet.
i Cap.postulasti: de rescript.
k Vt supra.
l Ca.ex tuarum.de auct. & vsu pallij. & l.si domus ff de seruitutib. vrbanor. præd.& §. affinitatis. Inst. de nupt.

4 Cuius theoricæ exemplum,vt prædicta Rota dixit,est in collatione criminoso facta à principe, quæ valet regulariter per resolutionem Félini & eorum,quos ille citat, [c] quod nos resolutius tractauimus nuper. [d] Tum quia subreptio non vitiat gratiam,nisi quo ad illud, cuius causa fuit; & potest esse gratia subreptitia quo ad aliquid, & valida ac non subreptitia quo ad aliud, [e] vt dicit Nicolaus de Millis, [f] Panormitanus, [g] & sic potest pro parte valere rescriptum & gratia,& pro parte non;& sic vtile per inutile non vitiatur.

a 32. in nouis de rescrip.
b Cap.22.nu. 86.
c In cap.2.de rescriptis.
d In Misc.34 de orat.
e Ca si eo tẽpore.cap.susceptũ. de rescript.lib.6.
f In repe.ver. gratia ad fin.
g Capi.inter literis.de res.

SVMMARIVM.

1 *Incestum qui cum consanguineis commiserunt, secundum communem Canonistarum contra Theologos, contrahunt impedimentum impediens contrahendi cum quacunque.*
2 *Dispensatio super vno ex duobus impedimentis, tacito altero, etiam si expressum principem difficiliorem reddidisset, validè impetratur;remanet tamen in suo robore non narratum, nu.1.& 3.& super eo potest separata ab habente potestatem fieri dispensatio.Vnde qui à Papa obtinuit dispensationem super impedimento affinitatis dirimente, potest separatim antea vel post ab Episcopo obtinere dispensationem super incestus impedimento impediente.nu.4. sicut diaconus, qui vult ducere affinem, potest separatim impetrare dispensationem super impedimento diaconatus, & separatim super impedimento affinitatis.nu.7.Fallit prædicta conclusio, quando lex id,quod tacitum fuit,exprimi iubet. Vnde qui impetrat remißionem super secũdo homicidio debet exprimere remißionem primi. Item fallit,quando materiæ sunt adeo connexæ, vt vnus defectus alterũ augeat. Vnde qui fuit dispensatus super defectu natalium, si velit obtinere dispensationem super pluralitate beneficiorũ,tenetur de prima dispensatione mentionem facere.nu.6.*
4 *Episcopus dispensat quidem super impedimento impediente procedente ex delicto incestus, at super impedimento consanguinitatis dirimente solus Papa.*
5 *Copulæ, nullis præcedentibus nec matrimonio nec sponsalibus inter consanguineos,sine animo & intentione, vt sic facilius impetrarent dispensationem,habitæ, nec de iure, nec per sacrum Concilium est facienda mentio: at nunc tempore Pontificatus Gregorij XIII. de eiusdem S.D N.mente, de ea est facienda mentio. Quod si etiã contraxerunt matrimonium, vel sponsalia clandestine,de ea etiã ignoranter habita;quod si publicè contraxerunt,solum de scienter habita esset facienda mentio.*

## CONSILIVM VIII.

AN consanguinei, qui copulam habuerunt secretè, teneantur exprimere Papæ hoc delictum, si petant dispensationem contrahendi inter se?

1 Respondeo,visum fuisse aliquibus in hac curia,esse necessarium,eo maximè, quod incestuosi prohibentur contrahere non solũ inter se,sed etiã cum aliis,vt communis tenet opinio Canonistarum, contra communem Theologorum, vt scripsi in Manu. [h] quod seruat curia,vt ibi dixi,& nũc hic repeto:pro qua dudum allegaui quatuor textus, qui expresse id probant,& ita duo impediméta concurrũt in prædictis,vnum consanguinitatis,aliud incestus:& ita impetratio tacita copula incestuosa videri potest impetratio subreptitia: quia tacetur aliquid,quo expresso difficilius dispensasset Papa,quod argumentum maximũ coloris habet,præsertim quod sublato vno ex duobus vinculis,alterum non videtur sublatum. [i]

2 Sed oppositum est tenendum per multa,& primo ex decisione Rotæ, [k] quam sequitur Felinus & allegati ab illo. [l]

3 Quatenus habet in impetratione dispensationis non esse necessario faciendam mentionem,nisi de illis tantum,de quibus iura iubent; etiam si talia sint, quibus expressis difficilius Papa dispensaret:& quia stylus curiæ videtur tenere, vt impetratio super vno impediméto matrimonij valeat, non facta mentione de alio;non quidem ad hoc, vt censeatur sublatum aliud,neque quo ad hoc,vt possit contrahi matrimonium licitè ante dispensationem super alio;sed quo ad hoc, vt dispensatio valeat,& censeatur sublatum impedimétum, super quo habita est illa; & quod post habitam dispensationem super

h Cap.22.n. 75.
i Cap.ex tuarum.de auct. & vsu pal. l. si domus. ff.si serui,vend.§. affinitatis.Instit.de nupt.
k 32. de rescript.in nouis.
l Cap.postulasti col. 4. de rescript.

alio iustè poterit contrahi matrimonium.

4 Ex quibus infertur primo (cum in casu proposito sint duo impedimenta, primum consanguinitatis, secundum incestus; & impedimentum consanguinitatis solus Papa tollere possit, impedimentum autem incestus etiam Episcopus ex iusta causa,) [a] quod habita dispensatione à Papa de consanguinitate, non facta mentione de copula, habita dispensatione ab Episcopo super incestu, ante, vel post dispensationem consanguinitatis, possit matrimonium contrahi.

Secundo infertur parum referre quo ad hoc, quod copula sit occulta, vel manifesta, & confessario confessa, & absoluta, vel non confessa, nec absoluta, si Episcopi dispensatio non interuenit.

5 Addendum tamen, quod si dicta copula occulta, vel manifesta, eo fine fuerit habita, vt facilius impetrarent dispensationem, esset facienda mentio eius tempore Sanctiss. Domini nostri, qui declarauit non esse animum dispensandi cum talibus: quamuis iure antiquo, & etiam Concilij Tridentini, [b] non videtur id obesse, si neque matrimonium, neque sponsalia contraxerunt. Si autem contractis illis publicè habuerunt scienter copulam, vel contractis clandestinè habuerunt eam etiam ignorantes, non valebit dispensatio, nisi fiat mentio de illa; & si fiat, non dabitur huius Sanctiss. Domini tempore, & merito: quia Concilium Tridentinum vbi supra statuit ne cum huiusmodi dispensetur; immo neque cum eis, qui scienter, vel ignoranter non seruatis solemnitatibus requisitis contraxerunt, etiam si non consummauerint. [c]

6 Obstare autem prædictis videtur, quod indulgentia secundi homicidij non valet, non facta mentione de indulgentia prioris, secundum Gulielmum de Cuno, [d] relatum per Baldum ibi: & etiam dispensatio concessa super pluralitate illegitimo non valet, non facta mētione de priori dispensatione super defectu natalium, qua factu est habilis ad vnum. [e] Sed respondetur ad primum, quod lex illa tertia requirit expressionem iterationis, siue geminationis delicti. Ad secundum, quod caput illud 2. illo casu illam mentionem requirit ob specialem rationem: & ratio specialitatis est, quod illæ dispensationes se contingunt, & sunt quasi idem; & tacitum auget delictum, vel defectum expressum, super quo dispēsatur, quæ ratio cessat in casu nostro, in quo dispensatio fit super diuersis: vnde gratia facta de pœna adulterij non requirit mentionem de gratia pœnæ homicidij, nec gratia pluralitatis beneficiorum facta illegitimo requirit mentionem gratiæ factæ de non ieiunando certis diebus, vel non soluendo pœnā periurij, vel fruendi stationibus Romanis.

7 Per quæ respondimus gratiam ducendi vxorem factam subdiacono occultissimè, & malè ordinato, nō vitiari, eo quod tacuit, præsertim absque dolo, quod erat affinis illa quam volebat ducere: nec gratia postea impetrata super affinitate, non facta mētione de dispensatione super ordine, fuit subreptitia; quia sunt res separatæ, nec vna auget alteram, nec vllo iure requiritur mentio alterius in altera.

*Vide infra consilio seq.*

a Cap. si duo, 36. quæst. 6.
b Sess. 24. ca. 5.
c Vt in d. ca. 5.
d l. 3. C. de episcopali audi.
e Cap. 2. de filiis presbyte. in 6.

SVMMARIVM.

1 *Taciturnitas illius, quo expresso difficilius dispensasset Papa, vitiat gratiam: sed hoc procedit, quando lex mandat illud exprimi; vt, quod in impetratione secundi beneficij fiat mentio de altero, quod prius obtinuit, nu. 2. & vt impetrans remissionem secundi homicidij mentionem faciat de gratia primi. num. 1. & 4. in aliis non. num. 3. Vnde qui impetrat dispensationem super gradu affinitatis, vel consanguinitatis, non cogitur exprimere incestum causantem impedimentum impediens. nu. 4. & 5.*

2 *Duplici excommunicatione, vel alio impedimento dupliciter ligatus, ab vno potest valide absolui, & dispensari, altero tacito. nu. 3. quod quia non censetur sublatum, durat. num. 4.*

5 *Incestus peccati impedimentum impediens contrario vsu fuit sublatum. seu saltem pro eo nō petitur dispensatio, nisi quando quis vult ducere quam per incestum polluit: sed & Episcopus super eo dispensare potest.*

6 *Occultum peccatum incestus qui etiam ad effectum petendi dispensationem super alio impedimēto reuelat, peccat grauiter.*

## CONSILIVM IX.

AN Valeat dispensatio super impedimento consanguinitatis, vel affinitatis, non facta mentione de copula prius habita?

1 Respondetur, pro parte negante facere primo, quod tacitum est illud, quo expresso difficilius dispensasset Papa; & per consequens non valere. [a]

Secundo, quod impetratio veniæ pro secundo homicidio commisso non valet, si non fiat mentio de venia data pro primo, secundum Gulielmum, [b] per illum textum, quem sequitur ibi Baldus, [c] communiter receptus, vt tradit Felinus. [d]

2 Sed contrarium videtur verius. Tum quia nullo iure cauetur, dispensationem super vno impedimento matrimonij esse nullam, eo quod super altero non sit habita. Tum quod stylus Curiæ videtur habere, quod dispensatio facta super vno impedimento valeat, antequam dispensetur super alio; licet non possit iustum iuris effectum sortiri, donec super alio dispensetur, sicuti excommunicatus duplici excommunicatione frequenter absoluitur ab vna, antequam absoluatur ab aliis, & valet prior absolutio, licet non restituatur ei communio, donec ab altera absoluatur. per cap. *ex parte.* iuncta glossa recepta. [e]

3 Tum quod Egidius ait, [f] quod non omnia tacita, quorum expressio potuisset mouere principem ad difficilius concedendam gratiam, illam vitiant, sed ea solùm de quibus reperitur iure expressum, quod in impetranda gratia debeant exprimi, nam impetranti beneficium, & dicenti se criminosum, Papa verisimiliter difficilius illud concederet; at tacere hoc minime nocet: quia valet collatio facta criminoso, nisi sit crimen inducens inhabilitatem ipso iure: quem refert, & sequitur Felinus, [g] & declarat pulchrè Rota. [h]

Quibus sic constitutis, non obstant in cōtrarium adducta. Nam ad primum respondetur, scilicet ad cap. *postulasti.* quod textus ille loquitur de taciturnitate in beneficiis prius impetratis, in quibus iure cautum est debere prius exprimi, per cap. *cum adeo.* [i] & cap. *si motu proprio.* de præbend. lib. 6.

4 Ad secundum, cui non videtur ab aliquo doctore hactenus satisfactum, respondetur primo eodem modo, scilicet quod etiam iure cauetur per dictā l. 2. [k] & ibi Baldus, [l] quod in impetratione veniæ pro secundo homicidio debet exprimi venia data pro primo. Ex quibus infertur, quod quibus rationibus defenditur, impetrantem dispensationem super impedimento consanguinitatis non teneri manifestare copulam incestus, eisdem etiam rationibus defendi potest, impetrantem dispensationem super impedimento affinitatis non teneri ad reuelandum incestum admissum.

Nec obstat prædictis, quod aliud est impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis, & aliud impedimentum incestus; & consequenter quod vno illorum sublato non censeatur alterum sublatum. [m] Nam respondetur illa esse diuersa impedimenta, & quod sublato vno non cēsetur sublatum alterum; negando tamen, quod sint paria: quia impedimenta consanguinitatis, & affinitatis sunt impedimenta impedientia, & dirimentia, impedimentum autem incestus solum impediens: itaque licet peccent contrahentes sine dispensatione illius, non tamen dirimit contractum, secundum omnes, præcipue secundum Paludanum, [n] quem sequitur D. Antoninus, [o] eo quod videtur consuetudine abrogatum, vt ait idemmet Paludanus & citati à nobis in nostro Manu. conf. [p] cui credimus.

Primo, eo quod in tota nostra ætate numquam legimus, nec audiuimus dispensationem super hoc solo impedimento, nisi aliud cōnsanguinitatis vel affinitatis committatur, impetratam etiam ab Episcopo, quem in hoc dispēsare posse communis habet opinio.

Secundo, quod etiam si non esset abrogatum, tamen nullo iure cauetur, vt vna cum alio impedimento debeat impetrari; & per consequens sufficeret, vt per se impetraretur.

6 Tertio, quod hic loquimur de incestu secreto, quod non est reuelandum in literis Apostolicis cum grandi opprobrio volentium contrahere, sed sufficeret impetrare clam à summo Pœnitentiario, vel suo Episcopo: immo arbitror grauiter peccaturum, qui se cōiugemque suam huiusmodi notarit infamia, contra præceptum Decalogi, & ea quæ diximus super eo. [q] Salua, &c.

*Aduerte, quia refertur Congreg. censuisse consanguineos, vel affines, qui tacita copula obtinuerunt dispensationem super impedimento consanguinitatis, vel affinitatis, esse subreptitios, & matrimonium postea contractum esse nullum: cui sententiæ videtur etiam ipse D. Nauarrus postea adhæsisse in quarta editione sui Man.*

a Arg. capit. postulasti. de rescript.
b In l. 2. C. de episcop. audiētia.
c In nu. 4.
d In ca. super literis. de rescript.
e De offic. ordin.
f In deci. 608. incipiente, Cōclusio extra Rotam.
g In ca. postulasti. col. 3. de rescript.
h In nouis decis. 32. de rescrip. col. pen. & finali.
i De rescript.
k C. de Episcopali audiē.
l Num. 4.
m Arg. cap. ex tuarum. de auct. & vsu pallij. & l. si domus. ff. de seruit. vrbanorum præd.
n In 4. di. 34. qu. 1. col. 3.
o In 3. pa. tit. 1. cap. 15. §. 4.
p Cap. 22. nu. 75.
q in ca. 18. dicti nostri Mā.

confess.

*confess.*[a] *& ita obseruat praxis. Vide etiam consilium præcedens, & duo sequentia.*

a Cap. 22. nu. 86. in fine.

SVMMARIVM.

1 *Incestus delictum, quod impedit, sed non dirimit, inter consanguineos perpetratum non vitiat mandatum Apostolicum super impedimento gradus dirimente dispensando antea impetratum, nec dispensationem matrimonij postea subsequutam. & num. 2.*

1 *Impedimenta matrimonialia duo patiens, dispensationem super vno, altero tacito, impetrare non prohibetur; sed non debet contrahere, nisi vtroque sublato.*

3 *Filij nati ex matrimonio valide contracto, sed cum peccato, sunt legitimi.*

3 *Debitum matrimoniale vt sanctè petere possint, qui cum impedimento impediente tantùm contraxerunt, dispensatione egent episcopali.*

4 *Parentum confessio subsequens obtentam dispensationem super occulto impedimento filijs negantibus non nocet quo ad legitimitatem.*

4 *Opinionem grauis auctoris sequens in ijs, quæ sunt iuris humani diuersimode intellecti, non peccat.*

5 *Incestum occultè post commissionem ad dispensandum admissum cõmissario interroganti contrahentes fateri non tenentur: peccant tamen, si cũ iuramento absolutè negãt. & nu. 1.*

CONSILIVM X.

1 N. TRACTABAT de matrimonio contrahendo cum C. secundo gradu consanguinitatis sibi attinente: & post missam informationem ad Vrbem, & impetratam commissionem dispensandi, antequam dispensatio fieret, cognouerunt se carnaliter; & postea commissarius accepto iuramento, quo iurarunt sese non cognouisse, dispensauit, & contraxerunt publicè matrimonium, & multis annis vixerunt coniugati. Quæritur de remedio salutis animæ & corporis præfatorum.

Ad hanc quæstionem respondeo primo, illam esse grauissimam, & multiplicem; ita quod eius plena decisio multarum aliarum decisionem requirat; ideoque non vacare nobis nunc eam pro dignitate decidere: tamen pro amicitia, qua sum in dominum interrogantem, per pauca seminaria ita eam tractabo, vt ex eis colligi possint in id necessaria.

Secundo, quod præfati grauissimè peccauerunt per incestum, & periurium; quorum oportet eos verè pœnitere, vt condonentur à Deo misericordissimo.

Tertio, quod iure ipso attento valuit dispensatio præfata. Tum quia in impetratione commissionis eius Papalis nõ fuit admissa vlla subreptio; quia nondum incestum admiserant. Tum quia nullo iure cauetur, quod non possit impetrari dispensatio super vno impedimento, non facta mentione de alio; quamuis non possit contrahi matrimonium iustè, donec super vtroque dispensetur. sicuti excommunicatus duplici excommunicatione absolui quidem potest ab vna, non facta mentione de altera; licet non possit iustè communicare cum proximo, donec ab omnibus absoluatur, iuxta cap. *ex parte*. & glossam magnam eius receptam in theoria & praxi.[b] Faciunt multa quæ adducit Felinus.[c]

b De senten. excommuni.
c In cap. querelam. de iureiura. & in cap. omnipotens. de accusat. & in cap. 2. de rescript. à num. 3.

2 Quarto, quod præfatum matrimonium valuit, quamuis iniustè fuerit contractum: quia impedimentum incestus, licet impediat contrahendum, non tamen dirimit contractum, secundum omnes, & ita, cum per præfatam dispensationem fuisset sublatum impedimentum secundi gradus consanguinitatis, quod impedit & dirimit; solùm remansit impedimentum incestus impediens, & non dirimens, iuxta tradita in nostro Manual. confess.[d] super quo potest dispensare Episcopus, vt traditur ibidem.[e]

d Cap. 22. nu. 74.
e Num. 75.

3 Quinto, quod filij præfatorũ sunt legitimi; quia nati sunt ex legitimo matrimonio, licet cum peccato contracto, qualia sunt, vt ego arbitror, pleraque matrimonia.

Sexto, quod ad manendum cum salute animæ, corporis, & honoris sufficit prædictis consulentibus legitimè pœnitere, & confiteri, & pœnitentias iniunctas implere, & impetrare dispensationem ab Episcopo petendi debitum à se mutuo, ad hoc, vt suo matrimonio sanctè fruantur.

4 Septimo, quod consultè ac prouidè facient tacenda, & non fatendo incestum illum, quem admiserunt; cuius tamen publicatio non noceret filijs legitimis natis, & negantibus illum, per ea quæ traduntur per Bartholum & alios[f] & alibi sæpe de filio non credente matri dicenti eum esse spurium.

f In l. filium. num. 2. ff. de his qui sunt sui vel alieni iuris.

5 Octauo facit pro consulentibus, quod quando aliquid dependet ex intellectu iuris humani diuerso modo intellecti, non peccat quis insequendo intellectũ grauis auctoris, etiam si ille esset verè falsus, secundũ Innocentium,[a] communiter receptum per Baldum & alios, quos citat Felinus,[b] & ea quæ nos tradidimus nuperrime.[c]

a In capit. per tuas. il 2. de simon.
b In cap. 1. de senten. & re. iud fal. 7.
c In commen. de alienat. rerum eccles. in summa 8. & 15.

Nono facit, quod ante multos annos tenuit Thomas corrector Pœnitentiariæ, qui post fuit Episcopus Ilerdensis, quosdam, qui impetrarunt cõmissionem ad dispensandum, & postea ante dispensationem commiserunt incestũ, non fuisse obligatos ad confitendum illum commissario interroganti, quia fuit occultus & secretus, & eius manifestatio nõ erat ad substantiam dispensationis necessaria, per iura vulgata.

*Aduertendum, casum, de quo in præsenti consilio, differre ab illis, de quibus in duobus præcedentibus consiliis: sed nihilominus referri sacram Congregationẽ inclinasse, & in hoc casu hos ad sedem Apost. pro quibusdam certis literis obtinendis remittendos à iudicibus, antequam in vim priuatarum literarum dispensent. Item aduerte id de quo in 6. dicto in fin. fortè non exigi nisi ad cautelam, vt videtur posse colligi ex cons. sequ. Nec enim videtur necessarium vt qui contraxerunt cum impedimento impediente, & consummauerunt, teneantur impetrare dispensationem ad petendum debitum.*

SVMMARIVM.

1 *Incestus inter consanguineos post literas Apostolicas de dispensando, antequam dispensatio fieret, subsequutus, causat quidem impedimentum impediens, sed nõ annullat dispensationem, nec matrimonium subsequutum.*

CONSILIVM XI.

QVIDAM quarto gradu consanguinitatis sese attinentes decreuerunt contrahere matrimonium; & procurarunt impetrare dispensationem à Papa, & obtinuerunt eam commissariam: antequam tamen dispensatio fieret, cognouerunt se carnaliter, & postea dispensatione consequuta contraxerunt matrimonium, & assequuti fuerunt benedictionem nubentiũ à parocho, qui solus in cõfessione sciebat incestum, & susceperunt prolem. Quæritur quid oporteat eos facere.

1 Videtur respondendum non indigere præfatos consulentes alia dispensatione super præfato impedimento consanguinitatis: sed peccasse, quando contraxerunt non habita dispensatione super incestu à Papa, vel ab Episcopo qui eã dare poterat, sed quia illud impedimentum licet impediat contrahendum, non tamen dirimit contractum, matrimonium remanet legitimum, per multa, quæ non vacat nunc scribere.

*Vide consilium proximè præcedens.*

SVMMARIVM.

1 *Filius fornicationem committens cum cognita à patre. iure diuino grauissime peccat. & plusquam si cum alia. & nu. 4. & si erat patris concubina, non poterat cum illa contrahere matrimonium iure Romano, num. 2. illud propter honestatem prohibente. num. 5.*

2 *Baptismus etsi tollat adulterij peccatũ, attamen secundum aliquos non tollit affinitatem ex illo procedentem: quod tamen non est verum. num. 5.*

2 *Affinitas licet naturali ratione oriri videatur ex illicita copula, tamẽ solo iure canonico est inducta, nu. 3. 7. & 8. ita vt non extendatur ad copulã in infidelitate habitã, n. 6. & 7. & tunc demum oritur, si copula naturali ordine habita fuerit. nu. 4.*

3 *Cognitam fornicariè à patre in infidelitate, conuersam, conuersus filius ducit in vxorem, & num. 6.*

4 *Naturalis iuris non sunt omnia, quæ naturali nituntur rationi, nisi sint per se nota, vel quæ in bona consequentia ex per se notis inferuntur.*

8 *Consanguinitas seu cognatio ex copula etiã illicita iure Ethnico Romano & Pontificio oritur. & num. 8.*

8 *Cognationis impedimentũ, etiã ex illicita copula in infidelitate contractũ, lex canonica ampliauit quo ad postea conuersos.*

8 *Affinitatem ex illicita copula lex canonica decreuit esse impedimentum, vt sic cohiberet fornicationem.*

CONSILIVM XII.

AN qui Iudæus coiuit cum ea, cum qua pater Iudæus coierat, factus Christianus possit contrahere matrimonium cum eadem facta Christiana? Cuius quæstionis decisio videtur pendere ab illa, an nascatur affinitas impediens & dirimens matrimonium ex coitu illicito inter Iudæos & Paganos?

1 Et pro parte affirmatiua facit primo, quod Amos 2. pro grauissimo peccato improperatur, quod pater & filius ad eamdem puellam accedebant;& quod D.Basilius ad Diodorum ex eo inferre videtur,absurdum esse contrahi matrimonium inter filium,& amicam patris,attenta lege diuina; licet non prohibeatur sæculari.

Secundo,quod D.Gregorius,[a] videtur dicere,ordine naturæ fieri incestuosum eum, qui cognoscit cognitam etiam illicitè à cognato suo.

2 Tertio, quod D. Thomas, [b] receptus significat affinitatem naturali ratione inductam, & consequenter apud omnes Iudæos & Paganos inueniri.

Quarto, quod Ioannes Andreas & Cardinalis dicunt, [c] quod per baptismum tollitur adulterium, & non affinitas:per quod præsupponunt ante baptismum nasci affinitatem.

Quinto,quod etiam iure Romano antiquo à Paganis condito videtur nasci affinitas ex coitu illicito, quo ad effectum impediendi nuptias, iuxta l. *liberi.* [d] quæ vetat liberis ducere parentum concubinas:quod affirmat Præpositus in dicta arbore affinitatis sequutus Cardinalem ibi citando & in hoc l. *& nihil interest.* [e] quæ habet nihil interesse, an cognatio descendat ex iustis nuptijs, an non:quod ipsum tenet Panormitanus sequutus eumdem Cardinalem. [f]

3 Pro parte autem negatiua,scilicet, quod nulla affinitas ex solo illicito coitu contrahatur iure naturali,nec veteris legis, nec vllo iure antiquo Romano Ethnico, facit primo, quod textus expresse habet in d. l. *non facile.* [g] affines non esse nisi ex iustis nuptiis,& idem habet textus. [h]

Secundo, quod nullo iure antiquo Romano, nec veteris testamenti probatur,quod non possit quis contrahere matrimonium cum persona cognita carnaliter ab aliquo cognato suo,etiam à patre.

Tertio, quod ex nullo iure naturali illud elici potest: quia id non est per se notum, nec ex per se notis in bona consequentia inferri potest, & consequenter non est iuris naturalis,cum solum tale sit ius naturale,vt est in c. *ius naturale.* [i] & tradit D.Thomas, [k] per totam. [l]

Quarto, quod nullo iure veteris testamenti id conuinci potest, immo ex [m] Leuit. per locum ab speciali probatur contrarium.

Quinto, quod in nullo Bibliorum, vel vllo iuris Cæsarei loco aliquis appellatur affinis ob coitum illicitum: & in d. l. *non facile.* [n] expresse dicitur affinitatem nullam posse prouenire nisi ex iustis nuptijs.

4 Ad opposita respondetur. Ad primum quidem concedendo, quod peior est fornicatio cum amica patris, quàm cum alia: sed negando, quod ex ea nasceretur affinitas ante ius Pontificum.

Ad secundum,quod verba illa, *ordine naturæ*, posita in dicto cap. non significant coitum illum, de quo loquitur, esse incestum iure naturæ,sed tunc demum esse incestum, si copula habeatur ordine naturæ.

Ad tertium, quod non omnia quæ nituntur ratione naturali,sunt iuris naturalis;alioqui omnes leges rationales essent naturales: sed illa tantum, quæ sunt per se nota, vel in bona consequentia ex per se notis inferuntur, vt prædictum est.

5 Ad quartum & quintum respondeo,quod DD. in eis allegati non satis cautè loquuti sunt; nam eorum fundamenta nihil concludũt:non prædicta l. *& nihil.* quia in ea non agitur de affinitate,sed solùm de cognatione,siue parentela;confirmat enim suum dictum ex eo, quod non possit quis ducere sororem vulgo quæsitam; quia licet ex illicito coitu sit habita, cognata tamen, siue consanguinea, & soror eius est. nec etiam prædicta l. *liberi.* Tum quia non habet inter filium & concubinam patris non posse consistere matrimonium ratione affinitatis,sed ratione prohibitionis, qua propter honestatem lex Romana id prohibuit, sicut & inter alios, multos, vt videre est per totum titulum, [o] in quem intellectum inclinat glossa, [p] si satis perpendatur. Tum quia apud Romanos non erat illicitus concubinatus,vt habet expresse textus, [q] & consequenter ibi non interuenit coitus lege Romana illicitus:& ita ad summum solum probare posset ex concubinatu induci affinitatem,qui non contingit in casu proposito,sed quidam coitus illicitus vagus,qui nullo iure Romano Ethnico,nec veteris testamenti probatur impedire matrimonium.

[a] In cap. nec eam.35.qu.3.
[b] In 4.di.41.
[c] In cap.1. de conuer. infidel.
[d] C. de nup.
[e] ff. de ritu. nupt.
[f] In ca.discretionem. de eo qui cognouit consang.vxo. suæ.
[g] §.affines.ff. de gradib.affinit.
[h] In ead.l. §. sciendum.
[i] 1.dist.
[k] 1.2.qu. 90.
[l] Præsertim art.4.
[m] Cap. 18.
[n] §.sciẽdum.
[o] ff. de ritu nupt.
[p] In d.§.affines.
[q] In l. in concubinatu. ff. de concub.

Tum quia lex illa, *liberi.* potest retorqueri pro hac parte; ponderando primo, quod non habet nullos cognatos posse iungi matrimonio cum concubinis suorum cognatorum, sed tantum, quod liberi non possunt iungi matrimonio concubinis parentum. Ponderando secundo, quod illa lex solùm prohibet matrimonium inter filios, & concubinas parentum, non autem inter filios,& alias mulieres,quas etiam vago coitu parentes eorum cognouerunt: & quod de vno definit, de alio negare videtur,[a] saltem quando in alio est diuersa ratio,vt ibi ait Dominicus qualis est inter cõcubinatum,qui iure illo putabatur licitus, & inter vagum coitum, qui non probabatur: leges enim Romanæ Ethnicæ per concubinã significant mulierem in domo retentam,quasi quamdam vxorem, vt colligitur ex l. 1.& d. l. *in concubinatu.* [b] & annotatis ei per Bartholum. Cum ergo lex illa solum loquatur de liberis, & non de aliis aliter cognatis à latere, cumque solum loquatur de concubinis,& non de aliis aliter cognitis, significare videtur non includere omnes cognatos, neque omnes mulieres qualitercumque cognitas;& consequẽter, quod non intendit inducere affinitatem,quam iura Pontificia induxerunt,tam extensam,quam est consanguinitas,seu cognatio.

6 Sunt tamen qui dicant, quod licet ex coitu illicito non oriatur affinitas impediens iure naturali,nec diuino, nec Romano Ethnico,tamen ille coitus illicitus producit post baptismum affinitatem impedientem, & dirimentẽ matrimonium, & confirmant hoc ex illo Pauli. [c] *Qui adhæret meretrici, vna caro cũ ea efficitur.* Sicut cognatio tertij & quarti gradus non impedit matrimonium inter Iudæos & Gentiles, [d] sed post baptismum fit tale impedimentum. Sed contra hos concluditur. Tum eo quod non enti non potest inesse qualitas, [e] ergo ei, quæ non est affinitas, non potest adiici qualitas impediens matrimonium:& consequenter cum nulla affinitas fuerit nata inter Iudæos ex illicito coitu,non potest dici quòd per baptismum eorum fiat affinitas dirimens matrimonium.

7 Tum quia affinitas nascitur ex copula, & non ex baptismo:& ita si ex copula præcedente baptismum non fuit nata affinitas,non potest nasci per baptismũ sequentem. Non obstat eorum fundamentum. Tum quia à separatis non fit illatio:& consanguinitas,siue cognatio est res separata ab affinitate,vt constat ex ipsa rubrica de consang. & affinit.in qua illæ coniunguntur per coniunctionem, *et*, quæ denotat copulata esse diuersa,iuxta glossam. [f] Constat etiã per diuersas arbores cõsanguinitatis,& affinitatis,& per alia innumera. Tum quod non solum sunt separata,sed longe dissimilia: quia omni iure naturali diuino veteris & noui testamenti,& iure Romano Ethnico,& Pontificio nascitur cognatio & consanguinitas ex coitu illicito,vt exprimit prædicta l. *& nihil interest an ex licito,vel illicito oriatur cognatio.* [g]

8 Et ideo non est mirum, quod cognationi iam natæ ante baptismum post illum adiicitur qualitas impediens matrimonium:quia ei quod est, qualitas adiici potest: affinitas autem nullo iure prædictorum,excepto Pontificio,nascitur ex illicito coitu,& ex Pontificio nõ potest ea inter Iudæos nasci,quia non ligantur eo, [h] & ita ei,quod non est ante baptismum,non potest adiici qualitas post illum. Ad confirmationem autem concedimus illud dictum Pauli probare quidem, quod non sine ratione iure Pontificio inducta est affinitas ex coitu illicito contra omnia iura Romanorum,& aliarũ nationum: sed non probat, quod etiam tempore Pauli ex tali coitu nascebatur affinitas,& quod illa ante baptismum nata fiebat impedimentum post baptismum, sicut & homicidium,quod ante baptismum committitur, licet inducat quemdam horrorem, non tamen talem, qui fiat irregularitas post baptismum impediens ordinationem, quæ iuris Pontificij inuentum est,secundum Innocentium receptum. [i] Sic etiam coitus illicitus, qui non producit affinitatem ante baptismum, non producit post illum affinitatem impedientem matrimonium. Confirmatur etiam, eo quod ratio, quare iure Pontificio inducta est affinitas ex coitu illicito, non est, quia ex eo nascantur amicitiæ, cùm ex eo potius separatio & inimicitiæ communiter gignantur, vt palam est; sed illa, quod ius Pontificium fornicationi est valde inimicum: & vt Christianos, in quam sunt proni, arceret ab ea, statuit, vt ex ea oriretur affinitas prædicta, quæ impediret matrimonium, & consequenter fornicationem, qua tolleretur libertas contrahendi matrimonium fornicatori. Salua,&c.

[a] cap. qualis. 25.d.cum suis concord.
[b] ff.de cõcub.
[c] 1.ad Cor.6.
[d] cap.gaudemus.de diuor.
[e] l.si seruum. §.1.ff. de act. empt.
[f] In rub.ff. de iur.& fact.ignor.& in capi. querelam. de sim.
[g] ff. de ritu nupt.
[h] cap.gaudemus.de diuo.
[i] In ca. ad audientiam. de hom.

SVM

*SVMMARIVM.*

*1 Diſpenſandi cauſam quidem præſtant nedum vrgens iuſtaq; ratio,ſeu maior vtilitas,ſed & ignorantia prohibitionis,ſecundo proles habita, tertio diuturnitas matrimonij male contracti,quarto ſcandalum graue, vt mortis euitandæ; quinto miſeria puellæ indotatæ, puta mouens principẽ ad miſerendũ;ſexto minor ætas 18.annorum.n.2.Sed hæc de rigore iuris non ſufficiunt ad diſpenſandum in ſecundo,cum Conc. eam diſpenſationem reſtringat ad ſolos principes, iuncta publica vtilitate. eod.num.2.*

## CONSILIVM XIII.

AN infraſcriptæ quinque cauſæ ſufficiant ad iuſtè diſpenſandum cum quibuſdam ſuper cognatione in ſecundo gradu.

1 Pro parte negante facit illud Cõcilij Tridentini de reformat. matrimonij.[a] *In ſecundo gradu numquam diſpenſetur, niſi inter magnos principes,& ob publicam cauſam.*

Pro parte affirmante facit illud eiuſdem Concilij de reformat.[b] *Si vrgens,iuſtáque ratio,& maior quandoque vtilitas poſtulauerit cum aliquibus diſpenſandum eſſe,id cauſa cognita, ac ſumma maturitate, atque gratis,à quibuscumque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum; aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur.* Prima cauſa,ignorantia rigoris prohibitionis, iuxta illud Pauli,[c] *miſericordiam ſum conſequutus, quia ignorans feci.* Secunda,proles iam habita.[d] Tertia diuturnitas matrimonij male contracti.[e] Quarta,ſcãdalum inde oriundum mortium puellæ,& cognatorũ.[f] Quinta,miſericordia Papę;quia puella eſt pauper, & eam vult iuuenis patruelis honeſtè dotare.[g]

2 RESPONDEO primo,quod huius petitionis & adiectę informationis auctores eruditè ac amicè colligunt cauſas diſpenſandi hoc caſu, quibus addi poteſt minor ætas decem & octo annorum, quæ miſerationem ad pœnam diminuendam inducit.[h]

Secundo, non arbitror illas ſolas ſufficere de rigore iuris quo ad diſpenſandum cum prædictis. Tum quia verba præfati Concilij ſunt præciſa,quatenus continens nullatenus diſpenſandum eſſe in præfato ſecundo gradu, niſi cum principibus, & ob vtilitatem publicam;quorum neutrum concurrit in eo. Tum quia tam S.D.N.quam fe.rec.Pio V.frequenter ita viſum eſt de ſimilibus cauſis.

Tertio,quod ſicut miſericordię Domini non eſt numerus, ita miſericordiæ S.D.N. nemo alius ab ipſomet modum neceſſarium imponere poteſt.[i]

a Cap. 5.ſeſſ. 24.
b Cap.18.ſeſ. 25.
c 1.ad Timot. 1.
d Cap.fin.35. quæſt 8.l.qui in prouincia. §.diuus.ff. de ritu nupt.
e Cap.de gradibus.35.q. 8. & d.l. qui in prouincia.
f Argumẽto cap.qui circa. de conſangui.
g Arg.l. 1. ff. ſolut. matri.
h l.auxilium. ff.de minor.
i Cap.cuncta per mundum. 9.quæſt.3. & cap.propoſuit. de conceſſ.præbend.

*SVMMARIVM.*

*1 Epiſcopus propter ſcandalum diſpenſat ſuper impedimentis occultis dirimentibus matrimonia publicè contracta, ſi non poßit haberi recurſus ad Papam,nec ad eius legatum.*

## CONSILIVM XIIII.

AN Epiſcopus ſuper impedimentis dirimentibus diſpenſare valeat cum ijs,qui de facto matrimonium publicè & in facie Eccleſiæ contraxerunt?

1 Reſpondeo primo, vt diximus in Manul. confeſſ.[k] nos fuimus primi omnium,qui in Academijs Hiſpanię vulgarunt opinionem tenentem Epiſcopum poſſe diſpenſare in impedimentis etiam dirimentibus matrimonium, quando impedimentum eſſet occultum, & matrimonium publicum, & ſeparatio magno ſcandalo foret, & non poſſet, vel nonniſi cum magna difficultate haberi recurſus ad Papam,vel Legatum eius,propter paupertatẽ,aut alia legitima impedimenta.

Secundo, quod non poteſt dari certa regula de concurrentia prædictorum neceſſariorum ad hoc, vt Epiſcopus huiuſmodi poteſtate vti poſſit, ſed relinquitur arbitrio viri prudentis,iuxta l.1.[l] & cap.*de cauſis.*[m] Salua,&c.

k Cap. 22. n. 85.
l ff de iur.delib.
m De off.deleg.

*SVMMARIVM.*

*1 Dotis incompetentia tam mulieris nubendæ,quam eius ſororum,etiam per tertium ſupplendæ,cauſam ſufficientem præbet diſpenſandi,vt conſanguineo nubat.& num.2.3.& 5.*

*2 Paupertas parentis, quæ narratur pro obtinendis diſpenſationibus in gradibus prohibitis, attenditur etiam habito reſpectu ad hoc quod non poßit filias competenter iuxta ſuam conditionem dotare.& num.6.*

*3 Preces principis nudæ etſi fortè non videantur ſufficiens cauſa diſpenſandi in gradibus prohibitis; attamen ſi dictæ preces fundentur ſuper iuſta cauſa,ſecus erit.& num.4.*

*3 Diſpenſatione ad preces aliorum obtenta, modo cauſæ expreſſæ ſint veræ,vti poſſunt ipſi diſpenſati.nu.4. & 7.*

## CONSILIVM XV.

INSTANTE quadam vniuerſitate,& Regia Maieſtate, Pontifex diſpenſauit cum quadam M. vt poſſet nubere ſuo conſanguineo, ex eo quod quidam F.volebat nedum dictam M. competenter dotare, ſed & alias eius ſorores in certum euentum dotare, quas I. earum pater non poterat ſecundum ſuum gradum competenter dotare. Dubitatur an diſpenſatio ſit legitima,& ſit tutus in conſcientia.

1 Ad hanc quæſtionem reſpondeo primo,quod ſua Sanctitas mota fuit ad diſpenſandum per prædictas cauſas. Primo quidem,quod ait illas ſibi fuiſſe expreſſas, & conſtat eas eſſe notabiles,& magni momenti ad diſpenſandum in his ſecundum ius & etiam ſtylum Curiæ.

Secundo, quod ſua Sanctitas ponderat indigentiam præfati I.etiam quo ad dotem præfatæ M. qualitatis ponderatæ, quod ſcilicet non poterat dare ei idoneam dotem ad nubendum ſine hac diſpenſatione.

Tertio,quod etiam ponderat quod præfatus F. dotat præfatam M.in decem millibus ducatis: quod arguit aliquam indigentiam ſui patris.

3 Quarto,quod etiam ponderat quod præfatus F. promittit dotare alias quatuor filias in certo euentu: quod etiam præſupponit indigentiam patris ſui ad onera tam grandia.

Quinto, quod etiam ſua Sanctitas ait quod oppidum Victoriæ,& maieſtas Regia propter pręmiſſa mota ſunt ad exorandam præfatam diſpenſationem: ita quod preces Regis præſupponunt indigentiam præfati I. ad dotandum omnes ſuas filias decenter.

4 Sexto,quod non ait ſua Sanctitas ſe diſpenſare ſimpliciter ob preces Regiæ maieſtatis,ſed ob preces præfatæ Victoriæ,& Regiæ maieſtatis,fundatas ſuper dote decem millium, quam præfatus F. conſtituit præfatæ M. & ſuper onere dotandi decenter alias filias,& ſuper promiſſione F. dotandi eas in certum euentum.

5 Septimo denique,quod ſua Sanctitas reſpondit Illuſtriſſimo D.Legato,quod inclinaret ſe ad diſpenſandum,ſi præfatus F. ſe obligaret ad dotandas alias filias præfati I. & quod dato conſenſu ad obligandum ſe ad id in certum euentum, diſpenſauit.

Per quæ proculdubio nobis videtur diſpenſationem præfatam fuiſſe fundatam ſuper indigentia præfati I.ad dotandas decenter ſecundum ſtatum ſuum præfatam M. & alias filias.

6 Secundo reſpondetur,quod præfatum breue fideliter & prudenter eſt impetratum, eſtque conforme ad memorialia ex Hiſpania miſſa:quia illa multis modis,vt prædictum eſt, ſignificant indigentiam præfati I.ad dotandas filias ſuas decenter:& licet in eis non dicatur,nec appelletur pauper expreſsè, appellatur tamen tacitè & æquipollenter: & non refert quid de æquipollentibus fiat:neque in præfato breui appellatur ſimpliciter pauper, ſed cum additione ad dotandas tot filias ſecundum ſtatum ſuum. Nec debet ſua dominatio reputare id ſibi eſſe dedecori, cùm id paſſim contingat nobilibus viris ſuæ conditionis,& magnis principibus,& dominis.

7 Tertio reſpondetur, quod diſpenſatio præfata eſt valida, & ſine vllo ſcrupulo poſſunt vti ea per eam diſpenſati,ſi præfatæ cauſæ, ſuper quibus dicta diſpenſatio; ſicut & preces Regiæ,& Victoriæ fundatæ fuerunt,ſunt veræ.

*SVMMARIVM.*

*1 Subreptitia eſt diſpenſatio matrimonialis,in qua narratum fuit oratores ignoraſſe impedimentum,cum vnus ſciret: nec propter indiuiſibilitatem prodeſt ignoranti; immo ſi poſtea ſciuit,vterque eget vt reualidetur.*

## CONSILIVM XVI.

QVÆRITVR,an diſpenſatio de contrahendo matrimonio non obſtante quarto gradu conſanguinitatis, cum ſupplicatione quod ignorantes impedimentum contraxerunt matrimonium, valeat, ſi vir ſciebat vel ſcire tenebatur impedimentum, quod tamen fœmina penitus ignorabat.

1 Respondeo primo decisionem huius quæstionis pendere ab illa, an ignorantia impedimenti fœminæ efficiat vt ipsa & vir dicantur ignorasse impedimentum, & puto quod non, & quod vir indiget reualidatione dispensationis: & quia id iam scit mulier, indigebit & ipsa. Secundo, quod dispensatio prædicta non prodest viro, nec per quamdam consequentiam vxori propter indiuisibilitatem & vnionem huius matrimonij.

## DE FRIGIDIS ET MALEFICIATIS.

### SVMMARIVM.

1 *Diuortij sententia etiam quo ad vinculum si ob veram probatã perpetuam impotentiam sit lata, valet; secus si sit lata ob presumptam; nisi prius coniuges per triennalem cohabitationem probentur impotentes: alter autem licentiati conuolantes ad alia matrimonia tenentur ad primum redire, & dictum triennale experimentum facere. num. 3.*

2 *Impotentia coeundi ex maleficio procedens potest esse quo ad duos inter se tantum: vnde horum vterque, lata sententia diuortij, & licentiati possunt iustè alia inire matrimonia.*

4 *Papa ex causa potest matrimonium ratum, modo non sit consummatum, dissoluere, ita vt vterque ad alias possit conuolare nuptias.*

## CONSILIVM I.

CAROLVS & Anna matrimonium inter se contraxerunt, & cum simul per aliquod tempus minus triẽnio cohabitassent, nec illud consummare valuissent, ab ordinario ob illorum impotentiam per sententiam impetrarunt, vt scilicet Carolus cum alia, & similiter Anna cum alio matrimonio iungi possent, prout factum est, ex quo filios vterque procreauit. Dubitatur, an iustè in secundo matrimonio perseuerare possint, attento quod sententia præfata videtur iniusta ex eo, quod vterque cum alio, vel alia filios habuit.

1 Respondeo sequentia. Primum, quod sententia diuortij lata inter Carolum & Annam non videtur fuisse iusta: quia non videtur fuisse verè probata impotentia, cum per consequutum matrimonium constet vtrunque illorum fuisse potentem. nec etiam fuit probata impotentia præsumptiuè, quia ad id requirebatur cohabitatio triennalis sine facultate coëundi, per cap. *laudabilem.* & cap. vlt.[a] & notata in cap. *fraternitatis.*[b] iuxta resolutionem receptam communiter Panormitani in eiusdem capp.

a De frigo. & malef.
b Eod. tit.

2 Secundo, quod possibile est, quòd inter Carolum & Annam interuenit verum impedimentum perpetuum maleficij, non obstante quod vterque illorum habuerit potentiam coëundi cum alijs: quia potest quis maleficio impediri quo ad vnam personam, licet non impediatur quo ad aliam, argu. cap. *si per sortiarias.*[c] & colligitur ex notatis à Panormitano & alijs vbi supra: sed non est presumendum tale impedimentum, nisi præcedente cohabitatione triennali sine facultate coëundi.

c 33. qu. 1.

3 Tertio, quod per nullum remedium iuris ordinarij possunt iustè remanere, vt nunc de facto iniustè remanent, nisi redeundo prius ad cohabitandum per triennium, & experiendum impotentiam, & iurandum illud cum septima manu, vt dicitur in dicto cap. *laudabilem.*[d]

d Et dict. cap. vlt.

4 Quarto, quod potest dari remedium extraordinarium dispensationis Papalis, secundum illam opinionem omnium purè Canonistarum, & eorum qui sunt Canonistæ simul, & Theologi, immo & aliquorum paucorum purè Theologorum, ex quibus est Caietanus quos nos quoque referimus, & sequimur in Manual. confess.[e] secundum inquam illam opinionem, quę habet posse Pontificem Maximum dissoluere iusta de causa matrimonium ratum, & non consummatum: quandoquidem matrimonium inter eos contractum non fuit consummatum, vt in facto proponitur: & satis iusta videtur esse causa prædicta. nam & in simili casu dispensauit sua Sanctitas quo ad forum conscientiæ cum multis. Verum tamen est, quòd illi, quibus cum dispensauit, contraxerunt occultè, hi autem publicè: & ita videri potest alicui facilius potuisse dispensare cum illis, quam cum his. sed quia illi contraxerunt mala fide, & nulla sententia diuortij prius inter eos lata, hi autem bona fide, & sententia diuortij prius lata, satis potest dici esse par ratio, saltem ad dispensandum quo ad forum conscientiæ tantùm.

e Cap. 22. nu. 21.

### SVMMARIVM.

1 *Publicatis testibus, etsi saltem super eisdem articulis alij non sint recipiendi testes; hoc tamen fallit, quando deponitur per artis propriæ peritiam. & nu. 25.*

2 *Testiculis ambobus carẽs etsi generare non possit, nec semẽ emittere, matrimonium tamen contrahere potest, modo possit virginem deflorare, seu cùm muliere coire. n. 3. vt sic coëundo possit in se ipso & muliere sedare copulæ appetitum, aliàs secus. 11. 16. 20.*

2 *Seminis commixtio non est de essentia matrimonij, modo mulier possit membrum viri recipere, & vir ita intromittere, vt sibi ipsis in desiderio copulæ satisfaciant, illud sic sedando. nu. 12.*

3 *Matrimonium cum sit viri & mulieris coniunctio indiuiduam vitæ vnitatem continens, eo debent animo illud contrahentes contrahere, vt intendant cũ coniugibus habitationem indiuiduam & perpetuam facere, & nu. 4. hoc tamen ad illud contrahendum non sufficit; cum alia requirantur, vt est quod personæ sint habiles. num. 14.*

4 *Copula non est de essentia matrimonij, actualis inquam, secus est de potentiali, quę necessario requiritur, n. 7. & 14. immo etiam actualis per commixtionem seminum actualem, vel potentialem requiritur ad hoc, vt sit consummatum. num. 8.*

5 *Impedimentum perpetuũ impotentiæ vsque ab initio matrimonij contracti patientem, etsi alter possit diuertendo relinquere, cum tale non sit matrimoniũ, n. 9. & 12. concedi tamen eis volentibus potest, vt tamquam frater & soror cohabitent, n. 5. cum omni inquam castimonia, abstinentes se ab omni immunditia, n. 10. ab osculisque, & tactibus impudicis. nu. 15.*

5 *Cohabitatio maris & fœminæ, qui verè coniuges non sunt, periculosa cẽsetur; vnde nec concedenda, nisi personarum qualitas excludat suspicionem peccati. num. 14.*

6 *Senes etsi generare non possint, possunt tamen matrimoniũ contrahere; & hoc modo possint ita erigere, vt possint mẽbrum in vas mulieris immittere, ita vt appetitum copulæ hinc inde sedari valeat. num. 15.*

8 *Consummatio matrimonij copulam actualem, & commixtionem seminũ actualẽ, vel potentialẽ requirit, vt sic repræsentare possit indissolubilem Christi & Ecclesiæ coniunctionem.*

11 *Spadones, quorum multæ sunt species, illi valide contrahunt matrimonium, qui etiamsi semen non emittant, ita tamen valent coire, vt appetitus seu ardor copulæ in vtroque sedari valeat.*

13 *Seminis mutuam commixtionem ad matrimonij consummationem necessariam esse, nullibi cautum esse videtur.*

17 *Matrimonij nullitatem post prolem natam, & pro sua tractatam, proponens vir prætendens se vsque ab initio impotentem fuisse, non est audiendus. & num. 23.*

18 *Legitimi ex iuris præsumptione reputantur filij nati ex cohabitantibus in figura matrimonij. licetque contrarium possit probari, attamen ad id probandum non debent admitti parentes, qui eosdem vti proprios filios nominauerunt.*

19 *Confessio etsi possit tamquam erronea probato errore reuocari; fallit, si versaremur in errore facti proprij, qui nisi alia concurrant, non excusat: & tanto minus est admittendus, si velit allegare suam turpitudinem. nu. 23.*

20 *Confessioni coniugum non statur in his, quæ per partes non sunt inducibilia, vel remissibilia.*

20 *Coeundi impotẽtia, ad effectum, vt matrimoniũ declaretur nullum, non probatur ex carentia testiculorũ, modicitate mẽbri, & ineptitudine ad generandum: sed nec ex præsenti impotentia argui potest quod affuerit etiam tempore contracti matrimonij. num. 21.*

22 *Speciali & indiuiduo effectui, qui dicitur subsequutus, magis adhærendum, quam generali regulæ contrariũ dictanti, vnde si in casu hoc speciali reperitur hunc generasse, huic effectui magis inhærendũ, quã generali regulæ asserẽti tales nõ posse generare.*

23 *Generales regulas multos fefellisse & fallere reperitur: vnde specialibus magis adhærendum.*

23 *Virginis matrix, etiam claustris pudoris minime fractis, potest semen recipere, & ita concipere.*

24 *Medici in suis regulis sæpe falluntur, sicut & oculi & manus ipsarum obstetricum inspiciẽtium integritatem, & alias mulierum dispositiones.*

## CONSILIVM II.

POSTQVAM B. spado cũ L. circiter annos xiiij. tamquam cum sua legitima vxore cohabitauerat, & filios susceperat, & longo tempore tamquam suos & à se genitos in

domo

domo sua educarat, coram ordinario Episcopo comparuit, & petijt prædictum matrimoniũ nullum & inualidum fuisse & esse declarari, eo quod nunc & tempore contractus erat, & fuerat ad copulam impotens: medici & in materia periti, dato ab ordinario iuramento, tria testati sunt: Primum, quod d. B. carebat omnino testiculis: Secundo, quod illius genitale membrum maius dimidio digiti auricularis non erat: Tertio, quod propterea nunc erat, & fuisse à natiuitate constabat ad generandum inhabilem.

Quærit modo iudex quid agere debeat in re tam graui, vbi agitur de honore personarum, & filiorum legitimatione: maximè cũ dicta L. petat ante sẽtẽtiã alios adhiberi peritos.

Duo dubia videntur in hoc casu concurrere. Alterum est, an prædictę L. petitio, qua petit, vt alij peritiores & in arte periti consulantur ante diffinitiuam sententiam, sit admittenda, necne?

Alterum, an nihilo alio probato, quàm quod supra dictum est, debeat iudicari præfatum matrimonium validum, necne?

1 AD PRIMVM DVBIVM respondeo, prædictam petitionem debere admitti: quia licet testes non sint admittendi regulariter post publicationem testium super iisdem saltem articulis, iuxta cap. *fraternitatis.* [a] cum multis aliis citatis à glossa & doctoribus vtrobique & alibi sæpe; fallit tamen prędicta regula in testibus deposituris per artem & peritiam, vt est textus satis expressus in ca. *causa.* [b] & tradunt ibi Baldus Panormitanus & Felinus, [c] quæ recepta conclusio est.

AD ALTERVM DVBIVM respondeo, quod ante paucos menses respondi ad aliam quæstionem ex Hispanijs ad me missam, quæ profectò digna erat Papali decisione: quod responsum cum suo casu, quia in eo tanguntur multa huc pertinentia, ad verbum subscribam, & post illud huic respondebo.

*Sequitur responsum prædictum cum suo casu ex Hispania transmisso.*

QVIDAM carens testiculis 18. abhinc annis contraxit matrimonium cum L. in facie Ecclesiæ: & antequam huiusmodi matrimonium contraheret, consuluerunt officialem ecclesiasticum illius loci, si, stante quod vir ipse carebat testiculis, poterat contrahere matrimonium: qui officialis respondit posse cõtrahere, ex eo maximè, quia vir ipse eam deflorauerat, & aliquibus vicibus ante contractum matrimonium habuerat copulam carnalem cum ipsa muliere, quia erant concubini: & tam ipse; quam mulier dixerunt prædicto officiali, quod ille erat potens ad copulam & commixtionem carnalem sexuum, & quod emittebat aliquod semen, quamuis parum, & ineptum ad generandum. Sed quia nunc aliqui curiosi imposuerunt illis scrupulum asserentes prædictum matrimonium esse nullum ex eo, quia carens testiculis est incapax ad generandum, & quod similes homines de iure non possunt contrahere matrimonium, prout creditur, quod tenent omnes Theologi & Canonistæ: tamen Medina, [d] & frater Ildefonsus de Veracruz, [e] tenent, tales homines, licet careant testiculis, posse contrahere matrimonium. Ideo desideratur valde pro eorum tutiori conscientia consilium excellentissimæ dominationis vestræ.

1 Quæstio hæc satis magna est in specie, in qua proponitur, & longè maior mihi fit propter opinionem prædicti D. Michaëlis à Medina, cui consulens videtur inniti. Quapropter dicam primo quid mihi videtur de prædicta opinione, & deinde quid in specie de hac proposita quæstione.

Opinio prędicta prędicti Reuerẽdissimi patris, eiusdemque eruditissimi viri habet in summa, verum matrimonium posse contrahere cuiuslibet generis spadones; ita quod illa, quæ cum aliquo eorum contraxerit, etiam postquam resciuerit illum non posse ita cum ea coire, vt emittat semen, & fiat seminum commixtio intra vas genitale, potest licitè cohabitare illi, & possunt ambo se osculari, amplexari, & condormire in vno lecto, & commiscere quoquo modo honestius potuerint, tamquam veri coniuges: quamuis teneamus illud matrimonium non dici cõsummatũ, nec ex eo oriri affinitatẽ, & quod Pontifex Maximus posset illud auctoritate sua maxima dissoluere, sicut alia matrimonia rata non consummata.

2 Pro qua facit primo glossa, [f] quatenus habet vtroque testiculo carentem posse contrahere matrimonium: quod videtur probari in l. *si serua.* [g] Nec obstat, quod glossa in princ.

a De testibus. clement. 2. eo. tit.
b De probat.
c In c. fraternitatis. nu. 8. de testib.
d In lib. de cælibatu.
e In speculo coniugiorum.
f In ca. hi qui 32. qu. 7.
g §. si spadoni. ff. de iure dotium.

intelligat illum §. de spadone habente saltem vnum testiculum. Tum quia est sine textu, & contra legem generaliter loquentem, quæ debet generaliter intelligi. [a] Tum quia in fine dicit quosdam tenere spadonem posse contrahere, etiam si generare non posset. Nec obstat l. *Pomponius.* [b] quam doctissimus Dominicus Sotus ait limitare prædictum. §. *si spadoni.* Non enim id facit, vt ex eis collatis palam est: sed potius probat dicendum esse generaliter, spadonem nõ esse morbosum, quia spado vnum testiculum habens non est morbosus.

Secundo, quod vir & vxor pari iure sunt in hac materia censendi, [c] & fœmina apta est ad matrimonium, siue seminet, siue non, modo sit apta ad patiendum copulam viri, secũdum Innocentium communiter receptum, [d] ergo & vir siue possit emittere semen, siue non, modo possit immittere membrum genitale intra membrum genitale fœminæ.

Tertio, quod non videtur vllo iure caueri, quod de essentia copulæ carnalis sit seminis cõmixtio. nam cap. vlt. [e] quod ad hoc citat Panormitanus, [f] quem illud citantem prædictus Sotus & alij sequuntur, non probat illud: non enim habet, quod ille adolescens, de quo agitur, immiserit membrum virile in membrum fœmineum, & quod non potuit seminare, sed solùm quod non potuit carnaliter cognoscere; quod ob aliam causam potuit contingere.

3 Quarto, quod vix reperitur spado potens deflorare virginem, qui aliquale semen nõ emittat, etiam si sit ineptus generationi, vt aliqui medici affirmant: ergo poterit matrimonium contrahere.

Quinto, quod definitio matrimonij, nempe coniunctio viri & mulieris indiuiduam vitæ societatem continens, posita Instit. *de patria potest.* [g] & relata à Gratiano, [h] conuenit spadonum matrimoniis: siquidem spadones contrahentes matrimonium eo animo cõtrahunt, vt faciant cum suis coniugibus habitationem indiuiduam & perpetuam, vt palam est.

4 Sexto, quod ad essentiam matrimonij non requiritur copula carnalis, siue coitus, sed sufficit consensus in mutuã eamdemque perpetuam & indiuiduam cohabitationem. [i] Vnde & inter sanctissimam Virginem matrem, & sanctissimam Ioseph fuit verum & perfectum matrimoniũ, [k] quicquid Gratianus sentiat, [l] contra quem tenet D. Thomas communiter receptus. [m]

5 Septimo vrget, quod Lucius Papa, [n] & Cælestinus, [o] expresse faciunt facultatem conuiuendi eis, qui propter impedimentum perpetuum alterius vel vtriusq; possunt iustè separari, si etiam postquam sciuerũt illud, voluerint sibi mutuo cohabitare perpetuo, & iuri suo discedendi ab impotenti renunciare, quam non videntur vllatenus potuisse iustè facere, nisi coniunctiones illæ vera matrimonia essent, propter probabile periculum peccandi mortalitèr imminẽs eis conuiuentibus in tam coniuncta societate sine vinculo coniugali, arg. cap. *interdixit.* [p] & multorum quibus regulariter vetatur cohabitatio marium & fœminarum non coniunctorum matrimonialiter: quia periculosa est hæc non coniugum maris & fœminæ cohabitatio. [q]

Octauo, quod communiter DD. simpliciter docent, senes, qui vt plurimum non possunt coire, & minus generare, posse verum matrimonium contrahere.

6 Nono, quod matrimonium non solum fuit institutum ad generandam prolem, sed etiam ad euitandam fornicationem, vt latè docet Gratianus, [r] allegando illud Apostoli. [s] *Propter fornicationem habeat vnusquisque suam vxorem.* At licet matrimonium spadonis non possit dirigi in finem prolis habendæ, potest tamẽ in finem fornicationis vitandæ. Nec obstat, quod tria sunt bona matrimonij, nempe fides, proles, & sacramentum. [t] Quia ad veram essentiam matrimonij non requiritur quod ex eo proles habeatur, [v] alioqui inter steriles non esset matrimonium, nec fuisset inter Virginẽ matrem & S. Ioseph: quorum vtrumque est falsum. [x]

7 Contra tamen hanc Medinæ opinionem faciunt multa: & in primis, quod communis opinio fere omniũ tam Theologorum, [y] quam etiam ibi nouissime sequitur Sotus, [z] quam Canonistarum, [a] tenet, quod impotens ad copulam est impotens ad matrimonium contrahendum.

Secundo facit, quod licet sine consecutione carnalis copulæ actualis possit esse verum matrimonium, secundum opinionem communem, quale fuit inter Virginem matrem & Ioseph; nõ tamẽ potest esse absque copula potentiali. Impossi-

a l. de pretio. ff. de publ. in rem act.
b §. spadone. ff. de ædil. edi.
c Ca. intelleximus. & ca. tua. de adult.
d in c. fraternitatis. de eo qui cog. cons. vxor. suæ.
e De spons.
f In cap. 2. de frigid. & malef.
g In principio
h 27. q. 2. §. 1.
i l. nuptias. ff. de reg. iuris cap. sufficiat. 27. qu. 1.
k Ca. B. Maria. ead. cau. & quæst.
l In cap. sufficiat. §. si ergo. & in ca. quod autẽ. §. ecce. 27. quæst. 2.
m In 4. sententiarum disti. 30. qu. 2. ar. 2.
n In cap. consultationi.
o In cap. laudabilem. de frigid. & malef.
p 32. dist. cap. in omnibus. 81. dist. & ca. 1. de cohabit. cleric.
q Cap. definimus. 18. qu. 2.
r In cap. sicut non. §. 1. 32. q. 2.
s 1. ad Corin. 7.
t Cap. omne 27. qu. 2.
v Cap. B. Maria. ea. causa, & quæst.
x d. c. B. Maria.
y In 4. di. 34.
z Qu. 1. art. 2. post conclusionem quartam.
a In cap. 2. & 3. de frigid. & malefic. & d. cap. fraternitatis. de eo qui cog. consang. vxo.

bilitas enim coëundi, & habendi copulam, reddit matrimonium nullum.[a]

Tertio facit illud.[b] *Et erunt duo in carne vna.* id est, fient quodammodo vna persona ex carnis copula, vt exponit D. Thom.[c] & sentit Gregorius,[d] & ita necessaria est carnis copula actualis, vel saltem potentialis, ad hoc, vt valeat matrimonium.

8 Quarto facit, quod ad hoc, vt sacramentum matrimonij significet indissolubilitatem coniunctionis Christi ad Ecclesiam, requirit coniunctionem sexuum, vt ait Augustinus,[e] aut carnalem copulam, secundum Papam Benedictum,[f] ergo sine carnali copula, vel commixtione sexuum, quod videtur fieri per commixtionem seminum actualem, vel potentialem, non potest consistere matrimonium.

a ca. quod autem. §. ecce. 27. quæst. 2.
b Genes. 2 & Matth. 19.
c In d. cap. 19.
d In d. ca fraternitatis. 35. quæ. 10. de eo qui cog.
e In ca. nō est dubium. & in ca. cum societas. 27. qu. 2.
f In capit. lex diuina ead. caus. & quæ.

9 Quinto irrefragabiliter videtur facere, quod si post contractum matrimonium constiterit, non posse illud copulam carnalem consequi, dissoluendi sunt coniuncti; & ei qui fuerit ad copulam habilis, danda facultas cũ altera persona contrahendi,[g] quod fieri non posset, si verum matrimonium inter eos intercessisset; cùm, secundum omnes, matrimonium ratum, etiam nondum consummatum, sit indissolubile in hunc sensum, quod iuxta fere omnium Theologorum sententiam non potest solui quo ad vinculum, nisi per professionem alicuius religionis probatæ, etiam per dispensationem Papæ: & licet secundum Canonistas possit per hanc dissolui, non tamen debet id fieri sine maxima causa.

g ca. fraternitatis. cap. fin. de frigid. & malefic. & c. decreta. 27. qu. 2.

10 Sexto, quod friuolum videtur dicere, Pontifices illos Max. & grauissimos, Lucium, & Celestinum,[h] dum his, qui ob impedimentum perpetuum dissoluuntur, faciunt facultatem conuiuendi vt frater & soror, voluisse dicere, quod possent cohabitare in vna domo, condormire in vno lecto, osculari, amplexari, & alia omnia munia cõiugum sibi mutuo reddere, excepta copula, quam non possunt habere: eiusmodi enim cohabitatio longè aliena est à cohabitatione fratrum & sororum, quæ debet esse castissima, & ab omni impudicitia aliena, vt palam est. Et ad argumentum, quo Medina ad id asserendum nititur, quodque ipse grauius supra muniui, mox respondebitur. & mea sententia satis est cuiuslibet eruditi modesto animo ad id credendum, quod omnes, qui super ea re vsque ad Medinam scripserunt, tam Theologi, quam Canonistæ, ita illa duo responsa duorum illorum sanctissimorum Patrum intellexerunt. Quare nos quoque hanc, quę fere omnium est, opinionem sequimur, & suscipimus.

h In cap. 2. & 3. de frigid. & malefic.

11 Non obstant pro contraria opinione adducta. Ad primũ enim respondeo, quod spadonum multa sunt genera, & species,[i] & concedo non solùm spadonem, qui vnum testiculum habet, posse contrahere matrimonium, sed etiam qui nullum habet, etiam si sint thlasiæ, quibus testes fracti sunt, siue thlibiæ, qui eos habent attritos, modo arrigere collem & virgam, & coire possint, iuxta prædictas duas glossas in argumento citatas. quod etiam eruditissimus Alciatus tradit,[k] in quod me mouet maximè, quod ex medicorum respõsis didici, per huiusmodi spadonum coitum sedari, siue tolli, vel vitari tentationem, & periculum fornicandi tam in viro, quàm in fœmina; etsi non tantùm, quantùm, si vterque de more aliorum seminaret. aiunt enim spadonem sic arrigere & coire potentem, etiam si nihil seminis immittat in vuluam mulieris, exsiccare tamen illum humorem vtrinque seminarium, ita vt eo exonerentur. & consequenter huiusmodi matrimonium consequitur illum finem, in quem est institutum, quatenus est remedium. Nego autem, alios spadones, siue sint castrati, qui penitus non erigunt, siue quia naturaliter sine testibus geniti sunt, siue quia ante pubertatem omnino exscissi, siue sint thlasiæ, siue thlibiæ, si nequeant arrigere, neque coire intra vas debitum, ita vt prædictum est contrahere posse.

i l. spadonum generalis appellatio est. ff. de verb. sig.
k In d. l. spadonum.

12 Ad secundum concedo in eo assumptum, & quod matrimonium contractum cum fœmina nihil seminante, potente tamen recipere semen viri intra suam vuluam seminantis, est verum matrimonium, & eadem ratione contractum inter fœminam seminantem, & spadonem potentem intra vas debitum illam ad id prouocare, ita quod etiam ipse per illam prouocationẽ exsiccet suum humorem, quo calefit, & sedet suam tentationem, & passionem. ex hoc tamen non sequitur idem dicendum de alijs spadonibus, & fœminis ad coëundum prædicto modo impotentibus: quia longe alia in eis ratio aliud, vt palam est, suadet.

13 Ad tertium conceditur, ad consummationem matrimonij non esse necessariam seminum viri & mulieris commixtionẽ; quia id nullo iure efficaciter probatur, præsertim quod D. Thomas,[a] post Aristotelem,[b] quorum vtrumque late refert Caietanus,[c] dicit, semen fœminæ esse quid imperfectum in genere seminis, & ideo de se non esse aptum generationi, nec necessario requiri ad conceptum, sed sufficere & requiri coitum supradicto modo habitum.

a 3. par. q. 31. art. 5. ad 3.
b Lib. 1. de generat.
c 2. 2. qu. 154. art. 12.

Ad quartum cõceditur, spadonem, de quo loquitur, posse contrahere, vt ad primum est dictum.

14 Ad quintum respõdetur, definitionem matrimonij non esse intelligendam de coniunctione cuiuscumque viri & fœminæ, sed tantùm illorum, qui habẽt legitimas personas contrahendi: & negatur omnes spadones habere tales personas, vt dictum est ad primum, per argumenta pro parte negatiua adducta.

Ad sextum concedimus non requiri ad essentiam matrimonij carnalem copulam actualem coniugum, sed bene potentiam eorum ad eam habendam.

Ad septimum respondetur concedendo Pontifices illos Maximos in eo citatos facere facultatem conuiuendi, de qua in eo; sed negando non potuisse eos eam cohabitationem iustè facere: nam licet regulariter cohabitatio virorũ cum fœminis sit periculosa, frequẽter tamen non est talis, vt cum cognatio valde propinqua tollit periculum, iuxta cap. *in omnibus.*[d] vel cum deuotio & virtus animorum ab eo liberat, argumento cap. *quod Deo pari.*[e] quatenus probat non solùm iustè, sed sanctissimè sibi mutuo cõuiuere posse coniuges, qui voto abstinendi à venereis pari consensu se astrinxerunt: vel ætas, vel morbus, vel aliquid aliud huiusmodi, cui innitentes facile possunt conuiuere, vt frater, & soror, vel vt pater, & filia, & patruus, & neptis: fatemur autem multos coniugatos esse adeo iuuenes, adeo infirmo, & in venerea propensos, & à virtute, animi abstinentia, & deuotione in Deum, & virtute castitatis & pudicitiæ alienos, vt non deberent ipsi tali facultate vti, nec vt vterentur permitti: sicut neque cum est suspicio de lapsu, & lubricitate, permittitur etiã clericis cohabitatio cum fœminis etiam primi vel secundi gradus.[f]

d 81. di. cap. à nobis. de coh. cler. & mul.
e 33. quæst. 5.
f cap. 1. de cohabit. cler. & mul.

15 Ad octauum respondetur, concedendo, senes contrahere posse regulariter, esseque personas ad id faciendum legitimas: si tamen essent omnino impotentes, non deberent contrahere, secundum illam Scoti, quæ sua subtilitate digna est, sententiam,[g] qui subdit, nonnullas, quæ cum senibus contrahunt, potius desponsare diuitias, quàm personas, licet ei Medina repugnare videatur. Illi autem senes per superius dicta dicendi sunt impotentes, qui nec generare, neque adeo arrigere possunt, vt immittere queant genitalia membra in mulierum vuluas; qui ideo non deberẽt, nec possunt inter se contrahere; & si contraherent, matrimonia essent inualida: ideoque non licere eis impudicè osculari, amplexari, & minus ad se polluendum prouocare; cùm non liceat etiam iustis coniugibus prouocare ad pollutionem extra vas & modum ordinarium, & ipsi non possint intra vas debitum ordinario modo se polluere.

g In 4. sentẽ. dist. 34. qu. 1. ad 2.

16 Ad nonum concedimus matrimonium esse institutum, quatenus est remedium, ad vitandam fornicationem, & ita concedimus valere matrimonium contractum à spadone, qui licet non possit generare, nec mittere semen in vuluam mulieris, potest tamen cognoscendo eam intra vas, & ordinario modo, facere vt tollatur vel sedetur appetitus vtriusque ad habendam copulam carnalem conceptus, qui ad fornicandum posset incitare.

Circa igitur primum, videlicet opinionem admodum reuerendi patris eiusdemque viri doctiss. fratris Michaëlis à Medina, videtur dicendum in summa, eam esse partim amplectendam, & partim relinquendam, vt ex prædictis colligi potest.

Circa verò secundum breuiter dico, matrimonium, de quo est quæstio, esse mea sententia validum, & non posse quo ad vinculum diuidi: quia vir est eius generis spadonum, qui possunt contrahere; cum vxorem, quam habet, deflorauerit, & illa adeo appetitui commiscendi se viro satisfecerit, vt elegerit cum eo contrahere; & ipsa patiendo intra vas debitum coitum eius ordinarium, etiam sedet appetitum ipsius viri: eo maximè, quòd in facto præsupponitur eum aliquale semen emittere potuisse, hoc enim ex prædictis circa primum

efficaciter

efficaciter inferri videtur.

*Sequitur responsum ad primo propositam secundam quæstionem principalem.*

17 PRÆMISSO igitur tenore prędicti respõsi, respõndeo ad secundum principale dubium, quod nihilo alio probato, quàm eo, quod in facto proponitur, proculdubio iudicandum est prædictum matrimonium fuisse & esse validũ, ab eo qui sequeretur opinionem prędicti doctoris à Medina, vt palam colligitur ex eo: sed quia illa nullatenus videtur tenenda, per prædicta: respondeo, quod ad iudicandum prædictum matrimonium non fuisse, nec esse validũ, plurimum vrget cõclusio illa, quę desumitur ex tenore responsi pręmissi; scilicet, non posse consistere matrimonium inter illas personas, quarum altera non habet potentiam coëundi cum altera. & prædicti medici iurati, & artis periti attestati fuerũt tria, videlicet, quod carebat omnino testiculis, & membrum virile non erat maius quam dimidium digiti auricularis, & quod ob hæc est, & fuit ad generandum prorsus inhabilis.

Sed pro contraria parte, nempe, quod prædictum matrimonium est validum, facit primo confessio vtriusque, tam B. quàm L. qui ambo tractando, nominando, & educando prędictos duos filios intra domũ suam magno tempore tamquam filios suos à se genitos, per quamdam consequentiam confessi sunt habere potentiam coëundi, immo & generandi. cùm enim habere filium necessariò præsupponat potentiam coëundi, & generandi; qui vel quę confitetur se patrem, aut matrem alicuius, necessario cõfiteri videtur se habere, vel habuisse potentiam coëundi, & generandi,[a] & ideo prędicti B. & L. qui confessi sunt toties & tanto tempore prędictos esse filios suos, non debent audiri negantes id; nec consequenter B. qui negat eos esse filios suos, iuxta c. *per tuas*[b]. & l. *generaliter*[c] vnde illud desumptum fuit.

18 Secundo facit, quod etiam si ipsi negarent, tamen prędicti filij pręsumuntur esse sui; quia filius natus ex nupta viuente cum suo marito pręsumitur filius eius[d].

Tertio, quod non obstat dicere, quod potest probari cõtra pręsumptionem, qua quis pręsumitur esse filius alicuius vt dicta l. *filium* probat efficaciter: quia in nostro casu vltra prędictã pręsumptionem concurrit confessio ipsius B. contra quam non debet audiri, vt prędictum est.

19 Nec obstat, quod confessio facta per errorem potest reuocari probato errore, vt est in l. *nõ fatetur*[e] & glossa recep.[f] quia illud intelligitur de errore facti alieni; quia error iuris non excusat,[g] nec error facti proprij,[h] nisi concurrentibus certis circumstantiis, vt traditur in locis prædictis, & in ca. *præsumitur.*[i] Et in hoc casu, si quis erat error facti, ille erat proprij facti, videlicet, de impotentia coëundi, & non concurrit aliqua de prædictis circunstantijs. ergo non licet illi ea reuocare.

20 Quarto, quod non obstat dicere quod non est standũ confessioni coniugum confitentium vel negantium aliquid, quod non est inducibile, vel remissibile per consensum partium, iuxta mentem glossæ[k] & declarationem Panormitani:[l] & in hoc casu videntur prædicti coniuges confiteri aliquid, quod non est inducibile consensu partium contra matrimonium; eo quod, confitendo se habere filios, confitebantur se habere potentiam coëundi, & generandi, quæ non erat inducibilis per cõsensum partium. Non inquam hoc obstat. Tum quia potentia coëũdi & generandi non est de essentia matrimonij, secundum prædictam opinionem Medinæ, quam si teneremus, vt prædixi, omnia essent plana: sed quia diximus eã non esse tenẽdã, alia ratione dico nõ obstare, nẽpe quod nõ probat se impotẽtẽ ad coëũdũ. nõ enim hoc dicunt medici, solùm enim testantur tria supradicta in argumento pro contraria parte formato, videlicet quod caret omnino testiculis, & quod membrum eius genitale non est maius quam dimidium digiti auricularis, & quod prorsus ineptus est ad generandum. quæ tria non concludunt necessariò non fuisse illi potentiam coëundi, vt in præmisso responso probatum est: cum secundum omnes inueniatur spado, qui careat vtroque testiculo, & arrigat virgam, adeo vt virginem deflorare possit; qualem posse contrahere matrimonium, etiã si generare nequiret, in prædicto præmisso consilio[m] firmiter tenendum probauimus.

21 Quinto facit, quod fieri potest, quod à tempore contractus matrimonij vsque in diem inspectionis medicorum

a Arg. l. illud. ff. de acqui. hared & ca. praterea. de offi. deleg.
b De probat.
c ff. de nõ numer. pecu.
c Leg. filium. ff. de his qui sunt sui vel al. iur.
e Dig. de confess.
f In cap. fi. de confess.
g Ca. ignorãtia. de reg. iu. lib. 6.
h Cap. ab excommunicat. de rescrip. & leg. quisquis. C. de rescind. vend.
i De reg. iur. lib. 6.
k Cap. super eo. de eo qui cogno. cõsangui. vxo. sua.
l In cap. iurauit. nu. 4. de probation.
m Num. 3.

A fuerit B. mẽbrũ genital contractum, sicut Sulpitius testatur in vita sancti Martini fuit. viro sancto contractum suum, adeo vt tempore suę mortis deretur membrum infantis: & quod verisimile est membrum udore medicorum præsentium contractius, quàm aliàs app uisse: & certum est eiusmodi membrum appetitu coëũdi c factum crescere, & in aliquibus plusquã in duplũ, vel ampliu & ita potuisse coire.

Sexto, quod nec medici, nec B. dicu um non habuisse potentiã seminãdi, & verissimile est eu litũ seminare, cum alioqui nullatenus potuisset credere dictos filios fuisse suos, nec continere iram, qua moueretu occidendum vel accusandum L. aut certè ad petendũ diu propter adulterium.

B Septimo, quod nihil obstat dictum medicorum, qu habet, eum qui caret testiculis, non posse generare: quia tentia generandi non est de substantia matrimonij, sed solũ potentia coëundi: alioqui inter steriles, etiam coire potentes, & seminantes, non posset consistere matrimonium, quod est contra omnes.

22 Octauo, quod potius est standum ei, quod videmus in specie, siue in indiuiduo effectum, quàm ei, quod in genere definitur non esse effectum, vel fieri non posse.[a] Ita quod à regula generali, immo & vniuersali, discedimus in casu, in quo in specie inuenitur contrarium, siue casus ille specialis pręcedat, siue sequatur,[b] & sic videtur in hoc casu particulari

C recedendum à regula illa generali medicorum dicentium, carentem vtroque testiculo non posse generare; eo quod videmus in particulari filios natos, & educatos longo tempore ab vtroque parẽte, & habitos & nominatos ab eis pro filiis suis, sicut & frequentissimè multi ęgroti, quos medici per suas regulas generales definiũt nullatenus à suis morbis vnquã liberãdos, immo & quã citissimè morituros, sanã tur, & liberãtur.

23 Nono, quod licet probatio prędicta sufficeret ad impediendum matrimonium contrahendum inter prędictum B. & L. & etiam ad dissoluendum contractum, si non haberent filios: tamen cum videat Ecclesia eos multo tẽpore esse confessos habere filios, & agnoscere & tractare illos pro filiis, & matrem eorum idem etiam nunc facientem, & quod est tam

D honesta, quod numquam de illa est conquestus B. & quod frequenter quę iudicantur steriles, fiunt pręgnantes; & multæ ante legem Euangelicam, & post illam senio confectę, & centũ ac plures annos natę genuerũt filios; & quod idẽ Deus est, & gubernat nunc, qui olim; credendum profectò videtur potius euentibus & gestis in specie & indiuiduo, quàm regulis generalibus, quę multos fefellerunt, & fallunt non solùm medicos, sed etiam ipsammet Ecclesiam, iuxta capit. *à nobis.*[c] capit. *fraternitatis.*[d] quatenus habet, ob euentum, qui nonnumquam contra peritorum in arte regulas euenit, mutari iudicium etiam Ecclesię. Facit, quod regulariter nulla virgo manẽs virgo, fit pręgnans, & tamẽ interdum cõtigit virgines

E concipere sine violatione claustri pudoris ex semine viri circum illud effuso, testante id D. Thoma.[e]

Decimo, quod magis videtur credendum prędictę L. dicenti habuisse copulam cum B. & ex eo genuisse filios, quam B. Tum quia vxores solent petere communiter separari à viris impotentibus coire, & non contra viri impotentes ab vxoribus potentibus, vt experientia docet, & est argumentum ca. fin.[f] & cap. *proposuisti.*[g] Tum quia ipse multo tempore idem fuit verbo & facto confessus. Tum quia suam turpitudinem videtur allegare, contra cap. *cum super.*[h] quandoquidem cõsequenter videtur confiteri se peccasse contrahendo cum L. & abutendo ea, & non confitendo illa peccata confessario,

F vel sine vlla emendatione communicando corpori & sanguini Domini: per responsum enim pręmissum[i] constat huiusmodi impotentes in his omnibus peccare.

24 Vndecimo facit, quòd hanc partem tenendo solũ credimus contra illam regulam medicorum, quod carens vtroque testiculo non potest generare: tenendo autem contrariam, crederemus contra multas regulas naturales, diuinas & humanas, nempe prędictam fœminam honestam toties & tanto tempore adulteratam fuisse, & B. patronum adulterij fuisse, & filios adulterinos & spurios esse, & parentes eorum tanto tempore mentitos fuisse, & in tam graui peccato perseuerasse contra tot regulas iuris naturalis, diuini, & humani, contentas in cap. fi.[k]

Nõ obstat argumentũ pro parte opposita formatum: quia

a Cap. gener. de reg. iur. li. 6. & leg. in toto. ff de reg. iur.
b Leg. sed & posteriores. ff. de legib. & gloss. l. sciendũ ff. qui satisd. cog. adiuncta alia in authẽ. offeratur. Co. de lit. contest.
c [illegible] de sẽ. exc.
d De frigid. & malefic.
e Quodlib. 6. art. 18.
f De frigid. & malef.
g De probat.
h De concess. preben. & c. inter dilectos. de donat.
i Numer 5. 8. 10. & 15.
k De presu. ca. 2. de regulis iuris in 6. l. merito. ff. pro socio. & alijs [illegible]libus.

satis superq; diluitur in quinto & sexto argumētis, in quibus ostenditur, quod medici supradicti nō deponunt prędictum B. caruisse potentia coëundi, immo neque potentia seminandi sed tantùm caruisse testiculis, & potentia generādi: & per responsum præcedens,[a] constat esse spadones carentes vtroque testiculo, qui possunt coire; & quod potentia generandi non est de essentia matrimonij, sed solùm potestas coëundi. & in sequentibus fundamentis ostenditur credendum esse in hoc casu particulari propter multas circumstantias in eo concurrentes, quod in B. fallit illa regula medicorum, quę habet carentem testiculis non posse generare, sicut, vt ait Cyprianus,[b] sæpe manus, & oculi obstetricum, & pari ratione aliorum artis peritorum falluntur: & frequenter experimur multas eorū regulas in multis casib[9] cōtra sua prognostica fallere. & in prædictis fundamentis,[c] responsi præmissi probatur, quod ad solum iudicandum hoc matrimonium validum, non est opus defendere B. potuisse generare, sed solùm potuisse coire, hoc est membrum suum genitale immittere in vas genitale vxoris, quo se, & vxorem saltem ex parte exoneraret appetitu coëundi, siue fornicandi modo ibi prædicto.

a Num. 3.

b In cap. nec aliqua. 27. q. 1.

c Num. 13. & 16.

25 RESPONDENDVM igitur videtur ordinario consulenti, partes ipsius esse accipere alios medicos physicos, vel aliàs artis peritos, quos prædicta L. ad id duxerit eligendos non obstante publicatione aliorum testium: & si quid maioris lucis pro ea, vel pro B. allatum fuerit, illud diligenter perpendere, iuxta omnia supradicta: quod si nihil aliud probatū fuerit vltra id, quod in facto narratur, declarare prędictum matrimonium fuisse de se validum, & nullatenus eius dissolutionem esse faciendam. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Spado ad copulam omnino impotens potest remanere in coniugio de facto contracto, vti frater & soror, non vtendo delectatione carnali.*

2 *Impotentia coëundi est impedimentum etiam dirimens matrimonium.*

## CONSILIVM III.

QVIDAM spado, cui Turcę omnia virilia absciderunt, ita quod nec virga nec testiculi remanserunt, contraxit matrimonium cum Christiana id sciente, & monita. Quæritur, an possint remanere in coniugio tamquam frater & soror.

1 Respondetur id, quod nos diximus in Man. confess.[d] videlicet, quod posset quidem remanere vt frater & soror nullatenus vtendo delectatione carnali, sed non vtendo illa per oscula, tactus vel amplexus, præsertim se polluendo.

d Cap. 22. nu. 60.

2 Quia id numquam licet facere extra coniugium legitimum, quale non est hoc ob impedimentum impotentiæ coëundi, quod secundum omnes est impedimentū non solum impediens, sed etiam dirimens: quod ipsum etiam nunc absque scrupulo affirmamus.

# DE MATRIMONIO CONTRACTO CONTRA INTERDICTVM ECCLESIÆ.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium alicui ad tempus prohibere ex causa potest Papa, immo & sua lege aliquod genus personarum inhabilitare: certas autem personas suo interdicto inhabilitare, indignum, & sine exemplo esset. nu. 2.*

2 *Parocho, & Episcopo interdicere, ne tali intra tale tempus volenti contrahere præsentiam suam præstent, nec alij præstandi licentiam faciant, si subsit causa iudicio boni viri rationabilis, iustè potest Papa. & nu. 3.*

3 *Fascinationis factæ timor iusta causa videtur vt prohibeatur parocho, & Episcopo, ne tali volenti contrahere intra tale tempus præsentiam præstent.*

## CONSILIVM I.

QVIDAM iuuenis filius nobilissimę ac illustrissimæ familiæ, vt prætenditur, fascinatus, vult inuito eius patre cum muliere vilissima matrimonium contrahere, non sine maximo eius familiæ dedecore. Quæritur modo, si ab eius patre iustè potest impetrari à summo Pontifice motus proprius, per quem filio prohibeatur, ne per annū absque patris voluntate contrahat; & si contraxerit, sit irritum & inane; ad hoc vt infra tale tempus videatur, si orationibus mediantibus, ab huiusmodi fascinatione liberari possit, adeo quod in se reuersus, quod sibi & suæ familiæ conuenit, faciat.

A

1 Respondeo primo, certum esse circa hanc quæstionem, quod Papa sūmus Christi Vicarius potest iusta de causa matrimonium interdicere alicui vsque ad aliquod tempus, vt satis probat totus titulus *de matrim. contract. contra interdictum Ecclesiæ.*

Secundo, huiusmodi interdictum inducere quidem impedimentum impediens matimonium contrahendum, sed non dirimens post contractum: vt ibidem probatur.

Tertio, constare quod Papa potest facere legem, qua aliquod genus personarum fiat inhabile ad contrahendum, vt colligitur ex tit. de consang. & cognat. spirit. & nouissime ex[a] Concilio Tridentino.

a Cap. 1. de refor. matr. sess. 24.

B

2 Quarto, rem sine exemplo esse, quod Papa per suum interdictum particulare duas personas alioqui habiles faciat inhabiles ad contrahendum inter se matrimonium, ita vt contractum sit nullum, & ita mea sententia indignam quæ petatur, & indigniorem quæ concedatur,[b] cui consequens prędictum motum proprium non debere peti, neque concedi.

b Arg. cap. legatur. 24. q. 2. & ca. si habet. 24. qu. 3.

Quinto, quod videtur iustè & honestè interdicere posse Papam cuipiam parocho, & ordinario, ne interessent, præsentesve essent, neve facerent facultatem, siue licentiā alteri presbytero, vt possit illi interesse, censuras, & alias pœnas imponendo eis, si contra fecerint; modo iusta causa id prohibendi subesset. Tum argumento cap. final.[c] Tum quia habet potestatem summam prohibendi peccata, & occasionem eorum, vt in hac ipsa materia satis exprimitur in prædicto tit. *de matrim. contract.* & ca. *præterea*,[d] accepta tamen prius informatione de iustitia talis causæ prohibitionis temporariæ.

C

c De clande. despōs. & Cl. 1. de consang.

d De sponsal. & prædicto c. fin. de clā. desponsa.

3 Sexto, quod prædicta fascinationis suspicio proueniens ex tanta imparitate personarum, & ex tanto tantæ familiæ dedecore, & ex tāta pertinacia iuuenis diuitis & nobilis in deligēdis nuptiis adeo indecoris, & timor quod pœnitentia, quæ illos de more consequetur, possit esse occasio, vt illa vel ferro occidatur, vel veneno, videntur iustæ causæ, vt S. D. N. prohibere dignetur sub censuris & pœnis grauissimis parocho prædictæ mulieris, qui nunc est, & qui mutato domicilio foret, & ordinario eius, ne interessent huiusmodi nuptijs, nec alijs presbyteris facultatem in eis interueniendi facerent intra annum ad effectum pium in quęstione propositum: quia quę causa in hoc iusta sit, cum non definiatur à iure, arbitrio prudentis & boni viri definiendum est.[e] Salua, &c.

D

e Leg. 1. ff. de iur. delib. & c. de causis. de offic. dele.

*Aduertendum tamē temporibus nostris Papam ex causa prædicta consimili inhabitasse quandam Illustriss. personā ad contrahēdū cū quadā muliere: itemque & quendam alium, qui vt eluderet sponsalia de futuro, pro quibus lis mouebatur, tentabat cum alia cōtrahere matrimonium de præsenti. Timebātur enim in vtroq; casu non leuia scandala.*

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium ne quis cum hæretica contrahat potest Papa præcipere, nisi aliquæ particulares circumstantiæ contractum adeo iustum facerent, quod redderet tale præceptum iniquum.*

E

2 *Papa licet possit inhabilitare ad contrahendum matrimonium certas personas, inter quas iure naturali, diuino, & humano, tenet aliàs matrimonium contractum; an tamen conueniat, non facile est iudicare.*

2 *Doctrinæ generales circa moralia non sunt adeo veræ communiter, ac circa naturalia.*

3 *Prohibitiones matrimoniorum non sunt facile faciendæ propter facilem transgreßionem.*

4 *Leges etiam generales, quæ præiudicant alicui particulari, solent dici iniustæ, & non ligare.*

## CONSILIVM II.

F

VTRVM Papa possit præcipere propter bonum publicum, ne quis ducat vxorem hæreticam, irritando matrimonium, si fortè post præceptum contraheretur?

1 Respondeo primo, quod pōt præcipere ne contrahat, iuxta intellectum verum cap. *caue*, & cap. *non oportet*,[f] nisi aliquę circumstantiæ conditionum, personarum, locorum, vel temporum contractum adeo facerent iustum, quod redderet præceptum iniquum.[g]

f 28. qu. 1.

g Argu. capi. non semper. & ca. qui resistit. & cap. Iulianus. 11. q. 3.

2 Secundo, quod mea sentētia nō debeo respondere huic quæstioni, quatenus per eam quæritur generaliter, an summus Pontifex possit addere huiusmodi præcepto clausulam, qua reddat aliquam certā personā inhabilē ad contrahendum cū aliqua alia certa persona, inter quas iure naturali, diuino, &

humano

humano recepto & seruato tenet matrimonium cōtractum.

3 Tum quia est quęstio vaga & generalis, quali raro respondent Iurisconsulti respondentes potius ad praxim, quàm ad disputationem, eo quod doctrinæ generales circa moralia non sunt adeo verę communiter, ac circa naturalia, vt ait S. Thomas.[a] Tum quia non memini legisse apud aliquos, qui testarentur aliquem Summum Pontificē id vmquam tentasse: & ideo licet in ea essem opinione, quod de absoluta potestate posset hoc facere, non tamen facile mihi persuaderem, quod conueniret, vt pręciperet fieri hoc ętate nostra, in qua multi (proh dolor) multa etiam vetera pręcepta eius ęgrè suscipiunt.

4 Et non solum pręcepta particularia, sed etiam generales leges, quę præiudicant alicui particulari, solent dici iniustę, & non ligare, vt colligitur ex c. cū omnes. & notata ibi per Feli.[b]

a In prin. 2. 2.
b Num. 1. & seq. consi.

## QVI FILII SINT LEGITIMI.

### SVMMARIVM.

1 *Legitimatio Imperatoris non se extendit ad spiritualia.*

2 *Dispensatio ad quæcunque beneficia data illegitimo, dum esset sæcularis, restringitur ad sæcularia, nec se extendit ad regularia, etiam si dispensatus postea fiat regularis.*

3 *Professio in religione approbata tollit irregularitatē procedētem ex defectu natalium quo ad susceptionem ordinum; sed non vt possit habere dignitates, seu prælationes.*

4 *Dispensare censetur Papa eo ipso, quod inhabili scienter confert beneficium, alij autem inferiores, licet habeant potestatem dispensandi, tamen ob hoc non censentur dispensare, nisi expressè dispensent.*

5 *Lex mandatum-ve Papæ & dispositio non trahitur ad præterita perfectè acta, etiam si plenum adhuc non sint sortita effectum, sed effectus dependeat à futuro euentu, nisi ex verbis dispositionis legis vel præcepti aliud insinuetur.*

### CONSILIVM I.

REGVLARIS quidam, cùm laicus esset, ab Imperatore fuit legitimatus, & ab Apostolico Nuncio ad ordines sacros & quæcunque beneficia ecclesiastica fuit dispensatus; postea religionem approbatam ingressus, & professus est, & beneficia & dignitates ordinis est adeptus. Quæruntur tria. primò, an tuta conscientia illa retinere valeat virtute talis dispensationis.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo primo, legitimationem Imperatoris; nihil profuisse prædicto consulenti religioso quo ad habendum dignitates ecclesiasticas regulares, immo neque sæculares: quia nec Imperator; nec Rex possunt legitimare, nec habilitare quemquam ad spiritualia beneficia, & dignitates, &c. vt habetur in cap. *lege.*[c] vbi expresse glossa recepta ab Archidiacono, & vtroque Cardinali ibi, & ab omnibus.[d]

2 Secundo, quod dispensatio facta à Nuncio non monstratur; & ideo non potest satis certo responderi, an illa dispensatio extenderetur ad prædictas dignitates, & administrationes regulares, nec ne,[e] sed verisimilius videtur, quod nō prodest ei quo ad beneficia, dignitates, & administrationes regulares; arg. cap. *cum de beneficio.*[f] ex quo Dominicus, & Francus in vltimo notabile colligūt, quod verbum qualificatiuum additum in literis beneficialibus; quod potest denotare qualitates diuersas, intelligitur de qualitate congruente personæ impetranti: & quia consulens adhuc erat laicus sæcularis, quando obtinuit dispensationem à Nuncio ad beneficia, videtur illa intelligenda de beneficiis sæcularibus, & non de regularibus.

3 Tertio, quod ex his sequitur, cum indigere alia dispensatione maiori, qua possit habere beneficia regularia, vel dignitates, & administrationes regulares. Nec obstat, quod defect⁹ natalium, & irregularitas ex eo procedens tollatur per professionem legitimam in regione factam, per ca. 1.[g] quia id intelligitur, vt in eodem cap. exprimitur, quo ad ordines sacros, nō tamen quo ad dignitates & prælationes.

c 10. dist.
d In cap. per venerabilē. qui filij sint legitimi.
e Arg. l. inciuile. ff. de legi.
f Sub finem de præb. lib. 6.
g De fil. pres.

SECVNDA QVÆSTIO. quæritur, cum religiosi facultatem, seu priuilegium habeant, vt possint cum illegitimis ad beneficia & officia ordinis obtinenda dispēsare, an saltē eligendo, cōferēdo, seu prouidēdo censeantur dispēsare.

4 Respondeo, quod prælati prędicti consulentis nō potuerunt eum admittere ad prælationes & dignitates sui ordinis, nisi pręuia dispensatione, etiam si prędicti pręlati habuissent potestatem dispensandi, & sciuissent eius defectum: quia licet Maximus Pontifex conferendo aliquam dignitatem ei, quem nouit esse inhabilem ad [illegible]m, videatur dispensare tacitè conferendo eam ei, inferior ta[m]en habentis potestatem dispensandi non videtur ob hoc di[spe]nsare, nisi expressè dispenset, iuxta duo dicta singularia Inn[oc]entij, quorū alterū posuit in cap. *veniens.*[a] & alterum in cap. *di[ver]sis fallacijs.*[b] quæ in specie contraria secundum hanc distinctio[ne]m cōciliantur à Panormitano in prędictis locis, quem etiam [...] t alios nos sequimur in Man. confes.[c]

TERTIA QVÆSTIO, si Pap[a ...] viuæ vocis oraculo mandet Generali ordinis, [m]otu proprio & [...] admittat illegitimos ad dignitates, an per huiusmodi decre[tum ...] dispensatio antea obtenta sit reuocata.

5 Respondeo primo, facilè videri posse cuipiam, [...] huiusmodi viuæ vocis oraculum factū Reuerendissi[mo ...] nec [G]enerali, nec breue idem continens directum toti ordini, [...] [præ]iudicat prædicto consulenti. Tum quia lex non trahitur [ad] præterita.[d] Tum quia cap. *statuimus*,[e] quod disponit, quod canonicus maior in ordine præferatur minori, non præiudicat antea receptis, qui iam quæsierunt pręcedētiam.[f] Tum quia forma data testamētis faciēdis non cōprehendit testaméta iá facta, etiam si testatores eorum viuant, & nondum sint sortita effectum,[g] & eadem ratione habilitatio illegitimi ad dignitatem iam facta, licet nondum sit sortita effectum, non videtur tolli propter statutum, & minus propter mandatum de non admittendis illegitimis ad dignitates. Tum quod videtur casus in specie in cap. *ex tua*,[h] quatenus probat, quod literæ Apostolicę pręcipiētes, vt filijs presbyterorum tollantur Ecclesię, quas patres eorum immediatè tenuerunt, non pręiudicant filijs presbyterorū, qui dispēsatione Apostolica facti habiles tenent eas. Tum ob alia multa, per quę cōcluditur, quod pręterita perfectè acta non tolluntur per dispositionem sequentem, etiam si effectus eorum pendeat à futuro euentu, vt Panormitanus, Imolensis, Felinus & omnes concludūt,[i] & colligitur ex Barthol o & alijs.[k]

Secundo respondeo, quod quia tenor prędicti oraculi viuę vocis facti, vel breuis idem continentis, potest esse varius, & talis quod pręiudicaret prędicto consulenti, & talis quod non pręiudicaret illi, non possum ipse respondere quidquam certum, nisi mōstretur illud, vel eius copia, quod non fit in quęstione proposita.

a De fil. pres.
b De cleric. coniug.
c Ca. 25. nu. 74.
d [C]ap. fin. de [...] lege
e L. legi.
f Luxi... eod. tit.
g Leg. in[ter] mus. C. de testam. cum ei annot.
h De fil. presbyt.
i In d. ca. fin.
k In l. omnes populi. q. 5. de iustitia & iure.

### SVMMARIVM.

1 *Filij ex matrimonio nullo, rite tamen in facie Ecclesiæ contracto & durante amborum, vel alterius coniugis ignorantia nati, sunt legitimi.*

2 *Papa, immo nec Deus, potest facere, vt factum, non sit factum, & num. 10. licet possit fictionem & præsumptionem in contrarium inducere.*

3 *Papa sacramentū sine his quæ sūt de eius essentia facere nequit.*

3 *Cōsēsus verus, & liber viri ac mulieris est de essētia matrimonij.*

4 *Papa nequit quæ sunt de sacramenti essentia supplere.*

4 *Matrimonium inter inhabiles contractum non ratificatur per solam Papæ dispēsationem, sine nouo contrahentiū consensu.*

5 *Resuscitatus ad suam vxorem sine nouo matrimoniali consensu redire nequit.*

5 *Papa stupor mundi, nec Deus est, nec homo.*

6 *Papa, quidquid fieri potest lege humana, potest per se ipsum.*

6 *Papa, & Imperator sunt canones, & leges animatæ.*

7 *Papa plusquam consuetudo & priuilegium potest.*

7 *Consuetudine induci potest, vt nati ex matrimonio putatiuo bona fide aliquo certo tempore continuato sint legitimi.*

8 *Papa ex causa legem naturalem & diuinam limitare, & desuper in aliquo occurrenti casu dispensare valet.*

9 *Papa leges suas & prædecessorum reuocare potest, cum omnibus effectibus ab eis productis, modo non processerint virtute iuris naturalis, vel diuini, num. 11. nec reseruati Deo, aut Regi sæculari. nu. 12. 14.*

12 *Legitimat nequaquam Papa natos extra terras Apostolicas, nisi simul dispensando in radice matrimonij.*

13 *Leges super matrimonio latas, quatenus humanæ sunt, potest Papa ita cum suis effectibus reuocare, vt fingatur eas non latas; & effectus ab ipsis producti, quatenus eius subiiciuntur potestati, non essent producti. & nu. 14.*

15 *Papa sine magna & iusta causa legem suam de non contrahendo in quarto gradu cum effectibus subsequutis reuocando peccat, sed valet actus.*

15 *Papa plenitudine potestatis sine magna causa vti non debet.*

*15 Papa non potest licite sine magna causa ob scandalum quod aliàs sequeretur suas leges etiam habentes clausulam (scandalo non obstante) reuocare, nec in damnum rerum temporalium suorum subditorum, & num. 16.*

*15 Papa non potest suas leges cum scandalo populi reuocare.*

## CONSILIVM II.

AN PAPA possit facere, vt post mortem alterius coniugis putatiuę, quę verè non erat coniux ob impedimẽtum consanguinitatis, vel affinitatis, filij incestuosi fiant legitimi, approbando matrimonium inter ipsos, perinde ac fieret, si ambo viuerent, & approbaretur à sua Sanctitate.

Quęstio hęc est maxima, & maximo dignissima cothurno, quam quo ad vtrumque forum paulo latius, sed quam breuissime fieri potest tractabo.

1 Respondeo igitur primo, quod filij, qui nati fuerunt antequam vterque coniugum sciret impedimentum, sint legitimi absque vlla Papę dispensatione: quia ignorantia impedimenti parentum vel alterius eorum efficit legitimos filios, si matrimonium contraxerunt factis legitimè denunciationibus debitis, & nullo denunciatore apparente, vt clarè probatur in cap. 2. & in cap. *referente.* & cap. *ex tenore.* adiunctis suis glossis communiter receptis,[a] & cum in casu proposito matrimonium fuisset contractum seruata forma Concilij Tridentini, & quod præmissis denunciationibus nemo denũciauit impedimentum, si vterque parentum vel alter eorum verè ignorabat impedimentum, certum est filios eorum ante scientiam impedimenti natos esse legitimos.

2 Pro parte negante, scilicet quod filij, qui concepti & nati fuerunt postquam vterque parentum sciuit impedimentum, non possunt legitimari per S.D.N. ita vt sint legitimi à tempore, quo fuerunt cõcepti, & nati, per approbationem matrimonij factam à sua Sanctitate post mortem alterius parentũ, facit primò quod non potest eius Sanctitas facere, vt quod factum est, non sit factum, iuxta l. *in bello.*[b] & cap. *si Paulus.*[c] vbi D. Hieronymus ait etiam Deum ipsum non posse id facere: quia implicat cõtradictionem, vt declarat D. Thomas,[d] qui[e] reddit rationem sui dicti clariorem, quod licet Papa & Imperator inducere possint fictionem aut præsumptionem alicuius actus, qui verè non fuit factus, vt fingatur, vel præsumatur esse factus, iuxta cap. *is qui.*[f] & tradit Bartholus,[g] & ponendo exemplum de l. *postliminium.*[h] fingente redeuntem ab hostibus non fuisse captum; & de lege Cornelia fingente captum ab hostibus mori cum capitur ab eis: non tamen posse efficere, quod verè non fuerint capti: quia non possunt facere, quod duo verè cõtradictoria sint vera, vt tradit S. Thomas vbi supra.

3 Secundo, quod non potest facere Papa, vt aliquod sit verum sacramentum à D. N. Iesu Christo institutum, nisi concurrãt ea quæ sunt de substantia & essentia sacramẽti, per ea, quæ omnis turba doctorum Theologorum tradit,[i] & probatur in cap. *veniens.*[k] tradit S. Thomas receptus:[l] & ita per nullam potestatem humanam potest effici verum sacramentum Eucharistiæ sine vero pane, & vero vino, neque sacramẽtum baptismi sine vera aqua, nec consequenter verum matrimonium sine vero consensu viri & mulieris: quia sicut panis verus, & vinum verum sunt de essentia sacramenti Eucharistię, & aqua vera de essentia baptismi, ita consensus verus viri & mulieris est de essentia matrimonij,[m] & non qualis qualis cõsensus, sed liber.[n] Sicut ergo Papa, qui potest efficere quod aliquid præsumatur esse sacramentum Eucharistiæ, vel baptismi, vel ordinis, tamen non potest efficere vt aliquid sit verè vnum horum sacramentorum sine his quæ Christus Deus voluit esse de essentia eorũ, ita licet possit inducere præsumptionem, qua putetur aliquid esse sacramentum matrimonij,[o] non tamen potest efficere, vt id quod coram Deo non est sacramentum matrimonij, sit tale verum coram hominibus.

4 Tertio, quod Papa non potest supplere consensum requisitũ, vt post Ioannẽ Andreã tradit Panormitanus,[p] quos etiam nos post alios sequuti sumus in Man. confess.[q] insinuando rationem eam esse, quæ iure naturali & diuino ad substantiam matrimonij requiritur. Sed & Franciscus Aretinus tenet,[r] quod matrimonium contractum inter inhabiles non ratificatur per solam dispensationẽ Papę, sed oportet vt nouo consensu post dispensationem nouè cõtrahatur, quod in casu nostro fieri non potest.

5 Quarto, quod mors omnia soluit,[a] & consequenter matrimonium, adeo quod Lazarus resuscitatus non potuisset de iure accedere ad suam vxorem; si quam habuisset, & reliquisset viuam, non contrahendo nouè matrimonium, iuxta glossam solemnem.[b]

Pro parte affirmante, scilicet, quod potest facere Papa per suam dispensationem & dispositionem, vt per matrimonium prædictum fiant filij legitimi, facit primo illud poëtæ Anglici relatũ à glossa,[c] *Papa stupor mundi.* & infra, *nec Deus est, nec homo, sed neuter inter vtrumque.* pro quo est cap. *cuncta per mundum,*[d] & cap. *proposuit.*[e]

6 Secundo, quod quidquid potest fieri iustè per canonem humanum, potest fieri per Papã, cùm ipse sit pater & auctor canonum,[f] immo etiam canones viui iuxta, cap. *ipsi sunt canones.*[g] per quod addit ibi glossa summos Pontifices esse canones animatos, sicut & Imperator est lex animata.[h] At posset generali canone statui, vt filij eorum, qui bona fide certo numero annorum permanserint in matrimonio aliàs legitimè contracto per ignorãtiam probabilem, sint legitimi, sicut statutum est, vt sint legitimi filij, quorum pater vel mater bona fide putauit matrimoniũ, ex quo geniti sũt, esse verũ, iuxta supradicta:[i] quia talis canon non esset cõtra ius naturale, neque diuinum. ergo etiam Papa potest per suam dispensationem id facere, cùm qui potest facere quod est plus, possit facere quod est minus, per reg. *cui licet quod est plus, & quod minus est licebit.*[k]

7 Tertio, quod Papa plus potest facere, quàm consuetudo, etiam immemorabilis, & priuilegium, vt palam est. At cõsuetudine immemorabili & priuilegio induci potest, quod in aliqua prouincia, vel in aliquo genere hominũ sint legitimi filij nati ex matrimonio putatiuo bona fide, aliquo certo tempore continuato: quia hoc non est contra legem naturalem, neque diuinam. ergo etiam id potest efficere Papa.

8 Quarto, quod Papa potest limitare iusta de causa legem naturalem, & diuinam, & dispensare circa illas iusta de causa in aliquo casu occurrenti, vt tradunt Innocentius & omnes[l] per l. *Lucius.*[m] & Papa dispensat iusta de causa super omni voto, licet illud iure naturali obliget, immo etiam in solemni castitatis, faciendo monachum verum, qui vouit tria substantialia religionis vota, habilem ad coniugium, secundũ Innocentium à Canonistis receptum,[n] & etiam Caietanum contra S. Thomam,[o] tanta est eius potestatis plenitudo, vt monstrãt illa plurima, quę citat Felinus.[p]

9 Quinto, quod glossa putata singularis,[q] recepta communiter habet tantam esse plenitudinem potestatis Papæ, quod potest reuocare omnes leges à se, vel prędecessoribus suis latas, cum omnibus effectibus ab eis productis, ita vt censeantur reuocatę à tempore, quo factę fuerunt, cum omnibus effectibus ex eis consequutis. At lex, quę inducit impedimentum in 4. consanguinitatis gradu, est lex lata per Papas, quia nec iure naturali, neque diuino vllo sunt prohibita matrimonia in illo gradu. ergo potest reuocare illam cum suis effectibus: ita vt censeatur reuocata non tantùm ex nunc, sed & ex tunc, scilicet à tempore quo fuit lata. quę glossa procedit etiam in Papa reuocante legem sui prędecessoris: loquitur enim de reuocatione, qua Clemens V. reuocauit legem factam à Bonifacio VIII. prędecessore suo habendo illã pro infecta: per quã eamdem glossam Petrus ab Ancharano tenet hanc partem,[r] quin & Panormitanus magnificando illam glossam asseruit ferè idem.[s]

10 Pręmissis pro vtraque parte supradictis, ad concordiam reducendo dico primo, argumenta pro priore parte negante formata concludere illam quo ad ea, quæ iure naturali & diuino sunt instituta pro sancto sacramento matrimonij, & consequenter quod Papa nõ potest efficere quod matrimonium non fuerit verè solutum per mortem vxoris, iuxta illud Pauli,[t] secundum solam naturalem & diuinam legẽ loquentis, *Coniux mortuo coniuge soluta est à lege illius.* neque facere potest, vt matrimonium, de quo agitur, non fuerit iniustum: quia contradictoria eius est vera, scilicet, quod fuit iniustum: & non potest Papa facere vt duo contradictoria sint vera, vt prędictum est: nec consequenter potest efficere, vt prædictũ matrimonium verè reuiuiscat inter pręfatos coniuges inhabiles ad illud, cessante inhabilitate per dispensationem, vel alio modo, sine nouo consensu: quia iure naturali & diuino consensus est de substãtia & essẽtia matrimonij, vt dictũ est. Nec potest facere quod fiat sacramẽtũ sine materia, & forma quas instituit Christus ad eius essẽtiã necessarias: quia, vt prædictũ

est, non

---

*Marginal notes (left column):*
a *Qui filij sint legitimi.*
b *§. facta. ff. de capitu. & postli. reuers.*
c *32. quæst. 5.*
d *1 par. q. 25. art. 3. & 4.*
e *In 3. art.*
f *Et cap. tua. de sponsal.*
g *In l. si is qui pro emptore. à nume. 2. ff. de vsucap.*
h *ff. de captiu.*
i *In 1. dist. lib. 4. sent.*
k *De presb. nõ bapt.*
l *3. par. q. 64. art. 1. & 2.*
m *Cap. sufficiat. 27. qu. 2.*
n *Cap. cum locum. de spons.*
o *Dict. cap. is qui. & c. tua. de spons.*
p *In cap. per venerabilẽ. num. 21. qui filij sint leg.*
q *Ca. 22. nu. 80.*
r *In cõs. 142. num. 4.*

*Marginal notes (right column):*
a *Authen. de nuptijs. §. deinceps. col. 4.*
b *In ca. licitè. 32. qua. 7.*
c *In proœmio Clem.*
d *9. qu. 3.*
e *De conces. praben.*
f *Cap. 1. de cõstit. cap. si Romanorũ. 19. dist.*
g *9. qu. 3.*
h *§. fin. in au. de consulib. col. 4.*
i *Cap. 2. cap. referente. & ca. ex tenore. cum suis glossis, qui filij sint leg.*
k *De reg. iur. lib. 6.*
l *In cap. quæ in ecclesiarũ. de constit.*
m *Dig. de euictio.*
n *In cap. cum ad §. fi. de sta. monach.*
o *22. qu. 88. art. 11.*
p *In capit. 1. à nu. 6. de cõst.*
q *In cleme. 1. verb. pro infectis. de immu. ecclesiar.*
r *In cõs. 400.*
s *In c per venerabilem. à num. 22. qui filij sint legitimi.*
t *1. ad Corint. 7.*

est, non potest legem naturalem & diuinam tollere. Nec potest etiam facere, quod filij nati post scientiam vtriusque parentis impedimenti, non fuerint illegitimi; quia implicat contradictionem, quod aliquis fuerit & non fuerit illegitimus.

11 Secundo, quod Papa non potest efficere, vt leges à se vel prædecessoribus suis factę habeantur pro infectis quo ad illos effectus, quos iam operatę sunt virtute iuris naturalis, vel diuini; nō enim potest efficere, quin cōiuges, qui inualidè cōtra leges Papales matrimonium scientes impedimentum cōtraxerunt, vel eo vsi sunt, peccauerint mortiferè: neque quod non damnentur ob illa peccata à Deo si eos non pœnituerit eorum iustè; neque quod non peccauerint mortiferè accipiētes sacramentum pœnitentiæ vel eucharistiæ in illo malo statu; quia deletio & extinctio peccati mortiferi iam admissi nō pertinet ad nutum Papę, sine iusta contritione, & necessaria confessione, iuxta cap. *legatur.*[a] & cap. *venia non datur nisi correcto.*[b] neque gratia sacramentalis recuperari potest per solā legis reuocationem: quia solus Deus illam restituit.[c]

12 Tertio, quod nec sua Sanctitas reuocare posse videtur prędictas suas leges ad effectum tollendi effectus, qui licet nō sint reseruati soli Deo, sunt tamē reseruati Regi sęculari: qualis est legitimatio filiorum natorum extra terras Apostolicas; quam licet Papa facere possit dispēsando in radice matrimonij, non tamen potest simpliciter dispensando circa ipsam solā legitimationem, vt satis sensit Panormitanus,[d] & videtur præxis seruare illud, vt colligitur ex [e] Rota.[f]

13 Quarto, quod Papa potest reuocare omnes leges à se vel prædecessoribus suis super matrimonio latas, quatenus sunt humanæ: & ita reuocare, quod fingantur non esse factæ & perinde iudicentur ea super quibus factæ sunt, ac si numquā fuissent factæ, per multa quę adduci possunt ex dictis Bartholi & aliorum nouorum repetentium,[g] quæ fundantur super prædicta glossa.[h]

Quinto, quod non solum potest sua Sanctitas leges præfatas reuocare, & fingere vt pro infectis habeantur, & censeātur non esse factę quo ad ipsasmet, sed etiam quo ad effectus ab eis vel propter eas productos; ita quod non habeātur pro productis; & perinde iudicandum sit de omnibus rebus, super quibus factæ sunt, ac si non fuissent factæ: etiam si effectus essent excommunicationes, suspensiones, interdicta, & irregularitates, vel alię inhabilitates, modo sint tales; quæ subiiciantur potestati eius mirabili, vt glossa prędicta à plerisque fere omnibus recepta tenet, & multis rationibus confirmari potest. Dixi, *modo subiiciantur potestati eius*: nam illos, qui soli diuinæ potestati, vel alterius superioris sæcularis reseruantur, non potest reuocare, neque pro non consequutis habere, vt dictū est,[i] qualis est cōdemnatio ad infernum, vel absolutio ab illo & à peccatis, vel impressio characteris baptismi, confirmationis, & ordinis, quę per ea, vel propter ea consequutę sunt, iuxta cap. *hi qui.* & cap. *quod quidam.*[k] & ca. *degradatio.*[l] cum eis & alibi sępe adnotatis & recuperatio gratiæ sacramētalis, quę per contrauentionem eorum perdita fuit, & à solo Deo recuperari potest, vt dictum est.

14 Sexto, quod certum est, legem, qua non licet contrahere in 4. consanguinitatis gradu, in quo attinentes prædicti cōtraxerunt, non esse legem naturalem, neque diuinam, sed solum humanam positiuam inductam per Papas, vel Concilia quorum caput est Papa: & consequenter posse illam reuocare S.D.N. in Concilio vel extra Conciliū, licet non fuerit facta ab ipso, sed à prędecessorib⁹ suis, per d.c. *cūcta per mūdū.*[m] & capit. *proposuit.*[n] & quod potest reuocare, ita vt fingatur nō esse facta, nec produxisse vllum effectum; cuius sublatio subiicitur eius potestati: & consequenter prædicti filij illegitimè nati fingantur esse nati legitimè; vt nati fuissent, si tale impedimentum gradus quarti consanguinitatis vel affinitatis per d. legem non fuisset inductum: immo ita, vt iudicarentur legitimi eo modo, quo solo iure naturæ & diuino inspecto nati essent, vt nascebantur omnes olim ante legum humanarum prohibitionem, iuxta auth.[o]

15 Addo etiam primo, quod licet S.D.N. de plenitudine suæ potestatis possit in casu proposito prædictam legem de non contrahendo in 4. gradu reuocare, non solum vt censeatur reuocata ex nunc. sed etiam à tempore, quo fuit facta; & ita reuocare, vt fingatur vel habeatur pro infecta cum suis omnibus effectibus subiectis suæ potestati, & voluntati; non potest tamen hoc facere absque peccato sine aliqua magna & iusta causa: quia sua Sanctitas non debet vti plenitudine potestatis sine illa; licet possit ita vti, vt valeat actus, secundum Innocentium receptum ibi à Panormitano & alijs.[a] Tū quia alioqui, si vellet, pro libito sine causa iusta posset tollere omnes canones inducentes iure humano impedimentum matrimonij, & habere illos pro infectis absque peccato: & quod omnes malè coniugati propter impedimenta solo iure humano inducta possent bene coniugari. Tum quia pro libito posset efficere, vt omnes monachi & monachæ desinerent esse verè religiosi, id est, non solemniter professi, tenēdo communem sententiam, quæ habet solemnitatem voti esse iuris humani; licet votum ipsum, modo sit validum, iure diuino & naturali debeat seruari, nec possit reuocari ita, vt habeatur pro infecto.

16 Secundo, quod non posset S.S. saltem sine maxima causa facere tales reuocationes cum scandalo populi,[b] nec prodesset quidquam clausula, *non obstante scandalo.* quia id excedere suam potestatem dicit Baldus[c] quē sequitur Decius.[d]

Tertio, quod abstinentia ab huiusmodi reuocatione, saltem sine maxima causa facienda, persuadet, quod prædictæ personæ videntur esse de temporali iurisdictione dominij Venetiarum: & quod huiusmodi reuocationi vix sine grandi scandalo parebit illa Serenissima, quæ par est Regiæ, Dominatio: & quod prædicta reuocatio est præiudicialis tertio, scilicet filijs ante scientiā impedimēti natis, vel agnatis: quibus, quamuis suę iurisdictioni temporali subiecti essent, non posset iustè sine iusta causa præiudicari: quia sunt laici, vel saltem agit de bonis temporalis laicis.

Quarto, quod si sua Sanctitas hanc reuocationem fecerit, ita vt prędictus canon inducens prædictum impedimentum habeatur pro infecto cum omnibus effectibus suę potestati & voluntati subiectis, accedet ad eam innumerabilis multitudo, non solum Gallorum, Hispanorum, & Germanorum, sed etiam Italorum, vt legitimet filios suos illegitimos ob impedimenta canonica per huiusmodi reuocationes canonum, quibus illa sunt inuenta: & consequenter magna multitudo monachorum & monacharum, vt idem faciat circa eorum & earum professionem.

Quare concludo, posse quidē suam Sanctitatē hoc facere, ita vt valeat factum; sed non absque graui peccato & scandalo populorum, si sine maxima & iusta causa id fecerit. Salua eius, quę maxima, canisima, omnique iure fundata est censura, immo & cuiuslibet alius melius sentientis sententia.

*Notandum Gregor. mense Nouemb. 1584. negasse petitam hanc dispensationem: ac addidisse non posse. Aduertēdum etiā quod ponitur supra num. 8. esse intelligendum secundum notata cons. 3. de his, quæ vi met.*

### SVMMARIVM.

1 *Filios natos ex iniusto matrimonio non legitima credulitas parentum credentium super matrimonio per solam bullam cōmissionis de dispensando Episcopo præsentatam esse dispensatum. Secus esset, si Episcopus, licet nulliter ob non seruatam formam commissionis, dispensasset; quia hæc credulitas esset iusta. præcedens autem non.*

## CONSILIVM III.

EPISCOPVS accepta commissione à Papa ad dispensandum cum impeditis tertio gradu consanguinitatis, qui iam contraxerant, nullam informationem accepit: & ipsi coniugati credentes se esse iam dispensatos manserunt in eodem coniugio, & susceperunt prolem. Quęritur, an filij eorū sint legitimi censendi.

1 Respondeo primo, quod si Episcopus commissarius non accepit informationem, nec fecit dispensationem, non erunt censendi legitimi: quia non habebant bonam fidem, & sciebant, vel scire debebant inter ipsos esse impedimentū. Si autē Episcopus, accepta commissione, facta, vel non facta, informatione dispensauit, licet non satis ordine iuris seruato, credo quod erunt legitimi, si bona fide credebant dispensationem fuisse legitimè factam: quia habuerunt iustam causam credēdi eam bene factam, quod sufficit ad legitimandam prolem, argumento cap. *ex tenore.* & glossę communiter receptę,[e] & per alia quę non vacat nunc scribere.

a 24. qu. 2.
b De reg. iur. lib. 6.
c Cap. omnis. de consec. di. 4.
d In dict. cap. per venerabilem. nu. 26. qui filij sint legitimi.
e Decis. 1.
f In nouis eo. tit.
g In dict. leg. si is qui pro ēptore. ff. de vsucap.
h Clem. 1. de immuni. eccl.
i In 2. & 3. dicto.
k 1. Quæst. 1.
l De pœnis li. 6.
m 9. Quæst. 3.
n De concess. præb.
o Quibus modis naturales effic. sui. §. 1.

a In cap. innotuit. de elect.
b Arg. ca. nihil. de præscr. & capit. 2. de oper. no. nunc.
c In l. rescrip. Co. de precip. imp. off.
d In ca. si quā do. num. 4. de resc.
e Qui filij sint legitimi.

## DE DIVORTIIS.

### SVMMARIVM.

*5 Adulteria coniugum: siue sint publica, siue occulta, ipso iure suũ operantur effectum, tam quo ad amißionem exigendi debitum, quam recuperandi amissum: mutuáque compensatione tolluntur, etiam si diuersis contingant temporibus, alterumque sit publicum, alterum verò occultum. Vnde vir adulter, etiam occultus: nisi vxorem adulteram publicam etiam post sententiam diuortij iustè latam dimissam, velit recipere, vel repetere, non est absoluendus num. 2. & 3. & hoc etiam quod mulier taceat. num. 4.*

*5 Pollutio extraordinaria non videtur æquiparanda adulterio, nec quo ad effectum perdendi ius exigendi debitum, nec iam amissum recuperandi.*

*6 Sodomiticum crimen an sit æquiparandum adulterio quo ad effectum perdendi ius exigendi debitum, vel non, remißiuè.*

### CONSILIVM I.

VIR PROPTER notorium adulterium vxoris: apud iudicem diuortium iustè obtinuit, postea secretè peccauit, & nunc continet.

Quæritur primo, an sit cogendus repetere vxorem tacentem quidem, sed perseuerantem in peccato, & quæ repetita cessaret peccare?

Secundo, quid si dictus vir etiam nunc peccet aliquando sed secretè?

Tertio, quid si publicè etiam ipse postea peccauit?

Quarto, quid si semel vxor ita dimissa, cognito adulterio viri petiit reconciliationem; sed viso quod vir noluit reconciliari, perseuerauit in adulterio, & nunc tacet?

Quinto, an inquam vir sit cogendus vxorem repetere?

Sexto, an sicut adulterium viri impedit, ne poßit vxorem notoriam adulterã dimittere, idem operetur pollutio extraordinaria præcedens, vel sequens, maximè si timetur quod in eadem perseuerabit, cogátque eumdem, vt mulieri publicæ adulteræ reconcilietur.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM dico primo certum esse adulteria coniugum, quo ad effectum perdendi, vel recuperandi ius petendi debitum, mutua compensatione tolli.[a]

Secundo, quod sicut alter coniugum per suum adulterium ipso iure perdit ius debitum exigendi, ita ipso iure recipit & recuperat illud adulterio suæ consortis, per ea quæ latius adduximus in Manu. conf.[b]

> a Cap. intelleximus. & ca. tua de adulterijs. cum eis adnot.
> b Cap. 22. à nu. 23.

Tertio, quod non videtur quo ad hoc differentia, an eodẽ tempore simul vir & vxor adulterentur, an successiuè, prius vir & postea vxor; aut contra prius vxor, & postea vir. Tum quia nullo iure id cauetur; sed solum statuitur virum & vxorem perdere ius exigẽdi debitum per suum adulterium, & recuperare illud per consortis adulterium. Tum quia id in quo fundatur prædicta compensatio, est illud, *Frangenti fidẽ, fides frangatur eidẽ.*[c] & in id vtroq; casu videtur habere locũ. ex quo sequitur, idem esse iudicandũ in casu proposito, quod iudicaretur, si vxor prius adulterata fuisset publicè, & postea vir secretè.

> c l. cum proponas. Cod. de pact. cap. penul. de iureiurando.

Quarto, quod licet quo ad forum exterius plurimum referat, an adulterium sit publicum, nec ne, per cap. *significasti.* & cap. *porro.*[d] & per eis adnotata; quo ad forum tamen Dei & cõscientiæ (quo ad quod omnia sunt nuda, & aperta,[e] nihil vel certè parui refert, quo ad nostrum propositum.

> d De diuortijs.
> e Ad Hebræ. 4. capit. Deus omnipotẽs. 2. quæst. 1.

2 His præsuppositis, ad primam quæstionem respondeo, non videri absoluendũ in foro Dei & conscientiæ præfatum maritum, nisi velit suam vxorem recipere. Tum quia si vtrũque adulterium esset publicum; vel vtrumque secretum, id esset respondendum: & vt prædictum est, nihil aut parui refert, an sint publica, an secreta quo ad forum Dei & conscientiæ.

AD SECVNDAM respondeo, quod à fortiori idem est respondendum, si maritus interdum, vel raro adulteretur, immo tunc nullum dubium foret.

AD TERTIAM, quod idẽ à fortiori dicendum, si mariti adulterium esset notorium.

3 AD QVARTAM respondeo, prędictũ maritũ teneri ad idem in foro Dei, non obstante prædicta separationis sententia. Tum quia quo ad illud forum per suum adulterium amisit ius sibi per illam sententiam quæsitum. Tum quia sententia ipsiusmet D. N. Iesu Christi veri Dei, qua ipso iure absoluitur à necessitate cohabitandi vxori, non prodest ei, per prædicta: ergo à fortiori minus proderit sententia hominis.[a]

AD QVINTAM, à fortiori tenebitur præfatus maritus recipere illam, si ea cognito viri adulterio petiit ab eo reconciliationem. Addo, quod vbicunque supra reperitur verbũ *tenetur recipere*, potest addi quod tenetur & repetere. Confirmatur per illud Apostoli,[b] *Vir caput est mulieris, & tenetur eam regere.*

> a Arg. authẽ. multo magis. Co. de sacrosanct. eccles.
> b Ad Eph. 5.

4 Item cum mulieres sint timidiores, etiam si cupiant, non tamen solent ex verecũdia repetere maritos: vnde etiam augetur obligatio viri, vt ipse repetat eum etiam tacentem: potest tamen vti aliqua honesta arte, vt tacitè moneat aliquem: qui tanquam communis amicus à seipso videatur moueri, vt cupiat, & roget, ac instet ipsos virum & vxorem reconciliari.

5 AD SEXTAM respondeo, quod non auderem legẽ, quæ habet perdi per adulterium ius petendi debitum, extendere ad pollutionem extraordinariam præcedentem, vel sequentẽ, etiã continuatam. Tum quia lex pœnalis non est extendenda ad casum in ea non comprehensum.[c] Tum quia non est eadem ratio propter multa, quę considerari possunt diuersa inter adulteriũ, & huiusmodi pollutiones: & à diuersis non fit illatio.[d] Quid autem de vitio Sodomitico, vide Couarruuiam.[e] Salua, &c.

> c Cap. pœna. de pœnit. dist. 1. l. præses. ff. de pœnis.
> d Leg. Papinianus. ff. de minorib. cap. ad audientiã. de decimis.
> e In 4. par. 2. cap. 7. §. nu. 5. num. 6.

### SVMMARIVM.

*2 Fornicatio præcedens sponsalia non præbet legitimam causam sponso ab eis recedendi; nec marito, etiam si eamdem solum post matrimonium resciuisset, diuertendi: immo si ipsa ob illam sibi timẽs clam aufugisset, tenetur vir eamdem, quæ fortè erubescit petere vt recipiatur, repetere. num. 4.*

*2 Debitor etiam non exactus, iure poli, modo sciat, vel scire debeat creditorem id velle, tenetur soluere debitum. & num. 4.*

*3 Maritus, qui tentatur vxorem, quia ante matrimonium fornicata fuit, occidere, non potest ob id eam deserere, nec est absoluendus, nisi proponat saltem post aliquam modicam ei nõ denegandam moram ad eam redire.*

*4 Maritus ad vxorem, quæ ipsum ob fornicationem ante matrimonium commissam sequi non audet extra patriam, reuerti tenetur, non obstante mundano dedecore, quem timet, si inter notos videatur tali cohabitare mulieri: quia nõ est iustus timor, aut iusta causa.*

### CONSILIVM II.

N. POSTQVAM prima nocte reperisset vxorem ei traditam vt virginem, fuisse prius corruptam, per triduum abstinuit ab vxore; quæ timẽs sibi clam ad patrem reuersa est; & vir alio migrauit; & in patriam ob dedecus non vult ad illam reuerti, nec mulier ob timorem fortè audebit ipsum sequi.

Quæritur primo; an credens ducere virginem in vxorem, ducendo corruptam, poßit eam dimittere.

Secundo, an maritus sic dimissus teneatur vxorem tacentem requirere, & repetere.

Tertio an timor occidendi eam, si cohabitet illi, excuset virum ne secum viuere teneatur.

Quarto, cum huiusmodi vxor virum, ob timorem, ne ab eo occidatur, extra patriam sequi recuset, & maritus indecorum reputet cum ea in patria habitare, & ipsa nec virum, nec debitum, petat, sed taceat, adhuc teneatur maritus ad eam redire, & debitum soluere.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo negatiuè: quia nullibi reperitur scriptum, quod maritus poßit relinquere vxorem propter fornicationem ante matrimoniũ per eam admissam; copula enim præcedens non continet iniustitiam contra maritum, nec consumat matrimonium sequens; nec est sufficiens causa, vt sponsus per verba de futuro promittens aliquam ducere in vxorem, poßit iustè ab implemento suę promißionis recedere, vt est in cap. *quemadmodum,*[f] vbi hoc expresse Panormitanus & alij notarunt.

> f De iureiurando.

2 AD SECVNDAM respondeo affirmatiuè, quod sic: quia debitor tenetur soluere creditori sponte, etiam non expresse exactus, si scit, vel debet scire, quod creditor vult suum debitum sibi solui, & non detineri à debitore, licet ob metum vel aliam causam grauem non petat expresse, arg. ca. *sæpe.*[g] quatenus habet, paria esse retinere alienum, vel capere illud; quia præceptum de non retinendo,[h] vtrumque præcipit, scilicet non rapere, nec detinere alienum, secundum D. Thomam,[i] & in nostro Manu.[k]

> g De rest. spoliat.
> h Leuit. 19.
> i 22. qu. 62. a. fin.
> k Cap. 17. in princ. & nu. 54.

3 AD TERTIAM respondeo quod non, nisi fortè ad aliquantulum temporis: quia in sua manu situm est resistere ope diuina eiusmodi tentationi, quam, cum possit tenetur vitare, vt quotidie per orationem dominicam orat ex formula Christi.

4 AD QVARTAM respondeo, quod si vxor probabiliter id timet coram Deo, non tenetur sequi maritum extra territorium vbi degit: & quod vana & mala imaginatio est, quod sit dedecus coram Deo, & bonis Christianis, habitare cum huiusmodi vxore: quandoquidem inter opera caritatis computatur ducere meretricem etiam publicam, ad hoc, vt à via erroris in viam rectam reducatur. [a] Nec excusatur à peccato grauissimo, qui prouocatus ad duellum acceptat illud, & exequitur; eo quod commilitones, & alij vulgares, qui colunt diabolum, & suas leges, reputent illud non acceptare esse probrosum; cum Deus iustissimus, & veri honoris conseruator optimus id grauissime prohibeat. [b] Nec excusatur à fornicatione, qui rogatus à pulchra puella in opportuno ad id loco consentit ei, eo quod Holofernes, [c] & eiusdem farinæ homines contrarium reputant probrosum, sed dissentire tenetur, sicut Iosephus dissensit, [d] nam *obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* [e] *Et ibant Apostoli gaudentes à cõspectu Concilij.* [f] Non obstat responsioni ad secundum, quod communiter dicitur, debitorem non esse in mora soluendi ante petitionem creditoris: quia quo ad forum interius sufficit petitio interior; qualis videtur esse in casu proposito; præsertim si vxor est iuuenis, & vir non est continens: etenim creditor non desinit petere sponte, sed coactus metu, verecundia, vel alia causa, quam nouit debitor, vt notatur in l. *vinum.* [g] Salua, &c.

a Cap. inter. opera. de spõs.
b Cap. 19. de reforma. sess. 25. Conc. Tri. & c. monomachia. 2. qu. 4.
c Iudith. 12.
d Genes. 39.
e Act. Apost. cap. 5. & cap. qui resistit. 11. quæst. 3.
f Et quæst. 5.
g ff. si certum pet.

*Aduertendum secundum dictum, de quo nu. 1. intelligendum secundum distinctionem, quam facit D. Nauar. in Manual. confess. cap. 22. nu. 27. vers. (Dixi superuenientem) ne sibi contradicat.*

*SVMMARIVM.*

1 *Adulteri occulti pœnitentis petitio ad vxorem porrecta, vt velit resipiscere, etiam iuncta pertinacia vxoris, nõ æquipollet sententiæ diuortij: vnde ante illam non poterit irreuocabiliter religionem ingredi, licet possit ob id illam dimittere. nu. 3.*

2 *Adultera pœnitens potest quandocũque viri professionem reuocare, probãdo eumdem ante professionem adulterasse & vir adulter occultus non potest ingredi religionem nisi sententia diuortij, ex eo quod mulier timens viri sæuitiam, nec illi cautioni, quam vir dare potest, acquiescendo ad virum reuerti recuset, vel etiam ex capite adulterij lata esset. num. 4. & hoc dummodo vir pœnitens rogauerit, sed frustra, vxorem, vt vellet resipiscere. num. 3.*

2 *Moram cõmittere non dicitur mulier, quæ rogata ideo non vult ad virum reuerti, quia timet ne contra ipsam ob adulterium commissum sæuiat, estque parata stare iudicio iudicis.*

## CONSILIVM III.

EXCELLENTISSIME Domine, super casu sequente, & rationibus pro vtraque parte adductis desideratur iudicium vestrum. Vir ex vrgentibus & vehementibus præsumptionibus habens vxorem de adulterio suspectam, contra eamdem ad diuortium coram ordinario iudicium intentauit: vxor negauit adulterium, & simul se subduxit de domo viri, ac adultero adhæsit: verum, quoniam vir ob eius inopiam, & potentiam vxoris, non potuit dictum adulterium probare, in causa non fuit vlterius processum. Post aliquot annos dictus vir, qui tamen interim nec ipse continuit, sed secrete adulterium perpetrauit, ad cor rediens, ab ordinario loci petijt, vt cogeret dictam eius vxorem ad cohabitandum cum eo: negauit vxor reuerti, asserendo ante omnia terminandum iudicium diuortij contra ipsam intentatum: & quia vir non habebat modum litigandi, nec hæc eius petitio effectum habuit; vnde per aliquot annos quieuit; sed tamen nec continuit, immo secretè adulterauit: tandem per communes amicos eandem vxorem interpellari fecit, vt vellet ad ipsum reuerti, quia obliteratis omnibus ante actis volebat eamdem recipere, & vxorio affectu tractare. negauit d. vxor velle reuerti; & prolem ex adulterio, non tamen notoriè, procreauit. vir etiam & ipse minime continuit, sed secretè peccauit: nunc autem non sperans in sæculo ab vxore separatus continere, decreuit denuo iudicialiter & extraiudicialiter tẽtare rogare, vt reuertatur; & si hoc obtinere non possit, de cætero continere, & religionem ad loca remota accedendo ingredi, & professionem emittere. Ob hoc Romam venit, & consilium petit pro salute animæ suæ; & an hoc ei liceat exequi.

Pro negatiua facit primo, quod tunc demum vir sine licentia vxoris religionem ingredi potest ex capite adulterij, si de eo constet notoriè, vel lata sit sententia diuortij, vt ait glossa in cap. *Agathosa.* [a] vbi Archidiaconus & Turrecremata [b] quorum neutrum cum hic intercedat, nec licebit religionem ingredi.

Secundo propter adulterium non potest vxor dimitti, si vix simili laborat vitio, [c] nec religionem intrare. [d] Non obstante, quod viri delictum sit secretum, vxoris autem publicum, [e] Archidiaconus d. cap. *nihil.* & licet vir ageret pœnitentiam præteriti peccati, non tamen tollitur ius exceptionis mulieri competentis. [f]

Pro affirmatiua facit: nam ideo vxoratus inuita vxore prohibetur ingredi religionem, quod ex lege matrimoniali tenetur eidem adhærere, nec potest eam iure suo priuare: ergo seruitute cessante cessare debet & prohibitio, vt deducitur ex cap. *constitutus.* vbi glossa 1. cap. *veniens.* vbi glossa 1. [g] cap. *Agathosa.* [h] & alibi sæpe. Sed sic est, quod in casu præmisso peractis prædictis dictus vir liber erit à prædicta seruitute, adeo vt possit ab eadem vxore diuertere: ergo poterit religionem intrare, vinculo matrimonij non obstante. Consequentia patet, assumptum probatur ex Goffredo [i] dum inquit, si maritus sit correctus, & vxor sit impœnitens in peccato perseuerans, potest petere diuortium, & dimittere eam secundum eundem Hostiensem, [k] Turrecrematam, [l] qui addunt S. Thomam & Bonauenturam quos refert & sequitur Sum. confess. [m] inquiens, quod licet occultus adulter non possit nec dimittere, nec accusare vxorem publicè adulteram; si tamen vir egit pœnitentiam, & mulier monita nollet se emendare, poterit vtrumque. idem tenet Paludanus, [n] adducens ratioñe, quia vltima mora nocet, S. Antoninus, [o] Siluester, [p] Sotus: [q] facit etiam ad hoc glossa in cap. quemadmodum ver. præcedentem. de iureiur.

Ad contraria respondetur: & ad primum dicitur requiri vel sententiam, vel notorietatem quo ad forum exterius, & ne Ecclesia, cui non constat de adulterio, cogere possit diuertentem ad dimissam reuerti. Vnde Goffredus, [r] inquit: *qui post sententiam diuortij ingreditur religionem, irreuocabiliter ingreditur: at qui ingreditur ante, ingreditur quidem sed reuocabiliter.* idem & clarius notat D. tua in Manual. confess. [s] dum vult in foro conscientiæ innocentem posse diuertere sine iudicis sententia. ratio est, quod non sententia, sed delictum ipsum priuat vxorem adulteram iure suo, vt deducitur ex cap. *dixit Dominus.* [t] & ex Abbate, [v] & Ioanne de Anania. [x]

Ad secundum respondetur, vt suprà dictum est, quod procederet, si dicti coniuges numquam se nec adinuicem repudiassent, nec aliud interuenisset, quod eandem vim obtinere potest, vt est prædicta repetitio, & admonitio, quam fecit vir vxori, per quam dicta vxor in vltima mora & contumacia constituitur pertinaciter, quod voluit & vult permanere in adulterio. Vnde, sicut si post reconciliationem peccaret, posset dimitti, [y] ita & si modo peccet post prædictam interpellationem & monitionem, quæ vim reconciliationis habet, ex prædictis, maximè ex doctrina Soti vbi supra. Ne igitur hæc obstinata mulier ex dolo suo reportet lucrum sine sui spirituali vtilitate in perniciem viri, qui ad Deum vult conuerti, cupio huic pœnitenti licere religionem in remotis locis ingredi, si tamen reperire poterit beneuolos receptores.

Sed numquid ingrediendo teneatur propalare se vxorem adulteram habere? Et si de hoc non interrogetur, non video quod teneatur. maius dubium est, si nominatim interrogetur, an vxorem habeat, & fortè adhuc posset respondere se ex hoc capite nullum habere impedimentum: & si adhuc vrgeretur respondere an habeat vxorem viuentem, & fortè respondendo ad intentionem interrogatus posset negare, intelligendo se non habere vxorem, quæ præbeat ei ad ingressum impedimentum, vt in simili voluit D. tua in suo Manual. [z] post Siluestrum. [a]

RESPONDEO, quod quæstio hæc magna est in se, & eam erudite profecto, & acri iudicio, magnóque caritatis zelo tractauit, qui adduxit prædicta, quisquis ille sit. Et primo respondeo, quod facti narratio videtur secum pugnare,

a Ver. fornicationis. & ver. conuersionis.
b 27. quæ. 2.
c Cap. nihil iniquius. 32. q. 6. cap. significasti. de diuo.
d Abb. ca. veniens. num. 7. de conuers. coniug.
e Abb cap. cõstitutus. n. 9. de conuers. cõiug. S. Thom. in 4. dist. 35. q. 2 art. 6. Sot. dist. 36. ar. 6. ad fin.
f Abb. cap. fi. num. 8. de adult. & ibi Ioan. de Ana. colum. penul.
g De conuer. coniug.
h 27. quæ. 2.
i Tit. de diuo. nu 15.
k Eod. tit. nu. 11.
l Cap. nihil iniquius. 32. q. 6.
m Lib. 4. tit. 22. de diuort. q. 15. fol. 240.
n In 4. dis. 35. qu. 1. art. 2.
o In 3. par. c. 21. §. 6. vers. 7.
p In ver. matrimonium 9. nu. 6. & ver. diuortium, num. 9.
q In 4. di. 36. ar. 1. ver. qua propter.
r De conuers. coniug. nu. 7. in quæst. 14.
s Cap. 22. nu. 23.
t 32. qu. 1.
v Cap. gaudemus. nu. 5. de conuer. cõiug.
x Dict. cap. fi. col. 3. de adul.
y Arg. glo. ca. quemadmodum. per illũ textum, de iureiur.
z Cap. 12. nu. 10.
a Verb. iuramentum. 3. q. 2. ad fin.

quatenus habet maritum non potuisse probare adulterium, & quod vxor fugit ab ipso, & adhæsit adultero: item quod maritus petijt diuortium, & postea repetit vxorem, & quod illa vult ferri sententiam super diuortio, & quod ipse non potest facile habere super eo sententiam.

Secundo, quod præfata narratio facti non videtur sufficiens, eo quod non continet causas, ob quas vxor negat reditum, cum tamen neget adulterium.

1 Tertio, quod ego cupio determinationem præfati D. eruditissimique consulti esse veram; & quod iugulum quæstionis videtur consistere in probando, quod pœnitentia præfati viri, adiuncta requisitione, & petitione, qua vxorem petit, & cum eius pertinacia æquipollet sententiæ diuortij: & quod pro parte affirmante videntur adducta supra omnia substantialia, quæ adduci possent.

2 Quarto, quod pro parte negante facit, quod non videtur inueniri vllus canon, qui hoc exprimat, nec videtur occurrisse vllus casus, in quo expresse aliqua glossa vel auctor ordinarius id dixerit; & quod in foro exteriore ingressus huius viri in monasterium, etiam consequuta professione, reuocabitur, si vxor præfata suæ malè actæ vitæ pœnitens petierit illum, & probauerit ipsum quoque adulteratum fuisse: & quod nō est in mora resipiscendi, neque regrediendi ad maritum, eo quod fortè allegat, quod non audet regredi ad maritum timore iusto mortis, ne veneno, vel aliquo alio modo publicè vel secretè occidat eam; & quod parata est stare iudicio iudicis, coram quo lis est ad instātiam mariti cœpta, & quod non datur ei, vel non potest dari cautio sufficiens de non occidendo eam publicè, neque secretè.

3 Et quod præfati auctores, quamuis dicant, quod adulter secretus post iustam pœnitentiam, & requisitionem sufficientem, potest adulteram impœnitentem dimittere, & petere diuortium; non tamen dicunt, quod potest intrare irreuocabiliter religionem. quod non abs re videtur omittere: quia dimissio, & petitio diuortij nulli tertio præiudicat, ingressus autem religionis grauiter præiudicare potest monasterio, & religioni, quam ingrederetur, & profiteretur: & quod non potest ipse dicere verè etiam quo ad forum conscientiæ, & coram Deo tantum, se non habere vxorem, quæ non possit suo ingressui præiudicare: quia immo posset, probando mariti adulterium, cum per pœnitentiam eius non sit ablatum vxori ius compensandi suum adulterium per adulterium mariti, saltem in foro exteriori. quin etiam posset quis dicere sententiam diuortij datam ex eo, quod non probauit adulterium obiectum marito, nihil prodesse ei quo ad forum conscientiæ: attento, quod secundum receptam opinionem sententia in se iniusta non prodest coram Deo ei, pro quo datur. licet ad hoc replicari posset, quod illa proficeret quoad forum exterius, & pœnitentia iusta & requisitio sufficiens mariti cum pertinacia vxoris excusaret eum quo ad forum interius conscientiæ, iuxta præfatos auctores.

4 Itaque securius mihi videtur, quod obtineat sententiam diuortij, quam (vt ex facto coniicio) facile habebit, & tunc in nomine Domini ingrediatur religionem, respondendo ad interrogata modis eruditissimè suprascriptis. Dixi autem, quod facile obtinebit: quia potest petere diuortium, vel quod iubeatur redire ad suum maritum. & si replicauerit, quod timet, ne occidatur ab eo, triplicabitur, quod dabit cautionem iuratam. & si respondeatur, quod illa non sufficit, addi potest, quod si non est contenta de tali cautione, quam maiorem ipse dare non potest, feratur sententia diuortij vel ex capite adulterij, vel ex capite inimicitiæ capitalis, quam ipsa fatetur, iuxta textum singularem. [a]

a In c. literas §. final. de restitut. spoliat.

SVMMARIVM.

*1 Adultera damnata per iudicem sæcularem, & monasterio inclusa, eam viro intra biennium repetente, redire debet; secus, si per ecclesiasticum sententia diuortij sit lata: quia tunc potest ingredi etiam religionem. num. 3.*

*3 Adultera de mariti sæuitia timens non tenetur ad eum redire, nec credere quod sincero animo repetatur. num. 2.*

## CONSILIVM IIII.

VXOR sæpius adulterata fuit, & ob id à marito expulsa, & deinde reconciliata iterum peccauit: vnde per iudicem ecclesiasticum instante marito lata fuit sententia diuortij, & vxor in monasterium inclusa est.

Quæritur, an marito petenti iterum reconciliari vxor restitui debeat, cum dicat illius amore teneri, & quod metu consensit in diuortium.

1 Respondeo, quod, licet vxor damnata adulterij per iudicem sæcularem, & in pœnam eius inclusa intra monasterium debeat redire ad maritum eam recipere volentem intra biennium, iuxta authen. [a] vxor tamen separata à viro per sententiam iudicis ecclesiastici non tenetur redire ad maritum, nec è contrario maritus ad vxorem, iuxta glossam memorabilem. [b]

a Sed hodie. C. ad leg. Iul. de adult.
b Cap. Agathosa. 27. qu. 2.

2 Secundo, quod non est facile credendum marito dicenti se metu consensisse in diuortium, si sententia iudicis fuit illud factum: quia fingere potest id maritus ad effectum trahendi illam ad cohabitationem secum faciendam, quo eam ferro vel veneno occidat: cuius rei in casu proposito suspicio & coniectura nasci potest ex eo, quod illa post primam reconciliationem adulterata fuit, & tanta instantia illam petit post adeo notorias repulsas, quod non videtur procedere ex amore, quo fingit se amare eam, sed ex ira, quam habet occultam contra eam, ex amore contrahendi cum alia post mortem ipsius præsertim in viro gentis Hispanæ, quæ procliuior est ad parum amandas vxores etiam castas, quam ad conciliandas sibi vxores adulteras, præsertim vltra primam vicem.

3 Tertio, quod, si hæc mulier ob prædictas coniecturas, vel alias, probabiliter putat, quod maritus quærit eius cohabitationem ad habendam opportunitatem occidendi eam ferro, vel veneno in vindictam, vt postea possit aliam ducere, non tenetur ad ipsum redire, per textum singularem, [c] & consequenter potest bona conscientia vti sententia, quam habuit diuortij, & intrare monasterium conuertitarum. [d] Primum tamen dictum intelligendum secundum terminos glossæ, [e] scilicet de volente ingredi religionem.

c Ca. literas. §. fin. de rest. spo.
d Arg. præfa. cap. Agathosa.
e Pen. d. capi. Agathosa.

SVMMARIVM.

*1 Sæuitia viri perpetuo duratura dat causam perpetuo diuortio, vt pro sæuitia ad tempus duratura potest concedi separatio, seu diuortium, etiam temporale: primum autem non potest concedi, nisi parte citata, secundum verò potest; & mulier interim poterit recipi in aliquo monasterio.*

*2 Ingressum mulieris secularis in monasteria monialium ex manifesta & rationabili causa Concil. Trid. & bulla Pij V. non impediunt, cum licentia tamen Episcopi, vel superioris in scriptis obtenta.*

## CONSILIVM V.

EXISTENTE discordia cum lite inter virum & vxorem propter sæuitiam viri, & alias querelas, petit mulier an possit inscio & inuito viro obtinere facultatem ingrediendi monasterium monialium, interim dum hæ controuersiæ componuntur, & vir mitior reddatur; & an hoc ei liceat facere tuta conscientia.

1 Duo videntur obuiare concessioni huius facultatis. Alterum est, quod per eam separatur vxor à suo marito. Alterum est, quod fit facultas fœminæ sæculari & nuptæ ad ingrediendum monasterium regularium, quod vetatur in cap. 1. [f] Quorum tamen prius tollitur ea ratione, quod præfata vxor non petit diuortium, nec separationem à thoro, quę non possunt peti neque dari sine citatione aduersæ partis, iuxta capit. 1. [g] sed petit licentiam manendi aliquantulo tempore in monasterio, quo discordia inter eos durabit; quod in summario informationis dari potest. [h] Tollitur etiam illa ratione, quod propter sæuitiam coniugis probabiliter perpetuo duraturam potest separatio perpetuo concedi, [i] ergo etiam propter sæuitiam parum duraturam potest concedi separatio parum duratura. [k]

2 Posterius autem tollitur ea ratione, quod cap. 1. [l] etiam adiuncta innouatione Concilij Tridentini & Pij V. non impedit ingressum sæcularis intra regulares monachas ex manifesta & rationabili causa cum licentia Episcopi, vel superioris in scriptis obtenta; ita quod de licentia Episcopi & superioris præfatarum monacharum in scriptis obtenta, posset mea sententia pręfata vxor manere intra pręfatas monachas; quoniam causa est rationabilis, & non potest esse non manifesta

f De statu re. lib. 6.
g De causa. possess.
h Ar. l. aquissimum. ff. de vsufruct.
i Cap. literas. §. fin. de resti. spoliat. cum ei adnot.
k Arg. l. qua de tota. ff. de rei vendic.
l De stat. regul.

inter personas adeo illustres. Quanto ergo magis poterit manere iustè inter illas de licentia S.D.N. qui viuat in æternum. Amen.

*Aduertendum referri à sacra Congregatione processisse quamdam formulam, secundum quam similes mulieres debent recipi in monasterijs; ideoque occurrente casu ad illam recurrendum.*

SVMMARIVM.

1 *Nupta Iudæo, Turcæ, Pagano, catechumeno, immo & schismatico, siue hæretico, qui non secundum sufficientem formam baptismi baptizati fuerunt, cum matrimonium non teneat, non potest tali cohabitare, nu. 2. At si nupsit schismatico, vel hæretico secundum sufficientem formam baptizato, cum matrimonium teneat, non potest ab eo diuertere: & si diuertit, tenetur redire ad virum, si ipsam vult tractare honestè absque contumelia creatoris, & absque eo quod trahere tentet ad peccatum mortale, aliàs non. num. 2.*

## CONSILIVM VI.

QVÆRITVR, quid si hęretica, seu schismatica nupta schismatico, postmodum conuersa nubat Catholico, vel postquam nupserit conuertatur, debeat cogi redire ad primum, cum sine licentia recesserit: quia aliquando redire ad primum esset periculum errandi iterum, & relabendi in aliquod peccatum, & in contumeliam fidei Christianæ, alioquin non consentirent cohabitare insimul. hoc dicimus, quando alter coniugum non vult cõuerti, cùm vt plurimum aliqui hæretici contrahant cum conditione.

Secundo, quid si Catholica nubat infideli Turcæ, & cum eo habitans in sua fide, an possit absolui, & Eucharistiam sumere, vel non assentiente, postea Catholico nubere.

1 AD PRIMAM respondetur primo, quod matrimonium contractum inter fidelem, & infidelem baptizatum valet, & consequenter inter Catholicam, & hæreticum, iuxta glossam receptã,[a] & D. Thomam receptum,[b] licet non inter fidelem, & infidelem non baptizatum, qualis est Iudæus, Turca, vel Paganus, iuxta glossam,[c] etiam si iam esset catechumenus, vel catechumena, vt eadem glossa dixit, & traditur,[d] præsertim per Sotum q. 1.

Secundo, quod serio animaduertendum est in casu proposito. Nam si prædicti hæretici, & schismatici sunt baptizati iuxta formam prouinciæ Bosnæ, censentur non baptizati, vt aliàs dixi. *in cons. 4. de baptis.* Si autem sunt baptizati iuxta formam Græcorum antiquam, de qua loquuntur iura & DD. in ea citati, censentur baptizati, & consequenter valet matrimonium: si autem secundum formam Bosnæ, non valet matrimonium.

Tertio, quod illa, de qua quæritur, nullatenus tenetur redire ad priorem, si erat baptizatus secundum formam Bosnæ: si autem erat baptizatus secundum formam aliam, tenetur redire, si vult ille tractare honestè illam absque contumelia creatoris, & absque attractione ad peccatum mortale, & aliàs non quamuis non possit nubere alij, iuxta notata cap. *gaudemus.*[e] & ea quæ nos tradimus in Manual.[f]

2 AD SECVNDAM respondetur, quod non potest absolui: quia prædictum est in quæstione præcedenti, quod matrimonium contractum inter Catholicam, & Turcam non baptizatum non valet, per textum glossæ,[g] & consequenter eorum cohabitatio esset status fornicationis, qui est malus & intolerabilis.[h]

a *Cap. non oportet. 28. q. 1.*
b *In 4. di. 39.*
c *Capit. caue. 28. qu. 1.*
d *Dict. di. 39.*
e *Cap. quanto. de diuort.*
f *Capit. 22. à num. 48.*
g *Dict. ca. caue.*
h *Cap. nemo. cap. meretrices. 32. qu. 4.*

SVMMARIVM.

1 *Coniugata potest coniugi, qui à fide apostatauit, si eam sine contumelia creatoris tractat, licitè cohabitare; & de illius solo consensu possunt filij baptizari: at eo viuente non potest alteri nubere, etiam si deberet in seruitutem iniustè redigi. num. 2. & 3.*

3 *Consentiens mater filiæ, vt cui non licet nubat, peccat; sed pœnitenti, & facienti quod in se est, vt à peccato discedatur, est danda absolutio.*

4 *Coniugati propria auctoritate sine legitima probatione impedimenti maleficij vel impotentiæ diuertentes, & secundas nuptias contrahentes non possunt absolui, quia perseuerant in peccato.*

## CONSILIVM VII.

1 PRO resolutione quæstionum Episcopi Græci, ad primam quæstionem dicẽdum primo, quod mulier nupta fideli, si ille fiat infidelis, non potest alteri nubere,[a] potest tamen conuiuere illi sine contumelia creatoris eam tractanti vt post cap. *si infidelis.*[b] traditur in 4. lib. sent.[c] & filij paruuli baptizari possunt de solo consensu vxoris,[d] vt habet glossa, Panormitanus & alij,[e] & debent educari penes illam,[f] & non est cur illi denegentur sacramenta.

2 AD SECVNDAM dicendum, quod si præfata vxor fidelis nubat alteri viuente priore marito, peccat, etiamsi crederet quod à superioribus infidelium, inter quos viuit, redigeretur in seruitutem per aliquam calumniam ei impositam, nisi nubat: & ita negandum est ei sacramentum pœnitentiæ, quod non datur non contrito,[g] & sacramentum Eucharistiæ, eo quod perseuerat in mortifero peccato, non debet ministrari,[h] quod ipsum est dicendum de illo, qui sciens eam alteri viuenti fuisse nuptam ducit illam in vxorem.

3 AD TERTIAM, quod sacramenta sunt deneganda marito, qui duxit alteram, viuente priore vxore, & etiam priori vxori, quæ nupsit Turcæ: quia perseuerant in peccato mortifero notorio, matri verò, si pœnitet eam consensisse peccato filiæ, & faciat id quod debet, vt filia resipiscat, possunt conferri sacramenta, non aliàs, iuxta cap. *peccati venia non datur nisi correcto.*[i]

4 AD QVARTAM, quod non debent dari sacramenta illis, de quibus quæritur: quoniam auctoritate propria sine probatione legitima se separauerunt propter impedimentum frigiditatis, vel maleficij, & se alijs matrimonio coniunxerunt: quia perseuerant in peccato mortifero.[k]

a *Cap. quanto de diuort.*
b *28. qu. 1.*
c *Dist. 39.*
d *Cap. Iudæi. 28. qu. 1.*
e *In capi. fin. de conuers. infid.*
f *Dict. ca. Iudæi.*
g *Ca. firmissime. 15. qu. 1. & cap. quod quidam. de pœn. & remi.*
h *Cap. quotidie. de consec. dist. 2. adiuncta gloss. ver. affectu.*
i *De reg. iur. cap. legatur. 24. qu. 2.*
k *Cap frater noster. & ca. fin. de frig. & malef.*

## DE DONATIONIBVS INTER VIRVM ET VXOREM.

SVMMARIVM.

1 *Hæres scriptus, cuius culpa testator obijt, illi succedere nequit, & à fortiori venit priuandus si illum occidit.*

2 *Fornicatio matrimonium præcedens, nec vxori, nec eius hæredi obest.*

2 *Bona constante matrimonio quæsita sunt mariti, nisi aliud consuetudine, vel statuto caueatur. num. 3.*

## CONSILIVM I.

IN contractu quodam antenuptiali in Italiæ partibus adiecta fuit clausula, quod si alter coniugum decederet non relictis liberis, ad superstitem pertinerent omnia mobilia, & debita, etiam actiua, cum onere soluendi omnia passiua. Accidit, quod maritus pro certo sciuit adulteratam esse vxorem: ipsa enim, cum celare non posset, confessa fuit; & quia admonita à praua consuetudine non cessabat, immo maritum veneno tollere parabat, vnde & communem cum ea mensam fugiebat; in tali anxietate constitutus maritus præuenire malens, quam præueniri, curauit illi certum venenum dari, ex quo postea in febrim incidit, & post plurium dierum spatium defuncta est, nesciens se ex veneno mori: vnde & factum occultum est.

Quæritur, an maritus ad aliquid teneatur hęredibus vxoris virtute prædictæ clausulæ, & quia incertum est vter coniugum superuixisset, si naturali morte vterque mortuus esset, cùm vterque fere ætatis esset eiusdem.

1 Pro parte negante est textus in l. 2.[l] quæ habet, hęredem scriptum, cuius negligentia mortuus fuit testator, non posse succedere illi, per quam Azo in summa dicit à fortiori esse priuandum eum, si occiderit illum.

Pro parte affirmante facit, quod illa voluit illum occidere prius & quod fuit adulterata, & quod ante matrimonium fuit corrupta, & pro virgine tradita, & quod nulla bona mobilia in dotem attulit.

Sed respondeo primo, quod hæ rationes pro parte affirmatiua nihil concludunt: quoniam ipse quoque maritus adulteratus fuit, & non licuit ei præuenire eam veneno, eo quod ipsa voluit illum præuenire. Neque fornicatio præcedens matrimonium quidquam obest vxori, vel hæredibus eius, iuxta notata in cap. *quemadmodum.*[m]

l *ff. de his quib. vt indi.*
m *De iureiurand.*

2 Secundo, quod alia ratione posset eius intentio defendi, nempe quod, vt audio, Romæ vtuntur iure Cæsareo, exceptis illis casibus, in quibus per statuta Vrbis receditur ab eo: & quod iure Cæsareo omnia, quæ maritus & vxor constante matrimonio quærunt, pertinent ad solum maritum sustinentem onera matrimonij, cum obligatione restituendi dotem, si quam accepit.[a]

3 Nec obstat capit. *significauit*.[b] quia intelligenda est eius decisio, quando pactum nuptiale, vel consuetudo terræ aliud haberent, vt Panormitanus & Præpositus communiter recepti declarant.[c] Nescio tamen an sit aliquod Romanum statutum contrarium ei, quod supra dico me audisse. Nec etiam obstat dicere, quod pactum prædictum nuptiale significare videtur, quod, si pactum illud non esset adiectum, hæredibus præmorientis deberetur dimidium bonorum quæsitorum durante matrimonio: quia hoc ex nulla parte illius colligitur, licet colligatur pactum illud fuisse fauorabilius vxori, quàm marito, immo nihil profuisse marito, vxori autem potuisse prodesse plurimum: quod nihil præfatæ nostræ decisioni obstat, vt palam est.

a Leg. dotis fructus. & l. plerũque. ff. de iure dotiũ. leg. Quintus Mutius. ff. de donation. inter virum & vxor.
b Quod est 2. extra eod. de donatio. inter virum. & vxo.
c In eodem c.

*Aduertendum, immo magis veram, & communem sententiam esse, occidentem ipso iure succedere occiso, licet ab eo prout indigno possit per fiscum auferri, gloss. l. his consequenter. §. 1. verb. non pertinere. ff. familiæ herciscundæ. Salic. l. 1. num. 5. cap. vnde vir. qui loquitur de coniuge occidente alium ciuem coniugem, Clarus. §. homicida. verb. priuetur. De hac materia vide etiam Palatium de donat. int. vir. in rubr. §. 70. num. 13. & seq. fol. 121. Et de marito, qui si occidat vxorem adulteram amittit lucrum, quod ei lex defert. Couar. in 4. decret. par. 2. cap. 7. §. 7.*

### SVMMARIVM.

1 *Donationem iuramento firmatam, factam vxori, non potest vir etiam legando ad pia opera reuocare, secundum communem, nisi obstet ius municipale.*

## CONSILIVM II.

PAVLVS donauit Romæ vxori suæ ducenta scuta in augmentum dotis, & iurauit non reuocare illam donationem, & veniens ad mortem reliquit centum ex illis alijs operibus pijs. Quæritur an vxor teneatur soluere illa legata.

1 Respondeo, quod præfatus Paulus non potuit reuocare illam donationem iuratam, secundum communem opinionem, quam nos semper sequuti fuimus, & nunc sequimur, per ea quæ adducit Couarruuias.[d] An autem hæc opinio seruetur in Vrbe, nescio; quia sum alienigena, & parum versatus circa Vrbis statuta, quamuis credam vix posse ab Vrbis Senatu statui licitè contrarium huius opinionis.

d In 2. par. rubricæ de testamentis nu. 10.

## DE SECVNDIS NVPTIIS.

### SVMMARIVM.

1 *Mors mariti an per famam solam, vel cum alijs coniecturis probetur, arbitrabitur iudex.*

2 *Testis vnus deponens de fama illam non probat.*

## CONSILIVM I.

VXOR, eo quod subolfecit maritum suũ mortem obiisse, cuperet secundo nubere, sed tamẽ dubitat id posse iustè facere, eo quod mors mariti in dubio versatur: quia tãtùm vnicus testis deponit de publica fama; alter, quod audiuit illum valde ægrotare. Quæritur, quid iuris.

1 Respondetur primo, quod omnium textuum in hac materia disponentium optimus videtur esse cap. *in præsentia*,[e] & post illud auth. *hodie*.[f] & cap. *quoniam frequenter*.[g] adiuncta glossa,[h] in quibus omnibus locis, & alibi sæpe tractant de hac re doctores: & quidquid alij alibi dicant, verior sententia videtur esse, quam tradit Panormitanus quem sequitur ibi Præpositus,[i] & Couarruuias,[k] videlicet, quod relinquitur arbitrio iudicis, an fama mortis coniugis absentis satis probet eam sola, vel cum alijs coniecturis, etiam si nulli sint testes deponentes de visu, vel scientia mortui.

2 Secundo, quod non videtur satis bene probata fama mortis præfati viri: quia solus vnus deponit de illa, & non tam amplè, quam illa requirit, iuxta doctrinam Bartholi,[l] quam etiam nos post alios retulimus in rub. de iud.[m]

e De sponsal.
f C. de repud.
g §. si autem.
h Vt lite non contest.
i In d. c. in præsentia.
k In epitom. super 4. lib. Decreta. 2. par. cap. 7. §. 3. num. 4.
l In l. de minore. §. plurimum. nu. 13 ff. de quæstio.
m Num. 52.

A Tertio, quod, si probaretur per duos vel tres testes idoneos, ita vt requirit Bartholus,[a] sufficeret satis abunde cum coniecturis alijs supradictis bene probatis, ad hoc, vt iustus & æquus iudex arbitrari possit prædictam mortem esse satis probatam, ad hoc, vt prædicta vxor possit licite secundo nubere: & quod ego sine vllo scrupulo id arbitrarer, in gloriam D. N. Iesu Christi, qui nos omnes saluet. Amen.

a Vbi supra.

### SVMMARIVM.

1 *Viuere vltra centum annos etsi homo non præsumatur, non tamen præsumitur vsque ad dictum tempus viuere. & num. 2.*

2 *Vxor, nisi certo sciat mortuum maritum, alij non nubat, etiam si de eo absente ante annos 8. audiuerit ab aliquo quod ad mortẽ paralyticus ægrotabat: quod si nupsit, donec sciat eum viuere, non separetur.*

B

## CONSILIVM II.

QVÆ nupsit in Iudia, & marito se absentante, venit ad Vrbem, & nil certi sciuit de morte ipsius, nisi quod ante septem aut octo annos dixit ei quidam, quod ægrotabat ad mortem, & iacebat paralyticus non potens ambulare, nec edere sine ope & aliena manu, & nunc cupit nubere; Quæritur an possit.

C 1 Pro desiderio huius consulentis facit lapsus quindecim annorum, & testatio vnius, quod ante octo annos vidit eum ægrotum, & paralyticum, & quod suo iudicio non poterat diu viuere; & quod licet præsumatur hominem non viuere vltra centum annos,[b] non tamen presumitur viuere vsque ad 100. annos, vt efficaciter probat Corneus,[c] & quod secundũ glossam receptam,[d] mulier, quæ verisimile credit maritum esse mortuum, posset alteri iustè nubere.

2 Contra tamen facit, quod iure Pontificio non potest nubere mulier, antequam habeat certum nuncium de morte mariti, quantocumque tempore ille absit,[e] & quod quilibet præsumitur posse viuere centum annis; & quod multi ægroti etiam podagra & chiragra laborantes conualuerunt ad simplices mensas redacti, vt ait D. Hieronymus,[f] & quod nullus est testis, nec vlla fama de morte mariti. Quibus pro & contra perpensis, auderem dicere, quod non teneretur illa separare se à marito, si iam contraxisset, donec sciret maritum viuere.[g] Si tamen essem iudex, non auderem dare illi licentiam contrahendi.[h]

D

b l. fin. C. de sacros. eccles.
c In cons. 181. vol. 2.
d In cap. in præsentia. de sponsalib.
e In d. cap. in præsentia.
f In cap. legimus. de consec. dist. 5.
g Arg. cap. fi. de secũd. nup. & cap. inquisitionis. de sẽt. excomm.
h Per d. cap. in præsentia.

*Aduerte, quia præcedens dictum fortè intelligitur quando bona fide contraxisset. Sed & quia materia hæc est satis anceps, vide D. Nauar. in Manual. confess. cap. 6. num. 40. & cap. 22. num. 53. Sot. in 4. q. 37. q. vnica, art. 5. Couar. in 4. decret. cap. 7. §. 3. num. 4. Rebuf. in praxi. sup. regul. de dispens. in grad. prohib. gloss. 5. num. 43. & Monoch. de Arbitr. iudio. quæst. lib. 2. casu 420. num. 118. & sequ.*

### SVMMARIVM.

E

1 *Matrimonium post adulterium, & promissionem de contrahendo post mortem coniugis, contractum non tenet.*

2 *Matrimonium secundum, vbi primi mariti mors non probatur, præsumitur nullum.*

2 *Sententia super matrimonio lata non sic in rem transit iudicatam, quin probato sufficienter contrario retractari valeat:*

3 *Matrimonium coram parocho & testibus contractum tenet, licet aliæ solemnitates non intercesserint.*

4 *Filij adulterini per subsequutum matrimonium non legitimantur.*

4 *Matrimonio nihil obest defectus licentiæ Episcopi, nec concubinatus triginta annorum.*

F

## CONSILIVM III.

OCTAVIVS vir diues filios ex Septimia eius concubina suscepit: Septimia verò longè ante matrimonium cum alio viro contraxerat, qui ab ea discesserat, nec amplius comparuit, nec de eo habita est notitia: & cum dubium esset an Octauius & Septimia personæ habiles ad contrahendum matrimonium essent, & an filij ex adulterio suscepti essent, & verisimiliter ab Episcopo licentiam ad contrahendum habere desperarent, absque dicta Episcopi licentia, & nullis denũciationibus precedentibus, & absque alijs solitis solemnitatibus, cum senes ambo essent, & in concubinatu per triginta annos vixissent, coram parocho & testibus contraxerunt, & ordinarius habita de facto notitia contra eos processit, sed

pro matrimonio ſententiam tulit,quę in rem iudicatam tranſiuit.Modo agnati Octauij, ſeu alij conſanguinei ab inteſtato hæredes venientes, dubitant primo, an matrimonium inter Octauium & Septimiam contractum fuerit validum. Secundo, an filij ſuſcepti ante matrimonium contractum ſint legitimi. Tertio, an poſſint ad retractandam præfatam ſententiam agere.

A

1 Huius quæſtionis deciſio videtur plurimum pendere ex facto: & ideo reſpondetur primo, quod ſi probari poſſet, Octauium aliquando viuente primo marito promiſiſſe, ſiue dediſſe fidem contrahendi matrimonium cum illa poſt mortem mariti ſui,non valet matrimonium propter impedimentum, de quo in tit. *de eo qui duxit in matrimon. quam pol. per adulterium.*

B

Secundo,quod etiam matrimonium non valet, ſi viuebat maritus concubinæ,tempore, quo fuit contractum, de quo dubitari dicitur in facto;quia nulla poteſt eſſe vxor duorum, per totum titulum.*de ſponſa duorum.*

2 Tertio,quod niſi probetur mors prioris mariti,pręſumetur eo viuente fuiſſe contractum,& iudicabitur nullum;quia iure communi præſumitur quis poſſe viuere vſque ad centum annos,vt notatur in l.fin.[a]

a C. de ſacroſ. eccleſ.

Quarto, quod cum ſententia ſuper matrimonio lata non ideo tranſeat in rem iudicatam, quin data informatione colluſionis, vel alia ſufficiente, de integro poſſit cognoſci,iuxta cap.*lator.* & cap.*tenor.* [b] poteſt opponi ab hæredibus Octauij de nullitate contractus matrimonij cum Septimia,per quem tota fraudis ſtructura deſtruetur.

b De re iud.

C

Quinto, quod ſi per exceptiones oppoſitas contra parochum & teſtes elidatur probatio ſecundi matrimonij, etiam cadet Octauius. Ad iudicandum autem hoc,maior informatio facti deſiderari poteſt.

3 Sexto, quod ſi matrimonium probetur contractum coram parocho & duobus teſtibus, etiam ſine alia ordinarij licentia,iudicabitur verum matrimonium,etiam ſi alię ſolemnitates non interuenerint, eſto poſſit rector ob id caſtigari, [a] quoniam à iure antiquo non eſt recedendum, niſi quatenus exprimitur in nouo, [b] & iure antiquo nullum matrimonium eo ſolo,quod eſſet clandeſtinum, reddebatur nullum, vt ipſummet Concilium Tridentinum,[c] affirmat:iure autem nouo illius Concilij Tridentini demum fit nullum matrimonium ob clandeſtinitatem,quando non fuit contractum pręſente parocho,& duobus teſtibus.& in facto præſupponitur, hoc de quo loquimur, fuiſſe contractum coram illis: ergo nec iure antiquo,nec nouo poteſt dici nullum.

a Ca. cum inhibitio. de clã. deſponſ.
b Leg. præcipimus. C. de appellat.
c In cap. 1. de reform. mat. ſeſſ. 24.

4 Septimo, quod filij concubinæ, qui probabuntur fuiſſe nati viuente priore marito, non legitimabuntur quidem per hoc ſecundum matrimonium,quamlibet ſolemniter contractum eſſet; alij tamen,qui probarentur nati poſtea legitimarentur per ipſum contractum eo modo quo in facto narratur, iuxta cap. *tanta.* quod vtrumque probat, [d] etiam ſi nati eſſent durante lite ſuper matrimonio priore.

d Qui filij ſint legit.

Octauo, quod nil officit prædicto matrimonio quo ad ſubſtantiam & veram exiſtentiam, quod non probetur eſſe factum de licentia ordinarij,neque quod parochus mentitus fuerit ei interueniſſe: quia ſufficit quod ipſe parochus vere interfuerit, vt colligitur ex dicto Concilio neque quod 18. 20.vel 30.annis fuerint concubinarij,& adulteri,ſi non interuenit fides de contrahendo: ob hæc enim non tollitur, quin iudicetur Octauius coniux Septimiæ, licet parochus aut teſtes aliàs caſtigari poſſint.

Ex quibus colligitur quæſtionis dubiæ reſponſio, quam quia contra conſulentem eſſe videtur, non eſt cur amplificem.

*FINIS QVARTI LIBRI.*

# CONSILIORVM SIVE RESPONSORVM MARTINI AB AZPILCVETA DOCTORIS NAVARRI

## LIBER QVINTVS.

### DE ACCVSATIONIBVS, INQVISITIONIBVS ET DENVNCIATIONIBVS.

SVMMARIVM.

1 *Offensus potest tuta conscientia instare apud iudicem, vt delinquens pœna mortis merita mulctetur, modo cesset rancor, & adsit iustus finis, à quo ad id moueatur.*

CONSILIVM I.

QVÆDAM mulier, cuius filius fuit occisus, contra interfectorem querelam exposuit apud curiam secularem, vt iuxta suorum demeritorum exigentiam puniretur, & sine odio & rancore intendit ius suum prosequi vsque ad vltimum supplicium, si de iure tali pœna veniret puniẽdus: quæ omnia cum ad aures loci ordinarij, &c. Quæritur an possit ista mulier tuta conscientia, &c.

1 Respondeo, quod est tuta. Tum quia licet quilibet teneatur dimittere rancorem, & remittere odium inordinatum,[a] nemo tamen tenetur remittere iniuriã sine satisfactione præuia, iuxta cap. *& qui emendat.* iuncta glossa & cap. *si quis prælatus.* & cap. *si illic.* adiuncta glossa,[b] & clarius cap. *si quis contristatus.* adiuncta glossa.[c] Tum per ea quæ scripsimus in Manual.[d] Tum per illud D. Thomæ.[e] *Si intentio iudicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod peruenitur per pœnã peccantis, puta ad emendationem peccantis, vel saltem ad cohibitionem eius, & quietem aliorum, & ad iustitiæ conseruationem, & Dei fauorem, potest esse vindicatio licita, alijs debitis circumstantijs seruatis.* Salua. &c.

*Aduertendum præterea referri quendam ordinarium à sacra Congregatione Cardinalium reprehensum, eo quod cuidam mulieri recusanti dare pacem in scriptis ijs, qui eius occiderunt filium, asserenti se odio prædictos homicidas non prosequi, mandauerat denegari sacramentum confeßionis, & communionis.*

a Cap. fin. de pœnit. d. 5.
b 23. qu. 4.
c 90. dist.
d Cap. 14. nu. 25.
e 2. 2. q. 108. art. 1.

SVMMARIVM.

1 *Correctio fraterna à denunciante peccatum occultum potest omitti; si probabiliter creditur non profutura. & nu. 2. item & iustus timor damni præsertim animarum excusat. nu. 3.*
1 *Correctio creditur non profutura peccanti ex deliberatione; secundum quam, & non ex paßione is creditur peccare, qui omnino sine freno peccat peccatum, ac si nõ esset prohibitum.*
2 *Occultum peccatum infectiuum aliorum, siue alteri nociturum, sine correctione præcedente reuelandum, quale est fornicatio. num. 4.*
3 *Conscientia magis seruanda, quam fama.*
3 *Socium criminis denunciandum secreto superiori tanquam patri præcipere superior, & statuere potest religio: & qui contrarium docet, dogmate damnando inuoluitur.*
4 *Accusari potest ob bonũ publicum etiã is qui est iam correctus.*
5 *Collegio notum non dicitur, quod illud repræsentanti notũ est.*

CONSILIVM II.

AN possit fieri denunciatio criminis occulti ante fraternam correctionem?

Secundo, an notum parti repræsentanti totum collegium videatur notum toti collegio?

1 Respondeo, quod denunciatio criminis occulti fieri potest ante fraternam correctionem, quando probabiliter creditur quod non emendabitur peccans per fraternam correctionem; & quod id iustè credi potest, quando peccator huiusmodi peccat ex electione, vel malitia, & non ex passione, vel infirmitate: & quod præsumitur quis ex electione & malitia peccare, qui frequenter, & quasi improhibitè, ac si non esset prohibitus, sine freno peccat; tradit Thomas,[a] & Richardus,[b] Siluester,[c] scilicet quod correctio fraterna non est præmittenda, quando creditur non profutura vt ait S. Tho.[d]
2 Peccatum etiam occultum infectiuum aliorum non requirit correctionem, vt ait Richardus,[e] & Siluester.[f] Peccatum, quod est nociuum alteri, potest sine correctione denunciari, vt ait Siluester vbi supra, & preterea Panormitanus,[g] ait timorem excusare à correctione quem sequitur Sotus.[h]
3 Conscientia enim magis seruanda, quam fama, vt ait S. Thomas,[i] & Sotus,[k] & adde quod nos[l] dicimus, posse procedi sine correctione præuia, si timetur damnum futurum, præsertim animarum. Iulius III. in statutis Franciscanis ait, damnandum esse dogma, quod habet religiosum criminis socium non teneri ad denunciandum illud superiori.
4 Fornicatio est peccatum infectiuum, & denunciari potest sine præuia monitione vt ait S. Thomas.[m] Accusari potest etiam iustè ad bonum commune is, qui iam est emendatus quo ad se, vt scribit Innocentius,[n] Siluester.[o]
5 SECVNDVM DVBIVM, quatenus habet notũ parti repræsentanti collegium, videri notum toti collegio, sic resoluitur, dicendo non videri id firmum, cum notum syndico non censeatur notum Capitulo.

a In 4. dis. 19. qu. 2. ar. 3. ad 2.
b Ibidem.
c Verbo correctio.
d 2. 2. q. 33. a. 8. ad 1.
e In 4.
f Verbo correctio. qu. 6.
g In c. nouit. de iudic. nu. 51.
h De tegen. vel detegen. secret. memb. 2. qu. 2. coroll. 6.
i Quol. 11. qu. 3. art. 2.
k De tegen. memb. 2. qu. 4. conc. 5.
l In rubr. de iudic. nu. 91.
m In 4. d. 19. q. 2. a. 3. ad 2.
n In ca. de his de accusat.
o Verbo accusat. qu. 9.

SVMMARIVM.

1 *Infamis & criminosus repellitur ab accusando, nec eius testimonio creditur. num. 2. sed & iure Pontificio sola facti infamia notatus ab accusando repellitur. num. 1.*
2 *Socio criminis contra socium deponenti non creditur.*
3 *Iudicis factum in dubio iustè & bona intentione factum fuisse præsumitur, nisi probetur contrarium.*
3 *Occulta delicta vt aliquibus manifestentur potest quandoque iudex mandare, immo id faciens præsumitur iuste & bona mente fecisse.*
4 *Iudex non potest procedere contra aliquem via accusationis, nisi adsit accusator, non quicumque, sed legitimus: nec per denunciationem, si non præcesit correctio fraterna: nec per inquisitionem, nisi præcedat infamia non quacumque: sed legitima, orta à beneuolis, & ante iudicium.*

CONSILIVM III.

VIR nequam regularis & apostata confessus est inter alia commisisse crimen pessimum cum alio eiusdem regulæ viro probo, & optimæ famæ.

Quæritur primo, vtrum confessio illa contra præfatum Patrem sit recipienda in iudicio.

Secundo, an debeat ei fides adhiberi, cùm non habeat vllum contestem, neque vlla indicia sufficientia.

Tertio, an prælatus examinator illius infamis, qui fecit vt idem infamis diceret coram quinque vel sex fratribus nesciẽtibus hoc dictum, & postea dixit alij fratri sic, quod cum esset secretum, modo est quasi publicum, bene fecerit, nec ne?

Quarto, quomodo præfatus Pater possit se defendere ab hac calumnia.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo, quòd præfatus frater apostata non habet legitimam personam ad accusandum alium; quia est criminosus, & infamis, quales non permittuntur ad accusandum, [a] vt tradit glossa, [b] quæ sentit quod etiam infamis infamia facti repellitur ab accusando: quam glossam esse seruandam iure Pontificio tenet ibidem Panormitanus communiter receptus, & Goffredus, [c] & alij, quos ipse citat, & probant satis iura citata per præfatam glossam præsertim cap. *omnipotens*. & cap. *meminimus*.

2 AD SECVNDAM, respondetur, quod non est standum suo dicto. Tum per cap. 1. [d] quod habet, eis, qui confessi sunt proprium crimen, non esse credendum deponentibus contra alios participes suorum criminum: pro quo glossa communiter recepta, [e] & Panormitanus citant alia, quæ apud illos & citatos ab eis videri possunt. At præfatus frater confitetur crimen proprium nefandum, ergo non est credendum ei de participe illius criminis. Tum quia est criminosus, & infamis infamia iuris, & facti, & ita non est credendum ei, per cap. *testimonium*. [f] cum multis aliis, quæ citant ibi Barbatius & Felinus. Tum quia testimonium vnius dicitur testimonium nullius, in cap. *cum à nobis*. [g] cum suis concordantibus & ipse non habet contestem, neque alia indicia sufficientia, vt ponitur in facto.

3 AD TERTIAM respondeo, non posse me sine ampliori relatione præfatum prælatum examinatorem condemnare, nec absoluere, quippe qui alia iusta de causa potuit id facere, & etiam aliqua iniusta: & iudex in dubio præsumitur bene facere; quamuis admitteretur probatio contraria, quod mala mente & iniustè id fecerit; quod non est credendum, donec probetur, per cap. *in præsentia*. [h] & l. *merito*. cum similib. ff. pro socio.

4 AD QVARTAM respondeo, quod ex prædictis responsis potest colligi modus defendendi præfatum Reuerendum patrem, opponendo, quod prælatus præfatus examinator non potest procedere per solum dictum præfati fratris. Tum quia non potest procedere per viam accusationis, quia non potest esse legitimus accusator; nec per viam denunciationis, quia non præcessit correctio fraterna; nec per viam inquisitionis, quia non præcessit sufficiens infamia, iuxta cap. *super his*. [i] adiuncto cap. *inquisitionis*. [k] per quod probatur, quod non sufficit vnius, vel alterius, neque trium testium dictum ad procedendum per viam inquisitionis: sed oportet quod sit orta infamia: nec sufficit qualiscumque infamia, vt procedi possit contra huiusmodi approbatos viros, & prælatos, sed oportet quod sit exorta legitime à beneuolis, antequam incipiat procedi, vt est casus in cap. *qualiter & quando*. [l] & ibi glossa notabilis recepta, quæ declarat non sufficere illam, quæ orietur ex maleuolis, & in casu præsenti si qua oborta est, censenda est orta ex illo maleuolo, & ex machinatione examinatoris, quæ non est iudicanda sufficiens, per ea quę nos latissimè dicimus in rub. de iudic.

a Leg. qui accusare. ff. de accusat. cap. prohibentur. 2. qu. 1.
b In cap. 1. de accusat.
c In ca. omnipotens. de accusatio.
d De confess.
e In verbo cõfessi.
f De test.
g De testib.
h De renunciat.
i De accusat.
k Eod. tit.
l 2. de accusa.

### SVMMARIVM.

3 *Correctio, seu admonitio fraterna, quæ regulariter denunciationem præcedere debet, non est necessario præmittenda contra illum, qui ex malitia & quasi improhibite peccat, modo is talis vere sit. num. 1. neque est necessaria in criminibus aliorum infectiuorum, vt est hæresis, & etiam fornicatio regularium: & hoc, si non speratur emendatio. num. 2.*

3 *Inquisitionis iudicium præcedere debet infamia, etiam quo ad regulares; nec sufficit depositio de delicto vnius, immo nec duorum etiam legitimè receptorum testium: at quo ad impedienda mala futura potest; modo de dicto futuro malo sufficienter aliunde, quam à maleuolis & susurronibus, timendum esse constet. num. 4.*

3 *Socij criminis depositio, etiam quod exstent duæ mulieres de se ipsis contra reum deponentes, non aperit viam iudici, etiam religiosorum, procedendi contra suos monachos; sed inquisitionem debet præcedere infamia, & denunciationem admonitio fraterna: possunt tamen legitime inchoato iudicio admitti ad coadiuuandas alias probationes.*

## CONSILIVM IIII.

DVÆ mulierculæ prælato denunciauerunt, quòd N. sacerdos religiosus ad eas accedere frequenter, & quasi improhibitè solebat, & sine fræno eas carnaliter cognoscebat; & interrogatæ, quando, dixerunt, ante vnum annum. Cum d. N. sit modo vir egregiæ opinionis, & ante præfatum tempus bonum religiosi nomen habuerit; dubitat superior, an teneatur inquirere, & procedere contra dictum N. & quidam doctor ob quatuor rationes asseuerat superiorem teneri ad inquirendam veritatem, & procedendum contra d. N. Superior desiderans, nec omittendo, nec operando, diuinæ maiestati vllo modo displicere, petit à Dominatione vestra, quid in hac re debeat facere.

Ad doctrinam S. Thomæ citatam à prædicto D. Doctore post alios respondetur primo, pigere me quod adeo debilia tela in clypeos crystallinos, canones scilicet resplendentes, intententur; pudereque quod adeo male collimata iaciantur.

1 Primo, quod non est necessaria monitio, neque correctio, quando aliquis frequenter, & quasi improhibitè, & sine fręno malitiosè in aliquod peccatum lapsus est. Non inquam obstat: quia D. consulens nullatenus potest dici de ordine illorum, qui frequenter, & quasi improhibitè, & sine fræno in peccatum ex malitia labuntur: quoniam ex his quæ narratio facti continet, apparet ipsum ante tempus, quo præfatæ mulierculæ dicuntur asseruisse eum cum illis peccasse, & tempore illo quo dicunt id fecisse, & longo tempore postea fuisse habitum pro religioso egregiè bono, sincero, & virtutibus Christianis valde ornato, qui non solùm improhibitè, & effrenatè, & ex malitia & consuetudine, sed neque fręnatè, neque ex infirmitate, neque ex ignorantia peccasse, peccareve putaretur. Et ita doctrina illa S. Thomæ nullatenus ipsi adaptari potest: quoniam lex vel dispositio non potest adaptari ei cui verba eius non adaptantur, vt est in l. 4. [a] vbi Bartholus receptus id colligit, & cap. *indemnitatibus*. [b] quatenus ad hoc iuris optimum appellat Felinus. [c]

2 Non obstat secundo doctrina eiusdem S. Thomæ, [d] quod hęresis & fornicatio sunt crimina infectiua aliorum, & quod crimina infectiua possunt denunciari ante admonitionem & fraternam correctionem. Nihil inquam obstat. Tum quia S. Thomas non loquitur de quolibet peccante hæresim, vel aliud crimen infectiuum, sed de illo qui peccauit eiusmodi crimen, & non speratur emendatio: litera enim eius sic habet: *Si autem non speratur emendatio, tunc considerandum est, an crimen sit infectiuum, vt est hæresis, vel fornicatio.* D. autem consulens non est talis, de quo non sperabatur emendatio, si quid peccasset, immo necunde apparet legitimè illum peccasse peccatum, cuius insimulatur: immo, vt prædictum est, in casu proposito narratur eum fuisse & esse egregium virtutis studiosum, & ante tempus quo dicitur peccasse, & eo quo dicitur peccasse, & multo tempore post iudicatus est castus, & bonitate conspicuus. Tum quia S. Thomas expresse habet, [e] quod etiam in peccato hæreseos occulto habet locum præceptum de correctione fraterna præmittenda; si verisimiliter creditur propter eam emendatum iri. Tum quia quædam hæresis est dicere, quod S. Thomas & qui eum sequuntur omnes teneant in peccato fornicationis non esse locum præcepto de correctione fraterna, quando speratur correctio, sed solum quando non speraretur emendatio, & probabiliter timeretur aliorum infectio, vt ipsemet limitat in locis supradictis.

3 Non obstat tertio doctrina Panormitani, [f] qui in nulla parte sui commenti meminit de iudicio, licet meminerit de præsumptione illa quali quali, quæ iuuare potest probationem: quod nihil facit contra ea, quæ prædiximus. Non enim ex hoc sequitur quod procedi possit per viam inquisitionis, non præcedente infamia; neque quod procedi possit per viam denunciationis, non præcedente monitione charitatiua, quod nos dicimus. Nam nec dictum vnius testis, neque duorum etiam legitimorum sufficit ad inquirendum specialiter: vti est casus expressus in cap. *inquisitionis*. [g] quod in prima responsione citauimus: & ad procedendũ per viam denunciationis Euangelicæ requiritur admonitio, [h] vt declaratur. Tum quia Panormitanus loquitur de socio, & sic viro consorte criminis: nos autem loquimur de fœmina cõsorte criminis, quæ longè

a Toties. ff. de dam. inf.
b §. supradic. de elect. lib. 6.
c In cap. nonnulli. de rescr.
d Ibid.
e In 2. 2. quæ. 33. art. 7.
f In d. ca. quoniam de testi.
g De accus.
h In eod. cap.

minorem præsumptionem facit, quàm vir; quia regulariter repellitur à testimonio in criminalibus, à quo non repelluntur viri. Tum quia in casu d.cap. *quoniam.* iubebantur adduci mulieres participes criminis, postquam crimen fuit denunciatum legitimè, & procedebatur per viam iustæ denunciationis: quo casu concedimus posse adduci testes etiam non legitimos ad quale quale augmentum probationis: sed in nostro casu agitur de incipiendo processu, & quæritur an possit incipi virtute dicti consortis criminis sine notorietate, infamia, denunciatione legitima, & accusatione; & dicimus non posse, per textus supra citatos.

4 Non obstat quarto id quod dicitur nos dixisse in rubri. de iud. scilicet posse inquiri contra aliquem absque infamia vel indiciis, ad impedienda & euitanda mala futura, & etiam contra hæreticum, suspicione aliqua præcedente. Quoniam in casu nostro nec id vel leuiter timebatur, nec timetur, nec de illo habebatur suspicio, nec habetur, nisi ab indiciis maleuolis, susurronibus, & detractoribus, quales olim etiam de Christo Domino nostro fuerunt aliquot Pharisæi, & principes, & scribæ populi, de quorum conceptis & dictis nō est curandum, [a] quia cæci sunt, & duces cæcorum. [b]

a Cap. qualiter. 1. & 2. de accus.
b Matthæi 15.

*SVMMARIVM.*

1 *Inquisitio specialis de aliquo delicto contra aliquem, nondum de eo diffamatum, formari non potest, etiamsi adsint duo vel tres idonei testes.*

2 *Delicti particeps non est testis idoneus; vnde per duos illius participes quis non potest conuinci, maximè si sint mulieres, quæ contra sacerdotem non debent in criminalibus admitti.*

3 *Reuelans delictum occultum, antequā à iudice iuridicè iubeatur, peccat, quid autem, si iudex iubeat, vide remissiue. nu. 4.*

3 *Testis vnus integer si deponat de delicto ipso, semiplene probat; secus si deponat de sola confessione delinquentis: quia deponit solum de indicio, ex quo semiplene probato nihil probatur de delicto.*

## CONSILIVM V.

QVIDAM sacerdos verè commiserat delictum, nulla tamen laborabat infamia circa hoc.

Quæritur primo, an stantibus duobus testibus possit iudex via inquisitionis procedere contra dictum sacerdotem inquirendo specialiter de illo.

Secundo, an prædictus sacerdos possit conuinci per duas mulieres, quæ erant complices criminis.

Tertio, an cum sit vnus fide dignus, qui scit delictum hoc per confessionem ipsius delinquentis, possit illud reuelare, antequam à iudice interrogetur iuridicè.

Quarto, an si iudex ecclesiasticus præciperet etiam sub pœna excommunicationis, vt quicumque sciuerit tale delictum reuelet, teneantur in conscientia reuelare qui sciunt, si delinquens nulla laborat infamia.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondetur præfatum testimonium non esse sufficiens ad inquirendum specialiter contra præfatum sacerdotē, vt habet decisio expressa, quę est Innocentij III. [c] quatenus habet nō posse inquiri contra aliquem etiam propter dicta duorum vel trium testium etiam idoneorum, nisi laboret infamia: in quod faciunt plurima quæ nos congessimus in rubr. de iudic. [d]

c In ca. inquisitionis. de accusatio.
d à nu. 52. & seq.

2 AD SECVNDAM, quod non potest per præfatas mulieres conuinci præfatus sacerdos. Tum quia confitentur se participes criminis: & particeps criminis non est idoneus testis, vt est in cap. 1. [e] cum ei latè adnotatis. Tum quia sunt mulieres, quæ non debent admitti contra sacerdotem in causa criminali. [f]

e De cōfessis.
f Cap. mulierem. 33. qu. 5. cap. forus adiuncta glo. de verb. signif.

3 AD TERTIAM respondeo, quod præfatus fide dignus peccaret grauiter reuelando illud secretum, antequam à iudice ordine iuris seruato iuberetur id facere: & quod licet dictum eius sufficeret ad probandam confessionem semiplene, ad probandum tamen delictum etiam semiplene non sufficeret, quia licet dictum vnius testis idonei deponentis de ipsomet delicto inducat semiplenam probationem; dictum tamen testis etiam idonei deponentis de confessione vel indicio, nihil videtur probare de ipso delicto: quia indicium nisi plenè probetur, nihil probat de delicto, secundum Bartholum communiter receptum: in quod, quia non vacat, nec est necesse, non dilato magis.

4 AD QVARTAM, quæ nec vllam de iuris ordine mentionem facit, colligere potest responsum D. consulens ex nostris dictis in nostro Manu. confess. [a] & in rubr. de iud. vbi supra, & latius in cap. *inter verba.* [b]

a Cap. 18. nu. 1. remissiuè & decisiuè n. 38. & 40.
b 11. quæst. 3.

*SVMMARIVM.*

1 *Accusatus de crimine, pendente lite, modo non præcesserit infamia de eo apud graues viros, promoueri potest, & concurrere ad beneficia.*

## CONSILIVM VI.

AN accusatus de crimine possit pendente lite promoueri?

1 Respondetur, quod sic. Tum quia cap. *omnipotens.* [c] cum suis concordantibus limitatur non procedere in accusato per maleuolos, & non grauato apud graues & bonos viros, secundum Hostiensem & Ioannem Andream, [d] quos refert & sequitur multum ibi commendans Felinus & meritò: quia alioqui facillimè cuique pateret via optimos & doctissimos impediendi ab assequutione beneficiorum per concursum; si sola accusatio à quouis maleuolo, vel improbo facta, non sequuta apud bonos & graues viros infamia, sufficeret ad repellendum à concursu, & petitione beneficij; quod esset absurdum, & ita non dicendum. [e]

c De accusa.
d In cap. minime. de accusat.
e L. nāquod absurdum. ff. de bon. liber. &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Quærenda facilius impediuntur, quam quod quæsita tollantur: vnde prælatus, & seruus, qui non possunt nocere ecclesiæ nec domino in quæsitis, præiudicant tamen in quærendis.*

2 *Appellatio interposita à sententia lata super crimine inhabilitante ad honores, etsi suspendat ipsam sententiam, ac inhabilitatis pœnam quo ad honores adeptos, quos retinet, non tamen tollit infamiam (si qua ante orta erat) impedientem, ne ad nouos eligatur honores.*

3 *Accusatus de crimine inhabilitante ad honores, non debet post iudicium & eo pendente ad illos eligi, nu. 5. & hoc, si præcesserit legitima inscriptio, n. 4. & propter accusationem sit factus infamis apud graues viros: adeo vt licet sit sparsus rumor quod accusatus fecit tale delictum, si tamen graues viri illud non credant, non impediatur. n. 6. & 7. sicut nec impediret, si accusatio malo animo facta fuisset. num. 7.*

3 *Denunciatus de crimine inhabilitante ad dignitates, ea pendente, non debet ad illas eligi: & hoc, dummodo denunciatio fuerit rite recepta, videlicet præcedente fraterna correctione, n. 4. & non formata animo calumnioso & malo, & quod de dicto crimine remaneat apud graues viros diffamatus, & quod non fuerit à maleuolis orta, nu. 7.*

4 *Inquisitus de crimine inhabilitante ad dignitates, ea pendente, non debet ad illas eligi: & hoc modo inquisitio non sit solùm generalis informatoria, licet cum voluntate deueniendi ad specialem, nu. 7. sed debet esse simpliciter contra talem personam solemniter formata, & super ea cœptum iudicium taliter, quod reus saltem fuerit ad illi respondendum citatus, num. 5. præcesseritque infamia apud graues & honestos viros suborta, n. 7. & sit de graui crimine, num. 8. & quod non fuerit à maleuolis suborta, nec calumniose formata. n. 7.*

6 *Infamatus infamia impediente promotionem non dicitur is, cui sententia condemnationis fuit intimata, sed tamen graues viri non credunt, nec crediderunt reum esse de dicto crimine culpabilem.*

8 *Promotionem ad honores non impedit omnis accusatio, denunciatio, & inquisitio, sed debet esse de crimine graui, puta capitali, vel status.*

## CONSILIVM VII.

1 SVPER antinomia l. 1. vers. *ergo.* [f] ex vna parte, & l. *reus.* [g] ex altera, dico primum eam optime tolli per earumdem glossas Accursij quæ in summa habent, quod præfatus vers. *ergo.* agit de honore præterito iam quæsito, l. autem *reus.* de honore futuro nondum quæsito: & ideo nil mirum, quod appellatio non iuuet tantum in casu illius, quantum

f Dig. nil nouari appell. pend.
g Dig. de muner. & hono.

tum in huius: quia *Turpius eiicitur quam nō admittitur hospes.* [a] & seruus potest nocere in quærendis, & non in quæsitis. [b] Prælatus item potest nocere Ecclesiæ in quærendis, non autem in quæsitis, vt ait glossa fin. [c] & irregularitas non priuat ipso iure beneficio quæsito, quærendo verò sic, vt ait Innocentius. [d] Secundo, quod ille versic. *ergo.* facit aliquid, sed ex longinquo, pro parte affirmatiua quæstionis, an suspensio suspendatur per appellationem: & leg. illa *reus.* facit, sed ex longinquo, pro parte negatiua eiusdem quæstionis.

A

a Cap. quemadmodum. de iureiur.
b Leg. seruus. cum gloss. Co. de pact.
c 16. qu. 6.
d In ca. cum nostris. de concess. prabend.

2 Tertio, quod tenens partem affirmatiuam præfatæ quæstionis facile potest respondere præfatæ l. *reus.* quod ratio, quare reus condemnatus de crimine inhabilitante ad honores, non debeat promoueri ad illos, etiam si appellauerit, quod habet illa lex, non est quia appellatio non suspendit sententiam; sed quia infamia exorta ex receptione inter reos ob crimen faciens quempiam inhabilem ad honorem, impedit cum ab illo assequendo, iuxta l. 2. [e] & cap. *infamibus.* [f] & ita illam intellexit glossa recepta. [g]

B

e C. de digni. lib. 12.
f De reg. iur. lib. 6.
g In cap. omnipotēs. de accusat.

3 An autem illud c. & dict. l. *reus.* cum allegatis à suis glossis obstent promotioni N. electi Prioris generalis, ea ratione, quod accusatus non sit promouendus, alia quæstio est, ad quam non respondi antea, cum præfata responderé: quia non quærebatur de illa. Nunc autem quando quæritur, licet occupatissimus, respōdeo primo, quod pro eius parte affirmante facit præfatum cap. *omnipotens.* & cap. *tantis Daniel.* [h] quatenus habent, denunciatum de aliquo crimine, pendente causa denunciationis, non debere promoueri ad aliquam dignitatem: & præfatus Prior N. videtur fuisse denunciatus de crimine, & quod pendente denunciatione contra Priorem fuit ipse electus.

C

h 81. distinct.

Secundo, quod l. *reus.* [i] & l. *qui de libertate.* [k] probāt, eum qui de crimine accusatur, vel seruus esse prętenditur, lite pendente non esse promouendum ad dignitatem: at super crimine præfati Prioris videbatur lis pēdere tempore suæ electionis, & promotionis.

i Dig. de mu. & honor.
k Dig. de lib. causa.

4 Pro parte tamen negāte, quæ verior est, facit primo, quod non pendebat lis vlla super aliquo crimine contra præfatum Priorem tempore suæ electionis: non quidem super accusatione, quia nemo illum accusauit: nam accusationem debet præcedere inscriptio, [l] non item super denunciatione, quia denunciationem præcedere debet correctio fraterna, [m] quarum neutra in casu prędicti Prioris interuenit, non item super inquisitione: quia nondum fuit processum contra eum specialiter, licet generaliter & præparatoriè contra totum conuentum processum fuisset. Duplex enim est inquisitio, scilicet generalis, siue pręparatoria, qua generaliter Episcopus, vel Visitator inquirit crimina nemine nominato; & altera specialis, siue solemnis, qua procedit specialiter contra eum, quem per generalem inquisitionem, vel infamiam, vel aliam viam inuenit culpabilem, secundum Speculatorem, [n] receptum communiter ab omnibus, [o] & singulariter probatur in c. 1. [p] & nemo per solam generalem & præparatoriam inquisitionem dicitur inquisitus, & contra neminem dicitur pendere lis propter generalem inquisitionem.

D

E

l Capi. super his. de accusa.
m Dict. ca. super his.
n De inquisit. §. quando.
o In cap. 1. de offic. ord. & in l. congruit. ff. de offic. præsi.
p §. de censib. lib. 6.

5 Tum quia nondum est iudicium cum ipso cœptum, cum nondum sit citatus, siue vocatus, siue iussus respōdere ad culpam intimatam: & sine citatione nō potest esse iudicium, nec lis pendens. [q] Tum quia alioquin contra omnes, qui per generalem inquisitionem inuenirentur notati, censeretur cœpta lis inquisitionis, antequam citarētur, & antequam quidquam eis intimaretur, quod est contra mentem omnium vbi supra, quodque nemo vnquam dixit. Tum quia non potest dici litem inquisitionis pendere, donec incipiatur: non potest autem incipi, donec citatio, vel intimatio culpæ ad respondendum, quod effectu idem est, fiat. & consequenter propter inquisitionis pendentiam non potest præfatus Prior à promotione repelli: & ita propter nullius litis super crimine pendentiam potuit repelli, quæ profecto ratio omni responsione maior est, & ex ea efficax solutio colligitur ad d. l. *reus.* quæ de reo accusato, immo & condemnato promouendo appellatione pendente loquitur: & ad dict. l. *qui de libertate.* quæ etiam de illo, contra quem super seruitute lis pendebat, agit: & ad d. cap. *omnipotens.* & cap. *tantis Daniel.* quæ loquuntur de denunciatis, contra quos procedebatur.

F

q §. fin. Instit. de offi. iud. & clem. 2. vt lite pend. & l. vbi cœptum. ff. de iud.

6 Secundo pro eadem parte negante facit dictum Hostiensis, [a] communiter recepti ibi per alios, & Felinum, [b] & antea per Ludouicum, [c] quem ille, & alij communiter vitiose citant, scilicet, quod tunc demum impeditur promotio per accusationem, quando propter illam accusatus est factus infamis apud bonos & graues viros, & non aliàs. & præfatus Prior per visitationem generalem non fuit factus infamis apud bonos & graues viros, immo neque apud aliquos alios: quia visitatio fuit secreta; & nulli pręter Visitatorem, notarium, & deponentem, sciebant Priorem fuisse notatum de tali crimine, donec fuit intimata pœna suspensionis, quæ intimatio non produxit infamiam. Tum quia conuentus, qui erat clerus, non credidit eum ita deliquisse, nec tenebatur credere, iuxta doctrinam Innocentij probatam à Felino. [d] Tum quia fuit lata sine vocatione, siue indicatione culpæ, & sine vlla copia se defendendi facta, & ita inualidè, & nulliter.

a In cap. meminimus. de accusat.
b In dicto ca. omnipotens.
c Singu. 443.
d In dict. cap. omnipotens. num. 4.

7 Tertio, quod præfatum dictum Hostiensis adeo est verum, quod, etiam si nec ipse, nec alius illud dixisset, erat tamen asserendum: quia ratio, quare accusatus, denunciatus, vel inquisitus non debet promoueri, est, quia per talem accusationem, denunciationem, vel inquisitionem factus est infamis, vt supra in concordia antinomiæ tetigimus, & affirmat Ananias per glossam receptam, [e] nemo autem dicitur infamis, vel laborare infamia, nisi ea sit apud bonos & graues viros, licet rumor aliquis sit sparsus, & etiam creditus apud aliquos, vt probatur in cap. *qualiter & quando.* [f] cuius glossa [g] recepta ab omnibus id declarat, & subdit, quod requiritur etiam quod non sit orta ab inimicis, neque maleuolis, ergo accusatio, denunciatio, vel inquisitio non impedit promotionem, nisi per eam sit orta infamia apud bonos & graues viros.

e Ibi in d. cap. omnipotens.
f 2. de accusa.
g In verb. ad inquirēdum.

Quarto, quod pendentia accusationis, vel inquisitionis factæ calumniosè, vel malo animo, non impedit promotionem, vt probat cap. *meminimus.* [h] at hic malo animo interuenit, vt coniicitur ex multis in facto contentis.

h De accusa.

Quinto, quod voluntas accusandi, inquirendi, vel denunciandi non sufficit ad hoc, sed oportet quod actu pendeat, vt notat Ananias. [i] At in casu proposito non fuit inquisitio formata contra Priorem, sed solum facta preparatio per generalem inquisitionem, & voluntas fortè descendendi ad specialem, ad quam tamen per octo menses non processerat, nec vt creditur processisset, nisi vt innocentem electionem perturbaret contra breue Apostolicum, quo iubebatur ne directè vel indirectè impediret liberam electionem Prioris faciendam.

i In d. ca. meminimus. nu. 2.

8 Sexto, quod tunc demum accusatio, denunciatio, vel inquisitio infamat, quando est facta de graui causa, puta capitali, vel status, vt notat Ananias, [k] & probat, eo quod aliàs sequeretur, quod accusatio de fractione silentij, vel ieiunij, vel omissione precum horariarum vnius vel alterius diei, induceret hunc effectum; quod est absurdum, & contra mentem contextus præfati cap. *tantis.* & d. cap. *omnipotens.* & similium, quæ loquuntur de graui crimine, at comburere vnum librum de consilio seniorum, relicto transumpto ad id necessario, non erat tale: & præterea iam fuit super eo sententia nullam vel leuissimam pœnam continens lata. ergo, &c.

k In dict. cap. omnipotens. nu. 6.

## SVMMARIVM.

1 *Legem humanam aliquid nec iure naturali nec diuino præceptum obscure iubentem qui bona fide credēs bene facere non obseruat iudex, nec mortaliter peccat, nec ad aliquam tenetur restitutionem parti, idem dicitur, si eamdem ex causa sibi bona fide iusta iudicata, etsi reuera talis non esset, non obseruat. num. 5.*

2 *Indiciorum copiam reo torquendo, non diuina, nec naturalis, sed sola humana lex, & hoc subobscure, & tunc demum si petatur, dari iubet.*

3 *Iudex tunc demum aliquid sibi sub pœna mandatum omittendo pœnam incurrit, si pars vt id faceret petiit.*

4 *Torquens iudex reum, contra quem vera sufficientia adsunt indicia, ad nullam coram Deo tenetur pœnam, licet contra legem humanam non dederit indiciorum debitam copiam.*

5 *Testes contra reos condemnandos examinatos repetendos esse, nec diuina, nec naturalis, sed sola humana lex, cui etiam particulari consuetudine derogari potest, mandat.*

5 *Consuetudo*

5 *Consuetudo à pœna saltem temporali excusat transgredientem etiam legem naturalem.*

## CONSILIVM VIII.

SACERDOS quidam pius, & doctus, olim inquisitor multos reos aliàs sufficiēter indiciatos torqueri fecit, non data eis copia indiciorum, nec assignato termino ad faciendas suas defensiones, quia non petierunt sibi dari: & præterea in causis processit ad reorum condemnationem, non repetitis testibus, qui de cõsuetudine loci vt plurimum non soliti sunt repeti. Cum igitur in præmissis bona fide; & credens bene agere processerit, quæritur an teneatur ad aliquam satisfactionem parti læsæ.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo, quod non videtur teneri ad vlteriorem restitutionem faciendam parti, saltem in foro conscientiæ. Primo quidem, quod ipse omisit dare copiam indiciorum sine dolo, & bona fide, non credens se male facere: idque omisit in materia nullo iure naturali, neque diuino, nec humano claro præcepta: & qui iudex modo præfato transgreditur legem humanam subobscuram, non peccat mortaliter, secundum Innocentium, [a] quem commendat Baldus, [b] & vtrumque sequitur Felinus. [c]

2 Secundo, quod lex de danda copia indiciorum reo est humana, & obscurè lata. Quia licet communis opinio teneat dandam esse copiam indiciorum ante torturam, iuxta doctrinam Bartholi, [d] ob rationes quas tradit Alexāder, [e] nullus tamen videtur textus in hoc expressus: quādoquidem l. *vnius.* [f] quæ videtur omnium probatissima, obscurè id dicit; immo in sensu directo solum probat id esse faciendum postulante reo, significans à contrario sensu non esse necessarium id facere, eo non petente.

3 Tertio, quod D. iudex non incidit in pœnam, sub qua tenetur aliquid facere, nisi requiratur à parte, iuxta glossam receptam & notabilem, [g] & alia multa quæ tradit Felinus, [h] & citati ab eo.

4 Quarto, quod licet regulariter iudex mereretur pœnam, non dando copiam iudiciorum etiam non petenti; id tamen falleret quo ad forum conscientiæ, quando indicia verè coram Deo essent sufficientia: quoniam omnia sunt ei aperta, [i] & ita quo ad Deum D. consulens non peccauit: quia præfati rei erant sufficienter indiciati, vt ponitur in casu.

5 AD SECVNDAM, de omissione repetitionis testium, respondeo, quod neque ob illam videtur D. consulens ad vlteriorem restitutionem teneri. Tum per argumenta responsionis præcedentis. Tum quia consuetudo illius terræ habebat vt plurimum ne repeterentur necessario, vt ponitur in casu; & cùm lex de repetendis testibus iuris naturalis non sit, nec diuini, sed tantùm humani, potuit ibi consuetudine limitari. [k] Tum quod consuetudo excusat à pœna saltem temporali, etiam transgredientem legem naturalem, iuxta glossam, [l] quæ habet similem in cap. *cum venerabilis.* [m] Tum quia qui transgreditur legem humanam ex causa, quæ bona fide sibi videtur iusta, licet verè non sit omnino talis, non peccat plusquam venialiter, secundum mentem D. Thomæ, [n] vbi pulchre hoc explicat Caietanus & tradidimus nos in Manu. confess. [o] & paulo explicatius infra, [p] vbi hoc videri potest.

a In capi. per tuas. 2. de simon.
b In l. ab eo. Co. quomodo & quando iudex.
c In c. 1. in limi. 2. de re iudic.
d In l. fi. in q. pen. de qu.
e Consil. 65. volum. 1. col. 2.
f §. cogniturū. ff. de quæstiō.
g In capi. fin. de rescriptis, in verb. damnis.
h In cap. si autem. de rescri. num. 4.
i Ad Hebræos 4. & capit. Deus omnipotens. 2. qu. 1.
k Cap. fin. de consuet.
l Cap. denique 4. distinct.
m De consuetud.
n In 1. 2. qu. 96. art. 6. & 2. 2. qu. 147. art. 3.
o In 9. prælu. num. 14.
p In capi. 23. num. 42.

## DE SIMONIA, ET NE ALIQVID PRO SPIRITVALIBVS EXIgatur vel promittatur.

### SVMMARIVM.

1 *Simoniaca est & nulla omnis dispositio, per quam recepto temporali traditur beneficium spirituale, num. 2. & 6.*

3 *Simonia committitur accipiendo aliquid, etiam pro eo quod est annexum rei spirituali.*

5 *Literarum tituli beneficialis pretium spectat ad notarium, differtque ab annata, earumque valor semoto respectu traditionis rei spiritualis modicus est. num. 4. Vnde Episcopus qui partem fructuum pro eis exigit, conuincitur non pro valore literarum, sed pro pretio iuris spiritualis, simoniacè exigere. num. 3.*

6 *Simoniacam labem vetantia iura nō possunt per non vsum tolli, fueruntque præterea innouata per sacrum Concilium, quod non potest adhuc dici sublatum.*

## CONSILIVM I.

DE Episcopo accipiente pro expeditione literarum collationis beneficij tertiam partem fructuum illius; an id iure facere possit, ita vt collatio valeat?

1 Respondetur primo, quod omnis beneficij collatio, prouisio, confirmatio, electio, præsentatio, & qualibet alia dispositio simoniaca simonia reali est ipso iure nulla, per extrauagantem, [a] & plurimos antiquos canones, quos pro singulis modis prædictis prouidendi & aliis multis citat Cosmas in glossa Concilij Bituricensis, [b] per quæ, & per tradita à nobis post alios in Man. confess. [c] id colligitur: quo Concilio fuit etiam expresse prohibitum ne quid exigeretur à collatoribus pro literis seu bullis prouisionis beneficiorum.

2 Secundo, quod omnis, qui tradit spirituale beneficium per modos supradictos, & alios, & accipit aliquod temporale pro illa traditione, committit simoniam realem, si ab vtraque parte compleatur saltem in parte traditio, & acceptio per prædicta.

3 Tertio, quòd omnis, qui accipit aliquod temporale pro expeditione literarum collationis, prouisionis, confirmationis, præsentationis, electionis, vel cuiuslibet alius dispositionis beneficialis præfatarum traditionum, censetur accipere pro traditione illa spirituali, ad cuius probationem literæ expediuntur. Tum quod non solum committitur simonia accipiendo aliquid pro traditione rei spiritualis, sed etiam accipiendo aliquid pro eo, quod est annexum rei spirituali, vt patet ex definitione simoniæ data à glossa, [d] quam nos profundè declaramus in d. Manu. [e] & per cap. 1. [f] & constat expeditionem literarum ad probandum collationem, vel aliam traditionem rei spiritualis, esse quid annexum rei spirituali ex eo, quod de illarum iustitia & valore non potest cognoscere iudex sæcularis. [g] Tum quod sophistica, falsa, inusitata, & puerilis interpretatio est, dicere, quod liceat accipere pro literis titulorum beneficiorum spiritualium, & non pro titulis ipsis. Tum per dictum cap. 1. [h] quod cum multis ei concordantibus clare definit, ordinantem Episcopum, qui capit ab ordinato aliquid pro pastellis, & literis ordinationum, esse simoniacum: quia censetur capere pro traditione ordinū, & eadem ratione qui capit aliquid pro literis, vel expeditione literarū, quibus probanda est traditio beneficij per aliquem modum tradendi, est simoniacus.

4 Tum quod valor solarum literarū expeditionis sine respectu ad traditionem rei spiritualis non valet vno scuto, neque dimidiato, neque quandoque vno iulio: copia enim simplex literarum expeditionis tanti valet in sua substātia, quanti valent literæ tituli originalis, semoto respectu ad traditionem rei spiritualis. Et constat valere parum ipsam copiam simplicem. Nam palam est pro vno iulio extrahi copiam simplicem originalis scripturæ: & ita grande peccatum mortale esset iniustitiæ accipere pro substantia literarū expeditionis tertiam partem fructuum, contra legem naturalem contentam in 7. præcepto Decalogi, quod est iuris naturalis, & alia præcepta, vt declarat S. Thomas, [i] & sentit alio in loco, [k] & cōsequenter teneretur restituere illam, cùm omnia peccata iniustitiæ obligent ad restituendum iniustè acceptum, per cap. *peccatum,* [l] & cap. *si res aliena.* [m] & nos latius tradimus in dict. Man. [n]

5 Tum quod pretium scripturæ literarum est aliud à tertia parte, quæ accipitur pro annata; quia illud soluitur notario, hæc verò Episcopo: & consequenter non potest dici eam accipi pro pretio literarum, sed pro traditione tituli. Cui consequens est, illam acceptionem esse simoniacam, & esto non esset simoniaca, esset tamen peccatum mortale iniustitiæ inducens restituendi obligationem.

6 Quarto, quod negari non potest id esse vetitum per Concilium Tridentinū, [o] quo simoniaci reputantur omnes modi conferendi, instituendi, & prouidendi spiritualia beneficia, accipiendo aliquid temporale pro illis.

Quinto, quod etiam non prodest Episcopo dicere dictam Concilij Bricensis prohibitionem sublatam esse per Regiam constitutionem (de qua per Rebuffum, [p] permittentem per huiusmodi posse quid accipi) & per non vsum. Tum quia constitutio illa fuit præfato Concilio conformis cum aliquantula illius relaxatione; quia per illud vetatur, ne quidquā accipiatur, & constitutio permittit accipere vnum aureum. Tum

a De simon.
b In tit. de ānatis, in prin.
c Cap. 23. nu. 103. & 111.
d 1. q. 1. in sūma.
e Vbi sup. nu. 100.
f De simon.
g Arg. capit. quāto. de iu. cum ei adnot.
h De simon.
i In 1. 2. qu. 100. art. 1. & 8.
k In 2. 2. qu. 122. art. 1.
l De reg. iur. lib. 6.
m 14. qu. 6.
n Cap. 17. n. 7. & in tract. de redit. eccl. qu. 1. mon. 1. 2. & 7.
o In cap. 14. de refor. sess. 24.
p In prax. tit. quot modis beneficia acquirantur. nu. 15.

quod iura simoniacam labem vetantia non possunt tolli per non vsum, quia sunt conformia iuri diuino, & naturali, contra quod præscribi non potest, vt latè notatur per omnes. [a] Tum quod ad tollendā legem canonicam receptam requiritur 40. anni, vt latè tradit post alios Felinus, [b] & à Concilio Tridentino nondum sunt lapsi 22. anni, quod innouauit omnia iura statuta contra simoniacam labem, & innouauit etiam insueta contra illud, [c] non obstantibus contrariis, etiam consuetudinibus immemorabilibus. Per quæ omnia satis superque monstratur non licere prædicto Episcopo percipere prædictam tertiam partem, & teneri eum restituere ea, quæ percepit, nisi remissionem vel condonationem aliquam iustam consequatur. Salua, &c.

a In cap. fin. de consuetud.
b In cap. 1. de treug. & pace. num. 7.
c In cap. 14.

SVMMARIVM.

1 *Consuetudo capiendi vnum scutum pro subscriptione & registratione seu sigillo bullæ prouisionis beneficij non excusat secretarium collatoris.*

2 *Notarius non potest magis capere pro calamo, quam Episcopus pro ordinatione.*

2 *Innouatio legis antiquæ consuetudine abrogatæ operatur vt antiqua consuetudo amplius non excuset.*

CONSILIVM II.

QVÆRITVR, vtrum tuta conscientia Romæ à secretario Cardinalis collatoris, cum ibi ita cōsuetudo vigeat, possit accipi scutum vnum pro subscriptione, & registratura bullæ prouisionis beneficij ecclesiastici, quamuis nullum alium laborem in huiusmodi bulla habeat. Item pro impressione, seu appensione sigilli in supradicta bulla alterum scutum accipi possit, cum & ita se consuetudo habeat, cumque Concilium Tridentinum neque cap. 14. sess. 24. neque cap. 1. sess. 21. de hoc aliquid decreuerit.

1 Ad duas quæstiones præmissas videtur respondendum negatiuè. Tum quia prædictū Concilium, [d] expressè habet, ne quid accipiatur pro institutionibus, vel collationibus beneficiorum. Tum quia idem latius iubetur cap. *ex multis.* [e] & cap. *instituatur.* cap. *cum in ecclesia.* & cap. *Iacobus.* [f] quæ probant non licere quidquam accipere pro collationibus beneficiorum, etiam in pios vsus conuertendū: quamuis quantum ad hoc prædictum Conc. Tridentinum limitauerit illa.

2 Tum quia cap. 1. [g] & cap. *sicut Episcopum.* [h] statuitur, ne notarius magis capiat pro calamo, quam Episcopus pro ordinatione, & institutione. Tum quia prædictum Concilium Tridentinum innouauit omnia iura antiqua: & ita licet in desuetudinem abiissent, reuixerunt tamen, & sunt hodie valida. Tum quia prædictum Concilium declarauit, nullam consuetudinem etiam immemorialem cōtra hæc quidquam valere. Cum itaque consuetudo nihil prosit; & iura antiqua, quæ hoc prohibet, sint innouata per nouissimum, quod idem prohibet; consequens est non licere supradicta.

d Cap. 14. sess. 24.
e 1. qu. 3.
f De simon.
g De simo.
h 1. qu. 1.

SVMMARIVM.

1 *Simoniā nō cōmittit, qui in actu collationis exigit id quod pariter exigeret, si nō ab ipso, sed ab alio fieret dicta collatio. n. 4.*

2 *Immemorialem quasi possessionem qui habet exigendi aliquid à collatario beneficij, quamcumque causam iustam dictæ exactionis etiamque & priuilegij Papæ allegando, eo ipso quod illam vel illud allegat, probat.*

3 *Annatam, seu fructuum dimidium primi anni vacationis beneficiorum plurimæ ecclesiæ ex antiquissima consuetudine percipere solent, hocque Pontifex iustè concedere potest.*

4 *Collationis tempore collatarius promittens collatori soluere quidquid ei iustè debebit, non est simoniacus; quia promissio eius quod tacitè inest non vitiat.*

CONSILIVM III.

CANONICI cathedralis ecclesiæ N. nonnullarum parochialium collationem habentes, soliti sunt ab Ecclesiis, quas ipsi conferunt, quamdam præstationem exigere, & præcipuè à plebe montis Morini medietatem decimarum per immemorabile tempus exegerunt. Nunc modernus de plebis rector, cui à Gregorio xiii. fuit liberè facta collatio, nulla obligatione seu onere adiecto, recusat talem præstationem medietatis decimarum dictis canonicis persoluere; canonici verò ipsum teneri omnino prætendunt, & ad talem obligationem probandam adducuntur tria instrumēta collationum dictæ plebis, in quibus promittuntur ea, quæ solent in collationibus promitti: promittitur etiam dicta medietas decimarum, quæ deducitur in promissionem ac stipulationem in ipso actu conferendi, cum in dictis instrumentis dicatur, quod is, cui fiebat collatio, promisit, & conuenit medietatem decimarum persoluere, quæ quidem præstatio in prędicto instrumento collationis nuncupatur affictus, in reliquis verò instrumentis collationum non appellatur amplius affictus, sed promittitur tamquam debita huiusmodi præstatio de iure, & antiqua & laudabili consuetudine, nullo alio tali præstationi imposito nomine, siue causa, nisi quod sit de iure, & laudabili consuetudine. Accedit præterea, quod & alij etiam, quibus post collationes in dictis instrumentis contentas fuit liberè à Papa facta collatio, dictam medietatem decimarum dictis canonicis persoluerunt, prout & alij ante fecerant, quibus ab ipsis canonicis erat facta collatio. Quam quidem præstationem modernus rector soluere recusat, cum nulla ostendatur causa illam præstandi; & initium, quod ex dictis instrumentis apparet, videtur vitiosum, cùm libera debeat esse collatio, nullo pacto, promissione, seu conditione apposita, prout in dictis instrumentis collationū promissum apparet. Quæritur, an talis præstatio valeat de iure fieri absque simoniæ labe.

1 Respondeo primo, quod narrata in hoc facto secum pugnare videntur, quatenus primò in eo dicitur, quòd canonici prædictum dimidium decimarum consueti sunt petere, & exigere à plebe montis Morini. Deinde præsupponitur, quòd non plebs, sed rector plebis solet illud soluere, vel quod nunc rector renuit soluere; de plebe autem, an ipsa velit, vel nolit, nihil dicitur: & nemo non videt, plurimum referre ad iudicandum interuenisse simoniam, an plebs, cui non confertur rectoria, dicatur soluere solita, an rector, cui illa confertur, sit solitus soluere.

Secundo, quod in facto præsupponitur solitum solui prædictum dimidium decimarum canonicis, etiam cum rectoria confertur à Papa, & non à canonicis; cui cōsequens est, quod prædicti canonici nō sunt soliti capere prædictum dimidium propter collationem, quam faciunt; quandoquidem illud capiunt, etiam cùm ipsi illam non faciunt.

2 Tertio, quod in facto præsupponitur à tempore immemoriali factam fuisse hanc præstationem, cui consequens est, posse probari per illud quamcumque iustam causam, quæ ad id imponendum occurrere potuisset à principio, arg. l. *hoc iure.* [a] & cap. *super quibusdam.* [b] & eis adnotatorum. At palam est priuilegio Papæ potuisse illud onus iustè imponi siue plebi, siue rectori, præsertim consentienti, qui consensus probabitur etiam per illud tempus, si oportuerit, & allegatus fuerit per prædictos canonicos.

3 Quarto, quod in multis ecclesiis habet antiquissima consuetudo, vt medietas fructuum beneficij, quoties vacauerit, debeatur fabricæ, vel mortuo beneficiario, vel alicui alij, vt clarè colligitur ex extrauagante, *suscepti.* [c]

Quinto, quod iustissimè potuit Papa imponere huiusmodi annatæ solutionem faciendam, quoties vacauerit, prædictis canonicis, seu Capitulo eorum ad se honestè sustentandum, argumento prædictæ extrauagantis: & ita, si voluerint canonici allegare ista, audiri debebunt.

4 Sexto, quod certum est, eum cui confertur beneficium, posse iustè sine labe simoniæ promittere conferenti, vel cuilibet alij etiā in tituli acceptatione, quod post acceptationem soluet, quicquid iustè debebit: quia expressio eius, quod tacitè inest, non inducit simoniam, vt habet glossa memorabilis, [d] Quare non auderem in præsentia subscribere me consilio cōtra illos dato, & mihi ostēso, licet videatur mihi illud à viro ingenio, iudicio, & eruditione præstanti redditum. Salua, &c.

a §. ductus aquæ. ff. de aqua quotidia. & æstiua.
b De verbo. sig.
c Ne sede vacante. inter cō munes.
d Cap. ad audientiam 2. de rescrip. ar. cap. significasti. de elect. & l. 3. de lega. 1.

SVMMARIVM.

1 *Collatio beneficij, cum pacto, vt dimidia fructuū detur collatori, vel tertio, est simoniaca; & si sequuta collatione, dicti fructus dentur, efficitur realis ab vtraque parte completa habens annexas censuras. nu. 3.*

2 *Pensionem etsi ex iusta causa poßit imponere Episcopus super beneficio; attamen quia hoc est contra ius regulare, Episcopus numquam censetur velle facere, nisi id exprimat.*

2 *Dispensare censetur Papa eo ipso, quod scienter facit actum, qui sine dispensatione non teneret; Episcopus autem nō, nisi expresse dicat se dispensare.*

CONSILIVM IIII.

AN committatur simonia realis, si Episcopus cōferat beneficium simplex vni, cum pacto, & conditione vt dimidium fructuum daret alteri, & ille acceptet illam colla-

tionem

tionem cum prædicto pacto,& cõditione,& capta possessione det dimidium fructuum eius alteri?

1 Respondeo, quod Panormitanus expresse dixit, [a] quod conferens alicui beneficium cum pacto, vel conditione, vt aliqua pars fructuum sibi detur, committit simoniam; & eadem est ratio, si faciat pactum, vel ponat conditionem, quod aliqua pars fructuum detur alteri. Tum quia omne pactum, & omnis modus, & conditio, quæ iure non inest, adiecta collationi beneficij efficit eam simoniacam, vt habet cap. *quam pio.* [b] & facit glossa solemnis, [c] & hic apponitur collationi pactum, conditio, vel modus. Tum quia non possumus dicere, quod Episcopus adiiciendo præfatam cõditionem voluit imponere pensionem: quia non dixit illud Episcopus, & cum Episcopus vult facere aliquid contra ius commune, etiam in casu in quo id facere potest, non videtur illud facere velle, nisi id exprimat.

2 Illa enim est differentia solemnis inter Papam, & inferiores, quod Papa faciendo aliquid, quod non potest valere propter aliquem defectum iuris, nisi dispenset, si scit illum defectum, videtur tacitè dispensare, non autem inferior eo, nisi expressè dicat se dispensare: quæ est doctrina Panormitani recepta; [d] quam colligit ex concordia duorum dictorum Innocentij. [e] Et ita cum imponere pensionem beneficio sit contra ius regulare. [f] Episcopus non potest id sine iusta causa facere, nec videtur velle pensionem imponere, nisi id exprimat. Tum quia aliud est imponere pensionem super beneficio, & aliud facere collationem conditionalem, vel modalem: & in casu proposito fuit facta collatio conditionalis, vel modalis, vt in ipso casu proponitur. Tum quia verba prædicta Episcopi non significant mentem suam esse onerandi beneficium pensione, sed beneficiarium modo & onere soluendi dimidium fructuum.

3 Itaque dolens profecto respondeo, prædictam collationem esse simoniacam, & realem ab vtraq; parte completam, & consequenter inducere censuras. Salua, &c.

a In cap. 1. notab. 13. vt ec clesiastica beneficia sint diminut.

b 1. Quæst. 2. cap. fin. de pactis.

c In cap. dudum. verbo libere. de præb. lib. 6.

d In ca. diuersis fallacijs. de cleri. coniuga.

e In cap. veniens. de fil. presbyt. & dicto cap. diuersis fallacijs.

f Cap. extirpandæ. de præbend.

SVMMARIVM.

1 *Simonia etsi dicatur tunc committi, cum pro spirituali traditur temporale, non tamen requiritur actualis traditio: cum sola conuentio, nu. 3. immò & voluntas quærendi spirituale per contractum non gratuitum sufficiat. nu. 4. ad hoc tamen, vt sit realis, non sufficit sola voluntas, immo nec conatus, nu. 2. nec promißio dandi temporale, sed requiritur vera traditio rei, nu. 5. illius inquam, ad quam vt detur principaliter & cum effectu seu re ipsa respicitur. nu. 6.*

2 *Conatus qui fuit aliquid facere, non ligatur pœna contra tale quid facientem decreta.*

5 *Instrumentum continens obligationem promissæ summæ iuxta conuenta traditum causat adimplementum conuentæ simoniæ: & hoc, si receptio instrumenti erat principaliter intenta, secus si principaliter intendebatur receptio pecuniæ, & minus principaliter traditio instrumenti ad probandum. n. 6.*

5 *Remißionis instrumentum falsi debiti quod hinc inde vere subsistere credebatur, prout simoniacè conuentum fuerat, tradens, simoniam non adimplet. nu. 6. & per totum consilium.*

## CONSILIVM V.

IS, ad quem pertinebat collatio cuiusdam beneficij vacantis, indubiè credebat debere se centum Petro petenti sibi cõferri illud beneficium, & Petrus etiam certo credebat deberi sibi illa 100. & conuenerunt ambo, vt Petrus remitteret & donaret illud debitũ collatori beneficij, & quod ipse conferret illud eidem, remissione facta per d. Petrum, collator contulit ei beneficium: collato illo, constitit collatorem nihil debuisse Petro. Quæritur, an interuenerit in hoc casu simonia, & qualis.

1 Pro parte negante, quod nulla in hoc casu interuenit simonia, facit primo, quod ad hoc, vt interueniat illa, requiritur vt aliquod temporale detur pro spirituali, vel contra aliquod spirituale pro temporali, iuxta definitionem simoniæ positam in summa, [g] receptam communiter à S. Thoma & aliis, [h] declaratam à nobis in Manu. confes. [i] & in casu proposito nil temporale fuit datum pro spirituali; quia reuera nihil debebat collator, & ita reuera nil fuit remissum, vel donatum.

2 Secundo, quod, qui tentat facere aliquid, quod verè non facit, non incurrit pœnam contra facientem illud impositam: vt qui percutit laicum credens esse clericum non est excommunicatus, iuxta glossã, Panormitanũ & alios. [k] Neque qui iugulat hominem mortuum, putans se iugulare viuum, est irregularis, vt tradimus in Manu. confess. [a] post Archidiac. [b]

g 1. Quæst. 1.

h In 4. dist. 25. & ab eod. 2. 2. quæ. 100.

i Capit. 23. à num. 100.

k In cap. si vero. 2. de sent. excom.

3 Pro parte vero affirmante, quod interuenerit simonia, facit primo, quod omnis traditio rei spiritualis facta mediante aliqua conuentione, aut conditione, saltem tali, quæ iure non inest, dicitur simoniaca, [c] & cõstat in hoc casu traditam fuisse rem spiritualem, præmissa conuentione & conditione remissionis, & donationis, quæ consequuta fuit.

4 Secundo, quod simonia est voluntas studiosa emendi, vel vendendi aliquod spirituale, vel spirituali annexũ, iuxta glossam prædictam, [d] idest voluntas quærendi aliquod spirituale per contractum non gratuitũ, vt nos declaramus vbi supra, & ita non requiritur ad essentiam simoniæ, quod detur aliquod temporale pro spirituali; quia sufficit, vt interueniat voluntas emendi, siue quærendi non gratuito aliquid spirituale, quod constat hic interuenisse.

Pro resolutione dico primo, negari non posse interuenisse in hoc casu aliquam simoniam, per rationes pro parte affirmante factas. Nec obstant rationes pro parte negante adductæ: quia soluuntur per rationem secundam pro parte affirmante adductam, qua probatur ad essentiam simoniæ sufficere voluntatem quærendi spirituale per contractum non gratuitum, quod hic contigit.

5 Secundo, quod ad dicendum quod non fuit simonia realis, multum facit decisio illa Caietani, [e] relata à nobis in prædict. Man. [f] scilicet quod promittens in instrumento publico 100. scuta alteri, vt conferat sibi beneficium sine vllo animo emendi illud, nec soluendi illa, non committit simoniam, quod ipsum illum sequutus dixit Sotus, [g] facit inquam, eo quod etiam in nostro casu, licet interuenisset animus remittendi, & donandi, verè tamen nihil fuit donatum, vel remissum. Facit secũdo, quo ad simoniam realem requiritur, quod conuentio fuerit completa pro vtraque parte, vt traditur in d. Manu. [h] & in hoc casu licet conuentio fuerit cõpleta ex parte collatoris, non tamen videtur impleta ex parte collatarij, quia verè nihil remisit, vel donauit, licet putauerit se donasse.

Sed ad dicendum quod sit realis, facit primo, quod nos tenuimus ibi firma ratione contra Caietanum. Deinde facit id, quod nos ibidem subiecimus, videlicet, quod esset simonia realis, conuentio, qua conuenirent duo, vnus ad dandum spirituale, alter ad dandum instrumẽtum promissionis 100. si alter daret spirituale promissum, & alter traderet instrumẽtum eiusmodi promissum, etiam si numquam solueret: & in casu proposito conuentum fuit de dando beneficio, si alter chirographum remissionis traderet, quod tradidit.

6 Sed pro solutione prioris horũ facit, quod nos tenuimus cum Caietano dicendo, quod talis nõ esset simonia realis, sed quod esset tantum simonia conuentionalis.

Pro solutione autem posterioris facit id, quod nos statim ibidem subiecimus, videlicet quod non cõpletur simonia realis propter traditionẽ instrumenti de soluendo factam ab eo qui daturus est temporale, quando is qui traditurus est spirituale principaliter cõsiderat quod promittitur, & minus principaliter instrumentum ad solam probationem promissionis exposcit: quod in nostro casu videtur contigisse, quia in eo collator principaliter desiderauit remitti & donari sibi, quod putabat debere, & minus principaliter chirographum, tantùm ad hoc, quod probaret, si opus esset, remissum esse sibi debitum, &c.

a Cap. 27. nu. 219.

b In ca. si quis 15. qu. 1.

c Cap. quam pio. 1. qu. 2. & capi. cum pridem. & ca. fi. de pactis.

d In summa 1. quæst. 1.

e In 2. tomo. tract. 9. qu. 2. de simon.

f Cap. 23. nu. 106.

g Lib. 9. qu. 5. art. 1. de iust. & iure.

h Cap. 23. nu. 105.

SVMMARIVM.

1 *Simonia est, conferre beneficium vacans, cum pacto quod resignetur alteri, vnam certam pensionem sibi, & alteram (si beneficium alterius erit capax) tertio reseruando.*

1 *Realis & completa etiam dicitur illa simonia, in qua non omnia hinc inde conuenta, sed solum pro parte adimplentur.*

2 *Error circa ius humanum obscurum, intellectúque difficile, non est peccatum mortale.*

## CONSILIVM VI.

CARDINALIS quidam habens indultum ad conferendum beneficia cuiusdam Ecclesiæ, vacante quodam canonicatu eiusdem, contulit illum cuidam familiari nobili, dicendo, Accipe illud, quia postea resignabitur cum pẽsione, ita quod tibi pensio scutorũ 100. & reliquum, si maioris pensionis erit capax, alteri reseruabitur. Qui familiaris acceptauit illum; & quia erat litigiosus, renunciauit illum collitiganti, reseruata sibi pensione centum scutorum, per concor-

diam,

diam, in qua si maior pensio potuisset reseruari, eo erat animo quod consensisset, vt reliqua maior pensio reseruaretur, cui vellet Cardinalis. Quæritur, an fuerit admissa simonia etiam realis.

1 Pro parte negante facit, quod non videtur interuenire vlla pactio, sed tantum quædam admonitio, & significatio modi, quo posset habere familiaris pensionem prædictam, & quod non videtur fuisse exequuta voluntas Cardinalis: quia renunciatio non fuit facta, vt ipse volebat, & in eum, quem ipse elegisset, si lis non fuisset consequuta.

Pro parte verò affirmante facit, quod familiaris consensit voluntati Cardinalis, volentis, vt canonicatus renunciaretur, & renuncianti reseruaretur illa pensio, immo & altera alteri; item quod licet non fuerit exequuta voluntas Cardinalis in totum, fuit tamen exequuta quo ad partem, quod videtur sufficere, per ea quæ scripsimus in Manual.[a] Et denique quia cum pactum sit duorum in idem consensus,[b] & in casu proposito D. Cardinalis consenserit in hoc, vt ipse conferret canoniam familiari, & familiaris renunciaret illam reseruando sibi pensionem centum, & alteri quidquid amplius posset reseruari, non potest negari interuenisse in hoc pactum, & consequenter simoniam conuentionalem: & cum ex parte Cardinalis fuerit completa in totum, & ex parte familiaris saltem pro parte, consequitur eam fuisse realem, per ea quæ in dicto Manual.[c] scripsimus.

a Cap. 23. nu. 105.
b Leg. 1. ff. de pact.
c Num 105.

Quare respondendum videtur, vt cõsulens porrigat summo Pœnitentiario petitionem contentam in scheda, quam ad me misit, addendo in fine illius sequentia verba, si per verba Latina voluerit eam porrigere; sin autem, per verba Italica.

2 Attento quod prædicta simonia adeo subtilis videtur, quod à paucis, nisi valde eruditis, iudicabitur esse talis: & ideo orator non iudicauit eam fuisse talem: & quod non est simonia à iure naturali, vel diuino prohibita, sed solum iure humano canonico inducta: & quod error circa ius humanum obscurum & difficile intellectu non est peccatum mortale, secundum Innocentium,[d] receptum à Felino, & alijs relatis per eum.[e] Attento denique quod huiusmodi consensus inter conferentes, & familiares, quibus conferunt, solent interuenire quasi quædam gratiarũ actiones sine cogitatu simoniæ.

d Ca. per tuas 2. de simonia.
e Cap. 1. col. pen. de re iud.

### SVMMARIVM.

*1 Collatario dicens collator, Ego dabo tibi beneficium, & tu ex fructibus illius dabis mihi 20. scuta, quæ pro tuo prædecessore expendi, præsumetur simoniacus: at si vere accepit pro dictis expensis, & non pro collatione, non erit talis coram Deo; tanto minus, si non ideo minus contulisset, etiam quod dicta 20. non esset habiturus.*

## CONSILIVM VII.

QVIDAM Episcopus coniecit in carcerem quemdam monachum, & archipresbyterum suę diœcesis propter monetam falsam, quam simul conficiebant: pro quorum victu expendit duodecim, vel plures fortasse ducatos. Præterea cum iste archipresbyter aufugisset, prædictus Episcopus soluit 25. alios ducatos ijs, qui eum ceperunt: nam ita promissio facta erat. Morte deinde ipsius archipresbyteri interueniente Episcopus contulit archipresbyteratum in quemdam sacerdotem; sed ante collationem dixit huic sacerdoti: Ego feci tot expensas in capiendis his malefactoribus: dabo tibi hoc beneficium, & tu ex fructibus ipsius dabis mihi 25. ducatos: quos sacerdos postea dedit, qui tamen volebat tunc soluere 12. ducatos: sed cum Episcopus iterum dixisset ei, vt mitteret sibi 25. ducatos, misit per fratrem. Sciendum tamen est, quod iste Episcopus non contulit huiusmodi beneficium principaliter propter pecuniam: nam etiamsi sciuisset illam sibi non posse solui, nihilominus dedisset ei beneficium, quantum existimare potest.

Quæritur modo, an talis Episcopus, & sacerdos archipresbyter factus commiserint simoniam: & si posset iterum conferre Episcopus archipresbyteratum in eundem sacerdotem, in euentu quod beneficium vacaret. hoc factum sciunt plures fratres istius archipresbyteri, ac tres aut quatuor alij, & fortasse plures.

1 Respondeo primo, prędictum Reuerendissimum quisquis ille sit, iudicatum iri simoniacum in foro exteriori; quia in eo præsumeretur prędictos 25. ducatos datos & acceptos esse principaliter, & tamquam causa, sine qua non fuisset inductus ad conferendum beneficium.[f]

f Arg. cap. 1. & multorum aliorum, de sim.

Secundo, quod in foro conscientiæ non est iudicandus simoniacus: quia verè, & coram Deo, coram quo nihil valet præsumptio contra stantem veritatem, iuxta cap. *humanæ aures.*[a] & cap. *tua.*[b] cum notatis vtrobique,[c] non fuerunt dati principaliter pro beneficio, sed pro impensis factis pro capiendo, & alendo beneficiario, cuius morte vacauit beneficium, immo neque tamquam causa sine qua non fieret collatio, vt ex facto colligitur: & huiusmodi datio vel acceptio non est coram Deo simoniaca, per illa multa, quæ nos in hoc citauimus in Manu. confess.[d]

a 22. quæst. 5.
b De sponsal.
c Et in cap. is qui.
d Cap. 23. nu. 100. vers. 5. & num. 101. &c.

### SVMMARIVM.

*1 Electores meliorem & vtiliorem eligere tenentur: quod si absque rationabili causa minus dignum eligant, peccãt quidem, sed tenet electio, si electus est dignus, nec ad restitutionem tenentur, at si eligant indignum, indeque sequatur damnum, tenentur restituere, non quidem digno excluso, sed ipsi ecclesiæ. num. 2.*

*3 Amicitia sperata, vtilitasque priuata eligentis, non facit vt eligendus sit reputandus dignior altero non tali.*

*4 Eligere debentium si aliqui conueniant, non nisi pro se ipsis, vel pro aliquibus reciproce suffragium ferre, committunt simoniam conuentionalem, quæ si ab vtraque parte compleatur, efficitur realis, habens pœnas excommunicationis, n. 5. in qua ante absolutionem celebrantes efficiuntur irregulares. n. 6. sed & sic electi statim de prædicto vitio habita notitia tenentur resignare taliter obtenta beneficia. num. 5.*

*4 Suffragari sibi inuicem, vel alteri, si conueniant electores, committunt simoniam, quia sic per pactionem acquiruntur beneficia.*

*7 Excommunicatus à peccato, etiam quod sit contritus, absolui non potest, nisi prius ab excommunicatione absoluatur.*

## CONSILIVM VIII.

CVM ad triginta presbyteros beneficiarios duarum ecclesiarum parochialium pertineret auctoritate Apostolica præsentatio curionum, quos curatos appellant, eligendorum ex ipsismet beneficiariis, & institutio ad Episcopũ; maior pars eorum conuenit, vt in quibuscumque vacationibus occurrentibus ita eligerent de se ipsis, vt pro nullo alio suffragia ferrent, donec ipsi omnes fierent curati, siue curiones; & vt conuenerunt, ita etiam conuentionem fuerunt exequuti. Quæritur quid iuris.

1 Ex hoc facto resultant multæ quæstiones, quæ sic deciduntur. Prima quidem, quod prædicti presbyteri debent eligere digniorem ad exercẽdam prædictam animarum curam, iuxta cap. *licet.*[e] & alia quæ allegat glossa in d. cap. *licet.* & glossa pragmaticæ sanctionis Gallicanæ,[f] & Panormitanus, Francus, & Decius.[g] Mihi semper placuit, & placet resolutio, quæ colligitur ex S. Thoma,[h] quæ communiter videtur recepta, videlicet quod eligentes quidem tenentur eligere meliorem & vtiliorem: & si absque causa rationabili eligunt minus dignum, peccant quidem peccatum acceptionis personarum, sed valet electio, si quem eligunt est dignus.

2 AD SECVNDAM respondeo, quod, si elegerint dignum, etiam omisso digniore, non tenentur ad restitutionem: si autem indignum elegerint, & inde consequutum fuerit aliquod malum, sic: & quando tenentur restituere, non tenentur restituere digniori prætermisso, sed Ecclesiæ læsæ, vt resoluimus in Man. confess.[i]

e 8. qu. 1. cap. vnum. §. nũc autem. 25. di. cap. constitutis. 2. de appel lat.
f Tit. de elect. §. ego N. ver. vtiliorem.
g In dict. cap. constitutis. de appell.
h 2. 2. qu. 63. art. 3. ad 3.
i Capi. 17. à nu. 72. & 73.

3 AD TERTIAM respondeo, quod prædicti presbyteri sic conuenientes & coniurantes peccãt primo peccatum acceptionis personarum, accipientes pro causa eligendi amicitiam, & spem prouidendi sibi, vel aliis amicis, cum illa non faciat eligendum dignum electione, vt colligitur abundè ex S. Thoma.[k]

4 Secundo peccant peccatũ simoniæ. Tum quia omnes, qui faciunt aliquam conuentionem, quo sibi vel alteri quæratur beneficium spirituale, committunt simoniam,[l] & prædicti faciunt eiusmodi conuentionem. Tum quia canonici ita conuenientes, vt vnus suffragetur alicui in vna electione, vt alius suffragetur ei in altera, simoniam committunt, vt diximus in dicto Man. confess.[m] post Angelũ,[n] & Siluestrum,[o] addita noua & neruosa ratione.

5 AD QVARTAM, quod scientes se fuisse electos virtute huiusmodi conuentionis, & coniurationis, tenentur statim, ac sciuerint, renũciare illa beneficia curata, iuxta c. *de regular.* & cap. *ex insinuatione.*[p] & glossam receptam,[q] & quod

k In di. ar. 2.
l Cap. quam pio. 1. q. 2. cap. cum pridem. & cap fin. de pact.
m Cap. 23. n. 100. vers. nã cum quis.
n In summa verb simonia 3. §. 2.
o Verbo simonia q. 13. nu. 4.
p De simon.
q Ca. ex multis. 1. qu. 3.

A

sic conuenientes & coniurantes admittunt simoniam mentalem, & conuentionalem tantum, si non fuerit completa; si autem fuerit ab vtraque parte completa, erit simonia realis, per quam incident, vel inciderunt in pœnas, de quibus in Manual. confess.[a]

6 AD QVINTAM respondeo, quod prædicti conuenientes & coniurati tenentur pœnitere tam grauis peccati, cuius antequam pœniteat, reatus durat, & post pœnitentiam etiam excommunicatio Papæ reseruata per extrauagantem 2.[b] & consequenter si antequam absolutionem consequerentur, missarunt, facti sunt irregulares.[c]

7 AD SEXTAM, quod ex prædictis colligitur, ad eam respondendum affirmatiuè: quandoquidem venia non datur nisi correcto, nec quis absolui potest nisi contritus, aut certè

B

adeo attritus, quod eum pœniteat peccati, & proponat ab illo cessare, nec amplius illud committere,[d] immo nec possunt absolui à peccato, nisi prius fuerint ab excommunicatione absoluti, per ea quæ adduximus in Manual.[e]

a Vbi sup.
b De simon.
c Ca. 2. & c. si celebrat. de cleric. excom. minist.
d Cap. peccatum. de reg. iur. lib. 6. cap. firmissime. 15. qu. 1. & cap. omnis. de consec. dist. 4.
e Cap. 26. nu. 7. & seq.

SVMMARIVM.

1 *Simonia sola voluntate committitur, sed non pœna eius incurritur, num. 5. nec obligat restituere. nu. 3.*

2 *Electores ad coëligendum, alios non habentes vocem vocare, & eis vocis suffragium dare possunt; quod in dubio non præsumitur. & seq.*

4 *Subscriptio, quam feci scripturæ continenti multa capita, venit restringenda ad ea quæ ad me de iure spectant, vt sic euitetur delictum.*

C

## CONSILIVM IX.

MANDATO de simoniacè aliquem eligendo, & Ecclesiam defendendo, tam vocem actiuam habentes, quàm N. qui solum quo ad defendendum vocem habebat, se subscripserunt. Dubitatur, an dictus N. inciderit in pœnas simoniacorum.

1 Pro parte affirmante facit primo, quod simonia est voluntas emendi, vel vendendi spirituale pro temporali, iuxta glossam receptam,[f] & declaratam à nobis in Manu. confess.[g] & ita etiam non dando, nec accipiendo spirituale pro tempo-

D

rali, sola voluntate potest committi simonia. Vnde si quispiã laicus nullam habens potestatem vellet conferre aliquod spirituale pro temporali, committeret simoniam; sicut qui vellet furari, committeret furtum, licet non furaretur.[h]

2 Secundo, quod electores habentes potestatem eligendi ad aliquod beneficium possunt vocare aliquos ad coëligendum secum, & dare illis voces æquipollentes suis, argumento cap. *Cumana.*[i] & notatorum in cap. *obeuntibus.*[k]

Tertio, quod licet consulens non haberet potestatem, nec vocem ad conferendum beneficium, habebat tamen eam quo ad dandam potestatem defendendi Ecclesiam.

3 Pro parte vero negante facit primò, quod simonia mentalis nullam pœnam, nec censuram, nec restitutionem habet annexam.[l]

E

Secundo, quod habentes ius eligendi, vel conferendi, non censentur in dubio dare alijs vocem ad conferendum. Tum argumento præfati cap. *Cumana.* & ca. *in Genesi.*[m] Tum quod nullus videtur bona sua velle iactare.[n] Tum quod præfatus D. consulens quasi inaduertenter fuit admissus ad subsignandam scripturam, quatenus continebat commissionem potestatis conferendi beneficium.

4 Tertio, quod in dubio actus præsumitur bonus,[o] nec est præsumendum esse malum id quod potest iudicari esse bonum.[p] At subsignatio consulentis potest interpretari bona quo ad collationem potestatis ad defendendam Ecclesiam: ergo non est interpretanda malè ad dandam potestatem ad

F

collationem faciendam.

5 Non obstant opposita. Ad primum enim respondetur concedendo quod potest committi simonia sola voluntate committendi eam; sed negando quod per talem simoniam incurratur vlla censura, per d. cap. fin.[q]

Ad secundum respondetur concedendo quod habentes potestatem eligendi possunt dare voces alijs ad coëligendum illis; negando tamen quod in dubio videantur eas dare: & in casu nostro non fuerunt datæ; & ita in casu nostro non debet præsumi fuisse illi datam ab alijs ampliorem potestatem, quam habebat, per prædicta.

Ad tertium, quod simonia non fuit commissa propter da-

f 1. quæst. 1. in sum.
g Cap. 23. nu. 100.
h Ca. si cui. de pœnit. dist. 1.
i De elect.
k 63. dist.
l Cap. fi. de simonia.
m De elect.
n Leg. cum de indebito. ff. de probat.
o Cap. 2. de reg. iur. & l. merito. ff. pro socio.
p Leg. si procurator. ff. de con. indeb. & cap. 1. de iure iur. lib. 6.
q De simon.

tionem potestatis ad defendendum Ecclesiam, sed propter potestatem datam ad conferendum. Per quæ pars hæc posterior videtur verior. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Simonia est, patrono, qui præsentare promisit sed postea non præsentauit, petenti sibi in gratiam dictæ promissionis aliquid pecuniarum concedi, tradere, non quidem realis, sed conuentionalis tantum, quæ sola simoniacum ad beneficia obtinenda inhabilem nequaquam reddit. n. 2. & 4.*

3 *Criminoso, etiam quod sit conuentionalis simoniacus, num. 4. & cuicumque alteri crimini obnoxio, modo non sint de ipso iure expresse inducentibus irregularitatem, vel inhabilitatem ad ea, facta collatio tenet. nu. 3.*

4 *Ratificare possum simoniæ delictum in mei gratiam perpetratum, sicut & cætera alia delicta. nu. 7. ex eo tamen quod pecuniam in mei gratiam solutam restituo, non probatur necessario ratihabitio, cum illam alia mente & ob alium finem poterim & possim numerare, puta, ad releuandum dantem à damno, num. 5. & seq. & ad seruandum meum honorem, n. 11. & similes alios fines principales: & hoc, etiam si aliter non dedissem dictam pecuniam, nisi in mei gratiam malè data, & sic perdita fuisset. nu 8. & seq.*

5 *Species peccatorum distinguuntur magis ex diuersitate finis, quam rerum, temporis, & personarum.*

6 *Confessio qualificata non potest reiecta qualitate acceptari, nisi quando ius præsumit contra confitentem, vt in delictis, cum ea malo animo facta præsumantur.*

9 *Turpiter ob delictum perpetrandum promissum, etiam sequuta causa, non obligat; immo neque ex dicta causa promissum potest solui: et si possit ob aliam causam & ob alium finem principalem dari, puta, ad conseruandam amicitiam, in signum grati animi, & reciprocæ beneuolentiæ, n. 8. & ad conseruandum proprium honorem, & æstimationem. nu. 11. & 9.*

## CONSILIVM X.

PATRONVS cathedralis, Episcopo tunc ægrotante, promisit præsentare L. & cognatus rogatus à patrono, vt in gratiam prædictæ promissionis aliquam summam pecuniarum concederet, eam tradidit: sed patronus, antequam ipsum L. præsentaret, obiit, & promissio nullum habuit effectum: & L. cui post mortem patroni hæc tantummodo innotuerunt, rogatus à cognato, dictam summam, ne damnũ sentiret, ei soluit. Quæritur, an L. factus sit inhabilis ad alium episcopatum seu beneficia obtinendum.

1 Pro resolutione huius dubij dico primo, certum esse quod prædictus patronus, & cognatus admiserunt simoniam.[a]

Secundo, quod simonia illa non fuit realis, per quam incurruntur censuræ, & aliæ pœnæ ipso iure, quas nos tetigimus in Man. confess.[b]

2 Tertio, quod prædicta simonia fuit conuentionalis tantum, ab vna parte solum completa, & ita punibilis, & ob eam posset quis priuari beneficio etiam iam habito, vt dicitur in dicto Man.[c]

Quarto, quod nulla simonia conuentionalis tantum facit quem ipso iure inhabilem ad beneficia, licet ob eam per sententiam posset inhabilitari, vt tangitur in dicto Manu.[d]

3 Quinto, quod collatio tali simoniaco facta, & electio de illo celebrata ipso iure valent, vt elicitur ex dictis,[e] & quia quidquid inuoluat Felinus,[f] & alij alibi, veritas est; quod collatio facta criminoso ipso iure valet; nisi quando crimen est tale, quod inducit ipso iure irregularitatem, vel inhabilitatem expresse, per ea, quæ ipsemet Felinus citat & scribit retractans prius à se dicta,[g] & irrefragabiliter probari potest per illa, quæ ibi tangit ipse, & citati ab eo in suis locis, & per illam regulam glossæ receptam,[h] scilicet, quod nulla pœna incurritur ipso iure, nisi in casibus expressis in eo.

4 Sexto, quod ex iis sequitur prædictum L. etiam si esset verum quod admisisset simoniam prædictam per ratificationem, tamen non esse excommunicatum, non suspensum, non irregularem, neque inhabilem ipso iure ad vllum beneficium; & quod collatio illi facta, & electio seu præsentatio de illo celebrata ipso iure valeret, & sine vlla dispẽsatione retinere posset: quamuis iudex causa cognita posset eum priuare iure per ea sibi quæsito.

Item dico, quod per ea, quæ contra ipsum proponuntur, & adducuntur, non est dicẽdum quod ipse admiserit simoniam etiam conuentionalem tantùm. Primò quidem, quia ipse non

a Ca. de hoc. de sim.
b Cap. 23. nu. 111.
c Vbi sup. nu. 103.
d Num. 103.
e In illo. nu.
f In c. fin. de præsumpt. & in cap. quere lam. de iure iur. & in cap. 2. post prin. de rescri.
g In d. cap. 2. nu. 4. ver. sed contrariam.
h In ca. fin. de iur. patr.

admisit eam per se, vt præsupponitur in facto.

5 Secundo, quod non probatur satis eum ratificasse illam. Nec enim probatur aliud, quàm quod cognato pecuniam, quã contemplatione ipsius dederat patrono, ne retrocederet à promissione, restituit eo fine, ne cognatus afficeretur damno propter amorem eius. per quod non probatur eum ratificasse simoniam admissam à cognato. Primo quidem, quod à diuersis non fit illatio.[a] At aliud est ratificare simoniam à cognato commissam, & aliud soluere illi pecuniam ab ipso datam, non eo fine, vt approbaret simoniam à cognato commissam, sed longè alio, videlicet, ne pateretur iacturam ob id, quod amicè fecit. quorum diuersitas constat ex eo, quod sunt diuersi actus, diuersæ personæ, diuersa tempora, & diuersi fines principales. quæ quatuor, præsertim vltimum, inducunt speciei diuersitatem, iuxta S. Thomam.[b] Deinde, quod in dubio non est præsumendum delictum.[c] At solutio prædicta potuit fieri bene nobiliter, & meritoriè, & etiam male, & vitiosè: ergo præsumendum est, quod fuit facta bene, nobiliter, & meritoriè.

6 Tertio, quod de solutione illa per solam confessionem præfati L. constat: at confessio eius est qualificata, cum qualitate, quod fecit illam prædicto fine. ergo, quantum constat quod fuit facta, tantùm constat quod fuit illo fine facta: quia confessio qualificata non potest ita diuidi, vt acceptentur confessa, qualitate reiecta, secundum Bartholum receptum.[d] quem sequitur Panormitanus.[e]

Quarto, quod non obstat, quod Bartholus ibi limitat suum dictum, quando præsumptio iuris esset contra sic confitentem, vt quia confitetur delictum, puta homicidium cum qualitate, quod ad suam defensionem fecit: quia in nostro casu agitur de confessione actus, qui in se non est delictum, Bartholus autem loquitur de confitente actum, qui per se est delictum. sicut in simili in ijs quæ per se sunt delicta præsumitur in dubio malus animus,[f] in ijs autem quæ non sunt delicta, in dubio præsumitur bonus, per iura citata.

7 Quinto, quod non obstat, quod ratificatio habet locum in delictis,[g] etiam in simonia,[h] quia negamus in nostro casu vllatenus fuisse ratificatam simoniam: quia illa fuit commissa in dando pecuniam, vt ad episcopatum præsentaretur L. quod non ratificauit ipse, sed solùm soluit pecuniam sic datam, vt non pateretur iacturam amicus; quod longè aliud est, quam ratificare simoniam in dando illam pecuniam commissam: præsertim quod iam omnis spes & finis habendi episcopatum per illam promissionem essent adempta; & nequeat præsumi, quod soluit in finem, in quem data fuit, scilicet ne promissio reuocaretur, cum iam esset omnino irrecuperabiliter data.

8 Sexto, quod non obstat, quod præfatus L. non soluisset illam pecuniam, nisi data fuisset ob causam prædictam; quia hoc solum arguit, quod illa datio fuit causa impulsiua soluendi, non tamen finalis & principalis: & causa talis impulsiua non inducit simoniam, vt per plura exempla probatur in dicto Manual.[i]

Septimo, quod potest quis iustè & sanctè dare aliquid alicui pro recompensatione damni, quod suscepit delinquendo pro illo, vel pro subsidio vitę illi, qui pro suo amore peccauit, proponendo pro finali & principali causa virtutem, caritatem, & misericordiam, per asserta in d. Manual.[k] potest enim quis dare subsidium vitę ob amorem Dei principaliter illi, qui ob amorem suum occidit aliquem, & vertit solum; quod non dedisset, nisi illud damnum pro eius amore suscepisset; nullatenus approbando, neque ratificando maleficium, quod pro eo fecit.

9 Qui etiam promisit aliquid, vt quodpiam maleficium faceret, consequuto maleficio, licitè posset soluere illi promissum; non quidem vi promissionis, nec ratificationis maleficij; sed in eleemosynam, & subsidium paupertatis suę, & conseruationem sui honoris: quod pulchre ante nos dixit Caietanus,[l] ita quod promissio illa mala, vel delictum amore ipsius factum, non sint causa principalis illius doni, sed solum causa sine qua non. sic prędictus L. potuit reddere pręfatam pecuniam prędicto suo cognato, non quidem principaliter tamquam debitam iustitia legali, neque tamquam datam pro simonia, sed tamquam insumptam ob amorem eius, intendendo pro fine principali amicitiam, & sui honoris conseruationem, & gratitudinem, quam merebatur ille amor, quo motus fuit ad dandam illam prędictus cognatus; licet datio illa sibi displiceret, & eam damnaret.

10 Octauo, quod non obstat cap. *sicut tuis*.[a] quatenus probat, eum qui soluit, vel reddit pecuniam pro sua promotione se ignorante & etiam inuito datam, reputari simoniacum. Tum quia illud agit de promoto, nos autem loquimur de nullatenus promoto, nec ob eam simoniam promouendo. Tum quia illud agit de illo, qui probatur aliunde soluisse vel reddidisse pecuniam; nos autem de illo, quem non constat aliunde soluisse, quam per suam confessionem qualificatam circumstantia principalis finis videlicet quod fine bono longè alio, quàm ratificationis soluisset, qualem solutionem nemo potest asserere fuisse malam.

11 Nono, quod nemo præsumitur ita iactare bona sua, vt reputari debeat imprudens, & omnino stultus,[b] & si præfatus L. præsumeretur ratificasse præfatam simoniam, præsumeretur vanus, imprudens, & stultus: quia sine vlla spe, & specie boni, honesti, vtilis, delectabilis, suam pecuniam iactasset; cùm fecisset actum malum sine vlla spe promotionis factæ, vel faciendæ, nec voluptatis, vel vtilitatis inde manantis, cum iam promissor & promissio penitus interiissent.

Cùm igitur præfatus L. ignorasset simoniã præfatam, donec promittens & promissio interiissent, nihilque fuerit assequutus, nec speret assequi; cumque simoniam illã postquam sciuit, nullatenus approbauerit expresse; nec constet eum fecisse aliquem actum, per quem præsumi debeat ratificasse illam; immo actus, qui ei obiicitur, sit ita bene qualificatus, vt debeat laudari potius, quàm vituperari, cum feratur esse Abbas in primis, & primariæ nobilitatis, quem plurimum decebat facere illum actum principaliter ad conseruandum honorem suum, & amicitiam tanti magnatis; credendum est fecisse illum ad hunc finem principaliter, & non ad ratificandum sine vlla spe simoniam, vt sua fide testatur: consequitur nullam ob hoc debere pati repulsam.

*SVMMARIVM.*

1 *Personatum, seu temporale beneficium instituens, cum pacto quod ad illud præsentabit resignantem sibi suum beneficium, est simoniacus.*

1 *Præsentare promittens aliquẽ ad beneficium nondum erectum, sed erigendum, vanam & nullam facit promissionem.*

2 *Simoniace fundantes beneficium possunt in pœnam priuari bonis dicto beneficio applicatis.*

3 *Ordines accipiens ad titulum beneficij nulliter erecti est male promotus.*

3 *Dispensationis faciendæ causa ex pluribus simul iunctis potest colligi.*

## CONSILIVM XI.

QVIDAM A. clericus cum P. clerico iuxta Tarraconensis diœcesis constitutionem & consuetudinem personatum dotare & constituere valoris 10. ducatorum conuenit, & dictum P. ad sic creatum & constitutum personatum præsentare, & cum eo pro alio beneficio simplici permutare: & postmodum absque ordinarij auctoritate, seu decreto, personatum iuxta dictam formam dicti valoris erexit, & dotauit partim super rebus mobilibus, partim super pecuniis debitis, & non exactis, nec minus in stabilia bona conuersis: & personatum sic creatum permutauit pro alio beneficio parui valoris cum d. P. & ipse P. ad titulum d. personatus & aliàs legitimè fuit ad sacros ordines promotus, non tamen in eisdem ministrauit. Quæritur quid iuris.

1 Ad quæstionem propositam respondeo primo, erectionem personatus, de quo agit quæstio, male fuisse factã. Tum quia non potuit illa fieri sine auctoritate Papæ, vel ordinarij iuxta constitutionem Tarraconensis diœcesis, vt in consilio 8. de iur. patron. diximus. Tum quia non fuit dos eius constituta super reditibus censualibus, nec aliis reditibus perpetuis, vt debet constitui secundum eamdem constitutionem. Tum quia fuit facta saltem partim super rebus mobilibus, & pecuniis cuiusdam crediti nõdum exacti, nec in bona stabilia conuersis. Tum quia fuit facta, antequam decretum erectionis fieret ab ordinario, contra eamdem constitutionem. Tum quod fuit vana: quia fuit factum pactum de præsentando ad beneficium nondum institutum. Tum quod fuit simoniaca: quia facta fuit cum pacto permutationis factæ, vel faciendæ sine auctoritate superioris. Tum quia proponitur factã fuisse



a l. Papinianus ff. de minor. & ca. ad audientiã. de decim.

b 1. 2. q. 7. & 19.

c Cap. 2. de reg. iuris. & l. merito. ff. pro socio.

d In l. Aurelius. §. idem quæsiuit. ff. de liber. leg.

e In cap. bonæ il 2. sub fin. de postul. præl. & in c. cum venissent notab. 8. de instit.

f Ca. 1. de præsumpt.

g Cap. cum quis. de sent. excom.

h Cap. penul. cum gloss. in verb. ratum habente. de elect.

i Cap. 23. nu. 100. ver. quinto quod.

k Ca. 17. nu. 41.

l 2. 2. q. 62. ar. 5.

a De simon.

b Leg. cum de indebito. ff. de probat.

interueniente quadam renunciatione sine vllius superioris auctoritate. Tum quia, vt diximus in d. cons. 8. de iur. patron. nullum pactum potest apponi in fundatione à patronis aut fundatoribus horum personatuum, quod nō possit apponi in fundationibus vel erectionibus aliorum beneficiorum perpetuorū, preterquam quod sint temporaria, & non perpetua.

2 Secundo dico, quod S.D.N. iustè posset omnes prefatos, qui in præfata erectione mortaliter peccarunt, pro crimine simonię, & aliis quæ in hac re admiserunt, priuare saltem quo ad forum conscientiæ illis bonis, quæ fuerunt data pro erectione hac iniusta & simoniaca, & applicare oratori pauperi clerico illa quo ad vitam suam, relicto saluo iure petendi post eius vitam illis, qui ad aliqua eorum prætendere potuerint esse sibi ius repetendi propter inualiditatem, siue nullitatem actuum, quos temere fecerunt: quandoquidem non intenderunt facere perpetuam donationem, sed solùm quo ad vitam eius, quo ad quam solum intenderunt personatum constituere.

3 Tertio, quod paupertas oratoris, & ordinatio eius ad prefatum personatum nullum, & abstinentia ab executione ordinis male assumpti, & confessio spontanea peccatorum, & humilis petitio redemptionis bonorum male assignatorum beneficio personali quo ad vitem suam, & secretum peccatorum in hoc commissorum videntur posse suam Sanctitatem mouere, vt idam faciat ei in pœnam culparum fundantium, & amorem Iesu Christi D.N.

SVMMARIVM.

1 *Præsentatus ad beneficium litigiosum, cum pacto quod suis expensis teneatur verificare iura præsentantis, est simoniacus.*
1 *Præsentans cum pacto, quod ei, nisi præsentatus intra tempus à iure statutum suam prosequatur præsentationem, liceat præsentationi contrauenire, & oportuna agere, non est simoniacus, si per hoc pactum aliud præsentanti non reseruetur, nisi id quod ei iure competit. num. 2. 4. 5.*
1 *Interpretatio continens delictum in dubio reiicienda.*
2 *Facta prouidorum recta præsumenda, etiam ex parte literam impropriando.*
2 *Argumentum à contrario non valet ad inducendum delictum, & pœnam eius.*
3 *Intellectus l. Titia §. fin. ff. de manu test. varius.*
3 *Lex apte varios recipiens sensus, pro firmo fundamento, nisi pro parte vitio carente, citari nequit.*
4 *Dictio, nisi, post negatiuam orationem, nisi accedat aliquod affirmatiuum, in odiosis & pœnalibus secundum communem nihil ponit: idem secundum aliquos in non odiosis.*
5 *Præsentans, presentato ius suum non prosequente, potest alium presentare.*

## CONSILIVM XII.

1 ABBAS & conuentus præsentauerunt quemdam ad beneficium sui iuris patronatus litigiosi cum pacto quod nihil ipse presentatus intra tempus à iure prosequeretur suam præsentationem in solidum, ipsi possent contrauenire præsentationi, & agere ea, quæ forent opportuna & necessaria. Euenit quod quidam impetrauit prædictum beneficium sub prætextu, quod in huiusmodi præsentatione esset admissa simonia, & causa in Rota commissa: quæsitum fuit de sensu & intellectu præfatæ clausulæ, vtrum contineret simoniam, an reseruatio prædicta nitatur iure communi.

Hoc dubium resoluendum videtur, scilicet quod solum videtur reseruatum ius contraueniendi, & agendi solum illa, quæ iure communi poterant præsentantes facere, etiamsi nulla huiusmodi reseruatio in præsentationis instrumento fuisset facta.

Primo quidem, quod interpretatio contraria, quam aduersa pars prætendit, nullo iure firmo nititur: quia negari non potest, sensum clausulæ, de quo agitur, esse dubium, & clausulam illam vario modo intelligi posse: & intelligendo modo quo aduersa pars ait, contineret præsentantes labem simoniæ incurrisse: & intelligendo eo modo, quo nostra pars ait, vitatur delictum simoniæ, quod est maximum, [a] ergo in dubio reiicienda est illa interpretatio. [b]

Secundo, quod secundum interpretationem contrariam verbum illud *in solidum* significaret, quod præsentatus teneretur verificare suis impensis, quod ius patronatus pertinet ad præsentantes, quod tamen est nimium diuinare: nullum enim verbum in instrumento præsentationis id significat: sed aduersa pars pro suo affectu videtur diuinasse.

2 Tertio, quod facta virorum prouidorum, quales sunt Abbas, & monachi præfati valde Illustris monasterij, relata in aliqua scriptura debent præsumi rectè facta, etiā impropriando aliqua ex parte literam, [a] & præfata clausula impropriando tantillum eius literam potest intelligi, vt nullam contineat reseruationem potestatis, quæ iure non competat præsentanti post factam præsentationem, ergo illa sic est interpretanda.

Quarto, quod interpretatio contraria non potest colligi ex prædicta clausula, nisi argumento à contrario sensu: & huiusmodi argumentum nihil valet, quando colligitur aliquid, per quod disponens incideret in aliquod delictum, & pœnam eius. ergo non potest illud ex ea sumi.

3 Quinto, quod nihil faciunt pro aduersa parte dicta Didaci à Couarruuia quæ dicitur ipsa pro se citasse. [b] Tum quia citat illa, quatenus tractat intellectum legis *Titia.* [c] qui multipliciter & probabiliter à multis intelligitur, vt ipse Didacus ibi, & alij, [d] & alij alibi tradunt, & lex, quæ multiplicem eundemque probabilem intellectum habet, non potest pro firmo fundamento allegari, [e] nisi allegaretur pro parte quæ vitio caret, [f] & ita vel ille §. non potest citari pro firmo fundamento ad propositum casum, vel est intelligendus pro nostra parte, cum sic intellectus non concludat vitium & delictum.

4 Tum quia ipsemet Didacus expresse tenet, quod dictio *nisi*, quæ sequitur negatiuam orationem, nihil ponit, nisi aliquid aliud affirmatiuum accedat; sequutus in hoc Adrianum, & alios dicentes, quod qui promittit alicui non ducere aliam nisi eam, non promittit ducere illam, nisi aliquid aliud affirmatiuum interueniat; quod multis ibi confirmat. Tum quia communis opinio habet, etiam referente Decio, [g] quod dictio *nisi*, sequens orationem negatiuam, nihil ponit in odiosis & pœnalibus, cuius contrarium certe defendi non potest ab eo qui tenuerit glossam illam solemnem, [h] cui fere omnes consentiunt, & nemo probabiliter ab illa dissentire potest. Ergo nec in proposito nostro potest fieri interpretatio, qua illa dictio, *nisi*, ponat aliquid odiosum & pœnale, cum nihil affirmatiuum ad hoc faciens contineat; neque consequenter, vt ponat reseruationem alicuius potestatis contrariæ iuri communi, per quam auctor incidat in delictum, & pœnas; sed tantum reseruationem potentiæ, siue potestatis faciendi ea, quæ iure communi licuisset ei facere.

5 Sexto, quod sine vlla verborum impropriatione potest ita intelligi prefata clausula, vt solum videatur per eam reseruari potestas faciendi ea, quæ iure communi potest presentans, non prosequente præsentationem præsentato. Nam, si præsentatus omitteret prosequi causam, eo quod moreretur, vel renunciaret suo iuri, vel etiam priuaretur per sententiam iudicis, vel ipso iure ob hæresim, vel aliud crimē, verè & propriè diceretur eam non prosequi; & omnibus illis casibus iure communi liceret ei, qui eum presentauit, alterum præsentare, iuxta cap. *si electio.* [i] cum ei adnotatis adiuncto ca. *licet.* [k] Ergo hęc interpretatio est suscipienda; quia inhęret proprietati verborum clausulæ predictæ. [l]

SVMMARIVM.

1 *Simoniaca præsentatio gratiam subsequutam annullat.*
2 *Simonia vt sit realis, sufficit ex duobus in pactum deductis alterum compleri.*

## CONSILIVM XIII.

INTER F. & P. & populum præsentatorem Ecclesiæ parochialis cōuenit, vt F. renunciaret illi Ecclesię, & populus præsentaret P. & P. ipsi F. solueret pro pensione 16. scuta; & consequenter F. renunciauit in manibus ordinarij, qui contulit illam P. qui dedit mandatum ad consentiendum pensioni predictæ, quod tamen noluit admittere Papa, & ita non soluit. Quæritur an titulus P. sit canonicus.

1 Respondeo, quod prefatus P. non habet canonicum titulum prefatæ rectoriæ: quoniam eius presentatio fuit simoniaca. Primo quidem, quia conuenit inter F. & P. vt ille renunciaret beneficium, & hic constitueret pensionem, siue consentiret illius constitutioni.

Secundo,

---

a Cap. tanta est labes. de simon.
b Ca. 1. de re. iur. l. merito. ff. pro socio.

a Cap. nisi essent viri prouidi. de præb. cum ei annot.

b In epi. 2. pa. cap. 4. nu. 6.
c §. fi. ff. de manu test.
d In l. actione C. de transac.
e l. in ābiguo. ff. de reb. dub. cum ei adnot.
f Leg. in ambigua. ff. de legib.

g In dict. l. actione.

h Cle. 1. verbo facere. de vsuris.

i De electio. lib. 6.
k 2. de prabē. lib. 6.
l Arg. l. non a liter. ff. de leg. 3. &c.

Secundo, quod inter F. & populum patronum conuenit, vt F. renunciaret, & populus præsentaret P. & ita interuenerunt duo pacta simoniaca, immo & fortè tertium, scilicet quod populus præsentaret P. & P. consentiret constitutioni pensionis 16. scutorum: quæ tria clare sunt simoniaca.

2 Nec obstat, dicere, quod licet prædicta pacta sint simoniaca simonia conuentionali, non tamen sunt talia simonia reali, quia non fuit completa ex vtraque parte, quod requiri ad simoniam realem dicimus nos post alios in Manual. confess. [b] & quamuis F. compleuisset pro sua parte, quia renunciauit, P. tamen non impleuit, quia non soluit pensionem. non inquam hoc obstat. Tum quia conuentio secunda, qua conuenit inter F. & patronos, vt ille renunciaret, & hi præsentarent P. completa fuit ab vtraque parte: & etiam prima satis potest dici completa ex parte P. quia dedit mãdatum ad consentiendũ constitutioni pensionis. Tum quia etiam tertia conuentio, quæ forte facta fuit quod populus præsentaret P. & P. consentiret constitutioni pensionis, potest dici completa ex vtraque parte. Salua, &c.

a Arg. c. quã pio. 1. qu. 2. & ca. fi. de pact.

b Ca. 23. nu. 100. & seq.

### SVMMARIVM.

1 *Renuncians beneficium principaliter, vt ob id ad aliud præsentetur, est simoniacus, secus si secundario, & vt in causam impulsiuam. Idem dicitur de præsentante. & num. 8.*

2 *Simonia non est dare alia ratione, quam pro pretio quærendi spirituale.*

3 *Præpositio, pro, aliquando principalem, aliquando remotam causam signat.*

4 *Temporale pro spirituali minus principaliter dari & accipi potest.*

5 *Causa solum impulsiua esse potest illa, sine qua non fieret actus.*

6 *Simonia non est mutuare Episcopo principaliter ob amicitiam, & secundario vt quærat sibi, vel alij beneficium.*

7 *Simonia non est dare pro sustentatione ministri, pro damno iniustè dato, & pœna peccati.*

## CONSILIVM XIIII.

SEMPRONIVS petijt à patrono præsentationem ad dignitatem vacantem, & pertinentem ad eius præsentationem; & quo facilius eam obtineret, obtulit se relicturum vnum beneficium simplex valoris cẽtum ducatorum: & post multum temporis commisit patronus suo procuratori, vt præsentaret Sempronium ob aliquas causas, modo ipse renunciaret præfatum beneficium simplex liberè in manibus ordinarij ad conferendum cui vellet: quo facto Sempronius obtinuit præsentationem, & dignitatem. Quæritur, an interuenerit simonia realis.

1 Respondeo primo, ægro animo me onus respondendi huic quæstioni accepisse: quia per plurimas & grauissimas occupationes non poteram illi pro eius dignitate respondere: sed vim mihi fecit amicitia rogantis, & auctoritas Illustrissimi, cui seruit.

Secundo, quod non minor variè à varijs responsum fuisse illi: quia multa pro eius vtraque parte possent adduci.

Tertio, quod arbitror D. consulentem de rigore iuris in foro exteriori iudicatum iri simoniacum realem, si omnia proposita in facto probarentur: quoniam ex illis resultaret conuentum & pactum fuisse inter patronum, & ipsum in absentia per nuncios, vt consulens prius renunciaret beneficiũ, & postea patronus vel procurator eius præsentaret illum ad dignitatem. & omne pactum huiusmodi, etiam si nihil temporale detur, vel accipiatur, est verè, vel præsumitur in foro exteriori simoniacum, argumento c. *quam pio.* [c] & ca. *cum pridem.* [d] & tradimus nos in Manu. confess. [e] & cum ab vtraque parte, tam à patrono, quam à consulente fuerit impletum, consequens est debere iudicari simoniam fuisse realem, per ea quæ post alios nos tradimus vbi supra. [f] Cui consequens est, iudicandum esse in foro exteriori D. consulentem incurrisse excommunicationem, & præsentationem sibi à patrono, & institutionem ob eam ab Episcopo factam inualidas & nullas, & fructus malè perceptos.

c 1. qu. 1.
d Et cap. fi. de pactis.
e Cap. 23. nu. 100. cum seq.
f Num. 103.

2 Verum satis defendi posset per supradicta inter patronũ & consulentem acta non interuenisse veram simoniam coram Deo, & quo ad forum conscientiæ, per ea quæ nos altius alijs tradimus vbi supra, [g] præsertim primo per illa verba: *Non est simonia, dare, vel accipere alia ratione, quã pro pretio, vel causa principali & immediata quærendi aliquid spirituale, puta pro sustentatione ministrorum, vel pro liberalitate, vel eleemosyna, vel pro solutione obligationis, legis, vel consuetudinis, vt sentit S. Thomas,* [a] *& exprimit ibidem Caietanus & melius in summa,* [b] & nos probauimus in cap. *sicut.* [c] Et si narrata sunt vera, consulens non obtulit renunciationem præfati beneficij simplicis principaliter pro pretio, & causa principali & immediata quærendi præsentationem ad dignitatem, sed pro causa impulsiua, & incitatiua ad eam habendam.

g Num. 100. in 4. notab.

a 2. 2. q. 100. art. 3.
b In verbo simonia.
c 3. de simonia.

3 Secundo colligitur hæc responsio ex illis vbi supra positis verbis. *Præpositio, Pro, aliquando significat pretium, vel causam principalem immediatam: in qua significatione accipiendo vniuersaliter est verum nil pro re spirituali vel ei annexa posse accipi, vt probat cap.* sicut. *& cap.* non satis. [d] *& declarat Archidiaconus,* [e] *nihil inquam, etiam paruum, vel minimum, secundum S. Thomã.* [f] *Aliquando significat causam impulsiuam, vel remotam, vel sustentationem, vel aliam ex prædictis; & in hac significatione verum est posse accipi aliquid pro spirituali, iuxta glossam iuncto textu,* [g] *vbi etiam Archidiaconus, & communis.* [h] Et præfatus D. consulens non renunciauit, nec voluit renũciare beneficium suum simplex pro pretio dignitatis, neque pro causa principali immediata habendi eam, sed pro causa impulsiua, & incitatiua animi patroni ad præsentandum eum ob suam sufficientiam, & quia relicturus erat vnum canonicatum, quem habebat incompatibilem dignitati, & spectabat ad præsentationẽ ipsius patroni, & ob alias qualitates, quas sciebat patronus inesse illi, & ob quas decebat eum præsentari.

d De simo.
e In cap. ordinationes. & cap. iudices. 1. quæst. 1.
f In 4. lib. sẽ. dist. 25. qu. 3. art. 3. ad 1. & in d. qu. 100. art. 3. [illegible]
g In dict. ca. iudices. & c. Agatho. 63. dist.
h In cap. ad Apostolicã. de simonia.
i Num. 101.

4 Tertio colligitur ex illis vbi supra, [i] positis verbis, *Licet dare vel accipere aliquid temporale minus principaliter, & tamquam pro causa impulsiua & excitatiua pro spiritualibus. Tum per proxime dicta. Tum per glossam cap.* cum esset. [k] *& cap.* cum ad nostram. [l] *quæ aiunt simoniam quidem admittere illum, qui prælato inseruit principaliter ob beneficium ecclesiasticum, præsertim interueniente pacto, non autem qui principaliter ob alium iustum respectum inseruit, licet secundario & minus principaliter ob illam spem seruiat: quod pulchre de more declarat Adrianus.* [m] *Tum quia glossa illa celeberrima,* [n] *ait peccare quidem eum, qui surgit ad matutinas preces principaliter propter distributiones quotidianas, non autem illum, qui surgit principaliter vt Deo inseruiat, & minus principaliter & secundario vt eas lucretur. Tum quia Vrbanus Papa,* [o] *& Cælestinus,* [p] *determinarunt licere clericis seruire Deo in ecclesijs ob spem ascendendi ad dignitates illarum: immo Gelasius,* [q] *dixit eos ad hunc ascensum spe maioris commodi compellendos. Tum quia glossa recepta,* [r] *dicit expresse per illum textum licere clerico seruire in Ecclesia ad quærendam aliquam dignitatem, modo principaliter ob id non seruiat: cui similis est glossa cap.* hoc ad nos. [s] *Tum denique quod glossa* [t] *recepta communiter, & confirmata multis contra Sotum,* [v] *habet, quod licet peccet qui mutuat principaliter ob lucrum; non tamen qui principaliter id facit, vt iuuet proximũ, quamuis minus principaliter & secũdario id speret.*

k De simon.
l De elect.
m Quolib. 9. art. 2. sub litera L, M, N, O.
n In cap. 1. de clericis non resid. lib. 6.
o In ca. si officia. 59. dist.
p In ca. quid proderit. 61. dist.
q In cap. consuluit. 74. di.
r In dict. ca. quid proderit.
s 59. dist.
t Cap. consuluit. de vsuris.
v Supra c. 17. num. 209.

5 Quarto colligitur ex illis verbis, quæ habent, *Causam impulsiuam & incitatiuam voco etiam illam, sine qua nõ fieret actus, modo ille fiat principalius ob aliam, quàm illam; vt in hac specie dixit Maior,* [x] *& ante illum sensit S. Thomas,* [y] *loquens de clerico surgente ad matutinas ob distributiones, alias non surrecturo. Tum quia, vt in comment. cap.* cum minister. [z] *probauimus, non est bona definitio illa Bartholi,* [a] *qua definit causam principalem, esse causam, qua cessante cessat effectus. Tum quia secundum eam omnis causa, quæ appellatur sine qua non, esset principalis, quod est falsum secundum omnes, & per supradictos textus & glossas, quæ habent locum etiam in his, qui non seruirent Ecclesijs, vel prælatis, nisi sperarent beneficia: & quia actus virtutum licet fiant vitiosi ob finem principalem temporarium, non tamen fiunt tales ob minus principalem, per adducta in d. cap.* cum minister. *post Adrianum ibi citatum, alioqui enim omnes fere actus nostri essent vitiosi: quia paucissimi fiunt purè propter solum Deum, & solam virtutem, sine aliquo respectu, retributionis, quem etiam Dauid habebat in seruiendo Deo.* [b] *Inclinaui cor meum, &c. propter retributionem, & vt quidam dixit, Quis virtutem amplectitur ipsam, Præmia si tollas? Itaque verè coram Deo incurrit simoniam, quicumque dat, vel facit aliquid temporarium, etiam minimum, vel spirituale pro spirituali, tamquam pretium eius, vel causam principalem & immediatã eius habendi, & è contrario nemo, qui alia ratione, & minus principaliter dat, vel accipit etiam temporale pro spirituali, verè coram Deo, & in foro conscientiæ simoniam committit, quamuis in foro exteriori interdum præsumatur cõmittere. Quæ solutio ex prædictis, & ex Archidiacono & Caietano vbi supra irrefragabiliter colligitur.*

x In 4. dist. 25. qu. 1.
y Quodlib. 8. art. 2.
z 23. quæst. 5. num. 27.
a In l. 2. §. si. ff. de donat.
b Psalm. 118.

Et ex narratis in facto quæstionis colligitur, quòd consulens non renunciauit præfatum beneficium principaliter, & pro causa principali habendi dignitatem, vt dictum est: licet id fecisset pro causa, sine qua non fuisset fortè consequuta præsentatio patroni: neque patronus præsentauit consulentem principaliter ob renunciationem beneficij, accipiendo illam pro causa principali, sed ad summam pro causa impulsiua, sine qua fortè non fecisset præsentationem.

6 Quarto, facit, quod ibidem aio respondisse me pridem, non commisisse simoniam illum, qui mutuauit Episcopo nouè prouiso bonam pecuniæ summam principaliter, & immediatè, vt ei benefaceret, & ad ineundam amicitiam, sperans secundario sibi vel alij gratiam alicuius beneficij; quia non mutuauit pro pretio, neque pro causa principali & immediata rei spiritualis, saltem vt hoc in loco spirituale accipitur, sed pro bono, & æquo, & bona amicitia ineunda, licet secundariò & mediatè speraret aliquam gratiam beneficiariam.

7 Quinto facit, quod ibidem, [a] dicitur non esse simoniam, dare, vel accipere pecuniam pro impensis, vel pœna excommunicationis, vel absolutionis per iurisdictionem spiritualem imposita, [b] etiam si pœna non erogetur pauperibus, [c] licet id esset melius. Ad quod reducendum est, quod ait S. Thomas, [d] cum alijs quibusdam. Quorum ratio est, quod non dantur illa temporalia pro pretio rerum spiritualium, neque pro causa principali immediata earum, sed pro interesse, & damno partis iniustè accepto, vel dato, vel pro pœna peccati, & contumaciæ.

8 Cum ergo D. consulens non renunciauerit beneficium pro pretio, neque pro causa principali & immediata quærendi præsentationem, sed pro causa impulsiua & illectiua animi patroni, vt eam faceret principaliter pro sufficientia & virtute animi, quæ inerant renuncianti; cumque patronus non præsentauerit eum propter renunciationem, accipiendo illam vt pretium renunciationis, neque pro causa principali & immediata suæ præsentationis; dicendum est à neutro fuisse vllam simoniam commissam coram Deo, & in foro interiori, licet à iudice exteriori iustè posset præsumi esse commissam: quia, vt habetur 1. Reg. [e] & in c. *humanæ aures.* [f] homines & forum exterius iudicant secundum ea quæ apparent exterius, Deus autem & forum conscientiæ secundum ea quæ verè & realiter sunt, etiam si sint contraria præsumptis.

Sexto, quod licet securius esset D. consulenti eligere viam fori exterioris per Datariam ad tollendum quem concepit scrupulum, fastidiosior tamen & damnosior erit illa sibi: quia oportebit eum quærere absolutionem ab excommunicatione, & refectionem tituli, & nouam prouisionem, & facere restitutionem fructuum, vel componere se cum Camera Apostolica; quæ magnum sumptum requirunt: & cessant omnia illa eligendo viam conscientiæ, & fori interioris: & si præfata dignitas non pertineret ad præsentationem prædicti patroni, consulerem ei, vt eligeret viam exterioris fori; quia credo præfata narrata in facto probari posse per prouisiones patroni, & per eius commissarium, & alios qui ea nouerunt; & posset illa impetrari à Sede Apostolica & inferri ei magna molestia mihi tamen satis videntur probare fundamenta superiora proxima nullam interuenisse in casu proposito simoniam quo ad Deum, & forum conscientiæ, & consequenter posse ipsum sedare animum suum. Salua, &c.

*Aduerte candide lector, ne hoc responsum sit tibi causa erroris. nam D. Nauarrus respondet ex suppositione, videlicet quod nulla nec actualis, nec virtualis intercessit conuentio, quodque nec resignatio fuit facta in causam & finem principalem obtinendi præsentationem: quam suppositionem potuit D. Nauarrus facere ex qualitate personarum, quarum alteram nos nouimus, de qua ob eius eximias virtutes nihil mali poterat suspicari. nam si attendatur narratio facti, non potest negari, quin intercesserit virtualis conuentio, dum præsentator mandat suo procuratori, vt præsentet Sempronium, modo Sempronius renũciet aliud beneficium: ex quibus constat, quod præsentans non fuit contentus sola oblatione, sed voluit vt prius exequutio fieret. sed & oblatio resignationis respicit principaliter ipsam præsentationem. rogauit enim patronum, vt præsentaret, offerens se resignaturum prædictum aliud beneficium. Vnde ij, quibus similis contingat casus, caueant ne se ipsos decipiant: quia moraliter loquendo huiusmodi vix possunt esse aliena à vitio simoniæ.*

[a] Num. 102.
[b] Arg. ca. venerabilibus. §. porro. de sententia excommunicat. li. 6.
[c] Arg. ca. dilectus. de pœnis.
[d] In 4. dis. 25.
[e] Cap. 16.
[f] 22. quæst. 5.

SVMMARIVM.

1 *Renuncians beneficium in manibus ordinarij, cum spe quod collator, vel etiam præsentator præsentabunt, & conferent secundum voluntatem resignantis, nullo iure peccat, nec est suppositus extrauaganti Pij V. de confidentiis, quæ non omnem intentionem resignantis, sed solùm illam quæ est illicita damnat, num. 2. & hoc modo cesset omnis etiam tacita conuentio. num. 4.*

2 *Lex seu constitutio, quæ fit ad alterius legis interpretationem, secundum terminos legis interpretatæ est intelligenda.*

3 *Præsumptiones inductæ à Pio V. ad probandam confidentiam non habent locum in foro conscientiæ.*

4 *Impetrare quis licitè potest beneficia ea spe, quod ea renunciando in alios poterit inde aliquam vtilitatem, vel pensionem licitè imponendam habere.*

CONSILIVM XV.

MVLTI renunciant beneficia sua in manibus ordinarij purè, simpliciter, & liberè, cõcepta tamen spe, quòd illi conferant ea illis, quibus ipsi volent, vel quod patroni præsentabunt ad ea, quos ipsi volent, nullo tamen pacto, nec modo, nec conditione super hoc expressis.

Quæritur, an huiusmodi peccent, & incidant in pœnas contra renunciantes cum confidentia per Pium V. impositas in extrauagante cuius tenor exprimitur in nostro Manu. confess. [a]

1 Respondeo, quod non. Tum quia nihil videtur fieri ab eis illicitum, neque interuenit voluntas id faciendi, & consequenter non est peccatum; cum omne, quod est tale, sit transgressio alicuius legis iustæ, vel voluntas eam transgrediendi. [b] Tum quia nullo iure naturali, diuino, nec humano talis spei cõceptio prohibetur: ergo non est dicendũ esse prohibitam. [c]

2 Non obstat extrauagans fel. rec. Pij V. de confidentia, quatenus in duobus locis reprobat confidentiam procedentem ex solo animo & conscientia renunciantis, vel conferentis, vel præsentantis: non inquam hoc obstat. Tum quia loquitur de confidentia illicita, de qua Pius IIII. edixit: nam constitutio interpretans aliam intelligenda est secundum terminos interpretatæ, [d] & extrauagans Pij V. facta fuit ad interpretandum dictam extrauagantem Pij IIII. & consequenter intelligenda est de confidentia illicita, quia ex multis locis illius colligitur eam constituere de tali.

3 Tum quia illa constitutio Pij V. non emanauit tantum ad declarandum quæ confidentia sit illicita, quantum ad inducendum modos probandi eam per indicia & præsumptiones, vt ex eius tenore patet; quod ad forum contentiosum pertinet, & non ad forum conscientiæ, in quo cessant præsumptiones. [e] Tum quia alioquin consequeretur, quod fere omnes collatores, electores, & præsentatores, etiam Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi, Reges, Duces, &c. admitterent confidentiam illicitã, & animabus suis mortiferam: nam fere nemo illorum est, qui non concipiat aliquam spem alicuius gratiæ referendæ sibi à beneficiario, quem eligit, vel præsentat, vel cupit vt per renunciationem suam ei conferatur; quod omni iure naturali, diuino, & humano licet, cum omni tali debeat quis esse gratus benefacienti, vt habent iura, [f] & tradit S. Thomas, [g] & præsupponit Iurisconsultus. [h]

4 Addo, quod idem videtur dicendum de his, qui impetrant aliqua beneficia à S. Sede Apostolica vel aliunde, concepta spe, quod renunciando ea in alios, consequentur aliquam pensionem, vel vtilitatem legitimè constituendam; dummodo nullo pacto, vel conditione expresse vel tacitè id fiat, cùm nullo iure id plus videatur prohibitum, quam id quod superius est determinatum.

[a] Cap. 23. nu. 110.
[b] §. definitio. 15. qu. 1. & ca. nam concupiscentiam. de constit.
[c] Ca. legatur 24. qu. 2. §. cõsideremus. auth. de triẽ. & semis. col. 3.
[d] Authen. cõstitutio hæc interp. §. 1. colla. 6.
[e] Cap. tua. & cap. is qui. de sponsali. & c. humanæ aures. 22. que. 5. cum ei à nobis late adnotatis.
[f] Leg. si non sortem. §. libertus. cũ gl. ff. de condict. indeb. cap. cũ in officiis. de testament.
[g] 1. 2. qu. 78. art. 2. ad 2.
[h] In l. sed & si. §. consuluit. ff de petitio. hæred.

SVMMARIVM.

1 *Renuncians beneficium principaliter, vt detur digno, cum minus principali spe gratitudinis, etiam sine qua non fieret illa, non est simonia.*

2 *Debitum, quod nõ est legale, sed antidorale, nõ habet vim pretij.*

2 *Simonia non est resignare spirituale ob amicitiam consequendam, sperando inde mediate aliquod temporale.*

3 *Causa sine qua non, non semper est principalis.*

4 *Beneficium acquirendi spe prælatis seruire licet, modo hæc spes sit minus principalis causa seruitij.*

CONSILIVM XVI.

SIMONIA an sit renunciatio beneficij facta principaliter, vt idoneo conferatur, & secundario cum spe quod erit

gratus? & quid vbi erat talis,quod ſine ipſa non renunciaret? A
1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM reſpondeo
non eſſe ſimoniacum reſignantem ſuum beneficium princi-
paliter,vt detur alicui idoneo,cum ſpe minus principali con-
cepta,quod ei gratus ſine qua non renunciaret:nec contra e-
rit ſimoniacus,qui recepit beneficiũ ex renunciatione huiuſ-
modi.Tum quia non eſt ſimonia,dare, vel facere aliquid ſpi-
rituale minus principaliter ob aliquod temporale , nec contra
dare vel facere aliquod temporale minus principaliter pro
ſpirituali,vt per plura exempla declaramus in Man.[a]
2 Tum quia in eodẽ cap.[b] determinamus verius eſſe,quod
intentio renunciandi, intentione tollendi obligationem anti-
doralem,non inducit ſimoniam;quia debitum, quod non eſt
legale,ſed tantùm antidorale, non habet vim pretij , vt colli-
gitur ex D.Thoma,[c] ergo nec intentio inducendi debitum
antidorale inducet ſimoniam : quia quod operatur propoſitũ
in propoſito,operatur oppoſitum in oppoſito.[d] Tum quia ſi-
monia,nulla committitur,eo quod quis per huiuſmodi renũ-
ciationem,vel illius acceptationem principaliter & immedia-
tè velit quærere beneuolentiam , & amicitiam, quæ ſunt bo-
na inæſtimabilia,qualia licet quęrere ex ſpiritualium collatio-
ne,& actione,etiam ſperando mediatè & minus principaliter
aliquod temporale ex illa beneuolentia, & amicitia, & contra
licet dare vel facere aliquod temporale principaliter ad quæ-
rendam beneuolentiam, & amicitiam,quæ ſunt bona inæſti-
mabilia,ſperãdo ex eo mediate & min⁹ principaliter aliquod
ſpirituale donum,vel factum, vt efficaciter colligitur ex vtro
que Thoma,[e] arguẽdo ab vſura ad ſimoniã.quæ eſt funda-
mentalis ratio limitationis,qua Felinus ,[f] limitauit Innocen-
tium,[g] immo & eius,quod nos adiecimus illi vbi ſupra.[h]
3 AD SECVNDAM, videlicet an cauſa alicuius actionis
dicatur principalis eo ſolum,quod eſt cauſa talis,quod nõ fie-
ret actus,ſi illa non interueniret : ad quam , quia eius deciſio
videtur eſſe radix & fundamentum multorum aliorum num
quam non contingentium , paulo latius reſpondendo dico,
quod vt in com.cap.*cum miniſter.*[i] probauimus , non eſt bo-
na definitio illa Bartholi,[k] qua definit cauſam principalem,eſ-
ſe cauſam,qua ceſſante ceſſat effectus.Tum quia multis cau-
ſis minus principalibus,ſine quibus actus nõ fieret, conuenit.
Tum quia ſecundum eam omnis cauſa , quæ appellatur ſine
qua non,eſſet principalis;quod eſt falſum ſecundum omnes.
Tum quia multi ſacrifici dicũt Miſſas ſanctè,& ſine ſimonia,
quas non dicerent,ſi pitantiæ ſolitæ non darentur eis , vt in
hac ſpecie dixit Maior,[l] & ante illum ſenſit D.Tho.[m] dicẽs,
quod bene facit clericus ſurgens principaliter ad horas pro-
pter Deum,licet minus principaliter ſurgat propter diſtribu-
tiones,quas ob id lucratur;etiam ſi non ſurgeret ad illas , niſi
ſciret ſe illas lucraturum.Tum quia alioquin nulla fere actio
eſſet bona,ſiue virtuoſa;quia paucæ ſunt collatione aliarum,
quæ propter ſolum Deum & ſolam virtutem fierent, ſi nulla
ſperaretur retributio,iuxta illud:*Quis virtutem amplectitur v-*
*nam, Præmia ſi tollas?*
4 Tum quia gloſſæ , [n] quæ habent licere ſeruire prælato
minus principaliter ob beneficia,procedunt etiam in illis, qui
non ſeruirent,ſi aliàs illa non ſperarent. Tum quia Vrbanus
Papa,in cap.*ſi officiat.*[o] & Cęleſtinus,[p] determinarunt licere
clericis ſeruire Deo in eccleſijs ob ſpem aſcendendi ad dig-
nitates earũ ; imò Gelaſius qui [q] dixit eos ad hũc aſcenſũ ſpe
maioris commodi compellendos,intellexerunt etiam de illis
clericis,qui non ſeruiſſent prędictis Eccleſiis,niſi illa ſperarẽt.
Tum denique quia alioqui oporteret dicere,omnes fere cle-
ricos,quantumlibet religioſos,inſeruientes ſummis,&alijs in-
ferioribus Pontificibus ſperantes aliqua ſacerdotia , de quorũ
fructibus tandem ſuſtententur, eſſe ſimoniacos ; cùm pauci
eorum ita purè ſeruiant,quod ſeruirent eis , etiam ſi talia non
ſperarẽt:quod eſt maximè abſurdũ. Hæc ſatis,quæ raptim &
tumultuariè dicta ſubmitto cuiuſųis melius ſentiẽtis cenſurę.

a Cap.23.nu.100. verſ. quinto.
b Num.106.
c 2.2.qu.78.art.2.ad ſecũdum.
d Leg.& ſi cõtra tabulas. ff.de vulg.& ca.ſciendum. 8.qu.1.
e In dict. qu. 78.art.2.
f In ca. ad audientiam.il 2. de reſcrip.nu.10.
g In cap.tuã. de ætat. & qualit.
h In dict. nu. 106.
i 23.qu.5.nu.27.
k In l.2.§.fi. ff.de don.
l In 4.d.25.q.1.
m Quolib. 8. art.2.
n In cap.cum eſſet de ſimo. ca. conſtituit. 74.diſt.& ca. ad noſtrã. de elect.
o 59.diſt.
p In cap.quid proderit. 61. diſt.
q In cap.conſulere.74.di.

*SVMMARIVM.*

1 *Spiritualia tradi poſſunt ſub conditione , vel modo, qui iure ineſt; & hoc, dummodo conditio exprimatur eo modo quo ineſt,& non aliter.*
1 *Renuncians beneficium ea intentione, vt certæ detur perſonæ, etſi videatur dare ſpirituale pro temporali ,tamen non eſt prohibitũ & vt plurimũ qui ſic renũciat, communiter prin cipalius renunciat ob aliud quam vt detur illi. num 2.in fin.*
3 *Mandatum datum ad libere reſignandum, & ſucceſsiue admiſſa reſignatione ad rogandum collatorem , vt certæ conferat perſonæ , ſimoniam non continere Rota pronuntiauit.*
4 *Intentio confidentialis , quam damnat Pius V.intelligitur de expreſſe vel tacite in conuentionem deducta.*

## CONSILIVM XVII.

QVOD renunciare beneficium intentione, vt confera-
tur alicui,videtur eſſe vetitum per Piũ V. in bulla eius,
quã nos referimus ad literã in noſtro Man. Cõſ.[a] & per extra
uagentem eiuſdem quæ incipit,*Quanta.*pro quo facit, quod
quamuis ſpiritualia poſſint dari,vel dimitti ſub cõditione , vel
modo,qui iure ineſt,[b] & tradit vtiliter Felinus,[c] & de iure in-
ſit conditio , vel modus vt beneficium ab vno renunciatum B
conferatur alteri;non tamen iure ineſt,quod cõferatur illi aut
illi certæ perſonę : & omnis conditio & modus: qui expri-
muntur aliter,quàm iure inſunt , inducunt ſimoniam.[d]
2 Sed nos contra reſpondimus in d. noſtro Manu. [e] Tum
quia nullo iure id cauetur,& glo.ſingularis recepta,[f] id tenet.
Tũ quia tam illud ca.*ordinationes*,quàm c. *qui ſtudet.*[g] requi-
runt dationem,& receptionem per pactum, vel cõditionem,
vel modum expreſſum dãdi,vel recipiendi. Tum quia renũ-
ciare ſola intentione,vt alteri detur,non eſt ſimonia;quia non
conuenit ei definitio eius,quę ſecundùm gloſſam receptam,[h]
& declaratam à nobis,[i] eſt voluntas ſtudioſa emendi, vel vẽ-
dendi ſpirituale,vel ſpirituali annexum : qualis non eſt volũ-
tas ſola reſignandi,ſine pacto conferẽdi illud facto cum col- C
latore:neque poteſt dici cõtractus non gratuitus, neque gra-
tuitus,nec voluntas contrahendi gratuito,neque non gratui-
to cum eo, cui conferendum eſt illud. Tum quia qui nimis
emungit elicit ſanguinem,[k] & transfertur in ca.*denique.*[l] Tũ
quia id expreſſe tenuit Sanctus Antoninus.[m] Tum quia mi-
nus principalis intentio accipiendi vel dandi aliquid tempo-
rale pro ſpirituali nõ efficit ſimoniã,vt probatur poſt alios,[n] &
vt plurimũ qui renũciat beneficium ſola intentione vt detur
alicui,principalius renunciat ob aliquid aliud , quàm vt detur
illi.
3 Tum quod DD. Rotæ declarauerunt , non committere
ſimoniam,eum,qui dedit mandatum ad renunciandum cum
clauſula,vt poſt admiſſam renunciationem aliqui amici roga- D
rent collatorem,vt conferret ei,cui volebat renuncians,vt re-
fert Caſſador,[o] & certũ eſt ex tali mãdato colligi intentionẽ
renunciantis fuiſſe ,vt ei cõferretur. Tum quod vix vllus eſt,
qui renunciet ſponte ſuum beneficium, qui non habeat intẽ-
tionem tacitam,vel expreſſam,principalem,vel minus princi-
palem,mediatam,vel immediatam, vt conferatur alicui & ita
eſſet eiicere laqueum quamplurimis,contra capi. de viduis.[p]
4 Tum quod non obſtat conſtitutio Pij V. quia eſt intelli-
genda de intentione tacitè vel expreſſè in conuentione de-
ducta.
Neque etiam obſtat eiuſdem Pij V. conſtitutio de confi-
dentia:quia non probat definire ipſum,quod ſola illa intentio E
efficiat ſimoniam,ſed quod pręſumatur ſimoniaca,vt in dicto
Man.dicitur,&c.

a Ca.23. nu. 110.
b Cap ſignificaſti.de elect. & l.3.ff de le. 1.
c In ca.ad audientiam. 2. de reſcrip.
d Cap. cum pridem. & c. fi.de pact.
e Vbi ſup. nu. 107. & 110. ver.6.not.
f In cap.ordinationes.1.q.1.
g Ead.cau.& quæſt.
h In ſumma 1.q.1.
i In d.c.23.n.100.
k Prouerb.c.30.
l 4.diſt.
m 2.p.tit.1.c.5.§.11.
n In d.ca.23. num.100.
o In dec.2. de ſimon.
p 27.quæſt.1.

*SVMMARIVM.*

1 *Pactum de præſtando conſenſu in penſionem ſuper meo beneficio , ſi alter reſignet ſuum beneficium in fauorem eius quem volo ; eſt illicitum, & ſimoniacum.nu. 2. & 4.*
2 *Reciprocæ conuentiones circa ſpiritualia ſunt ſimoniacæ;& ſi adimpleãtur, ſunt ſuppoſitæ cenſuris & pœnis:ſecus, ſi ſolum habiti fuerunt tractatus,& diſcurſus,licet poſtea libere illi ad effectum perducti fuerint.& num.4.*
3 *Beneficium ſi quis reſignet in manibus ordinarij,præmiſſo pacto vt conferatur tali,eſt ſimonia.* F

## CONSILIVM XVIII.

FRANCISCVS, & M.frater Petri tractarunt , quod
Petrus reſignaret beneficium in manibus ordinarij,ad ef-
fectum;vt Ioãnes frater Frãciſci de eo prouideretur,& quod
Franciſcus poſt conſentiret ſuper ſuo beneficio penſioni in
fauorem Petri,Petrus autem ad effectum prædictum reſig-
nauit,& Ioannes fuit prouiſus , & Franciſcus in penſionem
conſenſit.
Quæritur,an prædictus tractatus,& inde ſequuta ſint il-
licita,& an cõſtitutio penſionis ſit ſimoniaca,& an Ioannes te
neatur dimittere beneficium.
1 Reſpondeo primo,quod omnia prędicta potuerunt fieri

licitè,& illicitè;licitè quidem,si Franciscus, & M. frater Petri simpliciter tractauerunt,nihil promittendo,neque paciscendo,sed solùm inter se disserendo,& discutiendo modum,quo illa fieri possent,vt Petro cõstitueretur pēsio præfata auctoritate Papæ;illicitè autē potuerūt fieri si tractata fuerūt,promittendo, & paciscendo,quod quædam renunciationes, collationes,& consensus ad quasdam pensiones fierent, & darentur,si aliæ quædam renunciationes,collationes,& cõsensus ad pensiones fierent,& darentur.

2 Secundo respondeo, quod si hæc omnia processerunt ex tractatu Francisci & fratris Petri illicito concluso per pactionem & promisionem,qua Franciscus promisit fratri Petri facere illa,vel illa,si ipse efficeret, vt Petrus frater suus faceret illa,vel illa;& contra frater Petri promisit facere illa,vel illa,si Franciscus faceret illa, vel illa, quę promisit; si inquam omnia ista processerunt ex dicto tractatu illicito, omnia fuerunt illicita,siue Petrus ignorarit illa,siue non,quàuis si eo ignorante fuissent facta,non incidisset ille in censuras.

3 Tertio,quod Petrus simoniam admisit,si renunciauit beneficium in manibus ordinarij,præmisso pacto,quod ordinarius conferret illud Ioanni.Dixi,*præmisso pacto*: quia sola intētio in mente retenta,vt beneficium conferretur Ioanni, non inducit simoniam,vt nos post S.Antoninum & alios diximus in Manu.conf.[a] per glossam.[b]

4 Quarto,quod constitutio pensionis à Francisco facta,eo quod Petrus prima vice renunciauit beneficio, vt daretur Ioanni,fuit simoniaca,si facta fuit ob pactionem pręcedentē, aliàs non:& ita proportionabiliter dicendum est de alijs.

a *Cap.23.nu.107.& 109.*
b *In cap.ordinationes, in verb. pretio. 1.q.1.*

*SVMMARIVM.*

1 *Simonia non dicitur reciproca,quando non interuenit pactum, nec conuentio.*

2 *Resignare in fauorem,intentione,vt alter prouocatus simile faciat ex gratitudine,non est simonia reciproca.*

3 *Confidentia non omnis est iudicanda illicita,sed tantum inordinata.*

4 *Renunciatio non est illicita,etiam interueniente intentione mētali,si non adfuerit expressa vel tacita conuentiō.*

## CONSILIVM XIX.

Renunciauit quis beneficium in fauorem N.quem M. amicus resignantis volebat, hac intentione in mente retenta,vt M.tantumdem faceret ob gratitudinem in fauorem filij sui.Quæritur,an hæc fuerit confidentia damnata pœnis.

1 Respondeo,quod simonia non dicitur reciproca, quando non interuenit pactum,nec conuentio; quia tunc dicitur renunciatio reciproca,quando plures reciprocè conueniunt, vt alter in fauorem amici alterius renunciet.arg.cap. *vbi periculum,*[c] ibi.*Non in se reciprocent considerationis intuitum, vel in suos.*[d] & satis significat,[e] Concilium Tridentinum.At in pręsenti nulla fuit talis conuentio,ergo non fuit reciproca.

2 Et quamuis aliquis habeat aliquam intentionem mouendi alium ad faciendum aliquod aliud simile in fauorem filij sui ratione gratitudinis,non ex eo sequitur quod sit facta reciproca conuentio.[f] Et dato quod esset aliqua reciprocatio mentalis,non tamen esset illicita,& reprobata per d. Concilium,[g] quia non omnis confidentia,sed tantum inordinata est illicita,vt in nostro Man.[h]

3 Et ita non omnis reciprocatio,sed tantum inordinata iudicanda esset illicita:quia reciproca illicita est,quando conueniunt duo,vt alter renunciet beneficium in fauorem alicuius quem alter designat,vt ille alter renūciet in fauorem alterius, quem ipse designauerit.[i]

4 Nec obstaret,quod intentio præfata interuenisset : nam quando non interuenit conuentio tacita,vel expressa,etiam si interueniat intentio mentalis, non propterea renunciatio est illicita.[k]

Nota,quod bene potest cõferri beneficium alicui cum intentione mentali tantum sine pacto ob quandam ordinatam & studiosam gratitudinem ex obligatione naturali antidorali suadente,vt benefacienti benefaciamus.[l] Vide differentiam, quæ ponitur inter ea quæ incontinenti fiunt,& quæ ex interuallo,iuxta l.*lectam.*[m] & l.*legem.*[n]

c *§.cæterum.*
d *De ele.li.6.*
e *Cap.15.sess.25.*
f *Arg.l. neq; natales.C.de prob. cap. in præsentia. eo. tit.*
g *Cap.15.*
h *Cap.23.nu.111.*
i *Vt dict. cap. 23.num. 110.*
k *Gloss.singu. cap. ordinationes.1.qu.1. & d.cap. 23. nu. 107. 109. & 111.*
l *Leg. si non sortem. §. libertus. ff. de cond. indeb. & l.sed & si. §. consuluit. ff.de pet. hæred.c. cum in officijs. de testa.*
m *ff.si cer.pe.*
n *C.de pact.*

*SVMMARIVM.*

1 *Resignans beneficium in manibus ordinarij cum spe quod conferatur portionario,de quo speratur quod resignabit libere portionem conferendam postea Titio,de quo etiam speratur quod de portione disponet ad voluntatem primi resignantis,si cesset conuentio,etiam quod omnia postea libere perficiātur, non est confidentia prohibita.& nu.3.& 4.*

2 *Mandatum de renunciando,cum clausula vt post renunciationem rogaretur collator,vt conferat alicui, non est illicitum, secundum Rotam.*

2 *Ordinarius licite potest illum qui iam resignauit beneficium,vel in cuius gratiam fuit libere resignatū,interrogare vt nominet aliquem cui cupit illud conferri,& conferre.*

5 *Lex fundata in præsumptione non habet locum in foro Dei, cum veritas sit in contrarium.*

5 *Lex naturalis est,vt recipiens beneficium teneatur benefacienti benefacere.*

## CONSILIVM XX.

Theopompus renūtiauit beneficium suum liberè & purè in manibus ordinarij,intentione & proposito in mente,vt conferretur cuidam portionario, & portionarius resignaret portionem dandam Titio:& ita fuit factum.postea Titius,cui fuit collatum beneficiū : præstabat renuncianti singulis annis partem fructuum beneficij renunciati. Quęritur, an sit confidentia illicita,& simoniaca.

1 Respondeo,quod perpensis quæ supra narrantur,non video vllam confidentiam illicitam & punibilē admissam fuisse coram Deo.Tum quia confidentia,qua quis renuntiat beneficium suum in manibus collatoris,cum spe in animo retenta quod ipse dabit illud cuipiā eo digno,pro quo ipse rogauerit, aut quem ipse nominauerit,licita est,si non fuerit pactus cum collatore,antequam renunciaret,quod ipse ei illud conferret, vt habetur in nostro Manu.[a] adeo quod DD. Rotæ deciderunt licitum esse mandatum de renunciando,cum clausula,vt simul ac renunciasset,rogaret eum, vt conferret tali, vel tali, secūdum Cassadorum.[b]

2 At cum D.consulens renuntiauit Ecclesiam in manibus ordinarij,non fuit pactus cum eo,vt conferret illam præfato portionario;nec ipse portionarius cum renunciauit portionem,pactus fuit cum ordinario,vt conferret illam Titio, vel illi,cui vellet D.consulens; licet fortè intra suam mentem & voluntatem id gereret,quod non officit,vt in nostro Manu.[c] Tum quia nihil obest D.consulenti,quòd ordinarius post renuntiationem simpliciter & liberè factam petijt ab eo, cui vellet illam conferri,vel quod de consensu eius contulit illam portionario:quoniam id fuit factum post renuntiationem. Neque eadē ratione obstat ei quidquam,quod etiam ordinarius contulit portionem Titio, quia id voluit D. consulens; quia etiam id fuit factum post renunciationem portionis.

3 Nec obstat,quod in casus narratione dicitur, quod licet Titio nihil dictum fuit,cum ei conferretur portio,ipse tamen accepit eam in confidentiam pro illo,quem vellet eligere D. consulens:quia illa narratio non cõcludit confidentiam illam fuisse illicitam,sed tantum licitam : quoniam continet, quod nihil fuit dictum Titio;& ita præsupponit, quod ordinarius, vel consulens sperabant quidem,quòd ipse Titius renunciaret illam in quem vellet consulens, sed nihil tale fuit expressum;& talis confidentia solo animo concepta,& in mente retenta, donec renunciatio fuisset facta, & sortita effectum, non est illicita,vt [d] vbi supra probauimus.Tum quia nec obstat,quod præfatus Pius V.statuit,vt sufficeret, quod confidentię crimē alterius tantum partis conscientia sit admissum: quoniam nulla pars in hoc casu crimen confidentiæ commisit,cum confidētia(si qua interuenit)fuisset licita,& omni iure permissa,vt supra probamus.

4 Tum quia non obstat,quod ipsemet Pius ait confidentiam illicitam censeri probatam eo ipso,quod renuncians beneficium post illud renunciatum accepit omnes vel aliquos fructus eius;quoniam D.consulens non accepit fructus beneficij à se renunciati,sed fructus portionis.

5 Quoniam item non asseruit Pius V.quod sit confidentia illicita coram Deo accipere aliquos fructus beneficij renunciati post renuntiationem; sed quod præsumitur, quod præcessit confidentia illicita per pactum, quod darentur ei tales fructus post renuntiationem.& lex fundata super præsumptione non habet locum in foro Dei,cum veritas sit in contrarium.[e] Et in casu proposito veritas est in contrarium : quia nullum tale pactum præcessit, licet aliqua bona confidentia mentalis interuenerit, oriens ex illa lege naturali, qua beneficium capiens tenetur benefacienti benefacere,[f] quoniam præfatus D.consulens posteaquam nouit extra.

a *Cap.23.nu.109.*
b *Decis. 2.de simon.*
c *Vbi supr.nu.107.*
d *In d.n.109.*
e *Cap.tua. c. is qui fidem. de spons.*
f *Leg. si non sortem. §. libertus.adiun cta gloss.ff. de cōd. indebiti. l.sed et si.§ cō suluit.ff de petit.hæred.*

Pij V. nullos fructus percepit, & ita videtur satisfecisse, per extrauag.d. Pij V. quatenus videtur habere, quod qui confidétiam admisit, euitet pœnas extrauagantis si celeriter ab ea discesserit. Salua, &c.

*Aduerte, quia hoc vltimum dictum merito fuit dubitatiuè adiũctum, quia illud ex dicta extrauag. non ita latè deducitur, sed solum in certo casu.*

SVMMARIVM.

1 *Simoniaca renunciatio est ipso iure nulla, & omnia quæ post illam sequuntur.*
2 *Titulus beneficij per simoniam resignati remanet penes simoniacum, donec per sententiam eo priuetur: quia per simoniam beneficium non vacat nu.3.*
4 *Extrauag.2.de simon. nihil statuit de beneficijs ante habitis, vel post habendis.*
5 *Lex, vel sententia generaliter loquens tum generaliter intelligenda est, cum nulla alia lege, nec efficaciori ratione restringitur.*
5 *Beneficium per simoniam realem renunciatum non acquiritur etiam ignoranti illam, quia est alienum, & vere non vacat: aliud videtur, quando beneficium vere vacans mihi ignoranti simoniacè confertur.*

## CONSILIVM XXI.

AN SIMONIACVS, qui resignauit accepta pecunia ad resignãdum à quodam consanguineo resignatarij ignorantis hoc factum, dici possit abdicasse à se ius, ad effectum, vt beneficium potuerit acquiri sic ignoranti, & fecerit fructus suos durante ignorantia?

1 Pro parte negatiua, quam asserimus, quod simoniacus non abdicet à se titulum, facit primo dictum Innocentij receptum[a] & est expressa decisio Rotę[b] quam Sarnensis refert & ait esse sequutam Rotam.[c]

2 Et ratio est: quia omnia, quæ sequuntur post simoniam, sunt nulla: ergo resignatio, & alia erũt nulla, & ita manebit titulus penes simoniacum, donec per sententiam priuetur.

3 Dico secundo, quod nullo argumento efficacius concluditur decisio prædicta Rotæ 7.de renun. quam per extrauagantem.[d] Tum quia illa habet omnem dispositionem per simoniam realem factam super beneficijs esse ipso iure nullã. cum ergo renunciatio beneficij sit dispositio de beneficio, illa est ipso iure nulla; quod consequitur per illam non vacare beneficium renunciatum.[e]

4 Tum quia illa nihil statuit de beneficiis habitis ante simoniam commissam, neque de habendis postea; sed solum statuit, vt collatio, electio, vel quæuis alia dispositio facta de beneficio per simoniã realé, sit ipso iure nulla, nulla mẽtione facta de beneficiis habitis ante illam, neque de habendis post eam. Nec obstat, quod DD. loquentes de beneficiario ignoranter per simoniam promoto, non distinguunt, an illud vacauit per obitum, an per renunciationem.

5 Tum quia lex, vel sententia generaliter loquens tum generaliter est intelligenda, quando nulla lege alia, nec efficaciori ratione restringitur, vt notatur per glossam & Baldum,[f] at in casu proposito est manifesta ratio restringendi. cũ enim vacat beneficium per obitum, vel priuationem à iure vel homine factam, vel per renunciationem liberam, verè vacat beneficium; & ideo potest fieri eius, cui per simoniam commissam cum alio à renunciãte à se ignoratam confertur. at cum prætenditur vacare per renunciationem factam per simoniã realem, quia illa est ipso iure nulla, non vacat; & ideo etiam ignoranti illam non potest quæri, quia est alienum.

a In c. cum vniuersorum, de rerum permut.
b 7.de renun. in antiq.
c In reg. de trien.q.12.
d De simon.
e Arg.cap.nõ præstat impedimentũ, &c. de reg.iur.lib.6.
f In l.de pretio.ff.de pu.in rem act.

SVMMARIVM.

1 *Permutare volenti qui dat temporale, ne eum pœniteat, sed inceptam perficiat permutationem, simoniam cõmittit: & hoc, quando dat prædicta ex pacto, num.6. vel in principalẽ causam dictæ effectuandæ permutationis, alias secus.nu. 4. & 6.*
2 *Preces, subsistente iusta causa obtinendi à collatore beneficium, simoniam non inducunt.*
3 *Mutuare ad amicitiam ineundam, vnde mediate beneficium consequatur, licet.*
4 *Intentio minus principalis non inducit simoniam.*
5 *Causæ principalis definitio quod sit, sine qua non fieret actus, reprobatur.*
6 *Simonia solo iure humano prohibita, sola intentione, sine pacto non committitur, secus si sit diuino iure prohibita.*

## CONSILIVM XXII.

FRANCISCVS & Petrus conuenerunt super suorũ beneficiorum permutatione in manibus sanctæ Sedis Apostolicæ & fuit signata supplicatio: sed antequam illa signaretur, mutuauit P. aliquot pecunias F. animo eas recuperandi, intercessitque fideiussor pro eo accipiente alias per viam cambij: & postea cum signata fuisset supplicatio, ante tamen quam extenderetur consensus, P. præstitit F. aliquod officia ei grata, intercedendo vt fideiussor, & solicitando in lite, quã super beneficio permutando F. patiebatur: idque fecit, & facit partim ob amicitiam inter eos iam diu contractam, partim vt ostendat se gratum ei volenti per permutationem transferre in ipsum Petrum beneficium, quod valde desiderat consequi partim ne discedat à proposito permutandi cum illo, quod iure facere posset: quæ officia omnia respiciunt in se spem habendi beneficium. Quæritur, an Petrus in hoc simoniam admiserit, vel an sana conscientia possit permutationem complere.

1 Ad dicẽdum, quod admittat simoniam, facit, quod P. dedit & dat aliquas pecunias, vel alia, quę sunt pecunia æstimabilia F. vt faciat præfatam permutationem, & ne retrocedat ab illo proposito: per quod videtur præstare temporale pro spirituali, & consequenter esse simoniam.[a]

Sed contra videtur dicendum. Primo, quod simonia definitur esse studiosa voluntas emendi, vel vendendi spirituale, vel ei annexum, secundum glossam receptam,[b] & S. Tho.[c] vbi omnes hoc tenent, post quos paulo latius tradimus nos in Man. nostro confess.[d]

2 Secundo, quod preces, quibus rogatur collator beneficij, non inducunt simoniam, quando subest debita causa, propter quam confertur beneficium, secundum eumdem S. Thom.[e] at in nostro casu subest causa debita, scilicet dignitas, siue idoneitas personæ, ac permutatio iusta: & obsequia, de quibus in facto, præstita compermutanti ad summum videntur esse quædam preces: ergo tanto minus inducent simoniam, quãto minus iuris habet ad conferendum compermutans, quàm collator.

3 Tertio, quod licitum est mutuare alteri ad consequendã eius amicitiam, ex qua ei proueniat aliquod beneficium, iuxta doctrinam eiusdem S. Thomæ,[f] vbi clarius id explicat Caietanus, quam sequimur in com. de vsur.[g] & in Man. con.[h]

4 Quarto, quod ea, quæ minus principaliter intenduntur, non inducunt simoniã, iuxta ca. *quid proderit*.[i] & ca. *si official*.[k] quatenus cum glossis, habent quod obsequia eorum, qui principaliter inseruiunt ecclesię & prelatis propter Deum, vel quia iustum & honestum est, licet minus principaliter inseruiant ad consequendum aliquod beneficium ecclesiasticum, non committunt simoniam, sed neque qui vadunt ad officia diuina principaliter propter Deũ, & minus principaliter propter distributiones quotidianas, iuxta glo. singularẽ.[l] At causa principalis, propter quã Petrus vult quęrere beneficium pręfatum, est id, quod dat per permutationem, & non obsequia prędicta, quę non pręstat illi principaliter propter habendum illud beneficium, sed minus principaliter, & quod pręfatus P. nihil dedit pręfato F. pręuio pacto, vt illam permutationem perficeret: immo per ipsum Petrum stat quo minus perficiatur, vt in facto proponitur.

5 Quinto, quod nõ obstat dicere, quod Barthol[o].[m] ait, quod causa principalis est illa, sine qua non fieret effectus; & quod pręfatus Petrus non præstitisset tot officia F. quod pręstitit, nisi sperasset per illa eum retinere in proposito transferendi pręfatum beneficium in ipsum per permutationem. Non inquam hoc obstat: quia illa definitio Bartholi non est bona, vt nuper in commentario capite *cum minister*.[n] clare monstraui per multa exempla, & iura, quibus probatur quod multi ad officia diuina non irent aliquoties, nisi distributiones quotidianas lucrarentur: multi non inseruirent Papę, neque prelatis, nisi sperarent beneficia, quibus essent digni: multi sacerdotes aliquando non missarent, nisi pitantię offerrentur eis, & nisi rogarentur vt id facerent: immo rari sunt; qui virtuti studeant sine vlla spe inde consequendi aliquid, iuxta illud Iuuenalis, *Quis virtutem amplectitur ipsam Præmia si tollas?* Attamen rari ex prędictis ponunt finem principalem in distributionibus, pitãtiis, precibus, & beneficiis speratis, sed in Deo ipso, in honestate, & virtute, licet minus principaliter per illa temporaria moueantur ad illa. Nam vt Ioannes Maior apertè

a Cap. Saluator.1.q.3.& c. sunt nonnulli. 1.qu.1.
b In summa 1.q.1.
c In 2.2. qu. 100.art.1. & in 4.dist.21.
d Cap.23.nu. 100.
e Vbi sup.art. 5.ad 3.
f In 2.2.quæ. 78.artic.2.in corp.qu.
g Num.22.
h Cap.17.nu. 209.
i 61.dist.
k 59.dist.
l In capi. 1.de cler.non resi. lib.6.
m In l.2.§.f. ff.de don.
n 23.q.5.n.39.

exemplificat,[a] passim contingit aliquem habere aliquod negotium magnum in platea, ad quod tamen agẽdum non iret, saltem tali, vel tali hora, nisi superueniret aliud munus, quo superueniente vadit principaliter quidem propter negotium maius, & minus principaliter propter superueniens.

6 Sexto denique facit peremptoriè, quod nemo committit simoniam iure diuino prohibitam, nisi qui intendit emere, vel vendere spirituale, vel illi annexum, vt probamus in dict. Manu.conf.[b] & quod prædictus P. nullam talem voluntatẽ habuit; & ita non commisit simoniam iure diuino prohibitã. Nulla vero simonia iure humano inducta committitur sine pacto, seu conuentione,[c] nam intentio intra mentem retẽta, vt fiat hoc, vel illud; quod non posset licitè per pactum exprimi, non efficit simoniam iuris humani, vt vtiliter tradit D. Antonin.[d] & tradimus nos vbi supra,[e] cũq; præfatus P. nullatenus intenderit, nec intendat emere aliquod ius per præfata officia; cumque illa faciat nullo pacto præuio, vt ob ea F. permutet; cumque illa sint officia, quæ passim amicis fiunt ab amicis; cùmque non sint illa causa principalis consequendi beneficium illud, sed alia beneficia commutandi cum eo; nulla profectò simonia iuris diuini aut humani verè reperitur in hoc casu, præsertim quo ad forum conscientiæ. Salua, &c.

a In 4. dist. 25.
b Cap. 23. nu. 100. in princ. & corol. 4.
c Cap. tua. cũ gloss. & Doct. de simon.
d Par. 2. tit. 1. cap. 8. §. 11.
e Nume. 107. ad 10.

SVMMARIVM.

1 *Resignanti, & ante præstitum consensum, mutuam pecuniam petitam qui numerat ob amicitiam principaliter, non est simoniacus: at si principaliter, ob resignationem adimplendam, cessante omni pacto numeret, erit simoniacus mentalis, qui beneficium sic receptum restituere in conscientia non tenetur. num. 2.*

1 *Mutuo si collatario pecuniam principaliter ad acquirendam eius amicitiam, sperans ab eo vt ab amico beneficium, & ille motus principaliter ob amicitiam conferat, non est simonia.*

## CONSILIVM XXIII.

ANTONIVS dixit Petro velle se illi renunciare canonicatum, & quod quæreret datam, quam appellant paruam: & multis mensibus in eadem voluntate permanens, antequàm præstaret consensum, petiit ab eo quamdam summam pecuniæ mutuam, qui eam illi mutuauit cum obligatione soluendi, post quod extendit consensum, & Petrus per literas expeditas accepit possessionem. Quæritur, an admiserit simoniam, & teneatur relinquere canonicatum.

1 Respõdeo in foro interiori minime cogẽdũ ad dimittẽdũ. Tũ quia verè nulla interuenit simonia realis, cũ nulla emptio formalis interuenerit, neq; aliqua æquipollẽs; quia verus cõtractus mutui intercessit. Tũ quia nulla conuentio illicita interuenit. Tum quia, qui mutuat pecuniam alicui principaliter ad contrahendam vel augendam cum mutuatario amicitiam & subleuandam eius necessitatem, non committit vsuram, nec consequenter simoniam, licet secundariò speret ab eo aliquod beneficium, etiam conferendum sibi iustè principaliter propter amicitiam, & realiter postea conferatur illud ei ab eo, vt colligitur ex S. Thoma,[f] vbi clarius Caietanus explicat, quem nos sequimur in comment. de vsuris,[g] vbi etiam citauimus Sotum;[h] clarius hoc dicentem: idem etiam dicimus in Manu. confess.[i]

2 Tum denique quod si intercedat simonia mentalis etiam secundæ speciei, illa videlicet, qua quis intentione praua, non tamen expressa, neque deducta in pactum, quærit aliquod beneficium spirituale, non tenetur illud relinquere, per cap. fin.[k] & ea quæ nos ibi latè tradimus. Cum igitur Petrus nõ emerit, nec vllo contractu oneroso quæsierit ab Antonio renũciationem prædicti beneficij, immo ipse suo motu proprio voluerit ei renunciare; cumque nulla conuentio interuenerit inter ipsos, vt Petrus mutuaret pecunias, & Antonius renunciaret; cumque post oblatum beneficium mutuauerit pecuniam ob amicitiam, & necessitatem, & gratitudinem, quàm debebat ei propter amorem, & voluntatem benefaciendi, quam ei monstrabat; cumque liceat mutuare alteri ad conciliandum sibi eius amorem & amicitiam, etiam sperando quod ratione amicitiæ postea in eũ est aliquid ille collaturus: cum denique non teneatur quis restituere beneficiũ quæsitum per simoniam mentalem, hoc est faciendo, vel dãdo aliquid temporale corrupta intentione, non tamen deducta in pactum: consequens est prædictum Petrum iustè posse retinere præfatum beneficium, nulla super eo habita dispensatione, cùm facile per adducta pro hac parte soluantur allegata pro contraria.

f 2. 2. q. 78. a. 2. ad 3. & in corp quæst.
g Super ca. 1. 14. q. 3. n. 22.
h Lib. 9. qu. 1. art. 2. de iust. & iur.
i Cap. 17. nu. 209.
k De simon.

SVMMARIVM.

1 *Simoniam non inducit sola intentio resignatarij gratiose dandi temporale. & reciproca spes resignantis gratiose accipiendi; etiam si id non facerent, nisi sperarent consequi quod intendunt, num. 2.*

2 *Simonia si sit solum mentalis, etiam quod sit reciproca, non habet censuras, nec actum vitiat.*

## CONSILIVM XXIV.

A. NVLLVM beneficium ecclesiasticum habens rogauit B. habentem plura, vt renunciaret in fauorem eius vnum simpliciter in manibus Papę, nullo inter eos inito pacto de danda vel accipienda vlla remuneratione; quamuis B. haberet spem mentalem tantùm recipiendi aliquam remunerationem, & B. voluntatem etiam mentalem tantùm faciẽdi eam: & expeditis literis, acceptáque possessione, A. dedit aliquam remunerationem, & B. eam accepit.

Quęritur, an incurrerint simoniam aliquam talem, quę obliget eos ad relinquendum beneficia, vel ad faciendum aliquam restitutionem.

1 Pro parte affirmante facit, quod omnis pactio, vel conuẽtio, qua promittitur spirituale pro temporali, vel contra temporale pro spirituali, est simonia,[a] & in casu proposito licet nõ interuenerit pactio expressa, videtur tamen interuenisse tacita super remuneratione danda, & accipienda.

Pro contraria tamen parte est textus expressus in cap. fin.[b] secundum communem & fere omnium intellectum, quẽ nos neruosius omnibus aliis defendimus in Manu. confess.[c] Non obstat oppositum: quia negamus in hoc casu interuenisse pactum vllum tacitum de danda vel recipienda remuneratione: quia longè aliud est sperare ab aliquo aliquid, si fecero illud, aut illud, & illum velle dare id quod sperat ille, si fecerit illud, aut illud, & facere pactum etiam tacitum de illo accipiendo, vel dando. Tum quia velle pacisci non est facere pactum, sicut nec velle emere, est emere, nec velle ascendere arborem est ascendere illam, nec velle confiteri est confiteri, nec velle contrahere matrimonium est contrahere illud, vt notatur in glossa.[d]

2 Tum quia simonia mentalis non inficit actum, nec ad vllam restitutionem obligat,[e] etiam si pertingeret ad culpam mortalem, vt clarè nos vbi supra probamus. Tum quia non omnis spes remunerationis temporariæ accipiendæ vel dandæ pro datione rei spiritualis est illicita, sicut nec omnis confidentia, vt nos probamus[f] alioquin fere omnes, qui cõferunt beneficia, essent simoniaci, & cõfidentiæ vitio infecti; cùm fere omnes habeant spem, quod beneficiarius reddet aliquam gratiam re, verbis, vel animo, & quod erit gratus, iuxta legem naturalem, quæ nos obligat, vt benefacienti benefaciamus.[g] Tum quia nõ est simonia renunciare beneficium, etiam in manibus ordinarij, ea mente ac intentione, vt detur tali vel tali; etiam si eo animo esset, vt non renunciaret illud nisi speraret, quod conferretur illi; dummodo non paciscatur, nec conueniat cum ordinario, vt illud ei conferat, iuxta D. Antoninũ,[h] quem retulimus & sequimur in d. Man.[i] Salua, &c.

a Cap. quam pio. 1. qu. 2.
b De simon.
c Cap. 23. nu. 102.
d Leg. in vendentis. C. de contrahend. empt. cap. ex parte. de spons.
e Dict. ca. fin. de simon.
f In d. cap. 23. num. 109.
g Leg. si non sortẽ. §. libertus. ff. de condictio. indebit.
h 2. par. tit. 1. cap. 5. §. 11.
i Cap. 23. nu. 107.

SVMMARIVM.

1 *Annatæ solutio pro beneficio ad resignatariũ, at pro reseruata pensione ad reseruatarium spectat. vnde si & hanc resignatarius soluere promittit, committitur simonia, etiam quod dicat se illam soluere velle solo intuitu subleuandæ paupertatis resignantis; quia decipit se ipsum, cum eam soluat etiam vt resignet.*

1 *Gratuita solutio oneris ad resignantem spectantis potest quidem à resignatario fieri, sed reuera vix sine simonia esse potest.*

## CONSILIVM XXV.

SVNT duo sacerdotes, quorum alter vult renunciare beneficium suum in manibus Papæ, reseruata sibi pensione, quæ illi placuerit; sed non habet vnde soluat annatam. Alter vult donare purè & gratuitè id quod est necessarium ad soluendam illam, si absque peccato fieri potest. Respondet quidam eruditus, quod sic, si nulla alia de causa, quam subuentionis leuandæ paupertatis id faceret. Quæritur an sit iusta responsio.

1 Respondeo primò, quod in argumento, siue facto præsup ponitur vnum falsum, scilicet annatam esse soluendam à renunciante beneficium: quod tamen non est verum; quia immo est soluenda à renunciatario, licet compositio, quę soluitur pro pensionis impositione, debeat solui ab eo, cui reseruatur, saltem si voluerit expedire literas.

Secundo, quod in foro exteriori iudicabuntur ambo simoniaci.[a]

[a] Arg. c. quã pio. 1. qu. 1. & cap. fi. de pac.

Tertio, quod etiam videtur aliud falsum in facto præsupponi, scilicet, quod resignatarius vult gratuito dono donare resignanti, vel soluere pro eo annatam, siue compositionem; cum tamen etiam præsupponat, quod non solueret eam, si renunciaret in fauorem alterius; & ita non solùm vult soluere illam, quia Titius est pauper, sed etiam eo quòd vult resignare beneficium in fauorem suum.

Quarto, quod præfatus D. consultor rectè respondet quo ad forum conscientiæ sub conditione, si renunciatarius soluit dictam pecuniam non alia de causa, nisi &c. Attamen conditio non purificatur, cum renunciatarius velit soluere illam pecuniam, non solùm vt paupertatem Titij subleuet, sed etiã vt renunciet in fauorem eius vt palam est, &c.

SVMMARIVM.

1 *Mediator rogatus vt oblata restitutione expensarum bullarum suadeat resignationem, si illam simpliciter fieri procuret, & postea pecuniam gratuito à resignatario absolutè datam recipiat, non dicitur causata simonia realis, sed solùm mentalis ex parte resignatarij; ex parte autem mediatoris, si proposuit resignantem simoniacè interpellare.*

## CONSILIVM XXVI.

IOANNES beneficiatus in Ecclesia N. erat valde amicus cuiusdam Ludouici. Petrus videns quod dictus Ioannes ex dicto beneficio nullos percipiebat fructus, adiuit Ludouicum amicum Ioannis, & dixit illi; Domine Ludouice, quandoquidem Ioannes nullos fructus percipit ex suo beneficio, fac mihi gratiam, vt intercedas cum illo, vt dictum beneficium in meum fauorem resignet, & ego soluam illi expẽsas, quas fecit in expeditione bullarum. Ludouicus rogauit Ioannem, vt dictum beneficium resignaret in fauorem Petri; & non dixit illi, quod Petrus solueret illi expensas, quas fecit in expeditione bullarum, sed simpliciter absque aliquo pacto & conditione resignauit illud in fauorem Petri. Petrus autẽ postquam assequutus fuit beneficium pacificè, quodam die dedit Ludouico gratuito 17. scuta, non dicendo illi, Ego do ista scuta, vt des Ioanni, neque minus do tibi illa, quia procurasti resignationem: sed simpliciter illa dedit. Ludouicus illa recepit, & Ioanni resignatori nihil dedit, neque minus aliquid super hoc dixit.

Dubitatur, an iste Ludouicus incurrerit simoniam, aliquãve irregularitatem, quia tempore supradicto erat presbyter, & obtinebat beneficia, prout obtinet, & semper celebrauit.

1 Respondeo primò, quod Petrus resignatarius peccauit peccatum simonię saltem mentalis, quo ad forum saltem exterius, sed non talis simoniæ realis, quæ ipso iure inducit excommunicationem & nullitatem tituli, iuxta extrauag. 2.[b] Ioannes autem nihil peccauit: Ludouicus verò, si cũ rogatus fuit, proposuit animo promittere præfato Ioanni impensas bullæ nomine Petri, potest dici peccatum peccasse simoniæ mentalis, sed non tale, quod ipso iure induceret vllam censuram.

[b] De simoni.

Secundo, quod Ludouicus recipiendo prędicta scuta nullam simoniam commisit. Quare gratias agat Deo, qui eum liberauit ab ea, quasi à fauce draconis, quem vtinam semper omnes vincamus. Amen.

SVMMARIVM.

1 *Simoniam committere saltem in foro exteriori censetur, qui etiam post quæsitum ius in re aliquid dat ante adeptam possessionem.*

2 *Papæ beneplaciti reseruatio non excusat exequentes conuenta, antequam illud impetretur.*

## CONSILIVM XXVII.

QVIDAM renunciauit beneficio in fauorem alterius in manibus Papæ, reseruata pensione: & post signatam supplicationem & præstitum consensum, ante adeptã possessionem cõuenit inter partes fieri aliquam reseruationem sub beneplacito Papæ, quæ sine illo non licuisset: sed antequam beneplacitum Papæ accederet, exequuta fuerunt, & adepta fuit possessio. Quæritur, an interuenerit simonia realis.

1 Respondeo, præfatas cõuentiones iudicatum iri simoniacas, saltem in foro contentioso. Tum quia fuerunt factæ ante adeptam possessionem: & non licet habenti etiam verum & bonum ius in beneficio, & carenti eius possessione, quærere illam per dationes & remissiones rerum temporalium, vt expresse adnotauit Panormitanus communiter receptus.[a]

[a] In cap. dilectus. de simõ.

2 Dixi, *quo ad forum contentiosum*. nam quo ad forum conscientiæ saluari fortè posset per ea quæ nos adducimus in Manu. confess.[b] Tum quia non prodest ei reseruatio beneplaciti Papæ: quia antequam beneplacitum eius impetraretur, resignatarius accepit possessionem beneficij, & resignans retinuit ea, quæ per conuentioné ei reseruabantur. & quod reseruatio huiusmodi beneplaciti nihil prosit si antea fiat, quod conuẽtum est, præsupponit pro certo Ludouicus Gomez,[c] & multis probari potest, & prætoriũ sacræ Pœnitent. seruat, & nũc imprimitur in dicto Manu. confess. vbi suprà.[d] Salua, &c.

[b] Cap. 23. n. 101.

[c] In qu. 12. li. f. de trien. pos.

[d] Num. 107.

SVMMARIVM.

1 *Conuentio omnis circa beneficia simoniaca est; sed hoc tunc demum, cum datio rei spiritualis principaliter respicit acceptionem pretij rei temporalis, vel ei æquipollentem, nu. 7. non tamen requiritur quod sit pecunia, sed sufficit promissio alicuius facti. quod sit causa principalis promissionis rei spiritualis nu. 2. seu quod sit tamquam illius pretium. nu. 8.*

5 *Maior expressio fructuum beneficij facta per resignatarium, & resignantem, ad effectum, vt admittatur resignatio cum reseruatione certæ pensionis, etsi videatur continere in se traditionem facti, quod sit loco pretij rei spiritualis obtinendæ, tamen vere id non continet, nume. 6. & 7. nec continet simoniam. num. 8. licet sit mala, profana, falsa, & peccatum. nu. 3. & o. causetque subreptionem. num. 6. & 7.*

5 *Taciturnitas veri, & expressio falsi, possunt quidem causare subreptionem, sed non simoniam. & num. 6.*

6 *Simonia ad hoc vt committatur, requirit contractum, per quẽ pro spirituali principaliter detur pretium rei temporalis, vel ei æquiualentis.*

## CONSILIVM XXVIII.

AN EXPRESSIO valoris vero maioris facta à resignante, & resignatario pensioni consentiente, efficiat eos simoniacos.

1 Pro parte affirmatiua facit primò, quod conuentio circa beneficia ecclesiastica videtur simoniaca.[e] At inter prędictos conuenit, vt mentirentur valorem beneficij Papę circa beneficialia. ergo, &c.

[e] Cap. cum pridem. & c. fin. de pact.

2 Secundo, quod ad hoc, vt aliqua conuentio sit simoniaca, non requiritur, quod alter det, vel promittat alteri aliquam pecuniam, vel rem ea æstimabilem; sed sufficit, quod faciat, vel promittat facere aliquid tamquam quoddam pretium, & causam principalem promittendi rem spiritualem: vt cum quis pro spirituali renuntiat suo beneficio in fauorẽ vnius, vel alterius, vt prę alijs declarauimus in Mã.[f] & in casu proposito videtur facta conuentio mentiendi, vt Papa admitteret resignationem cum reseruatione pensionis: quod mendacium fuit causa principalis: cur Papa tantam pensionem adm[illegible] & cur resignans resignauit, cum ipse non resignasset, nisi reseruata illa pensione, nec Papa eam reseruasset, nisi expresso valore vero maiori.

[f] Cap. 23. nu. 100.

3 Tertio, quod qui exprimit valorem vero maiorem, ad finem, vt fiat renuntiatio, videtur dare aliquid profanum & temporale pro renuntiatione beneficij: dat enim verba mendacia, quę non solùm sunt profana, sed etiam falsa: ergo admittit simoniã. & similiter qui renunciat beneficio, vt constituatur sibi certa pensio, & mentitur pretium beneficij, vt illa sibi constituatur, credens eam alioqui sibi non constitutam iri, videtur renunciare ob aliquod profanum malum, & temporale, prædictum scilicet mendacium.

4 Pro parte verò negante facit primò quod simonia est voluntas studiosa emendi, vel vendendi spirituale, vel spirituali annexum pro temporali, iuxta glossam receptam.[g] & hoc casu nulla occurrit voluntas emendi, vel vendendi.

[g] 1. q. 1. in sũma.

Secundo, quod per temporale positum in illa definitione potest intelligi pecunia numerata, vel aliquid ea æstimabile,

secũdum vulgarem intelligentiam: & in casu proposito neutra pars alteri promittit, vel dat pecuniam numeratam, nec aliquid ea æstimabile.

5 Tertio, quod ad incurrendam simoniam circa beneficiũ non sufficit voluntas tacendi aliquod verum, vel exprimendi aliquod falsum ad obtinendum beneficium, quo non tacito, vel non expresso Papa non concessisset illud. quia nulla iura loquentia de taliter impetrantibus, qualia sunt cap. *ad aures.* cap. *si proponente.* cap. *super literis.*[a] cap. *si motu proprio.*[b] & alia similia, nulla inquam eorum exprimunt, nec insinuant eiusmodi impetrantes incurrere simoniam, sed solùm perdere, vel non perdere gratiam.

a *Cap. postulasti. de rescr. lib. 6.*
b *Ca. non potest. de preb. eo. lib.*

6 Quarto, quod omnis simonia requirit contractum, vel voluntatem contrahendi super re spirituali, ita quod alter det aliquid alteri in verum pretium, vel similitudinem, aut in causam principalem pro re spirituali, vel illi annexa. at id hic non contingit: quia nullus contractus interuenit inter resignantẽ, & resignatarium, quo alter alteri daret, vel pro altero faceret tamquam in quoddam pretium, vel causam principalem rei spiritualis; sed solùm conuenit inter eos, vt mentirentur Papæ pretium, per quod gratia fuit facta subreptitia; quod non sufficit ad inducendam simoniam per proximè dicta.

Quinto denique, quod conuentio, vt ambo, resignaturus, & resignatarius, supplicent Papæ pro admissione resignationis, vel pensionis, nõ est simoniaca, nec efficitur talis, eo quòd aliqua qualitas beneficij vel personæ taceatur, quæ esset exprimenda, vel exprimatur quod esset tacendũ, licet taceatur vel exprimatur maior vel minor valor beneficij: quia de similibus idem est iudicium.[c]

c *Ca. dudum 2. de elect.*

7 Ob hæc posteriora fundamenta videtur verior pars negatiua. Et ad primum oppositorum respondeo, negãdo, quod omnis conuentio circa beneficialia sit simoniaca: locatio enim, & conductio fructuum beneficij, & constitutio vicarij cum illo vel illo salario, & conuentio prædicta, vt ambo supplicent pro resignatione & reseruatione pẽsionis, & id genus aliæ conuentiones non sunt simoniacæ, etiamsi alioqui essẽt iniquæ, & malæ, sed illa sola conuentio, quæ principaliter respicit dationem iuris spiritualis vnius in alterum pro aliquo temporali, vel simili pretio. quod non contingit in casu proposito: quia neutra pars dat, vel promittit alteri quidquã ob pretium, vel quasi pretium iuris spiritualis; sed solum conueniũt ad impetrandum subreptitiè ea, quæ volunt, nihil dando, vel promittendo alicui pro obtentione.

8 Ad secundum respondeo, concedendo, quod admittitur simonia, non solùm quando pecunia, vel aliquid ea æstimabile datur pro spirituali, sed etiam cùm aliquid, quod non est æstimabile pecunia, fit, vel promittitur in quoddam pretium & recompensam rei spiritualis: at negando, quod in casu proposito contingat aliquid tale, vt in responsione ad primum est declaratum.

At tertium respondeo, concedendo, quod expressio illa maioris valoris est res profana, falsa, mala, & peccatum, sed negãdo quod sit simonia: non enim est pecunia, nec ea æstimabile, nec est aliquid quod datur aut promittitur in quoddam pretium Papæ, vel parti, vel alicui mediatori.

*Aduerte, quia copia huius responsi non videtur integra, sed supplenda ex consilio sequenti in fine.*

## SVMMARIVM.

1 *Simonia non est, vbi non datur temporale pro spirituali, immo nec si detur, modo non detur in causam principalem seu immediatam pro habendo spirituali. num. 10.*

3 *Auctoritas viri docti asserentis aliquid non esse ad summũ plusquam veniale excusat à peccato mortali, & illius pœna, etiã si erret.*

4 *Pensionẽ sine auctoritate Papæ impositam, vel nulliter constituendam velle soluere paria sunt: vnde sicut ex prima potest incurri simonia, si propter illam detur spirituale, ita & propter secundam. & num. 5.*

5 *Fructuum maiorem expressionem si faciat resignatarius, ad hoc vt resignanti reseruetur maior pensio, & sibi conferatur beneficium, videtur æquipollenter dare temporale pro spirituali, & sic simoniam committere, sed verè non committit. nu. 11. quia intentio partium non fuit dare temporale pro spirituali, nec vt dicta falsa expressio esset pretium, nume. 8. nec causa principalis, vt fieret resignatio. num. 10. Verum quia* A *maior expressio facta fuit ex conuentione partium, ad hoc vt desiderata resignatio compleretur, quæ aliàs completa non fuisset; ideo auctor non audet à simonia excusare. nu. 11. iuncta figuratione quæstionis.*

7 *Maior expressio fructuum valoris beneficij dolose facta, ad hoc vt resignatio cum reseruatione certæ pensionis admittatur, causat subreptionem, iuncta positione casus.*

8 *Intentio dantis vel facientis temporale attendenda in iudicanda simonia: nam si cesset intentio emendi, & detur non in causam principalem: seu immediatam pro habendo spiritualis, non erit simonia. nu. 10.*

## CONSILIVM XXIX.

B AN COMMITTANT simoniã resignãs & resignatarius conuenientes, vt exprimatur valor beneficij esse 160. ducatorum, cum non sit nisi 100. vt pensio 60. ducatorum constituatur à Papa quę expressa veritate non fuisset constituta: quia oportebat, vt resignanti manerent 100.

1 Questio profecto quotidiana & difficilis est. Nam pro parte negãte facit, quod in casu proposito nihil spirituale videtur dari pro temporali, neque contra: ergo non committitur simonia: quia non cõuenit ei definitio eius, de qua 1. q. 1.[a] & in locis citatis in Manu. confess.[b]

2 Secundo, quod ignorantia excusat à peccato; & à pœna peccati.[c] At prędicti ignorauerunt prędictum pactum fuisse simoniacum. ergo, &c.

a *In summa,*
b *Cap. 23. nu. 100.*
c *Cap. 2. cap. nam de consti.*

C 3 Tertio, quod auctoritas alicuius viri docti excusat quem à peccato, etiam si erret, vt tradit Panormitanus communiter receptus,[d] & glossam eius.[e] Et præfati duo cõuenientes nõnullos habuerunt auctores doctos & expertos, qui dixerunt id non esse peccatum saltem plusquam veniale: ergo non admiserunt simoniam, quæ excommunicatione plecti mereretur, cum id quod est veniale tantum ea non plectatur.[f]

4 Pro parte verò affirmante facit primo, quod nihil refert quid de ęquipollentibus fiat.[g] At si duo ita conuenirent, vt alter renunciaret beneficium. 100. ducatorum in fauorem alterius, & alter promitteret soluere ei 60. pro annua pensione sine consensu Papę, committeretur simonia, vt palam est.

d *In cap. capellanus. per illum textũ.*
e *De feriis.*
f *Cap. nemo. cap. nullus. 11. quæst. 3.*
g *Le. si. ff. mãdati. cap. licet ex. quadam. de test.*

D Sed qui cõueniũt, vt valor beneficij valẽtis 100. exprimatur esse 100. & 60. ad hoc vt cõstituatur pẽsio 60. à Papa, ęquipollẽter cõueniũt ac duo supradicti, cũ habeãt propositũ, vt resignatio fiat, & pensio male & inutiliter constituta soluatur.

5 Secundo, quod omne pactum expressum vel tacitũ dandi spirituale pro temporali, vel contra, sine consensu Papę, est simoniacum.[h] At conuentio hęc inter resignantem & resignatarium facta, vt exprimatur maior valor beneficij ad constituendam maiorem pensionem, quam aliàs constitueretur est pactum vel conuentum dandi aliquid spirituale, scilicet beneficium, pro temporali scilicet pensione male & inutiliter imposita sine consensu Papę; quia id Papa minimè nouit: ergo est simoniacum.

h *Cap. quam pio 1. qu. 2. & ca. fin. de pactis.*

E 6 Tertio, quod omne mendacium de re graui est peccatũ mortale, iuxta illud Psalmi,[i] *Perdes omnes qui loquuntur mẽdacium*, & tradit Sanctus Thomas, communiter receptus,[k] & hoc mendacium non fuit officiosum tantùm, immo fuit perniciosum, & de re graui & perniciosa, qua imponebatur seruitus grauis rei spirituali, scilicet beneficio, & directum ad acquirendum spirituale: & ita videtur simonia.

i *Psalm. 5.*
k *2. 2. qu. 100. art. 4.*

7 Pro resolutione videtur dicendum primo, hoc prefatum mendacium fuisse peccatum mortale, vt probat 4. argu. pro parte affirmante formatum.

Secũdo, quod fuit mendacium, siue falsitatis expressio talis, quę fecit gratiam nullam: fuit enim expressio dolosa falsitatis, quę facit gratiam subreptitiam, & per cõsequens nullã.[l]

F 8 Tertio, quod ad dicendum, quod inducit simoniam, vrgent duo prima argumenta pro parte affirmante allata.

Sed contra facit primo, quod animus & intentio prefatorũ conuenientium non fuit vendere aliquid, vel emere, neque dare, vel recipere spirituale pro temporali, vel cõtra: & actus agentium non operantur vltra intentionem eorum.[m]

Secundo, quod actus agentium sunt iudicandi secundum intentionem principalem eorum,[n] & intentio prędictorum principalis fuit, vt resignatio fieret, & pensio admitteretur, & non quod pensionis constitutio esset pretium renunciationis; sicut obsequia, vel munera pręstita collatori, vel pręsentatori beneficij ad quęrendam amicitiam eius non censentur pretiũ collationis, quam postea ipse facit ex amicitia per illa obsequia

l *Cap. super literis de rescrip. cap. & si legibus. 25. q. 2. de sump. ex l. & si legibus. Cod. si contra ius vel vtilit. publ.*
m *Le. non omnis. ff. si certũ petatur.*
n *Leg. si quis nec causam. ff. de rebus cre ditis.*

& munera

& munera prius contracta, vt probamus in d.Manual.[a]

9 Tertio, quod alioqui sequeretur, quod omnis subreptio facta in impetratione beneficij esset simoniaca: quia est quoddam temporale, quod fit vt detur aliquid spirituale, quod sine illo non daretur: quod videtur absurdum, & à nemine hactenus assertum, & ita non dicendum.[b]

10 Quarto, quod datio, vel factio alicuius rei temporalis, quæ est causa minus principalis vel mediata quęrendi aliquid spirituale, non est vera simonia, per multa quæ adduximus in d.Manuali.[c] Et præfatum mendacium non videtur fuisse causa principalis & immediata acquisitionis beneficij, sed quædam impellens & remota: causa verò principalis fuit, ne tantam iacturam resignans ex sua resignatione acciperet, & quædam sustentatio ei remaneret: quamuis expressio falsa tantorum fructuum mouisset Papam ad pensionem constituendam.

11 Per quæ quatuor fundamenta arbitrarer, quod non fuit in hoc casu commissa simonia, si solum mendacium, & sola expressio falsi valoris sine conuentione inter partes promissa interuenisset. At quia vltra illam falsam expressionem conuenit inter partes, vt ea fieret ad perficiendam resignationem desideratam, non auderem excusare illam à simoniæ labe ob argumenta pro parte affirmante formata.

12 Quare principaliter dico, consulentem debere petere in sacra Pœnitentiaria absolutionem, & dispensationem, si & quatenus oporteret, sine vlla nominis expressione, narrato quam breuissime poterit toto facto, relictis, tamen quæ non sunt necessaria. & meam operam polliceor ad corrigendam petitioné, si antequá ea offeratur, mihi monstrata fuerit, &c.

a Cap.23.nu. 100.

b Leg. nam quod absurdum.ff.de bonis libertorũ.

c Num. 100. & 101.

SVMMARIVM.

1 *Resignanti non licet pacisci quod alius aliud teneatur renunciare beneficium, seu pensionem soluere, vel expensas bullarum restituere, nisi exprimatur Papæ.*

## CONSILIVM XXX.

TRES videntur quęstiones proponi. Prima, an liceat renunciare Ecclesiam parochialem in fauorem alicuius, eo pacto, vt ille renunciet aliud beneficium simplex in fauorem sui nepotis?

Secunda, an liceat renuncianti imponere renunciatario onus soluendi, vel reddendi sibi 60.duc. quibus redemit pensionem qua aliàs dicta parochialis grauata fuerat.

1 Tertia, an liceat pacisci, vt prędictus renunciatarius soluat impensam bullæ expediendæ super renunciatione prædicti beneficij simplicis?

Ad quas tres omnes respondeo negatiuè: quia omnes pactiones & conuentiones super beneficijs & eorum renunciationibus sunt simoniacæ, & prohibitæ,[d] nisi cum fiunt ita, vt de iure tacite insunt,[e] vt ait glossa memorabilis,[f] quales tamen non sunt præfatæ. quare oportet exprimere illas Papæ in supplicationibus, quæ super prædictis renunciationibus fient. Credo tamen Papam non esse illas admissurum. Si tamen hæc omnia sine conuentione tacita vel expressa liberaliter expedirentur, & postea confectis omnibus, & adepta possessione, redderentur vel soluerentur prædicta, nulla esset simonia, neque confidentia coram Deo: quamuis si patefierent, ita vt probari possent, notarentur vitio simoniæ, vel confidentiæ in foro exteriori, propter ea, quæ habentur in nostro Manual.[g]

d Cap. quam pio.1.q.2.cap. fin.de pactis.
e Cap. significasti.de elect.
f Cap.ad audientiam. 2. de rescript.

g Ca.23.nu. 111.

SVMMARIVM.

1 *Simonia conuentionalis est, si resignandi promittitur, quod percipiet nihilominus fructus, vel quod talis eius propinquam ducet in vxorem: tamen adhuc non incurritur pœna, num.2. efficietur autem talis, si ex vi pacti recipiat dictos fructus, aliud ve loco illorum, num. 3. vel sequatur matrimonium. num. 4. quod si à pacto recedatur, licet postea libere contrahatur, vel aliquid ex sola liberalitate detur, etiamsi aliquis, sed minus principalis respectus ad præcedentia habeatur, non incurritur pœna.num.3.& 4.*

1 *Ignorantia circa contractus simoniacos an sit probabilis excusans, ex qualitate personarum dijudicari potest.*

## CONSILIVM XXXI.

TITIVS & Sempronius conuenerunt tacitè, vel expressè, quod Titius renunciaret beneficium suum in fauorem Sempronij, & quod frater Sẽpronij duceret neptem Titij, & quod Titius perciperet post renunciationem omnes fructus beneficij, dum viueret. Renunciato beneficio, & accepta possessione, discesserunt à pacto de fructibus retinendis à Titio, & postea dedit Sempronius quasdam pecunias in remunerationé huiusmodi dissessionis. Quæritur quid iuris?

1 Primo dico prefatam renunciationem fuisse simoniacam ob illud pactum, quo pacti fuerunt, vt Titius post renunciationem acciperet fructus, & etiam ob aliud pactum, si fuit expressum quod neptis Titij nuberet fratri Sempronij.

Secundo, quod ignorantia iuris tale pactum reprobantis non excusat eos; quia non erat probabilis, attenta eorum qualitate.

2 Tertio, quod præfata simonia fuisset conuentionalis tantùm, si Sempronius nõ egit vt frater eius duceret neptem Titij, nec vllos fructus beneficij soluit, neque reliquit, vt Titius caperet illos post renunciationem: & consequenter renunciatio valuisset, & non incidisset in excommunicationem, per ea quæ nos scribimus in Manual.confess.[a]

Quarto, quod ex narratione proposita non colligitur matrimonium fuisse consequutum, neque Titium accepisse fructus, sed quod Titius, & Sempronius discesserunt à pacto de dandis vel relinquendis fructibus beneficij Titio.

3 Quinto, quod illa discessio à pacto de relinquendis fructibus duobus modis potuit fieri: primo cum promissione, vt Sempronius remuneraret illam discessioné aliqua pecunia: alio modo libere sine vllo pacto, quo se astringeret Sempronius, licet spes aliqua minus principalis liberæ remunerationis intercederet inter vtrumque: ita quod Sempronius ad nihil teneretur vi pacti, sed solùm vi gratitudinis liberæ. & si discessio primo modo fuit facta, simonia illa conuentionalis facta fuit realis, per quam censura & pœna simoniæ incurritur ipso iure: si autem secundo modo fuit facta discessio, simonia non fuit facta realis.

4 Sexto, quod caueant ne pactum de contrahendo matrimonio vlterius exequantur, antequam omnino discedant ab eo: ita quod ex vi pacti non fiat exequutio, sed ex sola amicitia liberali, quamuis aliquis respectus minus principalis ad illud posset haberi.

a Ca. 23. nu. 104.105.

SVMMARIVM.

1 *Simoniaca est omnis renunciatio beneficij ecclesiastici cum pacto etiam conditionali, etiam inani, & inutili, saltem si præbuit causam dictæ renunciationi.num.2.*

1 *Regressum habens, si vigore regressus beneficium adipiscatur, & illud denuo resignet, non habebit amplius regressum; quia expirauit, quando illi locus factus fuit.*

3 *Conuentionalis simoniaca resignatio ab vna tantum parte adimpleta valet, & tenet, nec habet pœnas.*

## CONSILIVM XXXII.

HABEBAT quidam regressum per decessum, aut aliàs quomodocumque vacaret, ad quamdam præbendam in quadam Ecclesia cathedrali, quam obtinebat quidam illius frater, qui propter quædam delicta per eum commissa dubitans priuari ea: dixit fratri, quod si restitueret ei suam præbendam, cum liberaretur, illam vacare permitteret, ad effectum vt esset locus regressui; & ille, qui habebat regressum, acceptauit, si sibi remaneret ius suum, prout prius habebat: quod sic fuit factum, quia possessor renunciando seu cedendo vacare permisit dictam præbendam, & habens regressum accepit possessionem. postea verò alter frater liberatus ab eo dictam prębendam petijt; & quia qui illam habebat, considerans quod illius regressus expirabat, noluit illam restituere, mouit oratori litem: & in effectu qui prius cesserat, videns quod non habebat ius, cessit liti. Dubitatur, an orator incurrerit aliquam simoniam.

1 Respondeo primò, quòd in hoc casu vera simonia contigit, quando frater, qui titulum, & verum ius, & bonam possessionem in beneficio ecclesiastico habebat. renunciauit illud in manibus superioris, ita quod vacauit, & factus fuit locus regressui alterius, cuius virtute illud adeptus fuit, pacto facto, quòd si renuncians liberaretur à delicto, cuius accusabatur, renunciatarius illud ei restitueret, si ob id regressus eius non expiraret: & omnis renunciatio beneficij ecclesiastici facta cum conditione, modo, vel pacto, est simoniaca.[b] Nec prodest quidquam, dicere, quod habens regressum, non

b Cap. dudũ. iuncta gloss. verbo libere de præb. in 6.

promisit absolutè, sed cum conditione, si regressus eius ob illam restitutionem non expiraret. Tum quia eo ipso, quod beneficium fuit renunciatum, regressus fuit sortitus suum effectum, & expirauit; & quia res semel extincta reuiuiscere nequit,[a] non potuit expirare postea per restitutionem beneficij: & ita illa promissio, licet fuisset facta verbis conditionalibus, effectu tamen fuit absoluta.

a Leg. qui res. § aream. ff. de solution.

2 Tum quod ad constituendum actum simoniacum sufficit promissio conditionalis; saltem talis, quæ præbeat causam actui spirituali faciendo: generaliter enim iura damnant omnia pacta, siue absoluta, siue conditionalia in spiritualibus,[b] & in casu proposito promissio illa conditionalis fuit causa, vt renuncians renunciasset suum beneficium.

b Cap. quam pio. 1. q. 2. cap. fin. de pactis.

3 Respondeo secundo, quod prædicta simonia fuit conuentionalis tantum, & non realis; quia solum fuit completa ex vna parte, scilicet renunciante, & non ex altera, scilicet regressum habente, iuxta scripta in nostro Manual.[c] & consequenter renunciatio valuit, & neutra pars incurrit excommunicationem, & sufficit vtrique vera contritio, & bona confessio peccati, per notata ibidem.[d] Salua eiusdem summi Pœnitentiarij summique eiusdem prætorij censura.

c Cap. 23. nu. 104.

d Num. 111.

*SVMMARIVM.*

1 *Resignans cum pacto, vt ei relinquantur fructus percipiendi in vita sua, est simoniacus, sed non est comprehensus sub extrauaganti de confidentijs; vt esset, si dicti fructus essent alteri dandi. num. 4.*

2 *Completa ex parte debentis resignare dicitur simonia, eo ipso quod talem facit resignationem, quæ si non esset simoniaca valeret, nec requiritur quod si talis, vt per illam resignatario aliquod ius quæratur.*

3 *Simoniam conuentam pro sua parte non dicitur adimplere resignans in manibus Papæ, nisi post præstitum secundum consensum, secus si resignet in manibus ordinarij: nec resignatarius tradendo instrumentum obligationem rei temporalis promissæ continens dicitur adimplere nisi & traditio instrumenti esset pars rerum promissarum.*

## CONSILIVM XXXIII.

QVIDAM rogauit fratrem suum, vt renūciaret quamdam capellaniam in manibus Papæ in fauorem nepotis vtriusque, cum pacto, & chirographo tradito ei à nepote de relinquendo resignanti omnes fructus ad vitam suam, & ita resignauit: sed antequam consensum præstaret, & ille extenderetur, aduertentes illam pactionem esse illicitam, & simoniacam, rupto & laniato chirographo resilierunt penitus à prædictis pactis; & decreuerunt vt simpliciter sine vllo pacto resignaret: & ita rogatus resignauit, & fuit signata supplicatio in fauorem resignatarij.

Quæritur, an sine peccato possit resignatarius expedire literas, & frui capellania, eius possessione apprehensa.

1 Respondeo, quod pro parte negante facit primo, quod pactio prædicta videtur simoniaca realiter: quia resignaturus resignauit beneficium vt promisit, & resignatarius tradidit chirographum de relinquendis fructibus: & ita fuit impleta simonia ab vtraque parte. Secundo, quod pactio prædicta videtur continere confidentiam illicitam, eo quod resignatarius promisit relinquere fructus eius resignanti ad vitam suam: quod videtur facere conuentionem simoniacam confidentialem, per declarationem Pij V. cuius bulla non requirit complementum confidentiæ vtriusque partis, vt & nos adnotauimus in Manual. confess.[e]

e Cap. 23. nu. 110.

2 Sed contrarium visum est verius duplici ratione. Prima, quod non videtur fuisse simonia completa ex parte resignantis: eo quod resignatio eius non valuit, neque per illam vacauit illa capellania; & ita non fecit actum, per quem posset quæri ius resignatario; quod videtur requiri per extrauagantem 2.[f] ad hoc, vt illa censeatur completa ex parte resignantis. Sed hęc ratio non videtur sufficere ad excusandum. Tum quia frater solum promisit resignare, & resignauit; & licet per illam resignationem non fuerit quæsitum ius alteri, nihilominus tamen ipse fecit quod promisit. Tum quia resignans non potest transferre ius in resignatarium, sed solum resignare, & superior post acceptatam resignationem tradit ius resignatario, secundum omnes. Tum quia resignatio beneficij spiritualis est actus spiritualis, & dare aliquid pro illo actu solo resignandi est simonia.[g] Tum quia, vt simonia realis committatur, non requiritur quod actus spiritualis, qui promittitur, valeat, sed sufficit quod valeret, si non esset simonia infectus. Nam qui promisit conferre propter 100. scuta beneficium, complet ex parte sua promissum conferendo illud, licet collatio non valeat, simonia impediente valorem, vt palam est. Secunda ratio est, quod non videtur interuenisse confidentia, eo quod resignatarius nullos fructus percepit, priusquam discederetur à pactis. Sed nec ista ratio videtur satisfacere: quoniam vitium confidentiæ incurritur absque complemento promissorum ex parte vtriusque, & qui promisit resignare compleuit ex parte sua; quod sufficit, vt nos adnotauimus in dicto Manual.[a]

f De simonia.

g Arg. ca. quā pio. 1. qu. 2.

a Cap. 23. nu. 101.

3 Alijs tamen rationibus videtur posse defendi desiderium consulentis. Prima quod prædicta simonia non videtur fuisse completa ex parte resignatarij; quia ipse nullos fructus dedit; & licet chirographum, siue apocham tradidisset, tamen non fuit traditum vt pars promissionis, sed vt probatio eius; & tradere scripturam pro probatione promissi non est implere partem promissi, vt & nos adnotauimus vbi supra.[b]

b Num. 106.

Secunda ratio, quod nec etiam resignans videtur compleuisse pro parte sua: quia resignatio, antequam extendatur consensus resignantis, nihil valet, secundum stylum curiæ; & ita fuit actus, qui non valuisset, etiamsi nulla simonia interuenisset; quia liberum erat ei retrocedere: quamuis iure communi, & extra curiam facta resignatio, sine alia consensus extensione, valeat, iuxta cap. *quam periculosum.*[c]

c 7. qu. 1.

4 Tertia ratio, quod non videtur vlla fuisse confidentia in hoc casu. Nam licet resignare cum pacto, vt resignatarius resignet aliquando in fauorem resignantis, vel alterius, vel vt soluat aliquot fructus alicui, sit confidentia à Pio V. damnata; resignatio tamen cum pacto, vt resignatarius det aliquos fructus resignanti, non est talis confidentia, vt ex contextu bullę Pij colligitur. Salua, &c.

*Vide tamen infra cons. 75. num. 1.*

*SVMMARIVM.*

1 *Simonia vt sit completa; sufficit quod vtrimque saltem pro parte sit adimpleta.*

2 *Renunciatio simoniacè reciprocè facta, non tenet: vnde ab excommunicatione absoluti possunt secretè petere ab Episcopo, vt acta ab ipsis ignorantibus id esse prohibitum facta retractentur, & vtrique suum restituatur beneficium.*

## CONSILIVM XXXIIII.

DVO conuenerunt, vt alter eorum renunciaret suum beneficium curatum, vt conferretur alteri habenti duo beneficia simplicia, & ille renunciaret illa, cum pacto, vt ordinarius conferret ea nepoti renunciantis curatum: & vterque impleuit pactum quo ad renunciationem, & alter etiam quo ad literarum expeditionem, & possessionis apprehensionem. Quæritur quid iuris.

1 Respondetur primo, quod simonia fuit realis, & inciderunt partes in excommunicationem; quia licet non fuit completa ex vtraque parte in totum, completa fuit tamen ab vna parte in totum, & ab altera in parte, quod sufficit per ea quæ nos tradimus in Manual. confess.[d]

d Ca. 23. nu. 105.

2 Secundo respondetur, quod prædicti consulentes satisfacerent suis conscientijs, si primum absoluerentur ab excommunicatione simoniæ incursa; & si ignorabant se illam incurrere, quod est verisimile, cum destiterint ab executione totali, curent, vt omnia acta, quibus perpetrata fuit simonia, retractentur, & Episcopus secreto illis, quatenus opus est, conferat sua beneficia, attenta prædicta ignorantia; & si beneficia sunt iuris patronatus, quod patroni non reclamant; & quod renunciationes ipso iure fuerunt nullæ propter simoniacam labem; immo & altera, propterea quod alter eorum ordinatus fuit ad titulum sui beneficij; & quod si sciuissent & aduertissent eam labem incursuros, non renunciassent. Sed hæc omnia non sufficerent quo ad expediendum se in foro exteriori, si probarentur in eo omnia, ea quæ fuerunt facta: ideoque curent seruare, seruarique facere secretum, apertè à Deo & confessario eius petendo veniam.

*SVMMARIVM.*

1 *Simonia conuentionalis est resignare beneficium litigiosum cum pacto, vt resignatarius subsequuta victoria consentiat constitutioni pensionis: & si postea dictæ constitutioni pen-*

*sionis*

*sionis consentiat, etiam quod pensionem non soluat, efficitur realis.*

1 *Simoniace si ignoranti conferatur beneficium, vel reseruetur pensio, ignorans pœnis non ligatur quidem, sed simul ac resciuerit, tenetur sic acquisita dimittere, vel supplicare pro retentione. num. 2.*

2 *Nouam, vt vocant petens prouisionem pro beneficio eidem ignoranti simoniace collato retinendo, tenetur, & sufficit, vt exprimat fructus, quos post scientiam percipit.*

2 *Resignatio beneficij facta liberè in manibus ordinarij ea intentione, vt conferatur alicui, cum subsequuta collatione, tenet; secus si adsit pactum.*

3 *Procurator habens mandatum ad simoniace resignandum, si illud adimpleat, facit vt à die adimplementi mandans remaneat ligatus censuris.*

3 *Scientia collatoris inferioris Papæ, etiam si sit Cardinalis, non sanat pacta simoniaca.*

## CONSILIVM XXXV.

MEDIANTIBVS procuratoribus resignatum fuit quoddam beneficium litigiosum, sub conuentione tamen, quod euicta lite principalis assignationi certæ pensionis consentire, & soluere resignanti teneretur: prouisus consensit assignationi, sed pensionem non soluit.

Quæritur primo, an sit simonia realis ex vtraque parte completa, ita vt si nouam impetret prouisionem, sit necesse fructus perceptos insinuare.

Secundo quæritur etiam, quid si in manibus ordinarij Episcopi resignauit beneficium absque pacto, sed ea intentione, & ad effectum, vt detur, seu conferatur N. prout collatum fuit, an N. illud valeat retinere.

1 AD PRIOREM QVÆSTIONEM respondeo primo, pactionem illam fuisse simoniacam, & quod licet à principio tantùm fuisset conuentionalis, postea tamen subsequente victoria, & consensu in reseruatione pensionis præstito, facta fuit realis, iuxta ea, quæ post alios scripsimus in Manual.[a] ad 104. Secundo, quod simonia illa, quia fuit facta ignorantibus prædictis resignante, & resignatario, non fecit eos incidere in censuras, iuxta c. *de simoniace.* & ca. *de regular.*[b] attamen effecit, vt obligarentur ad renunciandum sic adeptis, cum primum id nouissent, per eadem iura & adnotata eis.

2 Tertio, quod ex his infertur, eos, quo possint ea iustè tenere, debere supplicare S.D.N. vt liceat eis illa retinere, facta mentione fructuũ, quos perceperunt post prędictam notitiã.

AD SECVNDAM respondetur, quod plurimum refert an sola intentio animi absque pacto & conuentione interuenisset, an etiam pactum, & conuentio. Nam si sola intentio interuenisset, nihil obstitisset, & essent salua simul omnia, per ea quæ post D. Antoninum dixi in Manual.[c]

3 Si autem interuenisset conuentio & pactum, & procurator habuisset mandatum ad sic paciscendum, censeretur simoniacus, & censuris ligatus prædictus consulens iam inde à renunciatione, collatione, & pensionis constitutione factis,[d] nec prodesset scientia ordinarij, licet esset Cardinalis: quia nullus inferior Papa potest auctoritate sua efficere, vt conuentio simoniaca non sit talis, per tradita in Manual. vbi supra.[e] Si autem procurator non habebat mandatum speciale ad sic paciscendum, solum à tempore quo nouit id factum fuisse censeretur obligatus ad renunciandum, vel ad obtinendum facultatem iustè retinendi à S.D.N. iuxta dicta supra in quæstione prima.

a *Cap. 23. à num. 100. ad 104.*
b *De simon.*
c *Cap. 23. nu. 103. & 107.*
d *Arg. ca. qui per alium. de reg. iu. lib. 6. & ca. mulieres, de sentẽtia excõmuni.*
e *Num. 107.*

### SVMMARIVM.

1 *Nullitas actus non excusat à pœnis simoniæ realis.*

1 *Resignatio infecta vitio simoniæ realis habet annexas censuras, etiamsi aliunde sit nulla, per illamque resignatario nullum ius acquiritur, immo nec causatur vacatio in damnum resignantis, num. 3. qui potest antiquo suo titulo vti, absque eo quod illius petat aliã reualidationẽ. At si essemus in casu non seruatæ formæ extrauagantis Pij V. de publicandis resignationibus, non egerent tales absolutione, cum per illam annulletur nedum resignatio, sed omnia exinde sequuta. n. 3. & 4.*

4 *Papa circa ea quæ sunt iuris positiui potest ita legem reuocare, vt omnia inde sequuta habeantur pro non sequutis, etiam quod sit excommunicatio, & irregularitas.*

4 *Resignationes beneficiorum in manibus Papæ, etiam admissæ, cum alijs inde sequutis, ex stylo sunt nullius momenti, nullumque producunt effectum, donec extendatur consensus, qui tamen retrotrahitur ad tempus datæ admissæ resignationis.*

## CONSILIVM XXXVI.

A. & B. conuenerunt, vt B. procuraret, & esset mediator, vt frater eius renunciaret quemdam canonicatum in fauorem A. & quod A. renunciaret in fauorem B. vnum beneficium simplex: & A. & frater B. dederunt mandata ad resignanda illa beneficia, prout conuenerant; nulla facta mentione de pacto & conuentione præcedenti: & resignationes fuerunt factæ, & literæ expeditæ: & A. non fuit assequutus possessionem, canonicatus, quia erat litigiosus, & vertebatur lis super eo: nec B. publicauit resignationem factam in suum fauorem, & ob id illa resignatio fuit nulla.

Dubitatur, à quo tempore vacauerint prædicta beneficia, ad effectum, vt dicatur realis, vel conuentionalis simonia.

Videtur respondendum primò, quod propositio casus primo aspectu potest cuipiam videri dubia, & sibi repugnans. Tum quia habet literas fuisse expeditas, & non fuisse factam publicationem. Tum quia nihil proponit de publicatione renunciationis canonicatus, sed solum de omissione publicationis beneficij simplicis. Sed responderi potest ad primam rationem, quod non sufficit ad publicationem, quod literæ sint expeditæ; & quod requiruntur alia contenta in extrauagantem Pij V. Ad secundam autem responderi potest id fuisse per incuriam omissum, vel quia interrogantem non angit, quantùm altera.

1 Secundo, quod præsupposito quod neutra renunciatio fuit publicata, videtur dicendum ambas præfatas renunciationes & prouisiones fuisse simoniacas, & partes principales, quæ præfatam simoniam sciuerunt, incidisse in censuras extrauagantis 2.[a] quia præfata simonia fuit non solum mentalis, & conuentionalis, sed etiam realis, eo quod ab vtraque parte fuit completa. Nec obstat, quod fuerint nullæ. Tum quia omnes renunciationes interueniente simonia reali sunt nullæ. Tum quia tempore, quo fuerunt factæ, non fuerunt nullæ ex alia causa, quam simoniæ, licet postea per omissionem publicationis literarum annullata sit renunciatio beneficij simplicis.

2 Tertio, quod neutrum illorum beneficiorum vacauit per renunciationem; quia renunciatio per simoniam realem facta est ipso iure nulla, per extrauagantem 2.[b] & per talem renunciationem non transfertur ius in eum, in cuius fauorem fit illa, nec vacat etiam in prẹiudicium ipsius renunciantis, vt determinauit Rota,[c] post Innocentium cõmuniter receptũ.[d]

3 Quarto, quod si neutræ literarum prædictarum fuerunt publicatæ, prout disponit præfata extrauagans Pij V. potest affirmari vnum paradoxum mirabile, nempe, quod nulli eorum, qui per præfatas renunciationes simoniacas inciderunt in censuras, indigent absolutione ab illis; quia præfata extrauagans disponit, vt præfatæ renunciationes non publicatæ nullum effectum sortiantur, per hæc verba, *alioqui, &c.* Potestas enim Papæ tanta est in his, quæ sunt simpliciter iuris positiui, quod potest reuocare legem præteritam, ita vt habeatur pro infecta sic, quod effectus producti ab ea sint omnino nulli: & quod, etiamsi aliquis eorum fuerit excommunicatus, non indigeat absolutione, vt ait glossa singularis per illum textum irrefragabilem clem. 1.[e] communiter receptum ibi, & per Felinum,[f] & alios alibi.

4 Et præfata extrauagans Pij V. per præfata verba habet, præfatas renunciationes, & etiam extensiones consensuum pro infectis & nullius roboris esse cum omnibus inde sequutis: pro quo facit etiam stylus curiæ, qui habet, renunciationes, & prouisiones virtute illarum à Papa factas nullius esse momenti, nullumque producere effectum, donec extendatur consensus, & extenso illo sic, non solùm à tempore extensionis, sed etiam à tempore datæ renunciationis, admissionis, & prouisionis: quod est etiã aliud mirabile paradoxũ ignotũ antiquis canonibus, & comminiscentibus in eos, & omnibus Academijs, in quibus ipse prælegi, donec venirẽ ad Vrbem.

5 Quinto, quod vterque renunciantium potest iure suo antiquo vti eo modo, ac si non renunciasset; & quod præfata beneficia non vacarunt, nec eorum collatio præcedens indiget aliqua reformatione sui tituli, quod est consequens prædictis, quod procedit secundum præfatam extrauagantem Pij V. hodie tamen per extrauagantem Gregorij XIII. secus est dicendum.

a *De simon.*
b *De simon.*
c *Decis. 7. de renunciat. in antiq.*
d *In cap. cum vniuersorũ. de rerum permut.*
e *De immun. ecclesiarum.*
f *In cap. vnu. 23. de constit.*

Sexto, quod si renunciatio canonicatus fuit publicata, indigent tam resignator illius, quam resignatarius, quam etiam mediator, absolutione, & dispensatione irregularitatis, si celebrarunt: quoniam illi excommunicationem incurrerunt, & illa non tollitur per extrauagantis Pij annullantis consequuta virtute renunciationis non publicatæ; quia publicata fuit.

*Hoc dubium refertur propositum in officio sacræ Pœnitentiariæ, & quod cęteri sentiebant per annullatiuas clausulas dictæ extrauagantis Pij V. annullari effectus resignationis, sed non tolli excommunicationes incursas; hancque approbasse Gregorium XIII.*

SVMMARIVM.

1 *Simoniaca ad hoc vt sit conuentio in beneficijs facta, non est necesse vt per illam quid promittenti pereat, & stipulanti acquiratur.*

1 *Pensionem resignanti reseruandam, etiam literis non expeditis, soluere promittens, committit simoniam. & num. 2.*

3 *Simonias tot committi, excommunicationesq; tot incurri, totidemq; absolutiones saltem virtualiter requiri, quot sunt conuentiones, etiam quod ex vnica beneficij resignatione interuenerint, de iuris rigore facile defendi potest.*

3 *Excommunicatio vnica ex pluribus causis copulatiue lata, seu incursa, non tollitur nisi per absolutionem respicientem omnes causas.*

4 *Procurator rogatus vt impetret sanari vnum gratiæ defectum, dubitans etiam alteri eamdem subiici, potest mandatum prosequi absque eo quod partem in probabili existentem ignorantia moneat. & num. 3.*

4 *Monere existentem in bona fide, de quo dubito, an id quod tenet sit alienum, non teneor, & nu. 3. magis autem teneor monere damnum vere dantem tenendo alienum, quam eum qui retinet rem pœnali via alteri per modum lucri faciendi debitam. num. 2.*

5 *Damnum in proprijs pati, & lucrum non facere, multum interest, teneorq; magis in primo casu monere bona fide non restituentem, quam in secundo casu non soluentem.*

6 *Legem humanam male intellectam transgrediens non peccat.*

## CONSILIVM XXXVII.

IVLIVS & Octauius ante 12. annos coram notario & testibus pactum & concordiam in hunc, qui sequitur, modū inierunt; quod si prædictus Iulius Ecclesiam quamdam in fauorem d. Octauij resignaret, ipse Octauius consentiret pensioni 200. scutorum super ea, ac omnes expensas in expeditione bullarum d. pensionis faciendas, nec non mediam annatam solueret, item pēsionem solueret sine expeditione bullarum, adiecta clausula, Saluo Sedis Apostolicæ, beneplacito & non aliter. Itaque in d. instrumento quatuor simoniacę pactiones continebantur, quarum quarta erat Octauium se obligare eidem Iulio prædictam pensionem soluere, etiam literis non expeditis. Post hæc miserunt Romam literas procuratorias cum d. concordiæ instrumento, & facta fuit resignatio in manibus Pontificis in fauorem d. Octauij simpliciter, & de d. Ecclesia prouisus fuit ipse Octauius, reseruata dicta pensione dicto Iulio, cui iuxta conuenta consensit Octauius per d. procuratorem. sed Pontifici nulla facta fuit concordiæ mentio. Receptis literis prouisionis prædictus Octauius dictæ Ecclesię possessionem accepit, dubitans quodammodo Sedi Apostolicæ nullam factam fuisse mentionem d. concordiæ, sed consilio quorūdam doctorū quieuit, dictamque pensioné per viam cōpensationis literis super ea minime expeditis persoluit per annos duos, & nō vltra. Trāsactis prędictis duobus annis, Octauius certior factus fuit, quod apud Sedem Apostolicam nulla fuit facta mentio prædictæ concordiæ: & statim huc Romam ad procuratorem quemdam pro remedio misit, qui narrauit Pontifici qualiter bona fide dictus Octauius possessionem acceperat, & etiam narrauit tres pactiones simoniacas in d. instrumento contentas, & omisit quartam, non tamen data opera, sed bona fide, & ignorantia quadam: & sic in vtroque foro pręfatus Octauius absolutionem, à censuris ob causam pactionum in dicto instrumento initarum incursis, dispensationemque & retentionem dictæ ecclesiæ à Sede Apostolica obtinuit. Postea verò Octauius scrupulis agitatus cœpit dubitare, an ista prædicta gratia fuisset subreptitia, eo quod narratum in ea inueniret se bona fide dictæ Ecclesiæ possessionem accepisse, credens se forsan dubiam fidem habuisse. Quapropter instrumentum prædictū concordiæ, & dispensationis prædictæ bullam huc Romam ad alium procuratorem nūc transmisit, vt super hoc puncto dubiæ fidei à Pontifice reualidationem prędictę gratiæ impetraret: quam cum præfatus procurator in foro conscientiæ obtinere non valuisset, ipsum Octauiū de hoc conscium fecit: à quo tandem responsum accepit, qualiter ipse re melius perspecta, & considerata, inuenit tali reualidatione non indigere: quia reuera præfatam bonam fidem tunc habuerit; sed solùm opus habere remissione fructuum præfatæ ecclesiæ perceptorum, eo quod professionem fidei à Concilio Tridentino requisitam nisi inde ad aliquot annos emiserat, pro qua item supplicaret Sanctissimo.

Prædictus autem procurator, qui videt prædictum Octauium nullum sibi formare scrupulum de inualiditate prædictæ dispensationis, eo quod in ea non fuit narrata Papę quarta pactio simoniaca, nempe quod ipse se obligauit soluere dictam pensionem, literis non expeditis; dubitat primo, an reuera illa quarta pactio sit simoniaca, & talis, vt exequuta, vt præmittitur, habeat annexas censuras, & pœnas.

Secundo quæritur, an dato quod prædicta pactio adimpleta contineat simoniam realem, pręfata gratia iudicanda sit subreptitia ex eo capite, quod ex quatuor pactionibus simoniacis in prædicto instrumento contentis, & exequutis, tres tantum narratæ fuerint, omissa illa quarta, vt prædictum est, bona fide; sicque necessarium de nouo petere dispensationem pro omnibus prædictis pactionibus simoniacis, vel solum pro omissa.

Tertio, an cum de hoc dictus Octauius nullum sibi fecerit scrupulum, teneatur ipse procurator sub peccato mortali eum admonere de impedimento prædicto.

Quarto, an dictus procurator possit tuta conscientia impetrare pro dicto Octauio dictam fructuum remissionem, absque eo quod primo sanentur defectus alij supradicti, seu proponantur sanandi. Circa quæ dicam, quæ mihi in præsenti occurrunt, expectando à Dominatione tua vltimam & dignam eius singulari doctrina resolutionem.

AD PRIMAM QVÆSTIONEM responderi potest, quod aut in supplicatione signata per Pontificé adest clausula, vt pensio soluatur, etiam literis non expeditis: & tūc cum credendum sit Rectorem pensionem soluisse in exequutione dictæ supplicationis, prout tenebatur, & poterat, non autem in exequutione suæ promissionis inualidæ fortè, & prohibitę,[a] vtique etiam quod conuentio fuisset simoniaca, non tamen diceretur completa; vnde cessarent pœnæ extrauagantis 2. de simon. ex doctrina Dominationis tuæ in tuo Manual.[b] & alibi. Aut in supplicatione non adest dicta clausula: & licet articulus sit magis dubitabilis, attamen adhuc idem teneri posse arbitror: nam etsi in hac materia omnis pactio videatur simoniam inducere,[c] hoc tamen fallit, quando per pactū promittitur id quod aliàs inerat tacitè, seu ad quod quis sine pacto etiam tenebatur, promittiturque eo modo, quo inerat, vt post Felinum & alios notat Dominatio tua.[d] Sed sic est, quod secúndum opinionem Gigantis,[e] cui magis adhærendum puto cum glossatore regul. Cancel. Innocentij VIII.[f] quam contrarię Prouincialis,[g] pensionarius, & Rector possit tuta conscientia respectiuè petere, & soluere pensionem, literis non expeditis, eo quia verè iam erat debita à die signatæ supplicationis. ergo dictus Rector per dictum pactum nihil aliud promisit, quàm soluere eidem id quod etiam sine dicta promissione soluere tenebatur.

Quod si instes, & quidem validè, Rectori ante dictā promissionem competere ius contra pensionarium exigentem excipiendi de literis non expeditis, vt expresse notat dictus Gigas, & ante eum dictus glossator,[h] cui exceptioni per dictum pactum renunciando videtur pensionario donare aliquid vltra id ad quod tenebatur, quod simoniam inducit: & de hoc in materia nostra est textus,[i] vel saltem per dictū pactum videtur se aliter obligare: nā sine pacto obligatus fuisset cum remedio exceptionis, nunc autem post pactum remanet obligatus sine exceptionis remedio; quod etiam simoniā inducit ex doctrina Dominationis tuæ vbi supra. Adhuc tamen posse responderi puto. Et ad primam partem oppositionis dico, quod tunc demum remissio inducit donationem, & per consequens simoniam, quando remittenti aliquid perit, & recipienti aliquid acquiritur, vt colligitur ex pulchrè notatis per Felinum post alios, quos adducit.[k] Sed sic est, quod ex dicto pacto coram Deo nihil deperit promittenti, nec acqui-

a *Arg. l. merito. ff. pro soc.*

b *Cap. 23. nu. 103.*

c *Cap. fin. de pact. cum similibus.*

d *In dicto ca. 23. numero 100. versic. secundo quod.*

e *De pens. q. 34.*

f *Regu. 25. ad fin.*

g *Mihi fo. 48. vers. vbi Papa.*

h *Vbi supra.*

i *In c. veniēs. il primo. vbi etiam gloss. 1. & doc. extra de test.*

k *In d. ca. veniens. not. 3. n. 2.*

ritur sti

ritur ſtipulanti, cum & ſine dicta promiſſione Rector teneretur in veritate dictam penſionem ſoluere, omiſſa exceptione literarum non expeditarum. ergo dicta exceptionis remiſſio, quæ (vt notant prædicti Doctores) reſpicit ſolum forum exterius, nihil operatur in foro conſcientiæ. Eodem modo reſpondeo ad ſecundam partem dictæ oppoſitionis. nam coram Deo nihil magis Rector contra penſionarium exigentem penſionem excipere poſſet, ſi pactum non feciſſet, quàm ſi illud feciſſet. ergo cum coram Deo nihil dederit cum effectu, nec coram eo ſimoniam commiſit.

AD SECVNDAM quæſtionem etiam reſponderi poteſt, in primis ſupponendo hic vnam tantum adeſſe ſimoniam, licet procedat ex quatuor pactionibus ſimoniacis, quæ tamen omnes ad eumdem tendunt finem. [a] Nec enim qui per partes diuerſis vicibus pretium conuentum ſoluit, plures complet emptiones. & ſucceſſiuè vna tantùm eſt commiſſa cenſura, & nullitas. [b] Ex quo infero hic non habere locum regulam cap. *cum pro cauſis.* & cap. *officij.* [c] vbi quis poteſt dici abſolutus ab vna excommunicatione, & non ab alia, vel ex alia cauſa incurſa, & non ex alia: nec etiam habet locum regula §. *aſſiniratis.* [d] & cap. 2. [e] ſcilicet, vt ſublato per diſpenſationem vno impedimento remaneat aliud: ſed puto non eſſe in eo caſu vt cogamur dicere dictam diſpenſationem ob dictam ſubreptionem eſſe in totum vel nullam, vel validam, & ſucceſſiuè vel nullo remedio, vel vt denuo & ex integro diſpenſatio impetretur, egere. Aliud eſſet, ſi iſtæ eſſent duæ ſimoniæ diſtinctæ, vel duo alia impedimenta: quia tunc impetrata diſpenſatione ſuper vna, vel vno, poſſet & deberet impetrari diſpenſatio ſuper alio, facta, vel non facta mentione præcedentis diſpenſationis, ſecundum diuerſitatem materiæ. Dominatio tua in tract. de datis & promiſ. [f] Videndum igitur eſt, an dicta ſubreptio vitiet dictam diſpenſationem obtentam.

Pro affirmatiua facit primo concluſio communis Doctorum, [g] per illum textum de reſcript. quod taciturnitas veri, quod expreſſum principem ad concedendum magis difficilem reddidiſſet, gratiam annullat. Sed ſic eſt, quod ſi princeps ſciuiſſet hunc Rectorem vltra promiſſas conuentiones ſimoniacas hanc etiam addidiſſe, difficilius conceſſiſſet. argu. cap. 1. ibi, *Et quia funiculus triplex difficile rumpitur.* [h]

Secundo facit, nam quando dubitatur, an veritas tacita principem à conceſſione retraxiſſet, vel non, attenditur Curiæ concedentis ſtylus, ex Lapo. [i] Sed ſic eſt, quod regulariter princeps non concedit vt penſio literis non expeditis ſoluatur; ergo ſi hæc pactio ei innotuiſſet, dictam gratiam non conceſſiſſet, vel ſaltem reſtrinxiſſet gratiam cogendo partes ad literarum expeditionem. ergo prædicti pacti taciturnitas gratiam ſubreptitiam reddidit. [k]

Tertio facit, quia hæc taciturnitas reſpicit damnum tertij, ſcilicet officialium Curiæ, ad quos ſolita emolumenta ex expeditionibus literarum peruenire ſolent: quo caſu taciturnitas vitiat. [l]

Quarto facit, quia hoc pactum, quod fuit omiſſum narrari, inducit ſimoniam, quæ cum reddat hominem incapacem ad obtinenda beneficia ſaltem ſimilia, & multo magis quo ad idem ex bulla Pij V. vtique hoc impedimentum videtur reduci ad genus illorum impedimentorum, de quibus iura ſtatuunt, vt de eis fiat expreſſa mentio, ex his quæ notat Dominatio tua vt ſupra. [m] Horum autem defectuum omiſſio ſemper gratiam vitiat, ex eodem loco citato Dominationis tuę, [n] & tuo Manual. [o] & Couarruuia etiam vbi ſupra. [p]

Quinto facit, nam dato quod ſubreptio non vitiat gratiam, operatur tamen ne extendatur ad alium caſum. vnde licet gratia proſit impetranti quo ad tria prima pacta ſimoniaca expreſſa, non tamen proderit quo ad quartum tacitum.

Pro negatiua facit regula quam in hac materia ponit Calderinus, [q] videlicet quod ex quo annullatio gratię eſt pœna, non facile ex omiſſione, ſeu ſubreptione alicuius rei debemus iudicare gratiam nullam, niſi videamus dictam nullitatem clare à iure inductam. Sed ſic eſt, quod adducta in contrarium non conuincunt gratiam fore nullam; ergo nec nos eandem nullam debemus iudicare.

Ad contraria poteſt reſponderi. Ad primum quidem, quod procedit in ſubreptione procedente ex non iuſta ignorantia: quod ſi ignorantia ſit iuſta & probabilis, vtique obreptio non doloſa non vitiat; modo princeps certioratus, non ideo minus, licet difficilius, conceſſiſſet. [a] Immo etiam quod non eſſet probabilis, ſi tamen hæc omiſſio non fuit circa veritatem, quæ nobiliter principem difficiliorem reddidiſſet, adhuc tamen non vitiaret. ita Couarruuias, [b] adducendo Dominationem tuam pro ſua intentione: idem etiam tenet Francus poſt Dominicum. [c] Sed ſic eſt, quod ſi Papa etiam dictam conuentionem ſciuiſſet, non ideo denegaſſet gratiam ipſam, ſaltem eo modo, quo eam conceſſit: hic enim defectus reſpectu aliorum minimum quid eſt; vnde eſt excuſandus, eo quia per eius procuratorem hæc geſta erant, ex Felino, [d] & quia potuit credere hanc quartam conuentionem contineri in narratione aliarum, ex eodem Felino, [e] & quia factum erat antiquum, & iam expirauerat effectus dicti pacti per mortem penſionarij.

Ad ſecundum reſpondetur, quod ex quo penſionarius iam tunc mortuus erat, non erat amplius locus, vt tractaretur de expeditione literarum pro penſione, quæ ceſſauerat. vnde etiam quod Pontifici narrata fuiſſet dicta quarta conuentio, non tamen iuſſiſſet Pontifex fruſtra dictas literas expediri, cùm iam per mortē penſionarij penſionis reſeruatio ceſſaret.

Ad tertium reſpondeo, prout ad ſecundum, ſcilicet quod etiam quod Pontifici de dicta quarta conuentione mentio facta fuiſſet, non ideo pro dicto intereſſe officialium iuſſiſſet nugatoriè literas expediri pro penſione iam extincta. vnde hoc quale quale intereſſe non eſt in hoc caſu conſiderabile, ſaltem ad effectum gratiam vitiandi.

Ad quartum reſpondeo, beneficij Rectorem, narrando tria priora pacta ſimoniaca, ſufficienter narraſſe ſuam inhabilitatem ad beneficia procedētem ex vitio ſimoniæ. nam quoties idem effectus reſultat ex qualitate non expreſſa, qui reſultaret eadem expreſſa, tunc illam qualitatem tacere non nocet. ita Angelus, [f] quem allegat Felinus. [g] Sed ſic eſt, quod dictus Rector narrando dicta tria pacta, æquè fatetur ſe ſimoniacum, ac ſi narraſſet etiam quartum pactum; ergo illius omiſſio non vitiat. Nam quod dictam ſimoniam, quæ vnica eſt, & non plures, commiſerit cum tribus vel quatuor pactis, hoc non mutat ſpeciem: & quando dicatur ſufficienter expreſſiſſe qualitatem, quæ eum inhabilem reddebat, ſecus eſſet, vt inquit ibi Felinus ſi ex hac qualitate fieret dupliciter inhabilis.

Ad quintum concedendo, quod diſpenſatio non debet extendi ad alium caſum vel defectum ab expreſſo: ſed nego hic ſubeſſe duos defectus, vel duo impedimenta; immo dico vnicam tantùm adeſſe ſimoniam, commiſſam tamen per plura pacta. vnde non eſt neceſſe extendere dictam diſpenſationem ad caſum non expreſſum: ſed ſufficit nobis quod taciturnitas dicti quarti pacti non inualidet dictam gratiam ipſi Rectori conceſſam, ſcilicet vt non obſtante ſimonia per eum in dicto beneficio commiſſa poſſit illud retinere: & ita debet intelligi hæc doctrina, vt colligitur ex Felino. [h]

AD TERTIAM quæſtionem principalem, dum ſuppoſito quod dictus Rector ſit ſimoniacus realis, & quod dicta diſpenſatio, ſeu reualidatio non ſit ſufficiens, quæritur an dictus procurator teneatur dictum Rectorem ſibi de prædictis ſcrupulum non facientem monere de dicto defectu ſeu impedimento; non obſtante quod dictus Rector ſit in probabili ignorantia: & cùm hic tractetur de damno tertij, videlicet de præiudicio Eccleſiæ, cuius fructus & bona hic ſimoniacus, qui non ingrediendo per portam fur à Domino nuncupatur, percipit; vtique videtur ad huius dubij deciſionem adaptari doctrina Adriani, [i] diſtinguentis, quod aut confeſſarius certo ſcit, vel probabiliter ei conſtat quod admonendo nihil proficeret; & tunc admonere non tenetur, quia tunc admonitio eſſet potius actus dementiæ, quàm prudentiæ; ſed tamen non abſoluet: aut dubium eſt, vel eſt ſpes quod proficiet; & tenetur eum admonere, & in quantum honeſtè poteſt hortari vt alienum dimittat.

Nec obſtat quod ibi loquatur de confeſſario: nam ratio Auguſtini, cui innititur, eſt generalis, & procedit in caſu noſtro, dum inquit, *Quemcumque cum alieno ad me aduenientem, ſi in quantùm poſſunt honeſtè, non compello vt reſtituat, participem furti me facio.* [k] cuius dictum refert, & ſucceſſiue ſequi videtur Dominatio tua in tuo Manual. [l] loquiturque Dominatio tua generaliter de omni ſciēte: & ratio etiam adducitur; nam huius actionis fundamentum conſiſtit in caritate, qua omnes omnibus tenemur, ex Richardo in hac materia. [m]

a *Argu. gloſ. fin. in l. illud. ff. ad l. Aquil.*
b *Argu. l. infitiando §. infans ff. de furtis.*
c *De ſentent. excommunic.*
d *Inſti. de nu.*
e *De fil. pres. in 6.*
f *Nu. 45. verſic. 4. Couar. poſt alios variar. reſol. lib. 1. cap. fi. in fine.*
g *In ca. poſtulaſti.*
h *De treug. & pace.*
i *Alleg. 59. columna 2.*
k *Argum. ca. ſuper literis. eod. tit. de reſcrip. Couarr. poſt alios variar. reſol. lib. 1. cap. fin. nu. 5. ver. falſitas vero.*
l *Felin. d. cap. ſuper literis. in 1. concl. limit. 1. nu. 6.*
m *De dat. & promiſ. not. vlt num. 45. verſ. 4.*
n *Vbi ſupra.*
o *Cap. 22. n. 86.*
p *Dict. cap. fi. nu. 5. verſic. verū vt bis.*
q *Concil. 1. de fil. presb.*

a *Felin. d. cap. ſuper literis. in 2. concl. 2. 3. limit.*
b *In d. ca. fin. num. 5. verſi. falſitas autē.*
c *In ca. ſi motu. num. 9. de preb. lib. 6.*
d *Dict. cap. ſuper. num. 7.*
e *Ibid. num. 1.*
f *In conſ. 201.*
g *Dict. ca. poſtulaſti. col. 4. verſ. ſecunda declaratio.*
h *Dict. ca. ſuper literis. in 2. concl. limit. 3.*
i *Super 4. tit. de confeſſ. in 5. qu. principa. li. in dub. 7. §. de ſecundo. videlicet de ignorantia. fol. 72.*
k *Cap. ſi res aliena. 14. q. 6.*
l *Cap. 22. nu. 83.*
m *Diſt. 19. ar. 2. quæ 1. ad 2.*

Nec huic opinioni, quantum spectat ad casum nostrum, obstat doctrina Soti,[a] cum quo dicitur concordare Canus,[b] nam & ipse admittit ignorantem inuincibiliter admonendum, nisi sit certum quod nihil proderit, vel quod magnum sequatur scandalum: quod non potest dici subesse in casu nostro, in quo sola voluntas Rectoris sufficit, nec aliud requiritur, quàm quod ipse Rector velit de peccato exire, beneficium dimittendo, fructusque vt potest restituendo, vel nouo remedio sibi consulendo.

a In 4. dis. 18. qu. 2. artic. 4. ad fin.
b De pœnit.

AD QVARTAM, aut supponimus quod dictus procurator tenetur eius principalem monere; & tunc non potest pro eo procurare dispensationem pro dicto capite solo, nisi etiã vel pro alio, de quo principalis sibi scrupulum non facit, dispensationẽ procurare. argumento eorum quę supra ad tertiam quæstionem diximus. vltra quod in hoc casu non solùm peccaret ex omissione, sed etiam ex operatione, contra regulam Apostoli.[c] Aut supponimus hunc procuratorem non teneri dictum eius principalem de hoc monere; & certè adhuc idem credo, scilicet quod non possit procurare, vt tollatur vnum impedimentum, supponendo quod aliud debeat durare. Nam qui pro fructibus retinendis petit dispensationem pro vno defectu, videtur supponere & affirmare aliud non subesse impedimentum, quo minus possit fructus prædictos retinere: quod est falsum in casu nostro: nam dictus principalis non fecit fructus suos ex pluribus, scilicet ex capite non recitatarum horarum, itemque ex capite simoniæ perpetratæ. hoc autem licere, nec ipse Sotus vbi supra ausus fuit affirmare, immo expressè negat, dum prohibet, ne sacerdos mulieri in casu prohibito seu non licito copulatæ, & ex alia causa non vera debitum marito deneganti dicat, vt debitum reddat.

c Ad Rom. c. 1. in fine.

Nec obstat doctrina Adriani,[d] & Dominationis tuæ,[e] asserentium quod prælatus siue confessarius potest coniugatis minus legitimè copulatis, sed inuincibiliter ignorãtibus, dicere quod in bono statu viuunt, seu quod sunt tuti in conscientia: nam ob hæc verba non infert illos legitimè copulatos, quod non posset dicere; sed solùm asserit, quod sunt in bono statu; quod verum est, etiam quod sint malè copulati: in casu autem nostro, qui petit gratiam remissionis fructuum ex capite omissionis professionis fidei, tacitè dicit quod eosdem fructus licitè & ex beneficio licitè obtento percepit; tacetque procurator prædictus id, quod Pontifici expressum eundem à concessione gratiæ retraheret: vnde commisit subreptionem, quæ peccatum dicitur.

d Vbi supr. di. dub. 7. ad fi.
e In ca. si quis animo. n. 75. de pœn. dis. 7.

## *Sequitur responsio.*

PERLECTA subtili, alta, & erudita responsione suprascripta, dico primo, adducta esse in ea omnia quæ domini consultoris proposito conueniunt, adeo quidem, vt nesciam quis alius potuisset cogitare potiora.

1 Secundo, quod etsi disputando præfatus Octauius saluari possit à simonia respectu quartæ pactionis, consulendo tamen non auderem ipse illum saluare. Tum quia ad hoc vt pactum sit simoniacum in materia beneficiaria, non oportet, mea sententia, vt fiat pactum, quo per illud aliquid pereat promittenti, & aliquid acquiratur promissario: quidquid sentiat Felinus,[f] laudando Panormitanum, qui hoc videtur ibi dixisse, vt ponit exemplum de illo, qui exceptionem declinatoriam fori opponit: nam si quis conferret beneficium alicui, vel pręsentaret ad illud cum pacto, vt non opponeret exceptionem declinatoriam fori conferenti, præsentanti, vel alteri, simoniam profecto committere diceretur.

f In cap. veniens. 1. de test. tib.

2 Tum quia negari non potest, pactum de soluenda pensione constituta à Papa sine literarum Apostolicarum expeditione, esse pactum commodans pensionario, & incommodans pensionem soluturo, vel quo ad ius fori animæ, vel fori exterioris, vel facti, faciliorem sua natura reddens pensionis receptionem, siue recuperationem. quod satis videtur ad inducendam simoniam.[g] Tum quia quamuis considerationes sublimes, & subtiles partem aduersam colorent, subtilitate tamen sua attenuantur, & solui possunt.

g Ar. ca. quãpio. 1. qu. 2. ca. fin. de pactis.

3 Tum quia facile defendi potest, & iuris rigori propius videtur, tot esse simonias, quot fuerunt pacta simoniaca, totque absolutiones esse necessarias, quot sunt excommunicationes per eorum singula incursę formaliter, vel æquipollenter, vel vnam, quæ extendatur ad quatuor excommunicationes. Tum denique quod, etiam si dicatur vnam solam excommunicationem fuisse ortam ex illis quatuor pactionibus, illa tamen non tolletur tota, donec absolutio quæratur omnibus causis expressis: quia excommunicatio lata ob multas causas copulatiuè non tollitur nisi per absolutionem respondentem ad omnes illas, iuxta cap. *ex parte.*[a] Quare arbitror præfatum Octauium egere quodam *perinde valere*, ac si præfata quarta pactio fuisset expressa: satis tamen esset referre quartam, cum relatione generali ad alias contentas in gratia supplenda: quia narrata in gratia reformata videntur narrata in gratia reformante.

a De officio ordin.

Cæterum laudo plurimum, tum pietatis, tum eruditionis ergo solutiones præfati D. respondentis, quas ad tertium & quartum dubium sapienter & piè reddit.

NVNC DESIDERATVR vltima Dominationis vestræ resolutio circa tertium dubium supra propositum, an procurator sub peccato mortali teneatur Octauium, qui nullum sibi de hoc facit scrupulum, admonere de impedimento prædicto, quod oritur ex eo quod in secunda gratię impetratione omisit narrare prædictam quartam pactionem, videlicet se obligasse eidem Iulio prædictam pensionem, etiam literis non expeditis, soluturum fore; & impetrare dictam fructuum remissionem ex alterius capitis impedimento; quia videlicet quando accepit possessionem dictæ Ecclesiæ, non fecit prædictam fidei professionem.

4 Ad hoc etiam respondeo, videri dicendum, quod non tenetur præfatus procurator admonere præfatum defectum prædictum Octauium. Tum quia præfatus Octauius laborat ignorantia facti, qua putat sufficienter fuisse satisfactum defectui suæ prouisionis. Tum quia procuratori præfato non est omnino certum, quod illa pactio fuit simoniaca, & completa ex vtraque parte, per rationes superius tactas. Tũ quod simonia illa, si qua est, est iuris, humani, & non omnibus cogniti, immo etiam à multis doctis adeo ignorati, vt contrarium saltem disputando defendi possit.

5 Tum quia non agitur de damno tertij, quod clarè videatur esse damnum, cùm nesciatur certè fructus præfati beneficij pertinere ad Ecclesiam, cùm non sit adeo certum per præfatam pactionem prouisionem manere nullam, per præfata. Tum quia Ecclesia non patitur damnum per diminutionem rerum suarum, sed per cessationem nouæ acquisitionis pœnalis, & ita non agit tantùm de damno vitando, quantum de lucro captando: cuius rei scientia non tantùm cogit, quantùm cogeret scientia damni rei quæsitæ vitandi. Tum quod fructus beneficij per simoniam quæsiti non debentur Ecclesiæ, sicut pecunia quæ accipitur pro illo: quoniam de hac sola loquitur cap. *de hoc.*[b] & mea sententia potius essent restituendi successori, quam Ecclesiæ, licet etiam in illius vsum conuerti possint, per ea quæ profundius alijs scripsimus in cap. *non liceat.*[c] declarando cap. *cum vos.*[d] & cap. *quia sæpe.*[e]

b De simon.
c 12. qu. 2. §. 10. num. 1.
d De offi. ord.
e De elect. li. 6. & cap. præsenti. de offic. ord. eodem li.

6 Tum quod transgrediens leges humanas male intellectas non peccat, secundum Innocentium,[f] quem Panormitanus sequitur,[g] & multi alij alibi, & in his Felinus qui citat alios.[h] Tum quia Augustinus & Adrianus in dictis informationibus citati loquuntur de illo, qui certo scit rem esse alterius, quàm eius, qui tenet: nos autem loquimur de illo, qui nescit hoc certo, immo iure dubitat, & scit beneficium non esse alterius, & quod possidens illud bona fide possidet; & pauci etiam docti sciunt ad quem debeant pertinere illi fructus, esto quod mala fide possideret. Per quæ omnia nullatenus auderem asserere præfatum procuratorem obligari ad monendum pręfatum Octauium: adeo quidem, vt magis inclinem ad obligandum eum ad tacendum, iuxta cap. *quia circa.*[i] & ea quæ super intellectu eius late tradimus in capit. *si quis autem.*[k] Salua, &c.

f In cap. per tuas. il 2. de simon.
g In ca. capellanus. de ferijs.
h In cap. 1. col. lum. penult. de re iud. ver sic fallit septimo.
i De consan. & affinit.
k De pœn. dis.

### SVMMARIVM.

1 *Regularis etiam iubente superiore resignans officium, si sit ecclesiasticum beneficium, & ex pacto accipiat recompensam, est simoniacus realis: quod si solum per verba generalia sit data spes dictæ recompensationis, non erit simoniacus. numer. 3.*

2 *Vexationem etiam à superiore regulari super beneficio iustè possesso sibi illatam regularis data pecunia redimere potest.*

3 *Regularium prælati possunt iure communi suos religiosos etiam sine iusta causa suis beneficijs priuare.*

CONSI

## CONSILIVM XXXVIII.

A

NPresbyter regularis à suo Abbate de quodam officio in Ecclesia sui monasterij fuit canonicè prouisus, & plusquam per sex annos illud pacificè possederat, cùm à successore in dicta abbatia coactus illud in eius manibus renunciauit, cum pacto, quod dictus Abbas eum in alio dicti monasterij seu Ecclesiæ officio teneretur remunerare, prout cum effectu postmodum fecit, & de alio simili officio prouidit; & postquam illud etiam per quatuor annos possederat, idem Abbas, seu eius successor dictum N. inquietabat, & de dicto officio priuare volebat; & ne sine officio diffamatus remaneret, dedit quamdam pecuniarum summam dicto Abbati.

B

Quæritur, an dictus N. simoniam commiserit, & teneatur dictum officium dimittere.

1 Respondeo primo, quod ex narratis in facto, & aliquantula maiore inquisitione colligitur prædicta officia esse beneficia illius speciei, quæ comprehendit illa beneficia ecclesiastica, quæ appellantur officia in cap. *de multa.* [a] & in cap. 2. & cap. *cum ad monasterium.* [b]

Secundo, quod orator admisit simoniam realem renunciando beneficium ecclesiasticum regulare, cum pacto de danda sibi compensa, siue recompensa sufficienti, quam postea accepit.

2 Tertio, quod per largitionem pecuniæ, ne inquietaretur super officio secundo in recompensationem accepto, nulla simonia fuisset incursa: quia post acceptam possessionem, maximè multo tempore pacificè retentam, potuit vexationem iniustam redimere, iuxta cap. *dilectus.* [c]

C

Quarto, quod ex hoc sequitur, oratorem malè tenere secundum officium, nō ea ratione, quod dederit pecuniam pro retentione illius, & vitanda molestia iniusta, sed quia malè accepit illud in compensationem prioris virtute pacti simoniaci, per quam acceptionē pactum fuit ex vtraque parte completum, iuxta ea quæ tradimus in Man. [d]

3 Quinto, quod miserendum videtur oratoris. Tum quia religiosus, tum quia coactus fuit à superiore suo renunciare priori officio. Tum quia iure communi superior Abbas potest priuare officiis, quæ suis monachis confert ad nutum, etiam sine iusta causa. [e] Tum quia fortè nō fuit tam pactum, quàm spei oblatio, quam superiores solent inferioribus facere, dicendo, relinque hoc amore mei, & prouidebitur tibi de alia re, &c. quales aliquando fiunt per verba generalia sine animo se obligandi, iuxta cap. *cum venissent.* [f] & alia quæ in comment. extrauag. *ab ipso.* Gregorij xiij. [g] tradimus. [h]

D

a De præb.

b §. prior. de stat. monach. & in cle 2. de simon.

c 2. de simon.

d Cap. 23. à num 100.

e Dict. ca. cū ad monasteriū §. tales.

f De instit.

g Super datis & promissis.

h Num. 21.

### SVMMARIVM.

1 *Simonia saltem realis non est, si omissio impedimentorum iuxta conuenta competitori non oppositorum, non fuit causa, quare collatarius beneficium fuerit assequutus.*

2 *Promissio, quam concurrentes, ne alter alterum impediat, sibi ipsis faciunt, quod obtinens consentiat pensioni pro altero imponendæ, non causat obligationem ciuilem.*

E

2 *Remissio obligationis, seu debiti, tunc demum potest inducere simoniam, si debitum sit legale, quod potest ab inuito exigi.*

2 *Beneficium alicui procurans, vt sic liberetur ab obligatione debiti non quidem legalis, sed solum antidoralis, non committit simoniam saltem realem.*

## CONSILIVM XXXIX.

VACANTE simplici beneficio valoris 15. scutorum annorum, Titius & Ioannes satagentes illud impetrare, ne alter alteri esset impedimento, pactum inierunt, quod alter eorum, qui impetraret, daret aliquam pensionem alteri, qui non posset impetrare: obtinuit Titius, & renuit dare pensionem, quam promisit Ioanni, promittens se, quotiescumque sese offerret aliqua vacationis occasio, non modo non petiturum beneficium, sed omnem suam operam præstaturum, quo posset Ioannes obtinere. Mox oblata occasione vacationis, Titius iuxta promissum scripsit literas in fauorem Ioannis, qui obtinuit beneficium.

F

Dubitatum est, an in paciscendo de danda vel accipienda pensione aliquam simoniam incurrerint, & similiter in fauore præstito mediis literis.

1 Respondeo primò, quod in impetratione prioris beneficij nulla fuit incursa simonia, saltem realis, quæ censuram haberet annexam. Tum quia, vt verbo extra scripta certior sum factus, conuentio prædicta non fuit causa, vt Titius obtineret illud, sed fauor maior, quo fouebatur. Tum quia conuentio non fuit ab vtraque parte completa: quia Titius noluit consentire pensionis super beneficio iam obtento constitutioni.

2 Secundo respondeo, quod mea sententia, etiam in secunda impetratione non fuit admissa simonia, saltem realis: ea neruosa ratione, quod simonia nō committitur per remissionem debiti factam, vel faciendam pro beneficio quærendo, nisi quando debitum est legale, quod à creditore potest exigi, & non quando solum est debitum de honestate, siue antidorale, vt nos tenuimus in nostro Manu. confess. [a] & in nostro casu prædictus Titius non debebat Ioanni quidquam per iustitiam legalem, per quam Ioannes poterat debitum illud exigere à Titio, quia erat debitum fundatum super promissione, qua promiserat ei consentire in pensione constituenda super priore beneficio, quæ fuit nullius valoris, & talis per quam non poterat prædictus Ioannes compellere Titium ad constituendam præfatam pensionem.

a Cap. 23. n. 106.

### SVMMARIVM.

1 *Simonia est, conuenire inter concurrentes, vt alter alteri defectus non opponat, hoc addito, quod obtinens alteri pensionem accedente consensu Apostolico persoluet; sed non fit realis, nisi vtrinque compleatur. num. 2.*

3 *Concurrat si irregularis etiam occultissimus cum alio, & obtineat, eius prouisio obstante irregularitate non valet; & suo concurrenti, quem impediuit à consequutione beneficij, ad quod per concursum ius acquisiuerat, tenetur pro damno illato satisfacere.*

## CONSILIVM XL.

IOANNES & Petrus clerici opposuerunt se vni beneficio patrimoniali vacanti: & Petrus minus dignus voluit opponere Ioanni digniori irregularitatem veram quidem, sed occultam, quam probare nec poterat, nec deduxit in iudicium, sed interuentu amicorum conuenit inter ambos, vt omissis omnibus exceptionibus se submitterent examini, & qui iudicaretur dignior haberet beneficium, & solueret alteri pensionem quadraginta regalium annuam, cum beneplacito Sedis Apostolicæ, deinde Ioannes obtinuit beneficium, & postea dispensationem super irregularitate, & super retentione beneficij, nulla tamen de prædicta conuentione facta mentione.

Quæritur primo, an in hoc casu interuenit confidentia, vel simonia vlla.

Secundo, an fuit valida prædicta collatio prædicti beneficij patrimonialis.

Tertio, an prædictus Ioannes teneatur aliquid restituere prædicto Petro, cum prædictus Ioannes esset incapax ad dictum beneficium, & tunc impediuit modo supradicto prædictum Petrum aliàs dignum à consequutione prædicti patrimonialis beneficij, maximè quia prædictus Ioannes hucusque bona fide processit, nullam credens fuisse confidentiam, nec simoniam.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo primò, quod nulla interuenit cōfidentia, sed sic simonia. Quia conuentio de non opponendo alicui exceptionem propter promissionē pecuniæ, est simoniaca, propter ea quæ nos diximus in Manu. confess. [b]

2 Secundo, quod prædicta simonia non videtur fuisse realis, sed tantum conuentionalis: quia non fuit impleta ab vtraque parte: licet enim Petrus adimplesset non opponendo, Ioannes tamen non adimpleuit constituendo, neque soluendo pensionem; & consequenter non fuit incursa ipso iure excommunicatio, nec consequenter noua irregularitas celebrando, per ea quæ vbi supra scribimus.

Non obstat dicere, quod pactum de non opponendo exceptiones fuit causa, vt prouisor conferret beneficium Ioanni: & ita fuit adimpletum pactum ex parte oppositorum, seu concurrentium, vel candidatorum, & etiam ex parte prouisoris, qui eo quod partes nil sibi ipsis opposuerunt, prouidit, non inquam hoc obstat. Tum quia hoc pactum non fuit factum cum prouisore. Tum quia omissio oppositionis defectus nō fuit causa prouisionis beneficij: quia ea fuisset sequuta, etiam si fuisset oppositio facta; quia cum irregularitas esset occulta, non poterat probari; & de non apparentibus & non existentibus idem est iudicium exterius. [c]

b Cap. 23. nu. 100. & sequ.

c Leg duo sūt Titij ff. de testam. tutel. & capi. si sacerdos. cum gloss. de offic. ordi.

3 AD SECVNDAM respondetur, quod non valuit collatio propter irregularitatem præcedentem, iuxta doctrinam Innocētij bene intellectam, & communiter receptam,[a] & facit cap. clerici. cum glossa & ei adnotatis.[b]

AD TERTIAM respondetur, quod tenetur ad restitutionem eo modo, quo impediēs aliquem ab officio vel beneficio consequēdo tenetur, iuxta tradita in prędicto Manu.[c] quoniam Petro erat ius ad rem quæsitum in beneficio coram Deo, & in foro conscientiæ. Quare plurimum interest animæ salutis Ioannis, conuenire quam optimo modo potuerit cum Petro, ita vt maneat contentus, modo caueat omnino, ne quidquam soluat ratione promissionis pensionis prędictæ. Salua, &c.

a In cap. cum nostris. de concess. præb.
b De cler. excom. minist.
c Ca. 17. à nu. 69.

*SVMMARIVM.*

1 *Concurrere omittens, pacto inito aliquid recipiendi, est simoniacus conuentionalis, & si promissum recepit à prouiso, efficitur realis. num. 2.*

1 *Simoniam committit tollens recepto temporali impedimenta, quæ iuridice ad quærendum beneficium opponi possunt.*

2 *Vexationem redimere ab eo, qui potest obesse, & non prodesse in beneficio acquirendo, tunc demum licet, si iniustè inferatur, secus si iustè.*

## CONSILIVM XLI.

QVIDAM petens ecclesiam parochialem vacantem promisit cuidam domino, se illam obtentam permutaturum cum beneficio cuiusdam N. cui dominus ille volebat fauere in illo concursu, si efficeret, ne ille N. concurreret secum, & prædictus dominus fecit ne concurreret, & ita alter eam obtinuit. Quæritur, an fuerit admissa simonia, & qualis.

1 Respondeo primo, quod fuit admissa simonia: quia fuit promissum quod beneficium obtinendum daretur per permutationem alteri cum pacto, ne ille secū concurreret: quia simoniam committit, qui re æstimabili pecunia tollit impedimenta, quæ iuridicè opponi possunt sibi ad quærendum beneficium, vt expressè ait D. Thomas.[d]

2 Tum quia non obstat, quod ait Paludanus,[e] relatus à Caietano,[f] & à Soto,[g] dicens, quod licet redimere vexationem ab eo, qui potest obesse, & non prodesse: non inquā hoc obstat: quia illud intelligendum est de nocumento iniusto, non autem de iusto: electus enim petens confirmationem, si daret pecuniam alicui, qui non posset ei dare ius, sed potest aliquam iustam exceptionem opponere coram confirmatore, simoniam committeret, & præterea licet prædictus dominus & N. non possent dare directè ius aliquod prædicto presbytero, poterant tamen indirectè non ponendo impedimentum per concursum, quod iustè poterant ponere, vt palam est.

Secundo respondeo, quod prędicta simonia videtur fuisse conuentionalis tantùm, quia non fuit ab vtraque parte completa, per ea quæ nos scripsimus in Manu.[h] quem locū etiam quidam alius D. consulens egregie doctus allegare dignatus est, respondens rectè per eam non perire ipso iure collationem ipsi prædicto presbytero factam. Quare caueat ipse, ne permutet illam ecclesiam cum beneficio prædicti N. quia si hoc faceret, adimpleret ex sua parte pactum simoniacum; & cum iam altera pars adimpleuerit illud pro sua parte, censeretur ab vtraque completum, & consequenter pro simonia reali habendum: cui consequens esset collationem prædictam ipso iure nullam fieri. Salua, &c.

d 2. 2. qu. 100. art. 2. ad 5.
e In 4. dist. 5. art. 3.
f In dict. ar. 2.
g De iustitia & iure qu. 6. ar. 1. ad
h Cap. 23. n. 103.

*SVMMARIVM.*

1 *Competitori digniori si vt desistat promittatur temporale, simonia est conuentionalis, & si ab vtraque parte obtento beneficio adimpleatur, efficitur realis, num. 2. & 3. annullans omnia sequuta. num. 4.*

2 *Mediatori, vt mihi collationem vel præsentationem impetret, si quid promitto, est simonia; & si obtento beneficio soluam, efficitur realis, habens excommunicationis pænam, & nullitatem actus; ac ad illud reddor inhabilis, à solo Papa habilitandus. num. 4.*

## CONSILIVM XLII.

BENEFICIO vacante iuris patronatus, tres petebant illud à septem patronis: & is qui videbatur dignior, & alius conuenerunt, vt ipse dignior desisteret à petitione, & iuuaret alium solicitando aliquos patronorum ad suffragandum alteri, & quod ipse assequutus beneficium solueret 60. scuta quolibet anno per quinquennium ipsi digniori: qui dignior quæsiuit duo suffragia alteri, qui obtēto beneficio soluit aliquam partem scutorum promissorum. Quæritur, an commissa fuerit simonia realis.

1 Ad hanc quæstionem respondetur primo, eam esse difficilioris resolutionis, quàm prima ipsius facies demonstrat: ideóque posse multa induci super ea per eum, cui ad id faciendum tempus suppeditaretur.

2 Secundo, quod omissis eis videtur esse breuiter respondendum, quod in casu proposito fuit admissa simonia realis: simonia quidem ea firma ratione, quod per mediatorem incurritur simonia, vt habet extrauagans,[a] & quod is qui dat vel facit aliquid temporale pro aliquo, vt ille impetret collationem beneficij, vel præsentationem ad illud, est tam simoniacus, ac ille qui dat vel facit aliquod temporale collatori vel præsentatori eius, vt tradit Innocentius,[b] quem in hoc citamus nos & sequimur in Manu. confess.[c] & certum est quod is qui obtinuit beneficium in casu proposito, dedit vel fecit promittendo alteri præfata scuta, ad hoc vt desisteret ab oppositione vel petitione beneficij præfati, & vt procuraret fauorem aliquorum patronorum, quod ipse fecit desistendo à sua petitione, & quærendo duo suffragia, & ita fuit mediator expressè vel tacitè quærendi præsentationem.

3 Quod autem simonia fuerit realis, patet ex eo, quod ab vtraque parte fuit impleta: quoniam alter destitit à sua petitione, antequam præsentatio fieret, & alter soluit partē præfatorum scutorum post beneficij assequutionem, per quod simonia, quæ antea erat mentalis & conuentionalis tantùm, facta fuit realis, per ea quæ nos scribimus vbi supra.[d]

4 Tertio, quod præfati domini consulentes incurrerunt excommunicationem, & inhabilitatē ad præfatum beneficium; & quod præsentatio, & institutio virtute illius facta, fuerunt inualidæ & nullæ per præfatam extrauagantem 2. & quærenda est reualidatio à Papa per Pœnitentiariam, si hæc sunt occulta, vel per Datariam, si sunt publica: nec alius præter Papam, vel eius commissarium, potest dare remediū legitimum absque dimissione tituli vel beneficij.

a De simon.
b In ca. tuam. de ætate & qualit.
c Cap. 23. nu. 106.
d Nu. 102. & seq.

*SVMMARIVM.*

1 *Permutationem beneficiorum tractare quidem possunt partes, facere autem non, nisi cū auctoritate superioris, etiam si plura cum vno permutentur. n. 3. & hoc, dummodo beneficia sint ipsorum permutantiū, ita vt habeant ius in re. vnde non sufficit, quod habeat vterque, vel vnus illorum ius ad rem. nu. 2. sicut nec ego possum tibi resignare meum beneficiū, vt tu resignes tuum tertio. n. 3. essetq; simoniaca, n. 5. & si hinc inde adimpleatur, efficietur realis suppositа censuræ. num. 6. & 7.*

4 *Pensionem in permutatione beneficiorum potest Episcopus pro adæquatione fructuū vni ex permutātibus reseruare, duraturam tamen solum, donec alter beneficium grauatū retinebit.*

4 *Permutationem auctoritate superioris initam qui pro sui parte adimpleuit, potest cogere partem, vt etiam ipsa adimpleat: & hoc, etiam si propter aliqua pacta illicita adimpleta incidisset in pœnas simoniacorum: & hoc, dummodo absolutio à censuris fuerit prius obtenta. nu. 7.*

7 *Resignatio simoniaca est ipso iure nulla, nec inducit vacationē.*

8 *Clausula illa (Saluo Sedis Apostolicæ beneplacito, & nō aliàs) posita in contractu vnius permutationis, non censetur repetita in alio etiam eidem annexo, sed nec sanat defectum simoniæ, si adimpleantur conuenta, antequam illud obtineatur.*

## CONSILIVM XLIII.

CAIVS & Titius concordarunt, quod Caius renunciaret causa permutationis parochialem Ecclesiam, & simplex beneficium, quod possidebat, in manibus loci ordinarij, ad fauorem Titij. & similiter Titius renunciaret aliam parochialem, & simplex beneficium, quod possidebat, in manu loci ordinarij alterius diœcesis, in qua sita erant, ad fauorem Caij. Et propter inæqualitatem fructuum parochialium, & beneficiorum prædictorum, & etiam quia parochialis, quam Caius resignabat, erat grauata Apostolica auctoritate pensione annua scut. quadraginta; ideo concordarunt, quod Titius reseruaret sibi super fructibus beneficij, quod ipse resignabat ad fauorem Caij, annuam pensionem sicut nouem; & quod in euentum vacationis, seu cessationis pensionis prædictorum scut. quadraginta, talis pensio, seu vacatio illius esset ad fauorem Titij; & quod quilibet eorum fructus beneficij, & parochialis, quæ accipiebat, recipere inciperet à die habitæ

possessionis illorum,& non antea. Præmissa omnia & singula pacta fecerunt,adiecta clausula , *saluo tamen beneplacito Sedis Apostolicæ.* & cum solitis protestationibus , & non aliàs: & sic renunciarunt,videlicet Titius parochialem,& beneficium in manu ordinarij ad fauorem Caij , & Caius parochialem in manu alterius ordinarij ad fauorem Titij , & Caius de voluntate Titij retinuit sibi beneficium simplex , quod tenebatur etiam resignare ad fauorem ipsius Titij,donec ille à Sede Apostolica dispensatione ad obtinendum duo sub eodem tecto impetrasset,quia obtinebat aliud in eadem Ecclesia. Accidit autem,quod quidam Lucius concordauit cum Titio , videlicet quod Lucius renunciaret Titio aliud simplex beneficium,quod in alia Ecclesia obtinebat , in manu ordinarij , & quod Titius faceret , quod Caius renunciaret beneficium quod retinuerat ad fauorem Lucij,reseruata tamen Titio annua pensione super dictum beneficium , quod Lucius recipiebat à Caio,scutorum septem , quæ propter inæqualitatem fructuum imponebatur.

Præfatæ concordiæ non sunt vsque adeo Apostolica auctoritate confirmatæ,nec pēsiones prædictas scut.9. & aliam scut.7.vmquam exegit Titius,nec recuperauit,nec inter partes pecuniæ aliquæ interuenerunt.

Dubitatur , an permutationes & resignationes prædictæ possint dici simplices,vel potius triangulares,vel quadrangulares,& an possent fieri in manibus ordinarij, & an partes aliquam simoniam cōmiserint in præmissis , & in aliquam censuram inciderint,taliter , quod indigeant simpliciter , vel ad cautelam à Sede Apostolica absolutionem & dispensationem obtinere de præmissis.

1 Pro resolutione huius dubij præsuppono primò , quod nulli possunt permutare beneficia sua propria auctoritate , licet possint tractare non perueniendo ad conclusionem permutationis , & eam facere cum auctoritate superioris vt habet cap. *quæsitum.* cap. *cum olim.*cap.*cum vniuersorum.* [a] cum adnotatis eis per Panormitanum & communem.

2 Secundo,quod nemo potest permutare ius ad rem,quod habet virtute expectatiuæ,cum beneficio alterius,etiam cum auctoritate ordinarij: quia permutatio beneficiorū iam quæsitorum,& non quærendorum permittitur,iuxta cap. 1.in illis verbis, *sua beneficia,* [b] quæ ponderatur ibi per Philippū Francum & citatos per illum,& per Panormitanum, [c] & Federicum Senensem, [d] post Ioannem Monachum & Ioannē Andream, [e] & ratio est , quia rei alienæ permutatio non valet, [f] & beneficium expectatum non est expectantis, vt palam est, quæ communis sētētia est, qua ratione neque ius quæsitum per præsentationem,vel nominationem , vel aliud , quod sit ad rem,& nō in re, potest permutari cum beneficio,vt Francus vbi supra expressit.

3 Tertio,quod potest quis plura beneficia pro vno permutare,si nihil aliud obstat,vt latè resoluit Federicus vbi supra. [g]

Quarto,quod nō potest quis permutare suum beneficium cum alio , vt suum detur tertio per superiorem ordinarium, secundum Ioannem Andream communiter receptum , [h] & Federicum. [i]

His præsuppositis,respondeo ad dubium primo , incognitas esse iuri permutationes triangulares , & quadrangulares, nec meminisse me legere vllibi eiusmodi vocabula, nec posse illas esse iuridicas , cum prædicta permutatio beneficiorum necessariò debeat fieri inter duos tantum de beneficiis , quæ iam sint quæsita illis.

4 Secundo,quod pensio prædicta nouem ducatorum potuit imponi ab ordinario, duratura dum Caius teneret beneficium sibi quæsitum per illam permutationem,ad coæquandos fructus vtriusque beneficij permutati , arg. cap. *ad quæstiones.* [k] quod in hoc citat Ancharanus , [l] & posset , si opus esset,efficacius probari, quam ille probat,& quam Felinus. [m]

Tertio , quod Titius potuit cogere Caium ad renunciandum beneficium simplex in fauorem suum causa complendæ permutationis.

5 Quarto , quod pactum , quo conuenit inter Lucium & Titium , vt Titius efficeret quod Caius renunciaret in fauorem Lucij beneficium , quod tenebatur renunciare in fauorem Titij,& Lucius renunciaret suum in fauorem Titij,continet simoniam conuentionalem , per cap. *quam pio.* [n] cum enim non possit saluari per permutationem, quia illa non potest fieri nisi super beneficiis propriis , & fiat super spiritualibus,restat vt sit simoniacū,simonia saltem iuris humani , quo omnis renunciatio beneficij facta sub modo vel conditione est simoniaca,per prędicta iura,& per glossā adiuncto textu. [a]

6 Quinto, quod prædicta simonia conuentionalis videtur facta realis,eo quod ab vtraque parte fuit completa:nam Titius compleuit quod promisit, procurando , vt Caius renunciaret in fauorem eius : Lucius item præstitit quod promisit, renunciando beneficium suum in fauorem Titij , & consequenter est facta realis.

7 Sexto,quod dolenter scribo,quod vterque illorum incidit in censuram extrauagantis. [b] Et idē de Caio dicendum est.

Septimò,quod Titius tenetur relinquere beneficium Lucij,& Lucius beneficium quod ei Caius renunciauit,quia renunciationes fuerunt nullæ per dictam extrauagantem , & per conclusionem illam communem, quæ habet beneficium non vacare per renunciationem simoniacam , quam tenet etiam Panormitanus. [c]

Octauo prædictus Titius debet, procurare absolutionem, & habita ea,potest cogere Caium , vt renunciet beneficium præfatum denuo in manibus ordinarij , causa permutationis, vt conferatur sibi,per prædicta.

8 Nec prodest dicere contra prædicta,quod tractatus permutationis fuit habitus , saluo Papæ beneplacito. Tum quia exequutio illius tractatus & concordiæ fuit facta sine illius beneplacito. Tum quia concordia secunda inter Titium , & Lucium , & Caium , fuit alia à tractatu & concordia habitis prius inter Titium & Caium solos , in quibus fuit posita illa protestatio,quæ cum non fuisset repetita in illa secunda concordia,nō potuit illi prodesse, arg.l. *non omnis.* [d] & l.*in agris.* [e] quatenus habet,quod limitata causa,&c.& preterea exequutio præcessit beneplacitum,& sic fuit cōmissa simonia, prout diximus in Manu. confess. [f] Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Concordia,vt vnus iuri suo renunciet,& alter pecunias det, iure fori simoniaca iudicabitur: at si dentur solum pro restitutione expensarum,non autem pro pretio iuris . quod prætendebat,& cui vere nō renunciauit,quia nulliū habebat, excusatur à simonia coram Deo,& ab obligatione restituēdi.n.2.*

2 *Simoniacum iure fori quid iudicatur,quod iure poli nō est tale.*

3 *Simoniaca pacta ab alio inita,qui non consensit,renuat.*

4 *Protocollum simoniacam concordiam continens vt partium consensu comburatur expedire videtur.*

## CONSILIVM XLIV.

LITIGANTIBVS N. & P.super beneficio, conuenit inter N.& quesdam amicos P.ipso non consentiente, vt N.cedenti iuri suo,si quod habebat,P.quamdam pecuniarum summam solueret. P.possessione adepta , prædictas pecunias soluere renuit,quas ipsi amici postea soluerunt. Quæritur quid iuris?

1 Respondeo primo , quod tota hæc concordia censebitur in foro exteriori simoniaca:quoniam per eam altera pars obligatur ad tradendum alteri parti rem spiritualem pro re temporali,quod est simonia cum per definitionē simoniæ , quam tradit glossa [g] communiter recepta tam à Theologis , quàm à Canonistis,& à nobis præ aliis declarata in nostro Man.confess. [h] & consequenter iudicabitur in prædicto foro nulla,& nullius valoris:& partes,quæ illā concordiam fecerunt,censebuntur in eodem foro excommunicati ; quia non solum fuit simonia mentalis,& conuentionalis , sed etiam realis ab vtraque parte cōpleta,ideoque perfecta,& omnia prędicta mala, & etiam irregularitatē,si celebratū est,inducens,iuxta ea quæ nos post alios dicimus vbi supra, [i] & pecunia recepta iubebitur restitui Ecclesiæ,cui facta est iniuria,iuxta cap. *de hoc.* [k]

2 Secundo,quod probabiliter dici potest,quod si vere coram Deo N.non habuit voluntatē vendendi ius , quod prætendebat habere,sed solum recuperandi impensas,quas fecit, nec verè coram Deo beneficiū erat suum,non incurrit pœnas prædictas in foro conscientiæ , neque indiget absolutione ab vlla censura , nec obligatur ad restituendam pecuniam acceptam,nisi quatenus superat impensas factas; sed satis est ei pœnitere peccati mente , & conuentione , & renunciatione, quam gratuito licitè facere poterat , admissi , per ea quæ nos vbi supra insinuauimus.

3 Tertio,quod prædictus P. rectè agit renuendo approbare illam concordiam,& non potest cogi ad eam seruandam:& rectè facit volendo defendere suam possessionem , si putat

coram

a De rer.permut.
b De rerum permut.li. 6.
c In d.cap. cū olim.nu.4.
d Quæst.13.de permut.benc.
e In dict.ca.1.
f Leg.1.ff. de rer.permut.
g Quæst. 12.
h In di.cap.1.
i In fin.q.40.
k de rer. per-
l Consil. 279. quæstio proponitur.
m In ca.quia verisimile.de præsump. nu. 1.
n 1.qu.2. cap. fin.de pact.

a In ca.dudū. verbo, libere. de præb.lib.6.
b 2.De simo.
c In dict. cap. cum olim. & cap.cum vniuersorum.
d ff. si cert.pe.
e ff.ac ac. rerum.dom.
f Cap.23.nu. 108.
g 1.q.1.in sū
h Cap.13.nu. 109.
i Num. 109. & sequen.
k De simon.

coram Deo suum esse beneficium, & bona fide defendit illud: & nullam pœnam incurrit renuendo approbare illam: quia nemo tenetur approbare simoniaca pacta facta ab alio absque suo consensu: & obligatur ad renuẽdum eam, & execrandum, iuxta totam 1.q.4. & cap. *cum pridem.* [a] & tradita à nobis vbi supra. [b]

4 Quarto, quod præfatus N. indiget absolutione à prædicta simonia per Datariam Papæ, & non sufficit per Pœnitentiariam quo ad forum exterius: quia illa non habet facultatem id faciendi quo ad illud forum, sed tãtum quo ad forum interius, neque præfatus N. indiget illa quo ad illud forum interius, si non habuit aliam mentem, quam illam, de qua loquitur secundum responsum; sed satisfaciet cõueniendo cum aduersa parte, & notario, qui etiam male fecit accipiẽdo concordiam illam simoniacam, vt comburatur protocollum, in quo est concordia prædicta scripta, ita quod numquam amplius appareret, nec probari posset: quia de non existentibus & non apparentibus non est iudicium. [c] Salua, &c.

*Aduerte, an huic cautelæ vltimo loco datæ obstent Bar. & Bal. l. 2. §. si plura ff. quemadmo. testam. & vide Deci. & additionem in cap. 1. num. 207. de prob. & an quod ponitur in 2. dicto, intelligatur procedere quando dicto H. nullum ius in dicto beneficio cõpetebat, vt videtur innuere auctor dum supponit quod beneficium non erit coram Deo ipsius N.*

[a] Et ca. fin. de pactis.
[b] Num. 110.
[c] Leg. duo sũt Titij. ff. de test. tut. & capi. si sacerdos de offic. ord. iuncta glossa.

### SVMMARIVM.

1 *Simonia in concordia beneficij per tertium commissa non nocet parti eam ignoranti, immo ius suum ei remanet illæsum. n. 3. at illam sciens, vel credere debens, statim debet renunciare ius, si quod ex illa quæsiuit. nu. 2.*

4 *Credere tenetur quis simoniam ad eius vtilitatem commissam, si adsint præsumptiones verisimiles ad illam præsumendam.*

## CONSILIVM XLV.

DVO litigantes, Ioannes Romæ morans, & Petrus in patria degens, fecerunt concordiam super beneficio litigioso, vt auctoritate Papæ dimidium fructuũ cederet Ioanni, & alterum Petro: quæ cõcordia fuit auctoritate Papæ confirmata, & literis expeditis exequuta: sed non fuit narratum Papæ id, quod ignorante Ioanne pater & frater eius promiserunt Petro dare durante vita Ioannis ei, donec assequeretur beneficium integrum, certos modios tritici, & aliorum granorum, non facta mentione de causa ob quam promiserunt: & præfatus Petrus accepit postea, dum vixit, omnes fructus integros prædicti beneficij, post cuius mortẽ obiicitur Ioanni simonia, vel confidentia illicita. Quæritur quid debeat facere Ioannes.

1 Respondetur primo, Ioannem quidem ignorantem promissionem patris & fratris sui non incurrisse vllum peccatum, vel excommunicationem, quæ ob prædictam promissionem incurrerunt ipsi, si eam fecerunt, vt Petrus consentiret concordiæ prędictæ, quia simonia per tertium commissa in collatione & prouisione non nocet parti ignoranti eam quo ad peccatum, & excommunicationem: quia peccatum alienum non nocet quo ad illa ignoranti, donec sciat, & consentiat vt habetur 1.q.4. per totam, præsertim cap. *iam itaque.* & tradit glossa. [d]

2 Secundo, quod præfatus Ioannes, simulac sciuit & credere debuit prȩfatos cognatos suos promisisse præfatos modios ob dictam causam, renũciare debuit ius, quod per illam concordiam acquisitum fuit ei, per c. 1. [e] quod in hoc citat prædicta glossa recepta, [f] & traditur in cap. *ex insinuatione.* [g] nisi Papa illud sibi attenta eius ignorantia & bona fide confirmet, vel quatenus opus fuerit sibi denuo conferat, per notata in eisdem capp.

3 Tertio, quod præfatus Ioannes non perdit propter illam concordiam simoniacam tertij se ignorante factam ius, quod antea habebat, immo debet illud ei restitui, vel sine alia restitutione potest ad illud redire, per cap. *si beneficia*, [h] cum ei adnotatis.

Quarto, quod præfatus Ioannes non dicetur sciuisse, neque approbasse præfatam simoniam propter hoc solũm, quod pater eius soluerit præfatos modios Petro, eo quod esset procurator filij: quoniam non fecit ipsum procuratorem ad soluendum ei modios præfatos, sed solum ad recipiendum fructus, qui pertinebant ad ipsum ratione concordiæ factæ, se ignorante simoniam: quia diuersa sunt illa, & à diuersis non fit illatio. [a]

[d] In sum. ea. cau. & quæst.
[e] 1. quæ. 5.
[f] In sum. 1. q. 4.
[g] De simon.
[h] De præb. li. 6.

4 Quinto, quod cùm ab aduersarijs probatum fuerit præfato Ioanni, quod pater & fratres eius promiserunt præfatos modios Petro, antequam concordia confirmaretur à Papa, par est credere simoniam præfatam præcessisse: quoniam licet in instrumento promissionis non exprimatur illam promissionem factam fuisse, vt Petrus consentiret concordiæ, tamen sunt in eo quędam verba, quæ significant illud, scilicet quod soluerent durante vita pręfati Ioannis, aut donec Petrus assequeretur beneficium integrum in ecclesia vbi erat: & idem significat qualitas personarum promittentium, & quod lis erat super beneficio, cuius fructus in concordia diuidebantur, & quod nulla alia causa exprimitur in instrumento, ob quã promissio fieret, & quod promissio illa suapte natura tendebat ad suadendum illam concordiam: & huiusmodi verisimilia sufficiunt ad probationem præsumptam. [b]

Sexto, quod vtile consilium erit Ioanni, vt præueniat aduersarios in impetrando à Papa aliquod *si neutri*, vel *si nulli, vel perinde valere*, vel aliam gratiam, quæ sibi videbitur conueniens, iuxta præcedentia dicta. Salua, &c.

[a] Leg. Papin. ff. de minor. & c. ad audientiã. de decimis.
[b] Capit. quia non est. de præsumptio. & l. non est verisimile. ff. quod metus causa.

### SVMMARIVM.

1 *Transactio facta auctoritate iudicis super beneficio, quod remanet illi cui debetur, licita est.*

## CONSILIVM XLVI.

HIERONYMVS & Alexander presbyteri in Rota litigabant super quadam parochiali Ecclesia. Domini vero Auditores in principio huius causæ deciderunt tria, scilicet, dictam parochialem Hieronymo de iure competere; & Alexandrum, qui erat in possessione, condemnandum esse in omnibus fructibus ex d. parochiali Ecclesia perceptis; & tandem possessionem & fructus eiusdem parochialis sequestrari debere. Post has decisiones R. P. D. proponens terminum seruauit ad ferẽdam sententiam, sed antequam cedulam subscriberet, dictus Alexander, qui omnino causam amittebat, hanc conuentionem, siue pactum Hieronymo proposuit, vt scilicet fructus, & expensas, in quibus condemnandus erat, sibi remitteret, ipse vero liti cederet, & causæ, hoc pactum propter causas infra scriptas placuit Hieronymo; atque ita in actis huius causæ vna pars alteri cessit, & remisit. Huius rei postea certior factus est d. proponens, & deinde tota Rota; quæ, quia partes inter se iam conuenerant, mandauit Domino proponenti, vt causam expediret: itaque subscripta est cedula sub termino prędicto, qui antequam partes inter se conuenirent, seruatus fuerat, & in dicta cedula sententia promulgata est pro dicto Hieronymo, & in eadẽ sententia parochialis ei est collata, & tandem possessionem consequutus est.

Nunc dubitatur, an prędicti commiserint simoniam, quia pactum inierunt inconsulto Papa; an verò excusetur Hieronymus. Primo, quia nullum ius censensus est emisse, cum ab aduersario in se nihil transmissum sit. Deinde, quia censendum etiam est habuisse ius in ipso beneficio per collationem, antequam pactum illud iniret: quia collata sibi fuit dicta parochialis in ipsa sententia: sententia autem Rotę, & quæ in ea continentur, à termino seruato robur habent. Præterea, quia habito iure in parochiali, vt dictum est, fructus remisit ad redimendas suas vexationes, & innumeras molestias, & non principaliter propter acquirendam possessionem: nam si maximas molestias in hac re non experiretur, certe sequestratione possessionis & fructuum contentus fuisset. Tandem, quia remittere propriè non est dare tamquam pretium, sed donare.

1 Respondeo primo nullam in casu proposito esse coram Deo & in foro conscientiæ admissam simoniam, prȩsertim realem, per prædicta. Secundo, neque in foro exteriori videri incursam vllam talem simoniam: tum per superius allegata. Tum quia conuentio præfata fuit nota Prętorio Rotæ, & placita illi, & decreta fuit illi possessionis traditio. Tum quia satis videtur fuisse à Papa ratificata, cum iudex ab eo datus illam ratam habuerit. Tum quia auctoritate iudicis, prȩsertim tanti Prętorij, potest eiusmodi compositio iustè & sanctè fieri, [c] & denique quia etiam auctoritate ordinarij id fieri posse videtur, argum. cap. *extirpandæ.* [d] & per alia, quæ adduci possunt, quæ tamen non sunt necessaria. Salua, &c.

[c] Arg. cap. ni si essent viri prouidi. de pr.
[d] Eod. tit.

SVMMARIVM.

1 *Papæ beneplaciti reseruatio opposita in conuentionibus beneficialibus excusat ab omni saltem temporali pœna, & hoc quo ad illa quæ eius supposita fuerunt beneplacito, & modo non deueniatur ad conuentorum exequutionem, antequam illud sit obtentum. nu. 3. & 4.*

2 *Vexationis vitandæ causa saltem post possessionem quæsitam dari quid potest, modo non detur ex vi præcedentis simoniacæ conuentionis: & vexatio, quæ timetur, sit iniusta. nu. 4.*

3 *Simoniaca est omnis pactio & conuentio super spiritualibus, scilicet dandi aliquid temporale pro spirituali, & hoc etiam si spirituale nec perdatur, nec acquiratur, vt patet in simoniaca resignatione, per quam nec resignans aliquid spirituale perdit, nec resignatarius acquirit. num. 4.*

3 *Pensio sine simoniaca prauitate secundum veriorem & communiorem sententiam sine Papæ auctoritate nec constitui, nec redimi per partes potest.*

4 *Resignatio simoniaca non tenet: vnde nec resignans perdit ius suum, nec resignatario acquiritur.*

## CONSILIVM XLVII.

B. & G. litigantes super quodam beneficio, quod vterque per statuta fundationis sibi debitum contendebat, superuenientibus aliis litigatoribus eadem ratione sibi debitum contendentibus, conuenerunt, vt sese mutuo iuuarent contra alios, & alteruter eorum, qui obtineret, alteri constitueret certam pensionem, & impensæ essent communes: quæ omnia, excepta pœna pecuniaria, sub qua se ad id obligabant, beneplacito Papæ subdiderunt, ita quod sine illo nulla essent, & communibus impensis beneplacitum impetraretur. Post quę alter eorum, altero desistente, obtinuit victoriam, & possessionem pacificam adeptus, præfatam pensionem noluit alteri constituere, nec soluere; sed vt alter à minis litigandi, quas faciebat, cessaret, dedit ei 500. iulios pro impensis & laboribus ante & post prædictam conuentionem factis ante beneplacitum Papæ impetratum, quod postea non curauerũt impetrare. Quæritur, an vllam pœnarum simoniæ incurrerint.

1 Pro parte negante facit primo, quod omnia conuenta fuerunt supposita beneplacito Papæ, quod secundum receptam sententiam excusat ab omni pœna saltem temporali, vt traditur in Manu. confess. [a]

Secundo, quod licet cuique suam vexationem redimere, saltem post quæsitam possessionem pacificam, [b] & qui præfatos iulios dedit, habebat illam pacificam, & alter minabatur ei litem.

2 Tertio, quod neuter illorum quæsiuit, vel reliquit spirituale pro temporali, nec contra temporale pro spirituali: nam sine vlla alterius sui iuris renunciatione alter obtinuit sententiam, & possessionem pacificam, & constat simoniam esse emptionem, siue contractum non gratuitum dandi spirituale pro temporali, iuxta glossam receptam. [c]

Pro contraria tamen parte facit primo, quod omnis pactio, siue conuentio super spiritualibus videtur simoniaca, [d] & negari non potest præfatam conuentionem fuisse factam super beneficio spirituali, quo duo sese iuuarent contra alios in litigando, & quod qui obtineret solueret vel constitueret alteri certam pensionem.

Secundo, quod vterque putabat non licere sibi ita conuenire, nisi cum beneplacito Papæ, quod non erat necessarium, si nulla simonia incurreretur.

Tertio, quod promissio illa constituendæ pẽsionis facta ob auxilium accipiendum in litigando super beneficio non potest excusari à simonia, tenendo, vt omnes tenent, non posse quem vendere, vel constituere pensionem super beneficio suo, nec iam debitam & constitutam redimere sine Papæ auctoritate, secundum plerosque omnes, & rectè: licet Caietanus quem quidam sequuti sunt, sed male, cõtra in hoc teneat: aliud enim est quem remittere gratis pẽsionem sibi debitam, quod licet: aliud redimere pensionem à se debitam pecunia, quod non licet, & damnatur ex stylo Curiæ, qui facit ius. [e]

Non obstant opposita pro parte negante formata: Non primum. Tum quia non fuerunt omnia subiecta voluntati Papæ: quia voluerunt, vt pœna, sub qua se obligauerunt, valeret, esto non accederet beneplacitum Papæ.

4 Tum quia, vt probatur in Man. [f] in fine, beneplacitum Papæ nõ excusat, nisi posteaquam fuerit pręstitum: qui enim promittit dare centum pro beneficio sibi conferendo, si placuerit Papæ, & non aliàs, & soluit illa pro ipso ei collato, antequam placeat Papæ, non excusatur à pœna simoniæ: nam positum sub conditione nihil operatur ante illius euentum. [a]

Non obstat secundum oppositum: quia, licet datio illorum iuliorum fuit facta post adeptam possessionẽ pacificam, promissio tamen de soluenda pensione ob adiutorium & impensas communes longè antea facta fuit, vt in facto proponitur; & datio illa non fuisset subsequuta, nisi pactio illa & adiutorium præcessisset.

Non obstat etiam tertium: quia ad essentiam simoniæ non requiritur necessario, vt aliquid iuris spiritualis acquiratur, vel perdatur pro temporali: satis enim est quod detur vel accipiatur temporale pro spirituali, qui enim renunciat beneficium suum pro mille scutis, nihil iuris spiritualis quærit, vel perdit; quia renunciatio non valet secundum Innocentium in cap. *cum vniuersorum.* [b] & decis. Rotæ, [c] & tamen committit simoniam secundum omnes. Item qui vendit beneficium alteri sine superioris auctoritate, simoniam grauissimam admittit, & tamen nihil iuris spiritualis perdit, vel quærit; quia nemo potest suum beneficium transferre in alium, neque relinquere, ita vt vacet, absque superioris auctoritate. [d]

Concludo igitur primo, quod conuentio præfata proculdubio fuit simoniaca simonia conuentionali, quatenus non fuit quo ad pœnam subiecta beneplacito Papæ, & quatenus fuit datum & acceptum adiutorium promissum ab vna parte, antequam beneplacitum Papæ impetraretur, iuxta 4. fundamentum.

Secundo concludo, quod dubitari potest an prędicta simonia fuerit realis, & videtur non esse: quia illa tantum dicitur realis, quæ ab vtraque parte completa est, vt post alios resoluimus in Man. [e] & licet vnus præfatorum pro sua parte impleuerit, alter tamen nõ impleuit, quia non imposuit pensionem, nec voluit soluere illam post beneficij consequutionem, & præfatos iulios dedit pro impensis, & pro redimenda vexatione iniusta, quam probabiliter timebat, quare sequitur, nullas pœnas incurrisse contra simoniacos latas.

SVMMARIVM.

1 *Simoniacus confidentiarius non est, qui tertio ignoranti impetrat beneficium, sperans quod ille in sui fauorem retrocedet.*

2 *Papæ beneplacitum, sub quo fit concordia, tollit, saltem quo ad pœnas, simoniam, modo non sequatur exequutio ante illud obtentum, puta receptio expensarum, pensionisve promissæ, & similia.*

3 *Resignans beneficium simoniacè, remanet adhuc dominus sui beneficij: vnde si à resignatario aliquid percepit, potest compensare cum fructibus ab eodem resignatario perceptis. & num. 4.*

## CONSILIVM XLVIII.

EXPONITVR D. V. quod vacantibus pluribus beneficiis sine cura, & non requirentibus residentiam, apud Sedem Apostolicam per obitum Baptistæ de anno 1552. de illis fuit prouisus Gerardus familiaris PP. ipso inscio, instante Cæsare amico dicti Gerardi, vt dictus Gerardus tamquam familiaris literas gratis expediret, & facilius obtineret, nulla tamen confidentia, vel pactione inter eos præcedente de illis postea resignandis, ante bullas factas super confidentia: licet postea dictus Gerardus ad instantiam dicti Cæsaris duo ex dictis beneficiis resignauerit in manibus Vicarij cuiusdam ordinarij extra portam Vrbis, qui Vicarius dicta duo beneficia contulit cuidam Bernardo, qui virtute dictę prouisionis dicta beneficia per plures annos possedit, sed quia dubitabat, quod dictus Vicarius extra diœcesim existens non poterat dicta beneficia per dictam resignationem dicti familiaris PP. tamquam reseruata conferre, præfatus Cæsar curauit, quod dictus Gerardus in fauorem ipsius tam dicta duo beneficia, quàm alia resignaret, prout resignauit, & incepit expedire bullas, licet non perfecerit.

Quibus sic stantibus fuit mota lis dicto Bernardo super dictis duobus beneficiis ad instantiam cuiusdam Iacobi in illis partibus, & postmodum causa commissa in Rota ad instantiam dicti Bernardi contra dictũ Iacobum: qua sic pendente,

ad

Marginal notes:

a Cap. 23. nu. 108.

b Ca. dilectus 1. de simon.

c In summa 1. qu. 1.

d Cap. quam pio. 1. qu. 2. & ca. fin. de pactis.

e Cap. quam graui. de crimine falsi. & cap. ex literis. de const.

f Cap. 23. nu. 108.

a [illegible] sit oblig[illegible] pro te[illegible] cripti[illegible]

b De re[illegible] mut.

c 7. in [illegible] eo. tit.

d Cap. [illegible] in du[illegible] admonet. de renunc.

e Cap. 23. n[illegible] 104.

ad instantiam dicti Cæsaris dictus Gerardus, qui huiusmodi beneficia resignauerat, vt supra, fuit admissus ad causam pro suo interesse, licet nullum haberet, stantibus dictis resignationibus, sed ius erat penes dictum Cæsarem & Bernardum per dictas resignationes. Deinde inter dictum Iacobum & Bernardum de anno 1560. saluo semper Sedis Apostolicæ beneplacito, fuit facta concordia, & in ea dictum, & dictante dicto Cæsare, quod in euentum in quem dictus Gerardus cesserit omni iuri sibi competenti in quatuor beneficiis in fauorem dicti Iacobi, qui in illis ius prætendebat, sed non erat bonum, etiam dictus Iacobus cederet in fauorem dicti Bernardi omni iuri in dictis duobus beneficiis aliàs eidem Bernardo resignatis per dictum Gerardum, licet dictus Gerardus stante resignatione facta dicto Cæsari nullum ius haberet; & quod tunc dictus Iacobus & Bernardus promittebant dare pro expensis factis per dictum Cæsarem nomine dicti Gerardi quasdam res: & constituerunt procuratores ad consentiendum pensioni trium ducatorum de Camera cum dimidio, quilibet ex ipsis super dictis beneficiis, videlicet ducatos tres cum dimidio super dictis quatuor beneficiis, & totidem similes super dictis duobus soluendos dicto Gerardo, vel Cæsari, vel personæ nominandæ per dictum Cæsarem quolibet anno. Quibus stantibus dictus Cæsar fuit inquisitus super quodam crimine, & postea carceratus: qui in carceribus existens, recordatus, quod dictum beneplacitum, & confirmatio concordiæ, & cessio adhuc non interuenerat, curauit vt fieret supplicatio, quæ de anno 1566. fuit facta, & in ea fuit narrata dicta concordia facta, & aliàs prout in instruméto, quod haberetur pro expresso, vel de verbo ad verbum exprimi vel inseri posset: Papa illam confirmauit, dummodo pacta in eo apposita essent licita & honesta, & fuit reseruata pensio prædicta eidem Cæsari.

Sed quia d. Gerardus non cessit iuri super dictis beneficijs nisi de anno 1566. & tunc etiam procurator constitutus in dicta concordia consensit reseruationi dictæ pensionis in fauorem d. Cæsaris, & d. Iacobus de anno 1569. cessit etiam d. iuri super dictis duobus beneficiis in fauorem d. Bernardi; licet præfati consensus retrotrahantur ad diem dictæ supplicationis: dubitatur, an etiam dicta confirmatio retrotrahatur ad dictam diem concordiæ. Et quia pensio huiusmodi fuit soluta à dictis Iacobo & Bernardo, procuratori, seu negotiorum gestori dicti Cæsaris in illis partibus, etiam ante dictam confirmationem, & dictos consensus prestitos, existente dicto Cæsare in Vrbe & carcerato; propterea dubitatur, an receptio dictæ pensionis habita sponte non per viam iudicij à dicto Iacobo & Bernardo sit simoniaca, ex quo dicta pensio fuit soluta ante confirmationem PP. dicto procuratori d. Cæsaris, d. Cæsare ignoráte, licet non bene núc recordetur an túc sciuerit: & an dictus Cæsar teneatur ad restitutioné dictæ pensionis, tamquam malè solutæ ante dictam confirmationem sicut supra receptæ per eius procuratorem, hæredibus dictorum Bernardi, & Iacobi, qui illam soluerunt, vel illorum successoribus in dictis beneficiis, vel Cameræ Apostolicæ: & quatenus Cameræ debeantur, dictus Cæsar petit dictas pensiones forsan illicitè receptas compensari cum seruitiis dictæ Cameræ præstitis; & quatenus teneretur restituere dicto Bernardo, etiam compensari cum seruitiis eidem & fratri germano præstitis, cuius ipse fuit hæres; quatenus verò dicto Iacobo, superfluum, quod ipse soluisset, quod nó ascendit ad scuta 16. vel circa, & essent illicitè recepta, & Cameræ applicanda, compensari vt supra, vel sibi tamquam seni per S.D.N. donari, vel illa dimittere dictis successoribus ad computum pensionum postea soluendarum; vel si essent illicitè recepta per procuratorem Cæsaris prædicti, absolui, cum non putauerit aliquam simoniam fuisse commissam, nec in irregularitatem incurrisse, etiam quod interim Missas celebrauerit.

Insuper dictus Cæsar de anno 1540. vel circa fuit prouisus de duobus beneficiis sine cura per obitum à Paulo III. & super illis mouit litem contra quemdam Philippum possessorem, & habuit sententiam fauorabilem in Rota, & literas exequutoriales, & credit etiam brachium sæculare. Sed quia quidam Carolus in illis prætendebat ius, intimatis illi dictis literis exequutorialibus fuit deuentum ad concordiam verbo inter eumdem Carolum, & Cæsarem, quod dictus Cæsar cederet omni iuri sibi in dictis beneficiis competenti in fauorem dicti Caroli; & dictus Carolus constituit procuratorem ad consentiendum pensioni medietatis fructuum dictorum beneficiorum in fauorem Cæsaris propria auctoritate percipiendæ, & ambo præstiterunt consensum in manibus notarij Cameræ, & fuit capta data parua super huiusmodi consensibus, non tamen fuit expedita supplicatio: & tam dictus Cæsar, quàm dictus Carolus acceperunt medietatem fructuum dictorum beneficiorum, licet Cæsar pretenderet dicta beneficia esse sua, & similiter dictus Carolus, vel post eius mortem successor, non sequuta confirmatione Apostolica. Quibus sic existentibus, dictus Cæsar de anno 1563. resignauit dicta beneficia in fauorem Antonij, qui ab illo tempore illa possedit.

Et quia etiam dubitatur, an dicti fructus sint legitimè percepti per dictum Cæsarem, qui bonum ius ad ambo beneficia, & sic ad omnes fructus habebat tam per dictam prouisionem, quàm per sententiam; ad tollendum omne dubium, supplicat etiam absolui, si pacta seruata fuissent illicita, vel promissio illorum fructuum, aut perceptio super dictis medietatibus, ex quo fuerunt obseruata per annos 20. & vltra ante supplicationem expeditam; vel si deberentur dictæ Cameræ, compensari vt supra; vel ab illis, & forsan simoniaca possessione absolui. Nam mihi responsa fuerunt sequentia à viro dicto.

Sub prætextu, quod d. Cæsar impetrauerit d. beneficia nomine Gerardi, non potuit considerari simonia, neque confidentia: quia nulla pactio nec datio inter eos intercessit, & confidentia dicitur simul fidentia: vltraquam prohibitio de confidentia fuit facta per fe. re. Pium IIII. & Pium V. cum clausula, *ne deinceps:* & non interuenerunt ea, quæ in illa continentur; nec concordia potest dici simoniaca, quia in ea est reseruatum beneplacitum Papæ, quando pacta ante beneplacitum non sunt effectuata, [a] & illud beneplacitum Papę reseruatum operatur, ne partes incurrant pœná in contrahendo. [b] & quando compositio est confirmata per Papam paciscentes excusati fuissent, [c] & purgatur vitium simonię accedente postea auctoritate Papæ. [d] Secundo pacta non fuerunt seruata ante confirmationé Papæ, sciente dicto Cęsare, qui erat in carceribus detentus, licet post confirmationem sciuerit fuisse perceptam; & quis non dicitur simoniacus, quando ab alio eo ignorante fuit simonia commissa. [e] Sed si procurator dicti Cæsaris sponte receperit à dictis Iacobo & Bernardo pensionem promissam in dictum euentum ante confirmationem Papæ, Cæsar non dicitur simoniacus: quia non videtur datum mandatum dicto procuratori à dicto Cæsare ad delinquendum, [f] & simonia debet probari concludenter, [g] aliàs in dubio est capienda præsumptio, ne contractus dicatur simoniacus: [h] & simonia incurritur, si dolo malo commissa fuit, [i] sed dictus Cæsar numquam habuit dolum committendi simoniam: quia à principio voluit adhiberi beneplacitum Papæ; & propterea si ante dictum beneplacitum prædicti Iacobus & Bernardus soluerunt dictas pensiones procuratori dicti Cæsaris absentis, & ignorantis, non est illi imputandum, & in simonia commissa pro ignorante Episcopus dispensat. [k]

Non obstaret, quod dictus Cæsar post confirmationem factam per Papam sciuerit pensionem fuisse solutam ante dictam cófirmationem Papæ, & propterea teneatur ad illarum restitutionem: quia si non fuisset valida dicta concordia, & confirmatio Papæ, dictus Cæsar redibat ad dicta beneficia, tum quia in illis habebat bonum ius, tum quia virtute dictæ supplicationis & confirmationis concordiæ poterat habere accessum & ingressum ad illa, & dicti Bernardus & Iacobus fuissent obligati ad restituendos omnes fructus, vel si dictæ pensiones essent indebitè perceptæ, quia non sunt exactæ per prædecessorem beneficij, applicantur Cameræ Apostolicæ per constitutionem Iulij iij. vbi sunt constituti subcollectores spoliorum: & quia dictus Cæsar seruiuit dictæ Cameræ, vellet dicta seruitia cum dictis pensionibus compensare, & huiusmodi compésatio esset in foro consciétiæ admittenda; quia non potest cum Camera litigare; & Deus etiam permisit Iudæis, quando ex Aegypto recesserút, vt peterent mutuo multa ab Aegyptijs, & illa sibi transportarent, propter tot seruitia à Iudæis dictis Aegyptijs facta.

Ad secundum dubium est magis facilis resolutio: quia dicta concordia nullo modo fuit confirmata à Papa, nec consensus resignationis & pensionis fuerunt extensi, prout regula Cancellariæ requirit, & remansit ius illorum penes

dictum

a *Cott. decis. 230.*
b *Verall. deci. 104. in princ.*
c *Gloss. in ca. cum pridem. in verbo illicite. vers. sed videtur. de pact.*
d *Deci. cons. 141. n. 2. vers. gloss. tamen. Felin. in cap. ad audientiá. 2. nu. 3. vers. quod autem. de rescr. Pari. cons. 30. nu. 5. & 6. in 4.*
e *Io. And. in cap. de simoniace. & ibi Ant. But. nu. 3. de simo. & refert ibi Apostil. ad Ioã. de Anan. col. 3. in verbo simonia.*
f *Leg. 3. §. si procuratori. ff. quod quisque iuris. Ro. deci. 7. vt lite pendente, in nou.*
g *Cott. decis. 133.*
h *Put. decis. 144. in princ.*
i *Paris. consilio. 29. num. 19. in 4.*
k *Gloss. in ca. ex multis. in verbo postea. 1. qu. 3. Rodo. de simonia in 4. par. cap. 8. num. 21. fol. 324.*

dictum Cæsarem, cum quo dictus Cæsar non solùm medietatem, sed etiam fructus dictorum duorum beneficiorum accipere poterat; vnde si medietatem recepit, non dicitur commissa simonia, si tacuit quod dictus Carolus aliam medietatem reciperet, & quod titulus resignationis non habuisset effectum, quia prætendebat habere titulum ordinarij, licet non esset bonus; sed ex illo titulo potuit dictam medietatem fructuum percipere, maximè stante regula de triennali, per quã percipiés fructus etiã mala fide facit illos suos, quando titulum coloratum habet,[a] & idem Sarnensis,[b] dicit procedere etiam in foro conscientiæ; vbi subdit, quod si lex est iusta in foro fori, erit etiam iusta in foro poli: & qui habet regulam triennalem pro se, est tutus in foro conscientię, vt quis non possit molestari super beneficio, quod non potest retinere sine canonica institutione,[c] secundũ Rebuffum,[d] vbi dicit, quod si aliàs diceretur, dicta regula deduceret multos ad inferos. & à fortiori, in pensione, quam quis recipit, etiam dicta regula tenetur. Est etiam simoniacus, quando interuenit simonia à principio,[e] sed à principio non interuenit simonia in dictis concordijs, quia fuerunt factæ saluo Sedis Apostolicæ beneplacito, vt supra dictum est.

a Sar. in reg. de trien. qu. 4. n. 7. Cres. in dec. f. 236.
b Ibi. num. 11.
c Cap. 1. de reg. iur. in 6.
d In tract. de pacif. poss. in 3. ampliat. n. 2. fol. 207.
e Gloss. in d. reg. & Sar. in 2. qu. nu. 12.

Ad tertium dicitur, quod si aliquis esset simoniacus quo ad beneficium etiam occultus, est suspensus quo ad se, non quo ad alios, sicut quilibet peccator, & propter talem suspensionem non incurrit irregularitatem celebrando vt ait Decius,[f] post Abbatem, quem allegat.[g]

f Consil. 141. num. 5. versi. 5. & vlt.
g In cap. si celebrat. colũ. 2. num. 4. de cler. excommunic. minis.

1 LECTIS SVPRADICTIS, Respondeo primo, quod supradictus D. consultor optime respondet, quatenus ait, quod in casu proposito præfatus Gerardus nullam in impetrando admisit simoniam, neque confidentiam illicitam, licet credendum sit habuisse confidentiam bonam & licitam, de qua non intelligi Piorum constitutiones probatur à nobis in Manual. confess.[h]

h Cap. 23. nu. 109.

2 Secundo, quod etiam optime respondet, quatenus ait, quod concordia non fuit simoniaca, quia seruatum fuit beneplacitum Papæ, cuius auctoritas abolet omnem simoniam, saltem quo ad pœnas eius, vt tradimus nos vbi supra.

Tertio, quod etiam bene respondet, quatenus ait præfatos pacisćentes non fuisse incursuros vllam simoniæ pœnam, si pacta & conuentiones non fuissent exequuta, antequam Papa confirmaret, & sibi placere illa diceret.

Quarto, quod non videtur satis cautè dicere pacta non fuisse exequuta ante beneplacitum Papæ. Tum quia in narratione casus expreßè dicitur, quod res aliquæ fuerunt datæ pro impensis ipsi Cæsari. Tum quia Bernardus & Iacobus cœperunt possidere, & possederunt bina beneficia ratione illius concordiæ, quia sciebant quod nulla alia ratione iustè possidere illa poterant. Tum quia vt simonia censeatur commissa in renunciatione, non requiritur, vt renunciatio valeat, sed sufficit, quòd fiat propter pecuniam, vel cum pacto: alioqui in nulla renunciatione committeretur simonia, quia nulla renunciatio simoniaca valet secundum Innocentium,[i] & Rotam,[k] & habetur in extrauagante 2.[l] ibi, *vel quaslibet alias dispositiones.* Tum quia ipsi soluerunt pensiones imponendas à Papa, antequam ille approbaret eas. Tum quia quæritur consilium in foro conscientiæ, & per verba narrationis apparet quo ad illud Cæsarem recepisse pensiones ante confirmationem, neque ipse id vllatenus negat: & in illo foro non est locus præsumptioni, per quam præfatus D. consultor vult eum excusare.

i Cap. cum vniuersorum. de rer. permu.
k Decis. 7. de renunc. in antiq.
l De sim.

3 Quinto, quod his est consequens prædictum Cæsarem malè recepisse res datas sibi pro impensis in lite factis, & peius pensiones ipsas, & præfatos Iacobum & Bernardum pessimè tenuisse prædicta beneficia sine vllo titulo iuridico.

Sexto, quod ijs est consequens prædictum Cæsarem teneri ad restitutionem illorum, quæ recepit; nisi excusetur ea ratione, quòd beneficia, & tituli eorum remanserunt penes eum, eo quod renunciatio beneficij simoniaca non valet, vt prædictum est; & consequenter prædicti Iacobus & Bernardus tenerentur restituere ipsi fructus perceptos ex beneficijs; & ita fieri posset compensatio, præsertim quo ad forum conscientiæ.

4 Ad secundum respondetur, quod omissis quibusdam, quæ præfatus D. consultor parum firmè, vel parum aptè dicere nobis videtur, respondetur primò, quod prædictus Cæsar remansit dominus præfatorum duorum beneficiorum: tum quia eius renunciatio non videtur valuisse propter defectum extensionis consensuum, tum quia si fuisset extensio facta, renunciatio fuisset simoniaca, eo quòd pacta super ea inita completa forent, antequam beneplacitum Papæ accederet; & ita non valuisset resignatio: & consequenter poterat accipere non solùm medietatem fructuum, sed etiam omnes, quia tituli remanserunt penes eum, cum renunciatio simoniaca non valeat, vt prædictum est: & ita ex hoc capite excusari potest à restitutione. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Permutatio beneficiorum, & venditio fructuum alterius simul correspectiuè fieri nequeunt, sed separatim sic, modo cesset omnis ciuilis saltem obligatio alterum faciendi, si alterum fiat. num. 2.*

## CONSILIVM XLIX.

QVIDAM habens exequutoriales super quodam canonicatu litigioso, per quas condemnatus iubetur relinquere beneficium, ac restituere omnes fructus quinquennio perceptos ascendẽtes ad summam 300. ducatorum, vult permutare illud ius, quod habet sibi adiudicatum, pro quodam beneficio alterius, constituta pro pensione certa pecuniæ quantitate super prædicto canonicatu; vult etiam conuenire super fructibus prædictis, vt compermutator det ei 500. aureos in præsentia, & postea duas partes residuorũ fructuum, & vt retineat sibi tertiam pro laboribus & impensis.

Quæritur, an, & quomodo liceat hoc facere, non facta in permutatione mentione de hoc facto secundo.

1 Respondeo primo, non licere prædictis consulentibus permutare modo prædicto, cum pacto de soluendis fructibus à resignatario canonicatus, retẽta sibi certa parte illorum, non facta mentione in supplicatione de illo pacto: quia resignationes, collationes, & acceptationes beneficiorum resignatorum, quæ sunt necessariæ ad prædictam permutationem, hærent cum pacto dandi & accipiẽdi spirituale pro temporario, & è contrario, quod sine licentia Papæ est simoniacum per definitionẽ simonię receptam, quę ponitur à glossa,[a] & à S. Thoma,[b] & ab alijs alibi.

a 1. quæst. 1. in summa.
b 2. 2. qu. 100. art. 1.

2 Secundo, quod possunt fieri hæc per duo pacta diuersa, ita quod alterum non fiat propter alterum, nec coniunctim, sed diuisim, quorum alterum sit permutatio beneficiorum auctoritate Papæ, & alterum venditio prædictorũ fructuum auctoritate propria: sic quod fructus non emantur à resignatario canonicatus, saltem principaliter, propterea quod sit permutatio; neque fiat permutatio, propterea quod prædicto modo vendantur & emãtur prædicti fructus; sed quod is cui renunciatur canonicatus, emat vt quidam tertius prædictos fructus pretio, vt prædicitur, conuento.

Tertio, quod longe aptius esset, vt primo fieret prædicta permutatio sine promissione emendi & vendendi prædicto modo prædictos fructus, & post aliquot dies consequutos permutationem fieret emptio & venditio prædictorum fructuum, cauendo tamen tam coram Deo, quàm coram hominibus, ne vllus eorum promittat alteri se empturum, vel venditurum, si permutatio fiat, & aliàs non: & si quæ promissio huiusmodi antehac facta est, discedatur ab ea verè corã Deo vtriusque consensu, ita quod vterq; maneat liber ad vendendum, vel emendum post permutationem factam, ac erat ante illam quo ad obligationem iustitiæ legalem: quamuis posset interuenire aliqua decentia antidoralis, & spes quod consequetur inter eos illa emptio & venditio fructuum, per ea quæ nos tradimus in Manu. nostro.[c]

c Cap. 23. nu. 100. versic. quinto. &c.

### SVMMARIVM.

1 *Mediator simoniæ in beneficio, si compleatur, incidit & ipse in excommunicationem.*

1 *Permutatio pinguioris beneficij cum minus pingui, cum pacto, vt fructus excedentes sibi restituatur, est simoniaca; idem est, si conueniant vt constituatur pensio auctoritate propria pro adæquatione fructuum. num. 3.*

2 *Confidentialis simonia est si compermutantes paciscantur, quod in certum euentum sibi ipsis priora restituant beneficia; & habet pœnas; & beneficia vacant apud Sedem Apost. vnde qui de illis ab ordinario prouidetur, non est tutus, num. 6. nec potest fructus percipere. num. 4.*

5 *Cruciatæ vigore confidentiarius, dimisso beneficio, potest à censuris ob id incursis absolui, at vt reabilitetur ad beneficia, à Pontifice est impetrandum. num 8.*

8 *Confidentiarius fit quidem inhabilis ad obtinenda beneficia, sed non ad ordines suscipiendos, quos à censura absolutus iuste potest percipere. num. 7.*

## CONSILIVM L.

1 DICO primo quod in permutatione proposita fuit admissa simonia realis; eo quod interuenit conuentio, vt qui accipit beneficium maioris valoris per permutationem beneficij minoris valoris solueret compermutanti omnes fructus, qui excederent fructus beneficij minoris: quæ conuentio fuit exequuta ab vtraque parte, quia realiter vterque compermutantium impleuit eam soluendo per se vel per procuratores suos fructus beneficiorũ eo modo, quo fuit conuentum: & sic tam mediatores, quàm permutantes inciderunt in simoniam realem, & excommunicationem Papalem, per extrauagantem 2. de simonia. [a]

2 Secundo dico, quod etiam in præfata permutatione interuenit confidentia simoniaca: quia interuenit renunciatio, cum conuentione, quod in certo casu compermutantes tenerentur sibi mutuo restituere beneficia permutata: & consequenter incurrerunt pœnas impositas per Pium IIII. & V. committentibus confidentiam simoniacam: quarum vna est excommunicatio Papalis, & altera perditio habitorum beneficiorum, & tertia inhabilitas ad habendum alia, & quarta reseruatio beneficiorum per confidentiam habitorum, & aliorum per eam vacantium prouisionis, iuxta tenorem illarum, quarum summa ponitur in nostro Manual. confess. [b]

3 Tertio, quod renunciatio illa, qua quis suscepit minus beneficium, & renunciauit illud, & conuentio, vt qui resignauit minus constitueret pensionem illi qui renunciauit maius, & solutio anticipata fuerunt simoniacæ, vt palam est.

4 Quarto, quod etiam perceptio fructuum propensione anticipata fuit mala, & cum peccato facta: quia beneficium illud vacabat per prædicta, & non poterant ipsi qui soluerant illam auctoritate propria percipere fructus illius vacantis & reseruati Papæ. [c]

5 Quinto, quod consilium, vt monachus qui recepit maius, recederet à monasterio, & resignaret illud in manibus Papæ, fuit sanctum, & bonum: & quod facta resignatione potuit bene absolui per præfatam cruciatam, vel Iobæleum ab omnibus censuris ob præfata incursis.

6 Sexto, quod prouisio minoris beneficij facta per superiorem ordinis virtute resignationis factæ à monacho nihil valet coram Deo: quia propter confidentiam erat reseruata eius prouisio Papæ, vt prædictum est.

7 Septimo, quod ordinario prædicti monachi, qui suscepit maius officium in permutatione, & postea resignauit illud in manibus Papæ, & fuit absolutus à censuris, fuit iusta, & recta: quia præfatæ extrauagantes non inducunt inhabilitatem ad ordines suscipiendos propter confidentiam, sed solùm ad beneficia.

8 Octauo, quod præfatus monachus indiget dispensatione, qua fiat habilis ad beneficia posthac obtinenda. Et quia hæc sunt satis occulta, & per alios tractata, videtur quòd sufficiat petere habilitationem à Pœnitentiario maiori.

9 Nono, quod in gratiam petentis ista subiiciam formam supplicationis faciendæ in prætorio Pœnitentiariæ, si melior ei non offeratur.

a In commu.

b Cap. 23. nu. 101.

c Argum. ca. 2. & ei adnotatorum. de iudic.

### *Illustriss. ac Reuerendiss. D.*

CVM quidam N. cuiusdam religionis non mendicantis haberet quoddam officium eiusdem ordinis regulare; quidam patrui eius, quos habebat pro patribus, tractarunt eo ignorante & absente quamdam permutationem simoniacam & confidentialem inter ipsum & alium monachum eiusdem ordinis, qui habebat aliud officium eiusdẽ ordinis longè maioris valoris; & virtute mandati ab eis petiti & missi perfecerunt permutationem præfatam, & impleuerunt conuenta inter se & alium compermutantem, præfatus N. post annũ nouitiatus, nõ tamen statim reliquit beneficium, neque contradixit pactis, partim ob reuerẽtiam, qua erat erga patruos, partim ob iuuenilem ignorantiã, & incogitantiã, & partim quod nolebat perdere id, quod sibi bene quæsitũ putauerat, donec à confessario moneretur, postea tamen renunciauit simpliciter præfato officio in manibus S. D. N. qui contulit illud etiam simpliciter; & fecit se absoluere virtute cruciatæ, & cuiusdam amplissimi Iobelæi, fecitque se ordinari quatuor minoribus, & subdiaconatu: angitur tamen scrupulo, quod incurrerit inhabilitatem obtinendi aliqua beneficia in futurum. Quare supplicat humiliter D. V. Illustrissimæ, vt, si, & quatenus opus fuerit, iubeat eum absolui ab omnibus cẽsuris, quas ob prædicta forsan incurrit, & dispensare cum illo, vt possit obtinere quæcũque beneficia ecclesiastica, quæ poterat obtinere antequam prædicta permutatio fieret: Attento quod præfata simonia & confidentia non fuerunt per ipsum facta, nec ipso sciente; & quod postea quam sciuit facta, simpliciter renunciauit beneficium, vel officium per ea quæsitum; & quod est honesto loco natus, & esset ei dedecori, & scandalo aliis talis inhabilitas, immo & posset esse damnosa monasterio.

### SVMMARIVM.

1 *Simoniam conuentionalem facit omne pactum, quod est medium faciendæ permutationis beneficiorum, etiam si solum promitterem soluere pensionem, si qua detegeretur imposita super beneficio quod do: non tamen efficitur realis, etiam si cætera omnia adimpleantur, modo non adimpleatur pactum, ex quo oritur simonia.*

## CONSILIVM LI.

VOLENTES duo sua beneficia permutare, conuenerunt, quòd, si vllum illorum beneficiorum inueniretur grauatum aliqua pensione, is, cuius erat illud ante permutationem, solueret illam pensionem. Consequuta permutatione, auctoritate ordinarij, nulla de præfato pacto facta mentione, post sesquiannum apparuit alterum illorum esse grauatum pensione 15. ducatorum. Quæritur, an interuenerit simonia, & quid sit agendum.

1 Respondeo primo, certum esse, quod interuenit simonia saltem conuentionalis: quia interuenit pactum, quod fuit medium faciendæ permutationis, & omne tale efficit renunciationem, collationem, & permutationem simoniacam. [a]

Secundo respondetur, quod præfata simonia fuit tantum conuentionalis, & non realis: quia promissio de soluendo pensionem, casu quo inueniretur imposita, nondum est exequuta. Nec obstat, quod renunciationes & collationes ad permutationem necessariæ fuerint vtrimque factæ: quia illæ non inducebant simoniam, sed solùm promissio de soluendo pensionem, quæ nondum est impleta: & ita non peruenit ad simoniam realem, per ea quæ scripsimus in Manu. confess. [b]

Tertio, quod præfati DD. consulentes cauere debent, ne vllatenus is, qui debebat pensionem ante permutationem, soluat illam, antequam impetretur à Papa facultas id faciendi, quam puto facile concessum iri. &c.

a Cap. quam pio. 2. q. 1. c. fi. de pact.

b Cap. 23. nu. 106.

### SVMMARIVM.

1 *Simoniæ crimen, etiam si detur res modica, graue peccatum est; quia immutat naturam rerum; & potest crescere vsque ad hæresim, credendo dona Dei pecunia comparari posse, & num. 2. At quod datur alio respectu, quam pro pretio & solutione rei spiritualis, coram Deo non est simonia prohibita. num. 5.*

1 *Simonia committitur coram Deo, cum temporale quantumuis minimum datur in pretium rei spiritualis: & si attingit ad culpam mortalem, siue ratione quantitatis, siue ratione irreuerentiæ, siue magnæ deordinationis, habet annexam excommunicationem. num. 4. & 2. licet iudex, qui præsumit paruam rem non dari in pretium, tales excuset. num. 2. & 3.*

2 *Paruitas rei excusat quidem in omni actione à peccato mortali, & excommunicatione tali actioni annexa. n. 2. fallit tamen coram Deo, quando ratione irreuerentiæ, vel deordinationis cresceret vsque ad peccatum mortale; quia tunc etiam haberet annexam excommunicationem. num. 4.*

## CONSILIVM LII.

REX Siciliæ confert multa beneficia sui regni, vel præsentat ad illa, dimidium quidem eorum Siculis, dimidium verò eisdem, vel quibus placuerit. Multi Siculorum vadunt ad seruiẽdum Regi, qui degit in Hispanijs, vt cognoscantur ab eo, & à suis cõsiliariis, & aliis ministris, vt cum vaca-

uerint

uerint beneficia conferantur eis, vicibus, quibus tenetur ea dare Siculis: qui quàm optimè possunt inseruiunt Regi, & eius ministris, dando eis munera à lingua, obsequio, & manu.

Quæritur, an admittant simoniam, & incidant in censuras. Quæritur item, an idem sit dicendum de Hispanis, qui veniunt ad Vrbem, & inseruiunt & dant munera Papæ, & ministris eius, vt beneficia, quæ sunt Hispanis conferenda, dentur eis.

1 Pro harum quæstionum solutione præsuppono primo, quod omnis, qui aliquod temporale dat pro quærendo spirituali tamquam pretium eius, siue sit paruum, siue magnum, peccat peccatum simoniæ coram Deo & in foro conscientiæ omni iure naturali diuino & humano, vt docet S. Thomas, [a] & colligitur ex eodem alibi. [b] Tum per rationes ibidem ab eodem allatas. Tum quia contra suam naturam res inæstimabilis reponitur in ordinem rerum vendibilium, & pecunia æstimabiliū; vt diximus in comm. extrauag. *ab ipso.* [c] Tū quia peccatum simoniæ posset crescere adeo, vt fieret hæresis, pro quo est casus in c. *quibusdā.* [d] & ratio firma, quod omne crimen quod est contra fidē Catholicā, est hęresis, [e] & tradimus nos post alios in ca. *nouit.* [f] & melius in Man. confe. [g] & cōstat contrarium esse fidei Catholicæ spiritualia dona Dei esse pecunià æstimabilia & vendibilia, dicente Petro ad Simonem Magum. [h] *Pecunia tua tecum sit in perditionem, qui arbitratus es dona Dei pecunia comparari,* translatum in dicto ca. *quibusdam.* Dixi, *Coram Deo, & in foro conscientiæ*: Quia frequenter, vt cum res parua dicitur, fit, aut datur, non præsumitur in foro exteriori simonia, [i] quæ autem dicantur quo ad hoc parua; vel magna, videtur relinquendum arbitrio boni & prudentis viri, [k] in arbitrando autem debent considerari persona quæ dat, & cui datur, & quantitas & qualitas muneris, quod datur, secundum Panormitanum receptum. [l]

2 Offert se tamen in præsentia quæstio, quam non meminimus vidisse per alium motam, scilicet an secum trahat excommunicationem quo ad forum interius illa simonia, quæ propter paruitatem non præsumitur talis in foro exteriori, est tamen verè talis in interiori; eo quod qui dedit vel accepit, verè coram Deo dedit vel accepit principaliter in pretium, vel pro pretio rei spiritualis, quàm diximus suprà esse veram simoniam. Et quidem putamus eam non habere annexam excommunicationem, si propter rei paruitatem non attingit verè quantitatem culpæ mortalis: quia nulla excommunicatio generaliter lata includit eum, qui non peccat mortaliter, [m] & alibi sæpe diximus, pręsertim in Manual. confess. [n] Si autem verè coram Deo attingit quantitatem culpę mortalis, licet iudex exterior arbitretur contrarium, quęstionis videtur grandis & quotidianę, & eo maioris, quo potest contingere in omnibus casibus, in quibus agitur de re vetita sub pœna excommunicationis ipso iure lata, & dubitatur an transgressor eius per paruitatem excusetur ab ea in foro interiori, si iudex arbitretur in foro exteriori eum excusari propter paruitatem.

3 Tum quia in pręsenti casu licet res minima fiat, vel detur pro spirituali, potest tamen fieri magna irreuerentia ex eo, quod res spiritualis reputetur vendibilis & æstimabilis pecunia; & quidem adeo, quod posset crescere vsque ad crimen hæreseos, cum illa reputatio videatur contra illud. [o] *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* & multi dātes; vel accipientes, dare vel accipere possunt aliqua parua pro pretio rei spiritualis, quos iudices putant non dare, nec accipere illa pro pretio, sed tantùm pro amicitia, & honesto officio. Et omnis qui dat, vel accipit etiam paruum, verè, ac principaliter pro re spirituali, videtur peccare mortaliter, reputando illam esse vendibilem, & pretio numerario æstimabilem.

Nec obstat, quod furtum minimum solum est peccatum veniale, vt ait S. Thomas receptus, [p] per quod alibi sæpe & præsertim in dicto Manual. [q] post principium diximus, quod in omni materia peccati paruitas rei, & alia duo excusant à culpa mortali: non inquam hoc obstat: quia licet res quæ fit, vel datur, sit minima; irreuerentia tamen illa, quæ fit rei spirituali, reponendo eam in ordine rerum vendibilium, & æstimabilium; & temporariarum, non videtur res parua.

4 Quare in præsentia credo huiusmodi simoniam non habere annexam excommunicationem, si neutro respectu peruenit ad culpam mortalem: habere tamen, si alterutro peruenit ad illam, per supradicta, & quia simonia est maximum peccatum, iuxta cap. *tanta est labes.* [a]

5 Secundo præsuppono, quod nulla simonia, per quam fit vel datur aliquod temporale pro re spirituali, alio respectu quàm pro pretio & vera solutione eius, puta pro dono gratioso, vel sustentatione ministrorum, vel labore eorum, vel vexationis redemptione, &c. est simonia iure naturali vel diuino vetita.

*Aduertendum, quod licet expresse non habeatur responsio ad quæstionem, tamen ex prædictis colligi potest.*

a In 4. lib. sēt. dis. 25. q. 3. ar. 3. ad 1.
b In 2. 2. qu. 100. art. 3. & 4.
c Nu. 46. notab. 32.
d 1. quæst. 1.
e Ca. à recta. & cap. hæc est fides. 24. q. 1.
f Notab. 3. nu. 4. de iudic.
g Cap. 11. nu. 22.
h Actorum 8.
i Ca. etsi quæstiones. de simonia.
k Arg. l. 1. ff. de iure delib. & ca. de causis. de offic. de leg.
l In d. cap. & si quæstiones. nu. 1.
m Arg. capit. nemo. & cap. nullus. 11. qu. 3.
n Ca. 27. nu. 9.
o Actorum cap. 8.
p In 2. 2. q. 59. art. 5.
q Cap. 17.
a De simon

SVMMARIVM.

1 *Promissio generalis gratitudinis etiam facta examinatori promouendorum ad beneficia non inducit simoniam.*

2 *Esculentorum paruorum receptio, ob quæ examinator promouendorum ad beneficia nequaquā fuit motus vt examinando cui fauit faueret, saltem coram Deo non inducit simoniam.*

3 *Examinator, qui, vt amico roganti gratificaretur, promouendum in actu examinis alacriorem reddendo iuuit, si adiutorium non fuit notabile, in pœnas sacri Concilij nequaquam incidit, etiam si postea munuscula gratis oblata recepit bona fide.*

## CONSILIVM LIII.

VACANTE parochiali, sacerdos cupiens sibi de ea prouideri, ad quemdam ex examinatoribus amici commendatitias detulit literas, hæcque vel similia addidit verba: Dominatio vestra habeat me commendatum, & cognoscet non fauisse personæ ingratæ. Vnde d. examinator, non ob dicta verba seu oblationem motus, sed vt amico gratificaretur, inter examinandum quædam ad fauorem dicti promouendi protulit verba, ob quæ quasi adiutus promptior ad respondendum redditus, & successiuè idoneus ab omnibus examinatoribus renunciatus fuit; demum approbatus dicto examinatori donauit quædam esculenta valoris duorum vel trium iuliorum, quæ dictus examinator tunc simplici accepit animo.

Nunc autem dubitatur, an examinator in pœnas contra similia perpetrantes per Concilium Tridentinum, [b] statutas inciderit; & quia ministrauit, irregularitatem contraxerit.

1 Respondetur primo, quod per literas commendatitias, & promissionem prędictam, nullam incurrit simoniam, vel censuram, per ea quæ nos scripsimus in commen. extrauagantis de datis & promis. [c]

2 Secundo, quod neque incurrit eas per dationem prædicti esculenti, saltem quo ad forum conscientiæ. [d]

3 Tertio, quod maioris dubij est an incurrerit per fauorem, quem examinator prædictis verbis inter examinandum dedit: & magis puto non incurrisse, si notabile adiutorium per ea non fuisset datum: quia in nulla huiusmodi materia videtur incurri censura vlla per id quod non præstat, vel aufert notabile damnum, vel commodum, cum in omni materia excuset paruitas rei à culpa mortali, iuxta S. Thomam, [e] & tradimus nos in Man. confess. [f] & alibi sæpe, & probatur per cap. *vnum orarium.* [g]

*Cætera circa hanc materiam vide consil. 20. de sent. excom.*

b Sess. 24. ca. 18. §. caueāt.
c Notab. 11. à nu. 18.
d Arg. ca. etsi quæstiones, de simonia.
e 2. 2. q. 59. ar. 4.
f Cap. 17.
g 25. dist.

SVMMARIVM.

1 *Dantes ministris, vt pro beneficio concedendo preces apud collatorem interponant, obtento beneficio simoniam realem committunt; secus, si vt solicitent, & reducant ad memoriam.*

## CONSILIVM LIV.

VOLENS Titius de aliquo beneficio vel beneficiis prouideri, dedit cuidam famulo cuiusdam ministri Papæ duo vel forsan quatuor scuta, ad hoc, vt intercederet pro ipso Titio: & similiter alia munuscula, quæ forsan ad valorem duorum scutorum non ascendebant, substituto prædicti ministri dedit: & finaliter ipse Titius de beneficio quodam fuit prouisus valoris 16. scutorum. Quæritur an incurrerit pœnas.

1 Respondeo, quod si orator dedit prædicta scuta & munuscula prædicto famulo, vt intercederet, ita vt esset mediator ad concedendum beneficium, simoniam realem admisit; si autem dedit, vt dictum ministrum faceret memorem mandati facti, quo illud adimpleret, non addendo preces, quibus moueretur ad concedendum, posset dici non esse simoniam, vt videntur intellexisse, qui super hoc fuerunt consulti. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1. *Simonia est, si prouisus de beneficio soluat, pensionem antiquam impedienti expeditionem literarum, vt cesset.*
1. *Beneficiarius dare potest aliquid molestanti de facto, vt ius quæsitum & possessum seruet.*
2. *Possessio beneficij res spiritualis, vel spirituali annexa.*

## CONSILIVM LV.

AN prouisus à Papa, & impeditus ad instantiam pensionarij, qui habet pensionem antiquam super beneficio impositam, expedire bullas, antequam soluat pensiones decursas, possit eas iustè soluere, vt expeditis bullis capiat possessionem?

1 Ad hanc quæstionem respondeo, quòd non; quia committeretur peccatum simoniæ: quoniam, quamuis liceat beneficiario pro iure spirituali iam quæsito & possesso conseruando dare aliquid temporale molestatori de facto, vt videtur probare cap. *dilectus.*[a] & glossas cap. *decimas.*[b] non tamen licet dare aliquid temporale pro iure spirituali quærendo, neque pro quæsito nondum possesso conseruando, vt finis prefatæ glossæ asserit, & Panormitanus resoluit.[c]

2 Eo quod possessio beneficij spiritualis est res spiritualis, vel quid annexum spirituali; & dare aliquid temporale pro quærendo aliquid spirituale, vel ei annexum, est simonia, iuxta glossam receptam,[d] quæ probatur in cap. 1.[e] Et ideo præfatus D. consulens caueat, ne quid promittat, vel det præfato impedienti suarum literarum, quibus apprehendenda est possessio, expeditionem, absque S. D. N. auctoritate, vel licentia.

a 1. *de simon.*
b 16. *qu.* 7. *su per verbo decimas.*
c *In dict. cap. dilectus. n.* 4.
d 1. *q.* 1. *in sū.*
e *De iur. patron.*

*SVMMARIVM.*

1. *Cardinalitiam dignitatem vt assequatur, qui dat temporale, committit peccatum simoniæ, & incidit in pœnas extrauag. Bonifacij VIII. num. 3. Quod si Pontifex scit, & consentit, cessant quidem pœnæ temporales, sed non peccatum, nec pœna æterna. num. 4.*
2. *Fauorem, quo quis pollet apud principem, si recepta pecunia interponit pro cupido obtinere aliquam gratiam, peccat. & num. 3.*
5. *Dispensare censetur princeps superiorem non recognoscens, cum contra suam legem quid facit; saltem quando tacite mentionem facit, dictam actionem esse contra legem.*

## CONSILIVM LVI.

AN sit peccatum dare alicui donum, vt intercedat quod fiat Cardinalis, sciente id & permittente Pontifice?

Respondeo primo, quæstionem hanc quo ad vtrumque forum esse magnam, & dignam magna disputatione, quam nobis in præsentia non vacat facere.

1 Secundo, quod breuiter colligi potest ex tractatis à nobis in commentario extrauagantis S. D. N. quæ incipit, *Ab ipso*, nuper recognito, & nouè impresso,[f] quod non solùm dare aliqua temporalia pro adipiscendis spiritualibus est simonia iure naturali & diuino prohibita, sed etiam est peccatum mortiferum dare temporalia pro adipiscendis eis, quæ suapte natura sunt inæstimabilia & inuendibilia: & quod non solùm spiritualia omnia sunt talia, sed etiam aliqua alia, quæ sunt naturalia & naturaliter quęsibilia, quorum exempla legere licet in prædicto notab.[g]

2 Tertio, quod fauor, per quem vnus iuuat alium ad consequendam aliquam gratiam, est res suapte natura inæstimabilis, & inuendibilis, adeo quod etiam apud Ethnicos habebatur pro fumo, & re inæstimabili. Nam Alexander Seuerus, apud Platinam in vita Pontiani Papæ, iussit quemdam Turinum, qui munera accipiebat, quod magnæ esse auctoritatis apud Imperatorem videretur, in foro transitorio ad palum alligatum fumo necari, præcone clamante: ***Fumo punitur, qui fumum vendidit:*** eo quod huiusmodi fauores vendebat: quod in d. notab.[h] referimus.

3 Quarto, quod dare donum pro fauore habendi Cardinalatum, est dare rem temporariam pro re non solùm sua natura inuendibili, sed etiam spirituali, vt palam est: & consequenter non solùm est peccatum mortale, sed etiam peccatum simoniæ, si detur sine licentia & consensu Papæ: & necessario consequitur ex prædictis, quod incidit in pœnas dictæ extrauagantis *ab ipso.*

f *In notabili vlt. & ex tactis in notab.* 3. *&* 10.
g *Vlt. nu.* 46.
h *Vlt. nu.* 45.

4 Quinto, quod Papa potest peccare, & peccat, quoties agit actum, qui est peccatum lege naturali & diuina prohibitum, iuxta illud Pauli.[i] *Non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus digni sunt morte.* & ita peccaret peccatum simoniæ, quando ageret actum, qui iure naturali vel diuino est simoniacus, vt post sententiam S. Thomæ & communem, nos quoque tradimus in Man. nostro confess.[b] neque liberare potest alium eumdem vel similé actum agentem à peccato, licet liberare posset à pœna iure humano contra illum instituta, vt ibidem traditur, nec scientia & consensus suæ Sanctitatis excusaret præfatum consulétem à peccato simoniæ, magis quàm excusaret ab alio peccato homicidij, adulterij, fornicationis, & similium iure naturali & diuino prohibitorum.

5 Sexto, quod quia princeps non recognoscés superiorem, agens aliquid contra suam legem, videtur dispensare contra illam,[c] secundum Panormitanum,[d] saltem quando tacite facit mentionem quod ille actus est contra legem, vt resoluit Felinus post Antonium,[e] posset probabiliter addi, quod si in casu proposito Papa consentiret prædictæ donationi, vti actui contrario prædictæ extrauagantis dans non incurreret pœnas eius, quæ humana lege adduntur, sed sic æternam, & alias pro peccato mortifero naturali & diuino iure impositas. Posset item probabiliter dici, quod si dans vel recipiés esset Episcopus, vel Cardinalis, non incurreret omnes pœnas extrauagantis prædictæ, sed solum excommunicationem, & alias, quas nos excepimus in eius commentario.[f]

i *Ad Romanos* 1.
b *Cap.* 23. *nu.* 108.
c *Arg. l. quidam consulebant. ff. de re iud. & l. idem Vlpianus. ff. de excusat. tu to.*
d *In c. si quādo de rescrip.*
e *In d. cap. si quando. n.* 6.
f *Num.* 11.

*SVMMARIVM.*

1. *Aulicum si rogo, vt mihi impetret beneficiū, adiecto pacto quod consentiam pensioni super illo eidem reseruandæ, simonia est: cessante autem conuentione, post obtentam gratiam beneficij libere possum consentire. num. 2. & hoc si gratia sit ita perfecta, quod non posit reuocari. nu. 3.*
3. *Gratia tunc dicitur perfecta, quando eo peruenit, quod non potest nec propter defectum consensus non præstiti, nec propter alium reuocari.*
4. *Fieri iustè non potest, quod sine peccato præsertim mortali fieri nequit.*

## CONSILIVM LVII.

QVIDAM cum non speraret aliàs se posse obtinere beneficium, conuenit cum quodam aulico, vt cum primùm ipse intelligeret vacationem alicuius beneficij, illum certiorem faceret, ad hoc vt aulicus illud impetraret pro N. & N. consentiret constitutioni pésionis pro ipso aulico, quod factum est. Quæritur an fuerit commissa simonia realis.

1 Respondeo primo, quod in Manu. confess.[g] satis clarè respondetur prædictæ quæstioni, dum determinatur simoniacam esse conuentionem, qua clericus monens aulicum, vel familiarem Papæ conuenit cum ipso, quod alter impetret beneficium vacans, & alter promittit se consensurum pensioni imponendæ: quod est verissimum, quia est promissio de faciendo aliquid temporale pro habenda re spirituali, quæ palam est simoniaca per definitionem simonię datam à glossa,[h] receptam ab omnibus Theologis, & Canonistis, & declaratam à nobis latius quam ab aliis in dicto Manu.[i]

2 Et paulo post,[k] palam determinatur quod licite potest sciens vacationem beneficij monere familiarem Papæ, & rogare, vt impetret illud sibi, nulla facta promissione de constituenda pensione impetranti, licet post impetrationem ei factam liberè absque pacto & promissione præcedenti consentiat pensioni constitutæ, vel constituendæ à Papa, vel etiam si in impetratione facienda à Papa exprimatur promissio vel conuentio de consentiendo pensioni à S. Sanctitate imponendæ, ita quod ex vtroque loco colligitur resolutio, quod promissio, vel conuentio inter monentem, & aulicum, siue familiarem facta, vt alter impetret beneficium, & alter consentiat constitutioni pensionis, est illicita, & simoniaca, nisi fiat cum consensu Papæ. licitum tamen est, quod sciens vacationem moneat eam aulicum, vel familiarem, & roget, vt illud sibi impetret, non facta promissione, neque conuentione de consentiendo pensioni, licet post impetrationem liberè illi consentiat.

Secundo, quod nulla ratione naturali, diuina, neque canonica potest consuli, nec responderi contrarium ab vllo iureconsulto, neque confessario Christiano religionis amico.

g *Cap.* 23. *nu.* 107. *vers. ad* 7.
h 1. *quæst.* 1. *in summa.*
i *Cap.* 23. *nu.* 100.
k *In vers. ad octauum.*

3 Tertio,

3 Tertio, quod ex his infertur, non posse dari vllam instructionem, per quam sciens vacationem beneficij expressè vel tacitè faciat promissionem de consentiendo constitutioni & solutioni pensionis, antequam sit imposita, & gratia perfecta, ita quod non possit reuocari propter defectum consensus præstiti, vel alium; etiamsi numquam vllum beneficium alioqui speret se obtenturum.

4 Quandoquidem nihil potest fieri iustè, quod sine peccato præsertim mortali, quale est grauissimum peccatum simoniæ, fieri & obtineri non potest iuxta cap. *ita ne.* & cap. *tolerabilius.* [a] quæ habent tolerabilius esse omnia mala pati, quàm malo consentire. hoc intelligo quo ad pœnas simoniæ, nisi cum beneplacito Papæ id fieret, cui tamen nullatenus debet placere, ne se suamque sedem, quæ sincerissima debet esse ab huiusmodi labe simoniæ, turpiter fœdaret.

a 32. qu. 5.

### SVMMARIVM.

1 *Resignatarius recusando soluere pensionem tertio reseruatam, eo prætextu, quod super pensione inter resignantem & pensionarium fuerit commissa simonia, suam elidit collationem.*

1 *Simonia commissa inter resignantem, & tertium, cui pensio reseruata fuit, non solum vitiat ipsam pensionem, sed & ipsam collationem beneficij.*

2 *Confidentia in foro exteriori eo ipso probata censetur, quod probatur resignantem ea intentione resignasse, vt tertius, cui pensio reseruabatur, illam conuerteret in vtilitatem familiæ ipsiusmet resignantis.*

## CONSILIVM LVIII.

RESIGNAVERAT A. suum canonicatum in manibus Pontificis in fauorem B. cum reseruatione certæ pensionis in fauorem cuiusdam C. Bullæ omnes fuerunt expeditæ, & sic virtute bullarum Apostolicarum de reseruatione dictæ pensionis in fauorem dicti C. hæredes prædicti C. petunt ab ipso B. solutionem pensionum abhinc aliquibus annis decursarum: ipse B. respondet illas non debere, quia fuit imposita prædicta pensio ad sustentandam & alendam familiam, & filios prædicti A. resignantis; quod promittit se probaturum, atque ideo esse confidentiam, & non debere pensionem. hæredes prædicti C. replicant contrarium. Quæritur quid iuris.

1 Respondeo primò, quòd replicatio hæredis prædicti C. est iuridica, videlicet, quod prædictus B. debet soluere pensiones decursas nondum solutas, vel quod ipse B. debet relinquere canonicatum, super quo constituta fuit pensio. Si enim constitutio pensionis non valuit, quia in renunciatione interuenit confidentia annullans constitutionem pensionis; à fortiori interuenit confidentia annullans renunciationem, ob quam fuit pensio constituta; qua magis vetatur renunciatio fiduciaria, quam pensio ob eam constituta, vt colligitur ex ipsismet extrauagantibus Pij IIII. & Pij V. quarum partes necessarias retulimus ad verbum in Manual. [b]

Secundo respondeo, quod non interuenit in casu proposito confidentia illa illicita, & simoniaca, tam grauiter à prædictis Pijs punita quo ad forum conscientiæ, si inter ipsum A. & B. vel C. non interuenit pactum, vt pensio constituenda redderetur in sustentationem & alimenta filiorũ suorum. licet intentio ipsius fuisset illa, & licet ideo renũciaret canonicatui, sperans, quod id postea ipse C. faceret, per ea quæ ipse scripsi vbi sup. [c] & paulo post in notabilibus extrauag. Pij V. [d]

2 Tertio, quod si prædictus B. legitimè probauerit prædictam conuentionem interuenisse, immo & si probauerit intentionem principalem ipsius A. constituendi pẽsionem fuisse, vt illa cederet sustentationi filiorum suorum, iudicabitur pensio illa constituta per confidentiam præsumptiuè illicitam, & ita esse inualida; & eadem ratione iudicabitur renunciatio canonicatus, super quo fuit posita pensio, præsumptiuè fuisse facta ex illicita confidentia per contextum prædictæ bullæ Pij V. Salua, &c.

b Cap. 23. nu. 110.
c Num. 109.
d Num. 110.

### SVMMARIVM.

1 *Pensio, quæ super fructibus beneficij reseruatur, etsi secundum Panormitani receptam sententiam non sit quid spirituale, tamen iuste nec emi, nec redimi sine auctoritate Apostolica potest; quia est annexa rei spirituali, videlicet beneficio, num. 2. simonia tamen super ea contracta non habet annexam excommunicationem. num. 3.*

4 *Pœnitentiariæ pretorium non dat facultatem, vt de in foro conscientiæ concessis testimonium detur; nec illud etiam si daretur, faceret fidem quo ad forum exterius.*

## CONSILIVM LIX.

QVIDAM canonicus consensit, vt filio fratris reseruaretur annua pensio 200. ducatorum, & è contra frater iuxta conuenta liberauit canonicum ab obligatione, qua tenebatur eidem ad alia similia annua 200. ducatorũ soluendá.

Quæritur, an constitutio pensionis valeat, & an ambo inciderint in excommunicationem.

1 Respondeo primo, quod prædicta constitutio fuit simoniaca; quia licet pensio non sit quid spirituale secundum sententiam Panormitani receptam, Felini, & aliorum omnium, excepto Andrea Siculo, [a] per illum textum, & cap. *quamuis.* vbi Dominicus & alij idem tenent, [b] tamen non potest iuste emi secundum omnes, nec redimi secundum fere omnes absque auctoritate Apostolica, contra Caietanum, qui licet teneat posse redimi sine illa, non tamen concederet posse emi. & in casu proposito agitur de constituenda pensione per emptionem, siue contractum non gratuitum Papæ occultum: & ita etiam secundum illum hoc non potuit fieri.

2 In materia enim simoniæ, quæ definitur esse emptio, vel venditio studiosa rei spiritualis, vel ei annexæ pro temporali, vel contra, secundum glossam [c] receptam à S. Thoma, [d] & omnes nostros. [e] In materia inquam simoniæ, appellatione emptionis, & venditionis, venit omnis contractus non gratuitus secundum omnes, quos etiam sequimur in Man. nostro, [f] cuius conclusionis rationem nouam & verissimam videmur primi tulisse in sacræ Pœnitentiariæ prætorio; scilicet, quod pensio, de qua loquimur, licet non sit res spiritualis, est tamen annexa rei spirituali, videlicet beneficio; & sicut emptio rei spiritualis est simoniaca, ita est etiam emptio rei annexæ spirituali, vt prædicta glossa recepta dicit.

3 Secundo respondeo, quod licet prædicti duo fratres peccauerint, etiam mortaliter, conuentionem prædictam simoniacam faciendo, & exequendo, arbitror tamen eos non incidisse in excommunicationem, vt aliàs in prædicto prætorio dicere nouè memini, & addimus in Man. [g] quia iura non excommunicant omnes simoniacos, sed solùm simoniacos in ordine, & beneficio, iuxta extrauagantem, [h] & receptam sententiam, quam etiam fel. record. Pius V. in extrauag. *cum primum.* sensisse videtur: & simonia, de qua agimus, non est super beneficio, vt prædictum est.

4 Tertio, quod consulens Christianè, prudenter, & vtiliter aget postulando à S. D. N. super prædictis absolutionem. Tum & necesse est suæ saluti æternæ, vt id faciat, saltem quo ad forum conscientiæ: esto quod forum conscientiæ, vt est officium Pœnitentiariæ, non faciat facultatem fidem faciendi, nec faciat quo ad forum exterius: cum quo ad illud, vt arbitror, non sit necessarium; & vt potest esse commodo, si secretissimè fides ea de re data seruetur, ita posset esse incommodo cuiusdam infamiæ, si ante vel post mortem in maleuolum deueniet.

a In capit. ad audientiam. il 2. de rescri.
b De præb. li. 6.
c 1. q. 1. in sũ.
d 2. 2. q. 100. art. 1.
d In rubr. de simonia.
f Cap. 23. nu. 100.
g Vbi supra. num 111.
h 2. De simõ.

### SVMMARIVM.

1 *Pensio beneficialis, pretio dato, vel recepto, nec constitui, nec vendi sine Papa potest.*

2 *Pensionis venditio non inducit excommunicationem, nisi pro beneficio, vel ordine assequendo fiat. & seq.*

3 *Venditio in materia simoniæ omnem contractum non gratuitum comprehendit.*

4 *Pensionem si ego constituo super meo beneficio soluendam tertio, vt tibi suum resignet beneficium, & à te recipio promissionem, quod tu illam solues, est simonia conuentionalis: quod si soluis, efficitur realis habens pœnam, & tua prouisio est nulla. num. 5.*

5 *Simoniace promissum expedit quandoque soluere, sed mutata causa, & intentione.*

## CONSILIVM LX.

VTRVM Paulus incurrat simoniam in foro poli, vel foro fori, eo quod rogauit Andream, vt consentiret constitutioni pensionis cuiuspiam super beneficio suo soluendæ Petro, vt renunciet alteri beneficio in ipsius Pauli fauorem; & Paulus non solùm rogauit, sed etiam promisit instrumẽto publico ipsi Andreę, quod ipse solueret pensionem, & seruaret eum indemnem.

1 Reſpondetur primo, quod non licet emere penſionem, nec conſtitutionem penſionis ſuper beneficio eccleſiaſtico aliquo, neque vendere illam, vel conſtitutionem eius caſſare ſine auctoritate Papę, vt dicimus in noſtro Manual. confeſſ.[a] Vide latius conſ. 63.

2 Secundo, quod emptio, vel venditio penſionis huiuſmodi, vel conſtitutionis, non inducit ipſo iure vllam excommunicationē: quia ſola ſimonia ſuper beneficio vel ordine commiſſa inducit ipſo iure illam, vt ibidem traditur: & penſio non eſt propriè beneficium eccleſiaſticum ſpirituale, licet ſit ius ei annexum. ſicut & ius patronatus, vt ibidem dicitur.

Tertio, quod fallit hoc, quando penſio, vel conſtitutio penſionis emitur, vel venditur tamquam gradus, ſeu medium acquirendi aliquod beneficium ſpirituale, vel aliquem ordinem: quia talis emptio, vel venditio in hunc finem facta, cenſetur ſimonia commiſſa ſuper beneficio, vel ordine: ſicut traditio, vel promiſſio pecuniæ alicui, vt ſit mediator ad dandum vel renunciandum beneficium, cenſetur ſimónia ſecundum Innocentium,[b] allegatum in hoc à nobis in dict. Manual. confeſſ.[c]

3 Quarto, quod in hac materia, & definitione ſimoniæ tradita à gloſſa,[d] & à nobis declarata,[e] per venditionem & emptionem includitur omnis contractus non gratuitus, in quo tēporale datur pro ſpirituali, vel ei annexo: & ita eſt ſimonia.

Quinto, quod licet emptio & venditio præfatæ conſtitutionis penſionis ſimpliciter facta non cenſeretur ſimonia facta ſuper beneficio; quia tamen non eſt ſimpliciter facta, ſed ad finem quærendi ius ſpirituale beneficiale, cenſetur ſimonia facta ſuper beneficio, vt traditio pecuniæ facta mediatori ad quærendum per ſuum fauorem beneficium cenſetur ſimonia facta ſuper beneficio: cui conſequens eſt factam fuiſſe in hoc caſu ſimoniam ſuper beneficio, & conſequenter talem, quę inducit ipſo iure excommunicationem, & prouiſionis nullitatem.

4 Sexto, quod præfatus Paulus reſignatarius, licet non poſſit excuſari à peccato mortifero ſimoniæ, poteſt tamen excuſari ab incurſu excommunicationis, & nullitate prouiſionis, ſi nondū ſoluit, nec ſoluerit in futurum ratione præfatæ promiſſionis vllam penſionem: quia ſimonia conuentionalis, niſi compleatur ab vtraque parte, non eſt ſimonia realis, quæ ſola inducit ipſo iure excommunicationem, per tradita à nobis vbi ſupra.[f]

5 Septimo, quod ſi nondum Paulus ſoluit quidquam pro præfata penſione, ad conſeruandam amicitiam inter ipſum, & Andream, conueniret multum, vt Andreas renunciaret liberè ſine vllo pacto promiſſioni factę ſibi à Paulo de ſoluenda penſione, & de ſeruando eum, indemnem, & poſtea ex interuallo ipſe Paulus rogaret alium amicum, qui promitteret Andreę id quod antea promiſerat Paulus, & ipſe Paulus promitteret illi amico ſeruare eum indemnem à damno, quod poſſet pati ex ſolutione promiſſa. Nec Andreæ videri debet durum renunciare liberè promiſſioni ſibi factæ. Tum quia confidere poteſt virtuti Pauli. Tum quia promiſſio illa nihil valet, nec in foro conſcientiæ, nec in foro fori. Dixi ſupra, *ſi nondum quidquam ſoluit Paulus*: quia ſi ſoluit, quærendum eſt remedium à Papa tam ſuper nullitate prouiſionis, quam ſuper abſolutione.

*Aduertendum referri aliàs ab officialibus ſacræ Pœnitentiariæ reſponſum, quod ego, ſi Papa ſciente in tui reſignatarij gratiam conſentio, vt meum beneficium penſione grauetur, poſſum à te recipere etiam ex pacto indemnitatem. ratio eſt, quia cum communiter beneficiarij nón patiantur ſua beneficia penſione in gratiam tertij grauari, niſi recepta promiſſione indemnitatis, & hoc non lateat Pontificem, vtique admittendo huiuſmodi penſionum reſeruationes, tacitè etiam conſentit, vt fiat dicta conuentio.*

a Cap. 23. nu. 111.
b In ca. tuam. de ætat. & qualit.
c Cap. 23. nu. 106.
d In ſum. 1. q. 1.
e In d. ca. 23. num. 100.
f Nu. 104. & ſeq.

*SVMMARIVM.*

1 *Penſio vni ad vtilitatem tertij reſeruata ſi in alterum ita transferatur, vt dicto tertio aliqua ſoluatur pecunia, ſimonia erit, niſi Pontifici hoc etiam exprimatur.*

2 *Penſio eſt ius ſpirituali annexum, quod ſuapte natura requirit præcedentem clericatum, obligans ad horas B. V. cuius illegitimus non eſt capax, nec poteſt emi, aut redimi pecunia. & num. 3.*

## CONSILIVM LXI.

STATVS propoſitæ quæſtionis in effectu eſt, an penſionarius, cui reſeruata eſt penſio ad vtilitatem alicuius curialis, iuſtè poſſit de conſenſu curialis, ſoluta eidem certa pecuniæ quantitate, in alium transferre penſionem.

1 Reſpondeo primò, poſſe quidem, quatuor concurrentibus. Primum eſt auctoritas Papæ. Secundum conſenſus beneficiarij eam ſoluturi. Tertium conſenſus curialis. Quartum narratio quantitatis pecuniæ, quæ datur prædicto curiali, vt in id conſentiat.

Secundo, non poſſe aliquo prædictorum deficiente: & quod facta narratione prædicta Papa vix aſſentietur.

2 Tertio, quod non obſtat his, quod prædictus curialis non habet actionem, nec literas exigendi aliquid à prædicto penſionario: & conſequenter quod per conſenſum illius nil iuris transfertur, neque ipſe accipit aliquid tēporale, propter quod aliquid iuris ſpiritualis danti, vel alij quæratur: & ita, quod non admittitur ſimonia, per definitionē eius poſitam in ſumma,[a] & declaratam à nobis in Man.[b] & ab iis, quos ibi citauimus, & ſic non admittitur ſimonia, etiam ſi præſtatio illa pecuniæ non inſinuetur Papæ. Non inquam hoc obſtat: quoniam licet præſtatio pecuniæ illi curiali non ſit cauſa, quare vllum ius ſpirituale, vel annexum ſpirituali, qualis eſt penſio, transferatur de ipſo in alium; eſt tamen cauſa, quare transferatur de alio in alium, & ad effectum incurrendi ſimoniam paria ſunt dare aliquid collatori beneficij, qui transfert ius ſpirituale; vel dare alicui, qui ſit cauſa collationis, vel renunciationis, ſecundum Innocentium,[c] receptum communiter, & relatum à nobis,[d] & talis eſt prædictus curialis in caſu propoſito.

3 Non obſtat etiam, quod penſio eſt ius mere temporale, ſecundum Caietanum,[e] & quod ideo eſt redimibile pecunia. Tum quia non dixit quod ſit emibile, hoc eſt, quod poſſit pretio conſtitui; ſed ſolum, quod poteſt redimi & tolli ab eo, qui eam ſoluit: in noſtro autem caſu agitur de transferenda penſione in alium, & ſic de emenda, vel conſtituēda alij. Tum quia etiamſi Cardinalis,[f] dixiſſet ante Caietanum quod penſio eſt ius mere temporale, quod etiam poſt eos Gigas & aliquot alij dixerunt parum caute: tamen id falſum eſt, quod nos aliàs probauimus in ſacro Pœnitentiariæ prætorio, monſtrando, quod eſt ius ſpirituali annexum, vt eſt etiam beneficium, quippe quod ſuapte natura requirit clericatum, immo de ſtylo curiæ requirit quod ſit legitimus, & per conſtitutionem Fel. re. Pij V. obligat ad horas ſaltem B. Mariæ: & ita non poteſt emi, nec redimi pluſquam ius patronatus.[g] Vnde merito ſtylus curię habet, vt remitti quidem poſſit gratis penſio, non autem conſtitui, nec redimi, vel transferri pretio, niſi auctoritate Papæ, prout,[h] latius probamus. Salua, &c.

a 1. quæ. 1.
b Cap. 23. à num. 100.
c In ca. tuam. de ætat. & qual. & cap. tanta. de ſim.
d In d. ca. 23. num. 106.
e 1. tom. opuſ. tract. 31. reſponſ. 10.
f In cle. 1. de ſupplen. negl. præla.
g Cap. de iure. & cap. cū ſaculum. per locum ab ſpeciali, de iure patron.
h In conſ. 63.

*SVMMARIVM.*

1 *Penſio mihi reſeruata cum obligatione, vt terminos, prout exigentur, tertio ſoluam, non poteſt ſine auctoritate Papæ recepta pecunia à rectore beneficij ita extingui, vt beneficium liberum remaneat: ob id tamen non incurritur nec excommunicatio, nec obligatio reſtituendi. at ſi do pecuniam dicto tertio, vt dicta penſio mihi remaneat libera à dicta obligatione, licite do, & tertius iuſte recipit, & obligationem remittit. num. 2.*

## CONSILIVM LXII.

QVÆRITVR in effectu, an Petro, cui Papa reſeruauit penſionem cum obligatione ſoluendi poſtea illam Ioanni, qui nō erat capax illius penſionis ob leges regni, cuius erat beneficium, ſuper quo illa ponebatur, liceat redimere illam pecunia, vel alia re abſque auctoritate Papæ.

1 Reſpondeo primò, quòd videtur diſtinguendum. Nam aut per præfatam redemptionem beneficium, ſuper quo poſita erat, liberum manet, aut non: & priori caſu non licet; quia id eſſet redimere pēſionem impòſitam à Papa ſuper beneficio; quod non licet, vt irrefragabiliter probamus in Man. confeſſ.[i] contra Caietanum. Poſteriori verò caſu licet; quia id non eſt redimere penſionem, ſed obligationem, qua penſionarius tenetur ad diſponendum ſic vel ſic de illa; ſiue de receptis per illam; quòd longe aliud eſt, cùm ſit merè tem-

i Ca. 23. n. 111.

porale

porale separatum à iure spirituali; pensio verò est ius spiritua- le, vel saltem spirituali annexum, vt latius diximus in alio consilio. *Vide consil.63.*

2 Secundo, quòd licet malè faciat, & peccet peccatum si- moniæ, qui emit vel redimit pensioné absque auctoritate Pa pæ, non tamen incurrit excommunicationem: quia, vt nos v- bi supra diximus, propter simoniam in alijs rebus quam ordi- ne & beneficio admissam non incurritur excommunicatio: & pensio non est beneficium, vt tenet recepta sententia.[a]

Tertio, quod præfatus Ioannes tenetur quidem pœnite- re eius quod fecit, si per illud intendebatur extinctio pensio- nis impositæ super beneficio; sed non tenetur quærere abso- lutionem excommunicationis, nec restituere recep[illegible]. Si auté non intendebatur extinctio pensionis, sed solum obligationis, qua tenebatur Petrus ei soluere; neque peccauit, neque tene- tur ad aliquid aliud. Salua, &c.

*Aduertendum referri in sacro Auditorio Rotæ pronunciatum, pensiones, quæ Italo super caput Hispani reseruantur, extingui tam per mortem Itali, quàm Hispani. quo stante, dubia, vel saltem limi- tanda videtur prædicta responsio.*

SVMMARIVM.

1 *Pensio ecclesiastica est certa portio fructuum ex beneficio ad tempus separata. sed hæc definitio non est perfecta: primo, quia immo est ius percipiendi fructus, num. 7. Item cum non detur nisi clerico, est quid spirituale consequenter clericatui annexum, num. 4. vnde nec pecunia potest emi: & inde à si- mili sequitur, vt nec pecunia redimi poßit sine Papæ auctori- tate, num. 4. & 5. aliàs committitur simonia, num. 5. licet Ca- iet. tenuerit contrarium. num. 1. sed sine pœna gratis remitti potest. num. 7. & 8.*

2 *Pensio sine auctoritate superioris ecclesiastici, & ab inferiore Papa sine causa valide constitui non potest.*

5 *Pensionis reseruatio prærequirit ordinem, nec aliquis Papa in- ferior potest eam laico concedere, immo nec Papa id auctori- tate ordinaria potest; sed nec illegitimus, aut irregularis sine dispensatione est illius capax.*

## CONSILIVM LXIII.

QVAERITVR, an pésio legitimè cóstituta super beneficio ecclesiastico redimi possit sine auctoritate Apostolica.

1 Respondetur, quod partem affirmantem tenuit Caietanus.[b] Pro quo facit primo, quod pensio est certa por- tio fructuum ex aliqua mensa vel beneficio ad tempus sepa- rata, secundum Guillermum de Lauduno Cardinalé & Imo- lensem,[c] quos sequitur Felinus,[d] & Gigas, qui alios refert,[e] & consequenter est res mere temporalis, & redimibilis.

Secundo, quod pensio remitti potest gratis, vt asserit Car- dinalis Alexandrinus.[f]

Tertio, quod huiusmodi redéptio nulla ratione alia potest nó valere, quá quia esset simoniaca. At nulla simonia cómitti tur, vbi nó datur vel accipitur spirituale pro temporali, iuxta definitioné datá à glossa cómuniter recept.[g] & declarata à S. Thoma,[h] & latius à nobis post alios in Man. nostro conf.[i] At pensio est quid mere temporale, vt dictum est: quod videtur probari per definitionem pensionis ex Cardinale vbi supra, & communi supradicta, qua definitur esse certa portio ex ali- qua mensa vel beneficio ad tempus separata; & constat por- tionem fructuum non esse quid spirituale; cum tá illa, quàm toti fructus vendi & locari possint.[k]

2 Pro parte vero negatiua facit, quod pensio non potest có- stitui sine auctoritate superioris, secundum omnes, neque au- ctoritate inferioris, Papa sine causa,[l] licet constituta à Papa e- tiam sine causa valeat, arg. cap. *proposuit.*[m] & tradit Felinus.[n]

3 Ergo nec redimi poterit sine auctoritate superioris. argu- mento à correlatiuis, quod est validum, cum eadem ratio ei- dem suadet in vtroque correlatiuo,[o] vbi notatur hoc, & tra- ctatur, & clem. sæpe. adiuncta glossa,[p] & late trádunt Abbas, & Felinus.[q] Tum quia eadem concurrere debent in destru- ctione quæ in constructione.[r] Tum quia stylus curiæ id ser uat, & ideo seruádum, arg. cap. *quam graui,*[s] capi. *ex literis.* & ibi post alios Felinus.[t]

4 Tum quod pensio non potest emi sine auctoritate Papę, secundum omnes: ergo neque redimi: quia contrariorum ea- dem est disciplina.[v] Tum quod pensio, de qua loquimur, li- cet non sit quid spirituale, est tamen annexum spirituali, sicut ius patronatus,[x] & tradit S. Thomas,[y] immo magis annexũ, quàm ius patronatus, quia illud est annexum antecedenter, vt ibi ait S. Thomas: pensio autem consequentèr, vt benefi- cium.

5 Quod ideo dicitur spirituale consequenter secundum eundum ibidem, quia prærequirit rem spiritualem, videlicet ordinem: & pensio etiam prærequirit ordinem: quia nemo inferior Papa potest eam cócedere laico, neque ipse Papa po- test id facere potestate ordinaria secundum stylum curię; ne- que potest conferri illegitimo, & irregulari sine dispensatio- ne, secúdum communem opinionem. At annexum spirituali neque potest vendi, neque emi sine vitio simoniæ, iuxta cap. *cum sæculum.* & ca. *ex literis.*[a] cum adnotatis eisdem, & tradit late S. Thomas,[b] ergo neque pensio poterit emi, vel redimi. Tum quod eadem ratione, qua posset redimi, posset quoque emi. Ratio enim, quare dicit Caietanus posse redimi, est quia est res mere temporalis; quæ ita concludit potentiam emédi, ac redimendi.

6 Non obstant opposita: non quidem primum: quia nega- tur, quod pensio ecclesiastica beneficialis, de qua loquimur, sit res merè temporalis. Nec obstat definitio, qua definiunt eá in argumento citati: quia non est bona. tum quia non conuer- titur cum suo definito, vt debet conuerti, iuxta l. 1.[c] & notat Bartholus receptus,[d] conuenit enim illa multis, quibus non conuenit definitum: quia conuenit omnibus stipendijs, quæ constituuntur ex mensa Ecclesiæ, vel de fructibus beneficio- rum ad tempus quibuscúque etiam laicis, cuiuscúque sexus, qualitatis artis & offici; fuerint, ob benemerita, vel ob aliquod officium in Ecclesiæ obsequium exercendum, quale habent aliquot medici, chirurgi, sacristæ, campanarij, latomi, & fœ- minæ curantes infirmos in hospitalibus beneficijs annexis, & cantores, bedelli, & alij similes, quibus non conuenit defini- tum, scilicet pésio ecclesiastica beneficialis, de qua loquimur. Tum quia bona definitio pensionis, prout in hac materia ca- pitur, ponitur à nobis in Manu. confess.[e] scilicet, quod *est ius non temporariũ, sed spirituale, aut illi annexum non antecedenter, vt ius patronatus, sed dependenter, aut consequēter instar beneficij.*

7 Ex quo colligitur primo, quod sicut beneficium non est fructus, qui percipiuntur ex illo, sed ius illos percipiendi; ita pensio non est certa portio fructuum mensæ, vel beneficij, sed ius percipiendi illam.

Secundo, quod sicut beneficium est ius spirituale, vel an- nexum spirituali non antecedenter, vt ius patronatus, sed có- sequenter, prout declarat S. Thomas,[f] ita & pensio, de qua loquimur, est quoddam ius spirituali annexum, & consequé- ter inuendibile. per quod soluitur primum argumentum.

Ad secundum respondetur, concedendo pensionem re- mitti posse gratis, negando tamé, quòd possit redimi pecunia: quia longe alia ratio suadet contrarium: sicuti calix totus có- secratus donari quidem gratis potest, non tamen vendi, iuxta cap. *reperiuntur.*[g] & tradimus post alios in d. Manu. confess.[h]

Ad tertium respondetur, quod simonia non solùm com- mittitur in re omnino spirituali, sed etiam in re annexa illi, vt definitio simoniæ habet expressè: & ita potest committi in emptione & redemptione huiusmodi pensionis rei spirituali annexæ, sicut & in venditione vel redemptione iuris pa- tronatus.[i]

8 Quod autem simonia, quæ committitur in emptione vel redemptione pensionis, iuris patronatus, & similium, non ha- beat annexam excommunicationem ipso iure latam, habetur in d. Man.[k]

SVMMARIVM.

1 *Simonia non est, si ego alias licite extinguo pensionem, vt pecu- niam receptam mutuem tibi illam tradituro tertio volenti aliam similem extinguere pensionem; & tu mihi promittas interim aliquot annua.*

## CONSILIVM LXIV.

1 RESPONDETVR, quod præfatus Blasius pro- culdubio potest petere à prædicto Antonio prædicta scuta annua sibi ab eo promissa, sine vllo timore exceptionis simonię opponédę ab Antonio: quia inter Antonium & Bla- sium nulla interuenit simonia super vllo beneficio, neque su- per vlla pensione: quia neque Antonius quicquam iuris spiritualis, neque ei annexi dedit Blasio pro temporali, ne- que Blasius Antonio propter vllũ ius spirituale vel ei ãnexũ

a In c. postulasti. & c. ad audientiam. 2. de rescript.
b Tom. 1. opuscul. tract. 31. & tract. 17. qu. 10.
c In cle. 1. de supplen. negligen. prælat.
d In c. ad audientiam. 2. de rescrip.
e In tractatu de pensionib. quæst. 1.
f Cap. Agat. 36. dist.
g In summa 1. quæst. 1.
h 2.2. qu. 100. art. 1.
i Cap. 23. nu. 100.
k Ca. vestra. de loca. & c. querela. ne præl. vices suas.
l Ca. extirpãda. §. qui vero. vers. illud autẽ. de præb.
m De concess. præb.
n In c. ad audientiam. 2. de rescrip.
o Leg. 1. C. de cupre. ex luc. Daphnẽ. lib. 11.
p Verb. voluerit. de ver. sig.
q In procem. Gregoriano.
r Cap 1. de regul. iur.
s De crim. falsi.
t De constit.
v Le. 1 de his qui sunt sui vel al. iuris. ca sciendum. 8. quæst 1.
x Cap. quanto de iud.
y 2.2. q. 100. art. 4.

a De iure patron.
b Vbi supra.
c ff. de dolo & contum.
d In l. 1. ff. de testam.
e Ca. 23. nu. 111.
f 2.2. q. 100. a. 4.
g 1. qu. 1. & vestimenta. de consec. d. 1.
h Ca. 23. nu. 108.
i Ca. cum sæculum. de iure patron.
k Dict. c. 23. num. 111.

datum Blaſio. Neque obſtat quod Blaſius iuridicè extinxit vnam penſionem, quam habebat ſuper beneficio alius tertij, vt pecuniam ex illa extinctione habendam mutuaret Antonio, ad hoc vt Antonius iuuaret Ludouicum ad redimendam iuridicè penſionem, quam Achilles habebat ſuper beneficio ipſius: quia omnia illa iuridice fuerunt facta, & potuerunt fieri ſine vllo peccato ſimoniæ; quia nihil ſpirituale, vel annexũ ei fuit datum alteri pro aliquo temporali, niſi pecunia quam dedit Ludouicus Achilli pro redemptione penſionis auctoritate Papæ redimendæ, quod iuſtè factum fuit, & fit quotidie: paſſim enim vnus cognatus, vel amicus alicuius fratris vel cognati alicuius beneficiarij mutuat pecuniam, vt iuuet fratrem, vel cognatum ſuum ad redimendam penſionem, quã alius clericus habet ſuper eius beneficio. & quia res eſt clara & indubitata, non eſt alijs opus. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Penſionem ex facultate ſibi ſimpliciter conceſſa transferens, reſeruato ſibi iure illam, dum viuit, exigendi, trãsgreditur ſuã facultatem; & ſic facit actum nullum, immo ſimoniacum, immunem tamen à cenſuris.*

## CONSILIVM LXV.

FVIT reſeruata penſio N. ſuper quodam beneficio cum facultate eam transferendi: qui N. vellet eam transferre cum reſeruatione exigendi eam quoad vixerit. Quæritur an id facere poſſit.

1 Reſpondetur primò, quòd præfatus penſionarius nõ poteſt licitè transferre penſionem præfatam cum præfata reſeruatione exigẽdi penſionem quoad vixerit, abſque peccato mortifero ſimoniæ. quia licet negari poſſet penſionem præfatam eſſe beneficium; non tamen (quicquid dicant Cardinalis & Caietanus) poteſt negari eſſe quid ſpirituale, vel certe annexum ſpirituali multo magis, quam ius patronatus, quod eſt annexum illi.[a] Nec hoc eſt contra id quod in alio caſu diximus: quia hic fit pactum de reſeruandis ſibi fructibus penſionis quoad vixerit, ibi verò nihil reſeruauit ſi moriatur.

Secundo, quod dici poſſet per huiuſmodi ſimoniam non incurri excommunicationem latam per extrauagãtem,[b] quę non excommunicat niſi ſimoniacos in ordine vel beneficio ſecundum receptam ſententiam.

Tertio, quod tranſlatio iudicabitur nulla: immo & niſi nos defendiſſemus contrarium, nuper iudicata fuiſſet vna ſimilis tranſlatio confidentialis, & onuſta cenſuris per Pium IIII. & Pium V. *Vide conſ. ſequens.*

Quarto, quod auctoritas Papę eſt proculdubio neceſſaria, vt huiuſmodi reſeruatio ſit valida: quandoquidem aliud eſt poteſtas transferendi, quam ſolam habet præfatus D. penſionarius; & aliud poteſtas transferendi cum tali reſeruatione, quã ipſe non habet: quia non dedit illã ei Papa, nec alius potuit illã ei dare: & ad valorẽ actus requirũtur poteſtas & volũtas.[c]

Quinto, cauendum eſſe ne faciat eam ſine auctoritate Papę: quoniam pręter quàm quod peccaret mortaliter, quod eſt ſummè cauendum, poſſet accuſari vitij confidentiæ ab aliquo collitigatorum, & is in quem transferret priuari ea, inſtante beneficiario, qui ſoluit eam.

a *Cap. quanto. de iudic.*
b *2. de ſimon.*
c *Ca. cum ſuper. de offi. de leg.*

*SVMMARIVM.*

1 *Conſulens ſufficienter peritos rei, de qua agitur, non peccat, etiam ſi id quod agit eßet, non quidem naturali, ſed humanã tantum lege vetitum.*

2 *Simonia illa ſola cenſurarum pœnis per extrauagantes contra ſimoniacos ipſo iure latis ſubiicitur, quæ in ordine vel beneficio committitur: vnde ab illis immunis eſt, quæ committitur in emptione vel permutatione iuris patronatus, vel in penſione, quæ non vt beneficium vacabile in titulum, ſed ſolũ ad vitam penſionarij duratura datur, & reſeruatur. num.*

4 *Confidentiariorum pœna, de qua in extrauagantibus Pij IV. & V. non ligat eos, qui illam in penſione nequaquam à beneficiaria confidentia manante, ſed antea legitime reſeruata cõmittunt. num. 7.*

6 *Penſio, ſecundùm opinionem Cardinalis, eſt res temporalis: vnde à beneficio, quod eſt ſpirituale, ad illam in pœnalibus non eſt facienda extenſio: nec qui in illius translatione confidentiam ſimoniacam committit, eſt cenſendus incurriſſe pœnas contra confidentiarios ipſo iure latas. num. 4.*

8 *Sententia etiam Principis inter alios lata, non videtur facere ius in aliis cauſis, maxime ſi adſit aliqua diuerſitas.*

8 *Extendit dum Princeps ſua ſententia legem ad aliquem caſũ, cenſetur declarare dictũ caſũ ſub lege non fuiſſe cõprehẽſum.*

9 *Penſionarius ſimonia confidentiali transferens penſionem in alium, etſi non incidat in pœnas extrauagantium, debet tamẽ puniri à iudice pœna amiſſionis pretij recepti: & hoc, niſi bona fide procedẽs, circũuẽtus, doloq; alterius induct⁹ id fecerit.*

10 *Extenſio legis ſicut prohibetur in pœnalibus, ita & iuriſdictio iudicis deputati ad procedendum contra delinquentes in dictam legem extendi non debet. & num. 11.*

11 *Penſionem ſuam ſibi reſeruatam qui ex facultate ſibi conceſſa in alium transfert, ita extinguit, vt amplius priuata auctoritate reuiuiſcere non poßit: & hoc, niſi dicta translatio eſſet nulliter facta. immo etſi dolo inductus valide tranſtuliſſet, adhuc tamen ab habente poteſtatem, tamquam fraudatus, deberet ad illam reſtitui. & num. 12.*

12 *Conſenſiſſe translationi penſionis non eſt cenſendus is, qui fuit circũuentus, & ita demum ei conſenſit, ſi id licite fieri poſſet.*

## CONSILIVM LXVI.

QVIDAM penſionarius habens facultatem transferẽdi penſionem, quam habebat ſuper beneficio à Papa cõſtitutam, & volens vt tenens illud beneficium redimeret illã, tranſtulit eam in quemdam familiarẽ ſuum, ad id dolo quodammodo inductus, eo pacto, vt poſtea ipſe caperet pretium redemptionis, & daret primo penſionario; prius tamen facta iuſſione præfato familiari, vt interrogaret viros in ea re doctiſſimos, an id fieri poſſet abſque vitio ſimoniæ, vel confidẽtiæ damnatæ per Pium IIII. & Pium V. & reſponſo ab ipſomet familiari reddito, ſe conſuluiſſe viros eiuſdem rei callentiſſimos, & reſpondiſſe quod ſic.

Quæritur, an pręfatus N. incurrerit pœnas ſtatutas contra committẽtes ſimoniã, & confidentiã illicitã ſuper beneficijs.

1 Reſpondeo primò, quod præfatus penſionarius non peccauit in pręfata tranſlatione: quia id fecit bona fide, credens id ſibi licere probabiliter; & iuſtè. quia qui facit aliquid, quod iure naturali non eſt illicitum, de quo dubitat an lege aliqua humana ſit prohibitum, & ſuper ea re conſulit viros in ea ſufficienter peritos, qui conſulunt id eſſe licitum, non peccat faciendo illud, etiamſi verè non eſſet iuſtum, & lege aliqua humana vetitum. vt eſt textus adiuncta gloſſa 2. & doctrina Panormitani ibi recepta,[a] & tradit D. Antoninus,[b] quem nos quoque retulimus, & ſequuti fuimus in Manu. conf.[c] & ante illos id generalius dixit Innocentius,[d] quod confirmatur per multa, quæ congerit Felinus.[e]

2 Secundo, quod in caſu propoſito non potuit interuenire ſimonia vlla quæ ipſo iure inducat excommunicationem, vel aliquam aliam cenſurã. Tum quia extrauagãs 2.[f] quę inducit excommunicationem ipſo iure incurrẽdam contra ſimoniacos, habet locum ſolùm in ſimonia commiſſa in beneficio & ordine, & non in ſimonia commiſſa ſuper alijs rebus ſpiritualibus, vel annexis eis, vt colligitur ex contextu illius, & pręcęteris teſtatur Caietanus,[g] quod nos quoque affirmauimus in d. Man. conf.[h]

3 At penſio, quę non datur in titulum, ſed ad vitam penſionarij, ita vt per mortem non vacet ad hoc, vt conferatur alij tamquam beneficium vacans, non eſt beneficium, ſecundum Cardinalem receptũ ab omnibus,[i] & tradit Gigas,[k] & ideo non venit penſio appellatione beneficij,[l] & ſecundum Hoſtienſem & communem,[m] & tradit præfatus Gigas,[n] præſertim in diſpoſitione pœnali, qualis eſt præfata extrauagãs 2.[o] argumento cap. *pœnæ*,[p] & l. *interpretatione*.[q] cum ſimilibus. Tum quia aliàs in prætorio ſacræ Pœnitentiarię definitum fuit, eum, qui committeret ſimoniam emendo vel permutando ius patronatus, iuxta notata, in ca. *de iure verò*.[r] non incurrere excommunicationem illius extrauagantis, modo non fuiſſet commiſſa in pręſentando; quia non eſſet commiſſa ſuper beneficio, neque ſuper ordine.

4 Tertio, quod pręfatus penſionarius non incurrit confidẽtiam damnatam per bullas pręd ictorũ Pij IIII. & Pij V. quia illę ſolum damnant ſimoniam circa beneficia commiſſam, vt colligitur ex toto contextu pręfatarum bullarum, quas nos referimus in pręfato Man.[s] pręſertim ex prooemijs illarum, quę palam monſtrant factas fuiſſe ad tollendam corruptelam fiduciarię ſiue confidentiarię mancipationis beneficiorum: & conſtat ex prooemio diſpoſitionis colligi cauſam finalem, & intentionem principalem diſponentis, qua ceſſante ceſſat effectus, iuxta leg. fin.[t] Colligitur etiam ex ver. *huiuſmodi* in eiſdem bullis replicato, quod eſt reſtrictiuum,[v] & reſtringit eas

a *In c. capellanus. de ferijs. num. 6.*
b *In 1. part. ti. 3. cap. 10. col. 6.*
c *Cap. 27. nu. 284. & num. 288.*
d *In capi. per tuas. 2. de ſimon.*
e *In cap. 1. de re iud. nu. 15. verſ. limita ſeptimo.*
f *De ſimon. inter communes.*
g *In ſum. ver. excommunic. cap. 72.*
h *Cap. 27. nu. 106.*
i *In cle. 1. de ſupplen. negl. prælat.*
k *In q. 1. de pẽſio.*
l *Cap. quamuis. de præb. li. 6.*
m *Ca. poſtulaſti. de reſcr.*
n *Vbi ſupr. q. 18.*
o *De ſimon.*
p *De pœ. di. 1.*
q *ff. de pœn.*
r *De iure patron.*
s *Cap. 23. nu. 110.*
t *ff. de hæred. inſtit.*
v *Leg. huiuſmodi. ff. de le. 1.*

ad confidentiam beneficialem supra relatam.

5 Nec obitat, quod per easdem bullas decernitur esse nul-
las pensiones, accessus, & regressus, qui imponūtur super be-
neficiis, quæ resignantur, vel conferuntur per confidentiam
beneficialem damnatam. Tum quia à diuersis & separatis nō
fit illatio,[a] & aliud est ita damnare collationem, vel renuncia-
tionem beneficialem, vt omnia deinde sint nulla, quod faciūt
illæ extrauagantes & aliud est dānare confidentiā pensiona-
lē, nulla beneficij præcedēte collatione, neque renūciatione
cōfidētiali, vt palā est. Tū quia alia ratio suadet illud, quę non
suadet hoc. Ratio enim, quia pensiones, accessus, & regressus
cōcessi super beneficijs per damnatā confidētiam collatis &
resignatis annihilantur, est quia accessorium debet sequi na-
turam sui principalis,[b] & ita pensiones, accessus, & regressus
accessorij præfatarum resignationum & collationum confi-
dentialium non poterant subsistere, illis non subsistentibus;
quæ ratio non habet locum in confidentia translationis pen-
sionis iam rite constitutæ. Tum quia præfatæ extrauagantes
solùm loquuntur de renunciationibus, electionibus, præsen-
tationibus, & aliis modis prouidendi beneficia ecclesiastica
statuendo quod illi per confidentiam facti sint nulli cum om
nibus inde sequutis: nos autem loquimur de translatione pē-
sionis rite constitutę, quę translatio non fundatur super vlla
mala confidentiali prouisione. & ita sumus in casu longe re-
moto à casibus pręfatarum bullarum, cum translatio pensio-
nis rite constitutę nihil commune habeat cum confidentia
mala prouidendi beneficia. Tum quia alioquin sequeretur,
quòd si pręfatus pensionarius remitteret ei qui debet pēsio-
nē vnius anni, confidens quod alio anno solueret aliquid vl-
tra pensionem illius anni, incideret in pœnas pręfatę confi-
dentię damnatę, quod est absurdum, & nemo diceret.[c]

6 Tum denique quod pensio secundum Cardinalem, vbi
supra receptum est in se res temporaria; & non licet arguere
de confidentia rei spiritualis, quale est beneficium, iuxta cap.
*dilecto*.[d] adeo quidem quod nec per somnium id venit in mē-
tem pręfatorum Piorum, &c.

a *Leg. Papinianus. ff. de minor. & ca. ad audientiā. de decim.*

b *Ca. accessorium. de reg. iur. lib. 6.*

c *Leg. nam quod. absurdum. ff. de bonis liber.*

d *De prab.*

ADDIMVS PRÆTEREA pręfatæ nostræ in-
formationi, quod dictus Procurator fiscalis pro sua multa e-
tuditione, & mala informatione, multa quidem adducit sub-
tilia, sed parum concludentia, & quædam pro sua bona cons-
cientia fatetur præfato D. Abbati vtilia.

7 Primum enim, vt vir bonus, & dicendi peritus, qualis de-
bet esse orator, & fisci Procurator, concedit duplicem esse
confidentiam pensionalem, vnam propriam à radice infecta
& à confidentia beneficiali manantem, alteram impropriam,
quæ separata & seiuncta est ab illa radice infecta confidentię
beneficialis, qualis est ista de qua loquimur; & præsupponit
præfatas extrauagantes Pij IIII. & Pij V. non agere de hac im
propria, quod præfati D. Abbatis intentioni est valde vtile.

Secūdum est, quod præfatus D. Abbas non incidit in pœ-
nas præfatarum extrauagantium: quod profecto dignum est
sua, quæ magna est, pietate Christiana, & non mediocriter
iuuat intentionem D. Abbatis.

8 Tertium est, quod Pius V. extrauagātem Pij IIII. ad con-
fidentiam impropriam per sententiam in causa N. latam ex-
tendit. Sed huic argumento satis superque responsum est in
alia informatione sex vel septem modis peremptorijs, quos
non expedit iterū referre, qui possunt ibi videri; scilicet, quod
illa sententia erat res inter alios acta, & quod non fundabatur
in vitio confidentiæ, &c. Quibus nunc addimus, quod Pius
V. ferendo illam sententiam, videtur sensisse, quod extraua-
gantes illæ non se extenderent ad confidentiam pensionalem
non pendentem ex radice infecta beneficialis confidentiæ;
quæ est sincera defensio D. Abbatis.

9 Quartum est, quod licet D. Abbas non inciderit in cen-
suras pręfatarum extrauagantium, debet tamen puniri in a-
missione pensionis cētum scutorum propter fraudem & do-
lum, quæ adhibuit. Ad quod respondetur, primo, quod D.
Procurator hoc dicit per informationem falsam præfati ad-
uersarij, qui suos grandes dolos & fraudes transfert in domi-
num suum simplicem, & candidum. Secundo, quod bonitate
& simplicitate in hoc casu est vsus, & timore sancto, & reue-
rentia, quibus timuit offendere Deum, & S. Sedem Apostoli-
cam, & eius leges; quod est omnino contrarium dolo, & frau-
di, per notata in l. *iuris gentium*.[e] & tot. tit. de dolo. & D.
Thomam.[f]

e *§. sed si fraudādi. ff. de pactis.*

f *2. 2. q. 55. ar. 4.*

10 Item quod D. V. R. est deputatus iudex ad causas con-
fidentiales cōprehēsas in dictis extrauagantibus; quales non
esse confidentias pensionales, quę non procedunt à radice in-
fecta beneficialis confidentiæ, in alia informatione probatum
est, & satis probatur ex eo, quod præfatus D. procurator ait
illas esse impropriè confidentiales: cùm enim illæ extrauagā-
tes sint pœnales, & odiosæ, vt aliàs probauimus, & tales leges
non debeant extendi per iura vulgata, consequēs est non de-
bere illas extendi ad eas confidentias, quæ solum impropriè
dicuntur tales.[a]

11 Quintum est, quod pensio extincta per translationem,
nō potest reuiuiscere per auctoritatem priuatam: & conse-
quenter, quod pensio iam translata in pręfatum Iacobum per
consensum præfati D. Abbatis, cùm iam sit extincta quo ad
Abbatem, non potest reuiuiscere quo ad illum auctoritate
priuata. Ad quod respondetur primò, quòd ipse D. Procura-
tor fisci expressè ait, præfatam translationem, eo quod esset
per fraudem facta, non valuisse: cui consequens est non fuisse
illam extinctam; quia nihilum nihil facit.[b] Secundo, quod e-
tiamsi esset aliquo modo valida, debet irritari, quia quæ in
fraudem fiunt, irrita sunt, aut irritanda,[c] & hoc est quod petit
D. Abbas coram D. Bernardino Cotta: & hoc est quod orat
D. V. R. vt dignetur remittere ipsum ad illum, qui potest cog-
noscere de illa causa: & D. V. R. est solum deputata ad causas
confidentiales sub præfatis extrauagantibus comprehensas.
Tertio, quod dolus & fraus non debent prodesse præfato Ia-
cobo, iux. cap. *sedes Apost.*[d] cum simiib. & prodesset ei, si pro-
cessus cœptus contra illū coram D. Vicario, impediretur per
iudicium D. V. R.

a *Arg. c. odia. & c. quæ à iure. de reg. iuris. lib 6.*

b *Cap. non præstat de regul. iuris. lib. 6.*

c *Le. 1. & tot. tit. ff. quæ in fraud. credit. & § si quis in fraud. instit. De action. b.*

d *De rescript.*

Sextum autem fere cōtinet idem, quod quintum, scilicet,
quod pensio D. Abbatis quo ad 100. scuta fuit cassata per cō-
sensum eius, &c. & non potest ad illum redire, &c. & ita libe-
rabitur commenda onere, illo, &c.

AD HÆC autem respondetur vt supra. Primo, quod
translatio illa non valuit ex defectu consensus transferendi,
quem non habuit D. Abbas, arg. l. *id quod nostrum*.[e] & nota-
torum in cap. *quæ in ecclesiarum*.[f] Quod autem non consense-
rit, patet ex actis, in quibus dicitur esse probatum, quod no-
luit D. Abbas transferre, nisi in casu licito, & quod vetuit ne
traderentur scripturæ ad id necessariæ, & alia, quæ cōcludunt
eum fuisse deceptum, & dolo & fraude supplantatum ab eo,
qui comedebat panes suos, & rependit odium pro dilectione
sua: & constat errantem, & ignorantem; & deceptū non con-
sentire.[g] Secundo, quod etiamsi quoquo modo valuisset, de-
bet irritari: cùm; vt prędictum est, quæ dolo, fraude & callidi-
tate fiunt, aut irrita sint, aut certe irritanda. & quia cognitio
huius rei pertinet ad D. Bernardinum Cottam, supplicatur D.
V. R. vt supra. *Vide cons. præcedens.*

e *ff. de reg. iur.*

f *De constit.*

g *Le. si per errorē. ff. de iurisdict. omni. iudic. cū mul tis ab omnib' ibi citatis.*

*SVMMARIVM.*

1 *Dimissorias ad ordines suscipiendos qui data pecunia impetrat, & ordinatur; etsi attento solo iure naturali & diuino non dicatur simoniacus in ordine, attento autem iure Pontificio erit talis. & 2.*

1 *Simoniam in beneficio dicitur committere etiam is, qui dat temporale pro obtinendis ijs, per quæ beneficium obtinetur & hoc, attento iure Canonico: attento autem solo iure diuino, vel naturali, secus.*

## CONSILIVM LXVII.

AN QVI dat pecunias mediatori, vt sibi impetret di-
missorias, siue reuerendas ad ordines suscipiendos, quas
per pecunias mediator impetrauit, comprehendatur in dispo-
sitione extrauagantis[h] supposito quod illarum vigore fuerit
ordinatus.

Nam pro parte affirmatiua facit primo vulgata propositio,
de qua post Aristotelem D. Thomas[i] quod actus humani ac-
cipiunt speciem potius à fine, quàm ab obiecto: vnde qui fu-
ratur, vt committat adulterium, est per se loquendo magis
adulter, quam fur. Sed sic est, quod D. consulens dedit pecu-
nias pro dimissorijs, ad hoc, vt ordines sacros acciperet; ergo
eas dedit potius pro ordinibus, quàm pro dimissorijs; ergo est
simoniace ordinatus; ergo comprehenditur, &c. quod confir-
matur per leg. *verum*[k] vbi ait Iurisconsultus, quod qui

h *2. de simon.*

i *1. 2. q. 18. a. 6. & 7.*

k *ff. de furtis.*

rapuit

rapuit, vel celauit meretricẽ, vt fornicetur, nõ dicitur fur, nec vt talis punitur, vt ibi tenet Bartholus.

Secundo facit argumentum à simili textus in cap. 1. adiuncta glossa,[a] & ibi Innocentius,[b] vbi sic habet: *Sicut Episcopus manuum impositionem, ita neque examinator vocem, neque notarius calamum vendat.* & subiicitur generaliter; *Pro ordinatione igitur, eum qui ordinatur, aliquid dare prohibemus.* Ergo sicut qui notario scribẽti, vel examinatori aliquid dat pro scriptura, & approbatione idoneitatis, pro ordinibus dare dicitur, sic etiam dicendum erit de eo, qui dat pecunias pro dimissorijs obtinendis.

Tertio facit, quod qui dant pecuniam examinatoribus, vt eos tamquam idoneos pręsentent Episcopo ordinanti, tentant emere gratiam Spiritus sancti, id est ordinationem, vt ait textus,[c] & sunt ipso iure suspensi.[d]

Quarto facit, quod qui dat aliquid examinatoribus occasione examinis ad beneficium, pœnas contra simoniacos statutas incurrere dicitur per Concilium Tridentinum.[e]

Quinto facit eadem extrauagans,[f] quæ non solum punit simoniacè beneficia & ordines recipientes, sed etiam annullat præsentationes, &c. & sic reputat simoniacos eos, qui dãt aliquid temporale pro pręsentatione.

Pro negatiua verò facit primò opinio quorumdam illustrium virorum, de quibus mihi verbo relatum fuit, eos consuluisse non committere simoniam in ordinibus, quos recipit, qui dat pecuniam examinatoribus, vt ad illos idoneus renuncietur, & approbetur. ergo multo minus erit talis, qui dat pecuniam pro dimissorijs.

Secundo facit, quod hæc licentia, siue dimissoriæ ad assumendum ordines, non concernunt substantiam illorum, cùm sint quid separatum & remotum ab ordinibus, & veluti quędam pręparatoria ad ordines assumendos, vt palam eũ: & cum pœna apposita præparato regulariter non extendatur ad pręparatoria, vt ait Decius,[g] ergo nec pœna inflicta simoniacè ordinato extendetur ad committentem simoniam in præparatorijs ad ordines suscipiendos, arg. c. odia. de reg. iuris lib. 6. & gloss. ca. fin. de iure patron.

Tertio, quod qui ordinat, vel præsentat aliquem cum pacto, quod ordinatus non molestabit eum pro victu, non censetur incurrere pœnas d. extrauagantis, sed solum suspensionem ad triennium, per capit. final.[h] vbi post Abbatem antiquũ hoc notant Ioannes Andreas, & Cardinalis, cuius dicti rationem reddunt ibi Panormitanus, & Felinus,[i] quia scilicet ibi simonia non erat commissa in ordine, sed in consequẽtibus illum. ergo sicut simoniacus in consequentibus ordinẽ non est propriè simoniacus in ordine, nec subit pœnas contra tales decretas, ita nec simoniacus in antecedentibus ordinem erit iudicandus simoniacus in ipso ordine.[k]

Ad opposita videtur posse responderi. Ad primum quidẽ primo, quod assumptum illud non potest applicari ad casum nostrum: quia procedit in illis actionibus, ex quibus quasi per partes integrales conficitur vnum illud, quod erat vltimo loco intentum. vnde qui volens fornicari rapit meretricem, nõ dicitur raptor, sed fornicator: quia hoc solum intendebat, vt ait Iureconsultus[l] Aliud esset, si furatus esset pecuniam, vel equum, collimando hæc omnia in hunc solum finem, vt fornicetur: nam cum hæc sint actiones separatæ, non faciunt simul collectæ vnum quid solum. vtique iste talis fur erit simul & fornicator, duæque erunt actiones omnino separatæ, quarum prima erit pœnalis de iure ciuili, quo punitur fur actione furti, altera vero de iure canonico, quod punit fornicationem cũ meretrice etiam habitam, & commissam: quæ colligũtur ex D. Thoma,[m] prout clarius apud ipsum videri possunt. Ergo in nostro casu, cum licentia ad ordines assumendos, & assumptio ordinum sint actiones diuersæ & separatæ, de vna ad aliam non potest inferri.[n] Secundo responderi posset, actionem humanam, prout procedit ab operante, non ordinari nisi ad vnum finem proximum, & ab illo tantum specificari, licet ad alios remotos etiam referatur, vt colligitur ex eodem D. Thoma,[o] atque ita cum datio pecuniæ in casu nostro primo & principaliter facta sit propter dimissorias habendas, secundario autem & minus principaliter ad ordines assumendos, dici non poterit assumptio ordinum simoniaca, licet dimissoriæ ad illos assumendos fuerint per simoniam obtentæ.

Ad secundum respondetur concedendo assumptum in eo; negando tamen, quod inde sequatur committere simoniã in ordine omnes, qui prohibentur aliquid accipere: siquidem in fine concludendo prohibetur, ne quid detur pro ordinatione, nec pro vsupallij, nec pro chartis: vnde patet, quod dare pro chartis id est notario, non est dare pro ordinibus: & consequenter nec dare pro dimissorijs erit dare pro ordinibus. Nec obstat; quo dimissoriæ continent in se examen: quia hoc venit in consequentiam, & quæ in consequentiam veniunt attendi non debent.

- a Cap. ex parte.
- b In ver. minister. de simonia.
- c In c. quando. 24. dist.
- d Glossa ibidẽ per c. reperiũtur. 1. qu. 1.
- e Sess. 24 ca. 18. de reform.
- f 2. de simon.
- g In rubr. de iudic. n. 1. vbi etiam Ripanum. 14. & 15.
- h De simon.
- i In c. de simoniaco. n. 2. eo. tit.
- k Arg. l. illud. ff. ad l. Aqui.
- l In d. l. verũ.
- m In Dict. ar. 6. & 7.
- n Leg. Papinianus. ff. de minorib. c. ad audientiam. de decimis.
- o 1. 2. q. 1. ar. 3. ad 3.

Ad tertium respondetur, quo iura in illo citata debent intelligi de examinatoribus, qui rogant Episcopum, vt det ordines alicui, veluti faciunt Archidiaconi, qui si pro illo rogatu accipiant pecuniam, videntur formaliter committere simoniam in ordine; quia perinde est, ac si ordinans illam accepisset, vt post alios tradit D. tua in suo Manu.[a] & alibi sæpe, nõ autem de simplicibus examinatoribus, & simplices dimissorias concedentibus, qui referunt accepta pecunia aliquos esse idoneos ad ordines, vel dant licentiam vt possint ordinari.

Ad quartum respondetur, Concilium loqui de examine ad beneficia per cõcursum, per quod acquirit approbatus ius ad beneficium: & ideo nihil mirum; cum pecunia dari videatur pro illo iure spirituali, quod dicatur tam dans, quam accipiẽs committere simoniam in beneficio, quod etiam colligitur ex d. extrauagante 2. Atque ita posset hęc inductio retorqueri sic: Speciale est in examinatoribus, & Concilium nouũ ius statuit contra examinatores ad beneficia per concursum, vt scilicet accipiendo aliquid ab examinatis, censeantur simoniaci in beneficio: ergo contrarium dicendum est de examinatoribus quo ad ordines aliquid accipiẽtibus ab approbatis, quia qui de vno dicit, &c.[b]

Ad quintum respondetur ex diuersis non bene inferri, & quod aliud sunt pręsentatio, electio, collatio, &c. de quibus in d. extrauagante per quæ acquiritur ius ad beneficia, & aliud examen, & dimissoriæ, per quę nullum ius acquiritur ad ordines, vt palam est: nam restat in arbitrio ordinatoris, vtrum velit approbatos huiusmodi, & habentes dimissorias ordinare, nec ne, quod tamen secus dicendum est in prædictis actibus, in quibus collator non potest sine iusta causa respuere præsentatum, electum, &c. vnde cum emptio dimissorialium non possit dici formaliter emptio ordinum, non plus se extendet, quam fuerit intentio principalis emptoris,[c] alioqui enim ementes officia, & munera ecclesiastica magni valoris, sperantes minus principaliter, vt quotidie fit in Curia, sciente & consentiente Papa, quod occasione illorum promouebuntur ad dignitates ecclesiasticas, essent cẽsendi simoniaci in beneficio; quod est absurdum, & ita non dicendũ,[d] quia ex dicta officij emptione nullum ius acquirunt ad easdem, sicut nec ex d. examinis; vel dimissoriarum emptione acquiritur aliquod ius ad ordines.

Ad superiora mihi proposita respondeo primo, fundamenta, quæ adducuntur & tanguntur, ad alia multa dubia decidẽda seruire posse: quamuis Panormitanus & Felinus non vidẽtur dicere id, quod eis tribuitur.[e]

1 Secundo, quod licet eo respectu, & ratione, qua tua pietas desiderat hanc partem, quam tuetur, esse veram, ipse quoque idem desiderem; alia tamen ratione scilicet, quod expedit arcere multos, ne ad ordines inordinate accedant contra Gregorij sententiam; conuenit optare pœnas; quibus arceantur.

Tertio, quod fundamenta tuæ Dominationis, quibus hãc partem confirmas, & confutas alterius fulcra, videntur mihi plus satis sapere Metaphysicam, & rigorem Logicum dum satagis defendere tũ demũ simoniã in ordine cõmitti; cũ pecunia datur vel promittitur pro ipsomet ordine vel ordinatione.

Quarto, quod hoc satis defendi posse videtur, si loquamur de simonia in ordine, iure solo naturali vel diuino attento cõtracta: vt etiam eadem ratione defendi posset, quod tum demum simonia, in beneficio, attento illo solo iure, admittitur, quando pro ipso beneficio pecunia datur, vel promittitur, & non aliàs: sed quod sicut per pręd ictam extrauagantem,[f] & alia multa cogimur dicere simoniam in beneficio contrahi saltem iure Pontificio attento, etiam cum datur pecunia, vel aliud temporarium pro collatione, electione, & præsentatione, nominatione, fauore, intercessione siue mediatione, & alijs similibus actibus ad acquirendũ directis, & in renũciatione & priuatione alijs actib⁹ ad perdẽdum

- a Cap. 23. nu. 106. §. ad quĩtum.
- b Vulg. l. cum prætor. ff. de iudic. c. nonne de præsumpt.
- c Leg. non õnis. ff. si certũ petatur.
- d Le. nã quod absurdum ff. de bonis liber.
- e In c. de simoniace. de sim.
- f 2. de simon.

directis;ita cogimur dicere,quod simonia committitur in ordine iure Pontificio attento,non solùm quãdo datur pecunia vel aliud temporarium pro pretio ordinis,sed etiam cum datur pro alijs actibus directis ad eius acquisitionem,quales sũt examinatio,approbatio, & fauor, intercessio , siue mediatio, qua quæritur consensus ordinantis ad ordinẽ insigniendum; licet verè coram Deo ordinandus nolit emere ordinem , quẽ scit esse inuendibilem,& inæstimabilem.

Quinto,quod negari non potest literas dimissorias esse de huiusmodi actibus,eo quod formaliter vel virtualiter continent fauorẽ vel intercessionẽ ad ordinẽ consequẽdũ,vel examinationẽ vel approbationẽ,vel conferunt ius quoddã petẽdi & accipiẽdi ordines,à quo maluerit âtistite:vel quod est quędam via directa in ordinem quærendum magna cum deliberatione instituta ab Ecclesia per potestatem supernaturaliter à Deo acceptam:& ita ius,quod per eas datur , est quoddam valde spirituale directum ad consequendum ordinem,qui est magis spirituale,iuxta ea quæ nos tractamus in Mã.cõf.[a] vnde possunt desumi aliquot fulcra pro quarto & quinto dictis supra positis.

a Cap.23.nu. 99.

Sexto,quod per omnia supradicta videtur consulendum, simoniam,quæ committitur dando pecuniam pro literis dimissorijs, cẽsendam esse simoniam commissam in ordine, attento iure Pontificio. Salua,&c.

SVMMARIVM.

1 *Absolutio data excommunicato à superiore habente potestatem absoluendi valet,licet sit iniusta.*

2 *Absolutio etiam sacramentalis data excommunicato bona fide confesso valet.*

3 *Peccata habentia excommunicationem,vel alias censuras reseruatas annexas,confessa habenti potestatem absoluendi ab illis, & oblita , desinunt esse reseruata , & censuræ annexæ tolluntur per absolutionem generalem ab omnibus censuris.*

4 *Venia peccati non datur nisi correcto ; & sic nec simoniaco in beneficio datur absolutio,nisi eo dimisso.*

## CONSILIVM LXVIII.

REALIS simoniacus in beneficio an possit absolui ab absolui ab excommunicatione,quam incurrit, sine renũciatione vel dimissione beneficij,super quo illa commissa fuit & licet non debeat absolui,absolutio tamen facta teneat?

1 Pro parte affirmante facit primo cap.*venerabilibus*.[b] quatenus habet absolutionem datam à superiore habente potestatem absoluendi excommunicato valere,licet sit iniusta . at per Iobælea datur potestas absoluendi à quibuscumque excommunicationibus:etiam reseruatis:ergo confessarius electus per illa,licet fortè male faciat absoluendo huiusmodi excommunicatum,tenebit tamen illius absolutio.

b §.vbi autẽ. de sententia excom.lib. 6.

2 Secundo facit,quod absolutio etiam sacramentalis data excommunicato bona fide confesso valet,vt post Caietanum diximus nos in nostro Man.confess.[c]

c Cap.9.n.2. & seq.

3 Tertio facit,quod qui peccauit peccata reseruata, vel habentia excommunicationem,vel alias censuras reseruatas eis annexas ,& confitetur habenti potestatem absoluendi , ab illis,licet non meminerit illa confiteri,desinunt tamen esse reseruata,& tolluntur censuræ illis annexę per absolutionem generalem ab omnibus censuris & peccatis datam ei ab illo.

4 Pro parte autem negante facit regula libri 6. *peccati venia non datur nisi correcto*. Atqui simoniac⁹ realis in beneficio , qui non relinquit illud,in quo scit,vel debet scire se nihil iuris habere per extrauagantem secundam [d] non est correctus.

d De simon.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus super irregularitate ex occulto crimine,puta simonia in ordine orta dispensat.*

1 *Beneficium ante irregularitatem adeptum ipso iure non perditur per irregularitem postea incursam,nec illius fructus etiã postea percepti.*

## CONSILIVM LXIX.

1 SIMONIACVS in ordine realis,& sic excommunicatus , occultus tamen , celebrando factus est irregularis.

Quæritur,an Episcopus possit secum dispensare, & an indigeat dispensatione ad retinendum fructus beneficij ab eo perceptos.

Respõdeo primo,quod Episcopus potest dispensare super irregularitate occulta nata ex simonia occulta, & non deducta in iudicium,per [a] Concilium Tridentinum.

a Cap. 6. de refor.sess.24

Secundo,quod non indiget dispensatione circa retentionem fructuum,si beneficium collatum fuerit ante simoniã; quia non perditur ipso iure beneficium ante irregularitatem adeptum,iuxta solemne dictum Innocentij,[b] si autem beneficium collatum fuerit per ipsam simoniam,vel post illam ; ita quod collatio fuerit nulla,oportet vt illa reficiatur per illum, qui potest illud beneficium conferre.[c]

b In cap. cum nos ... cess prab.

c Arg c. ... reg.iur.li.6.

SVMMARIVM.

*Simoniacus pecuniam pro beneficio siue ecclesia acceptam , ipsemet restituat ecclesiæ , fructus autem ex illo percepti etiam pauperibus possunt restitui , item & postea legitime prouiso.num.5.*

1 *Fructus beneficij percepti per nulliter prouisum, si sunt conuersi in vtilitatem ecclesiæ,vel pauperum,non debent denuo restitui.*

2 *Mediator,qui est causa sine qua non, vt beneficium conferatur inhabili,seu tam indigno,vt collatio sit nulla,tenetur in subsidium restituere fructus perceptos,& male impensos. nu. 3. sufficit autem quod pro illis satisfiat illi , qui primus iustam de beneficio obtinebit collationem.num.5.*

5 *Fructus beneficij de iure sed non de facto vacantis spectant ad illum qui primus acquirit iustum titulum, immo etiam possunt restitui illi cui ignoranti fuit simoniace illud postea collatum.num.6.*

6 *Simoniace ignoranter prouisus de beneficio ad aliud non tenetur,nisi vt cum primum resciuerit illud resignet;fructus autem antea percepti videntur ad ipsum pertinere.*

## CONSILIVM LXX.

N.NOBILIS procurauit, vt beneficium ecclesiasticũ conferretur B.inhabili,& indigno , pacto adiecto inter eos,vt ipse B.teneretur postea illud renunciare , fructusque restituere cuidam ipsius N.nepoti,prout factum fuit. Quæritur quid iuris.

1 Resolutio huius dubij videtur pendere à decisione illi⁹, an procurans simoniacè alicui beneficium teneatur restituere fructus ab illo malè perceptos. Ad quod videtur dicendũ primo , quod non tenetur restituere , si fructus illi fuerunt conuersi in vtilitatem ecclesiæ vel pauperum:quia videntur rectè impensi,& quia restitutio , si esset necessaria , videretur eis facienda.nam cap.*de hoc*.[d] quod iubere videtur pecuniam pro beneficio datam esse restituendã Ecclesiæ , cui facta est iniuria,intelligendum est de pecunia simoniacè data , & non de pecunia & fructibus quæsitis ex beneficio , vel alia re simoniacè quæsita,vt colligitur ex eius contextu , & annotatis ei per glossas & doctores.

d De simon.

2 Secundo dicendum,quod idem est asserendum de hoc nobili,quod de quolibet alio,qui est causa, vt beneficium detur alicui indigno,vel inhabili ita vt collatio non valeat , nec quæratur illi ius in beneficio , [e] quia eadem ratio militat in omnibus;cum quilibet eorum sit causa , vt is, cui collatum est malè percipiat, & malè dispendat fructus beneficij male sibi collati.

e Arg.l.illud. ff.ad l. Aqui.

3 Tertio , quod stricto iure quilibet horũ tenetur restituere fructus male perceptos,& male impensos ab illo indigno & inhabili,si ille nõ restituerit. Tum quia omnis, qui est causa alicuius damni,sine qua illud non daretur,videtur illud dare,& saltem non restituente damnum principali auctore, tenetur restituere. [f] Tum quia secundum S. Thomam communiter receptum , [g] omnes , [h] quorum nos meminimus in Manu. [i] & latius,[k] nouem personæ aliæ à principali contentę illo disticho.

*Iussio,consilium.consensus,palpo,recursus,*
*Participans,mutus,non obstans,non manifestans.*

peccant vt ipse,& sex tenentur ad restitutionem eorum, quæ sibi obuenerunt,vel quorum causa fuerunt , ipso non restituente.puta iubens,consulens,consentiens simpliciter , recipiens,laudans,& participans.Et negari non potest , hunc, de quo in casu proposito , fuisse consulendo , vel consentiendo, causam,sine qua ille non percepisset , nec dispendisset male fructus.

4 Tũ quia sicut magistratus malũ tutorẽ nominãs tenetur restituere dãna per illũ illata pupillo in subsidiũ , si tutor non restituat,[l] & sicut tenẽs seruũ noxiũ tenetur de dãno ab eo dato,adeo quod nõ satisfacit dãdo seruũ pro noxa, [m] ita cẽse-

f Cap. fin. de iniur. & l.qui occidit. ff. ad l. Aquil.
g 2.2.q.62.a. 7.
h In 4.dis.15.
i Cap. 11. nu. 15.
k Cap.17.nu. 17.
l Leg.1.& to. tit.ff.de mag. conuen.
m Leg.si seruus.§.Proculus.ff. ad legẽ Aquil.cum alijs ibi citatis per gloss.

rês beneficia indigno nō solū peccat,iuxta c.*graue.*[a] & c.*perpetuo*,[b] sed etiā tenetur restituere dānū ab eo datū, vt probat Cosmas,[c] & quo ad propositum paria sunt conferre,& ita procurare,vt conferatur,cum procuratio sit caussa collationis,sine qua nō conferretur,per supradicta,qualis fuit procuratio,de qua in proposito. Tum denique quod hic nobilis potest dici participasse de præfatis fructibus, quia fuerunt dati eius nepoti mediante facto ipsius, & ita videtur percepisse per illum à se nominatum,iuxta regulam,*qui per alium*.[d]

5 Quarto,quod dici posset,omnes hos tres, scilicet illū,qui recepit illud beneficium,& nobilem, qui fuit causa illius malæ collationis,& etiam nepotem,ad quem venerunt fructus, excusari à restitutione,ea consideratione,quam nos probauimus in commē. c. *non licet*.[e] post declarationem c.*cum vos*.[f] & capit.*præsenti*.[g] scilicet,quod fructus beneficij vacantis, de iure,& non de facto pertinent ad eum, qui primo fuerit illud canonicè consequutus.Et cum præfatum beneficium vacauerit de iure,licet non de facto,per totum præfatum tempus, fructus eius pertinebant ad eum,qui primo illud beneficium canonicè obtineret:& præfatus nepos,cui præfati fructus fuerunt traditi,fuit primus,qui canonicè saltem ex parte sua illud obtinuit,& consequenter omnes illi pertinuerunt ad eū, & debuissent ei restitui,etiam si aliis fuissent dati.

6 Obiicienti autem,quod collatio ei facta videatur simoniaca propter pactū patrui initum cum præfato B.prædecessore eius,responderi posset quod id ignorabat nepos:& simonia aliena non nocet eam ignoranti,nisi quoad hoc, vt teneatur renunciare beneficium,cum primū eā rescierit.[h] Salua,&c.

*Aduertendum Consl.de qua nu. 5. & 6.non carere difficultate, quia non videtur ita certam collationem simoniace factam ignorāti tenere,infra cons.95.97.Sed & hæc non videtur simplex simonia, sed fortè etiam confidentialis:infra cons.80.nu.6.per quam beneficij collatio Papæ reseruatur.supra cons.50.nisi dicamus à Papa sufficienter obtentam prouisionem factam dicto nepoti.Vide tamen etiam cons.sequ.& cons.73.*

a De preb. b De elect.li. 6. c In proœm. pragm. sanct. §.nam ecclesiarum.verb. indignorum. & in tit.de elect.§ quoniā verb. sciētes. d De reg.iur. lib.6. e 12.q.2.§.12. num.4. f De offic. or. g Eodem tit. li.5.& c. quia sæpe.de ele.eodem lib. h 1.q.4.c.iam itaque.& ca. turbatur. §. non itaque. & ca.ex insinuatione. & cap.nobis. ad iuncto cap.de simon.

*SVMMARIVM.*

1 *Resignatarius promittens procuratori habenti mandatum ad resignandum,dare certum quid annuum pro eius filio minori,donec ad ætatem legitimam perueniret, non dicitur promisisse eidem postquam peruenerit ad ętatem beneficium retrocedere:vnde nec retrocedendo dicitur simoniam ex hoc capite compleuisse.*

2 *Confidentiæ simoniacæ,per quas aliquid temporale capiebatur, numquam fuerūt toleratæ:secus de non simoniacis, per quas resignatarius nihil aliud,nisi beneficium retrocedere, vel debens conferre,seu præsentare, promittebat.*

3 *Simoniacè ignoranter de beneficio seu pensione prouisus ita fructus bona fide durante suos facit,ac si simonia non fuisset perpetrata,at post scientiā tenetur nedum beneficiū & pensionem dimittere,& fructus postea perceptos restituere,vel remissionem seu compensationem obtinere.num.4.*

## CONSILIVM LXXI.

CANONICVS procuratorem fratrem suum constituit ad renunciandū liberè canonicatū in fauorē cuiusdam clerici.Procurator verò pro suo filio infante occultè cōuenit,quod quousque filius perueniret ad ętatem legitimam, teneretur de fructibus dicti canonicatus dicto suo filio quinquaginta libras singulis annis soluere: & resignatarius soluit, & in fauorem dicti filij canonicatum ante Pij IIII.constitutionem contra confidentiarios editam renunciauit. Præterea pater alium clericum ad beneficium iuris patronatus pręsentauit,cum pacto vt daret dicto filio suo medietatem fructuū, prout de facto dedit.Idem pater absque titulo fructus de alio beneficio,quod præsentatus volebat resignare,in recompensam in fauorem illius accepit:& tandem aliam cum alio commisit pater simoniam;& filius ex dictis beneficiis,partim ante scientiam,partim post,fructus percepit, seu pensiones etiam, Quæritur quid agere debeat.

Respondendum videtur primò,quòd præfatus pater, qui habuit mandatum sui cognati ad renunciandum canonicatū, & præbendam,& aliud beneficium, simoniam claram commisit renunciando canonicatum,& præbendam:quia pactus fuit cum renunciatario,quod ipse daret recompensam quinquaginta librarum filio eius in reditibus ecclesiasticis, quas & postea dedit;& ita simonia ex vtraq; parte fuit cōpleta, & sic facta realis.

A

1 Secundo,quod præfatus pater & mandatarius non videtur admisisse simoniam,præsertim realem,nec confidentiam in renunciatione beneficij:quia nihil promisit renunciatarius; nec super restitutione beneficii,cum filius perueniret ad ætatem,fuit facta vlla conuentio,sed tantum accipiēdi fructus illius,etiam antequam perueniret filius ad ætatem legitimam, cum aliqua spe patris etiam de restitutione.

Tertio,quod præfatus pater admisit simoniam pręsentando ad beneficium sui iuris patronatus clericum ea lege,vt daret filio suo dimidium fructuum eius;quę ab vtraque parte fuit completa,& ita realis.

B

Quarto,quod recompensa data plus obfuit,quam profuit: quia magis compleuit simoniam à se promissam,faciendo eā realem.

Quinto quod malefecit præfatus pater accipiendo fructus vnius beneficij,quod debebat dari in recompensam filio, & non fuit datum:quia sine vllo titulo legitimo percepit eos.

2 Sexto,quod licet confidentiæ simplices,quibus promittebatur restitutio beneficij,vel collatio, vel præsentatio tolerarētur,quādo hæc facta fuerunt; confidentiæ tamen simoniacę,per quas capiebatur aliquid per simplicem cōfidentiā, numquam fuerunt nec Romę,nec alibi toleratę.

Septimo,quod parum profuit filio pręfato studuisse bene,& euasisse in virum doctum, & recitasse horas,& habuisse animum suscipiendi sacros ordines, ad effectum lucrandi fructus, si tituli,per quos quęsiuit beneficium fuerunt nulli.

C

3 Octauo,quod multum tamen prodest pręfato filio nesciuisse pręfatas labes simoniacas:quoniam ipse potuit defēdi, quod huiusmodi beneficiarius facit fructus, quos percepit durante bona fide,suos,ita quod non tenetur restituere illos, quos bona fide percepit,plusquam si absque simonia sua, & ab alio pro ipso commissa,illos percepisset.

4 Nono,quod omnes præfati,qui receperant fructus beneficiorum per pręfatas simonias reales quæsitorum, & etiā præfatus filius,quos recepit postquam nouit præfatam simoniam,tenētur restituere illos,& etiam beneficia,quæ sic quęsiuerunt,vel obtinere condonationem,vel remissionem eorū ob aliquam iustam causam,aut per compositionem iustam, & retentionem beneficiorum nouam à Sanctissimo Domino nostro,quem,&c.

D

*SVMMARIVM.*

1 *Procurans laicus clerico conferri beneficium cum pacto,vt pars fructuum sibi detur,sequuto effectu est simoniacus realis:cum obligatione restituendi accepta vel legitimo successori, vel in vtilitatem ipsius beneficij conuertendi, vel se cum Camera componendi.*

## CONSILIVM LXXII.

LAICVS, vacante quodam beneficio, procurauit vt illud cōferretur cuidam clerico cum pacto vt ipse haberet dimidium fructuum tunc percipiendorum,quod factum fuit. Quæritur quid iuris.

E

Respondeo,quod in hoc casu interuenit simonia realis; & consequenter vterque incurrit excommunicationem, & collatio fuit nulla; & consequenter nec beneficiatius quæsiuit fructus sibi, nec potuit quærere, nec dare annuam partem promissam laico.

1 Secundo,quod pręfatus laicus tenetur restituere ea; quæ accepit;& quod potest restituere Cameræ Apostolicæ componendo se cum illa,vel ei qui primo loco successit præfato beneficiario mortuo;vel etiam conuertere in vtilitatem ecclesię,de cuius fructibus fuerunt ea,quę accepit à simoniaco, per ea quę profunde & late scripsimus in commen.de spoliis cle.[a] & clarius ac resolutius infra,[b] vbi cōsulitur posse obligatum ad restituendum deligere id quod magis ei conuenit; & qua ratione magis conueniat restituere ea, vel restituere futuro successori,quàm ipsi Ecclesię,&c.

F

a Super c.non liceat Papæ. §.4.nu.4. b §.12.nu. 4.

*SVMMARIVM.*

1 *Simoniaca etsi non sit resignatio ob solam intentionem, quam habet resignans,vt postea tertio cedatur,efficietur tamen talis,si resignatarius mediatori promittat illud dicto tertio cedere.*

2 *Resignatarius,qui promiserat tertio beneficium dare,si illud alteri reseruato regressu resignet,& postea purificato regressu iterum illud acquirat,& dicto tertio resignet, simoniacam facit resignationem.*

2 Resignans

2 *Resignans cum regressu, si purificato regressu iterum adipiscitur beneficium, censetur illud habere illo modo, quo habebat antequam resignaret.*

3 *Ignoranti collatio simoniace facta tenet; tenetur tamen, cũ primum scit vitium, beneficium dimittere; durante autem ignorantia potest iuste de fructibus disponere, nec tenetur illos restituere. nu. 4.*

3 *Lucrum etsi quis immediate capere non debeat ex delicto, occasionaliter tamen & mediatè potest.*

4 *Mediator simoniæ tunc demum in subsidium beneficiarij non restituentis fructus restituit, quãdo collatio fuit taliter nulla, quod etiam ipse beneficiarius illos iniuste percepit.*

## CONSILIVM LXXIII.

TITIVS instante Caio beneficium reseruatis fructibus, & regressu, resignauit Seio, ea intẽtione, vt illud Lælio, quando ad ætatem legitimam peruenisset, daretur. Mortuo interim Titio, Seius qui nolebat vitam clericalem ducere, illud instante Caio, reseruatis sibi fructibus, & regressu, resignauit Sempronio, qui secreto promiserat soli dicto Caio, quod tunc quoddam suum beneficium, & mortuo Seio etiam primodictum aliud beneficium dicto Lælio, cum primum ad ętatem legitimã peruenisset, renũciaret. Verum quoniam per mortẽ Sempronij beneficium reuersum fuit iterum ad Seium, ideo idem Seius illud resignauit Lælio facto maiori, & prædictorum pactorum ignaro: dictusque Caius semper omnes fructus percepit de voluntate Seij, & Lælij.

Quæritur primo, an resignatio facta in fauorem Seij teneat.

Secundo, an valeant resignationes factæ à Seio resignatario.

Tertio, an Caius teneatur restituere fructus ex dictis beneficiis perceptos.

1 Respondeo primo, quòd renuntiatio facta à Titio in Seiũ non fuit simoniaca, si sola intentione, vt postea Seius renunciaret in Lælium, facta fuit: sed in facto licet dicatur nullum pactum, nec confidentiã interuenisse inter Titium & Seium, non tamen dicitur quod non interuenit cũ alio, præsertim cum Caio, in cuius gratiam facta fuit renunciatio in fauorem Seij, qui erat frater illius, ea intentione, vt postea daretur Lælio filio Caij, & sic interuenit aliquod huiusmodi pactum cum Caio fratre Seij: & sic patet quod interuenit simonia cum tertio, ignorante resignatario.

Secundo, quod renuntiatio, quã fecit Seius in fauorem Sempronij, fuit simoniaca eodem genere simoniæ, scilicet, ignorante resignante: quia inter Sempronium resignatarium, & Caium patrem Lælij, ad cuius instantiã resignatio fiebat in Semproniũ, interuenit pactum, vt renunciaret alterum beneficium in Lælium filium Caij, & etiam illud, cùm perueniret ad legitimam ætatem Lęlius.

2 Tertio, quod tertia renunciatio, quã fecit Seius in Lælium, non fuit in se simoniaca, licet inter Caium & Semproniũ interuenisset pactio de renuntiãdo in Lęlium: quia inter Seium, ad quem per regressum peruenit beneficium, & Lælium, & Caium nulla fuit conuentio.

Quarto tamen idem iudicãdum est de acquisitione beneficij facta per regressum ob mortem Sempronij, quod est dictum de acquisitione prima. quia virtute acquisitionis primę quęsiuit regressum, & ita regulabitur sicut prima renuntiatio, & consequenter iudicabitur simoniaca, si Seius conuenit cum Caio, & aliàs non.

3 Quinto, quod mea opinione, quam aliàs fulsi, collatio beneficij per simoniam inter alios initam facta ignoranti valet ipso iure: licet, cum primum scierit illam commissam teneatur illud renunciare, & potest certè dispendere fructus perceptos, donec nescierit. & consequenter nec ille, nec hæredes eius tenentur ad restitutionem. & ita Caius, qui percepit fructus de cõsensu Seij, & Lælij, videtur percepisse de consensu legitimorum administratorum, & cõsequenter non cogetur de rigore iuris ad restitutionẽ eorũ. Nec obstat, quod nemo debet reportare cõmodũ de sua iniquitate, nec consequenter Caius de simonia, quam (vt præmittitur) admisit ignorantibus Seio & Lælio. Quia responderi potest, quod non recipit immediatè de iniquitate sua cõmodum, sed ex donatione expressa vel tacita legitimorũ administratorum, quamuis eius iniquitas fuerit occasio iuris legitimorum administratorum. argumento ca. *quia diuersitatem*, [a] quatenus probat, quod ei, qui sua culpa fuit excommunicatus, quęritur commoditas suspendendi cursum tẽporis semestris dati ad conferendum collatoribus propter impedimentum excõmunicationis. argumẽto itẽ proxenetæ, siue mediatoris, qui persuaderet collatori beneficij, vt cõferret illud min⁹ digno, digno tamẽ, contẽpto digniore, licet peccaret, & mediãte illo peccato quæreretur beneficiũ illi minus digno, non tamen teneretur restituere, si quid ei alius legitimè daret, pl⁹ quàm alius, qui nil in ea re peccasset. argumento itẽ, quod mater quæ ex fornicatione genuit filiũ, posset accipere ab illo filio, quod sibi ille legitimè donaret ex bonis, quæ à patre fornicario iusta successione vel donatione quæreret. quia non capiunt commoditatem de iniquitate, sed de alio titulo bono, licet occasione iniquitatis obueniente.

4 Fortius tamẽ obstare potest id, quod aliàs defendimus, mediatorem simoniæ teneri ad restituendos fructus perceptos à simoniaco, si eos ille non restitueret. [b] Sed respõderi potest illud esse verũ in mediatore illius simoniæ, per quã collatio beneficij redderetur nulla ipso iure, qualis est simonia realis, quæ contrahitur cum ipsomet beneficiario, vel sciente & volẽte ipso, nõ autem in mediatore simoniæ mentalis tantùm, vel mentalis & conuentionalis tantùm, vel realis ignorante eo, cui confertur beneficium. Ratio diuersitatis sit illa, quod per illam nil iuris quæritur beneficiario, quippe quæ reddit titulum eius inutilem, & ipso iure nullũ: & consequẽter capit, & impẽdit fructus alienos sine iusta facultate id faciendi: & ita tenetur restituere ipse, vt quidam fur, & qui fuit causa; vt sic inutiliter & male acciperet, & dispenderet eos, iuxta extrauagantem, [c] per has autem non redditur titulus nullus, vt supra dixi: & ita durante ignorãtia iustè tenet beneficium, iustéque potest dispendere fructus eius, nec tenetur restituere eos post habitam de tali simonia notitiam. Salua, &c.

a *De confess. preb.*

b *Arg. ca. fin. de iureiur. & aliorum.*

c *De simon.*

### SVMMARIVM.

1 *Resignatarius pecunias necessarias pro expeditione literarũ resignanti vti amico, animo eas repetendi, vel compẽsandi cum terminis soluendæ pensionis, non autem in pretium resignationis mutuans, vel soluens, non est confidentiarius, nec simoniacus coram Deo; præsumetur autẽ talis in foro exteriori, nisi eas soluat sciẽte Pontifice, persona Datarij mediãte, nu. 2.*

## CONSILIVM LXXIV.

BALTHASAR resignauit beneficiũ, reseruata sibi auctoritate Apostolica certa pensione: resignatarius expediuit literas, & soluit expensas, etiã illas ad quas resignans tenebatur, recepturus, seu compensaturus cum terminis soluendæ pensionis. Petitur quid iuris.

1 Respondetur primò, quòd si probentur ea omnia quæ in facto narrantur, iudicandum est in foro exteriori in casu proposito interuenisse confidentiam per bullam Pij V. translatam à nobis in Man. confess. [d] eo quod per eam statuitur vnam de pręsumptionibus legitimis ad probandum confidentiã illicitam, esse expeditionem literarum Apostolicarum factam impensis resignatarij, vt in casu proposito facta fuit; nisi excusetur ea ratione, quod impensas illas fecisse videatur ipsomet Papa sciente, eo quod fecerit eas sciente & consentiente summo ipsius Datario. argumento eorum quæ vbi supra paulo latius [e] de excusatione eius, qui committit simoniam cum Papa, diximus.

2 Secundò respondetur, quod in proposito casu nulla est quo ad forum conscientiæ incursa confidentia illicita, de qua loquitur constitutio Pij V. quoniam, vt vbi supra paulo antea [f] diximus, prædicta extrauagans Pij V. non de omni confidentia etiam illicita loquitur, sed tantùm de illicita simoniaca: & in casu proposito verè coram Deo & quo ad forum conscientiæ nulla simonia cõmissa fuit; quia resignatarius nullatenus intendit emere beneficium, nec ius aliquod spirituale; sed solum mutuare pecunias ad expediendas bullas, animo repetendi, seu retinendi eas adueniente termino solutionis pensionis vel pensionum, sicuti quilibet alius amicus potuisset ei mutuare gratiose.

d *Ca. 23. nu. 110.*

e *Nu. 108.*

f *Nu. 109.*

### SVMMARIVM.

1 *Confidentia præsumitur in foro exteriori, si resignans à resignatario pensionem vel aliud recipiat.*

2 *Reſignatarius accepta poſſeßione beneficij ita demum poteſt reſignanti quid dare, ſi principaliter propter Deum det ipſi reſignanti egenti in eleemoſynam, etiamſi minus principaliter det, vt ſatisfaciat obligationi antidorali.*

3 *Intentio reſignatarij gratificandi reſignanti non nocet, ſicut nec intentio reſignantis, qui ea reſignat ſpe, vt tali cõferatur.*

## CONSILIVM LXXV.

I. RESIGNATARIVS dedit mandatum ad cõſentiendũ penſioni ſcutorum 500. reſeruandæ P. reſignãti: ſed P. dicto mandato noluit vti, tum ad vitandas expenſas: tum quia per matrimoniũ, quod volebat cõtrahere, prout cõtraxit, eſſet vacatura. Nunc prefatus I. qui poſſeſsionem dicti beneficij accepit, in ſignũ gratitudinis vellet ſe obligare ad donãdum ſingulis annis 400. ducatos P. dum viueret. Quæritur an licite quo ad vtrumque forum poſsit ſe obligare, ita vt neuter eorum poſsit timere ſuam conſcientiam iudicantem interius, nec iudicem exteriorem.

1 Reſpondeo primo, nullatenus poſſe præfatum I. obligare ſe ad dandos quotãnis d. P. prefatos 400. ducatos per bullam Pij V. cuius nos copiam edidimus in Man. cõfeſſ.[a] quæ inter alia continet expreſſe, quod ſi is qui renunciauerit aliquod beneficium eccleſiaſticum in fauoré alicuius, poſtea receperit à reſignatario aliquam pẽſionem, vel aliquos fructus ſibi, vel aliis ſuis cognatis, vel cuicumque alij, cenſeatur probata confidentia, per quam cenſeantur partes incurriſſe pœnas in præfata extrauagante contentas. quoniam per talem obligationem & ſolutionem probaretur præfata confidentia, qua probata iudex fori exterioris grauiſsimè poſſet illos punire, & iudicare collationẽ prefati canonicatus fuiſſe ſimoniacã, & ipſo iure nullã.

Secundo, difficile poſſe inueniri viã, per quam P. & I. tuti eſſe poſsint ab impugnatione, ſi per obligationem præfatã darẽtur & acciperentur prefati 400. ducati: quia per eãdẽ probaretur confidentia prædicta per modos probandi preſumptiuè nouè inductos per prædictã extrauagantem.

Tertio, quod, ſi præfatus P. nondum vxorem duxiſſet, facilius poterat excogitari aliquod remediũ, cui tamẽ non eſt nunc locus; cum P. non ſit capax penſionis, quã volebat I. conſtituere, vel potius ad conſtituendã eam conſentire.

2 Quarto, quod probabiliter defendi poſſet inueniri aliquod remedium, per quinque ſequentia. Primum, quod nulla cõfidentia ſimoniaca conuẽtionalis inter ſeſe, antequam præfatus I. per præfatam bullã accepiſſet poſſeſsionem pacificam, admiſſa fuerit. Secundum, quod ipſimet P. & I. ſoli conueniant coram Deo & confeſſariis ſuis, & verè pœniteat eos omniũ quæ voluerunt & excogitauerunt facere contra iura naturalia, diuina, & humana, circa præfatam reſignationem, confidentiam, & ſimoniam tacitam vel expreſſam, mentalem, vel conuentionalem, poſt præfatam poſſeſsionem acceptã; & quod proponant firmiter nullatenus vnquam ſe adiuturos ex aliquo capite rerũ inter ſe præteritarum. Tertium, quod præfatus P. non ſit diues, & verè indigeat ſecundum ſtatum ſuũ, ita vt ei poſsit iuſtè intuitu paupertatis erogari de reditib⁹ eccleſiaſticis aliqua pecunia de his, quæ ſuperfuerint I. ſeſe honeſte ſuſtẽtato. Quartum, quod I. promittat illam ſummã P. principaliter propter amorem Dei, & eleemoſynam; & etiam P. recipiat eam principaliter ob Deum, & eleemoſynam: quamuis minus principaliter poſsint habere reſpectũ minus principalem & ſecũdarium ad obligationem antidoralem, qua præfatus I. obligatur P. per illam legem naturalem, quæ obligat beneficiarium ad benefaciendum ſuo benefactori.[b] Quintum, quod præfati P. & I. faciant hæc omnia, & ſeruẽt ſecretiſsima; ita vt nullus alius præter ipſoſmet ſciat eſſe promiſſa, vel facta: & quod I. ſolus per ſe, & non per alium faciat illã eleemoſynã P. ſoli per ſe ſolùm illã recipienti, adeo vt nullatenus poſsint plenè probari.

3 Quinto principaliter dico, quod animus & ſpes gratificationis, quam P. habuit ante reſignationẽ ſine pacto & conuentione habita cum I. non poteſt nocere verè prædictis corã Deo; quia ſimonia mentalis ſola pœnitẽtia tollitur; iuxta c. fin.[c] & intentio reſignantis beneficiũ, vt conferatur tali vel tali, non nocet ſecundũ S. Antoninũ quem nos ſequimur.[d] Sed caueat P. ne cui hoc confiteatur, ita vt probari poſsit: quoniam hoc nouè inducit Pius V. vbi ſupra ſufficere ad preſumendam confidentiam, quamuis verè non ſit, vt nos ibi notauimus, &c.

*Pro eo, quod dicit ſupra n. 1. vide an obſtet quod dicit infra cõſ. 78.*

a Ca. 23. nu. 116.

b Leg. ſi non ſortem. §. libertus. ff. de cõdict. indeb.

c de ſimo.

d In d. ca. 23. num. 109.

### SVMMARIVM.

1 *Confidentia ſine pacto explicito vel implicito non contrahitur.*

2 *Promißio longe poſt habitam poſſeßionem facta reſignanti, qui peruenit ad inopiam, opus charitatis, non confidentia iudicanda eſt.*

3 *Confidentia non probatur per dictum ſocij inimici irati, & contrarij ei, quod iuratus dixit in iudicio.*

4 *Contraria cum dicit quis, præualet dictum in iudicio cum iuramẽto; & ſi vtrumque eſt dictum in iudicio cum iuramento, preualet id, quod eſt depoſitum in iudicio valido.*

4 *Fama, ſeu infamia à maleuolis orta nocere nemini debet.*

5 *Confidentia cenſetur, ſi ab eo qui gratis expediuit ceßionem, fiat retroceßio beneficij intra breue tempus, & non aliàs, ſicut nec ex datione alterius rei longe poſt traditæ.*

6 *Confidentia cenſetur quidem ex promißione beneficium retrocedendi ipſi reſignanti, ſed non ex promißione dandi fructus eidemmet.*

6 *Simonia, non confidentia committitur dando, ſeu promittendo dare fructus ipſi reſignanti.*

7 *Bona, & non mala eſt cenſenda actio, quæ in bonam vel malam partem intelligi poteſt.*

## CONSILIVM LXXVI.

EXCELLENTISSIME domine. Cum ex bullis Pij IIII. & Pij V. contra confidentiarios multa prohibeantur; & Pius IIII. in ſua bulla edita die xvij. Octobris anno 1564. ſex dicat: Primo, eccleſias omnes etiam Metropolitanas, ac beneficia quecumque in titulum vel cõmendã in confidentiam iure prohibitam recepta etiã per Cardinales, Sedis Apoſtolicæ collationi reſeruata à die receptionis eorũdem vacauiſſe declarat. Secundo fructuum etiã, ac penſionũ reſeruationes, ac facultates transferendi, ſeu beneficia conferendi, ſeu regreſſus omnes ab eodem die receptionis ceſſaſſe. Tertio, fructus omnes, &c. indebitè fuiſſe perceptos, & Camerę Apoſtolicę eſſe reſtituẽdos à quibuslibet, in quorũ man⁹ peruenerint in vtroque foro, &c. Quarto, Cardinalibus, & Prælatis in virtute ſanctæ obedientię, ac interdicti ingreſſus Eccleſiæ, omnibus autem aliis ſub maioris excommunicationis latæ ſentẽtiæ Sedi Apoſtolicæ reſeruatæ pœna præcipit, ne in poſterum quaſcumque eccleſias, ac cætera beneficia, penſiones, &c. vel regreſſus in confidentiã prædictã, aut ad effectum reſeruationum quarumlibet ſibi cedentibus poſtmodũ procurandarum recipiant. Quinto, omnes collationes, reſeruationes, regreſſus, &c. à quibuſcumque etiã Romanis Põtificibus factas cum interuentu confidentiæ huiuſmodi, ſiue expreſsè, ſiue occultè, ac de iure preſumptę nullas eſſe, ac beneficia ipſo iure vacare, Sedíque Apoſtolicę eſſe reſeruata, ac fructus Cameræ Apoſtolicæ deberi. Sexto, vt contra præfatos confidentiarios poſsit procedi etiam per præſũptiones & coniecturas legitimas arbitrio iudicum.

Et cum Pius V. in motu proprio edito die 5. Ianuarij anno 1568 dictarũ literarum Pij IIII. exequutionem, & omnium in eis contentorum cognitionem, ac cauſas omnes confidentiarum motas, & tunc etiam in futurũ mouẽdas, ad ſe, Sedemqúe Apoſtolicam aduocet, & reſeruet. Et ex eiuſdem Pij V. conſtitutione de confidentis beneficialibus die 1. Iunij anno 1568. octo notanda ſint. Primo, cẽſendam eſſe confidentiam, ſi quis beneficium, aut eccleſiam, &c. ex alterius reſignatione vel ceſsione ſimpliciter, aut cum circuitu retroceſsionis cum regreſſu, &c. etiam ſola dimittẽtis intentione acceperit, vt illud etiam in euentum regreſſus eidem dimittenti, vel alteri poſtea conferatur, aut illius fructus, vel eorum pars alij, vel aliis concedantur, pẽſionesve ſoluantur ex eiſdem ad dimittentis inſtantiam. Secundo, ſi collator quicumque contulerit antea, vel conferat in futurum beneficium quodcumque eccleſiaſticum ea conditione tacita, vel expreſſa, vt poſtea in alterum pro arbitrio collatoris, aut alterius contra iuris communis ordinationem diſponatur, vel vt prouiſus fructus beneficij, aut illorum partem ad vtilitatem conferentis, aut cedentis, vel alterius, &c. remittat, ſeu penſionem perſoluat. Tertio, ſi id à patrono etiam laico, aut præſentatore, &c. contingat fieri. Quarto, ſi Clericus Cameræ, Cardinalis,

vel alius à solutione iurium cameræ vel cancellariæ debitorum exemptus, post alicuius beneficij, &c. resignationem in se factam, illud etiam literis confectis, & possessione accepta, in resignationem modico spatio interiecto, veluti duorum aut trium mẽsium retrocesserit vel in futurum retrocedat, & ex retrocessione fructus beneficij, vel eorum pars, pensio aut quiduis aliud super illis, aut etiam regressus, &c. ipsi exempto reseruatus sit hactenus, vel in posterum reseruetur. Quinto, si quis absolutus crimine aliquo, vel cum quo sit super irregularitate dispensatum, denuo receperit beneficium, &c. quod ante, vel post delictum commissum, aut contractam irregularitatem dimiserit. Sexto, quod in his casibus singulis, cõfidentia sit contracta, & in bulla Pij IIII. omnes cõprehendantur, ac si speciatim in ea fuissent expressi, licet confidentiæ crimen alterius tantum partis cõscientia sit admissũ. Septimo, omnes, qui beneficia, seu Ecclesias, fructus, aut pensiones, &c. per cõfidentiã receperũt, ea tenerí, nisi illis statim dimissis resipiscãt: & qui in posterum tale quid admiserint, omnibus aliis beneficiis, pẽsionibus, &c. officiis etiam temporalibus priuat, & ad futura inhabiles decernit, ac excommunicationis latę sentẽtiæ pœna dãnat, quã Romano Põtifici reseruat. Octauo addit coniecturas, quas vult haberi legitimas ad probandam confidentiam. His suppositis quæritur quid iuris in hoc casu.

F. resignauit parochialẽ Ecclesiã in manibus Sãctissimi ad fauorẽ P. cũ ea pẽsione, quæ Sãctissimo videretur, quæ fuit ei reseruata centũ ducatorũ, tãtũ, & fuerũt bullę expeditę & apta per dictũ P. possessio. Deĩde dictus F. qui sperabat quod maior pẽsio fuisset ei reseruata, cępit contristari, & tentauit variis modis quod dicta pẽsio 100. ducatorũ extingueretur per dictũ P. pro 1500. ducat. dictus P. noluit dicto F. cõplacere nisi ea quę fierent fuissent licita & honesta, & cũ licentia Sedis apostolicæ. & hĩc intrauit ille in tã magnam iracũdiã quod cępit publicare, quod in dictis tractatibus super resignatione interueneriunt illicita pacta & simoniaca, eo quia resignauerat d. beneficiũ in confidentiã hoc modo, quod conuenerãt, vt ea pensio quæ reseruaretur, siue parua, siue magna, extĩgueretur dimidia hora post captam possessionem pro 1500. ducat. & quod, quia cũ eo non obseruabatur hoc pactũ, erat facturus quod dictus P. amitteret beneficium, etiã si eius propriã animam immitteret in infernũ, & quod erat eũ pugione occisurus: & hoc furore percitus scripsit certas literas missiuas Romã in quibus rogabat quẽdã curialẽ, vt obtineret ei absolutionẽ ab huiusmodi simonia, & cõfidentia, & dedit alio curiali Curiæ Regis alias similes relationes ad eũdẽ effectũ obtinendi absolutionẽ; & inter plures personas d. oppidi sparsit huiusmodi rumorem, quod dictũ suum beneficiũ dederat simoniacè, & in cõfidentiã in præsẽtia duorum vel trium mediatorũ, quos nominabat modo prætmisso. Deinde quia d. F. cępit egere, & male se habere, quidam communes amici fere per tres annos post captam possessionem rogarunt d. P. quod in eleemosynam, & amore Dei, & vti opus caritatis daret d. F. vltra dictã pẽsionẽ certũ quid singulis annis, & ipse spõte & propter dictas causas fecit obligationẽ infra scriptam.

*Dico P. ego Rector parochialis oppidi de N. quod pro quanto ego tribuo d. F. centũ ducatorũ pensionẽ annis singulis per bullas S. Sãctitatis. & multæ personæ me informãt, quod non sufficiunt pro sustentatione sua congrua, & alimentis, quod similiter ego intellexi; propter quod, & ad faciendũ seruitium, & quia est mea voluntas, vltra dictam pensionẽ quam eidẽ debeo soluere dando tres regales qualibet die, eidẽ dabo, & soluam decẽ & octo mille morapetinos per anni terminos, qui decẽ & octo mille morapetini currere incipiãt à die S. Ioãnis Iunij proximè futuri, & amplius dimidiã fanegam tritici qualibet hebdomoda à d. die & pãnũ pro veste, &, mãtello, dummodo pretiũ cuiusuis mẽsuræ non descẽdat à triginta regalibus, nec ascẽdat ad quinquaginta; & huiusmodi vestimentum ipsi sũ daturus pro die S. Ioãnis Iunij anni supra scripti; & pro istorũ complemento obligo meam personã, & bona, & intelligitur quod omnis pecunia, quam sum daturus de pensione. & incremento, esse debeant quinquaginta mille morapetini vltra pannum, & frumentum. Factum in oppido de Chinchon die 20. April. anni 1573. Et vestimentum dabitur in principio mensis Septembris, & cætera adimplebo totum tempus quo fuero Rector Ecclesiæ huiusmodi oppidi. Sum testis N. N.*

Hinc factũ, fuit quod quidam A. impetrauit dictã parochialem certo modo tãquam vacantẽ per simoniam, & cõfidẽtiam, & expediuit literas, & illas præsẽtauit ordinario Toletano, coram quo fuerũt hĩc inde factæ amplæ probationes: & dictus F. variis vicibus examinatus in iudicio cũ iuramẽto deposuit pro exoneratione suę consciẽtię, quod, dicti eius clamores, & relationes, & verba turpia contra dictum P. per eum prolata fuerũt falsa & pura mendacia, & machinata cũ illo furore, vt illum perderet, & quod nõ habet culpam vllam, sicuti vnus Angelus: & similiter mediatores examinati partim pro P. partim pro F. deponunt nulla omnino pacta illicita interuenisse, sed potius dictũ P. ordinasse vt omnia fierent cum omni securitate conscientię; & dictus ordinarius dictum P. absoluit ab huiusmodi imputatione per suam definitiuam sentẽtiam; à qua sententia appellauit A. & cõmisit causam in sacra Rota R.P.D. Lancelloto, & cœpta coram eo disputatione, videlicet dato dubio, supplantauit tribunal Rotę, & auocauit causam ad tribunal confidentiarum. & per R.P.D. Iudicem confidentiarum datur dubium, an probetur huiusmodi confidentia ex dictis literis missiuis F. & ex relationibus datis curiali: & similiter adducitur pro parte fisci supradicta cedula obligationis factæ per d. P. per duos annos post captam possessionem.

Pro parte dicti P. ad literas missiuas & relationes respõdetur primo, nequaquã esse veras, sed cõfictas per dictũ F. illo tẽpore quo erat in tã ardentissimo furore & ira contra dictum P. & quod fuerunt actus extraiudiciales, & quod standum est dicti F. depositionibus in iudicio iuratis, & pluries geminatis, in quibus reuocat & se retractat ab omnibus quę publicauerat contra dictum P. Secundo principaliter respõdetur quod dictę pretensæ conuentiones licet essent verę, prout nullo modo sunt, nullã penitus continent confidentiam: namque illud pactum de extinguendo pensionem dimidia hora post captam possessionem non est confidentiale de contentis in constitutionibus, quas supplicamus reuideri, & pręsertim in definitione seu descriptione confidentię; sed potius fuisset simoniacum. & ideo lis huiusmodi deberet finem accipere in sacra Rota.

Ad secundum fundamentum fisci de cedula facta per duos annos post captam possessionem de dando dicto F. certum quid vltra dictam pensionem cẽtum ducatorum, respondetur quod ista cedula probatur quod fuit facta ad preces quorundam amicorum, qui miserebantur de dicto F. & non virtute alicuius pacti pręcedentis. Et dictus P. examinatus super dicta cedula respondit vt infra.

Ad duodecimũ interrogatoriũ dixit, quod iste deponẽs nũquam habuit differentiã nec litem super contẽta in d. interrogatorio: & illud quod transit, est, quod duobus annis cum dimidio, postquam iste deponens posidebat d. beneficium curatum successit pręfatũ F. esse valde grauatum, cuius causa erat valde pauper, & egenus; & quamplurimę personę honoratę illius oppidi charitate motę, in quibus fuerunt nonnulli amici, qui deprecati sunt hũc deponẽtem, quod amore Dei inter eleemosynas, quas faciebat, recordaretur de dicto F. qui erat valde pauper, & egenus, & infirmus: & quod iste declarãs visa magna necessitate dicti F. illi promisit, fecitque promissas vel scripturas, quod recordaretur illi porrigere singulis annis vnã vestem fotanam vulgariter nũcupatam, & vnũ togamentũ, & 26. fanecas tritici, & nescio quot morapetinos & nummos, de quibus non recordatur, istud plus & citra dictos centum ducatos quos illi dat annuatim pensionis, & quod istud illi dabat propria & spõtanea volũtate amore Dei, & quia illum videbat in illa necessitate, non autem vt ille fuisset obligatus alicuius rei: & quod postea fuit sanus, & plus reparatus dictus F. & quod iste deponens abstinuit se plus illi dare dictam eleemosynam. Quare dictus F. posuit petitionem huic confessanti: & in effectu Administrator, & Gubernator Archiepiscopi Toletani, coram quibus causam posuit illum condemnauerunt, vt sibi daret annuatim quindecim mille morapetinos, & 26. fanecas tritici plus, & vltra dictos centum ducatos pensionis, quos ita soluit, vt solitus est, annuatim

dicto F. quia iustitia ad hoc illũ compellit: & quod hoc est verum de cõtẽtis in d. interrogatorio, & reliqua negat.

Supplicatur D. V. pro sua innata caritate, & presertim in subleuandis oppresis, dignetur in huiusmodi casu pro domino P. reo approbato de bona vita & fama per egregias personas, vt eius bonum ius luceat apud sanctissimum mediante lucerna suarum vigiliarum.

ÆGERRIME ADDVCOR ad respondendum pro diuitibus quæstionibus in maximo Rotę prætorio, vel in aliis Vrbis, disputandis, & decidendis. Tum quod occupatus alijs nequeo pro dignitate tantorum iudicum respondere. Tum quod videor mihi noctuas Athenas portare, dum maxima eruditione redundantibus viris parum erudita offero. Sed quia in hac causa id nequeo negare, dicam paucis, quod mea sententia, salua præfatorum censura, prefatus P. non debet censeri admisisse confidentiam vllam à feliss. record. Pio IIII. & Pio V. puniri iussam.

1 Primo quidem, quod non probatur verè, vel præsumptiuè vllum pactũ expressum, vel tacitum, quo ipse quicquã promiserit F. vt præfatũ beneficium curatum in eius fauorem resignaret, præter pensionẽ annuam centum ducatorum de cõsensu & mandato S. D. N. soluendam: sine quali pacto expresso vel tacito non potest consistere confidentia præfata, vt colligitur ex præfatorum Piorum extrauagantibus relatis à nobis in Manu. confess. [a]

2 Secundo, quod promissio illa quam post tres circiter annos ab habita possessione prædicti beneficij præfato F. fecit, per quam ex aduerso contẽditur admissã fuisse præfatam confidentiam, non solùm non arguit simoniacam confidentiam, sed contra spirat & odorat maximam caritatem, & misericordiam erga suum proximũ, & bene factorem, & exequutionem illius precepti, *Frange esurienti panem tuum, & si videris nudũ, cooperieum;* [b] & illius legis naturalis, *Benefacientibus benefac.* [c]

Tertio, quod ipse probat se post bieniũ ab habita possessione fuisse rogatum à multis, vt iuuaret fructibus sui beneficij præfatum F. virum nobilẽ, & pro sua qualitate pauperem, & de numero eorum, quibus superflua beneficiorũ sunt elargienda, iuxta c. vlt. [d] vnde accusare illũ de opere tam pio est contra Euangeliũ [e] de bono opere lapidare.

3 Quarto, quod nullatenus probantur fuisse vera illa, quæ prefatus F. ira commotus scripsit Romam, & sparsit in vulgus falso de confidentia prædicta. Tum quod nemo alius: quam ipse, testatur de illis, & vni non creditur, [f] Tum quod inimico non creditur, [g] etiam in crimine simoniæ, [h] & præfatus F. dicebat se esse participẽ præfatę falso assertę cõfidentię. Tũ quod illa scripsit & sparsit extra iudiciũ, & cõtrarium postea iuratus solemniter testatus est in iudicio, dicens ea fuisse falsa, & malo iracundóque animo prolata, eo quod minor pẽsio, quam ipse putabat, fuisset sibi à S. D. N. cõstituta, sine vlla tamen culpa prefati P. qui ingenuè dederat mandatum ad consentiendum pensioni, quę S. D. N. videretur constituenda. Cum ergo illa quę contra P. dixit F. dixerit irato animo, & extra iudicium & omnino contraria ijs quæ dixit in iudicio cũ iuramẽto, nihil debent prefato P. nocere: partim per regulam illam solemnem. ff. *quicquid calore iracundiæ vel fit, vel dicitur* &c. adiuncto commento, quod in illam facit Ludouicus Romanus. [i] Tum quod cùm quis dicit aliquid extra iudicium, & postea contrarium eius iuratus in iudicio, standum est ei per glossam notabilẽ vltimam, [k] quæ probat hoc procedere etiam, si primũ dixit in iudicio nullo. & hęc est communis opinio, & verior, vt late tradunt Felinus, [l] & citati ab eo contra Bartholum & quosdam alios.

4 Tum denique quod dicta aliorum testium de rumore vel fama deponentium nihil debent nocere præfato P. quoniam fama, vel infamia, quę nascitur & habet originem à maleuolis & inimicis, nullius est efficacię, vt est in cap. *qualiter & quando* [m] vbi glossa 1. recepta communiter habet, iudicem nihil facere debere rumorem, vel famam ortam ex maleuolis & inimicis: quod ipsum probat cap. *in cunctis* [n]. Et constat præfatum rumorem, famã, vel infamiã ortã fuisse à præfato F. maleuolo, inimico, & iracũdię minarumque redundante, & ita nullius debet esse efficaciæ.

5 Quinto, quod prædictæ Piorũ cõstitutiones non intẽdunt prohibere beneficiarijs, ne quid vmquam donẽt eis, per quorũ collationem, vel renunciationem, electionem, vel præsentationem obtinuerunt beneficia ecclesiastica. Tum quod id fuisset statuere contra legem naturalem, quod non poterant, [a] quia obligatur quisque prius benefacere illis, quam aliis, à quibus talia beneficia non accepit, iuxta illa verba cap. *cum in officiis.* [b] *Cum in officiis caritatis primo loco illis teneamur obnoxij, à quibus beneficium nos cognoscimus accepisse.* Tum quod in dicta extrauagante Pij V. est casus pro hoc à contrario sensu, quatenus probat, quod tunc retrocessio eius, qui gratis expediuit, arguit confidentiam, quando illa intra breue tempus fit, & non alias. Cum ergo opus prefatum pium & misericordiæ fuerit factum à P. F. post circiter tres annos, nullatenus vllam arguit confidentiam illicitam. Tum quod alioquin vix vmquam vlla renunciatio liberalis & simplex alicuius beneficij pinguis reperiretur facta ab vno amico ad alium saltem in eadẽ ciuitate vel oppido degentem, quæ non debeat iudicari confidentiaria, si aliquot annis in eodem conuixerint: quandoquidẽ vix reperietur vllus adeo ingratus, vt nulla munera, nulla obsequia, & officia, vel opera bona retribuat ei intra tãtum tempus. quin ausim dicere, quod vix vllus Cardinalis, Archiepiscopus, vel Episcopus habens ius conferendi beneficia pinguia inueniretur hodie in Vrbe, nec in orbe, qui non deberet præsumi confidentiarius, si tributio facta post collationem, etiam post duos, vel tres annos, argueret huiusmodi confidentiã: quod est absurdum, & ita nullatenus dicendũ. [c] Tum quod sic intelligere præfatas extrauagantes pias quidem, sed pœnalissimas, & odiosas, est nimis emũgere, & elicere sanguinẽ, contra Salomonem [d] relatũ in cap. *denique.* [e]

6 Sexto, quod illa extrauagans Pij V. habet argui quidem cõfidentiã, eo quod resignatarius promittat expresse vel tacitè retrocessionem in cedentem, vel in alium, & etiam ex promissione dandi fructus beneficij alij, vel alijs; non tamen habet, quod ex promissione dandi fructus ipsi cedenti arguatur confidentia: quod maximè aduertendũ est quo ad hunc casum, in quo præfatus P. nihil promisit alij, vel alijs cognatis, vel amicis F. sed ipsi soli. Nec obstat huic argumento, quod si datio fructuum alij, vel alijs cognatis, vel amicis arguit confidentiam, à fortiori arguit datio fructuum eidem. Tum quod satis est quod illa extrauagans non iudicat hoc esse confidentiam, & non est amplianda, vt pœnalis, & odiosa. Tum quod dare vel promittere eidem fructus, simoniam quidem arguit, sed non confidentiã, sicut dare vel promittere fructus alij, vel alijs: quia hoc arguit, quod resignans confidit resignatario, & conuenit cum eo vt daret illis.

7 Septimo, quod in dubio nihil est censẽdum malum, [f] & quod dispositio, quæ potest apte intelligi in bonam & malam partem, debet intelligi in bonam. [g] At non solum non constat quod promissio illa facta F. à P. fuit mala, imo probatur quod fuit pia, sancta, & Deo grata, & multis amicis & piis hominibus rogantibus amore Dei misericorditer facta; ergo nullatenus est intelligẽda facta in cõplementũ cõfidentiæ malæ, ingratę, & odiosæ Deo, & eius Ecclesię sãctę, quę nũquã probat̃ interuenisse. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Confidentiarum Pij V. constitutio in resignationibus tantũ simplicibus locũ habet, nõ autẽ in factis ex causa permutationis.*

## CONSILIVM LXXVII.

FACTA permutatione beneficiorum inter duos iuridicè, alter, recepta possessione beneficij per permutationem quæsiti, accepit etiam fructus beneficij antiqui collati cõpermutanti nondũ possessionem adepto. Quæritur an sit locus bullis Pij IIII. & V. de confidentia.

1 Respondeo, non videri iudicandum locum esse in casu proposito bullis Pij IIII. & V. contra confidentias publicatis. Tum quod illæ bullæ, vt nos dicimus in Manual. confess. [h] tantùm afficiunt confidentias illicitas, & simoniacas, qualis non fuit facta in prædicta permutatione iuridice facta. Tum quia Bulla Pij V. loquitur de resignationibus beneficiorum, quæ simpliciter fiunt in fauorẽ aliquorum, & non de illis quæ fiunt per permutationes iuridicas. Tum quia non est eadem ratio in vtrisque illarum, & constitutiones illæ maximè pœnales non sunt extendendæ de alijs casibus ad alios, per iura vulgata. Tum

quod

---

a Cap. 23. nu. 110.

b Esai. cap. 58.

c In l. si non sortem. §. libertus. adiũcta gloss. ver. natura. ff. de cond. indeb.

d 16. q. 1.

e Ioan. 10.

f Cap. à nobis de testib.

g Ca. cum P. de accusat.

h Ca. per tuas il grãde. vers. hæc omnia. de simonia.

i In sing. 508.

k Cap. cum causam. de testib.

l In ca. cum in tua de testib. num. 7.

m Il 2. de accusat. in princ.

n 11. q. 3. cap. cum in iuuẽtute. de purgat. canon.

a Cap. sunt quidã. 25. q. 1.

b De testam.

c Leg. nam quod absurdum ff. de bonis liber.

d Prouerb. 30.

e 4. Distinct.

f Ca. 1. de reg. iuris. & l. merito. ff. pro socio.

g Leg. si procurator. ff. de condict. indeb. & l. benignus. ff. de legibus.

h Cap. 23. nu. 109. & 110.

quod nulla earum facit mentionem de resignatione per permutationem. Salua. &c.

SVMMARIVM.

1 *Resignans si post captam possessionem à resignatario, constituatur vicarius ad regimen beneficij, licet illud regat de iure in vim dictæ deputationis, & non de facto, confidentiarius tamen præsumitur; item & si loco pensionis sibi reseruatæ accipiat vsumfructum aliquorum bonorum beneficij. num. 2.*

## CONSILIVM LXXVIII.

SVPPLICATVR D. V. quatenus pro sua pietate & caritate dignetur resoluere duas quæstiones, quæ continentur in extrauagante Pij IV. & Pij V. quarum vna est: Siquis post cessam ab se Ecclesiam, aut monasterium, aut beneficium, & publicatam resignationem, seu cessionem, captamque à successore possessionem, sese in illa, vel illo, seu rebus illius per se, vel alium, vel alios de facto iniecerit, aut fructus perceperit, &c. prout legitur,[a] in eius Manual. confess.[b] & eo posito, quæritur primum, vtrum Abbas, qui ita, vt supra dictum est, cessit, posset ex successoris sui commissione, & in eius absentia regere eius abbatiam cessam. Videtur enim illa coiectura intelligi de eo, qui de facto sese iniecerit, & propria auctoritate, non autem ex commissione, & vt procurator.

a In ca. 23. in materia de simon.
b Nu. 109. & 110.

Secundo quæritur, Abbati, qui cessit, & cui Apostolica auctoritate reseruata est pensio, vtrũ eius successor potest assignare pẽsionem suam super certis possessionibus monasterij, vt earũ vsumfructum pro sua pensione percipiat.

1 AD PRIOREM respondetur, quod præfatus D. Abbas cedens non potest gerere, nec administrare abbatiam cessam, neque quicquam accipere ex illa, etiam ex consensu, & mandato, seu commissione dicti Abbatis cessionarij: nam coniectura, quæ sumitur ex verbo (*de facto*) pro cõtraria parte, tollitur ex multis alijs verbis eius extrauagãtis, & ex mẽte illius auctoris: quamuis enim coram Deo & quo ad forum conscientię nõ videatur ex hoc colligi vera confidentia vetita, quo ad forum tamen exterius colligeretur præsumptio.

2 AD POSTERIOREM respondetur, non esse tutum soluere pensionem in pecunia numerata constitutam per concessionem vsusfructus, præsertim ad multos annos: quoniam facile præsumi potest quo ad forum exterius saltem prædicta confidentia. Quare consulo D. meo consulenti, vt de licentia Papę faciat id, quod ex his volet concedere, & seruet semper eiusmodi facultatẽ scriptam: quia etiã inter monachos religiosissimos aliquot ęmuli solent latere vsque ad tẽpus suis malis propositis cõgruum.

*Aduertendum, Nauarrum hoc consilio, & consilio 75. nu. 1. tenere committi confidentiariam simoniam, si resignanti detur pars fructuum beneficij. contrarium tenet consil. 32. & consil. 33. in fi. & consil. 76. nu. 6. Contrarietatis causa fuit, quia litera dictæ bullæ Pij V. habebat illam dictionem,* illi vel aliis. *& secũdum illam procedit quod dicit hic, & d. consil. 75. nu. 1. postea verò aliæ impressiones cœperunt habere aliam literam, videlicet hanc,* alij vel aliis: *& hæc est modo vsu recepta, & ita procedit opinio, quam ponit d. cõsil. 32. 33. & 76. & hæc modo tenetur.*

SVMMARIVM.

1 *Confidentia non inducitur ex sola resignatarij intentione intendentis illud ad voluntatem resignantis dimittere, etiam si cum hac similis concurrat resignantis intentio: probata autem hac intentione in foro exteriori præsumetur. nu. 2.*

2 *Beneficium vnum sufficiens habens, si post Concilium aliud accipit, debet alterum relinquere: ante Concilium autem habita non cogitur resignare.*

## CONSILIVM LXXIX.

HABENS beneficium sufficiens, capellaniam ex resignatione accepit, intentione illam ad resignantis nutum renunciandi: nulla tamen interuenit conuentio, nec pactum. Quæritur an sit admissa confidentia.

1 Respondeo primo, quod in hoc casu coram Deo & in foro interiori nulla est confidentia, qua incurrantur pœnę motus proprij Pij V. quoniam, vt scripsi in Manu. cõfes.[c] nec Pius IIII. nec V. quorum extrauagantium summa, & quatenus opus est ad literam transcribuntur,[d] nihil sanxerunt contra confidentiam, quæ ante illos erat licita; sed solum contra eam, quæ erat illicita, & simoniaca, & in hoc casu nulla talis inuenitur: quia nulla interuenit conuentio, nec pactum illicitum; & sola intentio vnius partis, imo nec ambarum, non inducit verè simoniam, vt ibidem & paulo ante probatur.

c Cap. 23. à num. 109.
d Num. 110.

2 Secundo, quod in foro exteriori præsumeretur confidentia illicita comprehensa in d. motu proprio, si probaretur intensio recipientis beneficium. Quare cauere debet D. consulens, ne eam ita confiteatur, vt probari possit: quamuis meo consilio ipse relinqueret illam capellaniam, si accepit illam post Concilium Tridentinum, quo prohibitum est, ne quis habens vnum beneficiũ sufficiens aliud accipiat: licet, si ante illud accepit, posset retinere, iuxta opinionem Cardinalis,[a] quam ego soleo sequi, & sequor in Manu.[b] quia consulens vt vir pius seruabit ea, quę opinio eius requirit ad vtendum ea. &c.

a In clem gratiæ de rescrip.
b Cap. 25. à num. 125.

SVMMARIVM.

1 *Confidentiam admittit quidem impetrans alicui beneficium, & confidens quod illud postea in sui fauorem sit renunciaturus: sed nõ est prohibita. nu. 5. sicut nec qui confert, aut procurat conferri alicui, sperans quod collatarius rogatus illud in sui vel alterius resignabit fauorem. num. 7.*

2 *Confidentia an alterius tantum partis conscientia admittatur. num. 5.*

3 *Beneficium alicui procurans, vnde sibi, vel alij quid eueniat, simoniacus confidentiarius videtur: sed hoc tũc procedit, quãdo hic procurat vt fructus capiat, & de illis ad libitum suum disponat. num. 6.*

4 *Confidentia tantum illicita bullis Pij IIII. & V. damnata.*

## CONSILLIVM LXXX.

QVIDAM residens Romæ monitus à fratre suo deuacatione cuiusdam beneficij, vt illud impetraret sibi illud impetrauit pro fratre suo, & expediuit literas, quas misit ad fratrem, ad quem etiam scripsit literas priuatas, quibus significabat noluisse impetrare illud beneficium pro se sed pro illo, ea spe quod ipse renuntiaret illud in fauorem eius, quando esset adeptus sustentationem sibi decetẽ. & frater in Hispania manens accepit possessionem, quam tres annos continuauit: post quos frater, qui, impetrauit, existens Romæ, rogauit prædictum fratrem, vt resignaret prædictum beneficium in sui fauorem: & frater in Hispania manens statim misit mãdatum ad resignandum & scripsit ei, quod ea mente semper possedit illud, vt resignaret in suum fauorem quandocũque vellet: & ita resignatione facta, & expeditis literis accepit possessionẽ.

1 Quæritur, an in præmissis interuenerit vlla confidentia damnata.

Pro parte affirmante facit primò quod frater residens Romæ impetrauit beneficiũ pro fratre suo, cõfidens, quod ille renũciaret illud in suum fauorem, quando ipse vellet, ergo habuit confidentiam, quod ille resignaret, cum confidens habeat confidentiam, sicut amans amorem, & cognoscens cognitionem: cum anima hominis non per se ipsam, sed per qualitates & accidẽtia à se producta intelligat, & appetat, sicut etiam angelus; quia solus Deus est simplex sine vlla cõpositione,[c] etiam formæ ad subiectum vt ait glossa[f] ita quod ipsemet est sua intelligentia, & voluntas, vt declarant omnes,[d] & S. Tho.[e]

2 Secundo, quod fel. rec. Pius V. in sua extrauagante *intolerabilis* quam referimus in Man conf.[f] inter alia constituit, sufficere ad constituendam confidentiam, vt vnus inter, quos dicitur habita, habuerit illam, vt colligitur ex illis verbis, *etiam sola dimittentis intẽtione receperit.* & ex illis, *licet ipsum confidentiæ crimen alterius tantùm partis conscientia sit admissum.* Cum ergo orator tempore impetrationis habuerit confidentiam, licet frater eius nesciret, videtur cõtracta confidentia.

c Cap. firmiter. de sũma Trinit.
d In 1. senten. dist. 9.
e 1 par. q. 3. art. 6.
f Cap. 23. nu. 110.

3 Tertio: quod procurans & quærens alicui beneficiũ, vnde ipse, vel alius cognatus eius accipiat aliquod commodum, videtur confidentiam beneficialem admittere, vt prædictus Pius V. videtur expresse dicere.

Quarto, quod frater existens in Hispania renuntiauit, in fauorem fratris, qui Romæ impetrauit, propter confidentiam quam habuit de ipso frater impetrans.

His tamen non obstantibus, contrarium videtur iudicandum, saltem in hoc foro conscientiæ. Tum quia extrauagantes illæ Pij IIII. & Pij V. non damnant nec puniunt omnem cõfidentiam; sed solum illicitam, & simoniacam

& quæ ãte illas extrauagantes erat illicita, per ea quæ nos vbi supra [a] scripsimus, quæ ibi legi possunt. At confidentia prædicti fratris impetrantis nõ erat ante illas extrauagantes illicita, per scripta vbi supra: [b] quæ etiam ibi videri possunt. Tum quia, si prædictus orator ob prædictam spem & confidentiam iudicandus esset admisisse cõfidentiam illam damnatam, & punitam à prædictis Pijs; consequeretur omnes fere collatores, electores, & præsẽtatores qui conferũt beneficia suis cognatis, familiaribus, & amicis, aut præsentant eos ad illa, immo & intercessores, & impetratores, qui procurant vt beneficia conferantur eis, dicerentur admittere confidentiam; quod tamen dicere, & iudicare, esset absurdum, & ab omni humana societate & charitate Christiana alienum. Quotus enim quisque præfatorũ facit prędicta, qui nõ speret, & confidat, quod illę cognatus familiaris, vel amicus, cui confert, vel quærit beneficium, aut pręsentat ad illud, non speret aliquã gratitudinem ab eo, & confidat, quod ipse erit sibi gratus, & faciet in gratiam eius aliquod magnũ, vel paruum? Quotus item quisque est, qui recipit beneficium, qui non concipiat animam retribuendi, & ostendendi aliquam gratitudinem erga benefacientẽ sibi? cum iure ipso naturæ sit constitutum, vt benefacientibus benefaciamus. [c]

a Num. 109.
b Ver. [illegible] decimum.
c Leg. si non sortem. §. libertus. ff. de cõdict. indeb. adiuncta eius gloss.

5 Non obstant opposita. Ad primum enim respondetur, concedendo prædictum oratorem habuisse quidem confidentiam; negando tamen, quod illa fuit illicita, & simoniaca damnata, & punita à prædictis Pijs, sed licita; & honesta, iurique naturæ consona: quia nullum pactum, nec vlla cõuentio interuenit ante impetrationem, nec literarum expeditionem inter ipsum, & fratrem suum: & cõtra iuris canonici expressos canones est dicere, quod est illicitum sperare aliquod beneficium ecclesiasticum à prælato, vel Ecclesia, cui seruit, vel ab hero, siue patrono intercessionem ad habendum illud; modo cessent pacta, & obligationes ciuiles additæ obligationi naturali, & antidorali, qua beneficiarius tenetur beneficio. [d]

Ad secũdũ respõdeo id, quod respõdi vbi supra [e] in adnot. 1. & 6. addita extrauaganti Pij V. qđ ibi videri potest.

d Cap. si officia. 59. dist. & cap. quid proderit. 61. dist.
e nu. 110.

6 Ad tertiũ respondeo, quod Pius V. non damnat omnes qui procurant aliis beneficia, sed solùm qui procurant, vt de illis postmodum ad libitum suum disponatur, fructus etiam percipientes illorum: quod non fecit prædictus frater impetrans, vt constat ex facto.

7 Ad quartum respondetur, quod, sicut confidentia bona & licita nihil nocet licitè cõfidenti, nec actui, quem licitè confidendo facit per prædicta; & quia rem quæ culpa caret, in damnũ vocari non conuenit: [f] sic nihil debet nocere illi, qui facit illud quod licet, per regulam sine culpa sua nõ est quis puniendus: [g] & ita quotidie maximi prælati & domini cõferunt, & cõferri procurant aliqua beneficia aliquibus familiaribus, de quibus confidunt, quod facient ea, quę iustè ipsi rogauerint, nullo tamen pacto pręmisso, nec vlla promissione de faciendo ea; quę ipsi rogauerint; & postea rogati ab eis vt illa beneficia renuntient libere in manibus suis, vel in manibus Papę, vt conferantur alijs dignioribus, vel sibi ob aliquod iustum respectũ gratioribus libenter & licitè rogata pręstant; quos nemo iudicat, nec licite potest iudicare confidetiam illicitam cõmittere per prędicta: & quia alioqui bona pars maximorũ prelatorum & dominorũ periret; quod tanquam absurdũ non est dicendum [h]

f Cap. 2. de constitutio.
g Cap. sine culpa sua non est quis puniendus. de reg. iur. lib. 6.
h Leg. nam quod absurdum. ff. de bonis liber. &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Iactatoria verba generalia, etiamsi simul admisceantur aliqua specialia, non inducunt nec confidentiam, nec simoniam.*

1 *Simonia potest cõmitti nõ solũ per promissiones, quæ fiunt antequã ius ĩ beneficio acquiratur, sed etiã per illas quæ fiunt postea, antequã vel literæ expediãtur, vel possessio apprehẽdatur.*

1 *Ius in beneficio acquiritur eo ipso, quod Papa signat supplicationem collationis.*

CONSILIVM LXXXI.

CARDINALIS quidam impetrauit à Papa beneficiũ cuidam suo familiari, & signata supplicatione per Papam, iussit suo solicitatori, vt non curaret expedire literas. quod cum venisset ad notitiam prefati familiaris, dixit Cardinali, se cum omnibus, quę habebat, & præfatũ beneficium esse paratum eius obsequio, & voluntati, quibus dictis Cardinalis respondit, se esse contentum, vt ipse expediret literas, & caperet possessionem, si non efficeretur certum quid, quod non fuit effectum. Quęritur, an, si pręfatus familiaris expediuit literas, & cœpit possessionem, incurrerit pœnas confidentiæ contentas in bullis Pij IIII. & Pij V.

1 Respondendum videtur, quod non: quia familiaris nõ promisit Cardinali quidquam certum, vel obligatorium, sed per verba generalia iactantię, quę non obligãt, [a] & antequã illa promissio vel oblatio iactatoria facta fuisset, iam ius erat quęsitũ familiari per solam collationem signaturę, iuxta cap. penult. [b] c. *si tibi absenti*, [c] & pręsupponit Rota, [d] Felinus & Decius. [e] Nõ obstat; quod promissio fuit specialis de disponendo dę beneficio ad libitũ Cardinalis: quia simul fuit generalis ad complacentiam. [f] Nec refert, quod fuit ante possessionem, & literas expeditas, quarum expeditionem, & possessionem potuisset impedire Cardinalis, stante quod non solùm committitur simonia per promissionem ante iuris acquisitionem, sed etiam ante possessionis adeptionem, Abbas receptus, [g] quia respondetur eadem ratione, qua superius, scilicet, quod promissio fuit vana, iactatoria, generalis, & ad cõplacentiam. Cæterum puto expedire in hoc casu, vt idem familiaris supplicet eidẽ Cardinali, vt remittat sibi huiusmodi qualem qualem promissionem, & sit contentus illa naturali, quę nascitur ab instinctu naturę, vt benefacienti benefaciamus, iuxta leg. [h]

a Leg. fin. ff. de testamen. & in ca. cum venissent. de instit.
b De conces. preb. li. 6.
c De preben. eod. lib. 6.
d Decis. 27. de rescrip. & 20. de conces. preb. in antiquiorib.
e In rubrica de constitut.
f Dict. ca. cum venissent.
g In cap. dilectus. il 1 sub fin. de simon.
h Si non sortem. §. libertus ff. de cond. indeb. &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Simonia conuentionalis quando vtrinque etiã pro parte adimpletur, efficitur realis, & inducit tunc, & non prius excommunicationem, quam absolutio à peccato simoniæ antea obtenta non tollit: & ita, si celebret, antequam ab excommunicatione absoluatur, efficitur irregularis. nu. 2.*

2 *Absolutus à peccato simoniæ conuentionalis, si postea illa vtrinque etiam pro parte adimpleatur, nouo peccato inuoluitur, & excommunicationẽ incurrit; in qua, nisi denuo absoluatur à dicta excõmunicatione, celebrando, nõ obstante primo dicta absolutione, cõtrahit irregularitatẽ: & hoc, nisi bona fides & probabilis ignorãtia, qua ignorabatur ius obscurũ obscure determinãs casũ de quo agitur esse simoniacũ, illũ excuset. n. 5.*

2 *Absolutio ab excommunicatione etiam iniuste ab habente potestatem, siue ex vi iobelæi, vel cruciatæ, vel aliter data tenet, & postea celebrantem ab irregularitatis incursu tuetur.*

3 *Iobelæi, & cruciatæ potestas extenditur quidem quo ad tollendam excommunicationem, sed non quo ad tollendam irregularitatem ex celebratione antea incursam. & nu. 2.*

4 *Absolutus ab eo qui habebat potestatem absoluendi ab aliqua excommunicatione, potest credere se vi generalis absolutionis, quam confessarij dare solent, sufficienter absolutum.*

4 *Fructus restituere tenetur nulliter, puta ob simoniã, de beneficio prouisus; potest tamẽ illos suis propinquis pauperibus elargiri.*

5 *Irregularitas non incurritur sine dolo; vnde qui bona fide errans circa ius obscurum, cui annexa est excõmunicatio, aliquid facit, & celebrat, illam euitat.*

6 *Irregularitas nõ tollit beneficia antea legitime obtẽta: immo & postea obtentorũ fructus facit suos irregularis, quãdo probabili errore ductus credebat se irregularitatem non contraxisse.*

CONSILIVM LXXXII.

QVAERITVR quid dicendum sit de illo, qui habuit beneficium per renunciationem infectam confidẽtia ante bullam Pij IIII. contra confidentiarios in beneficiis latam, & reliquit illud ante bullam Pij V. infectus item est simonia conuentionali, quę facta fuit realis postea per solutionem fructuum promissorum renuntianti: & quid si is obtinuit aliud beneficium?

1 Ad hanc quęstionem respondeo sequentia. Primum, quod consulens rectè fecisset, si fructus promissos non soluisset ei, qui renuntiauit beneficium in suum fauorem, ne simonia, quę tunc erat conuentionalis tantùm fieret realis per ea quę post alios diximus nos in Manu. confess. [i]

i Cap. 23. nu. 101.

2 Secundo, quod si pręfatus D. consulens postquam soluit aliquos fructus, & consequenter post completam etiam pro parte sua simoniam, ante tamen quam diceret Missã, vel vteretur ordine aliquo sacro, fuit absolutus per aliquod iobelęũ plenissimũ vel virtute bullę cruciatę, quę ad id se extenderet, non fuit effectus irregularis: quia pręcessit

cessit absolutio celebrationem. quod fundari potest per ea,quæ nos diximus in Man.confess. [a] adiunctis illis quæ dixeramus[b] de absolutione data excommunicato:& quod absolutio etiã iniusta data ab habẽte potestatẽ absoluendi valet. Dixi, [c] *post solutos aliquos fructus*:quia absolutio anterior non potuit prodesse,quoniam nondum erat nata excommunicatio,nam nondũ erat simonia facta realis. Nec prodest dicere,quod iam fuit absolutus à peccato simonię quod iam præcesserat:quia non potuit absolui à peccato futuro,quod admisit postea approbando simoniam præteritam per solutionem fructuum ante conuentam.

3 Dixi etiam,*si fuit absolutus post aliquos fructus solutos,& antequam missaret,vel aliquo sacro ordine vteretur*: quoniam posterior absolutio delere quidem potuisset excommunicationem iam incursam, non tamen impedire irregularitatem iam contractam,ad quam non se extendunt præfatæ bullæ,neque iobelęa,vt nos diximus in præfato Man.[d]

Tertio,quod sequendo dictum præcedens, posset dici, quod si præfatus consulens postquam soluit aliquid præfatorum fructuum,antequam missaret, fuit confessus per reconciliationẽ tali cõfessario, qui in absoluẽdo à peccatis vtebatur illa absoluendi forma,quam ego in præfato Man.[e] admoneo, puta quod ante absolutionem à peccatis præmittatur absolutio generalis à quibuscũque censuris,si quibus teneris,à quibus ego te possum absoluere, &c.posse inquã dici quod præfatus consulens posset credere se fuisse absolutum,credendo quod fuit absolutus à suis peccatis præmissa illa generali absolutione,& consequenter quod non incurrit irregularitatem: quoniam cõsueta fieri probabiliter præsumi possunt esse facta.[f]

4 Quarto,quod nõ potest saluari valor tituli,quẽ per renũciationẽ illã simoniacã habuit præfatus cõsulẽs,& cõsequenter quod tenetur restituere fructus illos malè perceptos pauperibus,vel operibus pijs;& credo sufficere iuuare aliquas cognatas pauperes pro sua charitate aliqua dotis parte,vel cognatos scholasticos pretendentes sacerdotium,vel per bullam compositionis.

Quinto,quod puto præfatum consulentẽ immunẽ esse à pœnis cõfidentię,propter ea,quę nos scribimus in d.Ma.[g]

Sexto,quod posset dici præfatum consulentem nõ incurrisse irregularitatem, etiã si missasset post solutos fructus,ante absolutionem præfatam, attenta ignorantia, & bona fide,& quod simonia præfata erat iuris humani: & quod vt ait Innocentius, [h] quem & multos alios refert & sequitur Felinus, [i] errans circa ius obscurum difficile intelligibile excusatur:& quod Abbas dixit[k] quod irregularitas non contrahitur sine dolo, quod ipsum dixit etiam Dominicus.[l]

6 Septimo,quod si consulens alterum beneficium,quod habet, obtinuit ante præfatam simoniam,potest illud retinere saltem in foro conscientiæ;& etiam si obtinuit postea credendo,quod irregularitatem non cõtraxit,fructus facit suos,nõ autem credendo quod irregularitatẽ cõtraxit.quid autẽ debeat credere,ex prędictis colligere licet.

SVMMARIVM.

1 *Confidentiarij illi,qui recipiendo beneficium promittebant resignanti retrocedere ante constitutiones Pij IIII.& Pij V.cogebantur pacta tanquam minime illicita seruare.*

2 *Gratia obtẽta à Pœnitentiaria cum clausula,si sit occultum, non vitiatur;licet postea,quod occultum erat reueletur.*

## CONSILIVM LXXXIII.

RESIGNATARIVS iuxta fidem datã resignãti beneficium retrocessit,antequam cõstitutiones Pij IIII.& Pij V.publicarentur. postea ad cautelã narrãdo factũ esse occultũ obtinuit secũ per Pœnitentiariã dispensari,& absolui;postea verò cœpit diuulgari.Petitur quid agendum.

Respondetur primò,D.consulentem nõ incurrisse pœnas nouè inductas contra confidentiam beneficialem per Pium IIII.& Pium V. quia hæc confidentia facta fuit & desinit ante illorum constitutiones.

1 Secundo,quod opinio multorũ habet in Vrbe & orbe,quod huiusmodi confidentiæ habebantur pro licitis, tẽpore,quo hęc contigerunt,adeo quod aliqui confidẽtiarij coacti fuerunt vi adimplere fidem præstitam; secũdum quos respondendum esset,quod D.consulens ad nullã restitutionem tenetur, neque tenebatur tempore, quo à summo Pœnitentiario fuit iussus absolui.

2 Tertio,quod gratia præfata per Pœnitentiariam obtenta non fuit inualida,eo quod facta fuit sub conditione, si occultum fuit,vel non publicum:quia satis occultũ fuit antequam renũciaretur beneficiũ,& consulerentur super hoc eruditi,& ante petitam per Pœnitentiariam gratiam.

Quarto,quod mea sententia potest & debet D. consulens deponere scrupulos,& tranquillare suam conscientiam propter multa,quæ non licet per medicos & otij penuriam in præsentia scribere.

SVMMARIVM.

1 *Consuetudo omnis legitime præscripta pro lege est obseruãda, & legi humanæ pariter rationabili derogat,estque seruanda etiam quando sæculares dant aliquid ecclesiasticis,à quibus accipiunt spiritualia,modo nõ detur pro ipsis rebus spiritualibus, quia etiam si esset immemorialis,cum sit contraria iuri naturali diuino, non consuetudo præscriptibilis, sed vetus error,& non seruandus,est dicenda.nu.9.quia veram simoniam quis,nec etiam Papa potest quo ad peccatũ iustificare,licet possit auferri pœna.nu.14.*

2 *Beneficio ante, immo & post illius erectionem,vacanti potest quidem à superiore aliquod onus temporarium reale imponi, sed non personę de eo prouidendę.nu.8.*

3 *Possessio canonicatus,ac etiam præbendæ,est quid spirituale, seu spirituali annexum:vnde qui aliquid temporale dat pro illius noua acquisitione,committit simoniam, & nu.8.11. etiam quod det ad redimendum vexationem, num.3.& hoc etiam quod temporale sit conuertendum in pium vsũ,nu.4. & 11.vel augmentum redituum beneficij.num.5.& 7.*

6 *Temporale si detur erigendum in beneficiũ,cum pacto vt postea donanti conferatur,simonia est.*

11 *Intellectus Concilij sess.24.cap.14.& extrauag. Pij V.durum & nu.12.13.*

12 *Datio rei temporalis,quæ ad formam sacri Concilij sess.24.ca. 14.fit seu exigitur in apprehensione possessionis canonicatus, ad hoc vt iustificetur,requiritur primo quod nõ habeat speciẽ simoniæ.secundo quod conuertatur in vsum pium,nec sufficit quod conuertatur in opus publicum.nu.10.immo per extrauagantem Pij V.non licet de quibusdam rebus aliquid accipere.& de aliquibus non nisi pro rata primorum sex mensium.n.13.requiritur prætereà quod nõ detur vt pretium seu in causam principalem ipsius apprehensionis possessionis,quia nec Pontificis decreto coram Deo posset iustificari.num. 14.*

14 *Consuetudo etiam immemorialis ecclesiæ, secundum quam prouisi de canonicatu & præbenda,antequam ad possessionẽ illorum admittantur,solent scuta decem pro molẽdinorum, & quinque pro plateæ ecclesiæ reparatione soluere,non videtur licita.& per totum.*

## CONSILIVM LXXXIV.

IN ECCLESIA Palentina consuetudine immemoriali canonici,cũ accipiunt possessionẽ,soluũt decena circiter scuta pro reparatione quorũdã molẽdinorũ Ecclesię cathedralis, & quaterna pro reparatione quarũdã domorũ eiusdẽ Eccles.

Quæritur,an per hoc admittatur simonia in beneficio.

1 Respondeo,hanc quæstionem longè difficiliorẽ esse, quã præ se fert;& quod pro parte negante facit primò,quod omnis laudabilis consuetudo,legitimo tẽpore præscripta,est seruãda pro lege,[a] & quod omnis cõsuetudo rationabilis legitimo tẽpore continuata derogat legi humanę,etiã rationabili.[b]

Secũdo facit ca.*ad Apost.*[c] ꝙ habet,eos qui accipiũt aliqua spiritualia à clericis,vel alijs ecclesiasticis personis,debere cõpelli ad seruandam consuetudinem dandi aliqua temporalia pro illorum perceptione, vel administratione.

Tertio facit illud Apostoli, [d] *Cõmunicet autem is qui catechizatur verbo,ei qui se catechizat,in omnib⁹ bonis.*& alia eiusdẽ, quæ transferũtur, [e] in c.2.[f] scilicet,*Qui altari seruit,de altari viuere debet.*&,*Qui seminat spiritualia,tẽporalia metere potest.* &, *Quis suis stipẽdijs militat vnquã?*& cætera,quib⁹ probatur,ministrãtes spiritualia,posse percipere pro illis tẽporalia,& percipiẽtes spiritualia debere cõferre pro illis tẽporalia ministrã.ea.

Quarto,ꝙ possessio imemorialis habet vĩ cõstituti & legis.

2 Quinto,quod bene & iustè potest imponi à superiore[g] onus aliquod temporarium beneficio,antequã erigatur,[h] immo & postquam est erectum.[i]

Pro parte affirmante,scilicet quod huiusmodi datio& receptio præfatorum scutorum pro molendinis & repara-

a Cap.26.nu. 13.
b Cap 9.
c Cap. venerabilibus. §. vbi. de sent. excomm.li.6.
d Cap.27.nu. 193.& latius nu.250.
e Ca.26.n.9.
f Leg. fin. ff. de fide iuss.& ca.cum M.de const.cum late ibi per Fel. traditis.
g Cap.23.nu. 109.
h Ca.per tuas il 2.de simon.
i In c.1.nu.15. de re iud.
k Cap.pastoralis.§. verũ de appell.
l Cap.solet.de sentent. excomm.li.6.

a Cap.consuetudo.1.dist.& c.quo iure. 8. dist.
b Cap.fin.de consuetu.& l.2.C. quæ sit lon.temp. consuet.
c De sim.
d Ad Gal.6.
e Ex d.ca.6. & ex cap. 9. 1.Corinth.
f 13.q.1.
g Ca.sup.quibusdam. de verb.sign.& l.hoc iure.§. ductus aquæ. ff. de aqua quot.& æst.
h Cap. cum dilectus. de consuet.
i Cap.significatum. de preb.& ca.1. vt eccles.beneficia.

*SVMMARIVM.*

1 *Ius patronatus recepta pecunia concedens Episcopus dotem augenti simoniacus est, sed non excommunicatus.*

## CONSILIVM LXXXVII.

AN EPISCOPVS, qui cócedit cuidam ius patronatus, & præsentandi ad quoddam beneficium ob augmentum redituum, quod accipiens dabat, si acceperit ob id aliquas pecunias, sit excommunicatus, & si celebrarit postea, sit factus irregularis?

2 Respondetur, quòd non. quoniam non omnis simoniacus est ipso iure excommunicatus, sed tãtum simoniacus in ordine, & beneficio, accipiendo illa, vel dando, vt post alios tradimus in Man. confess.[a] & palam est, ius patronatus non esse beneficium, neque ordinem, cùm etiam laicus sit eius capax.[b]

*SVMMARIVM.*

1 *Degradatio est actus spiritualis potestatis, sicut promotio ad ordines; vnde pro ea pecunia peti nequit, etiam si peteretur pro labore faciendi actum.*

2 *Consuetudo dandi quid pro sustentatione ministrantis sacramenta seruanda.*

## CONSILIVM LXXXVIII.

AN ORDINARIVS Episcopus pro mercede degradationis presbyteri possit iustè petere duo scuta aurea?

1 Respondeo, quod non potest iustè petere illa pro mercede actus degradandi. Tum quia sicut collatio ordinis est actus spiritualis potestatis, quę pendet ab Episcopatus ordine,[c] tiam ablatio ordinis, vel vsus eius est actus potestatis spiritualis eiusdem ordinis,[d] & palã est eum cõmittere simoniam, qui petit aliquid temporale pro re spirituali, per definitionem simonię, quam glossa recepta per Theologos & Canonistas dedit, [e] declaratam à nobis præ alijs in Man. nostro confess.[f]

2 Tum quia licet possit quis cogi ad seruandam cõsuetudinem piam dandi temporale aliquid pro eleemosyna, vel sustentatione pia ministrantis sacramenta, vt habet cap. *ad Apostolicam*,[g] Concilium Tridentinum non tamen potest peti pro pretio, vel mercede laboris illius actus, vt tradimus nos post alios vbi supra, [h] & vt verbo additur, nulla consuetudo pia inuenitur, quæ dictet esse dandos duos aureos pro degradatione sacerdotis. Tum quia præfatum Concilium, vbi supra damnauit omnem dationem rei temporalis, & consuetudinem faciendi eam pro re spirituali, & actu eius, nisi cum daretur ad pia, & non haberet speciem simoniæ: & præfatus ordinarius non petit illos aureos ad illos impendendos operi pio, & præterea habet quamdam speciem simoniæ, propter quod etiã ante Concilium prædictum prohibebatur dari aliquid temporale pro spirituali, etiam ad opera pia.[i] Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Collegia pro pauperibus scholasticis erecta, beneficia quidẽ non sunt, nec spiritualia, sunt tamen spiritualibus annexa: vnde qui recepta pecunia loco suo cedit, vt alter assumatur, simoniam quidem committit, sed censuris non est suppositus.*

2 *Turpiter datum, & turpiter acceptum debet ex solo cõsilio pauperibus erogari potest item danti, restitui; immo & quatenus teneretur danti restituere, sufficeret, si ab eo haberet condonationem. nu. 3.*

## CONSILIVM LXXXIX.

TOLOSÆ, & Auenioni sunt multa collegia pro scholasticis pauperibus instituta, quorũ collegæ frequentissimè vendunt tacitè sua loca aliquibus, quos collegia ipsa rogata per collegam vendẽtem, facta per eum renunciatione, eligunt, vel recipiunt in collegas, & socios suos.

Quæritur primò, an huiusmodi vendentes committant simoniam cum pœnis extrauagantis.[k]

Secundo, cui restituenda est pecunia, si qua accepta restituenda sit.

1 AD PRIOREM quæstionem respondeo primò, quod admittũt simoniã. quoniã loca illa, siue sodalitia, licet non sint spiritualia, videntur tamen eis annexa, sicut ius patronatus ecclesiasticũ, de quo in c. *quanto.*[l] & c. *cũ secũdum.*[m]

Secundo, quod non videntur incurrere excommunicationem latam per præfatam extrauagantẽ, quia illa solum fertur contra simoniacos in ordine & beneficio ecclesiastico secundum communem sententiã: & pręfata loca siue sodalitia non sunt beneficia ecclesiastica, vt palam est. & ita sicut emens ius patronatus, quamuis simoniam cõmitteret, non tamen incideret in illam excommunicationem vt aliàs in prætorio Pœnitentiariæ probauimus; sic licet ementes huiusmodi loca simoniam admitterent, non tamen inciderent in excommunicationem præfatam.

2 AD ALTERAM respondeo primò, quòd pecunia illa non est necessario restituenda collegio, pro cuius sodalitio accipitur: quamuis pecunia, quæ pro beneficio accipitur, restituenda sit Ecclesiæ, cui facta est iniuria, per textum singularem in c. *de hoc*,[a] quod specialiter & singulariter disponit de restitutione pecunię acceptę per simoniã circa beneficium commissam secundum communem.

3 Secundo, quod de rigore iuris non tenentur restituere etiam illis, à quibus eam acceperunt; quia turpiter datum, & turpiter acceptum non est necessario restituẽdum turpiter danti, iuxta reg. *In pari delicto vel casu melior est conditio possidentis.*[b] & copiose tradimus in Man. confess.[c]

Tertio, quod secundum communem opinioné est restituendũ pauperibus; quod tamen esse consilij, & nõ pręcepti, probamus vbi supra sequuti quatuor graues auctores.

Quarto, quod D. consulens satisfaciet impetrando donationem ab eo, à quo pecuniam accepit, quia Hadrianus quem sequimur vbi suprà, [d] post Angelum [e] fatetur quod ex mente Augustini,[f] is qui ob maleficiũ accipit, satisfacit restituendo pauperibus, vel ei qui dedit. At per donationem obtentam ab eo, qui eam dedit satisfactum est illi, per l. 1. &[g] & l. *si rem*[h].

*SVMMARIVM.*

1 *Beneficium qui bona fide suum esse credit; licet non sit, eidem per interessentiam deseruiendo, distributiones. aliorum autem fructuum partem illam, quam alij inseruienti necessario dedisset, lucratur.*

## CONSILIVM XC.

R. SIMONIACVS in beneficio eidem deseruiuit celebrando, &c. & ex eius præbenda se ipsum & clericum aluit, ac postea illud dimisit. Dubitatur, an teneatur restituere omnes fructus, an verò sit excusandus pro parte, quam in sui & clerici sustentationem insumpsit, vel possit deducere illam summam, quam dedisset mercenario, si per ipsum inseruisset. Dubitatur etiam an teneatur restituere fructus incertos, quos percepit ex quotidianis obuentionibus.

1 Hæc quæstio continet satis grande dubium, & parum tractatum à doctoribus, cùm tamen in multorũ capp. casibus tractari potuisset: quoniam eius decisio pendet à decisione illius. An seruiens beneficio sine canonico titulo possit retinere sibi distributiones quotidianas integrè, & fructus alios, saltem pro rata eorum, quæ debuissent dari mercenario, si per se ipsum non seruisset, quam quęstionem præ aliis videtur tractare doctissimus Cassador,[i] ex cuius dictis videtur satis colligi, quod credens bona fide beneficium ad se pertinere, & seruit illi, lucratur distributiones quotidianas, & quod non videtur teneri ad restituendum partem fructuum, quæ necessario fuisset impendenda ei, qui seruisset illi beneficio.

*SVMMARIVM.*

1 *Simoniacus in beneficio est excommunicatus quidem, sed non est nec irregularis, nec inhabilis ad alia beneficia, num. 3. immo eo dimisso post pœnitentiam absolutus ab excommunicatione potest celebrare, nu. 4. & alia beneficia, modo simonia non sit notoria, nec de illa condemnatus, potest obtinere. nu. 5. & 6. illud autem, quod prius per propriam, vel alienam ipso sciente simoniam adeptus fuit, etiamsi sit simplex, non potest sine Papæ dispensatione habere. n. 5. & 7. quod si illi simoniace per simoniã ab alio ipso ignorante cõmissam collatũ fuisset, si habita notitia illud statim dimisit, potest. si sit simplex ex dispensatione Episcopi iterum illi tunc conferri: at si esset dignitas, vel decretum Papæ requiritur dispensatio. nu. 7. Deponi item licet possit simoniacus, non tamen est depositus. n. 6.*

2 *Simoniacus in ordine est excommunicatus, item & suspensus ipso iure, sed non irregularis. num. 6.*

2 *Irregulari, & aliàs inhabili facta collatio non tenet.*

3 Irregula

---

a Cap. 23. nu. 103. vers. tum denique. & num. 111. in princ. & fine.
b Cap. quod autem. & ca. cum dilectus cum eis ad not. de iure patron.
c Ca. 1. de simon. cum similib.
d Cap. nouimus. de verb. signific. & ca. degradatio. de pœn. lib. 6.
e 1. quæst. 1. in summa.
f Cap. 23. nu. 100.
g De simon. & cap. 14. de reform. sess. 24.
h Num. 101. & 102.
i In cap. ex multis. 1. q. 3.
k 2. de simon.
l De iud.
m De iure patr.

a De simon.
b De reg. iur. lib. 6.
c Cap. 17. nu. 30. & seq.
d Num. 31.
e Ver. restitutio 2. §. 4.
f In cap. non sane. 14. q. 5.
g ff. cui satisd. cog.
h §. omnis. ff. de pignor. actio.
i In decis. 6. de præbend.

3 *Irregularitas, sicut nec alia pœna, ipso iure non incurritur, nisi in casibus in iure expressis.*

7 *Intrusus in beneficio efficitur, sicut & simoniacus, inhabilis ad illud beneficium, sed non ad alia obtinenda.*

## CONSILIVM XCI.

IRREGVLARIS an sit simoniacus in beneficio, & inhabilis ad obtinendum alia beneficia?

1 Pro parte affirmante facit primo cap. penul.[a] quatenus videtur habere, quod dispẽsatio Episcopi ad id requiritur.

Secundo, quòd simonia non solum est crimen, quod meretur depositionem,[b] sed etiam eam inducit ipso iure, vt per locum à fortiori probat, cap. *recusatum*,[c] & illam admittens in ordine vel beneficio est hodie excommunicatus per extrauagantem 2.[d]

2 Tertio, quod collatio facta homicidæ, vel aliàs irregulari, est ipso iure nulla, licet per homicidium & irregularitatem non perdantur ipso iure beneficia prius adepta secundum Innocentium rectè intellectum.[e]

Quarto, quod simoniacus in beneficio non potest habere illud, neque aliud, si per se cõmisit simoniam, vel per alium se volente, vt visus est aliquibus resoluere Panor. in cap. de simoniace. de simon. nu. 7.

3 Pro parte verò negante, quæ tenenda est, facit primò, quod nulla pœna est dicenda ipso iure incurri, nisi lege id caueatur vt habet glossa solẽnis & recepta,[f] & quod nulla est lex, quæ irregularitatẽ infligat simoniaco in beneficio.

Secundo, quod irregularitas non incurritur nisi in casibus expressis à iure.[g] At nullibi exprimitur fieri quẽ irregularẽ ipso iure ob crimen simoniç in beneficio cõmisũ.

4 Tertio, quod Innocentius quem nos retulimus in Man. cõfess.[h] dicit expresse[i] quod simoniacus in beneficio non est suspensus, & ideo relicto illo acta pœnitentia potest celebrare, quod non posset, si esset irregularis, vt dicimus in d. Man.[k] arg. ca. fin.[l] & ca. *inquisitionis*, de accusatio.

Quarto, quod adeptus beneficium per simoniam à tertio commissam, & à se ignoratam, licet teneatur renũciare illi, potest tamen illud ipsum habere per dispensationem Episcopi; nisi sit prælatura.[m]

5 Quinto, quod nullo iure videtur caueri, quod adeptus aliquod beneficium per simoniam, etiã à semetipso, vel se volente cõmissam, nõ possit adipisci aliud sine dispensatione, modo simonia non sit notoria, vel non sit cõdẽnatus de illa, & ipse simoniacus sit absolutus ab excõmunicatione, quam ob illam simoniam incurrit. & Panormitanus[n] solùm dicit, quod adeptus per simoniã propriam aliquod beneficium, etiam si sit simplex, non potest habere illud per dispensationem Episcopi; de aliis autem nihil dicit, neque glossa ordinaria c. 1.[o] neque glossa c. *ex multis*[p] neque glossa d. ca. *de simoniace*, neque glossa ca. *post translationem*,[q] nec vlla alia id dixit, neque Felinus qui per omnia sequitur Panormitanum[r] de eo aliquid dixerunt.

6 Ad primum oppositorum respondeo, quod loquitur de simoniaco in ordine, vt colligitur ex eius glossa qui licet non sit irregularis, est tamen suspensus iure nouo extrauagantis 2. & antiquo d. c. *tanta*, adiuncta glossa magna,[s] & ideo non solum eget dispensatione ab excommunicatione, sed etiam à suspensione.

Ad secundum concedo simoniacum etiam in beneficio posse deponi, sed nego esse ipso iure depositũ, & nos loquimur de irregularitate ipso iure imposita. Cõcedo item esse ipso iure excommunicatũ, & consequenter quod durante excõmunicatione est inhabilis ad omnia beneficia, sicut quilibet alius excommunicatus: sed nego quòd sit irregularis, ita quod acta pœnitẽtia, & absolutione sequuta nõ possit habere alia beneficia; quia id nullo iure cauetur.

Ad tertiũ concedo collationẽ beneficij factã homicidç, vel aliàs irregulari, etiam post pœnitentiam esse ipso iure nullã: nego tamen per simoniã induci irregularitatẽ, nisi sequuta sẽtẽtia condẽnatoria, quç infamat, vt dicit Pan.[t]

Ad quartũ nego id dici à Panormitano, vt supra dictum est; & quãdo diceret, pfecto erraret: quia sine textu & iusta ratione id affirmaret; ꝙ tamẽ, vt prędixi, nullatenus facit.

7 AN AVTEM adeptus beneficium per simoniam propriam, & cõsequenter excommunicatus per iura noua excõmunicatione Papali, & absolutus ab illa possit nouè habere illud ipsum beneficium, saltem si occulta est simonia? quæstionis est: & videtur quod nõ. Primò, quia etiam obtentum per simoniam alienã se nolente admissam, non potest retineri etiã cum dispensatione Episcopi, si est dignitas, vel beneficium curatum,[a] secundum receptiorẽ sententiam, pro qua est bonus textus, qui de Episcopatu agit, in cap. *post translationem*.[b] Secundo, quod Panormitanus vbi supra receptus ab alijs simpliciter determinat, eũ, qui per simoniam propriam adeptus est aliquod beneficium, non posse illud retinere etiam per Episcopi dispensationem. ita quod videtur resoluendum, quod licet possit quis obtinere per dispensationem Episcopi, beneficiũ simplex obtentum per simoniam alienam se ignorante cõmissam, post renunciationem liberam statim factam post certificationem; obtentum tamen per simoniam propriam, vel se volente admissam, non potest habere sine dispensatione Papæ, etiam si sit simplex; potest tamẽ habere alia post absolutionem ab excommunicatione; vt supra dictũ fuit.

8 Non obstat, quod sicut homicida sublata irregularitate est capax cuiusuis beneficij, ita simoniacus sublata excommunicatione non videtur habere impedimentum vllum ad illud, cùm non sit irregularis, nec suspensus ab officio, quin per titulum nouum illud acquirere possit. Quia responderi potest, quod sicut intrusus in aliquo beneficio fit inhabilis ad illud, licet non ad alia, iuxta ca. *quisquis*,[c] & alia multa adducta per Felinum,[d] ita adeptus aliquod beneficium per simoniam propriam, fit inhabilis ad illud, licet non fiat inhabilis ad alia.

Quæ supradicta omnia licet vera sint secundũ iura antiqua, quæ præcesserunt Pium V. extat tamen eius extrauag. *cum primum*. edita anno 1566. per quam, an simoniacus in beneficio fiat inhabilis, irregularis, vel suspensus ipso iure, dictum fuit alibi.

*Vide consilium sequens.*

### SVMMARIVM.

1 *Intellectus extrauag. cum primũ. Pij V. in simoniacos latæ, quod non habeat locum in beneficijs antea adeptis, nec liget in conscientia ante sententiam. nu. 2.*

2 *Irregularitas, nec homicidium inducunt ipso iure vacationem beneficiorum antea obtentorum.*

3 *Pœna, antequam infligatur, conscientiam non ligat.*

3 *Pœna in dubio per verba futuri temporis non censetur ipso iure imposita.*

4 *Clausula in vna parte dispositionis posita, vbi est eadem ratio, ad omnia refertur.*

5 *Simoniacus in beneficio iure communi ad alia nõ est inhabilis.*

## CONSILIVM XCII.

AN COMMITTENS simoniã hodie in beneficio fiat ipso iure inhabilis ad illud, & quodcumque aliud adipiscendum, & iam adeptum?

1 Decisio huius quæstionis depẽdet ex intellectu extrauagantis, *cum primum* Pij V. quæ est folio 9. & 12. libri suarum const. Si enim illa ita intelligatur, vt pœnæ in ea contra simoniacos in beneficio institutæ ipso iure absque alia sententia in foro conscientiæ censeantur inflictę, & quod inducit inhabilitatem tam ad beneficia adepta, quàm adipiscenda, est vno modo respondendum. si verò intelligatur, vt non habeat locum in beneficijs iam adeptis, nec in adipiscendis, nisi post sententiã, est aliter respondendum.

2 Sed dicendum, quod illa extrauagans non habet locum in beneficijs ante simoniam adeptis. Tũ quia de illis non facit expressam mentionem, & est pœnalis constitutio, & ita restringenda.[e] Tum quia inhabilitas, & irregularitas post beneficium quæsitũ incursa non inducit vacationem illius ipso iure: homicidiũ enim, & irregularitas inde nata nõ priuat homicidam suo beneficio ipso iure, iuxta Innocentiũ receptũ[f] & probatur in ca. *clericis*,[g] & ca. *ex literis*[h] & vtrobique Panormitanus. Tũ quia non est recedendum à iure antiquo, nisi quatenus per nouum exprimitur.[i] Sed & pręfata extrauagans ita videtur intelligenda, vt nõ censeatur habere locum in foro conscientię ante sententiam.

3 Tum quia pœna non ligat conscientiam ante illam inflictam iuxta glossam solemnem,[k] & S. Thomam.[l] Tum quia pœnæ sunt restringendæ,[m] & in dubio pœna per verba futuri temporis statuta non censetur ipso iure imposita, iuxta glossam,[n] & pœnæ præfatæ per verba futuri temporis imponuntur. Tum quia contextus eius

triplicis

Marginal notes (left column): a De elect. — b Ca. tanta. de simon. — c De simon. — d De simon. — e In cap. cum nostris de concess. praben. — f In cap. fin. de iure patr. — g Ca. is qui. de sent. excom. lib. 6. — h Ca. 23. nu. 111. — i In d. cap. tanta. — k Ca. 27. nu. 194. — l De tempo. ord. — m Dict. c. pen. — n In sua longa dist. d. cap. de simoniace. — o 1. q. 5. — p 1. q. 3. — q De renuncia. — r In d. cap. de simoniace. — s De simonia. — t In d. cap. de simoniace.

Marginal notes (right column): a Ca. pen. de electio. — b De renunciat. — c De elect. ca. 1. de concess. prabend. — d In ca. in nostra. num. 12. corol. 2. de rescript. — e Ca. odia. de reg. iur. li. 6. — f In ca. cum nostris. de concessio. prab. — g Ne clerici vel monach. — h De excessibus prelato. — i Leg. præcipimus. C. de appellat. — k In ca. fraternitas. 12. quæst. 2. — l In 2. 2. q. 62. art. 4. — m Ca. pœnæ de pœnit. dist. 1. — n In c. in pœnis. de re. iur. lib. 6.

triplicis generis simoniacos punit, scilicet in ordine, dignitate, & beneficio; & primos non punit, nisi conuictos: ergo non videtur punire alios, nisi etiam fuerint conuicti.

Quia clausula posita in vna parte dispositionis, siue ponatur in principio, siue in medio, siue in fine, censetur referri ad omnia contenta in illa,[a] modo eadem ratio referendi sit in omnibus, vt pulchrè Decius post alios ibi resoluit, & in prędictis tribus cap. eadem ratio inuenitur. sic enim habet contextus: *Quicumque igitur detestabile crimen simoniacæ prauitatis cõmissæ conuictus fuerit in consequendis ordinibus, eo ipso sit ab illorum exequutione per decennium sine spe dispensationis suspensus, & per annũ carceribus mancipetur. Qui dignitates ecclesiasticas simoniace acquisiuerit, illis sit ipso iure priuatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quascumque alias obtinendas. Qui beneficium, aut officium ecclesiasticum simoniace adeptus fuerit, illis similiter sit ipso iure priuatus, & ad fructuum omnium, quos perceperit, restitutionem, teneatur, & perpetuo sit inhabilis ad ea, & quæcumque alia beneficia ecclesiastica obtinenda.*

Non obstãt illa verba, *eo ipso*, ter repetita in dicta clausula. Tum quia certum est primæ pœnæ non esse locum ante conuictionem; & tamẽ in illa parte, in qua illa ponitur, sunt posita illa verba. Tũ quia referri videntur ad priuationẽ iuris, quod videbatur quæri, & ad annullationem actus simoniaci, & adeptionis beneficij; & non ad inhabilitatem quo ad illa & alia.

5 Partim quod non est eadem ratio referendi, cum iure antiquo adeptio simoniaca esset ipso iure nulla per extrauagantem:[b] inhabilitas autem ad alia sit contra illud. Partim quod alioquin verba illa, *si conuictus fuerit*, essẽt frustratoria; cùm etiã, vt prędictũ est, in impositione primę pœnę ponantur illa verba, *eo ipso*. Partim denique quod ponũtur post illa verba, *si conuictus fuerit*. & ita ad verificationẽ eorum pręrequiritur conuictio. Tum denique quod meo iudicio à paucis est prædicta cõstitutio quo ad hũc effectum vsu recepta, licet à plurimis circa beneficia simonia committatur: & lex, qua parte non est vsu recepta, non ligat,[c] quod post alios vtiliter applicauimus ad quamdam legem partim receptam, partim non, in Man. confess.[d] Salua, &c.

a Ca. secundo requiris. de appellat.
b 2. de simon.
c §. leges. 4. dist. & gloss. recept. cap. 1. de treug. & pac.
d Cap. 23. nu. 62.

SVMMARIVM.

1 *Extrauagans Pij V. contra simoniacos lata inhabilitans simoniace acquirentes beneficia, & dignitates, non ligat acquirentes pensionem, nec etiam eos quibus ignorantibus facto tertij simoniace est aliquid acquisitum.*

CONSILIVM XCIII.

PARMENSIS per procuratorem renunciauit canonicatui in fauorem alicuius reseruata pensione 150. scutorũ; & cum tractaretur de transferenda in eum pẽsione 100. ducatorum pro extinctione pensionis totidẽ, scripsit procuratoribus vt illa translatio fieret cum scientia & beneplacito Papæ, & quod omnia expedirentur canonicè: qui scripserunt ad eum omnia esse rectè peracta, & post aliquot annos resciuit scientiã Papæ nõ interuenisse in translatione pensionis; & postea fuit absolutus à Papa cum retentione pensionis translatæ. Quæritur quid iuris.

1 Ad præfatam quæstionem respondeo primo, quod D. consulens non fuit factus inhabilis ad vlla beneficia. Secundo, quod consequenter non indiguit vlla facultate retinẽdi ea, quę post pręfatã translationẽ acquisiuit. Tũ quia per pręfatam renunciationem & trãslationẽ non quęsiuit vllam dignitatem, nec vllum beneficiũ, sed solùm pensionem translatam, quam constat nõ esse beneficium, neque dignitatem: & extrauagans Pij V. inhabilitãs ad beneficia solum loquitur de illo qui per simoniã quęsiuit dignitatem, vel beneficium. Tum quia præfatus D. consulẽs non peccauit, & ideo nõ meretur pœnam. Tũ quod illa translatio fieri potuit secundũ opinionem Caietani. Tum denique quod, si qua simonia interuenit in præfata translatione, non interuenit sciente & cõsentiente ipso, sed alio tertio: & pręfata extrauagãs loquitur de illo qui per se, vel per aliũ cum suo consensu admittit simoniã, & de simonia quę cõmittitur à tertio, nesciente, nec cõsentiente principali. Tũ per alia, quę adduci possent, sed nõ sũt necessaria.

SVMMARIVM.

1 *Ignorantia probabilis excusat à censuris & pœnis, quas beneficiarius incurreret: qualis est illius, qui sciens quædã circa sua beneficia per eius fratrem iurisperitum, quem illicita tractaturum non credebat, tractari, non curauit diligentius de bonitate dictarum actionum inquirere.*

CONSILIVM XCIV.

ADOLESCENS 20. annorum sciuit tractari quędam inter fratrem suum & aliũ super beneficijs suis alijs conferendis, & super beneficijs illorum ei conferendis, vel pensionibus super eis sibi constituendis saluo beneplacito Papæ; nesciebat tamẽ modum tractatus qualis esset, putabat tamen licitũ esse: frater suus erat natu maior & iurisperitus, quem nõ putabat aliquẽ tractatũ illicitum facturum, & si sciuisset, nullatenus consensisset: attamen verè corã Deo saltem aliqua pars tractatus fuit simoniaca.

Quęritur, an ignorantia pręfata excusauerit consulentem à censura excommunicationis contra simoniacos ipso iure latæ saltem quo ad forum conscientiæ.

1 Respondeo, quod sic, per ea quæ tradimus in Manu. confess.[a] & nuper in cap. *sciendum.*[b] in quibus locis tractamus de excusatione per ignorantiã. in quod faciunt etiam illa quæ tractamus in cap. *si quis non dicam*[c] dum tractamus qua ratione conatus nõ consequutus effectum & ignorantia excusat à pœna ordinaria, & ab excommunicatione & irregularitate.

a Cap. 23. nu. 45. & melius in cap. 27. nu. 272.
b à nu. 2. de pœniten. dist. 2.
c De pœnitẽ. distinct. 1. nu. 6. & 14.

SVMMARIVM.

1 *Simoniaca qualibet beneficialis dispositio facta ignoranti, siue ad fauorem illius, secundum aliquos est ipso iure nulla, at secundum mentem auctoris tenet, nu. 2. & 3. licet veniat cassanda, seu reprobanda. nu. 5. vnde nec fructus bona fide perceptos restitui. nu. 4. putat tamen D. Tho. extãtes restituendos. nu. 5. satisfacitque suæ conscientiæ, si simulac scit vitium, libere, prout tenetur, renunciet. nu. 3.*

1 *Verbum*, penitus *significat nullitatem ipso iure, & per illud tollitur* Episcopo *facultas dispensandi contra illud. nu. 5.*

4 *Pœnam cum non mereatur qui non deliquit, ideo collatio simoniace facta ignoranti immuni à peccato non debet subiici pœnæ nullitatis inducta in pœnam peccati simoniæ.*

CONSILIVM XCV.

1 AN COLLATIO, pręsentatio, vel electio facta per simoniã eam ignoranti sit ipso iure nulla? Panormitanus[d] tenet quod sic. Pro quo facit primo ca. *nobis*[e] quatenus habet huiusmodi simoniam esse penitus reprobãdam; cum verbum, *penitus*, significet nullitatem ipso iure, per glossam singularẽ,[f] commendatam à Corseto.[g]

2 Secundo, quod S. Thomas[h] affirmat huiusmodi ignorantem nõ solùm teneri ad relinquendum beneficium, cùm primum scierit simoniacè sibi fuisse collatum, sed etiam ad restituendos fructus.

Tertio, quod iure diuino gratis accepta debent gratis dari, iuxta euangelium[i] relatum in ca. *gratia*,[k] & ideo spiritualia, quæ constat gratis dari, sunt inęstimabilia, & inuendibilia, secundum communem omnium mẽtem, quod aliàs clarius expressimus in comment. extrauag. *ab ipso.* Gregorij XIII.[l]

Quarto, quod idẽ tenet Cassador.[m] quẽ refert Gomez[n] quibus non citatis idem tenet Couarruuias auctoritate S. Thomę.[o]

Pro contraria tamen parte facit primo, quod huiusmodi recipiens beneficium per simoniam à se ignoratam non dicitur excommunicatus, nec vere simoniacus.[p]

3 Secundo, quod nullo textu exprimitur collationem factam per huiusmodi simoniam esse ipso iure nullam, sed reprobandam: nam pręfatum cap. pen.[q] quod cum primis ad hoc citatur, non habet electionem sic factam esse nullam, sed reprobandam, nec collationem esse nullam, sed eum cui facta est teneri ad renunciandum: per quod significatur eumdem habere aliquod ius, cum priuatio pręsupponat habitum.[r]

Tertio, quod ca. *ex insinuatione.*[s] significat huiusmodi simoniacum satisfacere suę conscientię renũciando liberè beneficium per simoniam alterius ignoranter acceptum.

Quarto, quod cap. *de regularibus.*[t] habet, vt huiusmodi simoniacus cogatur renunciare, nihil alio addito, signando collationem valuisse, eo quod requirit renuntiationem, & quod non est necessaria fructuum perceptorum restitutio, cùm nihil de hoc disponatur.

4 Quinto, quod secundũ communem mentem omnium pœna, qua collatio beneficij simoniaca decernitur nulla,

d In c. penul. de elect. col. 1.
e De simon.
f In l. si quis aduocatorũ. C. de postuland.
g In sing. suis. verbo, penitus.
h 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3.
i Matth. 10.
k 1. q. 1.
l Nor. 2. nu. 4.
m In decis. 5. de seque. poss.
n In regula de triennali poss. quæst. 12.
o In reg. peccatum. de re. iur. lib. 6. § 8. à n. 7. 2. par.
p Ca. de simoniace. extra de simonia.
q De elect.
r Ca. ad dissoluendum. de despons. im pub. l. decem. ff. de verb. oblig.
s De simon.
t De simon.

& inualida est inducta in odium peccati simoniæ : & qui recipit beneficium ignorans alium commisisse simoniam, qua conferretur ei, nullum crimen admittit : ergo nec vlla pœna debet puniri, [a] & consequenter videtur sufficere, quod teneatur illud renunciare: immo quadátenus videtur nimium, eo quod iubetur relinquere quod sibi quæsitum est per dationem eius, qui poterat illud dare idoneo, qualis est ipse, per illa omnia, quæ citantur à Gratiano, [b] & præsertim in capit. *cum itaque*, vbi refertur illud Ezechielis, *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.*

a Cap. 2. de constit. & l. Gracchus.C. ad.l. Iuliã de adul.
b 1.qu. 4.per totam.

Sexto, quod nulla pœna censetur ipso iure imposita, nisi iure id caueatur, iuxta glossam singularem & communiter receptam, [c] at nullo iure exprimitur, quod huiusmodi collatio sit ipso iure nulla, nec vt ipse beneficiarius restituat fructus bona fide perceptos: ergo nec id est dicendum. [d]

5 Per quæ pars hæc videtur verior. Et pro argumentorum solutione dicimus primo, quòd præfatum cap. *nobis*. non ait electionem esse nullam, sed reprobandam : quod signat eam esse validam, cùm non possit reprobari quod nihil est, [e] & quod verbum *penitus* refertur ad sublationem potestatis dispensandi pro illa vice, vt habet d.cap. pen. quam habet Episcopus in collatione simplicis beneficij, vt ibidem habet, & non ad nullitatem electionis.

c In c.pen. de iure patron.
d Ca.legatur 24.qu.1. & §. cõsideremus. de trien. & sem.collat. 3.
e Cap.ad dissoluendum. de despons.impub. cum citatis à gloss. in verb.accusari.

Secundo, quod Panormitanus quasi obiter dicit huiusmodi collationem esse nullam, nullo alio fundamento citato: Cassador autem, & Gomez, [f] adhuc magis obiter. & quod Couarruuias affirmat frequentiorem sententiã habere, quòd huiusmodi collatio valet in foro exteriori, donec à iudice rescindatur; quin etiam significat maluisse contrariam opinionem tenere, nisi verba S. Thomæ sibi obstitissent, quę tamen profecto non obstant, immo iuuant, vt mox dicetur.

f Vbi supra.

Tertio, quod auctoritas S. Thomæ non obstat, immo facit pro hac parte: nam quatenus loquitur de restitutione fructuum facienda à recipiente beneficium per simoniam ab alio commissam, loquitur de recipiente, qui scit, & consensit, non autem de contradicente, immo expresse dicit contradicentem non teneri ad restitutionem beneficij, nec fructuum acceptorum : de recipiente autem ignorante ait eum teneri resignare beneficium, & restituere fructus extantes, non autem bona fide consumptos; quod nulla ratione defendi posset, si collatio esset omnino nulla: quia nulla ratione excusari potest à restitutione fructuum consumptorum, nisi illa simoniaca collatio, præsentatio, vel electio valeret, donec inciperet scire illius nullitatem.

Quarto, quod licet regulariter gratis data gratis debeant dari, ad hoc vt iusta sit datio; tamen fallit, quando ignorantia iusta à peccato excusat, donec superueniat scientia in id necessaria.

SVMMARIVM.

1 *Resignari debet beneficium simoniace ignoranti collatum; & hoc non in manibus collatoris, si careat auctoritate destituendi, sed illius qui potest inuitum destituere. num. 2. collatio tamen non ad recipientem resignationem, sed ad ipsum pertinebit collatorem. num.3.*

2 *Beneficiorum permutatio fieri non potest auctoritate inferiorum collatorum Episcopo, sed requiritur auctoritas Episcopi.*

3 *Destituere, seu priuare beneficio etsi regulariter is possit, qui potest instituere; tamen hoc fallit, quando alicui ex particulari priuilegio vel consuetudine facultas instituendi pertinet.*

4 *Rediens per nouam prouisionem ad renunciatum canonicatum illum locum obtinet, quem obtineret, si de eo tamquam de vacante per mortem alterius fuisset prouisus.*

4 *Restitutus ad gratiam reuocatam, ita intelligitur restitutus, vt non fiat præiudicium iuri interim alteri quæsito.*

4 *Scandalum, seu incommodum illud non putatur, quod iuri consonum est, prouenitve ex eo quod ius in pœnam contra aliquod delictum statuit.*

5 *Episcopus dispensat, vt ignoranter simoniace prouiso de beneficio simplici, qui illud legitime resignauit, denuo conferatur, & num.6. & hoc etiam si institutio illius non spectet ad Episcopum, sed ad alium inferiorem. & num.3.*

6 *Canonicatus, etiam si requirat personalem residentiam, est beneficium simplex, non duplex, nec dignitas, nec personatus.*

7 *Simoniace de beneficio ignoranter prouisus, secundum omnes, fructus quos post scientiam percepit restituere tenetur: antea autem bona fide perceptos, si extent, tenetur restituere, secundum illos, qui tenent collationem ipso iure nullam; at secundum opinionem tenentium collationem tenere, quos auctor sequitur, secus. 15.*

8 *Simoniacus, qui scienter per se vel alium fuit simoniace de beneficio prouisus, licet illud iterum habere non possit, non tamen efficitur irregularis, seu inhabilis, quo minus alia obtinere possit.*

9 *Mora in soluendo, & obligatio ad soluendum vno & eodem momento oriri non potest.*

10 *Ordines qui contra prohibitionem sub pœna excommunicationis latæ sententiæ factam assumit, ex ipsa assumptione incurrit nedum excommunicationem, sed etiam irregularitatem procedentem ex dicta ordinatione sic prohibita.*

10 *Irregularitatem & excommunicationem vno & eodem momento per vnum & eumdem actum incurrere quis potest, vt contingit in suscipiente scienter ordines simoniace.*

11 *Simoniacus in ordine est suspensus, excommunicatus, & irregularis, in beneficio vero est solum excommunicatus.*

12 *Retractare à se male facta potest regulariter prælatus, fallat licet in aliquibus.*

12 *Episcopus iuste absoluit, & dispensat super dicto occulto, & irregularitate exinde proueniente, etiam si ipsum delictum sit ipso sciente, vel consentiente, vel mandante perpetratum, & num.13.*

13 *Iurisdictionis non contentiosæ, quæ in inuitum & citatum exercetur, sed voluntariæ est absolutio, & dispensatio, quæ fit in foro conscientiæ, potestque exerceri cum suis complicibus. Confessarius item absoluit eam, cum qua peccauit.*

14 *Dispensatus ab Episcopo super irregularitate ex delicto occulto contracta potest in susceptis ministrare ordinibus, & ascendere; ac beneficia, si ipsi aliàs legitime conferantur, recipere: non tamen nulliter obtenta in ipsa irregularitate potest retinere, at quo ad legitime ante ipsam irregularitatem obtenta potest, quia illa non perdidit.*

15 *Fructus, quos aliquis ex beneficio sibi ignoranter simoniace collato durante ignorantia percepit, non restituit; secus de post scientiam, antequam illud iterum sibi conferatur, receptis; perceptos autem ex beneficio in irregularitate, & sic nulliter obtento, nisi sibi iusta suffragetur dispensatio, restituit; at quos irregularis percepit ex beneficio sibi antea legitime collato, iustè retinet, nec eget dispensatione.*

## CONSILIVM XCVII.

SI questionibus propositis pro earum dignitate & difficultate respondendum esset, iusto profecto libro magna cura & studio elaborato esset opus: at quando sola tumultuaria responsio præcipitur, quàm paucissimis potero respondebo.

1 AD PRIMAM quidem primò, quòd certum est, eum, qui obtinuit beneficium per simoniam ab alio se ignorante admissam, teneri ad renunciandum illud, [a] & tactum est in alio consilio. *Vide consil.95.num.3.*

Secundo, quod est dubitatio, an sufficiat renunciare in manibus collatoris tantùm, an oporteat renunciare in manibus Episcopi. Et quidquid glossa [b] censeat; verius videtur, quod omnis renunciatio beneficij facienda est in manibus superioris, [c] & non qualis qualis, sed talis, qui possit renunciantem iusta de causa inuitum destituere, secundum Innocentium, [d] quod per Cardinalem, Bonifacium & alios, [e] probatur communiter, & glossam Bernardi, [f] vbi idem tenet Panormitan. [g]

2 Sicut & permutatio beneficij debet fieri auctoritate Episcopi, iuxta glossam celebrem penultimam, [h] & non sufficit auctoritas inferiorum collatorum secundum Hostiensem receptum, [i] & ita videtur intelligendum id, quod Rebuffus, [k] obscurius dixit.

Tertio, quod ex his duobus sequitur eiusmodi beneficiarium, qui ob simoniam se ignoráte admissam tenetur renunciare beneficium, debere illud reuunciare in manibus eius, qui posset eum iusta de causa inuitum destituere, & consequenter in manibus Episcopi, vel Archiepiscopi, si est eius superior immediatus: & quod non sufficit renunciare in manibus collatoris inferioris, qui huiusmodi potestate careat, nisi approbetur à superiori.

3 Quarto, quod superior in cuius manibus huiusmodi renunciatio legitimè fieret, non posset beneficium renunciatũ denuo conferre renuncianti, si eius collatio non pertineret

a Cap.de regularib.ca.ex insinuatione de simonia, c. ex multis.1.q. 3.
b Verb.mani. clem.1.de renunc.
c Cap.admonet. & c.quod in dubiis. de renunciat.
d In d.c.quod in dubijs.
e Super dicta glo.verb. manibus. in fin. de renunc.
f In cap. cum ex iniuncto. de hæretic.
g Sub finem, & in cap. ex insinuatione. de simon. & in repet. ca. si quis contra.n. 53. de foro cõ.
h Cle.1. de rerum.permut.
i In sum. de renun.§. quis potest.
k In praxi benefi.3.par.tit. de resign. nu. 11.

ad eum; sed collatio fiet ab eo, ad quem illa aliàs pertineret: quia licet regulariter, iure communi solo attento, ad quem pertineret potestas destituendi, pertineat potestas instituendi, contra iuxta cap. *cum ex iniuncto*. cum glossa communiter recepta,[a] secus tamen est cum institutio iure particulari priuilegij, fundationis, præscriptionis, vel consuetudinis pertinet ad alium, quàm ad destituere potentem, vt ibi & alibi sæpe communiter resoluitur.

a *De haret.*

4 AD SECVNDAM, scilicet an qui canonicatum sic simoniace assequutum renunciat in manibus superioris, & deinde de eodem prouidetur, debeat habere vltimũ locum, & omnia alia facere, ac si de illo aliàs non fuisset prouisus?

Respondeo affirmatiuè. Primo quidem, quod beneficium per renunciationem legitimã eius perinde vacat, ac per mortem,[b] & eadem ratione idem iudicandum est regulariter de prouiso per renunciationem, ac de prouiso per mortem: sed prouisus per mortem, siue obitum, debet de nouo recipi, de nouo in possessionem mitti, de nouo facere residentiam, & sedere in vltimo loco: ergo & prouisus per renunciationem idem debet facere.

b *Cap. quam periculosum. 7. q. 1. & cap. susceptum. cũ eis adnot. de resc. lib 6.*

Secundo, quod in cap. *quoniam*.[c] probatur, quod monialis eiecta ob simoniam, si recipiatur in eodem monasterio, eo quod in alio non est ei locus, debet recipi ad locum vltimum, & non ad eum, quem ante habebat.

c *De simon.*

Tertio facit optime cap. *quamuis*.[d] quatenus restitutus ad gratiam expectatiuam antea reuocatam intelligendus est restitutus sine præiudicio illorum, qui post reuocationem suæ gratiæ, ante restitutionem ad eam, impetrauerãt alias gratias.

d *De rescr. li. 6.*

Quarto, quod est casus formalis in dict. ca. *ex insinuatione*. vbi quidam canonicus propter simoniam se ignorante commissam renunciauit suo canonicatui, & præbendæ, & decreuit ire ad bellum sacrũ; sed quia postea fuit receptus ad suum canonicatum, voluit redire ad suum primum locum: super quo Clemens III. aditus respondet debere ipsum postremo loco esse contentũ. Non obstant inconuenientia, quæ timentur consequutura. Tum quia potest obuiari eis tacendo causam, cur fiat renunciatio. Tum quia possunt etiam euitari renunciando, & nolendo ad renunciata postea redire. Tum denique, quod sunt inconuenientia iuri consona, & prodeuntia ex his quæ iura in odium simoniæ à tertio commissæ præstiterunt: & facta secundum leges humanas, quæ naturali & diuinæ non repugnant, pro rebus conuenientibus habentur.[e]

e *Ca. qui peccat. 23. q. 4. c. quo iure. 8. d. & c. fi. de cõsuetud.*

5 AD TERTIAM respondeo, posse Episcopum dispensare cum prędicto ignoranter simoniacè prouiso de dicto canonicatu, vt idem post illius renunciationem à se legitimè factam, denuo ei conferatur. Tum quia Episcopus potest dispensare, vt beneficium simplex post renunciationem legitimam ei denuo conferatur, beneficium scilicet quæsitum per simoniam ignoranter commissam.

6 Casus est omni exceptione maior in cap. penultim.[f] vbi glossa communiter recepta hoc tenet. & canonicatus est beneficium simplex secundum communem, quæ probatur in cap. *statutum*.[g] vbi dignitas, & canonicatus pro diuersis accipiuntur, licet quo ad illum casum exæquentur; vnde colligit ibi Philippus Francus canonicatum nec dignitatem esse, nec personatum; & idem dixit Felinus,[h] & secundum omnes canonicatus non cõprehenditur sub beneficijs duplicibus contentis in ca. *de multa*.[i] & in extrauag. *execrabilis*.[k] Nec obstat, quod canonicatus videtur secundũ aliquos residentiam personalem requirere: quia hoc nõ sufficit ad hoc, vt beneficium desinat esse simplex; quandoquidem iure communi omnia beneficia requirunt residentiam personalem, vt est in cap. fin. & ibi Innocentius & alij,[l] etiam si sint minima.[m] Tum quia videtur casus in specie in d. cap. *ex insinuatione*, quatenus agens de canonicatu & præbenda per eiusmodi simoniã quæsitis, præsupponit posse illos iterum quæri renuncianti cum dispensatione inferioris Papa, quod satis etiam adnotauit Panormitanus[n] & tradit latè post alios idem Panormitanus,[o] & tamen iure communi plurima sunt beneficia simplicia.

f *De elect.*

g *De rescrip. lib. 6.*

h *In ca. pastoralis. in princ. de offi. deleg.*

i *De preb.*

k *Ioan. xxij.*

l *De cler. non resid.*

m *Ca. cõquerente. eod. tit.*

n *Num. 4.*

o *In cap. extirpandæ. §. qui vero. nu. 3. in repetitio ne de preb.*

7 AD QVARTAM respondeo primo, quod magnæ quæstionis est, an assequutus beneficium per simoniã ab alio se ignorante admissam teneatur restituere fructus, saltem extantes, quos percepit antequam haberet notitiam simoniæ: quia, qui tenent collationem per huiusmodi simoniã factam ipso iure nullam, videntur consequenter tenere partem affirmatiuam; qui verò tenent collationem ipso iure valere, & id

A esse causam, quare necessaria est renunciatio, vt à peccato se liberet, consequenter videtur tenere partem negatiuã, quam nos semper tenuimus per multa, quæ supra,[a] relata sunt, quæ hic non oportet referre. Secundo, quod nemo dubitat de necessitate restituendi fructus perceptos post habitam de simonia notitiam: & merito. Tum quia, vt dixi, qui tenent collationem esse ipso iure nullam, debent dicere teneri eum ad restituendos etiam fructus, saltem extantes, perceptos ante notitiam simoniæ, vt videtur sensisse D. Thomas.[b] Tum quia, cùm etiam secundum omnes, qui tenent collationem talem ipso iure valere, beneficiarius teneatur illico post notitiam simoniæ renunciare, iuxta responsã ad primam quęstionem, &

a *Eo. cons. 95.*

b *2. 2. q. 100. art. 6. ad 3.*

B peccat male tenendo beneficium, licet habeat ius in eo: & ita non debet reportare ex illa retentione commodum,[c] & si nõ teneretur restituere fructus post notitiam simoniæ ante renunciationem perceptos, reportaret magnum commodum ex suo peccato, vt palam est: & ita hoc tenuimus in Manua.[d] Tum quia alioqui præberetur occasio magna delinquendi retinenti tale beneficium, quod iura iubent illico renunciari, contra c. *ex parte*.[e] & l. *conueniri*.[f] Non obstat, quod graue sit restituere huiusmodi fructus: quia omnis restitutio videtur grauis ei, qui restituere debet; sed stat firma regula, quod non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatũ, si restitui potest.[g]

c *Arg. l. itaq; fullo. de furt. & c. Sedes Apostolica. de rescrip.*

d *Cap. 25. à n. 12.*

e *De consue.*

f *ff. de pact. dotal.*

g *Ca. si res aliena. 14. q. 6.*

8 AD QVINTAM, scilicet, an simoniacus in beneficio sit ad illud, & quæcumque alia obtinenda inhabilis?

C Respondeo primo, quod illa referenda erat ad Congregationem Illustrissimorum Cardinalium ad interpretandũ dubia Concilij Tridentini deputatorum. Pro cuius tamen parte affirmatiua facit primò, quod simonia non solum est crimen, quod meretur depositionem,[h] sed inducit ipso iure suspensionem, vt per locum à fortiori probat cap. *accusatum*.[i] & simoniam admittens in ordine vel beneficio est excommunicatus per extrauagantem 2.[k]

h *Cap. tanta. de simon.*

i *De simon.*

k *De simon.*

Secundo, quod simoniacus in vno beneficio non potest habere illud, neque aliud, si per se committit simoniam, vel per alium se volente, vt visum est aliquibus resoluere Panor.[l]

l *In ca. de simoniace. de simon. num. 7.*

D Pars vero negatiua est tenenda. Tum quia nulla pœna est dicenda ipso iure incurri, nisi sit lex, quę ipsam ipso iure infligat, vt habet glossa solemnis & recepta.[m] Tum quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus expressis à iure,[n] at nullibi exprimitur fieri quem irregularem ipso iure ob crimen simoniæ in beneficio commissum. *De hac quæstione vide consil. 91. & 92 supra eod vbi affatim illa resoluitur.*

m *Ca. fi. de iure patron.*

n *Cap. is. qui de sent. excõmunic. lib. 6.*

9 AD SEXTAM, quæ in præcedenti præsupponitur, scilicet an ordinatus scienter per simoniam fiat irregularis?

Respõdeo, quod pro eius parte negatiua facit primò, quod simoniacus in beneficio non est irregularis, vt supra dictum est. Deinde, quod nulla ratione, nec iure alio potest dici irregularis, quàm quia existens excommunicatus, vel suspensus suscepit ordinem. sed hoc non videtur posse dici: quia sicut

E vno & eodem momento non potest quis incipere obligari ad soluendum, & esse in mora soluendi, vt est doctrina Bartholi recepta,[o] & tradit post alios Decius,[p] ita videtur, quod fieri non possit, vt quis vno eodemq́ue momento per eumdem actum assumptionis ordinum incurrat excommunicationem, & fiat irregularis.

o *In l. ita stipulatus. nu. 50 de ver. oblig.*

p *Cons. 2. nu. 5.*

Secundo, quia licet communicans excommunicato in crimine, propter quod est excommunicatus, incurrat excommunicationem eamdem,[q] nõ tamen incurrit illam, nisi communicet post incursam excommunicationem. & ita clericus, qui habet rem cum muliere, quæ antea non habuit rem cum clerico, non est excommunicatus, licet illa mulier per illum

q *Cap. si concubinæ. de sẽ. excommunic.*

F actum incurreret excommunicationem latam contra mulieres habentes rem cum clericis: quia non habuit rem cũ illa, postquam fuit excommunicata, vt resoluitur in dict. Manu.[r]

r *Cap. 27. nu. 33. & 112.*

10 Sed tenenda est pars affirmatiua per cap. 1.[s] Tum quia probat, quod qui furtim sine licẽtia & approbatione Episcopi, vel examinatoris, suscipit ordinẽ, si præmissæ erat excommunicatio latæ sententiæ contra sic accipientes ordinem, est irregularis, vt expressè adnotauit Panormitanus,[t] & ante illum Cardinalis,[v] & ante illos glossa quæ non citatur ab eis,[x] ergo eodem modo assumens ordinem per simoniam erit irregularis, cum sub pœna excommunicationis & suspensionis latę sententię sit prohibita illa ordinatio per extrauagantẽ 2.[y] Tum quia probat, quod vno & eodem momento per vnum & eundem actum potest quis fieri excommunicatus, & irre-

s *De eo qui furt. ordin. sus.*

t *Ibi num. 4.*

u *Num. 1.*

x *In cap. vlt. eodem tit.*

y *De simon.*

gularis

gularis ob excommunicati actionem; sicut eodem tempore, & per eumdem actum contractus, & obligatio ex eo nascitur, & actio quæ ex obligatione nascitur, iuxta l. *licet.* [a] & notata in §. 1. [b]

Nec obstant in contrarium citata, quę scio mouisse in contrariam partem virum quemdam eruditissimum. Responderi enim potest ad primum, quod diuersa est ratio inter obligationem soluendi, & moram in soluendo ex vna parte, & inter excommunicationem, & irregularitatem, quæ nascitur ex excommunicatione, ex altera; quia mora nõ nascitur immediatè ex obligatione, [c] irregularitas autem sic ex ordinatione prohibita sub excommunicatione latæ sentẽtiæ, vt prædictum est.

Ad secundum, quod non est etiam eadem ratio de excommunicatione, quæ incurritur communicando cum excommunicato in peccato, ob quod est excommunicatus, & in nostro casu: quia in illo requiritur, quod prius tempore sit excommunicatus is, cui communicatur; in nostro autem non requiritur illud, vt probat d. cap. 1. [d]

11 AD SEPTIMAM, an sit idem dicendum de simoniaco in ordine; & de simoniaco in beneficio?

Respondeo, quod non: quia simoniacus in ordine est irregularis, vt in præcedenti quæstione conclusimus; simoniacus autẽ in beneficio non, vt in 3. quęstione conclusum fuit. Item simoniacus in ordine non solum est excommunicatus, vt supra in responsione ad primam quęstionem insinuatum est, & traditur latius in dicto Manu. [e] sed etiam suspensus; simoniacus autem in beneficio solum excommunicatus.

12 AD OCTAVAM, an quo ad effectum vt Episcopus possit ex facultate Concilij Tridentini, [f] dispensare cum simoniaco, sit differentia, quod simonia sit commissa sciente Episcopo, an ignorante?

Pro parte affirmatiua faciunt cap. *veniens.* [g] & cap. *diuersis fallacijs.* [h] quatenus probant, quod Episcopus conferens beneficium scienter coniugato, vel filio eius, qui illud antea immediatè obtinuit, non potest auferre illud ei; sed sic, si ignoranter id fecit.

Sed contrarium videtur tenendum. Tum quia contextus prædicti [i] Concilij Tridentini non distinguit inter Episcopũ, quo sciente crimen admissum est, & inter alium. Tum quia, licet in aliquot casibus speciale sit quod superior nequeat retractare aliqua mala se consentiente facta; tamen regulariter id potest, iuxta ca. *si quis presbyterorum.* cũ ei adnotatis. [k] Tum quia nullibi efficaciter probatur, quod d. Concilium [l] generaliter loquens debeat restringi ad Episcopum, quo ignorante factum fuit delictum, vnde irregularitas descendit.

13 Tum quia potestas absoluẽdi, vel cognoscendi de aliquo delicto aduersus alium non tollitur superiori, eo quod eo cõscio sit factum; immo neque si eo consentiente esset perpetratum, si non agitur contra ipsummet, argu. l. *qui iurisdictioni præest.* cum ei late adnotatis, [m] vnde & absolutio, qua presbyter suam concubinam absoluit, valet, secundum Archidiaconum, [n] communiter receptum per quã, & l. *si consul.* [o] & alias ll. concludit post alios Iason, [p] non esse locũ prædictę legi in iurisdictione volũtaria, de qua videtur in nostro casu tractari.

Quare videtur cõcludendũ, quod Episcopus potest dispẽsare auctoritate prędicti Cõc. [q] in irregularitate descendente ex delicto occulto, & ipso sciente facto, immo etiamsi de cõsensu vel mandato eius esset perpetratum: quia in absoluendo perpetrantem nõ exercet iurisdictionem in se, nec iurisdictionem contentiosam, quæ reddatur in inuitum, & citatum.

14 AD NONAM, scilicet, quid operetur prædicta dispensatio Episcopi?

Respondetur, quod operatur sublationem irregularitatis; ita quod illa nihil nocebit ei post dictam dispensationem; & consequenter, quod post eam, si nihil aliud obstat, poterit in ordine ministrare, & ad superiores ascẽdere, & beneficia postea canonicè collata retinere: quia res extĩcta nihil operatur. [r]

AD DECIMAM, an prædicta dispensatio operetur facultatem iuste retinendi beneficia sibi collata ante dispensationem post irregularitatem contractam.

Respondeo primò, quòd sola dispensatio sine noua collatione non facit facultatem retinendi collata post irregularitatem contractam, & ante dictam dispensationem factam: quia illorum collatio fuit nulla, arg. cap. *si celebrat.* [s] & tradit Innocentius receptus. [t] Et quod ab initio est nullum, tractu temporis non conualescit, non superueniente causa saltem conualescente. [a] Secundo, quòd prædicta dispensatio non facit propriè facultatem retinendi beneficia collata ante irregularitatem contractam, nec dispensatus indiget illa; quia illa iustè retineri possunt, donec per sententiam priuentur, absque eo quòd semper eorum retentione dispensetur: quæ sententia est Innocentij, [b] recepta per omnes ibi, & per Felinum, [c] & alios alibi: quia irregularitas superueniens non annihilat collationem legitimam præcedentem, nec ius quæsitum per eam, licet superuenientes collationes omnino inualidet, vt prædictum est.

15 AD VLTIMAM, videlicet, an fructus ex beneficio perceptos ante dispensationem teneatur restituere?

Respondeo, quòd aut quæstio intelligitur de fructibus perceptis ex beneficio quæsito per simoniam ignorãter contractam, antequam haberet de simonia notitiam: aut intelligitur de fructibus quęsitis post illam habitam, & ante renunciationem eius; vel etiam postea, sed ante dispensationem, & collationem nouam eiusdem beneficij renunciati: aut intelligitur de perceptis post dispensationem, & collationem nouam. Et est dicendum, quòd primos non tenetur restituere, per responsionem datam supra ad quartam; secundos verò sic, per responsionem datam ad eamdem quartam quæstionem; tertios verò non quia ex titulo canonicos eos percepit. aut intelligitur quæstio de fructibus perceptis ex beneficijs post irregularitatem contractam & ante dispensationem super eam obtentam quæsitis; & dico eum teneri ad restituendos illos, per responsum ad decimam. aut intelligitur de fructibus perceptis ex beneficijs collatis ante irregularitatem contractam; & non tenetur ad restitutionem eorum, siue obtineat dispensationem, siue non per responsum ad eamdem quæstionem decimam. Salua in omnibus saniori sententia.

*SVMMARIVM.*

1 *Mediator simoniæ non ideo minus est simoniacus, quod ex simonia, cuius ipse fuit mediator, nihil vtilitatis percepit, & ideo nõ effugit excommunicationem, modo simonia fuerit commissa in ordine, vel beneficio, & completa, non aliter.*

2 *Mediator simoniæ complete in ordine vel beneficio, ideo incurrit excommunicationem, quia extrauagans 2 de simonia dictam pœnam contra tales simoniacos latam ad mediatores extendit. vnde si ex ea nihil vltra mercedem laboris recepit, non incurrit pœnas extrauag. cum primum: Pij V. nec aliorum iurium simoniacos punientium, de mediatoribus nihil exprimentium. num. 3.*

## CONSILIVM XCVIII.

QVIS dicatur simoniæ mediator, & quæ pœnæ contra huiusmodi constitutæ sunt.

1 Respondetur primo, quod ad hoc, vt quis dicatur mediator simoniæ, non requiritur quod ipse ob eam aliquid percipiat, sed satis est, vt mediator fuerit, vt illa fiat, vt probat extrauagans 2. [d]

Secundo, quod si simonia non est realis, vel non est commissa super ordine, vel beneficio, mediator non incidit in excommunicationem extrauagantis prædictæ; quoniam nec ipsi principales incidunt in eam, per ea quæ nos diximus in Manual. [e] si autem est realis, & commissa in ordine, vel beneficio, sic, per dicta ibidem. [f]

2 Tertio, quod per illam extrauagantis mediator non incidit in aliam pœnam, quàm excommunicationis, nec in præsentia videtur in alias pœnas statutas ante illam extrauagantem contra committentes simoniam, nisi exprimerent mediatorem. Tum quia illi canones sunt pœnales, & non videntur extendi extra suum casum, siue terminos suos, qui sunt de committentibus simoniam, & simoniacis, quales non videntur propriè consentientes tantùm, & consulentes, per glossam singularem, [g] & ea quæ nos scripsimus in d. Manual. [h] Tum quia extrauagans prædicta extendens illam ad mediatorem, significat, canones, qui expresśe non puniunt mediatores, non extendi ad eos. [i]

3 Quarto, an autem incidat in pœnas extrauagantis *cum primum.* Pij V. pendet ab illa quæstione, an illa extrauagans liget in foro conscientiæ quo ad pœnas, quas indixit nouas: & aliquando visum est nobis quod non; nunc autem credimus, etiam si haberet locum in foro conscientiæ, non tamen includere mediatorem, qui vltra suum laborem nihil percepit, per fundamenta superius insinuata: & ita non indigeret

[a] §. ea oblig. ff. de procura.
[b] Inst. de act.
[c] l. quod dicitur. ff. de solu.
[d] De eo qui furt. ord. susc.
[e] Cap. 27. nu. 111.
[f] Sess. 24. de refor. cap. 6.
[g] De fil. pres.
[h] De cleri. cõiug.
[i] Ca. 6. ses. 4.
[k] De rebus ecclesiæ non ali.
[l] Cap. 6.
[m] ff. de iuris. omn. iudic.
[n] In ca. omnes. 3. qu. 1.
[o] Dig. de offi. procon.
[p] In dic. l. qui iurisdictioni.
[q] Cap. 6.
[r] Leg. qui rẽ. §. areã. ff. de solut. c. ferrũ. 50. dist.
[s] De cle. excom. min.
[t] In c. cum nostris. de conce. preb.

[a] Reg. non firmatur. de re. iuris li. 6. cum ei concord.
[b] In d. c. cum nostris.
[c] In ca. inquisitionis. de accusat.
[d] De simoni.
[e] In c. 23. nu. 102.
[f] Num. 105.
[g] Cle. 1. de cõsang. & affin.
[h] Cap. 27. n. 51.
[i] Arg. c. præsenti. 1. §. loco de præb. li. 6.

dispensatione quo ad obtenta, nec obtinenda; quia secundum propriam verborum significationem non loquitur de tali.

SVMMARIVM.

1 *Mediator simoniæ restituere tenetur fructus beneficij ex causa suæ mediationis male perceptos.*

3 *Simoniace ignoranter bona fide prouisus iustum quidem titulum non acquirit, num. 11. vnde & beneficium dimittere tenetur, nu. 6. fructus tamen si sint industriales, quales vt plurimum sunt fructus beneficiorum, nu. 8. etiam extantes, vel ex quibus fuit factus locupletior, suos facit, naturales autem illos solum restituit, qui extant, vel ex quibus fuit factus locupletior. num. 12. & 13.*

4 *Alienam rem tenens illam cum fructibus tenetur restituere, si sit malæ fidei possessor: quod si sit bonæ fidei, industriales, etiam si extent, vel sit ex eis factus locupletior, non restituit, nec alios si non extent, nec sit factus locupletior. nu. 12. 13.*

5 *Possessor bonæ fidei licet fructus suos faciat, num. 7. extantes tamen, & in quibus factus est locupletior. restituit, nisi sint industriales, quos non restituit. num. 12. & 13.*

7 *Fructus beneficiorum vt plurimum sunt industriales.*

9 *Fructus beneficij de iure, sed non de facto vacantis, cui bonæ fidei possessor seruiuit. non ecclesiæ, ne cum alterius iactura locupletetur, videntur restituendi, sed ei cui primo legitime confertur. num. 10.*

## CONSILIVM XCIX.

QVÆSTIO proposita videtur quærere, an mediator simoniæ realis teneatur restituere fructus beneficij quæsiti alteri per suam interuentionem siue mediationem; & an is cui quæritur beneficium per simoniam mediatoris, quam ignorauit, teneatur restituere fructus, quos percepit ignorando illam.

1 Respondeo primò, meminisse me ante aliquot annos respondisse quod mediator simoniæ tenetur quidem restituere fructus beneficij perceptos causa vel gratia suæ mediationis: quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur male ablatum, & quæsitum, [a] & quia recipiens alienum sine causa iusta tenetur condictione sine causa. [b] *Vide cons. seq.*

2 Secundo, quod quæstionis magnæ videtur esse, an is, cui omnino ignoranti simoniam à mediatore commissam collatum est beneficium, teneatur restituere fructus durante illa ignorantia. Tum quia, licet quotidiana sit, neminem tamen memini illam pro eius dignitate tractare.

3 Et quod pro parte affirmante facit, quod titulus eius est simoniacus, siue per simoniam quæsitus, & ita inualidus, & non canonicus, sine quali beneficium obtineri non posse habet regula 1. [c] Tum quia qui tenet rem alienam tenetur eam restituere cum fructibus ex ea perceptis. [d]

5 Tertio, quia etiam bonæ fidei possessor, licet faciat fructus suos, tenetur tamen restituere illos, si extant, & si sunt comsumpti, quatenus ditior factus est, vt ait Innocentius, [e] & Batholus, [f] & tenent Angelus Iason, & Decius. [g]

6 Pro parte autem negante facit primò, quod licet multi sint canones, qui probant eum de quo loquimur beneficiarium teneri ad renunciandum beneficium per alienam simoniam sibi quæsitum, [h] nullo tamen exprimitur debere restituere fructus perceptos, nec vllus classicus auctor id videtur dixisse.

7 Secundo, quod bonæ fidei possessor facit fructus suos omnes, præsertim industriales, [i] & per glossam, Panormitanum & alios. [k]

8 Fructus beneficiarij vt plurimum sunt industriales, quia quæruntur cultura, & opera beneficiarij, vt sentit Panormitanus, [l] ibi: *Episcopus lucratur ob culturam, & curam.*

9 Tertio, quod non apparet cui essent restituendi, esto quod restitui deberent, si nullum haberet aduersarium: quia nulla ratio persuadere videtur, vt restituantur Ecclesię, cuius est beneficium; quandoquidem ipse beneficiarius ignorans simoniam officio suo & opera seruiuit ei; & ita ecclesia locupletaretur aliena iactura, contra regul. *nemo locupletari.* [m]

10 Quarto, quod fructus beneficij vacantis de iure, non de facto, debētur ei, qui prius canonicè successerit, vt nos tradimus in tract. de spolijs, [n] per cap. *cum vos.* [o] & cap. *quia sæpe.* [p] & consequenter si huiusmodi ignoranter per simoniam promotus, post renunciationem à se factam fuerit reprouisus, vel à sancta Sede Apostolica obtinuerit retentionem, illos fructus faciet suos, vti primus qui canonicè succedit.

a Cap. si res aliena. 14. q. 6.
b Leg. 1. ff. de condict. sine causa.
c Lib. 6.
d Instit. de offic. iud. §. 1. & l. & ex diuerso. ff. de rei vend.
e In cap. literis. de restitutione spol.
f Eo non citato in l. & ex diuerso. col. 2. ff. de rei vẽd.
g In l. si me & Titium. de reb. cred.
h Ca. præsentiũ. 1. qu. 5. & c. nobis. & c. ex insinuatione. & c. de simoniace. & alijs multis de simon.
i Leg. bonæ. fidei. ff. de acquiren. rerũ dom. & §. si quis à non domino. Inst. de rerũ diuisio.
k In c. grauis. de rest. spolia.
l In d. c. grauis num. 6.
m Lib. 6. & l. iure naturæ. ff. eod.
n Super c. non liceat Papæ. 12. qu. 2. §. 12.
o De officio. ordin.
p De electio. eod. lib. & ca. præsenti. eo. ti. lib. 6.

11 Non obstant opposita: non primum: quia respondetur concedendo titulum eius esse inualidum, negando tamen quod bona fides non operetur acquisitionem fructuum bona fide perceptorum, per l. *bonæ fidei.* [a]

12 Ad secundum concedimus obligatum ad restituendam rem alienam teneri ad restituendum fructus, si mala fide percepit eos, vel si erant fructus naturales, & extantes, vel consumpti, ita vt ditior factus sit consumptione: nos autem loquimur de industrialibus cultura & opera beneficiarij quæsitis.

13 Ad tertium respondetur negando assumptum cum glossa, [b] & cum communi opinione antiquorum, à qua nec Bartholus in argumento citatus discedit firmiter, sed solùm pro tunc gratia collationis. & prædicta l. *si me & Titiũ* qua mouẽtur Innocentius & Bartholus vbi supra, & qui sequuntur eos, non probat conclusionem eorum: quoniam solum probat id procedere in malæ fidei possessore: nihil aliud enim habet, quàm quod si res alicuius, vel ei debita perueniat ad alium sine causa iusta retinendi eam, & id ipse sciat, debet illam reddere domino. Nos autem loquimur de bonæ fidei possessore, qui retinet beneficium non suum credens bona fide habere iustam causam illud retinendi, & lucrandi fructus eius; & ita licet non quærat sibi beneficium possidendo, quęrit tamen fructus, cultura & opera sua colendo illud, & ei inseruiendo; quem intellectum prædictæ l. *si me & Titium.* arbitror à nemine fuisse hactenus animaduersum.

a ff. de acquiren. rerũ dom.
b In d. l. & ex diuerso. & in §. si à non domino. Inst. de rerum. diu.

SVMMARIVM.

1 *Mediatorem simoniæ non teneri restituere fructus ab alio perceptos cur male infert quidam doctor. num. 2.*

2 *Damni causam qui dat etiam immediate damnum non inferentem, sed solum mediate, & sine qua non, restituere tenetur.*

## CONSILIVM C.

CIRCA dubium de eo qui procurauit alicui beneficium interuentu simoniæ, an teneatur ad restitutionem fructuum perceptorum.

1 Pro parte negatiua videtur facere expresse extrauagans Pauli II. de simonia. in qua primo respectu beneficiati ait illum teneri ad restitutionem: sed in alio §. vbi agit de procurante, ac mediatore tantum, definit eos esse ipso facto excommunicatos. Quare non videtur extendenda pœna illius extrauagantis satis rigorosæ vltra terminos suos; & nullo alio canone puto aliquid grauius constitui contra procurantes, ac mediatores, quam illo. Ad contrariam rationem sumptam ex D. Thoma, [c] quòd videtur teneri ex eo, quia qui procurauit simoniacam collationem beneficij, iubenti æquiparatur, vel saltem consentienti fieri furtum; respondeo non esse idem iubere vel procurare furtum, vel procurare rem aliquam, vt titulum beneficij illicitum, vel etiam nullum, ex quo fortasse furtum nascatur. Et ratio diuersitatis consistit in multis. Primo, quia consulens, aut adiuuans in furto, adiuuat in eo quod immediate est subiectum restitutioni, procurans verò titulum iniustum beneficij non procurat rem ita immediatè obnoxiam restitutioni. Ratio; quia simoniacus potuit omnes fructus conuertere in vtilitatem Ecclesiæ, potuit etiam habere dispensationem, quæ alio tempore non erat tam difficilis, & de hoc potuit rationabiliter cogitare procurans: & hanc responsionem iudico optime conuenire verbis D. Thomæ quia (vt recte ait ibi Caietanus quod etiam Sotus repetit, [d]) non sunt ea intelligenda de causa sine qua non, & ita de causis remotis, sed de causa efficiente iniustam acceptionem, & ita de causa proxima: &, vt ex supradictis patet, ille procurans nõ debet dici causa immediata huius iniustæ acceptionis fructuum. Et ad argumentum de collatore, qui confert planè indigno, dico longè aliam esse rationem; quia hic peccat in officio, & lædit Ecclesiam, quam ex munere suo tenetur tueri: aliud verò est in laico, qui ad hoc non tenetur ex officio. & hæc responsio est de mente D. Thomæ, [e] loquentis de non manifestante latronem. Vltimo priuatus præsertim laicus in similibus potest excusari ex probabili ignorantia, nesciens ex illis pactionibus nasci tantum malum, vt ille nullo modo dicatur facere fructus suos. quæ ignorantia, cum non sit crassa, nec supina in laico excusat à restitutione, de qua post alios D. tua in Manual. [f] Et non dubito, quin nullus ex his, qui procu-

c 2. 2. q. 62. a. 7.
d 4. de iustitia q. 7. art. 3.
e In eo. ar. 7. ad tertium.
f Cap. 17. nu. 82. & sequentibus.

rarunt

rarunt huiusmodi beneficia suis consanguineis, si interrogaretur, Si sciuisses illum numquam posse facere fructus suos, & si eos retineret, furtum committere, procurasses ei hoc beneficium? responderet, Non procurassem, & nullo modo cogitaui de furto, aut rapina rei alienæ. vnde non videtur in homine, qui ex officio non tenetur tam accuratè hæc scire, induci obligatio restitutionis sine retentione rei alienæ, aut proxima operatione ad iniustam acceptionem.

RESPONDEO, quod præcedens responsum in eo potissimum fundatur, quod qui non dat causam immediatam damni non videtur damnum dedisse; & quod longè aliud est conferre beneficium nulliter, siue inualidè, & procurare vt nulliter conferatur: & quod qui non tenetur ex officio obuiare damno, licet peccet non obuiando, non tenetur tamen ad restitutionem.

2 Sed contra hæc facit l. *qui occidit.* [a] quæ habet, eum qui occidit seruum pignori datum, teneri ad restituendum vsque ad valorem debiti, quod debetur creditori, si debitor non est soluendo; & tamen non videtur occisor fuisse causa immediata illius damni, sed valde mediata: & quòd qui furatur sartori acum, vel alteri operatori instrumentum, sine quo non potuit operari, & cum quo operatus fuisset, tenetur ad restitutionem, vt concludimus in Manual. [b] Tum quod dictum cap. fin. [c] generaliter habet, eum qui causam damni dat, dare damnum, nulla distinctione facta inter causam mediatam, & immediatam, quam nec D. Thomas facit, [d] immo significat sufficere, vt sit causa, sine qua nõ fuisset datum damnum, &c.

a Dig. ad legẽ Aquiliam.
b Cap. 17. n. 3.
c De iniur.
d 2. 2 q. 63. a. 7.

### SVMMARIVM.

1 *Simoniacum absolui cum mandat maior Pœnitentiarius, etsi addat quod absoluendo imponatur onus monendi complicem, vt pœniteat; hoc tamen onus imponi debere nullo iure præcipitur. num. 2. Vnde confessarij ex sua propria facultate, non ex vi dicti mandati, qui tales absoluunt, etsi poßint, non tamen tenentur illud iniungere onus. nu. 4. quod etiam procedit, quando absoluitur prædo, & homicida: sufficitque vt eosdem inducant vt male accepta restituant. num. 3.*

2 *Inducens alium ad peccandum, omnia, in quibus ei nocuit, ex lege iustitiæ restituere tenetur, si vi, metu, vel dolo ad peccandum induxit; quibus cessantibus, ex caritate eumdem in illis casibus, in quibus teneretur quemcumque alium, vel etiam aliquantulum plus, solum corripere tenetur. num. 4.*

## CONSILIVM CI.

AN ei, qui simoniam admisit, & petit absolutionem à peccato, vel à censuris, debeat imponi onus monendi eum, cum quo admisit illud peccatum, vt faciat eius pœnitentiam, & restitutionem, quam ob id facere tenetur?

1 Respondetur primò, pro parte affirmante facere in primis, quod sacræ Pœnitentiariæ prætorium videtur imponere illud in literis, quibus dat, vel committit absolutionem huiusmodi.

Secundo, quod Alexander III. [e] iussit iudici, vt induceret Reges, & Principes, qui aliquid simoniacè acceperunt ab electo in Episcopum Exoniensem ad restituendum illud ipsi ecclesiæ Exoniensi, & quod Panormitanus, [f] reprehendit confessarios Regum, & Principum, eo quod ignorantia, vel vt placeant illis, non inducunt eos ad restituendum ea, quæ acceperunt simonicè ab his, qui eliguntur, & promouentur ad dignitates.

2 Tertio, quod qui alium ad peccandum inducit, videtur teneri ad restituendum ei omnia illa bona, in quibus ei nocuit, inducendo eum ad pœnitentiam, & exhortando ad opera bona, secundum Scotum, [g] & Adrianum, [h] quos retulimus in Manual. confess. [i]

3 Pro parte negante facit primo, quod nullo canone, nec lege videtur statui, vt huiusmodi onus admonendi plus imponatur ei, qui peccauit peccatum simoniæ, quam alia peccata, per quæ incurritur obligatio restituendi, & aliqua censura: nam præfatum ca. *de hoc.* non habet, quod confessarij, & alij absoluentes à peccato simonię in foro conscientię debeat imponere absoluto pœnitentiam, & onus faciendi præfatam monitionem. Tum quod loquitur de iudice delegato à Papa processuro in foro exteriori. Tum quod non habet, vt simoniacus absoluendus moneat consimoniacum ad restituendum, sed quod ipsemet restituat, vt palam habet eius contex-

e In c. de hoc. de simon.
f Ibidẽ nu. 6.
g In 4. d. 15. q. 7. art. 1.
h In 4. de resti. qu. 31.
i Cap. 14. nu. 31.

A tus. nec Panormitanus ait errare confessarios Principum, eo quod non inducunt Principes ad monendum consimoniacos ad restituendum, sed eo quod peccant non inducendo ipsosmet Principes simoniacos ad restituendum id, quod [illegible] nentur restituere.

Secundo, quod nulla ratio vllo iure naturali, diuino, nec humano fundata reddi potest, cur magis debeat simoniacus admonere sui peccati consortes, quàm alij, qui multo maiora peccata, quam aliqui simoniaci peccant, incurrendo grauiores censuras, quàm simoniaci, quales sunt multi, quorum absolutio reseruatur Papæ in bulla Cœnæ Domini.

B Tertio, quod licet multi canones super multis criminibus quædam specialia statuerint facienda in absolutione illorum, quorum 47. collegit Hostiensis, [a] nullus tamen videtur inueniri, qui statuat hanc obligationem & onus imponendum esse absoluto à simonia, & censuris eius.

Quarto, quod nec cap. *quoniam.* nec capit. *de regular.* nec cap. *cum essent.* nec cap. *nobis.* nec alia, [b] quæ determinant de pœna, & de absolutione & remedio simoniacorum, & simoniacarum, vllam faciunt mentionem de pœnitentia, & onere huiusmodi monitionis & inductionis imponendo absoluendis: nec memini legere auctorem aliquem classicum, qui determinet huiusmodi onus esse imponendum magis ei, qui absoluendus est à simonia, quam alijs, qui absoluendi sunt à rapinis, furtis, homicidijs, & prædationibus, etiam piraticis. &

C obligatio, quæ iure naturali, diuino, vel humano non inducitur, non debet censeri inducta, & imposita: quia, vt ait Stephanus Papa. [c] *Quod patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinuentione non est præsumendam.* pro quo est cap. *legatur.* [d] & illud Imperatoris. [e] *Erubescimus sine lege loqui*, id est dicere aliquid statutum esse aliqua lege, quæ non inuenitur. & nulla, vt opinor, consuetudo confessariorum totius orbis Christiani videtur hoc seruare magis in peccato simoniæ, quam in alijs.

4 Non obstant opposita; non primum: quia Illustrissimi eiusdemque summi Pœnitentiarij non est ferre legem nouam, sed latas à S. Sede Apostolica cuius dominatio sua Illu-

D strissima est summus quo ad forum conscientiæ iudex vniuersalis deputatus, seruare.

Ad secundum supra late responsum est.

Ad tertium responderi potest per ea, quæ nos scribimus in prædicto Manual. [f] Primum quidem, quod, vt ibi resoluimus, nemo tenetur lege iustitiæ ad restituendum ei, quem induxit ad peccandum, nisi vi, metu, vel dolo eum induxerit. Deinde, quod licet lege caritatis teneatur ad illud etiam cæteris paribus aliquantulo plus, quàm alij proximi, non tamen sub præcepto ad mortale peccatum obligante, nisi quando præceptum de corrigendo fratre obligaret ad vtendum fraterna correctione etiam alios, qui id scirent; quod non habet locum in quolibet simoniaco. Postremo, quod non omnes

E simoniaci, qui petunt absolutionem, sunt, qui participem induxerunt in simoniam: & frequenter simonia est adeo occulta, vt non sit in ea locus correctioni fraternæ; neque denunciationi, iuxta regulas traditas de fraterna correctione à S. Thoma, [g] & ab Archidiacono & vtroque Cardinali, [h] & à Panormitano & alijs. [i] Quamuis non sit contra vllam legem naturalem, diuinam, vel humanam, quod confessarius, vel Pœnitentiarius summus, vel minor iniungat simoniaco prædictam monitionem, seu pœnitentiam, & onus eam faciendi, quando ex circumstantijs personarum & causarum colligitur id non fore nimis graue absoluendo, & apparet posse prodesse, & non obesse.

a In sũma de pœn. & remi.
b De simon.
c In c. consuluisti. 2. qu. 4.
d 24. quæs. 2.
e In auth. de trien. & sem. §. considere mus. col. 3.
f Ca. 14 n. 31.
g 2. 2. quæs. 3.
h In c. si peccauerit. 2. qu. 1.
i In c. nouit. de iud.

F

## NE PRÆLATI VICES SVAS VEL ECCLES. SVB ANnuo censu concedant.

### SVMMARIVM.

1 *Vicariatum Episcopi, vel Rectoris ad tempus emens pretio, vel conducens, simoniam admittit, sed non excommunicatur. & 3.*

2 *Conductio iurisdictionis spiritualis ipso iure perditur, & conductor nisi ea dimissa non absoluendus. & 3.*

2 *Spiritualium, & eisdem annexorum, vt est iurisdictio spiritualis, emptio, & conductio est nulla. & 3.*

2 *Simoniacæ conuentiones, & pacta circa spiritualia, & eis annexa, à iure annullantur.*

## CONSILIVM I.

AD quæsitum de illo, qui conducit, vel emit pecunia vicariatum non perpetuum, sed temporalem Episcopi, vel Rectoris, an admittat simoniam?

1 Respondetur primò, quòd sic, vt colligitur ex continuatione rubricæ ne prælati vices suas, cum proxima de simonia, & ex Panormitano & alijs dicentibus,[a] quod conducere iurisdictionem spiritualem est simonia, non autem conducere temporalē. & probatur illa firma ratione, quod simoniam committit, quisquis rem spiritualem, vel ei annexam vendit, vel emit, iuxta glossam solemnem,[b] & receptam ab omnibus tam Canonistis, quàm Theologis, & declaratam post alios à nobis in Manual. confess.[c] & quod iurisdictio spiritualis est annexa rebus spiritualibus secundum omnes.

2 Secundo, quod præfatum cap. 1. quatenus habet conductorem iurisdictionis spiritualis priuari officio, intelligendum est de officio clericali, & non de ipsa iurisdictione, vel officio, quod conduxit, vel emit. Tum quia contextus habet verbum futuri temporis; *priuetur*, quod non inducit priuationem ipso iure, sed per sententiam, iuxta glossam receptam.[d] Tum quia iurisdictio præfata conducta, vel ipsum officium emptum vel conductum perditur ipso iure: quia contractus ille conductionis, vel emptionis, est simoniacus, vt rectè declarat Panormitanus,[e] & faciunt cap. *quam pio.*[f] & cap. fin.[g] quæ annihilant huiusmodi pacta, & conuentiones.

3 Tertio, quod huiusmodi conductor, vel emptor tenetur ad relinquendum statim iurisdictionem, vel officium huiusmodi emptum: quia nullo iusto titulo illud tenet: emptio enim vel conductio huiusmodi annexorum spiritualium nihil valet, & est nulla, vt annotauit Panormitanus receptus,[h] & ita confessarius non debet absoluere huiusmodi conductorem, vel emptorem, nisi dimittat illud, vel proponat efficaciter dimittere.[i]

Quarto, quod non incidit in excommunicationem ipso iure: quia illam non incurrit nisi simoniacus in beneficio, & ordine, per dicta in Manual. confess.[k] qualis non est conductor, vel emptor prędictus: quia vicaria spiritualis non est beneficium, per citata à Felino.[l]

a In c. 1. eo. tit.
b 1. quæst. 1. in summa.
c Cap. 23. nu. 100.
d In c. in pœn. de regu. iuris lib. 6.
e Ibidem.
f 1. quæst. 2.
g De pact.
h In c. de iure. patr.
i Ar. c. si res aliena. 14. q. 6. & c. peccatũ. de re. iur. l. 6.
k Cap. 23. n. 111.
l In ca. postulasti. de resc.

### SVMMARIVM.

1 *Vicariatus Episcopi, vel alius prælati, pretio comparari nequit.*
2 *Capitulum sede vacante vicarium eligens cum pacto participandi de emolumentis, simoniam committit, licet non excommunicantem.*

## CONSILIVM II.

CANONICI sede vacante electuri vicarium suum generalem, conuenerunt, & pacti fuerunt, vt quicumque eorum eligeretur vicarius, tam salarium ei soluendum ratione vicariatus, quàm omne aliud emolumentum solitum solui vicario Episcopi, tenetur diuidere inter se, & alios canonicos, ita vt singuli eorum tantùm caperent de illis, quantùm ipse vicarius, & non plus, nec minus: & singuli eorum iurauerunt seruare singula capita, si quis eorum eligeretur vicarius: & postea ille qui fuit electus, post electionem iurauit iterum ea seruare, & seruauit, & canonici ceperunt suas singulas partes.

Quęritur, an simoniam admiserint, & an sint ipso iure excommunicati, & à quo absoluentur.

1 Respondetur primo, quod omnes admiserunt simoniam contra fere totum titulum ne prælati vices suas. quia vicariatus generalis Episcopi, & cuiuslibet alterius prælati, est res spiritualis, vt probatur per cap. 1. & 2.[m] & ob hoc constitutum est, ne quis det quidquam temporale pro illa re spirituali: & quod qui dederit vel acceperit ob id aliquod temporale, puniatur grauiter: & in casu proposito qui erat eligendus vicarius promisit soluere multa temporalia electuris, casu quo eligeretur, & postea electus soluit, & electores acceperunt vnusquisque suam partem: & consequenter admiserunt omnes simoniam grauem, conueniendo, paciscendo, iurando, eligendo, acceptando electionem, tradendo possessionem, & diuidendo emolumenta, per definitionem simoniæ datam à glossa,[n] receptam ibi, & in rubr. de simon. ab omnibus canonum peritis, & à S. Thoma & alijs Theologis,[o] quam nos post alios profundè declarauimus in Manual. nostro confess.[p]

m Eod. tit.
n In sum. 1. q. 1.
o In 4. li. sen. dist. 25.
p Cap. 23. nu. 100.

2 Secundo, quod omnes fuissent excommunicati, & celebrando effecti irregulares, si præfatus vicariatus fuisset beneficium spirituale, vel ordo, aut ordinis sacramentum, per extrauagantem 2.[a]

Tertio, quod non sunt excommunicati; eo quod pœna præfatę extrauagantis non habet locum, nisi cum admittitur simonia in beneficio, vel ordine, secundum receptam sententiam, quam latius, quàm alij, declarauimus nos vbi supra.[b]

a De simon.
b Num. 111.

## DE MAGISTRIS.

### SVMMARIVM.

1 *Intellectus cap. 1. de reformatione sess. 5. Concil. Triden.*
1 *Regularis ecclesia cathedralis est propriè cathedralis, sicut & sæcularis, nu. 2. vnde in ea locum habet dispositio Conc. Trid. sess. 5. de reformat. cap. 1. vt habeat lectorem Theologiæ: & si habet certum numerum canonicorum habentium præbendas, vel portiones priuilegiatas, debet vnam præbendam pro lectore deputare. nu. 2. quod si non habet certum numerum canonicorum, & portionum, ex quo ibi non potest vacare præbenda, nu. 3. tenetur prouidere lectori de stipendio. nu. 4.*
2 *Intellectus cap. 1. & 2. Conc. Trid. sess. 25. de regular.*
2 *Regularibus non est prohibitum habere peculia rerum mobilium de licentia Papæ, prælati, vel statuti à Papa confirmati, itemque præbendas & portiones regulares priuilegiatas: immobilium autem peculium habere non possunt regulariter, licet, ex causa & horum eis possit concedi. num. 6.*
5 *Indigena cæteris paribus extero præferendus in collatione beneficiorum, & aliorum, quæ eorum loco subrogantur.*
5 *Diuersæ professionis & habitus personæ in eadem congregatione non coniungendæ, nisi aliud necessitas, vel magna suadeat vtilitas.*
6 *Canonicus regularis capax est beneficij regularis, ac etiam illius stipendij, quod loco præbendæ debet dari lectori Theologiæ. num. 5.*

## CONSILIVM I.

AD inquirendam veram intelligentiam, & statuendum quod iustum est circa prouisionem lectoris sacræ Scripturæ in ecclesia cathedrali Pampilonensi, iuxta[c] Concilium Tridentinum videntur affirmanda sequentia.

1 Primum, quod in ea ecclesia debet esse aliquis lector sacræ Scripturæ: quia est Ecclesia cathedralis, & posita in ciuitate, vbi est numerosus clerus, & populus: & ita non solùm mens & intentio Concilij, sed etiam verba primæ partis sui canonis coniuncta cum verbis vers. *& quatenus.* conueniunt huic dicto.

2 Nec obstat dicere, quod præfata prima pars loquitur de solis sæcularibus Ecclesijs, & quod pronomen illud, *ipsis.* positum in versic. *& quatenus.* restringitur ad Ecclesias tantum sæculares. Quia prima pars loquitur generaliter de Ecclesijs cathedralibus, & clarum est Ecclesiam cathedralem regularem propriè dici ecclesiam cathedralem: quia species propriè includitur sub genere, vt ait Baldus receptus.[d] Nec etiam obstat dicere, quod prima pars non potest habere locum in Ecclesia cathedrali regulari: quia immo potest habere locum in ea, si est certus numerus canonicorum regularium habentium præbendas, vel portiones priuilegiatas, quæ habentur pro præbendis, de quibus Innocentius, & alij loquuntur,[e] quales ante aliquos annos fuerunt in ecclesia Oxomensi, & (vt puto) sunt etiam hodie in Cæsaraugustana. Nec obstat Concilium Tridentinum,[f] quia non prohibet religiosis habere peculia rerum mobilium de licentia Papæ, vel prælati, vel statuti à Papa confirmati, vt ex d. cap. constat, & late probamus in cap. *non dicatis.*[g]

3 Secundo, quod non est intentionis, nec verborum prædicti Concilij, quod duo lectores habeantur in ecclesia Pampilonensi, vnus qua parte est Ecclesia cathedralis, & alter qua parte est regularis: quia vna tantùm est Ecclesia, & vno iure debet censeri;[h] nec vspiam vlla theorica vel praxis contrarium recepit.

Tertio, quod certum est in Ecclesia Pampilonensi non esse certum numerum canonicorum, neque prębendarum, neque portionum priuilegiatarum, & ita non esse locum in illa Ecclesia primę parti prædicti canonis: quia vbi non est certus numerus prædictorum, nihil vacare potest.[i]

4 Quartum, quod ex prædictis consequitur, Episcopum

c Ca. 1. de reform. sess. 5.
d In l. 2. C. de iure aut. annul.
e Cap. dilectus. 1. de præ.
f Ca. 1. & 2. de reg. sess. 25.
g 12. q. 1. nu. 9. & 47.
h Cap. cognouimus. 12. qu. 2. l. eum qui ædes. ff. de vsucap.
i Cap. dilecto. de præb.

& Capitulum debere prouidere de stipendio ipsi lectori per aliquem modum in prædicto §. *& quatenus.* expressum. Si enim, vt prædicitur, debet esse in ea huiusmodi lector, & non potest prouideri ipsi de præbenda vacante, vt habetur in prima parte prædicti canonis; oportet, vt prouideatur ei alio modo in parte 2. expresso.

Quinto, quod longè decentius esset stipendium prædictum conferre alicui canonico Ecclesiæ, qui ad legendum esset idoneus, quam alij extero sæculari. Tum quia magis assiduus erit in Ecclesia ad legendum, & respondendum concurrentibus ad audiendam lectionem, quam exterus sæcularis.

5 Tum quia cæteris paribus in beneficijs indigena præferendus est extraneo, [a] per rationes redditas à Cælestino Papa, [b] & licet in hoc casu non agatur de beneficio, agitur tamen de stipendio, quod propter defectum beneficij datur: & subrogatum sapit naturam eius cui subrogatur. [c] Tum quia, nisi aliud necessitas vel magna vtilitas persuadeat, diuersæ professionis & habitus homines non sunt in eadem congregatione coniungendi, vt per pulchras rationes & auctoritates probat Concilium Hispalense, [d] & Concilium Viennense. [e]

6 Nec obstat, quod canonicus regularis non potest habere proprium per d. cap. *non dicatis.* [f] & [g] Conciliū Tridentinum, [h] quia illud intelligi debet de proprio simpliciter, & nō de proprio, accipiendo proprium pro peculio de licentia superioris concesso, vt late & irrefragabiliter vbi supra probamus per omnia iura antiqua, nec nouum statutum [i] Concilij Tridentini obstat. Tum quia loquitur de peculio rerum stabilium, siue immobilium, & non mobilium: & in proposito de stipendio, quod in rebus mobilibus consistit, loquimur. Tum quia canonicus regularis est capax beneficiorum regularium, & stipendium prædictum subrogatur in locum beneficij, & ideo merito erit capax eius, præsertim in Ecclesia Pampilonensi, in qua certæ singulæ quantitates singulis canonicis in peculium protectionis separatim dantur, & aliæ singulæ certæ quantitates panis, & vini, quo sibi, hospitibusque ad se venientibus prouideant. Tum quia etiam hodie posse dari ex iusta causa religioso administrationem peculij rerum immobilium probamus vbi sup. [k] Salua, &c.

a *Leg. in ecclesijs. C. de episc. & cler.*
b *In c. nullus. 61. dist.*
c *Le. eum qui §. qui iniuriarum. ff. si quis cautio. & ca. ecclesia. vt li. pend.*
d *In c. innona. 16. quæst. 7.*
e *In clemē. 1. de elect.*
f *12. quæ. 1. de reg.*
g *Ca. 2. de re.*
h *Sess. 25.*
i *In c. 2. de regular.*
k *Num. 14. & specialius nu. 18.*

## DE IVDÆIS, SARRACENIS, ET EORVM SERVIS.

### SVMMARIVM.

1 *Iudæi celebrantes sua cæremonialia peccant, vt idololatræ idololatrantes.*

1 *Consentiens peccato alterius aliquo illorum modorum, de quibus in illis versiculis, Iussio, consilium, &c. peccat.*

2 *Occasionem propinquam peccandi qui præbet alicui, peccat; & hoc non solum quando quis eam præbet expressa intentione, vt ille peccet, sed etiam quando cessante praua intētione aliquid facit, vnde saltem virtualis vel interpretatiua talis elicitur intentio. num. 3. vt Synagogas & Moscheas Iudæorum ædificantes, vel reficientes peccant, etiam si absit sinistra intentio: quia faciendo id, cuius principalis vsus est peccatum, vel cuius vsui admixtum sit peccatum inseparabiliter, nu. 9. saltem voluntate interpretatiua virtuali æquipollenti volunt peccatum. nu. 2. item quia illarum refectio est prohibita, licet Iudæi non puniantur. num. 9. & 11.*

2 *Occasionem remotam peccandi qui dat, non peccat, modo desit complacentia peccati, & actio fiat aliquo bono fine. num. 11. Vnde vendentes myrtos Iudæis, qui postea illis vtuntur cum peccato in suis Scenophegijs, non peccant. nu. 5. sicut egentes possunt ab vsurario pecuniam mutuam accipere, licet ipse peccet vsuram exercendo. nu 8. sicut nec ædificantes lupanaria, nec locantes domos meretricibus, in quibus illæ meretricantur, num. 8. modo eas non locent eo fine, vt in eis meretricentur, nu. 10. sed ad bonum finem, scilicet, vt ipsæ vitam conseruent, & locantes pensionem percipiant. nu. 11. tuncque hæc locatio nedum est mala, sed laudabilis. nu. 13.*

4 *Azyma Iudæorum clericis sub suspensionis, & laicis excommunicationis pœna prohibita sunt.*

4 *Peccata mortalia tolerare non debet ordinarius præsertim ecclesiasticus: at si solum sunt venialia, possunt in foro conscientiæ tolerari. num. 13.*

5 *Infidelibus, cum quibus nobis commercium non est prohibitum, possumus merces expresse non prohibitas vendere, & ad victum necessaria præbere. num. 7.*

5 *Iudæis myrtos, quibus cum peccato vtuntur in suis Scenophegiis, vendere; illosque vt crescant debita cultura curare, non est peccatum, modo non vendant ad illum finem, vt in [illegible] Scenophegiis vtantur. nu. 10 sed ob bonum finem, scilicet vt vendentes exinde habeant pecunias ad suos licitos vsus. n. 11.*

6 *Permittitur cum aliquid, vtique & cætera censentur permissa, sine quibus permissum exerceri non potest.*

9 *Finis malus actionem non malam, malam reddit; bonus autem finis actionem, cui peccatum non est inseparabiliter annexum, bonam facit.*

12 *Paruitas rei, subreptio, indeliberatio, ignorantia, rem, quæ ex fine esset peccatum mortale, possunt reducere ad veniale, etiam si agatur de peccato idololatrandi, iunctis iis, quæ dicuntur in præcedentibus, & in casus positione.*

13 *Pastoris officium est non statim omnem actionem præbentem occasionem peccandi prohibere, sed populum docere quomodo illa sine peccato vti possit, & liceat.*

### CONSILIVM I.

IN agro Bononiensi in collibus quibusdam nascuntur plantæ myrti, & veniunt Hebręi etiam ex longinquis regionibus ad emendum ramusculos illarum à dominis prædiorum, vt sua festa scenophegię celebrent, quod sciūt ipsi venditores.

Quæritur primo, an licitæ sint tales venditiones.

Secundo, an possint tolerari in foro conscientiæ.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM, scilicet, an liceat prædicta venditio, respondeo quod pro parte negante facit primò, quod omnis, qui consentit peccato mortali alterius, peccat mortaliter, iuxta illud Pauli, [a] *non solum qui faciunt, &c.* relatum in c. 1. [b] vbi glossa & omnes, [c] consentit inquam aliquo nouem modorum contentorum in illis duobus senariis, quos post S. Thomam, [d] posuimus in nostro Manu. confess. [e] scilicet,

*Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,*
*Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

Quos eosdem senarios paulo latius declaramus in eodem Manu. [f] At prædicti venditores ramusculorum myrti consentiunt prædictis Hebræis, non solùm simpliciter, & placendo eis, vt celebrent scenophegiam, quam licet ante passum Christum licuisset eis celebrare, non tamen hodie licet, vt tradit S. Thomas receptus, [g] sed etiam ad nutriendum, colendum, & quærendum illos: ergo peccant.

Secundo, quod perinde peccant Hebræi hodie celebrantes suam scenophegiam, & alias similes cæremonias, ac idololatræ peccant idololatrando, vt ait glossa, [h] quam in hoc citat vbi supra S. Thomas, & qui Christiani adiuuarent idololatras ad exercendam idololatriam, peccarent.

2 Tertio, quod qui occasionem propinquam peccandi præbet alicui, peccat, [i] & tradimus nos latè in præfato Manu. [k] & quod omnis iuuans ad peccandum mortaliter peccat simili modo, quo ille, qui iuuatur. At non videtur posse negari, præfatos venditores dare occasionem propinquam peccandi præfatis Hebræis; quia iuuant eos ad peccandum grauissimè, & opem ferens ad peccandum peccat. [l]

Quarto, quod nos in specie tradimus in d. cap. 14. [m] per ibi adnotata, quod ædificantes, vel reficiētes synagogas, & mezchitas Iudæorum, & Maurorum, peccant: quia dant occasionem propinquam peccandi: & præfati venditores ramusculorum myrti videtur præbere causam tam propinquam præfatis Hebræis, quam illi ædificantes, & reficientes synagogas.

3 Quinto, quod non solum peccat mortaliter is, qui præbet occasionem sic peccandi, ea intentione expressa, vt alius peccet: sed etiam is, qui id facit intentione interpretatiua, siue æquipollenti, & virtuali, vt diximus vbi supra, inferendo ex hoc, [n] *peccare mortaliter eum, qui etiam sine praua intentione facit, aut reficit idola apud Indos, aut synagogas apud Iudæos, aut mezchitas apud Mahumetanos, aut pagana templa apud Paganos, aut hæretica apud hæreticos; aut facit aliquid aliud, cuius principalis vsus est peccatum mortale; quia occasionem ad illud dat cum auxilio.*

Sexto, quod pro hac parte faciunt illa, quæ adducimus in præfato Man. [o] & præsertim illud, quod numquam licet dare occasionem peccandi adiuuando, nec participando in lucro obueniente ex peccato.

4 Septimo, quod in cap. *nullus.* [p] præcipitur sub pœna

a *Ad Rom. 1.*
b *De offic. de offi. dele.*
c *Cap. notum 2. quæst. 1.*
d *2. 2. qu. 62. art. 7. in corp. quæst.*
e *Cap. 11. nu. 15.*
f *Ca. 17. & n. 17. & nu. 130.*
g *2. 2. q. 10. ar. 11.*
h *Ad Gala. 5.*
i *Arg. c. fi. de iniuriis.*
k *Ca. 14. à n. 13.*
l *Capit. sicut dignum. §. illi. quoq; de homic.*
m *Num. 33.*
n *Nume. 36.*
o *Cap. 17. à num. 195.*
p *28. quæst. 1.*

depositionis clericis, & sub pœna excommunicationis laicis, ne quis eorum azyma seu panes azymos Iudæorum comedat: & leuior culpa videtur comedere huiusmodi azymos panes, quàm prædictos ramusculos ad celebranda scenophegia vendere; eo quòd prædictæ venditiones videntur esse per prædicta peccata mortalia, & talia peccata non debet tolerare ordinarius præsertim ecclesiasticus vt habet cap. 1. [a] & argumento l. *congruit*. [b] per quæ statuitur, vt ordinarij non solum castigent huiusmodi peccata, quæ patent, sed etiam vt inquirant quæ latent, si quæ sunt alia, quæ puniri debeant.

a De offic.or.
b ff. de offic. præsid.

5 Pro contraria parte affirmante, scilicet quod præfata venditio ramusculorum, & cultura arbusculorum myrti, vt ramos conuenientes emittant, sint licita, facit primo, quod consuetudo habet vim legis in actibus, de quibus lex non est. [c]

Secundo, quod licet Christiano dare, vendere, & permutare merces suas Hebræo, Sarraceno, & aliis infidelibus, cum quibus licet ei conuersari; nisi expressè id ei prohibeatur. [d]

6 Tertio, quod Ecclesia Christiana permittit Hebræos viuere in suis terris, & habere synagogas, & in eis exercere suos ritus, nō solùm bonos, sed etiam eos, qui hodiè vere sunt peccata, vt prædictum est, & tradit S. Thomas receptus vbi supra: ergo etiam permittit eis facere festum suæ scenophegiæ siue scenopegiæ, vt tradit S. Thomas, [e] siue scenopegiorum, vt traditur in Lexico bibliorum.

c Cap. consuetudo. 1. dis. & l. 2. C. quæ sit longa consue.
d Leg. Iudæis. C. de Iudæis. & c. Iudæi. & c. ad hæc. eodem titulo.
e 1. 2. q. 102. a. 4. ad 10.

Quarto, quod qui permittit vnum, videtur permittere aliud, sine quo illud consistere nequit. [f] At Iudæi nequeunt viuere in terris Christianorum vtendo cæremoniis scenophegiorum sine myrto, vel ramusculis eius, cum quibus celebranda sunt, iuxta cap. 8. Esdr. 2. ergo etiam permittitur eis emere myrtum ad celebrandum prædictum festum; & consequenter permitti videtur Christianis illum eis vendere.

f Leg. 2. ff. de iurisd. omnium iud. & c. præterea. de offi. deleg.

7 Quinto, quod Papa permittit Iudęis exercere vsuras certo modo temperatas; ita quod accipientes eas ab eis non peccant, licet ipsi eas dando peccent, vt palam est Romæ; & eadem ratione videntur Christiani in terris suis vendere posse prædictos ramusculos eis sine peccato, licet ipsi eis vtendo grauiter peccent. [g]

Sexto, quod Ecclesia Christiana permittit pro licito Iudæis emere omnia quæ sunt necessaria pro victu corporali: & cum victus animæ sit magis necessarius, quam victus corporis, iuxta cap. *inter cætera*. [h] & Iudæi credant celebrationem suorum festorum esse necessariam ad victū animarum suarum; à fortiori videtur permittere emptionem omnium, quæ ad illa sunt necessaria: & consequenter Christianis videtur facere facultatem vendendi eis illa, per prædicta iura.

g Arg. l illud. ff. ad legem Aquil.
h De offic. ordinarij.

8 Septimo, quod tantam, vel maiorem occasionem peccandi videtur dare, qui accipit pecuniam ab vsurario, ac prædicti venditores: quia qui dat ad vsuram peccat; attamen qui pro sua necessitate, vel vtilitate accipit, non peccat, vt tradit & defendit S. Thomas communiter receptus in theorica & praxi, [i] ergo neque prædicti venditores peccabunt.

i 2. 2. q. 78. a. 4.

Octauo, quod Reges, & principes, & gubernatores reip. deputantes lupanaria, in quibus meretricantur meretrices, & alij multi locantes domos meretricibus, non videntur peccare, vt tradimus in d. Man. [k] & praxis etiam Romana videtur seruare, at tantam, vel maiorem occasionē videntur dare peccandi, quam prædicti venditores, ergo nec isti peccant.

k Cap. 17. nu. 195.

9 Quibus pro vtraque parte præmissis, dicendum primo, quod emptio vel venditio præfatorum per se cōsiderata non est peccatum, nec habet admixtum illud inseparabiliter, sed efficitur peccatum, etiam mortale, propter circumstantiam malam finis mortaliter mali, iuxta doctrinam S. Thomæ ab omnibus receptam, [l] & pari ratione si fieret ad bonū finem, efficeretur bona: sicut & ædificatio lupanaris, vel locatio domus facta meretrici per se consideratæ non sunt malæ, neque bonæ, sed ex fine malo efficiuntur malæ, & ex bono bonæ, & ideo defendimus in d. Manu. [m] eas esse licitas, si bono fine fiant, & illicitas, si malo. Sic etiam de prædictis venditione & emptione ramusculorum dicendum est.

l In 1. 2. q. 18. a. 4. & 7.
m Cap. 17. n. 195.

10 Nec obstat, quod refectio synagogæ, mezchitæ, & idolorum sit peccatum, etiam si non fiat malo fine: nam refectio ipsa est peccatum, & ita habet illud intrinsecè inseparabiliter; quia, vt subtiliter dicit Caietanus à nobis vbi supra relatus, Ecclesia permittit quidem infidelibus reficere impune templa sua, non tamen approbat illam refectionem tamquam bonam, iuxta glossam: [a] sed tantum relinquit impunem, ita etiam dicendum est, quod nullatenus licet habentibus prædictos myrtos vendere illos Hebræis ad finem, vt ipsi vtantur eis ad celebranda scenophegia. Tum per argumenta priora pro parte negante facta. Tum per id quod dicimus in præd. Man. vbi supra de locante domum meretrici: scilicet, quod quamuis liceat domino domum suam ei, quem credit aliquo modo in ea peccaturum, locare ad alium finem, quam peccandi, & ad exercendam artem, cuius exercitium non habet inseparabiliter peccatum admixtum; sic licet venditores prædicti iure possint vendere ramos suos myrti cui voluerint licitè, non tamen possunt vendere illos ad finem, vt emptor, vel alius quispiam peccet mortaliter vtendo eis in scenophegiis, vel aliis modis peccandi; quia id nulla potestate humana potest fieri licitum, cùm sit contra legem naturalem & diuinam, sicut locare domum ad meretricandum. [b]

a Cap. deniq. 4. dist.
b Arg. c. sunt quidam. 25. qu. 1.

11 Secundo, quod nec etiam obstat dicere, quod liceat Iudæis reficere synagogas, quas permittuntur habere in terris Christianorum, [c] quia id non est verum, vt proxime dictum est, solum enim permittitur eis reficere illas permissione impunitiua, sed non approbatiua: & ita non licet eis emere prædictos ramos ad celebranda scenophegia, licet excusentur, & impune sine timore pœnæ temporalis id possint facere.

c Cap. Iudæis. & c. cōsuluit. de Iudæis.

Tertio, quod prædicti venditores possunt facere præfatam venditionem ad aliquem finem bonum, puta ad quærendam sibi pecuniam, qua se sustentent, vel aliàs ea honestè vtantur, sicut vbi supra diximus quod domini domorum possunt eas locare meretricibus, vel aliis peccatoribus, non quidem ad meretricandum, aut aliis modis peccandum, sed ad alios fines bonos, scilicet vt ipsæ suam vitam seruent, & domini domorum lucrentur iustas pensiones, cum displicentia vera coram Deo peccati, & artis peccandi per meretricia, vel alium modum, negari enim non potest, quod ædificare lupanaria, & permittere, vt in aliqua parte ciuitatis viuant meretrices, & locare illis lupanaria, vel domos in illa parte, est tam malum, aut peius, quàm vendere prædictos ramos fine bono cum displicentia cuiusque mali vsus ex ipsis per emptorem exercendi.

12 Per quæ tria dicta colligitur quales vēditiones prædictorum ramorum sunt peccata mortalia, & quales non, immo & quales sunt peccata venialia. Sicut enim in omni materia peccatorum mortalium excusat à culpa mortali paruitas rei, siue subreptio, siue indeliberatio, & ignorantia, vt diximus post S. Thomam in d. Manu. [d] ita etiam venditiones prædictorum ramorum, quæ ex genere finium suorum essent mortiferæ, possent ob aliquam indeliberationem vel ignorantiam esse veniales: & ita remanet absoluta prima quæstio, scilicet, an liceat prædictis venditoribus vendere.

d Prel. 9. nu. 10.

13 AD SECVNDAM respondetur primò, quod nullæ venditiones mortiferæ sunt tolerandæ in foro conscientiæ, cum per eas pereat gratia gratum faciens, & amicitia Dei, & incurratur mors æterna.

Secundo, quod venditiones, quæ solum sunt veniales, tolerari possunt etiam in foro conscientiæ; cùm per eas non pereat prædicta gratia, nec incurratur mors æterna, secundum S. Thomam. [e]

Tertio, quod venditiones, quæ non sunt peccata, tolerari debent, & laudari: sicut quotidie locatio domorum, quæ fit meretricibus ad bonū finem, & petitio mutui, & acceptio sub vsura pro necessitate ab eo qui paratus est eas dare, tolerantur, & laudantur, per ea quæ adducta sunt pro parte affirmante.

e 1. 2. q. 88. a. 5. & melius 2. 2. q. 24. ar. 10.

Quarto, quod venditiones ob malum finem factæ possent castigari extra ordinem in foro exteriori, si probarentur esse illicitæ; quod non est facile facere, cum earum malitia pendeat ex fine malo, qui concipitur in mente; & peccata solum mentalia iudicio Dei relinquuntur, [f] & diximus nuper in commem. cap. *humanæ aures*. [g]

Quinto, quod optimi pastoris Episcopi, pro episcopi, parochi, & vicarij eius esset docere priuatim, vel publicè verbo, vel edicto, ex pulpito, vel exhortando populum suum, quæ harum venditionum sunt peccata, & quæ non, & quæ mortalia, & quæ venialia, & monere obnixè illum, vt caueant à

f Cap. erubescant. 32. dist.
g 22. quæst. 5.

mortiferis

mortiferis, quæ animas occidunt, & vtantur bonis, quæ gratia diuina ornatæ animas viuificant. Salua, &c.

*Aduertendum id quod dicitur supra n. 9. & 11. de ædificatione lupanarium, non intelligi formaliter, quasi sit licitum ædificare lupanaria ad meretricandum, quia hoc negat auctor. sed materialiter de ædificatione habitationis, qua postea meretrices abutuntur meretricando in eis.*

SVMMARIVM.

1 *Iudæi ex constitutione Pauli III. non possunt quidem eorum filiis conuersis testamento auferre legitimam, quam eis etiam viuentes tenentur dare, & num. 3. 4. sed vltra illam aliud relinquere non coguntur. num. 2.*

2 *Legitimam regulariter pater viuens non tenetur dare filio saltem religionem non ingredienti. Iudæus tamen filio conuerso eam debet, tum ex constitutione Pauli III. tum etiam de iure. num. 3. & hoc secundum opinionem quorundam, quæ probabilis est. n. 4.*

3 *Gratia Principis ita intelligenda est, vt in alio, quam in expressis, tertio non præiudicet; debetque cum sapiat priuilegium, stricte interpretari. num. 5.*

## CONSILIVM II.

AN clausula subscripta bullæ Pauli III. videatur concedere filiis Iudæorum ad fidem conuersis, ne parentes possint eos priuare in suis testamentis aliqua parte portionis, quæ cederet eis ab intestato: quæ sic habet, *Paulus, &c. Sancimus, quod cuicumque eorum Iudæorum, & infidelium ad dictam fidem conuerti volenti, etiamsi in patria potestate constitutus fuerit, bona sua quæcumque tam mobilia, quam immobilia, intacta, & illæsa permaneant; ita vt etiam filij familias, & in patria potestate vt præfertur cõstituti, legitima, & quacumque alia portione bonorum patrimonialium, aut maternorum eis de iure, seu successione bonorum eis aliàs debitorum priuari non possint, neque debeant; sed eis integre, etiam si contra voluntatem parentum suorum ad fidem ipsam conuersi fuerint, etiam eorũ parentibus viuentibus debeantur.*

1 Et quidem pro parte affirmante facit primo, quod per prædictam bullam legitima debetur eis, viuis parẽtibus, contra ius regulare, saltem si remaneant in sæculo, & non profiteantur religionem, iuxta notata in cap. *cum simus.* [a] & per Corsetum, [b] & alios alibi, ergo etiam videtur eis deberi portio integra, quæ obuentura esset eis ab intestato.

Secundo faciunt illa verba, *legitimã, & quamcumque aliam portionem eis de iure, seu successione bonorum eis aliàs debitorum, per eorum parentes fraudari, aut priuari non possint.* per quæ verba videtur significari, quod non possunt priuari bonis debendis eis per successionem. At portio integra, etiam vltra legitimam debetur eis ab intestato. [c]

2 His tamen non obstantibus, pars negans videtur verior. Tum quia intentio legislatoris, & cuiuslibet alius disponentis est in primis attendenda. [d] At intẽtio Pauli III. fuit prouidere filiis conuersis, ne prædicta conuersio eis noceat, non autem quod sua cõuersio non conuersos læderet, vt satis colligitur ex suæ bullæ proœmio, vnde mens disponentis colligi solet, [e] ergo non fuit intentionis eius statuere, ne pater posset meliorare non conuersum, modo conuerso legitimam relinquat.

3 Tum quia gratia principis intelligenda est sine præiudicio tertij, [f] saltem alio, quàm expresso, vt ibi. At bulla Pauli præiudicaret grauiter patribus conuersorum, si non liceret eis testari de bonis suis, in quem vellent etiam extraneum, relicta legitima filiis, [g] ergo non obstante prædicta bulla, poterunt parentes infideles relinquere bona sua cui voluerint, relicta legitima filiis, tam cõuersis, quam non conuersis: & consequenter possunt filios, quos voluerint, tam conuersos, quàm non conuersos meliorare, modo omnibus suas legitimas relinquant saluas. Tum quia nulla prædictæ clausulæ verba concludunt, quòd dicta bulla extendatur ad hoc præiudicium parentibus faciendum. Tum quia Paulus expressisset illud, si voluisset, vt in simili dixit Alexander III. [h] Tum quia bulla Pauli nil aliud videtur concedere, quàm quod concedit eisdem cap. *Iudæi.* [i] & l. *cognouimus.* [k] nisi ad summum, quod declarat legitimam deberi eis viuentibus parentibus. At nemo diceret, quod attento solo iure communi pater infidelis Romanus non posset relinquere bona sua quibus vellet, relicta legitima suis filiis: ergo neque potest dicere propter bullam prædictam.

4 Non obstant opposita, non prius. Tum quia legitima, etsi verè non debeatur filiis ante mortem parentum, quasi tamen debetur, vt significat glossa recepta, [a] & ita maior ratio suadet, vt illa salua maneat filiis, quã reliqua pars, [illegible] successuri essent ab intestato. Tum quia etiam magna æquitas suadet, vt conuerso debeatur illa, etiam viuente parente, ne occasione illius habendæ nimia familiaritas contrahatur, vel conseruetur, quam expedit impedire, vt ex prædicta bulla colligitur, & iure communi est prouisum. [b] Tum quia etiam iure communi deberi legitimam filiis conuersis viuentibus parentibus tenent aliqui, quos refert Felinus, [c] & est opinio valde probabilis per ea quæ ipse ibi citat.

5 Non obstat posterius; quia verba illa bullæ in d. argum. relata non sunt tam ampla, quam in eo referuntur, sed restringuntur ad bona patrimonialia debita filiis familias conuersis; puta de bonis eis de iure, siue successione debitis, qualia non sunt debenda ex successione ab intestato, si parentes testati decesserint, nisi ea quæ illis reliquerint, & legitima, quæ etiam in vita eis debetur, at verba gratiæ, quæ sapit priuilegium, non sunt extendenda vltra propriam significationem, secundum quam non est debitum id, in quo, vel ad quod non est verum ius quæsitum, vt notatur in principio Institut. [d] & alibi sæpe, qualia sunt ea quæ sperant filij per successionem vel institutionem habere post mortem parentum. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Armorum delatio vbi est prohibita non quidem in tanto rigore, vt est in authen. de armis. sed sub aliqua pœna parua temporali, non est mortalis, nisi inde aliquod scandalum notabile Reipubl. oriretur, vel deferrentur in mortiferum finem, vt deferuntur ad bellandum in bello iniusto præsertim pro infidelibus contra Christianos.*

2 *Arma fabricare possunt Christiani in terris Turcarum commorantes, illaque eis vendere, modo ea non fabricent ad iniusta bella, nec tacite nec virtualiter sciant, aut credant illos, quibus vendunt, eis ad bella iniusta præsertim contra Christianos vsuros; quia hoc esset cooperari ad malum. n. 3.*

4 *Militiæ nomen dare apud Turcas licet Christianis ibidem morantibus, modo non obligent se, nec intendant in bello iniusto bellare: quod si talem fecissent obligationem, peccassent, & non tenerentur promissionem pro hac parte seruare: proponentesque obligationem pro dicta parte non seruare, possent absolui.*

## CONSILIVM III.

PRIMO quæritur, vtrum possint absolui Bosnenses sæculares Catholici subditi imperio Turcæ portantes arma.

Secundo, an possint absolui artifices Bosnenses facientes arma offensiua, sicut gladios hastilia, & alia id generis, & qui faciunt hastas ligneas pro bello; quia ad malum finem non faciunt, sed artem suam exercent, vnde necessarium victum acquirunt, & prædicta arma faciunt in terris Turcarum.

Tertio, vtrum possint absolui Catholici, qui se faciunt scribi pro militibus stipendiariis Principis Turcarum, obligantes se militare cum cæteris infidelibus contra Christianos, non ex voluntate sua, sed gratia lucrandi, & calumnias seu opprobria euitandi, & in facto militant, præsertim qui sunt in confinibus infidelium.

1 AD PRIMAM respondetur primo, quod si ius Romanorum, de quo in authent. [e] seruaretur ibi stricte, ita quod delatio armorum sit priuatis hominibus vetita, non liceret eis deferre arma; & si deferrent ita notabiliter, quod delatio talis esset inobedientia mortifera, vel scandalum notabile, non deberent absolui, nisi à tali delatione abstinerent. [f]

Secundo, quod neque debent absolui, si deferant illa ad bellandum in bellis, quæ sciunt vel scire debent esse iniusta, præsertim contra Christianos: quia peccant mortaliter, & sunt in proposito ita peccandi. [g]

Tertio, quod si armorum delatio ibi non est ita stricte prohibita, vt in Auth. de armis, sed solum sub aliqua parua pœna temporali, & non deferunt illa in aliquem finem mortiferum, nec aliquod scandalum notabile inde nascetur reipublicæ, possunt absolui; quia vel nullatenus peccant, vel tantùm venialiter, quod non est contrarium gratiæ Dei gratum facienti, quæ per absolutionem sacramentalem infunditur, iuxta doctrinam D. Thomæ receptam 2. 2. quæst. 29. art. 12.

Marginal notes (left column):

a De regul. b in singulari. verbo legitima.

c Leg. in suis. ff. de liberis & posthumis, l. 1. & vlt. C. de legitim. hære.

d Leg. in conditionib. ff. de cond. & demon. & c. fi. de reg. iur. li. 6.

e Capit. quia propter. de elect. l. fi. ff. de hæred. institu.

f Leg. 3. §. si quis à principe. ff. ne quid in loco publico fiat. ca. super eo. de offi. de leg.

g Leg. cum quæritur. & auth. nouissima. C. de inoffic. testam. & in authen. de trien. & sem. §. 1. collat. 3. cum eis adnotatis.

h In c. ad audientiam. de decimis.

i 2. de Iudæis.

k Co. de hæretic.

Marginal notes (right column):

a In c. Raynutius. verb. legitimam. de testament.

b In c. ad hæc. de Iudæis. & in c. sæpe. 28. q. 1.

c In c. de Iudæis. 2.

d De act.

e De armis. collat. 6.

f Arg. c. 2. de maior. & obe. & c. nihil. cũ scandalo. de præscript.

g Cap. quid culpatur. 23. q. 5. & ca. qui resistit. & ca. Iulianus. 11. qu. 3.

2 AD SECVNDAM respondetur, quod possunt absolui regulariter loquendo; præsupposito, quod prohibitio illa fabricandi arma, de qua in d. authent. [a] non seruatur ibi p[illegible] [illegible]m communiter inter Christianos. Tum quia id per se nullo iure naturali, diuino, vel humano vetitum est; & quod nullo tali iure vetitum est, non est peccatum, iuxta definitionem peccati ex Augustino, [b] relatam in glossa, [c] & à D. Thó. [d] & declaratam à nobis in [e] Manu. [f] Tum quia, vt alias responsum est, licet Christianis viuentibus in terris Turcarum vendere suos equos, eo fine, vt ad licitos vsus vtantur. Tum quia cap. *ita quorumdam.* [g] & alia ei concordantia, quæ sunt edita contra deferentes arma infidelibus, non comprehendunt subditos Turcarum fabricantes arma in terris suis, vt ex eorumdem tenore clare colligitur.

3 Tum quia iure communi, quo vt plurimum vtuntur omnia Christianorum imperia, licet Christianis subditis principum Christianorum facere arma bono fine, vt scilicet emptores vtantur in licitos vsus, quamuis præter intentionem fabricantis in illicitos abutantur. Tum denique quod D. Thomas receptus, [h] determinat, posse artifices iustè fabricare sagittas, & gladios, & alia, quibus homines possunt bene vti, licet possint etiam male. Dixi, *regulariter*: quia id falleret, si fabricarent ea expresse ad bella iniusta contra Christianos, vel alios, vel tacitè, seu virtualiter scientes, vel credentes, quod ij, quibus vendunt arma fabricata, vtentur ad bella iniusta, præsertim contra Christianos. Tum quia id esset virtualiter cooperari eis ad malum. Tum quia etiam Christianis degentibus in regnis Christianis non liceret illud, arg. eorum quæ tradit S. Thomas. [i]

4 AD TERTIAM respondetur, quod non possunt absolui, si se obligant ad militandum ei etiam in bellis iniustis, quæ ipsi sciunt, vel scire debent esse iniusta: quia non liceret eis obligare se sic ad militandũ etiam vlli principi Christiano, cap. [k] sed sic, si se obligant ad militandum ei in solis illis, quæ fuerint iusta, vel possint ipsi credere esse iusta. Tum quia militare, vel velle militare, non est peccatum. [l] Tum quia iustè potest quis militare, si iustè credit bellum esse iustum, etiam si fortè non sit illud tale, per prædictum cap. *quid culpatur.* Tum quia legio illa illustrissima Thebanorum, cui præerat S. Mauricius, iustè parebat Iuliano Imperatori apostatæ, quo ad bella iusta. [m] Arbitror autem, quod qui se obligauerunt principi Turcarum ad militandum ei, etiam contra Christianos, etiam in bellis iniustis, sed postea mutata mente proponerent firmiter non militare ei contra Christianos, nec contra alios bellis, quæ scirent, vel deberent scire esse iniusta, possent absolui. Tum quia desistunt à peccato, & à proposito peccandi, & talibus debetur venia. [n] Tum quia prima obligatio fuit ipso iure nulla quo ad omnia bella iniusta, [o] & ita illa nihil obstat, iuxta reg. *non præstat impedimentum.* [p]

*SVMMARIVM.*

*1 Turcarum in regione habitans subditus Christianus potest iuste Turcis vendere equos & arma, modo ea non vendat intentione, vt iis in bellis iniustis vtantur; nec ligatur legibus prohibentibus quædam ad Turcas deferri; potestque interesse bellis, quæ Turca aliis infidelibus, puta Seruianis, iustè indicit; acquirereque secundum ius commune, si ipsi eo vtuntur, dominium rerum, & personarum, quas in bello capiunt, vel à captiuis exigere pretium redemptionis, nu. 2. & prædam captam tueri, etiam aduersarios occidendo. num. 3.*

## CONSILIVM IIII.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo, quod licitum est Christianis subditis Principi Turcarum, vendere suos equos & arma sua Turcis consubditis suis, non quidem ea intentione, vt faciant bella iniusta Christianis, vel aliis, sed vt ad vsus licitos vtantur. Tum quia cap. *ita quorumdam.* & alia ei concordantia, quæ sunt edita contra deferentes arma infidelibus, non comprehẽdunt subditos infidelium, qui vendunt eis ea, quæ vetantur importari à Christianis subditis Principibus Christianis, vt ex eorum tenore colligitur. Tum quia etiam Christianis subditis Principium Christianorum licet vendere, & facere arma, non quidem vt faciant bella iniusta, sed vt vtantur in licitos vsus, quamuis emptores præter intentionem eorum in illicitos abutantur.

a *De armis. coll. 6.*
b *2. contra Faust.*
c *In capit. ille Rex. de pœni. dist. 3.*
d *1. 2. q. 71. ar. 6.*
e *Prel. 7.*
f *à num. 5.*
g *De Iuda.*
h *2. 2. qu. 169. art. 2. ad 4.*
i *In dicto a. 2.*
k *Quid culpatur. & c. militare. 23. qu. 1.*
l *Cap. militare. 23. qu. 1.*
m *Ca. Iulianus. ca. nõ semper. cap. qui resistit. 11. q. 3.*
n *Cap. peccati venia. de reg. iur. lib. 6. c. legatur. 24. qu. 2.*
o *Leg. iuris gẽtium. §. sicut maleficium. ff. de pact. & l. generaliter. ff. de ver. obl.*
p *De reg. iur. lib. 9.*

2 AD SECVNDAM, quod bellum, de quo in quæstione, videtur iustum; quia est indictum à Principe non recognoscente superiorem, ex causa iusta, & cum cognitione & relatione ministrorum ad iustitiam faciendam destinatorum, iuxta l. *ex hoc iure.* [a] & traditur ab Innocentio & aliis, [b] vbi aptus textus proposito nostro à cõtrario sensu, & in summa, [c] & per Theologos, [d] & S. Thomam, [e] & capta in bello iusto fiunt capientium, etiam homines, secundum iura Romanorum, [f] quæ etsi non seruentur in bellis quæ Christiani aduersus Christianos gerunt, videntur tamen seruari à gentibus etiam inter se pugnantibus. Quod si res ita habet, tres illi, de quibus in quæstione, non tenentur restituere, & consequenter non possunt negari eis sacramenta ob omissionem restitutionis. Si fortè tamen Turcæ in bellis, quæ in suis dominiis gerunt, non seruant iura de personis captis in bello in seruitutem redigendis, tenerentur ad restitutionem, saluo iure pretij redemptionis, quod poterant exigere: cuius quantitatis determinatio, & an Turcæ prædicta iura seruent, necne, quæstiones sunt facti, ad quas Iurisconsultus non respondet. [g]

3 Ad declarationem autem quæstionis, scilicet an sint excommunicati, vel teneantur ad restitutionem, qui defendentes suam prædam, occiderunt, vel expoliauerunt suis armis vel vestibus aliquos ex præfatis Seruianis? Respondetur quod non; immo bene merendo id facere potuerunt. [h]

*SVMMARIVM.*

*1 Triremes pyraticas captiuus apud Turcas fabricans coactus, excusatur à peccato mortali si non impendat plus operis, quam requirat conseruatio vitæ.*

## CONSILIVM V.

CAPTIVVS coactus timore mortis triremes fabricans, quibus solent piratæ contra Christianos venire, an peccet mortaliter, & quomodo absoluendus sit? Et quia consului de hac re virum doctum & pium, mitto D. V. responsum, vt dicat quid sibi videatur.

Pro parte affirmatiua facit: nam qui, vt inquit Saluator, peccando mortaliter animam suam in hoc mundo vult saluam facere, in æternum perdet eam, sed sic est, quod iste videtur mortaliter peccare; ergo in statu damnationis, nisi cesset, peribit; nec potest ei absolutionis beneficium, nisi corrigatur, impendi. [i] Quod autem peccet mortaliter, supposito pro indubitato quod dicti piratæ peccent mortaliter, secundum septimum Decalogi præceptum, deducitur ex Paulo; [k] *Digni sunt morte non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* quo axiomate canones vbique vtuntur, cap. *omnes ecclesiæ.* [l] & alibi sæpe, iuncta glossa, [m] quæ declarando prædictum axioma inquit, *Peccato alterius consentire in materia nostra est cooperando, seu auxilium ferendo.* à qua cooperatione, seu auxilio non potest dictus consulens excusari, per textum, [n] ibi, *Opem fert, qui ministerium atque adiutorium ad surripiendas res præbet.* puta, vt inquit textum, [o] qui ferramentum ad effringendum ostium, vel scalas ad ascendendum furi præbet. per quem textum ait glossa, [p] *vt fur peccat, qui scalam, ferrum, vel aliud auxilium furi præbet.* vnde Dominatio tua in simili materia, [q] postquam remigantes in triremibus piratarum excusasset ab excommunicatione; non est tamen ausa, etsi valde cuperet, eosdem à peccato mortali excusare; immo subdit nec posse absolui, nisi firmiter proponant à similibus abstinere, & in materia nostra videtur textus in c. *ita quorumdam.* [r] vbi, qui Sarracenis subministrant arma, & galeas, quibus Christianos impugnant, Sarracenis ipsis deteriores, & magis culpabiles reputantur: per quem textum Abbas, [s] inquit peccare eum qui similia Sarracenis transmittit, etiam ad redemptionem captiuorum: cui opinioni etiam videtur adhærere Cardinalis ibidem. Accedit etiam aliud, nam licet ego per opus indifferens, vt est cõstructio galearum, possim cooperari ei, qui est omnino peccaturus, vt dare cibum nolenti omnino ieiunare, [t] non tamen hoc licet, quando tendit in damnum tertij. [v]

Contrariam opinionem cupio veriorem esse; & quidem ratione: nam cum dicta ars sit de se bona, & vsui hominum vtilis, earum magistri possunt eam tuto exercere, etiam quod homines possint dictis rebus bene & male vti vt scribit D. Thomas, [x] nisi, vt inquit Adrianus, [y] ex causa aliqua dicta actio prohibeatur, & reddatur mala; quæ causa, seu circumstantia si cesset, cessabit & peccatum, sed sic est, quod nulla

a *ff. de iust. & iur. c. ius gentium. 1. dist.*
b *Cap. sicut nostris. de iureiur.*
c *23. qu. 2.*
d *In 4. dis. 15.*
e *2. 2. qu. 40.*
f *§. itẽ ea. Ins. de rerũ diu. & d. c. ius gẽtium.*
g *Argu. l. vt responsum. C. de transact. l. precibus. Co. de impub. & alijs.*
h *Argu. l. vt vim. ff. de ius. & ca. olim. 3. de restit. spol.*
i *Cap. peccati venia. de regul. iur. in 6.*
k *Ad Rom. 1. in fin.*
l *23. qu. 4.*
m *In c. votũ. 2. q. 1. ca. 1. de off. deleg.*
n *In l. in furti. ff. de fur.*
o *In l. si pignore. ff. eo.*
p *In c. qui aliorum. 24. q. 3.*
q *In cap. 27. Mã. confess. n. 63.*
r *De Iudæis.*
s *In c. significasti. nũ. 2. ad fi. de Iudæ.*
s *Caiet. in opuscul. to. 1. c. 31. res. 13. in 4. dub. & 2. 2. q. 147. & alibi sæpe.*
v *Adriã. quodlibeto. 3. in 1. qu. litera R.*
x *2. 2. q. 169. ar. 2. ad 4*
y *Vbi supra litera L.*

alia

alia adest causa, quæ possit dictã actionem inficere, nisi quia vel peccatum tertii, cui cooperamur, nobis placet; quæ ratio cessat in hoc consulente, cui multum displicet dicta: vel quia cooperando facimus contra id, ad quod tenemur, vt colligitur ex eodem Adriano, [a] adducente glossam in expositione dicti axiomatis Pauli.[b] Sed sic est, quod nullibi reperitur mihi præceptum, vt cum periculo vitæ meæ propter proximi damnum euitandum abstineam ab eo, quod mihi aliàs licet; ergo nec triremium fabricatio mihi ad peccatum imputanda est.

a Litera O.
b Ad Rom. 1. in fin.

Secundo facit pro hac opinione D. Thomas, [c] qui, [d] ex dicto axiomate Pauli primum arguit mihi non licere reddere furioso gladium, ne se, vel alium occidat; & postea respondet, immo & hoc mihi licere, si ex denegatione timetur maius malum, & Adrianus vbi supra, [e] inquit, quod tunc furioso potest reddi gladius, quando ex non redditione immineret maiora crimina sibi, vel alij, vt est in casu nostro, in quo ipsi artifici imminet mors præsens, quæ præponderat futuro timori. Dominatio tua in Man. [f] post D. Antoninum idem etiam affirmat. Hanc opinionem, & in fortioribus terminis tenent Innocẽtius, Ioãnes Andreas, Hostiensis, Ancharanus,[g] qui omnes admittunt, quod, si aliter non possum redimere captiuos, possum redimere eos transmittendo Sarracenis arma, quibus possunt Christianos impugnare, ergo multo magis huic captiuo licebit prædictum opus indifferẽs præstare dominis suis ad redimendam vitam propriam, & hoc (vt ibi inquit Ancharanus) citra culpam.

c In 4. di. 32. qu. 1.
d Quæstiũcula 3.
e Ad si. litera b.
f Ca. 17. n. 63.
g Ca. significauit, de Iud.

Tertio, si hic faber peccat, hoc est, vel quia facit contra iustitiam, vel contra caritatem, vel præceptum superioris: Non tertium; quia, vt in simili ait Dominatio tua vbi supra, non est credendum principem præcipere homini tam dura, vt esset hoc: Non contra iustitiam; quia nullo iure prohibetur, ne quis iure suo vtatur, licet inde tertius damnum patiatur, reg. l. *nemo damnum facit, nisi qui id facit, quod facere ius non habet.* [h] Non secundum: nam qui præcepit, vt diligamus proximos sicut nos ipsos, non dixit vt eos & eorum bona præferamus vitæ nostræ.

h ff. de reg. iu.

Ad contraria potest responderi. Et primo ad primum, de consensu procedente ex cooperatione, respondeo, quod, vt videtur posse colligi ex glossa super dictis verbis Pauli, tunc quis cooperando consentit, quando omittit aliquid, ad quod tenetur, vel facit quod ei non licet: quod non est in casu nostro, in quo consulens facit id, quod ei licitum est, nec ex circumstantiis reprobatur. Ad simile, quod deducitur ex glossa, [i] & ex l. *in furtis.* & l. *si pignori.* & dicto Dom. tuæ respondeo distinguendo, vt post Innocentium distinguit Ioannes Andreas, [k] nam aut istæ actiones cooperatiuæ sunt immediatè directæ in oppugnationem Christianorum, seu damnum tertij; quod potest contingere dupliciter, scilicet, vel intentione cooperantis, qui cooperatur delinquenti ad hunc finem, vt loquitur textus, [l] & hic talis non excusatur: vel ex ipsomet opere insurgit, vt opus ipsum sit immediatè directum in delictum, quod perpetratur; vt quia in actu delinquendi opem præstat delinquenti, vt dando scalas, vel ferramenta furi, qui est in actu furandi: & tunc nec hic excusatur, & hoc modo procedit exemplum Dominationis tuæ de captiuo actu remigante in triremibus, aut actio cooperatiua non est immediatè directa in perniciem Christianorum, vt est actio portantis, seu trãsmittentis arma, & triremes Turcis, licet eisdem Turcæ vti possint contra Christianos; & tunc hæc talis cooperatio non est tam mala, quin ex prędicta circumstantia euitandæ mortis excusatur, ex Innocentio & Ioanne Andrea. Ad textum in cap. *ita quorumdam.* respondeo, procedere in eo, qui sine prædicta excusante causa Turcis contra Christianos fert opem; vel procedit in eo, qui immediatè prædictis modis Turcis contra Christianos cooperatur. Ad auctoritatem Abbatis & Cardinalis respondeo, quod non obstat: nam Abbas & Cardinalis supponunt: eos, de quibus ipsi loquuntur, ideo peccare, non quia actio sit de se intrinsecè mala, sed quia erat contra præceptum Pontificis, cui ex D. Paulo tenemur omnes obedire. Sed sic est, quod nullibi reperitur prohibitum, ne captiui in tali necessitate constituti possint prædictas artes exercere; ergo nec Abbas, nec Cardinalis conuincunt hunc consulentem peccare. Ad auctoritatem Adriani respondeo, eius doctrinam procedere sub distinctione proximè ex doctrina Innocentij & Ioannis Andreæ ad alias auctoritates datas: ex quibus cupio in prædicto casu admitti legem naturalem, cuius meminit Iob. *Pellem cuiuscumque, & omnia quæ habet, homo dabit pro pelle & vita sua conseruanda.*

i In c. qui aliorum.
k In d. c. significauit.
l In d. l. in furtis.

1 IN CONFIRMATIONEM supra di[...]orum, quæ ad me transmissa fuerunt, respondeo primo, eum, qui prædicta scripsit, quisquis ille sit, claro iudicio, & egregia eruditione, ac pietate dotatum videri.

Secundo, quod nos quoque proculdubio desideramus eius opinionem esse veram.

Tertio, quod sua conclusio plurimum iuuari potest ex illa glossa singulari recepta in cap. *de cætero.* [a] quæ affirmat, quod qui remotam causam præbet homicidio, non est irregularis: & quod prædictus faber, fingendo triremes, causam valde remotam pugnandi contra Christianos videtur prębere, modo non fingat illas ea mente, immo nolit eas contra eos dirigi.

a De homici.

Quarto, quòd videtur tenenda prædicta conclusio, cum ea saltem moderatione, quod prædictus faber non impendat plus operæ nauibus fabricandis, quàm vitæ suæ conseruatio requirat. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Cacabi, & alia vasa ænea vel ferrea ad vsum coquinæ principaliter fabricata, etsi arma bellica propriè non sint, tamen ex eis possent arma bellica confici, & assumi vt vtilia ad bellum. num. 3 vnde si ad Sarracenos vt merces lucrosæ bona fide deferantur sine vllo formali vero, vel æquipollenti, & virtuali animo vt ex eis Sarraceni contra Christianos impugnandos iuuentur, deferentes excusantur ab excommunicatione, n. 4. nec per bullam Cœnæ Domini, nec cap. ita quorumdam, per quæ dicta delatio dictum finem respiciens videtur prohibita, ligantur. nu. 1. aliàs secus. num. 4.*

2 *Sarracenis deferri prohibentur multa per decretales, & extrauagantes, quæ tamen specialiter per bullam non sunt prohibita; & sic non omnis qui euadit excommunicationem bullæ, euadit alias. num. 3.*

### CONSILIVM VI.

AD Insulam Tabarchæ mercatores Genuenses, qui in ea sunt domini, deferunt vasa ænea ad vsum coquinæ, & vendunt Mauris, & Turcis, qui in continenti sunt vicini, & sciunt aliquos conflare vasa ipsa in arma bellica.

Quæritur, vtrum incidant in bullam Cœnæ Domini, cum ea tamen deferant, vt mercando lucrentur, & eorum intentio non sit adiuuare infideles armis.

1 Pro parte negante huius quæstionis, scilicet mercatores prædictos non incidere in censuram bullæ Cœnæ Domini, quam octauo loco fulminat, nec in eam quam ante illam fulminauit Concilium Lateranense sub Alexandro III. [b] in quod latum commentarium olim commenti fuimus, facit primo, quod tam animus summorũ Pontificum bullas Cœnæ Domini pronunciantiũ, quàm prædicti Concilij fuit, & est prohibere, ne vlli Christiani arma bellica deferrent Sarracenis inimicis Christianorum, eos actu, vel habitu, & proposito impugnare volentibus: & quod cacabi, caldariæ, & alia id genus vasa ferrea ænea, vel chalybea non sunt arma bellica, licet possent generaliter dici arma, iuxta l. *armorum.* [c]

b In c. ita quorumdã de Iudæis.
c ff. de verb. signif.

Secundo pro eadem parte facit, quod ex parte contraria sequeretur, quod etiam venditio quorumlibet lignorum, & quorumlibet lapidum, & aliarum mercium, quæ quocumque modo mediatè vel immediatè, directè vel indirectè, propinquè vel remotè possent iuuare Sarracenos contra Christianos in bello, essent prohibita, & facerent incidere in prædictam excommunicationem bullæ Cœnæ, & prædicti cap. *ita quorumdam.* & consequenter nullum commercium esset licitum Christianis cum Sarracenis, nihil enim est, quod aliquo modo prædictorum non possit esse Sarracenis necessarium, vel vtile in bello contra Christianos: quod tamen videtur durum, & à nullis obseruatum: quandoquidem quotidie ex regnis & prouinciis Christianorum deferuntur in terras Sarracenorum panni lanei, serici, & alia multa etiam ad victum pertinentia, quæ aliquo modo prædictorum possunt esse illis bellantibus vtilia, & necessaria.

Pro parte affirmante primo faciunt plurima, quæ nos adducimus in dicto c. *ita quorumdam.* [d] quatenus, [e] determina-

d De Iud.
e In notab. 3. nu. 13.

mus quæ dicantur arma bellica, & quod sunt triplicia: Primo illa, quæ ad offendendum vel defendendum principaliter sunt fabricata. Secundo, quæ in alium vsum sunt quidē principaliter fabricata, sed animo formali, & vero, seu æquipollenti vel virtuali ad offendēdum, vel defendendum assumuntur. Tertio, quæ non solum ad id principaliter fabricantur, sed etiam prædicto animo malo assumuntur, vel destinantur; & quod licet prædicti cacabi & vasa ænea nō sint facta principaliter ad offendendum, vel defendendum, possunt tamen assumi ad illud, vt multa ligna & lapides passim assumuntur; & quod frequenter ex eis fabricantur arma bellica primæ speciei; & quod vendentes arma Sarracenis incidunt in censuras prædictæ bullæ, & prædicti cap. *ita quorumdam.*

2 Secundo, quod multa prohibentur deferri Sarracenis, quæ non prohibentur specialiter per bullam Cœnæ Domini, sed per alia iura, quæ nos citamus in d. com. [a] scilicet cap. *ita quorumdam.* cap. *significauit.* cap. *quod olim.* & cap. *ad liberandam.* [b] & extrauag. *multa.* [c] inter commu. & extrauagans I. Ioannis xxij. [d] per quæ etiam illis contrauenientes excommunicantur.

3 Tertio, quod non solum vendentes, & deferentes arma, & specialiter contenta in dicta bulla Cœnæ, sed etiam omnes subministrantes Sarracenis necessaria bello faciendo Christianis, excommunicantur in d. cap. *ita quorumdam.* & quod per necessaria bello intelliguntur etiam vtilia ad bellandum destinata, vt nos in dicto com. [e] dicimus. At præfata vasa ænea multis modis possunt esse vtilia Sarracenis ad bellum: possunt enim ex eis fieri bombardulæ, siue sclopeta, & globuli ad iaciendum idonei, immo & inseruire possunt in sua forma ad elixandum, & frigendum carnes, pisces, & alia exercitui alendo necessaria.

4 Per supradicta respondeo videri resoluendum primo, præfatos mercatores non incidere in prædictas censuras, si bona fide sine vllo dolo malo, & fraude, & vllo malo animo formali, & vero, vel æquipollenti, & virtuali vendiderint prędicta vasa Sarracenis ad vsus alios quàm bellicos; sed sic, si ea vendiderint eis dolo malo, vel fraude, & animo formali, vel æquipollenti, vt aliquo modo possint se iuuare eis ad bellandum contra Christianos.

Secundo, quod si quæstio in solo foro conscientiæ tractetur, credendum est pœnitenti, & dicenti quali animo ea vendiderit: quia in illo foro tam pro se quam contra se creditur confitenti secundum omnes.

Tertio, quod si quæstio vertitur in foro exteriori, ex circumstantiis loci prædictæ insulæ, & personarum vēdentium, & scientia atque experientia illorum, ac temporis quo venduntur, & multitudine ac magnitudine rerum venditarum, & aliis, assumentur coniecturæ, ac iudicia præsumendi bonam vel malam fidem, bonum vel malum animum vendentium. Quæ resolutio tota, quia late colligi potest ex prædicto commentario, [f] mitto illum cum hoc breui responso Illustrissimo eidemque Reuerendissimo patri, & Domino totius Illustrissimi ordinis Franciscanorum, iussu cuius hæc pauca scripsimus, sub censura eiusdem, & cuiuscumque alius sanius nobis sentientis.

a Not. 1.
q De Iud.
c Eod. tit.
d Eod. tit.
e Nota. 10. n. 4.
f Præsertim not. 5. & 10.

## DE HÆRETICIS.

### SVMMARIVM.

1 *Iudicum deputatio iurisdictionem in deputante præsupponit.*

2 *Prælati regulares iurisdictionem habent in subditos quo ad regulam spectantia; quo ad alia vero, etiam quo ad impositionem triremium pœnæ, prout consuetudine vel priuilegio eis conceditur: de hæresi autem suorum iure communi cognoscere nequeunt; sed nec videtur adesse aliquod priuilegium, vel consuetudo id eis concedens. num. 5.*

3 *Inquisitores, & diœcesani de hæresi cognoscunt; sed nec Episcopo licet tradere hæreticum duro carceri, torquere, sentētiam diffinitiuam contra eum ferre, re cum Inquisitore non communicata; idem etiam dicitur de Inquisitore.*

4 *Inquisitionē in hæreticos quoquo modo impedire prohibitum.*

6 *Pœna non potest augeri ab eo, qui de crimine cognoscere non potest, nisi eo modo quo potestas laica addit pœnam pœnis à canonibus in spiritualibus, puta contra contrahentes clandestina matrimonia statutis.*

7 *Ignorantia etiam in materia hæresis ne excuset, statuere, est iuri communi contrarium.*

## CONSILIVM I.

AD determinandum quæstionem à Reuerendissimis Dominis meis propositam super quibusdam capitulis constitutis à sua Congregatione Lateranensi ad seruandum suum ordinem liberum ab hæresibus, videtur præmittenda illa quæstio, An sua congregatio habeat iurisdictionē ad cognoscendum de hæresi, & super illa statuendum.

1 Pro parte affirmatiua facit primò, quòd prædicta capitula præsupponunt illam, quatenus designant iudices ad cognoscendum de illa, & ad puniendum pro ea: quod absque iurisdictione fieri nequit. [a]

2 Secundo, quod iure communi prælati habent iurisdictionem in suos subditos quo ad ea quæ pertinent ad regulam, iuxta l. fin. [b] & glossam, [c] immo & consuetudine, vel priuilegio quo ad alia crimina, vt tradidimus nuper in comm. 2. de regul. [d] etiam ad imponendam pœnam triremium, vt vbi supra com. 3. traditur. [e]

3 Pro negatiua verò facit primò, quod soli inquisitores hæreticæ prauitatis, & diœcesani videntur habere potestatem cognoscendi de hæresi, & puniendi pro ea. [f]

Secundo, quod etiam diœcesani Episcopi nō possunt procedere ad tradendum hæreticum duro carceri, neque ad torquendum eum, neque ad sententiam definitiuam ferendam, nisi communicata re cum inquisitoribus; sicut nec inquisitores, nisi communicata re cum diœcesanis. [g] Ergo à fortiori non poterunt ad hæc procedere iudices à prædicta congregatione designati.

Tertio, quod neque inquisitores possunt examinare testes, nisi duobus viris religiosis præsentibus; cuius contrarium fieri posse à prædictis iudicibus designatis satis videntur significare capitula prædictæ congregationis.

4 Quarto, quod iure prohibetur, ne quis inquisitioni contra hæreticos faciendæ impedimentum directè vel indirectè apponat. [h] At per cognitionem datam iudicibus designatis à prædicta congregatione, & obseruantiam constitutionum ab ea latarum, videtur directè vel indirectè impediri officium inquisitorum. Tum quia indirectè impeditur denunciatio hæresum religiosorum prædicti ordinis facienda inquisitoribus. Tum quia datur occasio non parendi eorum edictis, quibus præcipiunt aliquibus temporibus, vt eis denuncientur hæreses. Tum denique quod impediunt etiam iustam punitionem ab illis faciendam, arg. c. *de iis.* [i] & eo quod si à prædictis iudicibus designatis absoluerentur, iniustè manerent impuniti, & statuta Ecclesiæ vniuersalis suo effectu fraudari possent; quod fieri non debet. [k]

5 Per quæ, & alia, quæ in hoc adduci possent, arbitror prædictam congregationem non habere iure communi iurisdictionem cognoscendi de causis hæresum canonicorum sui ordinis, & eas definiendi, nec consequenter ea de re statuendi absque consensu vel priuilegio S. Sedis Apostolicæ.

Non obstant opposita. Non primum: quia per prædicta negari potest valor capitulorum in eo citatorum.

Non etiam secundum. Tum quia iure communi antiquo prælati religiosorum non habent tantam iurisdictionem super criminibus suorum subditorum, vt vbi supra, scilicet in prædicto cap. *non dicatis.* [l] & in d. cap. *nullam,* [m] probamus. Tum quia nulla consuetudine, nec vllo priuilegio videtur eis addita cognitio, & potestas prædicta cognoscendi de hæresi, & pro ea puniendi. Tum quia per prædictum cap. *per hoc.* & clem. 1. [n] & per consuetudinem longissimi temporis videtur reseruata Episcopis, & inquisitoribus prædicta potestas.

Quare arbitror, vt prędixi, prædictam congregationem non posse cognoscere & definire de hæresi, nisi priuilegium ad id à S. Sede Apostolica habeat.

6 AD ALTERAM verò propositam, scilicet an prædicta congregatio augere possit pœnam appositam pro illis criminibus, de quibus ipsa cognoscere potest, & pro quibus punire potest? respondeo quod sic, non tamen pro hęresi, si de illa cognoscere nequit, iuxta prędictam pręsuppositæ quęstionis determinationem: sed debet esse contenta pœnis ab inquisitoribus & Episcopis imponendis, nisi eo modo quo laica potestas dicitur posse addere pœnam pœnis statutis à canonibus circa spiritualia, vt apud Hispanos, [o] contra filios contrahentes clandestina matrimonia, vt possint à patribus exhæredari, iuxta tradita à Panormitano &

a Arg. l. 1. & 2. & l. de qua re. ff. de iudic. & c. 1. & ca. praterea. c. ex literis. & toto tit. de offic. deleg.
b C. de iurisd. omn. iud.
c Ca. cum ab ecclesiarum. de offic. ordi.
d Super c. nō dicatis. 12. q. 1. à num. 63.
e In c. nullam 18. q. 2. an. 52.
f Cap. vt officium. & ca. vt inquisitionis. & ca. per hoc. de hære. li. 6. & d. cle. 1. 2. eo. tit.
g Dict. ca. per hoc. de haret. li. 6. & d. cle. 1. §. verum. eod titu.
h Cap. statutum. & ca. vt inquisitionis. § prohibemus de hæret. li. 6.
i De accusat.
k Cap. cōmissa. de elect. li. 6. & l fi. Co. commu. de le.
l Num. 63.
m Num. 52.
n De hæret.
o L e. 40. Tau ri.

Felino,[a] & à Felino & citatis ab eo,[b] & à Ioanne Lupo.[c]

7 Addo his, quod conſtitutio, quæ habet non poſſe quem per ignorantiam excuſari, videtur contraria iuri, quod probabiliter ignorantem excuſat.[d] Et ratio illa, qua id fundatur, ſcilicet quod dogmata Lutherana omnibus ſunt nota, non eſt apta. Tum quia conſtitutio loquitur de omni hæreſi, & non ſolùm de Lutherana. Tum quia multa ſunt dogmata Lutherana, quę etiam multi eruditi neſciunt eſſe dogmata eiuſmodi, præſertim quod multa ſunt ſibi mutuo contraria, vt doctores, qui in ea ſcripſerunt, late demonſtrant, &c.

a In cap. 1. de ſponſ.
b In c. eccleſia. col. 20. de conſti.
b In repet. capit. per veſtras. de dona. fol. mihi 137. num. 9.
d Cap. Apoſtolicæ. de cle. excom. miniſ. cum ſuis concord.

*SVMMARIVM.*

1 *Inquiſitor hæreſis ſuper inceſtu iure communi procedere non poteſt. & num. 5. & hoc etiam ſi eſſet perpetratus à confeſſario cum filia ſpirituali. num. 6.*
2 *Inceſtus non eſt hæreſis, nec ei annexus, de quibus ſolùm iure communi inquiſitor cognoſcere poteſt. 1. 5.*
2 *Hæreſis fidei Catholicæ, inceſtus autem pudicitiæ aduerſatur.*
3 *Inquiſitor de ſuperſtitionibus, vel alio crimine, niſi ſapiat manifeſte hæreſim, non cognoſcit. & ſeq.*
3 *Hæreticus non eſt faciens iure diuino prohibita, nec de his inquiſitor ſe intromittit, niſi credat illa licere, vt vſuram.*
6 *Confeſſor inceſtum cum filia ſpirituali admittens deponendus. & ſeq.*
7 *Inquiſitores hæreſis de nefarijs monachi, vel ſacrati, vel etiam laici geminatis nuptijs cognoſcunt.*
8 *Leuia indicia, ſi ſint plene probata, ſecundum aliquos videntur ſufficere, vt quis vocetur ab inquiſitoribus ad reſpondendum ſuper hæreſi, de qua eſt ſuſpicio, ſed non ſunt audiendi.*
8 *Suſpicio vna in vna perſona alicuius, in alia nullius eſt momenti.*
9 *Iudicium ex ſacrilegis confeſſariorum reuelationibus ſeu teſtimonijs fundari nequit, nec principaliter, nec incidenter.*
9 *Confeſſionis reuelator nedum non eſt vt teſtis à iudice recipiendus, ſed eſt deponendus, ne inde confeſſionis ſigillo detrahatur.*

## CONSILIVM II.

VTRVM Inquiſitores hæreticæ prauitatis poſſint, & debeant cognoſcere de crimine inceſtus, qui dicitur admiſſus à quodam religioſo cum duabus filijs ſuis ſpiritualibus, quas in confeſſione ſacramentali audiuit?

Secundo, an poſſit fundari iudicium ſuper depoſitione confeſſarij aſſerentis id audiuiſſe in ſacra confeſſione?

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM reſpondeo primo, quod attento ſolo iure communi tenentur ſub pœna peccati mortalis præfati inquiſitores nõ cognoſcere de eiuſmodi prætenſo inceſtu. Tum quia non poſſunt ipſi cognoſcere, niſi de crimine hęreſeos, & aliquibus alijs illi acceſſoriis, vt probatur per cap. *accuſatus.*[e] & tradit Directorium inquiſitorum,[f] & inceſtus prætenſus non eſt crimen hęreſeos, nec de acceſſorijs eius, quæ à Directorio exprimuntur.

2 Tum quia crimen hæreſeos eſt crimen contra virtutem fidei Catholicę Theologalem, per definitionem eius relatam à nobis poſt alios in Manua. noſtro confeſſ.[g] ſcilicet, quòd eſt crimen fidei Catholicæ contrarium,[h] crimen autem inceſtus eſt contrarium virtuti caſtitatis, & pudicitię, vt tradit S. Thomas receptus.[i] Tum quia, ſi id quod magis videtur ineſſe nõ ineſt, id quòd minus videtur ineſſe non inerit, & contra,[k] & tradit Baldus.[l] At peccatum ſuperſtitionis & diuinationis proximius eſt peccato hæreſeos, quam inceſtus: quoniam eſt contra virtutem religionis, quæ eſt longe propior fidei Catholicæ, quàm caſtitas, vt colligitur ex S. Thoma,[m] in quo definit eam non eſſe quidem virtutem Theologalem, eſſe tamen illi proximã, &[n] vbi definit eam eſſe moraliũ maximam.

3 Attamen de ſuperſtitionibus & diuinationibus non poſſunt cognoſcere prædicti DD. inquiſitores, niſi manifeſtè ſapiant hæreſim,[o] ergo minus de prędicto inceſtu, cum manifeſtè non ſapiat hæreſim. Tum quia non ſufficit ad hoc, vt inquiſitores cognoſcant de aliquo crimine, vt illud ſit prohibitum iure naturali, vel diuino: quia etiam vſura eſt prohibita vtroque illorum, attamen de quæſtionibus eius non cognoſcunt inquiſitores,[p] niſi contra illos, qui dicant illam eſſe licitam; quia vſuram exercere non eſt hæreſim admittere, licet credere vſuram licere ſit tale.[q]

4 Tum quia etiam de blaſphemia, quæ non ſapit manifeſte hæreſim, non poſſunt cognoſcere, vt tradit idem Directorium receptum ab omnibus,[r] niſi cum implicat contradictionem alicuius articuli fidei. Et conſtat blaſphemiam & iniuriam Deo & diuis factam eſſe proximiorem hæreſi, quàm eiuſmodi peccatum inceſtus. Tum quia concluſio receptiſſima eſt, de nullo crimine, quod non ſit hæreſis, vel manifeſtè non ſapiat hæreſim, poſſe cognoſcere inquiſitorem, vt tradit Oldradus,[a] adeo quidem, vt gloſſa recepta per Ioannem Andream, Dominicum Francum & alios, habeat,[b] quod ad hoc vt inquiſitores cognoſcant de tali crimine, non ſufficit, vt dubitetur an ſapiat hæreſim, ſed requiritur vt manifeſtè ſapiat: ita quod licet regulariter iudex cognoſcat an ſua ſit iuriſdictio, cum dubitatur de illa; inquiſitor tamen non poteſt cognoſcere, an pertineat ad ipſum iuriſdictio, cùm ſolum dubitatur; ſed oportet quod manifeſtè ſapiat hæreſim.

e §. de quæſt. de hæretic. li. 6.
f In 3. p. q. 45. cap. excõmunicamus. §. credentes. & §. adiicimus. de hæred. & c. vt officium. eod. tit. lib. 6.
g Cap. 11. nu. 22.
h Ca. arrecta. & c. hæc eſt fides. 24. qu. 1.
i 2. 2. q. 154. art. 9.
k Cap. cum in cũctis. de ele. & Aut. multomagis. C. de ſacroſ. eccleſ.
l In l. conuenticula. Co. de ſacroſ. eccle.
m 2. 2. qu. 81. art. 5.
n Art. 6.
o Dict. ca. accuſatus. §. ſane.
p Dict. cap. accuſatus. §. de quæſtionib.
q Cle. 1. de vſuris.
r In 2 p. q. 41.
a Conſ. 210.
b In prædicto §. ſane.

Secundo reſpondeo, quod attento ſolo iure communi peccarent mortaliter (mea ſententia) aſſumendo illam; quia vſurparent alienam iuriſdictionem, quod mortale peccatum eſt, iuxta l. fi.[c] & tradit S. Thomas receptus.[d]

5 Tertio, quod ideo dixi ſupra, *attento ſolo iure communi*; quoniam attento aliquo priuilegio, vel conſuetudine aliqua legitimè approbata, poſſent cognoſcere; quia ſummus Pontifex pro ſua ſumma poteſtate poteſt eis addere iuriſdictionem quam non habent, & imminuere habitam.[e]

6 Quarto, quod non obſtat quod Epiſcopus Pacenſis,[f] innuat inquiſitores poſſe cognoſcere de inceſtu, quem admittit ſacerdos confeſſarius cum pœnitente ſibi confeſſa. Tum quia non eſt verum, quod ille hoc dicat, ſed tantùm incidenter ait huiuſmodi ſacerdotem debere deponi, & magna pœna puniri, per cap. *omnis.* & cap. *ſi ſacerdos.*[g] quod eſt intelligendum per ordinarium, & non per inquiſitores. Tum quia prædicta capp. quæ allegat, non loquuntur de inquiſitoribus, ſed de ordinario. Tum quia illud parergon induxit ad diſputandum latiſſimè alterum parergon de nullitate matrimonij inter Chriſtianum & hæreticam contracti; vbi tenuit contra communem ſententiam omnium, ſed nullibi hactenus eſt receptus.

7 Quinto, quod etiam non obſtat quod ipſemet Pacenſis tenuit,[h] dum ait inquiſitores cognoſcere poſſe de nefariis nuptiis monachi, & clerici ſacro ordine inſigniti; quia loquitur de crimine inceſti matrimonij contracti per monachum, vel aliquem ſacro ordine inſignitum, & non de monacho, vel ſacerdote committente ſolum inceſtum ſine matrimonio, quod longè maius & ſcandalizantius crimen eſt, quàm ſimplex inceſtus admiſſus ſine matrimonio, & proximius ad implicandam manifeſtam hæreſim propter irreuerentiam quæ fit ſacramento ordinis; & ſacro monachatui, & ſacramento matrimonij, quæ interuenit in eiuſmodi nuptiis, quam illa quę interuenit in inceſtu ſimplici abſque matrimonio admiſſo.

8 Sexto, quod non obſtat etiam id quod Dominicus poſt Lapum aſſerit,[i] & Francus,[k] ſcilicet contra eum qui ducit vxorem ſecundam viuente priore poſſe procedere inquiſitores; quod etiam aſſerit Ioannes Lupus,[l] & Couarruuias,[m] quia loquuntur de contrahente bis matrimonium, vtraque viuente, per quod præſumitur malè ſentire de ſacramento ſacri matrimonij, de quo tamquam de præſumpta hæreſi contra ſacramentum admiſſa cognoſcunt inquiſitores, per cap. *ad abolendam.* de hæret. quod non contingit in crimine ſimplicis inceſtus ſine matrimonio admiſſi. Vnde eruditiſſimus, idemque Chriſtianiſſimus Epiſcopus Bernardus Diaz,[n] aſſeruit, quod ſacerdos, qui cum filia ſpirituali fornicatur, debet deponi, & alias pœnas ſubire, per cap. *omnes.* & ca. *ſi quis ſacerdos.*[o] non tamen ait inquiſitores poſſe cognoſcere de illo crimine, ſed punitionem relinquit ordinariis, de quibus ſunt intelligenda iura per eum citata.

Septimo, quod DD. inquiſitores ponderare debebant id, quod in Hiſpania vidimus ponderatum, & eſt relatum à prædicto Pacenſi,[p] non eſſe audiendos Iuriſperitos, qui docent ex leuibus indiciis & ſignis plenè probatis poſſe quemcumque iuſtè vocari ab inquiſitoribus ad interrogãdum eum ſuper hæreſi, de qua eſt ſuſpicio; quia ex tali vocatione magnum & acerbum præiudicium fit viro graui ſic vocato: ſed quod circumſtantiæ perſonæ, qualitatis, finis, & aliarum ſunt multùm ponderandæ; cùm frequenter contingat vnam ſuſpicionem, quæ contra vnum alicuius momenti eſſet, contra alium eſſe nullius, &c. Quare cum perſona, cuius nomine (vt ſuſpicor,) tacito interrogor, ſit tã primaria nobilitate generis, & religionis, & tanta prudentia, modeſtia, iuſtitia, & bono vitæ

c ff. de iuriſdi omnium iudi-cum.
d In 2. 2. q. 60. art. 6.
e Cap. cuncta per mũdum. 9. q. 3. & cap. propoſuit. de conceſſ. præb.
f In li. de Cathol. inſtit. tit. 40. de matri. num 15.
g 30. qu. 1.
h In enchiridio violatæ religionis. tit. de nefarijs nuptijs.
i In d. c. accuſatus. §. ſane.
k In princ. eiuſdem c.
l In repe. cap. per veſtras. §. 18. de dona. inter vir. & vxor.
m 2. par. c. 7. §. 3. num. 6.
n In praxi criminali can. c. 76.
o 30. qu. 1.
p In prædicto enchir. tit. de ſuſpicio.

odore, ac exemplo, vt audio, insignis, non solùm essent flocci pendendæ eiusmodi leues suspiciones, si non essent satis probatæ, sed etiam minuendæ, & leniendæ: quamuis aliqualiter dici possent probatæ. Salua prædictorum DD. meorum, qui totius orbis Christiani sunt censores, sententia, cui me omniaque mea libenter subiicio.

9 AD SECVNDAM respondeo id quod aliàs interrogatus respondi, non posse iustè vllos iudices fundare suum iudicium principaliter, nec indicenter in sacrilegis & scandalosissimis testimonijs sacerdotum confessariorum præstitis super eis, quæ solùm norunt per confessiones sacramentales; & tanto minus, quanto maiores sunt iudices id fundaturi: sed potius debere illos sacrilegos deponere, & acerbissimè puniri; ne populus incipiat sibi persuadere, quod maleuolorum machinationibus, & superiorum dispensationibus, vel relaxationibus, aperiatur aliqua via, qua confessa secreta contra diuinum & indispensabile D. N. Iesu Christi præceptum reuelentur, & sibi dissuadeat necessitatem confitendi, quam maledictus Lutherus suis miseris discipulis dissuasit: quem adeo alicubi, vt audio, pertinaciter sequuntur nouè ad fidem conuersi, vt pauci sint, qui grauia crimina sacerdoti confiteantur; ita vt aliquot parochi eruditi dixerint nullos in suis parochiis peccare grauia mortaliter: quia nulli parochiani eis confitebantur talia: quod ne infinita Dei bonitate contingat, supplicissimè omnes oremus. Amen.

SVMMARIVM.

1 *Denunciare sancto officio non debeo eum, quem ob leuem suspicionem, aut signa, quæ facile fallere possunt, hæreticum puto, etiam si adsit inquisitorum edictum.*

1 *Inquisitorum edictum de denunciandis hæreticis, &c. non ligat eos qui quoquo modo audiuerint, vel suspicantur, sed eos qui sciunt per sensum corporis, vel saltem audierunt à fide digno, qui illud sciebat.*

2 *Pœnitentem, qui sibi non facit scrupulum omissæ denunciationis hæreticorum, eo quod ignorat se obligari, debet confessarius monere, vt denunciet, & recusantem non debet absoluere, & ita obseruat sacra Pœnitentiaria.*

2 *Denunciare non tenetur vltramontanus illos hæreticos, cum quibus vltra montes est conuersatus.*

## CONSILIVM III.

DVBITO aliquem hic Romæ, vbi viget Inquisitio, esse hæreticum, vel signis credo eum talem, sed non possum probare. An tenear denunciare quoquo modo officio inquisitionis; & quid faciet confessarius cum pœnitente, qui facit sibi scrupulum, quod sit conuersatus cum hæretico, sed non facit sibi scrupulum, quod non denunciet; & de quo pœnitente credit cõfessarius, quod admonitus potius omittet confiteri, quàm denunciare, cum vltramontanus sit, qui ignorat obligationem denunciandi, & abhorret ab hac actione?

1 Respondeo primò, quòd huius quæstionis decisio colligi potest ex his, quæ nos diximus in repet. cap. *inter verba.* [a] vbi dicitur, quod edicta, quibus iubemur denunciare aliqua quæ scimus, non ligant eos, qui quoquo modo audierunt, vel suspicantur; sed tantum eos, qui sciunt illud per visum, vel alium sensum corporeum, vel per confessionem eius, qui fecit illud, vel quod habetur pro indubitato, secundum Innocentium, [b] vel saltem audiuit ab aliquo fide digno, qui sciebat illud, iuxta glossam singularem. [c] Quare non puto rectè facturum, qui ob leuem suspicionem, & ob signa, quæ facilè fallere possunt, denunciaret aliquem tanti criminis reum.

2 Secundo, quod vltramontanus, si solum est conuersatus cum hæreticis vltra montes, non tenetur denunciare illos; si autem est conuersatus cum hæreticis in Italia, vel Hispania, tenetur denunciare illos, neque debet absolui, nisi denunciet, vel saltem omnino proponat denunciare; quia non videtur contritus: & hoc obseruat sacra Pœnitentiaria, per multa quę possent allegari, &c.

a 11. qu. 3. con. 6.

b In cap. cum causa. n. 1. de iuramen. cal.

c In l. Titio fūdus ff. de conditio. & demonstra.

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus ante baptismum nemo esse potest, neq; ante illud quis potest excommunicari nisi indirectè. num. 4.*

1 *Iudæi & Pagani Ecclesiæ legibus non subiiciuntur, illis inquam, quæ eorumdem legibus contrariæ sunt. num. 4.*

2 *Iudæus, qui cum conuersis ex eis conuersatur, publicè cædendus.*

2 *Iudex ad vnam causam deputatus contra quemcumque eius impedientem processum procedit.*

3 *Iudex ecclesiasticus infidelem punire potest pro delictis merè ecclesiasticis, item pro mixtis, si præuenit, pro merè autem laicis non.*

3 *Inquisitor hæreseos punire potest Iudæos conuersorum peruersionem procurantes.*

3 *Hæreticus conuersus absolui non debet, nisi manifestet infideles, qui eumdem post baptismum peruerterunt.*

4 *Iudæi non vt hæreticorum complices, sed vt eorum fautores puniri possunt.*

## CONSILIVM IIII.

QVIDAM hæreticus rediens ad cor petiit absolutionem ab excommunicatione bullæ Cœnæ. Quæritur, an debeat absolui, non manifestatis Iudæis, qui ei Iudaismum persuaserunt.

1 Pro parte affirmante facit primò, quòd Iudæi non possunt esse complices hæreseos, quia non sunt baptizati, & nemo ante baptismum potest esse hæreticus, vt post alios tradimus in Manu. nostro confess. [a]

Secundo, quod Iudæi, Mahumetani, & Pagani non subiiciuntur Ecclesiæ, iuxta illud Apostoli, *De his qui foris sunt nihil ad nos*, relatum in cap. *gaudemus*, [b] & consequenter videntur non posse puniri ab Ecclesia.

Tertio, quod Decretales, quibus statuitur punitio Iudæorum, non excommunicant eos directè, sed solum indirectè, prohibendo Christianis, communicare illis. [c]

2 Pro parte vero affirmante facit primo cap. *sæpe.* [d] quo iubetur publicè cædi Iudæus, qui cum conuersis ex eis, & baptizatis conuersatur.

Secundo, quod qui iudex est ad vnum, potest procedere contra impedientem processum eius quo ad illud, [e] ergo Ecclesia, quæ habet iurisdictionem ad defendendam fidem, poterit procedere contra turbantes illam.

3 Tertio, quod quæstio illa, an iudex ecclesiasticus possit punire Iudæum, & infidelem: solet sic resolui, quod solus potest in criminibus merè ecclesiasticis, in merè verò laicis non, in criminibus autem mixti fori potest per præuētionem, vt resoluitur in cap. *cum sit generale.* [f] & per Felinum. [g]

Quarto, quod Oldradus, [h] respondit, quod Inquisitor hęreticæ prauitatis potest castigare Iudæos procurantes peruersionem conuersorum ad fidem: pro quo est casus in cap. *contra Christianos.* [i] quod habet, Inquisitorem non solum posse procedere contra Christianos, qui cum essent infantes, vel pueri, baptizati fuerunt, & postea redeunt ad infidelitatem parentum, sed etiam contra fautores, & receptores eorum.

Per quæ pars hæc posterior videtur verior; & consequenter manifestationem Iudæorum, qui peruerterunt præfatum, videri necessariam, quo absoluatur, quia puniri possunt ab Inquisitore.

4 Non obstant opposita. Ad primum enim respondetur, concedendo quidem non posse Iudæos esse complices hæreseos, ad hoc, vt dicantur hæretici: sed sic quo ad hoc, vt dicantur fautores hæreticorum contra leges Ecclesiæ Christianæ, quod sufficit ad hoc, vt puniri possint ab ea, per prædicta.

Ad secundum, concedendo quidem Iudæos, & Paganos non subiici Ecclesiæ quo ad obseruantiam legum eius contrariarum suæ legi veteri: negando tamen quod non sint subiecti ei quo ad alias leges, è quibus vna est, ne retrahant Christianos ab obseruantia legum suarum, per prædicta.

Ad tertium, concedendo quidem Ecclesiam non posse excommunicare Iudæos directè: negando tamen quod non possit eos aliis pœnis punire, cùm peccant peccata fori ecclesiastici, vel mixti, præueniendo iudicium seculare, per eadem prædicta. Salua, &c.

a Cap. 27. nu. 13.

b De diuortijs.

c Ca. post miserabilem. de vsur. & c. ad hæc. c. postulasti. & c. etsi Iudæos. de Iudæis.

d 28. quæst. 1.

e Cap. 1. de offic. delegat.

f De foro cõpet.

g In c. postulasti de Iudæ.

h Cons. 36. infra scripti ar.

i De hæreticis, lib. 6.

SVMMARIVM.

1 *Libros hæreticorum tenens, & leges incidit quidem in excommunicationem, sed non in latam contra hæreticos.*

2 *Confessio & absolutio excommunicati valent: nisi aduertens se sic confitendo peccare, taceat se talem.*

4 *Inquisitorum edicta omnes ad quos diriguntur obligant ad denunciandum, etiam patrem: & filios.*

4 *Confiteri crimen proprium tenetur interrogatus legitime à suo iudice.*
4 *Denunciare hæreticum, quando id etiam inuoluendo verba facere non possum, nisi me reuelem, non obstante Inquisitorum edicto, non teneor.*
5 *Denunciatio hæreticorũ, quam nullus, vel minime notabilis sequeretur effectus, non est ob edicta Inquisitorum necessario facienda.*

## CONSILIVM V.

EST pœnitens, qui ab anno Domini 1548. vsque ad annum 1554. à sua discedens patria multas Italiæ prouincias (iustorum tamen occasionem negotiorum) lustrauit, & accidit sæpius cum hæreticis conuersari, & verba blasphemiasque hæreticales audire; perseuerans tamen in perfecta fide; sed eorum libros quadam ductus curiositate & sciendi auiditate libenter legit. Primo ab vno librum Considerationum Valdesij emit, & non longi temporis interuallo ipse vendens ab Inquisitore illius ciuitatis detentus publicè abiurare est coactus: sed post condemnationem in sua falsa perseuerabat opinione: non enim reuelauit, quibus vendiderat libros, & pœnitebat eum abiurasse. Ab alio autem, qui & cum hoc condemnatus (erant enim ij socij erroris) & deinde etiam relapsus fuerat, emit librum Prædicationum sub nomine fratris Thomæ de Senis, dicebatur autem esse Occhini. Insuper ab alio in alia prouincia vltro offerẽte alium Occhini librum mutuo accepit, legit, restituitque. Deinde alias discessurus quidam ab vna ciuitate ad aliquot dies dimisit eidem exponenti librum fratris Iulij de Mediolano conseruandum, & alius simili de causas aliàs dimisit postillas Martini Lutheri, quas conseruauit, legit, demum requirentibus restituit, nihil inde mali hauriens, sed potius eorum doctrinam detestans; non enim tanti faciendam esse, quanti ab illis prædicabatur, iudicauit. Anno deinde 1554. vel circa, ad propriam domum reuersus, negotijs expletis, vera pœnitentia ductus, libros, quos emerat, igni tradidit comburendos; & cuiusdam Iobelæi, atque bullarum diuersarum Summi Pontificis auctoritate sæpius generalem suorum peccatorum confessionem faciens absolutionis beneficium est consequutus: & licet eisdem literis contineretur expresè, ne absoluerentur legentes & tenẽtes libros prohibitos, ipse absoluebatur; quia confessarijs persuadebat debere absolui, ex eo, quia non legebat, neque detinebat, licet legerit & detinuerit. Et quia in eius patria excommunicatio singulis fere annis innouatur contra hæreticos non reuelantes, iugi conscientiæ stimulo premebatur, cogitans, forte illas absolutiones fuisse inefficaces, si ad reuelandum teneretur: & certè reuelasset, nisi animaduerteret se non posse plenè, quæ sciebat, reuelare, nisi semetipsum reum constitueret, & in foro iudiciali diffamaret, quod non debet. Demum occasione Sanctissimi Iobelæi Romam venit, & à Pœnitentiario absolutionem consequutus ecclesias visitauit.

At quia audiuit Pœnitentiarios in huiusmodi plenissimam auctoritatem non habere, pro suæ conscientiæ securitate accessit ad summum Pœnitentiarium, humiliter obsecrans Illustrissimam Dominationem suam, vt causa cognita, absoluendi, & secum dispensandi facultatem alicui minori Pœnitentiario faceret in foro conscientiæ tantùm. Primò, quia alios plenè reuelare non potest, nisi semetipsum in foro exteriore diffamet) ad quod nullus de iure tenetur) non enim potest assignare causam, qua scit hos detinuisse libros, & illos vendidisse, nisi quia ab his ipse emit, & ab illis conseruandos mutuo accepit. Secundo, quia in his viginti & vno annis, quibus post librorũ combustionem in Dei & Sanctæ Ecclesiæ obedientia ab hæreticis segregatus sine querela & suspicione vixit, illorum quidam vita functi migrarunt à sæculo; & qui libros custodiendos reliquerunt, & ipsi ad eorum reuersi patriam ab alijs denunciati (si de his, aut similibus, aut diuersis alijs articulis, ignorat) ab inquisitoribus tamen condemnati modo impositam sustinent pœnam. De relapsis autem, à quibus libros emit, à currente anno 1554. ad præsens vsque etiam interrogans nec verbum quidem amplius audire potuit, an mortui, an viui sint, an conuersi, vel obstinati, & relapsi permansuerent; quoue loco modo degant, ignorat, immo vnius nec nomen reminiscitur, alterius nomen, sed non cognomen, & amborum patriam, & artes; & si reuelare cogeretur, non posset nisi circumloquendo significare, scilicet, qui tunc temporis condemnati fuerunt talis artis, & patriæ, sed nescit an inter tot illo spectaculo condemnatos (fuerunt enim plurimi) alij extiterint eiusdem patriæ & artis. Vnus, à quo verba contra Deum & Ecclesiam aliàs audiuit, fuit in illa ciuitate prosequutus, sed fugam arripuit, quo autem iuerit, aut vbi modo maneat, penitus nescit, & huius tantum fictum nomẽ agnoscit, & personam, apud quam tunc morabatur, quæ si modo viuat, etiam ignorat: dixit enim ipsi exponenti quidam quod iste fuerat religiosus, & è Sicilia inquisitorum metu fugiens dimisso habitu, vt secularis sub ficto nomine perditè viuebat. Quapropter non posset nisi circumloquutiuè, & satis imperfectè huiusmodi hæreticos inquisitoribus significare: vnde ipsi inquisitores ex eius reuelatione parum aut nihil proficerent: ipse autem suam fidem in tali foro seipsum diffamando macularet; cùm nemo sit, qui de eo talia suspicetur. His sic stantibus quæritur quid iuris.

1 RESPONDEO primo, oratorem non incidisse in excommunicationem illam bullæ Cœnæ Domini, quatenus excommunicat hæreticos; quia nec est, nec fuit verè & coram Deo hæreticus, licet in foro exteriori, & coram hominibus iudicetur talis, iuxta ea quæ diximus in Man. confess.[a] incidisse tamen in eam, quatenus excommunicat tenentes & legentes libros hæreticorum sine licentia Sedis Apostolicæ.

[a] Cap. 27. n. 56. & melius c. 11. n. 24. & 25.

2 Secundo, quod confessiones eius sacramentales, & absolutiones, quas domum reuersus egit, & accepit, fuerunt validæ: licet confessarij non haberent potestatem eum absoluendi ab excommunicatione: quia confessio & absolutio excommunicati valent, nisi cum pœnitens sciens se excommunicatum, & aduertens quod excommunicatus peccat accipiendo absolutionem, eam accipit, non confitendo illud peccatum, quod tunc peccat: non quidem ea ratione, quod excommunicatus absoluitur, sed quia non confitetur omnia peccata, quæ nouit, iuxta ea quæ diximus in d. Manu. confess.[b] & is non aduertebat se peccare absolutiones illas accipiendo, immo persuadebat confessariis posse eum absoluere, eo quod iam destitit à peccato detinẽdi & legendi libros, cùm iam omnes combussisset, vel suis dominis restituisset.

[b] Cap. 9. n. 3.

3 Tertio, quod magnæ difficultatis est, an inciderit in excommunicationem latam per edicta inquisitorũ contra eos, qui moniti non denunciant hæreticos intra tempus præstitutum.

Pro parte enim negante facit, quod nemo tenetur prodere se iudici saltem exteriori, iuxta cap. *quis aliquando.*[c] ibi, *non tibi dico, vt te prodas.*[d] quod procedit etiam in casu hæreseos, cùm nullibi excipiatur ille ab hac regula; & standum est regulæ, donec probetur exceptio.[e] At orator ait se non potuisse denunciare illos, quos sciebat esse hæreticos, & vti libris hæreticorum; non prodendo se: præsupponit enim, quod inquisitores interrogant de causa & ratione scientiæ, & non poterat ille vllam rationabilem reddere, nisi quod ab eis emisset, vel commodato accepisset libros vetitos; & consequenter seipsum prodidisset, ad quod non videbatur teneri.

[c] §. his auctoritatibus.
[d] De pœn. di. 1.
[e] Glo. recepta in l. omnis definitio. de re. iuris. & in rubric. eo. tit. li. 6.

4 Pro parte vero affirmante facit primo, quod omnes, ad quos diriguntur prædicta inquisitorum edicta, tenentur denunciare omnes, & amicos, & cognatos, & fratres, immo & patres, & filios, quos nouerint in eam incidisse, vt nos latè concludimus in repetitione cap. *inter verba.*[f]

[f] 11. q. 3. conclusione 6. corol. 61. n. 826.

Secundo, quod quilibet tenetur confiteri de se crimen, super quo à competente iudice interrogatur; & inquisitores, de quibus in argumento, erant competentes iudices, & competenter interrogabant.[g]

[g] Arg. l. congruit. ff. de officio. præsidis, cap. 1. de offi. ord. & c. excõmunicamus. 1. §. fi. de hæret.

Tertio, quod poterat orator eos, quos sciebat, denunciare sufficienter, non prodendo seipsum, dicẽdo quòd audiuit eos asserentes aliquas hæreses, & vtentes libris aliquot hæreticorum; tacendo quòd emisset, vel commodato accepisset ab eis, & si interrogatus fuisset de modo, quo illi vtebantur eis, potuisset respondere, quod vtebantur legendo, laudando, vel aliàs approbando, & si pressius fuisset interrogatus, vnde illos habuissent, aut quibus vendidissent, vel commodassent, potuisset respondere se nescire, subintelligendo intra se coram Deo eo modo, quo teneretur propalare, iuxta posita in Manu.[h] & latius in prædicta repetitione cap. *inter verba.*[i] per quod tollitur oppositum pro parte negante formatum.

[h] Cap. 18. nu. 59.
[i] 11. qu. 3.

5 Quarto, quod licet orator obligatus fuisset tempore prædictorum edictorum denunciare quos sciebat hæreticos, & ob id incurrisset excommunicationem, nec debuisset absolui

antequam denunciaret; nunc tamen arbitror, quod non sit obligatus ad id faciendum, & quod potest absolui absque prædicta denunciatione: quia frustra expectatur euentus, cuius nullus sequitur effectus. [a] At nullus, aut certè minimè notabilis effectus eius denunciationem sequeretur, vt ex facto colligitur.

a Capi. cum contingat. de officio. deleg. & l. ad probationem. C. de probationib.

Quinto, quod Illustrissimus Dominus petitis annuere debet adeo humiliter & sanctè oratus; & gaudere, quod tanta sit oratori de suę animę salute cura, in gloriam D. N. Iesu Christi, qui nos omnes seruet. Amen.

### SVMMARIVM.

1 *Scriptura priuata aliena manu scripta etiam inter mea scripta mihi non nocet, nisi fuerit à me subscripta, vel testibus signata, etiamsi sit scripta à presbytero, à religioso, & à Priore alicuius conuentus, immo nec si sit scripta à sapiente dante consilium, secundum quod sententia debet ferri, vel etiam ab aliquo qui sit notarius, nisi ij duo vltimi eidem etiam se subscripserint.*

2 *Imperfecta scriptura, scilicet, quæ ita sit à me scripta, vt aliquid adhuc ei sit addendum, mihi nec prodest, nec nocet, etiam si sit testamentaria, etiam si sit edita, sed non à me. & num. 3. nec de illis in quibus adhuc extremam manum non apposui, potest mihi ita obiici, quin liceat mihi eadem declarare, immutare, emendareque. num. 4.*

3 *Corrigere potest auctor scripta sua donec ediderit perfecta, & interim negare se ita sensisse, vt in eis continetur, cum ob alium finem potuerit ea sic scripsisse.*

3 *Emendare scriptum, maioris est laboris, quam scribere.*

4 *Memorialibus descripta non æque probant, ac scripta in rationibus.*

5 *Intelligi, quod nequit, pro non scripto habetur.*

5 *Multiplices intellectus cum lex æque bene recipit, videtur inutilis; veritas enim tunc ignoratur.*

6 *Dubia cum est oratio, ambigua, obscura ve, in eo est capienda sensu, quem dat qui eam protulit, & prout eidem vtilius est; & hoc in ijs, quæ pendent à solius proferentis voluntate, secus est in contractibus: item & in eo capienda est sensu, qui delictum excludit. num. 7.*

7 *Delicti quæ est exclusiua interpretatio, illa sumenda est siue in oratione ambigua, siue generali mandato, vel iuramento. & num. 8.*

8 *Verba non sunt captiose contra proferentē accipienda; immo si viderentur contraria; sunt concordanda, non solum vt contradictio & pœna euitentur, sed etiam vt probent.*

9 *Dubia oratio ex antecedentibus & consequentibus est interpretanda: sed & vna pars orationis per alteram etiam declaratur, & per media declarantur extrema, num. 10. immo & ex alio eius auctoris scripto, num. 11. & ex fine in quem principaliter profertur etiam dilucidatur. num. 12.*

12 *Recitatiue qui aliquid ab alio dictum describit, non censetur illud approbare.*

12 *Libri hæreticorum reperti apud virum doctum, sincerum, & de hæresi aliàs minimè suspectum, non inducunt hæresis præsumptionem, licet dent iudici causam interrogandi quo fine illos habeat.*

13 *Protulisse aliqua ex cathedra, vel suggesto, non conuincitur is ex eo quod scripta reperiantur in memorialibus conscriptis pro materia concionis, aut lectionis.*

13 *Doctorem non omnia, quæ priuatim scripsit, publicè docuisse sequitur.*

14 *Protestatio submittentis scripta sua Ecclesiæ iudicio excusat.*

14 *Protestatio animi declaratoria etiam facto contraria iuuat.*

### CONSILIVM VII.

HYPOTHESES, & suppositiones decem pro defensione quorumdam scriptorum N. magni, & excellētissimi Theologi, qui aliquot annis Consultoris S. Inquisitionis officio functus in plerisque regionibus publicum munus habuit examinandi dogmata; & dicta scripta adhuc in chartulis, commentariolis, & alijs memorialibus imperfectis, indigestis, & inemendatis inueniuntur, quibusque manus extrema nondum apposita fuit, & partim propria, partim aliena manu scripta reperiuntur, in quibus quędam sunt minimè intelligibilia, ambigua quędam, diuersoque ordine & stylo tradita, & quędam protestatione illa munita, *Omnia Sacrosanctæ Ecclesiæ Catholicæ iudicio & censuræ submitto.*

1 PRIMA igitur hypothesis & suppositio fuerit, nemini nocere scripturam priuatam aliena manu scriptam, nisi testibus fuerit munita, vel propria manu ei se subscripserit, [a] etiam si fuerit scripta à presbytero, [b] vel ab aliquo religioso, etiam Priore alicuius conuentus. [c] Immo nec scriptura notarij facit fidem, si ei non se subscripsit. [d] etiam si tota fuerit ipsius manu scripta, [e] nec consilium sapientis eius propria manu scriptum sine sua subscriptione prodest, secundum Paulum, [f] nec nuda ratio facit quem debitorem. [g] Quo fit, vt nil eorum, quæ aliena manu scripta inueniuntur in scriptis prædicti N. illi nocere possit; quia illius manu non est subscriptum.

2 SECVNDA HYPOTHESIS, quod nemo est accusandus, nec arguendus, eo quod hoc vel illud scripserit etiam sua manu in chartulis, commentariolis, & aliis memorialibus imperfectis, indigestis, & inemendatis, quibus manus extrema non sit adhibita, neque sunt vsque adeo edita. Primo quidem, quia illa pro non scriptis habentur, iuxta illud Iustiniani. [h] *nihil etenim actum esse credimus dum aliquid superest addendum.* vnde nec scriptura, quæ parabatur ad testamentum, prodest, aut nocet, nisi perfecta fuerit, [i] & nec Imperator capit aliquid ex testamento imperfecto, [k] nec instrumentum imperfectum probat. [l]

3 Secundo facit, quod licet scriptori scripta sua corrigere, & negare se ita sensisse, ac in eis continetur; donec ediderit perfecta, quod nuper cum omnium iudicum & doctorum laude fecit in Hispania vir pius iuxta ac doctus frater Dominicus Sotus, [m] in hæc verba: *Multa quidem alia in Matthæū & aliàs scripsi, quæ à quibusdam circumferuntur, quibus postremam manum non adhibui: & ideo, si quis ea euulgauerit, protestor non fore mea: quoniā nec collimata sunt, nec polita, & multis scaturiūt mendis, multáque continent examine, censura, & castigatione digna.*

Tertio, quia multa scribimus omnes, non quod ita penitus sentiamus, ac in eis continetur, sed ne fugiant memoriam, vel vt postea otium nacti trutinemus, & minuamus, augeamus, vel omnino deleamus, si altius considerata in totum vel ex parte displiceant; quod se fecisse etiam grauissimus, idemque sanctissimus auctor Augustinus in principio quæstionum super Genesim testatus est in hæc verba, *Placuit eas quæstiones, quæ in mentem venirent, stylo alligare, ne de memoria fugerent, non vt ea satis explicaremus; sed cum opus esset, possemus inspicere, & admoneremur, quid adhuc esset requirendum, & essemus ad cogitandum instructi, & ad respondendum parati.*

Quarto, quod ea est fragilitas humana, quod nemo, etiam si maximè velit, & conetur, potest prima vice adeo circumspectè scribere aliqua, quæ nulla lima & censura egeant, quod satis testatur prologus, [n] retractationum eiusdem B. Augustini & experientia, quæ verissima rerum magistra est, [o] palam constat, omnes graues scriptores adeo nonnumquam illa, quæ in prima scriptione composuerunt, mutare, antequam vltimam manum apponant, vt longe alia videantur esse post illam adhibitam; immo & post eam adhibitam frequenter cùm iam sub prælo est opus, multa etiam in contrariam sententiam commutare. Hinc illud Horatij cōsilium. [p] *Nihil edatur, antequam nonum prematur in annum.* Hinc illud Iustiniani, [q] *Qui subtiliter factum emendat, laudabilior est eo qui primus inuenit.* & illud Ouidij. [r] *Nec tamen emendo: labor hic quam scribere maior.* Hieronymus item, [s] sentit ea, quæ nondum sunt edita, emendari ab auctore posse, neque antea ob illa reprehendi debere auctorem, per illa verba: *Cum editi fuerint, & de tenebris in lucem processerint.* & in epistola ad Pammachium pro libris suis contra Iouinianum, sed longe clarissime expressit in epistola ad eumdem Pammachium, quæ incipit, *Paulus Apostolus.* dum plurimum conquestus de quibusdam carpentibus versionem cuiusdam epistolæ Græcæ à se factam, nondum tamen editam, quam furtim ei subripuerant, subdit hæc verba. *Volo in chartulis meis quaslibet ineptias scribere, commentari de scriptura, remordere lædentes, digerere stomachum, in locis me exercere communibus, & quasi armatus ad expugnandum sagittas reponere, quandiu non profero, nec edo, cogitata non sunt crimina, nec maledicta quędam, quæ aures publicè nesciant.*

4 Addo, quod scripta in memorialibus non probant perinde, ac scripta in rationibus, secundum Baldum cui nemo contradicit. [t] Cum igitur nihil eorum, quæ in scriptis prædicti N. carpuntur, sit politum, & collimatum, aut extrema manu donatum, vt verbis prædicti Soti vtar, neque sit editum, vt D. Hieronymus loquitur, consequitur profecto nihil eorum illi

opponi

a Ca. 1. & 2. cum gloss. & Innoc. & alijs præsertim Felino, de fide instrum.
b Dec. consil. 120.
c Idem cōs. 612.
d Leg. 2. C. de conueniendis fisci debit.
e Paulus Alexa. & Ias. in l. cum antiquitas. Co. de testamen.
f Sub. fin. d. l. cum antiquitas.
g Leg. nuda. ff. de donatiō.
h In le. cum. L. Syllanianū C. de his quibus vt indignis.
i Le. ex ea scriptura. ff. de test.
k Leg. ex imperfect. C. de testā. & l. ex imperfectis. ff. de legat. 3.
l Cap. 2. cum gloss. & eis an notatis, & gl. in l. generali. Co. de tabul. lib. 10.
m in calce suorum commentariorum in 4. lib. Senten.
n Ca. 15. li. 2.
o Cap. quam sit. de electio. lib. 6.
p In arte poetica.
q In l. 1. C. de veteri iur. enucl.
r Li. 1. de Pōt
s In apolo. cōtra Ruffi. pa. 2.
t In rubr. de consti pecuni. ad finem.

opponi posse, adépta facultate emendandi, declarandi, augendi, minuendi, vel mutandi. & ita contra ea omnia, & singula, quæ illi obiici possent, defensio sit, ea nondum fuisse correcta, non extrema manu donata, non edita, non alio quopiam modo ita ante approbata, vt teneatur ea defendere in ea forma, qua exhibentur, sed solùm in ea, qua ille editurus erat, & vulgaturus, si id facere contigisset.

5 TERTIA HYPOTHESIS, quod ea quæ sic scripta sunt, vt intelligi nequeant, pro nō scriptis habentur, iuxta l. 2.[a] cuius verba sunt: *Quæ in testamentis scripta essent, & non intelligerentur quid significarent, ea perinde sunt ac si scripta non essent.* ex qua lege doctores colligunt paria esse aliquid non esse scriptum, & ita scriptum, vt intelligi non possit. quod ipsum est dicendum de illo, quod æquè bene multipliciter intelligi post, vt Cumanus, & Aretinus notant,[b] cui consentaneum est illud Baldi.[c] *Eius, quod multipliciter intelligitur, veritas ignoratur.* & illud quod dicitur, *Lex inutilis est, quæ plures intellectus æquè patitur.*

6 QVARTA HYPOTHESIS, quod oratio dubia & ambigua intelligenda est in eo sensu, quem ei dat qui eam protulit, vt est in l. *in ambiguis.*[d] cuius verba sunt, *In ambiguis orationibus maximè sententia eius spectanda est, qui eas protulisset.* quod maximè habet locum in his, quæ pendent à solius proferentis voluntate, quales sunt leges, quas interpretatur qui eas condidit,[e] qualia priuilegia,[f] qualia testamenta,[g] qualia item eadem ratione alia omnia, quæ pendent ab vnius proferentis voluntate, & accipi debent in eo sensu, qui magis prodest proferenti, vt Vlpianus docet,[h] per illa verba, *Si quis intentione, vel oratione ambigua vsus sit, id quod ei vtilius fuerit accipiendum est.* Nec obstat l. *veteribus.*[i] cum ei similibus: quoniam loquuntur in contractibus, qui à duorum cōsensu pendent. Quare ea quæ in prædictis scriptis inueniuntur dubia, aut ambigua, in eo sensu, qui præfato N. vtilior sit, sunt intelligenda, cum ea omnia ab vnius illius proferentis voluntate pendeant.

7 QVINTA HYPOTHESIS, quòd verba, quæ in vno sensu denotant delictum, & in alio non, intelligenda sunt in eo sensu, per quem non dicatur proferens deliquisse: quoniam dubia interpretanda sunt in meliorem partem,[k] & semper in dubijs benigniora præferenda sunt, quæ sunt verba l. *semper.*[l] & Marcellus,[m] sic ait. *In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus iustum, quàm tutum est.* quod etiam in legibus fit, iuxta l. *benignius leges interpretandæ sunt.*[n] & in ambigua voce potius est accipienda significatio, quę vitio caret, iuxta l. *in ambiguis.*[o] quam legem ait ibi glossa recepta habere locum, tā cùm est vox obscura, vel ambigua, quàm cùm æquiuoca, siue multiplicis significationis, tam cū aliqua pars orationis est obscura, vel ambigua, quam cum ipsa tota oratio. & in mandato generali non censetur mandatum delictum, etiam si verba mandati sint generalia, & apta comprehendere delictum,[p] per quod ibi quamplures recentiores deciderunt quæstiones.

8 Et qui iurat omnia statuta, non videtur iurare illicita.[q] Et generaliter prolatum, in sensu, qui vtilior est proferenti, accipiendum est.[r] Nec verba sunt intelligenda captiosè contra proferentem,[s] neque ita, vt proferens sibi contradicere videatur, & incidat in pœnā, argu. ca. *cum tu.*[t] per quod ibi Antonius & Panormitanus aiunt etiam testis vnius dictum reducendum esse ad cōcordiam cum altero à se ipso dicto, non solum ad hoc, vt non incidat in pœnam, & periurium, sed etiā ad hoc vt probet, quod eleganter ibi Aretinus & Felinus docent, & tradit Hieronymus Gratus.[v] Quamobrem scripta prædicti N. quatenus in parte, vel in totum sunt dubia, vel ambigua, æquiuoca, vel multipliciter intelligibilia, vel generalia, aliquem sanum & catholicum sensum, & proferenti vtilem habere possunt, vel in eo, quo ea alibi ab ipso N. clare prolata sunt, ita debent accipi, ne ipse videatur deliquisse, nec in pœnam incidisse, nec illi contradixisse.

9 SEXTA HYPOTHESIS, quod cum aliqua oratio est ambigua, & dubia, & multipliciter intelligibilis, ille sensus est probandus, cui antecedentia & consequentia verba magis consonant: quoniam superior & inferior scriptura efficiunt perspicuum, quod alioquin esset dubium, vt ait Cicero,[x] vbi tractat de controuersia, quæ in scripto versatur. Et quia, vt ipsemet ibidem ait, si ipsa separatim ex se verba considerentur, omnia, aut pleraque videbuntur ambigua: cui consentit grauissimus auctor Augustinus,[a] in hęc verba, *Cum ambiguitas occurrit, contextus ipse sermonis à præcedentibus, & consequentibus partibus, quæ ambiguitatem illam in medio posuerunt, esse consulendum, vt videamus cuinam sententiæ de pluribus, quæ se ostendunt, ferat suffragium.* Nam etiam Vlpianus alteram partem alternatiuæ per alteram interpretatur,[b] sed & Iulianus,[c] ait ad summam nummorum legatorum coniiciendam, ea, quæ præcedunt, vel quæ sequuntur scripta, esse attendenda, & Vlpianus,[d] agens de interpretanda prima clausula inserta senatusconsulto posito in l. *item veniunt.*[e] quod multas clausulas continet, eam interpretatur per tertiam clausulam in eodem senatus consulto satis longe positam. Et idem Vlpianus,[f] sic ait: *Qui filiabus legauit, si mentionem in aliqua parte testamenti posthumæ fecit, videtur in filiarum legato de posthuma sensisse.* per dictum textum ibi adnotauit Bartholus, quem ibi & vbique sequuntur alij, vnam partem testamenti per aliam declarari: per quam adnotationem multa pulchra, vt alios omittamus, determinat Decius.[g] Vnde recte dixit Ioannes Croperus Archidiaconus Coloniensis,[h] in hæc verba: *Nulla alia ratione ad eorum, quæ à quopiam obscure dicta sunt certiorem, magisque propriam, & germanam potest intelligentiam & notitiam perueniri, quam, vt ea, quæ antecedunt, & sequuntur verba expendantur.* Et vt omittamus alia, Cælestinus,[i] dixit, vtriusque iuris argumenta nos docere ea, quæ in principio ad medium, & ad finem; illa verò quæ in medio, ad finem, & principium referuntur, id quod iis verbis sic summat Baldus ibidem. *Per media declarantur extrema, & per vnum extremum declaratur alterum.* Cum igitur bona pars eorum quæ ipsi N. opponi possunt in prædictis suis scriptis, per antecedentia vel consequentia declarentur habere sensum Catholicum, non debent opponi ei, vt sapiant hæresim.

11 SEPTIMA HYPOTHESIS, quod non solum pars vnius scripturæ per aliam partem eiusdem declaratur, vt prædictum est, sed etiam per alias omnino ab ea separatas: quod grauissimus auctor Augustinus,[k] in hæc verba docet: *Cum verba scripturæ in vno loco apertius ponuntur, ibi discendum est quomodo in locis intelligantur obscuris.* & super primo Genesis ad literam,[l] ait, *Cum scripturas legimus, id eligamus. quod certum apparuerit eum sensisse, quem legimus: si autem dubitatur, id certè, quod circumstantiam scripturæ non impedit, & cum sana fide concordat.* Et Vlpianus,[m] ait, *Interpretationem verborum, quæ in testamentis reperiuntur obscura, fieri posse ex vicinis scripturis. ex verbis enim prolatis in vna scriptura sumitur interpretatio, quid senserit quis in alia.* quod Scæuola sentit,[n] quatenus significat, per verba testamenti alicuius declarari posse, quod ipse in instrumento donationis sensisset, quod ibidem adnotauit Bartholus quem sequitur Alexander,[o] idem significat Papinianus,[p] quatenus habet, verba codicilli testatoris declarari per verba testamenti, per quem Curtius senior,[q] dixit, quod voluntas declaratur non tantùm ex eadem, sed etiam ex alia scriptura. Cum igitur quidquid dubij & ambigui esse potest in scriptis præfati N. ex aliis illius scriptis declarari possit, consequens est ita esse declarandum.

12 OCTAVA HYPOTHESIS, quod verba intelligi debent secundum id, ad quod principaliter proferuntur & scribuntur, vt est l. 1.[r] vbi Vlpianus ait, illa verba Prætoris in principio legis posita, *Ne quid in flumine, ripáve fiat, quo statio, iterve nauigio deterius fiat*, de flumine nauigabili esse intelligenda, quoniam ad id principaliter proferuntur: & verbum positum ad vnum finem secundum illum est interpretandum,[s] & intelligentia verborum ex causis est assumenda dicendi,[t] & actus agentium non operantur vltra intentionem eorum,[v] vnde qui aliqua dicit, aut scribit recitando, vel adnotando tamquam ab alio dicta, non videtur ea approbare, vt est in cap. *literas.*[x] & glossa[y] recepta ibi, & ad multa applicata per omnes recentiores, per quam Baldus[z] dixit, eum qui recitat, non ponere id, quod pro libellis notandum esse censuit, & in hanc ipsam materiam hæreseos pulchre asserit D. doctor Iacobus Septimanticensis,[a] & meritò: quoniam non ad hoc, vt approbet; ea dicit, aut scribit, sed vt examinet, vel referat, qui idem,[b] æquissimè de more suo definit, quod cum libri hæreticorum inueniuntur apud eos, qui illos examinare debent, vel apud alios, qui licentiam habent, vt illos legere possint, tunc omnis sinistra suspicio cessat: quia nihil mali faciunt: immo cum reperiuntur apud virum

a ff. de his quæ pro non scrip. hab.
b In d. l. 2.
c In leg. scire. ff. de legib.
d 2. ff. de reg. iur.
e Le. si. C. de leg. cum notatis ibidem.
f Leg. ex facto. ff. de vulgari. & c. cū venisset cum ei adnotatis de iudic.
g Leg. in ambiguis. §. de reb. dubijs.
h In l. si quis. ff. de iudic.
i ff. de pactis.
k Capit. 2. de reg. iur. l. merito. ff. pro socio.
l ff. de reg. iu.
m In l. proxime. ff. de his quæ in testa. delen.
n ff. de legib.
o ff. de legib.
p l. si procurator. ff. de con. indeb.
q Cap. 1. de iureiur. lib. 6.
r Dic. l. si quis intentione.
s l. insula ff. de præscr. ver. l. Proculus. ff. de vsufruct. Bald. cōs. 28. & 254.
t De testib.
v Consil. 37. num. 19. lib. 2.
x Lib. 2. de inuentione.

a Lib. 3. ca. 2. de doctrina Christiana.
b In l. 1. ff. de reb. dubijs.
c In le. si seruus post limi. §. fin.
d In l. verum ff. de peti. hæred.
e §. præter. ff. eod. tit.
f In l. qui filiab. in principio. ff. de lega. 1.
g Con. 15. n. 3. & cōsilio. 270 nu. 2. & 416 n. 4. & cons. 480. n. 2. & 495 n. 10. & cons. 515. n. 6. & aliis duobus consiliis.
h In lib. de veritate corporis & sanguinis Christi, pag. 103.
i In c. secundo requiris. de appellat.
k Lib. 3. de doctrina Christiana ca. 26.
l Cap. vlt.
m In l. hæredes palam. §. si quid. ff. de testam. sub fi.
n In l. vxori. § si ff. de le. 3.
o Consil. 69. vol. 6. col. 1.
p In l. 3. ff. de fundo instru.
q Consil. 49. col. 21.
r §. non autē. ff. de flumi.
s Cap. fin. de verborum signifi.
t Hilarius in c. intelligentia eod. titu.
v Leg. nō omnis. ff. de reb. cred. in agris. ff de acquirē. rerum dominio.
x De restitu. spoli. ca. super literis. de res.
y In l. Gallus. §. ideo creden dum. verbo pronepos ff. de liber. & posthu.
z In §. quidā recte. eiusdē l.
a In l. Insi. Catholi. titul. de exceptio. n. 12.
b In eod. li. c. 33. num. 12.

doctum, sincerum, ac minime suspectum, quiduis potius quam hæresim præsumendam putat: licet interrogari possit, quo fine libros illos prohibitos habeat. quod satis confirmant S. Ambrosius, [a] & Hieronymus, [b] & Augustinus. [c] Cum igitur præfatus N. sæpissime iussus fuerit examinare libros nondum probatos, cùm licentiam habuerit legendi & tenendi libros improbatos à Sancta Sede Apostolica, cum adeo longè à suspicione hæresis fuerit, vt multis in locis munus publicum habuerit examinandi dogmata, & vt super eis approbandis aut reprobandis diceret sententiam; cùm vbique cum omnium publica laude eam tulerit: cum libros integros hæreticorum tenere potuerit: quid, obsecro, præsumendum est aduersum illum, eo quòd in aliquot schedulis, chartis cariosis, & memorialibus, & scriptis imperfectis inuentæ fuerint in libris illius aliquot propositiones hinc inde excerptæ, vt examinaret eas: quod & fecit bis, & sperabat se idem tertio facturum, si quando id tertio contingeret. Quod autem multæ præfatis scriptis recitatiue ac materialiter fuerint positæ, vt postea disputarentur, & examinarentur, clare patebit consideranti circumstantias loci, temporis, materiæ, finis, personæ, consuetudinis, & necessitatis scriptionis earum. Qui enim has circumstantias considerauerit, & animaduerterit, quod verba, scripta, immo & facta interpretationem recipiunt ex prædictis circumstantijs, vt est cap. *quisquis.* [d] vbi de loco, tempore, & persona, & in l. *si vno.* [e] vbi de materia, & in §. *pauonum.* [f] vbi de consuetudine, & in cap. *discipulos.* [g] vbi de necessitate, & in cap. I. [h] vbi de fine & animo, & in cap. *aut facta.* [i] vbi de omnibus, & apud Ciceronem ad Herennium, [k] qui inquam hæc considerauerit, & animaduerterit, facile iudicabit aliqua de prædictis capitulis recitatiuè, & pro materia examinandi, disputandi, & consulendi scripta fuisse, & nullatenus animo probandi.

[a] In c. legimus 37. distin.
[b] In c. qui de mensa. eadē dist.
[c] In ca. si. 24. qu. 3.
[d] 41. dist.
[e] ff. locati.
[f] Inst. de rerū diuis.
[g] De consec. dist. 5.
[h] 15. quæst. 6.
[i] De pœ. d. 1.
[k] Lib. 2. & de Inuentione li. 2.

13 NONA HYPOTHESIS, quod eadem, quæ prædicta est, experientia, palam est, complures gymnastas, prælectores, & concionatores longè alia, & alio ordine suis scholasticis & auditoribus tradere è cathedra, vel suggesto, quam paulo ante etiam eodem ipso die in suis cameris & musæis cogitarunt, & in memorialibus scripserunt; adeo quidem, vt paucissima sint, quæ ita omnino pronunciantur, ac scripta sunt. & ita nõ bene sequitur. Hæc aut illa Titius scripsit ad prælegendum scholasticis, vel concionandum concioni; ergo eadem prælegit, aut concionatus est: quia non probatur hoc esse, quòd ab hoc contingit abesse, [l] cui consequens est non probari præfatum N. docuisse, aut concionatum fuisse aliqua, quæ in prædictis scriptis continentur, eo quòd illa scripsisset pro silua & materia prælectionis, aut concionis. Adiuuantur hæc, eo quod nonnulli procuratores, oratores, & alij quam multi faciunt commentarios, quos vulgus vocat memorias, vel memorialia earum rerum, quæ in curia, iudicio, concione, vel prælectione dicendæ sunt, vel faciendæ, quæ postea longe aliter dicuntur, aut fiunt, vt colligere est ex multis, quæ Budæus congerit. [m]

[l] Leg. neque natales. C. de probat. cap. in præsentia. eodem tit.
[m] In annot. ad Pandectas l. abesse ff. de minorib.

14 DECIMA HYPOTHESIS, quod excusandus est cuiuslibet operis scriptor, si in eius editione protestatus est se illud sacrosanctæ Ecclesiæ iudicio & censuræ submittere, etiam si opus sit editum, & manu extrema donatum. casus clarissimus singularissimusque in cap. *damnamus.* [n] quatenus loquitur de Abbate Ioachimo, & eius libro iam edito. Quod ipsum antea sensit D. Hieronymus relatus in cap. *hæc est fides.* [o] ibi, *Si quid minus peritè, aut parum cautè positum est, emendari cupimus.* quem constat loqui de suis libris iam editis: cui satis consensit Augustinus, [p] cuius ratio ea est, quod in his, quæ pendent à voluntate vnius, protestatio animi declaratoria, etiam si sit contraria facto, iuuat, iuxta resolutionem Panormitani communiter recepti, [q] qui ponit exemplum in eo, qui protestatur se non intendere dicere hæresim, quam tamen postea dicit. cui consequens est præfatum N. excusatum iri ab his, quæ illi opponi possent ex suo libro, si esset munitus prædicta protestatione. At quamuis expresse forsan non sit munitus, tacite tamen munitus esse præsumi debet, eo quod alia opera quæ edidit omnia expressè illa muniuit; & quod verisimile est, istum si edidisset eadem, illum muniturum; quoniam ex præteritis præsumitur circa futura, quæ sunt eiusdem generis. [r] At tacita, & expressa regulariter idem operantur. [s] Et ita decima defensio sit, ea omnia quæ scripta inueniuntur in prædictis scriptis, scripta esse sub protestatione saltem tacita, quod ea submittebat debitæ censuræ Ecclesiæ.

[n] §. in nullo tamen. de summa Trinit.
[o] 23. quæ. 1.
[p] In ca. dixit Apostolus. 24 quæst. 2.
[q] In ca. cum constit. nu. 19.
[r] Ca. mandata. & cap. scribam. de præsumpt.
[s] Ca. 1. de rescriptis. l. cum quid ff. de rebus cred.

*Hoc autem limitandum videtur, vt procedat iuxta regulas positas in directorio Inquisitorum part. 1. quæst. 12. vbi copiosissimè per Reuerendissimum D. Franciscum Pegnam Sacræ Theologiæ & Iuris vtriusque Doctorem, & nunc sacræ Rotæ Auditorem.*

## SVMMARIVM.

1 *Absolutus ad reincidentiam à iudice, non reincidit, nisi per iudicem reinducatur: sed verior est, quod reincidat ipso iure; & reincidendo videtur etiam medio tempore numquam fuisse absolutus; immo verior est, quod censetur pro eo tempore absolutus. num. 2.*

4 *Insordescens vltra annum in excommunicatione contra ipsum publicata potest à iudice competenti citari, vt veniat responsurus quid sentiat de fide: at non potest condemnari, seu declarari suspectus, nisi per annum continuum (qualis non est, quando etiam per absolutionem ad reincidentiam interruptus fuit) à die monitionis in eadem perseuerauerit contumaciter. num. 3.*

## CONSILIVM VII.

MANSIT quidam excommunicatus ob debitum non solutum, & publicatus per annum, & insorduit; & vocatus vt diceret causas, ob quas non deberet iudicari suspectus de hæresi, non comparuit, & fuit excommunicatus ob contumaciam; & antequam elaberetur annus, fuit absolutus ad reincidentiã; & posteaquam reincidit, nec soluit, nec comparuit. An propter hoc possit declarari suspectus de fide?

Responsurus huic quæstioni, voluissem scire, an Illustrissimus Dominus, qui monuit Titium, vt veniret ad reddendam rationem suæ fidei, haberet potestatem cognoscendi de causa fidei, & an monitioni suæ iniecisset pœnam excommunicationis ipso iure incurrendam, si non veniret intra certum tempus: & etiam optarem videre tenorem absolutionis cum reincidentia, & quantum temporis lapsum fuit à prædicta monitione illa personali; quamuis satis saltem implicitè proponitur non fuisse lapsum annum integrum vsque ad illam absolutionem, licet lapsus fuerat à tempore excommunicationis latæ pro debito, in qua insorduit.

1 Secundo, quòd præsupposito, quòd non fuit lapsus annus à tempore monitionis prædictæ, nec ante præfatam absolutionem, dicendum esset secundum opinionem eorum, qui dicunt, absolutum cum reincidentia, non reincidere ipso iure in excommunicationem, antequam iudex reducat in illam: pro quibus multa argumenta format Decius, [a] eum adhuc esse absolutum, si non fuit reductus in eamdem excommunicationem. Sed quia contraria pars videtur iure verior, vt eam ibi tenet ipse Decius, dicendum est cum manere excommunicatum.

2 Tertio, quod tenendo opinionem Baldi, [b] quod reincidens in excommunicationem iudicandus est fuisse excommunicatus etiam tempore quo fuit absolutus (quia videtur ei mansisse in eadem excommunicatione, qua erat excommunicatus ante absolutionem) esset respondendum non fuisse interpolatum annum: de quo loquitur cap. *cum contumacia.* [c] per notata in cap. *veniens.* [d] & in cap. *eos.* [e] at contra eam tenet Præpositus, [f] & satis Decius nisi fraudulenter petita fuisset absolutio: videtur enim dicendum fuisse ipsum absolutum pro tempore, quo fuit absolutus cum reincidentia.

3 Quarto, quod non videtur posse ipsum condemnari vt hæreticum, iuxta cap. *cum contumacia.* [g] Tum quia non videtur lapsus vnus annus à tempore, quo fuit vocatus super causa fidei. Tum quia etiamsi fuisset lapsus annus, non tamen fuit continuus, vt esse debet secundum communem sententiam Dominici, & Franci, [h] & per prædictam absolutionem satis videtur interpolatus, cum per illam petitionem absolutionis, & per vsum eius videatur significare se non fuisse pertinacem ad permanendum in excommunicatione, neque in contumacia; quæ pars benignior tenenda est. [i]

4 Quinto, quod certum est, eum potuisse vocari à iudice competenti ad dandam rationem suæ fidei Catholicæ, iuxta cap. *ad abolendam.* [k] Concilium Tridentinum.

*Quo autem ordine, & quibus verbis monendus, & interrogandus sit, si venerit, & quid ei iniungendum, traditur late in Directorio Inquisitorum, 2. par. q. 47. & in aliis locis citatis ibidem ab eruditissimo D. Doctore Pegna.*

[a] In consil. 145.
[b] In c. quæstioni. de appella.
[c] De hære. li. 6.
[d] 2. de testib.
[e] De sen. excom lib. 6.
[f] Ibid.
[g] De hære. li. 6.
[h] In d. c. cum contumacia.
[i] Capi. in pœnis. de re. iur. lib. 6.
[k] §. præsenti. de hæretic. & ca. 3. de refor. sess. 25.

SVMMARIVM.

1 *Dicterijs vti non debemus circa ea quæ respicere possunt fidem & blasphemias.*

2 *Hæresim manifestam non sapientia dicta & facta non spectant ad sacræ inquisitionis officium: quale nō est in maxima mortalitate ob frequentia funeralia dicere, Christus multum lucrabitur: vel, Christus pauciores habebit amicos, si pergit eos occidere, num. 4. nec in confractione ossis mortui dicere. Coniunge illos in die iudicij, n. 3. nec dicere non fuisse necessariū vt Christus pauperem degeret vitā. nu. 5. vel de virgine nasceretur. nu. 6. posset tamen talis persona præsentare se Sancto officio, petendo declaratoriam, vel si iudicatur in foro exteriori culpabilis absolutionem. num. 7.*

2 *Dubium verbum potest per impropriam & figuratam significationem interpretari, ad effectum tollendi hæresis suspicionē: dictumque dubium à non suspecto bonam in partem debet accipi. num. 3.*

3 *Crudelitatis & inhumanitatis actio contra ossa defunctorum non sapit manifestam suspicionem hæresis.*

## CONSILIVM VIII.

HISPANVS nobili genere ex animo Christianus petit à V.D. secretò quid facere debeat super quatuor articulis sequentibus.

Primus articulus est, quod dixit, quod Christus lucrabatur eo quod in ea regione, in qua hoc dixit, multi moriebantur: & de more illius terræ cognati mortuorum donāt cuilibet cruci, quæ defertur ad tumulandum illos, vnum mantile.

Secundo, quod cum iret ad ludendum cum alijs ludo qui appellatur *alla piastrella*, volens ponere signum & scopum ludentibus, accepit os quoddam humanū alicuius mortui, & figens illud in terram, confregit in multas partes, & dixit, Coniunge illas in vnum in vltimo die iudicij.

Tertio, in anno quo multi moriebantur catharro, siue malo castronico, dixit quoddam facete dictum, quod audierat à quodam Italo, videlicet, *Christus habet paucos amicos, & si pergit occidere, vt occidit, habebit pauciores.*

Quarto, quod à quibusdam suis æmulis dicitur eum dixisse (quod tamen falsissimum est) quod non fuit necesse, vt Christus vitam pauperem egisset, neque vt conciperetur in ventre alicuius mulieris sordido. Hi sunt prædicti quatuor articuli, super quibus quæritur, quid debeat facere vltra iustā pœnitentiam, quam habuit, & habet de tribus, qua parte sūt, vel possunt dici mali, & præter iuramentum, quo iurat se nūquam dixisse quartum.

1 Respondeo primo, tam dominum consulentem, quam quemlibet alium Christianum debere cauere multum non solum ab impietate, hæresi, & blasphemia, sed etiam ab specie illarum, & à facetijs & iocis circa eas iocando, etiam in actus eutrapeliæ, siue affabilitatis transferendo; & ideo præfatum dominum consulētem melius facturum fuisse, si abstinuisset à præfatis dicterijs, iuxta illud Apostoli docentis, non solum à malo, sed etiam ab omni specie mali esse abstinendum.

2 Secundo, quod primus articulus non continet manifestā hæresim, neque aliquid quod manifestam hæresim sapiat: & ideo non videri pertinere illum ad sacrosanctæ Inquisitionis officium,[a] quoniam excusari potest ab hæresi, & illius suspicione tam per propriam verborum significationem, quā per impropriam & figuratam.

3 Tertio, quod nec secundus articulus videtur continere hæresim, neque manifestam eius suspicionem. Tū quia peccatum crudelitatis, vel inhumanitatis, quod non est Catholicæ fidei contrarium, non est hæresis, vt patet per definitionē eius, quę communiter traditur in rubrica de hereticis: & præfatum dictum esto, quod esset peccatum crudelitatis, vel inhumanitatis, non est tamen fidei Catholicæ contrarium: non enim continet, quod illæ particulæ non coniungentur, nec resurgent in iudicio, sed quod non faciliter, nec facili potentia, sed difficulter, & per maximam eamque diuinam potentiā id faciendū erit, quod nemo negat, immo est articulus fidei.[b] Tum quia licet verba eius ad vtranque partem propriè vel impropriè trahi possent, in dubio tamen & prolata ab homine non suspecto intelligi debent in bonam partem.[c]

4 Quarto, quod neque tertius articulus est iudicandus cōtinere hæresim per easdem fere rationes, & quod plus habet solertię cuiusdam, & vrbanitatis, quàm malignitatis, & nequitiæ, vt palam est.

5 Quinto, quod prima pars quarti articuli sanè intelligi potest accipiendò verbum *necesse*, prout significat necessitatem absolutam, sine qua non potest res ad finem peruenire, cum etiam incarnatio ipsa non fuerit sic necessaria ad humani generis salutem, tradente id S. Thoma,[a] non ait necessarium omnino fuisse, vt Christus vitam pauperem duceret, sed decens & conueniens, vt colligitur ex 3. part.[b] & secunda pars magis similis est blasphemiæ, quam hæresi; quamuis etiam à blasphemia excusari posset, si persona non esset assueta blasphemare: & quod posterior pars eius defendi potest ab hæresi, per ea, quæ tradit S. Thomas,[c] disputando an decuerit Christum natum esse de fœmina, vbi allegat illud Iob,[d] *Num quid homo potest apparere mundus natus de muliere?* Tum quod si qua culpa inesset, magis esset dicenda blasphemia, quam hæresis, per ea quę vterque Tho. tradit,[e] & dicimus nos in Manu. nostro confessa.[f] quod blasphemare est dicere etiam tacite, vel verbo contra Deum, aut eius sanctos aliquid cōtumeliosum; & quod blasphemia in dicendo, hæresis verò in credendo consistit.

7 Sexto, quod dominus consulēs, qui è lōginquo ad se Deo reconciliandum venit, debet humillissimè se præsentare sacro sancto Inquisitionis sanctæ officio, & confiteri, ac petere ea quæ continentur in hac supplicatione infrascripta.

*Beatissime Pater,*

EGO N. *genere nobilis, eodemque abhorrente ab omni secta Christianæ fidei contraria progenitus, & à paucis annis inseruiens Regi Catholico vti miles eius fidelißimus, confiteor coram S. V. & toto eius isto S. summoque prætorio me dixisse tria, primum, secundum & tertium. sed non quartum, quod dicitur à quibusdam me etiam dixisse. Confiteor deinde pœnitere me plurimum dixisse præfata tria, quatenus fuit peccatum, & Deo immortali exosum, & proximo scandalosum & offensiuum. Quartum autem numquā per eundem Deum optimum maximum, quod meminerim: quia, etsi alioquin magnus sim peccator egregiè tamen Virginem matrē gloriosissimam suspicio, veneror, & colo. & quoniam audiui aliquibus visum esse me per præfata in hæresços labem, à qua omnes progenitores meos imitatus maximè abhorreo incidisse, veni è longinquo ad sacrosanctos S. V. pedes osculandos, & supplicandum ei humillimè, vt dignetur declarare me ob prædicta eam non incurrisse, per informationem iuris, quam huic supplicationi affixam præsento, paratus subire pœnitentiam omnem mihi ob culpas alias, quas continet, iniungendam; & si forte visum fuerit S. V. iudicandum esse in foro exteriori incidisse me in aliquam hæresim, in quam certè in foro interiori scio coram Deo nullatenus incidisse, neque gratia eius diuina incisurum, dignetur prouidere animæ meæ, honorique meo, & cognationi remedio benigno, quo vti omnium pater, omniumque dominus solet alijs benignißime prouidere, in gloriam Dei optimi Max. qui S. V. cum suo summo prætorio quam diutißime seruet incolumem. Amen.*

SVMMARIVM.

1 *Libros damnatos per bullam Cœnæ sine licentia tenens in Anglia, & legens, per eandem bullam Cœnæ excommunicatur.*

2 *Hæreticum, seu schismaticum notorie se simulans in vtroque foro fit irregularis. & num 3.*

## CONSILIVM IX.

QVÆRITVR primo, an scholares, alijque Catholici in vniuersitatibus, aut alijs in locis in Anglia cum hæreticis degētes, qui propter hæresim grassantem per multos annos ibidem hæreticorum profana sacramenta frequentarunt, libros damnatos legerunt, conciones blasphemas audierunt, &c. ac insuper cùm essent ad aliquam dignitatem, aut artium gradus promouendi, publicè in vniuersitate coram Vicecancellario, alijsque de more facultatis artiū magistris, semel, atque iterum, licet non ex animo, falsò tamē, & simulatoriè iurarunt Reginam illam esse illius Regni, & omnium ditionum sibi subiectarum summum caput, & gubernatricem in omni causa & iurisdictione non tantum ciuili, sed etiam ecclesiastica; per quod graue periurium assertoriū admiserunt.

An inquam tales iuuenes, vel quicumque alij per hūc publicum actum, vel hæc publica & notoria crimina, redderentur irregulares, aut quouis modo inhabiles ad ordines sine dispensatione suscipiendos, etiam post pœnitentiam.

a Cap. accusatus. §. sane de hære. lib. 6.

b Cap. 1. § fi. de sum. Trini. & fide cath. & §. fi. symboli Athanasij.

c Capit. 2. de reg. iur. cum suis innumeris concord.

a 3. par. qu. 1. art. 2. & in q. 40. art. 3.

b Qu. 1. ar. 2.

c In 3. p. q. 31. art. 4.

d Cap. 25.

e 2. 2. qu. 11.

f Ca. 12. n. 81.

Secundo quæritur de iisdem corde intrinsecè Catholicis, qui propter mandatum impij cuiusdam pseudoepiscopi Cõmissarij Regij, aut hæretici cum tyrannica auctoritate constituti frangunt calices, patenas, cruces, aliáque vasa, & ornamẽta sacra, quæ in Ecclesijs suis habuerunt, sed tamen absque animo hæresi deprauato, sed partim timore, partim ignorantię criminis, & rerum, ac exemplo ætate prouectiorum inducti: hoc autem faciũt coram multis publicè, & satis notoriè, cum verbis fortè quasi cõtestãtibus se illud eo animo facere, quod ritus & vsus vasorum ornamentorumque existimarent vel superstitiosos, vel aliàs malos, & cõtra Dei honorem, vel sine talib⁹ verbis. Ratio istorũ dubiorũ est, quia Dominatio tua in Mã. conf.[a] dicit eum esse irregularẽ, qui notorio aliquo crimine enormi, & depositione digno notatur: cuius generis videntur esse supradicta crimina: nisi fortè à tam graui censura atque pœna aliquousque excusare posset metus legum, iuuenilis ætas, & quod talia eo loco, & in illis regionibus non habeantur pro criminibus infamibus, vbi constringuntur per magistratus, pseudoepiscopos Commissarios, vel visitatores, qui volunt ipsos coram se talia facere, vt de ipsis aliquam cõiecturam faciant, quales futuri sint, aut etiam nunc sint, suę ne partis, an Catholicorum: ideóque nec multum ibi notantur, aut diffamantur, qui hæc faciunt: quia commune iugum seruitutis est adigi per ipsos tyrannos ad aliquod inconueniens extrinsecus committendum.

a Ca. 25. nu. 73. & 77. & 184.

1 RESPONSVRVS ad primam quæstionem admoneo primum, quod aliqui horum, de quibus illa quærit, sunt verè quo ad vtrumque forum excommunicati; illi nempe qui libros damnatos legerunt, & tenuerunt sine facultate Papæ: quia §. 1. bullæ Cœnæ excommunicat eos, qui tales libros legunt, & tenent; & aliqui, de quibus quęritur, verè corã Deo & hominibus legerunt & tenuerunt eos; & ita hi in vtroque foro indigent absolutione.

2 Secundo respondeo, quòd alij, qui fictè, & non ex animo dixerunt, vel fecerunt aliqua, vt haberentur pro hæreticis, licet verè non essent, indigent absolutione, & dispensatione, & facultate retinendi beneficia quo ad forum exterius & contentiosum: quia quo ad illud iudicandi sunt hæretici, excommunicati, irregulares, & ad beneficia inhabiles, ac si vero animo illa egissent: quia quo ad illud forum pro talibus habebuntur.

Tertio, quod etiam indigent dispensatione ab irregularitate, quæ ex notorio crimine nascitur eo modo, quo dicam ad secundam quæstionem.

3 AD SECVNDAM respondeo primò, prædictos corde Catholicos, sed verbis & operibus prædictis se simulantes notorios hæreticos, vel schismaticos, incurrere illam irregularitatem, quæ nascitur ex crimine notorio depositione digno quo ad forum contentiosum: quia quo ad illud diiudicandi sunt hæretici notorij.[b] Secundo, quod etiam quo ad forum interius incurrunt prædictam irregularitatem; quia licet verè, & quo ad illud forum non fuerint hæretici, admiserunt tamen grauissima peccata notoria profitendo se hæreticos, cùm tenerentur confiteri se Catholicos, etiam si oportuisset eos ob id mori, iuxta tradita per vtrumque Thomã,[c] Salua, &c.

b Arg. l. Labeo. §. idem Tubero. ff. de sup. leg. c. humanæ aures. 22. qu. 5. c 2. 2. q. 3. a. 2.

*SVMMARIVM.*

1 *Excommunicatio non incurritur ob solos externos actus hæreticos, vel schismaticos.*
2 *Excommunicatos & hæreticos etiam notorios, modo non sint denunciati, nec in diuinis tenemur vitare; immo ab eisdem, si sint sacerdotes, possumus sacramentum confessionis, & alia sacramenta recipere.*
3 *Communicare cum excommunicato in diuinis est peccatum mortale; in alijs, etiam si sit benedictio mensæ, non est nisi veniale.*
4 *Polluitur nequaquam nunc ecclesia per sepulturam excommunicati, vel hæretici etiam notorij, nisi fuerint denunciati pro excommunicatis, vel sint excommunicati per notoriam clerici percussionem: quia cui communicamus viuo, communicamus etiam mortuo.*
4 *Polluta in ecclesia per sepulturam excommunicati prohibemur quidem publica oratione orare, secus de priuata.*
5 *Negare etiam cum merito possum magistratui hæretico iniuste interroganti, me non fecisse nec audiuisse missam, modo subintelligam medificationem illam, videlicet, ad hoc vt tibi tenear manifestare.*
6 *Negare me Christianum, vel Catholicum numquam licet, at me talem confiteri non semper teneor, sed aliquando, puta cũ interrogor an sim Catholicus, vel cùm mea confessio est necessaria ad confirmandos alios Catholicos in fide.*
7 *Patriam propriam hæreticam, in qua sæuitur crudeliter contra Catholicos, non cogor deserere ob pericula & tentationes, quę mihi inde suggeruntur; modo firmiter proponam, quod eueniente casu necessitatis, Domino adiuuante fidem confitebor, nec eam negabo, licet firmiter nõ credam quod circa hoc numquam peccabo.*

## CONSILIVM X.

QVÆRITVR primo, an qui timore damni, vel spe lucri intersunt precibus hæreticorum, & schismaticorũ, etiamsi animo longissimè ab ijs absint, incurrant excommunicationem.

Secundo, an à sacerdotibus rite quidem ordinati, sed qui sunt notoriè hæretici, & schismatici, dictumque schisma tuẽtur, cùm tamen non sint denunciati, liceat in diuinis communicare, sacramentaliter confiteri, & alia sacramenta accipere.

Tertio, vtrum liceat aperto capite respondere hæretico, schismatico, aut excõmunicato benedicenti mensam, aut postea gratias reddenti.

Quarto, cum canonibus prohibitum sit orare in tẽplo, in quo excommunicatus sepultus sit; quæritur, an dicti canones se extendant ad hæreticos, vel sint intelligendi de nominatim excommunicatis, & de oratione publica, & non de priuata.

Quinto, an Catholicis liceat etiam cum iuramento negare iudici hæretico, vel ab hæreticis constituto interroganti, si sacrum fecerint, vel eidem interfuerint, intelligendo intra se, quod non, ita vt dicere teneantur.

Sexto, an Catholicus teneatur à patria hæretica patrimonium & propinquos deserẽdo fugere potius, quam in ea manendo exponere se periculo metu persecutoris abnegandi fidem.

1 AD PRIMAM respondeo, quod huiusmodi Catholici non incidunt in cẽsuras ob illos actus exteriores: quia nõ sunt verè schismatici, nec verè hæretici: & excommunicatio non contrahitur propter solum actum exteriorem hæreseos, vel schismatis, vt tradimus in Manu.[a]

a Ca. 27. nu. 55. & c. 11. nu. 22.

2 AD SECVNDAM respondeo, quod hæc quæstio videtur pendere ab illa generaliori, an teneamur vitare hæreticos, & schismaticos notorios, qui per consequentiam notorij iuris censentur excommunicati notorie? Ad quam respondeo primo eam esse grandem quæstionem, & à nemine, quod sciam, ante nos tractatam.

Secundo, quod illam trepidè tetigi olim in Manu.[b] & nuper paulo firmius, cum illud Latinitate donauimus, in eod.[c] & firmiter decidimus hoc anno in lib. de oratione, & horis canonicis,[d] vbi tenemus non esse vitandos; per rationem, quã[e] reddimus.

b Cap. 27. c Cap. nu. 35. d Cap. 21. e In dicto nu. 35.

Tertio, quod qua ratione non tenemur, vitare laicos hæreticos notorios, eadem non tenebimur vitare presbyteros, & alijs ordinibus initiatos; & consequenter iisdem casibus & modis possumus communicare in sacris cum ordinatis, de quibus est quæstio, in quibus cum Catholicis, quos scimus esse excommunicatos, si non sunt denunciati.

3 AD TERTIAM respondeo primo, quod non licet facere contenta in quæstione: quia vetamur communicare excommunicatis non solùm in diuinis officijs, sed in alijs omnibus humanis, quæ continentur in illo versiculo, *Os, orare, vale, communio, mensa negatur.* cuius partes declaramus post alios in Manu.[f]

f Cap. 27. nu. 20.

Secundo, quod qui predicta facit, peccat quidem: quia facit, quod ei non licet: & incurrit minorem excommunicationem,[g] sed non peccat mortaliter: quia regulariter communicans cum excommunicato venialiter tãtùm peccat, vt post alios tradimus in d. Manu.[h] Quãuis communicans in diuinis cum excommunicato audiendo Missam, & celebrando corã eo, vel orando cum eo oratione publica, siue officio diuino publico, peccaret mortaliter, vt tradimus ibidem.[i]

g Cap. nuper. de sen. excõ. h Ca. 27. nu. 28. i Num. 36.

4 AD QVARTAM respõdeo primo, quod sacris canonib⁹ nõ statuitur expressè, ne oretur in Ecclesia, in qua sepelitur excõmunicatus, sed ne talis Ecclesia cõsecretur, vel ne in ea

Missa

Missa dicatur,& corpus extumuletur,si à corporibus fideliũ separari possit,vt in c. *ecclesiam.1.ca. ecclesiam.2.*[a] & ca. *sacris*, de sepultur.& cap.*consuluisti.*[b] & capit.*ad hæc.*[c] & cle.1.[d] per quæ iura probatur execrari ecclesiam per illationem in eam, siue sepulturam,pagani,infidelis,vel excommunicati mortui, & ita non posse iustè in ea dici Missam:quia illa non est dicẽda in locis profanis,neque sacris execratis,siue profanatis. sed nullis talibus canonibus vetatur oratio priuata in tali Ecclesia facienda.

Secundo,quod ex hoc sequitur responsio ad illam partem quęstionis,qua quæritur de oratione priuata,videlicet , quod fieri potest in huiusmodi Ecclesia.

Tertio,quod maioris difficultatis est illa pars eiusdem quęstionis,quæ habet,an profanetur, vel execretur Ecclesia per sepulturam hæretici,qui est excommunicatus,sicut per sepulturã Christiani excõmunicati? Ad quã tamẽ videtur negatiuè respondendũ,tenẽdo quod supra dictum est,scilicet, hæreticum notorium non esse vitandum,donec denuncietur excõmunicatus.Ratio enim,quare per excommunicati sepulturã Ecclesia execretur,& Missa , ac alia officia diuina publica ibi non debeant fieri,est illa,quod cui non communicamus viuo non debemus communicare mortuo,vt habet prædictum c. *sacris*.& d.cap.*ad hæc*.quę ratio cum non habeat locum hodie per extrauagantem.*ad euitanda*.Martini V. nisi in excommunicatis denunciatis,vel notorio percussore clerici,vt tradimus in prædicto Man.[e]non habebit etiam locum in sepultura hęretici non denunciati pro excommunicato.

5 AD QVINTAM respondeo primo,quod interrogatus vt in quæstione dicitur, si respondet simpliciter se nescire,peccat;quia peierat,& mendacium iuratum profert.

Secundo,quod qui non iurat simpliciter,sed cum additione mentali interiori,quam tangit quæstio,non peccat, immo bene meretur,per ea,quæ latius tradimus in d.Ma.[f] & nuper in cap.*humanæ aures*.[g]

6 AD SEXTAM respondeo primo, illam esse magnã in theorica,& maximam in praxi.

Secundo , quod eius resolutio videtur colligenda ex his, quæ vterque Thomas dixit, [h]vbi definiunt non solum fidem Catholicam esse ad salutem necessariam,sed etiam confessionem illius;ita quod numquam licet alicui negare se esse Christianum,& aliquando esse de necessitate salutis confiteri se Christianum,per illud Pauli, [i]*Corde creditur ad iustitiam,ore autem confessio fit ad salutem;* quando scilicet pro loco & tempore illa confessio est necessaria ad gloriam & honorem Dei,vel ad vtilitatem proximi.

Tertio,quod licet ipsi non dicant expressè,ex eorum tamẽ dictis eadem ratione videtur inferri,quod numquã licet Catholico negare se Catholicum,& quod necesse est ei aliquãdo cõfiteri se Catholicum , puta cum interrogatur,an sit Catholicus,vel Lutheranus,aut Caluinista,vel cum eius confessio est necessaria ad confirmandos alios Catholicos, ne putãtes illum defecisse à fide Catholica, ipsi quoque deficiant ab ea.

Quarto , quod qui degit inter hæreticos , tenetur habere propositum numquam negandi se esse Catholicum , & aliquando,puta cùm id est necessarium ad gloriam Dei, vel ad vtilitatem proximi, confitendi se esse Catholicum.

7 Ex quo videtur colligi responsio ad quæstionem propositam,nempe,quod,qui degens in terra hæreticorum habet propositum seruandi tantam constantiam , vt ope diuina nũquam negabit se esse Catholicum,nec desinet confiteri se talem,quoties id fuerit necesse ad gloriam Dei, & vtilitatẽ proximi,non tenebitur inde exire,& aliàs sic.

Quinto,quod arbitror non teneri ad credendum firmiter quod numquam negabit,& quod semper cum fuerit necessarium confitebitur: sed sufficit , quod habeat propositum, quod ope diuina numquam negabit, & semper confitebitur, cùm necesse fuerit;sicut qui confitetur peccata sua non tenetur ad credendum quod numquam amplius peccabit mortaliter,sed sufficit,quod habeat propositum numquam amplius ope diuina ita peccandi , vt dicit Innocentius receptus,[k] quẽ in hoc citamus in Manu.[l] Salua,&c.

*Aduertendum,an responso ad secundam quæstionem obstet,quod D.Nauar.tradit in suo Man.cap.9 num.11.dum vult sacramentalẽ absolutionem datam ab eo qui notoriè titulo suæ iurisdictionis est priuatus,vt videntur esse hi de quibus in hac secunda quæstione,non tenere.Et videtur non obstare:sed id dicendum,quod quæstiones sint diuersæ.Sed an obstet id,quod scribit cap.26.num.26. pro ea autem quod dicit hic post nu.4.vide cons.sequ.& cons.12.*

a De consecr. dist.1. b De consecr. ecclesia. c De priuil. d De sepult. e Cap.27.nu. 35. f Cap.18.nu. 60. & 61. & in c.25.n. 43. g 22.qu.5. h In 2.2.q.3. art.2. i Ad Ro. 10. k In c. omnis. de pœnit. & remiss. l Cap.1.nu.9. & 13.

*SVMMARIVM.*

1 *Sepeliens hæreticum tunc demum excommunicationem incurrit,si talem esse hæreticum sciuit; sufficit tamen scientia ex fama.num.2.rumor autem,per quem suspicatur esse talem, non sufficit.num.4.sed nec est reseruata hæc excommunicatio.num.6.*

1 *Sciẽtia ex fama sufficit vt quis abstinere teneatur à prohibitis.*

2 *Scire est veritatem aliquo sensu perceptam mente retinere.*

3 *Scire quis non dicitur,ad effectum, vt teneatur denunciare id, quod probare non potest,nec ad effectum testificandi,si solum audiuit dici leuiter,& non à persona quæ diceret se scire.*

4 *Fama producitur non ex quolibet rumore,sed ex eo quod maior pars populi,vel vniuersitatis,vbi dicitur esse fama,id scit.*

5 *Præsumptio dolum & malitiam præsupponit.*

5 *Lex excommunicans facientes,regulariter consulentes non includit,nec permittentem fieri.*

## CONSILIVM XI.

AN SEPELIENS aliquem suspectum de hæresi per famam,in loco sacro,sit excommunicatus?

1 Respondeo primo , quod ad hoc,vt sepeliens hæreticum sit excommunicatus , oportet quod sciat illum esse hæreticum.[a]

Secundo,quod decisio huius quęstionis pendet à decisione illius,an fama sufficiat ad hoc,vt quis dicatur scire id , de quo est fama? & videtur textus pro parte affirmatiua singularissimus cap.*illud*.[b] quatenus habet,debere se pro excommunicato reputare,qui per famam nouit illud. & pro eadem parte est textus in cap.*cum desideres*.[c] quatenus habet, debere quem abstinere à cõmunicatione illius, quem fama publicat esse excommunicatum. faciunt & quædam alia,quę allegat quædam additio Panormitani,[d] ad probandum , sufficere famam ad hoc , vt quis teneatur abstinere ab aliqua re prohibita.

2 Pro parte autem negante facit primo , quod propriè non dicitur quis scire,quod per solam famam nouit : quia scire, est veritatem visu perceptam in mente retinere , vt ait glossa mihi singularis, [e]per visum autem in hoc proposito intelligẽdus omnis sensus,quod sensit Bartholus allegando illam glossam,[f]ab omnibus receptam,& tradimus nos latius in cap.*si quis autem*.[g]

3 Secundo , quod non dicitur quis scire quod non potest probare,ad hoc,quod teneatur denunciare illud propter edictum superioris iubentis denunciare,neque testificari de illo, quod non audiuit à persona , quæ diceret se scire,sed solum audiuit dici illud leuiter,vel à leuibus personis , & paucis , vt nos latius tradimus in repetitione cap.*inter verba*. [h] & præfatus D. consulens fortè audiuit leuiter , vel à leuibus,& non certo scientibus præfatum esse hæreticum.

4 Tertio,quod non quilibet rumor suspicantium,vel dicẽtium aliquem esse hæreticũ,producit famam: sed requiritur, quod maior pars populi,vel vniuersitatis , vbi dicitur esse fama,sciat illud,vt docet Bartholus communiter receptus , [i] & ex propositione huius quęstionis non colligitur quod erat fama sufficiens ad credendum illum esse hæreticum,sed solùm ad concipiendam aliquam suspicionem , propter quam non posset quis dici scire illum esse hæreticum ad negandum illi sepulturam.

5 Quarto etiam ponderari potest,quod præfatum cap.*quicunque*.excommunicans sepelientem,non excõmunicat simpliciter illud facientem,sed præsumentem sepelire:& ita pręsupponit dolum,& malitiam, per dictũ singulare Cardinalis communiter receptum,[k] & præfatus D.consulens non videtur fecisse hoc dolo,sed propter aliam causam : quia non erat certus,quod esset hæreticus. Addo, quod præd. cap.loquitur de sepeliẽte,& quod consulens non sepeliuit, sed solùm permisit,id est non obuiauit:& ita non videtur incurrisse excommunicationem:eo quod constitutio excommunicans facientem, non videtur excommunicare consulentem , nec mandantem,iuxta glossam,[l] & dicimus nos post Caietanũ in Mã.

a Cap quicũque.de hære. li.6.facit cle. 1.de sepult. b De sen. excommunic. minist. c De sententia excom. d In cap.cum contingat. de rescript. e In l.2.§.an tepenul.ff. de aqua pluuia arcend. f In l.2.col.2. ff. de interro. action. g Nu. 14 de pœnit.dist. 7. h Conclus. 6. n 290.& seq. i In l.de minore.§.tormenta.ff.de qu. 3. k In cle.1.qu. 39 .de priuil. l Cle.1. de cõsang.

cõfeſſ.[a] Per quæ omnia multum inclino in opinionem, quod præfatus D.conſulens non eſt excommunicatus. & veritas colligi poteſt ex his quæ dicta ſunt,& ex aliis circumſtantijs facti,quæ in quæſtione non exprimuntur.

6 Quinto dico,quod excommunicatio hæc non eſt reſeruata Papę per bullam Cœnę,neque per alia iura, ſicut excõmunicatio incurſa propter hęreſim;quia prefatum capi. *quicunque*.nec aliud ius reſeruat.

*Aduertendum an ad hoc vt ſcienter ſepeliens hæreticum incidat in excommunicationem, requiratur, vt talis fuerit nominatim publicatus pro hæretico. vt videtur inſinuare conſ.præcedenti poſt num.4.& negare conſ.ſequ.*

SVMMARIVM.

1 *Proximo communicare iure diuino,naturali,& humano licet, & iuuare,etiam ſi ſit peccator,nu. 3. niſi quando iuſta lege prohibemur.nu.10.*

2 *Communicare cum hæreticis in Germania, & Gallia; res honeſta & licita iudicatur, modo non ſint pro excommunicatis denunciati:quod etiã de alijs eſt dicendũ regionibus.n. 10.*

4 *Excommunicato iure quidem communi communicare non poſſumus,niſi in certis caſibus : attamen poſt extrauagantẽ ad euitãda. generaliter licet,modo non ſint denunciati.n.11.*

5 *Sepeliens hæreticum,vel excommunicatum ſcienter eſt excommunicatus,niſi illum iuſtus metus excuſet.num.9.*

6 *Funus hæretici hæreticorum more ſepeliendi, modo non ſit denunciatus pro excommunicato, qui ob amicitiam, vel quia rogatus ducit,à peccato, & excommunicatione incurrenda ratione communicationis excuſatur per extrauagantem ad euitãda.& à cenſura qua ligantur ſepelientes hæreticos;quia funus ducentes non dicuntur ſepelientes: ſimiliter & à cenſura lata contra fauentes hæreticis; quia non vt faueat hæreſi ſed ex cauſa amicitiæ, vel alia ſimili intereſt. ligaretur autem,ſi intereſſet animo fauendi hæreſi,aliàs non. n. 7. nec timor diſplicendi domino excuſaret,num.9. quod ſi comitetur talem in loco ſacro ſepeliendum,peccaret, ſic conſentiendo aliorum peccato volẽtium cum peccato hæreticum in loco ſacro ſepelire.num.8.*

9 *Metus quantumcunque iuſtus numquam excuſat violantem legem naturalem,vel diuinam,excuſat tamen à violatione legis humanæ & eius pœnis:at metus non iuſtus non excuſat nec à tranſgreſſione legis humanæ.*

12 *Hæretico domino iubenti,vt eius hæreticalibus feſtis claudantur officinæ,poſſunt,& ratione ſcandali vitandi tenentur parere ſubditi;modo per hanc,& alias ſimiles actiones, quæ de ſe non ſunt malæ,non intendant fauere eorumdem hæreticorum errori.*

CONSILIVM XII.

QVÆSITVM eſt primo,an liceat Catholicis, in partibus,vbi palam vigent hæreſes,ſi à propinquis defunctorum hęreticorum rogati ſint,eorum funus comitari,quando ipſi hæretici defuncti ad ſepulturam hæreticorum more deducuntur.

Secundo,an parere poſſint magiſtratibus hæreticis iubentibus,vt certis diebus,quos ipſi obſeruant,nec tamen ſunt feſti,ipſi Catholici claudant ſuas officinas,ſeu tabernas.

1 AD PRIOREM QVÆSTIONEM reſpondeo,quod pro eius parte affirmante facit primò, quòd lege naturali,diuina,& humana licet hominibus communicare cũ ſuis proximis propter cognationem,quam natura inter omnes homines induxit,[b] & iuxta illud,[c] *Diliges proximũ tuum, ſicut te ipſum*,[d]& iuxta illud principij Decreti. *Quod tibi non vis fieri,ne feceris alij*.& contra, *Quod tibi vis fieri,facito alij*.& quilibet homo vult,& videtur debere velle, vt proximi adiuuent eum ad ſepeliendum mortuos ſibi cognatos, & amicos: ergo quilibet debet adiuuare alios id ipſum volentes ſibi fieri.

2 Secundo,quod pro re licita & honeſta reputatur communiter in Germania, & Gallia etiã à viris pijs,& eruditis,vt Catholici communicent hæreticis,contrahendo, & conuerſando,licet ſciant eos eſſe excommunicatos,vt nos tetigimus in Man.confeſſ.[e] & latius in Miſc.[f] de oratione. non obſtante,quod multis canonibus vetetur nobis communicare excommunicatis:& certũ eſt hęreticos excommunicatos eſſe.[g]

3 Tertio facit cap. *duo iſta nomina*.[h]quatenus habet,omnem hominem peccatorem eſſe iuuandum ab homine, quatenus eſt homo;licet caſtigandus ſit,quatenus eſt peccator:& quod licet hæreticum extremè egentem paſcere, ſecundum omnes,cap. *paſce morientem:ſi non pauiſti,occidiſti*.[a]

a Cap.27.nu. 5.
b Le. vt vim coniuncta gl. ff.de iuſt. & iure.
c Matth. 22.
d Ca. caritas. 2. §. proximus de pœni. diſt.2.
e Cap.27.nu. 35.
f 47.
g Ca. excom. de hæret.
h 23.qu.4.

4 Pro parte autem negatiua facit primò,quòd non licet cõmunicare cum excommunicatis,[b] niſi in certis caſibus, [c] at omnes hæretici ſunt excommunicati.[d] etiam per can. 1. bullæ Cœnæ Domini.

Secundo facit,quod metus etiam iuſtus non videtur excuſare à peccato ſaltem veniali communicantem cum excommunicato.[e]

5 Tertio facit,quod ſepeliens hæreticum eſt excommunicatus,[f] & etiam ſepeliens excommunicatum ſcienter, [g] & hæretici ſunt excommunicati,vt prædictum eſt.

Quarto,quod non ſolum eſt peccatum hæreſim admittere,ſed etiam eam admittenti fauere, [h] & quod non ſolum hęretici ſunt excommunicati,ſed etiam fauentes eis per præfata iura:at qui iuuant ſepelire,vel comitantur ſepelientes, vel deducẽtes funus ad ſepeliendũ hæreticũ,videntur eis fauere: ergo id faciẽtes nõ ſolũ peccãt,ſed etiã ſunt excommunicati.

6 His pro vtraque parte conſideratis, videtur dicendũ primo,quod Catholici deducentes funus hæretici ad ſepulturã triplici ratione poſſunt videri alicui peccare, & incurrere excommunicationem,ſcilicet quod communicant hęreticis excommunicatis,& quia videntur ſepelire hæreticum, & quia videntur hæreticis fauere. Sed prima ratio non videtur concludere,niſi quando hæretici eſſent denunciati excommunicati, etiam ſi eſſent manifeſti & notorij hæretici,per ea,quæ nos tangimus vbi ſupra in Man.confeſſ. [i] & latius quam alij in d.Miſcel.[k] & cum nulli hęretici denuncientur in Germania excommunicati,non videtur hac ratione peccare Catholici deducentes in ea funus hęretici ad ſepeliendum. Neque ſecunda ratio concludit:quia deducentes non dicuntur verè ſepelire,ſi aliàs ipſimet non ſepeliant,iuxta doctrinam Cardinalis,[l] licet gloſſa & Ioannes Imolenſis videantur contradicere.quę Cardinalis, opinio efficaciter probatur per regulã, quam nos probamus in d.Mã.conf.[m] ſcilicet, quod excommunicatio contra facientem aliquid ſimpliciter,non includit mandantem,neque conſulentem,vel aliàs fictè facientem.& ita cle.1.ſupradicta, & alia iura lata cõtra ſepelientes nõ includũt ſolũ deducẽtes,vti pœnalia,& reſtringẽda.[n]Tertia verò ratio cõcludit,quod nõ ſolũ iure humano,ſed etiã naturali & diuino prohibemur fauere hæreticis;quia illud eſt fauere peccato,& cõſẽtire in eo,cõtra Apoſtolũ,[o]& alia innumera iura.

7 Secundo dicendũ,quod ille ſolus dicitur cõtrauenire canonibus vetãtib' fauere hæreticis,qui fauet eis eo reſpectu,& ratione quòd ſunt hæretici,& non alij,qui fauent eis alijs reſpectibus,per ea quæ nos adducimus in d.Manu.[p]

Tertio,quod ex his infertur non videri peccare deducentes funus hæretici non denunciati pro excommunicato ad ſepulturam profanam ſolo affectu humanitatis,ſine intentione fauendi hæreticis,quatenus ſunt hæretici. Tũ quia nõ cõmunicant excommunicato denunciato,neque ſepeliunt eum in loco ſacro,ſed faciunt actum per ſe licitum,qui poteſt licitè fieri alio reſpectu humanitatis naturalis, vel cognationis, vel locationis operæ:& ita non cenſentur fautores hæreſeos, vel hæreticorum, per prædicta. Tũ quia ſicut licitè poſſunt eum comitari,vel deducere viuum ad alia opera per ſe licita, & communicare ipſi edendo, bibendo & contrahendo ſine intentione fauendi ei ob hæreſim,ſic poſſent etiam communicare illi mortuo,deducẽdo eum ad ſepulturam profanam, quod eſt per ſe licitum.

8 Quarto,quod etiam infertur ex prædictis, Catholicos deducentes & comitantes funus hæretici ad ſepeliendũ eum in loco ſacro peccare,nõ quidem eo quod communicant excommunicatis,neque quia ſepeliũt hęreticum,ſed quia conſentiunt peccato hæreticorum,quod peccant eum ſepeliendo,& volendo ſepelire in loco ſacro,iuxta cap. *eccleſiam*, [q] & cap.2.primo reſponſ. [r]& qui conſentit peccato peccat, [s]præſertim cum conſentit cooperando,iuxta gloſſam & communem opinionem receptam,[t] quamuis non videtur incurrere excommunicationem,ſi ipſi non ſepeliunt, iuxta opinionem ſupradictam Cardinalis.[v]

Quinto,inferri ex eiſdem,quod etiam peccant prædicti Catholici deducentes funus prædictum, etſi deducant illud in ſepulturam profanam animo fauendi hæreticis, quatenus ſunt hæretici:non quidem eo quod communicent excommunicatis, neque eo quod comitentur ad ſepeliendum in loco ſacro : peccant tamen & incurrunt excommunicationem,

a 86.diſt.
b Cap.excommunicato. 2. qu.3.cũ multis alijs.
c Cap.quoniã eadem cauſ. & qu.
d Cap excommunicamus. de hæretic.
e Cap.ſacris. de ijs quæ vi.
f Cap.2.1.reſponſ de hæretic.lib.6.
g Clemen. 1. de ſepult.
h Ca.excommunicamus. §. credentes. de hæret. & præfat.can. 1. bullæ Cœnæ.
i Ca.27.n.45.
k 47.
l In cle.1. qu. 25.de ſepult.
m Ca.27.nu. 51.
n Cap.pœna. de pœnit.d.1.
o Capit.1. ad Rom.
p Ca.27.n.52.
q De conſec. diſt.1.
r De hæretic. lib.6.
s Ca.1.ad Rõ. & c.1.de officio deleg.
v neodẽ.c.1. Qu.25.

tionem,eo quod faueat hereticis,quatenus sunt heretici,cõtra canones excommunicantes eorum fautores,de quibus est cap.*excommunicamus*.[a]

9 Sexto,quòd solus timor displicẽdi hereticis,alioquin cognatis,vel amicis,vel vicinis,vel dominis, vel subditis, non excusat à peccato mortali, si deducant, vel comitentur animo fauendi hereticis viuis,vel mortuis. Tum per cap.*sacris*.[b] Tũ quia propter nullum timorem,etiam iustum, licet violare legem naturalem,vel diuinam,iuxta c.*quo iure*.[c]& c.*ita ne*.& c. *tolerabilius est*.[d] quę probant toleranda esse potius omnia mala,quam peccato consentire. Tum quia timor si nõ est iustus, non excusat,[e]& si est iustus,licet quãdoque excuset à peccato violationis legis humanę, numquam tamen excusat à violatione legis naturalis,& diuinę,per præfata iura, & per c. fin.cum ei adnotatis[f]& fauere hæreticis, quatenus sunt tales,omni iure vetitum est,vt prędiximus:& ita quãuis timor iustus excusare posset à peccato communicandi excommunicatis,& etiam comitandi deducentes ad sepeliendùm etiam denunciatum hæreticum,& fortè in loco sacro, quia iure tãtùm humano prohiberi videtur:non tamen potest excusare à peccato,quod incurritur fauendo hæreticis, quatenus tales sunt:quia id iure naturali & diuino est peccatum.

10 Ad opposita pro vtraque parte,quatenus cõtra prædicta faciunt,responderi potest. Ad primum quidem pro parte affirmãte formatum,cõcedẽdo, quod quilibet Catholic⁹ potest regulariter communicare proximo suo , immo & frequenter obligatur id facere: sed fallit hoc , quãdo iusta lege id ei prohibetur , quale est excommunicato denunciato communicare, & hereticum sepelire in loco sacro & fauere verbis, vel factis heretico quatenus est hereticus , per supra citata.

Ad secundum etiam pro eadem parte adductum respondetur, concedẽdo , quod licitum est non solùm in Germania & Gallia,sed etiam vbique gentium communicare excommunicatis non denunciatis pro excõmunicatis post extrauagantem *ad euitãda*.fideliter relatam à nobis in prefato Manu. confess.[g] & quia fere nulli heretici denunciantur excommunicati in Germania, & Gallia,ideo licet eis communicare, vt nouissimè monstrauimus in dicto Miscel.[h]

Ad tertium verò respondetur, concedẽdo omnem hominem iuuãdum esse ab homine regulariter;sed id fallere, quãdo iusta lege vetatur,vt cũ iussu iusti iudicis trahitur ad supplicium.[i]

11 Ad primum autem pro parte negante adductum conceditur nõ licere communicare excommunicato iure antiquo, sed sic nouo extrauagantis præfatæ , si nondum est denunciatus.

Ad secundum pro eadem parte adductum respondetur, concedendo timorem vanum non excusare à peccato,neque iustum regulariter à peccato cõtraueniendi legi naturali,vel diuinæ,sed sic communiter à peccato contraueniẽdi legi humanæ,vt dicitur in 6.dicto.

Ad tertium respondetur, negando deducentes funus hæretici ad sepeliẽdum dici sepultores,nisi sepeliant ipsimet , vt probatur in primo dicto.

Ad quartum autem pro eadem parte adductum respõdetur,concedendo non licere fauere hæretico, quatenus est talis,sed sic alio respectu,quatenus est ęgrotus morti proximus vel indiget extremè cibo,aut vestitu,vt dictum est in primo dicto : & nos in nostro responso negamus quidem licere deducere funus hæretici animo fauendi ei, quatenus est hæreticus;sed confitemur licere fauere ipsi alio respectu;& ita nihil obstat argumentum.

12 AD POSTERIOREM respondeo affirmatiuè, scilicet , quod Catholici terrarum , in quibus hæretici & alij perfidi imperant,& iurisdictionem exercent,possunt claudere officinas suas,in quibus operantur,iubente id principe , vel magistratu hæretico,vel alio infidele , qui eam exercet , diebus festis ab hæreticis,vel infidelibus institutis ; modo id non faciant animo fauendi hæreticis,vel alijs infidelium ritibus ab Ecclesia Christiana damnatis. Tum qui claudere præfatas officinas per se non est illicitum,sed opus indifferens, quod fine bono bene fieri potest , & fine malo male, iuxta latè notata per S.Thom.[k] Tum quia iustè parere possunt Catholici prępositis & magistratibus infidelibus huiusmodi opera indifferentia iubentibus, cap.13.[a]

Tũ quia in toto orbe à nato Christo ad hunc vsq; diẽ hoc fecerunt Catholici,etiã eruditissimi & piẽtissimi,iuxta , Apostolũ.[b] Tũ quia vetitũ est Christianis,ne prębeãt scãdala,quã do ea possunt absq; peccato vitare,iuxta Euãgelium,[c] & tradit S.Thomas receptus:[d] & constat posse Catholicos vitare scandala,quæ orirentur ex resistentia , & inobedientia , non claudendo officinas sine incursione peccati , modo eas claudant hoc bono fine non consentiendo ritibus infidelium dãnatis,sine animo eis fauendi,& fauendi erroribus eorum, qui ea iubent,vt in casu proposito præsupponitur eas claudere.

*SVMMARIVM.*

1 *Excommunicatum à iure vel ab homine generaliter hodie vitare nõ tenemur,nisi sit denunciatus,vel notorius clerici percussor.num.2.*

3 *Excommunicato denunciato communicans principaliter in ijs, quæ spectant ad eius salutem,nec minorem incurrit excommunicationem.etiamsi aliqua alia addat extranea, ea tamẽ intentione,& magis principaliter vt iuuet.*

5 *Inquisitores,& hæreticorum iudices tunc demum accipientes à reis pecunias sunt excommunicati si accipiant illas pretextu officij.secus si alio respectu , vt si accepissent pro responso, seu consilio , quod tamquam aduocati pro illis scripsissent. & num.4.*

## CONSILIVM XIII.

IVRIS peritus,qui & Vicarius Episcopi erat ; pro constituta in carcere hæresis causa accepto pretio informationẽ scripsit.

Queritur,an mittens copiam informationis , vel scribens ad eam epistolam,in qua monita salutis,& alia ad vrbanitatẽ pertinentia continebantur,vel etiam propter pecunias vltro oblatas,& acceptas,censeatur præfatus consultor & Vicarius excommunicatus.

Respõdeo primo,prefatum consultorem nullas incurrisse censuras,eo quod prędictam epistolam scripserit ad prędictã nobilem in carcere detentam.

1 Primo quidem,quod nemo tenetur hodie ad vitandum excommunicatum à iure,vel ab homine generaliter,antequã denuncietur,per extrauagantem *ad euitanda*.quam nos quoque post alios referimus,[e] de pœnit dist.6.& in Manu.conf.[f] & prædicta nobilis vel nullatenus est excommunicata,vel nõ saltem nisi generaliter à iure.

2 Secundo , quod non obstat dicere, quod finis prædictę extrauagantis habet non iuuare ad vitandos excommunicatos notoriè.Tum quia id restringendum est ad excommunicatum,excommunicatione. c. *si quis suadente*.[g] vt vbi supra in Mã.probamus.Tum quia adeo predicta nobilis nõ est excõmunicata propter hæresim notoriã , quod est dubium adhuc an inciderit in illam,vt ex facto proponitur.

3 Tertio,quod non incurrit quis vllam excommunicationem,etiam minorem,communicando excommunicato etiam denunciato,in eis quę pertinent ad salutem animę,licet etiam aliqua alia incidenter,vt magis proficiat, interposuerit.[h] At prefatus consultor in prædicta epistola prędictam nobilem principaliter alloquitur in pertinentibus ad suę animę salutẽ, licet etiam quędam alia de vrbanitate adiecerit; ergo nullam censuram etiam minoris excommunicationis incurrit.

4 Quarto,quod prędictus consultor non incurrit etiam vllam censuram ob prędictas pecunias acceptas,si non erat iudex causę;quia licitum est iurisperito pro consilio ab se dato accipere pecuniam,[i] prȩsertim vlto absque vlla exactione oblationis,& cum consilium datur cum reuolutione librorum, vt colligitur ex glossa & scribentibus in d.cap.*non liceat*.

5 Immo nec si erat iudex:quia cle.2.§.1.de heret.quę excõmunicat Inquisitores,& iudices hereticorum accipientes pecuniam,solum excommunicat eos,qui accipiunt eam pretextu officij Inquisitionis,non autem eos,qui accipiunt alio respectu,etiamsi accipiant illicitè, vt contextus illius habet expresse,& declarat glossa,[k] & Cardinalis.[l] At præfatus consultor non accepit illud pretextu officij,& eo quod esset vicarius & iudex,sed prætextu consilij à se redditi & tãquam consultor : & ideo licet fortè peccauerit accipiendo plus pecuniæ, quàm debebat accipere ; vel quia cùm esset iudex causæ, non

a §. credentes de hæret.
b De iis quæ vi.
c 8.dist.
d 32.qu.5.
e L.eg.metum ff. quod met. caus.
f De consuet.
g Cap. 27. n. 35.
h 47.de orat.
i Arg.ca.non est crudelis. 23.qu.5.
k 1.2.qu. 18.

a Ad Rom.& ca. non semper.& ca.93. resistit.11.q.
b Dict.ca.13 ad Rom.
c Ca.18.Ma. & ca.nihil.de prescri.& ca. 2. de operis nouinũciat.
d 2.2 qu. 43.
e In c.1.§. laboret.
f Ca.27.n.35.
g 17.qu.4.
h Cap.cũ voluntate. vbi gl.ss. & omnes de sen.ex comm.
i Cap.non liceat.11.qu. 3.
k In ver. pretextu.
l Notab.1.

non debebat esse consultor, vel alia ratione accepit, quã prætextu sui officij, vt in facto proponitur, non incurrit illam excommunicationem. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Suspectus de hæresi censetur, qui per annum in excommunicatione manet.*

2 *Suspectum de hæresi si iudex ab Episcopo inquirente rogatus capere, vel captum eidem tradere dissimulet, vel carcerarius aufugere scienter permittat, in foro exteriori de iure incidunt in excommunicationem non reseruatam, & per bullam Cœnæ in reseruatam: quia præsumuntur heretici fautores. num.3. à qua tamen bullæ excommunicatione excusantur coram Deo, si prædicta omiserint, & fecerint ob aliam causam, quam fauendi hæresi, puta, ob amicitiam, paupertatem, cognationem, compaßionem, vel ne superioris indignationem incurrerent.*

## CONSILIVM XIV.

1 QVIDAM Gubernator, requisitus ab Episcopo, vt caperet quemdam, qui mansit excommunicatus per annum, tamquam suspectum de hæresi, distulit eum capere, ne præiudicium iurisdictionis Regiæ faceret: & postea captum distulit illum tradere Episcopo eadem de causa, donec à Iurisconsulto consilium acciperet: & rursus consilio accepto declarauit extraiudicialiter se paratum ad tradendum. sed non tradidit, nec illum animum curiæ episcopali notificauit, & interim captus sine alia ipsius Gubernatoris culpa de consensu tamen carcerarij aufugit.

Queritur, an Gubernator & carcerarius præfati sint excõmunicati, & casu quo sint, quali excommunicatione.

Quia illa, propter quę maneo inclusus domi, & quasi aqua & igni interdictus, non permittunt in alia vagari, nihil profecto ad hoc quæsitum respondissem, nisi me tanta iubentis auctoritas coëgisset, cuius imperio in id adactus paucis & breuibus respondeo.

2 Primo, præfatos ambos Gubernatorem & carcerarium censendos esse in foro exteriori excommunicatos per cap. *vt inquisitionis.*[a] Gubernatorem, quidem, quia iudicandus est nõ fuisse vsus officio suo diligenter ac promptè, vt debuit: Carcerarium autem quia fugæ ipsius contra officij sui debitum consensit.

Secundo, quod excommunicatio pręfati cap. *vt inquisitionis.* non est reseruata Papæ, & ideo ratione illius non essent ipsi pro absolutione remittendi ad Papam.

3 Tertio, quod etiam ambo videntur iudicandi in eodem foro exteriori excommunicati per can. 1. bullæ Cœnę Domini: quia de iure in illo foro videtur præsumendum præfata omisisse, & fecisse, vt fauerent præfato capto suspecto de hæresi, ne ob eam puniretur: & constat per præfatum can. 1. prędictæ bullæ Cœnæ fautores hæreticorum excommunicari, quæ excommunicatio reseruata est Papæ, vt aliæ illius bullæ: & consequenter remittendi sunt in illo foro quo ad eã Papæ.

4 Quarto, quod si verè coram Deo præfatus Gubernator omisit implere mandata tam diligẽter, & promptè, ac debuit, propter causas, quas exprimit, & non animo fauendi pręfato capto, quatenus erat de hæresi suspectus; & si nec carcerarius eius fugę consensit, ne puniretur de hæresi, sed ob aliã causam miserationis, paupertatis, cognationis, vel amicitiæ; neuter eorum videtur in foro conscientiæ incurrisse excommunicationem præfatæ bullę per ea quę nos post Caietanum adnotauimus in Manu. confess.[b] Salua, &c.

a §. *prohibemus. de hære. lib. 6.*

b *Ca. 27. nu. 55. super can. 7 præfatæ bullæ.*

SVMMARIVM.

1 *Hyperbolica locutio, per quam falsum aliquod videtur dici, non est communiter peccatum.*

2 *Membrorum suorum nemo dominus est: vnde nec testis potest se obligare, etiam in causa hæresis, ad pœnam ignis, vel aliam corporalem, si eius dictum reperiatur falsum.*

## CONSILIVM XV.

VTRVM testis, qui iuratus, & interrogatus de coniecto in carcerem pro hæresi ab Inquisitore, quid sentiebat de ipsius fidelitate; respondit, adeo credo eum esse fidelem, quod sum contentus comburi, si ipse inueniatur hæreticus; quod dixit per modum exaggerationis: Vtrum inquam peccauerit, & possit puniri ab Inquisitore, si coniectus in carcerẽ probetur hæreticus?

1 Respondeo primo, quod dici potest consulentem nullatenus peccasse: quia, dicere aliquod falsum per hyperbolen, vel aliam figuratiuam locutionem, non est mendacium, nec peccatum, vt tradit S. Thomas post D. Augustinum[a] & probatur per illud Dauidis[b] *Ionatas, & Saul aquilis velociores, & leonibus fortiores*, & per alia multa sacræ scripturę loca.

Secundo, quod esto peccasset, non tamen peccasset peccatum hæreseos: quia non est contra sacram scripturam, nec contra determinationem Ecclesię S. Romanæ vt palam est.

2 Tertio, quod non posset puniri ab Inquisitore, propterea quod se obligauit ad pœnam ignis. casu quo ille vinctus probaretur hæreticus. Tum quia non se obligauit ex animo vero, sed hyperbolico, & figuratiuo. Tum quia nemo potest se obligare ad pœnam ignis, & combustionis, vel mortis, nec mutilationis membri, iuxta glossam,[c] quia non est dominus membrorum suorum.[d]

a *In 2. 2. q. 111 art. 1.*

b *1. Reg. c. 10.*

c *In c. cum homo. in verbo supplicii. 23. qu. 5.*

d *L. e. liber homo. ff. ad legẽ Aquil. c. contingit. de sent. excom. &c.*

SVMMARIVM.

1 *Abiuratio nec de leui, nec de vehementi inducit irregularitatẽ: quo si simul ob aliqua grauißima peccata condemnetur ad triremes, maxime si iubeatur inter condemnatos ob hæresim exire cum candela in manibus, erit difficile ab irregularitate excusare.*

2 *Pœnitentia publica, quam abiurans de vehementi facit, portãdo iuxta præceptum Inquisitoris candelam in manibus, non est solemnis inducens irregularitatem.*

3 *Condemnatus de grauißimo aliquo delicto, & ob id fustigatus, vel ad triremes ad tempus transmissus, censebitur irregularis in foro exteriori: Quod si coram Deo sit innocens, erit in foro conscientiæ liber ab irregularitate; & poterit, vbi non timet de foro exteriori, ordines suscipere, & celebrare.*

## CONSILIVM XVI.

ABIVRAVIT quidam hęresim de leui, & fortasse de vehementi; & quia vi tormentorum, vel testibus falsis probatur commisisse grauissima peccata, quod coram Deo non ita est, condemnatus est à sancto officio Inquisitionis, vt exiret cum candela in manu, & damnatus est ad triremes, in quibus remigauit per aliquod tempus. Quæritur, an sit irregularis, ita vt non possit ordinari sine dispensatione.

1 Dixi verbo, quod mihi videbatur responsum domini mei doctissimi esse firmum, quatenus habet per solam abiurationem de leui non incurri vllam irregularitatem, immo neque per abiurationem de vehementi: quod exercitum fuit in quodam prælato, qui abiurauit de vehementi, & sequenti die sine vlla dispensatione celebrauit Missam cum approbatione & laude Papę, & totius Curię, & rectè. quoniam nullo iure id probari potest: & irregularitas non incurritur, nisi in casibus à iure expressis.

2 Dixi etiam firmissimum esse responsum præfati domini Doctoris, quatenus habet, pœnitentiam, quam D. consulens fecit, non fuisse pœnitentiam, quam iura vocãt solemnem, quæ inducit irregularitatem: & quod pœnitentia, eo quòd sit publicè facta, non inducit talem irregularitatem. Dixi prǽterea, præfatum D. consulentem non esse irregularẽ quo ad forum conscientię, si vera sunt coram Deo, quę ipse affirmat: quo ad forum autem exterius remitto me ad ea quę sanctissimus Dominus noster, aut sacrum Inquisitionis prętorium super eo in suis literis mãdat Inquisitoribus Sardinię.

3 Dixi postremo, non audere me affirmare, quod in foro exteriori non sit iudicãdus irregularis, & habeatur pro tali, & remigatio imposita sibi videatur ęquipollere ictui fustium, adiuncta pręsertim, & pręcedente eductione ipsius in coronam condemnatorum tenendo candelam in manu. Itaque in eadem sum nunc sententia, scilicet posse ipsum ordinari rectè quo ad forum conscientię, & ordinatum quo ad illud posse rectè celebrare, sed posse ipsum inquietari quo ad forum exterius; & si precibus vel fauore posset esse securus quo ad forum exterius, satis fore securum quo ad interius. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus fuisse non probatur is, cui consitenti se imaginem*

*percussisse, Inquisitor indixit abiurationem de leui, & pœnam triremium.*

2 *Triremium pœna inflicta ei, qui de leui abiurauit hæresim, videri potest aliquibus, quod inducat infamiam iuris, vel facti, impedientem promotionem.*

## CONSILIVM XVII.

CONFESSVS est quidam percussisse quamdam imaginem sacram timore tormentorum, & condemnatus publicè per Inquisitionem ad abiurandum de leui, & ad triremes, vt seruiret in eis duobus annis, compleuit præcepta. Quæritur, an possit promoueri ad ordines sine dispensatione Papæ.

1 Respondeo primò, quod non obstat ei hæresis obiecta: quia non fuit probata, neque inquisitor declarauit ipsum incurrisse illam, sed solùm indixit illi purgationem, quam præstitit iuxta cap. *accusatus.* [a]

2 Secundo, quod condemnatio illa ad triremes facta, & completa per eum videri potest alicui induxisse infamiam facti, vel iuris, quæ impedit promotionem iuxta cap. *tanti Daniel.* [b] & quod ictus fustium videtur inducere infamiam, [c] præsertim in foro exteriori.

*Cætera vide in consil. 16. superius posito de hæret.*

a De hæret. lib. 6.

b 83. dist. & c. omnipotens. de accusat.

c l. ictus fustium. ff. de his qui not. infa.

### SVMMARIVM.

1 *Abiurare est recedere ab aliqua re cum iuramento de non redeundo ad illam.*

2 *Confessus, vel conuictus de hæresi, fit inhabilis ad beneficia, & officia publica, & perdit omnia sua bona, & iura.*

3 *Purgatio canonica est de obiecto crimine innocentiæ ostensio.*

3 *Abiuratio etiam de vehementi, est quædam purgatio canonica, qua ostendit se innocentium.*

4 *Absolutus etiam mediante abiuratione ab hæresi obiecta habetur pro innocente, & dignus beneficijs, vt antea.*

5 *Absolutus per abiurationem etiam de vehementi non manet inhabilis.*

6 *Abiuratio duplex: altera, qua quem pœnitet hæreseos incursæ: altera, qua de ea suspectus se purgat, qui pro hæresi non punitur, licet quandoque ei imponatur aliqua pœnitentia pro ijs quæ fecit, ex quibus orta est suspicio. Primus remanet inhabilis ad officia, & beneficia; secundus non, & potest eligi vt prius. num. 3.*

## CONSILIVM XVIII.

TITIVS religiosus vixit per multos annos in sua religione, & fuit semper habitus apud omnes vir probatissimæ vitæ, vnde fuit multoties Abbas, & Visitator, & tandem Generalis suæ religionis. Annis elapsis fuit denunciatus apud sanctum Officium, quod in iuuentute sua legerit quemdam librum suspectum. Post multa abiurauit de leui suspicione. Quæritur, an de iure communi hæc abiuratio de leui reddat eum inhabilem ad gradus, & dignitates suæ religionis.

1 Pro parte affirmante huius quæstionis, nempe quod non possit eligi, facit primò, quod quidquid dicat turba scribentiū de abiuratione, veritas est, quod propriè abiurare, secundum significationem, qua canones vtuntur *est recedere ab aliqua re cum iuramento de non redeundo ad illam,* & sic sumitur in cap. *accepta.* & in ca. *audita.* de rest. spoliat. & in ca. *super hoc.* [d] Nec arbitror esse vllum textum in volumine Decretalium, in quo verbum hoc aliter accipiatur: quamuis in cap. *accusatus.* [e] videatur accipi prò negante cum iuramento, & detestante hæresim. & consequenter abiuratio hæresum propriè est *recessio ab hæresi cum iuramento de non redeundo ad illam.* Nec obstat ca. *literas.* [f] quia ibi non fuit iussum, vt is, contra quem habebatur vehemens suspicio de hæresi, abiuraret hæresim, sed tantùm vt se purgaret de illa. Neque etiam obstat dict. cap. *inter.* [g] in cuius casu videtur præceptum fuisse illi, qui erat tantum suspectus de hæresi, & non confessus, neque conuictus, abiurare illam: quia non fuit iussus abiurare hæresim, sed conuersationem hæreticorum, quam prius habuerat, & ob quam erat suspectus.

2 At D. consulens adiurauit hæresim: ergo confessus fuit illam, vel conuictus de illa. Igitur non potest obtinere vllum beneficium, nec publicum officium, [h] neque habere aliqua bona, immo perdit ipso iure omnia iura, & bona, iuxta cap. *vergentis.* [i] & capit. *cum secundum.* [k] per quæ id affirmat Felinus. [l]

d De renunc. & in c. ad abolendam. de hæretic. & in ca. inter. de purgat. canō.

e De hæretic. lib. 6.

f De præsum.

g De purgat. canonic.

h Cap. 2. §. hæretici. de hæretic. lib. 6.

i De hæretic.

k Eod. tit.

l In cap. cum nō liceat.

A Secundo, quod non prodest dicere D. consulenti, quod modo illam abiurauit: quoniam licet per abiurationem excusetur, ne tradatur potestati sæculari puniendus, non tamen mundatur ab inhabilitate, qua factus fuit inhabilis ad beneficia & officia per hæresim abiuratam: quia illa non tollitur per pœnitentiam, per iura supra citata, & scribit latius Felinus, [a] vbi regulam illam, quod infidelitas præcedens non nocet conuerso ad obtinenda beneficia, limitat non procedere in hæresi, seu hæretico conuerso.

Tertio, quod etiam abiurans de leui dicitur abiurare hæresim, [b] ergo etiam abiuratio de leui præsupponit incursam fuisse hæresim.

B Quarto, quod abiuranti hæresim solet frequenter imponi pœna suspensionis, vt probat præfatum cap. *inter.* [c] Et fieri potest, vt præfato D. consulenti fuerit imposita pœna suspensionis, cum abiurauit de leui.

3 His tamen non obstantibus, quæ verè non obstant, contrarium est dicendum. Primo quidem, quod purgatio canonica, per quam quis de hæresi, vel alio crimine se purgat, est secundum Raymundum & Gofredum, & alios communiter, de obiecto crimine innocentiæ ostensio, & probatur ex cap. *ex tuarum.* & cap. *inter.* [d] Itaque purgare se de crimine per iuramentum, vel per aliquid à iudice decretum, est ostendere se innocentem. Et qui se canonicè purgauit iuxta formam sibi præscriptam, absoluitur, & habetur pro innocente,

C & pro tali, qui non commisit crimen, cuius fuit accusatus.

Secundo, quod abiuratio de leui immo & de vehementi, est quædam purgatio canonica, vt colligitur ex cap. *accusatus.* [e] Et per consequens absolutus per abiurationem de leui est habendus pro tali, qui non commisit crimen, cuius fuit accusatus; & consequenter pro tali, cui non nocet crimen sibi impositum, nec per consequens vlla inhabilitas, quæ ex eo nasci possit.

4 Tertio, quod purganti se per abiurationem, etiam ob tam grandem suspicionem, propter quam fuit indicta ei purgatio cum decimaquarta manu sui ordinis, debet restitui beneficium: & est casus singularis in præcitato cap. *inter.* [f] &

D non alia ratione, quam quia absolutus de crimine sibi obiecto, etiam mediante abiuratione, habetur pro innocente, & digno beneficio, quo erat dignus antequam accusaretur.

5 Quarto, quod nullus est textus, neque glossa, neque doctor, qui dicat, quod absolutus per abiurationem de leui, immo neque per abiurationem de vehementi, maneat inhabilis ad aliquid, ad quod ante accusationem fuit habilis; nisi iudex, qui indixit abiurationem, vel purgationem, imposuisset illi aliquam talem pœnam pœnitentialem propter ea, quæ fecit, vel dixit, ex quibus orta fuit contra illum suspicio. quod sola illa ratione dicere omiserunt dicti canones, glossæ & doctores, quia contrarium erat clarum, cum absolutus à crimine habeatur pro innocente. [g] At D. consulenti non fuit adiecta

E vlla pœnitentia pœnalis, per quam remaneret inhabilis: ergo potest eligi, perinde, ac si numquam fuisset accusatus.

6 Quinto, quod duplex est abiuratio, secundum omnes. Altera, quam cogitur facere hæreticus pœnitens hæreseos à se admissæ iam confessæ, vel probatæ, vt misericordiam consequatur, & ne ad mortem tradatur, iuxta cap. 1. [h] & cap. *ego Berengarius.* [i] & cap. *ad abolendam.* §. præsenti. de hæret. Altera, qua suspectus de hęresi se purgat, & monstrat innocentē, iuxta formam à iudice decretam, de qua in d. cap. *ad abolendam.* [k] per quam non receditur ab hæresi incursa, nec ponitur vlla pœnitentia de hæresi, quæ non fuit confessa, neque

F probata, sed solùm fit ostensio innocentiæ contra suspicionem aliquo modo ortam, & si qua pœna pœnitentialis imponitur, ea non infligitur ob hæresim, quæ non fuit probata, neque confessa, sed ob ea, quæ minus bene fecit, vel dixit, ex quibus illa suspicio processit. Et, vt certum est, quod priore modo abiurans remanet inhabilis ad beneficia, & officia, donec fiat habilis, per adducta in oppositum, quia constat fuisse hæreticum: ita certissimum est, quod per hunc posteriorem nulla talis inhabilitas incurritur, cum nulla hæresis sit confessa, vel probata, immo per abiurationem est omnis suspicio sublata, & declaratur esse fidelis, & Catholicus.

Non obstant supra in oppositum adducta: quia solum sibi vendicant locum in hæretico confesso, vel conuicto de hæresi, qui abiurat, vt pœnitens recedendo ab hæresi iam incursa confessa, vel probata: nostra verò responsio habet locum

a In c. eam te de rescript. vers. infidelitas.

b Cap. accusatus. in principio de hæretic. lib. 6.

c De purgat. canonic.

d De purgat. cano. & c. ad abolēdam. §. qui vero. de hæretic.

e In principio de hæretic. li. 6.

f De purgat. cano.

g Argu. c. in his. de accusationib. cum ei adnotatis.

h 1. quæst. 7.

i De consecr. dist. 2.

k §. qui vero. & ca. accusatus. in prin. eo. tit. lib. 6.

in eo, qui abiurat purgando se à suspicione hæreseos contra eum aliquo modo suborta, qui nullatenus confitetur illam incurrisse, nec de ea conuincitur, immo id omnino negat, & ad innocentiam suam probandam præstat purgationem canonicam per abiurationem iuxta formam à iudice decretam. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1. *Abiuratio hæresis propria, per quam quis recedit ab hæresi, inhabilitat ad habenda beneficia, & priuat ipso iure habitis; impropria autem, quæ est purgatio, non.*
2. *Bulla Pij V. beneficiorum ob hæresim vacantium resignationes annullans non habet locum in eo, qui solum per viam purgationis hæresim abiurauit.*

## CONSILIVM XIX.

AN bulla Pij V. quæ annullat resignationes beneficiorum vacantium ob hæresim, habeat locum in beneficio eius, qui abiurauit hæresim?

1 Respondeo primò, quod nimis generaliter quæritur, ad hoc, vt categoricè possit ei responderi. Abiuratio enim (vt in proximè præcedenti responso dicimus, quidquid turba doctorum inuoluat) propria, de qua iura omnia loquutur in Decreto & Decretalibus est *recessio ab hæresi cum iuramento de non redeundo ad eam; per quam qui abiurat confitetur se in eam incidisse:* quamuis in cap. *accusatus.*[a] ponatur pro purgatione, qua inquisitus cum iuramento se purgat, negando se in illam incidisse, & detestatur eam, & promittit se numquam illam incursurum: & ita per hanc abiurationem non probatur inquisitum vmquam fuisse hæreticum, nec fautorem eorumdem credentem: per priorem autem propriam sic.

Secundo, quod qui abiurauit secundum posteriorem acceptionem, non desinit esse idoneus beneficio, & potest eligi, vt nos vbi supra respondimus, qui autem abiurauit priore modo, quia confitetur se fuisse hæreticum, est inhabilis beneficio habendo, & priuatus ipso iure habito, per cap. 2.[b] & cap. *cum secundum.*[c]

2 Tertio, credere me præfatam bullam fel. recor. Pij V. non esse intelligendam ita, vt comprehendat beneficia eius, qui abiurauit hæresim per viam purgationis, de quo loquitur præfatum cap. *accusatus.* quin etiam puto, eum, qui possidet beneficium, posse allegare se non teneri ad standum confessioni, & abiurationi, nec sententiæ contra inquisitum latæ: quia res inter alios acta, &c.[d] Salua, &c.

a De hære. li. 6. in princ.

b De hæret. li 6.

c Eod. tit.

d Tit. Co. res inter alios.

*SVMMARIVM.*

1. *Hæreticorum bona ad fiscum sæcularem loci, cui subditi sunt, pertinere, iure antiquo Decretalium concessum videtur: sed per alia iura recentiora extrauagantium, Ecclesia, quod & potuit, num. 2. derogans dictis iuribus antiquioribus aliter statuit, num. 3. apprehensionem autem debet præcedere declaratoria. num. 4. & hoc etiamsi constet de ipsa hæresi notorie. num. 7. quia defensio, quæ citationem prærequirit, est de iure naturæ. num. 6. & hac tanto magis requiri videtur, quando bona hæreticorum ad alios peruenissent, antequam contra hæreticos esset pronunciatum. numer. 8. multi tamen tenent in notorijs non esse necessariam declarationem. num. 5.*

## CONSILIVM XX.

1 AD propositas quæstiones respondeo, & quidem ad primam, quod semper in hunc diem fui in illa opinione, quod bona confiscata ob hæresim pertinent ad fiscum Sedis Apostolicæ, si ea sunt sita in terris suæ iurisdictioni temporali subiectis; & in alijs pertinent ad fiscos Regum, & aliorum non recognoscentium superiorem, sæculares, in quorum territorijs sunt sita, per cap. *vergentis.*[e] & cap. *cum secundum leges*[f] quatenus habet, non posse capi illa à potestate sæculari, donec eorum domini declarentur esse hæretici per sententiam potestatis ecclesiasticæ; significans à contrario sensu, illa pertinere ad eam post declarationem. & hoc tenet glossa,[g] & Panormitanus, Anannias & communis,[h] vbi Felinus respondet Mariano contrarium significanti. præsertim cum is, cuius bona confiscantur, est laicus.[i]

Semper, inquam, fui in hac opinione per prædicta, & aliquot alia: maximè verò quod in regnis, quæ colui, non memini vmquam vidisse contrarium seruari. Gallia enim, quo tempore in illa iura didici & docui, tantum erat ab hæresi aliena; vt sanctum Inquisitionis officium esset fere otiosum; & nullum memini audisse Tolosæ, & Catursij, in quibus sunt insignes academiæ, vmquam fuisse damnatum hæreseos, neque accusatum, vel inquisitum: in regnis autem Hispaniæ, Castellæ, Nauarræ, & Lusitaniæ, in quibus magnam copiam accusatorum, & inquisitorum vidi, omnia bona confiscata cedebant Regibus eorum, sicut & hodie cedunt.

e De heretic.

f Eod. tit. lib. 6.

g In cle. 1. de haret. verb. ecclesia.

h In dicto ca. vergentis.

i Arg. ca. nouit. de iudic, & ca. cum ad verum 96. d.

2 Nunc autem responsurus ad hanc quæstionem euolui multos auctores, quorum nomenclatura, ne sim fastidio, tacita, videtur iure verius quod ea pertinent ad fiscum Ecclesiæ; & quod Marianus, quem probat Felinus vbi supra, loquitur verius: ea primum ratione, quod crimen hæreseos est merè ecclesiasticum, cuius cognitio nullatenus pertinet ad vllum Regem, nec aliam potestatem sæcularem,[a] & consequenter sola potestas ecclesiastica poterit, & potest de illo cognoscere, iudicare, & pœnam condemnato imponere,[b] & consequenter sola Sedes Apostolica potuit pœnam confiscationis præfatæ imponere, & applicare cui iustum esset.

3 At, vt testantur multi graues auctores, præsertim Itali, & in his ipsemet Felinus præfatus,[c] multas & varias cõstitutiones, quæ non sunt in corpore iuris fecerunt Pontifices Maximi de applicatione bonorum ob hæresim confiscandorum, aliter atque aliter statuentes, & quod derogauerunt præfatis cap. *vergentis.* & cap. *cum secundum.* quarum aliquas etiam ipsi legimus, nullas tamen, quæ expresse derogarent illis. ergo posterioribus est standum,[d] cum qui fert vnam legem, possit eam tollere, mutare, minuere, & augere; nec vllus legislator successori suo æqua potestate fungenti legem ponere possit,[e] præsertim quod nullo iure in corpore iuris clauso saltem expresse constituatur, vt bona ob hæresim cõfiscata extra regnum Papæ sita cedant fisco illius. cumque circa hoc multæ volitent opiniones: cumque licet rigorosa illa confiscatio, qua vtitur bona pars Hispaniæ, priuandi filios & filias legitimis suis, & nurus & generos dotibus, & donationibus propter nuptias, etiam acceptis longè ante accusationem, & damnationem, aliqua ex parte profuerit illorum regnorum Christianismo, alia tamen induxit magnum odium erga illum, & magnam occasionem vt multi recens conuersi, & eorum posteri in infidelium regna migrarent.

4 AD SECVNDAM respondetur, quod sententia declaratoria debet præcedere apprehensionem, & occupationem, secundum omnes, saltem extra casus notorios, per capit. *cum secundum.*[f] quod id exprimit, & tenetur ab omnibus.

5 AD TERTIAM, an sufficiat crimen esse notorium, ad hoc, vt sine alia sententia super illo lata, bona eorum occupari possint, respondeo quod pro parte affirmante facit, quod in notorijs ordo iuris non est seruandus,[g] & quod euidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris,[h] & quod perinde est abstinendum ab audiendo Missam sacerdotis fornicarij notorij, ac declarati per sententiam pro tali,[i] & quod in confesso nullæ sunt partes iudicis,[k] quia per confessionem res fit notoria,[l] & quod extrauagans *ad euitandam.* Martini V. & postea sæpius renouata per Concil. Lateranense,[m] & in statutis Gallicanis, & concordatis inter Leonem X. & Regem Franciscum,[n] æquiparat notorium excommunicatum non declaratum excommunicato declarato: & denique quod Felinus[o] dicit, in specie declarationem, quam requirit d. cap. *cum secundum.* non esse necessariam in notorijs, allegando in id duo pulchra dicta Panormitani vltra quę allegari potest conclusio communis, quę habet non esse necessariam citationem, quando constat nullam defensionem competere citando, iuxta cap. *cum olim.*[p] & alia citata ibi per Panormitanum & Felinum, & in ca. cum causam. de rescript.

6 Pro parte negante facit primo, quod etiam in notorijs requiritur citatio, iuxta glossam,[q] quæ ad id allegat cap. *Deus omnipotens.*[r] citatio enim pertinet ad defensionem, & defensio debetur iure naturali, quæ à nullo principe tolli potest, vt habet expresse clem. *pastoralis.*[s] quæ annihilauit quamdam sententiam Federici Imperatoris propter defectum citationis, & concessionis facultatis ad se defendendum, dicens eam iure naturali fuisse debitam, nec potuisse per Imperatorem

a Cap. vt inquisitionis. §. prohibemus. de hæretic. li. 6.

b Argu. l. de qua re. ff. de iudic. & c. tuã de ord. cogni. & c. nouit. de iudic.

c In cap. cum nobis n. 12. de præscriptio.

d Cap. 1. de cõstit. lib. 6.

e Cap. innotuit. de elect.

f De hæreti. lib. 6.

g Cap. ad nostram. 3. de iureiur.

h Cap. euidentia. de accus.

i Cap fin. de cohab. cle. & mul.

k Le. proinde ff. ad leg. Aquil.

l Dict. ca. fin. & cap. vlt. de tempor. ordi.

m Sess 11.

n Tit. de excõ. non vitan.

o In c. Rodulphus. nu. 37.

p De re iud. non vitan.

q In c. ad nostram. 3. de iureiuran.

r 2. qu. 1.

s §. caterum. de re indic.

suppleri.

ſuppleri. ob quæ gloſſa Ioannis Monachi ſingulariter & copiosè probat non poſſe Papam procedere ſine citatione.[a]

Secundo, quod etiam in notorijs requiritur ſententia, ſecundum eamdem gloſſam, & gloſſam in cap. *euidentia.*[b] & eſt melior gloſſa in d. extrauagante 1. quæ habet neceſſariam eſſe ſententiam iudicis, vel præceptum, quod illi æquipolleat: & in caſu propoſito nulla ſententia eſt data, nec præceptum, quod illi æquipolleat.

Tertio, quod eſt caſus irrefragabiliter probans hanc partem in d. cap. *cum ſecundum.*[c] quatenus vniuerſaliter ſtatuit ne fiat apprehenſio bonorum, donec per iudicem eccleſiaſticum declaretur hæreticus; per quod omnes dicunt declarationem eſſe neceſſariam.

7 Per hæc pro vtraque parte adducta, videtur reddi quæſtio hæc difficilis, & cuius vtraque pars diſputando defendi poſſet: ſed ad conſulendum in præſenti caſu pro parte affirmante inclinor, per adducta ſupra pro ea. Tum quod non occurrit modus adeo iuridicus defendendi Catholicos communicantes cum hæreticis notorijs Germaniæ, & Galliæ, à peccato; & excommunicatione, ac tenendo quod non tenemur vitare notorios excommunicatos, antequam denuncientur eſſe tales, vt diximus in Manual. confeſſ.[d] & latius in Enchirid. de oratione,[e] & Miſcel.[f]

8 Tum quia videntur eſſe mortui hæretici, quorum bona maritus oratricis cepit, antequam denunciarentur, & quidquam contra eos pronunciaretur. Tum quia credo, dictum prædictum Felini,[g] numquam fuiſſe praxi mandatum. Tum quod videtur ſecum pugnare, dum ait non eſſe locum d. cap. *cum ſecundum.* cum factum eſt adeo notorium, quod nulla eſt opus declaratione: præſupponit enim poſſe dari notorium, in quo eſt opus declaratione, non reddita ratione cur non ſit idem dicendum de omnibus notorijs. Salua, &c.

*Aduertendum magis communem eſſe, vt in notorijs apprehenſio bonorum ipſo iure confiſcatorum poſſit fieri etiam ante declarationem. Boſſius. Quomodo procedendum ſit in crimine notorio. num. 16.*

a In extrauag. 1. de dolo & contum.
b De accuſa.
c De hæret. lib. 6.
d Ca. 27. nu. 35.
e Ca. 22. n. 5.
f 47. in nouo.
g In d. c. Rodulphus.

### SVMMARIVM.

1 *Hæreticus iudicatur, qui cauſa fidei vocatus à iudice, & ob contumaciam excommunicatus, ſic manet per annum.*

2 *Excommunicatus ex quacumque cauſa iudicatur ſuſpectus de hæreſi, & poteſt contra eum procedi, ſi per annum manſerit excommunicatus, etiam ſi non ſit declaratus excommunicatus. num. 3.*

4 *Religioſus non eſt, & poteſt iuſtè eiici filius Iudæi, contra conſtitutionem ſui ordinis à Sede Apoſtolica confirmatam, & obſeruari iuſſam, ad habitum & profeſſionem admiſſus.*

## CONSILIVM XXI.

QVID iuris de illo monacho, qui fecit aliquē exenterari contra extrauagantem 1.[h] & poſtea monitus ab aliquibus, vt ſe faceret abſolui, non curauit, ſed acceptauit electionem, qua fuit electus, & eam nunc regit poſt lapſos duos annos à tempore exenterationis, & eſt filius Iudæi?

1 Reſpondeo primo, quod poteſt procedi contra eum tamquam ſuſpectum de hæreſi, per cap. vlt.[i] & per notata in cap. *cum contumacia.*[k]

2 Quia licet ad hoc, vt excommunicatus per annum ſit iudicandus hæreticus, iuxta præfatum cap. *cum contumacia.* requiratur vt vocetur à iudice cauſa fidei, & excommunicetur tamquam contumax, & maneat in excommunicatione per annum; ad hoc tamen, quod poſſit procedi contra aliquem, tamquam contra ſuſpectum de hæreſi, ſufficit vt maneat excommunicatus per annum; ex quacumque cauſa excommunicetur, etiam ſi illa non tangat fidem, vt reſoluit Panormitanus communiter receptus,[l] & Francus.[m]

3 Nec videtur obſtare, quod non fuit denunciatus, & declaratus excommunicatus, & ita non erat vitandus per extrauagantem *ad euitanda.* relatam à nobis in Manual. confeſſ.[n] quia extrauagans illa nihil prodeſt excommunicatis, ſed tantùm communicantibus cum illis, vt ipſiuſmet finis monet.

4 Secundo, quod ſi Prælatus præfatus eſſet in Hiſpania, multum augeretur contra eum ſuſpicio de hæreſi ex eo, quod pater eius fuit Iudæus.

Tertio, quod non ſolum ipſe poteſt priuari religione, & eiici ab ea, ſed etiam eſt ipſo iure priuatus, & numquam fuit verè religioſus, ſi conſtitutio ſui ordinis eſt vera, & à Sancta Sede Apoſtolica confirmata, & iuſſa ſeruari; quod tamen ipſe ignoro.

h De ſepul. inter commun.
i De pœnis.
k De hæret. li. 6.
l In d. c. vlt. de pœnis.
m In d. c. cum contumacia.
n Cap. 27. n. 35.

### SVMMARIVM.

1 *Iudæorum filij, & deſcendentes etiam per lineam maternam vſque ad quartam generationem (quibuſdam ſcilicet in partibus) particulari decreto Pauli IIII. & Gregorij XIII. fuerunt ab ordinibus prohibiti; & hoc, etiamſi nullus illorum poſt conuerſionem in errorem ſit lapſus: etſi de æquitate nati ex talibus ſponte conuerſis non ſint repellendi. num. 4. Idem etiam dicitur de deſcendentibus ex Saracenis, ſeu Mauris. num. 3. ad fin. & num. 5. repelluntúrque ab officio prædicandi. num. 7.*

1 *Hæreticorum etiam per lineam fœmininam deſcendentes (quibuſdam ſcilicet in locis) vſque ad quartam generationem excluduntur ab ordinibus: ſed hoc intellige de deſcendentibus ex hæreticis condemnatis tantum. num. 2. & 3.*

1 *Infidelitas præcedens baptiſma nemini nocet, nec quo ad promotionem, niſi quo ad reuertentes ab hæreſi, vel nouiter conuerſos.*

2 *Legis æque apte duos recipientis intellectus, benignior & mitior eſt accipiendus. fallit, quando verba aliqua non obiter, ſed cum myſterio poſita nihil operarentur. num. 3.*

2 *Hæreſis omnium infidelitatum peßima: & qui ad Iudaiſmum reuertuntur, magni ſunt hæretici. num. 3.*

3 *Repetitio frequens eiuſdem verbi in aliqua diſpoſitione myſterium aliquod denotat.*

6 *Electionem, ſeu promotionem faciendam, defectus ſemiplena impedit probatio: at ad promotum, ſiue electum, & confirmatum deiiciendum plena requiritur probatio: vt etiam in matrimonio contrahendo. & contracto diſtingui ſolet.*

7 *Legis innouatio antiquæ non receptæ operatur, vt nunc non poßit dici non recepta, niſi ſint lapſi anni decem à die innouationis, licet contrarium poßit diſputando teneri.*

## CONSILIVM XXII.

1 AD primam multarum quæſtionum, quæ habet, an prohibitio de qua in breui fel. re. Pauli IIII. confirmata per Gregorium XIII. qua certis in locis prohibetur, vt nullus, qui à Iudæis, ſeu hæreticis, quorum parentes & progenitores paterni ſeu materni viuentes ſeu defuncti vſque ad quartam generationem incluſiuè hæretici fuere declarati, &c. ad ſacros ordines promoueantur, &c. includat non ſolum deſcendentes hæreticorum damnatorum, &c. ſed etiam deſcendentes à Iudæis vſque ad præfatam quartam generationem, etiam ſi præfati Iudæi primo conuerſi, & filij & nepotes eorum inuiolabiliter fidem Orthodoxam ſeruauerint?

Reſpondetur, quod pro parte negante facit primo, quod iure communi infidelitas præcedens baptiſmum minimè nocet, vt eſt in cap. *eam te.*[a] ibi, *Pro eo vero quod Iudæus extiterit, cum dedignari non debet.* vnde Felinus ibi colligit pro regula, quod infidelitas præcedens in promotionibus non nocet, niſi fuerit hæreſis, vel conuerſio recens. & ita præfata prohibitio Pauli IIII. exorbitat à iure communi, & conſequenter eſt reſtringenda.[b]

2 Secundo, quod cum lex apte recipit duos intellectus, benignior & mitior eſt acceptandus.[c] At præfata prohibitio poteſt duobus modis apte intelligi. priori quidem modo, vt relatiuum, *quorum*, ſequens verbum, *Iudæi*, ſeu *Hæretici*, referat vtrumque: poſteriori vero, vt ſolum referat verbum, *Hæretici*, tantùm. & intelligendo priori modo reſtringit verbum, *Iudæi*, ſicut verbum, *Hæretici*. intelligendo autem ſecundo modo, ſolum reſtringit verbum, *Hæretici*. Ergo accipiendus eſt prior intellectus, qui eſt benignior, & ſecundum illum non includuntur deſcendentes à Iudæis, niſi parentes eorum deliquerint.

Tertio, quod omnium infidelitatum peſſima eſt hæreſis, vt docet S. Thomas receptus,[d] & ſecundum menſuram delicti debet eſſe plagarum modus,[e] ergo non debet puniri magis Iudaiſmus, quàm hæreſis. Cum ergo hæreticorum filij non inhabilitantur ad ordinem præfatum vſque ad quartam generationem, niſi parentes eorum fuerint damnati, & ipſi, vel ſtatuæ, vel oſſa eorum combuſta; à fortiori filij Iudæorum, qui minus deliquerunt, non videntur inhabiles, niſi

a De reſcrip.
b Cap. quæ à iure. de regu. iur. lib. 6.
c Leg. benignius. ff. de legibus.
d 2. 2. q. 10. a. 6.
e Deuteron. 6. & c. non afferamus. 24. q. 1.

*exiſtens continuo ſuo ſuperiori renuit obedire, non eſt talis. nu. 4. qui ſine licentia exit monaſterium, abſque tamen animo non reuertendi, non eſt talis. & nu. 5. & 7. & hoc etiam ſi habitum deſerat, vageturque, ſitque fugitiuus. nu. 6. & 8. nec qui ſuam deſinit vt aliam etiam laxiorem etiam ſine licentia intret ſi illam ingrediatur, etiam ſi ſint mendicantes ad non mendicantes, erit apoſtata. nu. 5. & 6. & multo minus ſi petita licentia ad arctiorem, vel ad quamcumque aliam ex obtenta ſe transfert: ſicut nec qui transfertur ad epiſcopatum, vel in aliqua eccleſia perpetuo inſtituitur, per quam inſtitutionem deſinit eſſe clauſtralis ſui monaſterij. n. 8. & hoc, modo dicta tranſlatio ſit vel ſaltem credatur iuſta. nu. 14. ſicut nec is, qui petita, licet non obtenta licētia, exit, vt ſubueniat parentum neceſſitati, in qua ante illius erant profeſſionem, vel ea à Generali ſeu Prouinciali petita & obtenta inſeruit parentibus, qui poſt illius profeſſionem in neceſſitatem inciderunt. num. 8.*

8 *Tranſlatus ad epiſcopatum, item & aliam eccleſiam, ſi de ea perpetuo intituletur, deſinit eſſe ſui monaſterij monachus clauſtralis: & hoc modo dicta tranſlatio ſit legitima. nu. 14.*

8 *Parentum neceſſitas præbet iuſtam cauſam monacho, vt poſſit ſtare extra monaſterium; ita tamen, vt præcedens profeſſionem requirat ſolam licentiæ petitionem, ſequens autem requirat etiam conceſſionem, quam tamen facere poteſt Generalis, & Prouincialis ordinis.*

8 *Monaſterium egrediens ſine licentia, ſed ſtatim reuerſurus, non peccat mortaliter propter exiguitatem materiæ.*

9 *Intellectus bullæ Pauli IIII. contra apoſtatas, & Pij V. & quod ligant ſolos veros apoſtatas. num. 9. & 14. ſed nec bulla Pij V. in conſcientia ligat iuſte tranſlatos, nec cum iuſta licentia ſtantes extra monaſterium. num. 13.*

10 *Lex aliam interpretans iuxta terminos interpretatæ intelligenda.*

11 *Dubia pars vna copulatiuæ per aliam declaratur eiuſdem copulatiuæ partem.*

12 *Intellectus, ex quo ſequitur abſurdum, euitandus.*

13 *Reductio alicuius conſtitutionis ad viam iuris quid operetur.*

## CONSILIVM I.

AN dici poſſint apoſtatę omnes infraſcripti indifferenter, ſcilicet: Primo, qui ex quauis cauſa exierunt è congregatione eorum, & ſteterunt foris cum habitu, vel ſine habitu: & an in hoc ſit differentia inter eos, qui diu extra commorati ſunt, & qui breui temporis ſpatio?

Secundo, an qui vigore breuium Pœnitentiariæ, ſeu aliàs à ſummis Pontificibus impetratorum foris ſteterunt?

Tertio, an qui ex licentia ſuorum ſuperiorum, ſeu aliàs quouis modo extra clauſtra vixerunt?

Quarto, an comprehendantur etiam illi, qui cum profeſſionem emiſerint in monaſterijs obſeruantiæ congregationis, poſtea obtinuerunt beneficia ordinis in titulum, ſeu ad vitam, & poſtmodum vigore bullarum fel. re. Pauli IIII. & Pij V. ad clauſtra reuocati fuerunt.

Quinto, ſi aliqui prædictorum ante publicationem dictarum bullarum ad clauſtra redierint, an nihilominus cenſeātur in eiſdem bullis, & earum determinationibus comprehenſi?

1 Reſpondeo primum, has quæſtiones eſſe nimis generaliter propoſitas, quam vt ſpecialiter & categoricè ad eas ita reſponderi poſſit, vt caſibus ſub eis contentis plenè ſatisfiat, niſi iuſto in id libello compoſito, & non ſtudio tumultuario, ſed ſerio & maturo adhibito, cuius adhibendi otium nobis modo deeſt. Sed & vt ægro animo, tam grandi quæſtioni, tam leuiter propoſitæ, eam breuem & leuem reſponſionem præbeamus, facit quòd S. Thomas,[a] dixit, ſermones morales vniuerſales minus eſſe vtiles, eo quod actiones in particularibus ſunt: ante quem Iuriſconſultus dixit, omnem definitionem generalem eſſe in iure periculoſam.[b]

*a In prin. 2. 2.*
*b Leg. omnis. definitio. ff. de reg. iur.*

2 Adeo quod vix vlla regula abſque aliqua exceptione inueniatur, iuxta l. 1.[c] etiam ſi verbis vniuerſalibus affirmatiuis, vel negatiuis concipiatur; excepta illa de qua in cap. *licet.* ſub finē,[d] vna enim circūſtantiola addita, vel adempta facto frequenter variat ius, quod oritur ex eo,[e] & ob id Imperatores Valerianus & Galienus cuidā petenti nimis generale reſponſum reſponderūt.[f] *Vt reſponſum congruum accipere poſſis, inſere pacti exemplū.* vnde neceſſe eſt prius dicere, quis ſit apoſtata à religione, quā reſpōdeatur, an infraſcripti ſint apoſtatæ ab ea.

*c ff. de re. iur.*
*d De regular.*
*e L. ſi ex plagis. § in cliuo. ff. ad legem Aquiliam.*
*f In l. vt reſponſum. C. de tranſact.*

3 Tum quia cùm triplex ſit apoſtaſia iuxta gloſſam ſolemnem & receptam,[a] ſcilicet à fide, ab obedientia, & ab ordine, vel religione, cuius dictum tertium declarat S. Thomas,[b] & omnes noſtri in ea cōmentantes: in prædicta tamen quæſtione petitur, an infraſcripti ſint apoſtatæ, perinde ac ſi ſola vna ſpecies apoſtaſiæ inueniretur, cùm tamen etiam tertia diuidatur in apoſtaſiam ab ordine clericali, & in apoſtaſiam à religione, vt prædicta gloſſa inſinuat, & probant ſex capp. poſita in dicto tit. de apoſtatis, quorum aliqua de apoſtatis ab ordine clericali, & aliqua de apoſtatis à regula monachali agunt.

*a Cap. 1. de apoſta.*
*b In 2. 2. qu. 12. art. 1.*

Secundo, quod ex conſulentium perſonis, & quęſtionum ſequentium materia, videtur intelligenda prima tantum de apoſtaſia à religione, & regula monachali: ideoque neceſſum eſt de illa tantum loqui.

4 Tertio, quod licet omnis apoſtaſia ab obedientia, ſeu pręceptis obediendi, dicatur apoſtaſia, ſumpta generaliter illa voce, vt prædicta gloſſa 1. S. Thomas & communis declarāt: quia generaliter ſumpta ſignificat omnem retroceſſionem, & retractationem, ſiue deſertionem muneris, vt Goffredo[c] latinius videtur dictum, per l. *deſertorem.*[d] non tamen dicitur apoſtaſia à religione, accipiendo verbum hoc ſtrictè in ea ſignificatione, in qua accipitur in titulo de apoſtatis, & in alijs iuribus punientibus apoſtatas. Requiritur enim primò, quod ſit criminoſa, & mortiferè mala, vt erudite dixit Caietanus,[e] inferens ex hoc, quod retroceſſio à clericatu & minoribus ordinibus non eſt apoſtaſia ab ordine, de qua in prædicto tit. agitur. Immo nec ſufficit, quod ſit criminoſa, & mortifere mala, qualis eſt inobedientia, qua monachus intra monaſterium exiſtens continuè renuit obedire iuſti pręlati pręceptis, etiam ſi violaret votum ſubſtantiale caſtitatis: licet enim tamquam inobediens & impudicus poſſit caſtigari, non tamen tamquam apoſtata, ſecundum omnium mentem, quam vbi ſupra Caietanus declarat. Immo nec ſufficit, quod exeat monaſterium ſine licētia prælati, abſque tamen animo deſerendi religionem.

*c In ſumma num. 1.*
*d ff. de re milit.*
*e In d. art. 1.*

5 Vnde receſſio ab aliquo monaſterio alicuius religionis ſine licentia prælati, cùm animo tamen intrandi aliam religionem, etiam laxiorem, ſi intret illam, nō dicitur apoſtaſia: quia licet ſit receſſio ab illo aut illo monaſterio, & ab illo ordine, non tamen eſt receſſio à religione: & ita non incidit in pœnas apoſtatarum, iuxta determinationem Innocentij,[f] vbi clarius loquitur, & communiter recipitur, & etiam à præd. Caietano declaratur. Immo nec omnis retroceſſio, per quam non ſolum peccatur mortaliter, ſed etiam incurritur excommunicatio maior, ſufficit ad conſtituendam illam apoſtaſiam, de qua loquimur.

*f In c. ſi. de renunciat. in ca. intelleximus. de ætat. & qualit.*

6 Per deſertionem enim temerariam habitus religionis fit retroceſſio mortifera, & excommunicatione ipſo iure punita,[g] non tamen illa omnis eſt apoſtaſia, de qua loquimur: quia non illa, quæ fit cum animo eum cito reſumendi, ſine animo religionem deſerendi, nec vmquam id vllus eruditus dixit: etiam ſi dimiſſio habitus fieret ad liberius fornicandum, cum animo tamen ſtatim reſumendi eum. pro quo facit extrauagans Nicolai V. per quam vbi ſupra dixit Caieta. quod mendicantes tranſeuntes ad non mendicantes ſunt excommunicati ob tranſitum, non tamen dicuntur apoſtatæ, cuius extrauagantis initium eſt, Viam. & ponitur in titulo de regular.[h]

*g Ca. 2. ne cl. vel monach. lib. 6.*
*h Inter communes.*

7 Addo, quod non ſufficit exitus à monaſterio inconſulto prælato, etiam cauſa vagandi, & ſine intētione intrandi aliam religionem modo non habeat intentionem deſerendi eam, vt prædictus Caietanus ſingulariter determinat in hæc verba: *Religioſum cum habitu ſine licentia & alterius obedientia manere dupliciter contingit: Eo animo, & intentione, vt religioſus amplius non ſit, & talis eſt verus apoſtata; nec excuſatur ab apoſtaſia, & cenſuris annexis, ex hoc, quod deſert habitum, ſed tenetur ad omnia, ad quæ tenentur apoſtatæ ſine habitu. Secundo contingit, quod non recedat, nec vagetur extra animo retrocedendi à religione, ſed propter prælatorum forte rigorem, aut propter libidinem vagandi, aut aliquid huiuſmodi; & talis non eſt apoſtata, ſed fugitiuus, & vagus. Et quod hoc ſit verum, patet ex hoc, quod apoſtata conſiſtit in retroceſſione à religione: ac per hoc, qui retroceſſioni à religione numquam conſenſit, numquam apoſtaſiam incurrit, quamuis incurrat peccatū inobedientiæ, & rebellionis contra præceptū prælati exeundo: ſicut etiā ſtans in clauſtro, & nolens pertinaciter obedire prælato aliquid iuſtè præcipienti, rebellis eſt, non apoſtata.* Hęc ille.

8 Quarto principaliter dico, ex prædictis colligi, quòd apostata à religione dicitur religiosus expresse, vel tacite professus, qui deserit religionem, quam professus est, sine transitu ad aliam, cum animo non reuertendi ad suam, cui consequens est, non omnem religiosum fugitiuum esse apostatam: omnis enim, qui exit monasterium sine licentia superioris, & siue omisso, siue retento habitu vagatur, vel se celat, ne inueniatur, est fugitiuus, vt Ioannes Andreas quem Panormitanus & communis sequitur, [a] determinat, & probatur per l. *quis sit fugitiuus.* [b] attamen non omnis talis est apostata per prædicta. Consequens item est, nullum religiosum, qui transit ad arctiorem religionem, petita, licet non obtenta licentia superioris, esse apostatam: quia eius transitio non est retrocessio criminalis, siue mortifera, per d. cap. *licet.* [c] Consequitur item eadem ratione, nullum translatum ad aliam religionem, vel alium locum, mediante dispensatione legitima, esse apostatam, vt prædicta extrauagans, *viam:* [d] sub finem probat, nec consequenter qui est translatus ad episcopatum, iuxta clem. I. [e] & cap. *statutum.* [f] nec institutum perpetuo in aliqua Ecclesia, qui desinit esse claustralis, iuxta glossam singularem & memorabilem, [g] neque qui auctoritate sui Generalis, vel Prouincialis exiit, & degit extra monasterium, subueniendo necessitati parentum, in quam post eius professionem inciderunt, iuxta doctrinam D. Thomæ, [h] relatam à nobis in comm. 3. de regular. [i] & in Manu. confess. [k] & minus si ante professionem eius erant tanta necessitate oppressi: quia tunc etiam nolente superiore tenetur exire, & subuenire, si potest, secundum eumdem S. Doctorem, vt ibidem diximus. Neque illum, qui per aliquot paucos passus sine licentia prælati egreditur monasterium statim reuersurus: quia non videtur egressus ille mortifer, cum exiguitas in omni materia excuset à mortali culpa, iuxta S. Thomam, [l] & aliis locis, quem nos citamus in Man. confess. [m]

9 Quinto, quod ex prædictis præsuppositis infertur solutio primæ quæstionis adeo generaliter propositæ, & etiam (salua saniori sententia) intellectus iuridicus bullæ Pauli IIII. & Pij V. Infertur enim, quod nullus fit apostata per aliquem actum, qui nō sit peccatum mortiferum, neque per omnem, qui sit mortifer, sed solùm per illum, per quem fit apostata à religione: & consequenter, quod pœnæ bullarum non fuerunt incursæ, saltem quo ad Deum, & forum conscientiæ, nisi per eos, qui exierunt monasteria & religiones per exitum mortiferum, neque per omnes, qui per talem exitum mortiferum exierunt: quia prædictæ bullæ non induxerunt pœnas, nisi contra apostatas à religione, vt colligitur ex earum proœmiis, & verbis, *apostata, & apostasia,* decies repetitis in bulla Pauli, & aliquoties in bulla Pij V.

10 Quæ solùm est intelligenda de his, quos comprehendit bulla Pauli, quippe quæ interpretatur illam; & lex interpretans aliam, intelligenda est de comprehensis in ea, [n] & glossa singularis secundum Cardinalem. [o]

Non obstat, quod Paulus includit in sua bulla omnes, & singulos, qui post professionem per eos in ætate legitima constitutos in aliquo approbato, etiam militari ordine, purè & liberè emissam, temeritate propria, aut quouis prætextu, aut causa, extra claustra suorum regularium locorum degunt, aut in posterum degent.

11 Tum quia debet intelligi de prætextu & causa illicitis: quoniam vna pars copulatiuæ dubia declaratur per alteram partem, [p] & ita cum verbum, *prætextu,* & verbum, *causa,* sint generalia, & dubia ad licita, & illicita; debent intelligi per illam aliam partem copulatiuæ, *temeritate propria,* de iniustis, & temerariis. Tum quia per verba illa, *apostasia, & apostata,* decies repetita, intelligenda sunt prædicta verba de illis, qui per apostasiam degebant extra claustra: repetitio enim eiusdem verbi in eadem lege vel canone grande mysterium indicat, iuxta glossam solemnem. [q] Tum quia nisi illa verba restringerentur ad apostatas, dicenda esset illius bulla iniqua: quod non est dicendum de lege à Papa illo Paulo IIII. Sanctissimo lata; cùm vti theologus doctissimus noslet, de legis essentiali qualitate esse iustitiam, & honestatem, iuxta illud Isidori in cap. *erit autem lex iusta, honesta, &c.* [r] & pulchrè declaratum à S. Thoma recepto. [s]

12 Tum quia alioqui comprehenderet omnes religiosos de licentia superiorum visitantes infirmos in scholis, & sepelientes mortuos extra ciuitates suorum claustrorum, & de mandato eorum venientes ad Sedem Apostolicam euntes & proficiscentes pro negotiis suorum monasteriorum ad Reges, & Principes, & ad prætoria suprema, & alia multa loca, vbi degere aliquo tempore oportet, quæ omnia sunt absurda, & ita non dicenda. [a] Sequeretur item, quod omnes, qui per dispensationes legitimas Sedis Apostolicæ & per statuta sacrorum canonum iustè ad episcopatus, & ad alia munera perpetua vel temporalia missi sunt, essent apostatæ.

13 Non obstat etiam, quod prædictus Pius voluit illam reducere ad formam iuris. Tum quia illud intelligitur quo ad formam procedendi, & priuandi aliquos, vel declarandi eos esse priuatos: quod sine citatione fieri non debet, iuxta glossam solemnem & receptam. [b] Non autem voluit significare, quod Paulus voluit reprobare translationes, & mansiones iustè factas, quas Sedes Apostolica semper in hunc diem approbauit, & approbat.

Non obstat etiam, quod Pius iussit, vt omnes extra claustra degentes intra certum tempus coram iudicibus à se nominatis ostenderent iustas causas manendi extra illa: quia id non fuit reprobare vllam iustam translationem, vel mansionem extra claustra, saltem quo ad forum conscientiæ; sed prouidere, ne malè translati maléque degentes extra claustra suum malum statum continuarent.

Non obstat etiam declaratio Cardinalis Alexandrini, qua declarauit, etiam monachos ordinis Camaldulensis includi sub prædicta bulla Pauli IIII. quia non exprimit quod includuntur iustè & sanctè translati: & ita etiam eius declaratio intelligēda est de iniustè translatis, sicut & bulla Pauli per eum declarata; quoniam, vt prædictum est, lex declarans intelligenda est iuxta terminos legis declaratæ.

14 Ex præmissis potest facile deduci responsio ad quæstiones propositas. Ad primam quidem, quod illi soli de contentis in quæstionibus dicuntur apostatæ à religione, quibus definitio apostatæ posita supra in quarto dicto conuenit, & non alij.

Ad secundam, quod qui foris steterunt vigore breuium Papæ, vel Pœnitentiariæ, qui sciebant, vel scire debebant ea inualida esse, & subreptitia, fuerunt apostatæ, non autem qui sciebant, vel iustè credebant ea esse legitima.

Ad tertiam, idem est dicendum de degentibus foris vigore licentiarum aliorum superiorum, quod dictum est de breuibus Papæ, & Pœnitentiariæ.

Ad quartam, quòd non sunt apostatæ, qui cùm dispensatione legitima obtinuerunt beneficia.

Ad quintam, quòd non: quia iam desierant esse apostatæ per suas reuersiones legitimas. Quæ omnes responsiones intelligendæ sunt quo ad Deum, & conscientiæ forum, in quo sola veritas attenditur. [c] In foro enim exteriori, quod sæpe præsumptione veritati cōtraria deducitur, [d] multi verè Apostatæ iudicabuntur non esse tales; & cōtra multi, qui nullatenus sunt apostatæ, iudicabuntur tales: quoniam Deus numquam fallit, nec fallitur; Ecclesia verò sequendo opinionem sæpe & fallitur, & fallit. [e] Salua, &c.

## DE HOMICIDIO VOLVNTARIO, VEL CASVALI.

### SVMMARIVM.

1 *Mortem temporalem tunc demum ob extremam necessitatem vitæ spiritualis alterius subire tenemur, quando id possumus absque eo quod nos consentiamus proprio vel alieno peccato.*

1 *Grauida non potest sine peccato permittere se scindi, vt sic puer possit baptizari.*

1 *Occidi se iniustè permittens tunc peccat, quando alter ipsum non consentientem non occideret; quia sic consentit peccato alterius, secus si non resisto ei, qui iniustè me etiam nolentem vult occidere.*

### CONSILIVM I.

1 AD dubium Respondeo, quod illud commune eloquium, quod tenetur quis subire mortem corporalem ob extremam necessitatem vitæ spiritualis proximi, defendi potest ab argumento facto in oppositum, quod ex eo sequeretur teneri prægnantem instante periculo mortis consentire se occidi, vt baptizaretur infans, ne spiritualiter moreretur: respondendo, quod id intelligendum est, quando quis salua vita spirituali potest corporalem impédere; magis enim

Marginal notes (left column): a In ca. fi. de regul. — b ff. de adil. e dict. — c De regul. — d De regul. — e De elect. — f 18. q. 1. & c. cum olim. 2. de priu. & c. ne pro cuius. 16. q. 1. & ca. si quis iā trās latus. 21. q. 2. — g Cle. 1. §. ad hac. de statu monach. — h 2. 2. qu. 101. art. 4. — i Super c. nul lam. 18. qu. 2. num. 48. — k Cap. 14. nu. 14. — l In 2. 2. q. 59. art. 4. — m Cap. 11. n. 4. — n Auth. hac constitutio. §. vnde. colla. 3. — o Ibi oppo. 3. in cle. statutū verb. consue. de elect. — p Leg. 1. ff. de reb. dubijs. — q Cle. 1. de iure patro. — r 4. distinct. — s 1. 2 q. 95. ar. 3.

Marginal notes (right column): a Le. nā. quod absurdum. ff. de bonis liber tor. ca. dudū. de præb. lib. 6. — b Cle. 1. de cē sib. & cle. pastoralis. §. ca. terum. de re. iud. — c Cap. tua. de sponsalib. — d Cap. is qui fidem. eo. tit. — e Ca. à nobis. 2. de sent. ex com.

tenetur suam vitam spiritualem, quam proximi seruare. At talis prægnans non potest consentire absque peccato mortali, & consequenter absque amissione vitæ spiritualis. Tum quia sicut nemo potest occidere se ipsum absque peccato mortali, [a] ita nemo potest consentire absque simili peccato, vt alius occidat eum. [b] Tum quia nemo potest innocentem occidere absque peccato mortali, nec ipse absque simili consentire occidenti: quia peccaret mortaliter consentiendo peccato mortali proximi. Nec obstat dicere, quod exponens vitam corporalem pro vita spirituali proximi videtur se ipsum occidere: quia id palam falsum est exemplo Christi, qui suam pro nostra exponens vitam non videtur se occidisse. Nec obstat, quod etiam prægnans non se occidat, sed quòd pro vita spirituali filij consentit se occidi: quia id non potest facere sine consensu in peccatum mortale alterius proximi, vt prædictum est. Nec obest dicere, quod Christus consensit se occidentibus; quia non consensit eis, qui non occidissent ipsum, si non consensisset; & ita non consensit approbando eorum factum, sed solùm permittendo, & non (vt poterat) resistendo. At prædicta prægnans, si faceret quod dictum est, consentiret approbando factum cædentis, qui non cæderet eam, nisi consentiret.

a Cap. si non licet. 25. qu. 5.
b Arg. c. contingit. de iure batr. & le. liper homo. ff. ad legem Aquiliam.

SVMMARIVM.

1 *Deformans aliquem etiam graui vulnere in faciem etiam publice illato, si non occidat, vel membro mutilet, non est irregularis. & num. 2.*

2 *Irregularis non est omnis alium faciens irregularem.*

## CONSILIVM II.

QVIDAM percussit alium vulnere graui, & deformi, quo totam faciē eius adeo deformauit, vt ob hoc adiuerit iudices, idque publicè fecit. Quæsitum est, an sit irregularis, ita vt beneficia non possit habere absque dispensatione Papæ.

1 Respondeo, quòd non. Tum quia nullo iure id cauetur: & nulla irregularitas contrahitur in aliquo casu, in quo id iure non exprimitur. [c] Tum quia licet mutilans alium membro fiat irregularis; debilitans tamen alterius membrum, etiam adeo, vt eo vti non possit, non est irregularis, vt nos contra quosdam alios probamus in nostro Manu. confess. [d]

2 Tum quia non est verum id, quod aliqui, quos ibidem referimus, dixerunt, eum, qui alium efficit irregularem, fieri irregularem: quia id nullo iure cauetur: & qui generat filium extra matrimonium, qui est irregularis, non propterea ipse fit talis: & iudex damnans aliquem furti, facit eum irregularem, non tamen ob id ipse fit talis: & ob alia, quæ ibidem tradimus. Tum quia quo ad hoc non refert, quod percussio fuerit facta publicè, an occultè, & an percutiens, & percussus sint clerici, vel laici; quia differentia illa quo ad hoc nullo iure traditur. Tum denique, quod non obstat id quod supra diximus, eum, qui deformat alium, esse irregularē: quia, vt ibidem admonuimus, per verbum *deformare.* intelleximus occidere, vel aliquo membro principali mutilare, gratia breuitatis, ne frequenter cogeremur dicere occidere, vel mutilare, quæ sunt verba clem. 1. [e] quæ non habet, vt quidam imponunt ei, *mutilare, & truncare,* sed tantum *mutilare:* quod multum facit ad dicendum, quod non quæcumque deformatio, etiam grauis, facit quem irregularem, sed solùm illa, quæ tollit formam rationalem, qua tollitur vita humana, vel tollit formam accidentalem, qua inducitur dedecus humanæ vitæ, quod efficit membri principalis defectus, qualis non fuit factus per prædictam percussionem, &c.

c Cap. is qui. cum gloss. recept. de sentētia excommunicationis lib. 6.
d Cap. 27. n. 207.
e De homic.

SVMMARIVM.

1 *Homicidium casuale sequutum ex ludo in foro ecclesiastico illicito, non ideo minus producit irregularitatem, eo quod sit licitus in foro sæculari; secus si etiam esset licitus in foro ecclesiastico. & num. 2.*

2 *Consuetudo ludendi recepta in vno foro excusat quidem homicidium casuale in eo commissum à pœna in dicto foro pro homicidio imposita, sed non à pœna alterius fori, in quo dicta consuetudo non est licita.*

3 *Lapidum ludus si tanta cautela à pueris exerceatur, vt raro mors, & vulnera sequantur, etiam in foro ecclesiastico erit licitus, adeo vt ex homicidio casualiter in eo commisso non oriatur irregularitas. & num. 1.*

## CONSILIVM III.

CERTABANT aliquot pueri ludo lapidum, in quo alter alterum occidit. Quæsitum fuit, an sic occidens sit irregularis?

1 Dicendum videtur, quod huiusmodi puer non sit irregularis, si ludus, quo ludebat, erat licitus, vt est hastiludium, & aliqua progymnasmata, vel præexercitamenta militaria; quia homicidium casuale nō parit irregularitatem, quando prouenit ex ludo licito, [a] & tradimus late in Manu. [b] Nec obstat, quod iudex condemnans alium, & miles in bello iusto occidens manibus suis, est irregularis: quia id habet locum in homicidio ex proposito, nos loquimur de casuali. Quod si ludus, quo ludebat puer, erat illicitus quo ad Ecclesiam; puer est irregularis; quia homicidium etiam casuale ex opere illicito parit irregularitatem. [c]

2 Non obstat doctrina Ancharani, [d] quem sequuntur plures, quos refert Hippolytus, [e] quod occidens aliquem in ludo consueto nō tenetur pœna legis Corneliæ de sicariis, quia illa procedit quo ad pœnam temporalem impositam à lege temporali: nos autem loquimur de pœna ecclesiastica imposita à lege ecclesiastica. Volo dicere, quòd consuetudo admissa à lege, excusat à pœna imposita per legem, in cuius foro consuetudo ludendi est licita; non tamen excusat à pœna legis, in cuius foro illa consuetudo ludendi non est licita, & ita licet ludus lapidum à pueris consuetus fuisset licitus secundum leges sæculares, & puer non incideret in pœnas legum sæcularium; incideret tamen in pœnas ecclesiasticas in foro ecclesiastico, in quo ludus ille esset illicitus. Et per consequens licet occidens casualiter in hastiludio, quod est licitum secundum leges ecclesiasticas, non fieret irregularis; occidens tamen in torneamentis, quæ sunt illicita secundum leges Ecclesiæ, licet sint licita secundum leges sæculi, incideret in irregularitatem inflictam per leges ecclesiasticas.

3 Puto tamen, quod si ludus ille puerorum, quo certant lapidibus, fieret tanta cautela scutorum, clypeorum, vel peltarum, quod rarò contingerent homicidia, vel vulnera, esset ludus licitus etiam secundum leges ecclesiasticas, sicut hastiludia, per extrauag. 1. [f] Salua, &c.

a Cap. Ioānes de homic.
b Cap. 27. n. 211.
c Ca pęontinebatur. & c. presbyterum. de homic.
d In cons. 283. & in ca. cum venerabilis. de consuetu.
e In le. 1. nu. 101. ff. ad leg. Cor. de sic.
f De torneamen.

SVMMARIVM.

1 *Bello iusto qui interest, etiam mittendo tela, & bombardarum globulos in aduersarios, non tenetur nec credere, nec dubitare se esse irregularem, si nesciat, nec scire possit an quis ab ipso fuerit mutilatus, vel occisus. nu. 2.*

1 *Bello iusto qui interest etiam percutiendo, hortando, & iuuando occidentes ad victoriam, immo etiam si generaliter iuuet ad occidendum, prout victoria requirit, non est irregularis, si ipse propriis manibus non occidit, nec mutilauit. num. 3. at si hortetur, vel iuuet ad hunc vel illum specialiter occidendum, secus esset: sicut etiam esset, si hunc vel illum particularem hortetur vt occidat. nu. 4.*

1 *Tutior pars etsi sit in dubio eligenda; attamen bello iusto qui interfuit, etiam percutiendo, si nec sciat, nec scire possit quod aliquem mutilauerit, vel occiderit, non tenetur nec credere, nec dubitare se irregularem. num. 2.*

2 *Filius natus in figura matrimonij, qui nescit an sit natus ex marito, vel adultero, non tenetur ad dictū matris dicentis eumdem esse adulterinum credere, nec dubitare, & sufficit ei inhærere præsumptioni iuris præsumētis ipsum esse legitimum, ac potest etiam cum aliis succedere.*

## CONSILIVM IIII.

QVÆSITVM est, an indigeant dispensatione ab irregularitate illi, qui interfuerunt bello iusto, in quo fuerunt occisi & mutilati multi ex parte occidentium, mittendo tela, & exonerando bombardulas.

1 Respondeo, quòd non: quia pugnantes in bello iusto non incurrunt irregularitatem propterea solùm, quod hortantur, vel animant socios iustè bellantes ad vincendum, & ad habendum victoriam, nec etiam si adiuuent eos, & percutiant inimicos, nisi manibus suis occidant, per dicta in aliis consiliis. Non obstat, quod qui dubitat, an occiderit aliquem, nec ne, tenetur eligere partem tutiorem, vt post alios tradimus in Manu. conf. [g] quoniam illud non est verum de omni eo, qui nescit, sed tantum de illo, qui verè dubitat, vel iusta ratione tenetur dubitare.

g Cap. 27. n. 193.

2 Nam

2 Nam cui mater affirmat non esse genitum à patre putatiuo, sed ab adultero, & nescit vtrum sit verius, & non dubitat, non tenetur credere matri, eo quòd tutius sit suæ côscientiæ id credere, quàm côtrarium, ne lædat in succedendo alios fratres filios legitimos, vt ait Bartholus communiter receptus, [a] quia licet ipse nesciat vtrum illorum sit verum, tamen non tenetur dubitare de illo: quia sufficit ei sequi ius commune, quod præsumit eum esse filium genitum à marito coniuge legitimo suæ matris: sic etiam ei, qui in bello iusto partes iustitiæ fouet, sufficit quod nesciat, nec scire possit, an quempiam occiderit, vel mutilauerit per se.

a l le. filius ff. de his qui. sunt.

3 Et quod credat, quod adiuuans occidentes ad iustam victoriam consequendum non est irregularis, & quod ipse non iuuit ad occidendum illum, aut illum specialiter, sed generaliter ad occidendum, vel mutilandum eos, quos victoria exigebat. Quod si hortatus est, & iuuit ad occidendum illum, aut illum specialiter, magis est videri eum esse irregularem, si ob eius dictum fuit occisus, saltem priusquam aliàs occideretur.

4 Tum quia licet nemo fiat irregularis ex eo quod in bello iusto adhortetur socios, & iuuet ad vincendum, [b] qui tamen adhortatur specialiter aliquem ad occidendum, præsertim specialiter hunc, aut illum, incurrit illam, per ea quæ nos resoluimus in Man. confess. [c]

*Vide consil. 3. & consil. 6. hoc eod. tit.*

b Cap. igitur. cum gloss. & c. hortatu. 23. q. 8. & c. pen. de homicid.
c Cap. 27. nu. 215. cum seq.

SVMMARIVM.

1 *Irregularis est is, cuius verba, etiam ex compassione dicta, fuerunt in causa, vt aliquis saltem citius occideretur.*
1 *Bello iusto, in quo multi occisi sunt, qui interfuit, etsi non efficiatur irregularis adhortando socios, talis tamen efficitur, si specialiter adhortetur aliquem ad occidendum.*
2 *Belli iusti conflictu finito, siquid fiat in mortem inimicorum id, in bello factum non dicitur.*
2 *Captus in bello, qui potest viuus seruari, & detineri, vsque quo bellum sit finitum, si occidatur, iniusta est occisio.*
3 *Dispensatio concessa narranti se bello iusto interfuisse, in quo multi occisi fuerunt se iuuante occisores, non prodest eidem, si adhortatus est, vel iuuit ad occidendum hunc, vel illum specialiter.*

## CONSILIVM V.

VNVS Lutheranus mortifere percussus venit ad exercitum Catholicum, dicens se esse Catholicum. Vnus ex Catholicis dixit compatiens ei, Melius esset, vt omnino occideretur, cum sanari nequeat: & cum dixisset, abiit: & quidam ex iisdem, qui audierant, occiderunt eum.

Dubitatur primo, si sit irregularis, qui dixit illa verba ex compassione.

Secundo, an dispensatus generaliter à Papa, eo quod interfuit illi bello iusto, in quo multi fuerunt occisi, se iuuante occisores, censeatur dispensatus etiam in hac irregularitate, si qua est?

1 AD PRIMVM respondetur, videri esse irregularem, si ob eius dictum fuit in causa, quod fuit occisus, saltem priusquam aliàs occideretur. Tum quia licet nemo fiat irregularis, eo quod in bello iusto interueniat, generaliter adhortando socios, [d] qui tamen specialiter adhortatur aliquem ad occidendum, tunc incurrit irregularitatem, vt diximus in Manu. [e] Tum quia dictum ipsius videtur fuisse illicitum, cum non liceat occidere in bello iam captum, si aliàs potest seruari, & detineri post prælium finitum; quia id non esset occidere in bello, sed post illud finitum quo ad illum articulum.

d Cap. igitur. cum glossa, c. hortatu. 28. q. 8. c. penult. de homic.
e Ca. 27. nu. 215. cum sequentibus.

3 AD SECVNDVM respondetur, quod non videtur sufficere prædicta dispensatio: quia in narratione petitionis non expressit aliquid, ex quo dici possit irregularis, vt ex prædictis colligitur: quia solùm dicitur interfuisse armis, & iuuisse, non tam iuuisse ad occidendum hunc, vel illum specialiter, &c.

SVMMARIVM.

1 *Bello licito qui interest, etiam pugnando, & iuuando suos socios occidentes, modo non occidat suis manibus, nô est irregularis.*
2 *Bellum iustum est ex parte satellitum missorum à Præfecto vigilum ad capiendum furantes fructus hortorum & vinearum, & iniustum ex parte delinquentium se armis defendentium, iuncto casu.*
2 *Pluribus simul suas bombardulas contra vnum displodentibus, qui reperitur occisus; si nescitur à quo; coram Deo omnes, at in foro exteriori nullus debet reputari irregularis.*
3 *Occidens iuste alium ad sui ineuitabilem necessariamve defensionem non est irregularis.*
4 *Fugere qui potest sine dedecore, occidendo etiam ad sui defensionem necessariam, non euitat nec pœnam, nec irregularitatem: si ei erat dedecus, euitat peccatum, sed non irregularitatem, at si fuga erat ei periculosa ne occideretur, euitat & peccatum, & irregularitatem num. 5.*

## CONSILIVM VI.

PRÆFECTVS vigilum misit tres ex suis satellitibus ad detinendum & comprehendendum fures quosdam fructuum hortorum, & vinearum; & obuiauerunt quinque armati bombardulis, qualibus etiam erant armati illi tres, & pugnauerunt omnes: appropinquante tamen Præfecto cum aliis suis, fugerunt latrones, vno tamen eorum manente mortuo. Quæritur, an N. qui erat vnus ex tribus præfatis, sit irregularis.

1 Præsuppono primò, quod qui pugnat in iusto bello, non efficitur irregularis, si non occidit suis manibus, quamuis iuuet alios socios occidentes, per textum in cap. penul. [a] quem ad hoc putat singulare Panormitanus, [b] & nos eum ad hoc citauimus in rubr. de iudi. [c] ex quo sequitur, quòd N. non esset irregularis, si sciretur quod ille mortuus non fuit occisus ictu N. quia pugna erat iusta ex parte iudicis, & suorum sociorum.

a De homici.
b Ca. 2. de immu. Eccl. n. 7.
c Num. 107.

2 Et consequenter non esset iudicandus in foro exteriori irregularis; quia non probatur quod eius ictu fuit mortuus; & nemo debet iudicari irregularis in dubio à iudice, secundum Innocentium receptum. [d]

d In c. ad audientiam. de homicidio.

Secundo præsuppono, quòd licet iudex non debeat iudicare quem irregularem in dubio quo ad forum exterius: ipse tamen, de quo quæritur an sit irregularis, debet in dubio iudicare seipsum irregularem. [e]

3 Tertio, quod qui occidit alium pro defensione sua, & ad euitandam mortem aliàs ineuitabilem, non est irregularis, [f] ex quo sequitur quod si præd. N. & alij socij eius pugnauerunt ad defendendas vitas suas, quas aliter probabiliter non potuerint defendere, non essent irregulares.

e Arg. c. iuuenis. de sponsa. & etiam prædicti c. ad audientiam.
f Cle. 1. de homic.

4 Quarto, quod ad excusandum occidentem à peccato, sufficeret, quod non teneretur fugere propter iniuriam, & dedecus, quæ inde sibi resultarent; non autem ad liberandum ab irregularitate: quia irregularitas sine peccato potest contrahi, & contrahitur quotidie, vt prædictum est, quam resolutionem tradit Panormitanus, [g] quem nos citamus & sequimur in Manu. nostro confess. [h]

g In c. olim. 1. de rest. spolia. & ibi addi. tio.
h Ca. 27. nu. 211. & c. 15. n. 4.

5 Quinto, quod licet potentia fugiendi mortem per fugam excuset à peccato eum qui non potest fugere sine iniuria & dedecore, non tamen ab irregularitate, vt prædictum est: videtur tamen hoc limitandum de fuga, per quam sine periculo mortis posset fugere: quia si fuga esset periculosa ob casum vel velocitatem insequentis hostis, vel ob viarum, & alia impedimenta, tunc excusabitur etiam ab irregularitate: quia censeretur mors ineuitabilis, cum sine periculo probabili mortis non possit vitari, vt ait pulchre Zenzelinus, quem sequitur Bonifacius. [i]

i In d. cl. 1. n. 75 de homicidio. &c.

SVMMARIVM.

1 *Bannitum, qui impune occidi potest, occidens, iustum committit homicidium, ex quo ipse & eum iuuantes incurrunt irregularitatem, dispensabilem tamen. num. 3.*
2 *Comitantes executorem sententiæ mortis, etiamsi nihil aliud agant, irregulares sunt.*

## CONSILIVM VII.

HORATIVS an sit irregularis, qui ex facinoribus bannitorum commotus, cum armis comitatus est eos iustè insequentes, vt eorum fugam impediret, si postmodum ab eisdem occisi fuerint, licet ipse nullum percusserit, nec occiderit, immo eumdem, antequam expiraret, ad pœnitentiam, vt potuit, induxit, ac vt confiteretur procurauit.

Videtur dicendum primo, præfatum Horatium oratorem esse laude dignum ob multa, quæ dixit, & fecit, & procurauit.

P. fuerunt liciti: quia non est illicitum presbytero insequi malefactorem suum, vt probat dict. cap. *significasti*. [a] nec procurare vt capiatur, vt idem cap. probat, immo nec indicare iudici esse sibi paratas insidias, per cap. *de occidendis*. [b] & cap. *Maximianus*. [c] quamuis illicitum sit petere, vt puniatur reus criminaliter, quod non fecit P. solum enim procurauit, ne fugeret, & detineretur, vel caperetur, petiturus postea iustitiam eo modo, quo liceret ei per dict. cap. *prælatis*. [d] Secundo respondetur, quod ex actibus eius non fuit sequuta mors O. quia non intulerunt illam ministri iustitiæ, quos P. incitauit ad custodiendum, nec ipsi fuerunt illum iniustè insequuti, sed iustissimè, & mors ex malitia eius sequuta fuit sine vllo peccato insequentium, & quærentium.

a De homici.
b 23. qu. 5.
c 23. quæst. 3.
d Ne cleric. vel monach. lib. 6.

11 Ad tertium respondeo, negando paria esse, quòd reus occidatur per sententiam iudicis, vel quòd ipse occidat seipsum; quod satis colligitur partim per titulos prædictos, de his qui sibi mortem consciuerunt: partim quod iudex sit irregularis, si occidat per suam sententiam etiam iustam, non autem si ipse reus sibi mortem consciscat: partim quod in altero casu iudex est causa mortis, in altero verò non, sed malitia consciscentis.

Ad quartum respondetur, concedendo, quod presbyter, de quo in dict. cap. *significasti*. [e] fuisset irregularis, si illi, qui superuenerunt, & occiderunt fugientem, consilio vel mandato eius eum occidissent: & consequenter quod etiam fuisset irregularis, si ministri iustitiæ occidissent O. consilio, rogatu, vel mandato eius: sed nec ille consuluit, nec rogauit eos, vt id facerent, neque ipsi fecerunt: & ita casus noster differt à casu illo quo ad hoc, vt palam est, licet quo ad alia conueniat, vt dictum est.

e 2. de homic.

12 Ad quintum respondetur primo, negando paria esse lædere alium corpore suo, & adigere illum ad aliquem locum, ita vt lædatur, cum ipsæmet leges in argumento citatæ in altero casu dent actionem directam, in altero vtilem. Secundo concedendo, quod paria sunt quo ad aliquid, quando vtrumque fit illicitè, secus tamen quando alterum fit licitè, vt in casu nostro, in quo licitè facta fuit insequutio, & custodia, & malum non fuit sequutum ex illis, sed ex malitia grauissima insequuti, & custoditi: cuius diuersitatis ratio est, quod non debet quis reportare commodum ex sua malitia, neque incommodum ex probitate. [f]

13 Ad sextum respondetur, concedendo illam determinationem Panormitani sed negando, quod conueniat casui nostro: quia qui malè denegat victum necessarium ad vitam, dat causam proximam illicitæ mortis, [g] qui autem iustè insequitur, vel quærit aliquem malefactorem, nihil mali facit, & non dat causam mortis fugienti, si se occidat, vt palam est. Salua, &c.

f Leg. itaque fullo ff. de fur & c bona. il. 1. de postul. prelatorum.
g Leg. necare ff. de lib. agnos. & c. pasce. 86. dist.

SVMMARIVM.

1 *Chirurgus licitè exercens artem, si ob sanitatem corporis etiam sibi ipsi infirmo abscindat membrum, non fit irregularis, nec clericus illum iuuans: at si illicitè eam exercet, vt si est clericus, secus esset. & num. 2. & 3.*

## CONSILIVM XII.

QVÆRITVR primo, vtrum monachus adiuuans chirurgum volentem abscindere brachium putridum alterius monachi, tenendo manum eius, abscisso brachio fiat irregularis.

1 Respondeo primò, quod non est irregularis ille, qui licitè tale brachium ad salutem totius corporis absciderit, vt determinat Panormitanus, [h] & ideo laicus exercens illam artem non incurrit irregularitatem ob alicuius membri obtruncationem iustam.

2 Secundo, quod chirurgus exercens illicitè illam artem incurrit irregularitatem, obtruncando tale brachium, secundum eundem, [i] inferendo ex hoc, quod clericus, cui vetita est illa ars, iuxta notata in cap. *tua*. [k] incurrit irregularitatem per talem obtruncationem.

Tertio, quod nemo (quod sciam) ante nos tangit in specie, quid sit dicendum de adiuuante chirurgum in abscissione talis membri, in Man. confess. [l] vbi noue resoluimus huiusmodi adiuuantem non fieri irregularem.

h In c. sententiam. n. 23. ne cleric. vel monach. sæcula. negot.
i Ibidem.
k De homic.
l Cap. 27. nu. 217.

SECVNDO, an clericus iuuans chirurgum ad scindendum aliquod membrum, quod arte chirurga scindi debet, fiat irregularis?

3 Respondetur, quod non. Tum quia nullo canone id exprimitur: & irregularitas non contrahitur, nisi in casibus expressis à iure. [a] Tum quia per mutilationem membri sanitatis causa factam non incurritur irregularitas, [b] etiam si à semetipso, si esset chirurgus, sibi amputasset membrum putridum, non incurreret irregularitatem, per prædictum cap. à contrario sensu, quatenus habet, eum, qui cum sanus esset sese absciderit, irregularem fieri. Tum per alia multa, quæ ad hoc propositum noue adduximus in Man. confess. [c]

a Cap. is cui. §. fi. de sententia excommunicationis li. 6.
b Cap. si quis à medicis. 55. dist.
c Dict. ca. 27. nu. 217.

SVMMARIVM.

1 *Bannitos aggrediens, nisi id faciat ex auctoritate publica, tamquam generalis vel particularis iustitiæ exequutor, dicitur iniustum bellum bellare.*

2 *Irregularis beneficia quærere nequit, at quæsita etiam post Concilium Tridentinum retinere potest.*

3 *Episcopus super irregularitate ex homicidio voluntario non dispensat.*

## CONSILIVM XIII.

QVIDAM clericus in sacris constitutus, scienter, & vt dicitur, *appensatò* associatus est quemdam occidere volentem bannitum, eo quod iste clericus vna cum cæteris aliis armatis cum scloppis contulit se in locum, vbi iste bannitus existebat, cùm eum vidisset, his verbis exclamauit, *Qua, qua, qua: ecce ego inueni eum.* propter quod vna cum cæteris iste principalis intendens bannitum occidere contulit se illuc, & omnes simul cum eorum scloppis eum interfecerunt, inter quos clericus prædictus existebat eumdem eodem modo feriendo. Mortuo bannito, amputarunt eius caput, & abierunt.

Quæritur primo, an iste clericus sit irregularis.

Secundo, an possit habere beneficia ecclesiastica.

Tertio, an habita saltem simplicia licitè possit retinere.

Quarto, an possit ad cæteros ordines promoueri sine dispensatione.

Quinto, an Episcopus posset dispensare cum eo in beneficio simplici.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo, quod is clericus proculdubio est irregularis, & nō qualis qualis, sed ex homicidio voluntario; præsupposito quod absque auctoritate publica ipse & alij illum occiderunt tamquam priuati, non facti exequutores iustitiæ particulariter, vel generaliter: quia inuasio iniusta fuit ex parte illorum: & adeo quidem, quod licet non fuisset occisus per ictum prædicti clerici, ipse tamen esset irregularis, tamquam cooperator & auxiliator, iuxta cap. *sicut dignum*. [d] & tradita à nobis in Manu. [e]

2 AD SECVNDAM, quod ante dispensationem non potest nouè acquirere beneficia ecclesiastica, iuxta dictum Panormitani. [f]

AD TERTIAM respondeo, quod beneficia iam quæsita non vacant per irregularitatem, & potest ea retinere, donec illis per iudicem priuetur, iuxta Innocentium, [g] communiter receptum cuius dictum non arbitror corrigi per Concilium Tridentinum infra allegandum.

AD QVARTAM, quod nullatenus potest iustè promoueri ad superiores ordines, iuxta definitionem irregularitatis positam à nobis in Manu. [h] & ei addita, [i] & per Concilium Tridentinum infra citandum.

3 AD QVINTAM, quod non potest Episcopus dispensare cum eo, etiam ad hoc, vt beneficium simplex obtineat: quia hoc homicidium fuit voluntarium, in quo non potest dispensare Episcopus ad vllum ordinem, nec ad vllum beneficium etiam simplex, vt statuitur in [k] Concilio Tridentino transcripto à nobis in d. Manu. [l] Salua, &c.

d §. fi. de homicid.
e Cap. 27. nu. 224.
f In c. cum nostris. de concess. præb.
g Ibidem.
h Cap. 27.
i Num. 191.
k Capit. 7. de refor. sess. 14.
l Cap. 27. nu. 240.

SVMMARIVM.

1 *Irregulares sunt omnes stantes à parte iniustè bellantium, seu rixantium, sequuto homicidio.*

## CONSILIVM XIIII.

DVO Sacerdotes cum aliis laicis, & cum armis adierunt carcerem ad liberandum Philippum in eum cōiectum;

&c cum

& cum extraxissent eum, superuenerunt apparitores iudicis, qui eum conabantur reducere in carcerem: in qua rixa occisus fuit vnus ex parte apparitorum.

Quæritur, an prædicti sacerdotes effecti fuerint irregulares, etiam si non occiderint, nec percusserint.

1 Respondetur primò, quod prædicti sacerdotes effecti sunt irregulares; quoniam ex parte volentium liberare Philippum fuit rixa, seu bellum iniustum: & quoties aliquis in bello iniusto occiditur, vel mutilatur, omnes, qui stant à parte iniustè bellante, fiunt irregulares, per ea quæ nos tradimus in Manual. nostro confess. [a]

Secundo, quod non sufficit eis dispensatio, quæ à sacra Pœnitentiaria posset haberi: quia illa non prodest, nisi quo ad forum interius: & prædicti sacerdotes indigent dispensatione etiam quo ad exterius: & ideo oportet eam obtinere per officium Datariæ quo ad vtrumque forum, &c.

a Cap. 27. nu. 220. 221. & 222.

SVMMARIVM.

1 *Hortatoria generalibus verbis ad sumendam vindictam offenso scripta debent intelligi de vltione iuridice sine peccato sumenda. Vnde si offensus priuatam de offendente vindictam occidendo sumat, homicidium hoc non imputatur hortanti ad irregularitatem.*

2 *Consulens & hortans homicidium illi, qui ita animo deliberato erat, quod illud etiam sine hortatione fecisset, etiam si illius animum auxerit, non est irregularis. & num. 4.*

3 *Religiosorum prælatis licere cum suis dispensare super homicidio voluntario in vim priuilegij Eugenij IIII. non facile credendum. & num. 4.*

4 *Credere se irregularem non tenetur is, qui ad homicidam hortatorias ad vindictam sumendam scripsit, donec sciat illas ad dictum homicidam peruenisse, fuisseque causam homicidij aliàs non sequuturi.*

## CONSILIVM XV.

AN regularis, qui intellectis quibusdam facinorosis delictis à bannitis in patriam & amicum perpetratis, literas ad eundem amicum consolatorias, & ad vindictam hortatorias scripsit; ignorat tamen, an ad eundem peruenerint; si deinde dicti banniti ab illo amico occisi fuerint, debeat ipse regularis reputare se irregularem? Item an per extensionem priuilegij Eugenij IIII. possit à suis superioribus secum dispensari.

1 Respondetur primo, quod D. consulens non incurrit vllam irregularitatem, si prædictæ literæ consolatoriæ, & hortatoriæ ad vindictam non comprehendebant specialiter vindictam iniuriosam auctoritate priuata faciendam, qualem præfatæ literæ non includebant, si generaliter tantùm ad vltionem hortabantur: quia mandatum generale, vel alia dispositio generalis, quæ de natura verborum potest intelligi de re bona & licita, & de mala & illicita, seu delicto, debet intelligi de re bona & licita, [b] & verbum *vltio*, siue *vindicta*, quod intelligi potest de vltione iusta, & vltione iniusta, intelligendum est in dubio de iusta: & quod qui hortatur alium ad vltionem, vel vindictam, intelligendus est hortatus ad vltionem iustam iuridicè faciendam.

2 Secundo, quod etiam non incurrit D. consulens irregularitatem, si literæ illæ non peruenerunt in manus eius, ad quem scribebantur; vel ipse, aut illi qui fecerunt eam iniuriosè occidendo, animo ita deliberato ad faciendam vindictam iniustam essent, quod fecissent eam, etiam si literæ ad eos non peruenissent, iuxta glossam singularem receptam. [c]

3 Tertio, quod D. consulens potest credere id, quod notatur fecisse Eugenium ad extendendum priuilegium supradictum dispensandi extensum, prout in nota continetur; sed quod in effectu extensio illa non extenditur ad irregularitatem, quæ nascitur ex homicidio voluntario. Tum quia verba ipsius extensionis significant non extendi illud ad homicidas voluntarios. Tum quia etiam Legatis à latere, nec summo Pœnitentiario Romæ datur potestas absoluendi ab illa. Tum quia in priuilegijs religiosorum, quibus post Eugenium data sunt huiusmodi priuilegia, restringuntur, vt non comprehendant irregularitatem ex homicidio voluntario contractam: & cum negari non possit homicidia præfata fuisse iniusta, & voluntaria, notumque sit æqualem irregularitatem contrahere consulentem, & mandantem, atque occidentem, non posset D. consulens absolui à præfata irregularitate virtute sui priuilegij, si contraxit illam propter illas literas; quia consilium tulit per illas ad homicidium voluntarium faciendum.

b Leg. si procurator. ff. de condictio. indebiti. & c. 1. de iureiur. lib. 6. cum similib.

c In c. felicis. §. illud. de pœnis. lib. 6.

4 Quarto, arbitrari me non teneri D. consulentem ad credendum in casu proposito contraxisse talem irregularitatem propter duo priora dicta; & ideo debere deponere scrupulum, donec sciat literas peruenisse ad eum, cui describebantur, & fuisse causam, vt committerentur homicidia, quæ non fuissent commissa, si occisorum animos non auxissent illæ literæ ad ea facienda: & quod si noluerit deponere illum, debet petere dispensationem secretam à Papa, vel sua sacra Pœnitentiaria secreta. Salua, &c.

*Aduertendum non videri ita certum, quod omnino facturo ita consulens, vt illius animum auxerit, sequuto homicidio euitet irregularitatem. vide Couar. clem. vnica de homicidio, par. 2. §. 2. nu. 1. vers. est.*

SVMMARIVM.

1 *Iurisdictionem criminalem propriam habens clericus, etsi illam possit alteri generaliter delegare; non tamen potest illi, cui illam commisit, mandare, vt talem iam condemnatum tali die occidi faciat. nu. 2.*

2 *Iudicem in criminalibus eligere de mandato illius, cuius est iurisdictio, non potest clericus.*

2 *Milites præliaturos hortari potest clericus ad victoriam, modo non hortetur aliquem, vel aliquos specialiter ad occidendum: & multo minus potest hortari, vt hic, vel ille occidatur.*

2 *Literas iudicis, in quibus mandatur illatio mortis, deferens clericus, vt faciunt aliquando secretarij habentium iurisdictionem, ea sequuta, efficitur irregularis.*

## CONSILIVM XVI.

VICELEGATVS iussit secretario suo, vt deferret quasdam literas, quas ipse scripserat ad quemdam commissarium, in quibus iubebatur ipsi commissario, vt sententiam mortis, quam contra quemdam tulerat, mane sequentis diei exequeretur, quod factum fuit. Quæritur, an tam Vicelegatus, quàm secretarius prædicti sint irregulares.

1 Quæstio hæc subtilis est: & pro parte negante videtur casus in cap. *Episcopus.* [a] quatenus habet, habentem iurisdictionem criminalem posse illam committere alteri sine metu irregularitatis incurrendæ per iustitias ab illo faciendas. Est & pro eadem vrgens ratio, scilicet, quod præfatus Vicelegatus non habetur, vt fertur, pro irregulari: & non videtur plus licuisse illi mandare illud per familiarem suum, quàm familiari deferre mandatum. [b]

2 Pro parte autem affirmante facit, quod Ioannes Andreas communiter receptus tenuit, [c] quod incurreret irregularitatem is, qui ex commissione habentis iurisdictionem criminalem, eligeret aliquem, cui committeret potestatem illam criminalem. Facit & ratio vrgens, quod aliud est committere generaliter iurisdictionem criminalem, aliud dicere commissario, qui condemnauit iam reum malefactorem ad mortem, vt expediat mane illum: nam licet clerico hortari milites præliaturos generaliter ad victoriam consequendam, [d] sed non licet hortari vnum, vel plures milites specialiter ad occidendum, & maxime illum, vel illum particularem, vt ait Innocentius communiter receptus quem etiam sequimur nos in Manu. confess. [e]

Per hæc posteriora arbitror, quod non solum supradictus orator, sed etiam Vicelegatus, qui misit eum, indiget dispensatione. Salua, &c.

a Ne cler. vel monach li. 6.

b Arg. ca. qui per alium. de reg. iur. lib. 6.
c In dicto. ca. Episcopus.

d Cap. igitur. 3. quæst. 8.

e Cap. 27. nu. 215.

SVMMARIVM.

1 *Ignorantia iuris nec à peccato, nec ab irregularitate excusat sacerdotem occisionem etiam iustam opitulantem.*

2 *Irregularitatem non indispensabilem, sed ab Episcopo, si sit occulta, dispensabilem incurrit sacerdos; qui cum peccato apud iudicem iuuat, vt quis merita plectatur morte: ad restitutionem autem damni non tenetur. nu. 3.*

## CONSILIVM XVII.

CVM à Prætore ignotus homo ob solam prohibitorum armorum delationem incarceratus esset, presbyter ruralis putans se bonum opus facere, & nullam inde posse

pœnam incurrere, epiſtolam pro amico laico, & ipſius laici nomine ſcripſit, qua laicus dictum Prætorem certiorem faciebat, incarceratum virum eſſe homicidam læſæ maieſtatis reum: vnde regiæ curiæ traditus, iuſta damnatus ſententia, mortis pœnam ſuſtinuit.

Quæritur, an ignorantia iuris clericum ad iuſtam occiſionem opitulantem excuſet à peccato, vel ab irregularitate, & quæ ſit, & an ab Epiſcopo diſpenſabilis.

Vidi quid dicat Dominatio tua, & ij quos ipſa citat in Manual.[a] vbi tractat quæ ignorantia ſit illa, quæ excuſat à pœna legis: & placet mihi id quod dicit ibi, ex quo multos pios quis conſolari poteſt, maximè in materia cenſurarum, & irregularitatum. Sed punctus difficultatis eſt, an hic ruralis ſacerdos, qui ſe expoſuit Epiſcopo examinandum, antequam ordinaretur, & numquam in iure ſtuduit, & ordinatus eſt, an inquam habeat probabilem & iuſtam ignorantiæ cauſam, qua conſolatus poſſit dimitti in pace in hoc caſu; an verò fuerit in illo ignorantia craſſa, quia tenebatur ſcire; & perinde non excuſetur, quod videtur durum; nam etiam docti aliquantulum in iure ignorant, & peccant in ſimilibus, quæ in iure in terminis non inueniuntur.

a Cap. 23. nu. 47.

Vidi etiam qui dicat Sotus,[b] ſuper irregularitate illius, qui ignorantem rebaptizat, vel rebaptizatur. & quod irregularitatis multiplex eſt genus, puta irregularitas ob ſignificationem, & ob decentiam, & cum culpa. Argumentantur aliqui: Licet hic ſacerdos haberet probabilem ignorantiam, eſt indecentia vt aſtet altari; non dicimus quod incurrerit pœnam. ſed hoc videtur falſum: nam priuari ſacerdotio, maxima pœna eſt: & coram Deo in foro conſcientiæ, cum hoc non ſit publicum, nulla indecentia eſt. Videtur, quod ſi in dicto caſu incurritur irregularitas, quod non ſit illa, à qua non poteſt abſoluere Epiſcopus, per Concilium Tridentinum,[c] & quæ vocatur homicidium voluntarium; quia hęc non incurritur niſi ratione delicti, & cum aliquali peccato, quod in hoc caſu non videtur interuenire. Nam D. T. in ſuo Manual. confeſſ. de quinta ſpecie irregularitatis,[d] dicit, quod laici accuſantes aliquem iuſtè ſuper crimine, de quo moritur, ſunt irregulares quartæ ſpeciei, ſcilicet ex defectu lenitatis: verum quod clerici in ſacris ſi accuſant iuſtè, ſine proteſtatione quod non procedatur ad ſanguinem, ſunt irregulares quintæ & deterioris ſpeciei, &c. Hic eſt difficultas, an actus huius ſacerdotis cum prædictis circumſtantijs ſit accuſatio, vel denunciatio, aut quid aliud minus, quod non ſufficiat ad hoc, vt hæc peſſima irregularitas incurratur. Videtur etiam, quod non ſit hoc caſu irregularitas ex defectu lenitatis: quia qui declarant quæ ſit cauſa propinqua deformationis, dicunt, eſſe dictum vel factum ſufficienter directum in deformationem inde ſequutam: ſed ſcribere nomine alterius cum dictis circumſtantijs, non videtur tale dictum, aut factum. Paucis ero contentus vnico verbo Dominationis tuæ, quam Deus ſeruet incolumen.

b In 4. diſt. 3 quæſt. vnica.

c Capi. 6. ſeſſ. 24.

d Dicto 11. ca. 27. nu. 225.

QVISQVIS SIT, & quocumque nomine D. hic conſulens appelletur, ingenio, iudicio, & eruditione multis mihi præſtare videtur: multa enim in hac ſcheda ſubtiliter & eruditè tangit, decidit, & quærit. Deciſa laudo. Ad quæſita, vt ipſe petit, breuiter reſpondeo.

1 Primo dico, nullum presbyterum ſatis excuſari poſſe in totum à peccato ob ignorantiam iuris infligentis irregularitatem in caſu propoſito: & ita dicendum, hunc, de quo quæritur, presbyterum peccaſſe ſcribendo præfatam epiſtolam, & conſequenter incurriſſe irregularitatem, ſi epiſtola illa fuit aliqua ex parte cauſa, ſine qua non fuiſſet ille vinctus ſaltem tunc morti traditus.

2 Secundo, quod præfata irregularitas non eſt illa fere indiſpenſabilis, per quamdam notam meam extra Manual. ſcriptam in hæc verba: An qui clericus denunciando, accuſando, vel alio modo opitulando iudici ad damnandum iuſtè aliquem vltimo ſupplicio, fit irregularis, eo conſequuto, ſit cenſendus incurriſſe irregularitatem illam deſcendentem ex homicidio voluntario, ſuper qua non diſpenſatur?

Pro parte affirmante facit, quòd opitulatus eſt iniuſtè, facienti, vel iubenti facere homicidium voluntarium.

Pro parte verò negante, quæ tenenda eſt, concludit, quod tum demum quis incurrit irregularitatem illam, quando facit homicidium iniuſtum, vel opitulatur ad illud: quod non fecit is, de quo quæritur: quia licet iniuſtè opitulatus fuerit ad homicidium, non tamen opitulatus fuit ad homicidium iniuſtum, ſed iuſtum. Per quod ſoluitur argumentum in oppoſitum inſinuatum. Nam nec iudex, qui malo animo, ſed aliàs iuſtè, hoc eſt rite & rectè, ad vindictam priuatam maleficum damnat vltimo ſupplicio, neque qui malo animo accuſat, denunciat, vel aliàs opitulatur ad illud, talem irregularitatem, nec obligationem ad reſtituendum damnum incurrunt: quia licet peccent contra legem caritatis, non tamen peccant contra legem iuſtitiæ, cuius tranſgreſſio requiritur, vt dicatur homicida iniuſtus, & voluntarius, & obligatus ad reſtituendum, & vt tam dura irregularitate notetur; ſicut & miles, qui animo ſeu fine malo, ſed in prælio alioquin iuſto occidit vel ſpoliat hoſtem, peccat quidem contra caritatem, ſed non contra legem iuſtitiæ, & ideo non tenetur reſtituere, vt diximus in dicto Man. confeſſ.[a] nec incurreret hanc, de qua loquimur, irregularitatem, licet aliam ſic.

a Ca. 15. n. 15.

3 Itaque is quidem, de quo quæritur, presbyter irregularis eſt, ſed non irregularitate indiſpenſabili, quæ à poteſtate diſpenſandi data Epiſcopis à Concilio Tridentino in cap. 6. ſeſſ. 24. excipitur: & conſequenter poterit Epiſcopus in illa diſpenſare, cum ex delicto ſatis occulto orta fuerit. Salua, &c.

*Aduertendum hoc vltimum dictum eſſe periculoſum. Nam iſte aut eſt irregularis ex delicto homicidij, & cum ſit voluntarium homicidium, excipitur à d. c. b. aut eſt irregularis ex homicidio ſine delicto. & facultas conceſſa epiſcopo per d. c. b. hũc caſum non comprehendit, cum illa facultas reſtringatur ad irregularitates, quæ ex delicto contrahuntur.*

*SVMMARIVM.*

1 *Irregularis non eſt teſtis poſt alias receptus probationes, cuius dictum non fuit cauſa ſententiæ mortis, nec vt citius illa fuerit lata; aliàs ſecus: ſed Pœnitentiaria facile diſpenſat.*

2 *Dubitans an eius teſtimonium mouerit iudicem ad ſaltem citius condemnandum, poteſt acquieſcere dicto iudicis, vel notarij.*

## CONSILIVM XVIII.

POSTQVAM R. qui percuſſit alium, fuit captus, & confeſſus percuſſionem, & poſtquam percuſſus fuit mortuus. Tarquinius præſentatus teſtis teſtatus fuit illum eſſe mortuum, & quod dicebatur R. percuſſiſſe illum: & poſtea fuit ſuſpenſus R. Quæritur, an Tarquinius ſit irregularis.

1 Reſpondetur primò, quod non, ſi iudex non fuit motus ad ferendam pœnam ſuſpenſionis ex eius dictis, nec ad citius ſuſpendendum, quam ſuſpendiſſet ſine ſuo dicto, per ea quæ nos tradimus in Manu. confeſſ.[b] aliàs ſic per ibidem tradita.

2 Secundo, conſulo D. conſulenti, vt adeat iudicem, vel notarium, & interroget eum, an ex ſola confeſſione R. & aliis probationibus contra ipſum factis, fuiſſet R. tam cito ſuſpenſus, ac ſine teſtimonio Tarquinij; & ſi reſponderit quod ſic, non curet amplius de eiuſmodi irregularitate.

b Cap. 27. nu. 211. & ſequē.

Tertio, quod ſi iudex, ſeu notarius certiorem faciant eum, quod propter eius teſtimonium fuit ſuſpenſus, vel ſaltem citius, quàm aliàs fuiſſet, debet ſe irregularem cenſere, & ſupplicare in ſacra Pœnitentiaria, vt eum abſoluat ab ea, & ſtatim abſoluetur ſine vlla impenſa. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Clericus ſine metu irregularitatis poteſt pro iniuria perſonali ſibi illata conqueri, præmiſſa tamen proteſtatione, ne procedatur ad pœnam ſanguinis, immo & ſine peccato accuſare. num. 3.*

2 *Cauſa ſine qua homicidium ſequutum non fuiſſet, non ſufficit ad irregularitatem, ſi fuit admodum remota; & hoc, etiam ſi cauſa ipſa eſſet illicita. num. 5. quia debet eſſe vel ex intentione, vel ſuapte natura ad homicidium ſufficienter directa. num. 4. quod ſi actio ſit licita, requiritur quod ſit proxima. num. 2. & 5.*

3 *Diffamationis peccatum non incurrit clericus, qui iniuriam ſibi occulte ab aliquo illatam manifeſtat, ſi talis iniuriæ illator ſit de ſimilibus & grauioribus antea diffamatus.*

4 *Bannitum aliquo in loco aliàs latuiſſe detegens eo tempore, quo probabiliter credebat iam inde receſſiſſe, licet ob id re*

*aliter*

*existente dictus bannitus fuerit occisus, modo id ea intentione, vt occideretur, non dixerit, irregularis non efficitur.*

## CONSILIVM XIX.

SACERDOS quidam reperit in sua possessione latronem quemdam bannitum, à quo fuit minis, terrore, & gladio gutturi applicato pessimè affectus, & ob id cum in domum esset reuersus minutus sanguine, & à multis interrogatus noluit dicere causam, donec elapsis septem vel octo horis cuidam compatri suo id eum flagitanti dixit nomen eius, à quo passus fuit: addens, quasi per iocum, & tamquam non verisimile. *Ite, & eius caudam apprehendite*, significans eum iam non inuentum iri, quippe cui tantum temporis fuisset aufugiendi: cuius compatris indicio fuit inuentus latro à iudice prosequente, & occisus ab vno comite ipsius iudicis. Quæritur, an prædictus sacerdos sit irregularis.

1 Respondetur non esse. Primo quidem, quia ipse non occidit, non iussit, nec consuluit, immo multo tempore tacuit, cum conqueri posset apud iudicem iustè, protestatione facta, ne procederetur ad sanguinis effusionem, iuxta cap. *prælatis.* [a]

2 Secundo, quod etiam nullatenus fuit causa propinqua illius homicidij: quia esto eius dictum fuisset causa, sine qua non fuisset sequuta tam cito illa mors, non tamen fuit causa propinqua, sed longè remota: & ad irregularitatem incurrendam non sufficit quod quis sit causa homicidij remota, sed oportet quod sit propinqua, [b] & iuxta glossam singularem & receptam. [c]

3 Causa verò propinqua homicidij illiciti definitur à nobis in Manual. confess. [d] esse *dictum aut factum illicitum sufficienter in deformationem, id est homicidium, vel mutilationem, directum*: quale non fuit dictum D. consulentis. Tum quod non fuit illicitum: nullo enim iure tenebatur, illud, quod dixit, tacere: cum tam naturali, diuino, quam humano, liceret ei ob illam iniuriosam actionem illum accusare, & etiam extra iudicium prodere, iuxta illud Pauli Iurisconsulti. [e] *Eum qui nocentem infamat, non esse condemnandum: peccata enim nocentium inulta non esse, & oportere, & expedire.* vbi glossa recepta in verbo infamat. addit esse verum id, siue faciat id in iudicio, siue extra, per multa iura, quæ ibi allegantur, & traduntur in Manual. confess. [f] & is cuius violentiam amico detexit sacerdos, erat vir iniquus, & de similibus & maioribus violentijs infamatus, & damnatus, & exbannitus, vt ponitur in facto.

4 Tum quod illud dictum non erat sufficienter ordinatum ad mortem: quia illud dictum dicitur sufficienter directum in mortem alicuius, quod suapte natura, vel intentione dicentis dirigitur in illam, vt in d. Manual. [g] definitur: & prædictum dictum sacerdotis nec suapte natura, nec intentione proferentis, dirigebatur in mortem: alioquin quodcumque dictum alteri, crimen alterius morte dignum propalans, diceretur esse dictum sufficienter directum in illam: quod valde absurdum est, & ita non dicendum, [h] nec potest dici directum in mortem citius inferendam, argum. à remotione generis ad remotionem speciei, quod est validum, iuxta glossam iuncto textu, [i] & Baldum, [k] vt, Si non est animal, non est homo.

5 Tertio facit, quod tunc demum mors non intenta sequuta ex opere facit quem irregularem, quando opus illud illicitum eo respectu est tale, quod dirigitur in illam, vt in d. Manual. cap. 27. [l] dicitur: Qui mittit aliquem aliquò intentione mala, puta furandi aliquid, & illo in via ictu fulminis occiso non est irregularis: quia licet missio illa in se esset illicita, & ex ea sit sequuta mors; quatenus tamen erat illicita, non dirigebatur sufficienter in illam. & ita esto dictum prædicti sacerdotis esset illicitum, quatenus illum diffamabat, quod tamen non est verum, vt dictum est; non tamen erat illicitum per directionem in mortem latronis, sed alio respectu, videlicet publicationis peccati secreti. Cum igitur eius dictum non fuerit illicitum, nec causa propinqua, licet forte fuerit causa remota sine qua non; consequens est, eum qui dixit illud, non esse irregularem. Salua.

a De homici. lib. 6.
b Cap. de occidendis. 23. q. 5.
c In c. de cætero. de homi.
d Cap. 27. n. 220.
e In l. eũ qui. ff. de iniurijs.
f Ca. 18. n. 31.
g Cap. 27. nu. 211.
h L. nã quod absurdum. ff. de bonis. libr.
i In l. si causa cognita. C. de transact.
k In l. conuẽticula. C. de episc. & cleri.
l Num 220.

### SVMMARIVM.

1 *Causa non omnis, sine qua non fuisset sequutum homicidium, inducit irregularitatem, sed requiritur vt sit sufficienter directa in mortem suapte natura ipsius actus, vel intentione agentis. num. 3.*

1 *Indicium remotum & obiter dans quis, vnde audientes sumunt occasionem vt contra aliquem inquiratur, & occidatur, non dicitur præbuisse causam sufficienter directam in mortem inducentem irregularitatem. & nu. seq. iuncto casu.*

## CONSILIVM XX.

QVIDAM religiosus dixit quibusdam colloquentibus de quadam muliere interfecta, sine vlla mala intentione. *Est ne forte illa mulier vna, quam ego vidi nudius tertius euntem cum suo marito extra vrbem?* per quod dictum auditores detulerunt ad iudicem, qui per illud inquisiuit contra interfectorem. Quæritur, an præfatus religiosus sit irregularis.

1 Respondeo primo, quod opportunum fuisset declarare an præfatus interfector fuit prætoris iussu occisus, nec ne: quoniam certum est præfatum religiosum non fuisse factum irregularem, nisi post mortem seu mutilationem membri consequutam, vt & nos post alios tradidimus in Manu. confess. [a]

Secundo, quod non videtur præfatus religiosus factus irregularis, etiamsi prætoris iussu fuerit occisus interfector. Tum quia non occidit eum, neque dedit consilium, nec auxilium, nec fauorem interfectori. Tum quod nõ obstat, quod dederit causam mortis per suum dictum, eo quod dixit illud sine intentione mouendi auditores, vel prætorem ad inquirendum contra interfectorem: & illud dictum nec suapte natura, neque intentione proferentis dirigebatur ad præfatam interfectionem.

2 Et non omnis causa, sine qua non sequeretur mors, nec mutilatio, sufficit ad irregularitatem incurrendam: quia oportet vt sit propinqua, iuxta glossam singularem & communiter receptam. [b]

3 Causa vero propinqua, vt satis diligenter nos definiuimus in dicto Man. [c] est *dictum, vel factum sufficienter directum in mortem, vel mutilationem*: dicitur autem sufficienter directum, quando ad illum finem dirigitur intentione dicentis, vel facientis, vel suapte natura, at pra fatum dictum nec suapte natura, vt palam est, nec intentione dicentis ad mortem interfectoris directum fuit. Salua, &c.

a Cap. 27. nu. 612.
b Cap. de cætero. de homi.
c Ca 27. nu. 210. & n. 219.

### SVMMARIVM.

2 *Irregularis est non solum qui occidit, vel mutilat, sed etiam qui aliquo modo iuuat ad occidendum, vel dat causam, vnde sequitur mors, modo sit causa proxima, secus de remota, nisi sit illicita, & simul saltem virtualiter sufficienter directa in mortem. num. 4.*

2 *Peccatum alterius occultum detegens peccat, nisi illud detegat ex causa, puta, vt alij caueant, ne ab eo insicientur.*

3 *Illicitam actionem agens, si vel ex intentione agentis, vel ex natura ipsius rei, vel lege, aut consuetudine loci, in quo ea fit, actualiter, vel virtualiter dirigitur in mortem, illa sequuta, efficitur irregularis, aliàs non. nu. 4.*

3 *Consuetudo, & lex specialis loci, in quo quid agitur, est etiam attendenda ad iudicandum, an actio sit sufficienter directa in mortem.*

5 *Peccatum alienum publicans, ob quod reus fuit captus, & occisus, tunc demum efficitur irregularis, si dictam publicationem fecit cum peccato, vel ea intentione, vt reus puniretur; aliàs non.*

## CONSILIVM XXI.

BRIANTVS clericus & ordinibus sacris insignitus existens in quodam castro coram militibus custodibus eius dixit suis socijs, quòd vnus trium fratrum, qui intrauerant illud, erat de societate quorumdam, qui ob peccatum nefandum fuerunt combusti: & cum id peruenisset ad præfectum, interrogatus ab eo, an verum esset quod dixerat, respondit quod sic.

Quæritur, an fiat irregularis, si ille captus condemnetur ad mortem, & occidatur.

1 Respondeo, quod pro parte affirmante facit primo, quod non solum qui occidit, vel mutilat, sed etiam qui aliquo modo adiuuat ad occidendum, est irregularis. [d]

Secundo, quod etiam est irregularis, qui dat causam, vnde sequatur homicidium. [e] At consulens videbitur causam

d Ca. sicut dignum. § 1. cum seq. de homic.
e Cap. tua. de homicid.

dedisse mortis, si ille occidatur: quia captus est propter illa verba, quibus ipse significauit illius fratris malitiam, & peccatum, ob quod est captus.

Tertio, quod testis, qui testificatur in causa sanguinis, si mors inde sequatur, vt Panormitanus post alios definit, [a] incurrit irregularitatem.

Quarto, quod D. consulens illicitè videtur publicasse peccatum illius, infamando eum, etiam si verum fuisset: quia non solum peccat contra octauum præceptum Decalogi, qui falsum crimen imponit proximo, sed etiam qui publicat peccatum eius secretum, vt nos latè probamus in Manual. confess. [b]

3 Quinto faciunt cap. *presbyterum.* [c] & alia iura, per quę nos in præfato Manual. [d] concludimus, quod qui agit rem illicitam, vnde sequatur mors, si res illa illicita intentione agentis, vel natura sua, vel lege, aut consuetudine terræ, in qua id fit, actualiter, vel virtute dirigitur in illam mortem, fit irregularis, illa sequuta. At consulens videtur illicitè publicasse illud delictum; & illa publicatio intentione infamantis, vel suapte natura, vel lege consueta obseruari, dirigitur in mortem accusati, vel accusandi. ergo.

4 Pro contraria tamen parte facit primo, quod non est irregularis. Tum quia non dicetur ille à consulente occisus, nec iussus occidi. Tum quia causa remota homicidij non est sufficiens ad inducendam irregularitatem, iuxta glossam singularem, [e] saltem si non daretur dando operam rei illicitæ, quæ actu, siue actualiter, vel virtute, seu virtualiter dirigeretur in illud homicidium: & præfatus consulens non dixit præfata verba in finem, vt ille frater caperetur, & occideretur; & licite potuit ea dicere ad monendum socios, vt cauerent ab eo, iuxta l. *eum qui nocentem.* [f] & l. *si non conuicti.* [g] quas ad hoc citamus in Manual. confess. [h] pro quo est textus in cap. *exhibita.* [i]

Secundo, quod non omnis datio causæ mortis est sufficiens, vt danti eam imputetur delicta, quæ sequuntur ex ea. [k]

Tertio, quod præfatus consulens non dixit præfatum fratrem peccasse peccatum nefandum, sed tantum consueuisse ambulare cum his, qui ob tale fuerunt combusti; quod longè aliud est: & à separatis non fit illatio. [l]

5 Quibus pro vtraque parte pensatis, videtur resoluendum primo, quod si consulens in publicando illud peccauit, & ob eius dictum fuit comprehensus, & occisus, fiet irregularis, non autem si non peccauit.

Secundo, quod si publicauit illud mala intentione, quæ quo ad forum exterius talis præsumetur, [m] & ille ob illud dictum fuerit captus, & occidatur, erit irregularis, sed facile dispensabitur cum eo secundum morem prætorij Pœnitentiariæ; donec autem occidatur, non erit irregularis. Salua, &c.

a In c. sententiam sanguinis. ne cler. vel monach.
b Cap. 18. n. 31.
c De homici.
d Ca. 27. nu. 219.
e In c. de cætero. de homici.
f ff. de iniur.
g Cod. eod.
h Cap. 18. nu. 31.
i Eod. tit.
k Cap. de occidendis. 23. quæst. 5.
l Leg. Papinianus. ff. de minoribus.
m Dict. l. si nō conuictij.

*SVMMARIVM.*

1 *Offensis, ne satisfactionem, quæ eis extraiudicialiter offerebatur, vti indecoram reciperent, sed potius tractatum pacis rumperent, consulens clericus, tunc demum postea sequuto homicidio efficitur irregularis, si per prædicta verba offensis consulere intendebat, vt via armorum se vindicarent; secus, si intendebat eisdem consulere, vt id via iuris efficerent.*

## CONSILIVM XXII.

IN regno, in quo consueuerunt homines vnius cognationis suum honorem & bona vindicare, seu recuperare auctoritate propria, quidam presbyter consuluit suæ cognationis viris, ne susciperēt satisfactionem alterius cognationis, quam offerebat, dicens. *Non conuenit cognationi vestræ talem satisfactionem acceptare: quare potius rumpite tractatum, quem habetis amicitiæ, quam vos sitis tali satisfactione contenti.* & hoc dixit frequenter. Postea cognati sui, inscio presbytero, inuaserunt aduersarios, in quo conflictu mortui fuerunt aliqui.

Quæritur, an præfatus presbyter sit irregularis.

1 Respondeo, quod pro vtraque parte quęstionis facit glossa singularis, [n] communiter recepta, quatenus habet irregularitatem non contrahere illum, qui solum causam remotam homicidio iniusto præstat; sed sic eum, qui dat causam propinquam: & quod quibusdam videbitur pręfatus D. consulens dedisse causam propinquam, & quibusdam non nisi tantum remotam: nobis autem videtur, quod, si præfatus consulens per verbum, *rumpite,* potius intellexit de ruptione vel fractione pacis per viam armorum, & violentiæ, censendus sit consuluisse causam propinquam homicidiorum: si autem intellexit ruptionem & fractionem per arma iustitiæ mouendo litem, & petendo iustitiam coram competenti iudice, censendus sit dedisse causam remotam, & quod non est irregularis, &c.

n Cap. de cætero. de homicid.

*SVMMARIVM.*

1 *Irregularitas non incurritur ex homicidio, nisi sequuta morte, vel mutilatione.*

2 *Irregularis non est, qui non impedit, cum posit, homicidium; immo nec qui desiit impedire, etiamsi sibi illud placeret.*

2 *Percussionem clerici non suo nomine factam ratificans non excommunicatur, etiamsi dum percuteretur, id sibi placeret.*

## CONSILIVM XXIII.

N. Dixit aliquas iniurias contra L. & prosequebatur eas: & quidam presbyter frater L. impediebat fratri suo exitum à domo, ne mala consequerentur, monendo N. vt cessaret ab iniuriis, & inde recederet: ille verò noluit recedere, nec cessare ab iniuriando: immo retaliando vnam iniuriam, quam ei L. dixit, clamando addidit illa verba apud homines valde iniuriosa, *mentiris, mentiris,* multis etiam nobilibus præsentibus; cum tamen N. esset abiectus, & origine Saracenus. Prædictus presbyter turbatus magnitudine iniuriæ in fratrem suum illatæ, non detinuit fratrem, nec impediuit ei exitum, & ita exiuit, & N. ense euaginato confodit. Quæritur, an dictus presbyter sit irregularis.

1 Respondetur primo, quod si ex illa percussione non fuit sequuta mors; non est irregularis: quia percussio, per quam non fit mutilatio, nec occisio, non efficit quem irregularem.

2 Secundo, quod magnæ quæstionis est, an sit factus irregularis, si ex præfata percussione sequuta fuit mors, vel mutilatio membri: & mihi videtur quod non, si prædictus presbyter non iuuit fratrem aliquo modo cooperando, sed solum se habuit negatiuè non impediendo: sicut nec furti tenetur, qui videt alium furari, vel velle furari, sed non iuuat illum, nec admonet dominum rei, vt caueat sibi, argumento eorum, quæ dixit Hadrianus, [a] quem nos fuimus sequuti in Manu. confessariorum, [b] & quamuis etiam fortè consentiendo in peccato peccauerit, non tamen incurrit pœnam excommunicationis, & irregularitatis, sicut nec onus restitutionis damni dati: pro quo est argumentum optimum in cap. *cum quis.* [c] quatenus probat, eum, cui placet, vel consentit simpliciter, vt alius percutiat iniustè clericum non suo proprio nomine, & sine mandato ipsius, etiam si postea ratificet, non esse excommunicatum; quia nemo potest ratificare, quod suo nomine non est gestum. Salua, &c.

a In 4. sent. in titulo de restitutione. q. 1. col. 7. fo. 100.
b In c. 24. nu. 7.
c De sent. excom. lib. 6.

*SVMMARIVM.*

1 *Rixæ prius per fratrem cœptæ, gladio quidem euaginato, sed bono animo astans, sequuto homicidio, non est irregularis, si ex hoc fratrem homicidam non iuuit: at in foro exteriori iudicabitur faciliter talis, si probetur quod sic armatus festinanter accessit ad rixam, quia præsumetur fratrem ex actione istius factum audaciorem ad percutiendum.*

## CONSILIVM XXIIII.

AN sit irregularis, qui bono animo ensem tenebat in manu euaginatum sine læsione vlla alia, si alius in rixa percussus à fratre suo grauiter, postea ex percussione illa obierit mortem?

1 Respondeo primo, quod non est irregularis in foro conscientiæ; per ea quæ nos scribimus in Manu. nostro confess. [d] quia ipse non occidit illum, nec iuuit fratrem percussorem, nec dedit occasionem propinquam occidendi eum, neque consuluit, neque mandauit, vt occideretur, vel percuteretur; quod requiritur ad hoc, vt irregularitas incurratur ex morte illicitè illata.

Secundo, quod non iudicabitur irregularis etiam in foro exteriori, nisi probaretur præsumptiuè, quod præfatus D. consulens iuuit fratrem suum percussorem accedendo festi-

d Cap. 27. nu. 220.

nanter

nanter ad rixam, eo quòd suo ad illam accessu auxit animum fratris ad percutiendum.

Tertio, quod expediret ad impediendas lites fori exterioris, quod dictus D. consulens impetraret dispensationem ad cautelam, &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Rixæ iniustæ causam præbens erit irregularis, si ex ea accessorie oriatur altera rixa, in qua aliquis occidatur; secus, si secunda rixa orta fuit non accessorie, sed per se sedata prima.*

2 *Homicidium non dicitur voluntarium, si cum duo prouocassent se ad singulare certamen, alter ipsorum à tertio accessorie ex rixa occidatur.*

## CONSILIVM XXV.

TITIVS audiuit Sempronium dixisse quædam verba significantia odium graue in ipsum Titium, qui mox iuit ad quærendum Sempronium, & dicendum ei non esse odium simile sibi in ipsum Sempronium; sed quia dixit illa verba respondebat, quod si volebat, odium suum exequi, acciperet vnum ensem sui familiaris, & ipse acciperet alium, cum quibus se possent occidere. Et cum N. amicus Sempronij segregasset paululum Titium, S. rixit cum amico T. & illum manu impulit, & seruus impulsi percussit S. ense vaginato in capite, qui mortuus est intra 28. dies.

Quæritur, an Titius sit irregularis; & si absoluatur in foro exteriori, possit in interiori absolui secrete.

1 Respondetur primo, quod est distinguendum, an rixa secunda fuerit dependens, & accessoria rixæ priori, an non. Si enim fuit accessoria, videtur primò Titium in foro interiori esse irregularem: quia culpa tam Titij, quàm Sempronij etiam illicita, orta fuit rixa accessoria inter ipsos S. & socium T. qui rixabantur, ex qua sequuta est mors: & consequenter ex illicito facto T. fuit sequuta mors, & durante rixa priori: cui consequens videtur, eum factum esse irregularem, per ea, quæ diximus in Manual. confess. [a] Si autem rixa secunda non fuit accessoria rixæ priori, sed separata, non est censendus irregularis per ibidem dicta.

[a] Cap. 27. n. [illegible] & sequẽ[illegible]

2 Secundo, irregularitatem prædictam non esse ortam ex homicidio voluntario indispensabili, sed ex casuali dispensabili, & mixto. quod si T. absoluatur in foro exteriori, dispensabitur cum illo in interiori secreto à sacra Pœnitentiaria, vt sæpe vidimus factum in ea, &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Percussum, qui postea sanus factus infra mensem obijt, non teneor credere ex dicta percussione mortuum, cum nesciatur ex qua sit mortuus infirmitate.*

1 *Rixante me cum aliquo pro materia pecuniaria, si tertius ob id aduersarium impulit in parietem, vnde suscepto vulnere postea obijt; talis mors mihi, qui causam proprinquam non dedi, ad irregularitatem non est imputanda.*

## CONSILIVM XXVI.

QVODAM disceptante cum fabro de pretio iusto clauis soluendo, tertius arripuit fabrum, & eiecit in quasdam scalas, & sanatus postea infra mensem obijt. Quæritur, an qui disceptabat cum fabro sit iudicandus irregularis.

1 Respondetur videri non esse iudicandum irregularem, si nihil aliud, quàm quod proponitur, peccauit, nec aliam causam, quàm prædictam, tradidit tertio ad percutiendum fabrum. Tum quia iam sanus effectus mortem obijt, & non tenetur credere obiisse ex casu, de cuius percussione sanus euaserat. Tum quia nescitur ex qua infirmitate mortuus fuerit. Tum quia nullam causam propinquam percutiendi dedit.

*SVMMARIVM.*

1 *Mandans aliquem percuti baculo citra mortem, illa sequuta, fit irregularis, sed dispensabilis.*

## CONSILIVM XXVII.

1 QVI mandauit alicui, vt percutiat aliquem baculo citra mortem, ea sequuta, est quidem irregularis ex homicidio, non tamen illa irregularitate indispensabili, de qua loquitur [b] Concilium Tridentinum, [c] & probatur in nostro Manual. confess. [d]

[b] Cap. 7. cum etiam in principio de refor.
[c] Sess. 14.
[d] Cap. 27. n. 240.

*SVMMARIVM.*

1 *Baculo volenti se de inimico vindicare, qui auxilium, si oporteret, ferre promisit, sequuto incaute homicidio, incurrit irregularitatem ex homicidio casuali dispensabilem.*

## CONSILIVM XXVIII.

AN A. qui promisit adiuuare aliquem, si videret ope sua illum egentem, quando baculo vindicaret iniuriam acceptam à C. ob colaphi percussionem, sit irregularis, mortuo per ictum pugionis B. in quem irruit incaute?

Respondetur, quòd sic, non quidem illa irregularitate, quę nascitur ex homicidio voluntario indispensabili, sed alia minori, quæ casualis dici potest, per ea quæ nos diximus in Manu. confess. [a]

[a] Cap. 27. nu. 219. & meliꝰ num. 239. & seq.

*SVMMARIVM.*

1 *Moderamen inculpatæ tutelæ attenditur secundum periculum illius, qui ab iniusta iniuria defenditur, siue defendat se, siue alium.*

## CONSILIVM XXIX.

HABET Dominatio tua in Manu. [b] quod qui iustè occidit propter iustam defensionem proximi, &c. non peccat, etiam si aliter propriam vitam defendere posset, hoc non videtur securè dictum: nam pro tanto quis ab homicidio excusatur, pro quanto defendit se cum moderamine inculpatæ tutelæ: at qui aliter se potest defendere, quàm occidendo, non videtur seruare tale moderamen; ac per hoc dicimus eum non excusari ab homicidio, &c.

[b] Cap. 15. nu. 4.

1 Respondeo, quòd tam cùm defendit proximum, quàm cùm defendit se ipsum, debet seruare moderamen inculpatæ tutelæ; sed cum defendit proximum, debet seruare moderamen inculpatæ tutelæ proximi; cum autem se ipsum, moderamen inculpatæ tutelæ sui, secundum omnium mentem. [c]

[c] Leg. 1. C. vnde vi. leg. vt vim ff. de iusti. & iur.

*Aduertendum autem non inde inferri quod si iuste occidam tertium ob defensionem proximi, seruato moderamine inculpatæ tutelæ, euitem irregularitatem.*

*SVMMARIVM.*

1 *Iniuriantem etiam fugientem possum insequi, & in tantum percutere, quantum est necessarium ad hoc, ne magnam honoris iacturam faciam.*

1 *Adulterum non possum occidere: quia nec hic modus est necessarius, nec lex id concedit, licet pœnam condonet.*

## CONSILIVM XXX.

DOMINATIO tua in suo Man. [d] tenet, quod si affectus iniuria vulneris, seu alapæ, &c. magnam sui honoris iacturam faceret, si fugientem non persequeretur, posset eum persequi, & percutere tantùm, quantùm ad sui honoris defensionem opus esset, &c. Dubitatur: nam si pro iactura honoris licet etiam fugientem persequi, & vulnerare, liceret etiam occidere hominem inuentum turpiter cum vxore, sorore, matre operantem, vbi maximam honoris iacturam vir patitur, & non nisi per mortem violentam adulteri vindicari potest: tamen inferius oppositum huius affirmatur in eodem cap. 15.

[d] Cap. 15. n. 3.

1 Respondeo, quod negandum est, maritum non posse honorem suum seruare, nisi occidendo adulterum: nullo enim iure id probatur, iura enim Cæsarea, occidentem adulterum in casibus licitis, non fecerunt impunem, eo quod honorem ipsius læsit, sed quia difficile est tam iustum dolorem temperare, l. [e]

[e] Leg. Gracchus. ad leg. Iul. de adul.

*Aduertendum conclusionem* Nauar. *d. n. 3. non recipi à Soto, contrarium docens de iusti. & iure. lib. 5. q. 1. ar. 8. ante fin. vers. vnum autem immo idemmet* Nauar. *in fin. cons. 32. in effectu videtur idem sentire quod Sotus.*

*SVMMARIVM.*

1 *Aggressorem, ad mei necessariam defensionem, tunc præuenire possum, quando is statim sine mora me est aggressurus; secus, si ex interuallo: quia tunc aliquo modo possum mortẽ effugere.*

## CONSILIVM XXXI.

IN Manuali, [f] sic habetur: *Credimus autem dici posse quo ad hoc eum aggressorem, qui decreuit occidere alium, cui nullum est diffugium euadendi mortem, nisi præueniat eum, antequam aggrediatur, &c.* Dubitatur, an ex his verbis securè affirmari possit,

[f] Cap. 15. n. 2. in fin.

clericum, aut alium non peccare, vel irregularitatem incurrere, si præueniat aggressorem, eum videlicet, quem pro certo scit sibi parasse plures insidias, & in cuius manus omnino vna die incidere oportet, & per eum occidi; quem si vitare voluerit, oportebit eum patriam, & bona sua relinquere, vel eum præueniendo occidere. Videtur namque tutus in conscientia; quia aliter se tueri non potuit, nisi præueniendo, occidendo; præsertim cùm sciat, nullo modo se posse cum aggressuro contendere, nec ei resistere.

1 Ad hoc respondeo negatiuè. Tum quia nos [a] loquimur de illo, qui decreuit statim eum occidere, nulla mora interposita, qua nullo modo possit effugere mortem: & in casu, ad quem illud dictum inducitur, interponitur mora, qua multis modis potest effugere mortem, puta absentem se faciendo, non exeundo domo, recipiendo se in loco tuto, morbo item, & ægritudine, & morte, vel pœnitentia illius volentis eum occidere.

a Prædicto n. 2.

*SVMMARIVM.*

1 *Occidens inuasorem, etiam cum moderamine, fit irregularis, si sua culpa sit inuasus.*

2 *Iniuriam verbo illatam, alapa, vel aliter propria vindicans auctoritate, iniustè agit. vnde si etiam postea ob id sine alia sua culpa sequatur digladiatio, & mors, erit irregularis.*

## CONSILIVM XXXII.

QVIDAM intulit iniuriam alteri, dicendo eum mentiri; quem affectus iniuria percussit alapa, & percussus postea obuiam factus voluit occidere percussorem, qui se defendendo occidit percussum, nulla intentione occidendi concepta, cùm fuit inuasus. Quæritur, an sit irregularis.

1 Respondeo, quod facile videri potest cuipiam D. consulentem non fuisse factum ex tali homicidio irregularem: quoniam illud commisit ad defensionem vitæ necessariam, quo casu occidens non fit irregularis, [b] si occidat eum cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt nos post alios diximus in Manual. confess. [c]

Sed contrarium videtur verius: quia, vt in additione quadam, [d] præfati Manual. confess. respondebimus in noua eius editione, non sufficit ad vitandam irregularitatem, quod occidens seruet moderamen inculpatæ tutelæ eo tempore, quo inuasus occidit; sed oportet, ne inuasio eius procedat ex actu illicito ipsius præcedente. Cum igitur D. consulens illicitè dedisset alapam commilitoni suo vindicando iniuriam auctoritate propria, & illa fuerit causa cur inuaderetur; non sufficit ad excusandum eum ab irregularitate, quod quando occidit, seruauit tantùm moderamen inculpatæ tutelæ, quantum suffecisset ad excusandum eum ab illa, si absque suo actu illicito præcedente fuisset inuasus: & proculdubio videtur nobis fuisse factus irregularis. Salua, &c.

b Cle. 1. de homic.
c Cap. 15. n. 3.
d Cap. 15. n. 7.

*SVMMARIVM.*

1 *Irregularis est, qui domum ingressus ad adulterandum, se defendendo, alium occidit.*

## CONSILIVM XXXIII.

DONATVS an sit irregularis, qui aggressus committere adulterium, de defendendo, maritum adulteræ occidit?

1 Respondeo, quòd ratio Couarruuiæ est ipsa, qua nos mouemur, & fortè eam à nobis audiuit, & ita consentire nobis videtur. Cum ergo qui vadit ad adulterandum in domo aliena, & adulteratur in ea, faciat actus illicitos ordinatos ad occisionem suapte natura, lege, consuetudine, vel maritorum propensione consueta mala, vel bona, & repertus in ea occidat maritum, peccat, & irregularis efficitur, etiam si cum tanto moderamine se defendat, quod si alio in loco non præmissis similibus actibus illicitis inuasus occideret, à peccato & irregularitate excusaretur. Vnde Siluester, [e] ait, eum qui dat causam aggressuræ, vt quia noctu visitet domicellas, teneri ad restitutionem, etiam si se defenderit ita, vt, si alibi sine culpa sua præuia inuasus occideret, non teneretur, vt videre est in nostro Manual. confess. [f]

e Verb. restitutio. 3. q. 2.
f Cap. 15. n. 7. & cap. 17. nu. 238.

*SVMMARIVM.*

1 *Irregularitas contrahitur ex omni homicidio illicito, quod sequitur ex actu illicito suapte natura, lege, vel consuetudine expresse vel virtualiter ad illud directo.*

1 *Adulter, si deprehensus in adulterio ad sui necessariam defensionem maritum occidat, immo & si ob adulterium antea commissum adultera occidatur à marito, efficitur irregularis; quia secundum consuetudinem communem hominum, maxime in Italia, adulterium est causa in homicidium sufficienter directa.*

2 *Causa remota homicidij etsi non sufficiat ad causandam irregularitatem, non tamen requiritur quod sit immediata, sed sufficit quod sit propinqua, & satis sufficienter directa in homicidium.*

## CONSILIVM XXXIIII.

ANTONIVS sacerdos in crepusculo noctis post signum campanæ ad orationem vespertinam, quam appellant *Aue Maria*; vocauit ad Ecclesiam quamdam mulierem ad alloquendum eam super quodam matrimonio, qua ingressa clausit portam Ecclesiæ, cum qua sola mansit solus: quidam autem consanguinei malè suspicati expectauerunt egressum mulieris, cum qua rixerunt, & eam pugionibus ferierunt, & intra quatriduum obiit mortem. Quin & præfati eius consanguinei, porta Ecclesiæ vi reclusa, extraxerunt sacerdotem, vt foris eum occiderent: eo vociferante, & auxilium petente, quidam eius cognati succurrerunt ei, & vnus eorum percussit vnum ex cognatis mulieris, qui etiam ob illud vulnus mortuus fuit: Quæritur, an præfatus sacerdos irregularitatem incurrerit.

Coniicientibus nobis præfatum sacerdotem esse parochum, vicarium, vel custodem præfatæ Ecclesiæ, & ipsum & mulierem satis iuuenes ad inducendum suspicionem peccati carnis, videtur primo dicendum, præfatum sacerdotem esse irregularem propter occisionem præfatæ mulieris.

1 Tum quia irregularitas contrahitur ex omni homicidio illicito, quod sequitur ex actu illicito suapte natura, lege, vel consuetudine expresè, vel virtualiter ad illud directo, vt nos tradimus post alios in Manu. confess. [a] adiunctis eis, quæ prædiximus vbi supra, [b] & in casu proposito homicidium præfatæ mulieris fuit illicitum, & consequutum ex actu illo malo, & malam speciem habente, vocandi mulierem tali hora ad Ecclesiam, & post eam ingressam claudendi portam, & manendi solitariè cum illa, cum essent ambo ætatis suspectæ: & actus ille malæ speciei, & malus suapte natura, lege, vel consuetudine communi hominum, maximè Italiæ, dirigitur expresè, vel tacitè in homicidium, vel percussionem, vt palam colligitur ex petitionibus, quæ in sacra Pœnitentiaria offeruntur super vindicatione iniuriarum, quæ fiunt cognatis ex impudicitia cognatarum. Tum quia fel. recor. Pius V. approbauit opinionem nostram, quam tenuimus in re controuersa, quod irregularis est clericus, qui repertus in domo adulteræ, & inuasus à marito, etiam se defendendo occidit maritum: immo, & qui adulteratus est cum vxore alicuius, & postea ob id occidit eam maritus: quia huiusmodi adulterium suapte natura, lege, vel consuetudine dirigitur in homicidium. quam approbationem etiam vbi supra, [c] referimus.

2 Secundo etiam videtur dicendum, quod licet non moueat tanta ratio ad iudicandum præfatum sacerdotem esse irregularem propter homicidium secundum cognati mulieris, sicut propter homicidium ipsiusmet mulieris; probabiliter tamen dici posset esse irregularem propter vtrumque homicidium: quia vtrumque fuit illicitum, & vtrumque processit ex actu illicito malo, vel malæ speciei, licet alterum proprius fuerit, quàm alterum, & neutrum immediatè natum fuerit ex illo: quia licet requiratur ad irregularitatem contrahendam, quod quis dederit causam homicidij propinquam, iuxta glossam memorabilem, [d] non tamen requiritur quod dederit causam immediatam, sed sufficit quod sit propinqua, & satis directa in homicidium, vt colligitur ex multis corollariis, quæ nos referimus in præfato Manu. [e] Salua, &c.

a Cap. 27. nu. 214.
b In eod. c. n. 210. & in ca. 15. num. 6. & seq.
c Cap. 27. nu. 238.
d Cap. de cætero. de homi.
e Cap. 27. nu. 121.

*SVMMARIVM.*

1 *Irregularis est clericus adulter, ob cuius suspicionem maritus ita vxorem percussit, vt abortiuerit: & si postea obtinuit beneficium, consulendus est Papa.*

## CONSILIVM XXXV.

AN GASPAR clericus adulter (quod suspicans maritus grauiter percussit vxorem, quæ ob id abortiuit) sit irregularis?

1 Videtur irregularis: quia per ea quæ tradimus in Manu.[a] si percussionem illam consequuta fuisset mors vxoris, fuisset irregularis: & eadem fere est ratio, vt consequutio mortis fœtus animati effecerit eum irregularem: & quia agitur de retentione beneficij, videtur consulendus Sanctissimus.

a Cap.27.nu.238.

*Aduertendum hunc casum anno 1575. propositum in sacro pœnitentiario, & quia collegæ D. Nauar. in hāc eius sententiam non descendebant, res fuit remissa ad Pont. Greg. xiij. qui & ipse respondit non videri irregularē; posse tamen cum oratore præsente, & sic petēte dispensari ad cautelam, & ita quidam ex minoribus pœnitentiarijs fuit exequutus.*

*SVMMARIVM.*

1 *Occidens ad sui necessariam defensionem, si aliter euadere non poterat, nullam incurrit irregularitatem; sin autē aliter poterat, quā occidendo euadere, incurrit quidem irregularitatem, sed dispensabilem.*

2 *Modum inculpatæ tutelæ excedens, non quidem ordinaria, sed alia plectitur pœna; sicut & qui iusto dolore motus occidit.*

## CONSILIVM XXXVI.

AN OCCIDENS alium pro sua defensione, sed non ob ineuitabilem necessitatem, & ob id incurrens irregularitatem, censeatur irregularis ex homicidio voluntario indispensabili?

1 Respondetur, quod non, per [b] Concilium Tridentinum, quatenus habet, quod cum homicida voluntario, qui occidit ex proposito, nullatenus est dispensandum; cum eo verò, qui non ex proposito, sed pro defensione occidit potest dispensari etiam ad ministrandum in sacris ordinibus. per quod apparet; quod Concilium agit de eo homicida, qui eget dispensatione: & per consequens de eo, qui non occidit ob ineuitabilem defendendi vitam necessitatem; quia talis nullatenus est irregularis.[c]

2 Et ita qui occidit hominem non ex proposito, sed pro defensione, excedendo tamen moderamen inculpatæ tutelæ, fit quidem irregularis, sed non ea irregularitate, quæ descendit ex homicidio voluntario indispensabili. pro quo faciunt illa, quæ dicit Abbas,[d] & optime in cap. *significauit.*[e] quatenus probat pœnam ordinariam non esse imponendam, ei qui se defendendo, iustum defendēdi modum excedit; sicut nec illi, qui iusto dolore motus occidit, iuxta tradita in leg. *si adulterium.*[f]

b Ca.7. sessione 14.
c Cle.1. de homicid.
d In ca. olim. il 1. de restit. spoliat. nu.15. & seq.
e De pœn. & remission.
f §. imperatores. ff. ad l. Iuliam de adulterijs. &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Homicida voluntarius in foro exteriori iudicabitur, qui animo deliberato magno gladio aliquē in capite vulnerauit; qui postea mortuus fuit: sed & vix aliter poterit iudicari in foro conscientiæ.*

## CONSILIVM XXXVII.

DESIDERIO desideraui sic respondere D. consulēti, vt voluntati eius satisfacerem, propter eius pœnitentiam, eruditionem, & deuotionem inseruiendi Deo, parenti, ac cognatis suis: sed quia interrogatus à me vltra narrata per ipsum, quo instrumento, & in quo loco percussit N. & vnde accepit illud, respondet percussisse illum gladio; quē stortam vocāt, & in capite, & iuisse ad quærendum illum in sacristia manentem, & quod altero die fuit mortuus percussus, nequeo voluntati eius neque meæ satisfacere: quia videtur mihi prædictum homicidium iudicandum esse voluntarium quo ad forum exterius: & vix posset iudicari non esse voluntarium etiam quo ad forum interius, per tradita à nobis in nostro Manu. confess.[g]

g Ca.27. nu.240.

*SVMMARIVM.*

1 *Dispensandi facultas super irregularitate generaliter concessa Præmonstratensibus ad bigamiam & homicidium voluntarium non videtur extendenda.*

2 *Verisimilia quæ non sunt credi non debent.*

3 *Insolita in generali concessione non veniunt.*

3 *Insolita negligentia, sicut & insolita diligentia, fraudis suspicionem inducit.*

4 *Clausulæ apponi solitæ pro appositis habentur.*

5 *Priuilegia, seu rescripta contra stylum possunt de falsitate argui.*

5 *Bulla contra stylum Curiæ expedita ad Cancellarium instante parte remittenda.*

6 *Facta ad vnum finem, contrarium operari non debent.*

## CONSILIVM XXXVIII.

AN PER bullam Pauli III. fiat facultas superioribus ordinis Præmonstratensis dispensandi cum suis subditis super homicidio voluntario?

1 Respōdeo primo, negari nō posse, quod verba præfatæ Bullę multū vrgeant ad dicendum præfatos Reuerendos Patres prædicti ordinis Illustrissimi Præmonstratensis posse dispensare super irregularitate ex homicidio voluntario contracto, & ideo disputando satis posse id defendi.

2 Secundo, quod non auderem ego consulēdo id affirmare. Tum quia non sunt credenda, quæ non sunt verisimilia,[a] & non est verisimile fel. recor. Paulum III. virum prudentissimum, voluisse concedere ordini prædicto facultatem prædictam, quæ maxima est, quamque nulli alij ordini concessit, neque Illustrissimo summo Pœnitentiario Cardinali, neque toti sacræ Pœnitentiarię prætorio concedit: & ita non dispensat eius D. Illustrissima nisi consulto prius S. D. N. & de mandato ipsius speciali. Tum quia per eadem verba præfatæ bullæ probaretur posse præfatos Reuerendissimos prælatos dispensare super irregularitate bigamię; quod tamen non est dicendum: quia nec ipse Papa solet dispensare in ea, nisi ob aliquam maximam causam.

a Cap. quia non est verisimile. cum similibus, de præsumptio.

3 Tum quia insolita non veniunt in concessione generali.[b] Tum quia insolita diligentia fraudis suspicionē inducit, iuxta l. *si quis sub conditione.* adiuncta glossa quam Baldus ad hoc ibi notat quem cum alijs refert Decius,[c] & Felinus.[d] Et ita insolita negligentia excipiendi irregularitatem ex homicidio voluntario & bigamia videtur arguere voluntatem fraudandi legem. Tum quia clausulæ solitæ apponi habentur pro appositis,[e] & ita exceptio irregularitatis ex homicidio voluntario, & bigamia, solita interseri facultatibus ad dispensandum super irregularitatibus concessis, censenda videtur tacitè inserta præfato priuilegio.

b Cap. fin. de off. vica. lib.6.
c Consi.448. num.23.
d In cap.2. de rescript.
e Leg. fi. C. de fideiuss. c. cum M. de constit. cap.2. de resc.

5 Tum quia rescripta & priuilegia contra stylum Curiæ scripta possunt argui falsitatis, per innumera, quæ congessit Felinus.[f] Tum quia bulla contra stylum Curię expedita remitti potest ad instantiam eorum, quorum interest, ad Cancellariam, vt in ea suppleatur, vel restringatur secundum eius stylum, iuxta regulam 25. Cancel.

f In d.c.2. de rescri. à n.16.

6 Tum quod præfatus Paulus III. excipiēdo irregularitatē prouenientem ex iniusta fructuum perceptione à potestate dispensandi, visus fuit habuisse animum restringendi potestatem dispensandi concessam alijs religionibus, illa non excepta: ergo non videtur habuisse animum ampliandi eam, cum facta ad restringendum non operentur ampliationem, neque è contrario.[g] Tum denique, quod videtur absurdum dicere, Papam, qui voluit negare potestatem dispensandi super irregularitate nata ex iniusta fructuum perceptione, voluisse cōcessiones eiusmodi solitas dari ampliare ad irregularitatem ex homicidio & bigamia natam, cum fuerint qui dixerunt Papam non posse dispensare super eis, iuxta cap. *miror.*[h] & notata in cap. *debitum.*[i] cumque non concedat Papa eam suis nuntijs, & Legatis etiam à latere, vt palam est his, qui viderūt facultates eis concessas: & ita nullatenus videtur cōsulendū.[k] Quamuis profecto in gratiam prefatorum Patrum Reuerēdissimorum, quos ego multiplici ratione colo, contrarium libenter respondissem, si per conscientiam licuisset. Salua, &c.

g Cap. final. de ver. sig. & l. rem legatā. ff de adimen. leg.
h 50. dist.
i De bigam.
k L. e. nā quod absurdum. ff. ff. de bonis liber.

*SVMMARIVM.*

1 *Episcopus non dispensat super irregularitate procedente ex homicidio voluntario iusto vigore sacri Concilij Trident. quod loquitur solum de procedente ex delicto, qualis non est hæc, sicut nec bigamia: sed nec alio iure hoc legitur nec ipsis, nec Legatis concessum. num.2.*

## CONSILIVM XXXIX.

AN HABENS potestatem dispensandi super omni irregularitate, sicut Episcopi, possit dispensare super irregularitate contracta ex homicidio iusto voluntariè facto in bello iusto cum armis, & vel in pace condemnando iustè aliquem ad mortem, vel condemnationem iustam exequendo, vel defendendo proximum, vel quouis alio iusto modo.

1 Respondeo, quod nos docuimus in Man. confess. [a] quod Episcopus non potest; sed non probauimus id vlla ratione, remittentes ad numerum 240. pro quo tamen facit cósuetudo totius orbis petendi illá à Papa, & quod nullo canone illa potestas sit Episcopo, & quod nó fit illa etiá, in [b] sess. Conc. Trid. quia per illud datur potestas dispensandi super irregularitate descendente ex delicto, hæc autem non descendit ex delicto. & quod non obstat, quod potest Episcopus dispensare super irregularitate illicitè contracta; ergo à fortiori in contracta licitè: quia irregularitas bigamiæ sine peccato contrahitur, & tamen certum est Episcopum nó posse super ea dispésare. Tum per stylum Curiæ. Tum quia nec Papa dispésat, nisi rarissimè, & maxima cum difficultate, & dilatione.

2 Tum quia (quæ noua ponderatio est (cap. illud *liceat.* excipit irregularitaté ex homicidio voluntario, nulla facta mentione de irregularitate ex bigamia; & non alia ratione, quàm quia hæc non nascitur ex delicto; & consequenter habuit eá pro excepta, eo quod non nascitur ex delicto; & consequenter irregularitatem, quæ non nascitur ex delicto, Episcopus tollere nequit. Tum quia hoc tenet Speculator [c] & probatur irrefragabiliter in cap. *aliquant.* [d] quatenus punit eorum etiam ordinatores, quos non puniret, si dispensare possent; quoniam dispésando poterant ordinare. Tum quia Legatus licet possit dispensare in omnibus, in quibus possunt ordinarij, non tamen potest in alijs, nisi specialem habeat ad id facultatem, vel aliquo canone ei specialiter concedatur, qualis non est cap. præfatum *liceat.* Salua, &c.

a Cap. 27. nu. 217.
b Cap. liceat. de refor. 24.
c De dispensat. §. nūc breuiter. num. 3.
d 51. dist.

### SVMMARIVM.

*1 Homicidium voluntarium quadruplex, quorum primum nec peccatum, nec irregularitatem inducit, secundum vero irregularitatem tantum, tertium vtrumque, dispensabile tamen, quartum vtrumque & indispensabile.*

## CONSILIVM XL.

N. CVM multis alijs auctoritate publica bannitos insequendo, aliquot ex eis occidit, postea volens ad ordines promoueri super hoc quosdam consuluit, à quibus respósum accepit, quod stante decreto Concilij Tridentini ca. 7. de reform. sess. 14. nec ordinari, nec dispensari poterat. Quæritur quid iuris.

1 Respondeo primo, hunc D. consulentem esse irregularé, & consequenter sine dispensatione Apostolica non posse ascendere ad ordines. [e]

3 Secundo, quod qui responderunt non posse cum eo dispensari, videntur fuisse ad hoc moti ea ratione, quod visa sunt eis prædicta homicidia voluntaria; & quod Concilium Tridentinum, [f] negat dispensationem super homicidio volútario.

Tertio dico, quod quicunque sint, si satis perpenderunt, quadruplex est homicidium voluntarium. Primum, quod nullatenus est peccatum, nec vllam penitus irregularitatem infligit, quale est commissum ab eo, qui aliter mortem suam vitare non valet, iuxta clemen. 1. [g] Secundum, quod etiam non est peccatú sed inducit irregularitaté, quale est, quod iudex iustè iudicando, vel quis proximum iustè defendendo, vel miles iustè bellando committit. [h] Tertium est, quod est peccatú, & inducit irregularitatem, sed committitur sine volútate directa occidendi, excedendo moderamen inculpatę tutelę, vel aliàs illicitè, de quo loquitur [i] Concilium Tridentinum. Quartum, est, quod est peccatum, & fit per insidias voluntate directa occidendi, de quo loquitur idé Concil. [k] Itaq; dicédú, quod primú horú nó indiget pœnitentia, nec dispensatione; quia neq; est peccatú, neq; inducit irregularitaté. Secúdú non indiget pœnitentia, sed dispensatione; quia licet non sit peccatum, inducit irregularitatem, vt dictum est, sed facile dispensatur. Tertium indiget pœnitentia, & dispensatione; quia est peccatum, & inducit irregularitatem, & difficilius in eo dispésatur, quàm in secundo, sed finis præfati canonis permittit dispensationem. Quartum est peccatum, & inducit irregularitatem, super qua negat dispensationem prædictus canon, quatenus ait, *Perpetuo careat.* & quatenus in fine permittit dispensationem super tertio, negando à contrario sensu illam super quarto, iuxta regulam, *Qui de vno dicit, de alio negare videtur.* [a]

Quarto, quod per prædicta est clarú, quod licet præfatus D. consulens sit irregularis, eius tamen irregularitas est facile dispensabilis, & quotidie in sacro Pœnitentiariæ prætorio super ea dispensatum est, me ipso præsente. Salua, &c.

e Cap. fin. de temp. ordin.
f Sess. 14. c. 7.
g De homici.
h 51. dist c. 1. &. sententiam sanguinis. ne clerici vel monachi.
i In fine capite 7. sess. 14.
k In principio præfati cap. 7.
a Cap. nonne. de præsumpt. & l. cum prætor. ff. de iud.

### SVMMARIVM.

*1 Irregularitas dispensabilis tamen incurritur etiam ex culpa satis leui, etiam admissa in sola omißione; qualis est illius, qui domum rediens archibusium rota non flexa super scamnum deposuit, vnde casu pueri mors fuit subsequuta.*

*2 Suspensus ab altaris ministerio, non est ob id suspensus à beneficio, vel fructibus illius.*

*3 Irregularis ex homicidio, ac etiam à iudice ab altaris ministerio suspensus, beneficij etiam curati antea obtenti titulum retinet, & fructuum administrationem.*

## CONSILIVM XLI.

IOANNES presbyter, & parochus ecclesię Sancti Iacobi loci de Natuga Vrgellensis diœcesis, ex eo, quod de anno 1583. Hugonotti ingressi fuerunt per montes Pyrenæos Comitatum Rosilionis, & Ceritaniæ Vrgellensis diœcesis in numero octingentorum, vel mille, occidendo, captiuando ecclesias, seu templa diruendo, imagines Sanctorum abolendo, sacramentum Eucharistiæ eiiciendo, multaque alia facinora perpetrando, coactus fuit ipse, & alij sacerdotes, cæterique homines arma deferre ad patriæ defensionem; & inde euenit, quod quadam die, cùm dictus Ioannes iret cófessum, & domus illius per aliquod itineris spatium distaret, & segetes ante ostium permagnæ adessent, & redeundo secum tormentum manuale, siue archibusium attulit, &, cum domum peruenisset, super quodam scamno posuit galitto non flexo: & quidam puer, nescitur quo spiritu ductus, fibulam rotæ tetigit; vnde alius puer occisus fuit, inscio omnino & nolente dicto oratore. Super, quo sentétiam reportauit à suo ordinario à quo, donec absolutionem à Sede Apostolica obtineret, ab altaris ministerio suspensus, & ad ecclesiam Beatę Marię Virginis Montis Serrati pedester proficisci, ac ab officialatu Ceritaniæ per annum exulare, eleemosynasque largiri, & patri pueri defuncti tringinta aureos dare iussus fuit, vt in sententia prædicti Officialis continetur. Quæ omnia prædictus oratoradimpleuit, & per biennium & quatuor menses suspensus ab altaris ministerio extitit. Quibus præmissis, à D. V. R. quæritur.

Primum, vtrum orator sit irregularis, & in quas pœnas incurrerit.

Secundum, casu quo sit irregularis, & in pœnas incurrerit, quibus rationibus orator possit facilius à Sanctissimo absolutionem obtinere.

Tertium, vtrum suspensus ab altaris ministerio, nulla métione de fructuum receptione facta in sententia à suo ordinario, possit fructus percipere ex præbenda.

Quartum, vtrum suscipiens suspensus de licentia sui ordinarij fructus præbendæ, indebitè percipiat, præcipuè cùm aliud non habeat, vnde se alere possit.

AD PRIMAM QVÆSTIONEM videtur dicendum D. cósulentem incurrisse irregularitatem, eo quod sequuta fuit mors hominis ex facto eius illicito propter culpam, quam videtur incurrisse ob negligentiam commissam in non flectendo rotam, quando deposuit super scamno bombardulam prædictam, per ea, quæ nos tradimus post alios in Manu. confess. [b] sed non incurrit irregularitatem fluentem ex homicidio indispensabili, de quo in eodem Manu. [c] sed fluentem ex homicidio casuali, de quo ibidem, super quo passim dispensatur.

AD SECVNDAM respondetur, quod ratio, quæ

b Cap. 27. nu. 210.
c Eod ca. nu. 239.

maximè

maxime mouere potest S.D.N. ad dispensandum, est, quod præfata irregularitas est orta ex homicidio valde casuali,& ex opere, quod nõ videtur illicitum ex commissione delicti admissi in committendo,sed in omittendo,quod est lõgè leuius, quàm quod admittitur in committendo, iuxta glossam solẽnem receptam, [a] non enim admisit dolum, sed culpam satis leuem,& quæ alicui iudici videri potuisset non sufficere ad inducendam tantam irregularitatem,attenta necessitate, quæ tunc erat,vtendi armis;de quo non disputo:quia sententia trãsiit in rem iudicatam. Altera ratio,quæ mouere potest ad dispensandum,est,quod D.consulens est rector Ecclesiæ parochialis,& fuit valde obediens in adimplendo sententiam satis duram.

2 AD TERTIAM respondetur, quod sic: quia variæ & diuersæ sunt suspensio ab altaris ministerio,& suspensio à beneficio, vel fructibus beneficij, iuxta glossam solemnem quæ magna est, [b] quæ probat,non esse extendendam suspensionem ad diuersa,qualia sunt ministerium altaris, & fructus beneficij:& à diuersis non fit illatio, [c] præsertim ad ampliandam pœnam. [d]

4 AD QVARTAM respondetur,quòd sic,præsertim in casu proposito,in quo agitur de fructibus beneficij ante irregularitatem quæsiti,cuius nec titulum,nec administrationẽ fructuum tollit irregularitas superueniens ,iuxta dictum Innocentij communiter recepti. [e] Salua,&c.

a In l. si mora. verb. facto. ff. soluto matr.

b Cle. cupientes. de pœnis.

c L. e. Papinianus. ff. de minoribus.

d Cap. pœna. de pœn. dist. 1.

e In cap. cum nostris. de concess. præb.

### SVMMARIVM.

*1 Beneficium post irregularitatem obtẽtum vt suum retinere nemo vllo tempore potest: at quia restitutio est actus affirmatiuus, ideo illa arbitrio boni viri potest aliqualiter ex causa differri.*

*1 Præcepta negatiua obligant semper,& ad semper.*

*2 Præceptum de restituendo,qua ex parte affirmatiuum est, obligat quidem semper, sed non ad semper.*

## CONSILIVM XLII.

VTRVM homicida, vel alius irregularis retinere sine peccato possit beneficium quæsitum post irregularitatẽ ante dispensationem obtentam;& quid interea debet facere?

1 Respondeo, quod non potest retinere vllo tempore ante dispensationem illud beneficium tamquam suum, [f] sicut nec fur potest vllo tempore retinere rem furto subtractam tamquam suam, [g] quia præcepta negatiua obligant semper, & ad semper,secundum Archidiaconum, [h] & præceptum de non furando quatenus continet præceptum de non retinendo alienum pro suo,est negatiuũ,& ita obligat semper,& ad semper seruandum.

2 Posset autem retinere prædictum beneficium aliquo tẽpore boni viri arbitrio moderando, tamquam non suum, cũ voluntate relinquẽdi quam cito commodè & honestè potest: quia præceptum de restituendo,& relinquẽdo rem alienam, est saltem ex aliqua parte præceptum affirmatiuum ; & quatenus est tale,obligat quidem semper,sed non ad semper per prædictum dictum Archidiaconum,vbi supra desumptũ ex S.Thoma, [i] qui pulchram diuersitatis rationem inter præceptum negatiuum & affirmatiuum reddit,&c.

f Arg. c. 1. de reg. iuris li. 6.

g Ca sæpe. de restit. spol.

h Cap si peccauerit. 2. q. 1. & in summa de pœni. d. 5.

i 2.2. q. 33. ar. 2.

### SVMMARIVM.

*1 Homicida licet sine dispensatione non possit ordines suscipere, nec beneficia acquirere,nec actus peculiares & appropriatos aliquorum ordinum exercere,num.5 potest tamen antea obtenta beneficia retinere,num.2.illique etiamsi sit canonicatus,deseruire cum alijs in choro officium canendo,cum & laicis id permittatur.num.5.*

*2 Taciturnitas beneficij obtenti licet regulariter vitiet impetrationem secundi,ac dispensationem super pluralitate à Papa obtentam,non tamen vitiat illam gratiam,qua Papa ei concedit,vt vnum,vel plura vsque ad honestam sustentationem possit obtinere beneficia.num.3.*

*4 Falsitatis omnis expressio,quæ Principem ad faciliusconcedendum mouet,vitiat gratiam;at talis veri taciturnitas vitiat solum in illis casibus,in quibus ita iure cautum reperitur.*

A

## CONSILIVM XLIII.

HENRICVS homicida, iam diaconatu legitimè insignitus,habens & possidens vnam canoniam Ecclesiæ cuiusdam collegiatę,impetrauit à Papa dispensationem obtinendi beneficia simplicia non requirentia ordinem , quæ suo victui sufficerent,quæ sine altaris ministerio posset tenere,nõ facta mentione quod haberet præfatam canoniam.

Quæritur primo,an præfata dispensatio valuerit.

Secundo,an esto valuerit,vel non valuerit,possit deseruire præfatę canoniæ.

B

1 Pro parte affirmatiua primę quęstionis facit primo , quod prefatus consulẽs non perdidit ipso iure illum canonicatum, quem ante homicidium legitimè quęsiuit, [a] vt scribit Innocentius & cõmunis, [b] Felinus, [c] & alij alibi sæpe:& ita non indigebat dispensatione ad retinendum, sed tantùm sublatione irregularitatis ad se ordinandum , & ad alia beneficia obtinenda.

2 Secundo,quod non obstat,quod in impetratione beneficij quærendi sit facienda mentio de beneficio iam quæsito, [d] quia in casu proposito non loquimur de impetratione beneficij , sed de re habilitatione ad illud,vt palam est.

3 Tertio,quod etiam non obstat, quod in impetranda dispensatione ad beneficia debet fieri mentio de beneficio quęsito, [e] quia illud cap.non agit de impetratione habilitatis vel rehabilitatis ad beneficia,sed de impetranda dispensatione ad tenendam pluralitatẽ beneficiorum,& ita de alio genere dispensationis,ex quo non potest inferri ad aliud. [f]

C

4 Quarto quod non obstat dicere quod Papa difficilius cõcessisset præfatam dispensationem,si expressisset quod habebat canoniam. Tum quia non videtur id esse verum:quonia verisimilius est, quod potius concessisset retentionem illius, quàm obtentionem nouam aliorum. [g] Nec obstat,quod non concessisset habilitatem ad nouè quærẽda:quia id negari potest;nam eo quod concessit ad quærenda non solùm vnum, sed plura simplicia,quæ sufficerent ei ad honeste viuendum, vtique hoc concessisset, etiam si expressisset quod habebat canoniam:quia si illa ei sufficiebat,nihil concedebat; & si illa non sufficiebat,tanto minus concedebat,quanto minus egebat habẽdo illam canoniam. Tum quia licet omnis expressio falsi,quę mouet principem ad facilius concedẽdam gratiam, efficiat eam ipso iure nullam, [h] non tamen omnis taciturnitas veri,quod expressum redderet principem ad difficilius gratiam concedendam, reddit ipso iure nullam,sed tantùm taciturnitas illius veri,de quo iure cautũ est,vt non expresso illo gratia sit nulla,vt resoluit Rota, [i] & Felinus, [k] quos sequimur in Manual.confessa. [l] & in commentar.de datis & promissis. [m]

D

5 AD SECVNDAM, videtur pro parte affirmatiua facere,quod,vt prędictum est,per homicidium & irregularitatem superuenientem non vacauit canonia,& quod irregularitas per sola separata ab excommunicatione,interdicto, & suspensione non videtur impedire actum canendi & psallendi,nec alios,qui non sunt peculiares & appropriati actus ordinum, secundum mentem Innocentij , [n] nullo enim iure videtur probari,quod irregulari non liceat canere, & psallere in choro,& pronũciare per se,& cum alijs officia diuina,modo abstineat se ab actibus proprijs ipsorum ordinum. Tum quia per definitionem eius à nobis traditam in Man.confess. [o] constat irregularitatem esse quidem impedimentum ad accipiendum ordines,& ad vtendum acceptis,quatenus sunt ordines , non tamen ad vsum eorum officiorum , quo laici vti possũt: at laici licitè possunt canere & psallere in choro & extra illum officia diuina;ergo & irregularis idem facere posset. Tum quod nemo dicit illegitimum , cæcum , monoculum, manu,pede,aut aliquo alio membro mutilatum peccare canendo vel psallendo in choro vel extra illum,immo vsus cõmunis vrbis & orbis contrarium seruat.

E

F

a Ca. clericis. verbo priuetur. ne clerici vel monachi.

b Ca. cum nostris. de cõces. prebenda.

c Cap. inquisitionis. de accusat.

d Cap. si proponente. de rescrip. c. si motu. de præ. lib. 6.

e Ca. non potest. de præb. lib. 6.

f L. e. Papinianus. ff. de minor.

g Arg. c. quæ admodum. de iureiuran.

h L. eg. ff. si le gibus. C. si cõtra ius vel vtil. c. super literis. de rescr.

i In nouis dec. 21. de rescrip.

k Cap. postulasti. colũ. 4. eod. tit.

l Cap. 22. nu. 86.

m Num. 48.

n Cap. fin. de excess. prel.

o Ca. 27. nu. 191.

### SVMMARIVM.

*1 Paria sunt aduertere,& aduertere debere,sicut scire , & scire debere.*

*1 Inaduertẽtia causa actus excusat à peccato,si sit probabilis, sed*

*nō validat actum.n.2.nec excusat à restitutione nulliter accepti.& num.3.*

2 *Peccator non tenetur sub pœna noui peccati de peccato, quod nunc auertit à se commissum, conteri, nec confiteri ante tēpus confitendi à iure statutum.*

2 *Dispensationem quærat in irregularitate tonsuratus, vt priuilegio gaudeat.*

3 *Irregularis tonsurā sumens, nullam censuram, nec irregularitatem incurrit.*

3 *Irregularis, sicut ad beneficia, ita & ad pensiones ecclesiasticas ex stylo Curiæ est inhabilis.*

3 *Pensionis nulliter obtentæ reualidatio requirit, vt qui primo consensit, in primo adhuc duret consensu.*

## CONSILIVM XLIV.

DE IVDICE, qui, postquam damnauit quemdam ad mortem, & post exequutionem sententiæ, non aduertens se esse irregularem, primam tonsuram accepit, & pensionem.

1 Respondeo primo, prædictum iudicem consulentem videri peccare; quia tenebatur aduertere, & paria videntur esse aduertere, vel debere aduertere, sicut scire, & debere scire.[a]

Secundo, quod talis posset esse inaduertentia, vel incogitantia, quod excusaret à mortali: si enim certus est, quod non suscepisset tonsuram, si aduertisset, & si erat purus legista, & non audierat saltem valde serio, quod per iustum iudicium sanguinis incurritur irregularitas, vt fere communiter laici putant, non videretur peccasse mortaliter.

2 Tertio, quod non erat obligatus sub pœna peccati noui petere dispensationem, immo neque ad habendam contritionem illius peccati, neque ad illud confitēdum, vsque ad tempus, quo ea tenetur habere, & facere, per ea quæ nos in principio de pœnit.[b] & in manu. Confess.[c] tradimus.

Quarto, quod tenetur impetrare dispensationem, si vult prædicti ordinis priuilegijs gaudere ascendendo ad alios ordines; quia est irregularis ob prædictam sententiam, & eius exequutionem.[d]

Quinto, quod per prædictam ordinis assumptionem non videtur incurrisse, solo iure communi attento, excommunicationem, neque suspensionem, neque irregularitatem.[e]

Sexto, quod de stylo Curię non potest irregularis obtinere pēsionem ecclesiasticam, plus quam beneficium simplex; & ita tenetur relinquere pensionem, vel obtinere à Papa dispensationem super irregularitate cum retentione pensionis ei constitutæ, narrata prædicta ignorantia, & inaduertentia, & quod qui cōsensit permanet in illo consensu: quam, vt puto, facile dabit S.D.N. pius, & magnificus: per quam dispensationem excusabitur etiam, vt puto, à restituendo quod percepit. Intelligo hæc, si pensio fuit quæsita post irregularitatē; quia quæsita antea non perditur per illam, sicut neque beneficium, per dictum solemne Innocentij in ca. cum nostris de concess. præb. Salua, &c.

*Aduerte ne ex quarto dicto inferas hunc irregularem si nolit ascendere, posse gaudere priuilegio ordinis in irregularitate accepti.*

### SVMMARIVM.

1 *Dispensat Episcopus cum homicida voluntario quo ad beneficiū saltem simplex, licet non quo ad ordines saltem sacros, nec curatum, nisi quo ad iam obtentum.*

2 *Dispensandi contra canones inferiori Papæ concessa potestas, causæ cognitionem, & iustam requirit causam.*

3 *Dispensandi potestas fauorabilis est, licet dispensatio sit odiosa.*

## CONSILIVM XLV.

AN EPISCOPVS possit dispensare cum canonico, qui commisit homicidium voluntarium vt possit stare in choro, & lucrari ea, quæ alij lucrantur in eo, & interesse Capitulo, & habere vocem actiuam, & passiuam in eo?

1 Respondeo primo, nihil certum esse, quod Episcopus potest dispēsare cum homicida, etiam voluntario, quo ad beneficium saltem simplex, iuxta cap. 2.[f] quod in hoc est iuris optimum, secundum Ananiam ibi; licet non posset dispensare quo ad ordines saltem sacros.[g]

Secundo, quod etiam potest dispensare quo ad beneficiū curatum iam antea habitum, licet non ad noue habendum, vt concordando opiniones cōtrarias dixit Philippus Decius,[a] quem sequuti fuimus in Man.[b]

2 Tertio, quod in casu proposito non agitur de dispensatione Episcopi, vel Archiepiscopi facta quo ad ordines, præsertim sacros, sed tantum de potestate Archiepiscopi dispēsandi quo ad beneficium ante irregularitatem obtentum: & cōsequenter, quod Archiepiscopus potuit illam facere iusta de causa. Dico, *iusta de causa*: quia omnis dispensatio permissa inferiori Papæ contra canonem, est facienda cum causæ cognitione, & iusta de causa, iuxta glossam solemnem receptam,[c] & latius notata in cap. *at si*.[d] & ante omnes Innocentium,[e] & ex concordia duorum dictorum eiusdem Innocentij, quorū alterum dixit in cap. *veniens*.[f] & alterum in c. *diuersis fallacijs*.[g] quæ ibidem conciliat Panormitanus.

3 Quarto, quod potestas Episcoporum dispensandi cum homicida quo ad beneficium non est restringenda, quoad beneficium simplex: quia prædictum caput secundum,[h] generaliter loquitur de beneficio, vt Anannias & Decius præ alijs notauerunt, & non est restringendum, vt ibi voluerunt restringere Hostiensis, Cardinalis & Panormitanus, eo quod dispensatio sit odiosa: quia textus non agit de dispensatione, vt pulchre dixit ibi Anannias, sed de potestate dispensandi, quæ est fauorabilis, & amplianda, vt probatur in cap. fi.[i] vbi vtiliter de hoc scribit Felinus: & ita satis superque est restringere illud quo ad beneficium curatum habendum, vt restringit Decius. Salua, &c.

*Aduertendum primum dictum non procedere modo in casu Cōc. Trid. sess. 14. c. 7. vt notat idem Nauar. citato cap. 27. nu. 240. vers. quarto.*

### SVMMARIVM.

1 *Abortum fœtus non animati procurans non incurrit irregularitatem, secus si animati, qualis secundum communem in Pœnitentiariæ foro receptam est masculus 40. fœmina vero 80. dierum, in dubioque præsumitur masculus. num. 2.*

2 *Dubitans an abortus ab ipso consultus, qui creditur sequutus, esset fœtus animati, & an mulier ob eius consilium abortiuerit, vel non, debet se in consciētia reputare irregularem, licet secus in foro exteriori.*

3 *Dispensatio irregularitatis ex abortu procedens est petenda à Papa.*

## CONSILIVM XLVI.

QVIDAM sacerdos, postquam subolfecit quamdam mulierem ex se concepisse, eidem multoties consuluit, vt daret operam abortiendi; qui licet certo nesciat an d. mulier eius consilio abortiuerit, vt tamen putatur; cum sequutus ille fuerit, dubitat an sit irregularis, maximè quia nescit an fœtus esset animatus.

1 Respondetur primo, quod d. consulens presbyter peccauit mortiferè toties, quoties desiderauit, & rogauit prædictā mulierem, vt abortiret, & quoties placuit ei abortus iā factus, & magis quoties consuluit ei, vt abortiret.

Secundo, quod si fœtus nondum erat animatus anima rationali, quando fuit factus abortus; non incurrit irregularitatem.

2 Tertio quod communis opinio, quam sequitur sacra Pœnitentiaria, tenet id quod glossa dixit,[k] scilicet fœtum masculum informari anima rationali lapsis 40. diebus, fœtum autē fœmineum 80. & si dubitatur an sit masculus, an fœmineus, præsumendum esse animatum post 40. dies; quia pars securior est eligenda, iuxta cap. *iuuenis*.[l] & sentit prædicta glossa pro quo videtur casus in cap. *ad audientiam*.[m] vbi communis resolutio habet, eum qui dubitat an contraxerit irregularitatē debere iudicare se irregularem; licet iudex, coram quo accusaretur, debeat in dubio eum absoluere, iuxta cap. *cum sunt iura partium obscura*.[n]

Quarto, quod ex prædictis sequitur id, quod dolenter respondeo, prædictum d. consulentem debere iudicare se irregularem. Tum quia certum est, cum, qui facit, vel iubet, vel mandat, vel rogat, vel consulit abortum, si sequatur ille, esse irregularem secundum omnes. Et prædictus consulens est certus, quod consuluit abortum; & satis certus quod fuit cōsequutus ille: & licet nō sit cert⁹ omnino, quod ille fuit sequutus, neque quod prędicta mulier abortiuit propter consilium eius neque an fœtus esset animatus, quia nescit an esset masculeus, vel fœmineus, probabiliter tamē dubitat, an prædicta

mulier

---

[a] l. e. quod te. ff. de reb. cre.
[b] Dist. 5.
[c] Cap. 1. & 2.
[d] Cap. sententiam ne clerici vel monac.
[e] Arg. c. vel non est compos. de temp. ordin.
[f] De clerico pugn. in duel.
[g] Cap. 1. eiusdem tit. adiūcto prædicto cap. 2.

[a] In cap. at si clerici. §. 1. n. 16. de iudic.
[b] Cap. 27. nu 239.
[c] In c. requisistis. §. nisi rigor. 1. q. 7.
[d] §. 1. de iudi.
[e] In ca. dudū. 2. nu. 16. de elect.
[f] De filijs presbyt.
[g] De cler. coniug.
[h] De cle. pug. in duell.
[i] De simon.
[k] In princ. 5. d.
[l] De sponsal.
[m] De homici.
[n] De reg. iur. lib. 6.

mulier abortierit ob consilium eius, an non, & an fœtus fuerit animatus, an non. Ergo iudicare se debet irregularem.

3 Quinto, quod etiam ex prædictis sequitur, dictum consulentem consulere sibi debere per dispensationem Papæ, ad quem solum pertinet huiusmodi irregularitatis dispensatio, & petere illam in sacra Pœnitentiaria, &c.

*Aduerte, quia modo in materia abortus seruanda est constitutio Sixti V. quæ cœpit ligare die 2. Decemb. 1588. cum modificatione facta per S.D.N. Greg. XIIII. pridie Kal. Iunij 1591.*

SVMMARIVM.

1 *Credere se non irregularem potest, qui suspicanti se grauidam ad abortum faciendum iamdiu consuluit sanguinis minutionem: qui tamen nescit, nec audiuit, an ex dicta emissione sanguinis abortus fuerit.*

1 *Consulentes suis amasijs abortum, eo sequuto, solent ab eisdem de effectu sequuto certiores fieri; quo cessante, signum est illum non subsequutum.*

## CONSILIVM XLVII.

ANQVI consuluit ei, cum quarem habuit, & quæ dixit post quadraginta dies putare se pregnantem factam, vt minueret se sanguine, quo abortiret, quam sciuit se minuisse sanguine, sed nihil penitus de effectu talis minutionis, nec de abortu sciuit, & post multos annos ordines suscepit, an in quam irregularitatem contraxerit?

1 Respondetur, quod D. consulens potest probabiliter credere se non incurrisse irregularitatem; attento quod nesciuit an prædicta N. fuisset prægnans, sed tantùm suspicatus fuit, eo quod illa se suspicari dixit. Tum quia licet periculosum sit grauidas minuere sanguine, non tamen est certum eas minutas sanguine abortire, nec mori. Tum quod, quando aliquis huiusmodi effectus sequitur, solet amico sic consulēti aliquo modo significari; & nullus rumor de his ad se in tanto tempore aduenit. Tum quod filius natus in adulterio potest credere probabiliter se non esse filium adulteri, sed mariti; licet mater dixerit ei illum fuisse ex adultero conceptum, secundū etiam omnes. & sic D. consulens (salua quæ iustior fuerit sententia) potest scrupulum suum deponere, & credere se non fuisse irregularem. &c.

*Vide consil. 48. sequens.*

SVMMARIVM.

1 *Credere quis non tenetur cuilibet asserenti aliquam mulierem abortum fecisse, ad effectum credendi se irregularem.*

1 *Saltans clericus, vel cursitans licite & honeste cum muliere prægnante, quæ postea abortiuit, si saltatio fuit adeo leuis, vt verisimiliter non deberet præsumi ex ea sequi abortum, non tenetur se reputare irregularem; secus, si saltatio fuit illicita.*

## CONSILIVM XLVIII.

CLERICVS primæ tōsuræ in choreis cū muliere quadā pręgnāte saltauit, quę postea etiā cū alijs hominibus saltauit; quā audiuit postea abortū fecisse. Præterea cū ipse quadam die nescio quid in manibus haberet, vxor sui fratris, quæ paucis antea diebus marito erat tradita, voluit illud è manibus eius surripere; quod vt faceret, mēsam quamdā illius cubiculi, eum insequendo, circuiuit aliquoties; ex quo motu, vt credit, defessa facta abortiuit; licet non sit ita certum, cū paulo ante esset matrimonio coniuncta. Dubitat, an ex prædictis sit irregularis.

1 Respondeo primo, quod prædictus, qui saltauit cum prædicta muliere prægnante, non debet se iudicare irregularem propter prædictum abortum, si nescit: nec obligatur credere, quod abortiuit, eo quod à quouis dicatur, iuxta illud,[a] *Qui cito credit, leuis est corde.* & cap. *non solum.*[b] nec etiam si nondū fœtus erat animatus anima rationali, hoc est, si abortiuit ante quadraginta dies à conceptione,[c] neque si adeo modestè saltauit, quod non est verisimile, quod saltatio fecerit abortire,[d] neque si saltatio fuit licita, & honesta, per ea quæ in nostro Manu. tradimus.[e]

Secundo respondeo, quod si credit, vel debet credere eā abortisse post quadraginta dies à cōceptione, & quod saltatio illa non fuit ita leuis, quod non potuerit esse causa illius abortionis, vel saltatio fuit illicita, debet se iudicare irregularem, per ea quæ tradimus in duobus locis supra citatis, concludendo, quod omnis, qui facit aliquem actum illicitum ordinatum & directum suapte natura, vel intentione agentis ad mortem, fit irregularis, consequuta illa: & saltatio prædicta cum muliere prægnante est actus suapte natura ordinatus & directus aliquo modo ad abortum, & mortem, vt palam est. Idemque dicendum arbitror de secundo abortu.

a *Eccles. 19.*
b *Primo. 11. q. 3.*
c *Arg. cap. ad eius 5. dist.*
d *Arg. c. quia non est verisimil. de præsumpt.*
e *Cap. 27. n. 210. & 220.*

SVMMARIVM.

1 *Dans consilium & remedia ad abortum prægnanti, quæ postea puerum bene natum occidit, tunc demum efficitur irregularis, si illa ex dicto consilio fuit ad occidendum mota: quia dictum consilium malum aliquo modo dirigebatur in dictam occisionem, num. 4. aliàs non. num. 5. & primo adhærendum certis, num 4. in dubio autem adhærendum est affirmatiuæ. n. 3. nec consulens, si mulier ex ipso erat grauida, potest tute credere eidem asserenti se non ex dicto consilio motam; cui posset alius extraneus credere. num. 2. & 6.*

6 *Credere mulieri asserenti se non ex consilio consulentis abortū motam ad puerum natum occidendum, potest exterus, cuius occultatio prolis non interest, sed non pater.*

## CONSILIVM XLIX.

RELIGIOSVS quidam & sacerdos consuluit cuidā prægnanti vt abortiret, & tradidit, vel docuit media, quibus id faceret; quæ licet adhibuisset, non tamen abortiuit; sed postquam bene peperit, occidit puerum natum. Quæritur, an sit irregularis.

1 Respondeo, non videri eum irregularem, si mulier non erat facta prægnans ab ipso consulente, saltem quo ad forum exterius: quia illa non fecit quod ipse consuluit, nec præsumetur in illo foro, quod ex consilio abortiendi fuit cōsequuta occisio, quoniam à separatis non fit illatio,[a] & valde separata sunt abortio, & occisio filij iam bene nati, tum ratione grauitatis delicti, tum ratione modi delinquendi, tum ratione finis delinquendi: quia abortio est aptior occultationi delicti, quam prætendebat consulens, quam occisio iam nati, vt palam est.

2 Maius dubium videtur esse, si mulier fuit facta prægnās ab ipso religioso; quoniam eo casu magis attinebat ad ipsum religiosum occultatio, quàm in alio; & ita præsumi posset, quod mulier magis fuisset mota ad occidendum propter cōsilium consulentis, quàm aliàs; quia magis expediebat ei occultatio.

Ad quod respondeo primo, distinguendum esse, an sciatur quod mulier illa fuit ad occidendum mota aliquo modo per præfatum cōsilium, aut scitur quod nullatenus fuit mota per illud, aut dubitatur.

3 Secundo, quod in dubio censendus est præfatus N. irregularis. Tum quia irregularitas contrahitur ex homicidio secreto ex actu illicito procedente, qui aliquo modo erat directus in illud homicidium, vt nos serio resoluimus in Manu. confess.[b] & constat consilium in præsenti casu datum fuisse illicitum, & aliquo modo ordinatum in illam occisionem: quia etsi nō fuit ordinatum in specie ad occisionem hoc modo faciendam, fuit tamen ordinatum ad occisionem in genere eiusdem pueri. Tum quod iubens percutere alium cum protestatione ne occideret, si iussus percutere occiderit, efficitur iubens irregularis,[c] & tamen iubens noluit vt iussus occideret; sed quia iussit percutere illicitè, quod erat aliquo modo directum ad occidendum, censetur irregularis; ergo à fortiori videbitur is religiosus talis, cùm consuluerit illicitè aliquid directum ad occidendum præfatum puerum.

4 Tertio, quòd à fortiori censendus est irregularis, si scitur quod præfata mulier fuit mota ad occidendum aliquo modo per consilium præfatum.

5 Quarto, quod si scitur præfatam mulierem nullatenus motam fuisse ad occidendum partum per consilium præfatū, non est censendus irregularis in foro conscientiæ: quia non occidit puerum, nec fuit causa propinqua, nec remota, vt ipsa occideret illum: & ita cessant omnia iura, quæ possunt induci ad hoc, vt ipse dicatur contraxisse irregularitatem: & cessante causa cessat effectus.[d]

6 Quinto, quod si mulier non fuit facta pregnās ab ipsomet

a *Leg. Papinianus. ff. de minorib.*
b *Cap. 27. n. 218.*
c *Cā. fi. de homicid. lib 6.*
d *Ca. cū cessante de appella.*

religioso, facile posset credi ei dicenti nullatenus fuisse motá per eius consilium, non autem si fuit facta prægnans ab ipso; quia occultatio partus multũ pertinebat ab ipsum; & ita difficile est credere, quod occidit filium vtriusque, nullo habito respectu ad consilium patris, & desiderium eius, vt occultaretur.[a]

a *Arg. c. quia verisimile, de præsump.*

*SVMMARIVM.*

1 *Clericus, qui voluntarie opem fert homicidio aliàs de se iusto, est quidem irregularis, sed non indispensabilis. & num. 3.*
2 *Homicidium voluntarium tunc demum contra facientem & opitulantem inducit irregularitatem indispensabilem, si sit iniustum contra legem iustitiæ, at si sit iustum, inducit quidẽ irregularitatem, sed dispensabilem, etiam si fiat cum peccato, puta quia fit cum odio, vel à clerico. & num. 3.*
3 *Homicida iniustus & voluntarius vt quis sit requiritur transgressio legis iustitiæ, non tantum charitatis.*
3 *Miles cum peccato occidens, seu spolians hostem in bello alioquin iusto non tenetur ad restitutionem, nec incurrit irregularitatem ex homicidio voluntario.*

CONSILIVM L.

THEOD. clericus, qui reum denunciat, accusat, seu ad damnãdum vltimo supplicio adiuuat, an sequuta morte, seu deformatione, incurrat irregularitatem indispensabilem ex homicidio voluntario procedentem, & an teneatur ad aliquam restitutionem?

1 Pro affirmatiua facit, quod opitulatus est iniustè facienti, vel iubenti facere homicidium voluntarium.

Pro negatiua, quę tenenda est, facit, quod tunc demum incurrit illam irregularitatem, quando voluntariè facit homicidium iniustum, vel opitulatur ad illud: quia licet hic iniustè opitulatus fuerit ad homicidium, non tamen ad homicidium iniustum, sed iustum. & sic respondeo ad argumentum positum.

3 Nam nec iudex, qui malo animo aliàs iustè, hoc est rite & rectè ad vindictam priuatam damnat maleficum vltimo supplicio, neque qui malo animo accusat, denunciat, vel aliàs opitulatur ad illud, talem irregularitatem, nec obligationem ad restituendum damnum incurrit: quia licet peccet contra legem caritatis, non tamen contra legem iustitiæ, cuius transgressio requiritur, vt dicatur homicida iniustus, & voluntarius, & obligarus ad restitutionem, & vt tam dura irregularitate notetur; sicut & miles, qui animo & fine malo, sed in prælio alioqui iusto occidit, vel spoliat hostem, peccat quidem contra caritatem, sed non contra legem iustitiæ, & ideo non tenetur restituere, vt in nostro Manu. diximus, [b] nec incurrit hanc, de qua loquimur, irregularitatem, vt in dict. Man. [c] licet aliam sic, quæ habetur in d. Manu. [d]

b *Cap. 15. nu. 12. & seq.*
c *Cap. 27. nu. 210.*
d *Cap. eod. n. 219. & seq.*

DE TORNEAMENTIS.

*SVMMARIVM.*

1 *Torneamenta periculosa etiam prouocatus ingrediens, si etiam se defendendo occidit, adeo iudicatur peccator, vt si moriatur in eo, careat ecclesiastica sepultura: at si hoc quod ingreditur sit duellum, ex decreto Conc. Trid. est excommunicatus, irregularis, & alias meretur pœnas.*

CONSILIVM I.

PROVOCATVS N. ad torneamenta iuit, & in eis se defendendo aduersarium occidit. Quæritur, an pœnas incurrat.

1 Respondeo, quod qui prouocauit, seu iuit ad actum illicitum, & ad illam occisionem, ordinatum, vt est duellum, peccator est, & excommunicationis, & bonorum pręsumptionis, ac perpetuę infamiæ pœnam incurrit, & dignus est qui condemnetur, vt homicida, & suspendatur, & careat ecclesiastica sepultura, si ibi occidatur, iuxta Concilium Tridentinum [e], sic & qui in torneamentis periculosis & illicitis occidit alium, defendendo se cum tanto moderamine inculpatæ tutelæ, quod sufficeret ad excusandum eũ ab homicidio, si extra illa inuasus occideret: qui tamẽ prouocauit ad illa, vel prouocationẽ acceptauit, & iuit ad illicitè torneandum, adeo iudicatur peccator, vt careat Ecclesiastica sepultura, licet confessus & communicatus moriatur. [f]

e *Cap. 19 sess. 25*
f *Ca. 1. de torneament.*

DE ADVLTERIIS, ET STVPRO.

*SVMMARIVM.*

1 *Adulter ad recipiendam coniugem adulteram cogi potest.*
1 *Iudex ex officio ob salutem animarum cogere potest coniuges adulteros, vt ad euitandum periculum fornicationis simul cohabitent.*
2 *Iudex ex officio maritum religionem ingressum potest, ad euitandum incontinentiæ peccatum vxoris, quæ licet dicto ingressui consenserit, tamen erat iuris ignara, nec continentiæ voto se obligauit, à monasterio reuocare.*

CONSILIVM I.

VIR & vxor adulterabant; tandem vxor sponte recessit, & adhæsit adultero; vir admisit concubinam, qua eiecta petit absolui: & quia non potest induci, vt vxorem repetat, vel vt ei indicet se paratum eamdem reuertentem recipere; licet dicat confessario, quod eamdem reuertentem recipiet; Dubitatur, an debeat absolui, & quid agendum.

1 Respondeo primò, certum esse, quòd tam ille, quam illa potest cogi ad recipiendum coniugem, non obstante adulterio: quia cum vterque admiserit illud, mutua compensatione sublata est exceptio inde nata.[a]

Secundo, quod iudex ex officio potest ipsos compellere fauore animarum suarum, vt vitent periculum fornicationis, vel adulterij, quo iam fuerunt maculati. Tum quia iudex potest vti officio suo nobili in vtilitatem publicam, & in vtilitatem miserabilium personarum, & alia pia; qualis est salus animarum, iuxta doctrinam Bartholi ab omnibus receptam.[b]

2 Tum per ea, quę in specie citat Panormitanus.[c] Tum per id quod ipsemet ait,[d] scilicet, quod iudex potest ex officio suo reuocare maritum religionem ingressum de consensu quidẽ vxoris, sed quæ erat iuris ignara, neque emisit votum continentiæ, & hoc ad vitandum incontinentiæ mulieris peccatũ.

Tertio, remedium huic proposito casui aptissimũ esse videtur, impetrare ab ordinario, vt ex officio faciat eos, vt iure tenentur cohabitare.

a *Cap. intelleximus. de adulter.*
b *In l. 4. §. hoc autem indicium. ff. de dãno infe.*
c *In c. consanguinei. nu. 7. de sen. & re iud.*
d *In c. 1. de cõuers. coniug. num. 8.*

DE RAPTORIBVS.

*SVMMARIVM.*

1 *Raptor non est, quem virgo vltro sequitur, licet eam stupret.*
1 *Virginem etiam per vim stuprans si illam ad alium locum non adduxit, pœnam raptus non incurrit.*
2 *Raptus non admittitur sine violẽtia, nec sine eo quod mulier de loco ad locum transferatur, num. 1. sufficit tamen, si exitus persuadeatur muneribus datis, vel promissis.*
3 *Inuita dicitur, quæ in stuprum, adulterium, vel egressum de loco ad locum consensit, si ad id fuit persuasa muneribus datis, vel promissis.*

CONSILIVM I.

QVÆDAM virgo capta amore cuiusdam iuuenis, cum illum transeuntem per callem & viam de fenestra vidisset, exiuit de domo, & abiit post eum ad domum ipsius, vbi voluntariè etiam ab eo carnaliter est cognita; & abijt. Dubitatur, an iuuenis inciderit in pœnas [e] Concilij Tridentini.[f]

1 Respondetur, quod prefatus iuuenis non incidit in pœnas d. Concilium,[g] eo quod non potest dici raptor: quia rapina, vel raptus, vt capitur in illo loco,[h] significat ablationem violentam, qua fœmina ab vno loco ad alium trahitur, vt sentit D. Thomas,[i] Tum quia per illam legem dixit Paulus Castrensis,[k] quod statutum puniens morte rapiẽtem virginem, nõ habet locum in eo, qui etiam per vim stuprauit virginem in aliquo loco, si eam non transferret ad alium locum; quem refert, & sequitur allegãs in hoc multos Hippolyt.[l] quorũ vterq; citat Gandinũ attestantẽ ita fuisse iudicatũ Bononię. Tũ quia aliud est stuprũ, aliud raptus ex D. Thoma,[m] & efficacius *§. item eadem lege Iulia.*[n] per quæ receptum est ab omnibus, quod qui virginem consentientem solum stuprat, non adducendo eam ad alium locum, non censentur committere raptum, nec debet puniri pœna raptus, sed pœna stupri, quæ longe alia est, & minor, vt colligitur ex d. l. *vnica*, & ex dicto *§. item eadem lege.* Cum ergo iste iuuenis eam non abstraxerit,

e *Cap. 6.*
f *Sess. 24.*
g *Cap. 6.*
h *Cap. 6. 12. 2. q. 66. a. 9. & clarius qu. 154. ar. 7. in corpore, & ca. de raptoribus. 36. q. 1. l. sed eximendi. ff. ne quis eum qui in ius vo.*
k *In l. raptores. C. de epis. & cler.*
l *In le. vnica. C. de rap. vir. num. 12.*
m *Dicto a. 7.*
n *Et §. fin. a i tem. Inst. de publ. iud.*

&c in

& in actu copulæ consenserit ipsa virgo, potest quidem dici stuprum commisisse, non autem raptum. & ideo pœna d. Concilij [a] non est extendenda ad istum iuuenem stuprantem, cum pœna non debeat extendi, [b] & secundum D. Thomam & Theologos, & Iuristas, stuprum est species luxuriæ, diuersa ab alia specie luxuriæ, quæ dicitur raptus, & suo genere minus peccatum, quàm raptus.

a Cap. 6.
b Leg. si præses. ff. de pœn. cap. pœnæ. de pœnit. dist. 1.

2 Nota, quod raptus non admittitur sine violentia, [c] quia verbum, *rapere*, sonat violentiam, vt sentit l. *si eximendi.* [d] vbi Angelus id expresse notat, quem refert & sequitur Ioannes ab Anania, [e] dicens eum, qui vult probare raptum, debere ita articulare, vt violentiam factam concludat: quamuis videatur sufficere persuasio exeundi à domo patris, ipsa volente, per munera data, seu promissa, ex mente Angeli [f] quatenus ait, eum, qui allexit vxorem alterius ad adulterandum muneribus, vel promissis, dici posse adulteratum fuisse illam inuitã.

c Arg. cap. de raptoribus 36 quæ. 1. & l. 1. Cod. de raptu vir.
d ff. ne quis eũ qui in ius vocat.
e In rubr. de raptorib.
f In authen. de lenonib. §. fin. col. 9.

SVMMARIVM.

1 *Rapta dicitur, quæ contra voluntatem patris de eius domo abstrahitur, licet ipsa consentiat.*

1 *Raptor non potest raptam ducere, nisi postquam fuerit ab illo separata, & in loco tuto posita.*

## CONSILIVM II.

IOANNES rapuit Brancaleonam patri, ipsa tamen volente, & consentiente, cum qua sine vlla solemnitate Concilium Tridentinum contraxit matrimonium. Postmodum mota lite à patre, fuit lata sententia contra prædictos Ioannem, & Brancaleonam. Quæritur quid iuris.

1 Respondeo primo, matrimonium præfatum inter prædictum Ioannem & prædictam Brancaleonam fuisse nullum. Tum quia rapiens non potest raptam ducere in vxorem, nisi postquam separata fuerit ab illo, & in tuto loco posita libere & voluntarie consenserit in raptorem, iuxta [g] Concilium Tridentinum. Tum quia non fuit seruata forma necessario seruanda, quam præfatum Concilium induxit: [h] quia non affuit præsens parochus legitimus, nec presbyter de licentia eius, & quia consensus puellæ, vt raperetur, non sufficit vt non dicatur rapta: quia vt dicatur talis, sufficit vt contra voluntatem patris de domo eius sit abstracta, siue id fiat de voluntate puellæ, siue contra voluntatem eius, vt tradit S. Thomas receptus, [i] ex quibus sequitur, sententiam latam contra Ioannem & Brancaleonam fuisse iustissimam.

h Ca. 6. de ref. matrimonij sess. 24.
h In c. 1. eiusdem tituli.
i 2. 2. qu. 154. art. 7.

SVMMARIVM.

1 *Raptus sine violentia committi non potest; quam tamen intulisse censetur, qui per munera data, vel promissa, puellæ persuadet, vt nolente patre de domo exeat, & ad ipsum veniat: incurritque iuris infamiam ex sacro Concilio, ipso iure sine alia iudicis declaratoria; quæ licet sit mater irregularitatis, nu. 4. non tamen tenetur quis eam irregularitatem contra se exequi, antequam per iudicem præcipiatur: vnde videtur quod possit beneficia recipere ecclesiastica num. 8.*

2 *Intellectus Concil. Tridem. sess. 24. de reform. matrimon. cap. 6. num. 4. & 6.*

2 *Infamia facti tollitur quidẽ per solam vitæ emendationẽ, secus de infamia iuris, quæ non est irregularitas, sed illius mater.*

3 *Excommunicationis pœnam tenetur qui contra se exequi, nec sufficit emendatio, nec appellatio, sed requiritur expressa absolutio, ad hoc vt liberetur.*

5 *Pœnam incursam ipso iure contra se regulariter nemo tenetur exequi, donec à iudice iubeatur soluere. fallit in censuris, ac quibusdam irregularitatibus, & inhabilitatibus.*

5 *Infamiæ illius pœna, de qua in extrauag. Greg. XIII. quæ incipit, Ab ipso, non videtur talis, vt contra se ipsum, antequam à iudice iubeatur, exequi teneatur.*

6 *Dispensationem petens super irregularitate incursa, quia ligatus ministrauit, vel quia rapuit mulierem, non tenetur exprimere quoties rapuerit, vel ministrauerit; nec eam petens super defectu natalium, aut pro homicidio, quod in dicta irregularitate ministrauerit.*

7 *Dispensationem petens super infamia incursa propter raptum, non tenetur mentionem facere de incestu commisso cum rapta.*

7 *Falsi expreßio mouens principem ad facilius concedendum vitiat gratiam, & taciturnitas non nisi in casibus, in quibus iura dictam requirunt expreßionem.*

8 *Infamis infamia iuris an sit capax beneficiorum remißiue, videturque quod non impediatur, antequam per iudicis sententiam infligatur hæc pœna.*

## CONSILIVM III.

RESPONSVRVS nonnihil ad præfatas quæstiones ingenue fateor has quæstiones inuolutiores esse, quam quibus ego in præsentia satisfacere possim, nec vsquequo absoluam commentarium iampridem promissum, cœptum, & deductum vsque ad vltimam partem super cap. *fraternitas.* [a] dicam autem aliqua ad eas facientia.

a 12. quæ. 2.

1 Primum quidem, quod videri potest alicui nullum raptum fuisse admissum in casu proposito: quia non præsupponitur in eo violentiam vllam fuisse adhibitam. Solum enim dicitur Mariam bis exisse domum amore Petri, quod non concludit factam fuisse illi violentiam, & non potest esse raptus, sine violentia, [b] & quod verbum, *rapere*, significat violentiam, vt sentit l. *si eximendi.* [c] vbi Angelus id expresse notat, quem refert & sequitur Ioannes ab Anannia, [d] dicens, eum qui vult probare rapinam, ita debere articulare, vt concludat violentiam factam; quamuis videatur sufficere persuasio exeundi à domo patris, nolente patre, per munera data, vel promissa, secundum mentem Angeli, [e] quatenus ait, eum qui allexit vxorem alterius ad adulterandum muneribus, vel promissis, dici posse adulteratum esse illam inuitam. at in casu nihil etiam de tali persuasione narratur.

b Ar. c. de raptorib. 36. q. 1. & l. vnica C. de raptu. virginum.
c ff. ne quis eũ qui in ius vocatus est.
d In rubr. de rapt.
e In auth. de lenonibus. §. fin.

2 Secundo, quod infamia iuris non videtur tolli per solam emendationem vitæ: nec nos in loco, vbi citamur, dicimus hoc de infamia iuris, sed solum de infamia facti; & infamia, quæ nascitur ex raptu, saltem hodie post Concilium Tridentinum supra citatum, infamia iuris est, cùm ipso iure absque iudicis ministerio incurratur, vt habet præfatum Concilium, [f] & ideo infamia raptus, de qua loquimur, non videtur tolli per solam emendationem vitæ.

f Cap. 6. de ref. matrim. sess. 24.

3 Tertio, quod dominus doctor non respondet expresse ad primam quæstionem in responsione ad ipsam, sed ad accessoriam illi, scilicet an raptor teneatur exequi contra se pœnam infamiæ; quæ longè grauior quæstio est: & videtur in sua responsione significare non teneri eum exequi pœnam excommunicationis contra se, si fuerit emendatus; quod inaduertenter videtur dictum: nam excommunicationem quilibet excommunicatus tenetur seruare, quia affert secum exequutionem, quæ etiam per appellationem non potest impediri, [g] neque vlla emendatione vitæ, nec satisfactione tolli vel suspendi potest, donec à superiore tollatur per absolutionem expressam, iuxta glossam celebrem & receptam, [h] quæ hanc differentiam ponit inter excommunicationem & alias censuras: nec nos, vbi citamur, dicimus tale quidquam de excommunicatione, sed de sola infamia facti.

g Cap. pastoralis. §. verũ. ac appellat. & c. is qui de sententia excom. nu. lib. 6.
h In clem. 1. verbo. donec. de decimis.

4 Quarto, quod dominus doctor præsupponit infamiam esse irregularitatem, cum tamen defendi possit potius esse causam illius; sicuti homicidium non est irregularitas, sed causa illius secundum omnes. vnde nec Concilium præfatum diffiniuit raptorem esse irregularem, sed infamem, & excommunicatum.

5 Quinto, quod verum est nos semper fuisse in ea sentẽtia, quæ habet neminem teneri regulariter ad soluendam pœnã ipso iure incursam in foro cõscientię, donec iubeatur soluere; sed fallere illam in sententijs censurarum, quia secum trahunt exequutionem; & etiam in illis; quæ secundum mentem expressam vel tacitam auctoris afferunt illam, sicut censuræ, vt diximus in cap. *non liceat.* [i] qualis mihi videtur pœna cap. *licet canon.* [k] & aliquot inhabilitates, & irregularitates, de quibus tracto in d. com. cap. *fraternitas.* [l] An autem omnis infamia ipso iure incursa sit huiusmodi non dixi in extrauagante *ab ipso.* vbi [m] citor à domino doctore, sed tantum, quod illa infamia per S. D. N. inducta non videbatur huiusmodi.

i 12. quæst. 2.
k De elect. li. 6.
l 12. quæst. 2.
m Notab. 31.

6 Sexto, quod pro responso domini doctoris dato ad secundam quæstionem facit illa determinatio Innocentij, [n] scilicet, quod in dispensatione irregularitatis incursæ ab excommunicato, qui frequenter celebrauit in excommunicatione, non oportet exprimere multas illas vices, quibus sic malè celebrauit: neque illegitimus tenetur exprimere celebrationes, quas fecit manens illegitimus, in impetratione irregularitatis, quam patitur ob illegitimitatem, neque alij irregulares, qui celebrarunt in irregularitate, sed satis est exprimere irre-

n In ca. si celebrat. de clerico excommunicato ministr.

gularitatem illam solam. cuius dicti nouam rationem vsque ad nos à nemine redditam reddidimus in Manual. confess.[a] & ita sufficeret ad valorem dispensationis super irregularitate ob raptum contracta exprimere, quod fecit, raptum, non exprimendo vices, quibus rapuit, quando saltem circa vnam solam frequenter raptum commisit.

7 Septimo, quòd apparet mihi verius raptorem in impetratione dispensationis infamiæ ex raptu contractæ non teneri ad faciendam mentionem de incestu cum rapta commisso: quoniam licet omnis expressio falsi, quæ faciliorem reddit principem ad reddendam gratiam, reddat illam subreptitiam; non tamen omnis taciturnitas veri, quæ idem facit, reddit illam subreptitiam, sed solùm illa, qua tacetur verum, quod iura iubent exprimi in talis gratiæ impetratione, iuxta decisionem Rotæ,[b] & nullo iure cauetur vt in impetratione dispensationis super infamia raptus fiat mentio criminum raptoris.

8 Octauo dico, tangendo responsum domini doctoris ad quartum, quod licet res grauiter controuertatur, an collatio beneficij infami facta valeat, nos tamen sumus in sententia Cardinalis quam late refert, & defendit Felinus,[c] cui fortè potest adiici illa noua ratio, quod crimina inducentia infamiam ipso iure non inducunt immediatè irregularitatem, sed infamiam matrem eius, quæ parit illam; & ita, vt superius insinuaui, quo ad forum conscientiæ non ligat illa irregularitas, donec à iudice infligatur, per præfatam glossam singularem præfat. cap. *fraternitas.* quamuis arbitrer, vt supra insinuaui, quod infamia iuris non tollitur per solam emendationem vitæ.

Quæ omnia præfati doctoris domini mei, & cuiusuis melius sentientis censuræ submittimus, sperantes fore, vt in præfato commentario cap. *fraternitas.* hæc cum aliquot alijs eis affinibus altius expendamus.

### SVMMARIVM.

1 *Prohibito vno, & id censetur prohibitum, per quod ad illud peruenitur, modo prohibitio sit perpetua, & in vtroque militet eadem ratio. num. 2.*

1 *Prohibito matrimonio, prohibentur etiam sponsalia: & hoc, quando prohibito, seu impedimentum est perpetuum, seu subest eadem ratio; aliàs non. nu. 2. Vnde, cum secundum ius ciuile (quod tamen non habet locum de iure canonico, nu. 3. in fine) senatoribus, & eorum filijs perpetuo prohiberetur, ne cum quibusdam personis matrimonia contraherent, etiam sponsalia censebantur prohibita. nu. 3. & hoc saltem ex mente legis. nu. 5. Et cum Concil. Trid. limitando ius antiquum, ideo statuerit, ne inter raptorem, & raptam existentem in potestate raptoris, possit contrahi matrimonium, quia non videtur adesse liber consensus ad matrimonium contrahendum necessarius; hæcque ratio militet etiam in sponsalibus requirentibus pariter consensum liberum; sequitur vt pari modo & sponsalia censeantur prohibita. nu. 4. E contra autem, licet idem Concil. prohibeat volentibus matrimonium contrahere, ne sine parocho contrahant; non tamen censetur prohibuisse similiter sponsalia sic contrahi: quandoquidem nec eadem ratio militat in vtriusque, nec prohibitio matrimonij est perpetua; cum, qui clandestine contraxerunt, possint iterum coram parocho contrahere. nu. 1. & 3. Item licet iure ciuili præsidi sit prohibitum, ne in sua prouincia contrahat matrimonium, non tamen prohibetur contrahere sponsalia. num. 1. quia prohibitio erat ad tempus, scilicet durante officio, & non perpetua. num. 2.*

6 *Lex exorbitans, seu limitans ius commune, ex similitudine rationis, immo etsi sit etiam pœnalis, ex indentitate rationis extenditur.*

## CONSILIVM IV.

AN quemadmodum non valet matrimonium inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa manserit in potestate raptoris, vt habetur in Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. ita etiam non valeant sponsalia?

1 Ad hanc quæstionem respondeo, quod pro parte affirmatiua, quod scilicet etiam sponsalia sint nulla, videtur primo casus in l. *oratio.*[d] quatenus probat, prohibito matrimonio, etiam prohiberi sponsalia.

Secundo id, quod Bartholus notat ex ea,[e] quod prohibito vno, censetur prohibitum id, per quod peruenitur ad illud.

[a] Cap. 27. nu. 194.
[b] 32. de rēsc. in nouis.
[c] In c. quarelam. de iureiur. à num. 4.
[d] ff. de sponsal.
[e] Ibi & in l. 2. ff. de iurisdi. omn. iud.

A Tertio, quod prohibitus alienare, prohibetur facere actū, ex quo sequitur alienatio, vt constat ex glossa recepta.[a] Vnde prohibitus alienare, prohibetur compromittere, per quod potest peruenire ad alienationem.[b]

Quarto, quod statutum prohibens alicui vendere, videtur prohibere promissionem de vendendo facere, vt post alios consulit Decius.[c]

Pro contraria tamen parte facit primo l. *si quis officium.*[d] quatenus habet rectorem prouinciæ, qui prohibetur ducere vxorem in ea, non prohiberi contrahere sponsalia.

Secundo facit[e] Concilium Tridentinum,[f] quatenus annihilat matrimonium contractum aliter, quam præsente parocho, & duobus vel tribus testibus: & quod communiter B dicitur, & nos diximus in Manual.[g] quod sponsalia contracta publicè, siue clandestinè in absentia parochi valent etiam hodie post Concilium Tridentinum & ita probat matrimonio prohibito non prohiberi sponsalia.

Tertio, quod pœna imposita contrahenti matrimonium non censetur imposita contrahenti sponsalia, iuxta glossam receptam iuncto textu.[h]

2 His pro vtraque parte consideratis, pro resolutione constituendum videtur primo, quod prædicta l. *oratio.* quatenus probat matrimonio prohibito prohiberi sponsalia, & prohibito vno prohiberi præambulum ad illud, non habet locum, nisi quando eadem ratio militat in matrimonio, & sponsali- C bus, & in prohibito, & præambulo eius, & tunc sic, vt determinat Cynus, quem Salicetus & omnes sequuntur,[i] & Alexander,[k] in fine, quem sequitur Decius,[l] & probatur per l. *si quis officium.*[m] & per d. l. 1.[n] adiuncta prædicta l. *oratio.*

Secundo constituendum est, quod prædicta l. *oratio.* quatenus habet, matrimonio prohibito, prohiberi sponsalia, non habet locum, nisi quando matrimonium perpetuo prohibetur, siue quando impedimentum est perpetuum, & non quando impeditur ad tempus, siue quando impedimentum est temporale, secundum Dinum,[o] quem inter alios sequitur Decius.[p]

Tertio indaganda est ratio; qua prædictum Concilium D Tridentinum limitauit ius commune antiquum ca. fin.[q] per quod ea ratione licebat raptæ, si vellet, nubere raptori, quia secundum canones antiquos, quos Gratianus citat,[r] post pœnitentiam, purgationem, & satisfactionem, raptis id licebat, vt pulchrè Gratianus ipse,[s] determinauit.

3 Quarto constituendum, quod ratio limitandi illud non fuit, quod perpetuo prohibeatur contractio matrimonij inter raptorem, & raptam, iuxta l. *iniuriam.*[t] Tum quia lex illa quo ad hoc non est seruanda iure Pontificio, per iura prædicta. Tum quia ipsummet Concilium permittit contractionem, posteaquam rapta exierit domum raptoris; & fuerit assequuta plenam libertatem contrahendi, vel renuendi; & ita inducit impedimentum temporale, & non perpetuum.

E Quinto, quod ex hoc sequitur, quod per d. l. *oratio.*[v] non potest concludi, sponsalia, de quibus quæritur, esse nulla: quia lex illa, quatenus habet non posse contrahi sponsalia ab his, qui non possunt contrahere matrimonium, nō habet locum, quando impedimentum est temporale, sed solum quando est perpetuum, vt dictum est qua eadem ratione defenditur, quod[x] Concilium Tridentinum annullans matrimonium contractum in absentia parochi, non annullat sponsalia; quia matrimoniū non prohibetur perpetuo inter aliquos, eo quod prohibeatur fieri in absentia parochi, cum fieri possit in eius præsentia.

F Sexto, quod non videtur etiam ratio limitandi ius antiquum fuisse illa, qua nititur prohibitio matrimonij inter senatores, & liberos eorum, cum quibusdam personis. Tum quia illud impedimentum est perpetuum: vt enim tradit Cynus, quam Salicetus & alij sequuntur,[y] id fuit statutum, ne senatorum, & liberorum eorum dignitas vilesceret, iuxta l. *semper.*[z] nec est receptum iure Pontificio. Tum quia raptor & rapta frequenter sunt æqualis dignitatis.

4 Septimo, quod ratio limitandi videtur fuisse, quod consensus raptæ præstitus in domo raptoris, vel extra eam, donec assequatur plenam libertatem, non est satis liber ad contrahendum matrimonium, quod plenam libertatem requirit,[a] quæ ratio ita militat in sponsalibus, ac in matrimonio: quia sponsalia etiam plenam requirunt libertatem secundum omnes.

[a] In leg. si ita quis. §. ea lege. ff. de verb. obligat.
[b] Cap. cum tē pore. de arbit.
[c] Con. 502. n. 2.
[d] ff. de rit. nu.
[e] Cap. 1.
[f] Sess. 24.
[g] Cap. 25. nu. 144.
[h] In cle. 1. de consang.
[i] In dicta l. 1. Co. si rector prouinc.
[k] Cons. 194. lib. 2.
[l] Dicta le. 2. sub finem.
[m] ff. de ritu. nupt.
[n] C. si rector prouinc.
[o] In c. cū quid vna via. de reg. iur. lib. 6.
[p] Leg. 2. ff. de iur. omn. iud. sub finem.
[q] De rap.
[r] 36. quæst. 2.
[s] In §. prohibetur. sub. ca. apud omnipotentem.
[t] C. de ra. vir.
[v] ff. de sponſ.
[x] Cap. 1.
[y] Dict. l. 1. C. si rector prouin.
[z] ff. de rit. nu pti.
[a] Ca. cum locum. de spōs.

Octauo,

Octauo, ex hoc sequitur, quod, licet l. *oratio*. quatenus habet, matrimonio prohibito propter impedimentum perpetuum, videri sponsalia prohibita, non concludat, vt dictum est, per prohibitionem Concilij temporariam videri prohibita sponsalia: tamen quatenus probat, prohibito vno videri prohibitum præambulum, in quo est eadem ratio; concludit, prohibito matrimonio inter raptorem & raptam, donec rapta fuerit in domo raptoris, & donec assequatur plenam libertatem, censeri prohibita sponsalia, donec maneret intra domum, vel extra, & non assequatur plenam libertatem: quia, vt dictum est, defectus liberi consensus ita impedit sponsalia, ac matrimonium.

5 Per quod patet responsio formalis ad quæstionem propositam, & etiam concordia pro vtraque parte allegatorum. Nec obstat, quod aliqui dixerunt, quod prohibitio matrimonij, de qua in dicta l. *oratio*. per nouam extensionem Iurisconsulti extenditur ad sponsalia, ad quæ antea non extendebatur, ob illa verba, *Vt suppleatur quod orationi deest*, quia ex mente Decij,[a] qui huic obstaculo respondet, clarius responderi potest, contextum eius non loqui de suppletione quo ad mentem & sententiam, sed solum quo ad suppletionem verborum, hoc est, quod Iurisconsultus declarat ibi mentem & propositum Imperatorum prohibentium matrimonium inter senatores, & liberos eorum, cu quibusdam personis, fuisse etiam prohibere sponsalia, licet verbis id non expressissent.

6 Non obstat etiam, quod prædictum [b] Concilium Tridentinum est ius exorbitans à iure communi, & limitans illud, vt supra dictum & probatum est; & quod iura exorbitantia non sunt extendenda de vno casu ad alium,[c] & consequenter, quod cap. illud loquens de matrimonio non debet extendi ad sponsalia: non inquam hoc obstat. Tum quia ius limitans aliquid extenditur ex similitudine rationis ad casum similem, vt efficaciter & singulariter probatur per cap. *cum delicta*.[d] & alia multa, quibus ibi Decius illud confirmat: & in proposito nostro non solum inuenitur ratio similis, sed etiã eadem, vt supra probatum est: & ex identitate rationis non solum iura exorbitantia, & limitatoria, sed etiam pœnalia extenduntur, iuxta glossam singularem,[e] & late tradita ibi per Dominicum, & Francum post Antonium.[f] Salua, &c.

a In d. cons. 502. & dicta l. 2. & in c. nã concupiscentia. de constit.
b Cap. 6.
c Cap. quæ à iure. de reg. iur. lib. 6.
d De confir. vtil. vel inut.
e Cap. 1. verbo Italiæ. de temp. ord. in 6.
f In ca fin de consuetud.

## DE FVRTIS.

### SVMMARIVM.

1 *Surripientes aliqua ab ijs, de quibus probabiliter credunt quod rogati darent, non peccant mortaliter, licet credant quod nollent clam accipi: vnde possunt absolui, etiamsi non habeant propositum abstinendi.*

### CONSILIVM I.

PAVPERES mulieres debiles, sibi ipsis victum quærere non valentes, & mendicare erubescentes, cùm sint honestæ conditionis, visitant propinquas suas etiam pauperes, sed non æquè, vt ipsæ sunt, & alternis diebus auferunt eis bucellã panis, vel aliquid simile. Quæritur, an id eis liceat.

1 Respondeo id non licere, nisi crederent probabiliter, quod amica, vel propinqua illa, cui subtrahit, esset contenta, si subtractionem nosset, iuxta l. *inter omnes*.[g] & qui crederet eum, cui surripit, contentum iri, vt acciperet, non peccaret mortaliter accipiendo, etiamsi crederet, quod nollet quod acciperetur ei clam, vt post Adrianum, & Caietanum diximus in Manual. confess.[h] Quod sequitur, mulierem, quæ acciperet illa panis frustula, credens quòd domina eorum gratis daret, si peterentur ab ea, posse absolui sine proposito omnino abstinendi; quia non oportet pœnitentem habere propositum omnino abstinendi à venialibus, sicut à mortalibus, vt diximus in d. Manual. Confess.[i] post S. Thomam.[k]

g §. recte ff. de furtis.
h Cap. 17. nu. 139.
i Cap. 1. nu. 24.
k 3. par. q. 87. art. 1. & 4.

### SVMMARIVM.

1 *Restituere tenentur ancillæ, quæ dietim modica in pauperes bona fide erogant clam dominis; nisi domini talis essent conditionis, quod probabiliter rogati vel pauperibus, vel ancillis ipsis id concessissent, vel nisi omnia simul iuncta nõ essent notabilis quantitatis; immo secundum auctorem, etiamsi facerent notabilem quantitatem, modo eo non essent animo, vt per modica ad vnum notabile peruenirent.*

2 *Furto subtrahere, grauius est peccatum, quam furto subtracta retinere.*

### CONSILIVM II.

ANCILLÆ per multos annos inuitis dominis clam singulis diebus modica quædam dederunt pauperibus, credentes hoc minime prohibitum: quorum omnium minimorum summa simul collecta ascendit ad notabilem quantitatem. Dubitatur, an teneantur restituere de suo.

1 Respondeo primò, quod non tenentur restituere, si domini earum essent talis conditionis, & habitus, vt probabiliter credere possent, quod ipsi consensissent eis, si petiissent licentiam dandi parua illa pauperibus, vel dedissent ea, si fuissent petita ab eis, etiam si noluissent, vt clam eis illa darentur, per responsum ad præcedentem quæstionem.

Secundo, quod tenerentur restituere, si domini essent talis conditionis, quod non dedissent licentiam prædictam, neque illa per se dedissent pauperibus petentibus ea, secundum communem opinionem, quam nos quoque sequuti fuimus in Manual. confess.[a] cum quadam limitatione notabili, quæ ibi videri potest.

2 Tertio, quod secundum nostram particularem opinionem putamus probabile, quod numquam teneantur restituere illa parua sub pœna peccati mortalis, etiam postquam peruenerint ad notabilem quantitatem, si numquam, percipiendo illa parua, intendunt peruenire ad illam; ratione illa firma, quod magis peccat, cæteris paribus, qui capit, quam qui retinet,[b] & quod qui capit illa parua sine intentione perueniendi ad illam quantitatem notabilem, non peccat plusquam venialiter.

a Cap. 17. nu. 139.
b Ca. sæpe. de restitut. spoli.

### SVMMARIVM.

1 *Pueri coquinæ de mandato illius præfecti eius amicis deferentes ea, quæ si sciret dominus prohiberet, nisi desistant, non sunt absoluendi, etiam si ob id cum damno essent de domo eiciendi.*

### CONSILIVM III.

PRÆFECTVS coquinæ habet sub se pueros, quibus dat aliqua comestibilia, alicuius tamen valoris, clam deferenda aliquibus amicis suis; crediturque, quod, si dominus sciret, prohiberet. Pueri obiurgati à confessarijs respondent, Nos huic præfecto cogimur parere, & nisi pareamus, vel si hoc reuelabimus, malo nostro de domo eiiciemur. Dubitatur quid agendum cum dictis pueris.

1 Respondeo, quod prædicti pueri, qui credunt, vel credere debent peccare suum præfectum mortiferè mittendo prædicta donaria suis amicis, peccant etiam ipsi deferendo illa: & ita debet eis præcipi, ne deferant, propter obedientiam, quam Dei legi debent, sperantes ab eo, qui diues est in omnibus, compensationem tam in bonis animæ, quàm in cæteris. argu. eorum, quæ de ministris peccatorum diximus in nostro Manual. confess.[c]

c Cap. 17. nu. 19. & c. 24. n. 23.

### SVMMARIVM.

1 *Furto subtracta bona fide de loco ad locum portans mulio, & in via illa furtiua cognoscens, ne de suo cogatur satisfacere, non furi, si ab eo ad dominum probabiliter creduntur non peruentura, sed domino consignet, modo id sine suo possit detrimento.*

### CONSILIVM IIII.

MVLIO bona fide portabat quasdam res de loco ad locum; in via cognouit dictas res furto sublatas, & tamen perfecit iter. Dubitatur, an teneatur de suo restituere.

1 Respondeo, quod præfatus mulio tenetur res illas restituere illi, qui eas sibi commendauit, vt nos tradimus in Manual.[d] Et ita si ipse portauit illas ad locum, ad quem portare promisit, & reddidit personæ, cui reddere promiserat, satisfecit, saltem quo ad forum conscientiæ,[e] nisi probabiliter crederet, quod qui eas ei commendauit, numquam restitueret domino: nam tunc, si absque magno detrimẽto suo id facere posset, debet restituere domino: & si restituerit ipsi, qui eas ei commendauit, debet monere dominum, locum, & personam, vbi, & penes quam sunt: & si restituerit domino, debet monere eum, qui eas sibi tradidit, quod restituit domino: & si reddiderit furi, cum deberet reddere domino, vel detinere penes se sine detrimento suo, tenebitur restituere de suo

d Cap. 17. nu. 29.
e Arg. l. bona fides. ff. de posit.

domino; sed ad præcipiendum hoc ei, diligenter sunt circumstantiæ rei & personarum perpendendæ, vt ex prædicto loco Manual. & ex Dominico Soto.[a]

[a] Lib. 4. q. 7. art. 1 de iust. & iur.

SVMMARIVM.

1 *Furtum committens in finem seminandi discordias, duo committit peccata mortalia, alterum materialis furti, alteram formalis discordiæ notabilis.*

2 *Monitorio promulgato contra detinentes & scientes non satisfit, nisi qui habent domino restituant, & qui sciunt ita reuelent, vt ad quos spectat, eorum possint se iuuare testimonio. & num. 5.*

3 *Restitutio rei subtractæ ita facienda est, vt veniat ad manus domini, à quo fuit subtracta; nec sufficit, si clam in eius domum proiiciatur, nisi etiam ad ipsum perueniat: alioquin fur iterum etiam in vtroque foro tenetur restituere. num. 4.*

4 *Furtiuam rem à fure acceptam furi tenemur restituere, nisi sit præsumendum quod ab ipso ad dominum minimè perueniet, quia tunc melius est restituere domino.*

## CONSILIVM V.

QVIDAM, animo seminandi discordiam inter maritum, & vxorem, & socrum, bona quædam furati sunt, quæ postea archipresbytero dederunt, vt ea restitueret; is vero intra domum prædictorum secreto posuit; nescitur tamen, an ad manus dominorum peruenerint. Dominus excommunicationem à Papa contra bonorum detentores, & scientes, & non detegentes obtinuit; archipresbyter occultè præmissa manifestauit Episcopo, Episcopus autem manifestauit socrui.

Quæritur primo, quod peccatum cõmiserint dicti fures.

Secundo, an in excommunicationem inciderint.

Tertio, an, depositione prædicta facta in manibus archipresbyteri sic postea reponentis occultè in domo non obstante, teneantur restituere.

Quarto, an fures condictione furtiua teneantur ad restitutionem.

Quinto, an furibus, seu parti archipresbyter teneatur restituere.

Sexto, an scientes, reuelando Episcopo, satisfecerint.

Quæstiones præfatæ iustum libellum, ad iustam earum resolutionem, requirere videntur: quod ipse occupatissimus præstare nequeo, sed breuiter & simpliciter absque ampliori disputatione respondebo.

1 AD PRIMAM quidem, proculdubio eos mortaliter bis peccasse: Primum materialiter peccatum furti: quia contrectauerunt rem alienam inuito domino. Secundo peccauerunt formaliter peccatum discordiæ notabilis ex circumstantia finis: quia in finem seminandi grandem discordiam inter maritum, & vxorem, & socrum, inter quos magna concordia procuranda erat, furari curauerunt.

2 AD SECVNDAM, imitando Scæuolam, qui secundum ea sola, quę proponebantur, respondere solebat, respondeo, eos incidisse in excommunicationem Papalem, si ante lapsum terminum monitioni præfixũ, nihil vltra id, quod in casu proponitur, fecerunt: quoniam excommunicatio Papalis, quam appellant *significauit.* habet Papam iubere, vel committere iussionem ordinario, vt infra certum terminum restituant, qui rem detinent, & qui non detinent, sed sciunt, id manifestent coram iudice, vel persona in literis Papæ vel commissarij expressa, vel nominata; ita vt per eius dictum iuuari possit, qui excommunicationem impetrauit: & præfati fures nec restituerunt, nec confessi fuerunt se habere, nec accepisse furto subtracta intra terminum præfixum.

3 AD TERTIAM respondetur, eo modo esse illa restituenda, ac si non fuissent in domum præfatam proiecta; nisi probetur ea peruenisse ad dominum rerum subtractarum: quia restitutio requirit, vt res in pristinum statum reponantur; & furtum non censetur repositum in quo erat statu, donec perueniat ad suum dominum: & per præfatam proiectionem non constat res proiectas in potestatem earum domini venisse, vt palam est.

6 AD QVARTAM respondetur, fures teneri ad restituendum domino in vtroque foro: in foro quidem exteriori actione furti; & condictione furtiua: in interiori autem, quia non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

AD QVINTAM respondetur, quod archipresbyter

A tenetur restituere furibus iure stricto actione depositi; quia deposuerunt illa apud eum, & præfati fures non erant tales, & suspecti de fuga, vel de voluntate non restituendi verisimili; quo casu interdum satisfaceret, immo melius faceret restituendo domino, quam furi.

5 AD SEXTAM respondetur, quod aut sacerdos, qui manifestauit Episcopo, satisfecit excommunicationi Papali, & Episcopus sanctè potuit reuelare illud socri, cuius intererat illud scire: quia Papa, vt supra insinuaui, iubet, aut committit iussionem reuelandi huiusmodi furta male ablata, ad hoc, vt hi, quorum interest, eiusmodi reuelatione vti possint: & ita poterat optimo iure, immo tenebatur Episcopus reuelare, quod si sacerdos ille non reuelauit Episcopo eo modo, quo posset ille reuelare his, quorum intererat, non satisfecit excommunicationi Papali.

SVMMARIVM.

1 *Restituere viator, qui ad mendicitatem, & alia viarum incommoda vitanda, aliquid furto subtraxit, quod adhuc, vel illius pretium habet, cogendus est.*

## CONSILIVM VI.

REGVLARIS quidam peregrinus, cum nihil haberet, in via nactus occasionem furto quædam sustulit, ad hoc, vt in patriam sibi redeunti prouideret, vitaretque erubescentiam mendicandi, ac alia incommoda, quæ patiuntur facientes iter. Quæritur, an sit cogendus restituere, & quid si rem vendidit, sed habet pretium; & quid, si sit laicus.

1 Respondeo, quod proculdubio tenetur restituere, siue sit laicus, siue ecclesiasticus, & est cogendus, per tradita à nobis in nostro Manual. confess.[a] quæ facile videri possunt.

[a] Cap. 17. nu. 61.

## DE VSVRIS.

SVMMARIVM.

1 *Viduæ & orphani vt certum lucrum ex pecunijs accipere valeant statui non potest, nisi societas per tres contractus fiat, vt & cæteris permittitur.*

## CONSILIVM I.

QVÆRITVR, quomodo possit statui, vt viduis & orphanis dentur quatuor, vel quinque pro centum ab eis acceptis.

1 Ad hanc quæstionem respondeo, quod modus licitus, quo viduis, & orphanis, immo & quibuslibet alijs dentur quatuor pro centum quotannis, est ille, quem nos pingimus & declaramus in Manual. confess.[b] & in commẽ. super cap. *si fœneraueris.*[c] qui fit per viam contractus societatis, cum assecuratione sortis principalis & capitalis pro pretio iusto, & cum assignatione certi lucri pro incerto facta etiam pro pretio iusto; quod non fundo hic latius, quia ibi potest videri satis late fundatum, &c.

[b] Cap. 17. nu. 254. & seq.
[c] 14. qu. 3. de vsuris. num. 32. & seq.

SVMMARIVM.

1 *Mons pietatis, qui deponentibus soluit quatuor pro 100. & à pauperibus mutuatarijs exigit eadẽ quatuor, & alia duo pro expensis, non peccat, nec ratione illorum duorum, quæ iuste exiguntur pro dictis expensis, num. 6. neque ratione aliorum quatuor, quæ ideo accipiuntur, vt ea soluantur deponentibus, à quibus mons in gratiam ipsorum pauperum sub dicto interesse dictam pecuniam accipit. num. 7.*

1 *Deponens pecuniam numeratam à depositario, etiam si sit mons pietatis, nihil potest exigere, immo ei potius deberet mercedem dare; adeo vt si pro ea illi concedat vsum pecuniæ, committat vsuram: nam hoc depositum resoluitur in mutuum: & multo magis si accipit quodcumque aliud lucrum. num. 2. & 4. & sic peccat. nu. 7. nisi fortè dictum lucrum capiat ratione lucri cessantis, quod amittit, dum vt pauperibus subueniatur, per dictum depositum desinit ex suis pecunijs verisimile lucrum acquirere. num. 3.*

3 *Mons pietatis, qui à mutuatarijs exigit interesse, vt ex illo satisfaciat deponentibus pecunias cum lucro & expensis ministrorum, non potest iustificari per vnum societatis contractum, & duos assecurationis: quia mons non exercet aliquam iustam lucrosam negotiationem. & num. 5.*

## CONSILIVM II.

LICITVM an sit, vt mons pietatis det quatuor pro centenario deponentibus pecuniam apud ipsum, cum

circumſtantijs, de quibus in bulla Iulij III. preſuppoſito quod hoc eſt vtile ipſi monti?

1 Reſpondetur primò, quòd, ſi inter montem pietatis, & deponentem pecunias apud eundem, verus & ſolus contractus depoſiti fieret, non poſſet deponens iuſtè quidquam lucri à monte depoſitario accipere. Tum quia verus contractus depoſiti eſt gratuitus,[a] ſicut & contractus commodati, iuxta gloſſam:[b] nam ſi quid daretur pro cuſtodia, eſſet contractus locati, vel conductionis, vt per prædicta iura probatur. Tum quia potius deberet accipere depoſitarius à deponente, propter onus cuſtodiendi, quod ſubit, quàm è contrario, vt palam eſt: adeo quod nos in Manu. confeſſ.[c] probamus vere deponentem cum pacto, vt pro cuſtodia nihil depoſitario daretur, ſed vſus pecuniæ eſſet pro ſalario, committere vſuram.

a Leg. 1. §. ſi veſtimenta. & § ſeq ff. de poſſ
b 1. cap. 1. de commod.
c Cap. 17. nu. 293.

2 Secundo, quod huiuſmodi deponentes apud montes non dicuntur vere deponentes, ſed mutuantes: quoniam qui deponit pecuniam numeratam apud alium, ea lege, vt depoſitarius ea vti poſſit cum obligatione reddendi eam quandocumque repetatur, cenſetur mutuare,[d] & huiuſmodi deponentes hac lege deponunt ſuas pecunias apud montes.

d Leg. certi cō dictio. §. fin. cum l. ſeq. ff. de reb. cre.

Tertio, quod ex hoc ſequitur, huiuſmodi deponentes non poſſe iuſtè capere quatuor, nec quidquam aliud pro centum, ſola ratione eiuſmodi depoſiti; quia id eſſet capere vi & ratione mutui, & conſequenter vſuram committere, iuxta capit. 1.[e] & veram definitionem vſuræ, quam nos poſt alios tradimus in d. Manual.[f] nec poſſent excuſari ratione vtilitatis & pietatis montis, cum neque pro redemptione captiuorum poſſit vſura exerceri, iuxta cap. *ſuper eo.*[g] quod habet etiam ſuper hoc non poſſe per Papam diſpenſari.

e & per totā 14. quæſt. 3.
f Cap. 17. nu. 206.
g De vſur.

3 Quarto, quod prædicti deponentes iuſtè poſſunt percipere prædicta quatuor pro centum, modo concurrant illa, quæ fel. rec. Iulius III. voluit vt concurrerent in depoſitionibus faciendis apud montem ciuitatis Vicentinæ, videlicet, quòd intentio & finis principalis ſit iuuare montem, & pauperes ab eo mutuantes, & non fœnerandi, & quod ad finem deponendi ſiue mutuandi monti deſinant emere merces paratas venditioni, quas alioqui emiſſent, & ſic huiuſmodi deponentes non recipiunt illa quatuor vi & ratione talis depoſiti, ſeu mutui, ſed ratione lucri ceſſantis, quandoquidem ex dicta emptione veriſimiliter lucrarentur tantumdem, vel amplius: & conſtat mutuantem ratione veri intereſſe poſſe capere aliquid mediocre vltra ſortem, iuxta gloſſam ab omnibus receptam.[h]

h In c. cōqueſtus. de vſur.

EX HOC reſponſo poteſt deſumi reſolutio illius dubij, quod à Verona nobis in hanc formam miſſum eſt, vbi erectus fuit quidam mons pietatis in ſubuentionem pauperum, ne impijs Hebræorum vſuris plane exhaurirentur, in hunc, qui ſequitur, modum. Multi pecunias habentes, eas deponebant in monte pietatis ad erogandum pauperibus indigentibus, eo pacto, quod dictus mons daret quatuor pro centenario ijs, qui ſuas pecunias ibi depoſuerant in fauorem dictorum pauperum, & quod accipientes eaſdem tenerentur ſoluere ſex pro centum, quorum quatuor dabantur ijs, qui ſuas pecunias, vt prædictum eſt, tribuerant, & reliqua duo ſuſtinendis oneribus miniſtrorum d. montis; &, ſi quid ex illis duobus ſupererat non expenſum, applicabatur ad pios vſus. Iam quæritur, an tam deponens, vt prædictum eſt, ſuas pecunias in monte, quàm etiam ij, qui ibidem depoſitas, captis pignoribus, ex officio indigentibus & petentibus erogant, accipiendo ſex pro centum, committant vſuram?

4 Circa quod dico primo, quod reſpondendum eſt affirmatiuè per ſupra dicta, niſi ſeruent ea, quæ prædictus Iulius III. ſeruanda eſſe reſpondit, & declarauit.

Secundo, quod non prodeſt eis non ſeruantibus illa modus ille contrahendi ſocietatem per tres contractus, quo capitale, ſiue ſors principalis remaneat ſalua, iuxta tradita à nobis in Manual.[i] quia nos loquimur de vero contractu ſocietatis expreſsè vel tacitè facto; factum autem propoſitum agit de mutuo, vel depoſito cum facultate, vt depoſitarius eo vti poſſit, quod effectu eſt mutuum, per dicta in ſupradicto reſponſo.

i Cap. 17. nu. 254.

5 Tertio, quod difficile fuerit inducere in illo monte Veronæ per prædictos tres contractus modum, quo, qui poneret pecuniam, poſſet lucrari quatuor, capitali ſaluo: quia non ſatis intelligo, quomodo mons deputatus ſolùm ad mutuandum, poſſit contrahere iuſtam ſocietatem ad lucrandum tantùm, quod vna pars lucri relinquatur ſocio pro aſſecuratione ſortis, & pars pro lucro incerto certificando, & pars ſibi reſeruanda; cum modus lucrandi per mutuùm, acceptis pignoribus, non ſit iuſtus, nec modus negotiandi ad lucrandum tantùm; quamuis ſit iuſtus ad lucrandum aliquid paruum pro ſuſtentando onere miniſtrorum.

Quarto, quòd aptiſſimè poſſet induci modus, quo ciues Veronenſes ſeruarent capitale, ſiue ſortem principalem ſaluam, contrahendo ſocietatem cum mercatoribus Veronenſibus per prædictos tres contractus, qui cum illis licitè fieri poſſent: ſed hoc nihil prodeſſet monti, neque pauperibus, ad quos iuuandos is eſt inſtitutus.

6 Quinto, quòd miniſtri montis, & depoſitarij, qui pecunias prædicto modo depoſitas mutuant pauperibus ad rationem ſex pro centum, etiam videri poſſunt vſurarij primo aſpectu, licet ad pia opera mutuent; quia non licet etiam pro redimendis captiuis fœnerari, vt in prædicto reſponſo habetur; ſed ſaluari poſſunt quo ad illa duo, quæ ſibi lucrantur, per illam concluſionem noſtram in dicto Manual.[a] quæ habet poſſe à Repub. inſtitui officium ad mutuandum pauperibus, ſalario miniſtris de publico conſtituto, vel aliquo paruo à pauperibus mutuatarijs eis ſoluendo.

a Cap. 17. nu. 288.

7 Quo autem ad alia quatuor pro centum, deponentibus, ſiue mutuantibus eis pecuniam danda: non peccant, ſiue deponentes deponunt ſeruatis ſeruandis per bullam Iulij III. ſiue non: quia accipiunt pro neceſſitate, non quidem ſuarum perſonarum, ſed proximorum, & etiam pro neceſſitate ſui officij mutuandi pauperibus: quod licet eo modo, quo docet S. Thomas.[b]

b 2. 2. q. 78. a. 4.

Sexto, quod ex his infertur, quod ſi deponentes licitè deponant ſeruatis ſeruandis per prædictam bullam Iulij III. nec deponentes, nec depoſitarij peccant: ſi autem deponentes malè deponant, ipſi ſoli peccant, & tenentur ad reſtitutionem; depoſitarij autem, ſiue miniſtri montis, nec peccant, nec tenentur reſtituere.

### *SVMMARIVM.*

1 *Vſuras exercere ad facienda opera pia non licet.*
2 *Mutuare poteſt quis nummos alienos, volente domino, vt ſuos.*
3 *Mutuare nulli licet, vt aliquid det tali vel tali operi pio.*
4 *Mutuans ſponte, licet ex eo patiatur damnum, non quærit actionem, niſi ea mutuet lege, vt ſe ſeruet indemnem à damno emergente, & lucro ceſſante. num. 7.*
5 *Cenſum annuum ſuper bonis ſuis poteſt conſtituere communitas, vt pretium mutuet pauperibus conſeruantibus illam à damno dictæ annuæ præſtationis.*
5 *Intereſſe lucri ceſſantis, vel damni emergentis peti poteſt.*
6 *Fideiuſſor licitè recipit vſuras, quas creditori ſoluit.*
6 *Creditori qui ſtatuto die non ſoluit, reſtituat vſuras, quas creditor ob id alteri ſoluere coactus fuit.*

## CONSILIVM III.

QVÆDAM Reſpubl. vt egenis ſubueniret, conſtituit cenſum mille ducatorum ſuper bonis ſuis; ex hoc accepit viginti millia ad rationem quinque annuorum pro centum, quæ mutuando illa indigentibus ſtipulatur à mutuatarijs indemnitatem, vt ſcilicet ipſi ſoluerent illos quinque annuos pro centum. Quæritur, an hoc ſit licitum.

1 Reſpondetur, quod pro parte negante facit primò, quòd non licet vſuram exercere, nec per ea quærere aliquid ad opera pia exercenda, etiam pro redemptione captiuorum,[c] & quod in caſu propoſito videtur exerceri vſura ad opera pietatis facienda: quia ipſa Reſpub. conſtituit per venditionem bonorum ſuorum cenſum mille florenorum annuorum ad mutuandum egenis, ita vt ſoluerent mutuatarij ad rationem quinque pro centum.

c Cap. ſuper eo. de vſur.

2 Secundo, quod paria videntur eſſe mutuare mille florenos ſuos egenis ea lege, vt reddantur ei quinque annui pro centum, aut mutuare mille florenos alienos acceptos ab alio ad mutuandum egenis eadem lege reddendi quinque annuos pro centum: quandoquidem ſic mutuare poteſt quis alienos nummos de voluntate domini eorum, ac ſuos.[d]

d Leg. certi cō dictio §. ſi nūmos ff de reb. cred.

3 Tertio, quod approbans huiuſmodi contractum, videtur approbare viam, qua quilibet habēs bona immobilia impune

possit exercere vsuram: quilibet enim habens talia bona, potest vendere censum super illis, & pecuniam numeratam, quam pro pretio census accepit, mutuare alteri ea lege, vt censum, quem ipse soluere debet, soluat mutuatarius; quod tamen non videtur iustè fieri posse: illicitum enim est mutuare alteri ea lege, vt vltra sortè sibi reddendam detur aliquid illi aut illi pauperi, aut illi vel illi operi pio, iuxta dict. cap. *super eo*. & tradimus clarè in Manual. confess.[a] & probatur per ea quæ scripsimus ibidem,[b] & in comme. de vsuris.[c]

4 Quarto, quòd licet mutuans pecuniam sponte sine vlla vi & coactione patiatur aliquod damnum, vel cesset quærere aliquod lucrum amore Dei, vel proximi, ex eo tamen non quærit aliquam actionem, vel exceptionem, vel aliquod ius agendi contra illum, cuius gratia & amore id patitur, sed solum quærit debitum quoddam antidorale, quod non parit actionem, nec ius agendi, vt l. *sed etsi.*[d] & traditur in l. *ex hoc iure.*[e] Ergo cum ipsa Respon. sponte mutuet, & sine vlla vi suis mutuatarijs, & sponte & sine vi relinquat ius exigendi, & lucrandi prædictos census, non videtur quærere sibi per debitum legale, vel iustitiæ exactionem, & ius stipulandi à suis mutuatarijs indemnitatem ab aliquo damno, & interesse damni emergentis, vel lucri cessantis.

5 Pro parte autem affirmante facit primò, quòd, qui mutuat aliquid licitè potest capere à mutuatario, vltra id quod mutuat, tam interesse lucri cessantis, quam damni emergentis, vt nos late probamus in d. Manual. confess.[f] & latius in dict. comm. de vsuris,[g] & tenet glossa singularis recepta,[h] de vsuris. pro qua est text. irrefragabilis in l. 3. ff. de eo quod certo loco. At præfata Respubl. in casu proposito nihil vltra sortem recipit, aut non nisi interesse lucri cessantis, & damni emergentis: solum enim recipit à suis mutuatarijs indemnitatem, qua se indemnem seruat à damno, quod passura esset, si non stipularetur ab eis, vt soluant ea, quę ipsa teneretur soluere illis, quibus vendit suos census, vel à damno cessationis lucri, quod non faceret, si mutuatarij ea non soluerent, quæ ipsa soluere debet; quod vno respectu potest dici damnum emergens Reip. & alio damnum lucri cessantis: eo enim respectu; quo teneretur soluere pretia censuum, si non stipularetur indemnitatem, posset dici damnum emergens; eo verò, quo desinit suos facere fructus, quos dat censualistis, potest dici damnum cessationis lucri.

6 Secundo facit, quod licet fideiussori accipere vltra sortem vsuram, quam soluit creditori; quia non est ibi lucrum, sed interesse, secundum Innocentiũ receptum,[i] quem commendat Iason,[k] & addit Innocentius,[l] quòd debitor, qui non soluit certo die, quo tenebatur suo creditori, si ob hoc creditor accepit ad vsuras, vt solueret suo creditori, cui etiam certa die tenebatur soluere, debet restituere illud damnum:[m] at prędicta Resp. est debitrix censuum, quos vendidit super bonis suis, & mutuatarij eius debent ipsi soluere interesse quotannis, vel pro tempore, quo fruuntur pecunia sibi mutuata.

Ad opposita pro parte negante responderi potest. Ad primum quidem primo, concedendo, quod prædicta Respub. verè mutuat; sed negando, quod accipit aliquid vltra sortem mutuo datam, & vltra interesse damni emergentis, & lucri cessantis, quod licet, vt probat primum argumentum pro parte affirmante formatum, in quo probatur id esse licitum. Secundo, concedendo, quod prædicta Resp. accipit quidem aliquid vltra sortem mutuo datam, sed non vi mutui, sed ratione interesse damni emergentis, vel lucri cessantis, quod licet, vt prædictum est.

Ad secundum concedimus paria esse mutuare pecunias proprias, vel alienas de consensu domini; sed negamus, quòd non possit mutuans accipere ratione interesse, siue mutuet proprias, siue mutuet alienas, per prædicta.

Ad tertium negamus per partem hanc affirmantem aperiri viam exercendi vsuras veras, & illicitas, sed sic viam mutuandi eo modo, vt mutuatarius soluat aliquid vltra rem mutuatam pro interesse damni emergentis, vel lucri cessantis.

7 Ad quartum respondeo, quod licet habeat quamdam similitudinem cum vera & illicita vsura, quia non mutuatur vi, sed sponte; non est tamen talis, per ea, quæ tradimus in d. comment. de vsuris,[n] scilicet quòd dupliciter potest quis mutuare sponte: vno modo simpliciter sine vlla expectatione recompensationis iustæ, vel iniustæ; alio modo cum expectatione iustæ recompensationis interesse damni emergentis, vel lucri cessantis. & concedimus, quod qui primo modo sponte mutuat, nihil potest exigere vltra rem mutuo datam; negando tamen, quod qui secundo modo mutuat, non possit exigere interesse damni emergentis, vel lucri cessantis, vt,[a] declaramus, concludendo, quod qui sponte caritate fraterna & Christiana motus mutuat proximo egenti aliquid ad leuandam indigentiam eius, cum damno suorum bonorum quæsitorum, vel cessando lucrari, opus salutare animæ exercet, & gratam rem Deo facit, etiamsi ea lege mutuet, vt mutuatarius soluat ei id, quod ipse amore eius perdit, vel cessat lucrari.

a Cap. 17. nu. 237.
b Num. 211.
c Not. 15. per totum, & præsertim nu. 52.
d §. consuluit. ff. de petitio. hered.
e ff. de iust. & iure.
f Cap. 17. nu. 212.
g Notab. nu. 42.
h In c. conquestus.
i In c. 2. de vsur.
k in l. nũmis. num. 3. ff de in litem iuran.
l Vbi supra.
m Arg. c. per uenit. & cap. constitutus de fideiuss.
n Num. 52.
a In dicto nu. 52.

## SVMMARIVM.

*1 Ignorantia iuris, nisi sit obscuri dubij, non frequentati, vel innixa sententiæ doctoris, cui merito credi debeat, non excusat. num. 8.*
*2 Ignorantia etiam iuris naturæ & diuini excusat. num. 9.*
*2 Consuetudo, licet ius naturæ, vel diuinum non tollat, minuit tamen, auget, & distinguit. num. 6 Item præbere potest causam credendi aliquid non esse contra illud. num. 9.*
*3 Cõtractus aliquot ab aliquibus liciti & ab alijs illiciti cẽsentur.*
*4 Auctoritas viri valde pij & eruditi à fractione legis excusat.*
*4 Consuetudo excusat à pœna imposita.*
*5 Licitũ quod publice putatur, faciens, non censetur male facere.*
*6 Iudex errans in apicibus & subtilitatibus iuris non peccat.*
*7 Ignorantia iuris non frequentati dicitur probabilis.*
*7 Sententia lata contra ius non valet, si sit clarum, aliàs tenet.*
*8 Contractus, qui communiter liciti reputantur, bona fide faciens non peccat; etiamsi reuera essent vsurarij: obligatur tamen cognita veritate ad restituendum sic accepta. num. 10. potest tamen retinere tantam partem lucri, quantam verisimiliter per aliquos contractus licitos sibi quæsiuisset: at si ignorantia non fuit probabilis, totum tenetur restituere. nu. 12.*
*9 Vsuram esse peccatum, ignorare etsi non sit probabile, probabiliter tamen potest ignorari hunc vel illum contractum esse vsurarium.*
*10 Restituere obligatur quis etiam ob actum sine suâ culpa gestũ.*
*10 Emens rem à non domino bona fide, non peccat, sed restituere debet, cum primum scit.*
*11 Restitutionis causa si sit peccatum, eo cessante, cessat illa.*

## CONSILIVM IIII.

PRIMO quęritur, an qui bona fide facit aliquem contractum, quem credit esse iustum, licet verè sit vsurarius, consuetus tamen impune fieri ea in regione, in qua factus est, peccet.

Secundo, an, esto non peccet, teneatur tamen restituere quæsita per illum.

1 AD PRIMAM quæstionem respondeo sequentia. Primum, quod pro parte affirmante, scilicet quod peccet, facit primò, quod ignorantia iuris non excusat, cap. *ignorantia facti, non iuris excusat.*[b]

Secundo, quod licet ignorantia iuris humani plerumque excuset; ignorantia tamen iuris naturalis & diuini neminem videtur excusare.[c] At vsura iure diuino est prohibita, vt est in clem. 1.[d] ibi, *Contra iura diuina, & humana:* iure item naturali, vti de se malum; quod probat S. Thomas post Aristotelem,[e] adeò quod, qui eam licere dixerit, censendus est hæreticus.[f]

2 Tertio, quod consuetudo non potest tollere ius naturale, vel diuinum.[g]

Pro parte negante, quod non peccet, facit primò, quòd licet regulariter iuris ignorantia non excuset per citata pro parte affirmante, fallit tamen in ignorantia probabili, vt notat glossa recepta.[h]

3 Secundo, quod multi sunt contractus, qui licet verè sint vsurarij, multis tamen doctoribus etiam eruditissimis videntur esse iusti; & contra multi, qui sunt verè liciti, putantur ab aliquibus doctis illiciti; quales sunt contractus, quibus emuntur census redimibiles, qui licent, seruatis seruandis per extrauagantem Pij V.[i] relatam à nobis ad literam in Manual. confess.[k] licet ab aliquibus fuerint improbati, vt habetur in extrauagantem 1. & 2.[l]

4 Tertio, quod auctoritas vnius viri valde pij & eruditi excusat à peccato transgressionis legis, vt est in cap. *capellanus.*[m] adiuncta glossa ex quibus hoc colligunt ibi Panormitanus, Alexander & Imolẽsis, & tradit S. Antoninus.[n] At consuetudo tantæ vel maioris auctoritatis videtur, quam vnus

b De reg. iur. lib. 6.
c 1. q. 4. §. notandum. adiũcta gloss. quæ hoc explicat.
d De vsuris.
e 1. politic. 2. 2. q. 78. art. 1.
f Prædict. cle. 1. §. fi. de hæretic.
g Cap. quæ cõtra. 8. dist. ca. fin. de consue.
h In d. §. notandum.
i Quæ incipit in eam.
k Cap. 17. nu. 300.
l De emptione inter communes.
m De ferijs.
n 1. par. ti. 2. c. 10. §. 1. col. 3.

vel alter

vel alter doctor,[a] vnde & consuetudo excusat à pœna secundum duas glossas à multis reputatas singulares, quarum altera est in cap. *cum venerabilis.* [b] altera in cap. *denique.* [c]

5 Quarto, quod textus in l. *quis sit fugitiuus.* [d] ait, cum, qui facit aliquid, quod publicè putatur licitum, non censeri malè facere, ex quo dicto Bartholus receptus ab his, quos post illa eius citat, & à multis aliis alibi, determinat non esse dicendum vsurarium illum, qui facit actum, qui communiter æstimatur licitus, quamuis in veritate vsurariam prauitatem contineat.

6 Quinto, quod qui facit aliquid, eo quod malè intelligit iura canonica, non peccat mortaliter secundũ Innocentium,[e] ob quod dixit Baldus,[f] quod etiam iudex errans in subtilitatibus iuris non peccat, & idem Innocentius ait,[g] quod qui ratione naturali ductus credit Patrem maiorem esse filio in diuinis personis, non peccat, modo habeat fidem implicitam, qua firmiter credat omnia, quæ Catholica credit Ecclesia, & idem Innocentius,[h] receptus à Panormitano & Rocho, & aliis, ait, quod consuetudo, licet non possit abrogare ius naturale, vel diuinum, potest tamen illud minuere, augere, & distinguere, nec errans circa ius dubium peccat, secundum Ioannem Andream communiter receptum,[i] quod ipsum sensit Cardinalis de errante circa contractum, de quo inter doctores dubitatur an sit vsurarius.[k]

7 Et Ioannes Monachus dixit,[l] quod ignorantia iuris non frequentati est probabilis, & denique textus in l. *si fideiussor.* [m] ait, errantem bona fide in apicibus iuris excusari, ex quo id colligit Bartholus ibi receptus à multis citatis in eius additione, & communis opinio habet,[n] quod illud cap. quatenus habet sententiam latam contra ius non valere, est restringendum ad sententias latas contra ius clarum, ita vt non comprehendat latas contra ius obscurum, vel dubium. At cum aliquis contractus in aliqua regione vsitatur, & habetur pro licito, necessarium est dicere, quod ius, quo ille probatur esse illicitus, est obscurum, vel infrequentatum, vel subtile, vel de apicibus iuris: ergo faciens illum non peccat, nec ob id pœnam meretur.

8 Quare omnibus præfatis pro vtraque parte perpensis, videtur resoluendum, quod qui hactenus fecerunt aliquos contractus, qui communiter putabantur liciti, & consueuerunt impune fieri, credentes eos bona fide iustos esse, non sunt arguendi peccati, saltem mortalis.

Ad opposita facile responderi potest per adducta pro parte negante. Ad primum quidem, concedendo, quod ignorantia iuris non excuset regulariter; sed fallit in ignorantia iuris obscuri, vel dubij, vel infrequentati, vel quæ fouetur auctoritate alicuius doctoris digni, cui credatur.

9 Ad secundum respondetur, negando, quod nulla ignorantia iuris naturalis vel diuini excuset: nam præfatũ dictum Innocentij,[o] de ignorantia iuris diuinissimi loquitur, & ait etiam excusare à peccato: & multi sancti dubitarunt de aliquibus articulis, quos postea declarauit Ecclesia esse de fide; immo & tenuerunt ante declarationem Ecclesiæ cõtrarium; non tamen ob id peccauerunt, vt colligitur ex notatis cap. *damnamus.* [p] Concedendo item vsuram iure naturali & diuino esse prohibitam, & consequenter eius ignorantia paucos excusari posse; sed negando, quod cum hac scientia iuris non possit concurrere ignorantia an ille aut ille contractus sit vsurarius: quia scientia in genere, quod vsura non licet, compatitur ignorantiam an hic vel ille contractus sit vsurarius.

Ad tertium respondetur, concedendo, quod consuetudo non potest abrogare vllum ius naturale, vel diuinum; sed negando, quod non possit dare causam probabilem credendi hoc vel illud non esse contra ius naturale, vel diuinum, per quod excusetur à peccato, per supra adducta.

10 AD SECVNDAM respondeo, quod pro parte affirmante, quod teneatur restituere, facit, quod quis potest esse obligatus ad restituendum aliquid propter aliquem actum sine vlla culpa sua gestum. Tum quia qui rem aliquam bona fide ab eo, cuius non erat, emit, is non peccat emendo, sed tenetur restituere illam domino, etiam non soluto pretio,[q] simulac sciuerit eam esse illius, vt diximus in Manu.[r] Tum quia qui aliquid alicui commodauit, & postea recipit aliquid in pretium vsus, bona fide credens id ei locasse, non quidem peccat, sed restituere debet id quod accepit, tamquam acceptum & retentum sine iusta causa.[a] Tum quia qui capit indebitum, bona fide putans sibi esse debitum, ab eo, qui errore putabat debere, non peccat accipiendo; & tamen restituere tenetur, simulac sciuerit fuisse indebitum.[b] Ergo & qui accepit per contractum, quem putabat iustum, sed erat verè vsurarius, aliquid vltra sortem, tenebitur restituere illud tamquam indebitum; licet non peccasset accipiendo illud, quod bona fide credebat esse debitum.

11 Pro parte autem negante, quod non teneatur restituere, facit primò, quod cessante causa cessat effectus.[c] At causa, quare lucrans per contractum vsuræ, tenetur restituere lucrum, videtur esse, quod peccat id faciendo: ergo cessante peccato, cessabit etiam obligatio restituendi lucrum.

Secundo, quod qui per ignorantiam iustam fecit contractum vsurarium, potuit per pecuniam, quam ob illum dedit, emere aliqua frugifera, vel aliquem censum, vel aliquas merces, ita quod plus fortassis lucri fecisset, quam per præfatum contractum; & res, quæ culpa caret, non debet in damnum vocari.[d]

Tertio, quod etiam mutuans pecuniam, licet non possit accipere aliquid vltra sortem pro vsura, siue vsu ipsius, vel alterius rei mutuatæ, potest tamen accipere pro interesse damni emergentis, vel lucri cessantis,[e] vt & nos post alios tradimus in Manu. confess.[f]

*Vide supra consil. 1. de constitu. quæst. 34. num. 72. & sequen. vbi agens de contractibus vsurariis quo ad obligationem restituendi, nullam videtur habere rationem, quod contractus illi lege & consuetudine admittantur.*

12 Quibus omnibus pro vtraque parte pensatis, videtur dicendum, quod licet qui lucratur aliquid vltra sortem per contractum, quem scit, vel debet scire esse vsurarium, peccet, & teneatur restituere totum lucrum; qui tamen lucratur per contractum, quem (licet esset verè vsurarius) bona fide probabiliter credit esse licitum, nec tenetur scire, neque credere contrarium, sicut non peccat, ita non tenetur restituere totum lucrum, sed potest retinere illud, vel tantam partem ex eo, quantam verisimiliter per aliquos contractus licitos sibi quæsiuisset.

*Aduertendum, potissimam rationem, qua hic excusatur ab hac restitutione, fundari super ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, vnde videtur Auctor supponere in hoc casu deberi verificari ea, per quæ damnum emergens, & lucrum cessans potest peti, seu retineri: alia etenim ratio, quæ fundatur super cessatione peccati, non videtur excusare, nisi quo ad ea, quæ accipiens ita impendisset, quod non sit factus locupletior, ne damnum patiatur restituendo de suo.*

SVMMARIVM.

1 *Multiplices contractus, quos aliàs quis gessit, de quibus modo in genere dubitat an sint liciti, tenetur adhibita mediocri diligentia meminisse de quibus dubitat, & acquiescere sententiæ docti confessarij.*

2 *Rationum libros multorum annorum qui ob scrupulos ex parte reuideri curauit, ex antecedentibus potest de consilio confessarij diiudicare an sit sistendum, vel vlterius progrediendum.*

2 *Dubitans, an in multiplici negotiatione exercita interuenerit læsio tertij, à Pontifice nihil plus impetrabit, quam ei à iure concedatur; videlicet vt adhibita mediocri diligentia, secundum quod reperiet, damna data restituat, certa certis, & incerta pauperibus.*

## CONSILIVM V.

BERTA vidua remanens tutrix suorum filiorum, vt bona paterna non deteriorarentur, sed potius augerentur, eisdem negotiis, quibus suus vir vtebatur, quæ putabat licita, de consilio suorum doctorum confessariorum, exercuit. Demum filiis ad ætatem peruenientibus bona diuisit, sua sibi dote retenta. Animaduertens interim, difficile esse talia negotia sine peccato exerceri, cœpit scrupulis conscientiæ agitari; maxime quia recordatur sæpe sæpius in solutionem à suis debitoribus recepisse, & ab aliis emisse diuersarum specierum animalia, granum, hordeum, legumina, domos, vineas, res, quæ deinde aliis vendebat maioris, quam reciperet; credens tamen, cum contineret se intra latitudinem iusti pretij, id licere, vt sibi prædicti consultores consulebant: pro securitate autem conscientiæ suæ statuit libros suos reuisioni alicuius Theologi submittere, vnà cum aliquo mercatore in negotiis

---

a Arg. l. 2. C. quæ sit longa consue.
b De consue. c 4. distinct.
d §. apud Labeonem ff. de edilit. edict.
e Ca. per tuas 2. de simonia.
f In l. ab eod. Co. quomodo & quando iudex.
g In c. firmiter nu. 7. de summa Trinit.
h In c. fi. de cõsuetud.
i In c. 1. de postulat. pral. li. 6.
k In cle. 1. §. fin. oppos. 3. de vsuris.
l In d. c. ignorantia. de re. iur. lib. 6.
m §. quadam. ff. mandati.
n In c. 1. de re iudic.
o In dicto ca. firmiter. de summa Trini.
p De sũ. Tri. & ca. 1. codẽ tit. li. 6. & cle. 1. eo. tit. §. porro. ibi, deinceps. &c.
q Leg. mater. & l. si mancipiũ. C. de rei vend.
r Ca. 17. n. 7.

a Arg. l. 1. ff. de cond. sine causa.
b Toto titulo de cõdictione indebiti.
c Cap. cum cessante. de appellat. cum suis concordãtiis.
d Capit. 2. de constitut.
e Leg. cũ glos. & ei adnota. C. de sententia, quæ pro eo quod interes.
f Cap. 17. nu. 211. & seque.

& computis perito, vt ſi ipſi in aliquo iudicarent eam aliquem grauaſſe, grauatis ſatisfaceret ex ſuis dotibus; quod & fecit, data ſibi talium copia: qui librorum partem videre incipientes, aliqua inueneruntreſtitutioni obnoxia, quæ hilari animo reſtituit. At quia tales non ibi ita de facili inueniuntur, qui ſciant & velint talem ſubire laborem, licet diuerſi reuiſionem inceperint, nullus tamen compleuit, & ſic non ſperat amplius ad completam dictorum librorum reuiſionem poſſe deuenire. Pro quiete autem ſuæ conſcientiæ recurrit ad ſanctam Sedem Apoſt. pro remedio, vt poſſit eligere confeſſorem, qui eam abſoluat, iniuncta aliqua eleemoſyna pauperibus vel operibus piis eroganda.

Rogatus à viro admodum Reuerendo, & erudito, an expediret hanc petitionem offerre S. D. N. aut Pœnitentiario maiori, & qua via id eſſet faciendum, reſpondi ſequentia. Primo, quod prædicta conſulens gratias agere debet Deo, quod eius mentem adeo ſuæ ſalutis memoria admoneat, adeoque propenſam in eam quærendam faciat.

1 Secundo, quod S. D. N. pro ſua eruditione, & iuſtitia, nihil aliud huic piæ conſulenti concedet, quàm quod ei, & confeſſario eius docto iure communi conceditur, nempe, quod mediocrem diligentiam adhibeat in rememorando cauſam, & cauſas, in quibus ſe offendiſſe diuinam maieſtatem ſuſpicatur; & eas manifeſtet confeſſario docto, qui per ſemetipſum, ſi adeo eſt doctus, alioquin per alios, quos ſatis in id iudicauerit doctos, reſpondeat ei, an, & quando, & cui, & quomodo reſtituere teneatur, vel non; & ipſa conſilium eius ſequuta poterit manere ſecura.

Tertio, quod non eſt ei neceſſe ſcrupulis angi, & inquietare ſe, eo quòd receperit aliqua in ſolutionem debitorum vno pretio, quæ poſtea maiori diſtraxerit, modo neutrum extra latitudinem iuſti pretij currẽtis, quando accepit, vel quando dedit, id fecerit, vt in caſu factum eſſe proponitur, ſecundum omnium ſententiam.

2 Quarto, quod Papa non poteſt in hac re aliud ei concedere, quàm quod ſit ſecura, reſtituendo pauperibus ea, quæ ſibi probabiliter videntur reſtituenda; & non poteſt ſcire cui ſint reſtituenda; & hoc ipſamet per ſe ipſam, vel ſaltem cum conſilio docti confeſſoris poteſt facere, per illa, quæ habentur in cap. *cum tu.* [a] & latius traduntur in noſtro Manu. [b]

a *De vſur.*
b *Ca.17.n.92.*

Quinto, quod confeſſarius doctus & prudens debet iudicare, an prædicta conſulens teneatur facere expleri reuiſionem ſuorum librorum iam inceptam, an non, intellectis prius cauſis, & caſibus, in quibus, & ob quas reuiſores eam ad reſtituendum damnarunt, & interrogata conſulente, an multa alia ſimilia fecerit, & quot veriſimiliter, nam ſi inueniret non debuiſſe iure damnari in illis caſibus, & ob eas cauſas, poſſet merito iudicare non eſſe continuandam reuiſionem; ſi autem inueniret eam optimo iure damnatam, deberet iubere, vt reuiſio compleretur, niſi ea veriſimiliter omnia meminiſſet. Nam papa non concedet prædictæ conſulenti, vt omittat facere diligentiam iuſtam informandi ſe per rationes librorum ſuorum, & per alia, ſecundum quod viro bono & prudenti videbitur, & faciendo hoc, ſatisfaciet ſine Papæ auctoritate, per facultatem ab ipſo Chriſto conceſſam, ſecundum omnes. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Mutuans à mutuatario poteſt etiam ante moram ſtipulari lucrum veriſimile ceſſans, & damnum emergens: nec enim accipit pro dilatione temporis, ſed pro dicto intereſſe. num. 4. poteſtque vſque à principio taxari. num. 3. nec eſt neceſſe, quod mutuans, ſi ſit mercator, moneat mutuatarium, ſe ob dictam dilationem pati intereſſe; quia ſtatus ipſe mercatoris ſatis monet. num. 2.*

## CONSILIVM VI.

MERCATOR quidam M. argentarius, ſiue campſor credidit, vel mutuauit cuidam P. pecuniam ſoluendam certo die, quo non ſoluit, ſed obligauit ſe per inſtrumentum alio die, addito intereſſe, quod veriſimiliter intra illud ſpatium lucratus fuiſſet M. Quæritur, an contractus ſit vſurarius.

1 Reſpondetur quod non. Tum quia quidquid dicat Innocentius, [c] & Sotus, [d] vera & recepta ſententia eſt, vtrumque intereſſe, tam lucri ceſſantis, quam damni emergentis, poſſe ſine vllo peccato vſuræ etiam ante moram ſtipulari à mutuante, per l.3. [e] & per alia multa: quia contrariam opinionem efficaciter & late refutauimus in comment. de vſuris, [f] vbi monſtrauimus nec S. Thomam, nec Scotum, nec S. Antoninum tenere contrarium, nec ipſum Sotum auſum fuiſſe damnare prædictam ſententiam, quæ communis cum noſtra eſt, quam tenuit Conradus, [a] Hoſtiẽſis & Antonius, [b] Silueſter, [c] Caietanus, [d] ad quem ſe refert, [e] & Adrianus, [f] Gabriel item, & Maior, [g] & Panormitanus, [h] vbi gloſſa ſingularis & ita præfatus M. potuit paciſci & ſtipulari prædicto menſe Maij prædicto P. intereſſe veriſimile lucri ceſſantis, & damni emergentis, quod ceſſaret, vel emergeret tempore datæ dilationis. Tum quia conſtat de intereſſe veriſimili lucri ceſſantis, & damni emergentis, cum notoriè conſtet eum eſſe mercatorem, qui quotidie emit, & vendit, cambit, & recambit exercendo cambia realia, & licita. Tum quia præſupponeretur in dubio eum fuiſſe debitorem aliorum mercatorum, quibus ſoluebat & ſoluturus erat intereſſe conuentum damni emergentis & lucri ceſſantis ad rationẽ 12. pro centenario.

c *In.c.ſi.de vſuris.*
d *Lib.6.qu.1. ar.1. de iuſt. & iur.*
e *§.vl ff quod certo loco.*
f *Super ca.1. 14.q.3.nu.51.*

a *In tit. de cõtract.qu.30.*
b *Ca.ſalubriter. de vſur.*
c *In ſum.ver. vſura 1.q.19.*
d *Sup.S.Tho. 2.2.q.78.a.1.*
e *Quæſt. 62. art.4.*
f *In 4.de reſ. vſur.*
g *In 4.diſt.15.*
h *In ca.conqueſtus.de vſur.*

Non obſtat primo dicere, quod non conſtat prædictum M. ſoluturum fuiſſe ſuis creditoribus pecunias, quas credidit præfato P. ſi illas ipſe reddidiſſet, vel non accepiſſet creditas: quia in vtroque caſu, ſiue ſoluiſſet, ſiue non ſoluiſſet, intererat M. In caſu enim, in quo ſoluiſſet, euitaſſet damnum emergens, quod ſibi euenturum erat non ſoluendo ſuis creditoribus 12. pro centenario: in caſu verò, quo non ſoluiſſet, eueniebat ei intereſſe lucri ceſſantis ex illis pecuniis veriſimiliter quærendum. Et licet probatio dubia non reuelet communiter, [i] fallit tamen, quando in vtroque intellectu concludit, vt poſt alios multos affirmat Decius. [k]

i *Ar.c.in præſentia. de probat. & l. neq; natales. C. eod.*
k *In dict. c.in præſentia.nu.25.*

2 Non obſtat ſecundo dicere, quod præfatus M. non monuit præfatum P. de vllo intereſſe, quod euenturum erat ei propter creditam pecuniam: non enim dixit ei ſe debere quidquam aliis, ſoluereque illis tantùm 12. pro centenario quotannis, nec quod eſſet cum illa pecunia tractaturus, & veriſimiliter per artem ſuam mercandi & cambiendi licitam tantùm vel plus lucraturus, quàm quod ab eo ſtipularetur: & quod prædicta monitio requirebatur ſecũdum communem. Non inquam hoc obſtat. Tum quia eo ipſo, quod præfatus P. ſciebat eum eſſe mercatorem, & quotidie exercere mercaturam, & cambia, ac recambia, vt ex inſtrumento datæ dilationis conſtat, ſatis certus erat de intereſſe lucri ceſſantis, vel damni emergentis ex mutuis ab aliis mercatoribus de more acceptis, cum numquam non contingant eis, vt palam eſt omnibus, qui dilata ſolutione mercantur ab eis, vt præfatus P. mercari ſolitus erat à prædicto M. quod ex aliis contractibus ſummam computationum continentibus conſtat. At is qui certus eſt, certiorari amplius non debet. [l] Tum quia ex contractibus antea inter ipſos initis conſtabat ipſi P. non eſſe ſolitum M. credere ſiue mutuare ſine intereſſe aliquo lucri ceſſantis, vel damni emergentis: & doctores, qui præfatam monitionem requirunt, loquuntur de illo, qui neſcit, an credens ei pecunias ſoleat mercari ac tractare ad licitè lucrandum; & ſi ſciret illud, quod oporteret eum teneri ad intereſſe, fortè non acciperet pecunias creditas, vt colligitur ex Soto vbi ſupra: at nos agimus de P. ſciente M. mercari, & cambire, continuéque tractare; & quod ſciẽs ſe oportere ſoluere intereſſe, accipiebat creditum ab eo, cui antea pluries illud ſoluit: & ita cum cauſa monendi ceſſaſſet, ceſſauit quoque neceſſitas id faciendi. [m] Confirmantur hæc ea ratione, quod cõtractus, & aliæ diſpoſitiones humanæ intelliguntur factæ ſecundũ conſuetudinem regionis, in qua fiunt, [n] at conſuetudo Romana habet, quod ſimiles contractus, qui fiunt inter principes viros & mercatores, habeant reſpectum ad intereſſe, quod mercatori veriſimiliter euenturum eſt: & cum non debeat vllus locupletari cum alterius iactura, [o] & principum ſit proprium donare, [p] & nullatenus incommodare, iuxta illos verſus, quos ponit Cardinalis, [q] conſequens eſt huiuſmodi monitionem non fuiſſe neceſſariam, vt M. ſtipulari potuiſſet intereſſe veriſimile lucri ceſſantis, vel damni emergentis ſecundum ſuam artem ei euenturum.

l *Cap. eum qui. de reg.iu. lib.6. in fi.l.1. ff. de act.emp. & vend.*
m *Ar.l.adigere.§. quãuis. ff. de iure patronatus.c.cũ ceſſante.de appellat.*
n *Leg fin.Co. de fideiuſſ.ca. cum M. de conſt. vbi late Feli.not.4.*
o *Cap.locupletari.de regul. iur.lib.6.*
p *Cap.1.de donatio.*
q *In ca.venerabilis.de præ.*

3 Non obſtat tertio, quod aliqui dicunt intereſſe non poſſe à principio certificari, quod ex euentu eſt certificandum, vt ſentire viſus eſt Sanctus Thomas, [r] quoniam nulla iuſta ratione probari poteſt, quod intereſſe illud veriſimile incertum non poſſet certificari; vt etiam ipſe Sotus, qui aliis in hac materia ſtrictius loquitur, affirmat. [s]

r *2.2.q.75.a.2.ad 1.*
s *In prædicto lib.6.q.1.a.3. ſub fin. verbo quinta cõcluſio.*

Non obſtat quarto illa regula, quæ eſt fundamentum in hac materia: *Quidquid vltra ſortem mutuo datam accipitur,*

*vsura est.*[a] quia id verum est, cũ aliquid principaliter accipitur ratione mutuationis; at in nostro casu accipitur ratione interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, quæ longe alia est, vt glossa & omnes sentiunt.[b]

4 Nec obstat quinto cap. *consuluit.* [c]adiuncta expositione Ioannis Andreæ Panormitani & aliorum, quæ probat vsurarium esse qui accipit aliquid à debitore pro dilatione termini ad soluendum præstiti: quia præfatus M. non est stipulatus aliquid ob dilationem, sed ob interesse, vt prædictum est.

Non denique obstat sexto etiam opinio eorum, qui dicunt non licere aliquid stipulari pro interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, ante moram, ei qui sponte mutuat, secundum Innocentium cap. fin. de vsuris, quem sequitur Sotus vbi supra: quia contraria est communis, & longè verior, per ea quæ nos late scripsimus in prædicto comment.[d] Salua, &c.

a Ca si fœnerauerit. & c. 3. & c. fi. 14. qu. 3. cum eis concordantibus.
b In c. conquestus. de vsuris & alijs innumeris locis.
c De vsuris.
d De vsur. n. 51.

SVMMARIVM.

1 *Cambiorum futurorum interesse non potest post bullam Pij V. certificari, nec super eis pacisci vt finito primo incipiat currere secundum, nec vt pecunia restituatur in loco, in quo accipitur pecunia cambio.*

1 *Creditor à suo debitore saltem in foro exteriori non potest stipulari, quod soluet interesse cambiorum & recambiorum ad tot pro centum.*

## CONSILIVM VII.

VSVRARIVS an sit contractus, per quem qui mutuo, vel alia ratione debet pecunias alteri, obligat se ad soluendas illas in certis terminis cum cambiis, & recambiis, & interesse duodecim pro centum.

1 Respondetur, quod præfatus contractus non est licitus, & est iudicandus saltem in foro exteriori vsurarius per extrauagantem Pij V. relatam à nobis ad verbum in Manu. confess.[e] & relatam in summa in tract. de vsur.[f] in qua statuitur non licere certificare interesse futurum probabile in cambijs, nec accipere cambia in eodem loco, vbi pecuniæ dantur, neque (si res satis perpendatur) vt cambio vno finito aliud recambium incipiat currere.

*Vide inferius consil. 31. vbi diffusius tractatur de cambiis.*

e Cap. 17. nu. 283. lit. N.
f Num. 52.

SVMMARIVM.

1 *Mutuatarius vsuras vltra sortem promissas soluere non tenetur, nisi iurasset; potest tamen petere etiam ab Episcopo iuramenti relaxationem. num. 3.*

2 *Interesse non debetur, nisi ab interpellato moroso, vel si creditor sit mercator, quo casu non videtur necessaria interpellatio.*

## CONSILIVM VIII.

QVIDAM miles S. Ioannis Hierosolymitani, nullam commendam, nec aliam administrationem bonorum ordinis habens, accepit mutuo ab alio 700. scuta, & obligauit se ad soluendum ei mille per quoddam instrumentum publicum, confitendo se illa debere, nulla mentione facta, quod 700. realiter mutuo accepit, & 300. promittebat pro interesse creditori, & dilatauit solutionem, & restitutionem 15. annis: quia non fuit interpellatus à creditore, eo quod esset amicus eius, & aliqua bona opera accipiebat à mutuatario. Mortuo creditore, hæres petit à præfato milite habente iam commendam, non solum omnia illa mille, sed etiam interesse lucri cessantis, quod ex illis potuit facere creditor.

Quæritur, an vltra 700. mutuatarius teneatur ad illa 300. & ad aliquod interesse ratione præfatorum 700.

Respondeo, quod non. Primo quidem, quod mutuatarius non tenetur soluere vsuras pro mutuo promissas, [g] iure naturali, diuino, neque canonico, quod in vsurarum materia necessario seruandum est,[h] & quicquid accedit sorti, vsura est.[i] At 300. prædicta sunt vltra sortem principalem promissa: ergo prædictus consulens mutuatarius non tenetur illa soluere.

2 Secundo, quod non possunt ab eo illa pẽti ratione interesse lucri cessantis. Tum quia non debetur illud ab eo, qui non est in mora soluendi, secundum Innocentium,[k] & debitor non fuit in mora soluendi, quia non fuit interpellatus; nisi creditor esset mercator, qui à mercando cessaret, propterea quod non esset sibi solutum tempore debito, arg. l. 3.[l] & eorũ quæ latius aliis nos notauimus in com. de vsur.[m] At præfatus D. consulens non fuit in mora soluendi, quia non fuit interpellatus, quod requiritur ad moram, iuxta glossam solemnem,[a] neque creditor erat mercator, qui à mercando cessasset propter illud mutuum, ergo non tenetur ad soluendum interesse.

g Cap. debitores. de iureiu.
h Cap. quæ in omnibus. & toto titulo de vsuris, sexti, & cle. & ca. quid dicam. 14. quæst. 4.
i Cap. 1. 2. & 3. 14. q. 3. cum simil.
k In c fi. de vsur.
l ff. de eo quod certo loco.
m Super ca. 1. 14. q. 3. notab. 5.
a In c. mora. de reg. iur. li. 6.

3 Animaduertat autem D. consulens, quod si promissio de soluendo mille fuit iurata in instrumento, tenetur soluere præfata 300. quia licet promissio simplex de soluendo vsuras non valeat iure diuino, & canonico; iurata tamen obligat ad soluendum, & reddendum Deo iuramentum suum.[b] Sed habet remedium contra hoc: quia potest petere ab Episcopo suo, vel à Pontifice Maximo vt relaxet sibi iuramentum illud, ex eo, quod contractus, per quem se obligauit ad soluendum, est vsurarius, vt habet cap. 1. vbi late de hoc tractatur,[c] &c.

b Dict. ca. debitores. de iureiur.
c De iureiur.

SVMMARIVM.

1 *Contractus pro ea parte, pro qua est vsurarius, & contra naturæ legem, nullus est, & nullam parit actionem, secus quo ad partem non vsurariam.*

2 *Mutuans sub vsuris nulla lege amittit capitale, immo illius est verus creditor, & potest exigere. & agere. nu. 3.*

4 *Vsurarius etiã manifestus contrahere potest, licet non possit testari, nisi præstita cautione de restituendo.*

5 *Cessio contractus vsurarij tenet vsque ad quantitatem capitalis mutuo dati, immo fortè nec quo ad illud, si cedens intendebat non cedere, nisi totum cederet.*

## CONSILIVM IX.

FRANCISCVS mutuauit mille Paulo cum pacto, vt infra biennium teneretur restituere mille & ducenta; deinde cessit hanc actionem, pretio conuento, procuratori Pauli, qui eam admisit.

Quæritur primo, an procurator in hoc peccauerit.

Secundo, an prædicta cessio fuerit nulla.

1 Pro harum quæstionum resolutione præsuppono primo, certum esse, quod contractus supradictus fuit vsurarius, si, vt narratur, fuit factus; & consequenter fuit nullus contra legem naturalem, diuinam, & humanam,[d] quibus consequens est non fuisse natam ex eo actionem, nec posse ex eo agi, qua parte est vsurarius, & continet vt aliquid vltra sortem soluatur.[e]

2 Secundo præsuppono, nulla lege, neque canone, saltem in corpore iuris clauso, caueri, quod mutuans ad vsuram perdat ipso iure pecuniam, quam mutuo dat. Quinimmo contrarium sentit Federicus,[f] & expresse determinat,[g] quod vsurarius, qui extorsit vsuras à mutuatario, est creditor, & debitor eius: creditor quidem in eo, quod mutuauit ei: debitor autem in eo, quod pro vsuris recepit ab illo: & si non recepit pro vsuris tantum, quantum mutuauit, potest recipere à mutuatario illud plus, quod mutuauit; si verò recepit plus, debet restituere mutuatario illud plus, quod recepit.

d Leg. iuris gẽtium §. pacta quæ turpem. ff. de pactis. & l. generaliter. ff. de verb. ob.
e Ca. 1. 14. q. 3. cum multis similibus.
f In cons. 63.
g In cõs. 221.

3 Tertio præsuppono, quod ex his videtur sequi vnum nouissimum, quod non memini vnquam ab alio notatum, scilicet, quod licet præfatus Franciscus peccasset in mutuando sub vsuris prædicto modo, & non possit agere ex illo contractu, quatenus erat vsurarius, ad exigendam vsuram: potest tamen petere à Paulo, vel hæredibus eius illud, quod mutuauerat, quatenus continebat mutuum, reiecto onere soluendi vsuras, & exigere illud per certi condictionem, vel condictionem sine causa: quia res eius peruenerat ad Paulũ, & æquum erat vt illa rediret ad eum.[h]

4 Quarto, quod vsurarius non perdit potestatem contrahendi cum aliis, nec potestatem testandi, si non est manifestus; neque si est manifestus, si dederit cautionem ad id requisitam, per cap. *quamquam.*[i] quia nullo iure id ei vetatur, & regulariter quilibet liber homo contrahere & testari potest.[k]

His præsuppositis, respondeo ad primam quæstionem, quod præfatus procurator peccauit acceptando illam cessionem: quia approbauit illum contractum, & proposuit exigere virtute illius 1200.

5 AD SECVNDAM videtur respondendum, quod prædicta cessio non fuit nulla, eo quod Franciscus non haberet potestatem cedendi, contrahendi, & testandi, per quartum præsuppositum: neque ideo, quod non competeret ei contra Paulum ius petendi aliquid, per tertium præsuppositum: potuit tamẽ esse nulla propter defectum animi cedendi

h L. si & me & Titiũ. ff. de reb. cred.
i De vsuris li. 6.
k Leg. 1. C. de sacros. eccles.

ius petendi mille tantùm, quod habebat, per præfatum tertium præsuppositum, super quo magna disputatio texi posset, quod nobis in præsentia propter multa facere non licet, nec decet: quia valde sæculare est, & esset impedimento spiritualibus, quibus obruimur.

### SVMMARIVM.

2 *Interesse probabile vsque à principio potest taxari, & à mutuatario promitti mutuanti, licet hoc sit in cambiis prohibitum, vnde ex instrumento sic conscripto non potest dici notoriè constare de vsura. num.1.& 5 successiue creditorem petentem illius exequutionem non potest iudex, parte non opponente de vsuraria prauitate, repellere. num. 1. etiamsi putet reum ex causa id omittere. num.6.*

3 *Iudex iudicare tenetur secundum acta publica, & publicas probationes, & non ex priuata scientia, itemque secũdum leges, & non secundum propriam voluntatem. nu.4.& 7.*

5 *Inquirere in genere potest iudex ex officio, an in suo territorio sint delinquentes; at contra certam personam non potest, nisi præcedente fama iudiciali, adeo vt extraiudicialis non sufficiat. & num. 7.*

6 *Iudex officium suum non requisitus non potest impartiri ad vtilitatem, saltem propter interesse alicuius priuati, neque ob publicam vtilitatem contra particularem procedere, diffamatione iudiciali non præcedente; sicque abstinendo non grauat conscientiam suam. nu.7.*

6 *Iudex ignorare dicitur omnia, de quibus ei vt iudici iudicialiter non constat.*

## CONSILIVM X.

SYLVIVS petiit à iudice exequutionem instrumenti, quo se quidam B. obligauit ad restituendum præfato Syluio 100. mutuo accepta, & quinque pro interesse pro tempore, in quod illa accepit.

Quæritur, quæ sunt partes iudicis in admittendo, vel repellendo præfatum Syluium à iudicio.

Respondeo primo, non vacare mihi, nec fortè licere hanc quæstionem pro eius dignitate tractare.

1 Secundo, quod si debitor opponit contractum esse vsurarium, audiendus est, iuxta formam legum & statutorum circa hoc disponentium.

Tertio, quod si debitor nihil opponit, & iudex nihil nouit tamquam iudex, & tamquam publica persona contra illud instrumentum, neque contra contenta in illo, quia nec per confessionem actoris, nec per sententiam contra eum latam, neque aliàs notoriè, neque per probationes coram ipso factas constat ei contractum illum esse vsurarium, debet exequi instrumentum.

2 Primo, quod iudex non debet in dubio præsumere actorem delinquere, maleque agere. [a] At non est certum, actorem præfatum male petere, præsupposita opinione, quæ habet posse mutuantem & mutuatarium conuenire super interesse probabile, vt nobis visum fuit in loco vbi citamur: quandoquidem licet partibus à principio conuenire de illo interesse probabili, vt prædictum est, præterquam de interesse cambiorum propter nouam Pij V. prohibitionem, de qua nos in nostro Manu. confess. bis fecimus mentionem.

a *Leg merito, ff pro socio. c. fi. de præsum.*

3 Secundo, quod iudex debet iudicare secundum allegata & probata, & non secundum suam priuatam suspicionem, immo neque secundum suam scientiam priuatam, [b] & est determinatio D. Thomæ à plerisque omnibus Theologis & Iurisperitis recepta. [c] At præfatus iudex vt iudex nescit quicquam contra præfatum instrumẽtum, neque præfatum actorem: quia præfatum instrumentum in sua forma nihil continet vsurarium, neque reus quicquam tale obiicit coram ipso: ergo male faceret, si per suam suspicionem priuatam negaret ei iustitiam, contra illud Ambrosij, *Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit, & proposito domesticæ voluntatis, sed iuxta leges & iura pronunciat, statutis iuris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, &c.* [d]

b *Leg. illicitas. §. veritas. ff. de offic. præsi. c pastoralis. § quia vero. de offi. deleg.*
c *In 2.2. quæ, 67 art. 2.*
d *Ca. iudicet 3. quæst. 7.*

4 Quarto, quod licet iudex possit ex officio inquirere generaliter de criminosis sui territorij, nulla expressa persona, iuxta l. *congruit.* [e] non tamen potest inquirere contra aliquem particularem, vt nos late probamus in rubrica de iudic. [f] & est casus in cap. *qualiter & quando.* [g] suntque ad id multæ rationes iuris naturalis ibidem à nobis adductæ; nec sufficit fama extraiudicialis, de qua profundius aliis tractamus nos in eadẽ rub. [h] Ergo iudex nec debet, nec potest inquirere contra actorem de vsura in contractu commissa ex officio, ob id solum, quod petat pecuniam à se mutuatam cum interesse à principio conuento; cum per præsentationem præfati instrumenti non constet ei notoriè, neque per famam de tali vsura; nisi per talem generalem inquisitionem fuerit notatus, vel nisi præcedente saltem fama iudicialiter contra illum probata coram ipso.

e *ff de offi. præsid. ca. 1. de officio ordin.*
f *à num. 53.*
g *2. de accus.*
h *Num. 52.*

5 Quinto, quod nihil obstat cap. *cum in diœcesi.* [a] quia solùm probat iudicem posse, vel debere declarare ex officio, esse vsurarios eos, qui sunt notoriè tales, vel saltem sunt contra eos fama, & alia argumenta, quæ iudex tamquam iudex & publica persona nouit, secundum mentem omnium doctorum ibidem; cum (vt prædiximus) informatio iudicialis de fama in id requiratur.

a *De vsuris.*

6 Sexto, quod nõ sufficit ad hoc, vt iudex repellat actorem à sua petitione, quæ secundum suam formam est iusta, quòd putet, quod propterea reus ob aliquos respectus in mente retentos non audet opponere exceptiones sibi conuenientes. Tum quia non constat illud iudici iudicialiter: & iudex ignorat vt iudex omnia, quæ vt talis non cognoscit, per supradicta. Tum quia iudex non tenetur, nec iustè potest impartiri officium suum ad vtilitatem priuatam, saltem ad interesse, [b] neque ad vtilitatem publicam, inquirendo particulariter contra aliquem, non præcedente fama iudicialiter probata, vel saltem semiplena probatione iudicialiter facta, per ea quæ in d. Rubr. [c] dicimus.

b *Le. 4. §. hoc autem. iudicium. cum ei adnot. ff. de dam. infect.*
c *Num. 53. & seq.*

7 Septimo, quod iudex satisfacit suæ conscientiæ, quam debet habere vt iudex, inquirendo ex officio generaliter in suo territorio, si quod habet, an sint aliquot vsurarij, nulla particulari persona nominata; & si per illam generalem inquisitionem inuenerit esse aliquẽ, vel aliquos particulares, postea procedere contra illos particulariter, texendo nouam telam iudicij, secundum mentem omnium rectè loquentium, & leges naturales, diuinas, & canonicas rectè intelligentium, omissa pessima praxi quorumdam iudicũ infamantium multos, procedendo contra eos ex suspicionibus leuiter & extraiudicialiter cõceptis, qui ducentes se per scientiam priuatam, quam habent aliunde, quam ex actis coram se, & aliquando nimis audentes, & aliquando nimis timentes omittunt viam regiam, quam iura naturalia, diuina, & humana strauerunt, & eunt per semitas nouas ex suo capite & sensu inuentas, contra præfatum Ambrosij dictum, & alia multa, quæ non expedit referre apud virum & iudicem doctissimum: cuius, & alius cuiusuis melius quam nos sentientis censuræ omnia prædicta subiicimus.

### SVMMARIVM.

1 *Interesse illud lucri cessantis potest per creditorem à moroso solummodo accipi, quod verisimiliter lucratus fuisset, si mora ei facta non fuisset: & hoc arbitrio boni viri, omnibus circumstantiis pensatis, venit taxandum. nu.3. nec sententia iudicis ad plus condemnans iustificat in conscientia. nu.2.*

## CONSILIVM XI.

SEMPRONIVS Titio adolescenti literis in quadam Academia incumbenti, propter amicitiam, quam gerebat erga eius patrem, legauit verbo coram hærede & testibus trecentas libras in adiutorium studij; quod legatũ, mortuo Sempronio, frater eius hæres promisit soluere intra tres annos, singulis annis centum libras: sed effluxerunt anni decem, & ipse nihil soluit. Rediit Titius ab exteris Academiis in patriam factus vir, & creatus Doctor; petiit debitam pecuniam ab hærede simul cum interesse: quam cum ipse nollet soluere, post agitatam aliquot annos litem per sententiam iudicis tandem condemnatus est hæres ad soluendum trecentas libras simul cum interesse, computando à die promissæ solutionis vsque ad realem seu veram solutionem.

1 Vertitur nunc in dubium, an Titius possit tuta conscientia recipere totũ interesse, quod solet in hac patria solui ad rationem octo pro centum, vt etiam solent emi census annui.

Pro vtraque parte se offerunt rationes, quæ rem dubiam faciunt. Pro altera quidem, quod ex Theologorum sententia interesse recipi non potest, nisi verum, aut verisimile, siue lucri cessantis, siue damni emergentis. In hoc autem casu Titius dubius est, an si pecunia accepta esset per eius patrem, sub cuius potestate erat tempore solutionis, consumpta fuisset in expensis pro studio, an verò conuersa in emptionem census: probabiliter tamen credit, quod si ab initio singulas

centum libras accepisset pater, eas in expensas pro studio filij consumpsisset; si verò post tres aut quatuor aut plures annos omnes simul trecentas libras accepisset, eas in emptionem huiusmodi reditus pro filio conuertisset. Atque hoc pacto interesse ab initio non est in dubium.

Pro altera verò parte est, quod iudices in litibus iudicant, legata facta minoribus, esse soluenda simul cum interesse: & à litigantibus victores interesse accipiunt ad rationem octo pro centum, nec curant an interesse sit verum, aut verisimile, nec ne, ac tuti sibi videntur, quia id faciunt iudicis auctoritate.

1 Respondeo primo, prædictum dubium cessare quo ad quantitatem & summam eorum, quę impendit litigando tanto tempore: quia illa est interesse damni emergentis ob non factam solutionem, quod accipi potest vltra principale debitum, vt traditur per gloss. Ancharanum, Panormitanū, Ananniam & omnes, [a] & nos quoque diximus in Man. confess. [b]

Secundo, quod certum est, dubium esse affirmatiuè resoluendum quo ad omnia contenta in sententijs in foro exteriori, argumento l. *res iudicata pro veritate habetur.* [c]

a In c. conquestus. de vsur.
b Cap. 17. n. 211.
c ff. de reg. iur.

2 Tertio, quod etiam est resoluendum affirmatiuè quo ad vtrumque forum quo ad interesse lucri cessantis, quod verisimiliter lucrifecisset Titius, vel pater, vel tutor, vel curator eius, iuxta doctrinam Innocentij, [d] communiter receptam, quicquid Domin. Sotus contradicere voluit, vt nos tradimus vbi supra, & latius in alio loco ibi citato.

d In ca. sacro. de sent. excō.

3 Quarto, quod resoluendum est negatiuè quo ad illam quantitatem, quam continet sententia vltra interesse probabile & verisimile: ita quod prædictus Titius poterit accipere virtute prædictæ sententiæ creditum tantum principale, & interesse damni, quod passus est in litigando, & lucrum, quod probabiliter credit facturum fuisse patrem suum, si principale tempore debito fuisset solutum, nam numquam iure diuino, neque humano canonico peti vel accipi potest interesse lucri cessantis, etiam post moram, nisi cum probabiliter & verisimiliter coram Deo creditur illud lucrum faciendum fuisse, si conuenta præstita fuissent, secundum omnes tam Iuristas, quam Theologos.

Quinto, quod prudentis viri arbitrio iudicandum est, quantum & quanto tempore lucrifactum fuisset verisimiliter coram Deo, perpensis circumstantiis personarum, loci, temporis, & opportunitatum lucrandi, quæ sese obtulerunt, si summa principalis opportuno tempore fuisset soluta. [e]

e Arg. l. 1. ff. de iur. delib. cap. de causis. de offi. deleg. &c.

### SVMMARIVM.

1 *Solutio debiti communis vim mutui habet pro ea parte, quæ respicit altos correos debendi; & pro ea vltra sortem quid capere, nisi ratione interesse, vsura est.*

## CONSILIVM XII.

A. B. C. fratres habebant omnia bona sua communia, & A. duxit vxorem cum dote decem millium scutorum, quorum sex mille impendit in solutionem debitorum communium trium, & alias vtilitates eorumdem: & postea, diuisis bonis, pacti fuerunt, vt B. & C. singuli soluerent duo mille, & sex annua pro centenario pro fructibus, donec persoluerent præfata miliaria. Quæritur, an pactū sit vsurarium.

1 Respondeo primo, præfatam solutionem sex millium scutorum quo ad quatuor, quæ debebant B. & C. non fuisse quidem formaliter mutuum, seu mutuationem, fuisse tamen æquipollenter: sicut depositio pecuniæ numeratæ cum facultate, vt depositarius possit ea vti, formaliter quidem non est mutuum, sed æquipollenter sic. [f]

f Leg. certi cō dictio. § fin ff. de reb. cred.

Secundo, quod ex hoc sequitur, A. nihil posse accipere à B. & C. vltra sortes principales, quas acceperunt pro partibus debitorum suorum, & aliarum vtilitatum ex vi & ratione prædictæ solutionis, quæ habuit vim mutuationis, siue mutui. [g]

g Cap. consuluit. de vsur.

Tertio, capere illa sex annua pro centenario, non computando illa in solutione partis sortis principalis, esset vsura, non quidem clara, sed sic palliata, ratione societatis, donationis, vel dationis ob causam.

Quarto, quod prædictus A. posset accipere absque vsura prædicta sex annua pro centenario vltra sortem principalem, ratione interesse damni emergentis, vel lucri cessantis, si quod illi contigerit, iuxta glossam singularem, [h] & illa multa, quæ nos post alios tradimus in com. de vsuris. [i] Salua, &c.

h Ca. conquestus. de vsur.
i Super ca. 1. 14. q. 3. not. 5. num. 40.

### SVMMARIVM.

1 *Contractus mutui esse non desinit, licet apponatur pactum, quod nisi species mutuo data tempore conuento restituatur, liceat mutuanti exigere pro ea certum pretium; secus si hoc pactum fuisset positum in voluntate solius mutuatarij.*

2 *Contractus mutui non vitiatur, licet in eo apponatur pœna per mutuatarium, si moram commiserit, incurrenda.*

## CONSILIVM XIII.

QVIDAM vir recepit in solutum à quodam suo debitore certam summam frumenti ad rationem trium scutorum pro quolibet rubio; postea vero cum illud vellet vendere, non inuenit emptores, qui pro tanto pretio illud emerent, cùm iam esset pretium diminutum. Quare ne in damno remaneret, noluit illud minori pretio vendere, quam ipse recepit à suo debitore; & sic mutuo dedit quibusdam Marinensibus (vt vulgo dicitur) *à renouare* qui Marinenses promiserunt illud restituere per totum festum Sanctæ Mariæ de mense Augusti proximi futuri 1553. conductum in Vrbem, vbi ipsi mutuanti placuerit, sumptibus dictorum Marinensium, bonum, nitidum, & mercantile; & in euentum, quod aliter esset, quod posset refutari, & id facere soluere ad rationem trium scutorum pro quolibet rubio, prout homines de Marino promiserunt, & se obligarunt in forma Cameræ. Adueniente tempore, cum dicti Marinenses defecissent in restitutione grani, prout obligati erant, conuenti fuerunt in iudicio, & condemnati ad rationem quanti plurimi granum tunc creuerat in æstimatione, videlicet ad scuta quinque pro quolibet rubio, prout tunc granum valebat.

Quæritur primo, vtrum supradictus contractus sit licitus in foro conscientiæ, nec ne, an sit vsurarius: & si sit vsurarius, ad quid teneatur dictus mutuans.

Secundo quæritur, posito quod sit licitus, an dictus mutuans potuerit recipere scuta quinque pro quolibet rubio in foro conscientiæ, prout recepit, an solum potuerit recipere scuta tria pro quolibet rubio grani, prout conuentum fuit in supradicto contractu, modo, & forma supradicta. Super quibus petitur consilium.

1 Ad hæc dubia responsurus dico primo, quod contractus hic difficilis est iudicatu, qualis sit. Nam ab vna parte videtur esse emptio, & venditio, eo quod videtur interuenisse pretium trium scutorum pro rubio, si pro tempore præstituto non redderetur; & quod obligatio soluendi esset alternatiua, scilicet, soluendi triticum, vel pretium trium scutorum pro rubio. Ab alia parte videri potest contractus mutui pœnalis, eo quod erat reddendum, quod accipiebatur, in genere suo æquè bonum sub pœna soluendi tria scuta pro rubio: quæ pœna poni potest in mutuo, iuxta glossam. [a] Ab alia verò parte videtur iudicandus esse mutui absoluti, eo quod sic appellatur in instrumento, & quod per eos tradita fuit res mutuabilis reddenda in genere suo æquè bona. Nec obstant præfata: quia re vera non dabatur mutuatariis optio soluendi triticum, vel tria scuta: immo mutuatarij obligabantur simpliciter ad soluendum triticum bonum, & mercantile; & casu quo soluerent aliud, quod non esset tale, dabatur optio mutuanti, vt posset illud refutare, & petere scuta tria pro rubio; quæ conditio & facultas non mutat naturam contractus mutui, vt palam est. Nec, si res subtiliter perpendatur, fuit imposita pœna trium scutorum pro rubio, casu quo non solueretur triticum, sed solum casu quo solueretur illud, sed non esset tale, quale soluendum erat. Vnde de rigore iuris non poterant cogi mutuatarij ad soluendum tria scuta pro rubio, cum non euenisset casus, quo ipsi poterant cogi ad ea soluenda. Nec poterant cogi consulentes, vt essent contenti tribus scutis. Tum quia non euenit casus, quo ipsi exigere possunt. Tum quia, esto quod euenisset casus, non habet contractus, vt illi essent contenti illis tribus scutis, sed possent, si vellent, facere, vt mutuatarij soluerent illa; ita quod ipsi poterant petere triticum nullatenus, nec bonum, nec malum, illis solutum.

a Ca. conquestus. de vsur. per c. consulenti. 14. quæst. 2.

2 Secundo dico, quod per præfata videtur iudicandus præfatus contractus mutui absolutus, cum quadam clausula posita in fauorem mutuantis propter moram mutuatarij in soluendo, casu quo solueret triticum minus bonum, quam quod accepit, videlicet, quod posset petere tria scuta pro sin-

gulis

gulis rubiis: quæ clausula fundata in mora, vt supra, mutuatariorum, potuit apponi, perinde ac alia pœna; & consequenter mutuantes poterant petere triticum æquè bonum, quale iure erat soluendū, etiam si expresè non fuisset promissum, [a] cum interesse maioris valoris eius. [b] Qua ratione iustificatur sententia iudicis lata, & exequuta in fauorem consulentis.

a Le. cū quid ff. de re. cred. b Leg. vinum eod. tit.

Nec obstant ea, quæ possent scrupulum ingerere; quoniam tolluntur per præfatam considerationem veram prædicti contractus: & quod damnum, quod euenit mutuatariis, prouenit ex eorum culpa, & mora, quæ moroso debet esse nociua, iuxta cap. *mora.* cum ibi adnotatis. [c] Salua, &c.

c De reg. iur. lib. 6.

*SVMMARIVM.*

1 *Vendens triticum pro pretio, quo valebit tali mense, pretium medium illius mensis eligat, quod si suo arbitrio reseruet cuiusuis diei dicti mensis electionem, erit vsurarius, etiam si triticum illo mense vendendum seruare decreuisset.*

## CONSILIVM XIIII.

QVIDAM vendidit hordeum pretio, quo valebit Romæ mense Februarij, ad suam electionem, super quo accepit apocham, in qua emptor promittit illud sic soluendum. Quæritur, an censenda sit vsuraria.

Respondetur primo, quod conueniebat exprimere in facto, an præfata venditio fuisset facta Romæ, vel extra illam, quod non exprimitur; & an venditor seruasset præfatum hordeum vsque ad Februarium, an non; & si venditurus fuisset tempore, quo vendidit, vel ante Februarium, quod etiam tacetur.

1 Secundo, quod apocha præfata est vsuraria, etiam si mutuans fuisset seruaturus hordeum vsque ad mensem Februarij; ea firma ratione, quod qui vendit in vno mense hordeum, vel aliquid aliud vendibile soluendum in alio mense, pretio quo in illo valebit, non potest iustè accipere pretium summum, quo valebit aliquo die illius mensis; nec tenetur accipere minimum, quo valebit aliquo die eiusdem, sed debet esse contentus pretio medio, quo valebit illo mense: ita quod, si pretium summum, quo valuerit aliquo die illius mensis, fuerit 20. & minimum, quo valuerit alio die, decem, venditor debet esse contentus solutione quindecim, vt post Alexandrum & alios nos tradimus in Manu. confess. [d] & per hanc apocham, per quam datur electio diei creditori, debentur illi viginti, & potest recipere multo plus, quàm iure debetur ei, & consequenter lucrari aliquid ratione mutui comprehensi in contractu venditionis dilata solutione, quod est admittere vsuram.

d Cap. 17. nu. 241.

*SVMMARIVM.*

1 *Actio ad centum post annum vel biennium soluenda minoris emi potest præsenti pecunia.*

2 *Fideiussor præcipue rogatus obligationes sui principalis post aliquod tempus dissoluendas potest minoris præsenti pecunia emere.*

3 *Remißio actionis seu obligationis recepta ob anticipatam solutionem minori summa vsuram sapit; secus si alio respectu fiat dicta deductio.*

## CONSILIVM XV.

CVM quidam eques Iulius Cæsar Cerdi à diuersis personis multas pecuniarum summas ad societatem cepe-rit, soluendo fructus ad rationem 12. pro centenario, vt moris est, non habens modum, vidente domino Hieronymo eius patre, cum interuentu Illustrissimi Cardinalis Sfortiæ, cui hoc onus à Sanctissimo fuit demandatum, fuit facta conuentio cum dictis creditoribus, vt eis intra annum solueretur sors principalis, & fructus decursi ad rationem sex scutorum pro centenario tantùm, & per spatium dicti anni pecuniæ creditoribus nihil lucrarentur, prout omnes contenti remanserunt.

Pro effectuanda dicta concordia, D. Mutius Cerdi frater dicti equitis obligauit se in forma Cameræ de soluendo creditoribus infra annum modo supradicto, ita tamen, quod omnes actiones ipsi D. Mutio cedant pro summis ab ipso soluendis. Nunc vero aliquibus ex creditoribus, & forsan omnibus esset proficuum & commodum, si ad præsens eorum credita soluantur; & pro remissione temporis contenti essent, quod aliquid aliud ad rationem 5. vel 6. scutorum pro centenario etiam ex fructibus, vel ex sorte principali retineretur eis in solutione, quod gratiosè & titulo donationis ipsi equiti remittunt, & remittere vellent.

Et stante commodo & vtilitate creditorum, & gratiosa eorum donatione, quæritur an licitè & impunè fieri possit ex parte equitis Cerdi, & absque aliquo scrupulo conscientiæ.

1 Respondeo primo, quod resolutio huius dubij pendere videtur à resolutione illius, quo quæritur, an actio ad centum soluenda post annum, vel biennium, vel triennium, iustè possit emi minoris, quàm centum, quod ipse affirmatiuè resoluit in Manu. confess. [a] tum auctoritate Innocentij cui nemo ibi contradicit. [b] Tum quia minus valet actio ad rem aliquam, quam ipsa res præsens. Tum quia minoris valet id, quod non est futurum vtile intra vnum annum, alio eiusdem qualitatis, quod est futurum statim vtile, vt palam est.

a Cap. 17. nu 230. & seq. b In c. in ciuitate. de vsur.

2 Secundo respondeo, quod prædictus frater prædicti Iulij potest iustè emere præsenti pecunia à singulis creditoribus singulas actiones, quas ipsi habent contra Iulium aliquanto minore pretio, quàm sit illud, quod per eas peti & recipi potest, per resolutionem prædictam.

Tertio, quod hoc facere potest etiam non rogantibus creditoribus, sed iustius rogantibus illis, vt eas ipse ab eis sic emat; & iustius, si ob earum emptionem oporteret eum pecuniam aliis negotiationibus destinatam in hanc emptionem vertere.

3 Quarto non obstat dicere, quod remissio actionis ob anticipatam solutionem videtur vsuraria, vt nos vbi supra post alios ibi citatos insinuauimus. Tum quia illud est verum, quando remissio illa fieret ob solam solutionis anticipationem, non autem cum fieret ob alium iustum respectum, puta quia minus valet, quàm ipsa res præsens, vt ibidem insinuauimus. Tum quia aliud est donare, seu remittere obligationem seu actionem ob minus pretium anticipatum, & aliud emere actionem, quæ minoris valet, quàm res ipsa præsens, ad quam illa datur: & ita infertur ex vno ad aliud. [c]

c Arg. l. Papinianus. ff de minor. cap. ad audientiam. de decimis. &c.

*SVMMARIVM.*

2 *Vendere carius, vel vilius emere, quam res valeat, ob dilatam vel anticipatam solutionem nec mercatoribus maritimis, nec pastoribus, nec mercatoribus lanarum (contra Sotum) licet, num. 1. nisi hic excessus iustificetur ex capite lucri cessantis, vel damni emergentis, nu. 3. 4. vel includatur intra latitudinem iusti pretij. nu. 6.*

4 *Interesse futuri lucri cessantis, & damni emergentis ratio haberi potest in initio contractus, qui dilata vel anticipata sit solutione.*

5 *Pretij latitudo maior est in re maioris valoris, exceditque pretium, quo communiter præsenti pecunia vendi potest. num. 6.*

## CONSILIVM XVI.

CONTRAHERE an liceat pastoribus regionis Segobiensis modo solito cum mercatoribus ementibus lanas ad pannos conficiendos, & tingendos, ita scilicet, quod mercator emat carius propter solutionem dilatam ad tres terminos intra duos annos, & pastor vendat carius propter eamdem solutionem dilatam.

1 Respondeo primo, dixisse me in Manu. confess. [d] Dominicum Sotum tenere, [e] licere mercatori huiusmodi lanarum emere vilius illas propter solutionem anticipatam per annum; per quod satis sentit licere pastori vendere carius lanas prædictas ob dilatam solutionem per annum. [f]

2 Secundo, contrariam opinionem me tenuisse ibidem, sicut & contra Medinam, [g] tenui non licere mercatoribus nauticis vendere carius merces propter dilatam solutionem.

d Cap. 23. nu. 82. e Lib. 6. q. 4. art. 1. de iust. & iure. f Arg. l. illud. ff. ad l. Aquil. g In C. de restituen. qu. 39.

3 Tertio, quod hæc duo dicta intelligenda erant de pastore & mercatoribus vendentibus, & ementibus carius vel vilius sola ratione dilationis vel anticipationis solutionis, nulla ratione habita interesse damni emergentis, vel lucri cessantis.

4 Quarto, quod in ea sum opinione contra Sotum, quod propter verum interesse lucri cessantis potest, qui contrahit, carius, quàm præsenti pecunia res valet, vendere, vel etiam vilius emere, vt efficaciter probo in com. de vsuris, [h] & quod secundum omnes potest capi interesse damni emergentis, vt ibidem probatur.

h Super ca. si fœneraueris. 14 qua. 3. not. 15. num. 40.

5 Quinto, quod potest capere vendens pro merce sua aliquid amplius, quam illa valet pecunia præsenti; dummodo

illud non excedat latitudinem iusti pretij, quod non est indiuisibile, sed habet latitudinem maiorem quidem in re maioris pretij,& minorem in re minoris pretij, vt in dicto Manu.[a]

a Cap.23.n.79.

A

6 Sexto, quod in casu quæstionis præsentis adduntur duæ causæ, propter quas pastores vendunt carius, quam res præsenti pecunia valet, non habita ratione dilationis. Altera est, quod quantitas illa duorum nummorum argenteorum, quæ additur pretio, quo arroba lanæ pretio communi, pecunia præsenti vendi potest, videtur includi intra latitudinem iusti pretij, per ea quæ in dicto Manual. [b] diximus. Altera, quod pastor patitur interesse lucri cessantis propter prædictam dilationem; cuius, si verum est interesse, ratio haberi potest, vt prædictum est.

b Num.79.

B

Septimo, quod per hæc omnia responderi potest categoricè, contractus prædictos esse licitos quo ad forum conscientiæ. Salua, &c.

SVMMARIVM.

*1 Vendens ob dilatam solutionem carius, quam pretio rigoroso, vsuram committit; nec iustificatur ex periculo, labore, & impensis, quæ ob conditionem debitoris subit venditor post tempus exacturus pretium. num.2.3.& 5. nec secundum magis communem, à qua recedit Sotus, si agatur de venditione magnæ quantitatis mercium de longe allatarum, quæ breui tempore, vt expedit etiam Reipublicæ, præsenti pretio non possunt distrahi. num.4.*

*2 Emens vel conducens minoris infimo pretio ob anticipatam solutionem est vsurarius.*

*5 Periculum perdendi pretium ob malam debitoris fortunam non facit quod merx carius vendi possit, nec ex mutuo plus recipi.*

*6 Lucri cessantis ratio tunc habetur, quando à debitore rogatur creditor, vt in ipsius gratiam desinat aliquam actionem, quam cum lucro erat facturus, exercere.*

## CONSILIVM XVII.

N. MERCATOR lanarum exercebat mercimonia colligendo setam,& latam omnis prouinciæ, & eam lauatam & curatam vendebat per suum institorem, cum facultate vendendi eam certo pretio volentibus emere pecunia præsenti,& volentibus emere cum dilatione vnius anni, cum auctario nouem pro centum. Nunc D. vult totam illam lanam collectam emere pecunia præsenti, & postea vendere illam eo modo, quo mercator vēdit. Quæritur, an id ei liceat.

C

D

Respondeo primo, quod in hac quæstione vnum explicitè quæritur, & aliud implicite præsupponitur. Quæritur enim expresse, an prædicto D. liceat id, quod quæritur, facere; & præsupponitur tacitè, quod prædicto N. id quod facere dicitur, liceat.

1 Secundo, quod non rectè præsupponitur venditionem præfatam licere prędicto N. Tum per textum in hoc satis expressum in cap. *in ciuitate.* [c] quatenus probat, eum, qui vendit piper, vel cinnamomum carius propter dilationem ad soluendum datam, peccare. ergo eadem ratione, qui lanam vendit carius propter dilationem solutionis, dicetur peccare.[d] Tum quia expressius hoc definitur in cap. *consuluit.*[e] quatenus dicit, peccare negotiatorem, qui vendit rem pluris, quam valet, ob dilationem solutionis pretij.

c De vsuris.

d Arg.l.illud. ff ad l. Aquil.

e Eiusdem ti. de vsur.

E

Tertio, quod id ipsum probat præfatum ca. *consuluit.* quatenus habet, peccare creditorem, qui, vt terminum solutionis faciendæ differat, accipit aliquid.

2 Quarto, quod hæc est doctrina communiter recepta ab Innocentio, Hostiensi, Ioanne Andrea, Panormitano & alijs plerisque omnibus in præfatis capp. [f] & nos ante 35. annos tradidimus in commē. de vsuris, [g] & in Manual. confess.[h] in hæc fere verba: *Peccatum vsuræ velatum siue palliatum committit, quicumque minoris iusto pretio infimo siue pio quærit aliquid propter anticipatam solutionem,& contra quandoquis vendit alij maiore pretio iusto supremo propter dilatam solutionem,* [i] *qui enim emit 10. rem ad minus pretio infimo valentem 12. ob anticipatam solutionem, in effectu videtur mutuare pretium, accipiendo illud plus iusto pretio, quo res vendita valet, pro vsuris, vt in prædictis iuribus probatur.* Hęc ibi,& paulo inferius,[k] in hæc verba: *Qui vendit, permutat, aut conducit minoris iusto pretio ob anticipatam solutionem, est vsurarius: & è contrario omnis, qui vendit, permutat, aut locat maioris iusto pretio maximo siue rigoroso ob dilationem solutionis, per rationem supra positam, &c.*

F

f Et in c.fi. eiusdem tit.

g Sup.c.1.14. q.3.n.26. cum sequent.

h Cap.17.nu. 206.

i Cap. in ciuitate. de vsur. & c. ad audientiã. de emptio. & c. illo vos de pigno. cū eis adnot.

k Num. 210.

3 Quinto, quod contra conclusionem hanc communiter receptam tenuit Medina, [a] quod res carius vendi potest credita, quam præsenti pecunia, & vilius emi ea anticipata; quia modus vendendi videtur augere, vel minuere pretium propter periculum, quod contingere potest, eo quòd debitor fieri potest inops, & impotens ad soluendum pretium, vel tradendam mercem, vel ingratus & malignus, qui nolit id facere: cuius sententiam neruosè confutat Sotus, [b] & neruosius confutari potest, eo quod est noua, & contra omnes alios Theologos & Canonistas, & quod Ecclesia declarauit id esse illicitum, per cap. *in ciuitate.* de vsur.

a In cod. de rebus restituend. qu. 39.

b Lib.6. q.4. a.1. de iust.& iur.

4 Sexto, quod licet præfatus Sotus, reprobata opinione præfati Medinæ, tenuerit, quod communis opinio limitari potest, quādo vtilitas reipub. exigit, vt magna copia mercium simul vendatur, vel ematur, & non inueniuntur qui tantam copiam præsenti pecunia emant, vel vendant: vt cum magna copia mercium defertur è longinquo per mare à nautis, quas qui præsenti pecunia emant, non inueniuntur, & nautæ non possunt expectare tempus, in quo illæ iusto pretio præsenti pecunia vendi possint, & interest reipub. vt copia illa mercium veniat è longinquo. Sed illa limitatio opinionis communis, licet vtcumque possit recipi, nihil tamen prodest præfato mercatori. Tum quia non traducit lanam ex aliqua prouincia longinqua. Tum quia non vendit credito pro pretio, quo valebit tempore solutionis, sed pro dilatione vnius anni capit lucrum ad rationem nouem pro centum. Tum quia ipsemet Sotus expresse ait, illam suam limitationem non esse trahendam ad mercatores, qui in ciuitatibus vendunt suas res credito, &c. vt in eo videri potest.

5 Septimo, quod difficultas recipiendi pecuniam ab emente in termino faciendæ solutionis, & periculum perdēdi eam, si emptor fiat pauper, vel decoquat, siue fallat, vel fiat fraudulentus, non possunt eum ab vsuræ peccato excusare. Tum quia, vt supra tactum est referendo verba Manu. [c] etiam qui mutuat pecuniam, subit easdem difficultates, attamen non potest capere quidquam ob eas, prohibente id non solum iure canonico, sed etiam naturali,& diuino.

c Ex c.17. nu. 206. & 210.

Octauo, quod sicut per prędicta efficaciter probatur falsum esse id, quod in quæstione proposita præsupponitur esse verum, nempe, prędfatum N. peccatum vsuræ admittere in exercitio vendendi lanas prædictas modo in quæstione proposito, ita fortiori ratione probatur præfatum D. peccaturum, si emeret lanas pecunia præsenti à præfato N. & postea venderet illas eo modo, quo N. vendit. Tum quod D. longè longius abest à conditione mercatoris. Tum quia labores, & impensas, quæ suscipit,& impendit, maiorem aliquem colorem possent tribuere venditioni N. quam venditioni D. qui nihil aliud faceret, quam emere lanas præsenti pecunia,& postea vendere illas sine vlla mutatione, dilata solutione: quamuis, vt prædixi, nulli labores, nullæque impensæ possint iustificare venditiones præfati N. quippe quæ sunt contra ius naturale diuinum,& canonicum in præfatis capp. contentum.

6 Nec etiam ratio lucri cessantis, eo quod posset pecunia, qua emit lanam, emere prædia,& census, potest eum excusare; quia non rogatur ab emptoribus lanæ, vt cesset ab emptione prædiorum, & censuum, vt eis paret lanam, & quod ei resarcient lucrum cessans; sed neque ille libenter id faceret. Salua, &c.

SVMMARIVM.

*1 Venditor, qui præsenti pecunia emere volentem non reperit, potest secundum aliquorum sententiam dilata solutione pluris vendere, quam valeat, quorum tamen sententia non probatur, nec in casu, in quo emptores pro eorum vtilitate nolunt nisi dilata solutione emere; nisi quando venditor erat rem seruaturus in diem, in quo probabiliter dubitabatur an esset plus vel minus valitura; ita vt alterum sine altero non sufficiat.*

*2 Emere viliori pretio rem ad hoc, vt illam mutata forma, loco, vel alio tempore pluris, prout tunc valebit, vendere possit, licere non dubitatur.*

*3 Vendere ob dilatam solutionem possum rigoroso pretio rem, quam præsenti pecunia miti venderem.*

*4 Vendere dilata solutione ad annum potest artifex suas merces cum augmēto 12. pro 100. si ex illis singulo trimestri præsenti*

*pecunia venditis etiam plus lucratus fuisset: & hoc, ineundo saltem virtualiter duos contractus, quorum primus sit venditio præsenti iusto pretio, secundus mutuum ad annum cum receptione iusti lucri cessantis.*

## CONSILIVM XVIII.

AN sit tenenda determinatio illa Decij, [a] scilicet quod quidam operarius, qui solebat de stamine serico, quòd constabat centum, in tribus mensibus reducere in fila valentia centum & quatuor, possit iustè vendere alteri volenti differre solutionem vsque ad annum pro centum & duodecim?

1 Ad quam respondeo, quod Decius de more suo subtilissimè eruditissimeque videtur adducere omnia, quæ pro illa possent adduci: & quod nullum eorum, præter forte vnum, videtur satis firmum fulcrum illius, propter ea quæ in principio consilij in contrarium neruosissimè adducit.

Primum enim, quo illam fundat, est determinatio illa Saliceti, [b] scilicet, quod mercator, quando non inuenit qui mercem suam præsenti pecunia emat, potest illam vendere maioris, quàm valet, dilato ad soluendum termino; quæ tamen nullo iure Pontificio probatur: immo expressè reprobatur per cap. *in ciuitate.* & capit. vlt. [c] quæ probant debere duo concurrere ad hoc, vt quis suam mercem carius vendere possit, quam valeat præsenti pecunia: Alterum est, quod sit certum, vel saltem dubium, quod merx sit pluris valitura tempore solutionis: Alterum, quod venditor vellet illam seruare inuenditam vsque ad illud tempus. At in casu Decij, ille operarius volebat vendere sua fila in fine trimestris, & non seruare in finem anni. Nec obstat responsio, quam ad hoc dat Decius, [d] quoniam ipsemet ob frigiditatem eius ab ea discedit.

Secundum desumptum ex eodem Saliceto, [e] non est firmum. nullo enim iure Salicetus probare potest, quod quando emptores nolunt emere præsenti pecunia, & pro vtilitate sua volunt sibi differri solutionem, quod tunc possit mercator suas merces vendere illis maiori pretio propter solutionem dilatam. Tum quod hoc est contra prædicta duo capp. Tum quod illorum decisiones, & prohibitiones essent vanæ, si pro voluntate emptoris dicentis sibi esse id vtile, posset vendi eis maiore pretio, vt palam est.

Tertium est ratione dubij, quanti valitura erant præfata fila tempore solutionis: quod omnino confutatur, vt primum; quia non sufficit illud dubium, nisi quando dominus mercis vult seruare illam inuenditam vsque ad illud tempus: & in casu Decij volebat vendere illa fila tempore quo vendidit. Nec obstant eius replicæ, quæ sunt verbales, & non reales.

2 Quartum, in quo prodegit multa superuacanea Decius, nihil prodest suo proposito: quia omnia tendunt ad probandum frustra, quod licet emere rem vilius ad vendendum carius, mutatione ipsius facta in forma, vel de illa in alium locum vel tempus disponere; quod nemo negat: omnes enim fatentur, eum, qui animalia recens nata vili emit, posse nutrita & aucta carius vendere: & qui emit merces in loco vel tempore, quo vtili pretio valent, posse easdem seruatas in aliud tempus vel in alium locum, quo pluris valuerint, carius vendere. At in casu sibi proposito, qui vendidit fila, nolebat formam illorum mutare, nec in aliud tempus seruare, nec in alium locum transferre, sed vbi ea erant vendere.

3 Quintum, quo fundat, est, quod licet mercatori vendere rem carius ob dilationem, quam præsenti pecunia, dummodo non excedat iustum pretium: in quod allegat Theologos in genere: quod tamen secundum omnes illos intelligendum est, quando vendit carius, intra tamen latitudinem iusti pretij. Cum enim pretium iustum non sit in puncto indiuisibili situm, sed habeat latitudinem, cuius vnum extremum dicitur summum, siue rigorosum, aliud infimum, siue pium, & aliud medium, potest mercator iustè vendere mercem summo pretio, scilicet 12. dilata solutione, quam præsenti pecunia venderet infimo, scilicet 10. vel medio, scilicet 11. vel circiter, vt nos post alios dicimus in Manual. confess. [f] quod non seruit suo proposito: quoniam ille vendebat fila longè carius ob dilationem iusto pretio summo.

4 Sextum autem, scilicet, propter interesse lucri cessantis eius, qui vendit, istis potest congruere suo proposito; intelligendo tamen, & limitando ad regulas interpretandi iuridice interesse, ita scilicet, faciendo duos contractus formaliter, vel virtualiter: alterum, quo qui vendidit illa fila, vendidisset iusto pretio infimo, medio, vel summo præsenti pecunia: alterum, quo ad preces & vtilitatem ementis dedisset dilationem vnius anni ad soluendum illud pretium pro iusto & vero interesse, quod probabilius lucratus fuisset venditor intra illum annum: ita quod vendens solùm, vel saltem principaliter acceptisset illud auctarium pro illo interesse, & nullatenus, saltem principaliter, pro dilatione; ita quod cessaret omnis fraus palliandi vsuras. Videtur enim posse defendi, quod venditor mercis potest iustè vendere mercem emptori iusto pretio, etiam summo, soluendo præsenti pecunia, & mox, vel ex interuallo ad preces emptoris, & principaliter ad eius vtilitatem dare illi dilationem ad soluendum illud, promisso interesse, quod probabiliter lucraretur intra illud tempus. Tum quia id in effectu esset capere pretium iustum pro merce vendita, & mutuare illud, promisso vero & iusto interesse lucri cessantis; quorum vtrumque licet, per ea, quæ nos latius diximus in com. resolut. de vsuris, [a] & in Man. confess. [b] Tum quia recepta sententia glossæ, Panormitani & communis habet, posse haberi rationem lucri cessantis, per l. 3. [c] Tum quia Hostiensis receptus asserit, [d] quod mercator volens ire ad nundinas ad mercandas merces, quas postea portatas venderet in terra sua, rogatus ab amico posset mutuare illas pecunias, quibus mercaturus erat, promisso sibi vero & probabili interesse lucri cessantis: quamuis Innocentius, [e] contrarium tenet, quando quis sponte mutuat. Caueat tamen diligenter huiusmodi venditor, vt hanc rem gerat candidè, ita quod verè coram Deo, quia corda videt, non accipiat illud auctarium principaliter pro dilatione, sed pro interesse vero & probabili, quod probabiliter lucraretur emendo alias merces, si pretium solueretur ei tempore venditionis.

a In cons. 111.
b Authen. ad ad hæc q. 9. C. de vsuris.
c De vsuris.
d Num. 14.
e In ea. qu. 9.
f Cap. 17. nu. 228. & c. 23. nu. 78.

a Super ca. 1. 14. q. 3. no. 25.
b Cap. 17. nu. 210.
c §. fi. ff. de eo quod certo loco.
d In c. salubriter. de vsur.
e In ca. final. de vsur.

### SVMMARIVM.

2 *Vendens dilata solutione rem fructiferam cum translatione dominij non potest ob dilationem prædictam etiam in compensationem fructuum aliquid exigere; & hoc, nisi venditor in mora constituatur. nu. 2.*

2 *Vendens dilata solutione rem cum translatione dominij, si illam sibi in pignus, donec pretium soluatur, retineat, fructus ex illa perceptos non potest nec ex pacto sibi lucrari.*

## CONSILIVM XIX.

AN ille, qui pro suis tantum negotiis, & non ad instantiam alicuius amici, vendit domum, aut fundum mille aureis, aut huiusmodi, & non valens recipere in præsenti nisi quingentos, data dilatione ad triennium, aut eo amplius, conuentionem faciat cum emptore, vt interim ratione fructuum det sibi tot pro centenario, committat vsuram in foro conscientiæ, si tamen verè transeat dominium dictæ domus aut fundi in emptorem, ita vt illis interim pereuntibus, pereant tantummodo & corruant emptori, non autem venditori?

Item, quod idem est cum superiori quæstione, an opinio tantummodo vera in foro tantùm conscientiæ ea sit, quam contra Angelum, [f] tuetur Siluester, [g] Gabriel Biel, [h] S. Bernardinus, [i] Antoninus, [k] Plotus, [l] Abba, [m] & alij Theologi, ac doctores, quos refert ac sequitur Siluester vbi supra.

1 AD PRIMAM respondeo, in casu proposito vsuram cõmitti: quia ratione dilationis solutionis accipit aliquid, quod est peccatum vsuræ. [n]

AD SECVNDAM respondeo primo, quod, vt responsio ad primam quæstionem sit vera, non oportet quod opinio Angeli sit falsa: quoniam ille loquitur in casu, quo emptor à principio constituitur in mora, & consequenter quando non datur dilatio ad soluendum; in casu autem proposito palam est emptorem non esse in mora à principio, quia datur ei dilatio ad soluendum.

2 Secundo, quod illæ duæ opiniones possunt conciliari, vt opinio Angeli procedat in casu, quo res venderetur præsente pecunia, nulla dilatione data, & translatis dominio & possessione per clausulam constituti; quo casu emptor à principio incipit esse in mora soluendi, vt ait Angelus: opinio autem contraria, quando expressè faciendo pactum, vt res detineatur à venditore, donec soluatur pretium, tacitè datur ei dilatio

f Verbo ẽptio nu. 5. & verbo vsura 1. n. 18.
g Verbo vsura 2. q. 11. & in Aurea rosa in q. imper. casu 27.
h In 4. sen. di. 15. q. 11. conclusione 4. casu 3.
i In suis ser. de contract. serm. 42. c. 1. casu 4. sub fi.
k 2. par. ti. 1. cap. 7. §. 20.
l In repet. l. si quando. C. vnde vi. nu. 45.
m Consi. 5.
n Cap. in ciuitate. cum concord. de vsur.

ad soluendum, data in pignus vendita re, & fructibus pro solutione dilata. Salua, &c.

*Hoc responsum datum fuit auctori Catechesis Neapolitanæ vt ibi potest videri post tractatum de excommunicatione, vbi multorum aliorum annectit responsiones, ad quas potest haberi recursus. Vide etiam infra cons. 20. & 21. num. 4.*

SVMMARIVM.

1 *Vendi non potest etiam dilata solutione res pluris quam valet, nisi vendens illam esset seruaturus alio tempore, quo dubitatur an esset plus vel minus valitura, vel illud plus capiat ratione iusti lucri cessantis. num. 2.*

3 *Interesse lucri cessantis non habet locum, nisi emptor sit in mora soluendi pretium, vel venditor esset ex pretio exercitaturus mercaturam, vel empturus aliquid frugiferum.*

4 *Venditor potest iustum pretium receptum per alium contractum statim mutuare emptori, & ex mutuo recipere conuentum verisimile lucrum cessans: immo & vnico contractu potest vendi res pro iusto pretio, & dicto iusto augmento cessantis lucri, num. 7. secus si augeretur pretium, & non subesset iusta ratio. num. 8.*

5 *Onus impositum emptori, vt durante dilatione soluat interesse lucri cessantis, tanquam grauamen quoddam præter naturam emptionis illi impositum, minuit de iusto pretio. num. 6. sed hoc si non posset antea soluendo, ab hoc onere se eximere. num. 8.*

## CONSILIVM XX.

N. VENDIDIT villam valoris quindecim millium M. & quia ipse M. non soluit nisi tria millia præsenti pecunia, dilata solutione aliorum duodecim millium in decennium, conuenerunt, vt ipse M. teneatur soluere decem & octo mille. Quæritur, an huiusmodi contractus sit iustus, & possit recipi illud plus ratione lucri cessantis.

1 Ad hanc quæstionem respondeo primo, præfatam venditionem, & emptionem factam simpliciter eo modo, quo narratur, esse iniustam, ea ratione firma, quod omnis venditio cuiuslibet mercis facta maiore pretio iusto soluendo dilata solutione, est iniusta; nisi venditor volebat illam seruare sibi in tempus, in quod solutio differtur, & dubium esset an tunc pluris vel minoris esset valitura, iuxta cap. *in ciuitate.* [a] & latius tradimus in commen. de vsuris, [b] & breuius in Manual. confess. [c] Non obstat, quod non videtur habere formam contractus vsurarij; cùm ille fiat in contractu mutui, cum pacto, vel intentione principali, vt aliquid amplius, quàm acceptum est reddatur.

2 Tum quia licet non esset vsuraria, esset tamen iniusta; quia merx pluris venditur, quam valet, quod est iniustum secundum Aristotelem, [d] & S. Thomam receptum. [e] Tum quia licet non interueniat mutuū formaliter, siue expressum, interuenit tamen tacitum, & æquipollens, ratione illa clara, quam post alios tradimus in d. com. [f] & in d. Manual. [g] Non obstat etiam, quod videtur præfatus venditor accipere illud plus ratione lucri cessantis, quod iustè potest accipi secundum communem sententiam. [h] Tum quia non proponitur illud in casus narratione, licet tangatur in quæstionis propositione.

3 Tum quia interesse lucri cessantis non habet locum antequam emptor sit in mora soluendi, nisi venditor esset exercitaturus mercaturā, & empturus censūs annuos, vel aliqua prædia frugifera ex iusto pretio statim sibi soluendo. At non narratur in casu, quod præfatus venditor volebat mercari, vel emere frugifera pretio iusto sibi statim soluendo.

4 Secundo respondetur, quod per duos contractus diuersos; vnum emptionis, & alterum mutui, potuisset peruenire ad bonam partem finis, ad quem per præfatum vnum contractum peruenire volebat; puta quod primo præfatus venditor dedisset villam pretio 15. millium statim soluendorum; secundò, quod conuenisset cum eo, vt daret ei decennalem dilationem, & quod ipse solueret ei interesse lucri cessantis, quod verisimiliter faceret mercando, vel emendo, vt prædictum est: nam potest venditor accipere illud, si res coram Deo ita se haberet. Tum quia illo casu pretium non excessisset iustum propter dilatam solutionem, nec quidquam reciperetur vltra iustum pretium ratione primi contractus venditionis, sed ratione secundi contractus mutui ob interesse lucri cessantis, quod verè conatus fuisset facere, & verisimiliter fecisset, si fuisset statim ei facta solutio. Tum quia liceret venditori, si ei soluerentur statim omnia 15. millia, retinere sibi tria millia, & reliqua 12. millia mutuare emptori egenti eis, & roganti vt mutuaret illa ei soluendo interesse lucri cessantis, quod verè intendebat facere venditor exercendo mercaturam, vel emendo censūs annuos, vel prædia frugifera, si ea illi non mutuasset; quia in hoc casu concurrunt omnia, quæ sunt necessaria ad quærendum iustè interesse lucri cessantis, iuxta ea quæ latius tradimus in d. Manu. confess. [a]

5 AD HÆC succedit illa magna difficultas, An quemadmodum per duos contractus supradictos potuit præfatus venditor peruenire ad bonam partem finis per eum prætensi, ita potuisset peruenire per vnum, qui æquipolleret duobus; puta quod vendidisset villam pretio 15. millium, cum pacto, quod statim soluerentur ei tria millia, & reliqua soluerentur ei in fine decennij, & interim solueretur ei interesse lucri cessantis, quod vere intendebat facere, & verisimiliter fecisset, si statim solutio illorum facta fuisset.

Pro parte quidem negante facit primo, quod non est danda occasio peccandi, & vsuras exercendi, [b] & videtur per hoc dari occasio peccandi, & palliandi vsuras.

Secundo, quod in primo responso reprobatus est contractus propositus, & quod is videtur per omnia similis illi.

6 Tertio, quod pactum illud, de soluendo interesse præfatum intra decennium, videtur diminuere de pretio iusto: quia onus impositum emptori præter naturam contractus diminuit de pretio, [c] & consequenter venditor recepisset pretium maius iusto, quod est peccatum, vt prædictum est.

7 Pro parte autem affirmante facit primò, quòd nihil refert quid ex æquipollentibus fiat. [d] At is vnus contractus, & duo, de quibus in præcedenti dicto, videntur æquipollere; ergo ita approbandus est is, ac illi.

Secundo, quod in Manu. confess. [e] tenuimus, quod sicut per tres contractus, scilicet, societatis, & assecurationis capitalis, & certi lucri; cum tribus temporibus diuersis initos, potest quis accipere aliquod certum lucrum, saluo capitali, ita potest quis idem facere ineundo illos tres contractus cum vno eodem tempore propter identitatem rationis.

Tertio, quod nulla occurrit ratio, qua non possit fieri hoc vno contractu, perinde ac duobus.

Quarto, quod per illud pactum visa fuissent 12. millia venditori soluta, & ab eo mutuata emptori breui manu, vt in l. *licet.* [f] & l. *singularia.* [g] Sicut enim ibi is, cui debentur decem ex mandato, volendo vt debeantur ex mutuo, videtur accipere illa, & breui manu credere; ita is venditor, volendo vt illa duodecim millia, quæ debentur ei ex venditione, debeantur ex mutuo, siue credito, videtur accipere illa, & breui manu credere; & consequenter videtur duos contractus præfatos sine vllius iniuria efficere.

8 Non obstant opposita. Ad primum enim respondetur, negando, quod per hoc detur occasio peccandi; quia immo sternitur via illud euitandi.

Ad secundum, negando, quod is contractus sit similis proposito; cùm in proposito augeatur pretium ob dilatam solutionem, & sine vlla ratione iusta; in hoc autem nihil tale inuenitur, vt palam est.

Ad tertium, concedendo quidem diminui pretium rei ob vnus impositum emptori præter naturam emptionis, negando tamen hic poni tale onus; quia immo additur leuamen, cùm tollatur ei obligatio soluendi statim, & non tollatur facultas liberandi se, si voluerit; quia liberabitur ab onere soluendi interesse, simulac soluerit pretium, cùm per id cesset interesse. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Vendens prædium certo pretio soluendo pro vna dimidia tunc, & pro alia post annum, præstante venditore fideiussorem de euictione, quæ non fuit præstita nisi post multos annos, ratione fructuum per emptorem dicto primo anno perceptorum nihil potest habere: quia cum dilatio censeatur qualitas diminutiua pretij, nihil ei interim perit. num. 7. & 8. at ratione fructuum postea perceptorum eidem portio illorum pro rata pretij non recepti restitui debet. n. 4. & hoc ex æquitate illa dictante neminem debere locupletari cum aliena iactura. num. 5. & 9.*

---

a Cap. consuluit. & c. fi. de vsuris.
b Super ca. 1. 14. q. 3. not. 3. & 12.
c Cap. 17. nu. 210.
d 5. Ethic.
e 2. 2. q. 77. a. 1.
f Notab. 3.
g Cap. 17. nu. 206.
h Leg. 3. ff. de eo quod certo loco.

a Vbi supra n. 211. & seq.
b Leg. conueniri ff. de pactis dot. & c. ex parte. de consuet.
c Cap. cum Ioannes. de fide instru. & l. fundi partē. ff. de contrah. empt.
d L. e si ff. mā dat. c. licet ex quadam. de testibus.
e Cap. 17. nu. 254.
f §. quoties. ff. de iure dot.
g ff. de rebus cred.

2 *Dilatio data emptori in ipso contractu ad soluendum pretium, non facit vt ob id aliquid poßit recipi: quia dilatio est pars modificatiua pretij,& sic iniuste non læditur. num. 8. potest tamen percipere aliquid non propter dilationem, sed propter fructus, quos percipere poterat ex prædio non tradendo, donec ei totum pretium solueretur. num. 4.*

3 *Lucrum cessans non potest accipi secundum aliquos, nisi post moram: contrarium autem est verius. num. 4. in fin.*

3 *Mora non contrahitur per emptorem in solutione pretij, donec durat dilatio ei data in ipso contractu emptionis.*

5 *Locupletari non debet quis cum aliena iactura: & ideo venditor, qui recepta parte pretij prædium, prout potest de iure, retinet, donec ei integrum soluatur pretium, tenetur emptori fructus pro rata pretij soluti restituere, & nu. 9. illæque vsuræ, quæ propter prædictam æquitatem debentur per ius ciuile, debentur etiam iure canonico. num. 5.*

5 *Venditori, qui re tradita non potest recipere pretium, eo quod conuentam fideiußionem præstare non potest, tenetur emptor, ne cum damno venditoris locupletetur, restituere fructus pro rata pretij non soluti. & 9.*

6 *Mora regularis sine interpellatione non contrahitur, secus tamen in irregulari, quæ re ipsa contrahitur.*

6 *Moram etsi non committat debitor: in diem, si adueniente die ideo non soluit, quia fideiussor promissus ei non datur; attamen si venditori det dilationem ad dandum fideiussorem, tunc per lapsum diei efficitur morosus.*

8 *Dilatio, quam venditor prædij dat emptori ad soluendum, est duplex: altera, quæ datur in ipsa conuentione pretij tamquam illius alleuiatiua; & ob hanc nihil capere potest: altera, quæ datur ad hoc, vt pretium fit loco pignoris, donec det fideiussorem de euictione; & hæc non impedit, quin poßit interim recipere fructus sibi debitos pro rata pretij non recepti.*

10 *Donationem non inducit intentio non petendi quod ad ipsum spectat, ex ignorantia iuris proueniens.*

10 *Solutum indebite per iuris ignorantiam repeti potest.*

11 *Intentio generalis, quæ multipliciter potest intelligi, ad donationem non trahenda.*

11 *Donatio non præsumitur, vbi alia etiam leuis cadit coniectura.*

## CONSILIVM XXI.

1 VENDIDIT D.N. quoddam casale pro pretio scutorum 6000. de quibus tempore véditionis emptor soluit scuta 3000. reliqua vero 3000. soluere promisit illinc ad vnum annum, cum pacto, quod tempore solutionis dicti residui venditor teneatur præstare vnum certum fideiussorem de euictione casalis vltra alios tunc præstitos; & vlterius in euentum non solutionis dicti residui, vt supra, emptor dedit potestatem dicto venditori dictum casale capiendi propria auctoritate, & illud retinendi, & fructus in suos vsus conuertendi, absque eo, quod in sortem compensentur pro concurrenti quantitate, vsque ad effectualem solutionem dicti residui. & sic celebratum fuit instrumentum, & tradita possessio casalis emptori. Deinde, adueniente tempore, & termino anni, quo debebat solui residuum pretij, quia venditor non poterat præstare fideiussorem de euictione, fuit per dictas partes prorogatum tempus soluendi ad alium annum, cum hoc, quod interim emptor teneatur præstare fructus venditori pro rata dicti residui, prout latius in apocha inter eos confecta apparet, cuius copia datur. & ita emptor, tam in dicto anno temporis prorogati, quam successiuè per plures annos, dictos fructus pretij ad rationem 8. pro 100. pro rata residui soluit venditori; qui demum præstitit fideiussorem de euictione.

Quæritur primo, an venditor dictos fructus licitè & salua conscientia perceperit, & retinere possit.

Secundo, an licitè & salua conscientia possit petere fructus non solutos ab emptore, ante præstitum, & post fideiussorem præstitum.

Quod præfatus venditor non potuerit salua conscientia percipere fructus, aut valorem eorum verisimilem, nec retinere, nec nondum solutos ab emptore petere, facit primo, quod vsura palliata est, accipere aliquid vltra sortem ratione dilationis debitori datæ ad soluendum debitum, secundum receptam sententiam, quam nos quoque in nostro Manual. confess. [a] & in comm. de vsuris, [b] probamus, & est casus in cap. *consuluit*. [c]

a *Cap. 17. nu. 227. & seq. & 243.*
b *Sup. cap. si fœneraueris. 1. 14. q. 3. nu. 26.*
c *De vsur.*

3 Secundo facit, quod hic non interuenit interesse damni emergentis, & quod recipere aliquid vltra sortem ratione interesse lucri cessantis, sine mora interueniente ante illud, non licet, secundum multos, de quibus est Innocentius, [a] quem late defendit Dominicus Sotus. [b] Et in casu nostro non interuenit mora, saltem vsque ad finem secũdi anni ab emptione contracta, cum primi anni dilatio fuerit data in ipso contractu, secundi verò per pactum expressum in apocha mense Februario secundi anni: immo etiam per ipsum contractum videtur data dilatio, quatenus non cogebatur emptrix ad soluendum, donec daretur fideiussor de euictione, & ita videtur non potuisse hoc casu accipi præfata octo pro centum ratione interesse lucri cessantis.

Tertio, quod emptrix videtur compensasse fructus per alleuamentum oneris fideiussorem dandi, quod venditori præstabat, cùm pro fideiussione possit recipi pecunia.

4 Sed his non obstantibus, quæ verè non obstant, potuit venditor licitè præfatos fructus, vel valorem eorum verisimilem, salua conscientia, accipere, & retinere; immo & petere eos, qui nondum ei fuerunt soluti. Tum quia is contractus non fuit mutui, in quo solo contrahitur vsura, vt satis colligitur ex cap. *in ciuitate*. [c] & ex cap. 1. [d] in cuius com. 2. nos id adnotauimus. Nec obstat, si dicatur, quod conuentio contenta in apocha continet mutuum inuolutum, siue palliatum, licet non contineat expressum & clarum; & quod ita committitur vsura palliata in contractibus mutui palliati, sicut vsura clara in contractibus mutui clari, vt in Manu. [e] & latius in dicto com. [f] nos ipsi tradidimus: & quod contractus contentus in illa apocha æquipollet contractui, per quem præfatus venditor dedisset præfatæ emptrici duo mille scuta, ea lege, vt vltra sortem solueret ei octo pro centum. Non inquam hoc obstat: quoniam non est verum, interuenisse in illa apocha vllum contractum mutui palliati, nec contractum in ea factum æquipolluisse præfato contractui mutui in arg. allegato, quia illa octo pro centum non accipiuntur principaliter propter dilationem, sed propter fructus, quos percipere poterat venditor non soluto pretio toto rei venditæ, quos iustè percipi posse probat optime l. *curabit*. [g] Nec obstat illa opinio Innocentij & Dominici Soti, & quorumdam aliorum dicentium non posse capi licitè interesse lucri cessantis. Tum quia, licet primo aspectu videatur aliquid ad hoc facere, verè tamen non facit: quia prædictus venditor non recipit illa octo pro centum ratione alicuius interesse lucri cessantis, sed alia ratione, quam mox annectam. Tum quia falsa est ea opinio, vt probamus efficaciter contra eos pro communi per multa argumenta. [h]

5 Non obstant citata pro contraria parte: pro quorum resolutione, & clara nostræ sententiæ confirmatione, dico, quod illa octo pro centum non accepit venditor principaliter propter dilationẽ, neque propter aliquod interesse damni emergentis, vel lucri cessantis, nec propter pœnam, vel vllam moram, saltem regularem, sed tantùm ob illam æquitatem, quæ habet, vt nemo cum aliena iactura locupletetur, [i] per quam æquitatem, quando venditor rei, accepta parte pretij, retinet illam cum suis fructibus, donec totum pretium soluatur, iuxta l. *Iulianus*. [k] emptor debet habere partem fructuum pro rata partis pretij soluti, iuxta l. memorabilem, quæ vltima est, [l] cuius §. fin. habet, maritum, qui tenetur restituere prædium, accepta eius æstimatione, & retinet illud accepta æstimationis parte, donec tota soluatur, debere restituere fructus pro portione partis æstimationis acceptæ. in quo illum §. commendauit Bartholus, [m] & Baldus, [n] & Salicetus, [o] & cum in hoc æquentur emptor & venditor, pari ratione, si prædium venditum traditum est emptori, soluta solum parte pretij, & recipit omnes fructus, tenebitur soluere venditori partem fructuum oro portione pretij non soluti.

Pro his duabus decisionibus pondero prædictum §. *offerri*. quatenus habet, quod venditor rei, accepta parte pretij, retinet eam quasi pignus, donec totum soluatur, significans, quod non tenet eam tamquam dominus perfectus quo ad partem solutam, sed tamquam creditor, qui fructus, quos percipit, quo ad illam debet restituere, & ita præfata emptrix retinebat prædium, & partem pretij, quasi pignus eorum, quæ tenebatur venditor facere, antequam ei solueretur totum; & per consequutionem fructus illius partis debebat restituere,

a *In c. si. de vsur.*
b *In lib. 6. q. 1. ar. 3. de iust. & iur.*
c *De vsur.*
d *14. quæst. 3.*
e *Dict. nu. 3.*
f *Num. 29.*
g *C. de actio. empt.*
h *In com. prædicti. c. 1. 14. q. 3. n. 50. & seq.*
i *Leg. iure naturæ ff de re. iur. & c. locupletari. eo. tit. lib. 6.*
k *§. offerri. ff. de actio. emp.*
l *Tit. de fund. dot.*
m *In d. §. offerri.*
n *In l. si traditio. q. 11. Co. de actio. emp.*
o *In d. l. curabit. eo. tit.*

a Ca. conquestus. de usur. & l. 1. C. de pignorat. act.

restituere.[a] Vnde notanter Baldus & Salicetus vbi supra dixerunt, vsuras, quæ iure ciuili debentur ex illa æquitate, ne quis locupletetur cum aliena iactura, deberi etiam iure canonico; quia verè non sunt vsuræ, sed recompensatio æquissima iacturæ.

6 Et ad id, quod allegatur, quod mora non interuenit, respondetur, verum esse de mora regulari, non autem de irregulari, quæ re ipsa sine vlla interpellatione committitur, vt notauit Baldus communiter receptus.[b] Ad id autem, quod allegatur de compensatione fructuum cum alleuamento non dandi fideiussorem, respondetur, quod nihil obstat. Tum quia longè disparioris vtilitatis sunt alleuamentum illud, & perceptio fructuum, quàm quod vlla compensatio eorum intelligi debeat.[c] Tum quia satis cōpensationis illius alleuamenti præstabat venditor emptrici, dando dilationem. Tum quia per præstationem illius alleuamenti se constituebat emptrix in mora soluendi regulari, quæ ex interpellatione lapsus diei solutioni præfixi oriebatur, iuxta l. *mora*.[d] cum adnotatis ibi per glossam & in cap. *mora*.[e] & ita hoc fundamentum plus facit contra illam, quam pro illa, si satis ponderetur.

b In d l. curabit.

c Iuxta l. fin. C. de compensat.

d ff. De vsur.
e De reg. iur. lib. 6.

7 Ex quibus infertur, idem dicendum esse de parte fructuum receptorum post præfatam apocham intra annum, intra quem durabat præfata prorogatio, & de perceptis post illum annum vsque ad expletionem eorum, quæ venditor promisit; immo & post expletionem: quia in his omnibus temporibus habet locum ratio supradicta, ne quis cum aliena iactura locupletetur; & vbi eadem ratio, &c.[f] non tamen quo ad fructus perceptos intra primum annum præstitutum in contractu ad soluendam reliquam medietatem: quia intra illum annum nulla locupletatio cum aliena iactura considerari potest, cum partium conuentionem rei pretium fuerint sex mille soluenda intra vnum annum, dimidium statim, & dimidium in fine anni.

f Leg. illud. ff. ad l. Aquil.

8 Neque obstat, si dicatur, quod pari ratione idem dicendum sit de receptis post primum annum, cum emptor nec tunc ex conditione venditoris posset cogi soluere pretium, nisi venditor prius præstitisset fideiussorem. Non inquam id obstat. nam dilatio illa prior vsque ad annum fuit apposita tamquam pars pretij, & tamquam alleuamentum eius, & diminuens illud; alia verò dilatio solùm ad impediendam coactionem ad soluendum, & dandam securitatem per modum cuiusdam pignoris, iuxta prædictum §. *offerri*. per quod ius pignoris non lucrifiunt fructus,[g] vt supra est dictum.

g Ca. conquestus. de vsur.

SECVNDA QVÆSTIO. D. Petrus vendidit d. Ioanni certum prædium pro pretio scutorum mille, de quibus tempore venditionis emptor soluit medietatem pretij, reliquam verò medietatem soluere promisit infra tres menses proximos, cum pacto tamen, quod ante solutionem dicti residui dictum prædium mensurari debeat per duos peritos communiter eligendos.

Item, quod prædium liberari debeat per venditorem à certo onere census super eo imposito.

Item, quod venditor teneatur dare certum fideiussorem ad omnem ipsius emptoris requisitionem.

Item, quod venditor debeat facere expedire motum proprium S. D. N. super confirmatione venditionis, & quod aliàs interim ipse emptor residuum pretij soluere non teneatur, nisi prædictis omnibus adimpletis. & ita fuit celebratum instrumentum inter ipsas partes, & tradita fuit possessio ipsius prædij emptori, de quo semper ipse emptor fructus percepit. Venditor autem per aliquot annos non potuit prædicta omnia adimplere.

Quæritur nunc, cùm omnia sint adimpleta, an emptor teneatur soluere interusurium, seu fructus pro rata pretij non soluti, etiam pro tempore, quo venditor non potuit adimplere pro parte sua, & etiam pro tempore decurso post adimpletionem, quousque dicta reliqua medietas pretij fuit per emptorem soluta; attento quòd ipse emptor percepit omnes fructus dicti casalis, & sic gauisus fuit re, & pretio; & an venditor dictos fructus, seu interusurium licitè in foro conscientiæ percipere possit; & si percepit, an licitè illud retinere possit; attento quod partes ipsæ remiserunt dictam differentiam in duos viros legisperitos, qui iudicarunt, quod de iure emptor tenetur ad soluendos fructus prædictos, & ita soluti fuerunt. Nunc igitur quæritur in foro conscientiæ, an venditor illos licitè retinere possit, cum tempore celebrationis instrumenti venditionis ipse intellexerit, quod emptor retineret rem, & pretium, quousque ipse venditor non adimpleret supradicta omnia pacta.

9 Ad secundam quæstionem, quæ ex hoc facto secundo resultat, respondeo, quod emptor tenetur soluere partem fructuum receptorum post tres menses ante solutionem totius pretij, etiam pro tempore, quo vēditor non potuit adimplere quæ promisit, & à fortiori pro tempore decurso post adimpletionem eorum, quousque dicta reliqua medietas pretij fuit per emptorem soluta, per eadem fundamenta, quibus fundata est responsio data ad dubium resultans ex priore facto. Nam sicut ibi nullus fuit contractus mutui clari, siue formalis, nec velati, siue palliati, ita neque hic. Et sicut ibi non percepit venditor principaliter propter dilationem solutionis, sed propter fructuum perceptionem, non soluto pretio toto, ita neque hic. Et sicut in illo casu interuenit æquitas illa, ne quis locupletetur cum aliena iactura, ita & hic. Et sicut irrefragabiliter probatum est ibi per l. fin.[a] quod præfata æquitas habet locum, cum venditor, soluta parte pretij prædij, retinet totum, omnes eius fructus percipiendo; quod Bartholus, Baldus, & Salicetus ibi citati commendant: sic eadem ratione habet locum in emptore, qui, parte pretij prædij soluta, possidet totum cum fructibus, vt in hoc casu. Et ita sine vllo scrupulo conscientiæ potest venditor accipere partem fructuum pro rata pretij non soluti.

a §. fina. ff. de fund. dot.

10 Nec obstat, quod vēditoris intentio tempore contractus fuit, vt emptor retineret prædium, & fructus eius, donec ipse solueret reliquum pretij, & impleret quædam alia, quæ promisit. Tum quia id potuit intendere per ignorantiam iuris, & æquitatis præfatæ, quæ non ab omnibus etiam doctis scitur; & ita non induxit donationem, arg. l. *si non sortem*.[b] & l. *sub conditione*. & l. 1. ibi, *Si sciens se non debere*.[c] & per resolutionem glossæ receptæ,[d] quæ habet, soluentem per ignorantiam iuris id quod est indebitum vtroque iure, naturali videlicet, & ciuili, sicut in nostro casu erat, repetere posse.

b §. indebitū. ff. de cond. in debit.
b In l. cū quis. Co. de iur. & fact. ignoran.

11 Tum quia fortè is venditor intendens vt emptor haberet prædium & fructus, donec totum pretium solueretur, intendebat, quod dominium omnium illorum illi quæreretur, quod iure quærendum erat ei, non tamen quod emptor non solueret ex eis aliquid, si quid iure deberetur. Tum quia emptor peccasset, volendo priuare proximum, nolentem id scienter donare, magna & notabili parte fructuum pretij, & volendo percipere veluti quasdam vsuras soluti pretij, quoadusque complerentur ei quædam promissa, quod non intendit venditor, & ita præfata intentio generalis, quæ multipliciter intelligi potest, ita vt non comprehendat animum donandi, non debet trahi ad donationem.[e] Numquam enim præsumitur donatio, vbi alia coniectura etiam leuis cadit, secundum Baldum,[f] quem sequuntur plerique omnes, & in his Decius.[g] Salua, &c.

e Leg. cum de indebito. ff. de probat. & ca. super hoc. de renunciat.
f In l. 1. C. ad Trebell.
g In leg. cuius per errorem. ff. de reg. iur.

*SVMMARIVM.*

1 *Vsura vera tantum in mutuo, palliata in omni contractu vim mutui habente committi potest.*

2 *Depositum cum facultate vtendi eo fit mutuum.*

## CONSILIVM XXII.

EMPTOR cuiusdam fundi sibi iam traditi, & eo fruens, dedit fideiussorem ad soluendum venditori pretium post certum tempus, & dedit fideiussori 1500. scuta pro parte pretij, eo pacto, vt solueret partem pensionis fundi empti, quæ responderet parti prædicti pretij 1500. id est pro fructibus, quos percipiebat venditor ante venditionem; & adueniente termino soluendi pretium, teneretur soluere præfata 1500. scuta eidem venditori. Quæritur, an is contractus sit vsurarius.

1 Respondeo, facile videri posse cuipiam nullam in hoc casu proposito vsuram committi, ea ratione fortè, quod non potest interuenire vsura nisi in contractu mutui, vt nos post alios tradimus in com. de vsuris,[h] & quod in hoc casu nulla mentio fit de contractu mutui. Sed cuilibet attentius casum perpendenti videbitur contrarium. Tum quia, licet vsura aperta non inueniatur nisi in contractu mutui; vsura tamen, quam vocant palliatam, inueniri potest in omni contractu tam nominato, quam innominato, qui expressè, vel æquipollenter continet contractum mutui, vt nos vbi supra

h Super ca. si fœneraueris. 14. quæst. 3.

declaramus. Et in casu proposito inuenitur contractus mutui palliatus nomine fideiussoris,& alijs circumstantijs, quæ contractum mutui æquiualeater efficiunt.

2 Tum quia contractus depositi, in quo deponens facit facultatem depositario vtendi pecunia deposita, videtur mutuatio, vt est textus solemnis in l. *certi condictio.* [a] quod ibi omnes asserunt. & in casu proposito emptor in effectu deponit pecuniam penes fideiussorem cum facultate, vt illa possit vti; & consequenter efficit contractum mutui. Tum quia præfatus emptor accipit aliquid, immo multum vltra sortem principalem; accipit enim quotannis id, quod fideiussor soluit, vel soluturus est pro parte pensionis fundi empti, quæ respondet parti pretij 1500. scutorum; & ita fideiussor obligatur ad soluenda prædicta 1500. scuta, quæ sunt sors principalis, venditori,& vltra hanc principalem sortem debet soluere partem pensionis illis respondentem: & sic emptor recipit aliquid, immo multum vltra sortem principalem ratione mutui, siue depositi, quod habet vim mutui: & consequenter est vsura clara, vel palliata, per dicta in præfatis locis. Salua, &c.

a § fi. ff. de re. cred.

SVMMARIVM.

1 *Argumentum à contractu mutui, quod debet esse gratuitum, ad innominatum, quod tale non est, non procedit.*
2 *Periculi, quod subeo, pretium possum iustè accipere, & sic tibi nauigaturo donare 100. recepturus 125. si salua re redieris.*
3 *Egenti pecunia possum iustè nolle tradere per illum contractum, qui sibi magis placet. puta, mutui, sed offerre possum ei alterum mihi magis placitum.*
4 *Fideiussor aliquid pro sua fideiussione capere potest.*

## CONSILIVM XXIII.

RESPONDIMVS cuidam, non admisisse vsuram, eo quod dedit centum volenti ducere nauem mercibus onustam in Syriam, ea lege, quod perderet illa, si nauis periret,& si rediret salua, redderentur ei centum & vigintiquinque. Contra quod nunc replicatur, me sentire contrarium in Manual. confess. [b]

1 Ad hanc replicationem respondetur, eam nihil obstare. Tum quia arguit à disposito super contractu mutui, qui debet esse omnino gratuitus, sicut commodatum, iuxta glossam, [c] per omnes receptam, ad dispositum super contractu, per quem datur aliquid alteri per contractum innominatum ob periculum subeundum, vt expresè dicimus in d. Manu. [d]

2 Tum quia dans aliquid alteri, & accipiens aliquid vltra id, quod dat ad periculum subeundũ, non contrahit vsuram, vt post alios respondit Decius, [e] quem nos quoque sequuti fuimus in comment. de vsur. [f] super extrauagantem Pij V. de censibus, illa firma ratione, quod nihil accipit is vi mutui expressi, nec taciti, sed vi alterius contractus innominati donantis sub modo, vel recipientis aliquid ob periculum subeundum: quod licitè potest capi, per l. 1. & 2. [g] & per tradita à nobis latius in cap. nauiganti, [h] & in Manual. [i]

3 Tum quia nihil obstat illud friuolum, scilicet, quod mercator, qui accepit centum sub conditione, vt redderet centum vigintiquinque, si nauis rediret ex Syria salua, maluisset sine dicto onere mutuo accipere: quia etiam omnes fere alij contrahentes mallent accipere ab his, cum quibus contrahunt, pecuniam, vel valorem suę rei, quam tradunt, gratis per viam donationis simplicis, commodati, vel mutui, quam pretium etiam iustum soluendo, sed non coguntur alij gratis tradere, vel dare sua eis donando, commodando, vel mutuando; sed possunt iustè accipere pretium iustum eorum, vel vsus eorum, quæ dant, vel cedunt per contractus non gratuitos iustos; qualis est datio pecuniæ ad aliquem vsum sub periculo perdendi eam in aliquo casu periculi dubij, si contingat illud,& accipiendi aliquid amplius, eo quod dedit in casu, quo periculum non contingat.

4 Tum quia mallent debitores, vt aliqui fideiuberent pro eis gratis, vt communiter fideiubetur: attamen is, qui fideiubet, potest, si vult, accipere aliquid pro sua fideiussione, [k] & tradimus nos post alios in d. Manual. [l] & ita D. consulens liberalius quidem fecisset, si gratis & simpliciter mutuasset illa centum, & gratius, si donasset; sed non tenebatur id facere, sed potuit iustè per alium contractum non gratuitum donationis sub modo, vel contractus innominati iusti dare illa, vt dedit, sine vlla culpa & peccato.

b Cap. 17. nu. 284.
b 1. c. 1. de commod.
d Cap. 17. nu. 222.
e In cons 123.
f Num. 128. quæst. 45.
g Co. de nautico fœn.
h De vsur.
i Cap. 17. nu. 285.
k Le. hoc iure ff. de donat.
l Cap. 17. nu. 285.

*Aduertendum, supposito quod mercator mutuo petierit disdictam 100. vt videtur insinuari, difficile esse soluere prædictam contrarietatem, & iustificare hunc contractum, nisi dicamus initam virtualiter societatem illam de qua in Manu. c. 17. n. 253. cons. sequ. 24. Sed tunc restat scrupulus an contineat iniustitiam, vt infra cons. 25. prout forte etiam contineret, si dicamus disdictam 25. dari pro pretio periculi, quod inde dignosci posset, quia mercator ei non solueret alia 25. pro aliis 100. mutuo non ab eodem, sed aliunde habitis.*

SVMMARIVM.

1 *Societas inita cum pacto, vt ponens operas teneatur assecurare ponentem pecuniam de certo lucro, & capitali, non est iusta: esset autem talis, si post initam societatem libere dictæ assecurationes separatim fierent.*

## CONSILIVM XXIIII.

QVIDAM contulit mille in societatem mercaturæ pannorum, quam iniit cum N. cum pacto, vt ipse assecuret principale,& insuper det illi pro sua parte lucri ad rationem quinque pro centum. Quæritur, an huiusmodi contractus sit iustus,& quomodo possit talis fieri.

1 ETSI fortè defendi posset contractus prædictus societatis factus in forma supra posita cum assecuratione capitalis & certi lucri ei adiecta: mihi tamen videtur confusionem quamdam & palliationem præseferre: quia licet possit contrahi societas cum capitali & lucro saluis, per tres contractus, vt nos dicimus in Manu. confess. [a] non tamen potest contrahi societas iusta, ita vt socius obligetur ad prædictas assecurationes, quod satis innuitur fieri in prædicta forma contractus. Vt ergo palam sit iustus, fiat ad formam contractus societatis simpliciter ad damnum & lucrum sic vel sic iustè diuidendum; & perfecto super illo instrumento, fiat in eadem, vel alia charta, vel alio capitulo contractus alius separatus, quo accipiens pecuniam assecuret conferenti capitale pro pretio expresso & iusto, ac si esset tertia persona, quæ assecuraret: & perfecto instrumento super assecuratione capitalis, fiat in eadem, vel alia charta, vel alio capitulo aliud instrumentum, in quo dicatur, quod tantum lucrum verisimiliter iustè posset dari conferenti pecuniam in tali terra, & tali mercatura, & tali tempore: & quod accipiens pecuniam, ad euitandas molestias computationum, &c. assecurat tantam partem lucri verisimilis pro remissione iusta certæ partis lucri sibi remittendi.

a Cap. 17. nu. 254.

Quoniam autem ipse non sum mercator, nec scio quantùm verisimiliter lucri fiat in illa terra per mille exercita in tali mercatura, non possum respondere an satis pretij detur, vel remittatur pro assecuratione capitalis, vel lucri; nec consequenter an seruetur iustitia in supra posita forma contractus. &c.

SVMMARIVM.

1 *Consuetudo vim legis habet, nec mutanda quæ certam semper habuerunt interpretationem.*
2 *Societas iusta vinculum pacis & Reipublicæ vtilis, iniusta vero mala,& leonina.*
2 *Societas, in qua alter capit lucrum, damnum non sentiens, leonina est: nam lege naturali, qui sentit onus, debet sentire & commodum.*
3 *Societas licita vt sit, tria requirit, scilicet quod negotiatio sit licita; quod si pecunia tota pereat, pereat illam conferenti; & vt æqualitas arbitrio boni viri seruetur in diuidendo lucrum.*
4 *Societas per tres contractus cum lucro certo fieri potest.*
5 *Consuetudo legitime præscripta derogat iuri humano, sed non diuino, seu naturali: quia talis corruptela dicitur nullatenus præscriptibilis.*

## CONSILIVM XXV.

HORATIVS, & Dominicus inierunt societatem, iuxta consuetudinem Vrbis, sic, vt Horatius conferens pecuniam accipiat octo pro centum, saluo manente capitali. Quæritur, an sit iusta.

1 Respondeo primo ad quæstionem super facto prædicto propositam, contractus esse, vt fertur, frequentes & consuetos in Vrbe,& ob id multis videri licitos & iustos: quia consuetudo vim legis habet. [b] Ita quod Isidorus relatus in ca. *erit autem lex.* [c] dixit, *Erit autẽ lex secundum patriæ consuetudinem.&*

b Cap. consuetudo. 1. d. &c. fi. de consuet.
c 4. distinct.

a In l.minime ff.de legib.
b Cap.fundamenta.de electio.lib.6.
c Miscel. 68.

Iurisconsultus [a] minime esse mutanda ea,quæ interpretationem certam semper habuerunt; præsertim quando id contingit in omnium vrbium sanctissima, quæ est Roma, [b] de cuius ciuium admiranda deuotione iam inde à tempore B. Hieronymi in hunc diem continuata nos quoq; aliquid diximus in lib.centum Miscel. [c]

d Ad Col.3.
e In l. si non fuerint ff. pro socio.
f De reg.iur. lib.6.

2 Secundo,quod vt societas licita est laudabilis plurimum, & Reip.vtilis,& vinculum quoddam caritatis,& perfectionis vt innuit Apostolus,[d] ita illicita est mala,& vocatur leonina à Iurisconsulto,[e] illa,ex qua alter socius capit lucrum non sentiens damnum:quia lege naturali,qui sentit onus,debet sentire commodum,& contra,cap.*qui sentit*,[f] cum cõcordantibus ibi per glossam & alios adductis.

g Ca.17.n.251 & sequentibus.

3 Tertio,quod omnes doctores cõueniũt in eo, quod nos scripsimus in Man.confess.[g] scilicet,quod ad hoc, vt societas iusta sit, tria requiruntur scilicet,vt negotiatio sit licita;secũdo,vt pecunia subiaceat periculo eam conferentis, hoc est, vt si tota pereat,illi pereat;tertio,vt in omnibus iudicio prudentis æqualitas seruetur, & pro quantitate partium collatarum lucrum diuidatur .Et in proposita societate Horatius nil damni sentit; immo vt ex ea colligitur, Dominicus, qui pecuniam accepit,debet reddere totam sortem principalem dissolutá societate; quod omnes damnãt,dicentes societates nõ posse fieri iustas,manente salua tota pecunia eã conferẽti.

4 Quarto,quod nos præ alijs,& post alios,quos ibi referimus,cum magna cura succurrendo,asseruimus per tres cõtractus formaliter vel virtualiter factos posse fieri licitas societates,in quibus saluum maneret capitale,seu sors;siue pecunia collata in societatem:quæ ibi fusius possunt videri, & ob hoc non transcribuntur hic.

Quinto,quod proposita societas non potest dici iusta : eo quod licet in ea interueniãt duo illorũ,scilicet negotiatio licita, & reductio lucri incerti ad certum moderatum; deest tamen tertium, scilicet datio, vel remissio tãti pretij, quantũ oporteret eum dare tertio pro simili assecuratione.

h Capit. quæ contra mores. 8.dist. cum ei concord.

Sexto, ex prædictis inferri reformandam esse huiusmodi societatem, ad hoc, quod sit licita, per supplementum illius tertij, quod deest,non obstante consuetudine quamlibet lõga in contrarium seruata : eo quod ea, quæ in contrarium in primo dicto adducuntur,habent locum in consuetudine cõtra legem humanam inducta,quę legitimè præscripta vim legis habet; non tamen in consuetudine contra legem naturalem vel diuinã inducta; quia illa corruptela vocatur, & nullatenus vsucapibilis,aut pręscriptibilis, [h] ad laudem Sanctissimæ Trinitatis,cuius festa hodie celebrãt Ecclesia Christiana, quæ infinita sua benignitate nos saluet.

## SVMMARIVM.

1 *Societas,in qua ponens industriam subit periculum capitalis pro dimidia,est pro eadem dimidia vsuraria:& sic lucrum, quod pro illa dimidia ad ponentem pecuniam perueniret, est restituendum socio;& hoc,nisi socius ex post facto condonet,nu.5. vel vsque à principio fuerit ei aßignatum aliquid in compensationem suscepti periculi.num.6.nec ad excusandam restitutionem sufficit quod in illa negotiatione capitale fere numquam perdi soleat,num.6.nec quod socius ex ea fuerit lucratus. num. 4.*

1 *Societas,in qua ponens laborem subit periculum pro aliqua parte capitalis,pro illa parte resoluitur in mutuum,pro alia vero retinet naturam societatis.*

2 *Consuetudo legi diuinæ vsurarios contractus damnanti contraria non excusat à peccato,nec ab obligatione restituendi,licet excuset à pœna exteriori & vt talis non poßit dici vsurarius.*

3 *Circunstantia boni finis ad actum bonum requiritur, sed non sufficit.*

4 *Lucrum mutuo accipientis mutuantem vltra sortem capientem non excusat.*

6 *Periculum capitalis debet totum spectare ad illud ponentem,sicut perditio totius laboris & industriæ ad illã ponentem.*

## CONSILIVM XXVI.

CONTVLIT quidam mille in societatem ei,qui conferret industriam & laborem in exercenda mercatura lana?,eo pacto,quod dimidium lucri cederet huic,& dimidium alteri;& quod,si eueniret,vt nihil lucrifieret,immo perderentur prædicta milia,dimidium eorum redderet qui ea suscepit. Finita societate,nil periit de capitali, & lucrum diuisum est iuxta formam contractus.

Quæritur primo,an qui contulit pecuniam teneatur ad restitutionẽ illius partis lucri,quæ sibi cessit,in foro cõscientiæ.

Secundo,an,esto teneretur restituere, liberaretur per remissionem partis.

Tertio,quomodo hic contractus iustificari possit.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo, quod pro parte negatiua facit primo,quod in illa regione habetur pro licito is contrahendi modus.

Secundo,quod intentio conferentis fuit contrahendi iustè adeo quod nullatenus contulisset,nec sic contraxisset, si putasset talem modum contrahendi fuisse cuiquam legi diuinæ vel canonicæ vel in minimo contrarium.

Tertio,quod qui recipit,nihil perdit.

Quarto,quod in illo genere mercandi capitale numquam fere perditur.

Quinto,quod lucra sunt parua.

a Ca.17.à nu. 251.

Pro parte autem affirmatiua faciunt illa, quæ nos firma ac solida ratione & auctoritate fundata scripsimus in Man.confess.[a] quibus infertur,contractum, de quo in casu proposito quæritur,esse illicitum,& iudicãdum vsurarium, saltem quo ad dimidium pecuniæ collatæ,quod manet saluum eam conferenti,& contrahentem teneri ad restituendum lucrum illi dimidio respondens:cùm enim non possit iustificari, nisi reducendo eum ad contractum societatis;cumque contractus societatis nequeat esse licitus,si ita ineatur, vt cõferẽti pecuniã saluũ sit capitale,siue sors principalis, vel aliqua pars eius notabilis;cõsequitur eũ esse illicitũ quo ad illã partem : & cũ ratio suæ iniustitiæ consistat in hoc,quod collatio illa pecuniæ censeatur esse mutuum, & ratione mutui nihil vltra sortem iustè capi possit,& per hunc contractum vltra sortem capiatur lucrum,necessario iudicandus est vsurarius quo ad prædictum dimidium:cui rursus consequens, vt lucrum acceptũ restitui debeat,iuxta cap.*quoniam.*[b] & per totum titulum de vsuris. & ita hæc pars affirmatiua videtur tenenda,quod is contractus est partim licitus,& partim illicitus : licitus quidẽ quo ad dimidium pecuniæ manens periculo eam conferentis illicitus autem quo ad alterum dimidium: & quod lucrum receptum pro dimidio pecuniæ non manentis periculo conferentis est restituendum.

b Cap. consuluit.c. in ciuitate.c.post miserabilem.

c Cap. quo iure.8. dist. sub finem.
d De vsur.
e Cle. 1. eod. tit.
f In l. quis sit fugitiuus. §.apud Labeonẽ. ff de ædi edic.

2 Ad primum oppositorum respondeo, quod consuetudo non potest præiudicare legi diuinæ,[c] nec consequenter vsurarium contractum approbare, cum lege diuina in vtraque pagina vetetur,iuxta c. *quia in omnibus.*[d] per quod etiã damnatur generalis vsus eius,& qui dixerit eum licere,censendus est hæreticus.[e] Nec obstat dictum solemne Bartholi, [f] cum allegatis ab eius additione:quia Bartholus noluit dicere,quod consuetudo liberet à peccato vsuræ,sed quod qui secundum eam contrahit,non est censendus vsurarius in foro exteriori, ad hoc vt pœna vsurariorum puniatur : eo quod consuetudo excusat à pœna temporali,sed non ab æterna, secundũ glossam, [g] immo nec videtur excusare à restitutione per talem contractum quæsiti;quia restitutio non est pœna,& ideo debetur in foro conscientiæ,licet pœna non debeatur in eo,iuxta glossam solemnem, [h] & S.Thomam.[i]

g In c. deniq; 4.dist.c. cum venerabilis. de consuet.
h Cap.fraternitas.12.q. 2.
i 22.q.62.ar. 4.
k 23.quæst.5.

3 Ad secundum,quod licet bonitas intentionis, siue circũstantia boni finis requiratur ad actum bonum, non tamen sufficit illa:nam(vt late declaramus in c.*cum minister.*[k] ) licet semper,cuius finis malus est,ipsum quoque est malum : non tamen semper,cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est:nam & Iudæi in bonum finem Dominum nostrum crucifigi curarunt.

4 Ad tertium,quod nec indemnitas,nec lucrum etiã magnum accipientis mutuum excusat acceptionem etiam paruę rei vltra sortem mutuantis,cap.1.vbi late scripsimus,14. qu. 3.

Ad quartum respondetur,quod etiam in mutuo regulariter non perditur ab accipiente illud;sed id non iustificat dantem,si vltra illud aliquid accipiat.

Ad quintum respondent omnia quatuor capitula 14. q. 3. clamantia,etiam parua munera,etiam in poculentis & esculentis consistentia,vsuram inducere.

l Cap. peccatum. de reg. iur.li.6.

5 AD SECVNDAM respondeo affirmatiue, quod remissio,siue donatio sponte facta ab eo,cui restituenda sunt lucra præterita,perinde liberabit cõsulentem,ac si restitueret. per glossam celebrem, [l] quæ verbo *restituatur*, addit, vel

*remittatur.* per quam regula generalis ab vtriusq; iuris interpretibus assumitur, quod remissio debiti exæquatur solutioni, exceptis aliquot casibus, quorum de numero non est is propositus.

6 Ad tertiam respondeo, propositum contrahendi modum non posse saluari, nisi aliquid addatur, vel dematur: posse autem saluari diminuendo lucrum, quod pecuniam conferens sibi reseruat, per tres contractus, vt diximus in dicto Manu. [a] nempe relinquendo tantum de lucro accipienti pecuniam pro assecuratione dimidij sortis principalis, quanto tertius assecuraret illorum capitale. sed si raro vel numquam perdatur capitale, vel pars eius notabilis, quæstuosior contrahendi modus esset conferre simpliciter pecuniam, ita vt perditio tota pertineat ad conferentem eam, sicut tota perditio laboris & industriæ accipientis, & eam mercaturam exercentis pertinere debet ad eum, iuxta superius citata ex Manu. &c.

a *Cap. 17. nu. 254.*

*SVMMARIVM.*

1 *Societas centum ouium datarum ad biennium contracta, vt ex eis danti dentur annua scuta 18. iniusta.*
2 *Certificatio lucri incerti illud diminuit.*
2 *Pecudibus in societatem pro parte mortuis, fructus etiam domino debitus est pro parte minuendus. Idem, si ex agnis numerus demortuorum supplendus.*

## CONSILIVM XXVII.

P. DEDIT Q. 100. pecudes in societatem duraturam ad biennium, & postea ad vtriusque partis voluntatem, ea lege, vt Q. redderet pro fructu & lucro tantum lanæ, & casei, quod valeret 18. scutis, & dimidiato. Quæritur, an id facere licuerit.

1 Respondeo, quod non: quia centum pecudes vix valent 100. scutis, & consequenter lucraretur ad rationem fere decẽ & nouem: Tum quia certificatio promissi lucri certi pro incerto diminuere debet lucrum soluendum.

2 Tum quia non dicitur in contractu, quod diminuatur lucrum, si aliquot pecudes moriantur intra illud biennium. Tũ quia si reficiendus est numerus pecudum ex agnis nascituris, ex eis etiam diminuendum est lucrum. Saluo saniori iudicio.

*SVMMARIVM.*

*Locatio iniusta est, si pensio est notabiliter maior æquo.*
1 *Onus soluendi pensionem in initio anni, antequam ex re conducta fructus percipiantur, minuit aliquid de illius pretio, sicut & faciunt alia onera. num. 2. in fin.*
1 *Pensio rei conductæ non debet solui in initio anni, antequam ex re conducta incipiat conductor fructus percipere.*
2 *Dominium rei plenum tanti valet, quanti pensio in 20. annis.*
3 *Periculum rei locatæ regulariter ad locatorem spectat.*
4 *Pecudes aliquot tradens post certum tempus in eodem numero & bonitate restituendas, cum pacto, vt interim certum quid annuum præstetur, etsi non formalem, palliatam tamẽ committit vsuram.*

## CONSILIVM XXVIII.

QVIDAM tradidit 25. pecudes C. ad quinquennium, cum pacto, vt pro vsufructu singularum teneatur C. illi soluere in principio anni 20. libras casei, & finito quinquennio restituere eidem totidem pecudes, & eiusdẽ bonitatis. Quæritur, an contractus sit licitus.

Respondetur primo, contractum hunc videri esse principaliter contractum locationis & conductionis vsusfructus pecudum prædictarum ad quinque annos, adiecto pacto de restituendo totidem pecudes eiusdem bonitatis post quinquennium.

1 Secundo, quod videtur iniustus: quoniã, vt nos post alios tradimus in Manu. nostro confess. [b] ad hoc, vt huiusmodi animalium locatio & conductio sit iusta, est necessarium, vt pensio annua à conductore soluenda non sit notabiliter iniusta; & pensio, quæ iuxta hunc contractum erat soluenda, erat scutorum 25. & quatuor circiter iuliorum. Tum quia soluenda erat pensio in principio anni, antequam quidquam fructus ex eis perciperetur à conductore; quod minuit aliquid de pretio pensionis, [a] nam etiam interesse non debet solui in principio anni, vt post alios tradimus in comment. de vsuris. [b]

b *Cap. 17. nu. 260.*

2 Tum quia vsusfructus illarum pecudum annuus longe maioris valebat, quam proprietas & dominium plenum ipsarum pecudum: quandoquidem plenum dominium rei quo ad proprietatem & vsumfructum tanti valet, quanti pensio collata in 20. annis, iuxta textum, adiuncta glossa recepta, [c] Tum quia in custodiendis illis pecudibus, pascendis, conseruandis, & regendis, multus labor, & sumptus, & magna cura erant assumenda, quæ omnia minuunt pensionem iustam soluendam.

3 Tum quia, secundum iustam naturam locationis & conductionis, periculũ rei locatæ nõ pertinet ad conductorẽ, sed ad locatorẽ, qui est dominus rei locatę & cõductę, vt traditur in d. Ma. [d] & probatur per locum à speciali in l. *sed & si.* [e] & in cap. 1. [f] & cap. *propter sterilitatem.* [g] & onus impositum conductori, quod non est de natura conductionis, diminuit de pretio pensionis, iuxta cap. *cum Ioannes.* [h] & traditur in dicto Manual. [i]

4 Tertio, quod licet is contractus secundum suam formã formaliter non sit vsurarius, potest tamen dici palliatus; & peior quàm formalis, iuxta tradita per nos post alios in comment. de vsuris. [k] Salua, &c.

a *Arg. cap. 1. de pl^s petitio.*
b *Num. 54.*
c *In ver. iusta in auth. perpetua. Co. de sacros. eccles.*
d *Cap. 17. nu. 179.*
e *§. quæsitum. ff si quis cautio.*
f *De commo. & c. 1. de deposit.*
g *De locat.*
h *De fide ins.*
i *Cap. 17. nu. 260. & c. 23. nu. 78.*
k *Num. 4.*

*SVMMARIVM.*

1 *Societas officiorum Romanæ Curiæ vt instituatur, cum suis cõditionibus requisitis, & resolutionibus multorum circa illam dubiorum. num. 2. & seqq.*
2 *Societas super officijs Ro. Curiæ iustificatur, nõ quia sit emptio, nec vera societas, sed ob periculum perdendi capitale videtur posse iustificari. & nu. 3. & 4.*
3 *Periculum perdendi facit aliquem contractum, alioquin iniustum, iustum censeri, sicut & incertitudo quanti res sit valitura.*
4 *Sponsio soluendi pretium rei acceptæ duplicatum: vel mutuum cum augmento, si hoc vel illud euenerit, & illud lucrandi, si non euenerit, valet.*
5 *Pactum, vt disdicta societate, officialis, donec capitale non restituit, soluat totidem fructus, vt soluebat durante societate, non valet, tenetur tamen morosus restituere verum damnum lucri cessantis, & damni emergentis & num. 6. & 7.*
6 *Interesse damni emergentis soluitur integre, at lucrum cessans cum aliqua diminutione; quia minus est habere aliquid in spe, quam actu.*

## CONSILIVM XXIX.

1 EXCELLENTISSIME Domine. In hac Curia Romana sunt verè multa officia fructificantia, & sanctè à Romanis Pontificibus instituta, ad sufficiens ministerium Curiæ Romanæ, & iustè vendibilia eo pretio, quod est determinatum à Põtificibus: & ista officia sunt varia, tum ratione fructuum, tum ratione operarum, tum ratione modi resignationis, tum quod diuerso tempore plus alia faciunt, quã alia, tum ratione aliarum circumstantiarum. nec enim dubitandum est, quod in istis officijs iustissimè fundari possit contractus societatis, quod vulgo dicitur, *dare à cõpagnia d'officio.* & super hoc editæ iam sunt tres bullę; scilicet Leonis X. Pauli IIII. Pij IV. & ideo quæ ordinant Pontifices circa hæc officia sunt habenda pro legibus, quæ obligant: & sit communiter, nec reprehenditur à Pontifice, nec à confessarijs doctis, etiam si accipiatur lucrum 12. pro 100. Nec ideo est iniustitia: Primo propter periculum illud, quod si post resignationem officij non superuixerit 40. diebus, perdat officium. Secũdo, quia habent communiter aliquod officium, & ministerium. Tertio, quia Pontifices hoc voluerunt, vt haberent honorabiles personas ad ministeria Romanæ Curiæ: si enim sic emerentur, vt res aliæ, non essent tot viri graues.

Fundamentum autem harum societatum est, quia Pontifices viderunt officia à quibusdam non posse emi tota; ideo admiserunt socios. & sic dupliciter fieri possunt hę societates: primo in ipsa emptione: secundo postquam emit, & soluit, admittit deinde socium, quia eget pecunia: quod vtrumque licitum videtur. & licet sint plures socij, vnus tamẽ est verè officialis, quo viuente durat tantum officium: at eo moriente cessat, nisi resignet.

Fundamẽtum societatis, vt seruetur æqualitas, est, vt qualis est proportio officialis erga proprium officium, talis sit suo

modo

modo socij erga officialem, scilicet, si moriatur socius, officialis lucretur id, quod illi socius dedit; & contra, si officialis moriatur, reddatur socio sua pecunia. Adhibitæ tamen sunt duæ cautelæ: Prima, ne moriatur socius morte violenta: Secunda, vt officialis det fideiussionem pro pecunia socio. quæ omnia videntur iusta.

Fit autem societas ista communiter per semestre: vnde ad hoc vt duret amplius, debet ratificari; sin autem debet rescindi, opus est, vt admoneatur alter xv. diebus antè. ratificatio autem est, si accipit fructus.

Societas hæc fundatur super vitam alterius. Socius nominat personam, quam vult, vel præsentem, vel absentem, in quo fundatur contractus iste: esset tamen abusus, si nominaret personam, de qua non potest sciri vix per duos annos, &c.

In prima bulla Leonis X. nihil est ad nostrum propositum: nondum enim erant abusus. In secunda enumerantur duo abusus. Primus, quod quis admittebat socios supra officium quod vel non habebat, vel nō habebat in Romāna Curia. Secundus, quod verè erat officialis, sed aggrauabat officiū plus quam valebat. His occurrit Paulus IIII. & hæc determinauit: Primo, ne quis accipiat in societatem supra officium, quod non habet in Romana Curia; & si facit, sit contractus irritus. Secundo, ne quis sumat super officium vltra medietatē pretij. Tertio, ne quis admittat socium ad officium, nisi præcedat signatura authentica. In tertia bulla Pij IIII. annullatur, & irritatur, & cassatur ista bulla Pauli IV. & permittit fieri vt ante bullam Pauli IV. duobus additis: Primo, ne grauetur officium vltra suum valorem: Secūdo, vt officialis teneatur requisitus à socio narrare veritatem, quantùm habet super hoc officium: & si non facit hoc, dicit priuari eum à tali officio, & insuper debere satisfacere socio pro data pecunia, & teneri resarcire dāna. Quare videtur Pius IV. relinquere hæc officia in iure naturæ, addita illa secūda cōditione cōtra officiales. Vnde videtur colligere quatuor conditiones substantiales esse obseruandas. Prima est, quod talis societas sit supra officium, quod habeat in Romana Curia; quod requiritur ex parte vtriusque, tam ementis, quàm vendentis; aliàs ex parte vendentis esset iniustitia vendere quod non habet: & quia Pius IV. videtur hoc confirmare. si enim non potest grauare vltra sortem, minus potest vendere, quod non habet. Secunda conditio, ne officialis admittat societatem vltra valorem officij: quæ est conditio necessaria; nam & vendens venderet quod non est, & emens emeret quod non est, & sic cōmitteret vsuram. Vnde infertur, societates esse licitas, quoadusque veniant ad valorem summę officij, post bullam Pij IV. & quæ sunt vltra, sunt vsurarię. Tertia cōditio, æqualitas pretij ex vtraque parte. Cognoscitur tamen ex tribus. Primo, si contingat tale officium esse taxatū à bulla, vt tempore Pauli IV. erat 12. pro 100. quamuis illud non taxet vere sed tantum referat, & quasi admittat. Secundo, quod communiter ab omnibus fit, & circumfertur. Tertio est aspicienda natura rei, ad quod requiritur, ne socius plus accipiat; quā principalis. Quarta conditio, si hoc officium requirit aliquē laborem in officiali, tum socius non possit tantùm accipere, quantum ille. Quinta conditio ex lege positiua bullæ Pij IV. vt officialis requisitus à socio sincere respondeat, quantū habeat grauatum officium: quod si non facit, & priuatur officio, & debet socio satisfacere.

Si verò duæ primæ cōditiones non seruētur, scilicet, quod non sit Romæ, vel habeat vltra officium: quod dupliciter accidere potest; primo, si is qui emit hoc scit, vel non scit; secundo, si vterq; scit, quia si vterque scit, vterque peccat mortal. & socius non potest accipere quadrantem ex toto contractu, quia est vsura, si verò socius bona fide fecit, & est deceptus, tunc potest accipere totum suum pretium, vt colligitur ex bulla & natura rei.

At si non seruatur æqualitas pretij, vt in tertia conditione dicitur, non est contractus vsurarius, sed iniustus ex inæqualitate pretij, & manet obligatio ad restitutionem, sicut in alia mala emptione.

Admittitur etiam aliquando ad societatem, non ad vtilitatem officialis, sed alterius tertiæ personæ, & hoc dupliciter fit. Primo, cùm v.g. Paulus officialis dat Petro 12. pro 100. & Ioānes refundit eos officiali. Secundo indirectè, cùm Ioannes indiget pecunia, & Petrus habet pecuniam, & vult dare, sed Ioannès non habet officium, petit tamen à Paulo officiali accipere in societate officium (scilicet accommodare suum officium ad hoc) ita vt Ioannes det Petro 12. pro 100. immediatè non dando illos prius ipsi Paulo officiali: quomodocūque enim istorum duorum modorum fiat, licitum videtur: quia officialis alteri respondet, & Ioannes v.g. seruat eum indemnem, & fundatur iustitia in duobus contractibus: primus est societatis Petri cum officiali: secundus officialis cum Ioanne, vt Ioannes illum seruet indemnem.

Si socius moriatur, tunc illa pecunia manet pro tertia persona, idest Ioanne; quia intercesserunt duo illi contractus; & contractus inter officialem & Ioannem est, vt Ioannes seruet eum indemnem, hac tamen conditione, vt si moriatur Petrus, pecunia maneat pro illo, scilicet Ioanne: in quo nulla videtur iniustitia, sed legitimus contractus

Dubitari tamen potest, cùm contractus iste per sex menses tantùm duret, quid si per disdictam illam, vt vocant, discindatur societas, & officialis non soluat summam, an possit socius accipere partem lucri, quam accipiebat. Hoc enim dupliciter fieri solet. Primò, animo fraudulento, sciens quod officialis illi non reddet pecuniam: sed ita vult saluare suum capitale, & gaudere de reditibus. Secūdo, quod bona fide vult discindere societatem. Videtur enim, simpliciter loquendo prætextu societatis socium istum non posse quidquam accipere, cum iam non sit socius: at si id fecerit malo animo, tūc nihil potest accipere vllo modo: si verò fecerit bono & syncero animo, & culpa est officialis, qui non vult dare, tūc ratione dāni emergentis, vel lucri cessantis potest aliquid accipere. Quod si acciderit, vt officialis vendat officium, & non velit reddere capitale, tunc etiam videtur posse accipere aliquid ratione triū titulorum, scilicet dāni emergentis, & lucri cessantis, vel moræ, & pœnæ.

Solet etiam accidere, vt quis ponat pecuniam ad periculū vitæ absentis cuiusdam; quod aliquando fit fraudulenter, sciēs non posse sciri ante annum de eius morte. tunc autem videtur peccare mortaliter; si verò scit eum quomodocumque mortuum esse, non potest quidquam accipere: at si nescit, vel negatiuè se habet, potest accipere: cùm tamen cognoscit illum esse mortuum, tenetur restituere ab eo tempore, quo alter est mortuus.

Est etiā in vsu, vt pensio, quæ alioquin ex societate officij est soluenda in fine semestris, soluatur initio semestris, anticipata solutione. hoc enim fit ad requisitionem soluentis, non autem accipientis vt plurimum: nam soluta antea, durat & est secura societas per sex menses. hæc enim si soluatur ex vi societatis, in fine soluenda est; quia fructus nondum percepti ex societate soluuntur; aliàs esset iniustitia, licet non vsura. si verò soluatur ex vi assecurationis admissæ, videtur posse solui initio semestris: quia assecuratio non exigit, vt ea finita pretiū soluatur: & sic communiter fit.

Suppositis superioribus probationibus, & rationibus, desideratur vt D. T. dignetur respondere ad totum: & si D. T. ob suas occupationes & indispositiones corporis ad totum non vacat, saltem ad tria vel quatuor ista capita respondeat.

Primo, An iustè iustificentur contractus isti ad rationem 12. pro 100. ea lege, vt pecunia maneat salua & extra periculū conferenti eam, nulla habita ratione quantitatis redituum officij, dum viuit; & quod possit discedere ab illo contractu, & repetere pecuniam singulis semestribus, dum viuit; & quod si moriatur antequam discedat, tota pecunia collata quæratur officiali.

Secūdo, An valeat pactum, quod in huiusmodi societatibus solet apponi, vt conferens pecuniam possit desistere quādo vult à societate, & quod socius teneatur statim, vel infra quindecim dies reddere pecuniam, & quod tantùm lucri soluat eam deponenti, donec eam reddat quantum soluebat durante societate.

Tertio, An præfatus officiarius, qui est in mora reddendi pecuniam, & fortassis litigat, nolendo reddere illam, esto non teneatur ad soluendum tantum lucrum post solutam societatem, quantum durante illa, an tamē teneatur soluere aliquod lucrum pro interesse.

ETSI PROPTER OCCVPATIONES & infirmitates meas me excusare possem, cùm à medicis mihi interdictum sit studere, & cùm in his officijs sim parum

versatus; tamen ob preces tanti viri petentis ad ista tria capita respondebo.

2 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respõdeo primò, quod non possunt iustificari ratione emptionis, vel venditionis; quia nulla talis fit: nec ratione mutui; quia mutuans nihil vltra sortem capere potest, [a] neq; sola ratione societatis, quia vt post alios diximus in nostro Manu.confess. [b] ad iustitiam societatis requiritur, vt omnes socij participent de lucro & damno; quod in prædictis contractibus non videtur fieri neque ratione census, quia pecunia data pro censu non potest repeti, nisi saltem volente censuario, secundum omnes.

*a Ca.1.14.q.3.c.consuluit. de vsuris.*
*b Cap.17.nu.251.*

Secundo, quod videtur iustificari posse propter periculum perdendi totam sortem, si moriatur, antequam discedat ab illo contractu. Tum quod incertitudo, vel dubium perdendi facit aliquem contractum censeri iustum, qui aliàs non esset talis censendus: vt dubium, an merx sit valitura pluris tempore solutionis, facit, vt illa vendi possit pluris, quàm nunc valeat, [c] & incertitudo, an pensio domus maior vel minor sit futura, facit, vt creditor possit accipere fructus pignoris pro vsuris, [d] & emptio alicuius reditus annui, vel menstrui ad vitam emẽtis, efficit, vt emptor, si multum viuat, iustè percipere possit multo plus, quàm sit pretium, quod dedit: quia dubium est quanto tempore viuet, vt tradit Oldradus, [e] quem sequuntur Cornelius [f] & Decius cons.123.

*c Cap.in ciuitate. & c.fin. de vsuris.*
*d Leg.si ea lege. & le. si ex pactione. Co. de vsuris.*
*e Cons.207.*
*f In cons.302. & 423.*

4 Tertio, quod recepta est pro iusta in Gallia Belgica, vbi est magna copia doctorum, & piorum, consuetudo accipiendi centum ab vno cum pactione reddendi 200. si post duos annos, visa Roma, redierit in patriam: & in Gallia dat quis alteri certum quid, cum pacto vt soluat ei duplum, cum duxerit vxorem, vel fiet presbyter, propter incertitudinem matrimonij, & presbyterij. Tum quia non obstat cõsilium Decij, [g] quatenus significat non esse iustum mutuum mille reddendum post sex annos, ea conditione, vt singulis annis dentur ei centum. Tum quia ipse loquitur de contractu mutui: cõsuetudo autem præfata Romana procedit in contractu societatis. Tum quia Decius tandem illa potissima ratione definit illum contractum fuisse iniustum: quia non erat apposita conditio, vt perirent illa mutuanti, si intra sex annos moreretur: & ita nullum habuit periculum perdendi ea, immo vi mutui capiebat illa centena annua. Tum quia mutuum datum alicui ea lege, vt si moreretur intra sex annos, nihil ei redderetur, & si viueret sex annos redderentur ei illa, & centum pro milliario, videtur esse iustum: quia nihil recipit vltra sortem vi mutui, sed tantùm ob periculum perdendi sortem: & ita poterit licitè ratione periculi accipere id quod videbitur iustum, habita ratione ad periculum, quod subit. Cum ergo qui dat pecuniam in societatem secundum præfatam consuetudinem, subeat periculum perdendi totam sortẽ, si moriatur, antequam discedat à societate; merito poterit lucrari quod iustè respondeat illi periculo, non quidem ratione societatis, sed ratione periculi, quod subit in vtilitatem sui socij.

*g 123.*

5 AD SECVNDAM respondeo primò, quod valet quo ad duo capita priora, videlicet, vt possit discedere, seu disdicere, quando voluerit; & quod teneatur statim pecuniã restituere: quoniam nihil videtur obstare, quo minus valeat; & regulariter contractus ex conuentione partium legem accipiunt. [h]

*h Leg. 1.§. si conuenerit. ff. depositi. & c. contractus. de reg.iur. lib.6.*

Secundo, quod non valet quo ad tertium caput, videlicet vt tantum lucri soluatur pecuniam conferenti, durante mora solutionis, quãtum soluebatur ante discessionem & disdictam societatis. Tum quia cessauit societas, & periculum perdendi totam sortem, ratione cuius tantum lucrum dabatur, vt supra dictũ est, & causa cessãte, debet effectus cessare. Nec obstat, quod debitor propter moram soluendi tenetur ad soluẽdum vsuras, & interesse in contractibus bonæ fidei, [i] & contractus præfatus dicitur societatis, qui est bonæ fidei, [k] quia id non procedit, nisi cum ab initio cõtractus promitteretur, vel esset in via ad lucrandum, & propter amicitiam vel preces ab illo lucro abstraheretur, secundum communem, quam post alios tradimus in com.de vsuris, [l] & breuius in Mã.cõfess. [m] quod raro contingit in his, qui modo prædicto conferunt pecunias in societatem officiorum.

*i Leg. bonæ fidei. ff. de vsuris.*
*k §.actionum. Instit. de act.*
*l Super c.si fœnerauerit.14.q.3.notab.15. & seq.*
*m Ca.17.à n.211.*

6 AD TERTIAM respondeo, quod de huiusmodi debitore, & alijs, qui sunt vel fuerunt in mora soluendi, idem regulariter iudicandum est in foro conscientiæ, nempe quod tenetur reddere vltra sortẽ damnũ, quod dedit, eo modo, quo singulariter ait S.Tho.recep. [a] in hæc verba. *Homo tenetur ad restitutionem eius, in quo aliquem damnificauit, sed aliquis damnificatur dupliciter: vno modo, quia aufertur ei quod actu habebat & tale damnum est semper restituendum secundum recompensationem equalis: puta si aliquis damnificet aliquem, diruens domũ eius tenetur ad tantum, quantum valet domus. Alio modo, si damnificet aliquem, impediendo, ne adipiscatur quod erat in via habendi; & tale damnum non oportet recompensare ex æquo; quia minus est habere aliquid virtute, quàm habere actu. Qui autẽ est in via adipiscendi aliquid, habet illud solum secundum virtutem, vel potentiam; & ideo si redderetur ei, vt haberet hoc in actu, restitueretur ei quod est ablatum, non simplum, sed multiplicatũ, quod non est de necessitate restitutionis, vt dictum est. Tenetur tamen aliquam recompensationem facere, secundum conditionem personarum, & negotiorum.*

*a In 2.2.quæ. 62.art.4.*

Per quæ sunt intelligenda, & ad quæ sunt reducenda, quo ad forum conscientiæ, omnia, quæ de interesse damni emergentis & lucri cessantis traduntur in l.3. [b]

*b §.fi.de eod. quod certo loco. & in d. §. per vẽditorẽ. & l.1. Co. de sent. quæ pro eo, quod interest.*

2 AD VLTIMVM, quo quæritur, an responsio cuiusdam excellentissimi viri, quæ monstratur, placeat nobis, respondeo primo, quod vera est eius decisio quo ad primam partem, qua respõdet non valere pactum soluendi 12. pro cẽtenario post solutam siue disdictam societatem, donec soluatur principale.

Secundo, quod ad ostentationem potius, quàm ad veritatis confirmationem, videtur allegasse tãtam doctorum multitudinem. Tum quia non loquuntur de hoc casu in specie. Tum quia quamuis ex eorum dictis possit elici aliquod fundamentum, quo sua decisio fundaretur, non tamen exprimit illud, & expressum esset adeo clarum, quod pro eo inueniretur textus, qui firmius fundasset illud, quam auctoritas omnium doctorum, quos citat, cum eorum auctoritas non obligẽt necessario, vt textus authenticus.

Quo ad secundam autem partem suæ decisionis respondetur primo, illam esse veram, quatenus habet, eum, qui contulit pecuniam in præfatam societatem, non posse quidquam capere præter sortem principalem post solutam seu disdictam societatem ratione societatis, quia iam desiit esse; neque ratione pacti, quia illud fuit illicitum, vt prædictum est.

Secundo, quod non est vera, quatenus sequutus Paulum Castrensem, & S.Thomam male intellectos, negare videtur verum & probabile interesse lucri cessantis posse peti, quod etiam Innocẽtius, [c] & Sotus quos ipse non citat, voluerunt; licet Sotus contrariam & communem opinionem non reprobet, quam nos contra ipsos late confirmauimus in dict.cõment.resolut. [d] vbi declaramus intellectum D.Thomę, [e] quẽ præfatus d.Doctor, de cuius responsione quæritur, citat ad literam, qui non videtur legisse Caietanum, verè & pulchrè declarantem illud in loco proprio: quem si legisset, aliter, vt arbitror, loquutus fuisset, per rationes per eum ibi traditas, quibus nos aliàs vbi supra annuimus.

*c In c.fi. de vsur.*
*d Notab.15. à num.42.*
*e In 2.2.q.78. a.2.ad 1.*

Tertio, quod licet qui contulit pecunias in præfatam societatem cum præfato pacto, non possit petere aliquid vltra sortem ratione societatis, neque pacti pro tempore, quod intercedit inter disdictam, & redditionem sortis, potest tamen petere interesse verum & probabile lucri cessantis: ita quod si verè coram Deo ipse vsus fuisset illa pecunia sibi reddita, emendo merces, vel census annuos, vel aliqua prædia vrbana, vel rustica frugifera, & desinit emere illa, quia non fuit sibi reddita, certè poterit petere interesse illud, quod ob moram debitoris passus est per supradicta. Salua, &c.

*Aduertendum, quia si ei, quod hic dicitur num. 3. vers. 2. & nu.4. ad fin. addatur id, quod dicitur cons.26. num.6. namque iustificabuntur isti contractus; quia officialis nũquã daret disdictã 12. alteri tertio nõ numeranti disdictã 100. nolenti subire simile periculum. Iniustissimum enim iudicatur tale pretium huius periculi. Vnde sequitur ne periculosa videatur hæc assertio iustificantis hos contractus ex solo capite periculi, quod subitur.*

*SVMMARIVM.*

1 *Cambia fieri possunt pro secundis nundinis, &c. dummodo non maiori lucro, quam pro primis.*

2 *Cambia si non soluantur in primis nundinis cum debito lucro, & sorte principali, potest fieri recambium pro secundis, &c. donec omnia soluantur.*

3 *Fideiussores recipientium nomine suo vel aliorum cambia, si principales non soluunt loco & tempore praestitutis, recambiunt, donec soluantur.*

## CONSILIVM XXX.

CAMBIA an fieri liceat pro secundis, tertijs, & quartis nundinis?

1 Ad hanc quaestionem, quatenus mea dicta tangit, respondeo primo, palam esse, quod praefata verba mea non significant, quod campsor potest cambire à principio pro certo lucro pro primis nundinis, & pro alio lucro vel maiori pro secundis, & alio vel maiori pro tertijs, &c. sed solum quod potest cambire ad soluendum secūdis, tertijs, vel quartis nundinis, modo non cambiat pro maiori lucro cambiendo pro illis, quam posset capere cambiendo pro primis.

2 Secundo, quod hoc praefatum nostrum dictum nihil facit ad aliam quaestionem, qua quęritur, vtrum campsor cambiens, & accipiens pecuniam ad cambium possint licite conuenire, vt campsori soluatur certum lucrum in primis nundinis cum sorte principali, & quod si non soluatur illa, possit recambire sic, vt accipiat sortem principalem cum lucro debito pro primis nundinis ab alio mercatore soluendam in secundis nundinis; & postea si non soluantur in secundis nundinis, iterū accipere alia 100. pro simili lucro soluenda in tertijs nundinis, & sic continuare cambium & recambium, donec omnia soluantur.

Supposito, quod primum pactum, quod fit cum campsore, ita fiat, vt sit licitum, ad reliquam partem dubij dico primo, quod haec conuentio non reprobatur, nec approbatur in praefata extrauagante.

3 Secundo, quod consuetudo mercatorum videtur habere, quod si non fiat solutio sortis principalis, & cambij, vbi, & quando debet fieri, recambiunt; immo & fideiussores recipientium cambium nomine suo, vel aliorum, si principales nō soluunt loco & tempore praestitutis, recambiunt iterum; & si non soluatur loco & tempore in recambio pręstitutis, recambiunt tertio, ne contra eos fiat exequutio. Tertio, quod campsor, vel alius sic cambiendo, & recambiendo, nullam iniustitiam videtur committere. Salua, &c.

*De hac materia vide fusius in sequenti consilio.*

### SVMMARIVM.

1 *Cambium, quod vocatur (al recapitare) super dantem videtur vsurarium & siccum, cum attento effectu videatur pecunia in eodem loco dari, & recipi cum auctario, & eadem persona cum se ipsa contrahit obligationem & liberationem, quod repugnat; re tamen vera non est tale, num. 4. nec siccum, cū reuera alibi soluitur cambium, quam vbi est receptum, nu. 5. & 6. nec inconueniens est quod eadem persona plures repraesentet, & sic respectu diuersae repraesentationis secum contrahat, simul & distrahat. num. 7.*

2 *Sibi ipsi nemo potest imperare, nec sibi obligari, nec suimet esse creditor, vel debitor, nec à se ipso emere: & hoc, nisi repraesentet diuersas personas. num. 7.*

3 *Vsura etiam per solam spem lucrandi ex mutuo, si sit principalis, committitur. nu. 8.*

4 *Cambium per literas licitum est, quatuor concurrentibus: Primo, quod sit aequalitas inter pecuniam, quae datur, & accipiēdam: Secundo, ne campsor accipiat à campsario plus iusta mercede debita pro cambio: Tertio, quod credatur campsariū velle & posse saltem per alterum satisfacere literis cambij in loco, pro quo sunt datae: Quarto, quod locus, pro quo datur, multum distet à loco, in quo fit cambium.*

7 *Plures repraesentare, seu referre potest vna & eadem persona, & sic ex persona vnius potest dici actor, & ex persona alterius esse reus, & similia, quae videntur repugnantia. & nu. 8.*

## CONSILIVM XXXI.

REVERENDISS. Domine, Campsores Romae, seu Florentiae dant pecunias Lugduni soluendas illis, qui Lugduni non habent agentem, nec numismata, sed rogant campsorem, vt ipsemet ad suum correspondentem scribat, vt nomine campsarij cambium soluat, & traiiciat: atque ita fit, vt correspondens, praeter propriam personam; gerens duarum personarū vicem, dantis, & accipientis cambium respectu accipientis pecunias soluat Lugduni, & traiiciat, respectu campsoris dantis pecunias remittat, & pro maiore parte in eodē loco campsarius soluat. Quaeritur, an huiusmodi cambia sint licita, & sit licitus cambiendi modus?

At vt magis mihi satisfaciam, mitto Dominationi tuae, quae mihi super hāc materiam de cambijs à viro graui & doctissimo tradita fuerunt.

### *De iustitia illius cambij, quo campsores dant pecuniam illis campsarijs, qui actu non habent numismata in illo foro, ad quod cambium dirigitur.*

INTER omnia cambiorum genera, quae vbique terrarum apud omnes mercatores sunt vsu recepta, hoc est vsitatissimum, vt qui accepit aliquam summam pecuniarum à cāpsore titulo cambij pro aliquo foro, in quo ipse nullum habet creditum, roget eundem campsorem, vt ipsemet campsor nomine campsarij traiiciat ad suum correspondentem, ad quem debebat remittere illam summam exigendam: atque ita fit, vt correspondens praeter propriam personam gerat adhuc vicem duarum personarum, dantis nimirum, & accipientis cambium: nam respectu dantis remittit, & respectu accipientis traiicit. Et quidem sub hoc genere cambij tres continentur species inter se valde affines, quae vulgo dicuntur, *Il cambio con recapitar le lettere sopra il datore, il cambio con le contationi, & il cambio con la ricorsa.* Quae omnia vt clarius à me explicentur, prius lingua materna proponam exempla & praxim singulorum cambiorum, vt didici à primoribus mercatoribus huius ciuitatis. Tum videbimus rationes, quibus impugnantur. Deinde proponemus aliquot fundamenta, quę cum aduersarijs nobis debent esse communia. Ad extremum ostendemus iustitiam horum cambiorum, reiectis argumentis contrarijs. Hoc autem munus mihi iniunctum ideo libenter suscepi, quod intelligam non paucos esse, qui in eadem sunt sententia, in qua ego fueram, damnantes huiusmodi cambia: vt qui tandem meo periculo & nō modico experimento ex D. Augustino,[a] elegi mutare sententiam, ipsi in propria pertinaciter non conquiescant, aut certè non impugnent, quod theoricè & practicè ex omni parte non penetrauerint.

[a] 1.2.q.4.ca. magna.

### *Exemplum illius cambij, quod dicitur recapitar le lettere sopra il datore.*

*Antonio dà à cambio, Pietro piglia, & Francesco è il correspondente: chi dà, si dice rimeter; chi piglia trarre: & il correspondente, si dice volgarmente il committente, ò vero la ragione.*

*Il caso dunque si figura in questo modo: Pietro in Fiorenza trahe, cioè piglia à cambio da Antonio per Lione cinquecēto scudi d'oro, per far pagare in Lione cinquecēto scudi di sole, perche si cābia al pari: & perche occorre che Pietro nō ha correspōdēte in Lione, ricerca Antonio che gli faccia credito in Lione, acciò sia recapitata detta tratta: & il detto Antonio ordina in Lione à Frācesco, qual è il medesimo c'ha da riceuer il pagamēto delli cinquecēto scudi di sole che recetti, e paghi detta tratta di Pietro sopra di lui, & che se ne vaglia secōdo l'ordine di Pietro, il qual l'ordine sarà, che se ne torni à valere qui da lui, ò d'altri, ò veramēte ī altre piazze di Spagna, di Francia, d'Italia, & da qual si voglia persona: & così Francesco paga per Pietro à se medesimo, & riceue per Antonio, & se ne torna à valere secondo detto ordine.*

*Forma dunque Pietro la lettera di cambio à Francesco in questa maniera: Pagate per quęsta prima di cābio in fiera prossima di tutti i santi à voi medesimo cinquecento scudi di sole per la valuta qui d'Antonio, & ponete come per la d'auuiso. Di più Pietro per la sua d'auuiso ordina à Francesco, che recapiti la tratta, & che se ne vaglia qui da lui, quantunque (come s'e detto di sopra) puo ordinar che se ne vaglia per altro luogo, & così Francesco acconcia la scrittura, facendo in vn luogo creditor Antonio, & in vn'altro debitor Pietro sopra d'Antonio. & qui finisce il primo contratto.*

*Dapoi Francesco per vna sua di cambio ordina à Pietro, che paghi ad Antonio scudi cinquecento vno, & due terzi di sole, per valersi di detti cinquecento scudi con le prouisioni, facendo vna lettera di cambio à Pietro, & tal lettera và in mano d'Antonio, la quale rappresenta à Pietro in questa forma.*

*Pagate per questa prima di cambio à quindeci di Decembre scudi 501. & due terzi di sole, à scudi 102. & mezzo d'oro per cento ad Antonio, per la valuta cõtatami, & ponete à vostro cõto sopra detto Antonio. & qui finisce il secondo cõtratto. A tal che Pietro in virtù di detta lettera harà à pagare scudi 514. sol. 4. den. 2. d'oro: & così la perdita di detti 500. scudi d'oro di questa fiera, qual dura tre mesi, sono scudi 14. sol. 4. & den. 2. doro. & Antonio, qual ha dato à cambio, guadagna scudi 10. sol. 15. den. 10. d'oro, & il resto guadagna Frãcesco nella prouisione che lieuasi al debito di Pietro, com'al credito d'Antonio d'vn terzo di scudo per cento. Auuertendo, che questi prezzi della fiera variano più & meno, & possono esser anco con danno di chi rimette.*

*Il cambio delle cõtationi sarà nel essempio sopradetto per conto di Frãcesco, qual rimette il credito d'Antonio, & trahe il debito di Pietro sopra d'Antonio: & di questa maniera sono hoggi la maggior parte de' negotij di mercanti, cioè l'hauer denari di questo & di quello da cambiarli, & allincontro debiti di diuersi da tenersi su li cambij per le fiere, pigliando le prouisioni dall'vna, & dall'altra parte il che importa assai doue sono molti negotij: & in questo è differente il cambio præsente dal precedente: perche nel precedente essempio Antonio pagaua le prouisioni à Francesco, ma in questo Pietro paga ad ambedue, cioè à Francesco, & ad Antonio. Vi è vn'altra sorte de contationi, quale è vsitata assai. Verbi gratia, Antonio trahe per Pietro cinquecento scudi, & li rimette per suo conto: in tal caso detto Antonio fà la lettera del cambio da pagar à Francesco, & dice, la valuta contatami, & ponete come per la d'auuiso. Et nella lettera d'auuiso dice à Francesco, Io vi traggo per conto di Pietro, ò vero se Pietro non volesse esser nominato, dirà, per mio cõto à parte Pietro. & in tal caso non appariscono più che due persone, cioè Antonio, & Francesco. se bene Antonio rappresenta anco due persone, cioè la sua, & quella di Pietro, quale per non hauer brighe, non vuol far altrimente lettere.*

*Il cãbio cõ la ricorsa differisce dal primo cãbio detto di sopra in vna sola cosa, che doue in quel di sopra Pietro prega Antonio che ricuperi le lettere sopra di se, in questo l'istesso Antonio non vuole dar à cambio à Pietro, s'egli nõ s'obliga à trarre à Frãcesco suo corrispõdẽte; & Pietro consente, perche nõ troua chi gli dia à cãbio, ò vero perche nel prezzo del cambio è auantaggiato. & questa ricorsa tal'hora auuiene alla rouersa, che chi piglia à cambio non vuole pigliare, se il datore non si contenta del corrispondente del pigliatore. Hor questo è in sostanza quanto si ha potuto cauar da peritissimi mercanti intorno alla prattica di questo modo di cambiare, præsupponendo che il tutto si faccia con verità & sinceramente.*

Secundo loco offerenda sunt argumẽta, quibus tale cambium tamquam iniustum posset impugnari.

Iniustitia huius cãbij ex varijs argumentis ostenditur. Primo, quia hoc cambium vel reducitur ad cõtractum permutationis, vel emptionis, vel mutui: Non ad contractum permutationis: nam re vera permutatio, vt inquit Paulus Iurisconsultus,[a] non fit solo consensu contrahentium, sed rei propriæ traditione; at Petrus nihil tradit in præsenti; ergo. Neque potest reduci ad contractum emptionis: quicquid enim contractatur in hoc cambio, est contra naturam emptionis: nemo enim potest emere proprium, nec vẽdere alienum, vt patet,[b] sed in præsenti Antonius emit quod suum erat, & Petrus vendit alienum. Quod si dicas, per mutuum, quod erat alienum, factum esse Petri, tunc sequitur quod tota ratio huius cambij petatur à mutuo: at omne lucrum proueniens ex mutuo est vsura vt habetur cap. *consuluit.*[c] ergo hoc cambium est vsurarium.

*a In l. 1. ff. de rerum permutation.*

*b In l. 2. ff. de contrahenda emptione.*

*c De vsur. & 14. q. 3. per totam.*

Secundo, quia ipsemet campsor emens pecunias, easdẽ numero tradit, & vendit per suum correspondentem, & respectu eiusdem est vẽditor & emptor, dator & acceptor; sed repugnãt duo correlatiua esse in eodem subiecto respectu eiusdem,[d] vbi habetur quod nemo sibi debitor esse potest: iustitia enim est ad alterum, vt ait D. Thomas.[e]

*d Leg. & quidem. ff. de legatis primo.*

*e 2. 2. q. 58. a. 2.*

Tertio, Esto hoc genus cambij vocetur cambium, est tamen nomine tenus, cum sit siccum sine humore, videlicet veritatis, & iustitiæ. Nã qui accipiunt pecunias Florentię, nullas habent pecunias Lugduni, quas fingũt se vendere, quod etiam constat campsoribus: hoc autem est damnatum in bulla Pij V. *de cambiis*; vt patet legentibus.

Quarto, hic contractus apud Siluestrum,[a] videtur similis illi, quo quis fingit se emere ab agricola boues, quos non habet, neque potest habere, & eidem certa pensione locat; quod vtique est vsurarium, vt notat etiam D. Nauarrus in suo Manu.[b] nam campsor fingit emere pecuniam Lugdunensem à Petro, quam ipse non habet; ergo.

*a Verb. vsura 4. §. 9.*

*b Cap. 17. nu. 230.*

Omnia cambia (vt notat Medina,[c]) ad tria capita reducũtur secundum tres diuersitates, videlicet numismatum, loci, & tẽporis, vbi vero nulla apparet diuersitas nisi solius tẽporis: nõ cãbia, sed mutua appellãda sũt. At in præsenti modo cambiendi omnia sunt integra, & immutata, & locus, quia in eodem loco fiunt solutiones, in quo cambium celebratum est; numisma seu forma pecuniæ est eadem penitus cum quodã auctario; tantùm est tẽporis diuersitas seu dilatio: at qui ex sola temporis dilatione accipit lucrum; damnatur tamquam vsurarius, vt patet in cap. *quicumque* & cap. *si quis oblitus*[d] Confirmatur, quia per extrauagantem Pij V. expresse damnantur cambia, quorum solutiones fiunt in eodem loco.

*c In co. de rebus per vsuram acquisitis. quæst. 5.*

*d 14. qu. 4. & dis. 88. cap. eiiciens.*

Præter iniustitiã, quæ in hoc genere cambij ratione cambij ficti videtur esse, apparet alia iniquior, quod ille miser homo qui accipit, cogitur soluere prouisiones ipsi campsori, quasi multum laborasset in traiectione pecuniarum: & ita duplex lucrum campsor accipit, vnum incertum ex auctario cambij, alterum certum ipsarum prouisionum: vnde satius esset, si ratione lucri cessantis, vel damni emergẽtis absque literarum missione mercator lucraretur.

Deinde ipsum cambiũ, quod vulgo dicitur, *con la recorsa*, videtur habere manifestam iniustitiam, & vsuram, quando campsor non vult commodare suas pecunias Petro, nisi ipse traiiciat ad Franciscum suum correspondentem. Hoc autem videtur esse damnatum à Gregorio ix.[e] & ab Vrbano iij.[f] nam mutuare pecuniam cum aliquo onere est vsura, etiam si alias mutuatarius sit lucraturus; ergo.

*e In c. nauigãti. de vsuris.*

*f In c. consuluit. ibidem.*

Et postremo illud, cambium, quod dicitur, *con le contationi*, videtur merum figmentum, vt vnus sibi ipsi numeret, & velut alter Euripus varias facies, nunc creditoris, nunc debitoris repræsentet, quod totum adinuentum esse videtur ad turpem quæstum, & ad palliandas vsuras, vt ex proprijs & alienis pecunijs mutuatis valde lucrentur. Propter aliquam præcedentium rationũ Dominicus Sotus vehemẽter damnat hoc genus cambiendi tamquam illusorium Dei, & hominum, vt ipse ait.[g] & ex antiquioribus vidi neminem, qui descenderet ad hoc particulare genus cambij, quod fortassis non esset in vsu. ex neotericis quidam Marcus Antonius nomine, natione Apulus, in quodam opusculo de cambijs subscribit Soto. Cęterum viri doctrina, opinione, & experientia grauiores, nõ modo non improbant, sed non possunt excusare à temeritate eos qui proprio sensu ducti, vel apparentibus rationibus suffulti nulla habita ratione bullarum Pontificiarum, damnant huiusmodi contractus ab Ecclesia approbatos, & communi Christianorum voce in toto orbe terrarum receptos: nã ex eorum turbatione, nõ nisi conscientiarum perplexitas, & populorum tumultus, & quod peius est, religiosorum virorum conflictus oriri solent. Huius ergo sententię fuit Siluester,[h] D. Nauarrus in suo cõmentario super cap fin.[i] & in suo Man.[k] dicit enim satis esse, quod qui accipit ad cambium, habeat pecuniam virtualiter seu credito in loco solutionis. Abbas Fabianus Genuẽsis in tractatu de cambijs, circa finem in solutione secundæ difficultatis. Thomas Boninsegna in simili tractatu de cãbijs in solutione tertię difficultatis. omitto innumeros Canonistas, qui à prædictis auctoribus allegantur, & alios, qui nondum excesserunt.

*g In l. 6. de iu. & iure q. 10. ar. 1. & qu. 13. ar. 1.*

*h Verb. vsura. 4. §. 9. circa fi.*

*i De vsuris. n. 68. & seq.*

*k Cap. 17. nu. 299.*

Primum pro solutione quatuor notabilia præmittam, quæ nobis ad hanc veritatem inuestigandam aditum aperiũt. Primum est. Quotiescumque in actibus nostris moralibus occurrit dubium, liciti sint, necne; statim ad Ecclesiæ iudicium tamquam ad columnam & firmamentum veritatis confugiendum est; ita vt quod Ecclesia per canones approbauit, approbemus & nos; & quod illa reprobauit, & nos reprobem⁹: vnde Gratianus [l] docet non esse reprehendendas actiones quas Ecclesia sancta non reprobauit, & damnauit. Et Gregorius ix. in Concilio Meldensi,[m] *Nemo*, inquit, *in actionibus, vel iudicijs ecclesiasticis suo sensu, sed canonum auctoritate ducatur.*

*l Per totam dist. 12.*

*m De consti. c. 1.*

Quare

Quare si nullus canon aperte reprobet hunc modum contractandi, quinimmo ex secunda bulla Pij V. videatur approbari potius, quam reprobari, vt inferius dicemus; non video, quare nos sine temeritatis nota hanc mercatorum consuetudinem tamquam corruptelam damnare quoquo modo possimus.

Secundum notabile. In priori bulla Pij V. quæ incipit, *In eam pro nostro pastorali, &c.* duo traduntur à Pontifice: vnum quod pertinet ad substantiam seu naturam cambij, quando scilicet verum, & quando fictum, quando reale, & quando siccum: alterum verò, quod pertinet ad moderationem lucri: & in primo quidem ponit tres proprietates veri & realis cambij. Prima, quòd mittantur literæ. Secunda, quod non redeant inanes. Tertia, ne fiant in eodem loco solutiones. In secundo verò tres alias enumerat conditiones tamquam moderamina lucri. Prima, ne differant præscriptum solutionis tempus, lucro ex tacita vel expressa conditione recepto. Secundo, ne à principio sit taxatum interesse in casu non solutionis, quamuis exactio communis licuisset. D. Nauarrus in sua summ. [a] Tertio, vt non aliter quàm pro primis nundinis, vel proprijs terminis, ad effectum scilicet carius cambiendi. In posteriori vero bulla facta in gratiam Bononiensium descendit ad aliqua specialia, de quibus dubitatio oriri potuisset: & vt omnem auferat scrupulum, dicit campsores posse super se ipsos recapitare literas eius, qui cambium accipit sine aliquo discrimine proprij vel alterius correspondentis; quia hoc fuisset per accidens, & impertinens ad iustitiam cambij: & quod liceat alijs tradere pecunias cambiendas campsoribus, & è conuerso possint campsores alios cambijs continere. quare si suspicio occurrat, sit necne licita aliqua species cambij, ad has bullas tamquam ad oracula confugere necesse est.

a Cap.17.nu.310.

Tertium notabile. Quotiescumque in aliquo contractu permutationis vel emptionis dubitatur de eius iustitia, tunc licet nulla esset lex, quæ modum præscriberet, recurrendum esset ad dati & accepti æqualitatem, vt docet Medina; [b] nisi enim esset æqua compensatio, mox nobis occurreret iniustitiæ suspicio, quare cum in cambijs appareat aliquis excessus, videndum est vnde hic oriatur, & quæ sit vera & iusta ratio cambij, vt proposito exemplo applicetur. Pro quo animaduertendum est aliud esse disquirere, vbi sita sit iustitia cambij, & aliud vnde augeri & diminui possit: illud enim est inuariatum, certum, & stabile, hoc autem potest variari pro diuersis accidentibus: illud respicit naturam cambij, hoc verò eius circumstantias: illud denique à iure & iustitia, hoc autem ab hominum arbitrio petendum est. Quod ergo pertinet ad iustitiam cambij in genere (vt missas faciamus quorumdam minus probabiles sententias) ab vna ex tribus radicibus petenda est, vel ab omnibus simul coniunctis, nimirum ab ipsa origine artis campsoriæ, quæ se habet circa pecunias, sicut mercatura circa merces: licet enim pecunia sit per se primo inuenta vt pretium & mensura omnium rerum venalium, nihil tamen obstat quin secundario contrectari possit tamquam merx, sicut docuit Aristoteles, [c] & S. Thomas, [d] & communiter omnes doctores: quare sicuti merces per vectionem & traiectionem carius vendi & emi solent, sic etiam pecuniæ, vnde traiectitiæ appellatæ sunt. [e] Secunda radix est ipsa seruitus campsoris, vt bene docuit Medina, [f] hæc autem seruitus est duplex: vna intrinseca, & est onus, cui se subiicit campsor hic accipiendi, & alio transferendi, vel è conuerso hic dandi, & aliunde aduehendi. Altera verò seruitus est externa, qua continentur omnes actus campsorij, vt sunt ministri, tabellarij, officinæ, pecuniæ semper paratæ, varij generis numismata, & aliæ plurimæ impensæ: at verò cum omnis seruitus sit pretio æstimabilis, merito ex tali seruitute poterit aliquid accipere iuxta consuetudinem. Denique vltima radix iustitiæ cambij est ipsa incertitudo lucri, & quædam quasi sors: nam campsores, & campsarij indifferenter se exponunt lucro & damno, & omnis huiusmodi contractus nullam habet admixtam iniustitiam, præsertim cum tendat in bonum politicum, & totius Reipublicæ vtilitatem: & si cambia cessarent (vt ait Calderinus, [g] omnia pene mercaturæ officia dissiparentur ac destruerentur. Quando ergo occurrit dubium de iniustitia alicuius cambij, ad has radices recurrendum. Sin autem volumus inspicere augmentum, vel diminutionem lucri ipsius cambij, tunc iudicium petendum erit ab ipsis accidentibus, quæ pecuniæ cambijs subiectæ obuenire solent, vt quod sit absens, vel præsens, ex Caietano, [a] vel secundo quod sit maxima copia vel penuria pecuniarum, ex Soto, [b] vel tertio ex paucitate vel multitudine petentium vel dantium, ex D. Nauarro vbi supra; vel quarto ex traiectione actuali vel virtuali ipsarum pecuniarum; vel quinto ex proportione pecuniarum inter se, vel respectu mercium; vel denique ex alijs euentibus belli, pestis, &c. Sapientis ergo est, pensatis omnibus, iudicare quod sit iustum lucrum, & applicare singulis speciebus cambij.

b In suo cod. de rebus per vsuram acquisitis in fin. q.7.

c In 1.polit.c.6.

d 2.2.q.78.a.1.

e l.traiectitia ff. de nautico fœnore.

f Vbi sup.q.8.

g In consil.11.

a In opusc. de cambijs c.7.

b Libr.6. de iust.q.12.a.1.

Quartum notabile est (vt certa à dubijs remoueantur) quatuor hic esse certissima, & duo quidem priora esse licita & iusta cambia, duo verò posteriora esse illicita, medium vero esse dubium, vt parum distans ab extremis, & de hoc fuit proposita præsens quæstio. Duo priora licita hæc sunt. Primum, quando Petrus campsarius dirigit litteras non ad Franciscum correspondentem campsoris, sed ad alium quempiam, ita vt concurrant in ipso cambio quatuor personæ, campsor cum Francisco suo correspondente, & campsarius cum Martino. Secundum cambium licitum adhuc dicunt omnes illud esse, quando campsarius apud Martinum verbi gratia habet numismata actu, vel credito; hæc enim æquipollent. Duo posteriora cambia illicita hæc sunt. Primum, quando Antonius campsor litteras mittit ad Franciscum pro forma, vt aiunt, & pro quadam cæremonia, & redduntur inanes. Secundum, quando campsor pro suo arbitrio taxat pretium maius, nulla habita ratione ipsius moderaminis, quod à deputatis fieri consueuit. Medium ergo, quod modo versatur in dubio, illud est, quando cessante omni fraude & dolo Antonius campsor ex suis vel alienis pecunijs quas apud se cambiendas habet, rogatus vel ne rogatus quidem dat campsario Petro, qui cum non habeat Lugduni correspondentem, procurat vt litteræ remittantur Francisco, qui nomine eiusdem Antonij commodat Petro, & nomine Petri soluit Antonio cum illo auctario, quod fecit forum, & prouisionem. Tota ergo difficultas hæc est, an propterea illicitum sit hoc cambium, quod Franciscus gerat vtriusque personam, dantis, & accipientis; & vtrum Petrus iustè vendiderit quod actu non habebat, sed tantùm credito, præsertim si credito accipiat ab ipsomet, cui ex pacto tenetur vendere. Hic est ergo cardo difficultatis.

Respondetur, hoc genus cambij esse reale, verum, & iustum, omni dolo & fraude semoto; & si spectetur secundum suam naturam, nullam habet admixtam iniustitiam. Probatur multis vijs.

Primo auctoritate iuxta primum & secundum notabile: hæc enim conclusio est conformis regulis traditis à Pio V. in vtraque bulla de cambijs, immo est expressa in secunda bulla in illis verbis, *che si possano far recapitare le lettere del cambio sopra l'istesso datore.* quotquot enim sunt mercatores Florentiæ, ita intelligunt hæc verba, quod sine conscientiæ periculo possit campsor litteras campsarij ad effectum solutionis transmittere, vel proprio vel alteri correspondenti: quia campsarius nec nomine quidem erit ibi notus. Confirmatur, quia in hoc cambio sunt omnes illæ sex conditiones cambij realis, quas posuit Pius V. in prima bulla, videlicet quod mittantur litteræ, secundo quod non redeant inanes, tertio quod fiat in diuerso loco solutio: nam Lugduni accommodantur scripturæ, & quando remittuntur litteræ Florentiam est secundum cambium, & sic de alijs circumstantijs, id quod iam supponimus.

Secundo probatur ex regula Gregorij IX. desumpta ex Beda. [c] *Non debet culpæ adscribi quod quis euitare non potest.* sed supposita arte campsoria non potest campsor non subire duas personas in multis cambijs dandi & accipiendi: quia verbi gratia dum aliorum pecunias per cambia exercet, & vnus pro traiiciendis pecunijs Lugdunum, & alter pro auferendis inde eum expostulat, non potest non numerare sibi nomine vnius, & nomine alterius soluere: sic enim dictum est in principio *delle contationi.* ergo non fit illicitum cambium ex identitate vnius personæ referentis & repræsentantis duas: quia iam dictum est in bulla Pij V. in gratiam Bononiensium dari facultatem campsoribus cambiendi pecunias non modo proprias, sed aliorum. Sit ergo Martinus Florentiæ, qui rogat Caponium, vt traiiciat Lugdunum decem millia, quę ipse soluit Florentiæ: & ex opposito sit Ioannes, qui rogat eumdem

c De reg.iu.c. quod non est.

Caporium, vt ex Lugduno, vbi habet pretium decem millium, remittat Florentiam eamdem summam, tunc proculdubio nomine vnius dabit, & nomine alterius accipiet: ergo vnus & idem subibit opposita munera.

Tertio probatur eadem propositio ex tertio notabili: omnes enim illæ tres radices iustitiæ cambij inueniuntur in hoc cambio: est enim vera emptio ex parte campsoris, & venditio ex parte campsarij (nec obstat, vt statim subiiciemus, quod actu tunc non habeant) est vera seruitus campsoris tam intrinseca quàm extrinseca, & denique est incertitudo lucri: aliquando enim solet esse cambium cum iactura campsoris: auctarium deinde lucri dependet non ab arbitrio campsoris (vt falsò aliqui opinati sunt) sed vel ex conuentione, vel ex communi mercatorum voce. nihil ergo desideratur ad hoc, vt sit iustum & reale cambium.

Obiiciet aliquis contra hanc tertiam rationem, quòd scilicet in hac venditione sit duplex defectus, alter quidem quòd campsarius vendat, quod actu non habet, id quod primum argumentum etiam contendebat. Secundo, quod in illa palliata venditione vendit emptori, quod est ipsius emptoris, nimirum vendit campsori, quod est ipsius campsoris: & ille medius correspondens Franciscus licet persona distinguatur à campsore, est tamen re vera ipse campsor, eius locum & vices gerens: & hoc quidem argumentum ab inexpertis, & rem superficie tenus considerantibus censetur alter Achilles, sed quam leuis sit armaturæ mox apparebit. Et quidem primum defectum nullum esse inde patet, quod multa possunt vendi, quæ nondum actu sunt, vt notat Pomponius Iurisconsultus, [a] vt fœtura gregis, iactus retis, captura auium, fructus agrorum, &c. Venduntur etiam ad certum tempus annonæ & fruges, quas venditor debet emere: & propterea rectè fit stipulatio eorum, quæ non tantum actu, sed potentia habere possumus, vt l. *interdum.* [b] Quod si ita est, nihil mirum, si Petrus non dederit illa numismata Lugdunensia, quæ actu non habebat, quia erat in potentia ad habendum; erat enim soluendo, & habebat, à quo sibi mutuaret. Neque secundus defectus habet aliquid momenti. Tum quia per accidens est, & rarum, quod campsor illi mutuet, quod debet ipsemet emere: & ea quæ raro eueniunt, non sunt alicuius considerationis, vt notat Panormitanus, Hostiensis, & Calderinus, [c] nam inter mille campsores Florentinos non sunt quinque, qui habeant proprios factores & agentes Lugduni, sed suis amicis mittunt literas. Tum maximè quod campsor in tali actione, semota omni fraude, non modo non est culpabilis, sed valde laudabilis: mutuare enim alteri gratis est opus caritatis, vt facit iste, quia saltem mutuat illi creditum: deinde quia liberat campsarium ab illo onere inquirendi alterum, qui pro se traiiciat, & immunem reddit ab impensis, quę erogantur in proxenetas, & denique solent interdum mitius agere in auctario, & in prouisionibus: ipsa autem substantia cambij omnino remanet immutata, ac si ipse campsarius propriam pecuniam numeraret.

Quarto probatur ex optima regula, quam tradit Siluester, [d] ad dignoscendum cambium licitum ab illicito: *Quoties*, inquit, *arbitrio bonorum & peritorum in arte campsoria pars capiens cambium non grauatur, & distantia temporis nihil lucri affert, numquam est ibi peccatum.* sed in istis cambijs sic celebratis arbitrio bonorum & peritorum mercatorum pars capiens non modo non grauatur, sed (vt diximus paulo ante) alleuiatur à multis laboribus & expensis; & rursus non habetur ratio distantiæ temporis, nisi quatenus distantia loci illud exigit, iuxta bullas, & consuetudinem aliorum cambiorum. ergo ista cambia sunt licita. Confirmatur, quia hæc consuetudo est vniuersalissima, recepta in toto terrarum orbe, & ab omnibus mercatoribus approbata: ergo vel oporteret damnare omnes mercatores (quod esset valde temerarium) vel certe hæc cambia non reprobare: scimus enim tales consuetudines habere vim legis, vt habetur dist. 1. [e] Neque talis consuetudo potest dici corruptela, vt dicitur in cap. vlt. [f] quia neque rationi naturali, neque iuri diuino, vel humano contraria est.

Quinto est licitus ille modus cambiendi (sicut diximus in quarto notabili) quando Petrus, qui accepit cambium ab Antonio, non ad correspondentem Antonij, sed ad alium tertium dirigit literas; ergo & iste, de quo loquimur. Probatur consequentia: quia nullo textu vel ratione probari potest,

a In l. nec ęptio. ff. de contrahenda ępt.
b ff. de verb. oblig.
c Super c. nauiganti. de vsuris.
d Verb. vsura 4. §. 9.
e 1. ca. consuetudo. & dis. 9. c. cum consuetudinis. & di. 11. c. in his rebus & capit. illud. & c. consuetudo. d. 12.
f De consuetudine.

quare cum vno liceat, & non cum altero. Nisi fortè dicatur cum Soto: vel ideo non licere, quod cùm eodem est manifesta suspicio mutui palliati, & ficti cambij, non autem cum tertio, vel vt idem docet. [a] Sicut non decet in contractu societatis negotiatoriæ inire contractum assecurationis cum socio, sed bene cum alio, ita & in præsenti; quia semper viget suspicio mutui palliati.

Sed contra non obstat primum. Primo quia est expresse contra regulam iuris, *In dubijs nemo præsumitur fingere, & peccare.* apud Gregorium IX. [b] ex Beda. [c] *Quando*, inquit, *dubium est quo animo aliqua facta fiant, in meliorem partem interpretemur.* quam regulam expendens S. Thomas. [d] *Expedit*, inquit, *vt quis sæpius fallatur habens bonam opinionem de malo homine, quàm quod raro decipiatur habens malam de bono: quia ex hoc alteri fit iniuria, non autem ex illo.* Deinde, quia hoc est petere principium: nos enim supponimus hoc cambium fieri sine fictione & sine dolo: & denique si ad peruersam intentionem recurrendum erit, nullus erit contractus quamuis licitissimus secundum se, qui ex peruersa intentione deprauari non possit, vt bene annotauit D. Nauarrus. [e]

Non obstat secundum: quia argumentum retorquetur in Sotum: nam licet etiam cum socio facere contractum assecurationis principalis, & lucri, vt bene docuit Siluester, [f] & fusius D. Nauarrus. [g]

Sexto, idem iudicium faciendum est de pecunia facta per cambium venali, quod fieret de mercibus alijs venalibus: sed non repugnat in alijs mercibus, quòd quis proprias merces nomine alterius emat, & nomine proprio vendat: ergo. Consequens probatur per exemplum, quod frequentissime occurrit. Verbi gratia Antonius mercator Florentinus accipit literas à Petro Lucensi, vt eius nomine emat decem ballas serici Neapolitani: tunc Antonius, qui apud se habet huiusmodi merces, emit illas à se ipso nomine Petri, atque ita fit, vt vnus & idem sit emptor & venditor.

Rursus potest figurari aliud exemplum per omnia quadrans cambio. Verbi gratia, aliquis mercator dum habet onerarias naues paratas ad transuehendum frumentum Neapoli Valentiam, rogatur à Petro, vt ei concedat mille modios Neapoli, totidem recepturus ab eodem Valentiæ, deductis expensis ac periculis, vel pretium æquipollens: atque ita format literas ad Franciscum correspondentem Antonij, vt vel frumentum, vel pretium mille modiorum exigat à Petro. proculdubio hic contractus est licitus, & per omnia conformis exemplo in principio assignato de cambio: ergo & cambium erit licitum, cum iam probauerimus secundum communem sententiam cambium reduci ad emptionem.

Neque valet quod dicit Sotus, [h] quod debuerit præuidisse mercator sit necne soluendo venditor: quia hoc est gratis dictum; & imputatur venditori, quod non præuiderit; & demum impertinens est ad iustitiam emptionis: sed satis est, vt bene notat Siluester, [i] quod seruetur æqualitas iustitiæ in pretio, & quod res fuerit venalis, quam si voluisset venditor ex proprijs, vel alienis horreis habere potuisset.

Septimo denique, vt modum adhibeamus probationibus, hæc postrema erit omnium firmissima, quæ si sola esset, sufficeret ad conuincendum cuiuscumque iudicium.

Est verissima regula recepta à Theologis, & Canonistis, posse quemlibet cum animæ suæ salute in capiendis consilijs rerum agibilium sequi quamcumque opinionem, dummodo sit alicuius grauis doctoris, & aliqua ratione fulta: quá regulam D. Anton. [k] attribuit Alberto Magno, & Petro Paludano, [l] & ipsemet sequitur: est etiam S. Thomæ, [m] & Ioannis Gerson, [n] ex Canonistis Hostiensis, [o] affirmat inter diuersas opiniones & diuersa iudicia semper humaniora & æquiora esse præferenda. Vide reliquos Canonistas, [p] & D. Nauarrum, [q] cum allegatis per eum.

Sed opinio, quæ affirmat hoc cambium esse licitum, est æquior & humanior, & grauissimorum auctorum, & rationum irrefragabilium; ergo præferenda.

Sed dicet scrupulosus (inquit S. Antoninus, [r] tutior est opinio rigidiorum, vt homines auertantur à periculo committendi peccatum, iuxta illud D. Augustini. [s] *Tene certum, dimitte incertum.*

Respondet idem sanctus doctor, D. Augustinum ibi loqui, vt patet in contextu, de eo qui differt pœnitentiam ad

a In 6. li. de iustitia q. 6. ar. 12.
b Ca. 2. de regulis iuris.
c In Lucam li. 2. cap. 24.
d 2. 2. q. 60. a. 4.
e Super illud cap. 1. 14. q. 3. not. 4.
f In verbo societas 1. §. 2. circa finem.
g In Nau. ca. 17. nu. 255. & in c. si fœneraueris. 14. q. 3. à notabili 32. vsque ad 39.
h Li. 6. de iust. & iur. qu. 13. art. 1.
i Ver. vsura 4. §. 9.
k In par. 1. tit. 3. ca. 10. §. 10. col. 10.
l In 4. d. 17.
m In 8. q. a. 13.
n In 2. par. de natur. & qualit. conscien. col. 9. n. 169.
o De cognatione spirituali super cap. si vir.
p In c. inquisitioni. de sent. excom.
q In c. si quis. auté d. 7. de pœnitent.
r Vbi sup. in fine illius c. 10.
s De pœni. d. 7. c. si quis autem.

extremum

extremum vitæ, cum possit pœnitere dum sanus est, & integris viribus; nam qui differt ad illud tempus, incertum est, & non securum, agat ne propter Deum pœnitentiam, vel propter gehennæ periculum: item in alijs materijs moralibus, quæ in electione consistunt, tutius est relinquere illud opus, de quo dubitatur sit necne malum: non autem debet extendi ad actiones peractas, vel quæ communiter peraguntur ab omnibus: quia esset inijcere laqueum animabus, vt interdum induerent conscientiam erroneam, quæ semper obligat, nisi deponatur, iuxta illud. [a] *Omne quod non est ex fide* (id est ex conscientiæ dictamine) *peccatum est.* Quare per ea quæ dicta sunt, facilis erit responsio ad argumenta, quæ militabant in contrariam partem.

[a] Ad Ro. 14.

Ad primum iam responsum est in secunda probatione; sed pro maiori intelligentia dicimus hoc cambium non esse purum vel simplex, sed mixtum, & quasi compositum ex duobus contractibus, emptione videlicet, & fideiussione: nam Antonius est emptor illorum quingentorum scutorum Solis, & Petrus est venditor: vt autem à Francisco fides adhibeatur Petro, idem Antonius est fideiussor, spondet enim ipsas litteras Petri tanti esse apud se, atque essent ipsæ pecuniæ. fieri autem licite huiusmodi emptiones & venditiones, auctoritas & vsus docent: nam in illa l. 1. [b] docet Paulus Iurisconsultus per literas posse contrahi emptiones. & vsu didicimus apud magni nominis mercatores raro numerari pecunias, sed adscribi litteras vel crediti, vel debiti. Falsum ergo supponebat argumentum, dicens esse ibi mutuum apertum, vel occultum.

[b] De contra. emptio.

Ad secundum, negatur quod campsor sit respectu eiusdem emptor, & venditor: emit quidem illa quingenta scuta Solis non quidem vt sua, vel (vt alij falsò opinantur) sui correspondentis, sed vt ipsius Petri, in cuius dominium per fideiussionem, ni mauis mutuum, translata sunt: sicut non repugnat, quod possim emere pannum, oleum, frumentum, &c. quæ alteri mutuo dederam, vel ex mea fideiussione alius mutuo dedisset, & tunc non supponitur mutuum vt causa lucri, sed vt conditio requisita ad illam venditionem, ex qua postea nascitur lucrum.

Ad tertium, gratis dicitur hoc cambium esse siccum & fictum, cum iustum & reale iam probatum fuerit, immo inter omnia cambia vsitatissimum: adeo vt primarij mercatores retulerint, ex decem partibus pecuniarum cambiendarum nouem insumi in hoc genere cambij. vnde vt retorqueamus argumentum, dicimus, Si hoc cambium fuisset siccum, proculdubio Pius V. expressisset in sua extrauagan. sicut expressit alia sicca, quæ non erant sic vsitata: dixit enim, *Et sicca, in quibus non mittuntur litteræ, vel si mittuntur, redeunt inanes, vel confinguntur, vel dantur nomine depositi, vel vltra præscriptos terminos.*

Quæ omnia, vt nos, ita boni & periti mercatores damnant, & detestantur. Quod si cambia, quorum exempla produximus in principio, videlicet *recapitar le lettere con la contatione è ricorsa*, erunt sicca, ea Pontifex damnasset: quia quanto malum est vniuersalius, tanto est deterius.

Quinimmo tantum abest quod per clausulas vniuersales damnauerit hæc cambia sub nomine *sicca*, quod potius approbauerit clarius & expressius in secunda bulla facta in gratiam Bononiensium, quæ data opera fuit procurata, vt tolleretur ille scrupulus à timoratis conscientijs.

Ad quartum, miror Sotum, virum alioquin doctissimum, attulisse pro se Siluestrum qui contra ipsum facit: non enim perlegit totum contextum, & tamen Celsus Iurisconsultus nos admonebat, [c] non debere de rebus quibuslibet ferre iudicium vel responsum, nisi tota lege perspecta. Siluester ergo, [d] postquam ex sententia quorumdam dixerat, campsores hos similes esse illi ciui, qui emit boues à paupere rustico, quos non habet; statim subiecit, Sed ista opinio non videtur vera, quia ementi & permutanti sufficit emere & permutare iustè, id est secundum æqualitatem absolutam iustitiæ ab eo, vel cum eo, qui poterat licitè vendere, & permutare: nec tenetur quęrere vtrum habeat rem venditam vel permutatam sine interesse, modo licitè habeat, nec est simile de emente boues à paupere, quia ille nec habet, neque est habiturus boues, iste autem est habiturus pecunias, quas vendit, vel permutat. Non video quomodo clarius loqui potuisset pro hac sententia.

[c] ff. d. le. l. inciuile.

[d] In illo ver. vsura. 4. §. 9.

Ad quintum, argumentum procedit ex falsa intelligentia, & suppositione; dum enim aliqui vident fieri solutiones in eodem loco in quo datæ fuerunt pecuniæ, credunt esse cambia ficta, & damnata à Pio, non attendentes solutiones non esse primi cambij, quod iam terminatum est Lugduni, sed secundi.

Quare dicimus per accidens in cambio haberi rationem diuersitatis, seu dilationis temporis, sed per se habetur ratio diuersitatis loci, & numismatum; sed non possunt de loco in locum transmitti litterę, nisi temporis interuallo iuxta consuetudinem ab ipsa iustitia & communi mercatorum consuetudine præscriptam.

Ad sextum respondetur, illud lucrum ex prouisionibus esse exiguum, & correspondens laboribus, expensis, & periculis: quando verò mercatores accipiunt duplicem prouisionem, vna quidem est pro expensis, & pro alijs seruitutibus, vt superius diximus; altera vero pro assecuratione illius correspondentis, ad quem traiiciuntur litteræ illæ collybisticæ, & interdum accidit quod pro acquirendis tribus aureis & quadrante amittunt mille aureos, si correspondens decoxerit: idque totum fit à peritis mercatoribus, & timoratis secundum consuetudinem, & dictante iustitia.

Ad septimum, in quo quærebatur, & impugnabatur iustitia cambij dicti *con la ricorsa*: Respondetur, in hoc differre venditionem à mutuo, quod in mutuo nulla seruitus apponi potest sine labe vsuræ, vt in cap. nauiganti, [a] sed benè potest apponi in venditione: quia sic paciscuntur contrahentes, præsertim cum per conditiones appositas minuitur aliquid de pretio, id quod fit in illo cambio, quia semper minuunt octauam partem.

[a] De vsuris.

Quod si quæras causam, quare campsores velint ad hunc potius, quam ad illum dirigi suas literas, non vna, sed multiplex affertur.

Prima, vt illas prouisiones lucretur eius correspondens, à quo vicissim similia lucra haurire solet.

Secunda, ne exponat se periculo decoquendi, scit enim tutiorem illum sibi esse, quàm alium.

Tertia, ne pateant omnibus suorum negotiorum rationes.

Quarta, vt ille mercator, qui multa habet credita, possit etiam habere debita, quæ illis correspondeant. & denique sufficeret pro ratione voluntas, quia est liber in contrahendo vt vult.

Ad octauum, in quo impugnabatur cambium dictum *con le contationi*, quasi esset figmentum, & quod pro suo arbitratu mercator fingeret diuersas personas: Respondetur, apud mercatores, qui hæc dicerent, haberentur deliri, tamquam non intelligentes quid loquantur, neque de quo loquantur: diximus enim, & iterum confirmamus, nihil repugnare quod pro diuersitate personarum, quas vnusquisque repræsentat, diuersa etiam & relatiuè opposita munera exerceat.

Atque vt concludam totam hanc quæstionem, non pigebit afferre quæsitum factum ab A. C. cum responsione cuiusdam viri doctissimi, & rigidissimi.

*Occorre molte volte, che alcuni mercanti habbiano commissione de diuersi luoghi da diuersi amici loro commettenti di rimettere denari in diuersi luoghi, & da altri di trarreli, & qualche volta per commodo di proprij negotij occorre loro ancora rimettere, & trarre ne i medesime luoghi, tanto che tutto, ò parte possono esseguire contando à loco medesimo lo fanno per le prime fiere, ò per li luoghi doue sono fiere, & per gl' altri, per gli vsi di tempi consueti, & communi, & per quelli prezzi che corrono in quella piazza, cosi per conto de loro commettenti, come di loro stessi. nel qual caso non ci pare difficultà, procedendo il tutto sinceramente.*

Respondeo, idem mihi videtur, quod illic dicitur, dum verè & sincerè sic fiat re ipsa. nam concursus ille cambiorum in eadem persona non impedit quo minus singula per se cambia illa sint licita, atque ita omnia quoque simul, siquidem non spectant ad eumdem met contractum, sed singula ad diuersum seorsim contractum spectant, dum tamen singula per se cambia sint iusta, & legitima. Hæc ille.

Quare vt extremam tandem manum huic quęstioni apponamus, liberè dicam quod sentio. Cum iam à viris doctis hæc lucra tamquam iusta fuerint habita, & cum nullus ordo religiosorum & peritorum confessorum hæc improbet: cum denique bullæ Apostolicæ, doctores præcipui, & ipsamet naturalis ratio id ipsum confirmet; non video cur debeamus in

dubium reuocare, quod per tot annorum lustra, antequam Sotus ipse nasceretur, tam bene & prudenter constitutum est.

Hæc habui, quæ de hoc genere cambij, quantum per occupationes licuit, in medium afferre potui, quæ omnia censuræ peritorum iudicio libenter submitto.

AD DVBIA MIHI PROPOSITA Respondeo primo, contra huiusmodi cambiendi modum facere multum primo extrauagant. fe. re. Pij V. quæ incipit *in eam.* relatam ad verbum in Manual. nostro confess.[a]

1 Secundo, quod non est licitum cambium de vno loco ad eumdem locum post aliquod tempus cum aliquo auctario, vt nos tradimus in eodem Manual.[b] per ea quæ adducuntur ibidem,[c] & irrefragabiliter probatur per præfatā extrauagantem: & præfatus modus cambiendi videtur fieri de Florentia in Florentiam, cum ibi verbi gratia dentur 500. scuta ab Antonio Petro, & in eadem soluantur cum cambio ipsi Antonio à Petro.

a Cap.17. nu. 300.
b Vbi sup. nu. 290.
c Num.295.

Tertio, quod procurator repræsentat personam principalis constituentis eum suum procuratorem,[d] & in prædicto modo cambiendi Franciscus est procurator Petri ad accipiendum Lugduni cambio ab Antonio mediante illius procuratore scuta 500. quæ accepta postea soluit sibi Francisco tamquam procuratori Antonij, qui Florentiæ debeat dicto Petro dicta scuta 500. cambio: ita videtur, quod eadem persona sibimet cambit, & sibimet soluit, & recipit cambium: & ita gerit duas personas, creditoris cambientis, & debitoris soluentis cambium cum sorte principali.

d Leg.1. ff. de procurato.

2 Quod videtur absurdum, cum vnus & idem non possit esse creditor, & debitor eiusdem rei, nec sibimet mutuare, emere, vel vendere, nec sibimet se obligare, arg. l. *frater à fratre.*[e] sicut neque potest sibimet imperare, & iubere, vel se cogere.[f]

3 Quarto, quod vsura committitur etiam sola spe principali lucrandi aliquid ex mutuo, iuxta cap. *consuluit.*[g] & efficaciter probamus.[h] At Antonius præfatus mutuat in casu proposito Petro, intentione principali aliquid vltra sortem lucrandi, & accipiendi solutionem in eodem loco.

e ff. de condi. indebiti.
f Leg. pen. ff. de recep. arb. & l. ille à quo §. tempestiuū. ff. ad Trebell.
g De vsuris.
h In d.c.17.n. 209.

Quinto, quod omnis contractus, etiam alioquin nominatus, & iustus, si fiat in fraudem vsurarum, est illicitus, vt probatur in cap. *ad nostram.*[i] & cambitio cum prædicto circuitu videtur facta in fraudem vsurarum, ita scilicet, vt lucretur campsor per circuitionem cambij id, quod non potest directè per mutuum.

i De emptio. & in c. illo de pignoribus, & in c. inciuitate. de vsur.

His tamen non obstantibus, videtur iustus prędictus cambiendi modus de rigore iuris coram Deo, & in foro conscientiæ, si intentio contrahentium non est corrupta. Primo quidem ea firma ratione, quòd cambium per literas est iustum, quatuor concurrentibus, vt probamus in eod. Manua.[k] scilicet, quod seruetur æqualitas valoris inter pecuniam datam, & accipiendam: & quod campsor non accipiat plus iusta mercede pro cambio: & quod campsor, qui dat pecunias soluendas, sciat, vel probabiliter credat, quod persona, cui eas dat, habeat pecunias, vel fidem, seu creditum, & voluntatem satisfaciendi literis, quas de soluendis illis sibi tradit, in locis, vbi sunt soluendæ: & quod locus, in quo sunt soluendæ pecuniæ, lōgè distet à loco, in quo dantur literæ. Et in prædicto modo cambiendi videntur concurrere illa quatuor. Præsupponitur enim primo æqualitas valoris pecuniæ inter pecuniam datam per literas easdem, excepto salario iusto campsoris, & quod ipse non recipit pro salario, nisi quod iustum est, attenta distantia locorum, à quo & in quem cambitur, & alijs circumstantijs ad id necessarijs: de defectu enim horum duorum non quæritur: quia, si aliquid eorum deesset, certum esset prædictum modum cambiendi esse illicitum. Non deest autem & tertium: quia Petrus dans literas, & Antonius accipiens eas, sciunt, aut certe probabiliter credunt, quod Franciscus volet soluere illa 500. pro Petro Antonio, acceptis literis eius. Neque deest quartum: quia Lugdunum à Florentia longè distat.

k Dic.c.17.n. 289.

Secundo alia ratione, quod, si Antonius scripsisset ad alium, quam suum responsalem Franciscum, & acciperet cambio pro prædicto Petro illa 500. & sibi de consensu Petri ea remitteret Florentiam, cambium esset iustum: & non refert quo ad hoc propositum, an ipse Petrus per se, vel alium det ad dictum tertium literas, vt pro eo soluat prędicta 500. Lugduni, an scribat ad ipsum Franciscum; cum vtrumque possit ad hoc iustè constituere procuratorem, & cum non referat quid de æquipollentibus fiat.[a]

a Le. si. ff. mādati. & c. licet ex quadam de testib.

5 Ad oppositum primum, scilicet extrauagantem Pij V. respondetur, quod nihil continet oppositum huic responso. Tum quod hoc cambium non est siccum, quod ipse damnat: quia, vt diximus in Manual.[b] Pius per cambium siccum intelligit cambium fictum, quale non est contentum in prædicto modo: quia est cambium reale per literas, per quas realiter datur pecunia, & etiam realiter soluitur. Tum quod literæ non referuntur inanes, neque remittuntur ad campsorem, immo completur per prædictum Franciscum; quia soluit illa, cui erant soluenda, vel eius procuratori, quod eiusdem effectus est.[c] Tum quia non soluuntur prædicta scuta, vbi literę dantur, sed in alio loco ab eo lōginquo, & per quam solutionem tollitur obligatio, qua Franciscus pro Petro tenebatur illa soluere Antonio. Tum quod prædictus modus cambiendi non extenditur vltra primas nundinas. Tum quia non fit per viam depositi, quos duos modos Pius damnat; neque cum intentione, vt pecuniæ soluendæ in loco, ad quem fit cambium, soluantur in loco vbi fit: quia debet solui, & soluitur in loco, ad quem fit.

b Dict.c.17.n. 286.
c Arg. l.1. & toto tit. ff. de procurat.

6 Ad secundum patet responsum ex responso primi: quia nec formaliter, neque æquiualenter pecunia cambita soluitur in eodem loco: non quidem formaliter, quia soluitur Lugduni, & cambitur Florentiæ: non etiam æquiualenter; quoniam obligatio, qua se obligauit Petrus ad dandum Antonio per literas, omnino tollitur per solutionem pecuniæ cambitæ factam Antonio, vel Francisco procuratori eius Lugduni; & longè antea; quam literæ secundi cambij Francisci perueniant ad Petrum, inuenitur Petrus absolutus à sua obligatione, quam contraxerat Florentiæ; nouè obligatus Antonio per literas Francisci, vt palam est.

7 Ad tertium respondetur, concedendo, neminem posse cogere se, neque imperare sibi, neque restituere, agendo vnam & eamdem personam vna & eadem ratione, & modo consideratam, de quo iura in eo allegata loquuntur: sed negando, quod vnus & idem, agendo personas diuersorum diuersa ratione & modo, non possit esse creditor, & debitor, & emere, & vendere sibi ipsi, & alia multa facere induendo & repræsentando varias personas, per l. *in tribus.*[d] & per cap. *ex literis.*[e] quæ habent eundem esse actorē & reum in iudicio finium regundorum familiæ herciscundæ & communi diuidundo & glossæ vtrobique allegant alia iura, quibus vnus & idem multiplici officio fungi potest. & glossa prædicti cap. *ex literis.* resoluit in exercenda voluntaria iurisdictione posse quem multiplici officio fungi, per l. *si consul.*[f] quæ habet, consulem, vel præsulem, si est filiusfamilias se apud semetipsum emancipare, vel in adoptionem dare: & nos tractamus de re extraiudiciali, & voluntaria. & Panormitanus à Decio & alijs probatus,[g] ponit pro regula, posse quem diuersis officijs sibi ipsis non repugnantibus vti. & palam est, non repugnare actum dandi cambio Lugduni 500. scuta Petro nomine Antonij, & actum recipiendi alia 500. scuta à Petro nomine eiusdem Antonij creditoris ratione cambij initi Romæ, & passim campsores fiunt creditores vnius ratione aliqua. & debitores eiusdem ratione alia. & Papa vna ratione dicitur summus Pontifex, & alia summus Rex, vt in cap. *nouit.*[h] post alios late diximus.

d ff. de iudic.
e de probatio.
f ff. de adopti.
g In d.c. ex literis.
h De iudic.

8 Ad quartum respondetur, concedendo committi vsuram per solam spem principalem recipiendi aliquid vltra sortem mutuo datam; negando tamen prædictum Antonium principaliter aliquid accipere vltra sortem, si non accipit quidquam vltra salarium iustum cambiendi, propterea quod per literas Francisci, vel alterius recipiat 500. scuta, quæ Petrus ei debebat: negando item, quod referat, an ipse Franciscus, vel alius constituatur procurator ad dandum Petro 500. ad soluendum ea sibi, per secundam rationem pro hac parte factam.

Ad quintum respondetur, concedendo non licere prædictum modum cambiendi, si fieret in fraudem vsurarum, id est, intendendo accipere pro vsuris aliquid vltra sortem, fingendo se facere contractum iustum: negando autem, quod per narrata in casu concludatur, Antonium habuisse talem intentionem, cum quilibet pręsumatur bonus, nisi constet de contrario.[i] At quamuis omnia quæ facit Antonius, possint

i Leg. merito ff. pro socio. c. 1. de reg. iur.

fieri li

fieri licitè, ac bona intentione: caueat tamen ipse, & contempletur, quod *Astat Deus desuper, qui nos diebus ac noctibus actusque nostros prospicit à luce prima in vesperum.* Caueat item, vt non desit vllum illorum duorum primorum, quæ requiruntur ad iustitiam cambij liciti per literas, vt prædictum est. Quæ omnia eo magis melius sentienti subiicio, quo magis occupatus & tumultuario studio hæc scribo.

*Aduertendum Nauar. hoc responso se restringere ad illā speciem cambij, quæ dicitur (Recapitarle lettere &c.) & de alijs non loqui. Itē in propositis ab incerto auctore pro iustificatione cambij requiritur vt nulla habeatur ratio temporis, nisi quatenus distantia loci illud exigit: etenim cōmuniter pro 100. scutis Solis soluendis Lugduni in feria omnium Sanctorū, minus datur Florentiæ, si cambiū fiat in initio, quando incipiūt fieri cābia pro dicta feria quàm in medio, vel fine, nec sola raritas, vel copia dantium, & recipientium sufficit ad iustificandum in totum augmentum, & diminutionem pretij, licet posit esse caussa mutationis alicuius pretij. Alia autem contingentia non sufficiūt, tum quia contingentia, tum quia raro contingūt. Addo istis temporibus loci distantiam nō videri coram Deo posse similes contractus iustificare, ex quo distantia loci, pro quo fit cambium, non est caussa cōtractus, cum ibi non adsit illa pecunia, pro qua fit cambium. Sed locus pro mera voluntate trapezitarum deputatur, & sic variatum sæpe facit, adeo vt modo fiant pro Placentia. Item notandum quod cum cambium hoc secundum eundem incertum auctorem, reducatur ad contractum emptionis illorum 100. scutorum solis in feria Sanctorum Lugduni soluendorum, & vt etiam notat Nauar. hic num. 3. dicta scuta 100. debent emi eo pretio, quo valebunt tempore, quo illa numerabuntur, & certum sit quod Florentiæ eo die, quo Lugduni soluentur dicta scuta 100. pluris valebunt communiter, quàm fuerint empta, & vendita tempore cambij prius initi, sequitur vt hoc cambium, seu hæc emptio communiter non sit iusta. Caueant igitur qui hæc sectantur cambia, ne in discrimen conscientiarum cadant, quandoquidem si res semoto affectu perpendatur, reperietur anticipatas solutiones præbere causam variationi pretij, quod vel inde patet, quia si eodem die trapezita ab vno accipit pecuniam, vt ei solui faciat scuta 100. Solis in feria Sanctorum, longè maiorem accipiet pecuniam, quam sit illa, quam eodem die numerat alteri, vt ab eodem accipiat similia scuta 100. Solis Lugduni in dicta feria Sanctorum; longè maiorem dico vltra illam quantitatem, quæ eidem debetur ratione seruitij, quod vtrique præstat. Aduertant etiam, quod etsi Nauar. assignet plures caussas, ob quas trapezita potest minus dare, & plus accipere, non tamen admittitur eisdem licere omnes causas in eodem cambio coaseruare, sed disiunctiuè modo has, modo illas esse attendendas pro diuersitate contractuum, ad quos volunt cambia reducere. Nam si volunt reducere illud ad emptionem, vel permutationem, vna causa augmenti accommodatur, si ad cambium, aut traiectitiam pecuniam alia causa accommodanda erit. Item cum etiam secundum auctorem hic contractus sit emptio anticipata pretij solutione, & hæc includat virtuale mutuum, & emptor nolit emere, nisi venditor habeat recursum ad correspondentem emptoris, difficile est ab vsura excusare vltimam speciem cambij, quod dicitur.* (Con la ricorsa.)

SVMMARIVM.

1 *Cambio pecuniam Romæ, vbi debet expendi, pro Hispania accipere iussus procurator, si illam cambio à se ipso accipiat, recepturus eamdem in Hispania, potest tantum lucrari, quantum valet plus pecunia præsens, quam absens, seu quanti plus valet Romæ, quàm in Hispania, num. 3. vel quantum eius interest pecuniam Romæ recipiendam, in Hispania recipere. nu. 4. Immo videtur, quod tantum posit accipere, quantùm iustè accipit campsor. num. 5. vel resolutiuè dic, quod tantùm potest accipere quantùm ei campsor dare, si dicti mandatarij pecuniam Romæ existentem in Hispaniam per cambium traiiceret. num. 7. & 8.*

3 *Pecunia præsens pluris valet, quàm absens, secundum quod plus & minus distat, & plus in vno loco, puta Romæ, quàm in alio, puta in Hispania: non tamen inde sequitur quod præsens plus valeat, quam soluenda in diem. num. 6.*

4 *Alibi, quàm vbi debet, si quis soluat, tenetur creditori soluere omnia accessoria rei debitæ, quæ ob id perdit creditor.*

6 *Nomen debentis in diem etsi præsenti minori pecunia posit emi, non tamen inde necessariò sequitur, quod pecunia præsens plus valeat, quàm recipienda in diem.*

## CONSILIVM XXXII.

1 QVIDAM solicitator, siue actor negotiorum, quæ de Hispania mittuntur ei Romam, cum mandato accipiendi pecunias ad expedienda necessaria ab aliquo campsore, accipit illas à semetipso, vt liberetur ab onere quærendi fideiussores dandos campsoribus, & etiam animo lucrandi sibi id, quod campsor lucrifacturus erat, & postea mittit literas ad Hispaniam, vt suus responsalis recipiat illas cum cambio paulo minore illo, cum quo soluendæ essent, si acciperentur à campsore, & data dilatione paulo maiore, quàm dat campsor ad soluendum ibi. Quæritur, an liceat ei hoc facere.

Respondeo, quod quæstio hæc grauior est, quàm primo aspectu appareт. Nam pro parte negante facit primò, quòd consulens in effectu videtur mutuare, data dilatione ad soluendum aliquid vltra sortem, quod est vsura, cap. 1. 14. quæst. 3.

Secundò, quòd licet contractus præfatus non sit mutui, sed mandati, tamen etiam hic debet esse gratuitus. sicut ille,[a] & ita quod accipitur vltra datum, iudicandum est vsura, aut lucrum iniustum.

Pro parte autem affirmante, quod liceat, facit primo, quod hic contractus non est mutui, sed mandati; & vsura in solo contractu mutui admittitur, vt constat per definitionem eius, quam etiam nos post alios tradidimus in Manual. confess.[b]

Secundo, quod non refert quid de æquipollentibus fiat.[c] At paria sunt, quod consulens capiat pecuniam à mercatore, & à semetipso: ergo nec capiendo à semetipso quidquam peccat.

Tertio, quod nihil interest eius, cuius negotia geruntur, an expeditionem literarum soluat de pecunijs campsoris, an de suis: immo is, cuius negotium geritur, gaudebit plus, quod illius gestor, qui est amicus eius, lucretur, quàm quod campsor, quem fortè non cognoscit.

2 Pro resolutione dico primo, quod consulens non potest accipere illud plus ratione interesse lucri cessantis; quoniam potest solùm capere illud de pecunijs suis, quas habet paratas ad negotiandum cum eis emendo & vendendo merces, aut ad emenda prædia, vel census, ex quibus caperet reditus: sed ipse habet illam pecuniam quasi mortuam, quo casu non licet capere aliquid vltra sortem, vt resolutè diximus in d. Manual.[d]

Secundo, quod neque potest quidquam accipere ratione maioris temporis dati ad soluendum, argumento cap. *in ciuitate.*[e] & traditur in Manual.[f]

3 Tertio, quod consulens potest accipere aliquid plus per viam contractus emptionis, per quam pecunia præsenti minoris potest emi pecunia absens, quanto maior est distantia; quod iustè fieri potest, vt probatur in dict. Manual.[g] Potest etiam accipere aliquid plus, eo quod eadem pecunia pluris valet Romæ, quàm in Hispania, vt etiam ibidem probo. Quibus duobus modis quilibet Hispanus sine vllo negotio potest mutuare, vel alias dare suam pecuniam Romæ, vt detur sibi similis pecunia in Hispania cum aliquo argumento, vt dixi.[h]

Quarto, quod præfatus consulens posset accipere aliquod auctarium pecuniæ à se impensæ, si eam attulit ab eadem Hispania, vel aliunde Romam, soluendo cambium; quia suscipit illud ratione interesse damni emergentis, quod licet iuxta l. 1. cum glossa & omni turba commentantium,[i] & tradimus nos in Manual. confess.[k]

4 Quinto, quod etiam potest accipere aliquod auctarium, licet exposuerit pecuniam necunde importatam Romam soluto cambio. sed quæsitam in ea sua industria, vel alio iusto pretio: præsupposito, quod is, cuius negotium gerit, expressè vel tacitè promisit soluere Romæ, quod pro negotio impenderetur: quoniam cum aliquid soluitur in alio loco, quàm in quo debeat fieri solutio, debet iudex ex officio suo in actionibus bonę fidei secundum naturam contractus ex ęquo & bono cogere debitorem ad soluendum omnia accessoria rei debitæ, quæ perdit ex eo, quod alibi fiat solutio, iuxta §. *in bonæ fidei.*[l] sicut & in actionibus stricti iuris per actionem arbitrariam, iuxta §. *præterea.*[m] & dicta & citata à Iasone.[n] At constat, quòd interest existentis Romæ, & impendentis in ea centum pro existente in Hispania, qui promisit illa soluere Romæ, vt si soluātur in Hispania, soluatur æstimatio, qua illa possunt Romam transportari. Quod autem in casu proposito is, cuius negotium est gestum, promisit consulenti soluere Romæ, cōstare potest, si tacitè vel expresse id promisit: quòd

a *l. e. 1. § fi. ff. mandati. & § fi. Instit. de mandato.*
b *Ca. 17. nu. 206.*
c *l. e. fi. ff. mā. c. licet ex qua dam. de testi.*
d *Cap. 17. nu. 296. & seq.*
e *De vsur.*
f *Cap. 17. nu. 280. & n. 283.*
g *Vbi supra num. 295.*
h *Vbi suprà.*
i *C. de sent. quæ pro eo quod interest.*
k *Cap. 17. nu. 211.*
l *Inst. de act.*
m *Inst. de act.*
n *Ibidē, præsertim col. 1. & 2.*

autem tacitè promiserit, videtur constare. Tum quia mandauit, vt consulens acciperet pecuniam à campsore, & remitteret soluendam in Hispaniam cum cambio, quo remissio constaret: id enim effectu est promittere soluere Romæ transmittendo pecuniam per campsorem, siue bancharium, soluto iusto cambio: nec quidquam refert quo ad propositum nostrum, vtrum eorum fiat; quia alterum alteri æquipollet, & non refert quid de æquipollentibus fiat, [a] & ratio naturalis, diuina, & humana præcipiunt, ne benefactoribus malefaciamus, immo quod benefaciamus, [b] ergo residenti Romæ benefacienti non debet suscipiens beneficium in Hispania velle malefacere: at qui nollet Romano impendenti Romæ decem scuta, nisi in Hispania totidem reddere, vtique malum pro beneficio inferret; ergo præsumendum est, quod voluit soluere Romæ, vbi pecunia fuit impensa, cum quilibet præsumatur bonus. [c]

a Leg. fina. ff. mand.
b Le. si non sortem. §. libertus ff. de condict. indeb. ca. cū in officijs. de testam.
c Leg. merito. ff. pro socio. c. si de præsum.

5 Vnde sequitur, quod præfatus consulens potest iustè accipere tantum argumentum, quantùm campsor siue bancharius potest iustè exigere, ea ratione, quod fuerit promissum soluere cum cambio, quo transmissio constaret. Quantum autem campsores huius temporis iustè possint recipere, magnæ quæstionis est, cuius decisio hauriri potest ex dictis in nostro Manual. confess. [d]

d Cap. 17. nu. 284.

6 Sexto, quod quæstionis nouæ & maximæ videtur esse, an sicut pecunia absens minoris valet, cæteris paribus, quàm præsens, & iustè potest minoris emi quàm præsens, ita & præstatio eius præsens valeat pluris, quam præstatio abhinc anno, aut maiori, vel minori tempore: si enim pluris valeret, possent campsores non solùm recipere plus quàm dant, ratione emptionis pecuniæ absentis dando præsentem, & ratione valoris maioris, quem habet pecunia Romę quàm in Hispania, sed etiam ratione maioris valoris, quem habet præstatio pecuniæ præsens, quàm præstatio facienda post aliquod tempus: & pro parte quidē affirmante faciunt illa, quibus defendimus in Manual. [e] quòd actio recuperandi pecuniam debitam post aliquod tempus, potest pecunia emi minore illa debita; quod tamen nunc non definio.

e Cap. 17. nu. 230.

7 Septimo resolutiuè ad quæstionem respondeo, quòd consulens potest accipere tantùm suæ pecuniæ augmentum, quantùm potest iustè accipere campsor alia ratione, quàm lucri cessantis, ex eo, quòd propter artem campsoriam non vtatur mercatura. quantum verò is iustè accipere possit, quęstionis est non paruæ, vt ex supradictis, & latius traditis in dicto Manual. [f] colligi potest, & ex eo, quòd non satis scitur qui campsores dicuntur relinquere artem mercaturæ propter artem campsoriam, neque quo fine, & qua ratione, vel qua necessitate, publica vel particulari vtilitate proximi id faciunt, vt censeantur mereri interesse lucri cessantis.

f Ca. 17. nu. 284.

8 Octauo, quod ob prædicta videtur, posse consulentem accipere tantum augmentum, quantùm darent ei campsores, vel bancharij, si eis daret pecuniam reddendam sibi in Hispania. Salua, &c.

## SVMMARIVM.

1 *Vsuras vt Iudæi exerceant, non posse principem sæcularem licitè concedere, aliquibus grauissimis doctoribus visum est: contrarium tamen Auctori verius videtur, num. 2. modo concedens non recognoscat superiorem: nec ex dicta permissione lucrum capiat, num. 6. 7. & 8. subsitque iusta causa; & conditiones, sub quibus permittit, sint honestæ. num. 7. & si sit sæcularis sacerdos, exhortandus, sed non cogendus, vt id de licentia Papæ faciat. num. 7.*

2 *Detractiones publicas, quas carniualia vocant Galli, ex causa; item & comœdias, in quibus publicè aliquorum insignia errata ad aliorum cautionem referuntur, iuste permittere potest Princeps.*

3 *Vsuras vt exerceant Iudæi, Pontifex concedere potest, & de facto concedit in Vrbe.*

3 *Vsuras extortas vt restituant Iudæi, iure quidem communi attento possunt, & cogi debent, at statuto particulari contrarium ex causa statui potest.*

7 *Vsuras Iudæis iuxta capitula eiusdem validè ex iusta causa concessa promissas, vt soluant Christiani, sine peccato à superiori cogi possunt, modo dicta capitula sint facta honestis cum conditionibus.*

## CONSILIVM XXXIII.

QVÆRITVR, an Iudæis iustitia administrari possit & debeat de eorum vsuris; ita vt per Principes cogi possint & debeant Christiani, qui ab eis pecunias acceperunt ad vsuram, ad soluendum talem vsuram vltra sortem principalem.

Respondetur primò, hanc quæstionem esse magnam. Tum quia continet in se alteram se maiorem. Tum quia proponitur generaliter, non specificando qualis est huiusmodi Princeps; & quales Iudæi, de quibus quæritur; & cuius auctoritate, vel licentia habitant inter Christianos; & an sint aliqua pacta inter Principem, in cuius territorio habitant; & an cuiuspiam ecclesiastici Præsulis auctoritate sint confirmata.

1 Secundo respondetur, quod altera quæstio contenta sub hac, est, vtrum Imperator, aut vllus alius Rex, aut Princeps Christianus non recognoscens superiorem in temporalibus possit absque licentia Papæ permittere Iudęis, vt in terris suis exerceant vsuras. Ad quam respondeo, illam esse quotidianam, grandem, & à nemine, quod sciam, pro dignitate sua tractatam, nec nobis esse otium, nec valetudinem sic tractandi eam. sed quia iubemur respondere priori quæstioni ab eo, qui iure suo id facere potest, dicam hæc pauca infrascripta, quæ forsam iubenti satisfacient.

Primo quidem, quod Petrus ab Ancharano, [a] tenet quod non, & eum refert Alexander Imolensis, [b] & late sequitur Ioannes ab Anania, [c] pro quibus est fundamentum neruosum in d. cap. *post miserabilem.* quo præcipitur, vt Principes Christiani cogant Iudæos ad restituendas vsuras: quod videtur facere non posse, si Reges haberent potestatem permittendi eis illarum exercitium.

a Cons. 243. incipiēte, Christiane & Illustriss. Princeps.
b Cons. 1. volum. 2.
c In c. post miserabilem. de vsuris. nu. 5.

2 Secundo, quod quamuis præfati grauissimi auctores dicant se non audere tenere contrarium, ipse tamen non possum mihi persuadere hanc sententiam. Tum quia Reges possunt permittere in suis regnis, & de facto permittunt ex aliquibus causis iustis exercitia nonnullorum peccatorum mortiferorum etiam notoriorum, puta fornicationes, quæ fiunt in lupanaribus, [d] & Reges Francorum permittunt in suis regnis publicas detractiones, & infamias, quas Carniualia vocant; quod bene fieri ait Ioannes Faber, [e] permittunt etiam comœdias, quibus publicè tradunt insignia errata virorum insignium, vt alij à similibus abstineant; quod rarò fit absque peccato mortifero; vt à similibus alij arceantur. Fertur etiam Auenioni notarios certo die & loco publicare impune errata, quæ ipsis fuerint per circulum anni nunciata, quod etiam raro fit absque detractione mortifera: & non est maior ratio, qua plus possint permittere illorum exercitium impune aliqua iusta de causa, quàm exercitium vsurarum Iudæorum, immo nec tanta: quoniam de fide necessarium est credere fornicationes esse peccata mortifera, [f] & quod tam fornicarius, quàm fornicaria credunt illas esse peccata, cum tamen Iudæus exercens vsuram non credat id esse peccatum; & Christianus accipiēns saltem cum necessitate sub ea, & eam soluens nullatenus peccat, iuxta cap. *debitores.* [g] & cap. *super eo.* [h]

d Arg. c. meretrices. 32. q. 4. c. inter opera. de sponsalibus.
e in §. in summa. Inst. de iniurijs.
f Cle. ad nostram. de hæret.
g De iureiur.
h De vsuris.

3 Tum quia Papa notoriè permittit illas in suis terris exerceri à Iudæis etiam in Vrbe, vt constat ex bulla quadam S. D. N. Gregorij XIII. confirmatoria capitulorum reformationis banchariorum Hebræorum, quæ traducta fuit ad rationem 18. pro quolibet centenario, quæ data fuit in Camera Apostolica die prima Februarij 1577. & non videtur posse reddi vlla ratio firma, quare non possint permittere Reges idem in suis: non enim potest Papa plus facere, quòd vsura sit licita, quàm Rex; quia iure naturali & diuino vtriusque testamenti est prohibita, vt post alios tradimus in cap. 1. [i] & tantùm, immo magis obligatur Papa ad resistendum peccatis, & exercitio illorum, quam Reges temporales, argum. ca. *sunt quidam.* [k] quod habet, summos Pontifices teneri vsq; ad sanguinem seruare doctrinam Euangelicam. Tum quia prædictum cap. *post miserabilem.* solùm probat: quod attento solo iure cōmuni Iudæi tenētur quidem restituere vsuras extortas à Christianis, quod concedimus; sed non probat, quod iure particulari non possit contrarium statui; immo contrarium statutum est, & seruatur in toto statu Ecclesiastico, & Romæ in quo minus deberent tolerari, vt dictum est: in quo videmus Christianos compelli ad soluendas vsuras Iudæis,

i 14. q. 3. nota. 5. & in tract. de vsuris nu. 44. & 49.
k 25. quæst. 1.

& Iudæos

& Iudæos non compelli ad soluendas eas Christianis, & quidem miror neminem aduertisse, quod hoc modo respondetur aptissimè illi cap. *post miserabilem.*

4 Tum quia ratio, quare communiter Reges Christiani non permittunt Iudæis exercere vsuras, videtur esse illa, quod non permittunt illos habitare in regnis suis: in nullo enim regnorum Hispaniæ permittuntur, nec vllo subiecto Regi Franciæ, & contra in vrbibus imperij, vbi permittuntur habitare Iudæi, etiam permittuntur exercere vsuras: & certum est, quod si potest id permittere Imperator, poterunt etiam permittere Reges liberi, & non recognoscentes superiorem. Quin etiam audio in quibusdam terris Serenissimi Ducis Sabaudiæ non recognoscentis superiorem, quod quidam Iudæi licet paucissimi de permissione eiusdem in eis habitantes exercent vsuras.

5 Cum ergo negari non possit posse Reges Christianos permittere Iudæis, vt morentur in suis regnis, poterunt etiam permittere, vt exerceant vsuras. Tum quia audio Carolum V. Imperatorem Christianissimum & filium eius Philippum II. Catholicissimum permittere aliquot Iudæos habere publicum officium fœnerandi in Flandriæ statu.

6 Arbitror tamen nullam communitatem sæcularem, nec vllam ecclesiasticam potestatem, quæ recognoscit superiorem, posse permittere iustè, vt Iudæus aliquis in suo territorio exerceat impune vsuras.

Tertio, quod potestas suprema ecclesiastica, siue solus Papa potest permittere Iudæis exercere vsuras sine vllo alius consensu.

Quarto, quod consulendum esset Principi, vel communitati sæculari volenti id permittere, vt de consensu Papæ id facerent.

Quinto, quod ipse non auderem asserere, Principem, vel communitatem non recognoscentem superiorem peccare mortifere, aut vllas censuras incurrere ob id solum, quod huiusmodi permissiones iusta de causa faceret cum capitulis conuenientibus Christianis; qualis fuit vna, super qua ante aliquot annos fuimus consulti, facta cum capitulis conuenientibus Christianis, in quibus erat vnum, vt Iudæus fœnerari non posset vltra quam ad rationem quinque pro centum: dummodo talis Princeps nihil de lucro participet; quoniam in ea sum opinione, quod nullus Princeps, nec sæcularis, nec ecclesiasticus potest iustè permittere aliquot peccantes, vel crimina committentes, percipiendo aliquod lucrum ob illam permissionem, per ea quæ post Caietanum dixi in Man. [a]

a Cap.17.n.195.

7 Ex prædictis, quæ responsa sunt ad prædictam quæstionem contentam tacitè sub quæstione nobis nunc proposita, colligitur primum, quod si prædictus Princeps cum auctoritate & licentia propria iusta de causa, & sine participatione lucri vsurarum permittit exercitium earum in terris suis cum capitulis & conditionibus honestis, poterit iustè absque peccato compellere Christianos ad obseruanda pacta, & conuenta inter Principem, & Iudæos, & consequenter ad soluendas vsuras permissas, & promissas per illas Iudæis.

Secundo, quod si prædictus Princeps recognoscit superiorem, non potest iuste permittere exercitium vsurarum in terris suis sine auctoritate Papæ, vel alicuius Regis non recognoscentis superiorem, in cuius territorio viuit; nec consequenter cogere Christianos ad soluendas vsuras illis promissas.

Tertio, quod, quidquid Petrus ab Ancharano, & Alexander Imolensis & Ioannes ab Anania, & alij, qui sequuti sunt illos, dixerint, credo firmiter, quod prædictus Princeps, siue sit Imperator, siue Rex, siue alius, qui non recognoscit superiorem, potest iusta de causa in suis terris permittere de rigore iuris auctoritate sua, sine alia ecclesiastica, vsurarum exercitium Iudæis, factis capitulis honestis cum eis, & non accipiendo lucrum sibi de illo exercitio: quamuis modestius & christianius faceret, si permitteret illud consulto summo Pontifice cum capitulis ab eius Sanctitate probatis. Salua S. D.N. censura, & cuiusuis alius melius sentientis, in gloriam Dei, qui nos omnes saluet.

*Aduertendum, immo inter omnes ferè doctores constare nullum principem extra Pontificem Maximum posse Hebræis publicè fœnerandi potestatem, etiam si populi vtilitas aut necessitas id postularet, facere: vt post alios docet Petrus Royz in decisionibus Lituanicæ, decis.5.num.308.& seq.*

### SVMMARIVM.

*Iudæis etsi concesserit Pontifex, vt in suis terris vsuras exerceant, non tamen sequitur vt vigore eiusdem licentiæ eisdem liceat alibi exercere.*

2 *Princeps sæcularis superiorem non recognoscens in suis terris licentiam exercendi mediocres vsuras etiam sine Papæ licentia concedere potest.*

## CONSILIVM XXXIIII.

AN Iudæi habentes licentiam à Papa in terris Ecclesiæ vsuras exercendi, possint absque alia licentia eas extra territorium Ecclesiæ exercere, vel saltem pecunias pro suo interesse mutuare?

Secundo, vtrum Princeps superiorem non habens possit sub honestis capitulis prædictam licentiam in suis terris concedere, seu Iudæis permittere?

1 AD PRIMAM quæstionem respondeo primo, non videri eam satis clarè propositam: quoniam loquitur de interesse, & videtur voluisse proponere de vsura, quod si intelligatur de interesse vero, de quo loquitur l.3. [a] videtur esse superflua: quoniam licitum est mutuare ad interesse verum tam lucri cessantis, quàm damni emergentis, seruatis seruandis, vt latè post alios nos tradimus in Manu. confess. [b] & latius in com. de vsuris, [c] & ita sine alia permissione speciali Principis spiritualis & temporalis iure communi licet tam Iudæo, quàm Christiano mutuare ad interesse verum, seruatis seruandis.

a§ de eo quod certo loco. & l.1.C de sent quæ pro eo quod inter. profer.
b Cap.17.nu.211.
c Nota.15.n.50.& seq.

Secundo, quod si intelligatur de vsura vera, respondendum est negatiuè, quod summus Princeps ecclesiasticus non censetur permittere Iudæis exercere vsuram in regnis & dominiis non subiectis ei quo ad temporalem iurisdictionem, eo solo quod id permittat in terris subiectis sibi quo ad vtramque iurisdictionem spiritualem & temporalem. Tum quod priuilegia sunt restringenda. [d] Tum quia præsupposito quod sine licentia Papæ non possunt Iudæi exercere vsuras, & cum ipsius sic; extendere licentiam exercendi vsuram in vno regno ad exercitium vsuræ in alio, esset contrauenire innumeris iuribus, quæ vetant extensionem legum & dispositionum exorbitantium, corrigentium, & alterius iuri præiudicantium, ad ea quæ sub verbis earum non includuntur. Tum quia, præsupposito, quod sine Papæ licentia cum summi Principis sæcularis facultate Iudæi possint exercere vsuras in regnis, quæ inhabitant, possent quidem exercere sine Papæ licentia speciali, non extendendo ad illam licentiam Papæ datam quo ad suum regnum temporale; & ita quæstio etiam hoc casu esset superflua.

d Cap. porro. & c. sane. cũ innumeris alijs de priuil.

2 AD SECVNDAM respondeo, meminisse me respondere ante aliquot annos cuidam magno Principi non recognoscenti superiorem, ad quamdam quæstionem, ex cuius decisione facile potest colligi harum determinatio, & ideo me remitto ad illam. *Vide consil.33.de vsuris.* Ex quo palam colligitur, Regem Catholicum in dominio Mediolani, à quo non appellatur, posse iustè Iudæis in eo morantibus facere facultatem mutuandi sub vsuris mediocribus sine vlla licentia Principis ecclesiastici summi, neque inferioris; & consequenter non debere se retrahere, vel abstinere à danda præfata licentia, esto quod nullam Papa etiam in suis terris quo ad iurisdictionem temporalem subiectis daret, nec dedisset illam. Quia tamen extra casus propositionem monstratur consilium cuiusdam viri eruditissimi impressum, in quo affirmat multas facultates huiusmodi fuisse datas antehac, quæ etiam nunc durant, à Principibus ecclesiasticis, indubiè tenendum est quod nunc respondemus, &c.

*Vide quod notatum fuit præcedenti responso, ad quod fortè D. Nauarrus hic se remittit.*

### SVMMARIVM.

1 *Iudæis concedit Camerarius ex Papæ commissione, vt Romæ, ac etiam alibi, num.5. exerceant vsuras: ordinarij autem licentia non sufficit, sicut nec videtur sufficere sola Regis aut Principis sæcularis suppositi canonibus, nisi hæc facultas sit eis à Papa concessa, nu.1. quo casu possunt quidem Principes concedere, vt exteris mutuent sub grauioribus vsuris, sed non decet, nec expedit. num.6.*

2 *Reformatio facultatis vſuras exercendi facta Hebræis banchariis Romæ commorantibus, non eſt extendenda ad alios Hebræos alibi banchos tenentes.*

3 *Declaratoria & confirmatoria diſpoſitio reſtringitur ad terminos interpretatæ, & confirmatæ.*

4 *Diſpoſitum quo ad vnum per ius commune licet trahatur ad alia, in quibus militat eadem ratio; ſecus tamen eſt in priuilegio perſonali, & multo magis in impoſitione perſonalis oneris.*

7 *Vſurarum exercitium etſi ſit contra ius diuinum & naturale; tamen ad euitanda maiora mala tolerari poteſt, vt Hebræi illud exerceant.*

## CONSILIVM XXXV.

ANTE reformationem ſuper Hebræorum banchis à Gregorio XIII. factam Illuſtriſſimus Dominus P. Hebræis in ſua Sancti Martini terra habitantibus, de Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi D. Camerarij licentia, & ſub honeſtis ſtatutis & moderationibus fœnus exercendi facultatem conceſſit. Modo dubitatur.

Primo, an Iudæi in dicta ſua terra habitantes dictam reformationem ſeruare teneantur.

Secundo, an dictus Dominus permittere poſſit, vt Iudæi cum alienigenis vndecumque ad dictam ſuam terram venientibus vſuras exercere valeant.

Tertio, an dictus Dominus moderare Hebræorum vſuras ita valeat, vt fœnus carius cum alienigenis, quàm cum indigenis & incolis, Iudæi exerceant.

Quarto, an dictus Dominus Hebræorũ banchos, eorumque ſtatuta reformare & reſtringere in dicta ſua terra valeat.

Pro intelligentia prædictarum quæſtionum reſoluenda ſunt duo dubia. Primum eſt, an Camerarius Papæ poſſit concedere licentiam Iudæis habitantibus extra ſtatum Papæ exercendi vſuras. Secundum, an Papa iuſtè poſſit permittere Iudæis, vt exerceant vſuras.

1 Ad primum dubium pro parte negante faciunt ea, quæ Siluester adducit, [a] dicens, quod Iudæi cogendi ſunt ad reſtituendas vſuras, & alibi, [b] dicit, quod Princeps permittens Iudæis exercitium vſurarum cum licentia ordinarij peccat mortaliter per clem. 1. [c] & cap. 1. [d] cum additis ei à Dominico & Franco, & cap. *poſt miſerabilem.* & cap. *poſtulaſti.* [e] Pro parte affirmante facit, quod Camerarius prædictus ex commiſſione Papæ dat illam licentiam: & iura prædicta, quatenus ſunt humana, non ligant Papam. [f]

Ad ſecundum dubium pro parte negante facit, quod Reges ac Principes id facere non poſſunt, vt concludit Silueſter.

Sed pro parte affirmante facit primo, quod videmus Papam permittere Iudæis in Vrbe, & Auenioni, & etiam in terris Ducis Mantuæ, & aliis multis locis; & quod aliud videtur dicendum de Regibus, & Principibus, qui ſubſunt præfatis canonibus, quibus non ſubeſt Papa.

Secundo facit, quod Papa poteſt permittere & tolerare aliquod malum, vt aliquod peius impediatur, [g] & quod ſecundum Auguſtinum, [h] relatum à S. Thoma, [i] lupanaria permittuntur in pleriſque locis, ne caſta matrimonia ſollicitentur, & vt alia peiora impediantur; idque fit etiam à Principibus ſecularibus, nulla licentia à Papa petita.

2 PRÆSVPPOSITO igitur, quod Illuſtriſſimus D. P. cum facultate Illuſtriſſimi Camerarij S. D. N. iuſtè poſſit Iudæis terræ Sancti Martini permittere exercitium vſurarum moderatum, vt in prima quæſtione propoſita præſupponitur: Ad primam quæſtionem, ſcilicet an reformatio Sanctiſſimi D. N. Greg. XIII. in vſuris exercendis includat Iudæos prædictos ciuitatis Sancti Martini, reſpondeo, quòd non. Tum quia illa reformatio ſolum tangit & includit Iudæos Romanæ vrbis, vt colligitur ex ea. Tum quia à ſeparatis non fit illatio, [k] nec pactum perſonale extenditur ad alios. [l] At literæ confirmationis, reformationis, ſiue reductionis quantitatis vſuræ S. D. N. de ſolis Hebræis banchariis Vrbis Romæ loquuntur: quod colligitur ex relatione eorum, quam fecit Illuſtriſſimus Camerarius Aſcanius, qui ſolum de tangentibus illos loquitur; & ex relatione illorum, quam fecit Illuſtriſſimus Cardinalis Vitellotius, qui etiam de ſolis illis egit, vt patet ex illis verbis eius, *dictis Hebræis banchariis*, bis repetitis. At Hebræi bancharij Sancti Martini non ſunt Hebræi bancharij Romæ; ergo ex contentis in d. literis non debet inferri ad eos.

3 Tum quia diſpoſitio declarans, interpretans, & confirmans aliam, debet intelligi ſecundum terminos diſpoſitionis declaratæ, interpretatæ, & confirmatæ, iuxta gloſſam quæ habetur pro ſingulari ibi à Cardinali. [a] Tum quia præfata confirmatio loquitur de Iudæis commorantibus Romæ, & intra ſtatum Eccleſiaſticum; & ciuitas Sancti Martini eſt ſita extra illum: & multa poſſunt occurrere, vt prædicta reformatio debuerit potius fieri in banchariis Romæ, quàm in banchariis Sancti Martini; & ideo non eſt ad illos extendenda, argumento cap. *ad audientiam.* [b] Tum quia præfata reformatio non videtur ligare Iudæos Auenioni commorantes, & fœnus ibi exercentes, etiam ſi Comitatus Auenionis ſit Papæ immediatè ſubiectus: ergo à fortiori non ligabit Iudæos ciuitatis Sancti Martini, quæ non eſt ei ſubiecta immediatè, nec mediatè. Tum quia non obſtat, quod verba Gregorij generaliter loquuntur de Hebræis, & banchariis; quia ſimul ponuntur verba confirmationis, & reductionis; & confirmatio expreſsè refertur ad capitula relationis Vitellotij, quæ ſolùm tangunt Hebræos bancharios Romæ; & ita etiam reductio debet ad eoſdem referri: vna enim pars diſpoſitionis declaratur per alteram. [c]

4 Tum quia ſicut priuilegium conceſſum perſonæ non egreditur illam, [d] ſic maiore ratione onus impoſitum perſonæ non egreditur perſonam, argum. cap. *odia.* [e] & l. 1. [f] habet, conſtitutionem, qua Princeps irrogat pœnam vni, non extendi ad alium. Ergo reductio præfata Hebræis banchariis Romæ, quæ onerosa eſt, non extenditur ad bancharios Sancti Martini. Tum denique, quod non obſtat cap. *miramur.* cum ſimilibus, [g] cap. *in cauſis.* [h] quæ habent, diſpoſitum quo ad aliquos, cenſeri diſpoſitum quo ad alios: quia illud eſt verum in diſpoſitione iuris communis, & vbi eadem ratio inuenitur, non autem in diſpoſitione priuilegij, vel oneris perſonalis, vt annotauit gloſſa, [i] & præfata reductio eſt quædam diſpoſitio præter ius commune grauans certas perſonas particulares.

5 AD SECVNDAM, an ſcilicet per licentiam Illuſtriſſimi Camerarij poſſit bancharius Hebræus Sancti Martini mutuare omnibus Chriſtianis, etiam alienigenis; Reſpondetur, quòd ſic. Tum quia præfatus Illuſtriſſimus Camerarius non ſolum generali & indefinito verbo, ſed vniuerſali concedit facultatem mutuandi, dicendo, *quibuſuis perſonis ad vos recurrentibus.* & vniuerſalia verba vniuerſaliter ſunt intelligenda, [k] & latius quam tantùm generaliter dicta, iuxta gloſſam celebrem. [l] Tum quia nihil obſtat dicere, quod videtur facta conceſſio contemplatione indigenarum Sancti Martini; quinimmo facta fuit ad petitionem Hebræorum Sancti Martini, & commodum Chriſtianorum generaliter ſine vlla reſtrictione; & ita eſt intelligenda generaliter. [m]

6 AD TERTIAM, ſcilicet, an præfatus Illuſtriſſimus P. poſſit conuenire cum præfatis Hebręis, vt carius mutuent extraneis, quàm indigenis, reſpondetur, quod licet de rigore iuris videatur id poſſe defendi, non tamen videtur conſulendum eius Illuſtriſſimæ Dominationi, vt id faciat. Tum quia hæc facultas tolerandi Iudæos exercentes vſuras, & per eas prementes Chriſtianos, eſt ſatis extranea Chriſtianis dogmatibus, & moribus, & merito deberet reſtringi. [n] Tum quod ex facultate mutuandi ſub maioribus vſuris extraneis, poſſet dari occaſio, vt difficilius & ægrius mutuarent indigenis ſub minoribus, quod nocere poſſet indigenis; ideoque cauẽdum, cùm ipſi ſint, ceteris paribus, magis diligendi, [o] & in hac materia magis fauendi. [p] Tum quia daretur occaſio multis ſuſpicandi quod ipſe concedit eis facultatẽ carius mutuandi alienigenis, vt aliqua munera, vel ſeruitia vtilia faciant ei de more ſuo; quod haberet magnam ſpeciem mali.

7 Nam licet tolerantia exercitij vſurarij, quod eſt contra legem naturalem, & diuinam, tam veterem, quam nouam, vtcumque ad euitanda maiora mala tolerari poſſit abſque peccato non participando in lucro; non tamen poteſt id fieri participando in illo, vt poſt Caietanum tradimus etiam nos in Manu. conf. [q]

AD QVARTAM ſatis reſpondet ſolutio tertiæ quæſtionis: & rem Chriſtianam, ſeque valde dignam faceret eius Dominatio Illuſtriſſima aliquo modo reducendo vſuras

suorum

a In ſũ. verb. Iudæi. q. 4. & qu. 5.
b In ver. vſura 9 §. 5.
c De vſuris.
d Eod. tit. li. 6.
e Eod. tit. in antiq.
f Cap. propoſuit. de cõceſ. preb.
g Cap. denique. 4. di. & c. non poteſt. 2. q. 7.
h In li. de ord.
i 2. 2. q. 10. a. 11.
k Le. Papinianus ff. de minorib.
l Leg. iuris gẽtiũ. § pactum ff de pactis & c. de cætero. de tranſact.

a In cle. pen. in verb. conſuetudine. de elect.
b De decim.
c Leg. 1. ff. de reb. dub.
d Cap. priuilegium. de reg. iur. lib. 6. & l. in omnibus cauſis ff. eodẽ.
e De reg. iur. lib. 6.
f In fi. ff. de cõſtit. princip.
g 61. diſtinct.
h De re iudi.
i Præfati ca. priuilegium.
k Cap. ſolitæ. ver. quodcũque. de maio. & obed.
l In cle. 1. ver. quauis. de re iud.
m Argu. l. de pretio. ff. de public. in rem actio.
n Arg. c. quæ à iure. de reg. lib. 6.
o Arg l. vt patriæ. ff. de iuſt. & iur.
p Arg. c. 1. de vſur. lib. 6.
q Cap 17. nu. 195.

suorum Hebræorum, ad quas S. D. N. reduxit vsuras Hebræorum Romanorum, iuxta illud Baldi. [a] *A boue maiore discat arare minor.*

*Nota, id quod ait Auctor in num. 1. de tolerantia, seu permissione, intelligendum de simplici, quæ consistit in non puniendo, vt etiam videtur sentire ipsemet Auctor hic num. 7.*

a In c. in causis. de re iudi.

## DE CRIMINE FALSI.

### SVMMARIVM.

1 *Mendax non est, qui per additionem mentalem supplet exteriori loquutioni id. sine quo esset mendax.*

2 *Mendacium aliàs de se non mortale per solam circumstantiam iudicialem non efficitur mortale, nisi alia addatur circumstantia, puta periurij, damni notabilis, vel iniustæ inobedientiæ contra legem aliquam ad id obligantem.*

### CONSILIVM I.

IN Man. [b] in fine habetur, nullum mendacium esse mortale, eo quod in iudicio interiori vel exteriori dicatur, quod extra illud dictum tale non esset. Hoc nedum videtur esse contrarium D. Thomæ, sed etiam contra communem. Nam si interrogatus ego extra iudicium de aliquo notabili crimine à me commisso, ab eo qui non est iudex, negarem veritatem, non peccarem mortaliter, vt habetur in eod. Man. [c] secus autem, si in iudicio iudici seruato iuris ordine procedenti & interroganti negarem veritatem.

1 Dico primo, quod in cap. 12. [d] non tracto ego de aliquo mendacio, an sit peccatum, necne, sed de responsione verbali, quæ desinit esse falsa propter mentalem additionem, & cap. 18. [e] tracto de mendacio: & ita illa loca nullatenus sibi opponuntur.

2 Secundo dico, quod id quod putor dicere d. cap. 12. [f] dico in d. cap. 18. [g] videlicet quod reus interrogatus à iudice competente, ordine iuris seruato, peccat mortaliter negando suum crimen.

Tertio dico, quod illa loca non sunt contraria: quoniam id quod dixi d. cap. 18. [h] videlicet nullum mendacium dictum in iudicio esse mortale, quod dictum extra iudicium non esset tale, intelligendum est formaliter, videlicet quod eo solo, quod dicitur in iudicio, non fit mortale: & ita non negat, quod alia ratione non possit fieri tale, vt in casu, qui determinatur in d. cap. 18. [i] statim enim dicitur, quod si est iuratum, vel notabiliter damnosum, est mortale, at in casu proposito alia tria concurrunt, propter quæ illud mendacium fit mortale, puta iuramentum, quod reus præstat de dicenda veritate, & quod lex diuina & humana obligant dicere illam veritatem in illo casu, & quod fit notabile damnum accusatori propter pœnam talionis, [k] vel Reipublicæ, cuius notabiliter interest crimina puniri. [l]

b Cap. 18. n. 3.
c Ca. 12. n. 87.
d Num. 87.
e Nu. 3. sub fi.
f Nume. 87.
g Num. 57.
h Nu. 3. sub fi.
i Num. 87.
k Cap. quisquis. c. qui crimen. 2. q. 8.
l Le. ita vulneratus. ff. ad l. Aquil. c. vt fama. de sen. excom.

### SVMMARIVM.

1 *Falsus subreptitiusve non est, qui simpliciter dicit aliquid esse verum, licet id pro indubitato non habeat, modo putet id esse magis verum, quàm contrarium.*

1 *Mendax seu falsus non est simpliciter affirmans esse verum, quod solum opinatur.*

2 *Fides & indubia persuasio producitur à motiuo aliquo simul, & libera voluntate: vnde qui habet aliquod motiuum, potest, si vult, id quod opinatur firmiter credere, & sibi persuadere.*

2 *Credendi aliquid cum adest aliquod motiuum, potest quis sua libera voluntate id firmiter credere, & indubiè persuadere.*

3 *Mandatarium aliquid de iis, quæ nec sine labore, nec sine expensis fiunt, non fecisse credere potest mandans, si mandatarius multo tẽpore post tacuit; quia si fecisset, expensam illam & laboris mercedem petiisset.*

### CONSILIVM II.

CONFESSARIVS mihi asserenti, sicuti quidam amicus meus mihi dixerat, quod poteram deponere scrupulum conceptum in quodam negotio, respondit me posse acquiescere. Nunc oritur nouus scrupulus: quandoquidem etsi magis credam amicum meum prædictum ita dixisse, attamen non sum certus. Ideo quæro, an possim scrupulum deponere.

Respondeo primò, quod subtilis & ingeniosa est hæc interrogatio, & cui fortè non respondissem, nisi me ad id au- A ctoritas interrogantis coëgisset.

1 Secundo respondetur affirmatiuè, quod potest deponere scrupulum. Tum quia ex parte interrogantis nulla fuit facta surreptio exprimendo aliquod falsum, vel tacendo aliquod verum necessario exprimendum: quia qui dicit simpliciter aliquid esse verum, non censetur dicere, ita credere illud esse verum, quod habet pro indubitato, sed solùm, quod putat id esse verum: & qui magis putat, & inclinat aliquid esse verum, quàm contrarium, videtur dicere se putare id esse verum, & sic nullum falsum exprimit, neque tacet verum necessario exprimendum: nam, vt diximus nos in Manu. nostro confess. [a] aliud est scire, & aliud credere firmiter, aliud opinari, & aliud B dubitare: & qui putat verius esse aliquid, quàm contrarium eius, licet non sciat, neque firmiter credat, opinatur tamen, & sufficit opinio, qua magis putat aliquid esse verum, quàm contrarium: quia, vt traditur in locis prædictis, qui dubitat, non inclinat magis in vnam partem, quàm in aliam. Tum quia consulens, qui consulit alicui posse scrupulum deponere, eo quòd dixit sibi esse aliquid dictum, non solum videtur consulere in casu, quo firmiter credat ita esse, & in quo proculdubio ita res se habeat, sed etiam si opinetur ita esse, siue quod idem est, magis putet esse verum, quàm contrarium.

a Cap. 27. nu. 279.

2 Tum quia in lib. posteriorum Aristotelis tam ipse, quam commentatores eius docent, quod fides & indubia persuasio producitur à motiuo & libera voluntate; & ita qui habet opi- C nionem ob aliquod motiuum, potest facile, si vult, firmiter illud credere: & ita dominus consulens potest, si vellet, credere firmiter id, quod opinatur.

3 Tum denique, quod dominus consulens potest deponere prædictum scrupulum, etiam si non opinaretur amicum illum sibi dixisse contentum in informatione, propterea quod ignorat rogatos fecisse aliquid de rogatis ab eo; & quod nihil soluit eis, & tanto tempore remansit in illa bona fide credendi nihil per rogatum eius factum fuisse; & quod facile credere potest, quòd si aliquid fuisset impensum pro ipso, vel in patiendo labores, fuisset petita solutio. Itaque mea sententia D. consulens sine scrupulo potest præfatum scrupulum D deponere.

### SVMMARIVM.

1 *Iurisdictionem qui vsurpat, peccat mortaliter.*

1 *Affirmans pro certo id, quod nescit esse tale, peccat.*

1 *Testimonium idoneitatis qui dat de aliquo, quem sufficienter pro tali non nouit, etiam quod talem esse ab aliquo audiuerit, peccat: pro quo tamen delicto certa non reperitur statuta pœna.*

1 *Occasionem lædendi dare est peccatum.*

### CONSILIVM III.

E VICARIVS foraneus scripsit, vel signauit scriptam quamdam schedam, quæ continebat, Angelum esse idoneum beneficio simplici, & canonicatu ob relationem cuiusdam doctoris: & quod nouerat puerum siue adolescentem discentem grammaticam, nesciens tamen quantum didicisset: & quia nouit eum mansisse Romæ 10. annos studendo, vt ipse putabat, sed nesciebat. Quæritur, quantum peccauerit, & in quam pœnam incurrerit.

1 Respondeo eum peccasse: quia videtur vsurpasse iurisdictionem alienam, scilicet vicarij generalis, non appellando se foraneum; & vsurpatio iurisdictionis inter mortales culpas numeratur à S. Thoma. [b] Tum quia affirmauit pro certo quod ignorabat esse tale, contra 8. præceptum Decalogi, & F contra l. *de quare.* [c] Tum quia nimis facile credidit prædicto doctori in re, quæ posset præiudicare proximo, contra cap. *innocens.* [d] Tum quia occasionem lædendi remp. & proximum dedit, contra cap. vlt. [e] Sed non memini aliquem textum authenticum, per quem vlla pœna præter culpam peccati ipso iure imponatur ei. Salua, &c.

b 2. 2. q. 60. a. 6.
c ff. de iud. & c. 1. de crimin. fals.
d 22. quæ. 2.
e De iniurijs.

### SVMMARIVM.

1 *Eleemosynam pro certo genere personarum petens, & sibi retinens peccat mentiendo, & alteri debitum retinendo: at si petat pro pauperibus in genere, quorum ipse vnus est, nullum peccatum committit, licet non exprimat se pauperem esse.*

2 *Falsum dicere nemini, verum autem tacere sine alterius detrimento, licet.*

CONSI

## CONSILIVM IIII.

ALIQVÆ pauperes mulieres ſimulant ſe petere eleemoſynam pro aliqua paupere puella,& quod inueniunt retinent in ſui neceſſariam ſuſtentationem. Dubitatur,an ſint omnino cogendæ vt deſiſtant, & an ſit deneganda abſolutio, ni deſiſtant,vel proponant deſiſtere.

1 Reſpondeo,quòd mulier pauper,quæ pro alia certa paupere acciperet eleemoſynam, animo eam ſibi retinendi, bis peccaret, mentiendo, & rem alteri debitam retinendo: quæ verò peteret & acciperet pro paupere verbo generali, cuius appellatione ipſa quoque contineretur, animo quærendi & retinendi ſibi, non peccaret,argum.cap. *ne quis.* [a]

a 22.quæſt.2.

2 Quod pro vtroque dicto facit,quatenus habet nemini licere falſum dicere, ſed verum tacere abſque alterius præiudicio ſic. Quare prior non videtur abſoluenda, niſi deſiſtat, poſterior verò ſic.

### *SVMMARIVM.*

*1 Falſum deponens teſtimonium peccat peccatum irreligioſitatis; & ſi tendit in alterius damnum, tenetur reuocare ante ſententiam, ſi eius reuocatio in aliquo poteſt prodeſſe, itemque & damnum reſtituere, num. 2. quo reſtituto non tenetur ſe infamãdo dictum ſuum reuocare, niſi ex eodem aliud nouum damnum timeretur oriri.num.3.*

## CONSILIVM V.

N. Quædam falſa teſtatus fuit, in quo tamen neminem læſit. Quæritur primo ad quid teneatur. Secundo, ſi teſtando falſum læſerit, & læſionem reſtituerit, an ad aliud teneatur.

1 AD PRIOREM QVÆSTIONEM reſpondeo primo, teſtem, qui ſuo falſo teſtimonio non damnificauit proximum, peccaſſe quidem peccatum contrarium virtuti religionis,quod S.Thomas vocat irreligionem,[b] non autem contra iuſtitiam,vt ex eodem S.Thoma, [c] colligitur.

2 Secundo,quod cum ſolus tranſgreſſor legis veræ iuſtitiæ obligetur ad reſtitutionem, quia reſtitutio eſt actus veræ iuſtitiæ, & propriè commutatiuæ ſecundum eumdem S.Thomam., [d] & latius tradimus nos in Manu. confeſſ. [e] Vnde peccatum contra caritatem, & alias virtutes non obligat ad reſtituendum ſecundum communem ſententiam eorum, quos citauimus, [f] conſequitur huiuſmodi teſtem ad nullam reſtitutionem teneri, & conſequenter poſſe verè pœnitere peccati, quod commiſit contra virtutem religionis transgrediendo ſecundum præceptum Decalogi,& abſolui, impoſita pœnitentia ſalutari.

b 2.2.qu.92. in prin.& 97. in prin.
c In ead.2.2. q.7.ar.4.
d In ead.2.2. qu.62.art.1.
e Ca.17.n.6.
f In d.c.17.n. 11.

AD ALTERAM quæſtionem reſpondeo primo,quod teſtis,qui dicit falſum teſtimonium in damnum proximi, tenetur reuocare ſuum dictum, antequam feratur ſententia, & exequatur, ſi ſaltem debilitando ſuum teſtimonium falſum poteſt ei prodeſſe in toto,vel in parte, vt nos tradimus in noſtro Manu. confeſſ. [g] & colligitur ex vtroque Thoma, [h] & ex adnotatis in cap. *præterea.* [i] & faciendo hoc excuſat ſe à bona parte obligationis reſtituendi,eo quod hac via diminuit damnum,quod aliàs datum fuiſſet per ſuum teſtimonium.

g Cap.25.nu. 40.
h 2.2.qu 70. art.4.
i De teſtibus.

3 Secundo,quod quæſtio proponitur de illo, qui reſtituit damnum illatum: & loquendo de tali teſte damnificante, & reſtituente damnum, certum eſt, quod ſufficit ei pœnitere peccati, & nulla lege tenetur ad reuocandum ſuum dictum, neque ad infamandum ſe, niſi probabiliter crederet, quod aliud nouum damnum oriretur ex eo: quia ſicut peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum, ita reſtituto ablato cum debita contritione remittitur,vt notatur in c.*peccatum,* [k] & alibi ſæpe. Salua,&c.

h De reg.iur, lib.6.

### *SVMMARIVM.*

*1 Mutare ſibi nomen & cognomen ſine fraude, niſi ſit ſeruus, cuilibet licet propria, etſi magis expediat id fieri publica auctoritate.*

## CONSILIVM VI.

QVÆSITVM eſt, an liceat cuiuis mutare ſibi nomen.

1 Reſpondeo,quod ſic,per l.1.ad hoc expreſſam. [l] quæ habet, ſicut nominis,prænominis, vel cognominis aſſumptio à principio cuique priuato eſt libera,ita & poſtea ſine fraude & præiudicio alterius illius mutationem fieri licere; niſi eſſet ſeruus,vt in eadem lege exprimitur, vel niſi ad fraudandum, aut damnificandum creditores,vel alios,id faceret,de quo loquitur l. *falſi.* [a] vt vtriuſque legis gloſſa recepta declarat, & Bartholus,[b] vbi expreſsè ait id poſſe facere quem propria auctoritate: ſed longè melius eſſet mutare cum auctoritate Epiſcopi, vel Regis,vel gubernatoris, vt nemo decipi poſſit, & vt ipſe euitaret periculum falſi, & præſumptionis fraudis, quæ contra ipſum concipi poſſet, ſi inueniretur aliquis contractus, quo ipſe conſtitueretur debitor ante illam mutationem,& poſt illam non poſſet inueniri ob illam;& etiam prodeſſet conſcientiæ ad euitandum periculum tentationis negandi ea,quæ feciſſet ante illam,&c.

i C.de mutatione nomini.
a ff. ad legem Corneliam de fal.
b In proœmi. ff.vete. §. nos vero.

## DE SORTILEGIIS.

### *SVMMARIVM.*

*1 Proteſtatio agentis ſuperſtitioſa re ipſa non ſufficit ad excuſandum à peccato.num.4.& 8.*

*1 Futurorum etiam contingentium præcognitionem licebat olim à Prophetis exquirere,etiamſi eſſent temporalia;modo eſſent vtilia:hodie tamen à talibus eſt abſtinendum: quamuis nemo prohibendus ſit,ceſſante omni vana obſeruantia, à Deo temporalium valde vtilium reuelationem petere.num.6. & 4.*

*2 Futura ſcire qui deſiderat, non peccat,modo non deſideret ſcire à quo non debet,vel modo indebito. num.7.*

*3 Cognitio intellectiua,vt eſt etiam notitia futurorum, eſt bona, & poteſt addiſci,modo nolimus addiſcere à quo non debemus vel modo quo non debemus.num.7.*

*4 Deum ſolum rogare expreſſe intendens ſuper aliqua re,ſi adhibeat vana,tacite à dæmone illam exquirere videtur.*

*5 Vana qui ſanctis orationibus immiſcet, cenſetur credere, quod niſi illa etiam addantur,effectus ſperatus non ſequetur.*

*8 Negromantici, nec alij ſuperſtitioſi, modo non peruenerint ad concipiendam hæreſim, non excommunicantur per bullam Cœnæ Gregorij xiij.*

*8 Superſtitioſa oratione ad aliquid impetrandum vtens, ſi id auctoritate ſuperioris innixus faciat, à peccato poteſt excuſari. Item ſi putabat eſſe vanam,nec effectum ſperabat,ſolum venialiter peccat, at ſi putabat eſſe vtilem ad obtinendum id quod obtinere ſperabat,ſciebatque ei admiſceri vana,difficile à peccato mortali poteſt excuſari.*

## CONSILIVM I.

QVIDAM ſacerdos, præmiſſa proteſtatione, quod dæmones conſulere non intendebat, & deſiderans per ſomnia, natiuitate inſpecta, futura ſcire à Deo,ante cubitum candelam benedictam manu tenendo, orationes aliquas recitabat,vana aliqua interponendo, orando per pulchrum viridarium,per palatium delectabile,per aquam currentem, & ignem vrentem.Dubitatur primo,an incurrerit excommunicationem per bullam Cœnæ.Secundo an peccauerit.

1 Quod prædictus ſacerdos non admittat vllam ſuperſtitionem,neque aliud peccatum faciendo ſupradicta, facit primo, quod in veteri Teſtamento licebat adire Prophetas ſuper rebus futuris, etiam contingenter, & non neceſſario venturis. [c]

2 Secundo, quod deſiderare ſcire futura non videtur eſſe peccatum; cum Daniel, [d] vehementiſſime deſideraſſet ſcire tempus aduentus Meſſiæ.

c 1.Reg.ca.9. & 4.Reg.c.1.
d Cap.9.

Tertio,quod cognitio rerum, ſiue ſcientia,eſt actus intellectus; & cognitio intellectiua ex ſe non eſt mala, ſecundum Ariſtotelem, [e] & S.Auguſtinum, [f] dicentem, *Quis audeat dicere diſciplinam eſſe malam?* & rurſus, *Nullo modo dixerim aliquam intelligentiam eſſe malam.* ergo velle ſcire futura non videtur eſſe peccatum.

e 2.Ethico.
f In li. de lib. arbit.

Quarto,Deus ſolet inſtruere homines per ſomnia,[g] immo & viri ſancti interpretati ſunt ſomnia aliorum ſignificare talia & talia futura, vt Iacob, [h] & Ioſeph, [i] & Daniel, [k] ergo prædictus ſacerdos volens ſcire non à dæmone,ſed à Deo futura per ſomnia,non peccauit.

g Iob.33.
h Geneſ.37.
i Geneſ.40.
k 2.& 4.

5 His tamen non obſtantibus, contrarium videtur dicendum. Primo quidem, quod cognitio futurorum, quæ non pendent ab aliqua cauſa naturali, vel diuinitus inſtituta, eſt reſeruata Deo, iuxta illud. [l] *Annunciate nobis ventura, &*

l Iſai.cap.41.

dicemus

*dicemus quod Dij estis vos.* vitium enim curiositatis est velle scire quæ ad ipsum non pertinent, vt declarat S. Thomas.[a]

4 Secundo, quod licet Deus propter suam infinitam bonitatem reuelauerit multa etiam in nouo Testamento per somnia, vt ter in [b] Matthæo tamen non legitur sanctos viros rogasse obnixè Deum, vt eis futura reuelaret, nisi cum instaret magna necessitas, vel vtilitas id faciendi, qualis non vrget prædictum sacerdotem ad quærenda ea, quæ quærit scire per somnia.

Tertio, quòd licet quis nolit expresse scire aliquid ignotum à dæmone, sed solùm à Deo; si tamen illa petit à sua maiestate obseruando aliqua vana, id est, quæ non habent naturalem virtutem, nec ab Ecclesia Catholica instituta, videtur tacitè illa petere à dæmone, vt resoluit vterque Thomas.[c]

5 Quarto, quod licet omnia fere verba prædictæ orationis huius sacerdotis sint bona, & sancta, & ad Deum ipsum directa; illa tamen, *per aquam currentem, & ignem vrentem,* non sunt talia, neque illa, *per pulchrum viridarium, vel palatium delectabile,* immo videntur continere vanitatem, quoniam non habent vllam virtutem naturalem, neque ab Ecclesia institutam ad prænoscendum futura.

Quinto, quod obseruatio etiam illa, vt prædicta oratio dicatur ante cubitum, & cum candela benedicta, videtur esse vana; quia neque sua natura, neque ex Ecclesiæ institutione habent ea vim impetrandi reuelationem; & prædictus sacerdos videtur credere, quod nisi obseruentur illa, non obtinebitur euentus desideratus, & obseruatis illis sic; quæ vana fides est.

Sexto, quod etiam vrgere videtur Deum omnipotentem, vt reuelationem faciat in somniis, & noctu: & quod illæ literæ, per quas scribitur nomen Domini Hebraicè, parum videntur facere ad rem ad mouendum Deum omni lingua laudandum, & benedicendum.

6 Non obstant citata in contrarium. Ad primum enim respondetur, quod in veteri Testamento permittebatur adire homines prophetas ad sciendum quædam temporalia ignota, vtilia, præsentia, & futura: quia per illud promittebantur terrena temporalia: in nouo autem, quo promittuntur spiritualia, nullum medium institutum est ad adeundum homines ad prænoscendum talia temporalia; & ideo oportet ab eis abstinere, vt expressè respondet S. Thomas, [d] quod etiam ibi tenet Caietanus & antea sensit Gratianus, [e] quamuis nec illi damnant expressè, nec debent damnare illum, qui sine aliqua vana obseruantia peteret à Deo reuelari sibi aliquid valde necessarium, vel valde vtile sibi, vel Ecclesiæ, vel Reipublicæ, iuxta illud. [f] *Quodcumque petieritis Patrem meum in nomine meo, hoc faciam.*

7 Ad secundum, concedendo, quod desiderare scire futura non est per se peccatum; sed desiderare illa scire ab eo, à quo non debet, puta à dæmone, vel etiam à Deo modo indebito, peccatum est: & prædictus sacerdos vult illa præscire à Deo, sed modo indebito, seruando quædam vana, quibus statim se immiscet dæmon: & ita vult habère societatem cum illo, quod valde vetitum est.

Ad tertium, concedendo, quod cognitio rerum præsentium vel futurarum non est de se mala, neque velle illam discere ab eo, à quo debet, & eo modo quo debet: negando tamen, quod velle discere expresse à dæmone, vel tacitè obseruando quædam vana, quæ neque à natura, neque ab Ecclesia ad id instituta sunt, non sit peccatum, per prædicta.

Ad quartum, concedo omnia, quæ assumuntur in argumento, & quod probant id, quod iam dictum est, nempe, quod non est peccatum velle scire, nulla vanitate immixta, à Deo ipso per modum sibi placitum; quamuis ipsum restringere ad hoc, vt reuelet per somnia, aliquid indecentiæ habet.

An autem is sacerdos peccauerit mortaliter, vtendo prædicta oratione, & an sit excommunicatus bulla Cœnæ Domini, an solum venialiter peccet, quæstio maior est. Ad quam respondeo primo, quod non incidit in bullam Cœnæ S. D. N. Gregorij XIII. quia ipse in ea non excommunicat necromanticos, nec alios superstitiosos, qui non sunt hæretici, siue qui non peruenerunt ad concipiendum hæresim, vt constat in ea.

Secundo, quod si prædictus sacerdos vsus est prædicta oratione ductus auctoritate superioris, potest dici esse excusatus à peccato, vt determinat Caietanus.[g] Si autem vsus est illa, putans esse vanum, quod faciebat, & non sperabat euentum suæ orationis, nisi à casu solùm, peccauit venialiter: si autem putabat esse vanum quod faciebat, sed vtile, sperando effectum suæ orationis, difficile excusabitur etiam à mortali, nisi per iustam ignorantiam: quia sciebat, vel scire curare debebat ab aliquo sapiente, an liceret id, ad quod sunt scripta multa decreta aggregata per Gratianum.[a] Salua, &c.

a 2.2. q. 167. art. 1. & 2.
b Cap. 2.
c 2.2. q. 95. a. 2.
d In d. qu. 95. art. 2.
e Ca. sors. 26. quæst. 2.
f Ioan. ca. 16.
g 2.2. qu. 95. art. 2.
a 26. q. 1. 2. 3. 4. 5. & 6.

### SVMMARIVM.

1 *Hominem occidere ad esum, etiam ob necessitatem extremam famis, non licet; an autem iam mortui carnibus vesci liceat, non est ita certum.*

1 *Humana carne ad medicinas conficiendas vti nobis sine alio priuilegio vel licentia licere, non videtur ita certum: vnde prudentis erit impetrare à Pontifice facultatem.*

## CONSILIVM II.

AN liceat efficere puluerem ex cerebro hominis talis qualitatis contra morbum caducum, vel alium grauissimum?

1 Hæc quæstio præsupponit alteram maiorem, nempe an liceat carnibus & ossibus humanis vti ad conseruandum vel medicandum hominem fame maximè laborantem, vel ægritudine alia incurabili: & ni fallor, nullus est canon, nullumque cap. in toto corpore iuris Pontificij, neque Cæsarei, quod hanc quæstionem satis determinet. Sed neque antiquiores doctores videntur hoc satis tractasse: quamuis definierint non licere carnibus humanis vesci, & damnarint Anthropophagos, qui eis vescuntur. Sed an in extrema necessitate id liceat Christianis, non aperiunt; quamuis 4. Regum 6. videantur damnari mulieres, quæ pressæ extrema necessitate pepigerunt, vt filios suos comederent. Sed aliud est occidere alium, vt eius carnibus se alioquin periturum sustentet, quod certum est non licere; aliud carnibus à Deo vel ab hominibus occisorum vesci ad necessariam sustentationem, quod quæstio hæc continet. Pro cuius parte affirmante facit cap. 28. Deuter. & 19. Hierem. quæ videntur significare licere obsessis fame vltima pressis edere carnes filiorum: quamuis responderi possit etiam illa loqui de occidentibus filios ad vescendum eis, & praxis totius orbis Christiani habet tradere cadauera hominum necatorum medicis, & chirurgis ad anatomias faciendas, licet de hoc subdubitauerit Bartholus.[b] Ad quam quæstionem, quæ grauissima & rarissima est, decidendam non est in præsentia nobis otium idoneum. Sed arbitror licere conficere pulueres prædictos, si licet vesci carnibus humanis in extrema necessitate ad se sustentandum, & ossibus & adipe ad medicandum: quod an priuilegio, vel licentia particulari liceat medicis, & chirurgis, & pharmacopolis, quos audio eis vti, melius ipsi nouerunt, & ad eos recurri potest. Sed & prouidè videbitur facturus D. consulens, si à S. D. N. facultatem humiliter petierit ad faciendos prædictos pulueres ob grauissimam, quæ occurrerit ei, necessitatem.

b In l. fi. de cadauer. punit.

## DE CLERICO EXCOMMVNICATO, DEPOSITO VEL INTERDICTO ministrante.

### SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus, non solum si celebret, sed etiam si auctorizando, vel quasi, etiamsi sit rector parochialis ecclesiæ, faciat coram se celebrari, est irregularis; secus, si simpliciter sacrum audiat.*

2 *Parochialis ecclesiæ rector habet quidem iurisdictionem in foro animæ, sed non in foro exteriori, vt Episcopi: vnde si, cum sit excommunicatus, facit coram se celebrari, plus peccat, quam Episcopus.*

## CONSILIVM I.

1 CERTVM est excommunicatum missando fieri irregularem, & etiam faciendo auctoritatiuè missare, iuxta glossam singularē,[c] & cap. *illud.* [d] quatenus probat Episcopū excommunicatum facientem auctoritatiuè coram se celebrare fieri irregularem, vt annotauit Panormitanus communiter receptus ibi & Bonifacius de Vitall. Rotæ Auditor clarissimus, quatenus colligit ex glossa prædicta, quod excommunicatus faciens celebrare coram se fit irregularis, & Cardinalis, [e] dicit tria distincta esse excommuni-

c In cle. Archiepiscop. de priuileg. ver. celebrari.
d De clerico excom. minis.
e Ibidem notab. 6. qu. 9.

catum

catum celebrare, & facere celebrare quasi auctorizando, & simpliciter audire diuina officia; & quod faciens duo priora est irregularis, idem tenet Archidiaconus, [a] præsertim quod is, de quo quæritur, est Prior & rector eiusdem ecclesiæ principalis parochialis, qui cum esset excommunicatus à Papa, & denunciatus, ante absolutionem fecit coram se & toto populo celebrari Missas, & alia diuina officia.

a *In cap. 1. de sen. excom. li. 6.*

2 Et Ioannes Monachus videtur exæquare quo ad hoc rectores Ecclesiarum parochialium aliis prælatis, [b] dicens eos esse iudices in foro animæ. Et neruose facit, quod plus peccat, qui carens iurisdictione in foro exteriori audet quasi auctorizando facere celebrare coram se, quàm Episcopus, qui habet iurisdictionem in vtroque foro, si id facit: & constat per præfatum cap. *illud.* Episcopum excommunicatum id facientem fieri irregularem, vt prædictum est.

b *In c. 1. de sẽ. excom. lib. 6. num. 5.*

*SVMMARIVM.*

1 *Irregularitatem effugit excommunicatus, qui probabiliter ignorans se talem, celebrat; secus, si ignorantia non sit probabilis; & multo minus, si sit affectata.*

## CONSILIVM II.

CVM certum sit, eum qui probabiliter ignorat se esse excommunicatum, non incurrere irregularitatem celebrando; eum autem qui crassa & supina ignorantia excommunicatus celebrat, incurrere illam, vt est casus expressus in cap. *illud.* [c] Quæritur primo, quid si ignorantia esset affectata.

1 Respondeo, quod illa non excusat magis, quam crassa, & supina, immo minus: quia illa est peior illis, per ea quæ tradimus in Manu. confess. [d]

c *De clerico excom. minis.*

d *Cap. 23. nu. 45. & seq.*

*SVMMARIVM.*

1 *Sciens aut scire debens se excommunicatum, accipiendo sacramentum ordinis, est irregularis; secus, si accipiat sacramentum Eucharistiæ de manu alterius clerici.*

1 *Ordines sacros eo fine, vt possimus exercere diuina officia, at sacramentum Eucharistiæ alio accipimus fine.*

## CONSILIVM III.

QVÆRITVR, an clericus excommunicatus excommunicatione maiore, sciens aut scire debens se talem, non celebrando, sed simpliciter ab alio clerico suscipiendo sacramentum Eucharistiæ, sit irregularis. Et videtur quod sic: quia excommunicatus modo prædicto, qui accipit sacramentum ordinis, est irregularis, vt notatur per Dominationem vestram in suo Man. super irregularitate ex delicto accipiendi & exercendi male ordines. Contrarium, & quod non sit irregularis accipiens Eucharistiam, videtur, non obstantibus præmissis. Quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus à iure expressis: & licet de accipiente ordinem sit expressum, non tamen de accipiente Eucharistiam. Præterea ij differunt: nam qui accipit ordinem, illum accipit ad effectum, vt possit exercere diuina officia; qui vero accipit Eucharistiam, non recipit illam ad similem effectum. Ideo, &c.

1 ILLVSTRISSIME DOMINE, quia nihil aptius pro vtraque parte huius quæstionis, nec pro solutione oppositorum verè resolutorum Dominationis vestræ adduci potest, libentissimè subscribo ei, vti firmiter fundatæ, & viriliter propugnatæ, quæ tanto magis est notanda, quanto frequentius contingit.

*SVMMARIVM.*

1 *Suspensus à diuinis Episcopus non potest exercere diuina, scilicet actiue per actum suo ordini specialiter deputatum. num. 2. & 4. passiue autem potest, vt posset laicus, puta confiteri, communicare, Missam audire. num. 2. & hoc nedum extra suum Episcopatum, sed etiam in eo, modo non faciat auctoritatiue coram se celebrari. num. 3. & 4.*

## CONSILIVM IIII.

AN episcopus suspensus à diuinis possit confiteri, & communicare corpori Domini, & audire Missam?

1 Pro parte negatiua facit, quod suspensus à diuinis non potest diuina exercere. [a]

2 Sed pars affirmatiua est tenenda. Tum quia suspensus à diuinis solum prohibetur in officio suo agere sicut prius, vel officium suum exercere sicut prius, vt est textus in cap. 1. [b] & ibi glossa expressa, quæ id notat, [c] & confirmat per cap. *si quis Episcopus.* [d] Tum quia tum demum suspensus à diuinis incurrit irregularitatem, quando exercet aliquem actum ordini suo specialiter deputatum, & sibi per suspensionem prohibitum, secundum Innocentium, [e] communiter receptum ibi, & in cap. 1. [f] & in cap. 1. [g] vbi late resoluit Philippus Francus.

3 Tum quia suspensio, prout specialiter capitur, sicut in casu proposito, pro censura ecclesiastica, definitur esse censura ecclesiastica, qua alicui personæ ecclesiasticæ prohibetur exercitium sui officij, vel beneficij ecclesiastici in totum, vel in partem, vt post alios tradimus nos in Manu. confess. [h] & ita non prohibetur illi quidquam, quod potest vt laicus exercere.

4 Cum ergo confiteri, communicare, & audire Missam, saltem non auctoritatiue eam coram se iubendo celebrari, possit facere vt laicus, non censentur illa ipsi prohibita; & consequenter faciendo illa non peccat, nec quidquam contra suspensionem à diuinis facit. Tum denique quod suspensio à diuinis intelligitur ab eis ex officio exercendis, & non ab eis audiendis, nec suscipiendis, nec aliter, quàm ex officio exercendis per prædicta: quo soluitur argumentum pro parte negatiua formatum. Ex quibus infertur, quod prædictus Episcopus potest audire diuina officia non solum extra suam diœcesim, sed etiam intra eam, & etiam intra ecclesiam cathedralem, vt alius dominus laicus potest simpliciter audire, quamuis non auctoritatiuè eam faciendo celebrari, iuxta gloss. singularem in clem. 2. verb. celebrari. de priuilegiis, &c.

a *Cap. 1. de re iud. li. 6. & c. 1. & c. is cui. de sentent. excõmunicationis eod. lib.*
b *§. fin. de re iud. lib. 6.*
c *Verb. sicut prius.*
d *11. quæst. 3.*
e *In c. fi. de excess. prælat.*
f *§ fi. de re iu. lib. 7.*
g *§. fi. de sent. excommunic. eod. lib.*
h *Ca. 27. nu. 151.*

*SVMMARIVM.*

1 *Prima tonsura cum falsis dimissoriis ab alieno insignitus, & beneficium sumens nec suspensus est, nec irregularis.*

2 *Excommunicatus diuinis interessens, etiam psallendo in choro, non fit irregularis.*

## CONSILIVM V.

QVIDAM laicus effictis literis dimissoriis per se ipsum, & cum his prima tonsura insignitus ab Episcopo Italo impetrauit beneficium. Quæritur, an sit ipso iure suspensus, & factus irregularis propter collationem beneficij.

1 Respondeo, quod nullam incurrit irregularitatem; quia non est vsus actu deputato illi ordini, cum nullus talis sit deputatus ordini primæ tonsuræ, vt satis colligitur ex his quæ dixi in Man. confess. [i] & neque excommunicatus interessens diuinis, etiam psallendo in choro, incurrit irregularitatem; nisi faciat aliquid peculiariter illi ordini deputatum, vt vbi supra. [k]

i *Cap. 27. nu. 171.*

k *Num. 241.*

*SVMMARIVM.*

1 *Illegitimus sine dispensatione, & cum falsis dimissoriis promotus, postea à Pontifice absolutus à dictis excessibus & infamia, cum suspensione ad certum tempus, potest eo transacto, sine alia dispensatione celebrare.*

## CONSILIVM VI.

ILLEGITIMVS ordinatus cum dispensatione ordinari legitimè ad primam tonsuram, & postea cum falsis literis dimissoriis ordinatus ad omnes alios, etiam sacros, & presbyteratus, & postea absolutus ab omnibus illis excessibus, & ab omni nota & infamia ab eos incursa, præmissa suspensione à ministerio altaris in aliquod tempus, an possit vti suis ordinibus lapso tempore suspensionis, & ipsa finita.

1 Respondi, posse: quia nihil obstat ei, quo minus possit; & quia iam ordinatus, & à pœnis & censuris malæ ordinationis absolutus non indiget dispensatione ad vtendum ordinibus, quos suscepit, quosque Papa ratificauit.

*SVMMARIVM.*

1 *Illegitimus irregularis est, sed non suspensus, quia in ipso non est culpa.*

1 *Ordinatus extra tempora, & per saltum, est suspensus, sed non irregularis.*

2 *Irregularis celebrando peccat, sed non fit nouè irregularis.*

3 *Ordinatus extra tempora vel ante ætatem olim non erat suspensus, hodie sic, & num. 6.*

4 *Ordinatus*

4 *Ordinatus sacris extra tempora celebrando fit irregularis.*
5 *Suspensio quid, prout est vera censura, & quid impediat, & semper prouenit ex crimine. & num.6.*
6 *Excommunicatio & suspensio solum ob culpam propriam imponuntur; interdictum vero etiam ob alienam.*
7 *Suspensionis omnis violatio peccatum; sed irregularitatem nisi suspensio sit ab annexis diuinis ordinibus, non inducit.*
8 *Papa solus super irregularitate procedente ex violatione suspensionis dispensat.*
8 *Dispensandi facultas super irregularitate per Concilium Episcopis data, ad eam, qua ob violationem suspensionis incurritur, extenditur.*

## CONSILIVM VII.

ALIAS fuit dubitatum, numquid ordinatus extra tempora, vel illegitimè natus, vel per saltum promotus, & similes celebrando efficiantur irregulares, ita vt soli Romano Pontifici dispensatio reseruetur. In qua dubitatione videndum erit, an ita suspēsus efficiatur irregularis, & posito quod efficiatur irregularis, an talis suspensio & irregularitas dicantur prouenire ex delicto, & tunc an ex delicto occulto, & per consequens cui competat dispensatio. Textus in cap. *cum quidam.*[a] statuit ordinatum extra tempora incidere in suspensionem: Speculatur.[b] *Porro inquit si non sunt suspensi à canone propter crimen, vt illegitimè nati, corpore vitiati, & huiusmodi, celebrando non fiunt irregulares*, dicens ita obseruari in Curia Romana, per quam dispensari consueuit super suspensione, nulla facta irregularitatis mentione: & idem dicit,[c] quam opinionem sequitur Philippus Francus.[d] Ex quibus omnibus colligitur huiusmodi suspensionem non descendere ex crimine, & tali modo suspensum non effici irregularem; etsi vera est doctrina Cardinalis,[e] quod suspensus à canone sententialiter celebrando fiat irregularis, secus autem, quando denunciatiuè, vel alio modo clericus prohibetur in ordine ministrare, iuxta terminos cap.1.[f] & cap.1. *præter hoc.*[g] manifestè liquet, ordinatum extra tempora, vel ante ætatem legitimam celebrando non fieri irregularem: quandoquidem textus,[h] prohibet eo modo ordinatum in eo ordine ministrare. verum concesso quod in ordine ministrando efficiatur irregularis, dubitatur an possit à proprio Episcopo ordinario non ordinante dispensari. & quod in tali casu suspensionis non indigeat dispensatione Apostolica, sed Episcopali, est textus.[i] Stat modo difficultas in irregularitate: irregularitas enim proueniens ex celebratione post suspensionem soli Romano Pontifici reseruatur, vt est textus,[k] quamuis hodie liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus ex delicto prouenientibus dispensare iuxta constitutionem sacri Tridentini Concilij.[l]

AD HAS quæstiones respondeo primum, quòd tam confusè proponuntur, mea sententia, vt paulo minus difficile sit eas distinguere, quàm decidere. Proponuntur enim præsupponendo eodem modo esse respondendum de illegitimo, & de ordinato extra tempora, & per saltum promoto; & quod hi omnes sunt irregulares, & suspensi.

1 Secundo dico, quod illegitimus est quidem irregularis,[m] & tamen non est suspensus: quia nemo suspenditur sine culpa propria: licet enim propter quodlibet peccatum mortale quis possit suspendi aliquo modo, secundum resolutionem Aretini,[n] & etiam aliquando ob veniale, secundum Caietanum,[o] non tamen potest suspendi sine vllo peccato saltem veniali proprio, secundum omnes.

Tertio, quod ordinatus extra tempora iuris est suspensus per extrauagantem *cum ex sacrorum.* Pij II. & tamen non est irregularis, & etiam promotus per saltum, vt diximus in Manual. nostro confess.[p]

2 Quarto, quod irregularis licet grauiter peccet celebrando; non tamen incurrit nouam irregularitatem, eo solo, quod existens irregularis celebret, secundum Innocentium,[q] cuius sententiam definientem de irregulari ob defectum corporalem membrorum, aut legitimationis, aut ob infamiam resultantem ex notorietate criminis extendimus nos in Manual.[r] ad omnes alios irregulares ob identitatem rationis.

3 Quinto, quod cap. *cum quidam.* allegatum in quæstione,[s] non probat ordinatum extra tempora esse ipso iure suspensum, vt tenent ibi Innocentius & Ioannes Andreas, quos refert ibi Antoninus, & probat efficaciter textus,[a] nam neque ordinatus ante legitimam ætatem erat suspensus ipso iure, priusquam fieret prædicta extrauagans, *cum ex sacrorum.* vt probatur in cap. *vel non est compos*,[b] quæ communis sententia est.

a De temp. ordin.
b In titul. de dispensatione. §. iuxta. nu. 23. vers.
c In d. §. iuxta num. 13. vers. item ordinatus. & in eod. tit. in §. nunc de Episcoporum. col. 10. ver. itē prohibetur dispensare.
d In cap. cum medicinalis. de sententia excōmunic. in 6. num. 7.
e In cle. religiosi. ver. caterum. nu. 9. de priuileg.
f De sentent. & re iudic. in 6.
g 32. distinct.
h In cap. cum quidam. cum similibus.
i In c. consultationi. de tē. ordin.
k In ca. cum aeternit. de sent. & re iudic. in 6.
l In c. 6. de reform. sessione 24.
m Cap. 1. & fi. de fil. presb.
n In c. cum nō ab homine. de iudic.
o Verbo suspensio.
p Cap. 25. nu. 71. & c. 27. n. 242.
q In c. si celebrat. nu. 3. de cler. excom.
r Ca. 27. nu. 194.
s De temp. or.

Sexto, quod Speculator in §. *iuxta.* citato in quæstione, multa dicit confusè, quæ nos distinctius tractauimus in d. Man.[c] & quæ dicit in prædicto num. 23. in vers. *porro.* sunt eadem, quæ Innocentius vbi supra melius dixerat. Quare non arbitror multum curandum de ipsius dictis, nisi quatenus probat ea textibus, quos certè ibi aptos allegat, licet parum declaret.

4 Septimo, quod ordinatus extra tempora hodie sine dubio incurrit irregularitatem, si antequam absoluatur à suspensione incursa, ordine accepto vtatur, per prædictam extrauagantem & per cap. 1.[d] & per Innocentium communiter receptum vtrobique.

5 Octauo, quod doctores varie loquuntur in hac materia distinguendo inter suspensionem à Deo, & à lege, vel homine, & inter suspensum quo ad se tantum, vel quo ad se & alios, quæ varietas descendit ex eo quod non constituunt veram & propriam definitionem suspensionis, prout in hac materia accipitur, scilicet quod est censura ecclesiastica, qua alicui personæ ecclesiasticæ prohibetur exercitium sui officij, vel beneficij ecclesiastici in totum, vel in partem, in certum tempus, vel in perpetuum quo ad partem, quam nos dedimus & probauimus in prædicto Man.[e] ex qua ibi intulimus, neque peccatum mortale, neque minorem excommunicationem, immo neque maiorem, neque interdictum, neque irregularitatem esse propriè suspensiones.

6 Nono, quod omnis excommunicatio & suspensio imponuntur propter peccatum proprium, interdictum autem etiam propter alienum; & ita omnis vera suspensio iusta, siue à iure, siue ab homine lata descendit ex crimine, & siue sit occulta, siue publica, impedit vsum illius actus officij ecclesiastici, à quo suspenditur: ita quod peccat mortaliter agendo illum durante suspensione; quia contrauenit obedientia debitæ Ecclesiæ.[f]

7 Decimo, licet omnis violatio suspensionis sit peccatum, non tamen omnis inducit irregularitatem, sed solùm violatio illius, quæ suspendit à diuinis ordini annexis, iuxta Innocentium communiter receptum.[g]

Vndecimo, quod cap. *consultationi.*[h] non probat ordinatum extra tempora suspensum esse ipso iure suspensione propria, sed solùm impropria, quæ descendit ex peccato; licet suspendi posset per sententiam, iuxta cap. *cum quidam.*[i] vt supra dictum est, quãuis hodie per extrauagantem prædictam *cum ex sacrorum.* sit suspensus ipso iure.

8 Duodecimo, quod super irregularitate incursa per violationem censuræ suspensionis solus Papa dispensat iuxta c.1.[k] & ibi Innocentium receptum ab omnibus, nec Cardin.[l] citatus in quæstione voluit dicere aliud.

Decimotertio, quod facultas dispensandi tributa Episcopis per[m] Concilium Tridentinum æquè extenditur ad irregularitates incursas ob violationem suspensionum, ac ob alias causas. Ad quas autem suspensiones non occultas extendatur, longa quæstio est; cuius & etiam præmissorum decisionem ampliorem remitto ad[n] meum Man. hic enim id commodè fieri non potest. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Ordinatus presbyterio ante legitimam ætatem est suspensus; & quia postea statim cum Episcopo simul consecrat, fit irregularis.*

## CONSILIVM VIII.

VTRVM accipiens presbyteratum ante legitimam ætatem sit irregularis, antequam celebret, vel vtatur alio ordine sacro?

1 Respondeo, quòd sic; quia assumens presbyteratum ante legitimam ætatem fit ipso iure suspensus per extrauagantem Pij II. *cum ex sacrorum.* citatam à nobis in Manu. confess.[o] & fit irregularis, si post illum assumptum vtatur ordine sacro; & qui ordinatur presbyter consecrat cum Episcopo, & vtitur ordine presbyteratus, posteaquam assumpsit illum; quia Episcopus prius ordinat presbyteros, & prius infigit eis

a In verb. reddere debes.
b Eod. tit. in verbo suspendendos.
c Ca. 27. à n. 193.
d De re iu. li. 6. & cap. 1. de sententia excommu. eodē lib.
e Ca. 27. nu. 151.
f Arg. c. 2. de maior. & obe.
g In dicto ca. 1. de sen. exco. lib. 6.
h De temp. ordin.
i Eodem titu.
k De iudic. li. 6. capite 1. de sententia excom. eodem lib.
l In cle. 1. q. 11. de priuil.
m Cap. 6. de refor. sess. 24.
n Cap. 27.
o Ca. 25. n. 70.

characterem illius ordinis, quàm consecret, & admittat eos ad consecrandum secum; alioquin enim induceret eos ad consecrandum, antequam haberent potestatem id faciendi, quod est absurdum, & ita non dicendum, [a] &c.

a L. nā quod absurdum. ff. de bonis liber.

*Aduertendum prædictam concl. non videri ita certam: nā hanc concelebrationem hic facit, non ea intentione vt tamquam sacerdos sacrum faciat cum de missa nihil aliud faciat quam proferre verba consecrationis: sed ea profert tamquam appendicem ad ipsam assumptionem ordinis passiue, & non re formaliter intendit actus ordinis exercere. Nec Cancellaria hos reputat pro talibus: vnde prædictis, qui ante ætatem acceperunt sacerdotium, si dicant se non celebrasse, dat absolutionem à suspensione. Si vero dicant se celebrasse, dat dispensationem, quam semper daret si admitteret per prædictam concelebrationem irregularitatem incurri. Aliud fortè esset si tempore interdicti sic sacerdotium acciperet, & certè mirum est, quod nullus ex antiquioribus Doctoribus hunc reputauerit irregularem.*

SVMMARIVM.

1 *Suspensus actum ordinis exercens fit irregularis.*
2 *Suspensus, actus iure particulari sacerdotio adscriptos exercens, si non sint diuina officia, peccat, sed non fit irregularis. & num. 3. & 5.*
2 *Responsoria, psalmos, epistolam sine solemni apparatu, vel alia diuina officia, quæ à laicis cantari vel fieri possunt, cantans suspensus, non fit irregularis.*
4 *Censuratus vt per actum ei prohibitum fiat irregularis, duo requiruntur, videlicet, vt actus sit diuinum officium, & deputatus certo ordini.*
6 *Suspensus gaudet priuilegio fori, & canonis, sed non honoris.*
6 *Præbenda actu sacerdotalis promoto ante ætatem non danda.*

## CONSILIVM IX.

REGVLARIS ex ordine N. ante legitimam ætatem sacros ordines suscepit, electionibusque, statione, & sessione inter sacerdotes vsus est, & alijs actibus solùm in sacris & sacerdotio constitutis deputatis interfuit. Dubitauit, an esset suspensus, & factus irregularis.

1 Respondeo primo, certum esse præfatum D. consulentem sacri ordinis N. ante legitimam ætatem ordinatum ipso iure incurrisse suspensionem ab officio per extrauagantem Pij II. quæ incipit, *cum ex sacrorum*.

Secundo, ex hoc inferri, non posse ipsum absque magna diuinæ maiestatis offensa, & irregularitate incurrenda, Missam, vel Euangelium, & epistolam solemniter cantare: quia hi actus sunt specialiter deputati ordinibus, quos suscepit.

2 Tertio, quod magis dubitari potest de alijs actibus in casu propositis, scilicet sessione, & statione inter sacerdotes, & electione actiua & passiua ad eosdem solos pertinente.

Pro parte negante facit primo, quòd tales actus non videntur inducere irregularitatem: quoniam ordinatus, qui est excommunicatus, vel suspensus, solùm incurrit illam exercendo actus specialiter deputatos actui ordinis, vt aiunt Innocentius & Panormitanus communiter recepti. [b] vt cum sacerdos missat, diaconus cantat Euāgelium, vel subdiaconus epistolam in apparatu solemni: non autem qui solum cantaret responsoria, vel psalmos, vel cantaret præfata sine apparatu solemni, vel faceret alia diuina officia, quæ etiam à laicis canuntur, & fiunt, aut fieri possunt.

b In c. fi. de ex cess. prælat.

Secundo, quod licet suspensus, faciendo deputata ordini suo incurrat irregularitatem, vt eleganter dicit Panormitanus, [c] non tamen exercendo alia, quæ non sunt certo ordini deputata, vt ibidem subiungit. [d]

c In dict. c. fi.
d Num. 5.

3 Pro parte vero affirmante facit, quod licet præfati actus iure communi non sint deputati certis ordinibus, sunt tamen iure particulari constitutionum præfati ordinis N. & Doctores dicentes incurrere irregularitatem ordinatos exercentes ordines suos generaliter loquuntur de exercentibus actus deputatos suis ordinibus, & præsupponitur in casu actus esse deputatos ordini sacerdotali.

Propter quæ omnia videtur nobis hoc dubium esse satis nouum, posseque ad vtriusque illius partem multa adduci, quorum tamen grauiora in prædictis argumentis insinuantur. Ad quæ adducenda non est nunc nobis iustum otium, & iusta valetudo. Sed vt paream iussui Domini mei potentis id mihi iubere; dico primo huiusmodi religiosum, qui faceret aliquem trium præfatorum actuum, non incurrere irregularitatem: quia licet sint actus deputati ordini sacerdotali per statuta ordinis, non tamen sunt diuina officia: & secundum mentem Doctorum duo requiruntur ad hoc, vt ordinatus excommunicatus, vel suspensus incurrat irregularitatem: alterum est, vt sit officiū diuinum, per ea quæ dicimus in Man. confess. [a] & alterum vt sit deputatum alicui ordini certo: & præfati tres actus, vt prædicitur, non sunt diuina officia.

a Cap. 27. nu. 244.

5 Secundo, quod huiusmodi religiosus arceri potest à præfatis tribus actibus: nam licet exercendo illos non incurrat irregularitatem, peccat tamen; sicut suspensus eligendo, vel permittendo vt eligatur, non incurrit quidem irregularitatem, vt ait Panormitanus vbi supra, sed peccat secundum omnes, quia facit actum sibi prohibitum. [b]

6 Tum quia ordinatus suspensus, & excommunicatus licet gaudeat priuilegio fori, & canonis, [c] non tamen gaudet priuilegijs alijs honoris & vtilitatis conuenientibus ei ratione ordinis, puta, vt sit capax collationis beneficiorum sæcularium, vel regularium, & dignitatis, & honorum. [d] Vnde glossa memorabilis, [e] dicit, præbendam sacerdotalem, id est, quæ sacerdotium actu requirit in eo, cui est conferenda, non esse dandam ei qui factus est sacerdos ante legitimam ætatem. Tum quia interdicendus est ei ordinis vsus. [f] Tum quia non debet ex suo delicto assequi, quod sine illo non fuisset assequutus. [g] Salua, &c.

b Ca. cum inter R. cum ei adnot. de ele.
c Si quis suadente. 17. qu. 4. & c. aduersus. & c. inter alia. de imm. eccles.
d Ca. 2. & c. si celebrat. de cler. excom. ministran.
e Cap. ei cui. verbo. ætate. de præben. li. 6.
f Cap. vel nō est compos. de temp. ord.
g Vulg. ca. Sedes Apostolica. de rescrip. & leg. itaque fullo. ff. de furtis.

SVMMARIVM.

1 *Suspensus, interdictus, vel excommunicatus, collectam in choro dicens fit irregularis.*
2 *Aquam solemniter benedicens censura innodatus fit irregularis, sicut & solemniter baptizans, quia isti actus sunt certo ordini deputati.*

## CONSILIVM X.

QVIDAM presbyter suspensus, interdictus, vel excommunicatus dixit collectam in choro vti hebdomadarius. Quæsitum est, an sit irregularis.

1 Respondetur, quod sic, secundum Innocentium, [h] quem ad idem citamus in Manu. confess. [i] vbi tangitur firma ratio eius dicti, scilicet, quod facit actum certo ordini deputatum: qua eadem concluditur idem de illo, qui solemniter baptizat, vel solemniter benedicit aquam benedictam; quod etiam Siluester tangit. [k]

h In c. fi. de excess. prælat.
i Cap. 27. nu. 244.
k Ver. irregularitas. qu. 13.

SVMMARIVM.

1 *Irregularis est celebrans Missam in altari interdicto, sicut in ecclesia interdicta.*

## CONSILIVM XI.

AN celebrans in altari interdicto sit irregularis, sicut celebrans in ecclesia interdicta?

1 Respondeo, quod sic: quia contextus cap. *is qui.* [l] expresse ait, esse irregularem, qui celebrat in loco interdicto, non se restringendo ad ecclesiam: & altare est locus, immo locus, vbi celebratur.

l De sent. excommu. lib. 6.

SVMMARIVM.

1 *Pontificalia exercens Episcopus, etiam semel, etiam solum calicem, vel corporalia consecrando in aliena diœcesi sine licentia diœcesani non cogitans id sibi non licere, sed credens bene facere, non euitat suspensionem à pontificalibus, nec irregularitatem, si sic ligatus, etiam non aduertens se ligatum, eadem postea exerceat.*
2 *Irregularitas, & suspensio etiam in foro conscientiæ incurritur, etiam ob ignorantiam & inaduertentiam exercendi iure prohibita.*
*Pœnitentia quæ possit imponi ei, qui ob incogitantiam incidit in suspensionem, & irregularitatem.*

## CONSILIVM XII.

QVIDAM Episcopus abhinc aliquibus annis in aliena diœcesi existens pontificalia exercuit sine licentia illius Episcopi, in cuius diœcesi morabatur: & hoc fuit consecrando calicem, vel corporalia semel, idque bona fide fecit, nec habuit animum decretis Concilij Tridentini, aut sacrorum canonum contraueniendi, nec considerauit id sibi non licere: post id temporis Missas celebrauit, & omnia alia munera episcopalia administrauit, nihil ad hæc respiciens, sicut nec antea à principio aduerterat.

a Cap. 5. sess. 6.

Quæritur nunc, an Episcopus prædictus fecerit contra [a] Concilium Tridentinum & inciderit in pœnam in eo contentam, seu in alias pœnas à iure statutas; & si fortè inciderit, quomodo se in hoc casu gerere debeat.

b Cap. 5.

1 Ad hoc dico primo, videri prędictum Episcopum incurrisse suspensionem, quam prædictum [b] Concilium Tridentinum inducit, & consequenter incidisse per vsum pontificalium postea subsequutum in irregularitatem.

c Cap. 5.

2 Secundo, data mihi facultate respondendi ad hunc casum à Summo Pœnitentiario, & à toto suo prætorio simul, & faciendi omnia, quæ Reuerendissim. Episcopo consulenti sunt necessaria; ego, potestate mihi in hoc facta, absoluerem prædictum Episcopum à prædicta suspensione, & dispensarem super irregularitate ob eam contracta, eam omnino abolendo, attento quod consecrationem prædictam non fecit in prædicti Concilij, [c] contentum, nec intendens illud transgredi, immo credens bene facere; & quod humili & deuota mente se prædictæ Sedis Apostolicæ censuræ subiicit; imposita tamen pro incogitantia & inaduertentia huiusmodi suspensione decem dierum ab exercitio pontificalium, non tamen presbyteralium; & quod inter illos coronam Virginis decies diceret, & decies largiretur eleemosynam, quæ sibi placuerit, & duobus alijs diebus non præceptis ante Natalem Domini ieiunaret. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

*1 Monitorium, seu præceptum de soluendo ante condemnationem, sine clausula iustificante factum, est nullum simul cum excommunicatione exinde subsequuta.*

*2 Credere aduersario, quod sit in eius defensionem aliquid facturus, non debet aliquis. Vnde si aliter res succedat, non erit ob id in probabili ignorantia.*

*2 Monitus à iudice, vt quid faciat sub pœna excommunicationis, lapso tempore debet inquirere an excommunicatio fuerit contra ipsum lata; alioquin non est in illius probabili ignorantia: si tamen nullum habuit contemptum, sine quo irregularitas non incurritur, verè coram Deo non videtur irregularis, num. 4. licet sit secus in foro exteriori. num. 3.*

*3 Excommunicari potest absens, & ignorans; sed celebrando, si ignorantia sit probabilis, non peccat, nec fit irregularis, immo & in foro conscientiæ excusatur ab irregularitate, quæ non incurritur sine contemptu. num. 4.*

*4 Collatio beneficij excommunicato, & illam ignoranti facta non tenet.*

## CONSILIVM XIII.

QVIDAM presbytero fuit notificatum monitorium vicarij Episcopi sui iudicis, vt solueret quoddam debitum longè à loco iudicis, sed intra eamdem diœcesim: qui sperans, quòd intimator impetraret, vt promisit, à creditore suo cognato dilationem, vel quòd daret literas debitoris procuratori suo, vt compareret coram vicario, exiuit diœcesim, quo iter faciebat, cum esset monitus: & postea credens dilationem habitam fuisse, vel suum procuratorem comparuisse, & ita credens se non fuisse excommunicatum, celebrauit, & obtinuit beneficium. Sed vicarius, instante parte, declarauit eum excommunicatum contra spem & credulitatem eius.

Quæritur, an is fuisset excommunicatus, antequam sciuisset declarationem factam, & an sit irregularis, & an collatio beneficij ei postea facta valuerit.

d De rescrip.
e In l. 1. C. de re iudic. n. 14.
f Cap. ex parte. de verb. sig.

1 Respondeo sequentia. Primum, quòd, si monitorium prędictum præceptorium de soluendo debitum fuit factum sine clausula illa iustificatiua, *Si te grauatum senseris, intra talem terminum compareas*, fuit nullum, & excommunicatio per illud facta etiam nulla, per illa multa, quæ nos adduximus in relectione cap. *cum contingat.* [d] post Baldum, [e] quia non licet incipere ab exequutione ante latam sententiam, per illam l. 1. nisi cum prędicta clausula iustificatiua, per quam pręceptum exequutiuum resoluitur in citatorium, iuxta glossam singularem, [f] sed suspicor prædictum monitorium habuisse prædictam clausulam.

2 Secundo, quod ignorantia prædicti D. consulentis non videtur fuisse probabilis: quia non debuit confidere, nec credere aduersario. Tum quia poterat scire, an absolutus esset, scribendo ad suum procuratorem, & etiam ad parochum sui oppidi.

a L. hæredes palam. post princip. ff. de testam.
b Cap. Apostolicæ. de cle. excom. minis.

3 Tertio, quod præfatus presbyter fuit excommunicatus, antequam notificaretur ei declaratoria: quia declaratio nihil noui inducit, sed iam inductum esse denunciat. [a] Nec obstat glossa, [b] immo est pro hac parte, quatenus ait absentem & ignorantem posse excommunicari; licet excommunicatio ei non noceat ad hoc, vt eam non seruando peccet, vel incurrat irregularitatem, si ignorantia est probabilis.

c In d. §. verum.
d Ca. solet. de sent. excom. l. 6.
e Cap. Apostolicæ. de cle. ex com. min.
f Cap. 27. n. 271. vers. 8.

4 Quarto, quod D. consulens non videtur incurrisse irregularitatem, saltem quo ad forum conscientiæ: quia nullum contemptum habuit, & sine illo non incurritur illa, vt dicit Panormitanus, [c] & Dominicus. [d]

Quinto, quod collatio prædicti beneficij fuit nulla, iuxta glossam communiter receptam, [e] quam breuiter graui ratione fundauimus nos in Man. conf. [f]

Sexto, quod consulens deberet impetrare quo ad forum conscientiæ tantum dispensationem ad retinendum beneficium, & etiam ad cautelam super irregularitate, si & quatenus opus sit, &c.

### SVMMARIVM.

*1 Excommunicatus, fructus & distributiones beneficij antea legitimè obtenti perdit, irregularis autem non.*

## CONSILIVM XIIII.

QVIDAM excommunicatus celebrauit, & ob id incidit in irregularitatem, & non obstante ea percepit fructus, & distributiones quotidianas. Quæritur quid faciendum.

g §. verum.
h In verbo subtrahuntur, de appellatio.
i In c. cum nobis. de concess. præb.

1 Respondetur, quod licet per excommunicationem perdat quis fructus, & distributiones beneficij eo modo, quo dicitur in cap. *pastoralis.* [g] adiuncta glossa, [h] tamen, qui est irregularis, non perdit fructus propter irregularitatem, neque distributiones beneficij habiti iustè ante irregularitatem incursam, iuxta sententiam Innocentij receptam, [i] & ita irregularis nullatenus tenetur restituere fructus, nec distributiones beneficij ante iam canonicè adepti. Per quod cessat quæstio proposita, &c.

### SVMMARIVM.

*1 Excommunicatus, & interdictus ministrans, vnam ex duabus causis, vel verius duas incurrit irregularitates, quarum vna sine altera tolli potest, sed non prodest, donec altera tollatur.*

## CONSILIVM XV.

AN qui est excommunicatus, & interdictus, celebrando incurrat duas irregularitates?

k De sen. excom. c. ea. ex parte. de offic. ordin.
l Præl. 9. nu. 20.
m In d. ca. ex parte.

1 Respondeo, duas irregularitates incurri, aut vnam ex duplici causa, argum. notatorum in cap. *cum pro causa.* [k] Tum quia qui contra duo, tria, vel quatuor præcepta vno actu peccat, totidem peccata committit, quot præcepta transgreditur, aut vnum peccatum cum tot circumstantiis necessario confitendis, quot præcepta est transgressus, vt diximus in Man. conf. [l] Tum quia nulla ratio reddi potest, cur magis incurratur ex vna causa, quam alia; & non potest dici ex neutra incurri, & ita indigebit huiusmodi irregularis duplici dispensatione, aut vna ex duplici causa. Mihi autem iuri consonantius videtur, duplicem irregularitatem incurri, & alteram sine altera tolli posse; sed donec altera tollatur, sublatione alterius vti non posse, sicut de excommunicato dicitur duplici ex causa. [m]

### SVMMARIVM.

*1 Absolutio à censura ob vnam causam incursa tenet, sed non extenditur ad incursas ob alias causas.*

*1 Pluries incidens in actum, cui annexa est excommunicatio latæ sententiæ, plures incurrit excommunicationes: & si sic ligatus celebrat, contrahit irregularitatem ex diuersis causis, adeo vt non sufficiat absolutio & dispensatio ab vna, & num. 2.*

*2 Dispensatio super vna irregularitate incursa ex vna causa tenet quo ad illam, sed non extenditur ad contractam ex alia causa.*

*3 Dispensatus super vna irregularitate cum retentione beneficij in ea obtēti, cum pluribus teneretur obnoxius, tenetur etiam ab aliis dispensationem impetrare, cum noua dispensatione retinendi dictum beneficium in eisdem obtentum.*

## CONSILIVM XVI.

QVIDAM incidit in censuras extrauagantis *ab ipso.* Gregorij XIII. octies, & celebrando incurrit irregularitatem,& manens in ea obtinuit quoddam beneficium, & postea obtinuit absolutionem à censuris duabus de causis incursis,cum retentione beneficij.

Quæritur,an absolutio eius valuerit, & an dispensatio super irregularitate incursa ex celebratione in excommunicatione incursa duabus de causis extendatur ad irregularitatem incursam ob celebrationem in alijs excommunicationibus,in quas alijs de causis incidit.

1 Respondeo primo, quòd absolutio ab illis duabus excommunicationibus incursis ob illas duas causas valuit, sed non extenditur ad alias incursas ob alias causas, secundum veriorem intellectum cap. *ex parte.* [a] & ideo necessaria est absolutio excommunicationum incursarum ob alias causas.

2 Secundo, quod dispensatio super irregularitate contracta ex vna causa, valet quidem quo ad illam,sed non extenditur quo ad aliam contractam alia de causa. Tum per prædicta capp.& paritatem rationis, quæ in excommunicatione & irregularitate quo ad hoc inueniri videtur. Tum quod nemo diceret dispensationem super irregularitate contractam ex vno homicidio extendi ad irregularitatem contractam ex alio simili homicidio:immo non pauci dubitarent, an dispensatio super irregularitate contracta ex vno homicidio valeret, non facta mentione de dispensatione irregularitatis contractæ ob aliud,per l.2. [b] & quod ibi per illam dixerunt Gulielmus de Cuno,& Baldus & alij relati à Felino. [c]

3 Tertio, quod facultas retinendi beneficium collatum, non obstante irregularitate vna, non videtur extendi ad retentionem eiusdem, non obstante alia irregularitate. Tum per prædicta. Tum quod voluntas non fertur in incognitum, secundum Augustinum receptum, quod etiam sentit Iurisconsultus, [d] & Papa, [e] ergo voluntas Papæ volentis facere quem habilem, non obstante quadam irregularitate sibi expressa, non videtur velle facere habilem, non obstante alia, quam ipse non nouit,quæque ipsi non exprimitur.

Quarto, quod ex his est consequens D. consulentem debere sibi prouidere de absolutione aliarum excommunicationum, & dispensatione aliarum irregularitatum, & noua retentione beneficij quęsiti in statu irregularitatis. Salua,&c.

a De offi ord. & c.cum pro causa de sententia. excõ.

b C.de Episc. audien.
c In c.postulasti.col. 4. de rescript.

d In l.de quare.ff.de indic.
e In c.super literis,de rescr.

### SVMMARIVM.

1 *Irregularitas non tollitur nec per clausulam,* Absoluentes te à censuris,*&c.nec aliter,nisi exprimatur.*
2 *Suspensio ex notorio concubinatu tollitur per pœnitentiam, sed non irregularitas contracta ex eo.*
3 *Motu proprio rescribens Papa non censetur ob hoc dispensare super his quæ iure communi obstant.*

## CONSILIVM XVII.

DE eo, qui factus irregularis ob notorium concubinatum,impetrauit à Papa beneficium.

Vnde quæsitum fuit primum, an per clausulam bullis inseri solitam, *Teque à quibusuis,&c.* censeatur secum dispensatum super irregularitate.

Secundo,an per pœnitentiam illa tollatur.

Tertio,an per illa verba, *Animum suum mouentibus,&c.* videatur Papa dispensare.

1 AD PRIMAM quæstionem respondetur,quod non. quia numquam videtur Papa absoluere ab irregularitate,vel facere facultatem absoluendi ab ea,nisi id exprimat, vt diximus in Manual. [f]

2 AD SECVNDAM, quod licet suspensio,quæ incurritur per notorium concubinatum, ipso iure tollatur per pœnitentiam, vt nos diximus in Manual. [g] irregularitas tamen orta ex celebratione publici fornicarij non tollitur ipso iure per pœnitentiam,vt nos satis exprimimus in d.Manual. [h] immo nec irregularitas nata ex publico concubinatu, vt habet glossa Pragmaticæ sanctionis Gallicanæ, [i] pro qua ibi bonus textus.

3 AD TERTIAM,quod non satis intelligo,quo modo illa clausula possit prodesse impetranti,si verbum *animum* referatur ad Papam,& minus si referatur ad impetrantem:& quod certum est, Papam, etiam si motu proprio scribat, non inducere dispensationem circa ea, quæ iure communi obstant, vt post alios scribit Philippus Francus, [a] & ad rectè iudicandum oporteret videre verba prouisionis. Salua,&c.

f Cap.27.nu. 254.
g Ca.27.nu. 154.
h Cap.25.nu. 77.
i Tit. de concubinarys. §. & nihil.verbo inhabiles.

a In c.si motu proprio. de præb. lib. 6. num.5.

### SVMMARIVM.

1 *Episcopus ex facultate Concilij absoluit ab excommunicatione simoniacum in beneficio,& cum eo dispensat super irregularitate,quia sic ligatus ministrauit; modo simonia sit occulta. num. 2.*

## CONSILIVM XVIII.

ABSOLVERE, & dispensare an valeat Episcopus eum, qui simoniace beneficium adeptus est, & postea in ordinibus ministrauit?

Qui diceret non posse Episcopum absoluere ab excommunicatione ob prædictam simoniam incursa, multum iuuat [b] Concilium Tridentinum, [c] quatenus dat facultatem absoluendi à suspẽsione, & dispensandi in irregularitate,nulla facta mentione de excommunicatione:& qui de vno dicit, de alio negare videtur. [d] Sed contrarium videtur probabilius, eo quod licet expresse non det facultatem absoluendi ab excommunicatione,dat tamen tacitè. Tum quia dat facultatem absoluendi in omnibus casibus reseruatis etiam Papæ; & nullus est talis, qui non habeat excommunicationem annexam,vt in Manu. [e] Tum quia dat facultatem absoluendi ab hæresi, cui est annexa excommunicatio, & non qualis qualis, sed prima reseruatarum in bulla Cœnæ: & excommunicatio ob simoniam in beneficio incursa, licet sit reseruata Papæ, per extrauagantem secundam de simonia, non tamen continetur in bulla Cœnæ, quare Episcopus potest dispensare super irregularitate incursa ob celebrationem factam post commissam simoniam prædictam; quia prouenit ex delicto occulto; & super omni tali datur Episcopo facultas dispensandi: & qui totum dicit,nihil excludit. [f]

b Ca.6. licet.
c Sess.24.
d Leg. cũ prætor.ff. de iudi. c.qualis.d.25.
e Cap.27.nu. 261.
f Cap. solitæ. sub.fi.de maior. & obed. cum suis concord.

## DE CLERICO NON ORDINATO MINISTRANTE.

### SVMMARIVM.

1 *Irregularis fit,qui vtitur ordine sacro,quem non habet; nec potest ascendere,nu.3.nec susceptis vti sine dispensatione.nu.4. quæ non à Pœnitentiario,sed à Papa obtinenda.nu.2.*
5 *Parochialem legitimè obtentam ob non promotionem amittit, qui nullo modo intra annum accipit sacerdotium; aliàs secus, etiamsi male illud susceperit.*

## CONSILIVM I.

RESPONDEO primo, quod dominus consulens est irregularis: quia vtens actu peculiari ordinis sacri, quem non habet, fit irregularis,vt diximus in Man. conf. [g]

2 Secundo, quod Pœnitentiarius minor non habuit potestatem absoluendi ab irregularitate: quia id ad solum Papam pertinet,vt adnotat Siluester. [h]

3 Tertio,quod male fuit promotus ad ordines sacros: quia irregularis non potest ordinari eis: nam cap. secundum, [i] dicit,quod numquam ordinetur.

4 Quarto, quod non potest vti prædictis ordinibus sine dispensatione,quia est irregularis.

Quinto,quod ad concedendum dispensationem, adiuuat non celebrasse.

5 Sexto,quod si intra annum non fuit ordinatus presbyterio bene vel male,perdidit beneficium curatum,si erat parochialis ecclesia,per cap. *licet canon.* [k] & indiget noua prouisione, si autem fuit ordinatus bene vel male intra annum, non perdidit illud ipso iure propter delicta prædicta, licet posset priuari per sententiam,si probari posset. Salua,&c.

g Ca.27.nu. 242.
h In ver.irregularitas 12.
i De clerico non ordinato ministr.
k Et ca.commissa.de elec. lib.6.

### SVMMARIVM.

1 *Occulta,quo ad effectum vt Episcopus possit dispensare, non desinit esse irregularitas incursa ob actum celebratum coram ignorantibus actum esse prohibitum,vel ex eo incurri irregularitatem,vel si solum sunt duo,vel tres, seu alibi celebrauit, quam vbi erat nota excommunicatio; & hoc, modo de illis irregularitatibus nulla sit contra ipsum orta fama.*
1 *Dispensandi facultas vti fauorabilis amplianda, licet actus dispensandi sit strictè interpretandus.*

### CONSILIVM II.

N. DIACONVS solemniter publicè coram multis baptizauit quendam, ob quod videtur incurrisse irregularitatem cap.1.[a] cum nequeat diaconus iure baptizare solemniter, quod est munus presbyteri. Qui tamen circumstabant, nesciebant id muneris esse illi prohibitum; & si aliquis id sciebat, nesciebat tamen per id incurri irregularitatem.

Quæritur, an cum tali diacono possit dispensare Episcopus per facultatem à Concilio Tridentino traditam ad dispensandum in irregularitatibus occultis.[b]

Quid item dicendum sit de faciente aliquid, ob quod excommunicationem incurrit, coram aliquibus, qui nesciunt illam in illo casu incurri, vel non nisi duo, vel tres.

Quid item de excommunicato in alia diœcesi, vel alia vrbe, & celebrante in alia, vbi nescitur an sit excommunicatus.

Responderi posse videtur, licere in his casibus Episcopo dispensare super irregularitatibus prædictis, modo nulla de illis contractis fama orta fuerit. Tum per adducta in nostro Manual. confess.[c] Tum quod licet dispensatio, siue actus dispensandi strictè debeat intelligi, iuxta cap.1. & 2.[d] potestas tamen dispensandi est fauorabilis, & amplianda, iuxta glossam singularem,[e] & tradita latius per Felinum & ab eo citatos.[f]

*Aduertendum sacr. Concil. dare Episcopo facultatem dispensandi super irregularitate, si procedat ex occulto delicto, quale non videtur hoc, licet ij multi, coram quibus Diaconus baptizauit, ignorent ex dicto actu incurri irregularitatem. Nec contrarium probatur d. cap.27. num.255. aliàs 250.*

### SVMMARIVM.

1 *Baptizans solemniter diaconus, vt diaconus, nō vt sacerdos, non est suspensus, nec ministrando efficitur irregularis saltem in foro conscientiæ.*

### CONSILIVM III.

DIACONVS ad firmandam pacem inter eius propinquos ex vna parte, & quosdam ex altera, rogatus infantem solemniter, credens se posse, prout à quodam sacerdote id licere, & aliàs ab eodem factum fuisse audiuerat, baptizauit, petita etiam prius licentia à loci archipresbytero; qui etiam dictæ actioni, ne ipse in aliquo erraret, astitit. Et quia postea ad presbyteratus ordinem se promoueri fecit, & ministrauit, dubitatur an sit irregularis.

Pro affirmatiua facit primo conclusio communis, quod ministrans solemniter in ordine, quo quis non est insignitus, irregularitatem incurrit, vt post alios scribit Dominatio tua in Manual.[g] & in tractatu de oratione,[h] vbi affirmat solemnem baptismum esse actum proprium presbyterij ratione consecrationis: & de hoc est textus.[i]

Secundo, nam prædictus diaconus, exercendo actum presbyterij, nedum efficitur irregularis quo ad sacerdotium obtinendum, sed etiam ipso iure suspensus est ab ordine diaconatus, vt probatur in cap.2.[k] iuncta maximè doctrina Abbatis antiqui ibidem asserentis hunc ad hoc, vt possit in ante susceptis ministrare, egere misericordia Episcopi, quam faciet Episcopus, vt inquit ibi textus, postquam steterit arbitrio Episcopi biennio vel triennio suspensus: tunc sic suspensus celebrans efficitur irregularis, ex doctrina D. tuæ,[l] adducendo cap.1.[m] ergo & iste irregularis est.

Tertio, si suspensus ab aliquo actu ordinis ministrans in eodem efficitur irregularis, vt supra dictum fuit, multo magis efficietur talis, si ministret in eodem, si illo omnino careat. quo argumento post alios vtitur Abbas.[n]

Ad secundam, contra consulentem facit, quòd qui alieno negotio sponte se ingerit, scire tenetur omnia, quæ ad illum actum exercendum legitimè sunt necessaria, ex D. Thoma,[o] quæ si ignoret, non excusatur vt scribit Dominatio tua in suo Manual.[p] argum. cap. *innotuit*. vbi glossa.[q] Nec dictum prædicti sacerdotis, vel prædicti archipresbyteri assistentia præbet iustam excusationem: nam tunc opinio doctoris excusat consulentem, quando consultus reputatur doctus, vt ait Alexander,[r] qui num.5. inquit post Angelum.[s] *Qui consulit non peritum, excusatur quidem à dolo, sed non à temeritate*: qualis non fuit dictus sacerdos. Archipresbyter autem nihil dixit, sed rogatus, vt hoc permitteret, permisit; quæ actio non videtur præbere sufficientem excusationem, maximè in hac materia, quæ videtur potius referenda ad lucrum non faciendum, quam ad damnum euitandum; cum, vt Alexāder,[a] dixit in simili, hoc damnum non celebrandi habeat originem à lucro, scilicet à dono Ecclesiæ, quæ donauit, seu donat per ordines facultatem ministrandi.

Contrariam autem partem tenere non omnino improbabile videtur, ex hoc vno argumento: Nec irregularitas, nec suspensio ipso iure est inducenda nisi in casibus in iure expressis. De primo est textus in cap. *is qui*.[b] De secundo, cum sit priuatio, seu impedimentum iuris, quod quis habet, est glossa.[c] Sed sic est, quod in casu nostro nullibi à iure hæc pœna imponitur; ergo nec imponenda est à nobis. Et ad contraria videtur posse responderi. Ad primū respondetur, quod procederet, si dictus consulens solemniter tamquam sacerdos baptizasset, ad hoc enim vt incurratur irregularitas, non sufficit, vt quis solemniter baptizet, sed oportet vt faciat sub nomine, seu sub persona presbyteri, fingens se, seu reputans se sacerdotem, hoc mihi probat Abbas antiquus, qui,[d] inquit, *Per totum istum titulum dicitur, quod non ordinatus celebrans vt ordinatus, deponitur*. & glossando textum,[e] inquit, *Baptizauerit, supple, vt sacerdos*. Sed sic est, quod dictus consulens baptizauit quidem solemniter, sed non baptizauit vt sacerdos, sed vt diaconus, ad cuius ordinem credebat spectare dictum actum exercere. Hoc idem mihi probat & clarius Hostiensis ibidem, qui sequendo prædictum doctorem inter cætera exemplificat dicendo, *Vt si diaconus vsurpet officium presbyteri, ac si talis esset, cùm non sit*. & paulo inferius exponendo verbum, *propter temeritatem*, inquit, *Quin immo & falsitatem: nam gerit se pro milite, cum non sit*. Eadem etiam expositio deducitur ex Panormitano,[f] qui in positione casus loquitur de eo, qui, cum non esset ordinatus, ministrat, tamquam si esset ordinatus, &[g] inquit, quod tenetur pœna falsi, sicut non habens dignitatem, qui simulat se eam habere, & vtitur illius insignibus, subdens. *Quod nota contra eos, qui ex remotis partibus venientes dicunt se esse doctores, cùm non sint*. Et hoc etiam innuit Dominatio tua,[h] qui duo in hoc casu requirit. Primū, vt exercuerit actum ordinis. Secundum, vt exercuerit illum tamquam dicto ordine insignitus. Sed sic est, quod dictus consulens exercuit quidem actum ordinis sacerdotalis, sed tamen illum non exercuit vt sacerdos, nec gessit se pro sacerdote, sed exercuit illum vt diaconus, gerens se pro diacono; vnde non dicitur comprehensus sub dicta censura. Nec dicamus sufficere dictum diaconum baptizasse eo modo, & sub illa solemnitate, sub qua baptizat presbyter, vt videtur posse colligi ex dictis aliquorum doctorum.[i] Nam cum verba sint formaliter accipienda, & non materialiter; de hoc diacono non est verum dicere, quod baptizauerit sub persona & nomine sacerdotis, licet vsus fuerit eisdē cærimoniis, quibus vti solent sacerdotes: quod non sufficit, vt etiam colligitur ex Lapo.[k] Ad secundum respondeo, procedere, si ministrasset tamquam sacerdos, vt probat Abbas antiquus, qui, vt dixi prædictam eius glossam applicat ad omnia contenta sub dicto titulo. Item videtur posse dici hunc non esse suspensum, sed suspendendum, vt videtur colligi ex Abbate Panormitano & aliis ibi, qui dicunt, quòd talis suspenditur. Hoc etiam confirmatur ex textu, ibi, *triennio, vel biennio arbitrio Episcopi*. ergo non est suspensus antequam Episcopus dictum tempus arbitretur, vel statuat. Item & verba textus,[l] hoc innuunt, ibi, *Abiiciatur de ecclesia*. & sic innuit à iudice suspendendum: Ad tertium, procederet, si ministrasset tamquam talis, & fingens se talem; quod non fecit. Quod autem ad ignorantiam spectat, & si non sit necesse videtur admittenda. Nam dicta pœna irregularitatis & suspensionis non imponitur simpliciter dicta facienti, sed eadem temerarie faciēti, vt patet ex textu,[m] ibi, *propter temeritatem*, quod verbum indicat illum, qui scienter & ex proposito & sine causa rationabili aliquid de prohibitis facit, vt habet Cardinalis,[n] qualis non videtur iste, qui potuit credere verisimiliter dicto sacerdoti in prædictis ad eius officium spectantibus, ac etiam suo prælato, à quo in effectu petiit nedum licentiam, sed etiam consilium; maxime cum hæc materia non videretur admodum difficilis scitu: quo casu non videtur necessarium peritiores adhibere, ex notatis per Abbatem.[o] Item hic sumus potius in materia damni vitandi, scilicet, ne qui habet characterem, perdat vsum, quam in materia lucri non faciendi; quo casu ignorantia iuris excusat, etiam quod peritiores non adhibuerit, vt habet glossa,[p] saltem vt euitet pœnam, ex Bartholo.[q] Ad

Marginal notes (left column):

a De clerico non ordinato ministrante.
b Cap. liceat. de refor. sess. 24.
c Cap.27. nu. 250.
d De fil. presb. lib.6.
e In cle.1. de offic. vica.
f In c. postulasti. de rescrip.
g Cap.27. nu. 242.
h Ca.6. n.42.
i In capi.1. de cleric. non or. ministr.
k Eod. titul.
l In d. c.27. n. 163. & alibi sæpe.
m De re iud. & de sen. excommunic. in 6.
n In d. c.2. de cleric. non ordin. ministr.
o 1.2. q.76. a. 2. in corpore.
p Cap.25. nu. 47.
q Verbo ignorantia. de elect. cum concor.
r Leg. iuris ignorantia. Co. qui admitti.
s In l. Plagij. Co. ad l. Flauiam de Plagijs.

Marginal notes (right column):

a Vbi supra.
b De sententia excom. in 6.
c In c. fi. gloss. pen de iur. patr. Rom. cons. 325. num.3.
d In dict. ca.1. de cler. non ordin. minist.
e In ver. Baptizauerit.
f In d. c.2.
g Num.3.
h Dict. c.27. num.242. d.
i In d. cap.1.
k Alleg.28 à d. suspen.
l In d. cap.1.
m In d. ca.1.
n Cle.1. §. si quis. not.1. de statu monac.
o In c. proposuisti. de probation. n.6. cū antecedē. & cōseq.
p In l. regula. verb. raro ff. de iur. & fact. ign.
q Leg. quod verum ff. de posit.

doctrinam Angeli, & Alexandri respondeo hunc consuluisse tales, de quibus probabiliter poterat credere, quod essent periti, saltem in pertinentibus ad dictum negotium: nec enim aliter quis ad curam animarum debuit ab Episcopo admitti, maximè conferendo archipresbyteratum, nisi sciret, quomodo, & per quos debeat conferri sacramentum baptismi. Item doctrina prædicta Alexandri & Angeli procedit, quando hęc excusatio cedit in damnum aduersarij, qui sumptus & damna non posset recuperare; in casu autem nostro facilius admittitur excusatio, quæ in nullius damnum tendit. Ex quibus cupio hunc pauperem sacerdotem non egere aliqua dispensatione, quam non potest obtinere in foro exteriori nisi cum dispendio temporis, & pecuniarum, quibus adeo caret, vt exercitio ordinum cogatur victum quærere. Requirimus modo Dominationis tuæ sententiam.

1 PER EA, QVÆ SVBTILITER & eruditè supra citantur; videtur iudicandũ, quod dictus diaconus verè quo ad forũ Dei & conscientiæ non est irregularis, sed quod in foro exteriori iudicaretur talis: quia præsumeretur baptizasse tamquam presbyter vsurpando officium presbyteri, vt nos in Man. [a] supra citato diximus de cõstituto in minoribus cantante epistolam cum manipulo, vbi non est consuetudo id faciendi; qui tamen locus errore typographi est vitiatus, & debet sic legi; *Quin pridem respondi, quod quamuis clericus primæ tonsuræ, qui solemniter cãtauit epistolam cum manipulo tamquam subdiaconus, vbi non erat consuetudo cantandi eam cum illo, nisi subdiacono, sit irregularis; in foro tamen animæ non est talis, si noluit id facere tamquam subdiaconus.* Hæc ibi. Arbitror autem, quod si probarentur omnia quę narrantur in casu de assistentia archipresbyteri, & quod à quodam sacerdote audiuit id ei licere, & quod tam bona de causa illuc adiuit, &c. etiam in foro exteriori iudicaretur mũdus ab irregularitate: quoniam constaret non fecisse id illum dolo, neque cupiditate, neque contemptu, sed bona fide; quæ cum non concurrunt, non incurritur irregularitas, vt definit Panormitanus, [b] & Dominicus, [c] per glossam penultimam. [d] Salua, &c.

a Cap. 27. nu. 242.

b In c. pastoralis. §. verum. de appellat.

c In ca. solet. sub fin.

d Eiusdem, de sententia excommunicationis lib. 6.

SVMMARIVM.

1 *Irregularis non est diacono baptizanti aliter, quam auctorizando, aut mandando, assistens.*
2 *Credi debet saltem iuranti in his, quæ ab animo pendent.*
2 *Irregularis quo ad forum exterius in dubio non debet quis iudicari, licet ipse se tali debeat iudicare in foro conscientiæ.*

## CONSILIVM IIII.

QVÆSITVM est, an parochus dans licentiam diacono baptizandi solemniter, & assistens eidem baptizanti, ita incurrat irregularitatem, sicut ipse diaconus, per cap. 1. [e]

1 Respondetur, quod non, eo quod dederit illam: quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus expressis à iure, [f] de quibus non est hic: neq; eo, quod astiterit, si astitit vt quilibet alius, vel vt corrigeret eũ, si erraret, secus si astitisset auctorizando, aut mãdando, per clem. *Archiepiscopo.* [g] adiũcta gloss. [h]

An autem tali parocho accusato, & dicenti se solũ astitisse sola causa corrigendi, & non auctorizandi, debeat in dubio credi, & iudicari non esse irregularis? Respondetur, quòd sic.

2 Tum quia in his, quę pendent ex animo alicuius, credendum est ei, saltem id iureiurando affirmãti, iuxta duas glossas quarum vtraque est recepta, & putata ab aliquibus singularis, [i] & cap. *significasti.* de homic. vbi aptus in hoc textus. Tum quia actus, qui potest interpretari commodè esse delictum, & non delictum, debet interpretari non esse delictum, [k] vbi textus in hoc aptissimus. Tum quia, licet quis se debeat in dubio iudicare irregularem quo ad forum conscientiæ, in exteriori tamen debet iudicari à iudice non esse talis, vt nos determinamus in Man. nostro conf. [l] & antea in cap. *si quis autem.* [m] per rationes aptiores & firmiores eis, quas Panormit. reddit [n] communiter receptus, sed à nobis per easdem limitatus.

e De cler. non ordinan. minist.

f Cap. is. qui. de sent. excõ. lib. 6.

g De priuil.

h Verbo celebrari.

i In §. aliter. qui aliàs incipit, sed iste Instit. de act.

k Leg. merito. ff. pro soc. & c. 2. de reg. iur.

l Cap. 27. nu. 139.

m De pœ. d. 7.

n In c. ad audientiam. de homic.

SVMMARIVM.

1 *Subdiaconus qui non est, in Missa Parasceues potest partem & totam passionem vt lector cantare sine stola, sed tunc sacerdos debet secreto passionem legere.*
2 *Epistolam sine manipulo quilibet clericus, non quidem vt subdiaconus, sed vt clericus cantare potest.*

## CONSILIVM V.

AN qui inseruit in celebratione Missarũ solemniũ tãquã subdiaconus, licet subdiaconus nõ sit, possit in die Parasceues passionẽ D. N. Iesu Christi vna cũ sacerdote cãtare?

1 Respondeo, quod licite poterit cantare vnam partem passionis à tribus cantandæ, modo id faciat sine stola, & modo non seruiat in aliis partibus Missæ vt diaconus, & presbyter ipse cantet aliam partem vt diaconus, & reliquum Missæ peragat sine diacono, vel cum alio, qui vt diaconus aliam partem eiusdem passionis cantauerit. Tum quia id non est vti ordine diaconatus, sed vti officio cantoris. Tum quia secundum Panormitanũ & communẽ, [a] quilibet clericus sine manipulo potest cantare epistolam, non tamquam subdiaconus, sed tamquam alius clericus, & cantor, vel lector.

2 Quin & fortè de stricto iure dici posset, quod solus totam passionẽ sine stola cantare posset, modo id non faceret vt diaconus, sed vt quidã cantor; nec seruiret vt talis in aliis partibus Missæ; & presbyter, qui eam facit, sub silentio legeret sibi totam passionem, ac si non cantaretur ab alio, vel ab aliis: qua enim ratione clericus minorũ ordinum potest cantare epistolam Missæ cantatæ sine manipulo, vt clericus, cantor, vel lector, eadẽ subdiaconus, immo & eo minor videtur posse cantare euangelium vt cantor sine stola, modo non seruiat in aliis vt diaconus, & presbyter dicat sibi de more sub silentio euangelium cantandum, & vbi est eadem ratio, idem ius est censendum. [b] Salua, &c.

a In c. 1. de cle. non ord. mini.

b Leg. illud. ff. ad l. Aquil. & c. dudum. 2. de elect.

## DE EO QVI FVRT. ORD. SVSCEPIT.

SVMMARIVM.

1 *Minor, etiam infans, ordinatus suscipit characterẽ indelebilem.*
2 *Intentio saltem virtualis faciendi quod facit Ecclesia, si desit collatio sacramenti, est omnino irrita & nulla. nu. 3. & talis debet de nouo ordinari. num. 6.*
4 *Baptizans fœminam, quam credebat virum, intendens virum, & non fœminam baptizare, nihil facit: sicut nec qui 11. hostias, quas 10. esse credebat, & non plures, eas consecrat, intendens decem, & non plures consecrare; secus, si intendit baptizare, & consecrare id quod ei oblatum est. num. 5.*
5 *Protestatio, quam facit Episcopus ordinationes tenens ad ordinandos, ne patientes defectus accedant, quia non intendit eos ordinare, si vere concordat cum intentione, peccat quidem in hoc Episcopus, nu. 12. sed tales ad ordines accedentes characterẽ non recipiunt. sed debent denuo ordinari. nu. 6. quod si fiat ad arcendũ tales, eo quia displiceat Episcopo quod tales accedãt, recipiunt characterẽ, n. 7. & seq. & in dubio, secũdo, & non primo mõ censendũ erit factã fuisse protestationẽ. n. 10.*
7 *Voluntas, seu desiderium volendi quod aliquid fiat, & intentio non faciendi differunt, vnumque sine altero esse potest. nu. 8.*
9 *Ordines & beneficia conferens, licet cupiat & velit vt nullus indignus accedat, potest tamen sine peccato velle vt collatio talibus facta teneat nu. 7. & 8.*
11 *Publicam gerens personã, cum teneatur secundum exteriora iudicare, potest sine peccato velle verum sacramentum conferre digne secundum forum exterius, licet indigne secundum interius, accedentibus.*

## CONSILIVM I.

AN ordinatus ad ordines sacros ante legitimam ætatem, mentitus illam Episcopo interroganti, an haberet eam legitimã, sit verè ordinatus coram Deo, & in foro conscientiæ, maxime si protestetur Episcopus, ne patientes defectus accedant, quia non intendit eos ordinare?

1 Pro parte affirmante faciunt primo cap. *sanctorum*, & cap. *neminem.* [c] & extrauagans Pij II. & alia multa, quæ præsupponunt ordinatos ante legitimam ætatem, vel aliũ defectum patientes esse suspendendos, vel suspensos ab vsu ordinis sic accepti, & præsupponunt non esse iterum ordinandos.

Secundo, quod etiam puer & infans verum ordinem, siue characterem indelebilem ordinis acciperet, si Episcopus eum ordinaret, secundum omnes.

Tertio, quod frequentissimè petuntur in Prætorio Pœnitentiariæ absolutiones à prædictis suspensionibus, & conceduntur, nullo eis præcepto facto, vt denuo ordinentur.

Quarto, videtur casus in c. 1. [d] quatenus probat, ordinatum ab Episcopo, qui prohibuit etiam sub excommunicatione latæ sententiæ, ne quis non examinatus accederet ad ordinationem suam, accipere verum ordinem & characterẽ, etiam si non sit examinatus, nec approbatus.

2 Pro parte verò negante facit primò, quòd omne sacramentum est ipso iure irritum, & nullum omnino, si minister, qui conficit illud, non habet intentionẽ actualẽ, vel saltẽ virtualem cõficiendi illud, vt asserit Tho. cõmun. recept. [e] Tum

c 70. d. & ca. cum secundũ c. tuis. de pra. c. cũ per tuas 3. de simon. & c. vel non est compos. de tẽ. ord.

d De eo qui furt. ord. suscepit.

e In 3. p. q. 64. a. 8.

quia

quia ea,quę sūt apta in multa, nō vidētur efficacia,nisi determinētur ad vnū;& facta,quę in sacramētis interueniūt, possūt adaptari ad multa,vt palā est de verbis formæ baptismi,& aqua,& lotione; de verbis itē & materia Eucharistiæ,& de alijs similiter. Tū quia licet in his,quæ aguntur per instrumētū inanime,non requiratur intentio, cuius illud est incapax; sed motus & applicatio ad opus supplet vim intentionis: in his tamen,quæ fiunt per instumentum animatum rationale, videtur necessaria intentio saltem virtualis, de qua videtur loqui S.Thomas, licet loquatur de habituali, vt etiam Caietanus ibidem dicit, & ei concordat Sotus.[a] Quæ aūt sit talis, diximus in Enchirid. de orat.[b]

Secundo, quod ita definitum est à Concilio Tridētino,[c] in hæc verba, *Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltē faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.*

3 Tertio oportet,quod ordinatio sit actio humana: sed actio humana non potest esse sine intentione; ergo requiritur intentio faciendi saltem in genere, quod Ecclesia facere intendit.

Quarto,quod Hostiensis in summa de baptismo,[d] dicit, quod furiosus non potest baptizare.

4 Quinto,quod baptizās aliquem,quem putat esse virum, & re vera est fœmina, non censetur conferre verum baptismum,si intendebat baptizare virum,& non fœminam:quāuis sic,si intendit baptizare id quod ei offertur, quidquid illud sit,secundum Hostiensem vbi sup.quem sequitur Siluester,[e] declarans recte,non sufficere intentionem habitualem, nec requiri actualem,sed tantum virtualē,& quid intersit inter illam & habitualem,quod latius explicat Sotus.[f]

5 Ad hoc facit determinatio Calderini, quam sequitur Panormitanus,[g] quod si sacerdos habens 11.hostias in altari, & credens illas non esse nisi 10. protulit super eas verba consecratoria ea mente,vt consecraret omnes,quas habebat in prçsentia,omnes essent consecratæ: si autem ea mente protulit, vt tantum 10.consecraret,& non plures; licet essent plures, nullam censeretur consecrasse.

Sexto,quod Petrus Rebuffus,[h] expresse determinat,quod si Episcopus protestaretur se non intendere ordinare aliquem eorum,qui petunt ordinari ab ipso, nisi eos,qui prius fuerint examinati,& probati,non acciperent verum ordinem,qui aliter accederent ad ordinis assumptionem.

6 Pro cōcordia predictorum pro vtraque parte citatorum, dicendum videtur primo,clericum ætatis legitimę defectum patientem ordinatum ab Episcopo, qui protestatus fuit ore & mente se non intendere ordinare aliquem huiusmodi defectum patientem,non esse ordinatum, & debere ordinari denuo,vt probant argumenta pro parte negante adducta.

2 Secundo,quod si protestatio huiusmodi fuit ore tātum facta,ad arcendum audaciam nimiam accedentium illegitimè ad accipiendos ordines,vt aliquos facere intelleximus,nō autem mente,quia nolebat in tantum discrimen & scandalū adducere à se ordinatos;iudicandi essent coram Deo ordinati:quia coram eo veritas præualet.[i]

Tertio, quod si huiusmodi protestatio sola mente fieret, ita quod Episcopus verè illa esset mente & intentione , quod nollet ordinare,neque imprimere characterem eis,qui ætatis defectum paterentur; verè coram Deo non essent ordinati: quia verè coram Deo defuit Episcopo intentio ordinandi, per eadem argumenta pro parte negante adducta.

7 Quarto,quod si Episcopus nec ore , nec mente decreuit nullatenus ordinare eiusmodi defectum patientes, sed solum noluit vt illi ordinarentur, & prohibuit ne accederent ad ordinationem;censendi sunt ordinati, qui talem defectum patientes ordinarentur. Tum quod pro hoc est casus expressus in d.c.1.[k] adducto in 4.arg.partis affirmantis. Tum quod idem est iudicandum quo ad hoc de quolibet alio defectu, ob quem vetatur iure ordinatio,ac de defectu ætatis : quia nullus bonus Episcopus vellet vt inhabiles ordinētur ad ordines: sed non sequitur ex hoc,quod noluit imprimere characterem eis.Tum quod omnia iura tacta in primo argumento eiusdē partis,quibus suspenduntur male ordinati ab Episcopis, præsupponunt,quod patientes tales defectus,& ideo male ordinati receperunt ordinem & characterem,licet Episcopi noluerunt vt illi ordinarentur;& ideo faciunt examinari eos,& nihilominus eorum aliquot tum mendacijs,tum precibus,tum pecunia admittuntur ad ordines ab examinatoribus.

[a] Li.4.d.1.q. 5.ar.8.col.9.
[b] Ca.6.n.14. & c.13.n.17.
[c] Sess.7.ca.11. de sacra.in genere.
[d] §.quæ sit eius forma.
[e] Verb. baptismus 3.q.13.
[f] Vbi supra col.11.
[g] In c. sacerdos. de offic. ord.num.25.
[h] In praxi beneficiis.de cleri. ad sacrum ordinem male promotis,in fine.
[i] Cap.humanæ aures. 22. q.5.& c. tuæ. de sponsal. cū ei adnot.
[k] De eo qui furtiue ordin. suscep.

8 Tum quia à separatis non fit illatio;[a] & separata sunt voluntas,qua Episcopus vult,ne quis malè ordinetur, & intētio non imprimendi characterem: partim quod prior sine posteriori contingit;vt in d.cap.1.[b] partim quod quotidie tam Maximi Pontificis quam alij collatores beneficiorum nollent conferre malis beneficia,non tamen intendunt,vt collationes quas faciunt,sint ipso iure nullę,nisi in certis casibus,vt habet communis resolutio,quam post alios sequitur Felinus.[c]

9 Tum quia omnes mortifero peccato infecti sunt indigni sacramentis,[d] & beneficijs ecclesiasticis, vt nos post alios tradimus in Miscel.34.[e] attamen conferentes sacramenta & beneficia existentibus in statu peccati mortalis:non intendūt, vt illa eis collata sint ipso iure nulla.Tum denique quod sine vllo peccato potest quis velle, ne quis male ordinetur, male suscipiat sacramentum,malè acceptet beneficium; attamen quod ordinatio , & sacramenti & beneficij collatio valeant eis eo modo,quo iure valere possunt.

10 Quinto,quod ex hoc 4.sequitur , quod nō est in dubio præsumendum de Episcopo,quod non intendit ordinare verè illum,quem ordinat,ex eo quod ille patiatur defectum ætatis;etiamsi mētitus fuerit se habere legitimam ætatem. Tū quia,vt dictum est,non est arguendum,nec præsumendum à separatis.Tum quia eadem ratione esset præsumēdum; quod Episcopus non intendit ordinare alios, qui paterētur defectū naturalium,vel excessum censurarum , excommunicationis, interdicti,suspensionis,irregularitatis, vel alius inhabilitatis, immo cuiuscumque etiam peccati mortalis , cum peccent mortiferè tales procurando suam ordinationem:quod tamen dicere esset absurdum, & numquam ab aliquo vel per somnium cogitatum , immo expressum contrarium in d.cap.1.[f]

11 Sexto, nō obstat dicere,quod ad hæc responderi potest per argumēta,quæ adduci possunt ex eo,quod quilibet Episcopus ordinās pręsumitur bonus,[g] & quod Episcopus peccaret volendo conferre ordines ei,qui non habet legitimam ætatem,[h] & quod peccat qui peccato consentit, [i] non inquam obstat cap.fin.[k] quia responderi potest per prędicta negando, quod Episcopus peccet intendendo verum ordinem conferre accedentibus ad eum iustè secundum iura exterioris fori, argum.l.*illicitas*.[l] & cap.*pastoralis*.[m] & aliorum multorum, quæ probant personam publicam,qualis est Episcopus,debere iudicare secundum allegata & probata,negādo item,quod Episcopus consentiat peccato , eo quod ordinandus peccat ordinem petendo:alioquin omnis Episcopus intendens verū ordinem conferre accedentibus cum peccato mortali,peccaret,quod est absurdum,& ita non dicendum.[n]

12 Septimo,quod mea sententia grauiter peccaret Episcopus generalem ordinationem facturus,si expresè vel tacitè coram Deo proponeret,quod non intendit ordinare ex illis eos,qui sunt ordine indigni propter occulta crimina & defectus,quos ipse nescit,nec tenetur scire,vel non potest probare.Tum argumento cap.*si tantum*.& cap.*placuit*.[o] quæ probant peccare Episcopum obiicientem subdito crimē aliquod quod probare non potest.Tum quod faceret contra consuetudinem sanctissimorum Episcoporum antiquorū , & nouorum totius Ecclesiæ Christianæ,quod esset contrauenire ca. *quo iure*.[p] & alis ei similibus. Tum quod induceret grandia & noua scandala,contra cap.*nihil cum scandalo*.[q] Tum quod non pertinet ad ipsum occulta crimina punire , [r] cum non sit secretorum iudex.[s] Salua,&c.

*Aduertendum similē casum propositū fuisse sacræ Congregationi, in quo præterea Decanus quo Episcopus,dum viueret , familiariter vtebatur,attestantur Episcopum sæpe sibi dixisse se similes protestationes ad solum terrorem emittere;eamque inclinasse,vt sic ordinati iterum ordinarentur, reque remissa ad Pont. idem anno 1566. in Februario respondit,vt tales ordines iterum reciperent. Et ratio est,quia ex verbis protestationis plenè præsumptiuè constabat de voluntate Episcopi intendentis talibus ordinem characterē non imprimere;quæ præsumptio ex prædicta assertione Decani non elidebatur.*

SVMMARIVM.

1 *Ordinatus non est,quem ordinans ordinare non intendit.*
2 *Infidelitas præcedens conuersionem,siue propria,siue parentum, non impedit,quo minus quis posit ordines & beneficia recipere.*
2 *Hæresis crimine damnati filijs simpliciter, nepotibus vero per*

[a] Leg. Papin. ff.de minor.
[b] De eo qui furt. ord. recep.
[c] In cap.2. de rescript.
[d] Ca.illud. c. per Esaiam. 1.q.1.
[e] De Rosa. B. Mariæ Virg.
[f] De eo qui furt.
[g] Ca.2.de re. iur.cum simi.
[h] Cap.fin. de tem. or.lib.6.
[i] Ad Ro.1.& c.1.de off. deleg.
[k] De tē. ord. lib.6.
[l] §.veritas.ff. de off. præsidis.
[m] §. quia vero.de offi.ord.
[n] Cap.dudū. de præb.li.6.
[o] 6 quæst.2.
[p] 8.distinct.
[q] De præscri.
[r] Cap. si omnia.6.quæ.1.
[s] Ca.erubescant.32.dist.

*masculinam lineam descendentibus solum nocent: ne possint ad ordines: nec ad beneficia promoueri; at si solum sint damnati vti suspecti: non nocent, quia descendentes hæreticorum dici, non possunt.*

3 *Intentio ordinandi ordinanti defuisse non præsumitur.*

4 *Malus nemo in dubio præsumendus.*

## CONSILIVM II.

EPISCOPVS generalem ordinationẽ facturus prius edixit, ne qui ab hæreticis originem ducerent, ad ordinationem accedere præsumerent. Quo non obstante, quidam, cuius maternus auus ab hæreticæ prauitatis Inquisitoribus propter quædam verba fidei Catholicæ quodammodo dissona, tamquam de hæresi suspectus ad certam pœnã condemnatus reperiebatur ordines accepit. super quo postea inquisiuit Episcopus, & fuerunt examinati testes. Dubitatum fuit, an prædictus nepos rectè ordinatus censendus esset.

1 Respondeo, quod præd. D. consulens non debeat censeri bene ordinatus, facit primo, quod nemo potest haberi pro bene ordinato, nisi ordinator habuerit intentionem & voluntatem ordinandi; quia de substantia & essentia ordinationis, & confectionis aliorum sacramentorum, est quod conferens vel conficiens illa habeat intentionem actualem, vel virtualem conferendi, vel faciendi ea, secundum S. Thomam cõmuniter receptũ,[a] & quod prędictus Episcopus videtur non habuisse intentionem ordinandi consulentem, vt significat articulus prædictus, super quo fuerunt examinati testes. Secundo, quod consulens descendit ab auo punito per officium sanctæ Inquisitionis, quod videtur contra c. *statutũ*[b].

2 Pro contraria verò parte facit primò, quod infidelitas præcedens conuersionem etiam eiusdem ordinandi, vel beneficio donandi, regulariter non impedit promotionem eius, vt habet cap. *eam te.*[c] vbi hoc ponit pro regula Felinus num. 12. vers. infidelitas.

Secundo, quod per prædicta nõ probatur, quod auus maternus cõsulentis fuit hæreticus, sed solũ quod dixit aliquid non bene sonans, quod longe differt ab hæresi.[d] Nec obstat, quod fuit à Sancto officio Inquisitionis condemnatus in aliquo: quoniam passim condemnantur multi etiam pœna pecuniaria ab illo propter suspicionem etiam leuem hęreseos, vt notatur in d. cap. *accusatus.* & cap. *litteras.*[e] & consequenter non potest dici ob prædicta descendere ab hæretico: & licet id dici posset, non tamen diceretur descendere ab eo per lineam masculinam sed per fœmineam, per quam qui descendit vltra primum gradum non fit inhabilis.[f]

3 Tertio quod non obstat argumentum primum: quia non probatur defuisse Episcopo intentionẽ ordinandi eum. Tum per c. 1.[g] ex quo colligitur nõ præsumi defectũ intentionis ordinatori, qui ordinauit eũ qui cõtra excõmunicationẽ à se latã ordinationi diaconatus se ingessit; cum præsupponatur illum diaconum per dispẽsationem fieri posse sacerdotem sine iterata diaconatus receptione. Tum quod id ipsum efficaciter probatur in capit. vltim.[h] Tum quod aliud est, quod aliquis Episcopus prohibeat ordinari aliquos indignos & aliud, quod ei desit intentio ordinandi eos, si se illi eorum indignitatem ignoranti obtulerint ordinandos: & consequenter ab altero illorum ad alterum non est inferendum, cum à separatis non fiat illatio.[i]

4 Minus obstat secundum, quod soluitur per 2. arg. pro hac parte formatum. & præterea dici potest, non esse præsumendum defectum intentionis quo ad casum propositum; quia per talem præsumptionem præsumeretur Episcopum deliquisse: nam non poterat ipse iure repellere ordinãdum ex eo, quod descenderet ab illo auo materno, per d. cap. *statutum.* 2. & in dubio non est præsumendum delictum,[k] & ita D. consulens securè potest ordine suo vti quo ad forum cõscientiæ, immo vt puto, quo ad forum exterius, per alia quæ adduci possent, sed non sunt necessaria.

a 3. p. q. 64. a. 8.
b De hæreticis lib. 6.
c De rescrip.
d Arg. ca. accusatus. de hæret. lib. 6.
e De præsũp. & in d. c. statutum. 2.
f Dict. c statutum. 2.
g De eo qui furtiue ordinem suscepit.
h Eiusd. titu.
i Le. Papin. ff. de minor & c. ad audiẽtiã. de decim.
k Le. si procurator. ff. de cond. inde. & c. 2. de regul. iuris.

## DE PRIVIL. ET EXCESSIB. PRIVILEG.

### SVMMARIVM.

1 *Gratia Papæ non eget ad sui essentiam scriptura, nec expirat morte concedentis; licet mandatum de ea facienda, re integra, expiret. num. 2.*

3 *Credi nedum non debet in foro exteriori alicui asserenti sibi absenti gratiam factam nisi probet; sed nec in conscientia, nisi, semiplenam habeat probationem, vel aliquibus præsentibus ita facta sit, quod possent iurare ita esse. num. 4.*

## CONSILIVM I.

GRATIA facta à Papa sine scriptis viuę vocis oraculo monialibus aliquibus manendi extra claustra, finita an fuerit morte Papæ, & an sit credendum eis affirmantibus sibi factam fuisse illam gratiam, aut confessarijs earum, qui eam fieri non audierunt, neque audiuerunt ab ipsomet Papa eam fecisse.

1 Respondetur primo, gratiam præfatam valuisse, licet non fuisset in scriptis facta: quia scriptura nõ est necessaria ad substantiam & valorem gratiæ, per clementinam *dudum.*[a] vt tradit Archidiaconus,[b] receptus communiter ibi, & in rubrica de constitut. etiam per Felinum & Deciũ post alios ab eis citatos.

2 Secundum, quod prædicta gratia non expirauit per mortem Papæ: quia licet mandatum de gratia facienda expiret regulariter morte illius,[c] gratia tamen iam facta non expirat morte illius,[d] & textus aptissimus cap. si super gratia.[e]

3 Tertio, quod prædictis monialibus solis non potest credi quo ad forum exterius: quia quo ad illud de non existentibus & non apparentibus idem est iudicandum.[f]

4 Quarto, quod etiam quo ad solum forum cõscientię non potest eis solis credi, si solum de auditu & relatione aliorum deponunt, nisi iuuentur alicuius Cardinalis, vel sui prælati attestatione, vel alijs magnis coniecturis, & indicijs, quæ saltem semiplenam efficiant probationem: quia si Papa non fecit eis prædictam gratiam personaliter, ita vt ipsæmet audissent eius verba, non possunt iurare eam fuisse sibi factam. & ita hoc casu videtur sua Sanctitas consulenda. Salua, &c.

a §. si. a iũcta glo. verb. verbo. de sepult.
b In procemi. lib. 6.
c Cap. relatũ. de off. deleg.
d Cap. gratiã. eodem tit.
e Eod. tit lib. 6.
f Le. duo sunt Titij. ff. de test. tut. & c. si sacerdos. iuncta glo. de offic. ord.

### SVMMARIVM.

1 *Dispensandi facultate concessa non vtendum, literis, non expeditis, quando Papa in supplicatione deleuit illa verba*, Per breue.

## CONSILIVM II.

PRÆLATVS cuiusdam religionis supplicauit Sãctissimo, vt concederet ei & alijs suæ religionis superioribus facultatem dispensandi super irregularitate occulta cum suis religiosis, sicut possũt Episcopi cum suis subditis vigore Cõcilij Tridẽtini & in supplicatione petebat, vt expediretur per breue, & non per bullam: Papa concessit facultatem, sed deleuit illam clausulam, in qua petebatur, quod expediretur per breue.

Dubitatur, an prædicti prælati possint vti dicta gratia sine alia expeditione literarum, an necesse sit bullas expedire.

1 Respondeo; quod etsi disputãdo fortè teneri posset prędictos prælatos posse vti prædicta facultate ante bullarum expeditionem; non tamen auderem consulere vt id facerent, attento quod id esset contrarium menti Papæ gratiam faciẽtis, cuius in arbitrio consistit suæ gratiæ limitatio, & ampliatio. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Gratia à Papa concessa, donec aliud decernat, si nihil decernat, illius morte non expirat; secus de concessa vsque ad eius beneplacitum, quia morte cessat voluntas, seu beneplacitum.*

## CONSILIVM III.

DECANVS fuit exemptus à iurisdictione Episcopi per Papã, donec aliud decerneret. Dubitauit, an morte Papę recidat; & remaneat eidem Episcopo subiectus.

Respondeo, quod præfatus D. Decanus non remanebit subiectus Episcopo, si ante mortem suam aliud non decreuerit S. D. N. immo durabit exemptio, donec per successorẽ eius reuocetur exemptio à Papa concessa: donec enim aliud decreuerit, non videtur reuocari per solam mortem eius.

1 Tum quia gratia facta à Papa non expirat eius morte.[g] Tum quia nihil obstat, quod posuerit terminum, donec

g Ca. si super gratia. de offic. deleg. li. 6. cle. dudum. §. fi. de sepult.

donec aliud decernat: quia licet per mortē ipsius cesset gratia facta vsque ad beneplacitum eius per cap. *si gratiose* [a] quia per mortem desinit beneplacitum eius; non est tamen idem de clausula, *donec aliud decreuerit*; quia licet per mortem desinat velle, [b] non tamen per mortem suam aliud videtur decernere: quia in illo sufficit cessatio voluntatis, quæ morte cessat; in hoc autem requiritur dispositio, & decretatio, siue statuitio, quæ non fit per mortem, immo per eam tollitur potestas disponendi aliud. Salua, &c.

a De rescrip. lib. 6.

b L. 4. ff. loca.

SVMMARIVM.

1 *Casus reseruati Episcopo ligāt exemptum, nisi sit ita exemptus, vt nec ratione delicti vel contractus ei subiiciatur.*

## CONSILIVM IV.

EXEMPTVS simpliciter à iurisdictione Episcopi, an eximatur à casibus ipsi Episcopo reseruatis?

1 Respondeo, quod exemptio simplex à iurisdictione Episcopi non videtur eximere quem à reseruatione casuum eius: quia ratione delicti & peccati subiicitur ei, [c] secus videtur, si esset ita exemptus, quod etiam ratione delicti vel contractus non subesset ei, per notata ibidem.

c Ca. 1. de priuil. lib. 6.

*Aduertendū an hoc responsū sit integrū, cū quoad forū principale quis rationē delicti seu peccati non sortiatur forum nec efficiatur subditus Iudicis loci, in quo deliquit. gl. pen. in fi. cap. placuit 16. q. 1. Panor. c. 1. cle. not. de rapt. quem cum alijs refert, & sequitur add. ad Felyn. c. licet. num. 17. de for. comp. Et tanto magis doctrina Naua. hic esset dubitabilis, si exemptus peccasset extra illius territoriū. & dispositio d. c. 1. quod procedit in foro exteriori, non potest ex prædictis applicari foro pœnitentiali. Immo si aduertatur dispositionem d. c. 1. procedere limitando effectus absolutæ exemptionis, sumi poterit argumentum, vt non limitet exemptiones, quoad forum conscientiæ competentes.*

SVMMARIVM.

1 *Intellectus decreti sacri Conc. Trid. de obseruandis & euitandis in celebratione. sess. 22.*

1 *Priuilegio cap. fin. de priuileg. in 6. Romæ non vtūtur nec Episcopi, nec Cardinales, nisi de expressa concessione Papæ; at extra in suo episcopatu ex causa vti possunt, in alieno autem non, si Episcopus ille Conc. Trid. recepit, simulque mādauit: ne quis extra loca ad missandum deputata celebret. num. 2.*

2 *Episcopus, etiam post Conc. Trid. in sua diœcesi iuxta statutum Concilij Triburiensis licentiam facere potest sacerdotibus, vt extra ecclesias sacrum faciant.*

## CONSILIVM V.

AN POST Concilium Tridentinum [d] liceat episcopis, vbicumque reperientur, vti priuilegio, de quo in cap. fin. [e] dicendi Missam extra ecclesiam, vel alium locū sacrum super altare portatili. &c.

1 Ad hoc quæsitum respondeo primo, respondisse me in Man. conf. [f] quid circa illud seruatur Romæ, scilicet, quod Episcopus non vtitur illo priuilegio episcopali post Concilium Tridentinum, adeo quidem, quod neque Cardinales vtuntur eo, nisi de concessione expressa Papæ, quam Papa concedit quidem illis, sed rarissimè vllis Episcopis: quamuis mihi concessa fuit in insignem gratiam ob aliquot circunstantias speciales, vt vbi supra testatus fui.

d Sess. 22. de obseruan. & euitand. in celebrat. Missa.
e De priuil. in 6.
f Ca. 25. n. 82.

Secundo, quod verius credo Episcopum non posse in alieno episcopatu priuilegio illo vti, si Episcopus ille recepit Concilium Tridentinum prædictum, ita vt prohiberet, ne quis missaret in suo episcopatu extra loca sacra, vel quę ad solum missandum specialiter non essent deputata, secundum formam Concilij, quia Episcopi auctoritate prędicti Concilij possunt statuere quæ sibi videbuntur iusta & honesta, tamquam delegati Papæ, non obstantibus priuilegijs, vt exprimit ipsum Concilium.

2 Tertio, quod satis æquè posset dici, posse Episcopos in suis episcopatibus vti priuilegio illo ex aliqua iusta causa. Tum quia non vetat directè Concilium missare cum altari portatili, sed solum ne patiatur Episcopi id fieri in suis episcopatibus. Tum quia per illam modificationē videtur significare, quod intentio Concilij fuit statuere, ne id fieret pro libito, & sine aliqua iusta causa, sed quod interueniente illa posset Episcopus missare, & eiusmodi celebrandi facultatem facere, iuxta statutum Triburiense translatum in cap. *concedimus.* [a] quod satis nos significauimus vbi supra in duos exemplis ibi positis, &c.

a De conse. d. 1.

SVMMARIVM.

1 *Legere librum vetitum liceat extra territorium licentiam cōcedentis.*

1 *Licentia aliquid faciendi mihi concessa potero extra concedētis territorium vti.*

## CONSILIVM VI.

AN HABENS indultum seu licentiam legendi aliquē librum vetitum, possit legere illum extra territorium concedentis licentiam?

1 Pro parte negante facit, quod iudex non potest iubere aliquid extra suum territorium vt habetur, l. vlt. [b] & c. 2. [c] quatenus habet, quod excommunicatio lata ab Episcopo contra furem, non ligat suum subditum extra suam diœcesim furantem: & quod permissus prædicare, confirmare, baptizare, & ordinare, non poterit ea facere extra territorium permittētis: & quod sublato vno impedimento, alterum separatum non censetur sublatum, [d] & quod limitata causa limitatum producit effectum, [e] & omnes præter Papam habent iurisdictionē limitatam ad certa loca; ergo non possunt facere, vt quod est prohibitum quo ad omnia loca, liceat extra illa, in quibus illi habent iurisdictionem: & quod interdictio artis nō durat vltra tempus interdicentis. [f]

b ff. de iurisd. omnium iud.
c De const. li. 6.
d L. si domus. ff. de seruit. vrb. præd. ca. ex tuarū. de auctor. & vsu pal.
e L. in agris. ff de acqui. rerum dom.
f L. si de pœn.

Pro parte autem affirmante facit, quod habens licentiam confitendi videtur posse cōfiteri extra diœcesim, & parochiā eam concedentis, [g] & quod habens licentiam studendi potest studere extra territorium eam concedentis, [h] & quod licentia faciendi aliquid aliàs prohibitū non expirat morte concedentis eam, per multa quæ adduximus in d. cap. *placuit.* [i] & quod dispensatus ad non ieiunandum potest omittere ieiunium extra territorium concedentis: & quod qui habet licentiam comedendi lacticinia diebus pisculentis, videtur posse comedere extra territorium eam concedentis.

g Ar. ea. placuit. adiuncta glo. de pœ. d. 6.
h Arg. c. cum ex eo. de elec. lib. 6.
i Num. 161.

*Aduerte hoc responsum non esse perfectum, nec esse assumendam illam conditionem quæ habet Doct. censeri adhærere sententiæ, videlicet loco relatæ: quandoquidē vt dixi, responsū ipsū est imperfectum, & ei deest sententia auctoris, & fortè negatiua est nedum tutior, sed & magis probabilis. Nec enim video quomodo Sūmus Episcopus posit etiā proprio subdito dare licētiā vt in alienā diœcesim importet librum prohibitum, quam importationē supponit affirmatiua.*

SVMMARIVM.

1 *Priuilegio concesso contra ius qui legitime vtitur, non peccat, modo non sit reuocatum. num. 16.*

1 *Dispensatus non peccat, qui dispensationi innitens ius non seruat.*

2 *Ius superueniens non tollit priuilegia antea concessa, ex quorum vsu ipsum ius ex toto non redditur inutile. & numero 9. & 15.*

3 *Intellectus cap. 1. & 2. sess. 25. de reg. & nu. 4. 10. & 18.*

3 *Regulares, qui ante Concilium obtinuerant beneficia sæcularia in cōmendā vel pensiones, non tenentur illa in communitatem reducere. nu. 5. nec quibus concessum fuerat vt stantes extra monasterium possent per eos quæsita in vsus pios conuertere, tenentur ea consignare prælatis. nu. 4.*

6 *Priuilegia dum quo ad aliqua capita tolluntur: in reliquis videntur durare, argu. à contrario sensu, quod tamen non procedit, si alio iure constaret de contraria dispositione. num. 19.*

7 *Priuilegia miserationis, vel pietatis, seu alimentorum causa concessa, per generalem derogationem non censentur sublata: sed requiruntur clausulæ magis speciales. num. 18.*

8 *Priuilegia concessa cum clausulis derogantibus derogatorijs futuris non censentur sublata per generalem derogatoriam postea factam, immo nec attento iure per hanc clausulam,* In quacumq; forma concessa, *quæ æquipollet huic,* Quartum tenores &c. *at de stilo secus seruatur. Item & fallit in derogatoria generali contenta in lege derogante. nu. 20.*

9 *Intellectus cap. 22. sess. 25. Conc. Trid. de Reg.*

9 *Regulares priuilegijs sibi de tempore interdicti celebrando antea cōcessis modo post Concilium non vtuntur: possunt tamē vti priuilegio clauso in corpore iuris, vt in cap. alma. de sent.*

excom.

*excom.in 6.& n. 13.17.suntq.in hoc exæquati parochis sæcularibus.num.14.*

9 *Priuilegia ante Concilium concessa regularibus modo eis non suffragantur, quo minus teneantur ius commune, & eorũdem regularum primæuã institutionẽ quo ad specialiter tota sess.25.de reg.per Concilium innouata seruare: vnde tenentur, nõ obstante priuilegio, vel immemoriali consuetudine viuere in communi, num. 10 dimittere peculia ante cõcessa, nu 11 & moniales seruare clausuram ad formam c. periculoso, num.12. Fallit hæc conclusio quo ad priuilegia clausa in corpore iuris, quia illa non censentur sublata.num.17.*

17 *Priuilegia clausa in corpore iuris non censentur sublata per aliam superuenientem dispositionem, etiam iuris communis, habentem in se clausulam generalem.*

Non obstantibus priuilegijs.

## CONSILIVM VII.

PRIVILEGIA regulariũ, quibus cõceditur eis facultas celebrandi diuina in diebus Sanctorum suorum ordinum, & aliquot alijs tempore interdicti, ianuis apertis, &c. an sint sublata per [a] Conciliũ Tridentinũ.

1 Pro parte negãte facit primò, quod nõ peccat, nec transgreditur legem iustam, qui eam seruat cũ moderatione cõcessa ei legitime. [b] Nam illegitimus, qui professus religionẽ accipit ordinem etiam presbyteratus, modo abstineat ab accipienda dignitate, non peccat, nec transgreditur legem de illegitimis non ordinandis, [c] nec clericus nobilis, vel doctor legem de non habendo plura beneficia, [d] accipiẽdo illa cum iusta dispensatione, [e] modo abstineat à pluralitate, ad quam non se extendit eius dispensatio, nec religiosus manens in alia religione, de licentia legitima, dimissa illa in qua stabilitatem Deo vouit, [f] modo abstineat ab eis, ad quæ sua licentia non extenditur, iuxta dictam clem. 1.

2 Secundo, quod præfatum cap.12. non videtur fieri inutile per obseruantiam interdictorum cum moderamine priuilegiorum. Tum quia prodest, qua parte statuit teneri monachos omnes ad publicãda interdicta ordinariorum, & seruanda eadẽ cũ præfato moderamine, non obstante quod sint exempti ab eorum iurisdictione: propter quod fuit edita etiam clem.1. [g]

3 Tertio, quod religiosi habentes beneficia sæcularia in cõmendam non videntur teneri ad reducenda illa in communitatem, quam præcipiunt cap.1. & 2. [h] & non alia ratione, quam quod non peccant seruando ea cum moderatione à iure communi concessa.

4 Quarto, quod aliquot religiosi & religiosæ viuentes extra monasteria cum iusta dispensatione Sedis Apost. etiam ante præfatum Concilium habita, per quam fit eis facultas conuertendi in suos vsus ea quæ alias licite acquisierint, permittuntur à Sede Apost. manere extra monasteria, non resignãdo illa in manibus prælatorum ad vsum communitatis: & non alia ratione, quàm quia seruãt regulam, & ius commune cum moderatione concessa priuilegio Papæ.

5 Quinto, quod idem permittitur religiosis habẽtibus pẽsiones cõstitutas sibi à Sede Apost. in suos vsus conuertendas, maxime si de licentia eiusdem extra claustrum degant.

6 Sexto, quod in eodem Cõcilio, [i] speciatim tolluntur priuilegia concessa vel concedenda cõtra aliqua in eis statuta: quo à contrario sensu significatur non esse sublata priuilegia quo ad alia. [k]

7 Septimo, quod priuilegia miserationis, pietatis, vel alimentorum causa data, qualia videntur præfata, non tolluntur per derogationem generalem. vt habetur in capit. *si propter*. [l] & l. *libertis*. [m] & tradit Cynus, [n] quẽ sequitur Decius. [o]

8 Octauo, quod aliquot præfatorum priuilegiorum habent clausulas derogatoriarum derogatorias, quæ defendunt ea à derogatione generali, qualis est posita in præfato cap. 22. Nec obstant illa verba, *In quacumque forma, &c.* quia opinio, quam dicit communem, & sequitur Decius, [p] habet, non sufficere etiam illa, quæ adderet, *Quorum tenores pro expressis habentes, &c.*

9 His tamen non obstantibus de rigore iuris pars affirmans videtur verior. Primo quidẽ, quod nisi illa pars teneatur, inutile redderetur d.c.12. cum absque iussione illius tenerentur seruare religiosi interdicta cum moderatione suorum priuilegiorum. [a]

Secundo, quod præfatum cap. 22. videtur tollere illis omnia priuilegia contraria iuri communi; quod Concilium specialiter præcipit seruari ab eis in omnibus capp. illius tituli. & constat præfata priuilegia esse contraria iuri communi de seruando interdicto, cuius obseruantia specialiter præcipitur eis in illo cap.12.

10 Tertio, quod si sufficeret eis seruare interdicta cũ moderatione minori, quam iure communi concessa in cap. vlt. [b] & alijs iuribus communibus, non obstante derogatione priuilegiorum, [c] sequeretur quod etiam sufficeret in monasterijs & ordinibus, in quibus regula laxata est priuilegio Sedis Apostol. vel consuetudine immemorabili quo ad aliqua contra tenorem & statum primæuum illius, seruare illam cum illa relaxatione: & quod consequenter non debent compelli ad vitam communem obseruandam monasteria, in quibus priuilegio Sedis Apost. vel à tempore immemoriali priuatim comedunt, & viuunt; cum consuetudo immemorialis, adiuncta allegatione priuilegij, æquipolleat illi. [d]

11 Quarto quod eadem ratione excusabuntur religiosi tenentes peculia per licentias traditas expressè, vel tacitè concessas à Sede Apost. ante & post Concilium Tridentinum, non obstante cap.2. [e] Possunt enim dicere quod satis seruant regulas, seruando eas cum moderamine concesso eis à Sede Apostolica, vel consuetudine immemoriali ei æquipollente: & ita cap.2. [f] erit restringendũ ad peculia, quæ monachi vel monachæ absque sufficiẽti licentia tenebant, vel tenent: ad quod etiam ante d.c. restringebantur.

12 Quinto, quod eadem ratione se defendãt monachæ seruantes quidem clausuram, at non tam strictam, ac mandat c. *periculoso*. [g] sed cum moderatione priuilegiorum Apostolicorum, vel consuetudinum immemorialium eis æquipollentiũ: & ita magna ex parte eneruabitur cap.5. [h] nisi quo ad egressũ monialium sine causa: quia quo ad hoc ibidem specialiter tolluntur priuilegia. Eadem quoque ratione parum proderunt aliquot alia capita eiusdem tituli, si dicamus sufficere seruare iura communia in eis contenta cum moderamine priuilegij Apostolici, vel consuetudinis immemorialis ei æquipollentis.

13 Sexto, quod ipsimet religiosi, qui petierunt à fel. recor. Pio V. vt manerent sibi salua priuilegia suspendendi interdicta, non obstante Concilio Tridentino putarunt ea per illud fuisse sublata; eo quod visum fuit eis, iura communia specialiter præcepta seruari in titulo illo esse seruãda absque moderatione priuilegiorum, & consuetudinum eis æquipollentiũ; & merito: quia D. Antoninus, [i] ponit priuilegium Honorij Papæ, quo significatur, sublatis priuilegijs, videri sublata priuilegia concedentia moderationem seruandis interdictis.

14 Septimo, quod mens Cõcilij videtur fuisse, æquare parochis religiosos quo ad obseruanda interdicta; & vt religiosi, qui sunt coadiutores parochorum, non superent eos, cum accessorium debeat sequi, non præcedere suum principale. [k]

15 Octauo, quod alioqui præfatum c.22. redderetur ineptũ, & inutile: quia nisi tolleret omnia priuilegia contraria iuri antiquo communi, & nouo iusso seruari in omnibus præcedentibus capp. quorum vnum est 12. nulla tolleret; tollit enim vniuersaliter sine discrimine omnia & singula priuilegia cõtra omnia & singula superiora decreta.

16 Ad citata in oppositum respõdeo. Ad primum quidem, concedendo quod non peccat qui seruat legem cum moderatione legitimè concessa, donec illa durat, secus ea sublata, & ita concedo, religiosos seruãtes interdicta cum moderatione priuilegiorum ante Concilium Tridentinum, ante quod durabant, non peccasse; sed postquam per illud sublata fuerunt, id faciendo peccare.

Ad secundum respondetur per primum partis affirmantis.

17 Ad tertium concedo, quod religiosi habentes beneficia non tenentur communicare fructus eorum conuentibus suis: quia priuilegium dispendendi eos pro suo bono arbitrio competit eis priuilegio in corpore iuris clauso; per quod, vt ait Cardinalis, cui nemo contradicit, [l] eodem modo possunt disponere de illis ratione titulorum suorum, ac sæculares de fructibus beneficiorum suorum. Et clausula, *Non obstantibus priuilegijs*, non extenditur ad priuilegia in corpore iuris clausa, vt tenet Bartholus com-

munitter

---

Left margin notes: a *Cap. 12. & 22. de regul, sess.25.* b *Leg. Gracchus. C. ad l. Iul. de adult. & c. quæsiuit. de his quæ fiunt à maiori par. cap.* c *Ca.1. de fil. presb.* d *Ca. cum iã dudũ, de præ.* e *Ca. de multa e od. tit.* f *Cap. licet. de regul. clem. 1. eod. tit.* g *De sen. ex com.* h *Præfati tit. de regular.* i *Ca. 4.5.8.9. 10.& 13.* k *Cap. qualis. 25. dist. & ca. nonne. de præsumpt.* l *De rescript.* m *§. posthum°. ff. de alim. & cib. leg.* n *In l.1. Cod. quando impe. inter publ.* o *Cons. 105. num 5.* p *Vbi sup.*

Right margin notes: a *Cle.1. de sẽ. excom.* b *De sen. excommunic. li. 6.* c *Prædicti c. 22.* d *Le. hoc iure. §. duct° aquæ. ff. de aqua quotid. & æstiu. & ca. super quibusd. de verbor. signif. & vtrobique, atq; alibi sæpe doctores iur.* e *Præfati tit. de reg. iur.* f *Eiusdem ti. de reg. iur.* g *De statu regul. lib.6.* h *Eiusdem tit. de regul.* i *In 3.p.ti.26. cap.5.§.1.* k *Cap. accessorium. de reg. iur. li. 6. cum ibi citatis.* l *In cle. 2. §. cæterum. de vita & hon. cler.*

muniter receptus.[a] Et ita concedimus etiam religiosos posse vti priuilegio, cap. *alma mater*. quod est clausum in corpore iuris.

18 Ad quartum negari posset de rigore, quod assumitur in illo; sed concedendo illud de æquitate, respondeo illa esse priuilegia concessa miserationis & alimentorum causa, ad quæ supra dictum est non extēdi derogationes generales quibuslibet clausulis munitas: negando tamen esse talia priuilegia suspendendi interdicta, & de quibus agimus. Posset etiā responderi, quod intentio Concilij non fuit comprehendere per c.1.&2. religiosos viuētes seorsim extra monasteria de licentia Sedis Apostolicę, sed solū conuiuentes intra monasteria, vt ex verbis colligi videtur.

Ad quintum respondetur idem quod ad quartum.

19 Ad sextum, quod argumentum à contrario sensu cessat, quando sumitur ad probandum id, cuius contrarium est expressum in iure, vt habet c. *à nobis*.[b] & glo. recep. & dilatata ibi per Felinum.[c] At in casu nostro exprimitur,[d] quod priuilegia omnia & singula contra statuta in illo titulo censeantur sublata; & ideo ex eo quod in aliquot capp. tollantur quo ad aliqua, non potest desumi argumentum quod non censentur sublata quo ad alia: quia [e] exprimitur contrarium, vt palam est.

Ad septimum, negatum est supra, priuilegia præfata esse concessa miserationis causa.

20 Ad octauum respondeo primo, adducta vbi supra à Decio,[f] procedere in derogatione posita in priuilegijs vel rescriptis, non autem in derogatione posita in iure communi; quo casu sufficit generalis, vt distinguit Calderinus,[g] quem sequitur etiam Decius,[h] & alij, quos ipse refert. Secundo, quod quidquid ibi asserat Decius & Felinus, quem ipse nō citat,[i] contraria opinio videtur nobis verior: quia eam seruat stylus Curiæ, qui facit ius,[k] quo stylo stante, etiam Felinus hoc tenet.

a *In extrau. ad reprimendam ver. non obstantibus.*
b *2. de sen. ex com.*
c *In c. significasti. de foro comp.*
d *In c. fi. eiusdem tit.*
e *In eod. tit.*
f *à num. 3.*
g *In consi. 11. de priuil.*
h *Ibid. nu. 2.*
i *In c. accedētes. de præscri.*
k *Cap. quam graui. de cri. fals. & ca. ex literis. de constit.*

*SVMMARIVM.*

1 *Priuilegium si allegetur, accedente immemorabili possessione, censetur probatum.*
2 *Ordinatos vigore cuiuscūque licentiæ ab alieno sine examine, & commendatitijs Episcopi, potest Episcopus examinare. numero 7.*
2 *Inhabilis conficiens, & ministrans sacramenta grauiter peccat: vnde potest ab Episcopo, non obstante exemptione, & quocūque priuilegio, corrigi, & puniri.*
3 *Imperitos parochos cum possit Episcopus cogere, vt assumant coadiutorem, vtique & poterit eos examinare.*
4 *Præficiendi exercitio curæ per vnum, siue multos etiam amouibiliter exercendæ ab Episcopo examinantur. & num. 5.*
6 *Priuilegiatus & si quis sit vt possit etiam sine consensu ordinarij, & eius præuio examine, alicui curæ præfici: poterit tamen Episcopus in visitatione via correctionis, extra vero via accusationis & inquisitionis cognoscere, de delicto illius, quod cōmittit, dum tamquam inhabilis inepte exercet suum officiū. & num. 8.*
8 *Cognoscere etsi non possit quandoque Episcopus de habilitate vel inhabilitate alicuius principaliter, potest tamen accessorie, dum de illius delicto cognoscit.*
9 *Curæ exercitium, quod ipso iure alicui, qui ad illud aliquem habet titulum, competit, habens non potest examinari ab Episcopo illo, sine cuius examine dictus titulus dari potest: at si vltra titulum requiritur deputatio, poterit ab Episcopo examinari.*

## CONSILIVM VIII.

CAPITVLVM ecclesiæ Visiensis, cui animarum cura illius incūbit, ab immemoriali solet illam per aliquot suos canonicos, & capellanos ad id specialiter à se sine alterius auctoritate & assensu creatos exercere: quos tamen modernus Episcopus, antequam ad illam admittantur, examinare, & deinde visitare, ac punire intendit. Quæritur an possit.

1 Hoc dubium difficilioris est resolutionis in recessu, quam videatur in accessu. Et pro Capitulo facit primò, quod hæc facultas potest competere ipsi priuilegio Papæ, & illud præsumitur, & censetur probatum, si allegetur per possessionem temporis, de cuius initio non est memoria, qualē se dicit habere Capitulum.[l]

l *Le hoc iure §. duct' aquæ. ff. de acq. quo. & ast. & ca. super quibusdam. cum ei annotat. DD. de verb. sign.*

Secundo, quod non videtur inueniri vllus canon, qui huiusmodi possessionem immemorabilem, & priuilegium ex ea præsumptum tollat: & antiqua non censentur sublata, nisi id monstretur.[a]

2 Contra tamen idem Capitulum facit primo,[b] Conciliū Tridentinum, per quem textum patet Episcopum posse examinare quoscumque capellanos, canonicos, & dignitates Visienses prędictam curam, vel partē eius exercentes, si nō fuerunt antea à se, nec ab alio per suas literas dimissorias ordinati.

Secūdo, quòd prędictū Cōciliū[c] habet, quod Episcopus potest omnes clericos suos exēptos, & non exēptos, nō obstante quocūq; priuilegio, corrigere, & punire, etiā extra visitationē, de excessibus eorū. At grādis excessus est, quod inhabilis cōficiat & ministret sacramenta,[d] iuxta illud Persianum, *Lex hominum, naturaque continet hoc fas, Vt teneat vetitos inscitia debilis actus.* Ergo Episcopus Visiensis poterit corrigere, & castigare prædictos capellanos, & alios canonicos, & dignitate prędítos, si existentes inhabiles, & insufficientes ad exercendam prædictam curam, vel partem eius, exerceant illam.

3 Tertio, quod cap. 3. de reform. sess. 21. habet, quod Episcopus potest illiteratos & imperitos ecclesiarum rectores cogere, vt accipiant coadiutores; quod non possunt facere sine examinatione. ergo poterit Episcopus Visiensis examinare prædictos capellanos, canonicos, & dignitate præditos, vt inhibeat eis, aut permittat exercitium curæ.

4 Quarto, quod prædictum Concilium,[e] habet, vt omnes præficiendi in rectores ecclesiarum parochialium prius examinentur. At prædicti capellani, canonici, & dignitate præditi videntur præfici prædicto exercitio curæ: ergo videntur prius examinandi. Nec prodest illis dicere, quod sunt multi, & non vnus; quia cap. illud habet expressè id esse faciendum, etiam si multi præficiantur ad curam vnius Ecclesiæ parochialis; vel ad administrandam eam, etiam si cura pertineret ad Episcopum, sicut in nostro casu pertinet ad Capitulum.

5 Quinto, quod prædictum Cōcilium,[f] habet, quod exercitium curæ personarum sęcularium pertinens ad aliquod monasterium siue virorum, siue fœminarum, etiam si sit ad nutum remouibile, non possit committi alicui sine consensu & præuio examine Episcopi. Ergo nec prędicti capellani, canonici, & dignitate præditi poterunt præfici prędicto exercitio curę sine consensu & examine pręuio Episcopi.

6 Sexto, quod etiam ante Cōciliū Tridentinū poterat Episcopus cognoscere de habilitate vicarij exempti, vel absentis ponentis eum ex priuilegio Papę continente, vt posset eum ponere etiam sine consensu ordinarij, & eius pręuia examinatione. Nec ob id priuilegium redditur inutile; quia operatur, vt ponere possit illum sine consensu & pręuia Episcopi examinatione; licet ordinarius visitando intra visitationem absolutè, extrà verò per viam accusationis vel inquisitionis possit cognoscere de delicto vicarij exercentis officium ineptè & malè ob inhabilitatem.

7 His pro vtraque parte perpensis, videtur dubium resoluendum per hæc tria. Primum, quod Episcopus poterit cognoscere de inhabilitate prædictorum omnium, qui non fuerunt ordinati ab eo, nec per literas dimissorias eius, iuxta prædictum Cōcilium,[g] etiam extra visitationem, etiam non procedendo contra eos per viam accusationis, inquisitionis, vel exceptionis: absolute enim & generaliter sine hac conditione & limitatione id statuit; & ita absolutè & generaliter est intelligendum.[h]

8 Secundum, quod prædictus Episcopus potest cognoscere de inhabilitate illorum, etiam à se, vel ab alio per suas literas dimissorias ordinatorum, procedendo contra eos visitando, vel alijs vijs tactis in sexto argumento pro posteriore parte formato: quia illis principaliter tenditur ad castigandum delicta, quod licet facere Episcopo; quamuis accessorie tendatur etiam ad cognoscendum de inhabilitate, per quam delinquitur; quod aliquando principaliter non posset facere.

9 Tertium, quod si præfati capellani eo ipso, quod deputātur à Capitulo capellani Capituli, habent annexam facultatē curandi: sicut canonici, & dignitate præditi habent eam eo ipso, quod tales fiunt; non potest Episcopus cognoscere de inhabilitate eorum ad illam curam exercendum magis, quam de inhabilitate canonicorum & dignitate

a *Leg. præcipimus. C. de appellat.*
b *Ca. 3. de reform. sess. 14.*
c *Cap. 4. de refor. prædicta sess. 14.*
d *Ca. 1. & ca. omnes. cum multis alijs 38. dist.*
e *Cap. 18. sess. 24.*
f *Ca. 11. de re. sess. 25.*
g *Ca. 3. de reform. sess. 14.*
h *L. de pret. ff. de publ. in rē act. ca. solitæ. de maior. & obedien.*

prædictorum ad habendos canonicatus & dignitates, cum canonicè fiunt tales ab alio, quàm ipso: quia non habet plus potestatis ad nominandos illos capellanos, quàm ad creandos canonicos, & dignitate præditos, cum ab alio iustè creantur; ad quod non habet, secundum tacta in 3. & 4. argu. pro Capitulo factis: & consequẽter non habebit plus iuris ad cognoscendum de inhabilitate horum, quam illorum, nec è contrario.[a] Si vero præfati capellani omnes eo ipso quod deputantur capellani Capituli, non habent potestatem curandi, donec denuo deputentur ad curam; poterit Episcopus eos examinare, & prohibere, ne antea exerceant illam, per prædictum Concilium,[b] & cap. *cum ex eo.*[c]

Ex his tribus dictis possunt colligi solutiones ad argumẽta vtriusque partis, quas breuitatis gratia non colligo.

a Arg. c. dudũ 2. de elect. & l. illud. ff. ad l. Aquil.
b Cap. 3. sess. 14.
c De elect. li. 6.

*Congregatio tamen, vt refertur, absolute censuit Episcopum posse examinare dictos capellanos, canonicos, & dignitates volẽtes curam exercere; & eisdem inhibere, ne curam exerceant, vel sacramenta ministrent absque sua approbatione.*

*SVMMARIVM.*

1 *Intellectus cap. 20. sess. 24. de reformat. Concil. Trid.*
1 *Ordinaria iurisdictio potest alicui competere vel iure communi, vel consuetudine, vel priuilegio; & de his omnibus iurisdictio ordinaria vti de suis speciebus proprie prędicatur, siue agatur de ea tollenda, siue moderanda, siue etiam confirmanda, & hoc etiam ad effectum vt possit delegari.*
2 *Delegatus Papæ & Principis subdelegat, sed non nudum sibi ministerium commissum, alterius autem inferioris delegatus non subdelegat.*
2 *Inferiores Episcopo post Conciliũ nõ cognoscũt de causis matrimonialibus nec qui non sunt exempti de criminalibus suorũ subditorum. idem dicitur de exemptis priuilegio personali: nam exemptis à iurisdictione ipsorum ordinariorum ratione suarum dignitatum, beneficiorum, vel religionum, non tollitur eorum iurisdictio criminalis prius etiam exclusiue ad Episcopos competens, & num. 5.*
3 *Iurisdictio inferiori Episcopo concedi videtur in dubio cumulatiue.*
4 *Correctio monachorum primo loco ad Abbatem etiam non exẽptum pertinet: ei autem quæ exemptis in suos subditos cõpetit, Conc. Trid. non derogat. num. 1.*

## CONSILIVM IX.

PER Concilium Tridentinum an derogetur priuilegio ecclesiæ collegiatæ Ossunæ, quo Abbas eius cognoscere potest in prima instãtia de causis suorum canonicorum, portionariorum, & aliorum clericorũ Ecclesiæ suæ cumulatiuè?

An etiam prædictum Concilium sit contrarium priuilegio capel[illegible] Sepulchri eiusdem Ecclesię, quatenus capellano maiori præbet omnimodam iurisdictionem super capellanos minores, non declarando an cumulatiuè, an priuatiuè cum ordinario concedat?

Tertio, an colore aliquo iuris possit suaderi, vt priuilegia præfata, quatenus essent contraria Concilio, confirmentur à Sede Apost[illegible] valeant, non obstante illo?

1 AD PRIMAM quæstionem respondeo primo, quod tam hæc quæstio, quam sequens videntur tangere dubia illa grãdia, quę latissime tractat Panormitanus,[d] & citatis ab eo,[e] & alibi sępe, de natura & qualitate iurisdictionis prælatorum regularium & secularium inferiorum Episcopis, & eis subditorum: & præter omnia illa videtur incidere aliud nouum, scilicet, an canones disponentes aliquid de iurisdictione ordinaria fouenda, tollenda, vel moderanda includant solam ordinariam iure communi competentem, an etiam illam, quæ cõpetit consuetudine præscripta, vel priuilegio: super quo multa in medium proferri possent ab eo, cui otium & tempus id faciendi suppeteret; sed quia vtrumque nobis deest, dicemus breuiter multa. Primum, iuri propiorem videri partem affirmantem, quod in dubio includant omnem ordinariam quocumque iure iusto quæsitam. Tum quia lex generaliter loquens generaliter intelligenda est.[f] Tum quia ordinaria iurisdictio quocumque iure iusto quæsita est proprie ordinaria: quia genus propriè prædicatur de qualibet eius specie, vt ait Baldus ab omnibus receptus,[a] & ordinaria quæsita consuetudine vel priuilegio est species iurisdictionis ordinarię. Tum quia licet delegatus ab inferiore Principe non possit subdelegare,[b] nec delegatus Papæ nudum ministerium sibi commissum,[c] tamen inferior Episcopo potest delegare & committere alteri ea, quæ sibi iure proprio competũt; etiamsi priuilegio vel consuetudine competant, vt est in ca. vlt. adiũcta glossa solemni approbata ibi per Panormitanum, Felinum, & alios.[d] Tum quia istis rectè adaptantur iura disponentia de prælatis, quibus ordinaria iurisdictio competit ex consuetudine, prescriptione, vel priuilegio; qualia dici possunt, cap. *cum ab ecclesiarum.* cap. *quanto.* cap. *conquerente.* & cap. *duo.*[e]

d In c. cum cõtingat. de foro compet. à nu. 18. & seq.
e In c. fi. de offic. deleg. §. fi. & in c. fin. de offic. ord. iuncta gloss. & in ca. duo simul. eo. titul. & in c. conquestus. de foro cõpet.
f Leg. de pretio. ff. de publ. in rem. actio. & ca. solita. §. de maior. & obedientia.

a In l. 2. C. de iure aur. an nul.
b Le. à iudice. C. de iu. & c. fi. per locũ à speciali. de offi. deleg.
c §. fi. eiusdem cap.
d De offic. or.
e De offi. ord.

Secundo dicimus, quod si Concilium Tridentinum est contrarium iurisdictioni prædictorum Abbatis, & capellani maioris, maximè videtur esse,[f] primo in illis verbis, *Omnes causæ ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam si beneficiales sint, in prima instantia coram ordinarijs locorum duntaxat cognoscantur.* Sed responderi posset, quod illa verba minimè nocent eorum iurisdictionibus: quia eorum iurisdictiones sunt ordinariæ, & ita potius videntur ab illo cap. foueri, quam lædi: quia generaliter loquitur de iurisdictione ordinaria; quales sunt etiam illæ præfatorum Abbatis, & capellani maioris, sicut alię Episcoporum: & sic videntur probare quod causæ ad prædictum Abbatem & Capellanum pertinentes debent in prima instantia coram eis tractari.

f In ca. 20. de refor. sess. 24.

2 Tertio, quod magis obstat eis eidem ca. 20. quatenus in vers. *ad hæc.* reseruat causas matrimoniales Episcopis, & tollit à iurisdictione Decanorum, Archidiaconorum, & aliorũ inferiorum prælatorum. Sed responderi posset: quod predicti Abbas & capellanus non pretendunt cognitionem causarum matrimonialium, quæ tractantur inter laicos, sed solùm causas clericorum eis subditorum, quæ non sunt matrimoniales. Replicari tamen potest, quod tollit etiam causas criminales eorum, quas ipsi prætendunt ad se pertinere. Cui replicationi difficile videtur posse responderi cõgruè, nisi quod prędictus capellanus maior cum suis minoribus, & clericis ad præfatam capellaniam pertinentibus eximitur à iurisdictione omnium aliorum ordinariorum, prærterquã prædicti Abbatis: & quod prędicta clausula prædicti cap. 20. non includit eos, qui sunt exempti ratione suarum dignitatum, & ordinum. Tum quod alioqui sequeretur vnum grãde absurdum, scilicet quod nulli prælati religiosorum exemptorum, quales sunt hodie fere omnes, possent vti Iurisdictione criminali in suos subditos, nisi prius requisito Episcopo, & eo negligente; quod est contra ea quæ notantur in cap. *cum ab ecclesiarum.* & cap. *quanta.*[g] & ca. *in singulis.* & melius in cap. *ea quæ.*[h] & contra multas constitutiones variarum religionum, & contra obseruantiam generalem. Tum quod inter exemptos & non exemptos ponitur differentia in dicto cap. *ea quæ.* & ita videtur intentio prędicti Concilij fuisse disponere de illis, qui non sunt exempti ratione suarum dignitatum, & beneficiorum, licet sint exempti aliquibus priuilegijs personalibus.

g De offi. or.
h De statu monach.

Quarto, probabiliter dici posse, quod licet prędictus Abbas vti potuisset libere ante Concilium Tridentinum, iurisdictione ciuili & criminali in clericos & canonicos ecclesię suæ cumulatiuè cum Archiepiscopo, non tamen hodie post illud potest vti præterquam ciuili; quia non est exemptus à iurisdictione Archiepiscopi: & quod prædictus capellanus maior, licet sit subditus illi, vti potest in suos capellanos & pertinentes ad suam capellã iurisdictione tam criminali, quam ciuili, eo quod est exemptus ratione suæ capellaniæ maioris ab omnibus ordinarijs, præterquam sui Abbatis, vti sunt alij Priores, & Guardiani religionum, per priuilegium ab Apost. sede indultum: & non tollitur illud ei à prædicto Concilio, quia non extenditur ad eum, eo quod est exemptus ratione suæ capellaniæ.

Quinto, probabiliter addi posse, prędictum capellanum vti potuisse vtraque iurisdictione ante prædictum Concilium Tridentinum, & etiam nunc posse priuatiuè; licet præfatus Abbas non possit vti sua nisi cumulatiuè. Tum quod prædicto Abbati fuit concessa cum restrictione cumulatiuè, prędicto autem capellano simpliciter sine illa.

3 Tum quia licet iurisdictio concessa inferiori Episcopo videatur in dubio concessa cumulatiuè, & nõ priuatiuè, vt post multos à se citatos resoluit Felinus,[i] ponendo regulam cum octo limitationibus: illa tamen fallit, quando per aliquas cõ-

i In c. pastoralis. de off. ord.

iecturas

coniecturas concessionis vel acquisitionis colligitur contrarium, vt colligi potest ex concessione iurisdictionis facta prędicto capellano. Tum quod Papa simul erexit abbatiam, & capellaniam maiorem: & in concessione iurisdictionis facta Abbati vsus est restrictione illa cumulatiuè, & non in concessione facta capellano: & cùm quid de vno ex duobus propositis dicitur, videtur de altero negari.[a] Tum quòd prædictum capellanum maiorem, & alios minores, & omnes clericos quo ad pertinentia ad capellam exemit Papa ab omnibus ordinarijs, præterquam ab Abbate, per illa verba, *Omnino eximimus, & totaliter liberamus.*

a Cap. nonne. de præsump. & l. cū prætor ff. de iudic.

4 Tum quod videtur in hoc Papa sequi opinionem illam communem, quam refert Panormitanus communiter receptus,[b] quæ habet, monachorum correctionem primo loco pertinere ad Abbatem, etiamsi Abbas non sit exemptus ab ordinario, etiam ante benedictionem, per ea quæ ipse allegat.

b In c. quāto. de offi. or. n. 3.

5 Sexto, quod ex quinque prædictis colligitur resolutio ad quæstionem primam & secundam, scilicet quod Concilium Tridentinum non videtur contrarium Abbati, quatenus poterat ante illud vti iurisdictione ciuili in suos canonicos, & clericos Ecclesiæ suę in prima instantia; sed sic, quatenus poterat antea vti iurisdictione criminali cumulatiuè: & quod probabiliter teneri potest præfatum Concilium non lædere iurisdictionem criminalem, neque ciuilem capellani maioris; & quod priuatiuè habebat & habet iurisdictionem criminalem in suos capellanos inferiores minores, & alios clericos in pertinentibus ad suam capellam.

Septimo, quod ex prædicta resolutione colligi potest solutio ad tertiam quæstionem, quæ tangit quid, quantum, & quomodo oporteat vel expediat petere à Sanctitate sua confirmationem præfati priuilegij, iuxta decisiones, quæ in prædictis quæstionibus admonentur. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi per facultatem cap 6. sess. 24. Conc. Trident. absoluere possunt à casibus, quos Sedes Apostolica etiam post dictum Concilium sibi reseruauit per constitutionem promulgatam contra bannitos, nu. 4. & alias similes non derogantes dicto Concilio, nu. 1. quales etiam erant bullæ Cœnæ Domini aliàs publicatæ, licet modo publicatæ à paucis annis citra eidem Concilio videantur derogare. num. 3.*

2 *Absolui pœnitentes possunt virtute Iobælei à reseruatis Papæ etiam post Iobæleum concessum commißis.*

## CONSILIVM X.

AN Episcopus possit vti facultate sibi data à Concilio Tridentino,[c] in absoluendo suos subditos in casibus Summo Pontifici & Sedi Apost. reseruatis in motibus proprijs, & alijs constitutionibus promulgatis etiam post ipsum Concilium?

c Sess. 24 c. liceat Episcop.

Secundo, an in casibus bullæ Cœnæ Domini, excepta hæresi?

Tertio, an specialiter in constitutione contra receptatores bannitorum promulgata anno 1580?

1 AD PRIMAM trium quæstionum, quæ in hoc dubio tanguntur, respondeo, quod sic, præterquam in casibus reseruatis cum clausula derogatoria, per quam sufficienter derogatur præfato Concilio Tridentino. Tum quia præfatum Concilium Tridentinum dat præfatam licentiam generaliter, non distinguendo inter reseruationes pręteritas & futuras; & ita generaliter est intelligendum.[d]

d Leg. de pretio. ff. de publ. in rem actio. c. solitæ. §. fin. de maiorit. & obed.

2 Tum quia indulgentia, & facultas absoluendi, quæ datur in Iobæleis, extenditur ad peccata futura, vt nos concludimus contra quosdam in tract. de indulg.[e] vbi respondetur ad ea, quæ poterant contra hoc responsum obiici.

e Super §. in Leuitico. not. 34. num. 4.

3 AD SECVNDAM, quæ etiam hic tangitur, respondetur quod facultas facta Episcopis in prædicto Concilio,[f] extenditur ad casus per bullam Cœnæ reseruatos. Tum quia limitat illam quo ad hæresim, quæ est vnus casus bullæ Cœnæ: quod non conueniebat facere, nisi ad casus præfatæ bullæ extenderetur præfata facultas: quamuis propter bullam Cœnæ, quæ à paucis annis publicatur, videatur derogatum præfato Concilio,[g] in totum quo ad hæresim; sed id nihil obstat huic responso.

f Cap. liceat.

g Cap. liceat.

4 AD TERTIAM, quæ hic tangitur, respondetur, quod præfata facultas extenditur ad præfatam extrauagantem latam contra iuuantes & receptantes bannitos, & alios in ea contentos. Tum per ea, quibus responsio prima munitur. Tum quia præfata extrauagans nullam habet clausulam, quæ præfato Concilio,[a] deroget. Salua, &c.

a Cap. liceat.

SVMMARIVM.

1 *Facultas Episcopis per Conc. Triden. cap. 6. sess. 24. concessa per bullam Cœnæ derogata dicitur secundum sententiam Congregationis Cardinalium.*

2 *Clausula illa, absoluendi in foro conscientiæ tantum, significat, quod hæc absolutio de rigore iuris sic absoluto non proderit in foro exteriori, in quo de illo iudicabitur vt de non absoluto; non astringit tamen absoluentem, vt ea facultate vtatur solum in sacramento pœnitentiæ, Vnde Episcopus vtitur facultate sibi per cap. 6. sess. 24. & aliàs competente extra sacramentum, vt etiam faciunt quibus Maior Pœnitentiarius per alias quam per suas bullatas literas id concedit.*

3 *Vicarius Episcopi, vt talis, vti non potest facultate cap. 6. sess. 24. Conc. Trid. in materia hæresis.*

3 *Industria personæ quando est electa, tunc delegatus non subdelegat.*

4 *Absoluendi potestatem in aliquibus casibus habens, si ea sibi competit ex officio siue ex priuilegio suæ dignitati annexo, potest hanc facultatem alteri committere, qui poterit arbitrio suo hoc vel illo modo, hac vel illa pœnitentia imposita, absoluere: quod si ei competat ex delegatione, tunc nudum tantum ministerium potest committere; ita vt mandans prius de omnibus informatus mandatario committat, vt talem hoc modo, hacque imposita pœnitentia, absoluat. mandatariusque nullo in re suo vtatur arbitrio, sed sola sibi iniuncta exequatur.*

## CONSILIVM XI.

PRIMO queritur, vtrum facultas concessa Episcopis absoluendi ab hæresi in foro conscientiæ tantùm in Concilio Tridentino,[b] sit abrogata per bullam Cœnæ Domini ibi, *ac cuiusuis Concilij decreta,* maximè in remotioribus partibus, vbi accessus est difficilis ad Summum Pontificem.

b Sess. 24. c. 6

Secundo quæritur, circa dictum[c] Concilium, an illa verba, *in foro conscientiæ tantum,* intelligantur solum in foro sacramenti pœnitentiæ, an verò possint intelligi in foro secreto, ita vt posset Episcopus à sola censura absoluere, & alteri remittere pœnitentem, vt illi confiteatur, & hoc maximè quando est Episcopus absens.

c Cap. 6.

Tertio quæritur, an illa verba prædicti Concilij,[d] scilicet *eis tantum, non eorum vicarijs sit permissum,* intelligantur solùm de ordinario Episcopi vicario, an verò debeant intelligi de quocumque alio, cui Episcopus in casu aliquo particulari occurrenti committeret vices suas.

d Cap. 6.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo: quod quidam Illustrissimus fecit me certiorem, quod in quibusdam Illustrissimorum Cardinalium Congregationibus fuit conclusa pars affirmatiua, scilicet, quod per prædictam bullam abrogata sit prædicta potestas Episcopis; cui tamen in hanc, quæ sequitur, formam scripsimus.

Illustrissime & Reuerendissime Domine, Gratias ago D. V. Illustrissimę quod tam benignè ac largè dignatus fuerit facere me certiorem de conclusione, quam ait fuisse à Congregatione Illustrissimorum receptam super non permittenda Episcopis facultate absoluendi ab hæresi in foro conscientiæ, quam eis Concilium Tridentinum fecerat, eamque vulgo esse receptam. Et quamuis ad persuadendum illam mihi sufficiat quod illa conclusit, iuxta illud, *Ipse dixit;* interrogatus tamen multas quæstiones à quibusdam eru[illegible] nouis confessarijs, quorum quidam præsupponunt habere illos hanc potestatem, vix audebo eis respondere. Tum quia difficile credetur ab eis, quod multis & validissimis rationibus conclusum fuerit non conuenire, vt relinquatur Episcopis facultas præfata, cum nuper Concilio vniuersali apparuerit id conuenientissimum. Tum quia, vt audio, Episcopi cœperunt ea vti, & non facile à suo vsu tanti Concilij auctoritate nitente retrahentur. Tum quia vidět apparuisse in Vrbe conueniens, vt confessarij per Cruciatam electi absoluãt ab omnibus casibus bullæ Cœnæ, quorum vnus est hæresis, quando in Cruciata non excipitur. Tum quia molestè ferent omnes Episcopi omnium regnorum Castellæ, & ei annexorum, qui sunt plurimi, vt eis auferatur præfata potestas, & eadem

concedatur omnibus confeſſarijs ſubditis eorum per Cruciatam electis, qui ſunt innumeri. Tum quia, licet Epiſcopi Italiæ, qui proximi ſunt Vrbi, ſatis æquo animo ob præſentiam S.D.N.illam ſint laturi; Epiſcopi tamen Germaniç, Belgij, Galliæ, & Hiſpaniæ, & orbis noui, qui longius à ſua Sanctitate abſunt, nõ videntur tam facile laturi. Tum quia audio quoſdam in Hiſpania in libris auctoritate Concilij ſupremi Regis typis excuſis prçſupponere illam facultatem Epiſcopis ineſſe. Tum quia, vt audio, ſunt, qui dicant per bullam Cœnç non derogari ei, eo quod videant non derogari poteſtati Inquiſitorum, qui, non obſtante illa, paſſim abſoluũt ab hæreſi, & non excipiuntur in præfata bulla plus quam Epiſcopi: & conſtat poteſtatem illam nõ fuiſſe datam eis à maiore, quàm Epiſcopis, cum fuerit data à ſolo Papa, & Epiſcopis à Papa, & toto Concilio. Tum quia, ſicut non omnes deciſiones Rotæ, quæ placent Vrbi, placent toti orbi; ita fortè nõ omnes rationes, quæ videntur validiſſimæ aliquot Cõgregationibus Vrbis, videbuntur tales omnibus Academiis, & Regum prætoriis, quæ Parlamenta, vel Cancellarias vocant. Quæ omnia tumultuarie ſcripta non in hoc mitto V.D.Illuſtriſſ. vt velim mihi reſponderi; ſed tantum vt aliquando, ſi ei videbitur, & occurrerit opportunitas, aliquid horum inſinuetur S.D.N. cuius Sanctitatem ampliſſ. & V.D.Illuſtriſſ. Dominus Ieſus quam diutiſſime ſeruet incolumes. Amen.

Ex hac reſponſione facile colligi poteſt id, quod ego reſpondere debuerim ad præfatam quæſtionem.

2 AD SECVNDAM reſpondeo primo, quod verba illa, *abſoluere quo ad forum conſcientiæ tantum*, & illa, *dare poteſtatem abſoluendi quo ad forum conſcientiæ*, ſignificant, quod abſolutio data, vel facta nihil proſit quo ad forum exterius, in quo perinde iudicabitur de illo, ac ſi non eſſet abſolutus, ſecundum rigorem iuris, iuxta omnium mentem.

Secundo, quod Epiſcopus habens poteſtatem abſoluendi ab excommunicatione ob hæreſim incurſa poterit abſoluere etiam extra confeſſionem ſacramentalem. Tum quia abſolutio ab excommunicatione non eſt abſolutio ſacramentalis, ſecundum omnes. Tum quia ſtylus officij ſacræ Pœnitentiariæ habet, vt aliqui eorum, qui interſunt ei, abſoluant præſentes à cenſuris extra confeſſionem per facultatem eis aliàs quam per literas ſeu bullas ſolitas dicti officij factã à ſummo Pœnitentiario, & ſuis officiariis ad abſoluendum eos in foro conſcientiæ. Tum quia vicarius Epiſcopi minorum ordinum tantum poteſt excommunicare, & abſoluere, ſecundum S. Thomam,[a] & eſt gloſſa recepta,[b] licet non poſſet abſoluere à culpa, propter quam illa incurritur, niſi fuerit ſacerdos, & id faciat audita confeſſionç ſacramentali, vt paulo latius diximus in Man.confeſſ.[c]

a Lib. 4. ſen. d.18.q.2.a.2.
b Cap. canonica.ver.preſbyter.de ſent. excom.
c Cap.27.nu. 41. & ſequẽ.

Tertio, quod hæc conſequitur poſſe Epiſcopũ extra confeſſionem abſoluere in caſibus particularibus occurrentibus.

3 AD TERTIAM, quod verba illa Concilij, *Non eorum vicarijs*, intelliguntur de vicariis generalibus, ita quod ſit ſenſus, quod ſicut vicarius Epiſcopi generalis ratione ſolum vicariatus non habet poteſtatem conferendi beneficia,[d] ita non habet poteſtatẽ vtendi hac facultate. An autem Epiſcopi poſſint committere hanc poteſtatem abſoluendi aliis, maior quæſtio eſt,

d Cap.fin. de offic.vic.li.6.

Pro parte negatiua facit primo, quia videtur ei commiſſa huiuſmodi poteſtas propter ſuam induſtriam, quale commiſſum eſt indelegabile.[e] Secundo, quia pro hac parte videtur caſus expreſſus in d.ca.fin.[f] qua parte habet, eum, cui commiſſa eſt poteſtas abſoluendi etiam à Papa, non poſſe illam alteri ſubdelegare.

4 Pro parte tamen affirmatiua videtur etiam caſus expreſſus in cap.fin.[g] qua parte habet, eum, cui competit ex officio abſoluere, poſſe id per alium facere; & idem, ſi illud ex priuilegio ſuæ dignitatis ei cõpetit ſecundũ gloſſam illius receptã. At Epiſcopis ex officio & priuilegio ſuæ dignitatis competit abſoluere ab hæreſi virtute canonum Conc. Tridẽ. tenendo, quod nõ derogetur illi per bullã Cœnæ; quod eſt maius, quã ſi cõpeteret ex priuilegio perſonæ. Et mihi quidẽ videtur indubiè hæc pars verior, intelligendo de poteſtate abſoluendi nuda, ita quod Epiſcopus informatus rectè de caſu arbitretur modũ, pœnitẽtiam, & onus imponendum ei, qui abſoluendus eſt, & committat nudam poteſtatem abſoluẽdi cum illo modo, nullo arbitrio poſtea remiſſo ei, qui eſt abſoluturus. Satis etiam videtur vera, intelligẽdo de commiſſione abſolutionis cum facultate arbitrandi pœnitentiam, modum, & onus imponendum à confeſſario abſoluturo: quoniam reſponderi poteſt præf. §.*cæterum*. quod ille procedit in eo, qui ex delegatione & commiſſione habet poteſtatem abſoluendi, & non in eo, qui habet illam ex officio & priuilegio ſuæ dignitatis, de quo loquitur præf. cap. fin.[a] Ex qua ſolemni & recepta concordia ſequitur, quod valde perpendendum eſt, an Epiſcopus poſſit & velit abſoluere ex officio ſuo & priuilegio conceſſo ſuæ dignitati à Concilio Tridentino an ex noua commiſſione Papæ, ita quod fiat delegatus: nam priore caſu poterit committere abſolutionem vtroque modo prædicto, poſteriore verò non poterit, niſi ad ſummum priore, ſcilicet nudum miniſterium ad abſoluendum ſine aliquo arbitrio.

e Cap.2.§.cæterum. de offic.deleg.& c.is cui. eodem titulo lib.6.
f De offi.dele.
g De offi.ord.
a De offi.ord.

*SVMMARIVM.*

1 *Epiſcopus approbatum confeßorem eligat, ſi per Iobæleum abſolui vult.*
2 *Confeſſarius virtute Iobælei abſoluere poteſt à cenſuris bullæ Pij V.de confidentijs, & Greg.XIII.de datis & promißis.*

## CONSILIVM XII.

SVPPOSITO, quod Epiſcopus poteſt eligere confeſſorem, quem voluerit: eſt quæſtio, vtrum hoc poterit facere, non obſtantibus verbis Iobælei, quæ dicunt, *Et eligant confeſſores approbatos*, ſi hæc verba eos comprehendant?

Secundo, ſi poſſunt confeſſores abſoluere virtute Iobælei in foro animæ ab excommunicationibus incurſis propter ea, quæ continentur in motibus Pij V.de confidentia, & alijs, & in motu Gregorij XIII.de conuentione, & alijs rebus, quç offeruntur pro habenda gratia, vel iuſtitia à Papa.&c.

1 RESPONDEO primæ quæſtioni, quòd Epiſcopus prædictus virtute Iobælei non poteſt eligere confeſſarium niſi approbatum, eſto iure communi poſſet quemcumque prouidum & diſcretum,[b] tamen forma Iobælei ſeruanda eſt, iuxta cap. *cum dilecta*. de reſcript. cum annotatis ei maximè à Felino.

b Cap.fin. de pœn.& rem.

2 AD SECVNDAM reſpondeo, quod confeſſarius probatus & electus poteſt abſoluere virtute huius à cenſuris prædictis, videlicet bullæ de confidentia, & extrauag. de dat. & promiſſ. S.D.N.

*Aduerte autem, non inde inferri, quod Epiſcopus poßit quemcumque ſacerdotem non approbatum ſibi in confeſſarium extra caſum Iobælei eligere.*

*SVMMARIVM.*

1 *Exorbitans à iure communi diſpoſitio reſtringenda eſt, & hoc ſi ſit odioſa. Item nec taliter reſtringenda, quin includat omnes caſus, ad quos verba ſecundum propriam ſignificationem extenduntur.num.7.*
2 *Priuilegia, dato aliquo, quod operentur, in reliquis ſunt reſtringenda, & hoc procedit quo ad priuilegia odioſa, & alijs præiudicantia, ne vltra propriam ſignificationem verborum extendantur ad alia, in quibus non militat ratio extenſionis.num.8.*
3 *Regulares virtute Iobælei poſſunt ſibi eligere in confeſſarium ſacerdotem ſæcularem, approbatum tamen.*
4 *Lex, per quam reditur ad ius antiquum, fauorabilis, & amplianda.*
4 *Exemptus, ſecundum opinionem Federici, non poteſt ſe ſubijcere alteri ſine licentia ſui ſuperioris; niſi quando ſubiiceret ſe illi prælato, cui de iure, ceſſante exemptione, ſubditus eſſet.*
4 *Cõfiteri antiquitus omnis fidelis omnibus poterat ſacerdotibus.*
6 *Parochus licentiã confitendi alteri facile non concedens peccat.*

## CONSILIVM XIII.

AN regulares ex facultate conceſſa inſtar Iobælei omnibus Chriſti fidelibus eligendi idoneos presbyteros ſæculares, vel cuiuſuis ordinis regulares ab ordinario approbatos, quibus peccata ſua confiteantur, poſſint ſæcularibus ſacerdotibus confiteri?

1 Pro parte negante facit primo, quod diſpoſitio exorbitans à iure cõmuni eſt reſtringẽda,[c] & conceſſio prædicta exorbitat ab illo iure communi, cap.*placuit*.de pœn.diſt.6.& cap. *omnis*.[d] quibus cauetur, vt ſuo quiſque proprio parocho ſua peccata confiteatur.

2 Secundo, quod priuilegium licet ita ſit intelligendum, vt aliquid operetur contra ius commune,[e] dato tamen aliquo effectu, quem operetur, debet reſtringi quo ad alios, ſecundum Panormitanum,[f] quem & alios relatos à ſe ſequitur

c Cap. quæ à iure. cum ſimilib de reg. iuris lib.6.
d De pœn.& remiſſio.
e Cap.in his. de priuile. & l.ſi quãdo. C. de officio. teſtam.
f In c. certificari.col. 3. de ſepult.

Decius.[a] At concessio prædicta est priuilegiatiua,& derogatiua iuris communis, & potest operari quo ad regulares aliquem effectum, scilicet confitendi quibuscumque regularibus; ergo non est extendenda quo ad alium effectum, scilicet, quod possint confiteri sæcularibus.

3 Pro affirmante autem facit primo, quod concessio prædicta est generalis,& consequenter generaliter intelligenda,[b] etiam si aliqua maior ratio inueniatur in vna specie, quam in alia,[c] & tradit post alios Decius, [d] & concessio prædicta est generalis confitendi sæcularibus,vel regularibus approbatis; ergo generaliter est intelligenda.

4 Secundo,quod lex, per quam reditur ad ius antiquum, est fauorabilis,& ampliáda:quia res facile reuertitur ad suam pristinam & antiquam naturam, iuxta cap. *ab exordio.* [e] & l. *si vnus.* [f] vbi Iason adducit pulchra exempla, quæ desumere potuit à Felino,[g] in quibus est illud Federici Senensis,[h] scilicet, quod licet exemptus regulariter non possit se subdere alteri prælato sine consensu sui superioris,fallit tamen, quando se subderet prælato, cui secundum ius antiquum subest. Cum ergo secundum iura antiqua quilibet Christianus cuilibet sacerdoti poterat confiteri, argumen. *§. ecce.* [i] Concilij Tridentini,[k] & tradimus late nos in d. *cap. placuit.* [l] ad quod prædicta concessio facit redire subditos,censenda est fauorabilis,vt nos vbi supra,[m] dicimus.

5 Tertio, quòd vtile est populo Christiano, vt aliquoties detur facultas confitendi alijs, quam ordinarijs confessarijs. Vnde Concilium Trident. ca.10.[n] statuit,vt superiores monialium, quas exhortatur vt singulis mensibus sacram Eucharistiam assumant,dent bis vel ter in anno confessarios extraordinarios,quibus possint illæ confiteri.

6 Quarto,quod D. Thomas, [o] quem referimus post alios vbi supra,[p] communiter receptus sic ait, *Peccaret sacerdos, si non esset facilis ad præbendam licentiam confitendi alteri: quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confeßione morerentur, quam tali sacerdoti confiteri: vnde illi, qui sunt nimis soliciti, vt conscientias subditorum per confeßionem sciant, multis laqueum damnationis iniiciunt,& consequenter sibi ipsis.* Per quæ posteriora opinor hanc partem affirmantem esse iure veriorem.

7 Non obstant opposita. Ad quorum prius respondetur primò, quòd licet lex à iure communi exorbitans sit restringenda,ita quod ad alios casus non extendatur;includit tamen omnes, ad quos verba eius secundum propriam significationem extenduntur vt habet l. *cum lege.* adiuncta glossa & doctrina Fráncisci Aretini,[q] quam Decius, Alciatus,& alij multis in locis sequuntur: & verba prædictæ clausulæ secundum propriam significationem comprehendunt hunc casum, vt palam est. Secundo respondetur, quod illud intelligendum est de lege exorbitante odiosa,non autem de fauorabili, qualis est illa, per quam reuertitur ad pristinum ius, & talis est concessio contenta in præfata clausula.

8 Ad posterius respondetur primo, intelligendum esse illud de odioso priuilegio,& preiudiciali,quale nõ est hoc. Secundo,quod id procedit,quando verba eius per proprium significatum non extenderentur ad omnes alios effectus, & esset multo maior ratio, quare non deberent extendi ad eos. At concessio prædicta est fauorabilis, nemini præiudicialis saltem notabiliter:& eadem ratio suadet,vt extendatur ad sæculares approbatos, ac ad regulares approbatos:quia vtrique iure communi sunt alieni sacerdotes, & vtrique sunt approbati, & clausula prædicta vtrosque parificat ratione approbationis. Adde, quod tempore iobæleorum occurrit magna multitudo confiteri volentium, cui vix potest satisfacere quamlibet magna multitudo confessorum approbatorum: quod Papa concedens iobelæa optime nouit. & ita vel hoc solo nomine, quod fauet animarum saluti, est fauorabilis concessio prædicta,iuxta glossam memorabilem,[r] & consequenter amplianda,& non restringenda.[s]

*Et ita refertur, quod aliàs declarauit sacra Congregatio quod tamen non procedit quo ad illas religiones, quibus priuilegio Apostol.concessum est ne earum religiosi ijs vti poßint gratijs sine licentia suorum superiorum.*

a In c.1.col.5. de rescript.
b L.e. de pretio ff. de pub in rẽ act.& c. solita.§.fi. de maior.& obed.
c L.e.1.§.quod autem.ff. de alea lusu & alea.
d In cõs.669. num.3.
e 35.dist.
f §. pactus ne peteret. ff. de pactis.
g Cap. cum accessissẽt. & c. cum omnes. n.7.& seq. de constitut.
h Consil. 14.
i 16.q.1.& c. 15.
k De reform. seß.23.
l Num.2.
m Nu.37.
n Seß.25. de reg.
o In 4.li.sen. d.17.q.3.ar.3. quæstiunc. 4.
p Num.119.
q ff. de testã.
r Cap. sciant cuncti. de ele. lib.6.
s Cap. odia. de reg.iur. lib. 6.

### SVMMARIVM.

1 *Papam priuilegium conferendi sacros sacerdoti dare posse, habet gloß. sed contraria opinio, quæ est S. Thom. num. 2. videtur verior, num. 4. licet sit secus de sacramento confirmationis. num.2.& 3.*

3 *Ordines minores cum prima tonsura Abbates suis regularibus conferre posse, habet communis opinio.*

4 *Ordinare etiam monachos maioribus ordinibus, Episcopis reseruatum à Trident. Concil.*

4 *Priuilegium sacros conferendi, Abbatibus olim concessum, Concilio Trident. refragatur.*

5 *Abbas suis minores ordines sine Episcopi examine cõferre potest.*

5 *Intellectus cap.12. Concil. Trident. seß.23. de reformat.*

## CONSILIVM XLIII.

ABBAS cuiusdam monasterij Germaniæ ordinis Cisterciensis habet priuilegium conferendi ordinem subdiaconatus concessum & confirmatum à multis Maximis Pontificibus ante Conciliũ Tridentinum & etiam post illud fuerunt confirmata omnia priuilegia generaliter à S. D. N. Gregorio XIII. exceptis his,quę sunt contraria Concilio Tridentino. Quæritur, an d. Abbas possit nunc vti præfato priuilegio.

1 Pro parte affirmante facit primo, quod videtur Papa potuisse concedere prædictum priuilegiũ,iuxta glossam solemnem:[a] quæ habet posse Papam concedere potestatem conferendi non solum ordines minores, sed etiam maiores illi,qui habet illos; & quòd prædicti monasterij Abbates vsi sunt semper prædicto priuilegio; & quod beneficium principis debet seruari.[b]

Secundo,quod prædictum priuilegium non videtur esse contrarium vlli cap. Concilij Tridentini,quia nullo eorum videtur caueri,ne quis conferat ordines ex cõmissione Papę.

Pro parte autem negante facit primo,quod multi tenent, & in his Scotus, Durandus & Hadrianus, quod is,qui non est Episcopus,non potest confirmare,etiam ex commissione Papæ, per cap. *manus.* [c] & cap. *quando.* [d] ergo à fortiori non poterit ordinem sacrum conferre.

2 Secundo, quod licet S. Thomas & communis opinio Theologorum,[e] & Canonistarum,[f] teneant presbyteros ex commissione Papæ posse confirmare, siue chrismare, quos non sine magno labore defendit Sotus,[g] idem tamẽ S. Thomas affirmat ibidem,non posse presbyterum,etiam ex commissione Papæ,conferre vllum ordinem sacrum,quod etiam prædictus Sotus concedit; & à fortiori omnes alij,qui affirmant illum non posse etiam de commissione Papæ confirmare,debent concedere etiam hoc.

3 Tertio,quod licet cap. *cum contingat.* [h] & communis opinio ibi & vbique teneat,posse Abbates conferre primam tonsuram, & minores ordines suis monachis, nullo tamen iure probatur, quod possit conferre sacros, etiam ex commissione Papæ:licet glossa,[i] contrarium senserit,argumen. illius cap. quod secundum communem opinionem probat posse illum confirmare ex commissione Papæ, vt dictum est: sed eius fundamentum tollitur per pulchram differentiam,quam ponit S. Thomas [k] inter collationem ordinis sacri,& confirmationis.

4 Quarto, quod Concilium Tridentinum videtur solis Episcopis reseruare ordinationem ad sacros ordines, dum [l] statuit vnumquemque à proprio Episcopo ordinari debere,&[m] ne Abbates conferant minores alijs,quàm suis monachis, significando quod sacros non debent conferre etiam illis.[n] statuit, vt nec regulares sine diligenti examine Episcoporum ordinentur, derogando priuilegijs omnibus contrarijs:per quod cap. videntur duo statui. Alterum est,quod regulares debent ordinari ab Episcopis ad ordines sacros. Alterum, quod id debent facere præmissa diligenti examinatione:quod videtur esse contrarium priuilegio concesso alicui Abbati ad ordinandum aliquem ad diaconatũ. Et quamuis inductionibus horum capp. Concilij aliqua ex parte disputando responderi posset: quia tamen arbitror esse veram opinionem prædictam S. Thomæ cui communis assentiri videtur; & quia credo Concilium, si fuisset interrogatum, responsurum fuisse nolle tolerare tale priuilegium; & quia derogauit expresè priuilegijs contrarijs suo decreto, quo disposuit, vt regulares ordinarentur ordinibus sacris ab Episcopo,& præmisso diligenti examine;non auderem dicere S. D. N. per suam generalem confirmationem voluisse tam exorbitans priuilegium confirmare, præsertim cum expresè in ea exceperit priuilegia Concilio contraria.

a Cap. peruenit 95. dist.
b Cap. decet. de reg. iur. li. 6.
c De consec. dist. 5.
c De consue.
d In 4. d.7.
f In d.c. peruenit. 95. d.& in d.c. quanto. de consuet.
g In prædicta d.7.q. vnica, art.11.
h De ætate & qualit.
i In d. ca peruenit.
k Vbi supra.
l Seß.23.c.8.
m Cap.10.
n Cap.12.

5 An autem Abbates ordinare possint suos regulares ad primam tonsuram, & quatuor minores sine Episcoporũ examine, dicitur quod sic; quia id eis iure cõmuni conceditur in d. cap. *cùm contingat.* [a] cum adnotatis ei. & quia d. Concilium, [b] non derogat illi; quia, si satis perpendatur, de solis ordinibus sacris intelligendum est: & quia per subauditos intellectus non debent antiqua iura corrigi, iuxta glossam solemnem, [c] præsertim quando non est tanta ratio in casu legis corrigendę, quãta in casu legis nouę corrigẽtis, iuxta notata. [d]

a De ætat. & qual.
b Cap. 12. de refor. sess. 23.
c In ca. cupientes. §. quod si per viginti. de elect. lib. 6.
d In aut. quas actiones. Co. de sacros. ecc.

### SVMMARIVM.

1 *Priuilegium dato aliquo quod operetur, in alijs restringendum, ne operetur alia, in quibus saltem non adsit eadem ratio.*
1 *Missam ante auroram, vel paulo post meridiem dicere sine priuilegio non videtur licere.*
1 *Officium diuinum vnius diei in aliud alterius diei mutare sine priuilegio non videtur licere.*
1 *Ieiunij tempore ientaculum vespertinum sumere mane, & noctu cœnare, sine priuilegio licere non videtur.*
2 *Cruciatæ commissarios illas tantum gratias, quæ bullæ acceptionem aliquo respectu impedire possunt, per suam generalem suspensionem suspendere, probabile est.*

## CONSILIVM XV.

AN per bullam Cruciatæ suspendantur gratiæ & facultates concessæ hospitali N. etiam si sint aliarum rerum, quàm indulgentiarum, & remissionum peccatorum?

1 Pro parte negante facit primo, quod per prædictam bullam non videntur suspendi omnes facultates concessæ à Sede Apostol. in vniuersum, sed tantùm illæ, quæ videntur esse similes gratijs per eam concessis; licet aliquantulum differant ab eis. Tum quia priuilegium licet ita sit interpretandum, vt operetur aliquid contra ius commune, [e] dato tamen aliquo, in quo id operetur, restringendum est, ne operetur alia, in quibus saltem non esset eadem ratio, secundum Panormitanum, [f] & resoluit Decius post alios. [g]

Secundo, quod ex affirmante sequeretur, quod facultas habendi altare portatile concessa Episcopis, [h] & Missam celebrandi ante auroram, vel paulo post meridiem Dominicanis, [i] & aliæ facultates concessæ Episcopis per cap. *quia periculosum.* [k] & alia capp. citata per glossam, [l] essent suspensæ: facultates item mutandi officium diuinum alicuius diei in aliud alterius diei: facultas item audiendi leges facta monacho, vel personæ dignitatem habenti: & facultas faciendi mane in die ieiunij ientaculum, siue collationem, quam licet facere differendo cœnam in noctem: facultas item concessa Legatis Apostolicis, & Comitibus Palatinis conferendi gradus, & faciendi notarios: & omnis facultas dispensandi, immo & conferendi beneficia, & lucrifaciendi indulgentias concessas recitantibus rosarium, vel tertiam partem eius: & facultas concessa Academijs conferendi gradus: & facultates prædicandi, & audiendi confessiones factæ multis religiosis, & aliquot clericis sæcularibus eruditis, & dignitate ornatis: & facultas ne quis possit excommunicari, nec iudicari ab ordinario suo, & exemptionis: & denique omnia fere Apostolica priuilegia, cum omnia illa sint gratiæ, indulgentiæ, vel facultates similes, vel differentes à gratijs, quę per Cruciatam conceduntur. quod videtur absurdum, & ita non dicendum. [m]

e Cap. in his. de priuile. & l. 1 ff. ad municip.
f Cap. certificari. num. 10. de sepult.
g Cap. 2. de rescrip.
h In c. vlt. de priuil. lib. 6.
i Cap. in his. eod. tit.
k De sen. excom. lib. 6.
l Dict. ca. vlt.
m Leg. nam quod absurdum ff. de bo. libert.

Pro parte verò affirmante facit, quod contextus bullæ Cruciatę habet, quod commissarius eius generalis possit suspendere gratias, indulgentias, & facultates à S. Sede Aposto. & à quibuscumque maximis Pontificibus, vel eorum auctoritate concessas alijs, siue sint similes eis, quę conferuntur per Cruciatam, siue differentes ab eis. Et constat prædictum commissarium suspendisse omnes illas, iuxta formam facultatis sibi factæ. At omnes indulgentiæ & facultates concessæ à Sede Apostol. prædicto hospitali N. sunt similes, vel differentes eis, quæ conceduntur per Cruciatam; ergo omnes illæ sunt suspensæ.

2 His pro vtraque parte perpensis; & multis alijs, quæ in vtramque partem perpendi possunt, omissis, arbitror omnino huius resolutionem spectare ad S. D. N. qui Cruciatam concessit: quem tamen arbitror non resoluturum eam facile, nisi audita Maiestate Regia, ad cuius petitionem illa concessa est.

Secundo, quod eius resolutio non pertinet ad summum

A Pœnitentiarium neque ad eius prætorium, nisi specialiter ei à sua Sanct. committatur. Tum quia id ex priori dicto sequitur. Tum quia facultates eius nullatenus ad hoc se extendunt.

Tertio, quod interim coloratè posset teneri, quod non omnes facultates à Sed. Apostol. quibuscumque concessæ suspenduntur, sed solum illæ, quæ sunt similes eis, quas bulla Cruciatæ concedit, & aliæ, quæ licet non sint similes, sed aliqua ex parte sint differentes, non tamen adeo sunt separatæ, vt aliquo respectu propinquo non possint impedire bullæ Cruciatæ acceptionem.

B Quarto, ex his inferri, quod ad respondendum certius huic quæstioni, oporteret exprimere priuilegia, & facultates concessas hospitali prædicto, de quibus dubitatur, an per Cruciatam suspendantur, vt responsurus posset arbitrari, quę illorum comprehendantur sub clausula suspensionis, & quæ non. &c.

### SVMMARIVM.

1 *Tenor priuilegij suspensi, quod per acceptionem bullæ Cruciatæ reualidatur, est attendendus: nam si omnino radicatur in persona confessarij, sufficit quod ipse bullam accipiat: quod si ad illius vsum requiritur etiam aliquod pœnitentis opus, seu actio, tunc eo non possunt vti, nisi cum accipientibus bullam.*

C 2 *Priuilegium comedendi oua ecclesiasticis personis competens aliunde, quam à præsenti bulla Cruciatæ suspenditur quidem per suspensionem, quæ fit vigore præsentis bullæ, sed non tollitur. Vnde cum accipientes præsentem bullam, tollant iam dictam suspensionem, poterunt non quidem ex vi huius bullæ, sed ex vi antiqui priuilegij oua comedere.*

## CONSILIVM XVI.

QVÆRITVR primo, quia in bulla Cruciatæ datur facultas commissario, vt possit suspendere facultates, & priuilegia concessa monasterijs, & locis pijs, &c. an ex hac commissione censeantur suspensa priuilegia dictis locis concessa in ordine ad proximos?

D Secundo, quia dictus commissarius bullæ suspenderat dicta priuilegia quo ad illos solum, qui non darent eleemosynam pro dicta bulla; & respectu aliorum, qui darent eleemosynam, illa non suspendebat: quæritur, an sit satis ad dicta priuilegia consequenda, quod religiosus confessarius det dictam eleemosynam pro bulla, an verò sit opus, quod pœnitens eleemosynam dictam faciat?

Tertio, circa dictam bullam Cruciatę, quæ suspendit omnia priuilegia concessa quibuscumque locis, personis, &c. quo ad illos tantum, qui non dederint eleemosynam pro dicta bulla: dubitatur, an in India, vbi ex antiquo priuilegio omnes, etiam religiosi, & sacerdotes vtebantur lacticinijs in quadragesima, vigilijs, &c. modo possint post publicationem E dictæ bullæ Cruciatæ vti eodem priuilegio, dando eleemosynam pro dicta bulla?

1 AD PRIMAM & secundam respondeo primò, quòd omnia priuilegia religiosorum, & aliorum, ad quæ potestas suspendendi extenditur, erunt suspensa, facta suspensione à commissario; & desinent esse suspensa priuilegia eorum, qui bullas acceperunt: quia id sonant verba bullæ, à quibus non est recedendum. [a]

Secundo, quod tale potest esse priuilegium religiosi, quòd vti posset eo erga pœnitentem, & tale, quod non posset. Si enim religiosus haberet priuilegium audiendi confessionem omnium, qui eum elegissent in confessorem, posset accepta F bulla omnes audire, qui eum eligerent: si autem haberet priuilegium audiendi omnes, qui eligerent eum de licentia ordinarij, non posset nisi habentes illam, vel accipientes bullam, quæ eam saltem eminenter continet; nam tenor priuilegij est seruandus, & non extendendus. [b]

2 AD TERTIAM respondeo affirmatiuè, & quod rectè intellecta est bulla ab illis, qui dixerunt posse clericos, & religiosos virtute priuilegij antiqui, & generalis, adiuncta reualidatione reualidationis, comedere oua, & lacticinia diebus ieiuniorum. Quia, meo iudicio, non fuit intentio concedentis Cruciatam nouè præcipere, ne clerici, & religiosi comedant ea, sed tantùm ne comedant virtute priuilegij huius Cruciatæ, nisi accipiant bullam: & mens disponentis est attendenda. [c]

a Le. non aliter. ff. de le. 3.
b Cap. ablata. de verb. sig. c. porro. de priuil.
c Ca. fi. de pri. l. in condition. ff. de cond. & demonst.

SVMMARIVM.

1 *Gratia etiam per Cruciatam semel concessa durat perpetuo, donec reuocetur: at si suspendatur, reuocata suspensione, remanet efficax vt prius.*

## CONSILIVM XVII.

SVSCIPIENTES bullam Cruciatæ in isto præsenti anno an gaudeant indulgentijs & gratijs per bullam Cruciatæ in præterito anno concessis?

1 Respondeo, quod poterit frui priori bulla quo ad illas clausulas, quæ non sunt sublatæ per bullam posteriorem. Tum quia gratia semel facta durat, donec reuocetur, vel suspendatur.[a] Tum quia si suspendatur, sublata suspensione remanet tam efficax, quam erat ante suspensionem, argumen. cap. *pastoralis*.[b] & per posita in casu per posteriorem bullam acceptam tollitur suspensio priorum bullarum.

a Ca. si super gratia. de offi. deleg. lib. 6. b De caus. poss. & propr.

SVMMARIVM.

1 *Ouis & lacticinijs cui ob necessitatem diebus prohibitis per Cruciatam vesci permittitur, licet aliquo die omissis ijs vescatur piscibus, non peccat: quia potest fauori sibi per bullam oblato renunciare: dummodo id non cedat in notabile detrimentum sanitatis, quia tunc peccaret contra præceptum naturale. num. 2. & si non tenetur ieiunare, potest eisdem aliquando in prandio, & aliquando in cœna vesci. nu. 4. secus esset, si vtrisque vellet in eodem prandio vel cœna vti: quia quando potest abstinere à prohibitis, non licet eis vti: sin minus quia pisces nocent, peccat illos comedendo. num. 2. & 4. nisi modica piscium quantitas excuset. num. 3.*

## CONSILIVM XVIII.

CLERICVS Hispaniæ, qui per bullam Cruciatæ nouissimam non potest edere in Quadragesima oua, & lacticinia, nisi ob necessitatem de consilio confessarij, & medici, an possit eodem die, & eodem prandio, vel cœna, vel saltem interpolatis diebus edere aliquid piscium, quod edenti non noceat?

1 Respondeo, quod poterit interpolatis diebus, ita quod vno die comedat pisces, & alio oua, vel lacticinia: quoniam potest quis renunciare fauori & priuilegio suo, quatenus ius humanum tangit:[c] & priuilegium & licentia huiusmodi datur in fauorem eius.

2 Dixi, *Quatenus tangit ius humanum*: quia si eiusmodi piscium esus esset ei mortifer, vel notabile salutis damnum afferret, peccaret comedendo, non quidem eo quod transgrederetur tenorem bullæ continentis humanum præceptum, vel priuilegium, sed quia contraueniret naturali legi diuinæ, qua prohibemur edere mortifera, vel notabiliter valde læsura potentes edere iustè alia, vt tradimus in Manual. confess.[d] post Innocentium receptum.[e]

c Le. quod fauore. C. de legib. ca. quæ ob gratiam. de reg. iur. li. 6.

d Ca. 15. n. 13. e In c. tua. de homicidio.

3 Secundo respondeo, quod non licet ei comedere pisces cum ouis, vel lacticinijs in eodem prandio, vel in eadem cœna: quia vel non potest vesci piscibus sine damno notabili, vel potest: si non potest, peccat illos comedendo: si verò potest, caret necessitate comedendi oua, & consequenter non potest comedere illa licitè per tenorem bullæ. ergo nullatenus iustè potest comedere illa simul in eodem prandio, vel cœna: quamuis non putarem eum mortiferè peccaturum, si comederet oua, vel lacticinia cum necessitate ea comedendi, & comederet tam parum piscium, quod solùm ei parum noceret, & non sufficeret ad excusandam necessitatem comedēdi oua, & lacticinia: peccaret autem venialiter, eo quod superfluè & cum aliquo damno sine necessitate illos edendi comedit, immo cum aliqua necessitate non edendi ob gulam edit illos.

4 Tertio, quod si excusatur à ieiunio, & licet ei prandere, & cœnare, posset aliquando iustè comedere eodem die in prandio pisces, comedendo lacticinia in cœna, vel contra comedendo lacticinia in prandio, & pisces in cœna: quia contingere potest, quod in altera illarum comestionum habeat necessitatem comedendi lacticinia, & non in alia: sed qua vice non haberet necessitatem edendi illa, & commodè posset vesci piscibus, non deberet ea comedere; quia cessat causa edendi in bulla expressa. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Minores de Obseruantia incapaces sunt iurium parochialis: vnde nec possunt illa præscribere; & si ministrent sacramentum Eucharistiæ, extremæ vnctionis, vel benedicant nuptias parochianorum alicuius loci, sunt excommunicati, nu. 2. nisi id fecerint ex licentia Episcopi, nu. 4. vel allegent se ex priuilegio Papæ habere in dicto loco ius parochiæ: quod probabunt eo ipso, quod probabunt immemorialem possessionem. num. 3.*

## CONSILLIVM XIX.

DOMINI cuiusdam castelli habent eius iurisdictionem, & territorium, & maiores eorum à tempore immemorabili semper sumpserunt omnia sacramenta à fratribus Franciscanis de Obseruantia, cum non fuerit vllus parochus in vlla parte prædicti temporis, qui gereret curam animarum in præfato castello, nec in eius territorio. Nunc vero quidam visitator inueniens per suam inquisitionem præfatos fratres administrasse prefata sacramenta, dixit eos esse excommunicatos. Quæritur, an res ita se habeat.

1 Respondetur primo, quæstionem hanc videri nouam, & talem, qualis vix reperiatur similis contigisse in Italia, nec in Gallia, & Hispania, nostra saltem ętate: esse item satis difficilis resolutionis propter ea, quæ parit consuetudo, cuius initij non est memoria, ex vna parte, & ex altera quod ordo Franciscanus Obseruantiæ non est capax iurisdictionis parochialis, nec iurium parochialium: & ita non potest dici conuentum prædictum ea sibi vsucepisse, vel præscripsisse.

2 Secundo, quod etiam allegari potest pro visitatore vrgere clem. de priuil. quæ excommunicat ipso iure omnes religiosos, qui sacramenta Eucharistiæ, vel extremæ vnctionis, vel matrimonij benedictionem ministrant.

3 Tertio, quod pro fratribus contra visitatorem facit primo, quod aliquibus siue clericis siue religiosis absque licentia speciali rectoris Ecclesiæ parochialis licet facere id, quod præfati fratres fecerunt; & quod ordinarij non possunt eos denunciare excommunicatos. Facit & consuetudo immemorabilis, per quam probatur præsumptiuè titulus, quem allegauit is, qui ea vtitur, iuxta cap. *super quibusdam*.[a] & l. *hoc iure*. §. ductus aquæ. ff. de aqua quoti. & æsti. & communem iurisperitorum sententiam. Et ita præfati fratres possunt allegare se habere priuilegium vel licentiam id faciendi à Papa, & illud probare per prædictam consuetudinem immemorabilem; & sic excusabuntur à præfata excommunicatione; cum notum sit, Papæ priuilegio & licentia competere posse Franciscanis quantumlibet Obseruantibus facultatem prædictam, argumen. cap. *cuncta per mundum*.[b] & notatorum in cap. 1.[c] & alibi sæpe.

a De ver. sig.

b 9. q. 3. c De const.

4 Secundo, quod omissa quæstione ad quem spectet iurisdictio parochiæ, etiam allegare possunt se id fecisse de licentia Episcoporum.

SVMMARIVM.

1 *Regimen monasterij etsi de iure ad solum spectet prelatum, ita vt monachi nullum habeant suffragium, nu. 4. attamen ex particularibus statutis in parte spectat ad conuentum, seu consiliarios, sine quorum consensu & consilio multa fieri non possunt. nu. 1. nec sine illis qui habent ius suffragādi. n. 3. & 4.*

2 *Monachorum creatio etsi videatur ad solum spectare prælatum; attamen ex statutis particularibus, & ex consuetudine spectat ad prælatum & conuentum.*

5 *Dispositio tantum debet extendi, quantum sua principalis ratio nedum expressa, sed & subintellecta patitur.*

6 *Subrogatus sapere debet naturam eius, cui subrogatur, nec debet esse melioris conditionis. Vnde si monachi alicuius monasterij debent esse Galli, non potest loco amoti Galli sufficí non Gallus.*

7 *Prohibito aliquo, & id prohibetur, per quod ad prohibitum peruenitur. Vnde si in aliquo monasterio monachi debent esse Galli, non Gallus, non poterit ibi esse nouitius.*

## CONSILIVM XX.

VNIVERSIS *præsentes literas inspecturis frater Franciscus de Paula ordinis Minimorum humilis institutor à Sancta Sede Apostolica gratia & concessione, omnium eremitoriorum, oratoriorum, & locorum eiusdem ordinis vbicumque constitutorum, nec non congregationis fratrum religiosorum & personarum alia-*

*rum sub regulari obseruantia in eisdem degentium superior, licet immeritus, & generalis corrector, salutem in Domino perpetuam. Nos pie considerantes Regiam Maiestatem Franciæ nobis & ordini nostro prædicto comparasse locum conuentus nostri Sanctissimæ Trinitatis in monte Pincio in Vrbe Romana; ea propter ad ipsius beneficij per nos recepti memoriam, & quatenus fratres nostri ordinis in dicto conuentu residentes in diuini cultus persolutione reddantur in futurum salutis animarum dictorum benefactorum memoriores; volumus & ordinamus, quod à modo in posterum dictus conuentus Sanctissimæ Trinitatis in monte Pincio in Vrbe Romana regatur per fratres Gallicæ nationis, quamdiu inueniantur, qui inibi residere & cultui diuino insistere voluerint. sin autem vbi nulli reperiantur, qui inibi residere voluerint, quia omnes in Christo vnanimes esse debemus, illud per alios regi & inhabitari volumus: pariterque vbi locus supportare poterit, vltra quam reperiantur habitantes Gallicæ nationis, alios & aliarum nationum mixtim residere volumus. Datum, &c.*

Circa prædictarum literarum contextum quæritur primo, an ex illis colligatur, quod non solùm corrector, qui est prælatus prædicti monasterij, sed etiam omnes alij officiarij, nempe discreti, & consiliarij correctoris, sacrista, procurator, custodes chartarũ, siue archiuij, debeât esse Gallicæ nationis.

Secundo, an non solùm omnes officiarij debeant esse Gallicæ nationis, sed etiam alij fratres, siue monachi debeant esse eiusdem nationis.

Tertio, an monachi prædicti monasterij possint aliqua de causa mitti ad alia monasteria, substituendo eis, siue loco eorum ponendo monachos aliarum nationum.

Quarto, an possint recipi nouitij ex alijs nationibus ex sensu iuridico.

Quinto, quando licebit fratribus aliarum nationum cum fratribus Gallicæ nationis in prædicto monasterio conuiuere, quod aliquando posse & debere significat ipsemet Sanctus Franciscus.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo, quod pro parte negante facit cap. *nullam.* [a] cum multis alijs, quæ nos ei adiicimus in tertio comm. [b] super illud confecto, ad probandum totum monasterij regimen pertinere ad Abbatem, siue prælatum; & quod nullam potestatem habent monachi ad regendum monasterium: & quod consequenter beatissimus Franciscus, statuendo, vt prædictum monasterium regatur à fratribus Gallicæ nationis, videtur intellexisse de correctoribus tantùm, penes quos est de iure totum monasterij regimen.

Sed pars affirmans est verior. Tum quia quicquid antiqua iura de potestate Abbatum ordinum antiquorum statuerint; iure tamen nouiore, saltem particulari recentiorum ordinum per regulas eorum originarias, vel constitutiones, supradicta potestas prælatorum, præsertim inferiorum, & singulorum monasteriorum ita restricta est, vt bonam partem eorum, quæ pertinent ad regimen, teneatur facere cum sui conuentus, vel consiliariorum, siue discretorum consilio, & assensu, vt palam est eis, qui eorum regulas & constitutiones perlegerunt. Iam & Benedictus in regula sua, [c] id expressit, vt diximus in comment. super d. capit. nullam. [d] Tum quia etiam Episcopi iure communi debent regere & gubernare suas Ecclesias cum consensu vel consilio suorum canonicorum. [e]

2 Tum quia, quamuis creatio nouorum monachorum aliquando ad solos Abbates spectat, vt colligitur ex cap. fin. [f] & annotauit Panormitanus, [g] secundum tamen glossam, [h] ad Abbatem & conuentum pertinet; quod est verum de consuetudine, secundum quam ætate nostra in omnibus ferme monasterijs omnium ordinum, & specialiter Minimorum, quorum maximus auctor fuit prædictus Patriarcha S. Franciscus, ad prælatos & conuentus simul pertinet, vt constat ex eorum regulis, & constitutionibus, & consuetudine, quam esse seruandam tradidimus nos in d. cap. nullam, [i] quicquid dicat Panormitanus, [k] qui melius loquitur in cap. *cum ad Apostolicam,* [l] quem referimus d. cap. *nullam.* [m] & magna pars regiminis monasterij consistit in exercitio potestatis eligendi monachos; quia personæ præstant rebus, [n] ergo ad totum conuentum prędicti monasterij, & ad omnes monachos eius pertinet magna pars regiminis eius.

3 Cum ergo monasterium prædictum regendum sit per fratres Gallicæ nationis, si inueniantur qui possint & velint id facere; consequens profecto est, quod non solùm corrector, sed etiam alij officiarij. immo & omnes fratres, qui habent ius suffragandi, seu vocem in Capitulo, decent esse nationis Gallicæ; quia omnes habent aliquam partẽ in eius regimine, licet alij alijs maiorem. Nam ex eo quod alij habeant maiorem, non infertur alios nullam habere: quandoquidem quilibet institutus in aliqua quota hæreditatis parte est verus hæres. [a]

4 Ad oppositum respondetur illud cap. procedere secundum illas regulas antiquas originarias, secundum quas monachi nullum suffragium, vel vocem habebant in Capitulo: non tamen habet locum secundum regulas recentiores, secundum quas prȩlati tenentur regere cum consensu vel consilio sui conuentus, vel consiliariorum, vel discretorum, vel aliorum officiariorum, neque in monasterijs antiquarum regularum, quibus superadditæ sunt constitutiones restringentes prælatorum potestatem ad gubernandum cum consensu vel consilio prædictorum, saltem quo ad aliquam notabilem gubernationis partem, per supradictas rationes, & alia quȩ latius adduximus in d. cap. *nullam.* [b]

AD SECVNDAM respondetur affirmatiuè. Primo quidem, quia omnes fratres, qui sunt habituri partem in regimine prædicti monasterij, debent esse Gallicæ nationis, si in numero sufficienti inueniuntur de illa, vt in prima quæstione resolutum est: at omnes fratres, qui sunt professi, habent aliquam partem regiminis illius, cùm habeât suffragium & vocem eligendi prælatum, & alios fratres, & ad alia multa tam iure communi; iuxta cap. 1. [c] quàm iure particulari, & praxi, siue consuetudine prædicti ordinis Minimorum: ergo omnes professi debent esse Gallicæ nationis, si inueniuntur in sufficienti numero de illa.

5 Secundo, quod ratio principalis & pręcipua, quę B. Franciscum mouit ad constituendum hoc speciale in gratiam Regiæ Maiestatis Gallicæ, fuit, vt fratres illud colentes essent memoriores, siue magis memores ad orandum pro Regibus Galliarum: & quod putauit fratres Gallicæ nationis magis memores fore, quàm alios. quæ ratio æquè comprehendit alios fratres, ac ipsos officiarios: ergo eiusdem iuris debent esse ipsi, atque alij officiarij: partim quod de similibus idem est iudicandum, [d] partim quod dispositio debet extendi tantum, quantum sua ratio principalis extenditur, vt est cap. *meminimus.* adiuncto cap. *suggestum.* [e] vbi Panormitanus receptus ab alijs id adnotauit, & ait non solum procedere cum ratio exprimitur in dispositione, sed etiam cum subintelligitur: quam extensionem laudat ibi Francus & latius defendit Decius. & in casu proposito, non solum ratio est subintellecta, sed etiam expressa. ergo non solùm comprehendit officiarios, sed etiam extenditur ad alios omnes fratres.

Tertio, quod contextus verborum sanctissimi ipsius, eiusdemque gratissimi viri sancti Francisci palam significat, se intellexisse de omnibus fratribus, per illa verba, *Qui inibi residere, & cultui diuino insistere voluerint:* per quæ apparet eum non solum intellexisse de his qui intendunt regimini monasterij in præcipiendo, vel consulendo, sed etiam incumbendo cultui diuino, quod maximè fit missando, canendo, & psallendo, audiendo confessiones, & communicando: quę omnia in prædicto monasterio magna cum solicitudine fiunt.

6 AD TERTIAM respondendum est negatiuè: quoniam subrogatum naturam eius, cui subrogatur, debet sapere, [f] at principales monachi debent esse nationis Gallicæ, ergo & qui eis sunt substituendi. Tum quia non debet esse melioris conditionis substitutus & locum tenens, quam principalis, [g] immo vt ibi adnotauit Bartholus frequenter non potest substitutus satisfacere obligationi, qua principales tenentur. Tum quia non est danda occasio malignandi, [h] immo malitijs hominum est obuiandum. [i] At si liceret dimittere, & mutare fratres nationis Gallicanæ, substituendo fratres aliarum nationum, daretur occasio, & via fraudandi præfatam gratiam, & ordinationem, vt palam est: ergo non est id concedendum.

7 AD QVARTAM respondetur, quod non possunt recipi nouitij ex alijs nationibus, si ex natione Gallicana inueniantur qui recipi possent. Tum quia negata re aliqua videntur negari ea, per quæ peruenitur ad illud, [k] & cum quid prohibetur vna via, prohibetur etiam ne fiat alia, [l] Et per nouitiatum peruenitur ad professionem: ergo si aliarum

nationum

Notes (left margin):
a 18. quæst. 2.
b De reg.
c Cap. 5.
d Nu. 5. & se.
e Cap. quanto. c. nouit. de his quæ fiunt à præl.
f De reg. li. 6.
g In c. cum ecclesia Vulterana. de elect.
g Prædicti ca. fi. de regul. li. 6.
i Nu. 4. & 5.
k In d. c. cum ecclesia Vulterana. de elec.
l De reg.
m Num. 5.
n Leg. 2. ff. de statu hom. & l. si quæram. ff. de testa.

Notes (right margin):
a L. Iulianus. & l. 1. ff. de hæredi. inst. & l. qui liberis. §. fi. ff. de vulga. & alibi sæpe.
b à num. 11.
c De elect.
d Leg. illud. ff. ad l. Aqui. & cap. dudũ. 2. de elect.
e De appell.
f Leg. eũ qui. §. iniuriarum ff. si quis cautio. & c. ecclesia. vt lit. pendent.
g Le. nemo est. ff. de duobus reis.
h Cap. ex parte. de consuet. & l conueniri. ff. de pact.
i Le. in fundo ff. de rei vẽdic.
k Leg. oratio. ff. de sponsal.
l Cap. cum quid. de reg. iur. lib. 6. cum multis ibi per gloss. citatis.

nationum homines non debent incolere prædictum monasterium, si inueniantur ex natione Gallicana, qui colunt illud; neque debebunt eligi nouitij, qui sint ibidem professuri.

AD QVINTAM respondetur, quod licebit, quando non inuenirentur de illa natione tot, quot prædictum monasterium ad sua ministeria indigeret; quando item reditus & locus monasterij ferre possent vt aliqui aliarum nationum sustentarentur vna cum fratribus Gallicæ nationis. sed videtur sentire contextus prædictæ gratiæ, quod tunc eiusmodi fratres solummodo possent residere, & non regere, nec per consequutionem habere vocem in Capitulo, aut saltem non possent esse officiarij: quia legem & dispositionem ita debemus interpretari, ne legislator aut dispositor sibi sit contrarius, argumento l. *vbi repugnantia.* [a] at in principio dixit, vt prædictum monasterium regeretur per solos fratres Gallicæ nationis, si inuenirentur. &, si in fine intelligeretur, quod quando bona possent supportare plures, quàm monasterium egeret, possint conuiuere alij fratres aliarum nationum, intromittendo se in regimine; esset sibi contrarius. Salua, &c.

a ff. de reg. iu. & c. solicitudinem. de appellat.

*SVMMARIVM.*

1 *Molestari vel capi non debet quis rei nullo iure prohibitæ incumbens, antequam de negotio serio cognoscatur.*
2 *Lex antequam promulgetur, seu legitime publicetur, neminem ligat.*
2 *Priuilegium magis restringendum, quam lex, & strictius interpretandum.*
3 *Priuilegium etsi aliquandò prosit ignoranti, numquam tamen illi nocet, nisi quo ad annullationem actus, quæ secundum aliquos non est proprie pœna, quam operatur, si contineat certum tempus, post quod decernat etiam ignorantes ligari, vel habeat decretum irritans. nu. 4. & 5.*
6 *Ignorantia facti, quod quis non tenetur scire, excusat.*
8 *Dispositio, quæ multipliciter apte intelligi potest, non obligat contrauenientem secundum vnum aptum intellectum, modo non contraueniat ei secundum alium ei aptum lege alia probatum.*
9 *Conditionis natura est, vt ea adueniente valeat quod sub ea fuit promissum, aliàs vero non.*

## CONSILIVM XXI.

QVIDAM ingeniosus (qui dicitur *Ingegniero*) obtinuit per breue à Sede Apostolica priuilegium, vt alteri, quã ei, non liceret in statu Ecclesiastico opus quoddam Reip. vtile facere, promittens, quod intra annum mõstraretur artificiũ perfectũ. Alius verò ingeniosus nihil sciens de prędicto priuilegio, idem opus & facilius trãsacto anno perfecit. Quæritur nunc, an inciderit in pœnas contentas in breui, siue priuilegio, scilicet, soluere pœnam ingenioso, vel Cameræ, prout latius continetur in breui, siue in priuilegio.

1 Respõdeo primo, quod resignatio prędicta nullo iure naturali, diuino, vel humano communi prohibetur, immo est actus omni iure permissus, & dignus gratia & præmio, vt copia ipsa præfatæ gratiæ continet: ergo faciens illum in dubio, & antequam de re serio & satis cognoscatur, non debet capi, neque molestari. [b]

2 Secundo, quod lex antequam promulgetur, siue legitime publicetur, neminem ligat. [c] nec priuilegium quod est magis restringendum quam lex, & strictius interpretandum. [d]

3 Tertio, quod priuilegium regulariter non prodest, cui conceditur, nec nocet ei contra quem conceditur, donec perueniat ad notitiam eorum. & licet aliquando prosit ei cui cõceditur, numquam tamen nocet ei, contra quem conceditur, saltem quo ad incurrendam pœnam, donec legitimè intimetur ei, aut donec saltem notitia eius legitimè perueniat ad illum, vt est in cap. 1. [e] vbi post Innocentium, Hostiensis, Dominicus & Philippus Francus [f] expresse hoc tenent.

Quarto, quod non obstat dicere, quod lex & dispositio pœnalis aliquando etiam comprehendit ignorantes, cum exprimitur in ea, vt ex tempore datæ obliget, iuxta glossam celebrem [g] aut cum ponitur in ea decretum irritans, [h] & quod in gratia præfata ponitur tam verbum *ex nunc*, quam decretum irritans.

5 Non inquam hoc obstat: quia illud procedit quo ad pœnam annihilationis actus, quæ dicitur intrinseca, & à multis defenditur, quod non est verè pœna, vt videre est apud Panormitanum Felinum Deci. & alios citatos per eos [i] non autem quo ad pœnam extrinsecam corporalem, vel temporalem aliorum bonorum, vt omnes resoluunt. Et in casu proposito primus ingeniosus non agit ad annullationem actus, sed petit pœnam extrinsecam bonorum temporalium, ad quam nulla ratione debet audiri contra secundum ingeniosum, qui ignorauit suum priuilegium, siue gratiam priuilegiatiuam nullatenus illi notificatam, nec publicè in locis solitis publicatam & promulgatam.

b Leg. absentem. ff. de pœ. l. absentem. C. de accusa. cum eis adnotatis.
c Tex. in c. in istis. §. leges. 4. dist. & ca. 2. de consti. & in Authent. vt fact. no. cõstit. collat. 6.
d Cap. porro de priuil. cap. Rodulphus. de rescrip. cũ eis adnot.
e §. ex parte. de concess. præben. lib. 6.
f Super gloss. vim suam.
g Cle. 2. vers. ex nunc. de hæret. lib. 6.
h Dict. c. 1. §. parte.
i Cap. 2. de cõstit.

6 Quinto, quod contra ius naturale, diuinum, canonicum, & ciuile est, vt quis innocens & sine culpa puniatur, vt constat per l. *absentem.* [a] & c. *iam itaque.* & per alia multa citata per Gratianum [b] Atqui aliquid iure naturali diuino permissum, sed humano prohibitum facit per ignorantiam facti, quod ipse non tenetur scire, innocens, & sine culpa est, vt est in §. [c] *notandum.* cum aliis multis citatis à gloss. illius, & est textus expressus in reg. *ignorantia facti excusat.* [d] cum aliis citatis ab eius glossa & id quod præfatus secundus ingeniosus fecit, est de se permissum, & omni iure permissum: ergo licet per ignorantiam facti contrauenerit præfatæ gratiæ, sine culpa id fecit, & est innocens; & consequenter graue peccatum est eum ob id punire.

a ff. de pœn.
b . quæst. 4.
c 1. qu. 4.
d De re. iur. lib. 6.

7 Sexto, quod gratia præfata non fuit absolutè & sine modo & conditione concessa, sed cum modificatione, & restrictione, vt infra annum à die concessionis monstraretur artificium perfectum; ita quod nisi id fieret, nihil gratia prodesset: quod tamen non videtur factum intra annum à die concessionis, cum ille fuerit finitus 21. die mensis Octobris proxime elapsi, & nondum sciatur, saltem publicè, id esse factum. Quod si non est satisfactum præfato modo & conditioni, planum est præfatum primum ingeniosum male agere, peccareque grauiter molestando secundum, esseque dignum vt puniatur, cum sua ipsa gratia nihil ei prosit.

8 Septimo, quod dispositio, quæ multipliciter apte intelligi potest, non obligat contrauenientem secundum vnum aptum intellectum, modo non contraueniat ei secundum alium ei aptum lege aliqua approbatum, per l. *in ambiguo.* [e] vbi hoc adnotauit Bartholus communiter receptus. At præfata gratia [f] videtur intelligi apte duobus modis, argumen. l. 2. [g] Primo quidem, vt gratiam faciat conditionalem: secundo, vt faciat modalem. & intelligendo quod faciat conditionalem, scilicet quòd si intra annum perfecerit opus, valeat ei gratia, & aliàs non, non videtur antequam perficiatur exercitium intra annum obligare; quia illa est natura dispositionis conditionalis. [h]

9 Octauo, quod natura conditionis est, quod ea adueniente valeat quod sub ea fuit promissum, aliàs vero non. [i] Salua, &c.

e ff. de reb. dub.
f Inverss. vo lumus.
g ff de in diē addict.
h §. ex conditionali. Instit. de verb. obli. tex. c. si pro te. de rescript. li. 6.
i §. ex conditionali. Instit. de verb. obli. c. verum. de condit. appos.

*SVMMARIVM.*

1 *Quidquid potest quis per seipsum facere, potest facere per alium.*
2 *Recedendum à verbis non est, nisi aliud aliunde appareat. & num. 2.*
3 *Priuilegia, dato aliquo effectu, quem operentur contra ius commune, non sunt extendenda ad alios, saltem ad eos, ad quos non mouet eadem ratio.*
4 *Actus agentium non operantur vltra intentionem eorum.*
5 *Coniunctio* et, *vel* ac, *significat copulata esse diuersa.*
6 *Verba, quæ in priuilegiis, & quacumque dispositione, etiam odiosa, ponuntur, debent extendi quantum sua propria significatio patitur.*
6 *Exportare rem suam quocumque voluerit, vnicuique iure naturali licet.*
6 *Gratia, vel dispositio facta in materia, per quam res reuertitur ad pristinam naturam iuris naturalis, est fauorabilis.*

## CONSILIVM XXII.

CONCESSIT Sanctissimus per motum proprium in forma breuis Legato Bononiensi vt posset extrahere ex quocumque loco status Ecclesiastici tot mensuras frumenti, & bladorum, non obstante eius constitutione hoc prohibente, & transferre Bononiam absque datiis & gabellis. Quæritur, an possit illas transferre ad alia loca, verbi gratia Florentiam, cum iam Bononiæ prouisum fuerit: quia gratia principaliter est concessa ad extrahendum; transferre autem Bononiam videtur esse liberum, ac in eius

arbitrio relictum, cuius contemplatione gratia ac priuilegium hoc concessum fuit.

1 Perpensis verbis priuilegij Illustrissimi Cardinalis dico primo, certum esse, quod eius Illustrissimæ D. licet per se vel suos agentes conuenire cum præfato Thesaurario, & præfatis mercatoribus per conuentionem gratuitam accepto, vel non accepto pretio, vt illi extrahant corbes frumenti, & bladorum in priuilegio expressos eo modo, quo posset sua D. Illustrissima per se vel per suos familiares & agentes extrahere: quia id iure nullo ei prohibetur: & regula iuris habet, quod potest quis per alium facere, quod potest per semetipsum. [a] Nec, vt puto, publicani & gabellarij contradicent huic parti.

2 Secundo videtur, quod præfatum priuilegium duobus modis potest intelligi quo ad illa verba, *Extrahere, ac ad ciuitatem nostram Bononiam transferre*. altero, quod significent dari duo priuilegia, vnum ad extrahendum simpliciter absque datiis & gabellis, &c. alterum ad transferendum Bononiam absque datiis, & gabellis, &c. Secundo modo, vt significent dari vnum priuilegium, scilicet extrahendi Bononiam. Et si dicamus priori modo intelligenda, poterunt extrahere quocumque volent: & si posteriori, non nisi Bononiam.

3 Tertio, quod videri potest posterior modus intelligendi verior alicui. Tum quia illa verba præfati priuilegij, *extrahere, ac ad ciuitatem Bononiam transferre*, id videntur propriè sonare: & à verbis non est recedendum, nisi aliud aliunde appareat. [b] Tum quia priuilegia sunt restringenda, [c] & licet ita debeant interpretari, vt operentur aliquid vltra ius commune, [d] dato tamen aliquo effectu, quem contra illud operentur, non debent extendi ad alios, saltem ad illos, ad quos non mouet eadem ratio, secundum Panormitanum, [e] declaratum latius per Decium, [f] & per citatos per eum. Et non videtur eadem ratio concedendi extractionem prædictorum bladorum ad quæcumque alia loca subiecta, & non subiecta illi, ac extrahendi à ciuitate Bononia sibi subiecta, & multis, nominibus digna, vt sibi faueatur: & est notabilis fauor, vt ad eam possint extrahi præfata blada.

4 Tum quia nemo diceret, quod licentia Papæ ad extrahendum aliquod frumentum in Regnum Neapolis extenderetur ad extrahendum in Regnũ Franciæ, vel Florentiam, cum actus agentium non operentur vltra intentionem eorum. [g] Tum denique quod videri potest superfluum fuisse facere facultatem transferendi Bononiam, si per verbum *extrahendi* intelligeretur data facultas extrahendi quocumque vellet, cum tanta & maior ratio esset transferẽdi Bononiam, quàm ad alia multa loca, per prædicta.

5 Quarto videtur verior prior modus intelligendi. Primo, quod si Papa habuisset intentionem concedendi priuilegium ad extrahendum tantùm Bononiam, proprius dixisset se concedere libertatem extrahendi ad Bononiam, quam extrahendi, ac ad Bononiam transferendi, cum superfluè poneretur illa copulatiua, *ac*, & illud verbum *transferendi*, *& conducendi*, vt palam est. Secundo, quod coniunctio copulatiua, *&*, siue, *ac*, significat copulata esse diuersa iuxta glossam solemnem, [h] & videtur concessisse duas facultates, alteram extrahendi, & alteram transferendi Bononiam. Tertio, quod non fuit superfluum (vt argumentum vltimum pro contraria parte tangebat) addere secundum post concessionem primi: quia concessio extrahendi sine datiis, gabellis, &c. solum concedit immunitatem à datiis, & gabellis, &c. prouinciarum, vnde erant extrahendæ, & non à datiis, gabellis, &c. soluendis alibi, vt Bononiæ, & in aliis locis, per quæ ad eam transferrentur. Quarto, quod satis aptus intellectus illorum verborum videtur, quod per ea datur vna facultas extrahendi quocumque volet absque datiis, & gabellis, &c. soluendis in prouinciis, vnde extrahuntur, & altera transferendi & conducendi Bononiam absque datiis, gabellis, ac cæteris soluendis etiam extra prouincias, vnde extrahenda sunt, vsquequo importentur, & inducantur Bononiam.

6 Quinto, quod non obstant supradicta de restringendo priuilegio: quia hoc non est extendere priuilegium, sed verba illius iuridicè intelligere, & vitare superflua, & propriè intelligere verba, quæ in quacumque dispositione etiam odiosa ponantur, debent extendi quantum sua propria significatio patitur, vt habet l. *cum lege*. iuncta glossa, [i]

a Cap. potest. de regul. iur. lib. 6. l. 1. ff. de procurat.

b Leg. non aliter. ff. de lega. 3.

c Cap. porro. de priuilegijs.

d Ca. cum in his. de priuileg. ca. auctoritate. de ver. signific.

e Ca. certificari. §. eos. de sepult.

f Ca. 1. de rescript. nu. 16.

g Leg. non omnis ff. de reb. credit. c. fin. de prab.

h In rubric. ff. de iuris & facti ignorã. & c. querelam. de simon.

i De testam.

vbi colligit Aretinus quem sequitur Decius, [a] & alibi sæpe, & Alciatus [b] & propria & apta significatio verborum videtur supradicta: attento præsertim, quod præfata gratia est concessa motu proprio, & multis aliis clausulis significãtibus voluntatem concedentis fuisse facere illam vberrimam, & amplissimam: & quod fit in materia, per quam reuertitur res ad pristinam naturam iuris naturalis, quo licet exportare vnicuique rem suam quo voluerit; quæ reuersio est fauorabilis. [c] Per quæ, & alia multa, quæ possent afferri, æquior & iustior videtur hæc pars posterior. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

*1 Prælatus exemptus à iurisdictione Episcopi, & Papæ immediate subiectus habet iurisdictionem quasi episcopalem; & omnia, quæ Episcopus, exercere potest in suos subditos.*

## CONSILIVM XXIII.

AN prælatus exemptus ab Episcopi iurisdictione habeat iurisdictionem episcopalem, & an cum suis subditis omnia illa, quæ Episcopus potest, valeat exercere?

1 Respondeo, quod prælatus exemptus, & immediatè Papæ subiectus habet iurisdictionem quasi episcopalem in suos subditos, iuxta glossam receptam & à quibusdam putatam singularem [d] quam Cardinalis [e] commendat, dicens eam seruari de consuetudine, & quod ipse fecit eam frequenter obseruare. & per illam glossam putatam singularem dixit, Abb. [f] quod huiusmodi prælati exempti, qui habent iurisdictionem quasi episcopalem, possunt exercere in suos subditos ea, quæ Episcopi in suos. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

*1 Priuilegium canonis clericis minoribus 14. annorum non tollit Conc. Trid. sed fori, & ne obtineant beneficia.*

*1 Ius antiquum non censetur sublatum, nisi quatenus ius nouum illud expresse tollit.*

*2 Negans alterum de duobus propositis tacite, vel expresse, alterum concedere videtur.*

*2 Lex debet esse rationabilis.*

*3 Priuilegium fori sublatum est clericis in variis casibus ad instantiam Regum, ne eorum iurisdictio fraudaretur.*

*3 Consuetudo est optima legum interpres.*

*4 Legis mens est seruanda in omni dispositione.*

## CONSILIVM XXIV.

AN clerici in minoribus constituti ante decimumquartum annum priuentur priuilegio canonis *si quis suadente* sicut priuilegio fori, per [g] Concilium Tridentinum.

1 Respondetur, quod non: quia prædictum Concilium [h] nullam de priuilegio canonis *si quis suadente*. facit mentionem, sed solùm meminit de priuilegio fori, & priuilegio obtinendi beneficia ecclesiastica: ergo non videtur illud tollere quo ad vllum tempus. Tum quia ius antiquum non censetur sublatum, nisi quatenus ius nouum expressè illud tollit. [i] At omnis clericus iure antiquo fruitur canone *si quis suadente*, ergo non priuatur eius fruitione, nisi iure nouo expressè priuetur. At præfatum Concilium, [k] nullam de ipso mentionem facit, sed omnino omittit: ergo pro omisso debet haberi. [l]

2 Tum quia qui de duobus tacitè vel expressè propositis alterum negat, alterum concedere videtur. [m] At in præfato Concilio [n] priuilegia clerici tacitè vel expressè proponuntur, & non tollit nisi priuilegium fori, & obtinendi beneficiũ ecclesiasticum: ergo reliqua reliquit ei, & consequenter priuilegium canonis. Tum quia nulla ratio occurrit, quare clerico minori 14. annis honestè clericatu suo vtenti debuisset tolli præfatum priuilegium canonis: ergo non est censendum sublatum: quia lex debet esse rationabilis. [o]

3 Tum quod satis notum est priuilegium fori sublatum fuisse ad maximam Regum instantiam, ne iurisdictio eorum fraudaretur: quæ ratio cessat in priuilegio canonis; ergo cessat in eo præfatum Concilium. [p] Tum quia nullius regionis consuetudo suscepit præfatam interpretationem, sed contrariã; & ita illa seruãda est: quia cõsuetudo est optima legũ interpres. [q]

4 Tum denique quod phrasis & mens præfati Concilij [r] indicat hanc partem bene sentienti & olenti; & mens legis est seruanda in omni dispositione, [s] & phrasis ipsius capitis significat noluisse Concilium parificare illa duo priuilegia,

a Ca. vt debitus honor. de appell. & l. factum. §. in pœnalibus. ff. de reg. iur.

b In rubric. de ver. si. col. 2.

c Le. si vnus. § pactus nepeteret ff. de pactis & c. ab exordio. 35. dis.

d Cle. 1. verbo proprij. de rebus eccl. nõ alienan.

e Ibidem qu. 34.

f Ca. 1. de rebus eccle. non alien. col. 1.

g Ca. 6. de reform. sess. 23.

h Cap. 6.

I Le. præcipimus. C. de appell.

k Cap. 6.

l Le. cõmodissime ff. de liber. & posth.

m Leg. cum prætor. ff. de iudic. & c. nonne. de præsũp.

n Cap. 6.

o Ca. erit autẽ lex. 4. dist.

p Ca. 6. c. cum cessante. de appell.

q Ca. cum dilectus. de consuet.

r Cap 6.

s Le. in conditionibus. ff. de condit. & demonstrat. & c. Marchion. 1. quæst. 1.

dum

dum diuidit priuilegium fori à priuilegio obtinendi beneficia, postcaquam ad quatuordecim annos peruenerit; definiendo ne altero vmquam vtatur, nisi sit beneficiarius, aut clericalem habitum & tonsuram deferens alicui ecclesiæ de mandato Episcopi inseruiat; altero vero sic, quo tamen vti non potest, nisi sit clericus, & reputetur talis.

*Aduertendum non inde tute inferri clericum si sit minor 14. annis non gaudere priuilegio fori etiam quod in habitu, & censura incedens alicui ecclesiæ de mandato episcopi inseruiret, vel de eiusdem icentia in seminario, vt in schola, aut vniuersitate quasi in via ad [l] maiores ordines suscipiendos versaretur.*

*SVMMARIVM.*

2 *Clericus, si dimisso habitu, rapinis, latrocinijs, & aliis enormibus criminibus se immiscuerit, perdit priuilegium fori & canonis secundum magis communem. nu. 2. quæ licet quo ad priuilegium canonis possit teneri. nu. 5. & fortè etiam quo ad initiatos minoribus ordinibus; at quo ad insignitos ordine sacro, nisi præcesserit monitio, & degradatio, non est tenenda. nu. 6. quia ei contraria fortiori textu & ratione nititur. n. 7.*

1 *Clericus occidens, vel occidi mandans Christianum per assassinum, itemque goliardi, ioculatores, buffones, artem talem per annum exercentes, ipso iure perdunt priuilegium clericale: & hoc est per specialia iura statutum. num. 4.*

2 *Religiosus si non sit clericus, etiam si sit Abbas, omni clerico inferior est; ecclesiastica tamen persona est; item & æque gaudet priuilegio canonis & fori, ac clericus. num. 6. & si sit professus, clerico in sacris; si vero sit nouitius, clerico in minoribus constituto æquiparatur. num. 7.*

4 *Iudex laicus clericum, nisi ter monitus sit incorrigibilis, punire nequit de nullo crimine etiam dimisso habitu perpetrato.*

8 *Opinio communis à contrario textu vel ratione nitente conuincitur.*

## CONSILIVM XXV.

AN conuersus religionis approbatæ nullo ordine insignitus, qui relicto habitu se immiscuit rapinis, & latrociniis, & aliis enormibus criminibus; perdat priuilegium fori, & subiiciatur judici laico?

1 Pro parte affirmatiua facit primò, quod clericus occidens, vel mandans occidere per assassinos, videtur perdere priuilegium fori. [a]

Secundo, quod clerici ioculatores, goliardi, & buffones, artem illam exercentes per annum, perdunt ipso iure priuilegium clericale, [b] ergo à fortiori videtur perdere is, de quo loquimur, conuersus latrociniis & aliis enormitatibus se immiscens.

Tertio, quod cap. *perpendimus.* [c] & cap. *ex parte. 3.* [d] probant secundum intellectum frequentius receptum, quod clericus se huiusmodi enormibus immiscens, & in eis inueteratus ipso iure perdit priuilegium clericale.

2 Quarto, quod clericus in minoribus constitutus, nisi habeat beneficium, vel seruiat ecclesiæ de mandato Episcopi, non gaudet priuilegio fori post Concilium Tridentinum. [e] Et conuersus, esto sit religiosus, & ecclesiastica persona: si tamen non est vllo ordine insignitus, non est clericus; immo si sit abbas, est minor quocumque clerico. [f]

Quinto, quod opinio doctorum communis & frequentior habet huiusmodi clericum perdere omnia priuilegia clericalia, etiam canonis, & fori, vt patet ex Hostiensi communiter recepto, [g] & hanc opinionem seruari testatur Stephanus Aufrerius. [h]

3 Non obstantibus tamen his, mihi videtur iure verius, & Christianæ pietati aptius contrarium. Primo quidem, quia nulla pœna ipso iure incurritur, nisi cum id iure exprimitur, iuxta glossam receptam, [i] & nullibi est textus, quod clericus immiscens se enormibus, etiam habitu & tonsura clericalibus dimissis, perdat ipso iure priuilegium fori, antequam moneatur desistere; ergo non est dicendum. [k]

4 Secundo, quod pro hac parte videtur casus in cap. *cum non ab homine.* [l] quatenus habet iudicem laicum non posse punire clericum de vllo crimine, nisi consecuta incorrigibilitate post trinam monitionem, & excommunicationem; cui satis addit cap. *si iudex.* [m] hoc esse verum, etiam si habitu clericali & tonsura dimissis id faciat.

Tertio, quod cap. 1. & aliud [n] nō probant communem sententiam, immo per locum à speciali probant hanc partem. Si enim speciale est in clerico ioculatore, siue buffone, & in occidente, vel mandante occidere per assassinum, in contrarium est regula. [a] Tum quia sunt leges pœnales; & ita non debent excedere proprium casum. [b]

5 Quarto, quod cap. *perpendimus.* quod omnium maximè vrgere videtur, nihil contra partem hanc probat. Tum quia nihil disponit de priuilegio fori. Tum quia ad summum solum probat perdi priuilegium canonis, *si quis suadente.* [c] Vnde Cardinalis & Panormitanus grauissimi auctores, serio hanc rem expendentes, affirmant illud cap. nihil probare de priuilegio fori: quos sequuntur Clauasius, [d] & Syluester in verbo clericus, [e] sed & Stephanus Aufrerius, qui pro maximo communis opinionis auctore & defensore citatur, vbi supra hoc videtur sentire, licet non fuerit ausus exprimere, quatenus ait, eis, qui hanc partem tenuerunt in quodam casu criminis læsæ maiestatis, non successisse bene, subdens quod Deus, qui nihil ignorat, sciuit an bene, vel male fecissent.

6 Quinto, quod vtcumque res habeat quo ad clericos minoribus tantum ordinibus insignitos, quorum bonam partem priuilegio fori exuit Concilium Tridentinum, [f] quo ad tamen ordine sacro insignitos constanter profecto videtur tenenda hæc pars, ne sine textu dicamus posse presbyteros enormiter delinquentes ante vllam monitionem, & degradationem, à potestate laica in grande Ecclesiæ dedecus suspendi, contra dict. cap. *cum non ab homine.* & cap. *nouimus.* [g] & cap. *ad falsariorum.* [h] quam opinionem contra communem gaudeo placuisse D. Dydaco à Leyua, siue Couarruuię. [i]

7 Ad tria argumenta in oppositum formata respondetur per tertium & quartum fundamentum huius partis. Ad quartum respondeo, concedendo religiosum, eo solo quod sit religiosus, non esse clericum, immo esse minorem omni clerico; negando tamen, quod ex hoc sequatur aliquid contra illum: quia iura æquæ concedunt priuilegium canonis & fori monachis, ac clericis. [k] Et vt clericus minorum ordinum se habet ad clericum sacri ordinis, quia ille potest retrocedere, hic autem non; ita monachus nouitius se habet ad professum; quia ille potest retrocedere, hic autem non, [l] & ideo idem est iudicandum in hoc de monacho professo, & de clerico sacri ordinis, & in quæstione proposita agitur de conuerso professo. Ad quintum respondeo, quod communis opinio non est tenenda, quādo fortiori textu vel ratione nititur contraria, [m] & ex prædictis cōstat longè fortiores esse rationes huius partis, quàm communis, quæ profecto nullatenus potest satisfacere argumentis contra eam supra adductis, cum tamen suis plenè sit satisfactum. Salua, &c.

## DE PVRGATIONE CANONICA.

*SVMMARIVM.*

1 *Purgatio canonica omnis fit cum iuramento.*

1 *Purgatio canonica cum iuramento tollit infamiam, & suspicionem præcedentē, & purgato debetur bonum testimonium.*

2 *Abiurare, raro ponitur pro purgare se à suspicione hæresis.*

3 *Purgatio, etiam de vehementi, non appellatur abiuratio, sed purgatoria cautio.*

## CONSILIVM I.

PRIMO quæritur, an purgatio canonica fiat cum iuramento.

Secundo, an sit idem quod abiuratio.

1 Respondeo. Omnis purgatio canonica fit medio iuramento, [n] & ita qui dicit, ille aut ille se purgauit, æquipollenter dicit, quod medio iuramento id fecit; cum omnis purgatio fiat cum iuramento. [o] Tum quia purgatio secundum formam præscriptam tollit infamiam, & suspicionem præcedentem, & facit vt debeatur bonum testimonium purgato, [p] quod non fit sine iuramento.

2 AD SECVNDAM. Abiurare rarissimè ponitur pro purgare à suspicione: in toto enim titulo de purgat. cano. solum inuenitur in c. *inter solicitudines.* & ibi significat cum iuramento abscedere ab eo, quod ante faciebat, vel habebat, & nec Angelus nec Siluester posuerunt in summis suis alphabeticis verbum, *abiurare*, vel *abiuratio*. sed verbum, *purgatio*. Tum quia raro, vel numquam inuenitur in volumine Gregoriano abiurare; licet in cap. *accusatus.* [q] verbum abiuratio applicetur etiam ad id, quod fuit in suspicione tantùm, & in cap. *literas*, de præsumptione purgatio etiam de

vehementi

---

a Cap. 1. de homic. lib. 6.
b Cap. 1. de vit. & ho. cle. lib. 6.
c De sent. excom.
d De priuil.
e Sess. 23. cap. 6. de reform.
f Cap. à subdiacono. adiūcta gloss. 92. d.
g In d. c. perpēdimus.
h In tract. de potest. secul. super ecclesiasticas personas. fallen. 19.
i In c. vlt. de iure patron.
k Cap. consuluisti. 2. q. 4. c. 2. de transla. prælat.
l De iud.
m De sen. excom. li. 6.
n De homic. lib. 6. & cap. 1. de vit. & hon. cler. eod. lib.

a Arg. c. prædicti. §. loca. de præb. lib. 6. cum concord.
b L. e. interpretatione. & l. si præses ff. de pœnis. c. pœna de pœn. dist. 1. c. 17 quæst. 4.
d Verbo clericus. §. 1.
e 3. §. 9.
f In dict. sess. 23. c. de refor.
g De verborum signific.
h De cri. falsi.
i In quæstione pract. 32.
k Cap. si quis suadente. 17. qu. 4. ibi, Clerici, vel monachi. ca. nō dubium. c. de monialibus. de sententia excommu. & c. duo sunt genera. 12. qu. 1.
l Cap. 1. & c. constitutionē. de reg. lib. 6. & cle. cos. eo. tit.
m Ca. capellanus de ferijs. & l. 2. §. sed neque. Co. de vet. iur. enuc.
n Ca. quoties. cum similib. de purgat. cā.
o Dict. c. quoties & toto ti. de purg. can.
p Ca. ex tuarum. de purg. canon.
q De hæret. lib. 6.

vehementi non appellatur abiuratio, sed iuratoria cautio, & in cap. *excommunicamus*. [a] pro abiurare suspicionem, ponitur purgare se à suspicione. Quæ quidem omnia tumultuariè scripta submitto grauissimæ censuræ D.V. Illustrissimæ, quæ vtinam quam diutissima incolumitate fruatur. Amen.

a §. *adiicimus. de hære.*

## DE PVRGATIONE VVLGARI.

### SVMMARIVM.

1. *Purgans, vel volens se purgare purgatione vulgari, mortaliter peccat.*
2. *Duellum solemniter ineuntes à Conc. Trid. ipso iure excommunicantur, & aliis pœnis afficiuntur, quæ per Gregorium XIII. ad priuatum sine patrinorum solemnitate extensæ fuerunt: non incurruntur tamen dictæ pœnæ, nisi realiter duellum sit subsequutum. num. 3.*
4. *Purgatio per iuramentum, etiam super brachium Sancti Antonij, vel alias res sacras, non conceditur nisi ei, de quo iuridice prius cognitum sit quod tali eget purgatione: quia non est vane iurandum.*
4. *Diffamatus de aliquo delicto potest vti remedio l. diffamari, & actione iniuriarum; à quibus tamen satius erit vt abstineat tacendo, & huiusmodi verba floccifaciendo; nisi probabiliter & efficaciter credat ex taciturnitate sibi notabile damnum honoris, famæ, reive familiaris subsequuturum.*

## CONSILIVM I.

QVIDAM de crimine iniustè à quibusdam diffamatus sæpe sæpius deliberauit, pro suæ famæ recuperatione, duello, & iuramento super brachio Sancti Antonij se purgare, idque à S. D. N. petere. Quæritur, an aliquam pœnam incurrerit, & an aliud sibi aptius remedium supersit.

1 Respondeo, D. consulentem debere in primis pœnitere earum voluntatũ, quas habuit inordinatas, & cõtra quintum præceptum Decalogi datũ, [b] & relatum à gloss. [c] Quoniam purgare se, vel velle se purgare purgatione vulgari, de qua in tit. de purg. vulg. qualis est purgatio per duellum, [d] est graue ac mortiferum peccatum, [e] quamuis legatur permissa in aliquot casibus, iuxta sacram Scripturã, vt habetur in c. *monomachiam*. [f] immo sunt hodie tales per Concil. Tridentinum excommunicati, & aliis pœnis ipso iure impositis grauiter affecti, [g] quod solum agit de duello solemni, sed extensum fuit postea per fel. rec. Gregorium XIII. ad omnia duella, etiam priuata, & sine vlla solemnitate patrinorum, seu patronorum, & aliarum monitionum & diffidationum habita.

3 Secundo, quod præfatus D. consulens non incurrit excommunicationem, neque priuationem bonorum suorum ipso iure per præfatam voluntatem committendi duellum: incurrisset tamen, & incurreret, si fecisset, vel faceret illud: quia præfatum Concilium, & extensio prædicti Gregorij non puniunt mentalia duella, sed tantum realia: pro quo est aptus textus, [h] sicut nec voluntas occidẽdi facit irregularem, licet sic ipsa realis occisio, secundum glossam communiter receptam contra gloss. cap. *si aliquis*. [i]

4 Tertio, quod S. D. N. non faciet D. consulenti facultatem iurandi super brachio S. Antonij, vel aliis sacris rebus, aut literis, nisi prius iuridicè nouerit eum indigere tali purgationis iuramento; quia non est vane iurandum. [k]

Quarto, quod poterit iuste agere contra eos, qui falso diffamauerunt ipsum proditionis, furti, vel alterius criminis, per remedium l. *diffamari*. [l] quod consulerem præfato D. consulenti, & etiam remedio iniuriarum, iuxta cap. vlt. [m]

Quinto, consulendum esse præfato D. consilium super proposito negotio petenti, ne vllo remedio contra præfatos homines iniurios agat, nisi probabiliter & efficaciter credat, quod ex taciturnitate notabile sibi damnum honoris, famæ, vel rei familiaris subsequetur. Tum per ea quæ habet l. vnica. [n] Tum quia viri grauiores parui faciunt huiusmodi verborum leues iniurias, & leuiores reputantur qui super eis mouent lites apud iudices, qui plerumque cum suis notariis eos irridere solent, & frequenter per eas augetur infamia, & diminuitur honor & auctoritas, & fit notum quamplurimis, quod solum sciebatur à paucis.

b Exod. 20.
c Ca. quid in omnib. 32. qu. 7.
d Ca. 1. & 2. eod. tit.
e D. toto tit. de purg. vulg.
f 2. quæst. 4.
g Sess. 25. c. 19. de reform.
h In c. si de si mon. cum ei similibus.
i De homicid.
k Ca. animaduertendum. 22. quæst. 2.
l Co. de ingenuis & manumissis.
m De iniur. & toto eod. tit. ff. & C.
n C. si quis imper. mal.

### SVMMARIVM.

1. *Constitutionem Pij IIII. & aliorum Pontificum subiicientium excommunicationi latæ sententiæ Sedi Apostolicæ reseruatæ ineuntes duella solemnia. n. 2. extendit Gregorius XIII. etiam ad exercentes duella priuata priuatis modis inita. nu. 1.*
2. *Pœnæ non debent extendi vltra propriũ casum, etiamsi in alio eadem omnino ratio inueniatur, & nu. 4. sed quod extendantur, tenuit aliquando gloss. nu. 3.*
3. *Aequiparata cum duo reperiuntur in iure, statutum in vno, & in alio statutum censetur.*
5. *Extendit cum lex noua legem antiquiorem, vnum casum subiicientem excommunicationi reseruatæ ad alterum, censetur & hunc alterum casum reseruatæ excommunicationi subiicere.*
5. *Duellum etiam priuatum & priuato modo ineuntes per bullam Gregorij incidunt in excommunicationem, quæ & ipsa est reseruata, sicut & illa, quæ per Pium IIII. fuit lata contra publica & solemnia ineuntes duella.*

## CONSILIVM II.

PIVS IIII. sanct. mem. in bulla, quæ incipit, *ea quæ*, publicata de anno 1560. Idibus Nouembris, vltra alias pœnas, quas posuit in prohibitione duellorum, posuit pœnam maioris excommunicationis, & ipsius absolutionẽ reseruauit sibi, & Romano Pontifici pro tempore existenti. Concilium autem Tridentinum, [a] excommunicat, sed nemini reseruat excommunicationis absolutionem in casu detestabilis duellorum vsus. Deinde S.D.N. Gregorius XIII. ampliauit, declarando dictum Concilium vt procedat non solum in publicis duellis, sed etiam in priuatis, vt in bulla, quæ incipit, *ad tollendum*, publicata de anno 1582. in qua inter cætera dicitur, *Constitutionibus tamen, & aliis sanctionibus Apostolicis hac de re disponentibus in suo robore duraturis*. Modo quæritur, an in casu duelli priuati incurratur pœna in Concilio contenta, an imposita in d. bulla Pij IIII. emanata ante Concilium.

Respondeo primo, quod piè, subtiliter, prudenter, & salubriter videtur sensisse, qui mouit hoc dubium, super quo adduci possent multa, quæ, vt puto, sese obtulerunt eius eruditioni.

1 Secundo, videri considerandum, quod Iulius II. Leo X. Clemens VII. & Pius IIII. videntur damnare duella illa solemnia, quæ publicè fiebant, impetratis campis, & facultatibus, & licentiis duella impune faciendi ab illis, qui poterant ea concedere, & voluisse punire & castigare facientes illa, & concedentes præfatos campos, & facultates, & alios certos modos participandi cum eis. S. autem D.N. loquitur de illis, & extendit ea ad duella priuata priuatis modis eisdemque diuersis instituta & executa.

2 Tertio, quod ex hoc sumi potest argumentum pro negatiua parte quæstionis, scilicet quod reseruatio excommunicationis à Pio IIII. imposita non extendatur ad excommunicationem impositam à S.D.N. cum pœnæ non debeant extendi extra proprium casum, etiam si in alio inueniatur omnino eadem ratio, vt in cap. *pœnæ*. [b] vbi nos post alios latissime tradimus, & palam fit duella priuata esse alia, & longe diuersa à duellis publicis & solemnibus, & non inueniri eamdem omnino rationem in his, quæ inuenitur in illis.

Quarto, quod etiam ex eodem secundo dicto sumitur argumentum pro parte affirmatiua quæstionis, scilicet, quod reseruatio Pij IIII. habet locum in excommunicatione lata circa duella priuata. Tum quia S. D. N. per suam extrauagantem noluit derogare constitutionibus suorum prædecessorum, immo expresse cauit, vt illæ durarent in suis casibus.

3 Tum quia æquiparare videtur quo ad hoc duella priuata publicis, cum ait per illa verba: *Considerantes duellum priuatum non minus cruentum & animæ & corpori noxium esse, quàm quod publicè perpetratur*. Et statutum in vno, videtur habere locum in alio sibi æquiparato, vt habet cap. *translato*. [c] & glossa recepta, [d] quæ habet alias multas similes: & quod etiã lex pœnalis extenditur ad aliũ casum, in quo est omnino similis ratio, vt sentit glossa in vna sui parte, [e] à multis commendata.

Quinto, quod certum videtur esse, nullam pœnam à præfatis summis Pontificibus & Concilio Tridentino impositam habere locum in præfatis duellis priuatis, quatenus sunt impositæ ab illis. Tum quia non loquuntur de priuatis.

4 Tum quia lex pœnalis non extenditur de vno casu ad alium, iuxta præfatum cap. *pœnæ*. etiam si omnino sit eadem ratio, quod nos ibidẽ late probamus, & præfata glossa, [f] idem

a In c. 19. sess. 25.
b De pœ. d. 1.
c De const.
d In c. si postquam. de ele. lib. 6.
e In c. 1. de tẽporibus ord. lib. 6. in verb. Italia.
f In ver. Ital.

tenuit. [a] Ex quo sequitur, quod licet constitutio Pij IIII. non sit sublata per extrauagantem S. D. N. immo sit confirmata, tamen per illam solam non censetur reseruata excommunicatio lata circa duella priuata: quia illa nihil loquitur de illis, iuxta secundum dictum, & iuxta hoc quintum non extenditur ad illa per similitudinem, neque per identitatem rationis; quia sunt valde diuersa, iuxta secundum dictum.

a *In fin.*

Sexto, quod restat dubium, an per extrauagantem S. D. N. illa reseruatio repetatur quo ad duella priuata, & credo quod sic, non quidem ea ratione, quod edicta præfata prædecessorum eius extendantur per se ad excommunicationem inflictam à D. N. sed quia eius Sanctitas expresse extendit easdem excommunicationes eorum ad excommunicationem circa duella priuata ab ipsomet inflictam: quoniam expresse extendit pœnas illarum constitutionum ad duella priuata, per hæc verba: *Auctoritate Apostolica statuimus, &c. vt omnes, qui circa duella priuata peccant modis expreßis à sua Sanctitate, eisdem censuris & pœnis subiaceant, quibus per constitutiones prædecessorum subiacere debebant censuris & pœnis peccantes circa duella publica & solemnia.* Per quæ verba constituitur noua lex, cùm cõtineant verbum *statuimus*, quod est signum nouæ legis, iuxta glossam receptam, [b] & palam est Sanctitatem suam posse ac potuisse per suam nouam legem punire præfatos delinquentes circa duella priuata, & etiam circa alia delicta, remittendo se ad pœnas constitutas in præfatis edictis. Cùm ergo in constitutione Pij IIII. imposita fuerit excommunicatio reseruata contra peccantes in duellis publicis, censetur illa repetita contra peccantes in priuatis: cum peccantes in eis expresse subdat illis pœnis, dicens, vt easdem pœnas in illis positas incurrant. Ad quod facit cap. *eos.* [c] quatenus eos, qui absoluuntur ab excommunicationibus reseruatis propter iustum impedimentum adeundi superiorem, reducit in easdem excommunicationes præcedentes. Salua, &c.

b *In cle. si. in verbo statuimus. de rescr.*

c *De sententia excomm. lib. 6.*

## DE INIVRIIS ET DAMNO DATO.

### SVMMARIVM.

1 *Stipendij taxatio ad hoc vt sit iusta, debet inter cætera respici valor rerum ad victum necessariarum; qui cum modernis temporibus sit auctus, indicat iniustum esse vt antiqua taxa etiam nunc seruetur: vnde coram Deo quis posset sibi, ea non obstante, iustam accipere mercedem. num. 2.*

2 *Iniustam mercedis taxationem ad iustam etsi iniusto modo reducat quis, restituere non tenetur; quia non censetur dare occasionem iniusti damni; & hoc, etiamsi solum sub peccato veniali iusta deberetur, nec via iuris illam debens posset cogi ad dandam iustam. num. 16.*

3 *Clam accipiens ab eo, cui non displiceret, vel non deberet displicere, num. 4. acceptio sibi nota, non tenetur restituere; sicut nec is, qui iusto titulo, attento iure naturali, etiamsi solemnitas positiua non sit seruata, aliquid acquisiuit. nu. 6.*

4 *Placere mihi aliquid, vel rationabiliter debere placere, æquari videntur.*

5 *Decori ciuitatis qui consulit, etiam clam aliquid ei auferendo, non videtur ciuitatem fraudare, nec damnum dare. num. 11.*

7 *Damnum cum aliis non communicato consilio dans, si ipse non fuit aliorum dux, non tenetur, vltra id quod ad ipsum peruenit, restituere; nisi damnum sine ipso datum non fuisset.*

7 *Credere seu assentiri in rebus, in quibus intellectus ad vnam potius quam alteram partem non est efficaci ratione determinatus, ex humano affectu subsistẽte aliquo motiuo, possumus illi parti prout nobis magis placet, immo possumus modo vni, modo alteri parti adhærere.*

8 *Mercedem iustam vt suis officialibus assignet Respub. etsi non videatur posse cogi, cum eos ad officium accipiẽdum non cogat: verius tamen videtur, cum sine dedecore non poßint ab eis abstinere, quod per indirectum eos ad id cogit, num. 13. & succeßiue iure naturali diuino & humano eis deberi iustum stipendium, nu. 12. ad illudque sic aßignandũ saltem sub pœna peccati venialis teneri. n. 16. etiamsi adsint aliqui, qui libenter officium cum dicta modica mercede acciperent. nu. 14.*

9 *Debitum clam sibi accipiens tunc demum à restitutione liber est, si sit legale; secus, si solum debeatur ex honestate: sufficit tamen quod sit debitum, ad quod quis sub peccato etiam veniali teneatur. num. 16.*

10 *Officialis tenetur Reipublicæ restituere non solum damnum quòd ipse dedit, sed & quod illa eius culpa & negligentia passa est, vel quod ipse poterat impedire. & num. 11. & 17. secus si non potuisset impedire. num. 18.*

13 *Coactus ille etiam dicitur aliquid facere, qui id sine dedecore vel imminutione suæ auctoritatis non potest omittere.*

14 *Iustitia commutatiua requirit æqualitatem dati & accepti operis, & mercedis, nec iustificatur ex eo, quod non deerunt qui dictum opus minoris iusta mercede præstarent.*

19 *Suffragia plura, quam liceat, clam immittens, ad hoc vt officiali debitum augeatur stipendium, peccat quidem, sed non videtur ad restitutionem obligatus.*

### CONSILIVM I.

CVM statuendum esset aliquid à 130. decurionibus, quorum duarum partium suffragia sufficiebant super augmento salarij eorum, vnus in fauorem augmenti dedit clam quatuor suffragia, & publicato scrutinio inuenta sunt duarum partium suffragia, & præterea tria. Quæritur, an is, qui dedit prædicta quatuor, teneatur ad restituẽdum damnum datum Reipub. per augmentum prædicti salarij.

1 Pro parte autem negante facit primo, quod qui non dedit iniustum damnum, nec causam iniustam damni, non tenetur restituere. arg. totius tit. de iniur. & dam. dato. [a] & quod præfatus decurio non dedit vllum damnum iniustum. Tum quia prudentis arbitrio salarium nouè statutum est iustum. Quod probatur primo ea ratione, quod tale visum est 80. circiter viris iuratis, prudentibus, nobilibus, & amantibus præfatam ciuitatem: Deinde, quod notorium est, in prouincia, in qua est illa ciuitas, & in tota fere Europa multo cariorem factum esse victum, & multo viliorem pecuniam numeratam, quam erat abhinc 100. 80. 60. & 40. annis: palam enim est, quod duplo maiori pretio valent nunc panis, vinum, carnes, & alia opsonia, & vestes non solum herorum, sed etiam familiæ, cum ergo salarium præfatorum decurionum antiquum ante 60. 100. & amplius annos fuerit constitutum in pecunia numerata, & vt est verisimile, non fuit superfluum, sed ad summum iustum; consequens est, quod nunc auctum duabus tertiis partibus vix ascendit ad iustum, cum etiam duplicatum non excederet illud.

a *ff. & C. ad l. Aquil.*

2 Secundo, quod qui reducit res iniustè dispositas ad earum iustam dispositionem, non præstat damnum, nec tenetur ad restitutionem, etiam si ordine iusto non seruato id faceret: quia non infert damnum iniustum, qui accipit clam sibi debitum à debitore nolente sibi soluere, nec tenetur restituere, etiam si fortè peccet accipiendo: quia non infert ei damnum iniustum, iuxta glossam celebrem, [b] declaratam à nobis satis late in Manu. confess. [c] & debitor, qui soluit creditori sui creditoris, non tenetur ad restitutionem, immo liberatur ipso iure, si ex eadem causa erat creditor, & per exceptionem, si ex alia causa. [d] & is cui coram Deo vere debetur maius salarium, quam quod ei datur, posset clam sine scandalo accipere, per ea quæ nos tradimus in Man. conf. [e] & vxor potest soluere debitum mariti nolentis id facere, vt liberetur à peccato, vt etiam tradimus nos vbi supra. [f] At præfatis decurionibus debetur nunc longè maius salarium, quàm cum illud assignatum fuit: quia, vt dictum est, erat constitutum in pecunia numerata, & omne genus victus longè pluris valet nunc, quàm tunc.

b *Cap. ius gẽtium. 1. dist.*

c *Cap. 17. nu. 112.*

d *Le. si liber. ff. de negot. gestis. adiuncta gloss. & doct. Bart. & glos. in §. 1. Inst. quibus modis tol. obli.*

e *Cap. 17. nu. 108.*

f *Num* 117.

3 Tertio, quod non tenetur restituere qui occultè aliquid accipit ab eo, cui non displiceret acceptio sibi nota, licet displiceret occulta, vt etiam tradimus nos vbi supra, [g] & si præfata ciuitas esset persona vera, vt est ficta, & sapiens, iusta, Christiana, & diues, vti est, non displiceret ei, vt hoc auctarium salarij daretur suis decurionibus: quia videretur ei esse iustum & debitum; quod valde verisimile est, cum ex 130. decurionibus eius circiter 80. iuratis id visum fuerit, quod autem sit diues quo ad hunc effectum constat ex eo, quod facit eleemosynas largas, & alias gratias, & opera, quæ iure & præcepto non tenetur facere.

g *Num. 139.*

4 Quarto, quod in hac materia paria videntur esse, quod aliquid placeat alicui, vel quod placere debeat; vnde Scotus receptus, [h] ait, eum qui tenet alienum inuito domino, non peccare non restituendo statim; si id faceret, eò quòd non posset absque sua infamia, vel aliquo maximo damno Reipublicæ vel suo: quia id placere debet ei, cui restituendum est, licet non placeat. Pro quo facit, paria esse

h *In 4. li. sent. dist. 15. q. 2. a. 4.*

a L.e.quod te. ff.de re. cred.
b Matth.5.

scire, vel scire debere, [a] & illud Domini, [b] relatum in principio Decreti, *Quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.*

5 Quinto, quod præfatus decurio fecit præfatam fraudem, vt consuleret honori & decori ciuitatis, bona fide credens præfatum salarium debere augeri; quod etiam, vt dictum est, videbatur, vt visum fuit maiori parti, immo & duabus partibus, aut circiter omnium decurionum.

6 Sexto, quod potest quis in foro conscientiæ vti iure quæsito bene attento iure naturali, licet solemnitas iure humano inducta non fuerit seruata, secundum Innocentium receptum, [c] quem inter alios sequitur Felinus, [d] vt electus in prælatum non seruata solemnitate cap. *quia propter.* [e] potest vti illa electione, si coram Deo maior & sanior pars Capituli consenserit in eum.

c In c.quod sicut.de elect.
d In c.1.n.39. de constit.
e De electio.

7 Septimo, quod qui damnum dat cum aliis non vti dux eorum, neque communicato consilio cum eis, non tenetur restituere damnum, nisi pro parte quæ ad ipsum peruenit, si non fuit causa, sine qua id non fuisset datum, secundum Innocentium, [f] quem alias sequuti muniuimus magnis argumentis contra Caietanum & Sotum, vt referimus in Man. conf. [g] & præfatus decurio probabiliter potest credere, quod non fuit causa, sine qua non fuisset factum illud augmentum. Tum quia ipse solum tria suffragia, quæ non habebat, addidit: quoniam quartum iure suo tulit; & sublatis illis tribus reliqua suffragia constituebant numerum duarum partium, quæ sufficiebant, iuxta l. *plane.* [h] Tum quia ipse non tenetur credere, quod alia suffragia, quæ inuenta fuerunt supernumeraria, fuerunt lata in fauorem augmenti, licet posset, si vellet: quia credulitas, siue fides humana ex affectu adiuncto motiuo producitur; & potest quis ex libero arbitrio alteram partem, quam voluerit, immo & vtramque successiue ex diuerso motiuo credere, secundum doctrinam posterioristicam Aristotelis receptam, secundum quam, vt dicit S. Thomas, [i] nemo credit nisi volens, & fides causatur à voluntate, quæ determinat intellectum ad assentiendum alicui rei, ad quod non determinatur ratione sufficienti.

f In c.sicut dignum.de hom.
g Cap.17.nu. 108.
h ff. quod cuiusq. vniuersit.nom.
i 1.2.q.56.ar. 3.

8 Pro parte affirmante facit primò, quod Respublica non videtur teneri ad assignandum officialibus suis iustum omnino salarium: quia non cogit ad accipiendum illa; & potest dicere illis qui petunt illa officia, vel his quibus committuntur, Accipite illa cum salariis & oneribus eis constitutis, si vultis, alioquin relinquite, quia non deerunt qui accipient illa: vt definit Sotus. [k]

k De iusti.& iur li.3.qu.6. art.4.
l Ca.fi.de iniuriis.

Secundo, quod qui damnum vel causam damni dat, illud restituere tenetur. [l]

9 Tertio, quod tum demum accipiens clam debitum sibi, vel alij, excusatur à restituendo, cum illud debitum est legale, & debitor posset cogi ad soluendum, vel tenetur in conscientia soluere, vt nos monuimus in Manu. confess. [m] & quamuis præfatum augmentum deberetur de honestate præfatis decurionibus, non tamen debebatur de præcepto & necessitate, adeo quod posset cogi ciuitas ad soluendum illud, vel teneretur soluere in conscientia, vt palam est: alioquin enim teneretur soluere omnibus decurionibus, qui præcesserunt, præfati augmenti constitutionem à tempore quo illud debuit assignari eis ob caritatem victus.

m Ca.17.à n. 112.

10 Quarto, quod officialis publicus non solum tenetur ad restituendum damnum à se dolo datum, sed etiam ad datum sola culpa & negligentia, [n] immo damnum datum, quod ipse prohibere potuisset. [o]

n Leg. magistratus. ff. de administ. rerum ad ciuit. pert. & ca. ea quæ. adiunct. gloss. de off. archi.
o L. fi. ff. de ad munist. rerũ.
p L. 210. & c.1.13.quæ. 1.

11 Quinto, quod præfatus decurio curauit, ne fraus facta detegeretur, persuadendo non decere vt talis fraudis inquisitio fieret; & ita per eadem iura solus tenetur.

12 Ad hæc autem responderi posse videtur. Ad primum primo negando assumptum in eo: quia lege naturali, diuina, & humana dignus est mercenarius mercede sua. [p]

13 Secundo, quod licet directè non cogantur acceptare illa officia, coguntur tamen indirectè, ne suam auctoritatem perdant, immo ne minoris habeantur, quàm sui compares, ne reputentur indigni talibus muneribus.

14 Tertio negando etiam, quod iustificatur Respub. dicendo, accipite, si vultis, illa. Tum quia id quod iniustum est iniustitia commutatiua, non efficitur iustum, eo quod non deerit qui velit sustinere illam iniustitiam. Tum quia requiritur, vt res quæ datur, valeat, tanti, quanti ea quæ accipitur, vt concludit Aristoteles, [a] & S. Thomas. [b] Tum quod iure naturali & diuino iustitia commutatiua requirit æqualitatem rerum, quæ dantur & accipiuntur, secundum omnes, præsertim Scotum, [c] quem ad bonum propositum citauimus in dict. Man. [d]

a 5.Ethic.
b 2.2.q.77.a.1.
c In 4.l.sent. di.15.q.2.a.2.
d Cap.17.nu. 283 lit.C.

15 Ad secundum respondetur concedendo assumptum; negando tamen, quod præfatus decurio damnificauerit præfatam Rempub. & damnum dederit ei; immo profuit, per contenta in argumento primo pro parte negante adducto.

16 Ad tertium concedo assumptum, scilicet, quod non potest quis clam accipere sibi debitum, nisi sit legale, idest, per legem vel per conscientiam debitum: concedendo item, quod præfata ciuitas non tenebatur soluere præfatum augmentum præfatis decurionibus ante institutionem eius; negando tamen quod non tenebatur in conscientia ad instituendum illud sub pœna peccati mortalis, vel venialis, quod sufficit ad hoc, quod institutio illius clam fraude aliqua procurata valeat.

17 Ad quartum respondetur, concedendo assumptum, negando tamen subsumptum expresse vel tacite, quod præfatus decurio per culpam vel negligentiam damnificauerit ciuitatem: quia, vt prædictum est, negatur eum illi obfuisse, quia potius profuit.

18 Ad quintum respondetur, negando quod fraus præfata sublata fuisset, si ipse non curasset, ne de illa cognosceretur: quia non poterat id fieri iustè, inuitis eis, qui voluissent defendere augmentum: quoniam non poterat probari, quod absque falsis suffragiis non conuenissent duæ partes: quia nullatenus poterat probari, quod suffragia falsa fuissent pro augmento. Tum quia qui ea dedissent, non fuissent id confessi, ne se infamarent. Tum quia etiam si fuissent confessi, non erat iure credendum eis: quia erant singulares testes, quibus non creditur. [e]

e Ca. bona de elect.

19 Itaque resoluendo videtur dicendum primo, quod hæc quæstio est difficilis. Secundo, quod præfatus D. decurio mittendo falsa suffragia peccauit. Tertio, quod in foro exteriori non posset cassari institutio prædicti augmenti, nolentibus illis, qui pro eo suffragati fuerunt. Quarto, quod nullum damnum iniustum videtur datum. Quinto, quod in foro conscientiæ non tenetur præfatus decurio ad restituendum quidquam, mea sententia præsenti, salua iustiore, & maturiore alterius melius sentientis, immo & mea futura, si quam maturius veriorem conciperem, gratia Dei optimi maximi, qui nos omnes saluet. Amen.

## SVMMARIVM.

1 *Officialis, seu minister Principis non peccat exequendo mandatum non secundum verba, sed secundum mentem Principis.*

1 *Iudex accipiens ab eo, qui ne iniuste coram Deo puniatur, sponte aliquid dat, restituere tenetur.*

## CONSILIVM II.

OFFICIALIS seu minister regius missus ad processus formandos contra latrones, & eorum fautores, & receptatores, habens expressum mandatum à superioribus, vt omnes consanguineos prædictorum latronum illico in exilium eiiciat, & de domibus & patria expellat; si à prædictis consanguineis pecuniam sibi oblatam sponte acceptet, & illis parcat misertus eorum ruinæ, sciens pro certo eos non esse in culpa; Quæritur, an peccet, & an ad restitutionem teneatur, & cui restituere teneatur? Videtur autem, quod non peccat: quia non videtur facere contra intentionem Regis, cuius mens est, vt parentes non patrocinentur latronibus: ergo si non sunt in culpa, non sunt eiiciendi. Nec ad restitutionem videtur teneri: quia non vi, sed sponte & gratiose datur, nec vlli damnum infertur, nec Rex suo fine frustratur; & parentes modicum pecuniæ dantes, maximum incommodum effugiunt, & maximam vtilitatem consequuntur, cùm non eiiciantur propria domo.

1 Respondeo, quod non peccat parcendo, quo ad forum conscientiæ, propter rationem in ipsa quæstione propositam, sed sic accipiendo pecuniam: quia accipit pro eo quod in foro conscientiæ tenetur facere: & tenetur restituere eis qui dederunt, quoniam qui male accipit à bene dante, peccat & tenetur ei restituere, iuxta l. 2. [f] & per latius tradita in nostro Manu. [g]

f 3. & vlt. ff. de cod. ob tur.
g Cap.17.nu. 30.

*SVMMARIVM.*

1 *Clericus non potest dare mandatum ad agendum criminaliter, nec ciuiliter contra homicidam, nisi cum protestatione citra pœnam sanguinis.*
2 *Pater agens ad pœnam ciuilem ob mortem illatam filio, illam petit non ob iniuriam illatam filio, sed ob ipsimet patri sic illatam.*
3 *Iniuria filij redundat in patrem.*

## CONSILIVM III.

AN pater post natiuitatem filij annis fere decem clericus factus possit constituere procuratorem ad petendam & prosequendam iustitiam contra assassinos occisores, & complices in nece filij, absque periculo irregularitatis, & amissionis beneficiorum?

1 Respondeo, quòd non potest dare tale mandatum ad agendum criminaliter, neque ad agendum ciuiliter sine protestatione, quod iudex non inferat pœnam sanguinis.

2 Neque cum hac protestatione, nisi ad pœnam ciuilem imponendam illi homicidæ propter iniuriam, quam fecit patri clerico, eo quod occidit filium suum: ita quod ipse non debet velle, vt imponatur ei pœna homicidij, vel alia propter iniuriam, quam fecit filio, eo quod occidit ipsum, sed propter iniuriam, quam sibi patri intulit, ea ratione, qua iniuria filij redundat in patrem, iuxta l.1.[a] & l.eum qui.[b]

3 Quę omnia probantur in cap.*perlatis*.[c] adiunctis eis, quę annotat Philippus Francus,[d] adiuncto cap. *parochianos*. cum glossa & adnotatis ibi per doctores.[e] Salua, &c.

a §. *iniuria*. b §.*ff.de iniur.* c *De homic. lib.6.* d *In 1.eius notabili.* e *De sent.excom.*

*SVMMARIVM.*

1 *Testis iuste interrogatus, reum non detegens, fisco non restituit pœnam, in quam reus ipso iure incidit.*
1 *Fiscus nequaquam ante sententiam acquirit bona committentis delictum, pro quo est imposita pœna ipso iure incurrenda; nec pœna etiam ipso iure imposita est per impedientem ei ante sententiam restituenda. & num 2. in fin.*
1 *Damni qui causa proxima est, tantummodo restituere tenetur.*
2 *Pœna in foro conscientiæ ante sententiam non debetur.*
2 *Impediens alium à consequendo aliquid, tunc demum restituit, si impeditus ad id habebat ius quæsitum in re, vel ad rem per actionem vel officium iudicis.*
3 *Actibus in cunctis attenditur, quod principaliter intenditur.*
3 *Custodes & vigiles delinquentes non deferendo peccant; sed ad pœnam, quam accusati soluerent, non tenentur.*
4 *Leges humanæ, maximè in foro poli, non plus ligant, quam in eo sunt receptæ.*
5 *Interesse & damnum intrinsecum intra rem, non autem remotum extrinsecum extra rem restituendum est.*

## CONSILIVM IIII.

POENA quando est posita ipso iure, an testis legitimè interrogatus reum non detegens teneatur fisco damnum restituere?

1 Respondeo, quæstionem hanc esse satis nouam, & multa pro eius vtraque parte adduci posse, & videri tenendam partem negatiuam, videlicet, quod non teneatur restituere in foro conscientiæ. Primo, quia non omnis, qui qualemcumque causam & occasionem damni præstat, tenetur restituere, sed tantum is, qui causam proximam eius præstat.[f]

Secundo, quod prædictus testis suo falso testimonio nulla bona abstulit fisco, nec fuit causa, vt ille perderet aliqua, quia nulla ratione ante sententiam quæsiuit illa.[g]

2 Tertio, quia pœna non debetur in foro conscientiæ ante sententiam, iuxta glossam singularé communiter receptam.[h]

Quarto, quòd si qua ratione prædictus testis tenetur ad restitutionem, maximè eo quod fuit fisco impedimento acquirendi bona: at, vt nos resoluimus in Manual.[i] non tenetur, nisi qui impedit alium à quærendo, id, in quo iam habebat ius quæsitum in re, vel ad rem per actionem, vel officium iudicis, quale non videtur habere in nostro casu fiscus.

Quinto facit, quod in nulla parte iuris videtur exprimi, quod teneatur quis ad restituendum fisco pœnas ei debitas ob aliqua delicta, donec ad eum per sententiam deferantur, vt significant l.1.& aliæ.[k]

3 Sexto facit, quod in actibus humanis, id quod principaliter intenditur, est attendendum, & non quod minus principaliter,[a] & testimonium prædicti testis non tendit principaliter ad impeditionem acquisitionis bonorum fisco, sed solum ad excusandum crimen rei, ergo, &c.

f *Cap. de occidendis. 23. q.5. & gloss. sing.c. de catero. de homici.* g *Leg. eius cũ seq. de testã.* h *Cap. fraternitas.12.q.2.* i *Cap.17.nu. 69.* k *ff. de bo. dã.*

Septimo, quod D. Bernardinus relatus à Siluestro,[b] & à nobis in Man.[c] ait, custodes & vigiles ciuitatum non accusantes, quos inueniunt euntes post sonum campanæ, licet peccent mortaliter, & sint periuri, si accusare iurauerunt, non tamen tenentur soluere pœnam, quam soluissent, si fuissent accusati.

4 Octauo plurimum mouet, quod leges omnes humanæ, potissimum pœnales, eatenus videntur ligare, præsertim in foro consciẽtiæ, quatenus in eo sunt receptæ, & non amplius, vt satis profunde tradimus in prædicto Man.[d] At nullibi receptum est, vt vlla lege iubente damnari aliquem priuatione bonorum, teneatur quis, præsertim in foro conscientiæ, ante damnationem bona ad fiscum deferre: ergo.

Nono, quod alioquin sequeretur, omnes custodes confinium regnorum deputatos ad custodiendum, ne quis aliqua exportet ex illis, vel importet in illa, vel non saltem nisi soluto vectigali, vel portorio, vel gabella sub pœna priuationis bonorum, teneri restituere non solum iura, siue vectigalia debita, sed etiam bona, quæ ob id deberent fisco applicari: quod nullus, vt arbitror, hactenus dixit.

5 Non obstat, quod non solum tenetur quis restituere proximo bona, quæ ei abstulit, sed etiam interesse damni emergentis, & lucri cessantis, per ea quæ tradimus in Man.[e] Tum quia dicta pœna non est interesse, per definitionem interesse positam in dicto Manu.[f] Tum quia illud est verum de interesse intrinseco, & intra rem, non autem de interesse adeo extrinseco, & remoto, ac est pœna huiusmodi applicanda fisco,[g] per dicta à nobis vbi supra,[h] post Bartholum & alios.[i] Salua, &c.

a *Leg. si quis nec causam. cum 16. fundamentis Ias. ibid ff. de reb. cred.* b *Verbo restitutio 3. qu. 5. vers. 7.* c *Cap. 25. nu. 34.* d *Ca. 23. nũ. 40. & 62.* e *Cap. 17. nu. 25.* f *Cap. 17. nu. 211.* g *l. e. si steri- [illegible] §. cum per venditorem. ff. de [illegible] [illegible] ad n. 211.* i *in l. 1. Co. de sen. quæ pro eo quod int.*

*SVMMARIVM.*

1 *Pater, qui ad fallendum fiscum falso negauit se habere bona, ex quibus filio condemnato debeatur legitima, tenetur in conscientia eidem fisco ad restitutionem. & nu. 2.*
1 *Pœna post condemnationem etiam iure poli debetur.*
2 *Depositum eius, cuius bona postea confiscata fuere, fisco restituendum.*
3 *Pater computare potest filio in legitimam, quæ ipse ei subtraxit. nu. 5. vel pro ipso coacte soluit. & nu. 6.*
4 *Pater, & filius in eius potestate existens etiamsi non habeat peculium castrense, nec quasi, possunt sibi inuicem naturaliter obligari.*
4 *Pater non potest agere furti contra filium: filius tamen tenetur in conscientia patri restituere, si potest. & nu. 5.*
5 *Obligatio naturalis iure canonum, naturali, & ciuili, præsertim in foro conscientiæ, æquatur obligationi.*
6 *Pater repetere non valet quæ sponte pro filiis soluit, nisi protestatio præcedat: at quæ coacte pro eis impẽdit, repetere potest, & in dubio videtur animo repetendi hæc soluere.*

## CONSILIVM V.

STANTE statuto, vt filius familias propter suum delictum condemnari possit in legitima, quæ deberetur ei ex bonis patris, si tunc ille moreretur; & aliquis filius familias condemnatus fuerit in illa, & pater mendaciis & periuriis suis & suorum amicorum probet se non habere vlla bona, ex quibus debeatur legitima filio.

An teneatur pater restituere fisco, vel iudici, cui debebatur quarta illius legitimæ?

Secundo, esto quod teneatur, an possit computare in partem restitutionis ea, quæ filius subtraxit antea patri ad lusus & alia illicita?

Tertio, an possit etiam computare ea, quæ aliàs soluit propter delictum ab eodem filio perpetratum?

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo, quod tenetur restituere. Tum quia licet quis pœnam non debeat in foro conscientiæ, donec condemnetur, iuxta glossam celebrem,[k] post condemnationem tamen tenetur, iuxta doctrinam S. Thomæ receptam.[l] Tum quia non licet vlli defendere se, & minus sua bona per mẽdacia & periuria iuxta eumdem S. Thomam receptum,[m] quæ quia suapte natura mala sunt, nullatenus fieri debent.[n] Tum quia l. *bona fides*.[o] habet, quod etiam depositarius tenetur reddere fisco depo-

k *In c. fraternitas. 12. q. 2.* l *In 2.2. q. 62. art. 4.* m *in 2.2. qu. 69. art. 2.* n *Cap. itane. 2. q. 5.* o *ff. depositi.*

ſitum, quod penes ipſum depoſuerat is, cuius bona poſtea fuerunt confiſcata. Tum denique, quòd iuſtitia & æquitas præcipit, vt vnicuique reddatur ſuum, vel ſibi debitum. [a] At in caſu propoſito fiſco & iudici per præfatum ſtatutum debent parentes ſoluere, vel tradere tot bona, quot obuenirent filio, ſi tempore confiſcationis ipſi morerentur: ergo pater prædictus tenetur ſoluere quantum aſcenderet legitima.

AD SECVNDAM reſpondeo, quod expediſſet dicere, an prædictus filius eſſet in poteſtate patris, vel emancipatus: quia ſtatutum ſolum includit parentes habentes filios in poteſtate.

3 Secundo, præſuppoſito quod prædictus filius erat in poteſtate, reſpondeo, quod hæc quæſtio eſt magna, & pendet multum ab his, quæ leguntur & notantur per gloſſam, Bartholum & omnes alios in illa re & fama difficili. l. *frater à fratre.* [b] quæ licet late & ſubtiliter tradantur ibi per omnes, non tamen facilis eſt eorum applicatio ad caſum propoſitum.

4 Nam ibi concluditur ab vna parte, quod filius poteſt obligari naturaliter patri, & contra pater filio, etiam ſi non habeat peculium caſtrenſe, nec quaſi caſtrenſe, nec aduentitium. Et ab altera parte etiã concluditur patrẽ non poſſe agere furti pro furto, quod fecit filius, cũ adhuc ei ſubeſſet, etiam poſt emancipationem, per l. *ſerui & filij.* & per l. *ſi quis vxori.* [c]

Sed omiſſis multis, quæ pro vtraque parte adduci poſſent, verius videtur, ſaltem quo ad forum conſcientiæ, quod iure naturali & diuino, & etiam canonico filius familias, ſicut peccat mortifere furando patri ad vſus in quæſtione nominatos, ita etiam tenetur reſtituere, ſi poteſt. Tũ quia lege naturali & diuina videtur cõtineri illud, *Nõ dimittitur peccatũ, niſi reſtituatur male ablatũ,* [d] & ita nulla humana lege tolli poteſt, [e]

5 Tum quia etiam lege ciuili, vt dixi, obligari poteſt naturaliter filius patri; [f] & obligatio naturalis iure canonico præſertim quo ad forum conſcientiæ æquatur naturali & ciuili. [g] Tum quia Baldus hoc tenet, [h] relatus & probatus à Ioanne Lupo. [i] Verba Baldi ſunt hæc: *Decimum ſextum cap. eſt de profuſis ab ipſo filio, vt quia luſit ad azardum: & dic quod ſibi imputat: quia ludere eſt lata culpa, & ideo tenetur, licet poßidere deſiſit.* [k] *Idem ſi in meretricando conſumpſit: quia meretricari eſt dolus.* [l] *Idem de his, quæ viuo vel mortuo patre pro ſuis culpis & exceßibus ſoluit: nam ſibi ſoli imputat.* [m] Hæc ille, cuius dictum procedit etiam in his, quæ filius furatus eſt, ſecundum D. Antonium, [n] Silueſtrum. [o]

6 AD TERTIAM reſpondeo, quod etiam ſunt computanda in reſtitutione legitimæ illa, quæ pater virtute prædicti ſtatuti ſoluit pro pœnis, in quibus condemnatus fuit præfatus filius. Nam Baldus id expreſſe vbi ſupra dicit. Tum quia licet ea, quæ parentes ſponte impendunt in perſonas filiorum cauſa pietatis & caritatis, non poſſint repetere ab eis, niſi prius facta fuerit proteſtatio, quod animo repetendi impenderent: ea tamen, quæ coactè impẽdunt, poſſunt repetere, & in dubio videntur impendiſſe animo repetendi vt ait Baldus, [p] per illam [q] & per l. *auia.* [r] Tum quia regulariter nemo præſumitur donare. [s]

*SVMMARIVM.*

1. *Reſtituere non obligat violatio charitatis, ſecus ſi violetur virtus ſpecialis iuſtitiæ,*
2. *Reuelare teneor tibi ignoranti te eſſe creditorem talis, vt ſic damnum tuum repetendo euadere poßis.*
3. *Damnum datum reſtituere teneor, ſi tibi ignoranti ſuadeo, vt creditum exigas, quod ego ſciebam, vel ſcire debebam eſſe ſolutum.*

## CONSILIVM VI.

NOTARIVS quidam proſequens odio M. & inueniens inter ſua protocolla vnum non caſſatum inſtrumentum continens præfatum M. debere Sorti certas pecunias, ob odium monuit & rogauit Sortem pollicendo ei auxilium, vt peteret eas à M. qui tandem probata ſolutione liberatus fuit, multa tamen impenſa. Quæritur, an notarius præfatus teneatur eam reſtituere.

1 Reſpondeo primo, quod præfatus notarius peccauit peccatum odij proximi contra caritatem, quæ debetur ei, [t] ſed ob hoc peccatum non tenetur reſtituere damnum: quia peccata contra charitatem, quatenus ſunt talia, non obligant ad reſtitutionem, per ea quę nos citamus in Manual. confeſſ. [v] & in Apol. de redit. [x]

2 Secundo, quod præfatus notarius ſi bona fide credebat

[a] Leg. iuſtitia ff. de iuſt. & iure. §. 1. Inſt. eod.
[b] ff. de condi. indeb.
[c] ff. de furtis.
[d] Ca. ſi res aliena. 14. q. 6. ca. peccatum. de re. iuris li. 6.
[e] Ca. quo iure. 8. d. c. fi. de conſuet.
[f] Dict. l. frater à fratre.
[g] Cap. 1. de pactis. cum ei ad notatis.
[h] In auth. ex teſtamento. col. penult. C. de collatio.
[i] In rep. cap. per veſtras. de donat. inter virum & vxo. in §. 8. ver. & hinc eſt.
[k] Infr. eod. auth. quod locum. & l. pactum.
[l] ff. manda. l. ſi vero. §. ſi adoleſcens.
[m] ff. pro ſocio. leg. cum duobus. §. fi.
[n] In p. 2. tit. 1. c. 15. §. 1.
[o] Ver. furtũ. q. 12.
[p] In l. Neſſenius.
[q] Le. ff. de neg. geſt.
[r] Cod. eod.
[s] Leg. cum de indebito. ff. de probat.
[t] Ca. duo. 23. quæſt. 4.
[v] Cap. 14. nu. 7.
[x] q. 2. mon. 7.

debitum illud nondum fuiſſe ſolutum, iuſtè poterat præfato Sorti reuelare, immo & tenebatur, ſi credebat eum ideo non petere illud, quod neſciebat ſibi eſſe debitum, vt liberaret eũ à damno, quod per ignorantiam eum incurrere putabat. argumento c. *qui cum fure.* [a] adiuncta gloſſa. [b].

3 Tertio, quod ſi credebat, vel tenebatur credere illud debitum iam fuiſſe ſolutum, tenetur reſtituere: quia peccauit contra iuſtitiam ſpecialem, procurando vt ſolutum iterum ſolueretur, contra tit. de cond. indeb.

*SVMMARIVM.*

1. *Famuli videntes à conſeruis domino per furtum damnum dari, tacendo peccant contra caritatem eo modo, quo peccant cæteri, qui cum poßint, damnum proximi non impediunt: nec excuſantur ob timorem, quod reuelando compararent ſibi maleuolos; niſi attenta quantitate rei ſubtractæ, qualitateque perſonarum, ſana caritas iudicaret expedire magis vt taceretur furtum, quàm vt incurrantur alia damna, quæ ex reuelatione ineuitabiliter probabiliter incurrerentur. nu. 3. at reſtituere non tenentur, cum non teneantur dicta bona ex officio eis demandato cuſtodire. num. 2.*

## CONSILIVM VII.

IN domibus magnatum adſunt miniſtri, & ſeruientes, qui habent officia diſtincta. Euenit quod præpoſitus cellæ vinariæ architriclinus furatur vinum ſecretè, vidente eo, qui præpoſitus eſt cuſtodiæ veſtium, ac cubiculario: & quia ad iſtos cura cellæ vinariæ ſpecialiter non ſpectat, non curant hoc indicare ei, qui poſſet occurrere, aſſerentes, Nobis ſufficit, furto nec conſilium, nec auxilium dare, de cætero nolumus nobis parare maleuolos in domo. Dubitatur, an iſti tacendo peccent, & teneantur ad reſtitutionem.

1 Reſpondeo primo, prædictos miniſtros, de quibus quæſtio proponitur, videri peccare, ſiue quod non vtuntur correctione fraterna, ſiue quod non obuiant peccatis committendis, ſiue quod non impediunt damnum & detrimentum proximi, quod poſſunt impedire, & non impediunt, credentes quod nemo alius impediet, per ea multa, quæ nos adduximus in comment. ca. *non in inferenda.* [c] & in locis ibi citatis, quorum ſummam inſeruimus Man. conf. [d] & in locis ibi citatis. Nec obſtat, quod res cellæ vinariæ, vel panariæ non ſint eis ſpecialiter deputatæ, & commendatæ: quia quo ad effectum peccandi non eſt neceſſarium, quòd cuſtodia rerum proximi ſit commiſſa officio negligentis ſeruare indemnitatem eius, licet ſic quo ad effectum reſtituendi, vt in locis ſupradictis traditur, & facilius ibi videri poteſt.

2 Secundo reſpondeo, quod non tenentur ad reſtitutionem: quonim qui non obſtat, cùm poſſit, damno proximi faciendo, niſi ex officio teneatur ad cuſtodiendum illud, non tenetur ad reſtitutionem damni ſequuti, quia non peccat cõtra leges iuſtitiæ ſpecialis, ſed contra leges tantum caritatis, quarum tranſgreſſio non obligat ad reſtitutionem, vt traditur in d. Man. [e]

3 Tertio, quod prudenter perpendenda eſt in huiuſmodi caſibus grauitas, ſiue magnitudo, vel paruitas damni ſalutis, honoris, vel rei pecuniariæ, quæ poſſet conſequi denunciationem, vel indicationem huiuſmodi furum: quoniam interdum illa excuſare poſſet à peccato, & interdum non: quamuis arbitrer raro contingere poſſe, quod non ſe offerat aliquis modus indicandi ſine notabili damno ei, qui ob ſanam caritatem, & obſequium Dei, & amorem virtutis, voluerit indicare.

*SVMMARIVM.*

1. *Oeconomus ſeu magiſter domus non poteſt recepta pecunia conuenire cum piſtore & lanio, quod ab eis etiam currenti pretio panem & carnes pro vſu domus emet.*
2. *Cambio minuto quod lucratur œconomus, dum pecuniam argenteam, quam à domino expendendam accipit, in æream conuertit, reſtituere non tenetur domino, qui ex hoc damnum non patitur.*

## CONSILIVM VIII.

PROCVRATOR magnatis conuentionem facit cũ piſtore & lanio, quod ipſe accipiet pretio currenti omnem panem & carnes neceſſarias pro domo domini ſui, ſi piſtor & lanius dederint ei tot aureos ſingulis mẽſibus. Quæ-

ritur,

[a] De furtis.
[b] Ver. indica.
[c] 23. quæſt. 5.
[d] Cap. 24. n. 22.
[e] Ca. 17. n. 11. & c. 24. n. 17.

ritur, an conuentio sit iusta. Item quæritur, an retinere possit sibi quod mutuando pecuniam argenteam in minutam lucratur.

1 AD PRIMAM respondeo, videri iniustum. Tum quia videtur præstare materiam delinquendi pistori, vt det peiorem panem. Tum quia videtur fraudare dominum treseno, vt vocant, panis. Tum quia nihil industriæ vel laboris in hoc ponit. Tum denique quod domino aliqua via peribit tantùm, quantùm pistor œconomo præstat.

2 AD SECVNDAM dico, quod satis potest teneri, posse œconomum per prædictum cambium lucrari sibi. Tũ quia id nullatenus domino nocet. Tum quia multum laboris & tædij deuorat œconomus soluendo illa, quæ emit, pecunijs minutis. Tum quia nonnihil industriæ suæ addit.

SVMMARIVM.

1 *Incertum debitum est, quod debetur pauperibus in genere: certum autem est, cuius creditor vel hæredes sciuntur.*

2 *Debitor incertorum si sit pauper, potest illa sibi tamquam pauperi retinere, vel distribuere: at quod debet certis creditoribus, debet illis restituere si etiam ipsi sint pauperes. nu. 3. nisi ab eis obtineat dilationem. num. 4. quod si habeant vnde viuant, excusatur debitor non habens vltra necessaria sibi & familiæ suæ, donec deueniat ad pinguiorem fortunam, nu. 3. quæ si numquam veniat, numquam obligabitur. num. 4.*

## CONSILIVM IX.

OMISIT quidam implere legatum, quo tenebatur quotannis dare certum panem pauperibus in genere, & est obligatus ad restituendum damnum quod dedit parti coram se litiganti; à quo tamen nil petitur in foro fori. Quæritur, quid faciet in foro poli propter paupertatem bonorum suorum; ex quibus vix potest granum sufficiens pro se, suisque vxore ac liberis, ad panem conficiendum colligere; & propter ætatem 63. annorum, & conditionem suæ personæ, non potest laborare.

Respondeo primo, quod prędictus D. consulens restituere tenetur omnia, quæ iustè debet coram Deo: quia peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum,[a] nisi excusetur aliquo modo eorum, qui tanguntur in nostro Manual. confess.[b]

1 Secundo, quod aliud videtur respondendum de ijs quæ debet ratione omissionis adimplendi legatum, quo tenetur quotannis distribuere pauperibus certam quantitatem panis; & aliud de debito restituendi damni, quod per iniustitiam dedit: quoniam debitum ratione omissionis implendi legatum, videtur incertũ; quia nescit quibus pauperibus nocuit, licet sciat quod pauperibus in genere nocuit: alterum autem debitum iniustitiæ est certum; quia, vt ait, scit quibus nocuit, & cognoscit hæredes eorum viuentes.

2 Tertio, quod debitum prius omissionis implementi legati potest restituere sibimet, & suæ familiæ, corde puro & vero dicendo Deo, Ego & familia mea sumus de numero pauperum tuorum; & ego teneor restituere illa, quæ debeo, pauperibus ex omissione implementi talis legati; & ita totum illud debitum accipio tamquam vnus vel plures mihi, & meis egentibus illis ad nostram sustentationem. Quoniam qui debet dare vel distribuere aliqua pauperibus incertis, potest illa accipere tamquam vnus de pauperibus, sibi, vt tradimus nos post alios, quos ibi citamus, in Manual. confess.[c] & in Enchir. de orat.[d]

3 Quarto, quod posterius debitum ob iustitiam male administratam debet restituere illis, quos læsit, vel hæredibus eorum, si egent: sed si creditores habent bona, quibus se sustentent, excusatur à restituendo vsque ad pinguiorem fortunam, per ea quæ nos latius scribimus in d. Manua. confess.[e]

4 Quinto, quod possit D. consulens in proposito casu rogare per confessarium suum creditores, vt condonarent cuidam personæ, quæ debet eis damna prædicta vel partem illorum, donec perueniret ad pinguiorem fortunam, quia est nunc maxima paupertate oppressa; & postea differre solutionem eius partis, quæ non fuerit ei condonata, vsque ad pinguiorem fortunam, immo & in perpetuum, si illa numquam venerit; argum. eorum, quæ vbi supra, & paulo ante & post scribuntur.[f]

a Ca. si res aliena. 14. q. 6. & c. peccatũ. de re iu. li. 6.
b Ca. 17. à n. 54.
c Cap. 17. nu. 171.
d Ca. 7. n. 34.
e Cap. 17. nu. 54. & 62.
f Num. 54. & 62.

SVMMARIVM.

1 *Bullas falsas ex vera supplicatione signata conficiens, & parti ignoranti recepta pecunia pro vera expeditione necessaria tradens, debet pecuniam sic acceptam restituere danti. num. 3. & hoc etiam si d. bullæ tantum profuerint, ac si fuissent veræ. nu. 2. Nec satisfaciet restituendo Cancellariæ. nu. 5. nisi fortè curaret veram bullam expediri, vt potest: quia sic in expeditione vera bullæ posset dictas pecunias impendere. nu. 4.*

6 *Impediens aliquem iniustè à consequutione alicuius boni, tunc demum tenetur restituere, si impediuit in iure plene quæsito in re, vel ad rem, siue ex officio iudicis debito.*

7 *Cancellariæ Apostolicæ officiales videntur facere vnum corpus, siue collegium, quod est idem semper, licet mutentur aliqui particulares.*

7 *Corpori, seu collegio, quod vno tempore cœptum est deberi, potest tuto alio tempore solui, licet aliqui particulares participantes de commodo collegij sint mutati.*

## CONSILIVM X.

CVRIALIS & solicitator impetrarunt pro absente beneficium à Sede Apost. & postquam supplicatio iam fuerat signata, ne soluerent magnam summam pecuniarum pro expeditione literarum, sed sibi illam retinerent, ac lucrarentur, confinxerunt literas falsas, per quas absens & ignorans accepit possessionem eius, & soluit curiali & solicitatori impensas literarum, perinde ac si iustè per Cancellariam fuissent expeditæ. Quæritur modo, an teneantur restituere pecunias pro falsa literarũ expeditione acceptas, & cui, an parti absenti ignoranti factum, an verò Cancellariæ, quam fraudauerunt, cum in præsenti non extent iidem officiales saltem omnes, qui tunc extabant.

1 Videtur respondendum primo, quod prædicti falsarij teneantur ad restituendas illas pecunias alicui. Tum quia acceperunt eas ad expediendas literas Apostolicas super obtento beneficio, & eas non expedierunt; & ita tenentur condictione ob causam, iuxta totum tit. ff. de condict. caus. data. & C. de condict. ob causam. Tum quia sine vllo titulo iusto mala fide illas tenent, contra c. fi.[a] & contra præceptum septimum Decalogi, per quod omnis illicita vsurpatio vetatur.[b]

2 Secundo videtur, quòd dicti falsarij non teneantur ad restituendum ei, à quo pecunias receperunt, ea ratione, quod eum damnificauerint, vel læserint: quia tantum profuerunt ei literæ illæ falsæ, quantum profuissent veræ, cum iam per signaturam fuisset sibi ius quæsitũ secũdũ receptam sententiã fundatam in cle. *dudũ.*[c] adiuncta glossa,[d] quod tamen non est verum: quia nihil, vel ipso iure inutile regulariter exæquantur[e]. At si nullas literas, nec veras, nec falsas expediuissent, ei tenerentur restituere; ergo etiam si falsas & inutiles expedierint.

3 Tertio, quod tenentur eas restituere ratione acceptionis ob causam, ea non sequuta, iuxta totum tit. supradictum[f] quia non videtur consequuta causa, ob quam datæ fuerunt pecuniæ, cum illæ datæ fuerint ad expediendum literas veras, quæ non fuerunt expeditæ quod maxime procedit coram Deo, cui constat causam non esse sequutam, cùm omnia nuda & aperta sint ei.

4 Quarto, quod prędicti falsarij excusarentur à restituendo ei, si veras literas super signatura valida nunc expedire facerent: quia causa, ob quam acceperunt, diceretur esse consequuta. & quidem hæc via esset aptissima ad tollendam huius quæstionis perplexitatem, si absque vllius infamia & detectione turpitudinis fieri posset.

5 Quinto, quod de rigore iuris non videntur satisfacere obligationi suæ dando prædictas pecunias officiariis Cancellariæ, nullis literis per eam expeditis. Tum quia per huiusmodi dationem non adimplent causam, ob quam pecuniæ illæ fuerunt eis datæ, cum datæ fuerint ad expediendas literas veras, quas certum est non expediri ex eo solo, quod pecuniæ ad eas expediendas necessariæ conferantur ministris Cancellariæ. Tum quia sine iusta causa prædicti ministri viderentur prædictas pecunias accipere, quippe qui nullas literas expediant, ob quas illæ dantur eis. Tum quia nullo iure naturali, nec diuino, neque humano probari posse videtur, quod falsarius teneatur restituere ministris Cancellariæ omnes illas pecunias, quæ fuissent necessariæ ad expediendas literas veras, super quibus ille dedit falsas; præsertim in foro Dei, & conscientia: nec vidi, nec audiui vllum falsarium fuisse condemnatum ad id: nec canones, qui de condemnatione illorum agunt, vllam de tali restitutione mentionem faciunt.

a De præscri.
b Ca. pœnale. 14. qua. 5.
c § si de sepu.
d In ver. vel scripto. & capi. institutionis. 25. q. 2.
e Ca. ex teno re. iuncta gl. de rescript. & c. 2. versic. sicut. de translat. prælat.
f ff. de cõdict. causa dat. & C. de condict. ob causam.

6 Ratio autem, quę redditur ex eo, quod qui iniustè impedit aliquem à consequutione alicuius boni, teneatur restituere, fragilis est: non enim omnes, qui quoquo modo impediunt lucrum alterius, tenentur ei recompensare illud: alioqui mercatores, artifices, & omnes alij, qui lucrantur aliqua, quæ alij lucrati essent, si illi non lucrarentur, tenerentur ad restitutionem; quod ridiculum est. Solum enim illi, qui impediunt eos in iure plenè quæsito in re, vel saltem in iure quæsito ad rem, siue debito ex officio iudicis, ad id tenentur, vt nos resoluimus in Manual. confess. [a] quale ius non habet Cancellaria contra eos, qui conficiunt falsas literas, vel non expediunt veras super pecunijs, quæ deberent dari eis ob literas, quarum expeditio ad eos pertinet.

a Ca.17. à n. 69. vsque ad 74.

Sexto, quod per prædicta cessat necessitas respondendi ad aliam quæstionem, qua quæritur quomodo prædictæ pecuniæ deberent restitui, si essent restituendæ officiarijs Cancellariæ, cum per singulos menses mutentur: cessat inquam necessitas respondendi ad eam. Tum quia supra dictum est, non esse restituendas illis, si literæ denuo non expediantur: & si, vt tangitur in 4. dicto, expedirentur literæ veræ super vera signatura, distribuerentur pecuniæ more solito.

7 Septimo, quod ministri Cancellariæ, vt ego puto, faciunt collegium; & ita potest restitui ei tempore aliquorum, qui non erant de ipso collegio tempore, quo cœpit deberi: quia quod restituendum est collegio, potest restitui ei tempore, quo sunt in eo multi, quorum tempore cœpit illud quod restituendum est, deberi, iuxta ea quæ citat Calderinus, [b] dum concludit, quod debitum Capitulo diuidendum inter canonicos singulis annis, si non diuidatur in aliquo anno, & postea diuidatur in alio, in quo sunt noui canonici, habebunt illi suas partes, sicut & antiqui, cum Capitula non mutentur propter mutationem singulorum. Pro quo faciunt multa, quæ Felinus congerit. [c] Et ita si prædictæ pecuniæ forent restituendæ ministris Cancellariæ, satis rectè dicerentur eis restitui, si restituerentur collegio eorum præsenti, non curando an desint esse in eo alioqui, qui erant tempore, quo cœperunt esse debitæ illi collegio; cum idem sit collegium, quod nunc est, & quod tunc fuit, argumen. l. *proponebatur.* [d] & cap. *denique.* iuncta glossa. [e]

b Cons.21. de præb.

c Ca. eā te. à n.14. de rescript.

d ff. de iud.
e Verbo idē. 7. q. 1. &c.

SVMMARIVM.

1 *Canonicatus in cathedrali est beneficium simplex, non autem de numero dignitatum, vel personatuum, de quibus in cap. de multa. illum tamen habens æquiparatur constituto in dignitate, quo ad effectum vt possit esse delegatus Papæ.*

2 *Pensio, quæ non datur in titulum beneficij, non est beneficium: & ideo nihil prohibet, quin qui habet generaliter facultatem transferendi, possit illam transferre sub conditione.*

3 *Actui gerendo auctoritatem præbens non tenetur parti læsæ, si actus fiat nulliter; immo verius videtur quod teneatur, cum per hanc auctorizationem censeatur asserere actum esse validum. num. 4.*

## CONSILIVM XI.

QVIDAM facultatem habens transferendi certam pensionem, coram tamē persona in ecclesiastica dignitate constituta, eam coram canonico cathedralis trāstulit sub conditione, scilicet si moreretur in illa infirmitate, qua tempore translationis tenebatur, prout paulo post mortuus est. Canonicus autem prædictus nesciebat, an d. translatio esset valida; nec notarium, quomodo, & quid scripturus esset, monuit. Nunc autem de dictæ translationis validitate dubitatur, eo quod sit facta sub conditione.

Quæritur, an dictus canonicus teneatur resarcire damnum, quod ex dictæ translationis inualiditate eueniet.

1 AD QVÆSTIONEM PROPOSITAM respondeo primo, quod translatio præfata pensionis videtur nulla ex alio capite, quod non tangitur in eius propositione, scilicet quod non fuit translata coram persona in dignitate ecclesiastica constituta: quoniam præsupponitur in casu, quod is, coram quo fuit facta, erat tantum canonicus ecclesiæ cathedralis; & constat inter plerosque omnes canonicum Ecclesiæ cathedralis non habere dignitatem, nec esse constitutum in dignitate ecclesiastica, per textum in cap. *statutum.* [f] licet quo ad illum casum specialem, de quo ibi agitur, scilicet vt possit esse delegatus Papæ, æquiparetur habenti dignitatem ecclesiasticam. Vnde secundum receptam sententiam canonicatus est beneficium simplex, & non est de numero dignitatum, personatuum, vel curatorum, de quibus disponit, cap. *de multa.* [a]

f In princ. de rescrip. lib. 6.

a De præben.

2 Secundo, quod ratio, quæ videri posset alicui vrgere ad dicendum, quod translatio conditionalis non valet, scilicet quia beneficium non potest conferri sub conditione, nullius valoris est. quia pensio, quæ non datur in titulum, quales erant illæ de quibus loquimur, nullatenus est beneficium, secundum omnes: & defendi potest, eum qui habet facultatem transferendi generaliter, non addito purè, nec sub conditione, posse transferre sub illa conditione, si moreretur ex infirmitate præsenti, per aliqua, quæ non vacat citare.

3 Tertio, quod is, coram quo agenda est translatio pensionis, non tenetur ad sciendum an translatio rectè nec ne fiat, neque ad docendum notarium verba quæ debet scribere, per iura quæ disponunt de tali translatione: sicut neque testes, coram quibus debet fieri, tenentur ad illa, sed tantùm ad exhibendam præsentiam suam, & intelligendum id quod agitur: nam ad partes, quarum interest, pertinet an actus coram eis factus valeat, nec ne. & in casu proposito ad pensionarium, & ad personam, in quam illa transferebatur, spectat scire an illa valuerint, nec ne, & non ad præfatum canonicum, neque ad alium in dignitate constitutum, nec ad testes, coram quibus fuerunt facta: quia non interest eorum id discutere, neque examinare.

4 Quarto, his esse consequens, nec præfatum canonicum, neque alium constitutum in dignitate, si tali id contigisset, teneri ad aliquam restitutionē faciendam illi, vel illis, quibus ex præfatæ translationis inualiditate aliquod dānū cōtigisset vel cōtigerit. Quia tamē negari non potest ad officiū huiusmodi auctoritatem præstantis & subsignantis pertinere intelligentiam rei gestæ; quia videtur testari talem verè esse rem gestam, vt scribitur in scriptura notarij: consultius videtur eius indemnitati dicere, quod ex alio capite fuit nulla prædicta translatio, vel quod ita fuisset valida facta sub conditione, ac puro modo facta fuisset: & ita quod nihil refert an fuisset facta sub conditione, vel purè, cum paulo post eam factam obierit mortem transferens. Salua, &c.

*Hoc responsum videtur egere maiori discußione. Nam cui per has translationes extinguatur antiqua pensio & noua constituatur coram electo, seu per electi auctoritate Apostolica videtur quod dicta facultas transferendi non poßit sibi locum vendicare, nisi in absoluta translatione, & quod canonicus cathedralis in hoc casu sit delegatus Apostolicus, & sic quoad eum actum reputetur quidem in dignitate constitutus, sed quoad translationem non tenuit; nec tamen ob id canonicus de damno tenetur, quia error non tam credulo canonico, quàm parti asserenti prædicta coram ipso fieri posse, est ascribendus.*

# DE POENIS.

SVMMARIVM.

1 *Pœna perpetui carceris cum taxatione quatuor vnciarum panis, & totidem aquæ, non est pœna mortis, nisi addatur, ne plus edat vel bibat, & iudicio medicorum tale alimentum non sufficeret illi ad longam vitam viuendam: tuncque sequuta morte iudex esset irregularis. nu. 2.*

2 *Carceratus si in carcere moriatur, non imputatur iudici ad irregularitatem: quia ex illo immediate non causatur mors, nisi carcer esset adeo arctus, vel malus, quod verisimiliter in illo inclusi intra paucos dies sint morituri.*

3 *Ignorantia eius, quod quis scire debet, non excusat nec à pœna irregularitatis.*

4 *Consuetudo imponendi pœnam limitati alimenti, puta quātuor vnciarum panis & vini, excusare debet ab irregularitatis pœna, sed non à peccato.*

## CONSILIVM I.

AN condemnatio alicuius ad perpetuum carcerem cum assignatione quatuor vnciarum panis pro cibo, & totidem aquæ pro potu singulis diebus, sit condemnatio ad vltimum supplicium; ita vt, si sic condemnatus moriatur, censendus sit condemnans irregularis?

Secundo, an excuſet ignorantia terminorum?

AD HORVM dubiorum prius reſpondeo primò, quod non eſt iuriſconſulti, ſed medici, vel alicuius alterius experti iudicare, an poſſit quis viuere diu pane quatuor vnciarum, & aqua totidem, iuxta illud, *Quod medicorum eſt promittant medici, Tractant fabrilia fabri*, relatum à Hieronymo in prologo bibliorum.

1 Secundo, quod præſuppoſito quod poteſt damnatus ad perpetuum carcerem vitam agere longam prædicto ſolo cibo & potu vtendo, ſaltem attenta conditione ſuæ perſonæ, vt Paulus eremita, & alij multi Patres referuntur vixiſſe; certum eſt taxationem eius, & damnationem ad talem vitam agendam, non eſſe vltimum ſupplicium, nec propriè, nec largè.[a]

Tertio, quod præſuppoſito contrario, ſcilicet huiuſmodi victum non eſſe ſufficientem ad ſuſtentandum diu damnatum; dicimus taxationem quidem illius non eſſe propriè vltimum ſupplicium; ſed damnare aliquem, vt nil plus in die edat & bibat, eſſe in effectu damnare illum vltimo ſupplicio, vel ad vltimum ſupplicium. Tum quia nil refert quid de æquipollentibus fiat.[b] Tum quia Panormitanus communiter receptus,[c] ſic ait.

2 *Aduerte tamen, quia vbi quis facit aliqua delicta, ita quod debita pœnitentia ſit imponenda; non tamen per hoc tantum vita debet attenuari, quod veriſimiliter citius moriatur. Vnde notat Ioannes de Lignano,[d] quod carcer iſtis deputandus non debet eſſe nimis arctus, vt certè infra paucos dies veriſimiliter moriatur. Vnde tales officiales ſic eum includentes efficiuntur irregulares ſecundum eum. quod bene nota in practica; quia multi decipiuntur. & intellige quod efficiuntur irregulares, ſequuta morte. & pro hoc vide textum ſingularem,[e] vbi dicitur, quod eſt pane doloris, & aqua anguſtiæ ſuſtentandus, &c. & ſic nota verb. ſuſtentandus. non ergo illico conſumendus eſt. Item quod dicit ibi, quod mors debet eſſe ſolatium, vita tormentum: & ſic vult quod viuant, vel vitam ducant in iugi pœnitentia. Vnde caueant ſibi prælati noſtri temporis, qui aliquando ponunt in gabia, & neceſſaria ſubtrahunt; adeo quod mors veriſimiliter eſt cito conſequuta, ſiue ſubſequuta.* Hæc ille, cui concordat Decius in fine ſic ſcribens: *Poſtremo notandum eſt, quod Abb. dicit circa pœnitentiam, quæ taliter imponi debet, ne quis veriſimiliter breui moriatur, vel quo ad qualitatem carceris, vel quo ad vitæ neceſſaria; aliàs, ſequuta morte, prælatus erit irregularis.* Concordat etiam Alciatus in fin. & ante illos Felinus,[f] in hæc verba: *Circa pœnam eorum qui iniungunt carcerem mortalem, ponit ſic Abbas. Ego vero allego Baldum,[g] vbi conſuluit, quod ſi quis moriatur in carcere, Epiſcopus non, ſit irregularis, quia eius actus non eſt immediate cauſa mortis, niſi poſuiſſet in loco arcto, qui careret ſufficienti aëre, vel ex paucitate cibi conſumptus periret: quia tunc eſt irregularis. allegat l. necare.[h] vbi necare dicitur, qui non aluit, & cap.* paſce fame morientem. *86. diſt. ibi.* ſi non paueris, occidiſti. *& allego Ioannem Andream[i] vbi dicit, Caueant multum prælati, quia carceratis vita relinquitur, licet cum miſeria; & ideo ſi moriuntur ex nimia miſeria, incurritur irregularitas. & ſequitur ibi Anania.*[k]

3 AD DVBIVM poſterius elicitur reſponſio ex ſolutione prioris, hoc addito, quod ignorantia prædictorum terminorum non poſſet eum excuſare; quia eſt ignorantia eius, quod oportuit per eum ſciri, quæ non excuſat,[l] quamuis excuſare poſſet iudicium medicorum, qui iudicarent præfatum victum in inſula temperata, in qua erat carcer, ſufficere ad ſuſtentandum ſaltem miſerrimè vitam.

4 Conſuetudo item, ſi qua eſſet in illa regione, imponendi huiuſmodi victus pœnam non damnatis ad mortem, poſſet excuſare à pœna, licet non à peccato, iuxta gloſſam memorabilem & receptam.[m]

a *Arg. l. qui vltimo ſupplicio. ff. de pœn.*

b *L. e. ſi. ff. mādat. & l. licet ex quadam. de teſtib.*

c *In c. cum nō ab homine. de iudic. n. 31.*

d *In cle. 1. de pœnit.*

e *In ca. nouimus. de verb. ſignific.*

f *Num 13.*

g *In l. de pecorib. in fi. C. ad l. Aquil.*

h *ff. de lib. agnoſ.*

i *In c. 1. de apoſt.*

k *Et in c. qualiter. in 3. col. de accuſat.*

l *t. q. 4. §. notādum. & c. ignorantia. de reg. iuris li. 6.*

m *In c. deniq; 4. d. & c. cum venera. de cōſuet. &c.*

## DE POENITENTIIS ET remiſſionibus.

### SVMMARIVM.

1 *Confeſſiones bona fide factæ non habenti poteſtatem, cognito defectu, ſunt reiterandæ; & ſi cum eodem ſacerdote, poteſt vnico verbo dicere, Confiteor de omnibus quæ aliàs confeſſus tibi fui, & præterea hæc & hæc, quæ poſtea commiſi: requiritur tamen quod confeſſarius habeat prædictorum omnium, vel pœnitentiæ iniunctæ memoriam, vel ſaltem quod paulo plus minus meminerit ſtatum vitæ pœnitentis, quem tunc ei in confeſſione detexit.*

## CONSILIVM I.

A SACERDOS audiebat multorum confeſſiones. B. perſuadens ſibi illum habere poteſtatem audiendi confeſſiones, eidem ſæpius confeſſus eſt: inde ad plures dies declarauit A. ipſi B. non habuiſſe iuriſdictionem ad audiendas ipſius confeſſiones. Quæritur, an, poſtquam hoc reſciuit B. teneatur ad reiterandas confeſſiones factas ipſi A.

1 Reſpondeo, quod eſt obligatus ad reiterandas prædictas confeſſiones, poteſt autem facile reiterare illas, ſi ambo ſunt in eadem ciuitate, vel poſſunt conuenire in eodem loco, procurando, quod prædicto confeſſario fiat facultas audiendi confeſſionem prædicti pœnitentis, quod facillime faciet Vicarius Papæ, vel Pœnitentiarius maior, vel proprius parochus pœnitentis: & facta iſta facultate reconfiteatur ei dicendo, Ego confiteor tibi hac vice omnia peccata, quæ confeſſus ſum tibi alijs tribus vicibus, & præterea illa, & illa, quæ poſtea cōmiſi, &c. Et ſufficit quod confeſſarius prædictus meminerit illa peccata, vel pœnitētiam, quam pro eis impoſuit, vel quod paulo plus vel minus recordetur ſtatum vitæ ipſius, quem ei ſignificauit in prædictis confeſſionibus, per ea quæ habentur in noſtro Man. confeſſ.[a]

a *Ca. 6. n. 10 & ſequent.*

### SVMMARIVM.

1 *Scrupuloſus iudicans ſe excōmunicatum poteſt & debet contra propriū iudiciū credere ſuo confeſſario egregie erudito & inſigniter pio contrarium dicenti, nec tenetur nec debet alios conſulere; immo attenta ſuæ conditione peccaret ſaltem venialiter faciendo habitum vitioſum ſcrupuloſum inquietatiumque. num. 4. & non ſolum tenetur credere in iis quę ſunt iuris, ſed etiam in iis quę ſunt mixta ex facto & iure, vt eſt iudicium ſufficientis examinis, & explicationis peccatorū: & ſucceſsiue ſic credendo ſuo confeſſario poteſt intereſſe ſacris. nu. 6. Nec id, etiam ſi coram Deo eſſet vere excommunicatus, ei imputabitur ad culpam, vel pœnam. nu. 2. & hoc nedum in hoc, ſed etiam in alio ſęculo. nu. 4. gaudebitq; communibus Eccleſię ſuffragiis, vt facit vere excommunicatus contritus quęrens abſolutionem; cum hoc conſilium confeſſarij perinde operetur, ac ſi abſolutionem quęreret, nu. 3.*

5 *Pœnitens ſcrupuloſus tam in ijs quę ſunt iuris, quam in ijs quę mixta ex iure & facto ſimul ſunt, confeſſario probo & docto ſe ſubmittat.*

6 *Scrupuloſus credendo confeſſario ſatisfacit, & ſibi medetur.*

## CONSILIVM II.

QVIDAM ſcrupuloſus iudicat iuxta ſuum iudicium, ſe eſſe excommunicatum, & quamplurꝭbus excommunicationibus innodatum & à iure, & ab homine, &c. & etiam bulla Cœnæ Domini reſeruatis. conſuluit ſuper his ſuum confeſſarium virum habitum pro docto & probo.

Primo quæritur, an iſte conſulens tuta conſcientia poſſit & debeat acquieſcere ac credere reſponſis & dictis ſui confeſſarij, etiam ſi dictus ſuus confeſſarius circa hæc quæ ſita erraret, eo quod in rei veritate iſte conſulens, vt ipſe iudicat, ſit excommunicatus, &c.

Secundo, poſito, quod in rei veritate confeſſarius circa hęc erraret, & eſſet iſte conſulens in rei veritate, vt ipſe iudicat, excommunicatus, &c. quid dicendum ſit.

Tertio, quod ſi ita ſit, vt ſupra narratur, vtrum iſte conſulens ſubiiciens ſe prædicto reſponſo ſui confeſſarij, & faciens quod ei confeſſarius dixerit, ſit in ſtatu ſalutis, & ſit particeps omnium bonorum? &c.

1 Reſpondeo, quod ſi confeſſarius eſt vir eruditus egregiè, & pius inſigniter, quales ſolent eſſe magiſtri, & doctores, & confeſſarij Illuſtriſſimę Societatis IESV, proculdubio & ſine aliquo ſcrupulo poteſt, immo & debet credere; adeo quidem, vt mea ſententia non credendo, & non ſe eius auctoritate tranquillando, peccaret. Ratio eſt, quia, vbi, quando, & cur oportet, non acquieſcit conſiliis peritorum, non poteſt eſſe immunis ab aliqua culpa, per multa iura naturalia, diuina, & humana, quæ in hoc facile adduci poſſunt. Vnde ad primam quæſtionem reſpondeo, quod conſulens debet tranquillare conſcientiam ſuam, ſubiiciendo ſe humiliter iudicio prędicti confeſſarij.

2 AD SECVNDAM, quod huiuſmodi pœnitens eſſet omnino ſaluus, & liber ab omni pœna, quam mereretur propter dicta peccata, & cenſuras, licet in veritate eis irretitus eſſet; quia probabiliter credit ſe non eſſe iis irretitum: non enim obligat nos Deus ad habendam ſcientiam, quæ non

potest haberi à nobis, nec requirit illam in moralibus, sed est contentus, vt operemur bene secundum probabilem credulitatem, quam habet eiusmodi pœnitens credendo suo confessario, & magistro perdocto, perpio, & perbono: nam & qui credit alij viro bono prudenti bona fide, excusatur ab omni peccato, secundum omnes regulariter.

3 AD TERTIAM dico primo, quod huiusmodi pœnitens est in bono statu salutis & gratiæ, & quod participat in omnibus bonis, quæ fiunt in tota Ecclesia, perinde ac alij, qui non sunt excommunicati: quoniam etiam verè & iustè excommunicatus post habitam contritionem gaudet suffragiis generalibus totius Ecclesiæ, & communicat in omnibus bonis spiritualibus bonorum, perinde ac si non esset excommunicatus, vt post D. Thomam dixi in Manual. [a] nam solum peccatum mortale quem excludit à communicatione illa interna. Nec obstat, quod ibi additur, id esse verum, quando satagit quærere absolutionem: quod hic non fit: non enim aliter facit, quam viri doctissimi consulunt; nec tenetur quærere absolutionem, quam ei consulunt non esse quærendam, etsi coram Deo male consulerent: eo quod eorum auctoritas excusat ipsum ab omni culpa negligentiæ.

a Ca. 27. n. 17. & 18.

4 Secundo, quod erit immunis ab omni culpa, & pœna in hoc sæculo, & altero, credendo & parendo consilijs prædictorum confessariorum, etiam si illi errarent.

Tertio, quod non tenetur quærere alios: quia sufficit consilium vnius confessarij talis; immo & mea sententia peccaret, saltem venialiter, quærendo alios. Tum quia eadem ratione teneretur quærere alios & alios in infinitum, quod esset stultitia fere mortifera. Tum quia, attenta sua conditione naturali scrupulosa, faceret habitum vitiosum inquietandi se in omnibus, & separandi se ab illa tranquillitate & pace Dei, quæ exuperat omnem sensum, & quietat spiritum amantem Deum: & generare talem habitum vitiosum, est peccatum, saltem veniale; & contra procurare tranquillare se, subdendo suum iudicium humiliter iudicio peritorum & piorum, est quærere habitum quietandi animum, per quem pax prædicta paulatim acquiritur. quod mea sententia is dominus consulens tenetur, saltem sub pœna venialis culpæ, procurare, assuefaciendo se ad parendum iudicio eorum, quibus ratio recta dictat esse parendum.

5 Quarto, quod non solum tenemur acquiescere iudicio eruditorum magistrorum, & doctorum confessariorum in ijs quæ sunt iuris, sed etiam in ijs quæ sunt facti, quando miscetur aliquid iuris super modo faciendi, vel non faciendi ea: & ideo doctoribus & confessarijs iudicantibus satis explicatum esse hunc vel illum casum, & non esse plus temporis nec diligentiæ adhibendum super eius explicatione, credendum est; & male facit, immo superbe, qui non vult humiliare se ad credendum medico spirituali, præsertim tali, qui non accipit alia stipendia, quam dirigere animam consulentis in viam pacis: & ideo arbitror illum, sub pœna peccati venialis superbiæ, debere acquiescere prædictis confessarijs consulentibus ei, satis esse explicata quæ proposuit, & non debere proponere similia, terendo tempus in occupando mentem siliquis & quisquilijs, cùm posset eam occupare in cogitando de Deo, & diuinis, & diuis in amando eum, & eos sedato animo & quieto. quod si cœperit facere, facile cognoscet, quàm puerilia sint quæ tractat, collata dulcibus alloquijs, quæ cum eis tractare deberet.

6 Quinto, quod proculdubio cõsulens satisfacit conscientiæ credendo prædicto confessario, & secundum eius consilium audiendo Missas quolibet die, & credendo humiliter, quod ipse habet animam ægrotam scrupulis agitatã, & quod eius curatio & salus dependet ex implemento præceptorum medici spiritualis, & non ex implemento sui appetitus, & credendo quod ipse non est tam rectus iudex in sua propria causa, quàm est talis confessarius liber à tali ægritudine; credendo item, quod fallitur credendo, quod confessarius doctus & pius sit iudicaturus aliter, quàm iudicat, si eius scrupulos audiret; cum debeat credere, quòd nullatenus id diceret condemnando animam suam, nisi pro comperto haberet consulentem decipi, & falli credendo, suadente diabolo, & sua conditione scrupulosa, esse aliquid quod nihil est, & esse grata Deo, quę displicent ei, saltem venialiter. Equidem ex his propositis clarè colligo eum laborare nimia curiositate, & modo quod aiunt, *nodũ in scirpo quærit*. Quare cõsulo ei amãtissime, vt diffidat suo iudicio & credulitati, & submittat se omnino vt ægrotus medico suo spirituali, tamquam vicario Dei, & ipsius præcepta & consilia seruet, vti præcepta & consilia Dei, qui nos saluet æternum. Amen.

### SVMMARIVM.

1 *Iniuriam passum etsi videatur decere vt humiliter rogatus consentiat aliquam pœnam, puta exilij, aduersario inflictam remitti: ad id tamen non tenetur sub pœna peccati mortalis. nu. 2. nisi quando videret inde sibi à diabolo talem odij tentationem inferri, vt probabiliter credat se illi mortiferum præbiturum assensum, & tunc absolutio ei esset à confessario deneganda. nu. 5. & 6.*

2 *Odium & rancorem malum, non iniuriarum actionem quis remittere tenetur.*

3 *Inimicum generali, non speciali amore diligere tenemur.*

4 *Iniuriam passo non est deneganda absolutio ob id solum, quod nolit aduersarium alloqui; nisi ex eo scandalum orietur: quia tunc ad illud euitandum teneretur.*

5 *Odium & rancorem, prout tenemur, ex animo abijcere, & simul nolle remittere iniuriarum actionem, difficile est.*

6 *Ieiunare tenetur qui credit aliàs se à tentatione carnis victum iri.*

## CONSILIVM III.

ANTONIVS noctu occidit filium cuiusdam pauperis mulieris, & cum via iuris ipsa vindictam prosequeretur, certis pactis & modis remisit accusationem ipsi Antonio, inter quæ illud erat, vt ipse Antonius teneretur exul esse à loco, vbi patrauerat homicidium. Adueniente autem quodam die Paschę, præfatus A. per internuncios cum omni submissione & humilitate petijt veniam à præfata matre offensæ à se illi irrogatæ, & quod paratus erat omnem pœnitentiam subire, vt illi arbitrio boni viri satisfaceret, dum tamen liceret ei domum redire, & inter suos agere: quæ assentiri renuit. vnde causa ad Vicarium Episcopi delata, interdixit ne absolueretur. Quæritur quid iuris.

1 Multa in hoc casu concurrunt, ob quæ præfatam matrem deceret & perdeceret misereri prædicti Antonij, & mollire cor suum ad volendum, & faciendum, quæ ab eo tam submisse, tantaque cum reuerentia petuntur; quale est illud [a] *Diligite inimicos vestros, & benefacite eis.* & quale illud [b] *Non diligamus lingua & verbo, sed opere & veritate.* qualia sunt multa quæ adducit Gratianus [c] præsertim in c. *si quis contristatus.* ibi. *Si quis contristatus noluerit reconciliari fratri suo, satisfaciente eo qui contristauit, acerrimis maceretur inedijs, vsque dum gratanti animo satisfactionem recipiat.* Et super omnia illud orationis dominicæ, quod prædicta mater quotidie dicit Deo, *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

a Matth. 5.
b Ioan. 3.
c Per totã 90. dist.

2 Quod autem de necessitate salutis & præcepti, & sub pœna peccati mortiferi non teneatur, & quod possit absolui à confessario, licet nolit facere præfata, quæ ab ipsa petũtur, facit, quod licet iniuriã passus teneatur remittere odium & rancorem, quem concepit in iniuriantem, non tamen tenetur remittere actionem iniuriarum, vel alia remedia, quæ iura ei tribuunt ad quærendam satisfactionem debitam sibi, iuxta glossam singularem & receptam. [d]

d In d. cap. si quis contristatus.

3 Et quod licet iniuriam passus teneatur diligere iniuriantem in genere, ita quod non eximat ab amore generali, quo prosequitur in communi omnes, nec ab oratione generali, qua orat pro omnibus in communi; non tamen tenetur de necessitate salutis amare illum speciali amore, neque orare pro ipso speciali oratione, neque monstrare illi signa specialis amoris, loquendo, conuersando, & alia similia exhibendo extra casum necessitatis extremæ, vt firma ratione concludit S. Thomas communiter receptus. [e]

e 2. 2. q. 25. a. 8. & 9.

4 Vbi Caietanus admonet confessarios, ne facile denegent absolutionem iniuriam passis nolentibus alloqui eos, qui sibi fuerunt iniurij; nisi ex eo scandalum aliquod orietur, ob quod euitandum huiusmodi iniuriam passus teneretur de necessitate salutis illa exhibere; quale non videtur occurrere in hoc casu, in quo nulla necessitas extrema id exigit, nec vllum tale scandalum imminere videtur: attento quod prædicta mater remisit accusationem, quam habebat aduersus prædictum Antonium, cum certis pactis & modis, quæ obseruari possunt sine legis diuinæ violatione.

5 Admo

5 Admonenda tamen est prædicta mater, difficile sibi esse, & futurum, eximere se ab omni odio & rancore prędicti Antonij, nolendo annuere petitioni tam honestæ post tantam satisfactionem, & tantorum malorum passionem tam submissè & reuerenter factam: & quod, si experitur tentari se adeo à spiritu maligno ad prædictum odium & rancorem cōcipiendum, quod probabiliter credit se victum iri à tentatione, nisi huic petitioni annuat, tenetur ad annuendum: & quod nolentem id facere confessarius non debet absoluere, arg. eorum quæ S. Thomas receptus ait in 2.2.qu.147.a.3.

6 Nēpe quod iure naturali tenetur ieiunare is, qui probabiliter credit se victum iri à tētatione carnis, nisi se ieiunio prę-muniat. An autem tanta tentatione prædicta mater agitetur, an non, conscientiæ ipsius & confessarij eius relinquendum est, argumento glossæ singularis,[a] & c. *significasti.*[b] Salua, &c.

a *In §. sed & alia. Inst. de actionib.*
b *De homici.*

*SVMMARIVM.*

1 *Famulari alicui etiam malo & idololatræ quo ad ea quæ non sunt contraria legi nec diuinæ, nec naturali, nec humanæ obligatoriæ, non est peccatum.*

1 *Seruientes heris concubinarijs in ijs quæ sunt illicita, peccant.*

2 *Famuli consentientes peccato dominorum peccant, & nouem modis consentire possunt.*

3 *Consulens, adiuuans, consentiens peccat, quando est causa sine qua non fieret peccatum.*

4 *Absolui famuli dominorum peccatis consentientes non nisi contriti possunt.*

## CONSILIVM IIII.

FAMVLVS alicuius habentis concubinam extra domum suam, an peccet mortaliter deferendo ad illam aliqua nuncia & mandata sui heri, & renunciando hero mandata concubinæ, & inseruiendo vtrique, nunc comitādo herum adeuntem illam & illam venientem ad domum heri, & inseruiendo vtrique in mensa, & in alijs rebus.

1 Respondeo primo non esse peccatum seruire alicui quo ad ea, quę non sunt contraria legi saltem diuinæ, & naturali, esse tamen peccatum seruire illi, contraueniendo legi diuinæ, vel humanæ obligatorię, iuxta c. *nō semper,*[c] quatenus probāt milites Christianos sub Iuliano sanctè militasse contra inimicos Imperij, noluisse autem obedire illi contra Christianos? attamen constat Iulianum Imperatorem, cui seruiebant, malum & idololatram fuisse.

c *Ca. si domi nus. 11. quæ. 3.*

Secundo, quod ex hoc sequitur, quod seruire concubinario in ijs quæ sunt licita, non est peccatum: seruire autem illi in ijs quæ sunt illicita, est peccatum, etiam si sit herus & dominus eius.

2 Tertio, quod minister concubinarij consentiens, vel cōplacēs hero, ita quod placeat ei ipsius fornicatio, peccat, iuxta illud Apostoli,[d] *Digni sunt morte qui talia agunt, & qui consentiunt illis.*[e]

Quarto, quod nouē modis dicitur quis consentire pecāti, vt diximus in Man. confess.[f] qui modi continentur in illis duobus senarijs.

d *Ad Rom. 1.*
e *Et c. 1. de offi. deleg.*
f *Ca. 11. n. 12. & c. 17. n. 17. & 130.*

*Iussio, consilium, consensus, palpo recursus,*
*Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

3 Quinto, quod consequenter prędictus famulus peccat, si consulit hero concubino concubinatum, vel consentit ita, quod ei placet, & si ei laudat illum, vel si opem fert, seu ad id adiuuat comitando eum nocte, aut die, ita quod herus non iret ad domum concubinæ, nisi & ipse comitaretur? aut defert, aut refert nuncia contingentia concubinatum, puta condicendo quo die, vel qua hora, vel quando, & soli conuenirēt, vel ad conueniendum se pararent, & id genus alia.

4 Sexto, quod consulens non potest absolui, nisi deserat herum, vel saltem non placeat ei concubinatus, nec cōsentiat illi in eo; nec laudet ei concubinatum, nec adiuuet, vel opem ferat illi quo ad vtendum eo, comitādo illum, vel cōcubinam ad vsum concubinatus, vel ferendo, aut referendo nuncia concubinatus, & eius vsum contingentia. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1 *Locare possum meretrici & vsurario domum, in qua credo cōductores peccaturos, modo nec consentiam eorum peccato, nec locem ad meretricandum, vel vsuras exercendum: & hoc, etiam si sciam quod sine domo non meretricaretur nec fœneraretur. numer. 3.*

2 *Peccanti qui inseruit aliquo nouem modorum contentorū illis versiculis, Iussio, consilium, &c. consentiendo peccat.*

2 *Iuuans, & ferens opem peccanti peccat etiam si pigeat peccati, & doleat quod is peccet.*

4 *Meretricis famula amasijs ad eam venientibus ostium domus aperiēdo, eandem ad domum amasij comitando, lectum sternendo, literas per quas inuitantur, vt apud ipsam cœnaturi veniant, deserendo, non peccat mortaliter, modo non placeat ei peccatum, dictáque opera præstet, nō ea intentione vt peccet, sed vt inde ex suo labore debitam accipiat mercedem; secus esset, si deferret literas, per quas amasij inuitarentur ad cum ipsa meretrice peccandum.*

## CONSILIVM V.

ANCILLA, quæ, cum meliorem non reperiat conditionem, cogitur, conuenta mercede menstrua, tamquā serua meretrici publicæ inseruire, an possit sine peccato mortali eidem expositæ peccato præstare infrascripta obsequia: supposito, quod in peccatum dominæ nullo modo cōsentiat, nec ei placeat, sed maxime displiceat.

Primo, an amasio venienti, quem scit ideo venire, vt cum domina peccet, possit ostium domus aperire?

Secundo, an eamdem ad vineam, vel domum amasij euntem comitari possit, sciens quod ibidem solent peccare?

Tertio, an iubente domina possit lectum sternere, quem scit ideo sterni, vt in eodem cum amasio dormiat?

Quarto, an possit amasio literas deferre, per quas domina eumdem amasium rogat, vt ad se veniat, sciēs ideo vocari, vt simul peccent?

Quinto, an iubente domina possit dicere amasio, Domina mea te expectat, vt secum hac nocte cœnes, sciens futurum, vt dormiat cum illa.

Sexto, an idem circa prædicta sit dicendum de illa, quę dictæ meretrici non locauit absolute operas suas menstruas, sed particulariter rogata præstat modo vnum modo aliud ex supradictis obsequijs?

Septimo, an quæ inseruit in illa domo, in qua dominus domus tenet concubinā publice loco vxoris, possit prędicta seruitia præstare?

1 Respondeo primo, quod hi casus non videntur esse minus graues, quam quotidiani, & quod habent quamdā cognationē cum quibusdam, quæ ipse tango in Manu. confess.[a] in quibus est illud, an quis possit iustè locare domum suam ei, quem credit illa male vsurum, puta ad exercendas vsuras ad meretricandum, & ad similia. vbi tandem conclusi, quod quamuis non liceat cuipiam locare domum suam vsurario ad exercendas vsuras, nec meretrici ad meretricandum, nec periuro ad periurandum, neque alicui peccatori ad peccandū; licet tamen locare ipsis ad viuendum, sine tamen vllo cōsensu in peccatum.

a *Cap. 17. nu. 195.*

Secundo, quod huic videtur consonans, posse quem inseruire peccatori in alium finem, quàm peccādi vt vsurario seruit rusticus in colendis agris, medicus in curando eū à morbo, sartor in fingendo ei vestes, alius coquendo panem, vendendo carnes, & id genus alia faciendo.

2 Tertio, quod nemo potest alteri inseruire consentiendo peccato: & quia sunt nouē modi consentiendi ei, vt diximus in d. Manu.[b] ideo oportet ad hoc vt seruiens peccatori non peccet, caueat ne consentiat vllo illorum nouem modorum contentorum in illis duobus senarijs.

b *Ca. 11. n. 13. & c. 17. n. 17. & 130.*

*Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,*
*Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

In quibus includitur qui iuuat & fert opem, vt in d. Manual.[c] exprimimus. Et ita omnis qui adiuuat ad peccandum, videtur peccare, etiam si pigeat peccati, & displiceat quod peccet is, quem iuuat. Quod plurimum vrget ad damnandum peccati omnes, de quibus hic quæritur: quia omnes hi videntur consentire iuuando.

c *Ca. 11. n. 13.*

3 Quarto, quod per supradicta de locante domum meretrici, quæ in dicto Manu.[d] latius traduntur: dicendum videtur, non omnem qui iuuat eum qui peccat, iuuare peccantem, ita vt peccet, etiam si iuuet in eo, sine quo non peccaret: licet enim meretrix non meretricaretur, si non ederet, biberet, vel haberet habitaculum, vel illas, vel illas vestes; non tamen per ibi dicta peccat qui locat ei domum, vel vendit carnes, vel vinum, aut fingit vestes, modo non faciat hæc illi ad finem vt peccet, sed ad alium honestum finem, puta, vt de re &

d *Cap. 17.*

opera & industria sua quærat sibi pretium, vel iustam mercedem, ex qua viuat honestè.

Quinto, quod ex his videtur colligi ratio defendendi omnes prædictos à peccato, saltem mortifero; modo, vt in casu proponitur, non placeat eis peccatum, & faciat obsequia prædicta ob aliquem bonum finem, puta, eo quod habent illa causa officij sui, vel ob iustam mercedem: licet enim hæc officia & obsequia sint valde cõiuncta peccato, non tamen sunt in sese & suapte natura peccata; & ideo seiungi possunt à peccato per finem diuersum & seiunctum. Aperire enim ostium, sternere lectum, deferre literas inuitatorias ad cœnam, non est suapte natura peccatum; licet scribere illas, vt post cœnã peccet, sit peccatum ob circumstantiam mali finis. Salua, &c.

*Videnda etiam sunt quæ dicit in consilio præcedenti, & conferenda: maxime quia aliquibus D. Nauar. in hoc responso visus fuit indulgentior.*

SVMMARIVM.

1 *Inducere etiam rogando, aut iuuare aliquem ad actum, in quo rogatus peccat, an liceat, per multa traditur exempla.*

1 *Cooperando facto alieno malo tunc vere vel præsumptiue mortaliter pecco, quando vere vel præsumptiue facto alterius, quatenus est mortale peccatum, consentio, aliàs non: vt patet per omnia exempla, quæ hinc inde afferuntur per totum hoc responsum.*

## CONSILIVM VI.

ROGARE, vel alio modo inducere, aut iuuare alium ad actum, in quo ille peccaturus creditur, an liceat?

Pro parte quidem negante facit primo, quod qui cõsentit in suum vel alterius peccatum peccat, iuxta illud[a] *facientes, vel consentientes.* relatum in cap. *notum*, [b] & cap. 1. de offic. deleg.

Secundo quod in Psal. 3. reprobatur currens cum fure, id est comitans furem ad furandum.[c]

Tertio, quod qui causam damni dat, damnum dedisse videtur.[d]

Quarto, quod repetens mutuum pro alio sub vsuris peccat, secundum mentem omnium.[e]

Quinto, quod qui prouocat aduersarium ad iurandum id, quod scit esse falsum, grauissime peccat.[f]

Sexto, quod qui suscipit lusores, & eis aleas & alia necessaria in ludum mortaliter malũ ministrat, peccat[g] quod defendimus in Man. nostro conf.[h]

Septimo, quod iuuans bellantem iniuste, vel vendens arma militi in bellum iniustum, peccat arg. eorum, quæ late citat Gratianus,[i] adiuncto cap. *qui culpatur*. & cap. *militare*,[k] per quæ probatur, licere quidem arma in bella iusta sumere, non autem in bella iniusta nec pro se, nec pro alio, prout post alios retulimus in d. nostro Man.[l]

Octauo, quod qui facit idola Gentili, vel synagogam Iudæo, vel meschitam Sarraceno, peccat, [m] per tradita ab vtroque Thoma,[n] & etiã nos post eos tradimus in nostro Man.[o]

Pro parte vero affirmante facit primo, quod ipse Deus concurrit, immo iuuat omnes peccantes quo ad actum, vel actionem actus peccati, & substãtiã peccati: quia omnia per ipsum facta sunt,[p] vt tradimus nos post alios in d. Man.[q]

Secundo, quod gaudent serui Dei de acerbissima Domini nostri Iesu Christi passione, quatenus fuit actus illius patientis sanctissimus, & nobis vtilissimus; quamuis quatenus fuit ab infidelibus illata, displiceat vt crudelissima, iuxta illud relatum à glo.[r] *Actio displicuit, passio grata fuit.*

Tertio, quod licet gaudere de occisione tyranni, in quantum est liberatio populi, licet non quatenus est peccatum, vt post alios in præd. Manu.[s] tradidimus.

Quarto, quod licet egenti petere mutuũ ab vsurario, qui scitur non esse mutuaturus sine vsuris, immo licet accipere mutuum ab eo sub vsuris, vt etiam nos post alios tradidimus in d. nostro Manu.[t] cum tamen actus dandi sit peccatum,[v]

Quinto, quia licet parochiano petere & accipere à suo parocho sacramenta, in quibus dandis ille peccat, & creditur peccare, vt dictum est supra.

Sexto, quia licet locare meretrici domum, in qua creditur meretricatura, sitã in ea parte vrbis, in qua permittitur, vt dictum est vt supra,[x] dicto Manu ali.

a Rom. 1.
b 2. quæ. 1.
c Cap. qui cũ fure. de furt.
d Ca. fi. de iniurijs.
e In c. Michael. de vsur.
f Ca. ille. 22. quæst. 5.
g Le. 1. 2. & 3. ff. de alea lusu.
h Ca. 17. n. 17.
i 27. quæ. 1. in principio.
k Ead. causa & quæst.
l Ca. 14. n. 36.
m Ca. consuluit. de Iudæis.
n 2. 2. qu. 111. art. 4.
o Dict. c. 14. num. 36.
p ioan. 1.
q Præl. 7. nu. 14.
r Ca. 1. de consecrat. eccles. verb. sanguinis lib. 6.
s Ca. 15. n. 3.
t Ca. 14. n. 38.
v Cle. 1. de vsuris.
x In d. c. 17. n. 195.

Septimo, quia licet vendere, aut dare peccatoribus nõ excommunicatis necessaria & vtilia ad sustentationem: licet dare ad peccandum, sit peccatum,[a] immo & oportet id facere extreme egentibus, immo & infidelibus volentibus infideliter viuere, secundum omnes.

Octauo, quia licet petere à Gentili, Iudæo, vel Sarraceno, vt confirmet iuramento contractum, licet sciatur, vel credatur superstitiose & cum peccato iuraturus,[b] per quod fundatur illud vulgare, *Licet vti peccato alterius ad bonum.*

Nono, quod Caietanus determinat,[c] non peccare qui ex vrbanitate & quadam hospitalitate inuitat ad cœnam vesperi die ieiunij alium, quem scit alibi cœnaturum esse, vt cœnet secum, quatenus cœna est actus de se sustentandi, & nõ peccatum. &[d] ait posse quem sine peccato vendere meretrici fucos, licet credatur esse vsura eis ad alliciendos aliquos ad peccandum, quamuis non liceret ei vendere ad alliciendos.

1 His præmissis, & ponderatis eis, per quæ in præd. nostro Manu.[e] profunde soluimus quis præbendo occasionem peccandi peccet mortaliter,[f] vsque in finem: respondetur ad quæstionem, omnem illum, qui verè consentit in peccatum mortale suum; vel alterius, quatenus est tale, peccare mortaliter verè coram Deo, & in foro conscientiæ; qui verò solùm præsumitur consentire, solùm peccare præsumptiuè quo ad forum exterius: & consequenter, eum qui consentit in actum sub genere bonum, vel indifferẽtem, vel in casu quo est bonus, vel indifferens, quatenus est talis, & non quatenus est peccatũ, non peccare. Per quam resolutionem respondetur ad omnia opposita pro parte negante, quod loquuntur de consentiente verè, vel præsumptiuè, quos concedit nostra resolutio peccare.

Primum enim loquitur de consentiente expresè vel tacitè in suum vel alterius peccatum, quatenus est tale.

Secundum loquitur de currente cũ fure consentiendo ei.

Tertium loquitur de consentiente in causam peccati lædendi.

Quartum loquitur de consentiente in actum malum mutuandi sub vsuris.

Quintum loquitur de consentiente in periurio, quatenus vult vt aduersarius mentiens saltem periurij reatum incurrat, vt colligitur ex fine textus.

Sextum loquitur de consentiente in peccatum. Vnde qui locaret cameram lusoribus vna cum instrumentis lusoriis, sine consensu peccandi, sola causa vtendi iure suo locandi, non peccaret plusquam qui locat eadem de causa domum meretrici sine vllo consensu in peccatum, vt dictum est in argumẽto sexto pro parte affirmante.

Septimum loquitur de consentiente in peccatum iniustitiæ belli, non de alio.

Octauum agit de consentiente in peccata, vel faciente actum in finem malum directum, & non de alio.

Non enim obstant pro parte affirmante adducta, quæ loquuntur de consentientibus in actum suo genere bonum, vel indifferentem, vel malum, sed non quatenus est talis, sed bonus. Nam primum agit de Deo, qui, licet vt causa prima concurrat cum omni causa secunda ad faciendum actus, qui sunt peccata; non tamen concurrit quatenus illi sunt peccata mortalia, sed vt sunt quædam entia vel res, quæ in se sunt bona, licet per deformitatem ad rationem sint mala, vt post alios declaramus in dicto nostro Manu.[g] & sicut Deus ipse maximus & optimus cõsentit in eis, quatenus sunt opera eius quo ad suam essentiam & substantiam naturalem, ita etiam possunt serui eius eadem ratione in eis consentire, iuxta illud Apost. *Imitatores estote Dei.*[h]

*Et si ad complementum huius responsi aliqua desiderentur non tamen ob id visum fuit illud omittere. Sciat igitur cautus lector nõ omnia prædicta habenda pro resolutiuè dictis. Quæ autem à deformitate peccati moraliter nõ possunt separari à resolutione affirmatiua, excludenda videntur.*

SVMMARIVM.

1 *Balneorum magistri, qui nudas mulieres per nudos ministros lauari mandant, non sunt absoluendi, non obstante quacunque consuetudine, quę corruptela est.*

2 *Maritus, qui antequã naturali in sexu vxoris seminet, prius membrum in vase non naturali ad delectationem citra animum sodomiam complendi immittit, peccat peccatum tactus illiciti.*

a Cap. nolite. & c. ad mensam. 11. q. 3.
b Ca. illo met 22. quæst. 1.
c 2. 2. qu. 147. art. 4.
d In q. 164 a. 2.
e In d. ca. 14. fã Num. 32.
g Præ. 7. n. 14. & seq.
h Ephes. 5.

3 *Fornicatione completa, qui consequenter ad maiorem delectationem pluries osculatur amasiam, vnum tantum quo ad necessitatem confitendi committit, peccatum.*

## CONSILIVM VII.

QVÆRITVR primo, Magister balnei habet duo hypocausta, seu balnea, in quorum altero admittit mulieres, quas tamen nudas per iuuenes nudos, opertis tantum mẽbris genitalibus, mandat lauari. Dubitatur an sit absoluendus. Nam pœnitens adducit pro se consuetudinem & permissionem, item quod dicti iuuenes eius pueri asserunt ex vsu non solere iam amplius nisi raro eas concupiscere, vel de tactu luxuriose delectari. Et quid de illis, qui vtuntur opera puerorũ incipientium, qui in principio solent quasi semper mortaliter peccare, dum dictum exercent ministerium.

Secundo quæritur. Vxoratus, dum vult ab vxore debitum exigere, vt magis delectetur, incipit cum vxore actum sodomiticum citra animum illud perficiendi, prout nec perficit, immo tandem seminat in legitimo vase. Dubitatur, an hæc actio sit peccatum mortale, & an sufficiat, si pœnitens dicat, tetigi meam coniugem tactu illicito, vel teneatur explicare factum clarius.

Tertio quæritur, quidam fornicatur cum amica, & postea delectationis causa multoties eam deosculatur cum intentione iterum nequaquam fornicandi: An vnum dicatur peccatum, vel multiplex.

AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo, quod non videntur absoluendi, & quod non est consuetudo, sed corruptela contra legem naturalem & diuinam; & quod ea, quæ allegantur contra hoc, sunt excusationes ad excusandas excusationes in peccatis, per ea quæ insinuantur in Manu. conf.[a]

[a] Ca. 4. n. 31. vsque ad 36.

2 AD SECVNDAM quæstionem respondetur, quod in casu illius videtur tantum esse peccatum tactus illiciti.

3 AD TERTIAM quæstionem respondetur, quod semel tantum videtur peccare quo ad necessitatem confitendi numerum, qui post vnam fornicationem cum amica habitam, eam vigesies osculatur, non ad iterandam fornicationem, sed ad maiorem delectationem: quia illa omnia oscula videntur consequentia fornicationis iã habitæ, vt in vltima editione nostri Man. conf.[b] diximus. Salua, &c.

[b] Ca. 6. n. 28.

### SVMMARIVM.

1 *Confessarius habentem plura beneficia, nec de hoc se accusantẽ, tenetur interrogare quomodo illa teneat: eumque respondẽtem quod iuste retinet, tenetur absoluere, absque eo quod cogat illum inuitum ad ostendendam dispensationem.*

## CONSILIVM VIII.

AN CONFESSARIVS possit absoluere beneficiarium habentem nimiam pluralitatem beneficiorum, & non se accusantem illius pluralitatis, non monendo prius eum illud peccatum, nec inducendo eum ad propositum exeundi ab illo: & quid si dicat quod conscientia non accusat eum illius peccati?

Responodeo primo, quod non debet audire, donec prius interroget eum an licitè retineat illa plura beneficia: cum probabiliter dubitare possit confessarius de iusta causa retinendi ea, vti in specie determinat Caietanus in verbo interrogationes confessarij.

Secundo, quod tenetur illum absoluere: quia potest subesse aliqua iusta causa, & dispẽsatio, quæ illum à peccato saltem mortali excusaret, quam non tenetur confessario ostendere, si non vult, per notata in cap. *omnis*.[c] Salua, &c.

[c] De pœn. & remiss.

*Aduerte, quia resolutio non tam latè patet, vt quæstio restringatur ad illum, qui respondet se ex iusta causa dispensatum ad illa retinendum.*

### SVMMARIVM.

1 *Cõfessiones factæ ab eo, qui perseuerauit retinere beneficia male obtenta, reiterandæ, quia factæ sine necessaria attritione.*

2 *Irregularis non est, qui rixis sæpe interfuit, si inde nõ est sequuta mors, vel mutilatio; & hoc, etiamsi magnæ interuenerunt percussiones. num. 3. quod si nesciat, sed dubitet an sit sequuta mors, videtur petendæ dispensatio. num. 4. in fin. & nu. 6.*

4 *Iudex criminalium causarum ex actibus suis non incurrit irregularitatem, etiam iubendo reos torqueri, vel mittẽdo eos ad triremes, nisi mors vel mutilatio sequatur: qua sequuta, dispensatione eget pro tot actibus, quot fecit inducentes irregularitatem.*

5 *Iobelæa regulariter non concedunt facultatem dispensandi super irregularitate.*

6 *Formula petendi dispensationem in officio sacræ Pœnitentiariæ pro iudice irregulari ex homicidio, qui etiam obtinuit beneficia.*

## CONSILIVM IX.

AD QVID teneatur clericus, qui post irregularitatem incursam sine dispensatione accepit ordines, & beneficia, quæ multo tempore retinuit, & interim semper cõfessus fuit, & virtute Iobelæi absolutus?

1 Respondeo primo, quod prædictus D. consulens est multis modis irregularis, & semper peccauit mortifere, quoties accepit beneficia, quæ ait sibi fuisse collata; & quod nullæ vel paucæ confessionum sacramentalium, quas fecit posteaquam accepit primum beneficium, fuerunt validæ, & ita multæ illarum sunt reiterandæ, & numquam ei quæsitum est vllum verum ius in beneficijs suis, & tenetur omnes fructus eorũ, si quos ex eis percepit, restituere: quare consulendum esse prædicto D. consulenti, & à Deo misericordissimo illuminato, vt eligat aliquem confessarium pium, eruditum, & in audiendis confessionibus exercitatum, & monstret ei hanc informationem, quam tradidit nobis, vt dicat ei quales confessiones à se factas teneatur reiterare, eo quod non fuerunt integræ, neque cum debita & necessaria contritione, vel attritione sufficienti comitatæ, vt sciat à quo tempore obligetur reuocare ad memoriam peccata mortifera, quæ admisit, vt vnam integram confessionem sacramentalem efficiat.

2 Secundo est etiam consulendum, quod nullam incurrit irregularitatem propter rixas, & percussiones quas fecit, vel quarum causa fuit etiam propinqua, si nullus ob eas mortuus fuit, nec vllo membro mutilatus, etiam si prima tonsura vel quolibet alio ordine erat nunc insignitus, per mea quæ non vacat citare.

3 Tertio, quod ex præfata informatione nõ colligitur eum incurrisse irregularitatem, quæ nata sit ex homicidio, vel mutilatione iniusta & voluntaria; quamuis de mutilatione nil dicitur in ea: & ideo debet reducere ad memoriã, an vlla mutilatio membri consequuta fuerit præfatas percussiones, quarum aliquas fuisse magnæ importantiæ confitetur: quod diligenter faciendum est, vt nouerit confessarius, à quo tempore cœpit esse irregularis.

4 Quarto, quod ex omni actu, quo auctoritate iudiciaria, vel alia priuata sequitur mors, aut mutilatio, incurritur irregularitas. Si ergo ipse rogauit, mandauit, consuluit, vel sententiã aliquam dedit, vel confirmauit; vel exequutus est, aut iussit, vt aliquis occideretur, vel mutilaretur etiam iustè, vel cepit, vel iussit capere aliquẽ bannitũ, ex omni inquã prędictorũ actuũ, ex quo mors vel mutilatio sequuta fuit, factus fuit irregularis, & incapax beneficiorum ecclesiasticorũ, donec iustè dispensaretur cum eo; quamuis non sufficeret, quod deferretur ad triremes, vel torqueretur chorda, vel alio genere tormẽtorũ, nisi mors vel mutilatio consequeretur? neque sufficeret exercuisse iurisdictionem criminalem, vel officium habens illam, nisi aliquem prædictorum actuum, vel aliorum similium exerceret, & consequeretur mors, vel mutilatio. cui cõsequẽs, quod satagat reducere ad memoriam numerum verum, vel verisimilem actuum prædictorum, quos fecit sufficientes ad incurrendam irregularitatem prędictam, vt nouerit dispensationem necessariam petere in sacra Pœnitentiaria, quæ facile dabitur ei.

5 Quinto, quod non sufficit ei absolutio virtute Iobelæi S. D. N. neque alicuius alterius, in quo expressè non cõcederetur confessario facultas dispẽsandi super irregularitate, vt regulariter non conceditur, vt nos alibi scribimus, & sæpe consuluimus, & sacra Pœnitentiaria seruat. Et quamuis grauiter peccauerit D. consulens recipiens ordines, antequam dispẽsaretur cũ eo, tamẽ ob id nõ incurrit irregularitatẽ nouã, super qsit noua dispẽsatiõ faciẽda, vt alibi probaui[a], si nõ suscepit sacros ãte legitimã ętatẽ, vel extra tẽpora iuris ab ordinario, vel

ſine literis dimiſſorijs. Et quia, vt dictum eſt, collationes beneficiorum ei factæ tempore quo erat irregularis, non valuerunt, neque quidquam iuris ob eas ipſe quæſiuit; neceſſarium eſt, vt diſpenſatio petatur, & detur ei cum facultate retinendi prædictum canonicatum, & alia beneficia ſibi collata.

Sexto, quod nobilitas, & virtus, amor & timor Dei quibus apud me commendatur D. conſulens, mouet me ad ſcribendum ei memoriale ſequens, ex quo conficere poſſit ſupplicationẽ petendi ea quæ illi conueniũt petere in ſacra Pœnitentiaria, vbi etiam meo ſuffragio iuuabo, & non oportet exprimere nomen ſuũ, neque ſui heri, vt res ſit magis ſecreta.

BEATISSIME Pater N. familiaris cuiuſdam principis eccleſiaſtici in iuuentute ſua prima tonſura donatus, & in ſtudijs literarum educatus, & nũc quadraginta quinque annos natus exponit Sanctitati veſtræ, & Illuſtriſsimo Reuerendiſsimoque eius ſummo Pœnitentiario, quod ipſe multis rixis interfuit, in quibus percuſsiones armis ab vtraque parte factæ fuerunt, quamquam non meminit vllum ex illis mortẽ obijſſe, neque membri mutilationem interueniſſe: & quod fuit auditor prædicti principis heri ſui tot annis gerendo officium, habens iuriſdictionem criminalem, & eam exercendo, vti communiter alij ſimilia officia & iuriſdictionem exercẽt: & quod veriſimiliter capiendo & iuuando capi reos, & procedendo contra eos iudicialiter vel extraiudicialiter per ſe vel per alios, & ferendo, vel confirmando, vel exequẽdo ſententias criminales, & iuuando, mandando, rogando, conſulendo, vel alia id genus dicendo & faciendo ad capiendos bannitos, prædictus N. veriſimiliter tot vicibus incurrit irregularitatẽ, & à pauco tempore antequam ſuper ea legitime diſpenſaretur, obtinuit quemdam canonicatũ, & alia duo beneficia ſimplicia, & poſtea ſuſcepit ordines omnes, etiam ſacros, & preſbyteratum, ſed aliàs rite, licet non fuerit vſus niſi tantum ſubdiaconatu. Quare ſupplicat humiliter Sanctitati veſtræ, vt dignetur diſpenſare quo ad forum conſcientię tantum ſecum ſuper præfatis irregularitatibus, ita vt liceat ei retinere prædicta beneficia, & alia quęcumque ſibi legitime conferenda recipere cum condonatione fructuum perceptorum, qui ſunt pauci, cum orator ſecundum ſuam conditionem ſit pauper.

*Aduerte, quia modo officium Pœnitentiariæ exigere ſolet, vt exprimatur valor beneficiorum, & ſumma fructuum perceptorum.*

### *SVMMARIVM.*

1. *Scire quiſque tenetur articulos fidei, præcepta Decalogi, generaliaque præcepta Eccleſiæ: & ſi habet ſtatũ, vel officium neceſſaria ad illud adminiſtrandum, vel ſaltem habere aliquem per quem poßit illud exercere.*
2. *Ignorantia communiter excuſat coram Deo; niſi fuerit alicuius iuris naturalis, vel humani, quod homines ſuæ cõditionis ſciunt, vel ſcire tenentur.*
3. *Conſulens de aliquo dubio ordinarium parochum, vel etiam ſuum confeſſarium, bona fide credens eos ad id habere ſufficientem ſcientiam, excuſatur, etiam ſi non accedat ad doctiores, qui ibi reperiuntur.*
3. *Doctiores etſi de conſilio ſit melius adire attamen Deus contentus eſt, vt etiã omißis noſtris ſuperioribus, adeamus eos, quos, cum publica fama reputentur docti, tales bona fide credimus. num. 4. & 5.*
5. *Duorum, quos bona fide quis reputat doctos, & pro talibus publice reputantur, contrarias audiens ſententias poteſt abſque eo, quod quærat tertium, adhærere vni illorum, modo adhæreat ei, qui ſibi videtur ratione magis conformi dicere.*
6. *Docto de aliquo dubio interrogato reſpõdente communem quæ eſt pro vna, & contrariam. quam tenent aliqui docti, poſſe iuſte teneri. poſſum vtrilibet adhærere: quod ſi ipſe reſponderet præfatarum alteram tantum eſſe veram, tunc contrariæ, etiam ſi eſſet communis, non poſſum adhærere, niſi aliunde de illius veritate cognoſcam.*
7. *Dubitans an ſit peccatũ aliquid agere, nõ poteſt niſi depoſito dubio illud agere, nec excuſatur ex eo quod nõ poßit tũc conſulere peritiores, & ſi differat, conturbabit domum, vel aliud temporale damnum ſubibit.*
8. *Scrupulus à dubio vt diſcernatur.*

## CONSILIVM X.

PRIMO quæritur, quid generaliter debeat quilibet Chriſtianus ſcire ſub pœna peccati mortalis; maxime vir nobilis, cui familiam & vaſallos gubernare incumbit.

Secundo quæritur, dato quod ſcit omnia requiſita etiam ad ſuum ſtatum, an ſi faciat aliquem actum, qui eſt peccatũ mortale, tamen ille eum facit ex ignorantia, neſciens eſſe mortale, an excuſetur à mortali.

Tertio quæritur, an ſubditus, qui dubitat aliquem actum eſſe mortalem, ſatisfaciat de hoc interrogando aliquem eius ſuperiorem, videlicet Epiſcopum, eius vicarium, vel parochum: & an ſi illi conſtaſſet prædictos ſuos ſuperiores eſſe ignorantes & illiteratos, ſequẽdo eorum conſilium, eo quod ſunt ſui ſuperiores, ſatisfaciat, etiamſi in illa ciuitate ſint alij doctiores, quos poſſet conſulere?

Quarto quæritur, an ſi nollet in præcedenti caſu conſulere ſuperiores, ſi ſatisfaceret ſuę conſcientiæ ſequendo conſiliũ alicuius Theologi in dicta ciuitate communiter pro docto reputati, & bonæ famæ, ſine eo, quod aliam diligentiam & inquiſitionem faciat de ſua doctrina, vel bonitate, præter vniuerſalem de eo opinionem & famam.

Quinto quæritur, an, ſi interrogando duos ex prædictis Theologis, inter quos non cognoſcitur notabilis exceſſus in doctrina, vel virtute, & illi eſſent contrariæ opinionis, ſi tenetur alium tertium conſulere, an poterit vnam illarum opinionum ſequi, & an poſsit ſequi illam, quę minus ſuo iudicio ſatisfacit, cuius contraria ei conformior rationi videtur? eo quod ei videtur temeraria arrogantia, cum ſit laicus & illiteratus, velle ſe iudicem conſtituere inter duas duorum Theologorum literatorum opiniones.

Sexto quæritur, an, ſi prædictus Theologus, quem de dubio cõſulit, dicat ei prædictam opinionem eſſe communem Theologorum, quamuis alij viri docti contrarium teneant, poſsit conſulens cui maluerit ſe opinioni conformare, cum doctori illi graui & virtuoſo permittitur dictam opinionem ſcribere, tenere, ſuſtentare, & docere.

Septimo quęritur, an qui vult aliquam actionem facere, & tempus illi deeſt ad conſulendum aliquem Theologum de modo, quo debeat illam ſine Dei offenſa facere, quem nequit conſulere ſine iactura aliquorum bonorum, vel magna ſuæ domus incommoditate, &c. ſi poteſt tuta conſcientia dictã actionem exequutioni mandare ſecundũ dictamẽ ſuę rationis poſt factam orationem, qua Deum deprecetur, ne permittat, vt ſua diuina bonitas in ea offẽdatur; an teneatur prædictam occaſionem, in qua ſuæ familiæ ac ſtatui maximum commodum euenire poteſt, relinquere potius, quam ſine prædicto conſilio aliquid facere, in quo dubitat aliquod peccatum fore poſſe.

Octauo quæritur ſuper differentia inter ſcrupulum, & rationabile dubium, nempe, quod ſcrupulũ poteſt quis & debet à ſe abiicere, & contra eum facere, dubium autem tenetur conſulere: quęritur in quo cognoſcetur aliquid eſſe ſcrupulum, vel dubium: nam alias idem eſſet teneri quem conſulere, an talis actus ſit ſcrupulus, vel dubium, ac teneri conſulere omnes ſcrupulos, qui ſe ſuæ conſcientiæ obtulerint: & in omnibus prædictis dubijs præſupponitur ſolum quęri, quid teneatur quilibet facere ſub pœna peccati mortalis.

Ad omnes has octo quæſtiones in generali reſpõdeo, quod ſicut ipſæ ſunt generales, ita earum reſponſa generalia erunt, in quorum applicatione ad caſus particulares tanta erit difficultas; quod ex reſponſione neſciet quilibet deciſionem dubij colligere in omni caſu particulari.

1 Ad PRIMAM reſpondeo, quod quilibet Chriſtianus vt Chriſtianus, etiam ſi Papa vel Rex ſit, debet, & ſufficit ei ſcire 12. vel 14. articulos noſtræ fidei, & 10. Decalogi præcepta, & ſancta generalia Eccleſiæ præcepta: quamuis ſi aliud habeat officium, vel ſtatum, teneatur ea diſcere, quæ ad ſuũ prędictum vel officium vel ſtatum neceſſaria ſunt de præcepto ſciri, vel ſecum habere viros doctos, & conſiliarios literatos quo ad illas res, in quibus alienum conſilium ſufficit.

2 AD SECVNDAM dico primo, eſſe vnam ex difficilioribus quæſtionibus iuris humani, ſcripti, & diuini in materia morali; & quod poteſt ſuper illa bonus aliquis liber cõponi ſuper eius radicibus, ac ramis non parui valoris & neceſſitatis, deſcendendo ad particularia. Secundo, quod communiter ignorantia, de qua loquitur quæſtio, excuſat coram Deo, & in foro cõſciẽtię, niſi fuerit alicuius iuris naturalis, vel humani, quod omnes ſuæ conditionis, artis, & ſtatus ſciunt, vel ſcire tenentur.

3 AD TERTIAM dico, quod non satisfacit suæ conscientiæ, si credit quod suus ordinarius, parochus, vel cõfessor sunt ita ignorantes, vt dubio eius nesciat satisfacere; sed si ipse bona fide coram Domino crederet, quod ipsi habent sufficientem scientiam, satisfaciet, etsi dubium suum ab alijs peritioribus non interroget, casu etiam quod reperiantur: quia nemo tenetur in dubijs suis doctiores consulere; sed sufficit cõsulere idoneos ad ea dissoluenda, maximè si superiores sint; quia pauci sunt eminentes reperti: & quamuis esset melius istos consulere, sed Deus ex præcepto non obligat ad melius bonum, licet circa illud consilium det; quia ipse contentus est bonitatis præceptæ; etiam si alia maior detur ex cõsilio ipsius.

4 AD QVARTAM respondeo, quod satisfaciet talé virum consulendo, si ipse bona fide credit esse talem, quem fama publica indicat: quia sufficiẽter satisfacit præcepto, quod habet circa dubia sua consulenda; & multæ circumstantię dari possunt, quibus ei non expediat suum ordinarium vel parochum in dubijs suis consulere.

5 AD QVINTAM respondeo, quod satisfaciet eligẽdo vnam ex dictis opinionibus, eam tamen eligendo, nõ quia gustui suo placet, sed quia ei conformior rationi videtur, vt in quæstione proponitur, propter rationem ibi allegatã; & quia non tenetur ex præcepto melius consilium mundi inuestigare, nec etiam doctiores illius prouinciæ consulere, sed sufficit consulere idoneum, secundum suum & communiter aliorũ iudicium.

6 AD SEXTAM respondeo, quod dupliciter potest respondere doctor consultus dubio alicui, in quo duæ sunt opiniones contrariæ, quarum vna est communis, & altera grauissimorum doctorum. Primo fatendo, quod vtra illarum potest iustè teneri. Secundo dicendo, quod iudicio suo vna earum est vera, alia verò non, etiam si sit communis. Si respondit primo modo, potest consulens, quam voluerit illarum sequi. Si autem respondit secundo modo, non potest sequi nisi eam, quam doctor consultus definit esse veram, si aliunde ipsi non constat contrarium: quia cum consilium petat ad illud sequendum, si aliud non inuenerit melius, non poterit suo iudicio opinionem, quam ipse iudicat falsam, tenere & sequi.

7 AD SEPTIMAM dico, quod si reuera dubitat talem actum esse mortalem, nec ne, non debet illum facere, donec ab illo dubio exeat: nã aliàs, vt ait S. Thomas anteponeret ac præferret amicitiam creaturæ amicitiæ creatoris. Dixi, *si re vera dubitat*, id est, si non inclinat magis ad credendum vnum, quàm aliud: nam si ex aliquibus rationibus inclinaret magis ad credendum esse bonum, quàm esse malum, poterit per illas scrupulum deponere, & quodlibet aliud dubium, & facere id, quod sibi bonum videbitur sine alia consultatione, defectu commoditatis ad consulendum.

8 AD OCTAVAM dico, quod vni eius parti satis responsum est in quæstione præcedenti. Et ad aliam respondeo, quod regula vera ad discernendum scrupulum à dubio, est, quod dubium est, quando intellectus non magis in vnam, quam in aliam partem inclinat, & scrupulus est argumentum, vel apparentia, quæ intellectui repræsentatur contra id quod scit, quod Latine vocatur scientia; vel contra id quod firmiter credit ita esse, quod Latine dicitur fides, aut credulitas: vel cõtra id quod ipse cogitat verum esse, etiam si id firmiter non credat, quod Latine dicitur opinio, vel contrà id quod intellectus nec tenet pro vero, nec pro falso, quod Latinè dicitur dubietas, vel dubitatio; sicut nos clarius, quàm alij, in multis locis diximus in nostro Manual.[a] & in cap. *nouit*.[b] inferendo, quod licet nulli horũ quatuor, scilicet scientiæ, fidei, opinioni, & dubio aliæ compatiantur, scrupulus tamen compatitur omnibus & singulis eorum, eo quod non est nisi argumentum vel apparentia, quæ contra illa quatuor potest haberi. Salua, &c.

a Cap. 27. nu. 279.
b De iudiciis in rub. nu. 43. & de pœn. di. 7. c. si quis autem. à n. 9. vsque ad 25.

SVMMARIVM.

1 *Confessarius pœnitentem, qui putat se sufficienter in præcedẽtibus confeßionibus confessum, non tenetur interrogare in specie, an confessus sit peccata secundum numerum, etiam si confessarius suspicetur seu putet illum numerum nõ expressisse; modo pœnitens nec dubitet circa hoc: nec exprimat se aliàs numerum non explicasse.*

## CONSILIVM XI.

CONFESSARII audientes rusticorum confessiones an teneantur interrogare eos, an de omnibus suis peccatis in præcedentibus confessionibus accusauerint se secundum numerum, etiam si credant in alijs suis confessionibus sufficienter fuisse confessos?

Et quid, quando ex probabili coniectura confessarius putat, quod rusticus nec confessus, nec interrogatus secundum numerum in præcedentibus confessionibus fuerit?

Et quid, quando pro certo confessarius ex discursu confessionis tenet dictum rusticum, nec interrogatum, nec confessum fuisse de numero?

1 Ad has tres quæstiones respondeo, quod mea sententia confessarius non tenetur interrogare confitentem, etiam si suspicetur eum non fuisse confessum numerum, modo putet se satis bene confessum fuisse; nisi confitens interrogaret, an debuisset id facere, vel aliqua de causa diceret se id non fecisse: quia id non videtur iure cautum, nec vlla efficaci ratione probari, & quia qui nimis emungit, elicit sanguinem.[a]

a Ca. deniq. d. 4. Prouerbiorum c. 30.

SVMMARIVM.

1 *Peccatorum mortalium numerum qui ob ignorantiam confessarij omisit rusticus, detecto errore tenetur non quidem confessiones reiterare, sed numerum verisimilem dictorum peccatorum denuo confiteri, & confessarius id ab eo exigere, etsi res sit dura.*

## CONSILIVM XII.

RVSTICVS, qui inter confitendum asserit se à suo parocho non solere, nec solitum esse interrogari de numero peccatorum, nec etiam de speciebus blasphemiæ, sed parochum ipsum contentum esse, si ipse pœnitens dicat, Ego blasphemaui Deum, & sanctos, omnibus vel pluribus modis, ac pluries.

Quæritur primo, an sit cogendus ad reiterandas confessiones, vel non?

Secundo, an in casibus prædictis, dato quod non sint pœnitentes cogendi ad reiterandas confessiones, saltem obligatus sit confessarius interrogare dictum pœnitentem, vt explicet quoties toto tempore vitę suæ sibi videatur blasphemasse Deum hoc & hoc modo, & quoties Sãctos hoc vel alio modo, & sic de aliis peccatis, quorum numerum ex prænarrata ignorantia numquam expressit. hoc tamen etiam durum admodum esset tam rustico pœnitenti, quàm confessario, qui in effectu cogerentur ad repetendas omnes confessiones.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo, non esse obligatum huiusmodi rusticum ad reiterandas huiusmodi confessiones bona fide factas, per ea, quæ tanguntur in propositione quæstionis.

AD SECVNDAM respondeo non solùm huiusmodi pœnitentem obligari ad confitendum, numerum verisimilem peccatorum, quem in alijs confessionibus non fuit confessus, sed etiam confessarium obligari ad dicendum ei, vt cõfiteatur verisimilem numerum peccatorum mortalium à se admissorum, quem antea non fuit confessus: quæ res certè dura est & pœnitenti, & confessario; tamen ita scriptum est, non solùm lege humana in c. *omnis*.[b] sed etiã diuina & Euangelica, ratione naturali confirmata à S. Thoma, & alijs, & etiã à nobis in Man.[c] & in cap. *consideret*.[d] & satis declaratum in Concilio Tridentino,[e] ibi.

*Omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cũ debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, quæ sunt contra duo vltima Decalogi præcepta, &c.*

b De pœn. & remiss.
c Ca. 6. n. 16.
d De pœn. d. 5. n. 5. & 41.
e Sess. 14. de sacramento pœnitentiæ canone 7.

SVMMARIVM.

1 *Absoluendus est ab omnibus, qui vnum vel alterum peccatum tantùm ob ignorantiam linguæ confiteri potest.*

2 *Confessor periclitantes in naui audiens, nisi integre confessos, non absoluat; nec vt alios posit audire, debet omittere interrogationes, quas facere de præcepto tenetur.*

## CONSILIVM XIII.

QVAESITVM fuit primo, an absoluẽdus sit ab omnibus peccatis Aethiops in Brasilica prouincia seruiens, qui solùm vnum, vel duo confitetur peccata, ita

vt à confessore intelligatur, & omnia vult & conatur confiteri, licet propter linguæ impedimentum non posit.

Secundo, an cõfessarius, periclitantiũ confessiones in naui audiens, licitè posit eos absoluere, interrogationibus debitis non præmisis, & fortè minus integrè confessos.

2 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respõdetur affirmatiuè quod Aethiops seruiens in prouincia Brasilica potest absolui sacramentaliter ab omnibus peccatis suis si solùm vnum vel alterum tantum confiteatur, ita vt intelligatur à confessario, & omnia velit confiteri, & conetur id facere, licet non posit proferre propter ignorantiam linguę, ita vt confessarius alia intelligere nequeat, per ea quæ tradimus de multis & aliis ignorantibus linguam confessariorum terrarũ in quibus degunt, in Man. confess.[a]

2 AD SECVNDAM respondetur primo, quod non licet sacerdoti audienti confesiones nautarum & vectorum periclitantium in naui fluctibus iactata, confitentes sibi peccata, priusquam perficiant confesiones, aut saltem confitẽantur omnia peccata mortifera sibi tunc occurrentia, absoluere, vt audiant etiam alios periclitantes. Tum quia confessarius est iudex, vt definit Concilium Tridentinum,[b] & iudex non debet ferre sententiam de rebus, quas minime nouit.[c] Tum quia confesio, quæ non est integra omnium peccatorum, non est legitima,[d] & confesio integra est vna triũ partium principalium ad sacramentum pœnitentiæ requisitarum sine quibus illud subsistere nequit. Tum quia faceret contra monita illius distichi:

*Qui binos lepores vna sectabitur hora,*
*Vno quandoque, & quandoque carebit vtroque.*

Secundo, quod neque debet omittere interrogationes, quas de pręcepto tenetur facere, vt breuius posit audire cõfesionem alterius, per easdem rationes supradictas: quamuis sic eas, ad quas faciendas de concilio tantum tenetur.

a Cap. 21. nu. 36.
b Cap. 6. sess. 14.
c Leg. de qua re. ff. de iudic.
d Cap. omnis. de pœnit. & remiss.

*SVMMARIVM.*

1 *Peccatum vnum in genere moris constituunt plures actus externi in vnum tendentes finem. sicut & actus peccatum ipsum principale antecedentes & sequentes. nu. 3. etiam quod ob aliquam notabilem interruptionem fierent plura peccata in genere moris. num. 5. & hoc quo ad obligationem confitendi numerum. num. 1. quia per confesionem principalis actus confessarius satis potest cognoscere pœnitentis statũ. nu. 4. contritio tamen debet se saltem virtualiter extendere ad omnes actus. nu. 4.*

2 *Vno impetu qui eũdem peccati actum reiterat, pluribus puta ictibus sacerdotem percutiendo, vnicam incurrit excommunicationem, & vnicum peccatũ committit, sicut & qui pluries idè replicat verbum iniuriosum. Quod si personæ, quibus iniuriatur, vel quas male concupiscit, vel facta ipsa seu verba iniuriosa sint distincta, peccata multiplicantur. num. 6. 7. 8. & 10.*

9 *Plures personæ consideratæ vt vnum corpus, pro vnica reputantur persona: vnde qui blasphemat sanctum Petrum, & omnes Apostolos, duas solum perpetrat blasphemias; & qui vnam domum vult comburere, vnum peccatum facit, & non tot, quot ibi sunt personæ.*

## CONSILIVM XIIII.

AD SOLVENDAS quæstiones, quas admodum R. in Christo Pater Rector Collegij pœnitentiariorum S. Petri, quod Patribus illustrisimæ Societatis IESV est commendatum proposuit, dicimus primo, quod plures actus exteriores tendentes in vnum peccatum principale, qui sunt diuersi in genere entis, censentur constituere vnum peccatum in genere moris, saltem quo ad effectum confitendi numerum peccatorum, non solum quando vnus est ad alium via, sed etiam quando quis vno impetu fertur in illos omnes.

2 Tum argum. cap *cum pro causa*,[e] quatenus probat, eum qui vno impetu pluries percutit clericum, semel tantum excommunicari. Tum argum. aliorum iurium, per quæ Ioannes And.[f] concludit, quemdam Anglicum qui tres ictus vno impetu intulit clerico, semel tantum excommunicatum fuisse. Tum quod ille vnicus impetus videtur inducere quãdam vnitatem in genere moris; & efficere, vt quadamtenus vnus eorum sit ad alium via, vel consequens; licet suapte natura in genere entis per se subsistat. Tum quod qui vnico impetu bis vel ter appellat, semel tantum appellare dicitur,[g]

e De sent. excom.
f In mercuria e leb... de reg. iur. lib. 6. col pen.
g Cap Lotharius. iuncta gloss. verb. appellauit. 31. q. 2.

A & qui bis vel ter eandem rem in testamento vel codicillis legauit, videtur semel legasse[a].

3 Secundo addimus, quod sicut actus præambuli ad principalem actum peccati non augent numerum peccatorum necessario confitendum, sic nec eadem ratione actus consequentes, vel subsequentes actum principalẽ peccati, quales videntur esse actus, quibus qui fecit aliquod peccatũ principale, postea gaudet inordinatè, lætatur, tristatur, dolet, vel loquitur de illo, vel accessorijs eius. Tum quod eadem videtur ratio, & sic idem est de vtrisque iudicandũ[b]. Tum quod qui furatus est infantem, qui apud eum adoleuit, vnum furtum fecisse dicitur.[c] Tum quod pauci, collatione aliorũ; B inueniuntur, qui post vindicatam iniuriam, post fornicationem in domo secura habitam, post furtũ & dolũ admissum, nõ velit, dicat, vel faciat aliqua inordinata gaudẽdo, comedẽdo, bibendo, ridendo, iuxta illud: *Et lætantur, cũ male fecerint.* attamen nemo dicat eorum omniũ numerũ esse nominatim confitendum. Tum quia totius Ecclesiæ Christianæ vsus videtur habere, quod sicut sufficit homicidæ confiteri se occidisse talem hominem, non confitendo numerũ voluntatum & aliorum actuum inordinatorum pręambulorum illius homicidij, sic sufficit confiteri illud, non confitendo numerum actuum consequentium, quibus id ei placuit, & monstrauit alijs verbis, vel factis, placuisse sibi: & quod sicut fornicãti sufficit confiteri principalem actum, non confitendo numerum C voluntatum, dictorum, & factorum præambulorum inordinatorum, ita sufficit confiteri principalem actum non confitendo numerum voluntatum, dictorum, & factorum inordinatorum consequentium.

4 Tum quod licet singuli præfatorum actuum sint per se ipsos peccata mortifera quo ad iudiciũ exactũ, & licet oporteat, vt contritio, per quam sunt remittenda, formaliter vel virtualiter perueniat ad omnia illa, quo tamen ad iudicium salutare pœnitentiæ, & vsus vitæ, quod debet facere confessarius, satis est, vt numerus eorũ sic patefiat ei, vt status pœnitentis satis pateat confessario ad iudicandum qualem ei debeat exhibere medicinam, vt æquè pulchreque declarauit Caietanus.[d] Cum ergo communiter post & ante actũ prin- D cipalem multa cogitata, dicta, & facta inordinata soleant haberi, satis constat confessario quo ad iudicium suum salutare ferendum status pœnitentis quo ad illam speciẽ peccati.

5 Ex quibus infertur primo, quod licet quando inter præambula, & consequentia, & actum principalem fit aliqua interruptio notabilis, illa sint peccata diuersa, etiam in genere moris, etiam ad effectum vt contritio formaliter vel virtualiter debeat peruenire ad illa, non tamen videntur diuersa quo ad effectum necessario confitendi numerum eorum, eo quod sine illa specificatione satis videtur constare status cõfitentis quo ad iudicium salutare sacerdotis.

6 Secundo infertur decisio primæ quæstionis, scilicet quod E qui eodem impetu dicit alteri quatuor vel quinque iniuriosa verba significãtia diuersas iniurias, puta quod sit fur falsarius hæreticus, censendus est peccare diuersa peccata. Tum quia non sunt antecedentia neque consequentia ad vnum principale peccatum, neque sunt vnum, vel vnius speciei peccatũ in quod quis vno impetu fertur, sed separata, & diuersæ speciei.

7 Tum quia licet quis vno impetu inferat vni clerico tres ictus, non est nisi semel excommunicatus: si autem vno impetu etiam vnico ictu ferit tres clericos, ter est excommunicatus, secundum Ioannem Andream.[e] Tum quia eadem ratione, qui vno impetu ferit, & blasphemat, & hæresim asserit, tria peccata committit cum numero necessario confitenda:[f] F qui verò dicit totidem verba iniuriosa significantia tantùm vnam iniuriam, vt quia appellat aliquem quater, vel quinquies furem, vel latronem, vnum tantùm peccatum admittit quo ad necessitatem confitendi numerum, instar bis vel ter vnico contextu appellantis.[g]

8 Tertio infertur decisio secũdæ quæstionis, scilicet, quod qui dicit alicui vnum verbum iniuriosum; & ille respondet, vnde prouocator replicat, & successiuè triplicat, eidem dicens tria verba iniuriosa, peccat tria peccata, si tres diuersas iniurias significãt, vnum autem solum, si tantum vnam.

9 Quarto, decisio tertiæ quæstionis, scilicet, quod qui imprecatur mortem alicui; & toti familiæ eius, duo tãtũ peccata committit, non tot, quot sunt personæ familiæ. Tum

a Le. cum q. §. fi. C. de leg.
b L. illud. ff. ad l. Aquil. c. dudum. 2. de elect.
c Le. inficiando. §. infans. ff. de furtis.
d In to. 1. tra. 5. quæst. 3.
e In d. mercur. col. fin.
f Arg. l. prætor. edixit. §. fin. ff. de iniu.
g Ca. Lotharius. iuncta gloss. verb. appellauit. 31. quæst. 2.

quod

quod tota familia pro vna persona ficta accipitur. [a] Tum quod familia licet significet multos, eos tamen collectiuè tamquam vnum corpus fictum significat. Tum quod qui vnam domum vult exurere, non videtur peccare tot peccata, quot partes habet, sed vnum: quia vnum corpus compositum ex multis vult exurere, [b] & qui vult furari vnam millladem ducatorum, vel vnum aceruum tritici, vnum peccatum videtur peccare. [c]

a Le.1.ff.si familia furt. fecisse dic.

b Arg.l. eum qui ff de vsucap.

c Arg.l. vulgaris ff de fu. & ca. vulgaris. de pœnit. dist.1.

Quinto, decisio quartæ quæstionis, scilicet quod qui blasphemando maledicit Petro, & duodecim Apostolis, duo peccata videtur admittere, eisdem rationibus.

10 Sexto, decisio quintæ quæstionis, scilicet quod sex peccata peccat, qui molliciei peccatum peccans inducit sibi in memoriam, vt magis delectetur, virginem, viduam, nuptam, cognatam, & sacram; quia sunt quinque peccata diuersarum specierum, cùm virtualiter quinque illis commisceatur, vel eis mortiferè delectetur, & nulla illorum sint antecedentia, vel consequentia aliorum.

*Aduertendum, has quæstiones dedisse occasionem auctori addendi ad Manuale cap.6.num.16. & 17. & successiue si quid in hoc responso desideratur, ad illum locum, vti posterius & magis expensum, recurrendum.*

SVMMARIVM.

1 *Virgo quæ reputatur cum esset corrupta, confitendo secundum peccatum carnis, non tenetur etiam interrogata fateri primum iam confessum.*

1 *Peccatum legitime confessum nemo tenetur vllo iure iterum confiteri.*

2 *Peccatum iam confessum non tantum tacere, sed negare potest pœnitens commisisse, intelligendo, ita vt teneatur illud confiteri.*

3 *Pœnitens confitendo iam confessa & occulta, infamando seipsum, saltem venialiter peccat.*

4 *Pœnitens non tenetur confiteri circumstantiam extenuantem peccatum.*

5 *Confiteri sufficit vltimam speciem peccati necessario confitendam, tacendo vltimam peccati necessario non confitendi.*

## CONSILIVM XV.

AN pœnitens, quæ putatur virgo, & tamen aliàs commisit peccatum molliciei, de quo fuit confessa, si deinde committat aliud peccatum carnis cum viro, teneatur respondere confessario interroganti an esset virgo, se antea fuisse corruptam? Si enim id non confitetur, nesciet confessor vltimam speciem peccati, an scilicet sit stuprum, vel simplex fornicatio; & sic non potest legitimam & conuenientem pœnitentiam imponere.

1 Respondeo, præfatam pœnitentem non teneri ad confitendum confessario interroganti eam, an maneret adhuc virgo, an esset corrupta, si corruptionem illam antea alij confessario legitimè confessa fuit. Tum quia nemo tenetur iure naturali, diuino, nec humano communi ad confitendum iterum peccatum, quod legitime fuit confessus, vt post alios late tradimus in Manual. confess. [d]

d Capit.9. in principio.

2 Tum quia potest talis pœnitens absque vllo peccato tacere illud stuprum, immo & negare se illud commisisse, intelligendo intra se, quod non fuit corrupta, ita vt teneatur illud confiteri, per ea, quæ nos firmissimis rationibus probamus in comment. cap. *humanæ aures.* [e]

e 22. quæst.5.

3 Tum quia confitendo illam corruptionem, si erat secreta, peccaret saltem venialiter infamando seipsam, per cap. *non sunt audiendi.* [f] & tradimus nos latè in d. Manual. confess. [g] Tum quia eiusmodi pœnitens tacendo, vel negando illud stuprum, non efficit, vt confessarius ignoret vltimam speciem peccati necessario confitendam, eo quod non fit ei notũ an corruptio illi⁹ sit virginitatis fractio, an simplex fornicatio.

f 11. quæst.3.

g Cap.18.nu. 27.

4 Tum quia pœnitens non tenetur circumstantiam confiteri extenuantem peccatum, vt tradimus in d. Manual. [h] imo sunt qui dicant id non licere, quamuis falso, vt diximus in cap. *consideret.* [i] Tum quia tacendo illam corruptionem, auget grauitatem aliorum peccatorum carnis: & secundum omnes licet tacere circumstantias minuentes culpas.

h Ca.6.nu.5.

i Nu.5. de pœnit. dist.5.

5 Tum denique quod sufficit confiteri vltimam speciem peccati necessario confitendam, tacendo speciem vltimam peccati, quod necessario non est confitendum, qualis est corruptio, de qua loquimur.

SVMMARIVM.

1 *Reuelare teneor ad præceptum superioris concedentis monitorium in forma, id quod aliquis mihi ita serio de se confessus fuit, vt putem ita esse: nisi pro habendo consilio, vel patrocinio, id mihi tamquam medico, aduocato, procuratori, vel patri spirituali detexisset: aliter incido in excommunicationem, à qua alius, nisi is cui fuit reseruata, non potest me absoluere. & num. 5.*

1 *Aduocati, medici, & quiuis consultores non tenentur ob monitoria publicata reuelare secreta sibi communicata.*

3 *Confitens tacendo illud, quod secundum suam conscientiam inducit nullitatem absolutionis, peccat.*

3 *Confitens, cui conscientia dictat, quod absolutio non valebit, peccat inducendo confessarium, vt eum absoluat.*

4 *Confessus non integre tenetur iterare confessionem: & si fiat cum eodem, satis est addere peccatum omissum.*

5 *Excommunicatus per monitorium generale iudicis, qui absolutionem sibi, vel superiori suo reseruauit, non à confessario, sed ab ipso iudice, vel de eius licentia est absoluendus.*

## CONSILIVM XVI.

EXCOMMVNICATVS per monitorium generale Vicarij Papę ob non restitutionem & reuelationem quorumdam bonorum, de quibus dubius erat an essent restituenda, licet potius inclinaret in partem affirmatiuam, in Paschate absolutus est à suo confessario, cui totam rem reuelauit, & alia peccata, excepto eo, quod iudicabat absolutionem sibi non prodesse, stimulante eum conscientia, quòd teneretur restituere. Quærit vero nunc.

Primo, an confessarius inciderit in excommunicationem ex eo, quia non paruit monitorio non reuelando.

Secundo, an confessio illa fuerit valida, quia confessus est excommunicato, nec confessus est circumstantiam illam stimuli conscientiæ.

Tertio, quod remedium superest, vt conscientiæ suæ satisfaciat bene confitendo.

Quarto, an iterum confitendo possit absolui sine licentia Vicarij, cum iam restituerit.

1 AD QVÆSTIONES propositas responsurus laudo primum curam, quam salutis suæ animæ habet D. consulens, eruditionem non vulgarem in propositione illarum significans. Ad primam autem quæstionem respondeo, quod de materia ipsius nemo, vt opinor, ita late scripsit, ac nos in repet. cap. *inter verba.* [a] & quod ibidem, [b] & in nostro Manual. confess. [c] determinamus, aduocatos, procuratores, consultores, & medicos non teneri ob similia monitoria ad reuelanda secreta, quæ sibi clientuli, ægroti, & alij consulentes reuelant. Et ita si D. consulens reuelauit illud secretum præfato patri spirituali, ad finem vt ei consuleret, quid facere deberet, non tenebatur ratione præfati monitorij ad reuelandum id, quod ab ipso D. consulente didicit, & consequenter non fuit excommunicatus.

a 11.q.3. cócl. 6. coroll. 65. à num.775.

b Num.799.

c Cap.25.nu 42.

2 Si autem alia ratione, quam consultationis, ei reuelauit illud serio, ita quod pater ille spiritualis deberet credere id esse verum, videtur incidisse in excommunicationem non reuelando iuxta superioris mandatum, per ea, quæ ibidem ipse tracto. [d]

d Nu.777. & seq.

3 AD SECVNDAM respondeo, quod D. consulens perdocte & subtiliter concludit confessionem illam non fuisse validam, etiam si pater ille spiritualis non incidisset in excommunicationem; quia inducendo illum ad audiendam confessionem, & confitendo illi contra suam conscientiam, peccauit, & aduertit se peccare; & non confessus fuit illud peccatum, quod tunc admittebat, &c. vt ipsemet pulchrè prosequitur.

4 AD TERTIAM respondeo, quod ipse debet reiterare illam confessionem: quod facile facere posset, si eidem patri spirituali denuo eam faceret, adiecto hoc peccato: præsupposito quod pater ille non incidisset in excommunicationem ratione præfata, vel certè iam esset absolutus ab ea; & præsupposito quod mediocrem memoriam peccatorum ante sibi confessorum haberet.

5 AD QVARTAM respondeo, quod cum Vicarius Papæ reseruauerit sibi & superiori suo absolutionem eius, qui incideret in excommunicationem sui monitorij, cumque consulens numquam restituerit, neque reuelauerit se

tenere bona præfata, non potuit absolui à confessario suo. Tum quia absolutio erat reseruata. Tum quia numquam paruit monitorio, & ita semper mansit excommunicatus, & non potest absolui nisi ab eo, vel de eius facultate.

*SVMMARIVM.*

1 *Papa reuocare potest indulgentias omnes à præcessoribus concessas.*
2 *Iustum, & decens differunt, nec de vno ad aliud infertur.*
3 *Papa statim creatus indulgentias, vt putat Viguerius, non reuocat, sed solum quasdam gratias, & indulta ad beneficia.*
4 *Indulgentias tantum plenarias ante concessas Papa reuocat in indictione Iobelæi.*
4 *Facultas absoluendi ab omnibus peccatis non est indulgentia, nec per bullam Iobelæi reuocata. & num. 5.*
6 *Cautela abundans nemini nocere debet.*
7 *Indulgentiæ quæstuariæ omnes reuocatæ.*
7 *Derogatoria cum clausula, vt contraria habeantur pro expressis de verbo ad verbum, omnibus derogat ex stylo curiæ.*

## CONSILIVM XVII.

LEO X. visitantibus ecclesiam Treuerensem, & peccata sua confitentibus concessit, vt ab omnibus peccatis, etiam reseruatis, absolui possent. Clemens VII. dictam ecclesiam deuote visitantibus, & ei aliqua sua bona distribuentibus certorum dierum indulgentiam concessit.

Quæritur, an gratiæ prædictæ sint derogatæ; vel ex eo, quòd, vt Viguerius,[a] dicit, Summus Pontifex à principio suę creationis reuocat indulgentias per prædecessores concessas; vel ex eo, quòd Clemens VII. anno Iobelæi reuocauit indulgentias à prædecessoribus concessas.

1 Ad difficultates præfatas respondeo primo, certum esse, quemlibet Pontificem Maximum pro sua summa, quam habet, potestate, posse reuocare omnes indulgentias concessas à suis prædecessoribus. Tum argumen. cap. *cuncta per mundum.*[b] & cap. *proposuit.*[c] Tum quia nullus prædecessorum suorum potest imponere ipsi legem, quæ suam potestatem tollat, vel minuat.[d]

2 Tum quia licet deceat, vt beneficia principum sint permansura,[e] non tamen est necesse, neque aufert illa decentia potestatem reuocandi ea, nec faceret reuocationem iniustam, licet nonnumquam faceret indecentem: quia iustum, & decens differunt, iuxta cap. *magna.*[f] quatenus habet decere Episcopum dicere, vel audire quotidie Missam, quem tamen ad id non teneri diximus post alios in Manual. confess.[g] & decet seruare omnia consilia Christi, non tamen est præceptum.[h]

Secundo, quod difficultas primo posita non tangit ius, nec potentiam reuocandi, sed tantum factum, an scilicet quilibet Papa ab initio suæ administrationis reuocet indulgentias à suis prædecessoribus concessas, quod dixit vir pius & eruditus vbi supra.

3 Tertiò, quòd præfatus Viguerius videtur dixisse id deceptus ab aliquo, qui putauit per regulas Cancellariæ, quas in crastinum suæ assumptionis renouat Papa, reuocare omnes gratias, & indulgentias, quas pręcessor fecit. quod tamen non est verum: nam licet regula decima, propterea quod habet verbum, *gratias*, & verbum, *indulta*, videri posset alicui dormitanti reuocare omnes indulgentias nondum lucrifactas, cum sint quædam gratiæ, & quædam indulta; nullatenus tamen id facit: quandoquidem solum reuocat gratias expectatiuas, & indulta beneficiaria concessa ad quærenda beneficia ecclesiastica, vel ad nominandum ad ea, vel conferendum illa; sicut & regula 11. reuocat vniones eorumdem beneficiorum nondum sortitas effectum. & nec regula 57. & duæ insequentes, quę tractant de indulgentijs, neque glossę illarum vllam de huiusmodi reuocatione mentionem faciunt, immo meminerunt indulgentiam perpetuam.

Quarto, quod est alia reuocatio, siue suspensio indulgentiarum, quam ille non meminit, quæque fit ante quemlibet annum Iobelæum: quæ an per illius lapsum reuocetur, vel an post eum Papa illam reuocet, disputaui olim ipse in comment. cap. *quis aliquando.*[i] & postea anno Iobelæi proximo in Vrbe, vbi typis excusus est iterum ille commentarius auctus tribus notabilibus, scilicet 32. 33. & 34. & in 32. continetur bulla indictionis anni Iobelæi facta à S. D. N. Gregorij XIII. cum glossis non omnino pœnitendis: & in 33. inseritur bulla suspensionis indulgentiarum factæ ob annum Iobelæum, cum glossis, in quarum vltima tractamus de reuocatione illius suspensionis, facta mentione de disputatione facta in d. notat. 28. Cuius, vt copiam legendi habeat D. consulens, idemque D. meus colendissimus, tradam cum hoc responso vnum exemplar compaginatum, sed nudum tegumento, ne nimis constet portatio.

4 Quinto, quod suspensiones præfatæ Gregorij XIII. & prædecessorum eius factæ ob Iobelæum, licet non sint reuocatæ expresse, nec tacitè, nihil tamen obsunt votis D. consulentis: quoniam, vt ego in glossa prædicta monstro, per illas solum fuerunt suspensæ indulgentiæ plenariæ: & dubium primum particulare, quod proponitur, non est de indulgentia plenaria, nec non plenaria, sed de facultate absoluendi à peccatis reseruatis Papæ alibi, quam in bulla Cœnæ Domini, quæ longè alia res est, quam indulgentia, vt in prędicto commentario.[a] Et secundum proponitur de reuocatione indulgentiæ non plenarię, sed tantum certorum dierum, & annorum, quam non fuisse vmquam per pręfatas suspensiones reuocatam, in pręfata glossa, & pręfato notab. 28. sine vllo scrupulo conclusimus.

5 Sexto, quod clausula, qua Clemens VII. derogauit eis, quę poterant suę concessioni obesse, nihil obest durationi, & perpetuitati pręfatarum graciarum, & indulgentiarum; immo prodest. Tum quia corroborat illam: & posita ad augendum, non debent operari diuersimode, neque è contrario.[b] Tum quia abundans cautela non nocet, per l. *testamentum.*[c] ex qua id ibi adnotat Baldus,[d] & concessiones pręfatę absque illa clausula valuissent, & fuissent perpetuę, ergo à fortiori cum illa.

Septimo, quod nihil obstat votis D. consulentis[e] Concilium Tridentinum, quatenus prohibet, ne occasione indulgentiarum detur facultas colligendi eleemosynas; si quidem non ex hoc gratias ante concessas derogat.

6 Octauo, quod licet non sit verum id, quod præfatus vir pius Viguerius dixit ab aliquo deceptus; est tamen verissimum, quod Pius V. per quamdam extrauagantem suam reuocauit omnes indulgentias, & peccatorum remissiones à se, & à suis prædecessoribus, & successoribus concessas, & in posterum concedendas quibuscumque personis, & pijs locis, pro quibus consequendis manus sunt porrigendæ adiutrices, & quæ quæstuandi facultatem quomodolibet continent; per quam arbitror esse reuocatam indulgentiam præfatam concessam à Clemente VII. visitantibus præfatam ecclesiam Treuerensem certis diebus, & distribuentibus ei aliqua sua bona secundum deuotionem; quoniam indulgentiam concedere distribuenti aliqua bona sua pro indulgentia consequenda, est indulgentiam concedere manus adiutrices porrigenti, & dare facultatem aliquo modo quæstuandi.

7 Nec obstat clausula derogatoria derogatoriarum apposita concessioni præfati Clementis VII. quia per clausulas derogatorias præfatæ extrauaganti Pij V. latissimè derogatur omnis clausulis derogatorijs, quæ alicubi possint inueniri, habendo illas prout de verbo ad verbum expressas: quæ secundum stylum curiæ sufficit, non obstante aliquorum doctorum opinione scribentium in cap. *accedentes.*[f] An autem omnes gratiæ præfati Clementis sint reuocatæ, an illæ solæ, quæ ad indulgentias pertinent, non potest satis securè responderi, nisi lecto tenore bullæ,[g] & quia ponderandum est, quæ illarum principaliter, vel æquè aut minus principaliter concessæ sint.

8 Nono dicendum, gratiam præfatam præfati Leonis X. si non continet alias clausulas, non esse reuocatam; quia per eam non conceditur indulgentia & remissio peccatorum, sed quædam dispensatio longè ab ea distans, vt palam in præfato notab. 28. traditur.

*SVMMARIVM.*

1 *Casuum reseruatorum relaxationem etsi concedat Papa per bullam Cruciatæ certa eleemosyna iuuantibus bellum, vel aliud iustum & pium opus; at inferiores id non possunt: quia hoc concedentes censerentur concedere spiritualia sub modo vel conditione dandi temporale; quod eis non licet, & à positiua simoniaca prauitate vix posset defendi: quæ in Papa*

cessat,

Marginalia (left column): a *De instit. Theologia ca. 16. §. 6.* — b *9. quæst. 3.* — c *De concess. preb.* — d *Cap. innotuit. de elect. l. penult. ff. de recept. arb.* — e *Cap. decet. cum similibus de reg. iuris. lib. 6.* — f *De voto. & notat. in c. fin. de priuileg. li. 6.* — g *Cap. 21. nu. 2.* — h *Cap. quisquis. 14. q. 1. §, si 4. d. glo. celeb. in ca. quis autem. 20. d.* — i *§. in Leuitic. de pœn. dist. 1. notab. 28.*

Marginalia (right column): a *Not. 20.* — b *Cap. fin. de verborũ signi. & l. rem legatam. ff. de optio. leg.* — c *C. de testã.* — d *Cum simil.* — e *Cap. vlt. de refor. sess. 21.* — f *De præscri. & in l quis ff. de legib. 3.* — g *Arg. l. inciuile. ff. de leg.*

*cessat, qui potest hæc licitè facere. num. 5.*

2 *Legislator etsi non subiiciatur suæ legi quo ad vim coactiuam, subiicitur tamen quo ad vim directiuam: vnde si ipse illam non seruet, vel cum alijs sine causa & delectu dispenset, peccat; licet actus teneat. & num. 4.*

3 *Iure communi quæ subditis competunt, si superior ea illis interdicat, & postea recepta pecunia concedat, peccat, vendendo quod gratis dandum est. & num. 4.*

5 *Spiritualia sub modo vel conditione etsi iustè possit Papa concedere, at secus est in inferioribus, qui id facientes etiam à simonia positiui iuris vix possent defendi.*

5 *Dari posse & debere à prouisis de beneficijs aliquid in adeptione possessionis conuertendum in pios vsus, quod non sapiat auaritiam, etsi ex causis maximis concedere soleat Papa, hæc tamen facultas ab Episcopis non solet vsurpari.*

6 *Ordinarij locorum, etiam si sint Cardinales, dum per suas bullas concedunt aliquas gratias spirituales, debent se restringere ad suos subditos, & num. 12. cum non sint vocati nisi in partem solicitudinis, num. 6. & cauere ne superuacanee concedant, quæ iure sine alia speciali concessione concessa sunt & licent, num. 7. & 15. vel ne per non satis circumscriptas concessiones dent occasionem errandi, num. 8, 10. 11. & 15. vel ne decipiantur subditi, nu. 9. vel ne immoderatas concedant indulgentias, num. 12. & 14. vel ne concedant quæ non possunt. num. 13. & 16.*

9 *Pœnitentias iniunctas ab vno confessario potest alter iure communi commutare. vnde frustra administrator episcopatus per suas bullas id concedit.*

10 *Votum castitatis ab vno ex coniugibus, altero inuito, emissum non potest ab Episcopo omnino relaxari: & quatenus est alteri præiudiciale, non tenet. vnde frustra administratores episcopatuum per suas bullas faciunt facultatem dispensandi super huiusmodi votis.*

13 *Archiepiscopus non potest largientes aliquid suæ ecclesiæ facere participes indulgentiarum concessarum benefacientibus alijs ecclesiis sui archiepiscopatus.*

15 *Matrimonium consummantes ante benedictionem, non incidunt in casum Episcopo reseruatum; cum sit etiam dubium an sit peccatum saltem mortale.*

16 *Patrinos vltra duos, videlicet vltra vnum & vnam accedere posse, concedere, est contrauenire canonibus, immo & sacro Concilio.*

16 *Interdictum suum etsi Episcopus possit tollere, vel suspendere; at vt eo durante, quis possit etiam ianuis clausis sacro interesse, non potest concedere.*

## CONSILIVM XVIII.

CIRCA bullas Hispaniæ quæritur, an aliquis Præsul inferior Papa iustè possit concedere gratias, siue bullas, per quas faciat facultatem absoluendi à casibus suis reseruatis eos, qui dederint singulos iulios in aliquod opus pium impendendos, & concedere indulgentias, & alias gratias, vt per bullarum clausulas patet.

1 Pro parte affirmatiua facit primo illud Euangelicum: *Estote & vos perfecti, sicut pater vester cælestis perfectus est.* [a] & illud Apostol. ad Ephes. *Imitatores Dei estote, sicut filij carissimi.* adiuncto illo, *A boue maiore discat arare minor.* [b] & quod Papa, qui omnium est maximus, & omnium maximè imitandus, concedit quotidie gratias (quas appellat vulgus Cruciatas) per quas concedit absolutionem casuum sibi reseruatorum, & alia spiritualia, adiuuantibus bella iusta, vel aliqua opera pia, quantitate aliqua pecuniæ.

a *Matth. 5.*
b *Ca. ea quæ, de re iud.*

2 Sed respondendum est primo, quod peccat ille, qui absque iusta causa id facit: quia legislator, etiam si sit monarcha, subditur suæ legi quo ad vim directiuam, iuxta illud: *Patere legem quam tuleris.* [c] & rubricam ff. *Quod quisque iuris in alium statuerit, ipse eodem iure vtatur.* translatam in cap. *hæc verba.* [d] & tradit vterque Thomas. [e] Et ideo non solum dispensando cum alijs absque iusta causa peccat, sed etiam ipsemet eam non seruando. [f]

Secundo, quod licet qui facit aliquam legem, vel succedit eam facienti, quidquid contra eam fecerit, siue dispensando, siue aliàs, valebit quidem, argu. cap. 1. [g] & cap. *venerabilibus.* [h] quatenus habet, absolutionem ab excommunicatione, etiam in iustam, si detur ab habente potestatem eam dandi, valere; peccat tamen eam non seruando sine causa, vt dictum est.

c *Ca. cum omnes. de const.*
d *De pœ. d. 1.*
e *1. 2. q. 95. ar. 4.*
f *Arg. c. iniustum. 9. dist.*
g *11. quæst. 3.*
h *§. vbi. de sẽ. excom. lib. 6.*

3 Tertio, quod peccaret Præsul inferior Papa, qui etiam iusta de causa concederet gratiam, vel bullam, seu dispensationem subdito, ad faciendum aliquid, quod iure communi ei competit, pro aliquo adiutorio temporali, iuxta illud Thren. [a] *Aquam nostram pecunia bibimus.* & iuxta illud, *Non est pecunia dandum, quod iure communi gratis debetur.* [b]

4 Quarto, quod ex his infertur, quemdam insignem Archipræsulem peccasse, concedendo contra suas constitutiones synodales peccatorum reseruatrices satis sine iusta causa & delectu facultatem absoluendi à casibus sibi reseruatis omnibus, qui singulos iulios in adiutorium cuiusdam belli iusti darent: peccasse item eumdem, concedendo facultatem absoluendi parochis suis in casibus, quibus iure communi ipsi absoluere poterant: quia non est pecunia dandum, quod iure communi gratis conceditur, vt supra dictum est, [c] nisi res controuersa esset inter doctores, an casus esset reseruatus, necne: quia tunc gratis, & cum discretione iustè concedi posset ad cautelam. [d]

5 Quinto, quod difficile potest à labe simoniæ saluari concessio facultatis absoluendi, quæ sanè spiritualis est, pro pretio vnius nummi argentei, seu regalis, quod est temporale. Tum quia neque beneficium, nec aliquod spirituale potest conferri alicui ea conditione, modo, vel pacto, vt aliquid temporale detur, [e] etiam pauperibus, vel fabricæ. casus est singularis in cap. *ex multis.* [f] quod magni facit Panormitanus [g] & alij alibi. Tum quia omnis pactio, modus, vel conditio, quę iure non inest, inducit in spiritualibus simoniam, saltem iuris positiui. [h] At concessio potestatis absoluendi est spiritualis; ergo non potest ea concedi lege, quæ iure non inest: quia illa, quæ tacitè inest, exprimi potest, [i] dummodo exprimatur eo solo modo, quo inest, vt post alios declarat Felinus, [k] & tradimus nos in nostro Manual. confess. [l] Dixi, *inferior Papa:* quia ipse suaque sancta Sedes Apostolica id consueuit facere, concedendo bullas Cruciatæ, ac alias similes, quibus solet facere huiusmodi facultatem erogantibus ad opus piũ Cruciatæ, vel alia similia certam quantitatem pecuniæ; & iure id potest facere. Tum quia Papa non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris, vt est in cap. *quanto.* [m] adeo quod glossa eius ait, *Non potest dici ei, cur ita facis?* Tum quia est supra omne ius positiuum. [n] Tum quia Papa licet non possit iuste committere simoniam iure naturali & diuino vetitam, qualis est vera emptio & venditio rei spiritualis, vt post alios tradimus nos in præfato Manual. [o] potest tamen committere iustè simoniam iure tantum humano inductam; qualis est admissio, vel commissio renũciationis beneficij spiritualis in fauorem cuiuspiam, vt latè post alios per Felinum, [p] vel si reseruetur id sub conditione, vel modo traditionis alius rei spiritualis, puta eleemosynæ; quod tamen non potest facere inferior Papa, per notata ab Innocentio Panormitano & alijs. [q] Qualis item est illa conuentio electorum, vel collatorum, qua promittit alter alteri dare suffragium, vel beneficium, vt alter alteri det simile; id quod post Raymundum rectè tradit Siluester, [r] quod iustificari non potest auctoritate ordinaria, licet sic Papali, vt etiam nos tradimus in præfato Manual. [s] quod in alio consilio limitatur: & consuetudo laudabilis inducere potest, vt à suscipientibus detur pro administratione sacramentorum aliquod temporale; & quod ad seruandam huiusmodi consuetudinem compelli possint ab Episcopo, iuxta cap. *ad Apostolicam.* [t] Immo etiam quæ per constitutiones & statuta ante Concilium Tridentinum nuperrimum dabantur ab Ecclesiasticis in prouisionibus, & admissionibus ad possessionem rerum prouisarum, possunt etiam iustè nunc accipi, modo conuertantur in vsus pios, & non sapiant auaritiam, vel simoniam, vt habet d. [v] Concilium Tridentinum, [x] per quod videtur correctum cap. *ex multis.* [y] disponens, ne darentur, etiam conuertendo in vsus pios. Et Papa ex maximis causis consueuit facere eiusmodi facultates; ordinarij verò numquam id ætate nostra fecerunt.

6 Sexto, descendendo ad clausulas bullarum administrantium ecclesiam cathedralem N. quæ dicuntur casuum reseruatorum. Videtur quod prima clausula concessionis bullæ Cardinalis Archiepiscopi N. nimium late concipitur, quatenus omnes fideles Christianos comprehendit; cum in partem solicitudinis sit vocatus, & non in plenitudinem potestatis, vt Papa: [z] licet enim omnibus sui Episcopatus possit

a *Cap. fin.*
b *Le. 2. & se. ff. de cond. ob turp. caus.*
c *3. dicto.*
d *Arg. c. solet. de sen excom. lib. 6. cum ei adnot.*
e *Ca. Iacobus de simon.*
f *1. quæst. 3.*
g *In d. c. Iacobus.*
h *Cap. quam pio. 1. q. 2. c. fi. de pact. c. audiuimus de præb. in c. adiuncta. glos. ver. liuere.*
i *Cap. significasti. de ele. & l. 1. ff. de leg. 1*
k *in c. ad audientiã. 2. de rescript.*
l *Ca. 23. n. 100.*
m *De transl. at. præl.*
n *Ca. proposuit. de conce. præb. l. princeps. ff. de ll.*
o *Cap. 23. nu. 108.*
p *In c. ad audientiam. de rescrip.*
q *In c. significatũ. de præb.*
r *Ver. simonia q. 13. ar. c. quã pio. 1. q. 2.*
s *Cap. 23. nu. 101.*
t *De simon.*
v *Cap. 4.*
x *Sess. 24. de refor.*
y *1. quæst. 3.*
z *Ca. ad honorem. de auct. & vsu pal.*

Episcopus facere huiusmodi facultatem, iuxta cap. 2. adiuncta glossa 1. [a] & glossa clem. 1. [b] quæ ambæ communiter recipiuntur; non tamen eam potest facere alijs, vt ipsæmet glossę sentiunt.

7 Septimo, quod clausula secunda, quatenus facit facultatem absoluendi eos, qui debent decimas, & alia incerta, præmissis prius his, quæ continentur in ea, videtur superflua: quia iure communi competit illa parti, & confessarijs, secundum communem sententiam, quam Panormitanus & Ioannes ab Anannia sequútur, [c] per illum textũ contra Hostiensem, [d] vbi etiam Felinus, [e] contra eum tenet, immo & Ioannes Andreas, [f] vbi in glossa illius adhæsit Hostiensis & nos quoque communem tenuimus in Manual. confess. [g]

Octauo, quod tertia clausula, quæ facit facultatem absoluendi blasphemos & iniurios in Deum & Sanctos, est superflua; nisi constitutiones dictæ ecclesiæ N. illum casum reseruent Episcopo; quod facere facile credimus: quia est casus solitus per Episcopos sibi reseruari, vt ait glossa, [h] licet quicquid illa dicat, iure communi non reseruatur: quia ca. 2. [i] quod ea in hoc allegat, non agit de pœnitentia fori puri interioris, sed mixti.

Nono, quod clausula quinta, quatenus significat omnia peccata fornicationis & contra naturam (de quorum numero est mollicies) esse reseruata Episcopo, sicut alia contenta in eadem clausula, non est vera iure communi, neque hactenus vidimus eam seruatam iure speciali.

8 Decimo, quod clausula decima videtur nimium generaliter concepta, quatenus facit facultatem absoluendi ab omni defectu in ordine suscipiendo commisso: quia videtur comprehendere etiam defectum sustantialem, ad quem non extenditur potestas episcopalis, iuxta cap. *presbyter.* [k] & cap. *diaconus.* & cap. *subdiaconus.* [k] & notata in cap. fin. [l]

9 Vndecimo, quod videtur populum fallere clausula duodecima, quæ potestatem commutandi pœnitentias facit; cum pœnitentiæ solemnes, de quibus in ca. *in capite ieiunij.* [m] non sint in vsu, & aliæ pœnitentiæ iniunctæ ab vno confessario iure communi possint commutari per alium, argumen. glossæ receptæ cap. *tempora pœnitudinis.* [n] quam nos quoque declarauimus in præd. Manual. [o]

Duodecimo, quod idem videtur dicendum de clausula decimatertia, quæ facit facultatem absoluendi percutientes casualiter parentes: quia videtur quod nullibi sit reseruatum.

10 Decimotertio, quod clausula quartadecima videtur nimium late concepta: quia concedit facultatem absoluendi coniugatum à voto castitatis inuita coniuge emisso. Episcopus enim non potest absoluere omnino à tali voto, sed solum quatenus est præiudiciale alteri coniugi; & quantum ad hoc nulla indiget absolutione, secundum communem sententiam, [p] quod etiam nos sequuti sumus in d. Manual. [q]

11 Decimoquarto, quod clausula quintadecima videtur nimis generaliter concepta, non distinguendo simoniam in ordine & beneficio ex vna parte, & simoniam in alijs rebus ex altera; nec distinguendo ignorantiam iuris ab ignorantia facti, nec ignorantiam probabilem ab ignorantia improbabili, contra extrauagantem 2. [r]

Decimoquinto, quod videtur etiam superflua clausula sextadecima; cum peccatum, quo mulier procurat, ne fiat prægnans, numquam videatur reseruatum.

12 Decimosexto, quod clausula vigesimasecunda videtur continere immoderatam indulgentiam, quatenus concedit centum dies indulgentiæ pro qualibet vice, qua quis dixerit, *Laudata sit Mater Dei.* quod est contra cap. *cum ex eo.* [s] quod solum permittit inferioribus indulgentiam quadraginta dierum. Et quamuis Cardinales habeant priuilegium concedendi centum; videtur tamen contra mentem Concilij, [t] quod pro tam parua causa tam facile iterabili concedatur tanta indulgentia. Offendit item illa clausula eo nomine, quod non se restringit ad subditos, immo generaliter & vniuersaliter eam concedit omnibus fidelibus Christianis eius casus recipientibus: quod est contra communem sententiam: [v] & S. Thomam & communem, [x] quatenus docent, neminem posse concedere indulgentiam, nisi subditis suis.

13 Decimoseptimo, quod clausula vigesimaseptima nimis latè concepta est, quatenus accipientes bullas facit participes omnium indulgentiarum concessarum à Romanis Pontificibus, Cardinalibus, Archiepiscopis, & Episcopis, omnibus benefactoribus totius Archiepiscopatus Ecclesiæ N. quia non poterat ipse ampliare indulgentias concessas benefactoribus omnium locorum illius diœcesis, ad benefacientes Ecclesiæ suæ cathedrali N. cuius vtilitati applicatur præfatus iulius soluendus per bullam præfatam in pretium, ob quod illa concedebatur. [a]

a De pœn. & remiss. lib. 6.
b Ver. presbyteri. de priuil.
c In cap. sicut dignum. de homic.
d In cap. cum sit. de Iudais.
e Col. fin.
f In c. 2. de pœnit. & remiss. lib. 6.
g Cap. 17. nu. 92. & seq.
h Ver. reseruatum. in d. c. 2. de pœ. & remiss lib. 6.
i De maled.
k 23. dist.
l De sacr. nõ iteran.
m 50. dist.
n 26. q. 7.
o Cap. 26. nu. 22. & 23.
p In 4. di. 38.
q Ca. 12. nu. 59. & 60.
r De simon. & §. notandũ 1. q. 4. & c. ignorantia. cũ ei adnot. de reg. iur. lib. 6.
s De pœn. & remiss.
t In d. c. cum ex eo.
v In ca. quod autem. de pœnit. & remiss.
x In 4. dis. 21.

14 Decimooctauo, quod clausula vigesimaoctaua nimiam videtur concedere indulgentiam, quatenus concedit centum dies pro quacumque vice, qua rogarit pro anima eius, pro quo bullam, seu gratiam accipit. Peccauit item eisdem rationibus, concedendo indulgentiam centum dierum pro qualibet vice roganti, ac dicenti eadem de causa vnum Aue Maria ante imaginem Virginis Matris.

Decimonono, quod idem dici potest de clausula vigesimanona, quatenus eamdem indulgentiam concedit omnibus dicentibus vnum Aue Maria ante imaginem Virginis Matris.

CIRCA bullam administrationis alterius Ecclesiæ: videtur primo, quod clausula prima nimium late concipiatur, quatenus comprehendit omnes fideles Christianos, vt supra dictum est circa bullam Cardinalis ecclesiæ N.

Secundo videtur, quod clausula secunda, quæ de absoluendo à peccato esus ouorum diebus pisculentis agit, adiuncto inuolucro verborum quæstoribus solito, multis male intelligentibus, visa est concedere indulgentiam comedendi oua, & lacticinia præfatis diebus, vt ex illa Ecclesia ad nos scribitur; quod facere non poterat.

Tertio, quod idem est dicendum de clausula tertia, quæ continet restitutionem incertorum, quod supra est dictum de clausula secunda bullæ Cardinalis.

Quarto, quod clausula quinta, quatenus agit de absoluendis eis, qui cum Sarracenis vel Iudæis comederunt panem eorum, vel interfuerunt eorum nuptiis, vel sepulturis, videtur concedere absolutionem fautorum hæreticorum: quia hodie in Hispania nulli sunt Sarraceni, neque Iudæi; immo si qui sunt ab illis prognati; & vtuntur ritibus eorum, sunt hæretici; & qui fauent eis in suis cæremonijs, videntur fautores hæreticorum.

Quinto, quod idem est dicendum de clausula sexta, quatenus agit de fornicatione, & peccato contra naturam, quod supra dictum est de clausula quinta Cardinalis.

Sexto, quod clausula duodecima de absoluendis clericis, qui non recitauerunt ob ægritudinem, necessitatem, vel libri defectum, videtur superflua; quia non tenentur.

15 Septimo, quod etiam est superflua quintadecima de absoluendis eis, qui consummarunt matrimonium ante benedictionem; quia nusquam videtur id reseruatum, immo est controuersia, an sit peccatum, saltem mortale. Caietanus enim tenet non esse, & S. Thomas, [b] quem nos sequimur etiam in nostro Manual. [c]

Octauo, quod idem est dicendum de clausula vigesimatertia, quæ agit de coniuge vouente castitatem, quod diximus supra de clausula decimatertia Cardinalis.

Nono, quod magis errat administrator in clausula vigesimaquarta, quatenus permittit absolutionem à simonia simpliciter, quam Cardinalis, qui in clausula decimaquinta facit eamdem facultatem absoluendi à simonia ignoranter commissa.

Decimo, quod videtur superflua clausula vigesimaquinta de muliere quærente modum, quo non concipiat, sicut etiam decimaquinta Cardinalis: quia id nusquam videtur esse reseruatum.

16 Vndecimo, quod clausula trigesimaprima, quæ facit facultatem accipiendi duos patrinos vltra permissos per constitutiones synodales, est contra cap. *non plures.* [d] quo non permittitur nisi vnus, & contra Concilium Tridentinum, [e] quod ad summum permittit vnum, vel vnum & vnam.

Duodecimo, quod clausula trigesimatertia continet facultatem, quam non poterat concedere ipse gubernator, videlicet, quod non obstante interdicto auctoritate ordinaria lato, capiens bullam, & filij famulique eius, ianuis clausis, audire possint diuina certis diebus: quia licet ipse posset tollere, vel suspendere interdictum in totum ad aliquod tempus: non poterat tamen dare priuilegium, vt aliquis, extante interdicto in suo vigore quo ad alios, ipse non seruaret illud: quia non poterat tollere legem superioris, [f] & lege Papæ, qui

est supe

a Arg. clem. quia contingit. de relig. dom. & l. legatam. ff. de admin. rer. ad ciuit. pert.
b De sacramen. matri. quæst. 4.
c Ca. 16. n. 38.
d De consecr. dist. 4.
e Sess. 24. c. 2. de refor. mat.
f Ca. inferior. 21. dist.

est superior lege ordinariorum, iubetur seruari interdictum etiam ab ordinario latum.[a]

Decimotertio, quod clausula trigesima sexta videtur nimium lata quo ad indulgentias Summorum Pontificum, vt dictum est supra de clausula trigesimaseptima Cardinalis.

a Ca. quod in te. de pœn. & remiss. ca. alma. de sen. ex com. lib. 6.

### SVMMARIVM.

1 *Absolutus à reseruatis vigore Iobelai, quod intendebat faciendo omnia requisita lucrari, licet postea omnia non adimpleat, remanet valide absolutus: quia absolutio datur simpliciter, & non sub conditione. num. 3. non tamen lucratur ipsam indulgentiam. num. 2. at si confiteretur animo non adimplendi reliqua, nec à non reseruatis esset absolutus. nu. 4.*

2 *Absolutus semel valide à peccato, nulla humana potestate cogi potest, vt illud iterum contra eius voluntatem confiteatur.*

3 *Confessarius electus per bullam Iobelai peccaret absoluendo sub conditione, si à Iobelæo requisita perfeceris. Vnde & credendum Papam mandare, vt simpliciter, & non vt sub conditione absoluat.*

## CONSILIVM XIX.

AN volens indulgentiam Iobelæam quærere, qui tenebatur ieiunare feria quarta, sexta, & sabbato, & communicare die Dominica, & intra hebdomadam confiteri omnia sua peccata, confessus die Lunæ præcedenti omnia peccata sua confessario electo virtute Iobelæi, qui absoluit eum ab omnibus casibus reseruatis virtute Iobelæi, idque fecit cum proposito firmo faciendi omnia requisita ad quærendam præfatam indulgentiam, & postea ieiunauit feria quarta, sed non curauit amplius ieiunare, nec orare vt tenebatur, & ita non quæsiuit Iobelæum.

Quæritur, an absolutio de reseruatis sibi facta valeat quo ad reseruata, ita quod non teneatur illa iterum confiteri.

1 Respondeo affirmatiuè. Primo quidem, quod qui semel confitetur legitime peccata sua, & absoluitur, non tenetur illa vmquam iterum confiteri iure naturali, nec diuino, nec canonico communi: immo nulla lege humana potest constitui, vt quis absque consensu suo obligetur ad confitendum bis idem peccatum, vt post D. Thomam,[b] & post alios,[c] alibi tradidimus,[d] & in Manual. confess.[e] At is, de quo quæritur, legitimè fuit semel confessus peccata reseruata, & legitime absolutus: ergo non tenetur iterum confiteri.

Secundo, quod si præfatus pœnitens fecisset omnia ad Iobelæum quærendum requisita, vel obiret mortem ante diem Dominicum, iudicaretur absolutus etiam quo ad reseruata, & non per aliam absolutionem; ergo illa absolutio fuit valida etiam quo ad reseruata.

b In quodlib. 1. art. 12.
c In 4. d. 6. & 17.
d Ca. fratres. n. 30. de pœni. d. 5. & c. fi. n. 11.
e Ca. 9. nu. 1.

2 Tertio, quod non obstat primum argumentum in oppositum formatum. Quia respondetur concedendo quidem, nullam indulgentiam quæri ei qui non facit omnia, quæ ad eam quærendam indulgens requirit; negando autem, quod in proposito agatur de quærenda indulgentia, sed solum de quodam ad eam quærendam requisito, scilicet de confessione, & absolutione, quæ antea fieri debet.

3 Item nec secundum: quia negamus intentionem fuisse Papæ, concedere confessarijs eligendis potestatem absoluendi sub conditione, si facerent omnia requisita ad quærendum Iobelæum, & non aliàs. Tum quia nihil tale habetur in bulla, immo per eam fit potestas absoluendi absolute. Tum quia nullum mandatum generale extenditur ad delicta,[f] at confessarius, qui absoluit sacramentaliter sub conditione rei futuræ, delinquit; quia absolutio esset incerta, vt post D. Antoninum tradimus nos pridem,[g] & postea in Manual.[h] ergo non fuit intentio suæ Sanctitatis, vt confessarij absoluerent conditionaliter.

4 Quarto, quod etiam non obstat, quod daretur occasio delinquendi, & fraudandi fructum Iobelæi illis qui nollent aliud, quam absolutionem à reseruatis: quia nos loquimur de illo, qui verè contritus, & cum proposito firmo quærendi illo Iobelæum, & faciendi omnia in id requisita, legitimè confitetur: & qui tali fraude vteretur, non esset legitimè confessus, nec absolutus à reseruatis, neque à non reseruatis: quia confessio sua non esset integra, eo quod peccatum illud fraudandi admissum taceret: sicut in simili tradimus in Manual.[i] de excommunicato, quod licet confessio ab eo facta, & absolutio ei data valeat, si ignorat vel non aduertit se esse excommunicatum, vel excommunicato non licere suscipere sacramentum; non tamen valent, si fiant ei hæc scienti, & aduertenti; quia non pœnitet, nec confitetur integrè: non enim pœnitet eum peccati, quod in hoc committit, nec confitetur illud.

f Le. procuratori. ff. de cōd. indeb ca. 1. de iureiur. lib. 6.
g Ca. 1. in principio. nu. 62. de pœ. dist. 6.
h Ca. 26. nu. 12.
i Ca. 9. nu. 4.

### SVMMARIVM.

1 *Pœnitentiarius cathedralis ex sola vi sui officij non absoluit à casibus Episcopo reseruatis.*

1 *Intellectus Concilij sess. 24. cap. 8. de reformat.*

## CONSILIVM XX.

AN Pœnitentiarius electus ad formam sacri Concilij,[a] possit absoluere à casibus reseruatis?

1 Respondeo, quod non, immo per præfatum canonem ipse Pœnitentiarius non potest absoluere à reseruatis, nisi aliunde ea sibi facultas fiat, cum ille nihil de hoc noue statuat; & à iure antiquo non est recedendum, nisi quatenus nouè id statuitur.[b]

a Sess. 24. c. 8. de reformat.
b Le. præcipimus. C. de appellat.

### SVMMARIVM.

1 *Mendicantes non possunt absoluere exterum ad ipsos venientem à casibus, quos Episcopus pœnitentis sibi reseruat, nisi habeant casus Episcopales loci, vbi audiunt confessiones.*

## CONSILIVM XXI.

AN mendicantes Romæ commorantes, vbi Pontificis vicarius nullos speciales casus episcopales sibi reseruare solet, possint absoluere extraneum venientem ad ipsos à casibus episcopalibus, quos ordinarius dicti pœnitentis sibi reseruauit, tenendo opinionem D. T. in Manual. confess.[c]

1 Respondeo, quod mea sententia non possunt. Tum quia secundum communem, quam contra Siluestrum in quæstione citata sequutus fui, nō possunt mendicantes præsentati iuxta clement. *dudum.*[d] absoluere à peccatis reseruatis Episcopo, cui sunt præsentati, nisi facultas fiat in id ab eo. ergo à fortiori non poterunt absoluere à peccatis extero Episcopo reseruatis. Tum quia magno labore ibidem sustineo, quod præfati præsentati habentes casus episcopales Episcoporum, quibus præsentantur, possunt absoluere à casibus episcopalibus alijs Episcopis reseruatis. Salua, &c.

c Cap. 27. nu. 263.
d De sepult.

### SVMMARIVM.

1 *Vicarius Episcopi non sacerdos habens potestatem super casus reseruatos, potest per se reseruationem remittere, vel alteri sacerdoti, vt absoluat, demandare.*

## CONSILIVM XXII.

EPISCOPVS dedit inter alia auctoritatem vicario suo generali absoluendi à casibus reseruatis. Et quia ipse vicarius non potest absoluere, cùm non sit sacerdos; dubitatur, an alij possit eamdem delegare.

1 Respōdetur, quod dicta facultas, siue auctoritas in hoc resoluitur, vt liceat vicario auferre, siue remittere dictas reseruationes: quę facultas siue reducatur ad similitudinē aliarum facultatum, quæ vicarijs conceduntur, cum eorum iurisdictio sit ordinaria,[e] siue reducatur ad delegatam, cum sit facta ad vniuersitatem causarum, non est dubium quod potest subdelegari, iuxta l. *more.* & ibi glossam,[f] & glossam quæ prima est,[g] & ita sæpe seruatum scio.

e Cap Romana. in princ. & ibi gloss. in verbo generaliter. de appellat. lib. 6.
f De iurisd. omnium indi cum.
g Le. à iudice C. de iudic.

### SVMMARIVM.

1 *Mortis in articulo constitutus potest ab omnibus etiam quantumcumque reseruatis peccatis & censuris absolui à quocumque simplici sacerdote, modo non adsit præsens proprius sacerdos: immo post sacrum Concil. Trident. etiam & eo præsente videtur quod possit absolui. num. 2. licet consulte faciat pœnitens, si proprio confiteatur parocho, qui præsens est. num. 3.*

4 *Obediendum superiori pacifice possidenti, etiam lite super proprietate pendente, eiusque sententia tenet & ligat.*

4 *Interdictus ab Episcopo non potest eo præsente, etiam in mortis articulo ab alio absolui.*

5 *Interdicto Capitulo, ac etiam denunciato, non ideo singuli censentur nominatim interdicti, vel nominatim denunciati. Vnde poterunt tales ab ijs, ad quos spectat, tradi ecclesia-*

*sticæ sepulturæ. & num. 6. verum tamen est, quod si post sepulturam denunciaretur interdictus & non absolutus, esset exhumandus num. 8.*

7 *Notorium quo ad effectum perdendi beneficium extrauagantis ad euitanda. non dicitur illud, quod potest aliqua tergiuersatione celari.*

8 *Interdictus, nisi prius citetur, denunciari nequit aliquis.*

9 *Interdictus etiam non declaratus, nec denunciatus, mandans sepeliri in ecclesia peccat mortaliter, nisi excusetur ex ignorantia, qua putabat se absolutum.*

## CONSILIVM XXIII.

AN possit quis in mortis articulo absolui à quocumque sacerdote, proprio etiam præsente?

1 Communis conclusio est, quod existens in mortis articulo potest absolui à peccatis, & à censuris, etiam reseruatis, à quocumque sacerdote simplici, argum. ca. *quem pœnitet.*[a] cap. *quod in dubijs,*[b] iuncto cap. *si quis suadente.*[c] & alijs similibus: sed clarius, quam alibi, nouissime tradit Concilium Tridentinum,[d] declaratum à nobis in Manual.[e] vbi tamen insinuamus intelligendum esse, quando non est præsens superior, vel proprius sacerdos, secundum Innocentium,[f] vbi tenet, quod absoluendus à Papa ob percussionem clerici, possit absolui à quocumque sacerdote, si aliquo impedimento corporali, vel alio impediatur ire ad ipsum, requisito tamen prius Episcopo, si haberi potest. sequitur Siluester,[g] & Sotus.[h] Cessat enim eo casu necessitas recurrendi ad alienum, vel simplicem sacerdotem, dum præsens est proprius sacerdos, vel superior.[i]

2 Nunc vero, altius re inspecta, videntur contra istam limitationem facere verba præfati Concil. Tridentini scilicet, *in articulo mortis nullam esse reseruationem*, & paulo inferius, *quod omnes,* &c. Moueor etiam, quod nullus classicus auctor posuit hanc limitationem vsque ad Siluestrum, qui obscurè loquitur; Innocentius verò non loquitur de articulo mortis, sed de alijs impedimentis non tam priuilegiatis: & verba Concilij Tridentini non solum sunt generalia, sed etiam vniuersalia, ibi, *omnes sacerdotes,* & ibi, *quoscumque pœnitentes.* & ibi, *quibusuis peccatis.* & ita generaliter & vniuersaliter sunt intelligenda.[k]

3 Propter quæ puto conclusionem prædictam tenendam esse sine præfata limitatione post Concilium Tridentinum, quod determinat, quod in articulo mortis nulla est reseruatio: quæ conclusio fauorabilis est animarum saluti: quamuis crederem consultè facturum, qui præsente suo parocho, vel superiore, faciat se potius ab eo absolui, quàm ab alijs.

4 Quid autem, si est in articulo mortis interdictus ab Episcopo, qui prætenditur ab eo esse incompetens iudex, & pendet lis super proprietate, & non super possessione? & videtur idem dicendum de tali Episcopo, ac de illo, qui iurisdictionem habet pacificam: quia obediendum est superiori possidenti, donec lis pendet super proprietate,[l] & ideo si moriatur absolutus à simplici sacerdote, non requisito Episcopo, qui præsens erat, non est bene absolutus.

5 An autem interdicto Capitulo potuit in sacro sepeliri canonicus, qui est vnus de Capitulo, ab hæredibus, vel cognatis, vel amicis? arbitror quod sic. Tum quia qui non est nominatim interdictus, iustè potest sepeliri vt habet glossa notabilis,[m] & ibi textus.[n] Tum quia per extrauagantem *ad euitanda scandala.* Martini V. nemo tenetur euitare excommunicatos, nec interdictos, nisi fuerint denunciati. At hic, super quo consultatio vertitur, nec fuerat denunciatus, nec nominatim interdictus: quia aliud est Capitulum, aliud singuli de Capitulo.[o] Vnde licet denunciatum sit Capitulum pro interdicto, non tamen sunt denunciati singuli de Capitulo.

6 Non obstat dicere, quod interdicto Capitulo, sunt interdicti singuli de Capitulo, vt in cap. *Romana.*[p] iuncta glossa,[q] & interdicto populo, censentur interdicti singuli de populo, & interdicto clero singuli de clero,[r] quia non propterea singuli de populo vel clero censentur denunciati, vel nominatim interdicti.

7 Non etiam obstat, quod aliquando tenuerim in cap. 1.[s] declarando præfatam extrauagantem, quòd exceptio illius in fine posita, qua excipitur excommunicatus ita notorie, vt nulla tergiuersatione possit celari ob manuum iniectionem in clericum, extenditur ad omnes alios notoriè excommunicatos, & etiam ad interdictos, & suspensos notoriè, ad hoc, vt ante denunciationem euitari debeant: quoniam iste non erat ita notoriè interdictus, etiamsi notorium esset Capitulum esse interdictum; quia potuit esse absolutus particulariter, & potuit esse priuilegiatus, ne interdici posset ab ordinario, vel ne sub generali personarum vel Capitulorum interdicto comprehenditur; maximè quia illa qualis qualis absolutio, & illa litis pendentia efficiunt, ne res adeo esset notoria, vt nulla tergiuersatione posset celari, prout requirit finis prædictæ extrauagantis & adeo notorietas ista tergiuersatione aliqua celari potest, vt cuilibet prætorio negotium faciat.

8 Non etiam obstat, quod facile dictus canonicus potest denunciari interdictus, & minimè absolutus: quoniam hoc non potest fieri sine partis citatione,[a] & nec cum illa, nec sine illa est facilis denunciatio; quod si fieret, postquam facta esset, posset exhumari sepultus,[d] sicut illicitum fuisset eum sepelire, si antea denunciatio facta fuisset.

9 Non etiam obstat dicere, quod præfatus canonicus peccauit coram Deo, iubendo quod in sacro sepeliretur: quia potuit excusari per ignorantiam inductam ex absolutione præfata, iuncta vulgari conclusione, quæ habet posse simplicem sacerdotem absoluere ab omnibus censuris in articulo mortis, vt tenet glossa,[c] quæ dixit etiam laicum id facere posse: & limitatio supradicta, quod intelligatur in absentia superioris, numquam, vel raro inuenitur per aliquem textum expressa. Denique licet ille canonicus malè iussisset, potuit tamen ab hæredibus, cognatis, & alijs bene sepeliri: quia diuersa est in eis ratio. argumento præfatæ extrauagantis quatenus habet, per eam multum faueri, consuli, & prouideri communicantibus ijs, qui sunt ligati censuris, nihil autem ipsis ligatis, &c.

*Aduertendum, quia refertur, quod Congregatio Concilij censuit, sacerdotem alioqui idoneum, non tamen ad audiendum confessiones approbatum, iuxta cap. 15. sess. 23. non posse valide à peccatis mortalibus absoluere pœnitentem in articulo mortis constitutum, vbi citra moræ periculum haberi potest copia sacerdotis approbati; & longè id minus, si ipsemet parochus præsens id prohibeat, paratusque sit infirmi confessionem audire, nec vlla subsit causa parochum ipsum recusandi.*

### SVMMARIVM.

1 *Casus reseruatos Episcopo non ideo parochus potest absoluere, quod credat fore nociturum pœnitenti, si illum ad Episcopum remittat; nisi fortè adesset talis circumstantia, quæ præberet potestatem inferiori contra legem superioris eundi.*

2 *Parocho non competit regulariter potestas iudicandi, an hic vel ille casus reseruatus Episcopo, sit, vel non sit ei remittendus.*

## CONSILIVM XXIIII.

PAROCHVS potest absoluere parochianum, à casu reseruato ab Episcopo sibi, si credit fore malum & nociuum pœnitēti remittere illum ad superiorem, vt dicit Angelus,[d] allegando Panormitanum,[e] vbi nihil tale dicit.

1 Sed contrarium videtur verum. Tum quod Panormitanus non dicit illud. Tum quod,[f] Concilium Tridentinum nihil prodest; nec nocet ei, si satis expendatur. Tum quod nullo iure id probatur: quia licet parochus habeat iurisdictionem spiritualem in pœnitentem quo ad omnia, non tamen quo ad absoluendum eum à reseruatis, vt præfatum Concilium probat. Tum quod regulariter parochus non est iudex ad cognoscendum de absolutione casus reseruati, an debeat mitti ad Episcopum, an non: quamuis posset occurrere aliquis casus tot circumstantijs vestitus, vt id liceret, iuxta dictum Innocentij,[g] quatenus ait Episcopos, & alios iudices ex magna causa posse contrauenire constitutioni etiam Papæ; quem refert & sequitur ibidem Felinus.[h]

### SVMMARIVM.

1 *Pœnitentiam impositam à superiore in absolutione à peccato reseruato; etsi inferior, adueniente necessitate, vel vtilitate ob præsūptam mentem superioris commutare posit; secus tamen est quo ad pœnitentiam impositam in commutatione voti vel dispensatione. num. 2.*

---

a De pœ. d. 1.
b De sententia excommunic.
c 17. quæs. 4.
d Sess. 14. de sacramē. pœ. cap. 7.
e Cap. 27. nu. 272. & meliꝰ in c. 26. n. 26.
f In c. 1. de sententia excom prope finem.
g Verbo confessor. 3. qu. 6.
h In 4. d. 18. q. 4. artic. 4.
i Arg. c. cum cessante. de appellat.
k Leg. de pretio. ff. de publici. in rem act. cum similib.
l Ca. 1. vt lite pen. c. cum nō liceat. de præ. c. nonne. 8. q. 4.
m In clem. 1. verbo nominatim.
n De sepult.
o Ca. eam te de rescri. vbi late Felin. co. 11. vers. aliud capitulum.
p §. vniuersi-tatem.
q De sententia excom. lib. 6.
r Ca. si sententia. de sent. ex com. lib. 6.
s §. laboret. de pœ. d. 6. n. 27.

a Gloss. in cle. 1. verbo consliterit. de censib.
b Ar. c. sane. 1. & c. sane 2. 24. q. 2. & c. sacris. de sepult.
c In ca. nobis. 2. de sētentia excommun.
d In summa, verbo casus in fine.
e In c. quod dilecto. de cōsā.
f Capit. 7. de casuum reserua. sess. 14.
g In c. 1. de cō stit.
h Num. 49.

## CONSILIVM XXVI.

GLOSSA solemnis [a] habet Episcopum posse iusta de causa mutare pœnitentiam à Papa impositam, quod probat illud cap. quatenus habet posse Episcopum minuere pœnitentiam per legem Papæ impositam, arbitrando id conuenire pœnitenti. Contra quod facit dictum Cardinalis Sancti Sixti, [a] quatenus ait inferioré non posse minuere pœnitentiam impositam à superiore pro peccato sibi reseruato. pro quod facit quod aliqui frustranea esset reseruatio, cum absolutus post habitam absolutionem posset statim adire aliquem inferiorem, qui minueret pœnitentiam, confitédo iterum ei. Fatetur tamē ipse Cardinalis quod ob necessitatem, vel vtilitatem posset id facere inferior: quia pium est credere superiorem tacitè voluisse committere absolutionem inferiori, quando talis necessitas, vel vtilitas occurreret.

2 Sed nullo iure hoc ipse probat, & aliud videtur dicendum de pœnitentia imposita à superiore pro absolutione à peccato reseruato, & aliud de onere imposito à superiore per viam commutationis, vel dispensationis voti, in quo procedere videtur dictum Cardinalis, & quod præfata glossa loquitur in pœnitentia iniuncta pro absolutione. pro quo facit quod dicimus in Man. confess. [c] scilicet quod confessio non est iteranda ob defectum implementi pœnitentiæ.

a In c. tempora.26.q.7. su per verbo iudicio.

b In d.c.tempora.num.4.

c Ca.9.n.17.

### SVMMARIVM.

1 *Confessor secundus per Cruciatam electus potest ex causa, quæ iusta videatur, pœnitentiam à primo impositam mutare, nō auditis peccatis, pro quibus imposita est.*

## CONSILIVM XXVI.

AN secundus confessarius per bullam Cruciatæ electus posit commutare pœnitentiam impositam à primo, nō auditis peccatis, pro quibus imposita fuit?

1 Respondetur, quod sic, iuxta glossam iuris optimam [d]. cui aliquas similes allegat Decius [e], & hoc tenet simpliciter Ludouicus Romanus per illā gl. & *l. si hominē.* [f] cuius apostillator allegat multos idem tenentes. Quod tamen videtur limitādum, vt procedat concurrente iusta causa id faciendi. & non aliàs, vt satis resoluit præfatus Decius vbi suprà, quem ea ratione sequor, quod minor non potest dispensare super lege maioris, nisi iusta causa interueniat; etiam si Papa concesserit potestatem dispensandi: quia dispensatio legis superioris requirit causam, iuxta textum adiuncta glo. [f] & addita à nobis in Manu. confess [g]. Non autem arbitror cognitionem peccatorum confessorum primo confessario esse necessariam, sed satis est cognitio causæ, quæ ad pœnitentiam commutadam iusta videatur; nec requiritur probatio quo ad forum conscientiæ, licet quo ad forum exterius. Salua quæ iustior fuerit sententia.

d In c. tempora.26.qua.7.
e In c. at si clerici.§. de adulterijs col. 3. de iudic.
e ff. mand. in sing.460.

f In §. nisi rigor.1.quæst.7.
g Pra.9.n.15.

### SVMMARIVM.

1 *Confessarius ad impediendum peccatum, quod perpetratur in aliquo monasterio, tacitis nominibus; potest Prælato dicere, Caueas, quia in tuo monasterio sic peccatur.*

## CONSILIVM XXVII.

MVLIER tacito nomine monachorum conuentus, in quem veste virili religiosa introducta ad malos fines fuerat, confessa fuit cuidam confessario, qui admonuit prælatum illius cōuentus præfatum modum peccandi, vt illi obuiaret, & ille prefata dixit suo conuentui, confitentis & confessarij nomine tacito. Queritur, an in hoc fuerit peccatum aliquod admissum.

1 Respondetur primo, quod illa mulier discretè tacuit nomina monachorum conuentus, in quē introducta fuit veste religiosa virili obducta & induta.

Secundo, quòd præfatus confessarius non peccauit, immo bonum opus fecit, monendo præfatum prælatum illum peccandi modum in suo monasterio consuetum, vt obuiaret illi: quia, vt diximus, [h] confessarius potest, immo debet impedire, ne peccatum sibi confessum iterum committatur, sine reuelatione tamen confitentis: & præfatus confessor ita fecit: quia non reuelauit personam confitentis, & procurauit ne peccatum sibi confessum iterum vel pluries in illo monasterio committeretur.

h In c. sacerdos. de pœ. di. 6. num.124.

A Tertio, quod nec prelatus, qui præfata dixit suo conuentui ad impediendam iterationem tam fœdi peccati, vllatenus peccauit, immo bonum opus operatus fuit dicendo illa secreto sine præfatæ mulieris & præfati confessarij reuelatione, & ita de bono opere nō debet lapidari, iuxta illud [a]. Salua, &c.

a Ioan. ca.10.

### SVMMARIVM.

1 *Pœnitentiarius maior presbytericidæ priuationem feudi, iurisve patronatus, publicamue pœnitentiam imponere nequit, nec filijs eius inhabilitatem ad beneficia. num.2.*

3 *Confessor pro occulto crimine publicam pœnitentiā imponens deponendus.*

B 3 *Cōfessor sicut de cōsensu pœnitentis, iusta subsistēte causa, potest confessionem reuelare, sic & publicam pœnitentiam imponere; quamuis in peccato occulto vix posit subesse iusta, causa id faciendi.*

## CONSILIVM XXVIII.

AN clausula, qua Pœnitentiarius maior solebat olim absoluere presbytericidas, videlicet, quod per quinque ecclesias nudus solis femoralibus indutus cum virgis accedat, ipseque, & eius heredes sint perpetuo priuati feudo, & iure patronatus, si quæ Ecclesia habet, nec non ipse, & eius liberi vsque ad quartam generationem sint inhabiles, sit iuri C consona?

Dico primo, illam secum pugnare quatenus continet, vt presbytericida sic absoluatur, vt crimen eius nō detegatur, & postea, vt ipsemet factis & verbis confiteatur crimen suum.

Secundo, quod nullo canone pœnitentiali ponitur huiusmodi pœnitentia presbytericidæ: canon enim pœnitentialis super hoc crimen, qui ponitur in cap.2. [b] solum habet, vt pœniteat 12. annis, & quod non contrahat matrimonium, & à militia deponatur.

b De pœn. & remiss.

Tertio, quod nullo canone imponitur ei pœna ipso iure perditionis iuris patronatus Ecclesiæ, vel feudi, vel aliorum bonorum; & quod licet summi Pœnitentiarij potestas sit maxima, tamen est ordinaria, & inferior Papali; & ita iure cōD muni non extenditur illa ad imponendam tam grandem pœnam, quæ non potest imponi, nisi expresso iure caueatur, iuxta glossam singularem & receptam. [c]

c Qua penul. est c si. de iure patr.

2 Quarto, quod longe minus potest summus pœnitentiarius imponere pœnam inhabilitatis ad beneficia ecclesiastica liberis huiusmodi presbytericidę, cum etiam propter crimen heręseos non imponatur illa pœna nisi filijs, vsque ad secundam generationem per lineam masculinam.

3 Quinto, quod qui confessarius huiusmodi pœnitentiam imponeret alicui presbytericidæ sibi confesso, dignus esset depositione & in carcerem perpetuum inclusione, per cap. *sacerdos* [d] & cap. *omnis* [e].

d De pœ.d.6.
e De pœn. & remiss.

E Sexto, quod confessarius, qui huiusmodi pœnitentiam imponeret, deberet legere d. cap. *omnis.* ibi, *caueat autem:* quamuis de consensu eius iusta de causa præstito, sicut posset reuelare confessionem secundū S. Thomam communiter receptum contra Scotum, Ioannē Maiorem & sequaces eorum, posset etiam pœnitentiam prædictam imponere: quam tamen iustam causam in crimine occulto numquam aut raro arbitror inuentum iri.

*Aduertendum primo, quod hoc responsum videtur intelligendū de presbytericida omnino occulto. Secundo aduertendum, quod etiā hodie, vt refertur, Pœnitentiariæ officium quando dat literas pro publico presbytericida, apponit adhuc dictas pœnas, quas tamē ita restringit, videlicet, quod si vbi nūc reperitur delinquens, eius F delictum sit occultum, dicta publica pœnitentia non imponatur, sed ab eo exigatur iuramentum, quod quam primum venire poterit ad locum perpetrati delicti, illam exequetur: secundam autem pœnam de amissione feudi & iuri patronatus restringit ad illa quæ obtinebat in Ecclesia, cui presbyter seruiebat. quo ad tertium de inhabilitate descendentium ad beneficia, absolutè dicit quod eius liberi sint inhabiles ad beneficia, nisi cūm eis per Sedem Apostolicam dispensetur. has autem vltimas duas pœnas non tam per modum pœnæ imponendæ, quam per modum declarationis dictarum pœnarum ipso iure incursarum iniungit. fuitque hæc formula obseruata post hoc responsum auctoris, qui erat consultor Theologus dicti officij, & potest pro ea adduci cap. in quibusquam. de pœnis, & à simili cap. felicis. de pœnis in 6.*

SVMMARIVM.

1 *Compositio, quæ pro gratia reformatoria in vtroque foro obtinenda exigeretur, non potest exigi, si eadem gratia in foro tantum conscientiæ impetretur. num. 3.*

2 *Stultus etsi melioris conditionis esse non debeat, quam sapiens, per accidens tamen & mediate quandoque aliter se res habet. num. 5.*

3 *Pœnitentiaria omnia gratis sine vlla exactione concedere, & expedire tenetur. & sequen.*

6 *Impedito, seu suspenso propter suã culpã, non currit præscriptio.*

## CONSILIVM XXIX.

AN quando gratia à Papa in vtroque foro obtenta ad contrahendum matrimonium in aliquo gradu prohibito, propter occultam surreptionẽ efficitur inualida, & impetrantes in Dataria solent compositionem soluere, Pœnitentiarius maior ad dictam compositionem soluendam cogere, si desuper dispenset, valeat?

1 Pro parte affirmante facit primo, quod impetrans aliquod beneficium, expresso minore valore, si postea impetret aliã gratiam, quę appellatur, perinde valere, expresso vero & maiori pretio, cogetur soluere partem annatę, quam non fuit coactus soluere propter expressionem minoris valoris.

2 Secundo facit, quod non debet esse melioris conditionis stultus, quam sapiens.[a] At prudens, & verax, qui expressisset huiusmodi copulam, soluisset compositionem: ergo & is debet soluere.

3 Pars autem negans est tenenda. Tum quia pœnitẽtiarius maior tenetur expedire vbique gratis, vt in eius facultatibus exprimitur. & non dicitur gratis expediri, cum aliquid exigitur per viam compositionis, secundum vsum loquẽdi Curiæ, & recte quidem: quia exigere ab inuito, est extorquere.[b] Tum quia Pœnitentiarius maior non solũ non potest quidquam exigere, sed neque sponte datum etiam pro munere accipere, vt in præscriptis facultatibus habetur. Tum quia ob nullam causam licet, vel licuit vmquam alicui mentiri,[c] & pręfatus Illustrissimus tenetur in literis suis testari, eas gratis vbique esse expeditas: & ita si teneretur cogere ad soluendum compositionem, cogeretur mentiri, quod est absurdum. Tum quia tam summo Pœnitentiario, quam alijs omnibus sui prætorij officiarijs indictum est onus seruandi tantum secretum, quantum confessarius debet de his, quæ ratione sacræ confessionis nouerit. At imponere onus componendi, esset reuelare saltem indirecte secreta sui prætorij: ergo non licet.[d] Tum quia nulla est causa, cur præfatam compositionem cogantur præfati soluere. Non quidem prior illa dispẽsatio, quæ ad vtrumque forum fuit data? quia illa fuit nulla, & ex nihilo nihil fit, iuxta Philosophum[e] & quod pro nihilo, siue sine causa datur, repetitur.[f] Non etiam posterior ad forũ conscientiæ tantum data; quia illa debet omnino gratis fieri, & causæ secretum seruari, vt præscriptum est.

4 Non obstat prius oppositum, quia arguitur à separatis, cõtra l. *Papinianus*,[g] & in quibus est diuersa ratio. nam in opposito agitur de reformatione gratiæ quo ad vtrũque forum, cui congruit exactio, & solutio; in casu autem nostro de reformatione gratiæ quo ad forum conscientiæ tantum, cui repugnat exactio, immo & solutio spontea.

5 Ad posterius oppositum respondetur primo; concedendo, quod stultus non debet esse melioris conditionis quàm sapiens; negando tamen, quod in hoc casu melioris conditionis fuerit stultus, id est surreptitiè impetrans, quàm sapiens, id est absque surreptione impetrans: quia immo fuit peioris; quia impetratio stultè, id est surreptitiè facta, non valuit; & sapienter, id est, sine surreptione facta valuisset.

6 Secundo respondeo, quod assumptum est verum solum quo ad ea, quæ immediatè procedunt ex illis, non autem quo ad ea quæ mediatè: nam semestre ad conferendum currit collatori non suspenso, & ita sapienti à die scitæ vacationis, non autem collator: suspenso, & ita stulto, iuxta ca. *quia diuersitatem*,[h] per quod maxime commendatum dixit Iason,[i] quod impedito propter culpam suam non currit præscriptio. cuius ratio est, quod illud priuilegium non nascitur immediatè ex culpa, sed mediatè ex suspentionis impedimento, quod nascitur ex culpa: & in casu proposito non agitur de ijs quæ immediatè sequuntur ex eo, quod factum est stultè, vel sapienter, vt palam est. Salua, &c.

a Ca. eũ qui. de præben. li. 6.
b Le. fidei cõmissa. §. si rẽ ff. de legat. tertio. & gloss. celebris c. exigit de censib. li. 6. ver. exigere.
c Ca. primũ. c. ne quis, 22. q. 2.
d Ar. c. sacerdos. de pœ. d. 5. & c. omnis. de pœ. & remiss. cum ei adnot.
e In 2. Phys.
f ff. de condic. sin. cau. l. 1. & vltim.
g ff. de mino.
h De concess. praben.
i In §. rursus. col. 6. de acti.

SVMMARIVM.

1 *Papa habet super omnes Christianos iurisdictionem immediatã à Deo quo ad omnia spiritualia.*

2 *Ius reseruandi casus non tollitur ab Episcopis, etiam si Papa cõcedat aliquibus alijs potestatem absoluendi à sic reseruatis in quibusdam casibus.*

3 *Presbyter omnis potest solo iure diuino attento absoluere quemlibet à quolibet peccato, non tamen iure humano.*

4 *Contrahere, & cõuentiones facere iure naturali omnibus licet, & tamen iure Cæsareo multi ad id inhabilitantur.*

5 *Iure naturali & diuino aliqua competunt multis, quæ tamen Pontificio quo ad spiritualia, & Cæsareo quo ad temporalia restringi & limitari possunt.*

6 *Glos. cap. omnis vtriusque sexus. de pœnit. & remiss. error, quod parochiani de iure diuino tenentur confiteri proprijs parochis.*

7 *Ius naturale & diuinum potest per rationem naturalem declarari & limitari, non tantum per legem à Papa latam quo ad spiritualia sed & Principis quo ad sæcularia, & etiã per consuetudinem rationabilem.*

## CONSILIVM XXX.

AN PAPA possit concedere facultatem absoluendi à casibus reseruatis ab Episcopis, eis inuitis, cum talis reseruatio videatur de iure diuino?

1 Non videtur satis tuta opinio cuiusdam viri eruditi, quã publicauit in tractatu suo de casibus Sedi Apostolicę reseruatis, sub finem; nempe quod confratres sanctissimæ Trinitatis, & alij Christi fideles non possunt absolui à casibus reseruatis Episcopis, eis inconsultis, auctoritate bullæ Gregorij XIII. per quam facit eis facultatem in hæc verba. *Et insuper ipsi confratres*, vsque, *iniungere*. Præfatus enim auctor fundat suam opinionem in eo quod Papa non potest tollere ius diuinum, & quod iure diuino est concessa potestas Episcopis reseruãdi sibi aliquos casus; quæ potestas videretur eis auferri, si virtute prædictæ concessionis possent pręfatis Christi fideles absolui à peccatis reseruatis Episcopis. Quæ tamen opinio non est vera, nec bene fundata.

Tum quod Papa habet super omnes Christianos iurisdictionem, iuxta extrauag. *vnam sanctam*,[a] & dictum Innocentij[b] ampliatum per Felinum,[c] & non solum qualem qualem, sed immediatam quo ad omnia spiritualia, vt colligitur ex S. Thoma recepto.[d] Et sicut habet illam immediatè super omnes, ita eam accepit immediate à Deo, & ideo nemo alius potest eam illi tollere, vel minuere[e].

2 Tum quia non satis cautè arguit tolli ab Episcopis ius reseruandi casus, eo quod Papa conferat facultatem absoluẽdi ab eis aliquibus alijs in aliquot casibus, vt in casu proposito: quia effectus arguit à sublatione partis ad sublationem totius, & sic à minori ad maius affirmatiuè, contra regulas dialecticorum, & Baldi.[f]

3 Tum quia etiam omnis presbyter, solo iure diuino attẽto, potest absoluere quemlibet à quolibet peccato, vt aliàs diximus, & efficaciter probauimus in cap. *placuit*.[g] Attamen plurimis id non licet iure humano Papę id vetante: nec sequitur ex hoc tolli eis potestatem illam diuinitus eis datam.

4 Tum quia iure diuino naturali licet pacisci, & contrahere,[h] nihilominus iure non solum Pontificio, sed etiam Regio vetantur multi ad paciscendum, & contrahendum; nec propterea tollitur ius naturale, & diuinum, sed tantum ex æquo & bono restringitur.

5 Tum quia omniũ vna est conclusio, multa iura iure naturali & diuino competentia multis restringi, & limitari posse à summo Ecclesiæ principe quo ad spiritualia, & à sæculari quo ad temporalia, tam per cap. *cum secundum*[i] & iuxta cap. *quod in dubiis*, & cap. *pœnæ*,[k] per interpretationem inter ius, & æquitatem interpositam, iuxta l. 1.[l] quã per pœnę impositionem, iuxta l. *quisquis*,[m] & ca. *cum secundum*:[n] quàm per iustam dispensationem, cap. *ex multa*, & toto tit. *de voto*, & cap. *quanto*, cum eis adnotatis,[o] quàm per rationem iustam naturalem, iuxta l. *Lucius*,[p] & l. *item si verb.*[q] & in l. *si venditor*,[r] & copiose tradunt Felinus & Decius, & alij moderni.[s] Et palam est in casu proposito solum ius Episcopi restringi,

a De maiori. & obed.
b In cap. 1. de const.
c à num. 4.
d In tract. de erroribus Græcorum q. 06. & seq. aliàs cap. 32.
e Cap. cuncta per mundum. & c. per principalem. 9. q. 3.
f In l. conuenticulam. C. de Episc. & cler.
g De pœn. di. 6. à num. 2.
h Le. 1. ff. de pactis.
i De har. li. 6.
k De pœnis.
l C. de legib.
m C. ad l. Iuliam maiest.
n De hæret. lib. 6.
o De iure iu ran.
p De euictio.
q ff. de rei vẽ.
r §. constat ff. commu præd.
s In d. c. quæ in ecclesiarũ.

a De pœnit. & remiss.

& limitari ex causa iusta, sancta, & honesta.

6 Tum quia glossa cap. *omnis vtriusque.* [a] damnatur ibi communiter, quatenus dicit confessum religiosis habentibus priuilegium audiendi confessiones à Papa, teneri ad confitendum iterum suis parochis, si absque ipsorum licentia confessi fuerint ipsis.

b De hæreticis.

Tum quia præfata opinio sapit hæresim Ioannis Poliaci damnatam per extrauagantem. *vas electionis.* [b] quatenus asseruit, quod stante statuto cap. *omnis vtriusque sexus.* non potest Papa facere, vt parochiani non teneantur confiteri proprio sacerdoti, seu parocho Ecclesiæ, & quod Papa non potest dare licentiam audiendi confessiones, quin confessus habenti eam teneatur eadem peccata iterum proprio parocho fateri.

c De sepult.

Tum quod destruit clem. *dudum.* [c] & omnia Iobelæa, & Cruciatas, & confessionalia, quibus fit facultas eligendi confessores, & consuetudinem generalem totius Ecclesiæ Christianæ, quæ contrariam eius opinionis sententiam vbique terrarum seruat.

d Ca. sũt quidam. 25. q. 1.

Tum denique quod facile diluitur argumentum eius: concedendo quidem Papam non posse tollere ius diuinum in totum, [d] concedendo item potestatem reseruandi sibi aliquos casus iure diuino Episcopis conuenire: negando tamen, quòd non possit Papa illam ex iusta causa limitare, & restringere aliquo prædictorum modorum: negando item, quod per limitationem & restrictionem in hoc casu factam tollatur Episcopis potestas reseruandi potestatem absoluendi sibi in aliquot casibus, per supradicta.

e In ca. fin. de consuet. nu. 3.

7 Quin & Panormitanus dicit, [e] secutus Innocentium receptum ab omnibus, quod per rationem naturalem potest declarari, & limitari ius naturale, & diuinum non solum per datam legem Papæ quo ad spiritualia, sed per legem alterius principis quo ad sæcularia, sed etiam per consuetudinem rationabilem, vt passim limitatur pręceptum de non occidendo, & de stando duorum vel trium testimonio.

### SVMMARIVM.

1 *Episcopus dispensandi facultate à Concilio sibi concessa cum alterius Episc. subditis vti non potest; at sequendo opinionem Federici de Senis, cum monacho exempti monasterij existentis in sua diœcesi potest.*

## CONSILIVM XXXI.

AN liceat Episcopo per facultatem à Concilio sibi concessam absoluere, & dispensare cum exemptis suæ diœcesis, & cum extraneis aliarum?

f §. penult. de electio. lib. 6.
g §. toties. ff. de dam. infec.
h In c. nonnulli. cap. 31. de rescrip.
i Consil. 14.

1 Respondeo primo, non posse Episcopum vti illa facultate in subditos alterius Episcopi: quia verba dispositionis non conueniunt eis, ergo nec dispositio, iuxta ca. *indemnitatibus.* [f] & l. 4. [g] & Felinum. [h]

Secundo, quod qui tenuerit opinionem Federici Senensis [i] scilicet, quod monachus monasterij exempti existentis in episcopatu alicuius Episcopi, potest subdere se Episcopo illi ordinario quo ad huiusmodi absolutiones, renunciando quo ad illud priuilegio exemptionis, poterit tenere, quod Episcopus possit in talem monachum volentem vti ea facultate, non autem qui tenuerit contrariam. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Puniendus propriè pro culpa alterius nemo est: vnde negligentia executoris, vel hæredis non diminuit meritum gratiæ, vel relaxationis pœnæ, quod defunctus viuens acquisiuit; fieri tamen potest, vt à bono consequendo impediatur. & num. 2. 3. 4. 5. 6.*

2 *Meritum, nec pœna post mortem crescit defuncto: nec enim potest tunc amplius bene, vel male mereri; possunt tamen ei applicari, & non applicari suffragia conducentia ad citiorem liberationem. num. 6.*

2 *Negligentia hæredis causare potest, vt anima testatoris in Purgatorio detineatur non restituendo eius debita; quia creditores fortè non sic pro eo orabunt. & num. 5. & 6.*

## CONSILLIVM XXXII.

QVÆSTIO est, an, qui testatus, vt centum, vel mille Missæ celebrarentur pro liberatione animæ suæ à pœnis Purgatorij post mortem suam tardius ab eis liberetur propter negligentiam executorum tardè celebrari facere procurantium dictas Missas, quam si maturius statim post mortem fierent.

a Ca. quæsiuit de his quæ fiunt à mai. pa. & l. sãcimus. C. de pœn.

1 Respondeo, pro parte negante facere primo, quod pro culpa vnius alter non est puniendus. [a] Ergo pro culpa & negligentia executorum non est retardanda relaxatio pœnę, quam anima testatoris patitur in Purgatorio.

b 25. dist.
c Eccles. 2.

Secundo, quod licet remissio aliquorum peccatorum fiat post mortem, meritum tamen & pœna non crescit post illam, iuxta cap. *qualis.* [b] ibi, *Qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio apparebit*, & iuxta illud. [c] *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Ergo testator prædictus ante mortem suam meruit, quidquid iubendo celebrationem prædictarum Missarum meruit; & per diligentiam, vel negligentiam hæredis non crescit, nec decrescit meritum eius: & consequenter remissio pœnæ, quam meruit per prędictum iussum, non debet retardari per negligentiam hæredis post ipsius mortem admissam.

d De raptor.

2 His tamen non obstantibus, dico partem affirmatiuam esse veram. Primo quidem per cap. *in literis.* [d] in illis verbis, *vt à peccato suo valeat liberari.* per illa enim ibi Papa iussit, vt hæredes cuiusdam mortui cogerentur restituere quædam ab eo erepta, vt à peccatis suis ipse valeret liberari; non obscurè significans, quod negligentia hæredis in restituendo debita defuncti potest esse causa longioris detentionis animæ eius in Purgatorio.

Secundo, quia negligentia hæredum, vel executorum, licet non possit officere defuncto, diminuendo meritum gratiæ, vel pœnæ, quod ipse meruit iubendo aliqua opera pia, potest tamen officere illi minuendo, vel tardando opem, quæ ei superuentura est ex illorum operum executione, quam missantes, & alias preces per eum ordinatas facientes essent laturi.

e In quodl. 6. artic. 13.

3 Tertio, quod D. Thomas determinat, [e] expressè, quòd mortuus aliquod detrimentum sentire potest ex eo, quod eleemosynæ, quas mandauit dari, retardantur; ea ratione, quod propter huiusmodi tardationes retardantur orationes, & sacrificia, quæ fierent pro anima defuncti, ex quibus plurimùm iuuaretur.

f C. ad l. Iul. maiest.
g De hære. li. 6.

4 Ad primum autem eorum, quæ sunt adducta in contrarium, responsurus; præmitto, quod aliud est puniri quem pro alterius culpa, & aliud impediri per culpam alterius, ne veniat alteri bonum, quod euenisset ei, si culpa alterius non intercessisset. Filius enim innocens non punitur pœna criminis læsæ maiestatis diuinæ, vel humanæ à parentibus suis commissi, attamen impeditur euentus acquisitionis bonorum eorum, quæ propter illud fuerunt publicata, vel confiscata, iuxta l. *quisquis.* [f] & ca. *cum secundum leges.* [g] Filius item aleatoris non punitur ob culpam patris alea ludentis; sed si pater sua bona sic ludendo perdat, impedietur euentus eorum in filium, qui eius erat futurus hæres. Hoc præmisso, respondeo, concedendo, quod nemo est puniendus pro culpa alterius vera pœna: sed nego, quod frequenter non impediatur euentus aliquorum bonorum in aliquem innocentem propter alterius culpam: & ita concedo, quod pœna animæ luentis in Purgatorio non possit augeri ob culpam hæredis, vel executorum: sed nego, quod bonum liberationis eius non possit impediri per culpam illorum.

h In [illegible] 12. n. 68.
i Ca. baptism. de conse. d. 4. c. cum Martha. de celeb. missar. & ca. debitum. de baptis.
k De pœ. d. 1. Extrau. 1. de pœ. & remiss.

5 Ad secundum verò respondetur, concedendo quidem quod nemo post mortem bene vel malè mereri possit: & consequenter, quod prædicti testatoris anima non potest mereri augmentum, vel diminutionem meriti, vel pœnæ: sed nego, quod ex hoc sequatur, quod non possit applicari, vel impediri remedium suæ liberationis, quod alia via, quam meriti sui ipsi euenire poterat per sacrificia, preces, vel indulgentias, quas alij ei tenebantur, vel poterant applicare. Ex quibus infertur, quod licet verum sit, quod nos dicimus, [h] videlicet, quod defunctus non detineatur in Purgatorio, donec eius debita soluantur; quia fieri potest, vt moriatur martyr, vel statim post baptismum, quem recta ire in cælum docet fides Catholica, [i] vel cum contritione ad omnem pœnam delendam sufficienti, iuxta cap. *mensuram.* adiuncta glossa, [k] vel absolutus virtute Iobælei ad id efficacis, [l] potest tamen eius liberatio tardari ex

eo, quod

eo, quod hæredes eorum debita, præsertim pia, non soluant.

6 Quoniam fieri potest, vt creditores, quibus soluerentur debita, orarent, vel alia pia opera pro eo facerent, quæ liberationem eius maturarent: & inde sequitur, quod negligentia hæredis, vel executoris in soluendo debita, vel exequendo pia opera, nocet quidem defuncto, impediendo remedia prędicta accidentalia, sed multo magis sibimet, incurrendo peccata mortifera. Ex quo subinfertur, risu, aut potius commiseratione dignos esse filios, & alios hæredes, qui miserentes plurimùm defunctis, quod propter debita tenerentur in Purgatorio, non miserentur sibi, quod tenentur in statu infernali, notabiliter eorum solutiones differentes, aut negligentes: quod plus satis contingit, vt vbi supra memini. &c.

### SVMMARIVM.

1 *Intellect. cap. 5. sess. 21. de quæstoribus, vt non procedat in illis, qui cum egeant, nec poßint aliter viuere, per se, vel alios, abstinendo à prædicatione, & publicatione indulgentiarum, mendicant. & nu. 3.*

2 *Lex etiam pœnalis & odiosa generaliter loquens, generaliter est intelligenda, ita vt comprehendat omnia, quæ sub propria significatione verborum comprehenduntur, etiam si in vno maior ratio quam in alio militet, fallit, quando reperitur alia specialis lex, siue anterior, siue posterior. nu. 2. vel aliqua ratio ex lege altera deducta illam limitans. nu. 3. vel sequeretur absurdum. nu. 4.*

3 *Mendicare illi qui non potest aliter viuere, etiam si sit sanus, lex naturalis, & diuina nedum permittit, sed quandoque præcipit. & hoc non solum pro se. & per se, sed pro alijs, & per alios. nu. 5. nec credendum in dubio per legem generalem hunc mendicandi & quæritandi actum prohiberi. nu. 3. & 6.*

## CONSILIVM XXXIII.

AN verba [a] Concilij Tridentini de quęstoribus eleemosynarum abolendis, comprehendant fratres S. Antonij pro se & ægrotis mendicantes?

1 Respondetur, quod non: & difficultas tota defendendi prædictam conclusionem, quæ mihi videtur verissima, videtur consistere in soluendo vnico argumento, quod contra eam primo aspectu vrget, videlicet, quod omnis lex generaliter statuta, generaliter est intelligenda, [b] etsi maior ratio in vna specie, quam in alia inueniatur, [c] vt post & ante alios tradit Decius. [d] Ita quod etiam lex odiosa & pœnalis comprehendit omnes, & omnia, quæ sub propria verborum legis significatione continentur, iuxta l. *cum lege*. [e] vbi hoc adnotat Aretinus receptus sæpissime à recentibus eruditoribus, Decio, Alciato, & alijs, quos refert Decius [f] & quod d. [g] Concilium Tridentinum [h] tollit generaliter, & vniuersaliter omnes quæstores; & negari non potest religiosos prædictos S. Antonij quærentes à pijs fidelibus eleemosynas, ex propria significatione vocabuli verè dici quæstores, cum verè sibi, & pauperibus, & ægrotis ad eos confugientibus quærant mendicando, & petendo eleemosynas.

2 Huic autem argumento responderi potest primo, non esse locum fundamento assumpto in eo, quando per legem aliam limitatur lex generalis, vel excipitur aliquis casus ab ea, iuxta glossam receptam, [i] siue lex excipiens, & limitans legem generalem præcedat eam, siue sequatur, iuxta l. *sed & posteriores*. [k] & glossam in l. *secundum*. [l] iuncta glossa authen. *obseruatur*. [m] At in casu proposito bullæ Romanorũ Pontificum præsertim illa Pij IIII. facta ante publicationem Concilij, & alia facta post publicationem eius, quæ vim legis habent, [n] excipiunt à dispositione prædicti Concilij, [o] quærentes eleemosynas pro religiosis, & infirmis S. Antonij; & ita non habebit locum in eis.

3 Secundo responderi potest, quod prædictum assumptum prædicti argumenti non habet locum in eo, quod ratione alterius legis excipitur à lege loquente generaliter, & indistinctè, vt adnotauit Baldus receptus. [p] At in casu proposito non solum vna ratio, sed etiam multæ inueniuntur, per quas prædicti religiosi debent excipi à lege illa generali prædicti Concilij. [q]

Prima quidem, quod inferior non potest, nec in dubio intendit tollere legem superioris, [r] & consequenter nec lex humana legem naturalem, & diuinam, [s] & lex naturalis & diuina permittit & interdum præcipit quærere mendicãdo egentibus ægrotis, & sanis, qui aliter quàm mendicatione viuere non possunt. [a] At prædicti religiosi, & ægroti ad eos confugientes, & eis inseruientes non habent vnde se alãt, & curent, nisi mendicando à piis fidelibus quærant, ergo non fuit intentio Concilij condentis legem humanam, quæ habetur ibidem, [b] tollere naturalem, & diuinam, quæ est illa superior.

4 Secunda ratio est vitandæ absurditatis, quæ consequeretur illud, [c] nisi sic limitaretur, consequeretur enim, quod nulli religiosi mendicantes possent mendicare: quod videtur quoddam absurdum, & quædam in obiecto repugnantia, videlicet, quod sint mendicantes, & non possint mendicare, contra l. *vbi repugnantia*. [d] Quod autem consequeretur, patet ex eo, quod tam verè & propriè ac alij ordines mendicantes dicuntur omnes illi quęrere suis monasteriis, aut ordini in communi, aut S. Sedi Apost. quod dico pręcipue propter Franciscanos, qui non possunt habere bona etiam in communi, iuxta [e] Concilium Tridentinum, sed possunt quærere S. Sedi Apost. [f] Tam inquam verè & propriè quærunt prædicti mendicantes prædictis suis monasteriis, aut Sedi Apost. ea quæ quærunt mendicando, quàm religiosi Antoniani quærunt suis monasteriis, vt palam est: quia cum sint verè religiosi, vt prædictus Pius IIII. summus Pont. declarauit, non possunt quærere, nec habere quidquam, nisi in communi, iuxta cap. *non dicatis*. [g] cum iis quę ei nuper late fuerunt per nos adiecta: ergo si prædicti ordines mendicantes possunt ostiatim mendicare, poterunt etiam idem prędicti Antoniani facere.

5 Tertia ratio, quod lex naturalis & diuina non solum permittit, vt egentes, & qui non possunt aliter quęrere victum, quærant sibi per semetipsos mendicando ostiatim, sed etiam vt quærant per alios pios ad id substitutos, immo & vt alij sponte sua in id oblati, aut publica auctoritate in id deputati id faciant pro eisdem, qui per se ipsos mendicare nequeunt, vt habet praxis, & vsus totius populi Christiani, quatenus multi pauperibus ægrotantibus in suis priuatis domibus, & multi pro sanis, quibus pudor est egere, & mendicare, [h] & multi pro monialibus, & aliis personis in carceres vel alia loca coniectis & inclusis, & multi pro varij generis hospitalibus passim ostiatim publicè & priuatim mendicant, & nonnunquam concionatores ex ipsis suggestis, & consequenter prædicti religiosi Antoniani non solum poterunt per semetipsos pro se ipsis suscipientibus igne sacro ægrotos, & pro ipsis ægrotis, & seruientibus eis mendicare, sed etiam substituere, & nominare, & in socios & fratres accipere alios pios, qui id piè & fideliter faciant.

6 Quarta ratio, quæ prouenit ex abusibus, colligiturque ex legibus canonicis, [i] pro quorum declaratione additum fuit prædictum cap. 9. [k] limitat prohibitionem procedere solùm in quæstoribus, qui quærunt eleemosynas prædicando, vel publicando indulgentias concessas eis, qui manus adiutrices porrexerint piis locis, quorum sunt quæstores, & pro quibus petunt: colligitur inquam dicta ratio ex eo, quòd illæ leges ponuntur in tit. de pœnit. & remiss. & in capitulis, quæ tractant de indulgentiis, & de vsu, vel abusu quæstorum in eis publicandis. Colligitur etiam ex fine prædicti cap. 9. quatenus prohibet publicari indulgentias per quæstores, & permittit earum publicationem per deputatos in id ab ordinariis.

Cùm ergo solutum sit argumentum prædictum, cumque sit reddita ratio, qua necessario limitandum est prædictum capitulum nonum, vt non procedat in eis, quibus lex naturæ & diuina permittit quærere mendicando, etiamsi prædictus Pius IIII. non limitasset, cumque ipse ad redundantiam limitauerit, consequi videtur proculdubio prædicta conclusio. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Indulgentia nedum orantibus & ieiunantibus, sed etiam eleemosynam porrigentibus à Papa concedi iustè potest, cum & ipsa sit opus pium, & satisfactorium.*

2 *Eleemosynæ locis religiosis & pauperibus facilius conquiruntur per indulgentias, quæ porrigentibus manus adiutrices conceduntur, quàm per simplices hortatorias, vel alia media.*

---

[a] Cap. 9. sess. 21.
[b] Cap. solitæ. §. fi. de maio. & obedient.
[c] l. 1. §. & generaliter. ff. de legat. præstã.
[d] l. 1. § quod autem. ff. de alea lusu & aleato.
[e] Consi. 669. num. 3.
[f] ff. de testa.
[g] In l factum. §. in pœnalibus. n. 12 ff. de reg. iuris.
[h] Cap. 6.
[i] Sess. 21.
[k] In l. de pretio. ff. de publ. in rem. act.
[l] ff. de legib.
[m] ff. qui satis. cog.
[n] C. de litiscõ test.
[o] Ca. ipsi sũt canones. 9. q. 3. & l. 1. ff. de const. princi.
[p] Cap. 9.
[q] In d. l. pretio.
[r] Cap. 9.
[s] Cap. inferior. 21. di. & cle. ne Romani. de ele.
[t] Ca. quo iure. S. d. & ca. sunt quidam. 25. q. 1.

[a] Cap. quiescant. 42. d. & c. 1. §. 1. de religiosis domib. lib. 6.
[b] In d. cap. 9.
[d] ff. de reg. iuris.
[e] Ca. 3. de re. sess. 25.
[f] Ca. exijt. §. porro. & § ad hæc. de ve b signi. li. 6.
[g] 12. quæst. 1.
[h] Cap. exprobranda. & c. considerandæ 86. distinct.
[i] Ca. cum ex eo. de pœn. & remiss. & cle. abusionibus. eod tit.
[k] Sess. 21. de re format.

## CONSILIVM XXXIV.

PAPÆ an liceat concedere indulgentiam aliquam plenariam porrigentibus manus adiutrices in eleemosynam valde necessariam conuentibus religiosorum Hierosolymis degentium?

Secundo, an sit alius modus colligendi prædictam eleemosynam expedientior, quàm per concessionem prædictæ indulgentiæ?

1 AD PRIMAM quæstionem respondeo, licere. Tum quia vsus longæuus Ecclesiæ Catholicæ id decreuit, & seruat hodie, cum concedit bullas Cruciatæ. Tum quia sicut oratio & ieiunium, ita & eleemosyna est opus satisfactorium, & pium, secundum S. Thomam [a] & alios, & Sotum. [b] At ob orationem & ieiunium concedi potest indulgentia, [c] ergo & ob eleemosynam: pro quo est illud Danielis ad Nabuchodonosorem, *Peccata tua eleemosynis redime.*

2 AD SECVNDAM respondeo, vix inuentum iri aliam viam faciliorem & efficaciorem, quàm per indulgentiam prædictam: memini enim tam exiguam pecuniam fuisse coactam in Hispania, cùm illa heros Christianissima Princeps Portugalliæ donna Ioanna Castellæ gubernatrix petisset subsidium voluntarium, & à toto regno in bellum recuperandi Bugiam tunc perditam, vt vix ministris ad id missis sufficeret. Romæ etiam video aliquos mendicantes etiam de licentia Pont. Max. in piissimas causas parum colligere.

a Li.4. sent. d. 15.
b Distinc. 19.
c Cle. 1. de reliquijs & vener. sanctorū. & ca. cum ex eo. de pœn. & remiss.

### SVMMARIVM.

*1 Indulgentia concessa quæri non potest, nisi onus ad eam quærendam impositum adimpleatur; ita vt nec vnus dies, nec vnus locus possit pro alio à parte etiam ex causa iusti impedimenti subrogari. nu. 2. cum sit quædam dispensatio, & sic odiosa, & stricte interpretanda. nu. 3.*

*4 Dominico die communicare melius videtur, quam die feriato.*

## CONSILIVM XXXV.

CONCESSA fuit quibusdam consuetis confiteri, & communicare octauo quoque die indulgentia plenaria cõmunicando die Dominica. Quæritur, an si ob aliquã causam loco diei Dominicæ communicent alio die hebdomadæ, lucrentur indulgentiam.

1 Videtur quod non. Tum quia quæsiturus indulgentiam, debet facere opus, & subire onus, quod ad eam quærendam imponitur ei, arg. extrauagantis *vnigenitus* §. *statuentes.* [d] quem in hoc põderauimus. [e] Tum quia Paludanus ait. [f] *Non implenti conditionem, non prosunt indulgentiæ, etiam quod impediatur paupertate.* At S. D. N. in casu proposito solum concedit indulgentiam plenariam consuetis confiteri & communicare singulis octo diebus, communicando die Dominico; ergo oportet illo die communicare, vt eam consequantur.

2 Tum quia valet argumentum de loco ad tempus, iuxta l. *vinum.* [g] adiunctis plurimis, quæ ibi citat Iason [h] in quibus est exemplum glossæ clem. 2. [i] quæ habet ita posse ob necessitatem comedi carnes in loco prohibito, sicut in tempore prohibito; sed ad quærendam indulgentiam requiritur, vt quis adeat locum, vbi conceditur illa, vt probat præfata extrauagans *vnigenitus.* in quod nos illam [k] ponderamus, quatenus probat etiam carcere, vel alio iusto impedimento detentum non posse quærere indulgentiam, nisi adeat locum vbi conceditur illa, nisi aliud exprimatur in concessione: ergo neque indulgentia quærenda per communicantem die Dominico poterit quæri die alia.

3 Tum quia concessio indulgentiæ est quædam dispensatio, & ita odiosa, & strictè interpretanda, vt habet glossa antiqua, [l] & etiam Paludanus appellat eam stricti iuris, [m] quorum dicta confirmamus nos vbi supra. [n]

4 Tum quod maior ratio suadet concessionem indulgentiæ plenariæ communicanti die Dominico, qui est festum celebre, quam die feriato: vnde & S. Augustinus magis commendare videtur communicationem die Dominico, quam alio die feriato faciendam. [o] Tum denique quod à proprio & pleno verborum sensu non est recedendum, nisi aliud de mente disponentis constet, [p] at proprior & planior præfatæ concessionis sensus est is, quem nos sequimur: ergo non est ab eo recedendum. Vt parerem autem patribus & dominis meis M. & N. & satisfacerem aliquibus aliis suæ Illustriss. Religionis, non parui medicis consulentibus, ne quæstionibus, & decisionibus animum intenderem, donec morbus meus auricularis recederet, confidens omnipotentis Iesu misericordiæ, quod obsequium hoc eis serius exhibitum non cedet in peius, licet parum necessarium sit viris eruditissimis, quorum ipse consilium & desiderare, & exequi libenter soleam.

d De pœn. & remiss.
e In tra. de indulg. super §. in Leuitico. not. 19. nu. 1.
f In 4. di. 20. q. 4. col. penu.
g ff. de re. cre.
h in 1. notat.
i De censib. ver regularē
k In d not. 19.
l Reg. Cancel. 56.
m In 4. d. 20. q. 4. col. fin.
n Notab. 9. n. 7.
o In c. quotidie. de cõsecr. dist. 2.
p Le. non aliter. ff. de lega. 3.

A

### SVMMARIVM.

*1 Indulgentiæ magnæ an paruis de causis acquirantur, & an statim anima à purgatorio liberetur remissiue.*

B

*2 Indulgentia concessa mortuo, per existentem in peccato quæri potest, & per opus quod solo opere operato prodest.*

*3 Peccans spe veniæ consequendæ per bullam concessam, vel concedendam, potest nihilominus per illam absolui, nisi in bulla contrarium statuatur.*

## CONSILIVM XXXVI.

QVÆRITVR, an statim atque per viuos factum est quicquid in bulla Papa fieri præcipit pro defunctis, credere possimus, quinimmo teneamur, animas illas, pro quibus talia opera facta sunt, liberas prorsus ab omnibus pœnis euadere.

C

1 Respondeo me hanc quæstionem valde serio tractasse in com. de indulg. [a] & breuius in Enchiridio de orat. [b] vbi adducuntur, & conciliantur omnia saltem præcipua, quæ pro vtraque parte afferri possunt; concludendo quid credere possimus, quidque teneamur credere circa effectum magnarum indulgentiarum pro paruis causis concessarum.

2 AN PER OPVS existentis in malo statu possit quæri indulgentia mortuo? Respondeo, quod sic, ea ratione, & eis testimonijs, quæ tradimus in d. com. de indulg. [c] & tangimus alibi [d] siue opera, ob quæ conceditur indulgentia, sint Missæ, quæ ex opere operato prosunt, siue alia, quæ tantùm ex opere operantis: quoniam ratio prior & efficacior ibi allata ad vtraque extenditur.

D

3 AN PECCANS spe veniæ consequendæ per bullam iam concessam, vel postea concedendam, possit absolui per eam? Respondeo quod sic; nisi concedens bullam, vel indulgentiam, exciperet etiam eo modo, vt latius disputando in vtramque partem tradimus in tract. de indulg. [e] posteaquam duas quæstiones præcedentes plurimum contingentes determinauimus, &c.

a Super §. in Leuitico. ca. si quis. de pœn. dist. 1. [illegible] 15.
b Ca. 19. cõcl. 13. num. 63.
c No. 22. n. 30
d In nota. 17. nu. 4.
e Not. 34. n. 6.

### SVMMARIVM.

*1 Indulgentia plenaria concessa per modum suffragij animæ, pro qua super tali dicetur Missa, non requirit potius vnam Missam, quam alteram.*

E

*2 Missarum omnium quo ad opus operatum valor æqualis: & licet ex opere operantis Missa de requiem defunctis vno respectu plus prosit, alio tamen respectu alia; quia fortè augetur deuotio, & quia longior potest plus prodesse.*

*2 Missarum valor ex opere operantis procedens variatur secundum maiorem & minorem deuotionem, cum qua dicuntur.*

## CONSILIVM XXXVII.

SANCTISSIMVS concessit priuilegium, vt quoties diceretur Missa in tali altari pro defunctis, anima illa per modum suffragij indulgentiam plenariam consequatur.

F

Quæritur, de qua Missa intelligendum sit priuilegium ad effectum prædictum operandum.

1 Ad quæstionem respondeo, quod ad præfatam indulgentiam quærendam, vel impetrandam pro anima defuncti, sufficit quælibet Missa, tam de sancto, quam de feria, quàm de defunctis. Tum quia beneficium principis latè interpretandum est, [f] modo non sit ambitiosum. [g] Tum quia bulla D. N. generaliter sine restrictione concedit præfatam indulgentiam pro qualibet Missa sine restrictione ad Missam de defunctis, vel de aliquo sancto, vel feria: & dispositio generaliter loquens, generaliter est intelligenda, [h]

2 Tum quia omnes Missæ sunt æqualis valoris quo ad valorem, quem ex opere operato operantur, [i] Tum

f Le. 1. ff. de const. prin.
g Ca. quamuis. de preb. lib. 6.
h Le. de pretio ff. de publ. in rem. actio. c. solita. sub fi. de maior. & obed.
i Ca. intra. 1. q. 1.

quia

quia licet valor Missæ pro defunctis valeat aliquid amplius quo ad valorem operis operantis, ea ratione, quod totus fere tenor eius resonet defunctorum commemorationem: alio tamen respectu valet minus, quia breuior est, & breuius & minus attente vt plurimum dicitur, quam alia. illo item, quod frequenter memoria noua sancti, & nouitas officij auget deuotionem missantis, ex qua pendet valor operis operantis. Tum denique quod frequentissime contingit aliquem mori vespere, vel mane alicuius magni festi, cuius animæ desiderant propinqui opitulari, & non possent ope huiusmodi Missæ, quæ esset maximum & præsens remedium. Quo fit, vt ego, qui habeo priuilegium à S. D. N. datum, eo quod non exeo domo, vt Missa, quam domi dixero pro aliquo defuncto, tantùm prosit ei, quantum solebat prodesse illa, quam dicere solebam, cum exibam domo, in altari priuilegiato Sanctissimæ Trinitatis, interdum soleam dicere Missam de defunctis, & frequentius alias, quæ occurrunt de sanctis, & aliquot feriis.

*SVMMARIVM.*

1 *Indulgentia stricte est interpretanda.*
1 *Indulgentia trium dierum ieiunium requirente, duorum non sufficit.*
2 *Indulgentia, nisi totum iniunctum fiat, non quæritur, nec in totum, nec in partem.*
3 *Copulatiua vt sit vera, debent omnes eius partes esse veræ.*
4 *Dandum, vel faciendum aliquo tempore, potest ante fieri, quando est adiectum in fauorem debitoris.*
4 *Debitum in diem tunc demum ante diem solui potest, si dies sit apposita in maius commodum debitoris, alias non.*

## CONSILIVM XXXVIII.

INDVLGENTIAM concessam ieiunanti, oranti, & eleemosynam facienti feria quarta, sexta, & sabbato vnius hebdomadæ, an consequatur is, qui vna præfatarum feriarum tantam facit eleemosynam, quantam omnibus tribus erat facturus?

1 Respondeo, quod pro parte negatiua facit primo, quod concessio indulgentiæ restrictè est intelligenda, arg. ca. *porro.*[a] quod in specie dixit quædam glossa recepta [b] quam ad hoc citamus in com. de indulg.[c]

Secundo, quod non sufficeret vna vel duabus præfatarum feriarum ieiunare, & orare, vt expresse determinauimus in d. com. de indulg. [d] ergo nec facere eleemosynã pari ratione.[e]

2 Tertio, quod indulgentia nõ queritur alicui, nisi faciat totũ illud, quod ad acquirendã illã præstituitur: adeo quod nihil quæritur, etiam si bona pars illius fiat, arg. l. *cui fundus* [f] & probat in specie contextus extrauagantis *vnigenitus.* [g] vt ex ea collegimus.[h]

3 Quarto, quòd dispositio copulatiua ad sui veritatem requirit, vt omnes eius partes sint veræ, [i] ergo ad hoc, vt quis verè dicatur largitus esse eleemosynam quarta feria, sexta, & sabbato, non sufficit vt largiatur vna vel duabus illarum.

4 Quinto, quòd licet id, quod est dandum, vel faciendum aliquo tempore, posset fieri ante illud, quando tempus est adiectum in fauorem debitoris; non tamen potest id fieri, quando adiectum est in fauorem alterius, vt nos tradimus in Enchir. de orat. [k] asserentes, quod pœnitens iussus recitare Psalmos pœnitentiales septies septem hebdomadis, non satisfacit dicendo illos septies in vna hebdomada, si tempus non fuit adiectum in fauorem eius, vt leuius eos recitare posset, sed ad hoc, vt maiore tempore defleret peccata: & in casu proposito videri potest onus de faciendo eleemosynã trib. diebus, adiectũ esse, vt diutius & pluries bene operaretur. Per quę omnia videtur verior hæc pars de rigore iuris; quamuis ex quadam æquitate, & tacita concedentis mente dici posset partem affirmatiuam esse veram in eo, qui feria quarta expressa mente largiretur eleemosynam, quam in illa & in aliis duabus facere intendebat, per ea quæ nos tradimus in d. Enchir. cap. 3. à nu. 23. &c.

a *De priuile.*
b *In regula 56. Innoc. Cãcel.*
c *Super §. in Leuitico. de pœn. d. 1. not. 9. num. 7.*
d *Notab. 19. nu. 1.*
e *Arg. l. illud, ff. ad le. Aqu. & c. dudum, 2. de elect.*
f *ff. de cõdict. & demonstr.*
g *De pœn. & remiss.*
h *In d. nota. 19. à num. 1.*
i *Le. si haredi plures. ff. de cond. insti. & §. plures. Inst. de hared. inst.*
k *Ca. 3. à nu. 23.*

*SVMMARIVM.*

1 *Indulgentia pro mortuis concessa ad viuos non extenditur.*
1 *Indulgentia vt quæratur per solum factum alterius viuo, raro conceditur.*

## CONSILIVM XXXIX.

AN indulgentia concessa per Papam capellis N, ad instar concessæ capellæ ad Præsepe, videatur respicere animas viuorum, ita vt qui viuens celebrabit vnam Missam in eis, illam consequatur, sicut eam consequitur anima mortui, si pro ea celebretur?

1 Respondendum videtur non respicere animas viuorum, neque eos viuos in eis celebrantes. Tum quia rarissime conceditur cuiquam, vt suo solo facto quærat indulgentiam animæ alterius adhuc viuentis, & huiusmodi rara nec lex ipsa respicit, l. 3. & 4. ff. de legib. Tum quia Pontif. Max. non videtur voluisse maiorem gratiam facere celebrantibus in prædictis capellis, quam celebrantibus in capella ad Præsepe Domini: at celebrantes in ea non quærunt indulgentias pro viuis, sed solum pro defunctis. Nec ad hoc prodest dicere, quod verbum *decesserint*, in concessione prædicta positum, reperitur tam in futuro tempore, quam in præterito: & ita videtur comprehendere tam animas decessuras, quam eas quę decesserunt. Tum quia phrasis ipsa clausulæ videtur se restringere ad eas, quæ decesserunt ante celebrationem pro eis faciendam, per clausulam, quæ sequitur sequitur, de ijs qui celebrãt in dicta capella ad Præsepe, quæ animarum defunctorum tãtum meminit: & vna pars dispositionis per aliam eiusdem declaratur, l. 1. ff. de reb. dub. Tum quia verba dispositionis remittentis, vel condonantis, debent intelligi de præteritis, & non futuris, l. cum lex. ff. de legib.

*SVMMARIVM.*

1 *Pœnitentiæ sacramentum ad mortem condemnato denegari non potest, & consuetudo contraria est corruptela, cum sit contraria iuri diuino. & nu. 6.*
1 *Eucharistiæ sacramentum de iure secundum gloss. receptam denegari non potest ad mortem condemnato. & nu. 12. nulloq; iure contrarium reperitur statutum. nu. 11. & hoc, etiamsi esset tradenda per vnam horam ante trucidationem. num. 12. sufficitq; quod lapsum sit tantum temporis, quod species sint transmutatæ. nu. 3. & hoc modo sit ieiunus. nu. 12. valet tamen consuetudo ne eidem eodem die occidendo tradatur. nu. 2. 6. 10. & 13. estq; rationabilis. nu. 12. quia indecens videtur, vt qui credi potest intra se abditam habere Christi humanitatem diuinitati coniunctam, trucidetur. nu. 3. Vbi autem non repugnat dicta consuetudo, videtur esse arbitrarium, an pridie diei trucidationis eidem adhuc ieiuno detur, vel ex reuerentia denegetur. nu. 13.*
2 *Sententiam capitalem reis, non nisi eo die quo exequenda est, notificare, rationi congruit; ne rei, vel eius propinqui ante præmoniti, ad euitandam infamiam à iustitiæ ministris inferendam, anteuertant mortem. nu. 12.*
3 *Reus confugiens ad Eucharistiæ sacramentum, licet liberetur à potestate ministrorum iustitiæ; secus tamen est, si illud communicando assumat. & nu. 11.*
3 *Corpus Christi manere, donec species digerantur, verius contra gloss.*
4 *Communicare semel in vita iure quidem diuino tenemur; at quod etiam teneamur in articulo mortis, non probatur. & num. 8.*
5 *Damnatorum cadauera non sunt necessario ad sepeliendum concedenda.*
7 *Consecrare ob necessitatem morientis solum panem absque aliis cærimoniis, secundum Io. Maio. potest sacerdos non ieiunus: contrarium tamen tenendum. nu. 8.*
7 *Communicare post cibum ægrotus, cuius vita an duratura sit in crastinum dubitatur, potest.*
7 *Præceptis duobus concurrentibus, minus maiori cedere debet.*
8 *Confiteri tenemur in articulo mortis peccatum mortale, si sit admissum post vltimam confessionem: quia iure diuino tenemur semel peccatum non confessum confiteri. at qui semel communicauit in vita, vt tenetur de iure diuino, & qui illo anno satisfecit præcepto Ecclesiæ, in articulo mortis communicare iterum non tenetur.*
9 *Lex negatiua fortior affirmatiua cum illa concurrente.*
10 *Infirmus post cibum communicare potest, sed non damnatus ad mortem.*

## CONSILIVM XL.

PETO primo, an damnatis ad mortem sit Eucharistia post latam & intimatam sententiam ministranda.

Secundo, an eisdem ministrari possit vna, duabus, vel tribus horis, antequam occidantur.

Tertio, an saltem ministrari possit pridie eius diei, quo occidendi sunt, licet iam cibum sumpserint.

1 Responsurus his aptius præmitto primo, quod iure

communi damnato ad mortem, ſi petat, debet miniſtrari ſacramentum pœnitentiæ, per clem.1.[a] & etiam Euchariſtiæ, ſecundum eius gloſſam,[b] & communiter receptam,[c] immo & cadauera ſuſpenſa, ſi petantur, ad ſepeliendum debet concedi,[d] adeo quidem, vt Rauennas,[e] concludat iure diuino, canonico, & ciuili hoc deberi, & ita conſuetudinem contrariam non valere.

Secundo, quod nos legendo dictam clem. 1. Salmanticæ probauimus primo, pœnitentiam quidem eſſe dandam petenti omni iure, etiam diuino: & conſequenter contrariam conſuetudinem non valere, per cap. *mala.* & cap. *fruſtra.*[f] & per dict. clem. 1. quæ declarat eam eſſe abuſum; & ideo compellendos eſſe iudices ad concedendum eam, non obſtante conſuetudine, vt illa diſponit.

2 Tertio, quod conſuetudo Galliarum, & Hiſpaniarum, vbi ſententia vltimi ſupplicij non datur, vel ſaltem non notificatur vſque ad diem, quo illud ſubeundum eſt, & ſtatim executioni datur, videtur conformis iuris rationi, ſtatuenti, vt exequutio ſententiæ in criminalibus fiat ſtatim, iuxta gloſſam,[g] & ita non videtur contra ius, ſaltem diuinum, nec conſequenter eſt contra illud conſuetudo, Quæ conſequitur hanc, de non miniſtranda Euchariſtia poſt notificatam ſententiam, etiam ſi petatur, valere, iuxta quam negata fuit Ludouico Lucemburgo Conneſtabili Franciæ anno 1475. Rege Ludouico X. licet eam vehementer petiiſſet, auctore Roberto Gaguino in vita eius. cuius conſuetudinis ratio deſumitur ex reuerentia, quæ tanto ſacramento debetur.

3 Tum quia nonnulla ſpecies irreuerentiæ eſt, ducere ad mortem eum, qui credi poteſt habere reuerendiſſimã Chriſti humanitatem eius diuinitati vnitam, quæ omnium vita eſt, intra ſe latentem, contra gloſſam,[h] quatenus habet, corpus Chriſti deſinere eſſe ſub ſpeciebus panis, & vini, ſimulatque ore ſumitur: manet enim ſecundum veram ſententiam, donec ſpecies digerantur, quæ non digeruntur citius, quàm digerentur, ſi vera ſubſtantia panis eis ſubeſſet, vt probat illudmet cap. *tribus.* & D. Thomas,[i] & communis.[k]

4 Tum quia licet ſumentes illud non liberentur à poteſtate miniſtrorum iuſtitię, ſicut confugientes ad illud, iuxta gloſſam memorabilem,[l] receptam ibi à Turrecremata & ab Hoſtienſi & alijs communiter,[m] decet tamen, ne quis poſt illius ſumptionem ſtatim ab exequutore occidatur; attento, quod non videtur iuris diuini præceptum, vt eiuſmodi damnatus communicet ante mortem; quoniam, vt rectè ait Sotus,[n] licet teneamus obligari quolibet de præcepto diuino ad communicandum ſaltem ſemel in vita, cuius contrarium tamen aliqui tenent, & poſſe ſuſtentari ait Caietanus,[o] non tamen tenetur ad communicandum ſemper in articulo mortis iure diuino: quia licitè ob defectum hoſtiæ conſecratæ, vomitus, &c. omitti poteſt, quorum de numero poteſt eſſe exequutio mortis illico facienda: nam nec iure humano tenetur niſi ſemel in anno, vt Caietanus ſupra tradit. & quicquid contendat Rauennas,[p] non eſt præceptum de iure diuino; vt cadauera damnatorum, ſi petantur, tradantur ad ſepeliendum; quia, vt vbi ſupra probauimus, iuſtè poſſunt iudices negare aliquorum damnatorum corpora petita ad ſepeliendum, quo maneant ad terrorem in aliquibus locis publicis ſuſpenſa: quia textus ſacræ Scripturæ, quos ad hoc citat, continent ad ſummum præcepta iudicialia, quæ à paſſione Chriſti expirarunt, & non moralia, ſiue naturalia, quæ etiam nunc durant, ſecundum iura,[q] & per D. Thomam,[r] de cærimonialibus,[s] & de iudicialibus,[t] & de moralibus, & communem.[v]

6 Quarto, quod per prædicta patet conſuetudinem prædictam denegandi Euchariſtiam damnato mox occidendo non eſſe contra præceptum iuris diuini: quod etiam colligitur ex d. clem. quatenus ſolum damnat conſuetudinem denegandi pœnitentiam, & non Euchariſtiam, quæ non eſt ſacramentum adeo neceſſarium, vt D. Thomas tradit,[x] licet iuxta gloſſam cap. *veniens.* de tranſact. ſit de quinque quodammodo neceſſarijs.

7 HIS PRÆSVPPOSITIS, reſpondeo ad primam quæſtionem, quod pro eius parte affirmatiua vrget, quod infirmus, de quo dubitatur an in craſtinum ſit victurus; poteſt communicare veſperi poſt cibum ſumptum, ſecundum D. Thomam & communem,[y] pro quo facit cap. *presbyter.*[z] & cap. *ſane.*[a] & cap. *quod in te.*[b]

a De pœnit. & remiſſ.
b Verb. pœnitentia.
c Arg. c. quod in te. de pœnit. & remiſſ.
d Ca. quæſitũ 13. q. 2.
e In tractatu, qui incipit valere, adiecto fini alphabeti ſui aurei.
f 8. diſt.
g In c. cum apud. 11. qu. 3. & in c. quarẽti. de offi. deleg.
h Cap. tribus gradibus. de conſecr. diſ. 2.
i 3. p. q. 80. ar. 8.
k In 4. diſt. 9.
l Ca. quæſitũ. 13. quæſt. 2.
m In c. ſane. de celeb. miſ. & in ſumm. de pœnitent. & remiſſ. §. in tantum. co. 3.
n In 4. d. 12. q. 1. art. 8. col. penul.
o 3. p. q. 80. a. 11.
p In d. tract.
q §. fi. d. 6. & c. 1. de purific. poſt par. cum eis adnot.
r 1. 2. q. 103. a. 3.
s Qu. 104. a. 3.
t 94. art. 5.
v In. 3. ſentẽ. 37. diſt.
x 3. p. vbi ſupra.
y In 4. d. 9. & 12.
z De conſecr. d. 2.
a De celebr. miſſ.
b De pœn. & remiſſ.

Secundo, quod Ioannes Maior,[a] tradit poſſe ſacerdotem poſt prandium conſecrare panem ſine vino, etiam abſque veſtibus ſacris, & ſumptione ſacramenti, ne infirmus veſperi (& ſic poſt cibum) ſine viatico moriatur.

Tertio, quod concurrentibus duobus præceptis incompatibilibus, minus debet cedere maiori, arg. cap. *ſicut de conſecr.*[b] & aptius in cap. *ſi dominus.* & cap. *Iulianus.*[c] at fortius videtur præceptum de communicando, quàm de non communicando præſumpto cibo; ergo, &c.

8 Pro parte vero negatiua facit primo, quod nullum præceptum Eccleſiæ potiſſimum videtur religioſius ſeruari, quàm præceptum de non celebrando, & non communicando præſumpto cibo, vt experientia, quæ eſt rerum magiſtra,[d] docet.

Secundo, quod prædictus Sotus reprehendit vbi ſupra prædictum Ioannem Maiorem qui non eſſet reprehendendus, niſi lex de non celebrando, vel non communicando poſt cibum, eſſet fortior lege de communicando in articulo mortis.

Tertio, quod eſto lex diuina præcipiat ſemel communicare in vita, & lex Eccleſiæ communicare ſemel in anno; neutra tamen videtur obligare eum, qui ſemel communicauit in illo anno, ad communicandum in articulo mortis. Nec obſtat, quod præceptum de confitendo obligat in articulo mortis ſecundum omnes: quia id verum eſt de habente peccatum mortale non confeſſum; quia cum obligetur ad confitendum illud ſemel in vita iure diuino, & ſemel in anno iure humano, & videat ſibi tunc finiri vitam, tenetur illud confiteri: quæ ratio ceſſat in communione, & conſequenter in tali damnato, qui aliquando communicauit; & ita concurrit effectu lex conſultiua de communicando cum lege præceptiua de non communicando præſumpto cibo: ergo illa debet huic cedere.[e]

9 Quarto, quod lex negatiua fortior eſt affirmatiua cum ea concurrente,[f] vnde hoc ibi colligit Bartholus & gloſſa ſingularis ſecundum Cardinalem ibi,[g] dum ait, plus tollere negatiuam, quam ponat affirmatiua. Vnde & præcepta negatiua plus obligant, quia ſemper, & pro ſemper, quàm affirmatiua, quæ ligant ſemper, ſed non pro ſemper, ſecundum Archidiaconum & vtrumque Cardinalem in cap. ſi peccauerit. 2. q. 1. quem ſequuntur Panor. Felin. Dec. & omnes,[h] & ante illos omnes D. Thomas,[i] & lex prohibitiua fortior eſt, quam permiſſiua, ſecundum Panorm. & latius Dec.[k] At lex de communicando in articulo mortis, etiam ſi foret præceptiua, eſſet affirmatiua; & lex de non communicando præſumpto cibo eſt negatiua, ergo illa debet huic cedere.

10 Per hæc videtur tenenda hæc pars. Ad primum in contrarium reſpondeo primo, quod infirmus excipitur ab illa regula negatiua ſatis expreſſe per iura in eo citata, damnatus autem ad mortem nuſquam. Secundo, quod non eſt eadem ratio: quia damnatus ad mortem poterat præuidere ſe damnandum, idque ſibi ſua culpa euenturum; & ita manere paratus ad damnationem ſubeundam; non autem poteſt infirmus regulariter id præuidere.

Ad ſecundum, quod Ioannes Maior ibi multa falſa congerit, vt recte prædictus Sotus aduertit.

Ad tertium, quod aſſumptum in eo facit pro hac parte: nam, vt ſupra probatum eſt, lex de communicando in articulo mortis eſt lex conſultiua, & quamuis eſſet præceptiua, eſt affirmatiua; lex vero de non communicando poſt cibum eſt præceptiua, & receptiſſima, & negatiua, quæ duplici ratione eſt fortior altera, & ideo illi præferenda, iuxta aſſumptum argumenti, ſcilicet, legem fortiorem præferendam infirmiori.

11 AD SECVNDAM reſpondeo, quod pro parte affirmatiua eius facit primo, quod non eſt diſcedendum à regula, niſi cum expreſsè excipitur caſus ab illa, vel ratio neceſſaria concludit eſſe excipiendum, iuxta gloſſam ſolemnem,[l] quæ probatur in l. 1.[m] in cap. *dominus.*[n] & quod regulariter omni fideli diſcreto poteſt miniſtrari Euchariſtia,[o] & nulla eſt lex, quæ vetet eam damnato ad mortem miniſtrari.

Secundo, quod nulla etiam ratio eſt, quæ id neceſſario concludat; ſi qua enim eſſet, maxime foret illa, quod per ſumptionem eius liberaretur à poteſtate iuſtitiæ; quod non eſt verum, iuxta gloſſam,[p] & alia ſupra citata, ſed neque illa, quod tam cito morituro non debet miniſtrari: quia etiam id falſum eſt, & contra cap. *is cui.*[q] & cap. *quod*

a In d. 9. q. 2.
b Diſt. 1. l. cõtra pupillum. §. is qui ad maiu. ff. de re iudic.
c 11. quæſt. 3.
d Cap. quam ſit. de elect. li. 6.
e Capit. quod præcipitur. 14. q. 1. §. fi. 4. di
f Le. 3. §. liberti. ff. de ſuſpe. tut.
g In c. cum dilectus. verbo à ſuſpenſis de conſuetud.
h In c. nouit. de iudic.
i 2. 2. q. 33. a. 3.
k In ca. nam. de conſtit.
l In l. omnis definitio ff. de reg. iur. & in rub. eo. tit. l. 6.
m ff. eod.
n [illegible] q. 7.
o Cap. omnis vtriu. ſexe. de pœn. & rem.
p Ca. quæſitũ. 13. q. [illegible]
q [illegible]

*in te.*[a] per quæ probatur, quod non ſolum poteſt licitè miniſtrari cito morituris, ſed etiam debet, etiam tempore interdicti.

Tertio, quod d. cap. *quæſitum*. probat, eis, qui pro ſuis ſceleribus furca ſuſpenduntur, tradendam eſſe communionem poſt confeſſionem ſuorum peccatorum, eſſeque orandum pro eis, eorumque cadauera ſepelienda: quod etiam intelligendum eſſe videtur poſt condemnationem eis notificatam.

12 Pro parte autem negatiua facit conſuetudo ſupradicta Hiſpaniarum, & Galliarum de non concedenda communione damnato eadem die occidendo. Iuſtificando vero illam conſuetudinem facit, quod pœna mortis ſtatim eſt exequenda regulariter, iuxta ſupradicta; & lex & conſuetudo ſtatim exequendi ſententiam mortis, vel aliam valde indecoram, iuſtificatur ex eo, quod per moram daretur occaſio damnato conſciſcendi ſibi mortem gladio, vel veneno, & cognatis eius moliendi mortem eius, antequam educatur è carcere, & machinandi alia, per quæ prece, pretio, vi, vel amore ab illa infamia publica liberaretur. Quare arbitror licere, iure ſolo ſcripto attento, damnato adhuc ieiuno miniſtrare communionem eodem mane, quo occidendus eſt, ante tres, vel quatuor horas, immo & ante vnam: ſed non attenta conſuetudine contraria in terris, in quibus illa viget: quia per prædicta nulli iuri diuino eſt contraria, & eſt rationabilis, ac conſequenter ſeruanda, etiam ſi ſit legi humanæ contraria.[b]

13 AD TERTIAM reſpondeo, quod ex deciſione præcedentium colligitur illius reſolutio, videlicet, quod pridie eius diei, quo eſt occidendus, non eſt tradenda ei communio, ſi iam pranſus eſt, nec ipſo mane diei, quo eſt occidendus, vbi conſuetudo de non dando legitimè viget præſcripta. Vbi vero talis conſuetudo non eſt, crederem licere quidem de rigore iuris dare, licere item denegare ex cauſa reuerentię tanto ſacramento debitæ, de qua ſupra. Salua, &c.

*S V M M A R I V M.*

*1 Euchariſtiam infirmo non ieiuno accipere, quando non poteſt ſequens mane expectare, conceditur quidem, ſed non præcipitur. vnde nec poteſt bis in eadem infirmitate miniſtrari viaticum. niſi fortè laberetur tempus in quo ex voto teneretur, vel longinquitas temporis, ſeu alia cauſa ſubeſſet ſuadens talem ad id ſaltem ex honeſtate teneri.*

## CONSILIVM XLI.

VTRVM liceat dare ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum infirmo in eadem infirmitate plus quam ſemel poſt prandium in modum viatici?

1 Reſpondeo, quod non, regulariter. Tum quia prohibitio de non communicando poſt cibum eodem die, eſt præcepti; & accipere viaticum ſecunda vice in eadem infirmitate, eſt conſilij, propter quod non licet tranſgredi præceptum.[c] Tum quia vix inuenitur textus, qui probet licere infirmo communicare etiam vna vice poſt cibum: quia non eſt de præcepto communicare regulariter extra tempus Paſchale, vt colligitur ex cap. quod in te. adiuncta gloſſa de pœnit. & remiſſio. Dixi, *regulariter*: quia falleret hoc in eo, qui diu ægrotaret, & laberetur tempus, intra quod ratione voti, vel pœnitentię, vel alicuius legis particularis, quali tenentur monachi, de quibus in clemen. *ne in agro.*[d] teneretur iterum communicare. Satis etiam poſſet dici, quod falleret in caſu, quo quis diu ægrotaret, & prudentis viri arbitrio tam fere teneretur de conſilio & honeſtate communicare ſecunda vice, ac prima. qua enim ratione communis opinio piè tenet licere prima vice ſumere viaticum infirmo non potenti expectare mane ſequens poſt ſumptum cibum, eadem ferè tenere debet, quod liceat id facere ſecunda vice, quando multum temporis ad arbitrium boni viri fluxit à primæ vicis ſumptione, cum neutra vice teneretur de præcepto, & vtraque teneretur de conſilio, & honeſtate. Salua, &c.

## DE SENTENTIA EXCOMmunicationis.

*S V M M A R I V M.*

*1 Fœmina licet iuriſdictionem quamdam eccleſiaſticam habere poſſit, iure tamen communi excommunicare non poteſt: at ex priuilegio Papæ, videtur verius eam (vt & laicis conceditur) poſſe.*

*1 Excommunicare poteſt habens iuriſdictionem eccleſiaſticam, licet non habeat claues ordinum.*

## CONSILIVM I.

1 AN fœmina poſſit excommunicare? Reſpondetur, Philippum Decium[a] dixiſſe, fœminam poſſe quidem habere iuriſdictionem eccleſiaſticam, iuxta cap. *dilecta.*[b] non tamen poſſe excommunicare, argument. cap. *noua.* & eorum, quæ ibi annotantur à Panormitano & alijs,[c] idque ipſum videtur ſenſiſſe, licet non adeo expreſsè, Didacus Couarruuias,[d] quæ ſententia vera eſt, attento iure, & vſu communi: non tamen videtur nobis in præſentia ſatis tuta. Tum quod fundamentum eorum eſt, quod poteſtas excommunicandi pertinet ad claues Eccleſiæ, quæ per presbyterium conferuntur. quæ ratio non videtur concludere: quia habens iuriſdictionem eccleſiaſticam, etiam ſi non habeat claues, poteſt excommunicare, vt colligitur ex S. Thoma.[e] Tum quia etiam laicus ex priuilegio poteſt excommunicare, iuxta gloſſam celebrem & receptam.[f] Tum quia S. Thomas vbi ſupra dicit, excommunicationem non pertinere directe ad claues. Quare in præſentia raptim & tumultuarie hanc partem perpendenti videtur iure verius poſſe fœminam ex priuilegio Papæ excommunicare, ſicut & prædicare, vt & laicus, non tamen iure communi.

*S V M M A R I V M.*

*1 Excommunicationis pœna in lege, edicto, vel mandato inſerta non incurritur ipſo iure, niſi adſit vel clauſula id exprimens, vel alia verba, quæ declarent intentionem illam proferentis eſſe, vt ipſo iure incurreretur.*

*2 Euitari debere regulares exemptos, qui in generalem excommunicationis ſententiam etiam notorie incidiſſe dicuntur, mandare nec Epiſcopus, nec alius poteſt, niſi prius citati & auditi à ſuo iudice in excommunicationem incidiſſe denunciati fuerint.*

*2 Exemptos, vt ſunt regulares, in excommunicationem incidiſſe non poteſt Epiſcopus denunciare, etiam ſi factum ſit notorium, cum non ſit illorum iudex competens.*

*3 Pœnitentiarius maior abſolui mandat in foro conſcientiæ eos, qui in generalem alicuius edicti excommunicationem inciderunt, etiam ſi factum ſit notorium.*

## CONSILIVM II.

REGVLARES per edictum ſub excommunicationis pœna certum peccatum committere prohibiti, illud publicè perpetrarunt. Dubitatur primo, vtrum ſint excommunicati. Secundo, an ſi Epiſcopus eos mandet euitare ante aliam declarationem, ſeu nunciationem, teneamur euitare. Tertio, an Pœnitentiarius poſſit eos in foro conſcientiæ abſoluere.

1 Subiiciam aliqua, ex quibus quæſtionis ſolutio colligi poſſit. Primum, quod certum eſt, non incurri excommunicationem ipſo iure contraueniendo mandato, vel legi iubenti, vel prohibenti aliquid ſub pœna excommunicationis, ſi non addantur verba illa, *latæ ſententiæ*, vel illa, *ipſo iure incurrendæ*, vel alia ſimilia, quæ declarent intentionem mandantis, vel legem ferentis fuiſſe, vt ipſo iure, ſiue ipſo facto incurratur, per gloſſam celebrem, & ab omnibus receptam,[g] & conſequenter certum eſt præfatos Patres non incurriſſe excommunicationem per præfatam bullam Alexandri VI. ſi eſt verum quod proponitur in caſu.

2 Secundo, quod eſto præfati Patres incurriſſent excommunicationem; non tamen ab Epiſcopo, nec ab alio poteſt, aut debet mandari, vt euitentur; donec citati & auditi declarentur eſſe excommunicati per ſuum iudicem competentem, iuxta extrauagantem *ad euitanda.* quam etiam nos poſt alios referimus & declaramus in Manual. confeſſ.[h] & manifeſtum eſt, Epiſcopum præfatum non eſſe iudicem competentem ad denunciandos præfatos fratres eſſe excommunicatos: quia non eſt iudex eorum, cum ſint notoriè exempti ab huiuſmodi iuriſdictione.

3 Tertio, quod Illuſtriſſimus Pœnitentiarius poteſt eos abſoluere quo ad forum conſcientiæ tantùm, quo ad quod ipſi non indigent tali abſolutione, ſi vera ſunt quæ proponuntur.

[a] De pœn. & remiſſ.

[b] Ca. fi. de cõſuetud. l. minime. ff. de leg. & l. 2. C. quæ ſit longa conſuetudo.

[c] Ar. c. quod præcipitur. 14. quæſt. 1.

[d] §. ſane. de ſtatu monac.

[a] In reg. 1. de reg. iur. n. 39.

[b] De maiori. & obed. & c. dilecta. de excess. prælat.

[c] De pœn. & remiſſ.

[d] In ca. alma mater. in 1. p. §. 11. nu. 2. de ſent. excom.

[e] In 4. li. ſentent. d. 18. qu. 2. art. 2. quæſtiũ. 2.

[f] In c. præter. 32. d. in verb. dubiis.

[g] Ca. 1. de ſagitt.

[h] Ca. 27. n. 35.

Quarto, quod eius D. Illustrissima poterit absoluere, vel mandare absolui eos, si & quatenus opus est, quo ad forum conscientiæ tantum, non obstante quod factum sit publicum; quia id in prima, vel secunda clausula suarum facultatum continetur. Salua, &c.

A

### SVMMARIVM.

1 *Declaratoria excommunicationis eam non continet, sed quod factum est declarat.*

2 *Iudex citatum sub excommunicationis pœna declarans excommunicatum, eum prius tacite excommunicare videtur, sicut & condemnare eum ad soluendum, cui iubet vt soluat.*

3 *Error, seu ignorantia iuris subtilis excusat saltem à peccato mortali.*

4 *Monitus sub pœna excommunicationis, & postea quia non paruit, declaratus excommunicatus, credere potuit, & potest se ante declarationem non fuisse excommunicatum.*

## CONSILIVM III.

IVDICES quidam monent debitores ad soluendum sub pœna excommunicationis, & postea non soluentes, neque comparentes nec allegantes, cur non debeant soluere, iubent decerni declaratoriam, qua iubeantur denunciari, & declarari excommunicati, nullo alio modo sententia excommunicationis lata. Quæritur, an declaratus debeat se reputare excommunicatum?

1 Respondeo primo, pro parte negante vrgere multùm, quod primum monitorium non continet excommunicationem, sed comminationem eius, iuxta glossam,[a] neque mandatum declaratorium: quia declarans nil nouè facit, sed quod factum est, denunciat.[b]

2 Pro parte autem affirmante facit, quod libellus, quo petitur à iudice, vt cogat debitorem ad soluendum, dicitur aptus, eo quod videtur peti tacitè, vt reus prius condemnetur, & postea restituere cogatur: & quod iudex iubens expresè alicui per suam sententiam, vt aliquid reddat, videtur tacitè prius condemnare ipsum. & consequenter iudex, qui declarat excommunicatum aliquem à se vocatum sub pœna excommunicationis, videtur prius eum tacitè excommunicare.

3 Respondeo secundo, quod qui partem negantem crederet esse veram, non peccaret, saltem mortifere, per theoriam Innocentij,[c] dum sensit, quod error, & ignorantia iuris humani subtilis excusat à culpa mortali: quem in hoc sequitur Baldus,[d] & vtrumque Felinus.[e] vbi ad hoc cumulat alia.

4 Respondeo tertio, quod etiam tenendo partem affirmantem quis satis iustè posset credere se non esse, nec fuisse excommunicatum ante declarationem, per ea, quæ ipse ex Felino & alijs adduco in Manual. confess.[f] quæ ibi possunt videri. Salua, &c.

a Cap. 1. de sagittar.
b Le. hæredes palam. §. 1. ff. de testam.
c In ca. per tuas. 2. de simo.
d In le. ab eo. Co. quomodo & quando iudex.
e In c. 1. limitat. 7. de reiu.
f Ca. 23. nu. 104. ad finē.

### SVMMARIVM.

1 *Excommunicatio pro præterita culpa ferri non debet, nisi præcedente monitione, per quam constituatur in contumacia non parendi.*

2 *Excommunicatio etsi ferri non debeat, nisi præcedente monitione, lata tamen tenet: fallit autem in quatuor casibus glossæ cap. reprehensibilis. item & quando iudex excommunicat non facientem id quod sine citatione, causæve cognitione, sub præcepto non continente clausulam iustificatiuam,* Et si senseris te grauatum, compareas, *mandauit vt faceret. num. 3.*

4 *Declaratoria excommunicationis ipso iure incursæ facta, parte non citata, est nulla.*

## CONSILIVM IIII.

VICARIVS generalis Episcopi excommunicauit quemdam sibi subditum sine vlla monitione præmissa, eo quod non soluit id, quod verè debebat, & terminus soluendi lapsus erat. Quæsitum est; an prædicta excommunicatio non solùm esset iniusta, sed etiam nulla, & inualida.

1 Pro responsione dico primo, quod in Manua. nostro consess.[g] diximus, excommunicationem, saltem maiorem, non esse ferendam pro culpa præterita sine monitione, & prius,[h] non debere ferri, nisi propter contumaciam eius, qui est excommunicandus, & consequenter nisi cum monitus non paret monenti. Vnde infertur primo quod Caietanus,[i] incautè certè loquitur, dum ait, quod sicut ante factum potest excommunicari quicumque furtum, vel incendium commiserit, & huiusmodi, ita post factum potest excommunicari quicumque fecit: id enim non solum est contra Concilium Tridentinum:[a] sed etiam contra cap. *omnes*,[b] & cap. *sacro*.[c] cap. *Romana*.[d]

g Ca. 27. nu. 11. vers. 4.
h Num. 9.
i 2. 2. q. 69. a. 2.

Secundo infertur, quod D. Sotus,[e] proculdubio iustè loquitur, quatenus ait, excommunicationem non debere ferri pro culpa præterita sine monitione.

B

Tertio, quod falsum est regulariter id, quod subiicit Sotus, scilicet excommunicationem latam ob culpam præteritam sine monitione esse ipso iure nullam: quoniam contrarium tenet glossa. 2.[f] & glossa,[g] & in summa,[h] & in ca. 1.[i] & glossa,[k] de appell. quā allegando alia sequitur ibi Panormita. & longè latiùs Decius amplians eam ad sententiam excommunicationis etiam à delegato datam, nisi specialis forma excommunicandi in delegatione esset posita, & illa omitteretur, concilians per hoc duas decisiones Rotæ à se ibi citatas. & proculdubio hoc videtur tenendum non tantùm propter auctoritates prædictas, quantum per contextum cap. *si Episcopus*.[l] & cap. *sacro*.[m] in quibus ita excommunicatus iubetur absolui: & absolutio præsupponit valorem eius, quod soluit, argum. cap. *ad dissoluendum*.[n] & l. *manumissiones*.[o] & per cap. *statuimus*.[p] quod in id efficaciter inducit Panormitanus.[q]

3 Et mirum, quod doctissimus Sotus hæc non aduerterit, cum pro contraria opinione duas pulchras rationes vltra alios adduxerit. cuius tamen opinio potest procedere in illis quatuor casibus, in quibus glossa prædicti cap. *reprehensibilis*. ait excommunicationem latam sine monitione esse nullam. quibus quintum addimus in d. Manual.[r] scilicet, cum iudex fert excommunicationem in eum, cui sine causæ cognitione præcepit, vt solueret, vel condemnauit, non præmissa citatione, vel clausula iustificatiua, dando terminum ad allegandum iustas causas, si quas habuerit, per quam præceptum, vel condemnatio resoluitur in vim simplicis citationis, vel monitionis, iuxta glossam solemnem & ab aliquibus putatam singularem,[s] & sicut illa condemnatio est nulla, ita etiam excommunicatio, tamquam ei accessoria, est nulla, vt tradunt Innocentius & alij ibi citati.

C

D

4 Procedit etiam eius opinio in declaratione, qua quis declaratur incidisse in excommunicationem ipso iure, vel alias sine citatione illius, qui est declarandus: quia etiam illa est ipso iure nulla, iuxta glossam solemnem,[t] & glossam in clemen. 2.[v] & alia, quæ Decius in hoc citat,[x] & Felinus.[y]

Quarto dico, ex prædictis inferri solutionem quæstionis, scilicet, excommunicationem prædictam valuisse, nisi lata fuisset in aliquo prædictorum casuum, in quibus lata sine monitione est nulla: & consequenter quod excommunicatus sub prædicta culpa sine monitione regulariter indiget absolutione; & si antequam absolueretur, celebraret, esset irregularis.

E

a Sess. 25. de refor. matr. c. 3.
b 16. qu. 7.
c De sen. excom.
d §. caueant. de sent. excō. lib. 6.
e In li. 4. sent. dist. 22. q. 1. a. 2.
f Dic. c. sacro.
g In sum. 2. q. 1.
h 11. quæst. 3.
i De excess. prælat.
k 2. in c. reprehensibilis.
l 11. quæst. 3.
m De sen. excom.
n De despons. impub.
o ff. de iustitia & iur.
p De sen. excom. lib. 6.
q Super prædicta glo. 2. c. reprehensibilis. de appel.
r Vbi sup. n. 11.
s In c. ex parte. 1. de verb. signif. & l. de pupil. §. me minisse. ff. de non oper. nū.
t In cle. præsenti verb. c. i stiterit. de ce. u In eo. verb. de pœn.
x Sup. gl. d. c. reprehensibi. lis.
y In c. Rodulphus. n. 41. de rescript.

### SVMMARIVM.

1 *Excommunicatio lata à delegato, qui copiam suæ commissionis petenti non dedit, est nulla secundum sententiam Innoc. quæ ex æquitate & vsu potius, quam iure defendi potest.*

## CONSILIVM V.

1 EXCOMMVNICATIO lata à delegato, qui copiam commissionis suæ petenti noluit dare, non solum est iniusta, sed etiam nulla, secundum Innocentium,[z] quem refert & sequitur Felinus,[a] & idem tenet Panormitanus[b] nemine ad hoc citato. Et idem sentit, dubitando tamen, per verbum *forte*, Rota decisio,[c] & merito dubitauit: quoniam nullus textus neque glossa. hoc exprimit, nec is casus ponitur inter eos, in quibus excommunicatio est ipso iure nulla, quos retulit glossa,[d] nec Ioannes Andreas, nec Ioannes Monachus nec Probus in additionibus ad eum ponunt hunc casum. Et regula est in contrarium, videlicet, quod sententia excommunicationis siue iuste, siue iniuste lata tenet,[e] & à regula non disceditur, nisi expresè id excipiatur vt habet glossa,[f] & ipsemet Innocentius fatetur,[g] excommunicationem non præcedente monitione latam, licet sit iniusta, valere. & Panormitanus,[h] firma ratione tenet, non esse nulla omnia, quæ facit iniustè delegatus, licet sint facta contra intentionem delegantis: sed solùm illa, quo ad quæ non extenditur

F

z In c. venerabilis. n. 5. de ele. lib.
a In c. cum in iureperitus. n. 3. de offi. dele. & in c. sacro. de sen. excom.
b In d. c. cum in iure peritus. col. 2.
c 15. de dolo & contum. noua impress.
d In c. præsenti. verbo ad cautelam. de sentent. excō. lib. 6.
e Ca. 1. 11. q. 3.
f In l. omnis definitio. de reg. iur. & in rub. eod. tit. lib. 6.
g In d. c. venerabilis.
h In ca. fin. de præb. nu. 3. 5.

eius potestas. æqua tamen videtur determinatio Innocentij, quæ potius auctoritate eius, & vsu, quàm iure, defendi potest.

SVMMARIVM.

1 *Communicans alicui in actu, pro quo controuertitur an sit excommunicatus, non videtur iudicandus incidere in excommunicationem.*

1 *Vicarius generalis Episcopi excommunicati non est excommunicatus, nec euitandus, licet eius exerceat iurisdictionem.*

2 *Appellatio suspendit declarationem excommunicationis, duranteque lite non est vitandus. num. 3.*

## CONSILIVM VI.

EPISCOPVS ob prætensam innouationem excommunicatus, & nominatim declaratus fuerat, & à tali declaratione appellauerat, & vicarius illius & alij ministri cum eo communicabant. Quæritur, an vicarius Episcopi ab alijs vitari debeat, & an alios communicantes cum Episcopo euitare vicarius teneatur.

1 Respondeo, præfatum D. consulentem, licet sit vicarius præfati D. Episcopi, & vt talis exerceat vices eius, & communicauerit Episcopo in actis, quæ dominus eius dicitur innouando fecisse, non debere vitari ab alijs, nec teneri ad vitandum alios propter excommunicationem, quam præfatus Episcopus dicitur, & declaratus est incurrisse. Tum quia excommunicato Episcopo, non censetur excommunicatus vicarius eius.[a] Tum quia Episcopus negat innouasse quidquã contra inhibitionem Rotæ, allegans, quod non pendebat lis super his, quæ dicuntur esse ab ipso innouata: quoniam solum continuauit possessionem, quam habebat ante litem inchoatam, quod ei licebat.[b]

2 Tum quia præfatus Episcopus appellauit à declaratione, qua fuit declaratus excommunicatus: & ita declaratio fuit suspensa: quia licet excommunicatio non suspendatur per appellationem,[c] declaratio tamen, qua declaratur aliquis incidisse in excommunicationem, suspenditur per appellationem, iuxta glossam singularem & receptam.[d] Et ita præfatus Episcopus non debet vitari, nec tenetur vitare, durante lite super declaratione, vt post alios, quos ipse copiose citat, tenet Decius,[e] & colligitur latè ex Felino.[f] Et si Episcopus non tenetur alios vitare, nec alij eum, durante lite super appellatione, fortiori ratione non tenetur vitare, nec debet ab alijs vitari vicarius eius propter ipsius excõmunicationem.[g]

a Cap. 1. de officio vicar. li. 6.
b Cap. 1. & 2. vt lite pendente.
c Ca. pastoralis. §. verum. de appell.
d In c. cupientes. §. quod si per viginti. in verb. priuat[9]. de elect. lib. 6.
e In c. peruenit. de appell.
f In c. Rodulphus. de resc. num. 43.
g Ca. cum in cunctis. de electio. & auth. multo magis. C. de sacrosãct. eccles.

SVMMARIVM.

1 *Capitulo absolute excommunicato, nullus ligatur: quia excommunicatio non tenet. quod si etiam excommunicentur culpabiles, tunc culpabiles culpa mortali (nam venialis non sufficit) ligantur. nu. 2. tenenturque taliter culpabiles etiam non denunciati se à communione abstinere. num. 3. & si celebrent, erunt irregulares. nu. 4. quamuis si non sint denunciati, alij non prohibeantur illos mortuos sepelire. num. 3.*

## CONSILIVM VII.

AN Collegio, vel Capitulo aliquo excommunicato, & denunciato pro tali, canonicus, vel collega illius Capituli, vel collegij mortuus possit iustè in loco sacro sepeliri?

1 Ad quod respondetur primo, quod sic, si excommunicatio fuit absolutè lata contra Capitulum, vel collegium, nihil addito de singularibus eorum: quia excommunicatio fuit nulla, secundum omnes, per cap. *Romana.*[h] iuncta glossa,[i] & late probatur ibi per Ioannem Andream, Dominicum & communem.

2 Secundo, quod idem est dicendum, si excommunicatio lata fuisset contra vniuersitatem, & quoslibet singulares eius, qui fuerunt culpabiles in eo, pro quo excommunicatio fertur, & ipse mortuus non inueniatur culpabilis; quia non extenditur ad non culpabiles, secundum omnes. Quibus addo primo, quod non extenditur etiam ad culpabiles venialiter tantùm: quia nemo incurrit excommunicationem generaliter latam, nisi propter culpam mortalem,[k] & ita excommunicatio lata contra vniuersitatem, & singulares eius culpabiles, debet intelligi de culpabilibus mortaliter. Addo eisdem secundo, quod licet aliqui inuenirentur culpabiles mortaliter præsumptiuè quo ad forum exterius, non tamen in-cluderentur quo ad forum Dei, & conscientiæ sub tali excommunicatione: quia lex fundata super præsumptione non ligat eum, qui verè non fecit coram Deo id, quod præsumitur fecisse, argumen. cap. *humanæ aures.*[a] & cap. *is qui.* & cap. *tua.*[b] cum eis adnotatis quod est quotidianum & memorabile.

h §. in vniuersitatem. de sẽtentia excõ. lib. 6.
i In verbo penitus.
k Cap. nemo. cap. nullus. 11. qu. 3.

3 Tertio respondetur, quod præfatus mortuus iustè posset sepeliri, etiam si excommunicatio lata fuisset ita, vt comprehenderet singulares, qui essent mortaliter culpabiles, si non fuit denunciatus talis: quia per dicta nemo hodie prohibetur communicare excommunicato viuo, nec mortuo, si non fuit denunciatus talis, per extrauagantem *ad euitanda,* relatam à nobis in nostro Manual. confess.[c]

Quarto, quod idem, quod dictum est de canonico excommunicato sepeliendo, est dicendum de eodem viuo non vitando, propter easdem rationes; quamuis ipse vitare seipsum debet à communione aliorum, si excommunicatio lata fuit contra Capitulum, & singulares eius culpabiles, & ipse fuit mortaliter culpabilis: quoniam extrauagans prædicta, licet multum prosit communicantibus excommunicato non denunciato, nihil tamen prodest ipsimet excommunicato; & ita licet alij non teneantur eum vitare, ipse tamen tenetur vitare alios, argumen. cap. *illud.*[d] quia præfata extrauagans id expresè habet. Qua ratione respondemus, huiusmodi canonicum Capituli denunciati excommunicati cum singularibus culpabilibus debuisse abstinere à celebrando, alioquin futurum esse irregularem quo ad forum conscientiæ, iuxta cap. *clerici.* & cap. *latores,* & ca. *si celebrat.* iuncta glossa.[e]

a 22. quæst. 5.
b De spons.
c Ca. 27. nu. 35.
d De clerico excommunicato minist.
e De clerico excom. minist.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatio absolute lata in Capitulum non ligat singulos; secus, si sit lata in Capitulum & singulos de Capitulo culpabiles: quia culpabiles mortaliter ligantur, teneturque se à communione aliorum subtrahere. nu. 4. alij tamen possunt eis viuis & mortuis, etiam sepeliendo, modo non sint nominatim denunciati, communicare. num. 3.*

1 *Suspensio absolutè lata contra Capitulum ligat singulos de Capitulo.*

2 *Præsumptiuè culpabilis mortaliter ligatur in foro exteriori excommunicatione generaliter lata contra culpabiles; licet coram Deo non sit excommunicatus, si non est mortaliter culpabilis.*

## CONSILIVM VIII.

QVÆSITVM est de canonico existente Romæ post denunciationem suspensionis sui Capituli ob non solutionem quindennij soluendi ab eo propter vnionem alicuius beneficij ei vniti.

1 Ad quod respondeo primò, quod non videtur idem omnino dictum quo ad hoc de canonico Capituli suspensi denunciati, quod dictum est alibi de canonico Capituli excommunicati & denunciati: quia licet excommunicatio lata in Capitulum absolutè non valeat, per cap. *Romana.*[f] suspensio tamen contra illud absolutè valet, per cap. *si sententia.*[g]

f §. in vniuersitatem. de sententia excõ. in 6.
g De sententia. excõ. li. 6.

SVMMARIVM.

2 *Excommunicatio generaliter lata in Vniuersitatem, seu Capitulum, est nulla, & neminem ligat: quod si feratur in singulos qui fuerunt culpabiles, ligat tantum culpabiles, nu. 3. culpabiles inquam culpa mortali, num. 1. & 7.*

4 *Declaratio, quod quis inciderit in excommunicationem generaliter latam, si fiat parte non citata, est nulla ipso iure. & num. 7.*

5 *Appellari etsi non possit à sententia excommunicationis ad effectum eam suspendendi; ab ea tamen qua quis declaratur in excommunicationem incidisse, datur appellatio; qua pendente, suspenditur eiusdem declaratoriæ effectus.*

5 *Appellatio etsi non detur in notorijs, neque à pœnis quæ incurruntur ipso iure; datur tamen à sententia iudicis aliquid notorium, vel aliquam pœnam incursam esse declarantis.*

6 *Vniuersitas, seu Capitulum, & singuli de illis, sunt diuersa, vnde quod debetur à Capitulo, non debetur à singulis, ipsumque Capitulum est cogendum soluere, Capitulum vero singulos cogat ad soluendum pro rata, & num. 7. illos inquam, qui reperiuntur de Capitulo tempore solutionis debiti, etiam alias antea contracti, sicut & eisdem distribueret antiquum*

creditum

*creditum tunc exactum.num.6.*

8 *Pœnarum ipso iure incursarum exequutio fieri non potest, antequam declaratoria illarum incursionis valide parte citata fiat.*

9 *Reo, à quo fiscus aliquod debitum prætendit, debet saltem officio iudicis dari copia scripturarum, super quibus se fundat fiscus, sicut & actorum copia etiam in criminali causa est danda.*

10 *Suspenso Capitulo ab ingressu ecclesiæ, soli culpabiles ligantur.*

## CONSILIVM IX.

N. HABENS dignitatem, & canonicatum cum præbenda in quadam Ecclesia cathedrali, venit ad Vrbem ad prosequendas quasdam lites Ecclesiæ suæ cum mandato ad id generali à Capitulo dato, & inuenit præfatum Capitulum excommunicatum, id est, denunciatum in loco solito pro excommunicato à iudice, vel subcollectore quindenniorum: qui rogatus ab ipso respondit id fuisse factum, eo quod præfatum Capitulum debebat ratione quindenniorum certam quantitatem scutorum; & illico scripsit id Capitulo; quod respondit, nolle se vt quidquam innouaret super hoc, donec mandatum speciale acciperet super eo, quod ordinaret esse agendum. Intra quod tempus ipse N. missauit, & interfuit diuinis sine vllo scrupulo, putans se ob hoc nullam censuram incurrisse, nec incurrere. Iudex autem prædictus processit ad vlteriora, eo quod non soluebatur præfata quantitas scutorum, & tandem relaxauit literas, siue schedulas, & cedulones contra præfatos canonicos generaliter, & nominando præfatum N. specialiter, cui simile numquam videtur fuisse factum: quia præbenda suæ dignitatis non est prima post pontificalem: idque fecit iudex, nulla citatione, nec monitione facta specialiter ipsi N. vt vni de Capitulo, nec tamquam procuratori; nec ipsi Capitulo. Post quæ præfatus N. interfuit diuinis, non tamen missauit, neque ordine sacro alio vsus est.

Quæritur quid oporteat præfatum N. facere, ne peccet, præsupposito quod non habet mandatum sui Capituli ad soluendum, & quod non fuit citatus, & quod nulla monitio est facta præfato Capitulo, vt solueret præfata quindennia: & quod omnem curam & diligentiam adhibuit, vt præfatum Capitulum soluat quæ debet; & quod obtulit se soluturum pro rata eam partem, quæ pro sua præbenda ei contingit, quod paratus est facere: & quod non apparet vlla obligatio, qua præfatum Capitulum teneatur soluere vlla quindennia, præterquam acceptatio annexionis quorumdam beneficiorum: & quod præfatus subcollector prima vice excommunicauit ob minorem quantitatem, & vltima vice pro maiori, quo videtur non satis constare de debito: & quod magna pars quantitatis expressæ in secunda vice dicitur cœpisse deberi ante 120. annos.

Huic quæstioni ægro animo respondeo, vt cuidam alij simili respondit Oldradus, [a] nec vllatenus respondissem, nisi obligatio magna, qua teneor inseruire mittenti illam mihi, ad id me adigeret. Tum quia agimus Romæ, vbi sunt multi harum rerum expertissimi, & ipse non satis noui leges, nec mores Romanos, ex quibus eius decisio est haurienda, sicut & ille legum Cæsarearum peritissimus in materia censurarum fulminatarum à Papa vix fuit ausus respondere. Attamen submittens omnia censuræ S. D. N. & me peritioris, dicam sequentia.

1 Primum, videri necessarium certa responsuro legisse, aut certe intellexisse primo tenorem scripturæ continentem vnionem, vel annexionem bonorum, ratione quorum huiusmodi quindennia debentur; secundo scripturam, qua procurator Capituli obligauit ipsum ad soluenda quindennia; tertio tenorem mandatorum, quibus procuratores, qui præfatas vniones, vel annexiones impetrarunt, poterant obligationes facere ad soluenda quindennia; quarto processum, quem fecit iudex, aut subcollector in procedendo ad declarationem, & denunciationem contentorum in ea, præsertim ad declarationem prædicti N. quorum nullius copia, vel summarium datur.

Secundo, certum esse neminem incurrere excommunicationem generaliter latam, nisi ob peccatum mortiferum, [b] & consequenter cum excommunicatio, de qua agitur, sit ge-

a Conf.20.

b Cap.nemo. & ca. nullus. 11.quæst.3.

A neraliter lata, non incurrit eam præfatus N. nisi peccauerit mortaliter circa præfatæ solutionis omissionem.

2 Tertio, quod si per bullas præfatarum vnionum fuit lata excommunicatio in Capitulum simpliciter & absolutè, nihil valuit, & non ligauit Capitulum, per cap. *Romana.* [a] immo neque vllum negotiorum gestorem, neque vllum canonicum: quia quidquid ibi glossa dicat, & inter. doctores controuertatur, verior conclusio est, quod talis excommunicatio est ipso iure nulla propter verbum, *penitus*, in ipso appositum.

3 Quarto, quod si excommunicatio non fuit lata in vniuersum Capitulum simpliciter & absolutè, sed cum additione, & in singulos eius canonicos, qui forent culpabiles, id est, B quorum culpa omitteretur solutio quindenniorum; iudicandi essent excommunicati illi, quorum culpa solutio fuisset omissa: quia licet excommunicatio non possit in vniuersitatem ferri propter rationes, quas diuersi in diuersis locis tradunt, vt in his Felinus, [b] potest tamen ferri in singulos vniuersitatis, qui culpabiles forent, per ipsum præfatum §. *in vniuersitatem.* [c] & argument. cap. *proposuit.* [d] quod in hoc ante omnes citauit Hostiensis, [e] qui fuit discipulus & Cardinalis ipsiusmet Innocentij IIII. conditoris præfati cap. *Romana.* & præfati sui §. *in vniuersitatem.* quæ sententia verior nobis videtur, quàm contraria, saltem ad consulendum: quamquam disputando illa defendi posset: limitando tamen, vt procedat C in illis singularibus canonicis, qui non quali quali culpa, sed mortifera forent culpabiles: quandoquidem, vt dictum est, nulla excommunicatio maior generaliter lata includit & ligat aliquem, nisi mortifere peccantem, vt dictum est.

4 Quinto, quod nemo debet declarari excommunicatus per excommunicationem generaliter latam, nisi res esset notoria, antequam citetur, & audiatur, iuxta glossam celebrem adiuncto textu, [f] de censibus. cui similis in clemen. 2. [g] quæ sunt receptæ communiter, & latè tradit Felinus, [h] ita quod declaratio facta sine citatione est nulla; sicut aliæ sententiæ latæ sine citatione legitima sunt nullæ, quando illa requiritur, [i] quia contra inauditam partem etiam Papa non D potest quidquam definire, vt ipsemet testatur, [k] & concordat cap. *nos in quemquam.* [l]

5 Sexto, quod licet à sententia excommunicationis non possit appellari ad effectum suspendendi eam, [m] à declaratione tamen, qua quis declaratur eam incurrisse, potest appellari, etiam ad effectum suspendendi eam: ita quod appellatione pendente nihil ei obsit, iuxta glossam receptam, [n] vt latius tradit Felinus, [o] vbi adducit illud Panormitani, [p] quod quamuis in facto vero notorio non possit appellari, vt in cap. *cum sit Romana.* [q] tamen à sententia iudicis declarantis factum esse notorium posset appellari, cum iudex posset iniustè declarasse: sicut in simili dicit glossa, [r] quod licet à sententia iuris non appelletur, vt in cap. *quia nos.* [s] à sententia tamen E iudicis declarantis quam incidisse in pœnam legis bene potest appellari.

6 Septimo, quod debitum à Capitulo non censetur debitum à singulis Capituli: quia aliud est vniuersitas, siue collegium, & aliud singuli vniuersitatis, siue collegij, [t] & aliud Capitulum, & aliud singuli de Capitulo, [v] vbi late Felinus, [x] ex quo & alijs determinat Calderinus, [y] quod fructus obuenientes Capitulo debent distribui canonicis viuentibus nouis tempore distributionis faciendæ, licet obuenissent Capitulo, antequam ipsi fierent noui canonici: quia Capitulum semper est idem. secus de debito à Capitulo, siue debitum fuisset contractum à Capitulo, antequam illi noui fuissent facti canonici, siue post; quia debitum à Capitulo, non debetur F à singulis de Capitulo; & ita præfatus N. non videtur debere quidquam ex quindennijs præfatis, sed suum Capitulum, & consequenter illud est cogendum ad soluendum, & non præfatus N. etiam pro parte ad quam soluendam posset cogi à Capitulo ratione suæ præbendæ. quod confirmari potest per alia multa, quæ citat Felinus. [z]

7 Ex prædictis infertur primo solutio quæstionis, scilicet quid possit, vel debeat facere præfatus N. quo vitet offensam humanam, vel diuinam, & sanctitatis S. D. N. & Capituli sui. Infertur enim primò, quòd quia nemo debet alterius causa adeo prægrauari, nec regulariter cogi ad soluendum alterius debita, [a] probabiliter potest allegare nihil se

a § *in vniuersitatem. de sent. excomm. lib. 6.*

b *In c. eam te. de rescript.*
c *In verb. culpabiles.*
d *De cler. excomm. minis.*
e *In summa de contumacia. §. fi.*

f *In cl. præsenti. verbo consliterit.*
g *Eodē. verb. de pœnis.*
h *In c. Rodulphus de rescrip. à num. 41.*
i *Cle. pastoralis. §. cæterum de re iud.*
k *In cap. 1. de causa possess.*
l *2. quæst. 1.*
m *Cap. is qui §. fin. de sent. excommunicationis li. 6.*
n *In c. cupientes. §. quod si per viginti. ver. priuatos. de elect. lib. 6.*
o *In d. c. Rodulphus. n. 43.*
p *In cons. 100.*
q *De appell.*
r *In d. §. quod si per viginti. de elect. li. 6.*
s *De appella.*
t *L. sed si hac. §. qui manumittitur. ff. de in ius vocan. § qui manumittitur. 12. quæst. 2.*
u *Ca. eam te. de rescript.*
x *Num. 13.*
y *In ti. de præ. cons. 21.*
z *In d. c. eã te.*

a *Ca. non debet. de re. iur. lib. 6.*

debere ob præfata quindénia, quippe quę licet debeâtur à suo Capitulo, non tamen ob id debentur ab ipso: quáuis cogi possit à suo Capitulo ad contribuendam partem, quę suam prębendam contingeret, si Capitulum deberet illa soluere, per proximè dicta.

Secundo, quod etiam iustè posset allegare, se non esse excommunicatum, si excommunicatio lata fuit in Capitulum absolutè, per tertium dictum; immo nec si fuit lata in Capitulum cum additione, & in omnes capitulares culpabiles, si ipse non fuit culpabilis culpa mortifera, per 4. dictum.

8 Tertio infertur, quod etiam potest iustè allegare declarationem, qua est declaratus excommunicatus, non fuisse iuridicam, immo fuisse nullam, si non fuit citatus ad videndum se declarari, per quintum dictum, & Oldradum,[a] vbi concludit exequutionem pœnæ incursæ ipso iure non posse fieri antequam præcedat declaratio valida facta citata parte: pro quo est textus in cap. *cum secundum*.[b] quod habet, quod quamuis bona hæreticorum ipso facto fisco acquirantur, non tamen fit exequutio, & occupatio ante sententiam declaratoriam.

Quarto, quod præfatus N. potest agere de nullitate præfatæ excommunicationis, & præfatæ declarationis ob causas supra tactas.[c]

Quinto, quod præfatus N. potest appellare à præfata declaratione ob causas etiam prædictas.

Sexto, quod potest implorare officium iudicis competentis ad cognoscendum de causis quindenniorum, & eorum à quibus factæ sunt declarationes prædictæ, iuxta cap. 2.[d] & alia plurima, quæ post Panormitanum & Imolensem affert & citat Felinus,[e] & supplicare humiliter, vt iubeat sibi fieri copiam illorum quatuor, quæ in primo dicto desiderantur. Tum quia necessaria sunt ad hoc, vt ipse noscat, an teneatur soluere, nec ne.

9 Tum quia ipse est reus, & reuer. Camera, siue fiscus tenet vicem actoris, siue accusatoris: & actore non probante, reus absoluitur.[f] Tum quia acta in iudicio, tam ciuilia, quàm criminalia sunt edenda parti, & omnia alia instrumenta, saltem causa cognita officis iudicio.[g] Tum quia vnde iura emanant, iniuria non debet prodire,[h] & iniustum esset damnare præfatum N. non facta sibi copia eorum, in quibus præfata reuer. Camera se fundat ad videndum si sint vera ea, quæ apud ipsam contra eum per subreptionem fortè malè allegantur.

Septimo, quod consulendum videtur præfato N. vt adeat aliquem causidicum satis peritum styli curiæ, & roget eum, vt primo componat ei libellum, siue petitionem secundum formam, quam illa seruat in implorando officio iudicis: quod non proponitur pro actione, sed humiliter potest peti ante litem contestatam, ad hoc vt concedatur ei copia præfatorum quatuor, quæ diximus in primo dicto esse necessaria ad respondendum cum debita reuerentia. Secundo, vt componat ei alium libellum; vel aliud capitulum eiusdem libelli, in quo reuerenter dicat præfatam excommunicationem, & declarationem, qua ipse declaratur excommunicatus, esse inualidas, & nullas, & ideo reuocandas, vel certè declarandas esse tales ob causas supra dictas.

Tertio, quod componat alium libellum, vel aliud capitulum eiusdem, quod appellet à declaratione præfata, allegando eam esse nullam, & petendo eam declarari talem ob defectum citationis, & alia supradicta.

Quarto, quod componat alium libellum, vel aliud capitulum eiusdem libelli, quo reuerenter petat absolutionem ad cautelam ab excommunicatione præfata, quam allegat esse nullam ex causis prædictis, offerendo cautionem, quam in huiusmodi casibus mandat offerri Papa,[i] licet enim etiam absque tali absolutione deberet audiri, vt præfatus Oldradus,[k] post alios consuluit; modestius tamen fuerit illam petere: & si stylus curiæ patitur, præfatus causidicus posset addere præfato suo libello, vel libellis appellationem à præfatorum positorum negatione.

Cæterum præfatus d. N. non debet se ob ea, quæ fecit, putare irregularem, neque abstinere necessario à diuinis in foro conscientiæ, neque in foro exteriore, durante lite super præfatis causis nullitatis, appellationis, & iniustitiæ, per ea quæ poterunt postea scribi.

a Conf. 20. n. 58.
b De hær. li. 6.
c In præf. 2. 3. & 4. dictis.
d De offi. iudicis.
e Ibidem.
f L. qui accusat. C. de edendo. cum simil.
g L. 1. & 2. C. de edendo.
h L. meminerit. Cod. vnde vi.
i In c. solet. de sententia excommu lib. 6.
k In præf. con. 20. & 105.

10 Maius dubium esset de suspensione; quia illa potest ferri absolutè in vniuersitatem, Capitula, & conuentum, vt probatur in cap. *quia sæpe*.[a] & dicimus nos in Man. confess.[b] nihilominus tamen idem videtur dicendum de illa: quoniam, vt nos diximus post Caietanum & alios,[c] non potest illa ferri, nisi ob culpam eius, in quem fertur, & consequenter suspenso Capitulo, non censentur suspensi singulares eius, nisi sint culpabiles: at consulens in nulla culpa fuit propter ea, quæ narrantur in casu proposito; ergo neque suspensus. Quæ conclusio iusta, æqua, & sancta videtur nobis per supradicta, omissis alijs, quæ pro & contra adduci possent. Salua, &c.

a De ele. li. 6. c. si sententia. de sen. excom.
b Ca. 27. nu. 165.
c Ind. c. 27. n. 152.

## SVMMARIVM.

1 *Promittens dare tot curiali apud Sedem Apostolicam gratiam impetranti, nolenti promissionem acceptare, nisi pecunia deponeretur, non ligatur quidem ratione pacti, quod parte recusante non intercessit, ligatur tamen ratione promissionis etiam non acceptatæ. & num. 6.*

2 *Ignorans probabiliter quid omnino esse peccatum, à toto excusatur: at qui ignorat solam circumstantiam aggrauantem, pro dicta circumstantia tantum excusatur. at qui solum ignorat pœnam, ab ea non excusatur. num. 3. nisi sit pœna excommunicationis, vel alia admodum extraordinaria, quæ iuste potuit ignorari tali delicto imposita. num. 4.*

3 *Extrauagans Bonifacij VIII. innouata per Gregorium quo ad obligationem denunciandi delinquentes non est vsu recepta.*

## CONSILIVM X.

PRO gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda quidam constitutionis Gregorij XIII. ignarus curiali promittebat ducatos duodecim dare, si gratiam impetrasset: curialis noluit, nisi dictos deponeret ducatos, acceptare, nec promittens voluit depositum facere. Quæritur, an pœnas incurrerit, maximè etiam quia non denunciauit intra triduum.

1 Respondeo primo, quod pro parte affirmante, quod prędictus dominus consulens incurrerit prædictas censuras, facit primò, quòd videtur fecisse pactum de dandis duodecim scutis. Secundò, quòd promisit dare illa. Tertio, quod non denunciauit intra triduum eos, quos nouit pactos fuisse de dando certo pretio.

Secundò respondeo, quòd prædictus dominus consulens non incurrit prædictas censuras bullæ, eo quod fecerit pactum de dando aliquid pro gratia obtinenda: quia non fuit pactum, licet voluisset id facere: is enim, cum quo voluit pacisci, noluit facere quod ipse petebat, nisi depositis in primis duodecim scutis, & illa non fuerunt deposita.

Tertio, quod maius dubium est, an incurrerit propter promissionem: quia licet non peruenerit ad pactum, eo quod promissarius non consensit absolutè, nec acceptauit illam, sed solùm sub conditione, quæ non fuit adimpleta, tamen facta fuit promissio: & ad incurrendas pœnas illius extrauagantis sufficit promissio etiam sine pactione, vt colligitur ex prædicta extrauagante, vt diximus in comm.[d]

Quarto, quod non est minus dubium, an prædictus dominus consulens possit excusari per ignorantiam. Nam pro parte negante facit primo, quod licet ille probabiliter ignorasset prædictam extrauagantem & eius pœnas, non tamen probabiliter ignorabat esse peccatum obtinere huiusmodi gratiam per pecunias, vel per pactũ, vel promissionem dandi eas: quia hoc iure naturali, diuino, & humano antiquiore, & præcedẽti illam extrauagantem erat peccatum, probatur enim in prędicto com.[e] quod omnia illa, quæ prohibentur in hac extrauagante, sunt prohibita iure naturali, diuino & humano antiquiore illa.

2 Secundo, quod licet qui facit aliquid, quod omnino probabiliter ignorat esse peccatum, excusetur omnino à pœna peccati, vt tenet D. Thomas receptus,[f] qui tamen scit, vel scire debet aliquid esse peccatum, sed ignorat aliquam circumstantiam, propter quam est maius peccatum, quàm ipse putat, licet excusetur à tanto, non tamen

d De dat. & promiss. not. 8. num. 11.
e Not. 3. nu. 5.
f 1. 2. q. 76. a. 3.

à toto,ideſt,licet non peccet tantùm,quantùm peccaret,ſi nõ ignoraſſet illam circũſtantiã,peccat tamen tantũ ad quantum ſufficit ſcientia,quam habebat,vel debebat habere.verbi gratia,ſi putans probabiliter hominem dormientem ſub rupe alicuius mõtis eſſe ceruum vel hinnulum eius, occideret ſagitta,nullatenus peccaret:quia ignorat omnino id eſſe peccatũ: ſi tamẽ ſciret,vel deberet ſcire eum eſſe hominem, ignoraret tamen probabiliter & inuincibiliter eum eſſe ſuum patrem, excuſaretur quidem à peccato parricidij,quod eſt maius,quã homicidium ſimplex;non tamen à peccato homicidij ſimplicis:& ita licet excuſaretur à tanto,non tamen à toto,vt ex eodem D.Thoma recepto, [a] colligitur. At prædictus dominus conſulens ſciebat,vel debebat ſcire,vt prędictum eſt,promiſſionem illam eſſe peccatum,licet neſciret aſſe adeo graue, adeoque Apoſt. Sedi exoſum,& adeo grauiter ab ea puniendum.ergo licet non peccauerit tantum,quantum peccaſſet,ſi ſciuiſſet eam eſſe tam grande peccatum;peccauit tamen tantum,ad quantum ſcientia ſua ſufficiebat.

3 Tertio,quod non requiritur, ad hoc, vt aliquis incurrat pœnam alicuius legis,vt ſciat talem pœnam ab ea lege impoſitam,alioqui ruſtici,mulieres, monachi, præſertim incluſi, iniuſtè caſtigarentur pœnis canonum,& legum, quas neſciũt eſſe per illas ſtatutas;cuius contrarium ſeruat totus mundus, & tota Eccleſia Chriſtiana,& probatur per regulam iur.*ignorantia facti,non iuris excuſat.* [b]

Contrarium tamen arbitror eſſe verum,per ea, quæ breuiter tradimus in Man.confeſſ. [c] vbi poſt alia,quæ [d] ſcribuntur,tradimus,quod licet ignorantia, etiam qui eſt cauſa peccati,non excuſet à peccato tranſgreſſionis legis naturalis, vel diuinæ,excuſat tamen à pœna excommunicationis latæ contra tranſgreſſores eius,& etiam ab alia extraordinaria, ſecundum Antonium, [e] & D. Antoninum & alios ibidem citatos, pro quibus eſt textus, [f] & ex his,quæ illis addimus in Manu. [g] vbi tanguntur paulo altius rationes huius concluſionis. Et ita licet prædictus dominus conſulens non excuſetur à peccato tranſgreſſionis legis naturalis diuinæ, qua prohibetur talis promiſſio,excuſatur tamen à pœna excommunicationis, & alijs pœnis valde extraordinarijs pręfatæ extrauagãti adiectis.

Non obſtant oppoſita:quia reſpondetur, cõcedendo quidem prædictum dominum conſulentem non excuſari omnino à toto peccato,ſed ſic à tãto,id eſt,quod peccauit promittendo,ſed non tãtum,quantum peccaſſet,ſi ſciuiſſet promiſſionem illam eſſe adeo grauem, & ſub tam grauibus pœnis vetitam:& quod licet ſciret,vel debuiſſet ſcire promiſſionem illam eſſe peccatum,quia iure naturali, diuino, & humano antiquiore illa extrauagante vetabatur; non tamen ſciebat, nec tenebatur ſcire coram Deo,ſaltem quo ad forum conſcientiæ,tam grandes,& extraordinarias pœnas eſſe adiectas contra illam promiſſionem;quoniam illæ iure humano tantũ infliguntur;& ideo licet incurrerit peccatum, & poſſit ob id iuſtè puniri,non tamen eſt puniendus illis pœnis grauibus, & extraordinarijs,& adiectis illi extrauagãti quas in foro Dei & conſcientiæ iuſtè potuit ignorare, vt bona pars hominum ignorat,licet in foro exteriori præſumeretur ſcire ,quia fuit ſolemniter publicata in locis ad id deputatis.

5 Quinto,quod prædicta extrauagans poſt innouationem ſuam non videtur eſſe recepta quo ad obligationem denunciandi tranſgreſſores eius,ſicut etiam cõdita à Bonifacio viij. nõ videtur fuiſſe vnquã recepta;cuius rei rationes aliàs in ſacro Pœnitẽtiariæ prætorio reddidim[9], & ita quo ad illã partẽ iam non obligat,iuxta notata, [h] & gloſſam celebrẽ & receptam, [i] & ea,quæ latius adducimus in Man.confeſſ. [k] & Miſc. 47. [l]

6 Itaque reſoluendo dubium, dicimus præfatum dominũ conſulentem peccaſſe quidem volendo paciſci, & promittẽdo,ſed non incidiſſe in pœnas extrauagantis. Tum quia licet voluiſſet paciſci,non tamen fuit pactus. Tum quia licet promiſiſſet,& debuiſſet ſcire promiſſionẽ illã eſſe peccatũ,neſciebat tamẽ, nec tenebatur ſcire in foro cõſciẽtiæ tã graues pœnas contra eam facientes eſſe impoſitas;& ita quo ad forum Dei & conſcientiæ non incurrit illas,licet quo ad forum exterius præſumeretur ſcientia,& conſequenter incurſio pœnarum. Salua,&c.

a In d.a.3.& eadem quæſt.
b Li.6.cum ſimilibus.
c Cap. 23. num.47.
d à num. 45.
e Ca.à nobis. 1.de ſẽ. excõ.
f In c.2.de cõ. lib.6.
g Cap.27.nu. 174.
h In ca.leges. 4.diſt.
i In cap.1.de treug.& pace.
k Ca.23.n.61.
l Num.1.

### SVMMARIVM.

1 *Promiſſio de dando pro gratia obtinenda apud Sedem Apoſtolicam eſt ſubiecta pœnis,etiam gratia non obtenta,ſecus quo ad mediatores,qui non promiſerunt,licet auxilium,conſiliũ, & fauorem præſtiterint.num.4.*

2 *Promiſſio illa eſt,qua quis ſe ipſum ſaltem naturaliter obligat, vel intentionem habet ſe obligandi:qualis non eſt, ſi dicam, Talis tibi daret, vel ſcripſit mihi quod tibi daret, tot, ſi hoc faceres. vnde non ſubiicitur pœnis, ſicut nec illa, quæ facta etiam in materia licita non obligaret.& num.4.*

3 *Ignorantia pœnæ excommunicationis,vel alterius exorbitantis annexæ rei iure naturali vel diuino prohibitæ, poteſt eſſe etiam ipſa cauſa peccãdi,quando ſcilicet ſi illam ſcirem,non peccarem,& ita excuſat à pœna, licet non excuſet à peccato.*

3 *Ignorantiam excuſantem à pœna habet ille, qui licet haberet notitiam conſtitutionis prohibentis,ignorabat tamẽ ſpecialiter in ea contenta,ac pœnas,iuncta figuratione quæſtionis.*

## CONSILIVM XI.

TITIVS dixit Sempronio:Ego donarem cẽtum ei,qui mihi impetraret diſpenſationem matrimonialem, quam habeo in hac ſupplicatione expreſſã. Sempronius accepit dictam ſupplicationẽ, & adiuuit Seium,dicẽs ei:Eſt data mihi hæc ſupplicatio; ſi amicus tuus obtinebit hanc gratiam, lucrabitur 100.ſcuta. Seius tradidit illam ſupplicationẽ Meuio, cui dixit eadem verba. Meuius tandem,accepta dicta ſupplicatione, alloquutus eſt ſeruitorem alicuius Illuſtriſſimi pro dicta obtentione, à quo accepit reſponſum, quod ipſe aliàs habuit pro manibus dictam ſupplicationem, & quod ſummus Pontifex nolebat gratiam facere.

Quæritur,an dicti mediatores incurrerint cenſuras extrauagantis Gregorij XIII. *ab ipſo.* attento maximè, quod ipſi mediatores,licet diu Romæ permanſerint,& olim audiuerint in generali,exiſtere quamdam bullam de datis & promiſſis pro gratia & iuſtitia, ignorabant tamen contenta ſpecialiter in ea,& etiam pœnas.

1 Ad hanc quæſtionem reſpondeo multa poſſe pro vtraque parte adduci. Quandoquidem pro parte affirmante facit, quod ad incurrendas cenſuras præfatæ extrauagantis,non requiritur,quod obtineatur gratia,vel iuſtitia: ſed ſufficit promittere,paciſci,vel dare aliquid pro ea obtinenda,vt nos probamus in com.de datis & promiſſ. [a] Neque requiritur, quod promiſſio fiat pro iuſtitia,vel gratia obtinenda in vtilitatem promittentis,ſed ſufficit, quod fiat in vtilitatem tertij, vt adnotamus in d.com. [b] Facit etiam pro hac parte, quod ad incurrendas cenſuras pręfatas ſufficit dare auxilium,conſilium, vel fauorem.

2 His tamen non obſtantibus,pars negans eſt verior. Primo quidem,quod nullus horum quidquam promiſit:aliud enim eſt promittere aliquid alicui,& aliud eſt dicere illi. Ille vel ille daret tibi centum,ſi faceres illud,aut illud. Qui enim promittit, obligat ſeipſum, vel habet animum ſe obligandi ſaltem naturali obligatione,iuxta le.1. [c] & §.*ſi ſcriptum.* [d] & proprius in l.2. [e] quæ habet, proxenetam, & mediatorem, ſiue conſiliatorem, non teneri mandato, vel obligatione deſcendẽti ex illo contractu, qui fit inter alias partes,eo mediante, vel conſulente.

Secundo,quod præfata extrauagans non includit promiſſiones, quæ ſunt ipſo iure nullę,licet in materia minimè vetita fierent,qualis eſt promiſſio iocoſa, vel ab infante, vel furioſo facta; & talis videtur eſſe illa, qua quis dixerit alicui, Petrus mihi ſcripſit,quod daret 100. ei,qui ſibi impetraret illam, vel illam gratiam.

3 Tertio,quod ignorantia præfatorum mediatorum videtur excuſare illos à pœnis præfatæ extrauagantis per ea quæ breuiter tradimus in Manu.confeſſ. [f] vbi poſt alia, quæ [g] ſcribuntur, tradimus,quod,licet ignorantia etiam quæ eſt cauſa peccati,non excuſet à peccato tranſgreſsionis legis naturalis, vel diuinæ: excuſat tamen à pœna excommunicationis latæ cõtra tranſgreſſores eius, & etiam ab alia valde extraordinaria, ſecundum Antonium [h] & D. Antoninũ & alios citatos: pro quibus eſt textus in cap.2. [i] ſi illa ignorantia fuit cauſa peccãdi,ita quod ſi ſciuiſſent tales pœnas fuiſſe impoſitas,nõ fuiſſent tranſgreſſi illam, & ex his quæ illis addimus in eodem Manuali, [k] vbi paulo altius tanguntur ſeminaria rationum huius concluſionis. Et ita, licet præfati

a Nota.8.nu. 11.
b Not.12.nu. 27.
c ff.de pollicita.
d Inſt.de inutil.ſtipula.
e ff.de proxenet.
f Cap.23.nu. 47.
g In nu.45.
h Ca.à nobis. il primo.de ſẽtẽ.excom.
i De conſtit. lib.6.
k Ca.27.nu 172.

non excuſentur à peccato tranſgreſſionis legis naturalis, & diuinæ, qua prohibetur talis promiſſio, excuſantur tamen à pœna excõmunicationis & alijs pœnis valde extraordinarijs præfatæ extrauaganti adiectis.

4 Ad primum oppoſitum reſpondetur, concedẽdo aſſumptum; negando tamen, quod prædicti mediatores fecerint vllam promiſſionem, præſertim talem, quæ obligaſſet eos, etiam ſi fuiſſet facta in materia debita & iuſta.

Ad ſecundum reſpondetur, concedendo aſſumptum, quãdo peruentum eſt ad obtentionem gratiæ; ſecus autem eſt, quando non eſt ad id peruentum, propter rationem neruoſã, quam poſuimus in dicto com.[a] Salua, &c.

a Not. 3.

SVMMARIVM.

1 *Promiſsio generalis ſola intentione mortifera, & talis, quæ nec in materia licita induceret obligationem non videtur ſubiici pœnis extrauag. Greg. XIII. vt etiam dicitur de ſimonia mentali, ſecus eſt de promiſſione tacita, & virtuali.*

## CONSILIVM XII.

AN promiſſio facta ab aliquo pro iuſtitia, vel gratia, per verba generalia, per quæ in foro exteriori non obligaretur ad licita, ſit mortalis, & incurrat pœnas impoſitas à Bonifacio VIII. & Gregorio XIII. in extrauagante *ab ipſo.*[b]

Pro parte negante huius quæſtionis, quæ videtur omiſſa in noſtro cõmentario ſuper eadem extrauagante,[c] facit, quod vt vbi ſupra determinatur, promiſſio, quæ ſola intentione eſt illicita, non includitur ſub illa extrauagante, & quod ad incurrendam pœnam illam non ſufficit intentio, ſiue voluntas dandi, paciſcendi, vel promittendi, etiam illicitè; ſed oportet, quod ſequatur datio, pactio, vel promiſſio illicita; qualis non videtur eſſe illa, quæ ſola voluntate & intentione eſt illicita.

Pro parte verò affirmante facit, quod ibidem determinatur, promiſſionem, & pactionem non ſolùm expreſſam, ſed etiam tacitam contineri ſub eadem, & quod voluntas faciẽdi id quod eſt mortiferum peccatum, eſt mortale,[d] & quod voluntas profectò reputatur.[e]

Facit etiam pro negatiua, quod ſimonia mentalis licet ſit mortifera, nõ tamen ſufficit ad incurrẽdas pœnas impoſitas.[f]

b De rebus dat. & prom. c Nu. 21. & duobus ſeq.

d Cap. ſi cui. de pœ. diſt. 1. e Ca. dixi. & ca. magnam. ead. diſt. f Cap ſi. de ſimon.

SVMMARIVM.

1 *Dans, vel promittens, etiam abſens, ſolicitatori Romæ moranti pro ſtrena bonæ expeditionis beneficij in Curia obtinendi, incidit in extrauag. de datis. abſens autem durante ignorantia bullæ excuſatur, ſed præſens illam ſciens non niſi à pœnis additis per Greg. XIII. conſultéque faciet, ſi ipſe cõdonationem pœnarum, & reualidationem gratiæ in foro conſcientiæ petat.*

## CONSILIVM XIII.

QVIDAM N. reſidens in Hiſpania, & ignorans extrauagantẽ, *ab ipſo*, Gregorij XIII.[g] ſcripſit Romam ad Cęſarem, rogans, vt expediret quamdam prouiſionem cuiuſdã beneficij, ad quod erat nominatus à Rege, promiſſis 40. vel 20. pro ſtrena, vel mãcia bonæ expeditionis qui Cæſar expediuit bene literas, & ex pecunijs, quas per literas cambij miſit, accepit ſibi pro ſtrena 25.

g De datis & promiſſ.

Quæritur, vter eorum, an vterque, an neuter incurrerit pœnas extrauag. præfatæ.

1 Reſpondeo primo, pręfatum N. ſatis excuſari poſſe à pœnis præfatæ extrauagantis ſaltem quo ad forum conſcientiæ, ob ignorantiam, donec ſciuerit præfatam extrauagantem & quod contra eiuſdem extrauagantis prohibitionem promiſſi & accepti illi 25. ducati fuerunt, per quędã, qua de ignorantia ſcripſimus ipſi in[h] Manu. confeſſ.[i]

h Cap. 27. i Num. 274.

Secundo, quod non ſunt mihi vires, quas multum deſiderabam adeſſe ad defendendum Cæſarem, & liberandum ab incurſione trium pœnarum de octo, quas ipſe colligo in cõmentario prædictæ extrauagantis,[k] quamuis quo ad primam & alias quatuor poſtremas arbitror ipſum liberũ eſſe quo ad forum conſcientiæ, ad finem, vt non teneatur ipſe illas per ſe abſque iudicis ſententia ſubire.

k Notab. 31.

Tertio, quod D. conſulens conſultè facit ſeruando hanc rem ſecretam, & petendo in ſacra Pœnitentiaria condonationem harum pœnarum, & reualidationem præfatæ prouiſionis, nullius expreſſo nomine. & quatenus licuerit, nos quoq; fauebimus ei, ad gloriam Dei, qui nos omnes ſaluet. Amen.

SVMMARIVM.

1 *Promiſsio conditionalis dandi, ſi intra tale tempus ei obtinebit gratiam, etſi deſiciente conditione euaneſcat, & ſit nulla, non tamen deſinit comprehendi ſub extrauag. ab ipſo. gratiaque etiam poſtea illius occaſione procurata & obtenta, & ſine qua procurata non fuiſſet, etiam nulla eſt. Itemque & dicta promiſsio etſi nulla ſit, pœna tamen digna eſſe poteſt. num. 3.*

2 *Gratia illa videtur poſſe dici ſubreptitia, quæ fuit obtenta per promiſsionem, ſeu donationem adeo malam, factam mediatori, quam ſi concedens ſciuiſſet, gratiam nequaquam conceſſiſſet.*

## CONSILIVM XIV.

GERMANVS ignorans extrauagantẽ Gregorij XIII. cuidam curiali, & ſecretario cuiuſdam magnatis promiſit 500. aureos, ſi infra annum 1580. à ſummo Pontifice impetraret diſpenſationem. Is à mercatore creditum, ſeu literas obtinuit, & miſit, vt ille poſſet dictam ſummam accipere. Secretarius ſolicitauit dictam gratiam, & poſt annum 1581. eam tandem obtinuit, & literas expediuit. Dubitatur, an promittẽs incurrerit pœnas per Gregorium XIII. poſitas.

1 Perpenſis reſponſis ad quæſtiones prædictas redditis à viro pio, eodemque erudito, vt ipſa indicant, videtur primo, quod præfatus A. non incurrit excommunicationem inflictã per extrauagantem, *ab ipſo.* in foro conſcientiæ, ſi verè coram Deo eius pœnas ignorabat, per ea, quæ ipſe citat, & per ea, quæ nos addimus in Manu. confeſſ.[a] Secunda verò reſponſio: qua concludit præfatam diſpenſationem valere ea ratione, quod nõ videtur impetrata per ſordes, quia nõ fuit impetrata per promiſſionẽ validã, eo quod promiſſio fuit cõditionalis, ſi intra annũ 1580. impetraret, & non fuit impetrata intra illũ, ſed poſtea, vt in facto proponitur, nõ videtur firma. Tum quia præfata extrauagans non requirit promiſſionem validã, ad incurrendas pœnas eius, immo pręſupponit ſufficere inualidam. præſupponit enim pacta, promiſſiones, & alia, quæ vetat, eſſe quidem actiones malas, & ipſo iure nullas, attamen eas ſufficere ad incurrendas pœnas pręditas. Tum quia pręfata extrauagans non requirit promiſſionem, vel pactionem puram, nec conditionalem, ſed ſolum in genere pactionem, vel promiſſionem, quę in caſu propoſito contigit. Tum quod ex prædicta reſponſione ſequeretur, quod valeret omnis iuſtitia, vel gratia impetrata per promiſſionem conditionalem, ſi poſt lapſum temporis ad impetrandum præſtituti impetraretur: quod videtur inconueniens: quoniam aperiretur via fraudandi prædictam extrauagantem: ſiquidem omnis, qui vellet impetrare huiuſmodi iuſtitias, vel gratias; poſſet promittere magnam ſummam alicui, ſi intra 20. dies impetraret eas illi, & ille impetraret poſt 20. dies intra 30. vel 40. quia valeret impetratio, & non eſſet locus pœnis illius. Tum quod in caſu propoſito concurrunt omnia neceſſaria ad hoc, vt habeant locum pœnæ præfatæ extrauagantis, quoniam interuenit in eo pactum, & promiſſio dãdæ pecuniç, immo & datio, & receptio illius, quin etiam obtentio gratiæ: ergo etiam cenſendæ ſunt pœnæ incurſæ, per ea quæ nos in d. extraua.[b] diximus.

a Ca. 27. nu. 274.

b Not. 20.

2 Tum denique quod prædicta pactio, promiſſio, pecuniæ miſſio, & eius receptio fuerunt cauſa, ſine qua diſpoſitio non fuiſſet obtenta: & cauſa obtentionis fuit illicita, ſaltem ex parte ſecretarij, qui ſciens non licere impetrationem gratiæ, vel iuſtitiæ factam ob pactum, vel promiſſionem, dationem, vel receptionem pecuniæ, eam fecit: & quod dici poteſt ſubreptitia, eo quod nõ expreſſit præfata interceſſiſſe: quia clarũ eſt, difficilius Papam conceſſurum fuiſſe, ſi ea ipſi expreſſa fuiſſent.[c]

3 Non obſtat, quod promiſſio conditionalis neminem obligat ante conditionis aduentum. quia ex hoc non ſequitur, quod promiſſio conditionalis ante impletam conditionem non poſſit eſſe mala, & delictum dignum pœna & caſtigatione. Si quis enim promitteret alteri centũ, ſi intra annum occideret aliquem, promiſſio quidem eſſet nulla ante. & poſt impletam conditionem, & non poſſet agi ex illa,[d]

c Ar. c poſtulaſti. & c. ſuper literis. de reſcript. d L. generaliter. ff. de ver. obl. & l. iuris gentium. §. generaliter. ff. de pact. & c. 1. de hom. l. 6.

attamen

attamen ante & post impletam conditionem esset promissio mala,& digna pœna,vt palam est.

a In c.per tuas.de conditionibus appos.

Non obstant etiã ea,quæ citantur ex Panormitano,[a] quoniam nec illud cap. nec aliud ex eo elicitum ab eo & à Preposito & alijs probat non posse dari promissionem ipso iure nullam,quæ sit delictum,& dignum pœna,& castigatione.

SVMMARIVM.

1 *Promittens in partibus certam pecuniarum quantitatem ei, qui dispensationem Apostolicam expeditam tradet, comprehenditur sub extrauagante Greg.& gratia est nulla.etiamsi tertius,qui illum impetrauit,huius esset promissionis ignarus.*

1 *Gratiæ reualidatio per sordes promissas obtenta, ita videtur danda,vt non quod promissum,sed quod labor iuste meretur, soluatur.*

## CONSILIVM XV.

HISPANVS quidam in Hispania promisit 600.scuta N.pro dispensatione ad contrahendum matrimonium super impedimento primi & secundi gradus, soluenda intra triginta dies,posteaquam tradita fuisset dispensatio expedita in manibus eiusdem illam quærentis;& prædictus N.rogauit quemdam amicum Romæ morantem, vt procuraret illam, qui circiter tres annis procurauit eam habere, mediante fauore cuiusdam magnatis,qui obtinuit eam, sed nondum est expedita,metu pœnarũ extrauagantis *ab ipso*.Gregorij XIII.

1 Respõdeo primo,indolere me longè plus quam explicare possim,quod considerationes,quæ mihi subito occurrerunt, cum hanc quæstionem verbo interrogatus fui, ad saluandam dispensationem prædictam,non sunt postea visæ ad id sufficientes.

Secundo,quod non occurrit aliud remedium ad id sufficiens,nisi porrectio supplicationis ad magnatem illum, qui impetrauit illam,vt dignetur supplicare S.D.N. vt eam validam faciat,saltem quo ad forum conscientiæ: attento quod nihil de prædicta promissione sua dominatio reuerendissima sciuit; & quod aliquot confessarij persuaserunt solicitatori præfatæ dispensationis,posse illam procurare, non obstante scientia de promissione prædictorum 600. ducatorum, eo quod ex illis erat soluenda compositio, quæ nesciebatur ad quam vsque summam ascenderet,&c.

Tertio,quod sua Sanctitas dignetur eam validare, adiecta saltem clausula in honorem legis hoc vetantis, ne quidquam soluatur alicui vltra summam compositionis, & cambiorum iustè debitorum,& vltra stipendium, quod iustè debetur ei, qui tanto tempore impetrationem prædictæ dispensationis solicitauit.quæ omnia cedant ad gloriam Dei,qui nos omnes saluet.Amen.

SVMMARIVM.

1 *Promittens certum quid ei qui gratiam à sede Apostolica impetrandam daret expeditam, incidit in extrauagantem de datis & promissis.*

1 *Extrauagans de datis & promissis,ad hoc vt locum sibi vendicet,duo requirit,& sufficiunt,videlicet,quod vbicumque detur,vel promittatur pro gratia in curia Papæ obtinenda, & quod illa spectet ad Papam ratione Papatus,& potestatis ecclesiasticæ.*

2 *Ignorantia bullæ de datis,facilius admitti potest ex eo quod altera Bonifacij erat reuocata,excusatque à pœnis additis per Gregorium,itemque à pœnis positis per Bonifacium,excepta excommunicatione,& nullitate: an antem & ab istis, nec affirmatur,nec negatur.num.3.*

## CONSILIVM XVI.

M.PROMISIT 20.scuta cuidam familiari cuiusdam magnatis,si ei protonotariatũ impetratum traderet:ille impetrauit,& tradidit;& M.soluit illa,& aliquid amplius, ignorando penitus extrauagantem Gregorij XIII. [b] Quæritur,an inciderit in pœnas illius extrauagantis.

b De datis & promissis.

1 Respondetur primo,quod D.orator & consulẽs non potest excusari,eo quod præfata consequutio gratiæ protonotariatus non sit facta apud sedem Apost.propter ea quæ nos scripsimus in comment.præfatę extrauagantis,[c] quoniam assequutio præfatæ gratiæ fuit facta in ipsamet curia, & illa est gratia pertinẽs ad sedem Apost. siue Papam ratione Papatus, & potestatis ecclesiasticæ; quæ duo sufficiunt ad hoc, vt iustitia,vel gratia dicatur facta apud sedem Apost. per iura, & rationes latè adductas ibidem.

c Notab.17.

A

2 Secundo, quod probabiliter responderi potest, præfatum D. consulentem excusari posse, saltem quo ad forum conscientiæ, saltem à pœnis extrauagantis præfatæ Gregorij XIII. quas ipse addidit pœnis impositis à Bonifacio VIII. [a] per rationes,quas nos adducimus in d.commentario eiusdem extrauagantis,[b] & neruosius per iura,& rationes adductas in nostro Manu.confess.[c] quoniam præsupponitur in casu proposito consulentem ignorasse penitus extrauagantem prædictam & in prefatis locis probatur, quod ignorantia talis excusat,saltem quo ad forum conscientiæ,à pœnis valde grauibus,& extraordinarijs, excedentibus naturam delicti; quales sunt profectò pœnæ, quas præfatus Sanctiss.Gregorius addidit extrauaganti Bonifacij VIII. inductæ ad fugandam venalitatem gratiarum, & iustitiæ, quæ non solum in curia,sed etiam in toto orbe Christiano grassabatur.Pro quo vltra ibi scripta facit,quod extrauagans Bonifacij VIII.fuerat olim reuocata,& non ligabat, donec fuisset à Gregorio innouata,vt in d.cõ. [d] dicimus;& ideo facilius potuit ignorari.

a In extraua. 2.de sent.excomm. inter. communes.
b Notab. 23.
c Cap.27.nu. 274.

B

d Prano.2.n. 1.

3 Tertio,quod etiam probabiliter dici posset, præfatum D. consulentem excusari à pœnis contentis in prædicta extrauagante Gregorio XIII.quas imposuerat Bonifacius VIII. excepta pœna excommunicationis,& annullationis gratiæ protonotariatus. An autem etiam ab ipsis excusetur, in præsentia nec affirmo,neque nego.

C

*Aduertendum referri prætorium sacræ Pœnitentiariæ non admittere illam restrictionem,de qua hic nu.1.videlicet requiri,vt facultas gratiam concedendi spectet ad Papam ratione potestatis ecclesiasticæ,siue spiritualis:quia immo sufficit quod ad ipsum spectet ratione temporalis iurisdictionis.Vide item consilium sequens.*

SVMMARIVM.

1 *Procurari licite potest,quidquid licite potest desiderari, immo opus externum videtur esse eiusdem bonitatis, & malitiæ cum actu voluntatis,immo & cum eo vnum solum constituere peccatum.*

D

2 *Disponere & contrahere de hæreditate viuẽtis,est quidem prohibitum,tractare autem solum non.*

3 *Tractare super prouisione beneficiorum nondum vacantium,vt prohibitum quidem supponit Paulus IV. sed intelligitur de tractatu illicito;& continente notabile præiudicium notabiliter detrahendo,vel alium nimium falsè laudando,vel dãdo aliquid temporale,vel spirituale pro ecclesiastico obtinẽdo beneficio.& seq.*

3 *Tractatus præsens,qui fit in finem,vt eueniente vacatione Papatus beneficij.simoniacus ingressus,vel intronizatio indigni impediatur,non videtur de se illicitus.*

4 *Intellectus c.si quis Papa.dist.79.& in vltima eius parte videtur solũ prohibere ne quid tractetur,aut deliberetur de Papatu pro tempore,quo adhuc viuit Papa: licet ex similitudine rationis videatur etiam extendi ad tractatus, qui nunc sede plena fiunt,exequendos autem pro tempore, quo vacabit.num.6.*

E

5 *Intellectus cap.in nomine domini.23.dist. & videntur per illud solum prohiberi venalitates,quæ circa põtificatum,dum vacat,fiunt.*

6 *Donans Cardinali aliquid,vt eueniente sede vacante,suo,& aliorum voto suffragetur tertio,ligatur pœna extrauag.Pauli IV.& est simonia; quæ,si postea Cardinalis dicto tertio det aut procuret votum,erit realis subiecta pœnis.num.8.*

7 *Episcopatum appetere,etsi reprobatum videatur; attamen si à digno appetatur principaliter vt prosit,nec veniale erit peccatum; immo etiam si appetatur secundario ob honores & diuitias, non erit ob hoc mortale, licet Caietanus aliter senserit.*

F

8 *Simonia conuentionalis est.si do tibi,vt in electione ad beneficiũ pro tertio suffrageris;quæ eo ipso,quod suffragium das, efficitur realis supposita pœnis.*

9 *Intellectus extrauag.Bonif VIII.innouatæ à Greg. XIII.est, vt comprehendat etiam Cardinales, & promissiones, donationesque.quæ etiam sede plena fiunt ad obtinenda suffragia sede vacante pro pontificatu.*

9 *Sedis Apostolicæ appellatione etiam in materia odiosa venit tempus,quo ipsa sedes Apostolica vacat.*

CON

## CONSILIVM XVII.

PROMISIT quidam,& dedit alteri quædam bona, vt qua parte poſſet,inclinaret quemdam alium ſe maiorem ad fauendum cuidam Cardinali ſuo ſuffragio, vel alieno in conclaui primo venturo, quod ſede Apoſtolica vacantè contingeret fieri,vt ad Papatum perueniret; & poſtea nulla ſuper hoc diſpēſatione habita,Miſſam celebrauit. Quæritur, an inciderit in pœnas latas in extrauagante Pauli IV.edita aduerſus ambientes Papatum.

1 Pro huius quæſtionis parte negante facit primo,quod lex Iulia de ambitu non habet locum in vrbe Roma, [a] & is, de quo quæritur, fecit id, quod ſupra dicitur,in Vrbe. Secundo,quod quidquid poteſt cupi licitè,videtur poſſe procurari licitè:quoniam actus voluntatis,& opus ei reſpondens vidētur eiuſdem eſſe bonitatis, & malitiæ,immo & ſecundum aliquam rationem vnum peccatum, vt tradit vterque Thomas. [b]

a *Le.1.Co.de ambitu.*
b *In 1.2.q.71. art.7.*

2 Tum quia licet contrahere,vel diſponere aliquid de hæreditate viuentis,ſit peccatum,iuxta cap. 2. [c] tractare tamen non diſponendo,ſed deliberando tantum, an eſſet bonum, vel malum,vt ſic vel ſic de tali hereditate viuentis diſponeretur,non eſt peccatum. Tum quia nihil obſtat, quod damnetur Abſalō,vt habetur Reg.2. [d] quia ille voluit inuadere regnum patris viuentis:at D.conſulens nihil voluit, neque tentauit,quo S.D.N.ſuo Papatu,vel aliquo alio iure ipſius priuaretur;ſed vt Papatus,cum vacaret,cuidam perſonæ alioqui dignæ conferretur. Tum quia nihil obſtat etiam illud horrēdum factum Datan,& Abiron,narratū in [e] Num. quia abſq; vlla poteſtate diuinitus eis data voluerunt vſurpare,quæ abſque illa non valebant exerceri,& quod viuentibus Moyſe & Aarone,vſurpabant eorum officium,& exercitium diuinitus eis tributum. & præfatus conſulens non concupiuit, neque tentauit aliquid contra S. D. N. viuentem, vti prędictum eſt,neque vt poſt eius obitum exerceat quiſquam abſque legitima poteſtate Papatum. Tum quia nihil etiam obſtare videtur illud Apoſt. [f] *Nemo ſibi aſſumit honorem,ſed qui vocatur à Deo,vt Aaron.* quoniam conſulens volebat,vt is, cui deſiderabat Papatum,aſſumeretur per electionem,ſicut fuit vocatus Aaron.

c *De conceſſ. preb.& l. vl. C.de pact.*
d *Cap.17.*
e *Cap.16.*
f *Ad Heb.5.*

3 Tertio,quia extrauagans Pauli IV. nihil videtur obſtare præfato conſulenti. Tum quia fundatur in eo quod conuenticula & tractatus non debent fieri ſuper prouiſione beneficiorum,& aliorum iurium nondum vacātium, pro tempore, quo vacauerint.quod verum eſt de conuenticulis, & tractatibus illicitis;at non ſunt omnia illicita,qualis eſt conuenientium in aliquo loco ad id apto,ad orandum Deum, vt D. N. Ieſus Chriſtus dignetur,quando præſentem ſuum vicarium ad ſe vocabit ſeraphicam gloriam donaturus,inſpirare animis ſuffragaturorum,vt eligant ei ſimilem. Qualis eſt etiam tractatus,quo impediant,ne quis per ſimoniacam labem, vel alium nouum modum Deo ingratum,intrudatur in thronum, quo minime dignus eſt;& alij multi ſimiles. Tū quia vix fieri poteſt moraliter, vt nulli colloquantur,vel tractent inter ſe aliquando, qui eſſent inter Cardinales tam ſublimi & diuino munere digni,& quis dignior altero. Tū denique quod finis eius videtur ſe reſtringere ad tractatus illicitos factos contra ipſum Papam viuentem: & præfatus conſulens nihil tale fecit.

4 Per quæ omnia cōcluditur, quod extrauagans prædicta non includit omnes quomodolibet tractantes de ſucceſſione futuri ſummi Pontificis, ſed tantum de illicitis, & præiudiciū notabile facientibus aliquibus,detrahendo alicui notabiliter, vel nimium,vel falſe laudando alium,vel promittendo dando aliquid temporale,vel etiam ſpirituale,præter ſanctas orationes,& rogationes ad Deum & ſanctos eius.

5 Tū quia etiā Symmachus Papa, [g] ad quod videtur ſe referre prędictus Paulus IV. [h] nō videtur neceſſario concludere cōtra prędictū conſulentē;quia tertia eius pars,quę magis videtur vrgere, loquitur de illis,qui Papa ſuperſtite,& incolumi, deliberant & decernunt aliquid de pontificatu,pro tempore quo Papa viuit,& eſt incolumis:quod præfatus conſulens nō fecit.& quod c. *in nomine domini,* [i] ad quod etiam ſe videtur referre Paulus, ſolū reprobat venalitates,& alia acta illicita, quæ vacante ſummo pontificatu fiunt,& non alia.

g *In c.ſi quis Papa.79.di.*
h *In d.extra.*
i *23.diſt.*

6 Quibus tamen non obſtantibus, contraria pars affirmās videtur verior. Primo per prædictam extrauagantem Pauli IV.quæ non ſolum fundatur in locis ſacræ Scripturæ ſupra citatis,ſed etiam in d.c. *ſi quis Papa.* & in d.c. *in nomine domini.* quæ ſatis videntur extendi poſſe ad conuenticula, & tractatus ſummi Pontificis,qui fiunt tempore ſedis plenę pro tempore ſedis vacantis,licet (vt prædictum eſt) cap. *ſi quis.* etiam poſſit reſtringi ad ea quæ fiunt tempore ſedis plenę,pro tempore quo eſt plena,& cap. *in nomine.* loquatur de faciendis tēpore ſedis vacantis:poſſent inquam extendi, licet ægrè, per identitatem,vel certe per ſimilitudinem rationis, arg. iurium vulgatorum.

7 Secūdo facit cōmunis illa opinio,quæ habet,omnē appetitionē & petitionē epiſcopatus eſſe reprobatam per illud D. Auguſtini, [a] *Locus ſuperior licet,&c.* quod corroborat S. Thomas, [b] quibus verbis S. Thomæ addimus nos [c] quędam,quibus confutauimus opinionem Caietani colligentis ex verbis prædictis S. Thomæ peccatum mortiferum eſſe appetere epiſcopatum ob honorem,& temporaria bona ipſius:mōſtrādo primo,non ſenſiſſe illud S. Thomam, & mox probando, quod abſque peccato etiam veniali poteſt appeti epiſcopatus ab illo,qui eſt eo dignus, dūmodo principaliter appetatur vt proſit, licet minus principaliter appeteretur ob honorem,& fructus eius.

Tum quia talis appetentia ſola nullam iniuſtitiā, neque irreuerentiam Dei continet. Tum quia ſanctè poſſumus appetere,& petere minus principaliter honorē, & bona ſpiritualia,& temporalia à Deo ipſo. Ex quibus reſpondimus nouiſſimè, & (vt puto) veriſſimè, [d] argumento ex S. Thoma, vbi ſupra excerpto.

a *19.de ciuit.*
b *2.2.q.135 a. 1.*
c *In Miſc.42.*
d *In d. Miſc.*

8 Tertio principaliter probatur prædicta noſtra reſponſio irrefragabiliter: eo quod nulli vtriuſque ſexus homini licet committere ſimoniam in ordine,vel beneficio,ſub pœna incurrendi ipſo iure excommunicationem, iuxta extrauagantē. 2. [e] & promittere, vel dare aliquod donum pro Papatu ſibi vel alij quærēdo,eſt ſimoniam committere in beneficio:quia Papatus eſt beneficium, [f] ergo non licet id facere; & ſi facit, incurrit ipſo iure excommunicationem Papæ reſeruatam per extrauagantem Pauli II.& quamuis omnis ſimonia, tam mētalis,quàm conuentionalis,ſit peccatum mortale; ſola tamen realis ex vtraque parte completa inducit prædictam excommunicationem,vt etiam nos poſt alios tradimus in noſtro Manu.confeſſ. [g] & conſequenter prædictus conſulens licet promiſerit,vel dederit, non eſt ipſo iure excommunicatus, niſi ſuffragium,pro quo domus promiſſa eſt,fuerit datum ei pro quo fuit promiſſum.

e *De ſimon.*
f *Ca.1.de maledic.*
g *Cap. 23.nu. 105.*

9 Quarto probatur hæc pars irrefragabiliter per extrauagantem Greg. XIII.quę incipit, *Ab ipſo.* per quam innouauit extrauagantem Bonifacij VIII. quæ ipſo iure excommunicauit,& anathematizauit omnes vtriuſque ſexus,qui dāt, vel accipiunt,promittunt,vel paciſcuntur facere aliquid ad quærendam gratiam aliquam, vel iuſtitiam apud ſanctam ſedem Apoſt.& ſua ſanctitas extendit illam ad auxiliatores, conſultores,& fautores,ſimul addidit alias pœnas longè grauiores illis, quas adiecerāt præfatus Bonifacius. & qui nos conſulit, quærit de illo qui promitteret,aut daret aliquid pro quærendo ſuffragio Cardinalis,quo iuuaretur, vt quidam alius fieret Papa,& per conſequutionem pro quærenda gratia, vel iuſtitia apud ſanctam ſedem Apoſt.apud eam enim eſt electio facienda,iuxta cap. *vbi periculum.* [h] Et hoc quidem fundamentū eſt firmiſſimum omnium,quæ pro reſponſione noſtra citari poſſunt. Tum quia ad includendum aliquid ſub pœnas à ſe latas non requirit realem dationem,nec realem acceptionem, neque reale complementum vtriuſque partis, neque alterius tantum,ſed ſatis eſt vt fiat,vel accipiatur,vel detur promiſſio, vel pactio,vel auxilium,conſilium, vel fauor earum. Solum enim relinquit dubiū,an includat Cardinales: ſuper quo pro vtraq; parte latè diſputato nos diximus in cōmen.extrauagātis prædictæ, [i] Cardinalem Ioannem Monachum videri ſuper hoc ſibimet contrarium, & videri nobis irrefragabiliter probaſſe ibidem,eos contineri quo ad pœnam excommunicationis,& alias duas:quamuis poſſit defendi eos non contineri quo ad alias valde exorbitantes,& duriſſimas, per rationes ibi tactas.quod ipſum videri ſeruandum ex æquo & bono in Epiſcopis,fuit ibidē viſum. Salua emunctiſſima S.D.N. quē D.Ieſus quam diutiſſime ſeruet incolumē, & cuiuslibet

h *De elect. lib.6.*
i *Not.6.nu.11.*

alius

alius sanius sententis censura, in gloriam eiusdem D. N. Iesu Christi, cuius iucundissimum priorem aduetum celebramus, orantes eum humillimè, vt iucundius secundum videamus. Amen.

SVMMARIVM.

2 *Pœna excommunicationis imposita, si aliud non addatur, intelligitur de imponenda, non autem de ipso iure incurrenda.*

3 *Extraxisse non dicitur qui extrahere tentauit, etiamsi rem à loco cœpisset auferre, modo nondum exiuerit territorium. num. 1.*

3 *Facienti pœna imposita non ligat conantem facere, si ad factum non est peruentum, nec etiam ligat mandantem, consulentē, auxiliantemve.*

4 *Mandans solui mercedem extracturis frumentum, censetur mādasse extrahi, sed ob hoc non incidit in pœnam contra extrahentem latam.*

5 *Extrauagans Greg. XIII. lata contra extrahentes vel ementes granum vltra proprium vsum, non habet excommunicationis latæ sententiæ pœnam, nisi eius officiales ipsi illam in suis proclamatis addiderint. num. 2.*

## CONSILIVM XVIII.

1 SANCTISSIMVS D. N. Greg. XIII. prohibuit, ne quis frumentum ex suo statu ecclesiastico extraheret, vel emeret ad alium vsum, quàm suę familię sustentandæ, sub pœna excommunicationis. M. autem nō extraxit, sed emit extrahendum, & negotiandum, soluitque stipendia extracturis: qui tamen non extraxerunt, licet per aliquot milliaria versus extremum status, per quod extrahendum erat, adduxerint. Quæritur, an præfatus M. sit excommunicatus.

Respondeo primo, quod præfatus M. non videtur excommunicatus per solam virtutem bullæ S. D. N. super hac re proprio motu latæ. Quoniam solum prohibet simpliciter sub pœna excommunicationis maioris, non addita clausula, *ipso iure*, nec, *latæ sententiæ*. & prohibitio eo modo facta non excōmunicat transgressorem eius ipso iure, sed solum efficit dignum excommunicatione, iuxta glossam celebrem & receptam,[a] quia in pœnis benignior & mitior interpretatio est facienda,[b] cuius benignitatis exemplum vnum ponit glossa illius recepta per omnes, quod in dubio pœna non est censenda ipso iure imposita, sed per iudicem imponenda.

Secundo, quod non otiosè dixi, *per solam virtutē bullæ*: quia si per alia edicta publica vel proclamata præfectorum annonæ fuisset imposita ipso iure, vel ipso facto incurrenda, aliud esset dicendum; quia virtute huius bullæ confirmantur expresè, vt patet in ea.

Tertio, quod si hæc bulla inflixisset pœnam ipso iure incurrendam, vel si alia edicta præfectorum annonæ eam ipso iure incurrendam intulerunt, præfatus M. censendus esset excommunicatus primo certissimè ratione illa, quod emit quadraginta veheS, siue somas grani ad negotiandum, siue ad mercaturam, & ita transgressus esset prohibitionem secūdam huius bullæ: quia emit ad alium vsum, quàm suū & suæ familiæ sustentandæ.

3 Quarto, quod dubitari potest, an etiā incurrisset propter extractionem. & responderi potest, quod non incurrisset ob solam emptionem etiam animo extrahendi factam, si nō fuit extractum. Tum quia votum, siue voluntas, & conatus faciēdi, si non est peruentum ad factum, non habetur pro facto quo ad incurrēdam excommunicationem etiam ipso iure latam, vt profundius omnibus tradidimus nos nuper in c. *si quis non dicam*.[c] Tum quod lex vel canon excommunicans faciētem aliquid, non includit regulariter solum consentientem etiam mandando, consulendo, faciendo, vel auxiliando, vt latius probamus in nostro Manu. confess.[d]

4 Quinto, ex hoc dicto infertur, quod etiam non incurrit eam eo solo quod dedit pecunias ad soluendam mercedē extracturis: non enim potest dici verè extraxisse; eo quod id fecerit, & censeatur tacitè mandasse, vel rogasse illam extractionem, vel causam ei dedisse: quia nihil eorū sufficit, vt verè dicatur extraxisse; & incidisse in excommunicationem latā contra extrahentem, per citata vbi supra.

5 Sexto, quod gratias ago Deo optimo maximo, quod S. D. N. Gregorius XIII. mediocritatis & moderationis amicissimus præfatam bullam muniuit pœna excommunicationis simpliciter, & non adiecta clausula, *ipso iure*, nec illa, *latæ sententiæ*, nec alia simili, quæ fecisset pœnam ipso iure incurrendam, contra morem aliquorum, qui facile excommunicationes ipso iure incurrendas imponunt, non expēdentes, quod nulla in Ecclesia maior est pœna.[a]

*Aduertendum, referri pratoriū sacræ Pœnitentiariæ tenere, tales incidere in excommunicationem latæ sententiæ: & quod quando concedit vt absoluantur, mandat vt lucrum sic male factum dent pauperibus ijs, qui plus necessario sibi emerunt, & qui extraxerunt soluant deputatis id, quod soluissent, si licitè extraxissent.*

a Cap. 1. de sagittarijs.
b Cap. in pœnis. de re. iur. lib. 6.
c De pœn. di. 1. nu. 2. & se.
d Ca. 27. nu. 51.
a Ca. corripiantur. 24. q. 3. c. quamuis sit medicinalis. c. 1. de sen. excom. lib. 6.

SVMMARIVM.

1 *Scribens & mittens literas moniali, si ad eam non peruenerūt, etsi ex vi verborū videatur ligatus excommunicatione latæ cōtra eisdem scribentes literas-ve mittētes, ex mente tamen legislatoris secus est. num. 2.*

1 *Verba intelligenda sunt nō quidem cum omni effectu extrinseco subsequuto, sed cum eo, quem verba proprie significant, nisi aliud saltem tacite ex mente disponentis colligatur. num. 2.*

## CONSILIVM XIX.

PROHIBVIT Gregorius XIII. sub pœna excōmunicationis latæ sententiæ, ne cuiusdam ordinis fratres scriberent ad aliquas moniales sui ordinis. Quidam frater eius scripsit ad quandam, sed epistola non peruenit ad illā. Quæritur, an sit excommunicatus.

1 Pro parte negante facit, quod verba cum effectu sunt intelligenda, l. 1. §. *hac autem verba*.[b] translatus in cap. *hac verba*.[c]

Pro parte autem affirmante facit primo, quod verba Gregorij prohibent scripta mittere: & præfatus frater scripta misit. Secundo, quod illud elogium, *Verba cum effectu sunt intelligenda*, non debet intelligi de quocumque effectu extrinseco, sed solùm de illo, quem verba propriè significant, vt nos nuper probauimus per multa, in d. c. *hac verba*.[d] & verba præfatæ prohibitionis habent, vt nullus frater scripta mittat; & ita solum requirit missionem scripturæ, quæ est effectus intrinsecus, quem significant illa verba.

2 Nihilominus prior pars negatiua videtur verior, non per illam rationem solam, quod verba sunt intelligēda cum effectu, sed per illam, quod verba sunt intelligenda cum effectu etiam extrinseco, quem intendit legislator, vel alius disponēs, de cuius mente vel intentione constat expresè, vel tacitè, quod etiam vbi supra probamus per l. *si Balsatoram*.[e] quæ habet, promittētē inuenire latronē, nō satisfacere, nisi eū capiat, & iudici exhibeat; & per duo dicta Bartholi de inueniēte bānitos, & de inueniēte aliquē cū armis: qui nō dicūtur satisfacere, nisi capiāt. licet enim verbū, *inuenire*, propriè nō significet capere inuentum. ex mente tamen & intentione statuentium præsumitur id voluisse significare. Licet ergo illa verba Gregorij, *nemo fratrum scripta mittere audeat*, propriè non requirant, vt scriptū perueniat; præsumitur tamen id voluisse: quia non noceret missio scripturæ, nisi perueniret ad quam mitteretur. Itaque arbitror præfatum fratrem peccasse quidem, sed in excommunicationem non incidisse, nisi præfatata scripta peruenissent, ad quam mittebantur, saltem per relationem fide dignarum personarum, &c.

b ff. quod quis que iuris.
c De pœnit. dist. 1.
d Num. 10.
e Co. de fide iuss.

SVMMARIVM.

1 *Extrauagantis Pij V. de electione superiorum Minorum pœnæ.*

2 *Fauorem procurantem cum lex punit, non includit impetrantem ad id literas, si eis non sit vsus. & num. 5.*

2 *Lex non ligat vltra finem à legislatore intentum.*

3 *Legis verba cum effectu sunt intelligenda.*

3 *Facientem aliquid lex cum punit, intelligitur si id perfecerit.*

3 *Fauoris literas qui mihi ad alterum dat, proprie non dicitur fauisse, si illas non præsentaui. num. 3. Sed quid si literas fauoris præsentaui, sed non fauit? vide num. 4. & 5.*

4 *Lex valde pœnalis valde restringenda est. num. 9.*

5 *Lex non includit, quem eius ratio & causa finalis non includit.*

6 *Subornatio, quæ idem est, quod clam ornare & instruere, si fiat secundum veritatem in bonum finem, est bona; si in malum finem, seu per mendacia, est mala. num. 8.*

6 *Lex generaliter loquens, etsi generaliter sit intelligenda, tamē per specialem limitatur. & num. 9.*

7 *Subornatio mala, seu in malū finē, cōtinetur sub lege prohibēte*

*subornationem: bona verò, seu in bonum finem, non.*
9 *Eligantur vt digniores ad publica officia, reipublicæ expedit.*
10 *Prohibet cum lex aliquid generaliter, immo & vniuersaliter, restringitur tantum ad ea quæ sunt mala.*

## CONSILIVM XX.

1 EXTRAVAGANS Pij V. *pastoralis officij nobis.* de electione superiorum ordinis Minorum sic habet: *Qui autem ad officium obtinendum, quorumuis fauorem extra religionem procurauerit, vltra pœnas excommunicationis, & suspensionis, per mensem carceri mãcipetur.* Quidam frater Minor impetrauit literas cuiusdam domini ad quosdam electores, vt ei fauerent; & postea ductus pœnitentia non est vsus literis. Quæritur, an inciderit in prædictas censuras.

Pro parte affirmante, scilicet incurrisse prædictum D. consulentem censuras prædictas, facit, quod verba prædictæ extrauagantis videntur eum includere; & quod non videtur obstare resolutio, quam posuimus in capit. *si quis non dicam.* [a] scilicet, quod lex puniens facientem aliquid non includat conantem facere illud: quia lex hæc non punit vtentem fauore, nec subornantem, sed procurantem fauorem, & negari non potest prædictum D. consulentem procurasse fauorem.

2 Sed contrarium videtur verius. Tum quia legislator non intendit ligare per suam legem aliquem vltra finem, quem intendit: quia actus agentium non operantur vltra intentionem eorum, [b] at intentio, & finis, in quem Pius V. prædictam legem tulit, fuit, ne electores, & prouisores officiorum corrũperentur, & propter fauores indignus digno, vel minus dignus digniori præferretur. At finis hic, seu causa finalis, ob quam lata fuit prædicta lex, cessat penitus in nostro casu: ergo lex quo ad illum cessabit, cũ cessante causa cesset effectus [c]

3 Tum quia vt habetur in cap. *Marchion.* [d] *Nec putemus in verbis Scripturarum esse Euangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum folijs, sed in radice rationis.* & cap. penult. [e] habet, *Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* At voluntas: vt ibi capitur, significat actum voluntatis, & non potentiam volendi, & sic accepta est finis. vt declarat S. Thom. [f] ergo verba legis secundum finem illius sunt interpretanda, & temperanda. Tum quia verba cum effectu sunt intelligenda, vt habetur l. 1. §. *hæc verba*, [g] qui trãsfertur in c. *hæc verba.* [h] & ita verba *procurauerit fauorem*, intelligenda videntur de procurante fauorem cum effectu: quod non fecit prædictus D. cõsulens, qui non fuit vsus literis in sui fauorem obtentis. Tum quia videtur esse casus de hoc in d. §. *hæc verba.* ibi, *Qui voluit statuere, & statuit, sed statutum non habuit effectum, non incidit in pœnam edicti.* Ergo nec D. consulens volens sibi fauere, & impetrans literas, quæ sibi fauerent; si nullum effectum illæ habuerunt, non incidit in pœnam legis: quia pœna legis humanæ posita contra facientem aliquid, non habet locum, nisi perficiatur illud, vt irrefragabiliter probat cap. *cum in cunctis.* [i] adiuncto cap. *perpetuo.* [k]

4 Tum quia prædicta lex est valde pœnalis, & ideo valde restringenda. [l] At de stricta significatione non dicitur quis fauisse, nec fauorem dedisse, eo solo quod voluerit fauere, neque eo quod procurauerit vt alius faueret, si ille non fauit, nec fauet: sicut non dicitur percutere clericum, qui procurauit vt alius percuteret, si ille non percussit, iuxta glossam & ea quæ ei adiecimus in cap. *si quis tam masculum.* [m] Tum quia promittens inuenire latronem, non satisfacit, nisi eum inuentum capiat, leg. si *Barsatoram.* [n] per quam Bartholus [o] ait, quod stante statuto, vt inuentus cũ armis puniatur certa pœna; non punitur, si non fuerit captus: quia mens coniecta, siue coniecturata & præsumpta statuti est, vt inuentio habeat effectum: & ita coniecturata & præsumpta mens Pij V. videtur solùm comprehendere illum, qui fauore vsus est, qualis non fuit dominus consulens.

5 Non obstat oppositum. Quia respondetur primo negando, quod verba prædictæ extrauagantis includant D. consulentem: quia licet procurasset literas, non tamen procurauit fauorem: quia literæ factæ non fuerunt ei fauori. Secundo, quod etiam si verba legis includerent eum; mens tamen, & ratio, & causa finalis legis non includit eum, & consequenter nec ipsa lex, per supradicta. Tum quia negari potest D. consulentem procurasse fauorem: quia vt dixi, licet procurasset literas, non tamen tales, quæ fuerint ei fauori, quia non fauerunt. Tum quia intentio legislatoris non fuit imponere pœnã solum roganti aliquem, vt faueret, nisi rogatus fauorem daret: & qui dat illum per literas, vult quidem fauere, sed non fauet, donec literæ peruenerint ad eum, ad quem dantur. Tũ denique quod cessante causa finali, cessat effectus. [a] At finis principalis huius legis est, ne iudicium electoris corrumpatur per preces alterius: & hæc causa cessat in precibus, quæ nõ perueniunt ad eum, qui desideratur, vt maneat incorruptus, vt palam est. Per quæ puto prædictum D. consulentem non incidisse in vllas pœnas prædictæ extrauagantis præsertim quo ad forum conscientiæ.

6 AN vetita subornatione per dictam extrauagantem vetetur instructio vera, & iusta, & vtilis rei, quã prætendit prædictus Pius V. Et pro parte affirmante facit quod subornare est clam ornare, & instruere; & ita comprehendere videtur bonum, & malum ornatum, & instructionem: & ita qui vetat subornationem, videtur vetare tam bonam, quàm malam: quia lex generaliter loquens, generaliter est intelligenda. [b]

7 Sed contrarium videtur tenendum. Tum quia sicut in Man. confess. [c] diximus, quod duplex est confidentia, bona, & mala, & quod extrauagans Pij V. puniens cõfidentiam debet intelligi de mala, & illicita tantum, & non de bona, & virtuosa; ita subornatio est duplex, licita, & illicita, vt mox dicemus: ergo hæc extrauagans puniens subornationem in genere, debet intelligi de mala, & non de bona: quia de similibus idem est iudicium, [d] & non potest negari has leges in hoc esse similes, cum vtraque sit prohibitiua, & pœnalis, & vtraque puniat aliquid in genere, illa quidem confidentiam, hæc subornationem, quæ sunt duo genera continẽtia sub se duas species, malam, & bonam.

8 De confidentia quidem vbi supra probatur. De subornatione autem sic probari potest, quod subornatio est suasio, qua suadetur verum, vel falsum in bonum, vel malum finem, vt colligitur ex Cardinale, [e] & ex propria significatione verbi, & ea firma ratione, quod illa, qua suadetur verum in bonum finem, est bona, illa verò, qua suadetur falsum, vel verum in malum finem, mala: siquidem admonere testes, vt reminiscãtur quid, & quomodo illa, aut illa facta, vel dicta fuerunt, vt vera testentur, & falsa taceant, vel dicant esse falsa, bonum est, & quotidie à viris iustis iustè litigantibus fieri consueuit; admonere autem contrarium, est malum. [f] Suadere item electoribus virtutes veras, quibus eligendi ornantur, & vitia vera & nota, quibus notantur, vt dignus indigno, & dignior minus digno præferatur, est sanctum; & contra suadere virtutes falsas, & dissuadere vitia nota, quo indignus digno, & minus dignus digniori præferatur, est malum. [g]

9 Tum quia interest reipub. vt digniores ad publica munera eligantur, [h] & consequenter vt electores & prouisores nouerint virtutes veras, & vitia vera, & nota eligendorum, vt possint eligere dignos, & omittere indignos. Tum quia non obstat oppositum: quia potest ei responderi, concedendo legẽ generalem regulariter intelligendam esse generaliter quo ad omnes species significatas propriè per eius verba generalia, sed limitandam esse per leges speciales disponentes contrariũ de aliqua specie ipsius: vt lex de non occidendo, quæ est generalis ad omne animal, intelligenda est tantùm de animali rationali, & non de irrationali, vt ait Augustinus, [i] & S. Thom. [k] & lex stricta de non occidendo homine, iterum restringenda est ad occisionem hominis auctoritate priuata sine necessitate iusta, vel iusto mandato id faciendi. [l]

10 Tum quia decimum præceptum generaliter prohibens concupiscentiam rei alienæ per illam negatiuam, *Nõ concupisces rem alienam*, quę in effectu est prohibitio non solum generalis, sed vniuersalis, qualem facit negatio præposita verbo affirmandi, [m] intelligendum est de concupiscentia inordinata, & mala, & non de ordinata & bona, vt nos post alios declaramus in Manu. confess. [n]

Marginal notes (left column): a De pœn. di. 1. — b Le. in agris ff. de acquir. rerũ domin. & c. fi. de præ. — c Le. adigere. §. quamuis. ff. de iure patro nat. — d 2. quæst. 1. — e De re. iu. li. 6. — f 1. 2. q. 8. a. 2 in corp. q. — g ff. quod quis que iuris. — h De pœ. di. 1. — i § fi de elect. — k Eo. tit. li. 6. — l Ca. pœna. cũ sibi concordã. de pœn. dist. 1. — m De pœ. d. 1. — n C. de fide iuss. — o in l. 1. ff. de acquirend. poss.

Marginal notes (right column): a Ca. cum cessante. de appel. & l. adigere. §. quamuis de iure patr. — b Le. de pretio ff. de public. in rem acti. & c. solita. de maiori. & obedien. — c Cap. 23. nu. 109. — d Le. illud. ff. ad l. Aqui. & ca. dudum. 2. de electio. — e In Cle. 2. de testib. not. 2. — f Ca. 1. & ca. homines. & per totã causam 22. & õnes qu. eius. — g Ar. c. nihil. de elect. cum multis similibus. — h D. ca. nihil. & c. fi. eo. tit. lib. 6. cum similibus. — i Li. 1. c. 20. de Ciuit. Dei. — k 2. 2. qu. 64. art. 1. — l Ca. cum minister 23. q. 5. & c. 1. de homicid. li. 6. & cle. 1. eod. tit. — m Arg. gloss. magn. c. cum dilectus. de cõsuetud. — n Ca. 19. & c.

### SVMMARIVM.

1 *Excommunicatio generaliter lata contra facientes aliquid, non censetur includere nisi illos, qui id faciẽdo peccãt mortaliter.*

2 Excom

2 *Excommunicatio lata contra quomodolibet fauentes bannitis, videtur posse intelligi de ijs, qui eisdem ad maleficium faciendum, vel ad in eo perseuerandum fauent.*
2 *Excommunicatio lata contra iuuantes bannitos ad euadendum, videtur posse restringi, vt non liget eum, qui sine scandalo iuuat ad eum finem, vt melius conuertatur, & pœniteat.*

## CONSILLIVM XXI.

AN Excommunicatio bullæ S. D. N. Gregorij XIII. contra bannitos, afficiat patres, filios, vxores, fratres, & huiusmodi alios consanguineos, qui occultauerint bannitos, aut eis consilium, auxilium, seu etiam pecunias dederint ad aufugiendum, & discedendum è territorio?

An vxores, aut alij propinqui debeant denegare cibaria, & alia, quæ petuntur ab illis bannitis ingredientibus domos eorum?

Quid in euentu, quod isti banniti laborarent morbo, & esset periculum de vita illorum, & peterent ab vxoribus, aut propinquis auxilium, & alimenta?

An parochi debeant tunc eos visitare, siue requisiti, siue non requisiti, quando sciunt eos ægrotare?

Quid, an qui inueniunt bannitos in via, & salutantur ab illis, & interrogantur de aliquibus rebus, debeant illos resalutare, & respondere ad eorum interrogata; & an literæ, quæ mittuntur à bannitis, possint acceptari à propinquis, siue etiam ab extraneis, & aperiri, & legi, & illis responsum dari?

Quia morbo castronico affectus firmiter deliberaui non respondere ad alia dubia, quàm quæ D. N. & summus eius Pœnitentiarius iuberent, donec operum meorum recognitionem, & impressionem, quas frequenter promisi, Deo dante, finirem, eo quod vitæ meæ finem iam appropinquare à præfato morbo sum præmonitus; non decet, nec possum satis ad hæc dubia in præsentia respondere. Sed quia maximè cupio inseruire mittenti ea, dico sequentia.

1 Primum, quod cum interpretatio mentis legislatoris à nemine possit tam aptè fieri, ac ab ipsomet, si est præsens, vt est S. D. N. qui præfatam bullam tulit, videtur eorum declaratio ab eodem petenda.

Secundo, quod cuperem, vt sua Sanctitas declararet solum fuisse sibi mentem quo ad forum conscientiæ includere illos tantùm, qui edicto suo circumscripto, & sublato, mortiferè peccarent, faciendo ea erga bannitos, quæ sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibet. Tum quia excommunicatio generaliter lata contra facientes aliquid, non videtur includere nisi peccantes mortaliter faciendo illud, vt habet communis opinio per cap. *nemo.* & cap. *nullus.* [a] Tum quia olim alius Pōtif. Maximus qui (vt S. D. N.) appellabatur Gregorius declarauit edictum de vitandis excommunicatis, non includere multos, qui piè sine peccato eis communicant, [b] & Innocentius III. declarauit, [c] quod non obstante præfato edicto de vitandis excommunicatis, possunt communicare illis alij, faciendo eis ea, quæ debent per obligationem contractam, antequam excommunicarentur.

2 Tum quia excommunicatio, quæ continet errorem intolerabilem, non valet, [d] & illa dicitur talem errorem continere, quæ fertur contra facientem eleemosynam, vel aliud opus genere suo bonum, vt singulariter ibi dicitur. Tum quia ex procemio bullæ præfatæ videtur colligi, quod solos illos voluit excommunicare, qui vel præsumptiuè receptarent, vel iuuarent bannitos ad malefaciendum, vel in maleficio perseuerandum; & non eos, qui iuuarent ad saluandum eorum animas, vel vitas extrema necessitate pressas, ad finem se salubrius conuertendi, & pœnitendi, [e] & per alia iura, quæ allegat Speculator, [f] ad asserendum, quod vxor banniti potest ei communicare. Tum quia legum Cæsarearum latores, decernendo minori pœna esse afficiendos consanguineos receptantes, quam extraneos, eo quod præsumitur minus peccare; significant, eos, qui absque vllo peccato receptarent illos, nulla pœna puniendos, si eorum innocentia nota esset coram Deo; & consequenter qui in foro conscientiæ, in quo nota sunt omnia, nihil peccauerunt, nihil pœnæ mereri. Tum quia particula illa bullæ, quæ excommunicat eos, qui cibis, commeatu, auxilio, consilio, vel fauore, vel quocumque alio modo, etiam vt euadant, &c. posset quo ad forum conscientiæ restringi, vt non comprehendat eos, qui iuuarent bannitos ad euadendum manus iustitiæ sine scandalo, & violentia, ad finem se melius conuertendi, & pœnitendi. Tum quia, vt alibi post Caietanum diximus, licet in foro conscientiæ capto fugere de carcere sine violentia, & fractione.

Tertio, quod si sua Sanctitas declararet præfatam mentem sibi fuisse, omnia supradicta dubia remanerent soluta in magnam tam pœnitentium, quàm confessariorum consolationem. Salua, &c.

[a] 11. qu. 3.
[b] In ca. quoniam multos. 11. q. 3.
[c] In c. inter alia. de sen. excomm.
[d] Ca. venerabilib⁹. § porro de sen. excom. lib. 6.
[e] Ar. ca. cum voluntate. de sent. excō. & c. pasce. 86. d.
[f] In tit. de dote post diuort. restitu. § forma tis. ver. quid si.

### SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus non est receptans, quem dubitat esse bannitum famosum, & seq.*
2 *Banniti tantum famosi per bullam Greg. XIII. vitandi.*

## CONSILIVM XXII.

1 QVidam iuuenis explosit archibusium in quemdam inimicum suum, quem tamen non percussit, & post aliquot dies adiuit quoddam monasterium, cui erat maximè amicus, & rogauit Prælatum, vt eum hospitio susciperet: qui respondit, videri sibi non posse id facere propter bullam Gregorij XIII. contra bannitos, sed à quodam presbytero sæculari persuasus contrarium, suscepit eum. Quæritur, an inciderit in censuras bullæ.

1 Respondeo, verba quidem facere pro parte affirmante, quatenus lata est contra recipientes bannitos, & capitali crimine diffamatos. Sed contrarium videtur tenendum. Tum quia præfatus iuuenis non fecit id notoriè. Tum quia præfatus D. Consulens, licet audiuisset eum id fecisse, nesciebat tamen, an esset manifestum per famam: quia non quælibet auditio, & informatio facit aliquid esse famosum, sed illa tantùm, quæ nascitur ex dicto alicuius, qui vidit rem fieri, & creditur à toto populo, vel collegio, vel maiore parte illius. Tum quia, licet rumor ille esset comitatus omnibus, quæ requiruntur ad conficiendam infamiam, vel diffamationem: D. tamen consulens nesciebat illud: & ita ignorabat illum esse diffamatum ea infamia, quæ iure ad id requiritur.

2 Tum quia mens conditoris extrauagantis non fuit includendi omnes capitaliter delinquentes palam, vel occultè, sed eos tantùm, qui ex professo exercent huiusmodi delicta. Tum quia vsus, & cōsuetudo intelligendi eam, id habet: alioquiin sequeretur, quod nullus delinquens Romæ publicè, vel occultè crimen capitale; contra quem esset fama, posset recipi ab aliquo in domum suam. cuius contrarium notoriè seruatur in ea, in qua quotidie parentes, cognati, chirurgi, & nobiles recipiunt, & alunt, donec à iudice iubeantur comprehendi: immo & publicè manent in asylis, siue franchisijs Cardinalium, & Legatorum, licet non solùm diffamati sint de illo delicto, sed etiam sciatur ipsos id fecisse. Tum quia alioquin sequeretur, quod includeret omnes delinquentes capitaliter in toto statu Ecclesiæ: quod est absurdum. Itaque D. Consulens securus potest agere diuina: eo quod nesciebat crimen eius esse iure famosum, licet aliquam de illo informationem haberet: & quod crimen iuuenis non includebatur in præfata bulla secundum mentem eius, & vsum intelligendi eam, &c.

## CONSILIVM XXIII.

2 QVidam ob homicidium, & alia delicta, fuit bannitus cum omnibus complicibus suis: quorum tamen nullus fuit nominatus in sententia, neque processu.

Quæritur, an bulla Sanctissimi D. N. [a] excommunicans receptatores bannitorum, & illis consilium, auxilium, & fauorem quomodolibet præstantes, includat eos, qui sciunt aliquos sibi notos fuisse complices illius, sed manent, & manserunt in suis domibus cum sua familia, & non fugerunt, sed communicant cum suis vicinis perinde, ac si non fuissent banniti.

1 Respondetur, quod pro parte affirmante facit primo, quod bulla excommunicat omnes receptantes bannitos, & quomodolibet eos iuuantes: & D. consulentes aliquo modo iuuant præfatos generaliter bannitos, qui verè sunt banniti, licet vulgus nesciat eos esse tales.

[a] Est bulla [illegible] Gregorij XIII. [illegible] incipit [illegible] que.

2 Secundo, quod ante extrauagantem *ad euitanda.* Martini V. cuius verum tenorem nos tradimus in Manual. confess. [a] excommunicantes participantes cum excommunicatis, includebant participantes scienter cum excommunicatis generaliter, licet non essent nominati, neque denunciati, [b] ergo & hæc bulla excommunicans generaliter iuuantes bannitos, includet iuuantes bannitos generaliter, etiam si non sint nominatim banniti.

3 Pro parte autem negante facit primo, quod excommunicatio maior non debet ferri, nisi contra peccantem mortaliter, [c] & quod dicti consulentes non videntur etiam venialiter peccasse communicando cum eis, non mutando post illud bannum generale communicationem, quam ante illud habebant ad illos, qui nullam mutationem ob illud bannum fecerunt.

4 Secundo, quod S. D. N. qui intendit per bullam præfatam vitare peccata, non intendit inducere illa: cum intendens aliquid, non intendat contrarium eius. [d] At si includeret dictos consulentes sua bulla, videretur inducere ad peccandum peccatum detractionis: quia, qui detegit peccatum alterius præter ordinem iuris, peccat infamando, [e] & si præfati consulentes non communicarent, vt antea, præfatis bannitis, etsi non verbis, saltem factis detegerent peccatum illorum, & infamarent. ergo non est intentio Sanctiss. vt se à consueta communione innominatorum, & secretorum, siue ignotorum separent.

5 Tertio, quod qui vitabat in præsentia aliorum occultum excommunicatum, etiam ante præfatam extrauagantem *ad euitanda.* peccabat: quia faciebat iniuriam ei, vt post Ioann. Maiorem, [f] dicimus nos in Manual. Confess. [g] ergo à fortiori peccarent consulentes, significantes eos esse bannitos, separando se à communicatione illorum: quod sua Sanctitas nullatenus videtur intendisse.

6 Quarto, quod cessante ratione legis, & mente legislatoris, cessat dispositio legis. [h] At in casu proposito ratio, & mens præfatæ bullæ videtur cessare: quia ratio, & mens fuit necessitas arcendi homines in delinquendo contumaces: quales non fuerunt, nec sunt præfati banniti, cùm non exerceant sic contumaciter delicta, nec à tempore banni reliquerunt suas domos, & familias, nec habitationem pristinam.

7 Quinto, quod probabiliter dici potest, quod illa verba bullæ, *Receptatores, & quomodolibet auxilium, consilium, vel fauorem præstantes*, sunt intelligenda de his qui receptant, vel iuuant directè, vel indirectè bannitos, quo ad delicta, quæ exercent, & non de alijs, qui neque directè, neque indirectè iuuant ad exercendum ea. Tum quia quadamtenus impium esset dicere, per præfatam bullam excommunicari confessarium, qui piè audiret bannitum pœnitentem, præsertim in articulo mortis, & qui cibaret, potaret, & hospitio susciperet eum egentem extremè, & qui oraret, immo & missaret pro eo, vt conuerteretur, & qui consuleret ei, vt cessaret à grassatura, & alijs malis: eo quòd nec directè, nec indirectè iuuaret eum ad id, à quo intendit bulla arcere.

8 Tum quia, vt ait Caietanus, [i] quem sequuti fuimus in dict. Manual. [k] propriè loquendo, fautor hæretici solus est, qui fauet hæretico vt hæretico: & similiter defensor hæretici solus est, qui defendit hæreticum, quatenus hæreticum. similiter receptator hæretici solus est, qui recipit hæreticum, quatenus hæreticum, quoniam ex intentione, & proposito maleficia distinguuntur, iuxta cap. *cùm voluntate.* [l] quod ipse non citat.

9 Et quòd, vt ipse ait, termini formaliter sunt intelligendi apud sapientes in qualibet facultate: pro quo aptus textus in l. *in delictis.* [m] & vltra ipsum facit, quod tenetur quis hæretico extremè egenti subuenire. [n]

10 Et quod potest quis, licèt non teneatur, eidem etiam non extremè egenti subuenire, quatenus est homo, arg. ca. *duo ista nomina.* [o] ibi, *Quia peccator est, corripe: quia homo, miserere*, & ibi: *Nulli homini claudenda est misericordia, sicut nulli peccatori impunitas relaxanda est.* Tum quia alioquin omnes ferè Catholici, etiam religiosi, Germaniæ, Angliæ, Scotiæ, & bonæ partis Galliarum inciderent in censuras bullæ cœnæ, quippe qui habent commercium cum hæreticis, quatenus sunt homines, quod sine aliquo fauore, vel auxilio eis præstando, haberi nequit. Quare videtur concludendum, præfatos consulentes non incidisse in præfatam bullam quo ad forum conscientiæ, & verum Dei iudicium, neque quo ad forum hominum exterius, si probauerint ea, quæ proponunt.

a Ca. 27. n. 35.
b Quoniam. 11. q. 3. c. cum desideres. de sen excom. cũ eis adnot.
c Cap. nemo, & ca. nullus. 11. qu. 3.
d L. rem legatam. ff. de adimen. lega. c. fi. de ver. signi.
e Capit. inter verba. 11. qu. 3. & c. quis aliquando. §. secreta. de pœnit. d. 1. cũ eis adnot.
f In 4. dist. 18. quæst. 2. col 8.
g Ca. 27. nu. 27.
h L. fi. ff. de hæred. inst. & l. quod dictum. ff. de pact. ar. c. Marchion. 1. q. 1. c. fin. de reg. iuris. li. 6.
i In sum. ver. excomm. c. 1.
k Ca. 27. nu. 55.
l De sent. excomm.
m §. 1. ff. de noxal.
n Ar. [illegible] cinci.
o 23. quæst. 4.

11 Ad primum oppositum responderi potest primò, negando, quod verba præfatæ bullæ includant consulentes: quia licet communicent, & iuuent aliquo modo, non tamen communicant. nec opitulantur eis, tamquam bannitis, sed tamquam Christianis vicinis in suis domibus manentibus, vti non bannitis: & ita non dicuntur adiutores bannitorum, cùm non iuuent eos tamquam bannitos per præfatam determinationem Caietani, [a] multis confirmatam.

12 Secundo, quòd verba bullæ accepta secundum rigorem logicum includerent consulentes: quia communicant eis, qui verè sunt banniti: sed non tamen, quòd includant intellecta secundum rationem bullæ, & mentem eam ferentis, per prædicta, secundum quas intelligenda sunt iuridicè, iuxta cap. *intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed sermo rei debet esse subiectus.* [b]

13 Ad secundum responderi potest primò, quòd nimium rigorosi visi fuerunt canones illi antiqui, iubentes vitare excommunicatos generaliter, Martino V. & Concilio Constantiensi: & ideo per præfatam extrauagantem, *ad euitanda*, fuerunt temperati. & credendum est Sanctiss. D. N. qui temperantiam, & mediocritatem maximè colit, maluisse sequi mediocritatem Martini V. quàm extremitatem, & rigorem canonum antiquorum. Secundo responderi potest, multò maiorem rationem dictare, vt vitetur excommunicatus generaliter, quàm vt vitetur bannitus generaliter: siquidem excommunicatio iure diuino dictat, & habet executionem suo iure innatam: ita quod nec appellatio iusta eam suspendit, [c] bannitio autem iudicis humano iure dictat, & non habet executionem innatam, vt palam est.

a Vbi supra.
b De ver. sig.
c Ca. pastoralis. §. verum de appellat.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus publicus censendus est, qui coram maiori parte conuentus clericum à sede expulit, vel brachio violenter traxit.*

## CONSILIVM XXIIII.

QVæsitum est, an monachus ante legitimam ætatem ordinatus presbyter, & solitus sedere vltimus presbyterorum, donec celebraret, & adeptus legitimam ætatem iussus celebrare, vel vltimus presbyterorum sedere, & parens alteri parti præcepti disiuncti sedendo in vltimo loco, cùm post aliquot dies gratiæ agerentur in mensa, surrexit, & vt caperet locum inter sacerdotes sibi competentem iuxta tempus suæ professionis, manus intulit violentas in duos presbyteros superius sedentes, alterum brachio trahens, alterum à pectore excutiens, inciderit in canonem *si quis suadente.*

1 Respondeo primo, multis modis ipsum lætaliter peccasse. Primum, volendo auctoritate priuata proximum à loco, quem possidebat, expellere in præsentia iudicis superioris vtriusque, à quo poterat petere restitui sibi eum, si ad se pertineret. Secundo, contraueniendo præcepto superioris à se acceptato. Tertio, gratias, quæ Deo pacificè agi cœperant, interturbando. Quarto, totum conuentum scandalizando. Quinto, manus iniuriosas in duos presbyteros iniiciendo: & proculdubio ipsum incurrisse, & grauissimè in præfatum canonem. Tum quia iniecit manus iniuriosas in presbyteros auctoritate priuata. Tum quia voluit possessionem sui loci contra superioris præceptum.

Secundo, quod non solum peccauit mortaliter omnibus modis supradictis, sed etiam incurrit excommunicationem maiorem per præfatum canonem fulminatam: & adeo quidem, quod sine alia iudicis auctoritate debuit ab omnibus euitari: quia licet excommunicatus à iure regulariter non debeat vitari, donec denuncietur, per extrauagantem *ad euitanda.* Martini V. cuius tenorem referimus nos in Manual. confess. [d] fallit tamen in iniiciente manus violentas notoriè in clericũ, vt ipse iniecit, cum id maior pars conuentus viderit: præsertim quòd clerici, in quos iniecit, erant presbyteri: quod plurimum auget peccatum: quod vtinam ei, & mea mihi condonet Dominus noster Iesus Christus, qui peccantium miseretur. &c.

d Ca. 27. n. 35.

SVMMARIVM.

1 *Clericus casu cum vxore inuentum occidens non est excommunicatus: secus, si ex præcedente maturo iudicio id faciat.*

## CONSILIVM XXV.

AN cap. *si verò.* [a] habeat locum in eo, qui occidit presbyterum inuentum cum vxorę sua?

1 Respondeo, quod sic, si casu inuenisset, & ex continenti occideret illum, non autem qui postea, & remisso dolore, id facit, secundum Angelum. [b] Sed quid de marito, qui se abscondit domi, vt presbyter id ignorans veniret ad domum, & inuentum cum vxore occideret eum? Et videtur idem, cum contextus illius ca. generaliter loquatur, argument. l. de pretio, [c] & quia intentio Papæ videtur fuisse, quod maritus non incideret in excommunicationem ob percussionem clerici in casibus, in quibus liceret lege sæculari eum percutere.

Quare quicquid sentiat Fortunius, [d] infero quòd si in casu proposito, non occidit impetu subito doloris, sed præcedente maturo iudicio, tutius dicitur, quod sic, secundum mentem Angeli. [e]

a 1. de sen. excom.

b Ver. excommunicatio. 7. §. 9.

c ff. de public. in rem. act.

d In tractatu de vltimo fine, illatione 11. vers.

e Ver. ex communicatio. §. 19.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicationem non incurrit, qui legendo schedulam, iratus, clericum, qui eam legere volebat, tangendo repulit.*

## CONSILIVM XXVI.

AN canonicus, qui subiratus ob quædam contenta in quadam schedula, quam legebat, cõcanonicum petentem, vt sibi faceret copiam eam legendi, repulit à se, tangendo eum manu, qui non accepit illud in iniuriam, incidat in canonem, *si quis suadente.*

1 Respondetur, quod non: quoniam nemo incurrit excommunicationem maiorem generaliter latam, nisi ob peccatum mortiferum, [f] & prædicta repulsio facta inter amicos concanonicos, & familiariter conuersare solentes, non videtur culpa mortifera: quia in omni materia paruitas rei excusat à culpa mortifera, per ea, quæ tradimus in Manual. confess. [g] post S. Thomam, & alios in multis locis: & magis excusat inter amicos, & socios, & inter se conuersare solentes, quàm inter alios. [h]

f Cap. nullus. & c. nemo. 11. quæst. 3.

g Præ. 9. n. 12.

h Ar. c. quoniam de vita & hon. cleri.

SVMMARIVM.

1 *Clericum arma portantem in Gallia iudex sæcularis punire virtute consuetudinis potest.*
2 *Clerici noctu arma portantes capi solent.*
2 *Clericos arma portantes in Hispania sæcularis iudex non punit.*
3 *Clericos arma portantes si apparitores capiant, non peccant, nec incurrunt excommunicationem. & seq.*
4 *Clericos arma portantes velle delinquere præsumitur.*
5 *Apparitores clericos capientes, vt eos armis spolient, peccant.*
5 *Apparitores arma à clericis capta ante condemnationem restituere non tenentur.*
6 *Prætor est Iudex competens ad armorum restitutionem clericis faciendam, & an sit Episcopus dubium.*

## CONSILIVM XXVII.

PRæfectus vigilum Sæcularis, agens noctu excubias, inuenit clericum ordine sacro insignitum armatum, quem iustè potuisset capere, & deducere ad Episcopum, vel Proepiscopum. clericus autem tradidit ei sponte arma, ne duceretur ad Episcopum. Quæritur primo, an præfatus Præfectus vigilum inciderit in excommunicationem cap. *si quis suadente.* [i] Secundo, an saltem male fecerit, & peccauerit. Tertio, an puniri possit ab Episcopo?

1 Ad supradicta respondeo primo, quod in Gallia ob crimen, quod appellatur in ea portus armorum vetitus, iudex sæcularis potest punire clericum arma indebitè portantem pœna ciuili, virtute consuetudinis immemorabilis, quę habet vim priuilegij, [k] vt latè refert Stephanus Aufredus [l] & consequenter posset in illo regno Præfectus vigilum, vel is, ad quem ea de re notio pertinet, punire eum pœna perditionis armorum, vel alia maiori, pro excessus qualitate.

i 17. quæst. 4.

k Iuxta l hoc iure §. aqua ductus. ff. de aqua quotidiana: & æstiua. & c. super quibusdam. §. præterea. de verb. sign.

l In repetiti. cle. 1. de offic. ordinarij, regul. 1. fallentia 10.

2 Secundo, quod certum est apparitores, siue Algoziles iudicum sæcularium Hispaniæ frequenter capere clericos, etiam ordinum sacrorum, & scholasticos à iurisdictione sæculari omnino exemptos, portantes arma noctu: & quod rogati ab eis, ne ducant eos ad manus Episcopi, vel ad magistros scholarum, dimittunt illos, armis tamen sibi sponte dimissis, quod in vtrorumque vtilitatem cedit. Nam clerici, & scholastici non deducuntur ad iudices suos, & sequenti die pauca pecunia redimunt arma, & mox etiam aliquando nocte sequenti deferunt illa, & inuenti cum eis, iterum traditis illis apparitoribus, soluuntur, & sequenti mane iterum redimunt ea: ita, quod illa gestatio armorum sit quædam vindemia, & messis apparitorum.

Tertio, quod nusquam legi, nec audiui, quod iudices sæculares, nec apparitores Hispaniæ allegarent pro se consuetudinem similem illi Gallicanæ immemorabili, quæ priuilegium generaret in Hispania sæcularibus castigandi clericos super crimine portus armorum.

4 Quarto, quod credo apparitores huiusmodi non incidere in excommunicationem præfati canonis *si quis suadente.* non quidem eo quòd capiunt eos portantes arma: quia licet eis id facere ob rationem infra in 5. fund. scriptam: & ita non peccant in eo mortiferè, quod requiritur ad incurrendam excommunicationem maiorem, [a] non etiam eo quòd capiunt arma: quia non tollunt illa violenter, quod canon requirit, sed sponte data recipiunt. Nec obstat, quòd metu deductionis ad competentes iudices illa tradunt. Tum quia ad incurrendam excommunicationem illius canonis non sufficit metum iniicere, neque metu iniecto bona capere, sed requiritur, vt violentia fiat personæ gaudenti priuilegio illius canonis: verba enim eius sic habent, *Si quis suadente Diabolo manus violentas, &c.* Tum quia apparitores non inferunt illum metum iniustè, sed iustissimè: quia iustè possunt eos ducere, ad suos iudices, & huiusmodi metus non inducit violentiam, immo neque metum, ex quo nascatur actio, quod metus causa, vt est casus singularis in l. *si mulier.* [b]

a c. nemo, & c. nullus. 11. q. 3.

b ff. quod metus causa, cũ cita sua glo. in hoc apta.

Quinto, quod præfati apparitores non peccant eos capiendo: quia licet neque iudex secularis, neque apparitores eius possint regulariter auctoritate propria clericos capere, fallit tamen quando id faciunt ad obuiandum delicto committendo, siue constet, quod volunt committere delictum, siue præsumatur, iuxta glossam adiuncto textu, [c] quam in hoc commendat Decius, [d] vbi [e] dicit Panormitanus, quod familia potestatis sæcularis potest capere clericum incedentem noctu cum armis, quia præsumitur ire ad delinquendum.

c In c. 2 de hæreticis.

d In cap. cum non ab homine de iudicijs nu. 10.

e Et in ca. vt fama. de sententia excõ.

4 Sexto, quòd arbitror præfatos apparitores peccare grauiter coram Deo, capiendo eos principaliter vt quærant arma eorum, & eis acceptis eos dimittant. Tum quòd sine iusto titulo videntur ea capere, cùm non deducant eos ad iudices competentes: quia non faciunt id, ob quod accipiunt illam potestatem capiendi, quæ est causa capturæ, scilicet, deductionem ad iudices competentes. Hoc tamen peccatum, quia non est peccatum violentiæ illatæ personæ clerici, vel scholastici, non videtur sufficiens ad incurrendam præfati canonis censuram per prædicta.

5 Septimo, quòd præfati apparitores possunt per iudices competentes ob hoc peccatum, vel delictum puniri: quia interest reipublic. delicta puniri. [f] Arbitror tamen non teneri eos ad restitutionem de præcepto in foro animæ, donec condemnentur: quia arma prædicta videntur dari ob turpem causam, ne scilicet iustè capti deducantur ad iudices competentes, & ob turpem causam sunt accepta, nempe ne deferant captos ad præfatos iudices, ob quam deductionem data est illis potestas illa capiendi: & nos probamus efficaciter in Manual. confessariorum, [g] turpiter datum, & turpiter acceptum non esse de præcepto restituendum.

f L. ita vulneratus ff. ad l. Aqui. ca. vt fama. de sententia excõm.

g Ca. 1[illegible]

Octauo, quod puto præfatos clericos non posse arma illa repetere, etiam in foro exteriori, per l. *vbi.* & seq. [h] quæ habent expressè non posse repetere eum, qui turpiter dat, ab eo qui turpiter accipit.

h ff. de condic. ob tur caus.

6 Nono, quod certum est iudicem sæcularem, cuius est apparitor, esse iudicem in hoc competentem. An autem idem dici possit de Episcopo, vtrum sit iudex competens, videtur

dubium. Nam pro parte affirmante facit, quod capiendo arma clericorum videantur capere res ecclesiasticas, & ita sacrilegium committere,[a] ratione cuius possunt conueniri coram vtroque iudice, tam ecclesiastico, quam saeculari.[b] Sed pars negans videtur verior. Tum quod nec Rex Hispaniae, nec iudices eius id paterentur. Tum quod, licet clerici sint ecclesiastici, arma tamen eorum non sunt res Ecclesiae, nisi essent monachi, quorum omnia bona sunt ecclesiastica,[c] quo casu de rigore iuris posset pars affirmans teneri. Salua, &c.

a *Arg. ca. qui praedia. 12. q. 2.*
b *Ca. cum sit de foro comp.*
c *Cap. non dicatis. 12. qu. 1.*

SVMMARIVM.

1 *Praelati correctionis causa verberare subditos possunt, per se, vel alios, etiam laicos ex consuetudine. num. 4. & 6.*
2 *Ignorantia facti, & non iuris excusat, nisi sit obscurum seu parum frequentatum. num. 2. 5. & 7.*
3 *Error malè intelligendi priuilegia, seu leges, excusat. num. 7. & vlt.*
8 *Ignorantia iuris probabilis aequiparatur ignorantiae facti, & excusat à culpa & à poena pro ea posita. num. 8. & 9.*
9 *Ignorantia iuris excusat religiosos, qui illud scire non tenentur.*
10 *Consuetudo à culpa & à poena excusat, & humanae legi derogat. num. 10. & 11.*
11 *Consuetudo est rationabilis, quando non est contra ius diuinum, & decentia fauet.*
12 *Consuetudo etiam irrationabilis ab excommunicationis poena excusat, licet non à peccato.*

## CONSILIVM XXVIII.

Qvidam Praelatus ordinis Minorum, bona fide credens id sibi licere, fecit causa iustae correctionis verberare quendam religiosum sibi subditum per laicum familiarem monasterij deferentem habitum tertij ordinis Minorum. Quaeritur, an sit excommunicatus.

1 Respondeo primo, pro parte negante facere duo priuilegia Alexandri VI. & Leonis X. quibus facta est Praelatis fratrum Minorum facultas castigandi subditos suos per alios, non obstante cap. *vniuersitatis*.[d]

2 Secundo, quod ignorantia excusat quem à poena, etiam in hac ipsa materia,[e] & aliquando etiam à culpa,[f] & specialius quo ad materiam nostram in cap. 2.[g]

3 Tertio, quod nemo incurrit excommunicationem ipso iure ob aliquam dispositionem generaliter excommunicantem, nisi propter peccatum mortale.[h] At praefatus Praelatus non videtur peccasse mortaliter.

4 Pro parte autem affirmante facit primo praefatum cap. *vniuersitatis*, quod habet in summa Abbates, & alios Praelatos inferiores Episcopis, posse quidem causa correctionis verberare suos subditos per alium, modo ille sit clericus vel monachus; & in casu nostro verberatio fuit facta per alium, qui non erat clericus, nec monachus.

5 Secundo, quod ignorantia iuris regulariter non excusat, cap. *ignorantia facti, non iuris, excusat.*[i] & constat, hanc, quae praetenditur, ignorantiam esse iuris, & non facti.

6 Quibus praemissis, respondeo primo praefata priuilegia Alexandri, & Leonis nihil prodesse praefato D. Consulenti: quoniam intentio eorum solùm fuit statuere, quod correctio posset fieri à Praelatis per alium absolutè, etiam si non vrgeret aliqua necessitas, id faciendi per alium: modo ipse esset frater sibi subditus, vt exprimit Leo, cuius priuilegium videtur aliqua ex parte maius priuilegio Alexandri, ita quod solùm ampliet illud cap. ad hoc, vt corrigere possit per alium, etiamsi necessitas non vrgeat: non tamen ampliauit ad hoc, vt possent id facere per laicum, etiam si necessitas vrgeret.

7 Secundo quod error malè intelligendi priuilegia illa posset excusare D. Consulentem, si ex illorum malo intellectu bona fide credidisset praefatum cap. ampliatum esse per illa, etiam ad id, quod proximè diximus non esse scilicet, quod non est contra ius naturale, neque diuinum: & quod decens est, & honestum, ne clerici, &c. & illud est decens, & honestum, quod non est contra ius naturale, neque diuinum: & viris prudentibus, & bene moratis videtur tale,[k] quod posset muniri multis, quae traduntur per omnes, & praesertim Rochum.[l]

d *De sen. excom.*
e *Cap. si vera de sen. excom.*
f *Capit. 2. de const.*
g *Eod. tit. lib. 6.*
h *Cap. nemo. & ca. nullus. 11. quaest. 3.*
i *De reg. iur. li. 6.*
k *Ar. ca. quo iure. 8. dist. & cap. quisquis, 41. dist.*
l *In d. cap. fin.*

A 12 Septimo, quod consuetudo praedicta, etiamsi esset irrationabilis, excusasset D. Consulentem ab excommunicatione, licet non à peccato: quoniam consuetudo, etiam irrationabilis & quae est contra ius naturale diuinum, excusat transgressorem legis à poena humanitus posita, licet non ab aeterna diuinitus constituta, iuxta glossam celebrem, & receptam,[a] cui est satis similis à multis putata singularis in cap. *cum venerabilis.*[b]

13 Itaque resoluendo, respondetur primo, quòd, licèt praefatus D. Consulens non fuisset excusatus per praefata priuilegia Alexandri & Leonis rectè intellecta, tamen potuisset excusari per errorem intelligendi ea malè, bona tamen fide. B Secundo, quod ignorantia praefati cap. *vniuersitatis*, si sincera fuit, & causa praefati modi verberandi, excusauit eum, etiamsi nulla esset consuetudo illi contraria. Tertio, quod excusauit eum consuetudo contraria, si qua est in Italia similis illi, quae est in Gallia, qualem credimus esse, siue dicatur rationabilis, qualem arbitror esse, siue irrationabilis. Et quia per haec dicta colligitur responsio clara oppositorum, non respondetur ad ea.

a *Ca. denique 4. dist.*
b *De consue. ver. migrasse.*

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus non est tangens Episcopum absque intentione mala.*
2 *Excommunicatio non incurritur sine peccato mortali, nec sine dolo.*
C
3 *Clericum retrahere & impedire potest laicus, vt futurum scandalum, seu peccatum impediat.*
4 *Excommunicatus qui cum non esset, fuit absolutus cum iuramento Romam veniendi, declarationem petet prudenter.*

## CONSILIVM XXIX.

Qvidam miles Hierosolymitanus bono zelo volens vitare scandalum, quod videbatur consequuturum verba cuiusdam Episcopi alloquentis arrogáter Magistrum magnũ ordinis, comprehendit eum iuxta extremitatem almuciae partis posterioris, vt conuerteret faciem retro, & suaderet silentium, & discessum. Quaeritur, an inciderit in excommunicationem. D

1 Arbitror, praedictum militem non incidisse in poenam canonis *si quis suadente.*[c] Tum quia illa non incurritur, nisi manus iniectio sit peccatum mortale, per ea, quae nos citamus in Manual. Confessar.[d] & praedicta apprehensio, & tractio non fuit peccatum mortale, immo neque veniale, sed potius meritum.

2 Tum quia praedicta poena non incurritur sine dolo, vt tradunt Panormitanus & Decius,[e] & probatur per illa verba praedicti canonis, *Suadente Diabolo*, & praedictus miles nihil fecit dolo, sed bono fine: & à dolo excusat quaelibet alia causa etiam iniusta, vt in hac ipsa specie dixit Decius.[f]

E 3 Tum quia potest etiam laicus retrahere, capere, & retinere clericum ad impediendum delictum, & scandalum futurum, vt ibidem Panormitanus & Decius cum communi affirmant per multa ibi per ipsos citata & praedictus miles prehensionem praedictae alamuciae fecit ad impediendum delictum, & scandalum, quod ex praedicta alloquutione parum modesta probabiliter timebatur oriendum, & consequendum. At quoniam praefatus miles fuit ad cautelam absolutus propter impedimenta veniendi ad Papam, & iurauit venire ad ipsum, cessantibus impedimentis, prudentiae fuerit petere à sua Sanctitate absolutionem ad cautelam, vel declarationem, quod non inciderit in praedicti canonis poenam: quod facilè sua Sanctitas faciet, attentis praedictis, & quod F praedicta prehensio, etiam si fuisset iniuriosa, erat leuis, & consequenter excommunicatio non erat reseruata Papae, per textum singularem,[g] quod nos declaramus in dicto Manu.[h]

c *17. quaest. 4.*
d *Ca. 27. nu. 78.*
e *In c. cum nõ ab homine. de iudic.*
f *Vbi supra, n. 10. per iura ibi citata.*
g *Ca. peruenit. de sent. ex communicationis.*
h *Ca. 27. nu. 89.*

SVMMARIVM.

1 *Fructus beneficij tamquam creditur capiens non est excommunicatus.*
2 *Fructus beneficiorum capientes vt sint excommunicati, quinque requiruntur.*
3 *Excommunicationis declaratio sine citatione est nulla.*

## CONSILIVM XXX.

Qvidam Episcopus cuidam nepoti suo ex fratre debebat 80. scuta, quae multis vicibus rogatus noluit soluere.

Nepos

Nepos eius, qui extra suum Episcopatum degebat cum quibusdam alijs, adiuit quoddam oppidum Episcopatus prædicti sui patrui nocte, & accepit ex granario Episcopi granum pro scutis sibi debitis: quod cum resciisset Episcopus, declarauit nepotem incidisse in bullam Cœnæ Domini, & denunciauit eum excommunicatum. Quæritur, quid iuris?

1 Respondeo primo, quod præfatus nepos videtur malè fecisse, accipiendo illud granum auctoritate propria, contra l. *extat.* [a] Secundo, quod tamen non incidit in excommunicationem bullę Cœnę contentam in 14. ca. eius, vt annotauimus super eadem inserta in Manu. [b] post Caietanum, [c] de quinque requisitis ad hoc, vt capiens fructus Episcopatuum, vel aliorum beneficiorum, incurrat illam excommunicationem.

2 Tum quod vnum de quinque illis requisitis est, vt capiat eos auctoritatiuè, vsurpando auctoritatem capiendi eos tamquam dominus, vel publica persona. At præfatus nepos non cepit illud vsurpando sibi vllam auctoritatem publicam ordinariam, vel delegatam capiendi illud, sed tamquam creditor, qui putabat sibi licere capere de bonis sui debitoris tantùm; quantum sibi debebatur, vti multi putant, & aliquando licet, concurrentibus circumstantijs, quas nos ponimus in d. Manual. Confess. [d] Alterum, vt capiat eos, vt fructus, & reditus ecclesiasticos. At præfatus non cepit illud tamquam res ecclesiasticas, sed tamquam particulares sui debitoris, qui nullatenus illi soluere volebat. Tum quia, etiam si cepisset eos fructus tamquam fur, & latro, non incurrisset illam excommunicationem, vt Caietanus vbi supra rectè determinat.

3 Tertio, quod declaratio, qua præfatus Episcopus declarauit excommunicatum præfatum suum nepotem, fuit iniusta, & ipso iure nulla: quia fuit lata sine citatione legitima. Nam licet excommunicatio lata sine monitione regulariter valeat, [e] & appellatio non suspendat eam, [f] declaratio tamen, quod quis est excommunicatus, non valet sine citatione, iuxta gloss. clemen. 1. [g] & appellari potest ab ea, & suspendit eam, iuxta gloss. solemnem, [h] & declarat latius Felin. [i]

a ff. quod met. causa, & l. si quis in tantam. C. vnde vi.
b Ca. 27. nu. 69.
c In summa verb. excommunicatio. c. 27.
d Cap. 17. nu. 114.
e Iuxta c. sacro. de sentē. excommu.
f Cap. is qui de sent. excōmu. lib. 6.
g De censib. in verb. si cōstiterit.
h In cap. cupientes. in §. quod si per. 2. de elect. lib. 6. Ver. priuatos.
i In c. Rodulphus de rescr. num. 41.

SVMMARIVM.

1 *Episcopo verba iniuriosa dicens, & conatus percutere, non incurrit excommunicationem.*
2 *Conatus debet puniri, etiam non secuto effectu, fallit in censuris.*
3 *Excommunicationem, qui hostiliter insequitur Episcopum, modo incurrit.*
4 *Insequitur, quando vnus priuatus post alium animo eum iniuriandi vadit, & num. vltimo.*
5 *Excommunicationem non incidit Episcopi domum adiens postquam ille iam non fugit.*
6 *Excommunicationem non incurrit vadens ad domum Cardinalis ad dandum domui insultum.*

## CONSILIVM XXXI.

Qvidam homines transeuntem Episcopum per ciuitatis plateam offendere volebant, quos cùm Episcopus ita animatos vidisset, per aliam viam declinare cœpit. Tunc homines illi, & cum eis turba de vniuersitate multa, cum armis, clamoribus iniuriosis, varijsque contumelijs insecuti sunt ipsum Episcopum, alij, dum fugeret, alij, postquam se in locum receperat munitum, & quidem animo offendendi, ac per insultum locum munitum, & ipsum Episcopum capiendi. Dubitatur, an omnes illi de vniuersitate homines excommunicationem incurrerint.

1 Respondeo, primò certum esse, neminem prædictæ vniuersitatis incidisse in excommunicationem ca. *si quis suadentes.* [k] propter iniurias, quas in Episcopum dixit, vel fecit: quia nemo eum percussit: & ad incurrēdam illam non sufficit voluntas percutiendi, neque conatus ad percutiendum, quamtumlibet fuerit percussioni proximus, secundum omnes, quos etiam nos sequimur in Manual. [l]

2 Tum quia licet regulariter conatus ad delinquendum debeat puniri, iuxta cap. *si fortè.* & alia multa, [m] & alia, quę tradit Felinus, [n] fallit tamen quo ad censuras: nam impositas contra facientem, non incurrit qui tantum conatur facere, per ea, quæ ipse Felinus citat. [o] Secūdo, quod iuxta sola iura Decretalium Sexti, & Clementinarum, & Extrauagantium impressarum, nemo prædictæ vniuersitatis incurrit excommunicationem propter insecutionem Episcopi: quia licet per illa iura incurrat excommunicationem, qui hostiliter insequitur Cardinalem, vt habet cap. *felicis.* [a] non tamen incurrit eam per solam insequutionem Episcopi, nisi percutiat, capiat, vel banniat eum, iuxta clement. *si quis suadente.* [b]

k 17. quæst. 4.
l Cap. 27. nu. 50. & 51.
m De pœnit. dist. 1.
n In tract. an conatus debeat puniri, non sequuto effectu, in principio.
o Ibid. fallentia 6.

3 Tertio, quod per Bullas Cœnæ Domini, quas protulerunt Gregorius XIII. & Pius V. prædictum cap. *felicis.* fuit extensum ad omnes Episcopos: ita quod, vt nos in d. Manual. [c] declarauimus, Episcopi quo ad hoc sunt effecti pares Cardinalibus: eo quòd, vt qui Cardinalem hostiliter insequitur, incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ, ita etiam qui sic insequitur Episcopum quemlibet.

4 Quarto, quòd duo videntur debere concurrere ad hoc, vt per insequutionem incurratur prædicta excommunicatio. Vnum, quod sit insequutio, siue sequutio: qua vnus post alium priuatim vadit. verbum enim *insequi*, componitur ab in, & sequi, vt Archidiaconus relatus ab Ancharano, & Dominico ait, [d] & ita non dicetur insequi, nisi qui sequitur. vnde Francus ait, illum dici insequi, qui sequitur alterum, & qui hostili, & malo animo iniuriandi sequitur.

5 Quinto, quod ex præcedenti dicto sequitur, quod illi soli prædictæ vniuersitatis videntur incidisse in excommunicationem, qui Episcopum præeuntem, & fugientem, in domum suam, vel in partem tutiorem eius, vel in domum protectoris, à dorso sequuti fuerint, animo iniuriam ei inferendi: & consequenter non illi, qui adierunt domum Episcopi, posteaquam ille non fugiebat, sed postquam se recepit ad eam, & in ea manebat, ad defensionem fortè se præparans: neque qui adierunt domum protectoris, posteaquam se in eam recepit Episcopus.

6 Nam & secundum Ancharanum & Dominicum, non videtur insequi Cardinalem ille, qui vadit etiam malo animo ad dandum insultum domui Cardinalis. quamuis meo iudicio Archidiaconus non loquitur ibi dè excommunicatione, quæ incurritur per insequutionem, sed per capturam: quia fundat se super dicto Innocentij, [e] qui non loquitur, nec potuit loqui de insequutione illius decretalis longè post eum factæ, attamen ipsi videtur sic sensisse, & quidem rectè: quandoquidem pœnæ sunt restringendæ, & nullatenus vltra propriam significationem verborum ampliandæ, [f] & verbum insequi, secundum originariam & primam significationem, vt dictum est, sequutionem, & motum vnius post alium significat, licet per translationem, & alias figuras, aliquando aliud significet. Salua, &c.

a De pœn. lib. 6.
b De pœnis.
c Cap. 27. nu. 67. & 97.
d In d. ca. felicis.
e In ca. nuper de senten. excommu.
f Cap. pœna. de pœn. dist. 1.

SVMMARIVM.

1 *Subdiaconum incarcerans, & tamquam testem, & principalem examinans, in excommunicationem bullæ Cœnæ incidit.*

## CONSILIVM XXXII.

Prætor ad se accersiri fecit N. notoriè subdiaconum, illique præcepit, vt ex quadam parte superiori palatij dicti Prætoris, sub pœna pecuniaria, non discederet, assignando illam partem pro carcere. Præterea prætor etiam dictum subdiaconum examinauit tamquam principalem quo ad se, & testem quo ad alios: & sic illum constituit tamquam reum: & facto dicto constituto, vlterius stetit in decretis, & illum retinuit per triduum, post quod tempus dictus subdiaconus ordinario ecclesiastico repetenti, ad cuius notitiam prius dicta detentio non venit, fuit, licet inuitè, restitutus. Dubitatur, an dictus prætor ob prædicta, vltra excommunicationem cap. *si quis suadente.* in quam illum incurrisse dubium non est, etiam in bullam Cœnæ inciderit.

1 Respondeo, quod videtur is prætor incidisse in censuram bullæ Cœnæ, per xj. vel xij. vel vtramque clausulam, vel excommunicationem illius: quamuis ego nullam videar declarationem specialem facere super hoc in illa bulla. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1 *Promittens, & promißionem acceptans pro gratia temporaria à Papa obtinenda sunt excommunicati.*

## CONSILIVM XXXIII.

PEtrus notam fecit Ioanni quamdam gratiam cuiusdam rei temporalis, eo pacto, vt dimidium vtilitatis illius perueniret ad Petrum: quam gratiam Ioannes obtinuit, & dimidium vtilitatis dedit Petro. Quæritur, an inciderit in pœnas extrauag. Gregorianæ, [a] per quam Gregorius innouauit extrauagantem Bonifac. VIII. [b] & quam nos iusto commentario donauimus sub tit. de rebus datis, & promissis.

1 Respondemus, præfatos Petrum & Ioannem ambos incurrisse in pœnas præfatæ extrauagantis vt latius colligi potest ex commentario, quo nos illam ornauimus sub tit. de datis, & promiss.

a Quæ incipit ab ipso & est 28. inter ipsius constit. b Quæ est 1. de senten. excommunicationis inter communes.

### SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus non est per monitorium, qui non reuelat, quando scit petentem non habere ius.*
2 *Fructus beneficij non debentur ei, qui ius non habet.*
3 *Excommunicatio non obligat ad soluendum non domino, nec solutio ei facta liberat.*
3 *Scire, & probabiliter credere, paria sunt.*
5 *Scientia sicut excusat, ita & iusta credulitas, & secus si ex leui causa dubitat. num. 6.*
7 *Absolui virtute cruciatæ potest excommunicatus, quando res est dubia, etiam parte non satisfacta.*
8 *Absolutio ab excommunicatione, etiamsi sit iniusta, tenet.*
9 *Excommunicatus, collectam in choro, vel hebdomadarius cantans efficitur irregularis, non alias.*
10 *Excommunicatus, vbi absolutio non tenuit, fructus beneficiorum non facit suos.*
11 *Excommunicatus, qui ob inaduertentiam non petit absolutionem, sicut suspensus, & depositus, de victu prouidetur.*

## CONSILIVM XXXIIII.

AN si alter ex collitigantibus super beneficio possideat, & alter sciat, vel credat eum non habere ius, & non reddat, vel non reuelet fructus ad illud beneficium pertinentes, sciens ad instantiam possessoris publicatas esse literas monitorias, vt sub pœna excommunicationis latæ sententiæ reddat, vel reuelet quicumque tenet, vel scit res ad illud beneficium pertinentes intra certum terminum, incurrat excommunicationem?

1 Quæstio hæc rem quotidianam, sed parum explicatam, & explicatu difficilem continet. Respondeo tamen ad eam primò, quòd videtur consulentem non incidisse in excommunicationem, licet habuisset notitiam sufficientem prædictarum litterarum monitorialium, si sciebat aduersarium non habere canonicum titulum: quia nemo tenetur reuelare ob literas eiusmodi monitorias ea, quæ iustè credit esse sua, vel pertinere ad se, vel ad alterum, & non ad eum, ad cuius instantiam illæ sunt datæ: quod in repetit. cap. *inter verba*, [c] neruosè probauimus post Franciscum de Ripa, & alios, quos ipse citat, licet debiliter probando. [d]

2 At ei, qui caret titulo canonico beneficij ecclesiastici, non debentur fructus eius. Tum argument. cap. 1. [e] ergo neque qui tenet eos, reddere tenetur illi, neque qui nouit illos ab alio teneri, reuelare ei. Tum quod D. Antoninus, [f] quem sequitur Siluester, [g] ait, quod, qui scit possessorem Ecclesię, vel dignitatis non esse verum prelatum, eo quod aliquem defectum tituli patitur, licet subiiciatur illi Ecclesiæ, vel dignitati, tamen in foro conscientiæ non tenetur ei obedire, nec ei soluere debet, quod Ecclesiæ, vel dignitati debet, nec soluendo liberatur, argumen. cap. *inquisitioni*, [h] quatenus loquitur de sciente impedimentum.

3 Secundo, quod idem videtur dicendum, si consulens firmiter credebat probabili ratione, vel auctoritate, quod aduersarius non habebat ius: quia quo ad hoc paria videntur esse, scire aliquem non habere ius in beneficio, quod possidet, vel credere probabiliter ratione probabili, eum illud non habere, argumen. *l. illud.* [i] quatenus probat eum, qui credit ius aliquod esse suum, non debere illud relinquere indiscussum. sed quia illa lex habet locum etiam in dubitante, melius facit, quod nos declarando quædam dicta Sancti Thomę, & Caietani diximus nuper, [k] parificando iudicium conceptum per scientiam, & conceptum per iustam causam credendi. Secundo, quod sicut sciens, quod res est sua, ita credens iustè, quod est sua, excusatur à restituendo per ea, quæ tradimus in Manual. confessar. [a] Tertio, quod post præfatum Ripam in dicta repetitione cap. *inter verba*, [b] diximus, eum, qui scit aliqua bona eius, ad cuius instantiam talis monitio est publicata, esse penes aliquem, qui tamen monstrat apocham, per quam ille donauit ei, non teneri ad reuelandum ea, qui tamen verè nescit ea fuisse sibi donata, sed solùm credit: & ita sicut scientia, quod res non est impetrantis talem monitionem excusat, ita fides, & credulitas probabiliter, & iustè concepta, argument. glossæ singularis, quæ secunda est, cap. *capellanus*, [c] adiuncta doctrina Panormitani allegantis, [d] alias, & S. Antonini. [e]

4 Quarto, quod sicut paria sunt scire, & debere scire ad obligandum, [f] sic paria dicuntur esse ad excusandum, ignorare, & non debere scire, [g] & qui iustè credit aliquid, non debet contrarium scire.

5 Quinto, quod sicut scientia mortis coniugis excusat secundo nubentem, ita etiam fides, siue credulitas iusta, qua creditur mors illa, excusat. [h]

6 Sexto, quod fides, & credulitas iustitiæ causæ appellationis excusat ab excommunicatione, sicut scientia iustitiæ. [i]

Tertio, principaliter dico, quod si consulens non credebat principaliter ex auctoritate alicuius doctoris iusta scientia, & conscientia prædìti, sed leui ratione, vel auctoritate, aut dubitabat, an sibi, vel alij esset ius, incidit in excommunicationem: quia in dubio credendum est fructus pertinere ad possessorem bonæ fidei. [k]

Quarto, quod perpensis his tribus dictis, consulat se ipsum consulens, an tempore prædictæ monitionis sciret, vel probabili ratione, vel auctoritate firmiter crederet non fuisse ius aduersario, an dubitaret, vel leuiter crederet deesse id ius: primis duobus casibus credat se non fuisse excommunicatum, & communiter non esse locum quæstionibus sequentibus: in tertio verò casu credat se fuisse excommunicatum, & consequenter esse locum quæstionibus sequentibus.

7 AD SECVNDAM, quæ habet locum præsupposito, quod incurrisset excommunicationem, an scilicet potuit absolui à Pœnitentiarijs Iobelęi. Respondeo, quòd sic, præmissa satisfactione, & etiam non præmissa, attento, quod erat dubia, & non manifesta offensa. [l]

8 Facit, quod etiam absolutio iniusta excommunicati, facta ab habente potestatem absoluendi, valet, [m] & ita consulens non fuit absolutus à Pœnitentiario cum proposito faciendi, quæ debebat: fuisset verò absolutus, etiam si de hoc expresè non fuisset confessus, iuxta ea, quæ nos tradimus in Manual. [n]

9 AD TERTIAM Respondeo primo, quòd non incurrit irregularitatem, propterea quod se ingesserit diuinis, etiam psallendo in choro, si tanquam presbyter hebdomadarius non dixit capitulum, & collectam.

10 Secundo, quod si non valuit absolutio, non quæsiuit fructus aliorum beneficiorum, secundum glossam celebrem quam Panormitanus, [o] & communis sequuntur, [p] nisi fortè quo ad sustentationem suam secundum vnam opinionem, quam tetigit glossa, [q] quę communiter reprobatur: sed procedere posse videtur pro tempore, quo excommunicatus non posset habere absolutionem, secundum Cardinalem, [r] quem sequitur Decius, [s] & merito.

11 Quia ratio, quare secundum omnes non debeat prouideri de victu excommunicato per predictam glossam & deposito, & suspenso sic per eandem glossam & meliorem in cap. *studeat*, [t] illa est, quod excommunicatus potest petere absolutionem, depositus autem, & suspensus ob crimen, non. At excommunicatus, qui ignorat, vel non aduertit se excommunicatum, non potest moraliter petere absolutionem: & licet fortè peccet ignorando, vel non aduertendo, non tamen peccat non petendo absolutionem, argument. glossæ notabilis in caput *quia diuersitatem.* [v] adiuncto textu ibi, *à qua & si sua culpa fuerit suspensus, &c.* Salua, &c.

Celsitudo, ne id tentet facere, nisi de consensu eorum, quos res tangit, quo sit gratior suis subditis, & D. N.

c 11. q. 3. conc. 9. coroll. 65.
d In tract. de peste, fol. 81. maioris forma. 4. coll. in princ. §. insuper.
e De reg. iur. lib. 6. & cap. grauis. de restit. spoliat. cum eis adnota.
f In 3. parte titulo 15. cap. 1. §. 2.
g Verb. beneficium [illegible]
h De senten. excommunic.
i ff. de petit. hæred.
k In rubr. de iudic. nu. 47.

a Cap. 17. nu. 82. cum duobus seq.
b Vbi supra.
c De ferijs.
d Ibidem.
e 1. p. titulo. 3. cap. 10. §. 10. tit. 6.
f Le. quod te. ff. de rebus cred.
g Argu. cap. sciendum. 8. q. 1. & leg. si contra tabulas ff de vulg.
h Ca. in præsentia. de spōsal. & ca. dominus. de secundis nup. cum eis adnot.
i Ca. solet. iuncta glo. penul. de senten. excomm. lib. 6.
k Argu. text. singularis in d. l. illud.
l Per cap. venerabilibus. §. porro de sentē. excom. lib. 6.
m §. sane eiusdem cap.
n Cap. 26. nu. 12. & seq.
o Dict. cap.
p In c. pastoralis. §. verū. de appell.
q Ibidem.
r In Clem. vt hi qui. §. 1. q. 20. de æta. & qualit.
s In d. §. verum.
t 50. dist.
v De concess. præb. ver. suspensionis.

Ieſu Christo, qui ſuam Excellentiam ſemper & vbique conſeruet ſibi gratioſam. Salua,&c.

*SVMMARIVM.*

1 *Eccleſia petere poteſt bona emphyteutica ſine eius conſenſu alienata.*
1 *Edictum monitorium vbi deficit,probatio iuſtè peti poteſt.*
1 *Damnum proximi tenetur quis impedire, ſi alius non ſit, qui impediat.*
2 *Edictum monitorium,ſicut cenſuræ per præcepta lata, cauſam iuſtificatiuam continere debet.*
3 *Monitoria de aliquid edendo non ligant partem aduerſam,nec eius patronos.*
4 *Edere qui non tenetur,nec ad teſtificandum cogi poteſt.*
5 *Eccleſiam lucrum pœnalem captantem nemo iuuare tenetur.*
6 *Reuelare non tenetur quis,quod iuſtè ſe poßidere credit.*
7 *Actus ſolemnitatis per lapſum 30. annorum præſumitur, licet in inſtrumento id non appareat.*
8 *Edictum monitorium non ligat poßidentem rem præſcriptam.*

## CONSILIVM XXXV.

INter Seium,& Caium facta eſt permutatio quorundam bonorum. Seius dedit bona emphyteutica, Caius alodialia, & neſcitur de huiuſmodi contractus ſolennitate aliud,quàm quòd inuenitur quædam nota in libris priuatis ipſius Caij,quòd prædicta permutatio fuit facta. Multis poſt annis Eccleſia domina directa bonorum à Seio in permutationem datorum intentauit iudicium caducitatis contra hæredes Seij ob alienationem ſine Domini conſenſu factam:& cum de hoc contractu aliter non conſtet, quàm per dictam ſcripturam priuatam, Eccleſia petiit,etiam per viam monitorij,librum rationum ab hæredibus Caij. Quæritur an teneantur edere,vel in foro fori, vel in foro poli. Additur prædictis, mutationem præfatam fuiſſe factam anno 1515. & petitionem fieri anno circiter 1580. & quòd Seius, & hæredes eius ſemper ſoluerunt annuum cenſum,qui debebatur ex bonis emphyteuticis tanquam impoſitum in bonis alodialibus propter quæ fuerunt permutata emphyteutica.

1 Pro parte affirmante facit primò, quòd Eccleſia iuſtè videtur petere à Seio bona illa emphyteutica,quæ in emphyteuſim ei dedit,cùm alienando ea ſine conſenſu ipſius perdiderit, [a] & Eccleſia poteſt iuſtè petere pœnam, [b] quòd deficiens in probatione iuris ſui poteſt iuſtè petere edictum monitorium ab Eccleſiaſtico Iudice,& ipſe iuſtè poteſt concedere edictum monitorium, quo ſub pœna cenſurarum moneantur, qui ſciunt ad deponendum, & teſtificandum,de his, quæ pertinent ad probationem ſui iuris, [c] iuxta cap. *ad noſtram*, vbi hoc notat Panormitanus receptus,& ſuperiori iuſtè iubenti tenetur ſubditus obedire. [d] Tertio, quòd videtur quis teneri ad indicandum furtum, [e] & eadem ratione illud, per cuius ignorantiam proximus perdit aliquod bonum notabile ſine culpa, vel ius, quod habet ad illud vendicandum. Quarto, quod tenetur quis impedire damnum quod proximo imminet, ſaltem quando probabiliter creditur nullum alium illud impedire poſſe,vt nos tradimus profundius aliis omnibus in Manual. Confeſſ. [f]

2 His tamen non obſtantibus, pars negans videtur tenenda:primo quidem, quòd monitorium præfatum non continet clauſulam iuſtificatiuam: nempe, quod ſi quis aliquam iuſtam cauſam habuerit non parendi mandato in eo contento,& eam voluerit allegare,audietur intra tempus in eo præfixum: quam debere continere huiuſmodi monitorium tenet poſt alios à ſe citatos Probus, [g] & nos iam pridem probauimus, [h] cenſuras latas à Iudicibus per præcepta de aliqua re facienda, vel danda eſſe ipſo iure nullas, niſi temperentur per clauſulam iuſtificatiuam, quæ habet vim citationis, iuxta illas duas gloſſas quarum vnam alij, & alij alteram appellant ſingularem. [i]

3 Secundo, quòd huiuſmodi monitoria, quamlibet iuſta, non videntur ligare partem aduerſam, cum qua eſt lis:quod adeo eſt verum, vt præfatus Philippus Probus, [k]

a *Iuxta not. in c.potuit.de locato.& l.2. C.de iure emphyteu.*
b *Ca.ſi ſaeculi leges,& ca. in legibus.12. q.2.& c.ſuā. de pœn.*
c *l l.2.de iure iuran.*
d *Cap. 2. de maiori. & obed.*
e *Ca.qui cum fure.ſecundū vnū intellectum,de furtis.*
f *Ca.24.nu.22.*
g *In ca 2 nu. 27. de conſti. lib.6.in additio. ad Ioan. Monach.*
h *In prælect. ca. cū contingat. de reſcript.*
i *In c.ex parte, de ver.ſignif. & l. de pupill. §. meminiſſe. ff. de operis noui nunt.*
k *Vbi ſup.nu. 59.*

dicat eſſe in monitorio exprimendum, quòd non intendit monens includere partem aduerſam, neque illos, qui per viam petitionis conſilij ſciunt id, quod ad manifeſtandum monent: quia non tenetur iuuare aduerſarium contra ſe, per ea quæ Felinus & ab eo citati, [a] dicunt: & hæredes Caij in effectu propter euictionem ſunt pares. [b]

4 Tertio,quòd huiuſmodi monitoria non comprehendunt, niſi eos, qui iniuſtè detinent bona, vel iura impetrantis ea, & ſcientes,quod illa iniuſtè detinentur, vt nuper nos tradidimus in comment. cap. *inter verba.* [c] At præfati hæredes non tenent præfatam ſcripturam priuatam iniuſtè, nec ſciunt aliquem, qui teneat illam iniuſtè: ergo non comprehenduntur. Quarto quod,qui non cogi poteſt ad exhibendum aliquam ſcripturam, non videtur poſſe cogi ad teſtificandum de illa. At præfati hæredes non poſſunt cogi ad edendam præfatam ſcripturam priuatam: quoniam regulariter nullus tertius cogi poteſt ad edendas ſuas proprias rationes priuatas non ſcriptas mandato,vel ſalario eius,qui petit eas ſibi edi, iuxta gloſſam[d] communiter receptam, vt poſt Panormitanum & alios à ſe citatos tradit Decius. [e]

5 Quinto,quod Eccleſia non agit in propoſito caſu de damno tractando, ſed de lucro captando, & non de quolibet lucro, ſed de odioſo, & pœnali,& ita nemo tenetur eam in foro conſcientiæ iuuare, quia pœna non debetur in illo foro, iuxta gloſſam celebrem & receptam. [f] Sexto, quod præfati hæredes magis tenerentur ad manifeſtandum, & propalandum ea, quæ ipſi ſciunt de prædicta permutatione, quàm ad exhibendam præfatam ſcripturam priuatam. Tum quia magis importaret illa manifeſtatio ad ſatisfaciendum intentioni monentis,& petentis monitorium, quàm manifeſtatio præfatæ ſcripturæ. Tum quia tantùm, immo magis monentur ipſi ad propalanda quæ ſciunt de præfata permutatione, quàm ad propalandam præfatam ſcripturam. At ipſi reputant ſe excuſatos ab hoc:ergo debet ſe reputare ab illo.

6 Septimo,neruoſiſsimè facit, quòd ipſi nec tenentur propalare,quæ ſciunt, nec præfatam ſcripturam exhibere: nam nemo tenetur virtute monitorij præfati ad manifeſtandum illa, quæ iuſtè tenet, vel probabiliter credit eſſe ſua,& iuſtè tenere,neque illa,quæ ſcit, vel credit probabiliter eſſe alterius,vel ab eo iuſtè teneri, vt nos tradidimus latius, [g] illa firma ratione, quod monitorium datur contra ſolos iniquè & iniuſtè detinentes illa bona,& contra ſcientes,qui ſunt,qui teneant iniuſtè illa: vnde, & qui teneret aliquid clam acceptum pro eo, quod ſibi verè debebatur,non teneretur id manifeſtare, vt ibidem probamus. At præfati hęredes Caij non ſciunt, nec iuſtè credunt illa bona,nec illam ſcripturam eſſe eccleſiæ petentis: immò iuſtè ſciunt, vel iuſtè poſſunt credere eſſe ſua: ergo non tenentur ad illa manifeſtanda. Quod autem præfati hęredes ſciant bona illa, quæ olim erant emphyteutica, nunc eſſe ſua, aut certè iuſtè id credere poſsint, probatur, quia ſciunt, vel certè iuſtè credere poſſunt permutationem præfatam fuiſſe factam anno 1515. quando monitorium id continet: & quod legitimè fuit illa facta interueniente omni ſolemnitate requiſita: quia licet non extet aliquod inſtrumentum, neque ſint aliqui teſtes, quibus id probari poſsit: præſumitur tamen iure ita eſſe.

7 Tum quia ſolemnitas non ſolum intrinſeca,ſed etiam extrinſeca præſumitur longo tempore, [h] præſertim ſi fuerit lapſus tempus 30.annorum, iuxta textum, & gloſſam ſolemnem & receptā ibi per omnes, [i] & Felinum. [k] Tum quia in ſpecie,quòd ſolemnitas extrinſecus requiſita in alienatione rerum Eccleſiæ præſumatur interueniſſe per tempus 40.annorū,conſuluit Alexander, [l] vbi ex pluribus concludit,quod ſolēnitas conſenſus capituli,& tractatus, & aliæ ſolemnitates requiſitæ in alienatione bonorū Eccleſiæ propter diuturnitatem temporis præſumuntur interueniſſe. Petrus item ab Ancharano, [m] ex conſiliis excellentium Doctorum conſuluit,quod ex curſu 30. annorum purgatur omne vitium, quod in quadam tranſactione monialium interueniſſet: quia præſumitur auctoritas decreti ſuperioris interueniſſe: & Aretinus. [n] quem refert

a *In c. ſi duobus cel.fin.de appell.*
b *Arg.ca.final. & ei annot. de empt. & vendi.*
c *11. q.3.cōcl. 6.corolla.65.*
d *l.in fraudē. §.inſtrumenta verb. edi. ff. de iure fiſci.*
e *Ca.1.n 59. de probatio.*
f *In c.fraternitas. 12.q.2.*
g *In dicto coroll. 65.*
h *Leg.ſi filius C.de petitio. hæred.& leg. qui in alien. §.ſed ſi non adierit,ff.de ac qui hæred.*
i *In c. peruenit. de empt. & vendi.*
k *In c. Alberi[illegible] bus & in c.ſicut.de re iud.*
l *Conſil. 79. Circa primū: de quo quæritur in 2. dubio lib.1.*
m *In cōſ.136.*
n *In conſ. 36. Caius talis eſt.*

Felinus,[a] tenet quod testamentum Cardinalis, in quo licentia Papæ requirebatur, ex diuturnitate præsumitur interuenisse. Quin ex Alexandro[b] concludit, quòd diuturnitate temporis præsumitur, quod dominus directus consensit in alienatione emphyteusis, quam fecit emphyteuta, & eum sequitur Decius,[c] vbi etiam alia multa in hoc adducit, &[d] concludit, quod præd. præsumptio interuentionis solemnitatis legitimæ haberet locũ: etiamsi monstraretur instrumentum alienationis, in quo nulla fieret de solemnitate mentio: quia per diuturnitatem temporis præsumeretur interuenisse ante, vel post illud instrumentum: quod multum facit ad nostrum casum, in quo inuenitur præfata nota continens permutationem præfatam, sine mentione interuentionis consensus domini, vel alius legitimæ solemnitatis.

8 Octauo, quod, qui vsucepit, vel præscripsit rem aliquam, non tenetur post præscriptionem completam ad manifestationem talis retentionis, propter monitorium, quod fieret ad instantiam eius, cuius olim illa fuit secundum omnes per prædicta. At hæredes præfati præscripserunt bona præfata. Ergo non tenentur ad manifestandam retentionem illorum, nec aliquorum aliorum, quæ contra illam retentionem faciunt. Quod autem præscripserint. patet ex eo, quod circiter 65. annis possederunt ea, vt sua: & ita longè maiore tempore, quàm requiratur ad præscriptionem etiam rerum ecclesiasticarum, cum ad eas sufficiant 40. anni, vt habetur in cap. *de quarta*.[e] Nec obstat regula, *possessor malæ fidei nullo tempore præscribit*.[f] cum similibus, quia immo per prędicta præsumitur bona fides, cùm præfata permutatio præsumatur fuisse rectè, & ritè facta. Et præfati hæredes iustè, & bona fide possunt credere bona illa esse sua. Tum ratione permutationis præfatæ, quæ per diuturnitatem tanti temporis præsumitur legitimè fuisse facta. Tùm ratione præscriptionis longè maioris temporis, quàm requiratur ad præscriptionem rerum Ecclesiæ. Ergo nec iure fori, nec iure poli tenentur ad manifestanda illa bona, nec illam permutationem, nec aliquid aliud, quod iuuet Ecclesiam ad molestandum eos.

9 Non obstant opposita: ad primum enim respondetur negando, quod prędicta Ecclesia iustè petat, cum per prædicta constet malè petere. Ad secundum, concedendo, quod deficiens probatione iuris sui veri, & boni possit petere huiusmodi monitorium, negando tamen, quod præfata Ecclesia vllum ius verum & bonum habeat in casu proposito.

Ad tertium negando, quod in nostro casu habeat locum lex vlla de indicando furem, siue iniustum vsurpatorem: quia per prædicta, præfati hæredes non sunt iniusti vsurpatores prædictorum bonorum, nec vllarum scripturarum: neque præfatæ notæ, quæ fortè posset dare aliquam occasionem molestandi eos. Ad quartum respondetur negando quòd vllum damnũ immineat Ecclesiæ prædictæ: quandoquidem soluitur ei canon, siue census, qui debebatur ex prædictis bonis emphyteuticis: & sunt loco illorum surrogata alia bona, quæ pro eis fuerunt data: & licet fortè aliquod tale eueniret, non tamen esset damnum iniustè illatum, quia eueniret per cõtractum, qui ob tantam temporis diuturnitatem præsumitur fuisse legitimus per supradicta, præter quam quod etiã negari potest quod præfata nota posset quidquam prodesse ad probationem iuris alicuius sui: quia, vt Decius supra citatus concludit, etiam instrumentum publicum continens sine vlla mentione interuentionis solemnitatis requisitæ, non probat eam non interuenisse, ante, vel post tempus, quo contractus factus fuit. Ex quo solo capite non esset necessarium illam notam manifestare. Quamuis etiam per multa alia prædicta idem concludatur. Salua, &c.

a In d. ca. Albericus.
b Consil. 155. num. 9.
c Consil. 409. num. 12.
d In num. 12.
e Cum multis aliis. de præsc. & 6. q. 3. §. potest.
f De re. iur. li. 6.

### SVMMARIVM.

1 *Vicarius foraneus approbatum audire ex causa confessiones prohibens non peccat.*
1 *Vicarius foraneus animarum periculis occurrere tenetur.*
1 *Procurator generalis contrauenire mandato Domini speciali ex iusta causa potest.*
2 *Excommunicantur impedientes executionem literarum Apostolicarum, non quoquo modo contrauenientes.*
2 *Literis Apostolicis contrauenire, & earum executionem impedire diuersa; & qui non dicuntur impedire.*
3 *Executionem literarum Apostolicarum auctoritatiue impedientes excommunicatur, & qui sic impediant.*

## CONSILIVM XXXVI.

Cvm in plebe de Viui esset quidam presbyter Caius ab ordinario per modum prouisionis in administratione curæ animarum loci N. toleratus, sed omninò ignarus, absoluens quouis tempore omnes ad se venientes, quantumuis scandalosos, grauibus delictis obstrictos, ad pia legata obligatos, & qualibet censura innodatos, nulla eis pro modo culpæ imposita satisfactione, vt publicè cõstat, multi ex loco de Viui, prædictis peccatis, & scandalis implicati, ad eum pro facili absolutione, quam à præposito de Viui iure obtinere non poterant, recurrebant: quod cùm præfato proposito, qui etiam illius plebs est Vicarius foraneus, fuisset renunciatum, præcipit præfato Caio, ne in posterum confessionem alicuius horum de Viui audiret. Accidit, quod anno 1578. fuerunt publicatæ literæ Sanctiss. D. N. Gregorij XIII. instar Iobelæi, quo ampla facultas dabatur confessario ab ordinario approbato absoluendi quoscunque à quibuscunque casibus, censuris, & piis legatis obnoxiis. Propter quod multi loci de Viui facinorosi publicè delinquentes ad præfatum Caium pro facili, & impuni absolutione properabant. Quare idem præpositus non intendens perstringere auctoritatẽ Summi Pontificis, neque impedire dictarum literarum Apostolicarum executionem, sed potius, attenta eiusdem presbyteri notabili, atque manifesta ignorantia, volens prouidere saluti animarum suarum, scripsit eidem presbytero literas huius tenoris. *Non confessare te niuno delle mie anime de Deuuione, etiam in virtu del giubileo di nuouo publicato*, quibus habitis, nullos de Viui in confessione audiuit.

Quæritur, an præpositus, pro eo quod literas suprascripti tenoris scripserit, iubendo, ne virtute Iobelæi audiret confessiones hominum de Viui, excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini positam quo ad vtrumque forum incurrerit?

1 Respondeo quòd non. Primò quòd nulla excommunicatio maior generaliter à iure, vel ab homine lata incurritur sine peccato mortifero.[a] At præfatus Præpositus non peccauit mortifere, faciendo, quod fecit. Tum per illam regulam topicam: *Cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est*: declaratam post alios etiam à nobis in commenta. cap. *cum minister*,[b] & illud Augustini:[c] *Linguam ream non facit, nisi rea mens*. Tum quia etiam opus, quod operatus fuit, erat bonum: cum impedire proximum, ne peccet, sit bonum, & aliquando præceptum.[d] Et qui exercet officium, quod nescit exercere, in probabile damnum proximi peccat,[e] iuxta cap. *qui potest*, iuncta glossa, *in verb. vires*: quæ citat illud Horatij.[f] *Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam Viribus*. & præfatus Caius erat ignarus, & ineptus ad sacras confessiones audiendas, vt præsupponitur in facto. Tum quia glossa cap. *placuit*,[g] tenuit per illud cap. posse parochianum parochi nescij, & ignari, confiteri alieno parocho ob ignorantiam parochi proprij: quod quemadmodum sit intelligendum, ibidem tradimus. Tum quia non solum licitè potuit, sed etiam debuit, eo quod erat Vicarius foraneus, occurrere periculis animarum, præsertim sibi subiectorum.[h] Tum quia procurator generalis potest contrauenire mandato speciali domini ex iusta causa, per textum singularem in l. si hominem,[i] & propterea præfatus præpositus Vicarius foraneus, licet esset quidam generalis procurator, vel delegatus ordinarij, potuit ex causis supra narratis prohibere Caio sacras confessiones, saltem pro aliquo loco, & tempore, saltem paruo, licet esset approbatus ad audiendas specialiter ab ipso.

1 Secundo specialiter facit, quod licet præfatus Præpositus peccasset mortaliter, prohibendo, vt prohibuit, qui tamen profecto, nec venialiter peccauit, immo de Deo, déque suo Archiepiscopo, ac omnibus fuit benemeritus, non tamen incurrisset præfatam ex-

a Ca. nemo. c. nullus 11. q. 3.
b 23. quæst. 5.
c Serm. 28. de Verbis Apost.
d Ca. qui potest. 23. q. 3. c. quanta, de senten. excõ.
e l. ibidem iuris. ff. ad l. Aquil. c. non est putandum p. 1. quæst. 1.
f In arte poet.
g De pæ. dis. 6.
h Arg. c. irrefragabili, de offic. ord. & § 183. d. & c. ipsa pietas. 23. quæst. 4.
i ff. mandati.

commu

communicationem Bullæ Cœnæ domini. Tum quia illa non fertur contra omnes, qui quoquo modo non parent, vel contraueniuit literis vel mandatis Papæ, &c. sed solùm contra illos, qui impediunt executionem earum. At præfatus Præpositus, esto quod contrauenisset literis Iobelæi, non tamé impediuit executionem eius, puta publicationem eius: ergo non incidit in illam: quia aliud est non parere, vel contrauenire literis, aut mandatis Papæ, vel aliorum: & aliud impedire exequutionem earum non permittendo intimare, vel vetando dare fidem de intimatione: & à diuersis & separatis non fit illatio. [a] Tum quia possessor beneficij non obediens literis Papæ, vel eorum, quibus iubetur relinquere possessionem illius, non incurrit illam, etiam si incurrat aliam, sub cuius pœna iubetur relinquere illam, dummodo non impediat executionem earum. Tum quia non incurreret illam, qui contenderet non posse per Iobelæum absolui ab aliquo peccato, voto, vel irregularitate: cùm id non sit impedire executionem, sed solùm impedire vnum intelligendi modum per aliud: quod non vetat præfata Bulla Cœnæ Domini. Alioquin omnes, tam Procuratores, & Aduocati, quàm principales partes, qui literas Papæ, & suorum legatorum, vel delegatorum aliter intelligunt, quàm vero iure intelligi debeant, inciderent in illam excommunicationem: quod est absurdum, & à nemine dictum, & ita nullatenus dicendum. [b] Tum qui appellantes à iudicibus Sed. Apost. & supplicantes à prouisionibus ipsiusmet Papæ, non incidunt in eam, modo supplicationes legitimè persequantur, si bona fide putant legitimè appellasse, & supplicasse, iuxta glossam celebré & receptam, quæ penultima est in ca. *solet*. [c] Tum quia etiam literis Papæ munitis clausula illa solenni, *contradicentes ecclesiæ censura compescendo* potest iustè contradici de iure, iuxta glossam solennem, [d] receptam ibi per omnes, & Felinum & alios citatos ab eo. [e] Immo & qui contradiceret iniustè, licet malè faceret, & incurreret fortè aliam excommunicationé, non incurreret illam bullæ Cœnæ, si non impediret executionem literarum.

a Le. Papinianus. ff. de minoribus.

b L. e. nã quod absurdum. ff. de bonis.

c De sen. exc. lib. 6.

d In c. pro illorum. de præbend. in ver. contradictores.

e In c. causã. n. 10. de resc.

Tertio principaliter facit, quòd clausula præfatæ bullæ Cœnæ, non excommunicat omnes impedientes quomodocunque executionem, sed solùm eos qui auctoritatiuè impediunt, vsurpare volentes auctoritatem contra Sedis Apostolicæ auctoritatem: quia fertur per illa verba, *eos qui simpliciter vel sine eorum beneplacito, consensu, vel examine, & fortè asserto pretio soluto executionem demandare inhibent, &c.* Per quæ verba significantur hi, qui auctoritatiuè id faciunt volentes quærere, vel conseruare aliquam auctoritatem super literis Apostolicis & earum executione. At præfatus Præpositus non prohibuit præfato Caio, intendendo quærere, vel conseruare aliquam auctoritatem super literis præfatis Iobelæi, sed solùm intendendo declarare, quòd mens Papæ non erat, vt presbyter adeo ignarus, & adeo male vtens officio confessarij, vteretur potestate illa grandi, quæ per illud Iobelæum dabatur confessariis: quod certè fuit actio sancta, vt probatum est in primo argumento, & quando non fuisset omnino sancta, probabiliter, aut bona fide credebatur ea esse talis: & satis est, quod non prohibuit cum intentione quærédi, vel conseruandi auctoritatem super publicatione, prædicatione, & aliis, quæ diminuebant auctoritatem Papæ, vt palam est. Quare proculdubio prædictum Præpositum non incurrisse vllam censuram bullæ Cœnæ Domini, neque impediuisse vllam literarum Sedis Apost. executionem vetitam in illa quo ad forum conscientiæ, neque quo ad forum exterius, concludendum est. Salua, &c.

SVMMARIVM.

1. *Excommunicatus est, per se, vel alium literarum executionem impediens, seu ratam habens.*
2. *Præsumptio ex delicto fratris non oritur contra fratrem.*
3. *Declaratio excommunicationis parte citata facta, est valida, nisi per viam attentatorum annihiletur.*

## CONSILIVM XXXVII.

FVerunt relaxatæ literæ executoriales contra Titiũ, quarum executionem per iudices sæculares impediuit ipsius Titij frater Sempronius, promittens de rato. Quæritur ab Excellentia vestra, cum non constet de mandato Titij id factum fuisse, an ipse Titius dici possit incurrisse excommunicationem, videlicet bullæ Cœnæ, quo ad vtrumque forum: an vero illa verba, *per se, vel aliũ, seu alios*, posita in principio dictę excommunicationis habeant tantum locum in foro interiori, si non probetur mandatum, ita vt etiam si contraueniant illi coniunctæ personæ, præcipuè frater, non præsumatur id mandato, consilio, & instigatione principalis fieri, ad hoc vt castigari possit ipse principalis, contra quem facienda erat executio literarum Apostolicarum: & an ipse, & alij impedientes possint ab ordinario declarari.

B 1 Respondetur primo; non esse necessarium mandatum fratris Titij ad hoc, vt incurreret excommunicationem præfatam ob præfatum factum Sempronij: quia sufficit quod nomine ipsius factum fuerit, & postea ipse ratificauerit, seu ratum habuerit, [a] & præfatus Sempronius promisit fratrem suum ratum habiturum. Quare si ratum habuit, certum est eum censuram præfatam incurrisse.

a Ar. ca. cum quæ. de sent. excomm. li. 6. & reg. rati habitationẽ. de reg. iur. li. 6.

Secundo, quod illa verba *per se, vel per aliũ* in vtroque foro habent locum, si mandatum, vel ratificatio prædicta interuenerit, & interuenisse probatum fuerit: si autem non fuerit probatum mandatum, nec ratificatio, non habebunt locũ in foro exteriori: habebunt tamen locum in interiori, si verum est, interuenisse mandatum, vel saltem ratificationem eius.

C 2 Tertio, quod non præsumetur interuenisse mandatum, neque ratificationem eius ex eo solo, quod fuerit frater is, qui contrauenerit præfatæ bullæ: quia nemo præsumitur delinquere in dubio, neq; approbare delictum alterius propter solam cognationem, [b] nisi approbauerit saltem tacitè id quod fecerit cognatus, vtendo facto eius, vel defendendo illud, licet expressè non dicat se id approbare.

b L. merito. ff. pro socio. c. 2. de reg. iur.

3 Quarto, quod crederem, me colligere posse ex tenore executorialium, vel ex titulo, & materia tituli, *vt lite pendente*, vel ex reseruatione absolutionis, quam solent aliquando saltem D. Auditores facere, vel ex aliquo alio capite, exceptionem declinatoriam fori contra ordinarium citantem, vt cõpareat coram ipso ad videndum se declarari. D Sed, si ordinarius, nulla exceptione contra eum proposita, declarauerit legitima citatione pręmissa, arbitror valituram declarationem, nisi per viam aliquo modo attentatorum annihiletur, quod tamen remitto ad tenorem executorialium, quas non vidi.

SVMMARIVM.

1. *Excommunicationem bullæ Cœnæ non incurrit, qui fructus clerici debitoris sui stantes penes laicum per iudicem laicum sequestrari facit.*
1. *Bulla Cœnæ, dispositio pœnalis, non extendenda.*
2. *Excommunicatio contra facientem non includit mandantem, nisi, &c.*

## CONSILIVM XXXVIII.

E AN incidat in bullam Cœnæ Domini, & cap. eius 17. qui laicus facit per laicũ Iudicem sequestrare fructus clerici debitoris sui existentes apud laicum, sed pertinentes ad clericum ratione sui beneficij.

1 Respondeo, quod non. Tum quia bulla præfata est dispositio pœnalis, & non debet extendi ad alium casum, [c] & solum excommunicat vsurpantem, & sequestrantem fructus ecclesiasticos sine licentia Papæ, vel alius, ad quem pertinet dare talem licentiam. & D. consulens non vsurpauit eos, neq; sequestrauit.

c Ca. pœna de pœn. dist. 1.

2 Tum quia in Manual. Confess. [d] posuimus pro regula bene probata, quod excommunicatio lata contra facientes aliquid, non includit consentientes in illo, nec procurantes illud, immo nec consulentes & mandantes: F nisi per alia iura id declaretur, quod non fit in hoc casu. Salua, &c.

d Ca. 27. n. 51.

## IN TITVLVM XXXVIII. DE POENITENTIIS ET REMISSIONIBUS.

SVMMARIVM.

1. *Excommunicatio rapientium naufragorum res non erat reseruata.*

2 *Naufragorum res, vt eas dominis restituant, vel ignoranter capientes licet non restituant, Bulla Cœnæ non excommunicantur.*

2 *Excommunicatio bullæ in naufragorum res rapientes cur non relaxanda.*

4 *Absolui magis merentur actu restituentes, quam restituere promittentes.*

## CONSILIVM XXXIX.

EPiscopus cuiusdam insulæ miseratus animabus suorum subditorum rapientium naufragorum bona, supplicabat, vt quod quo ad illam insulam excommunicatio prædicta relaxaretur, vel quod in articulo mortis sibi dicta excommunicatio esset reseruata, vel saltem quod sibi daretur facultas absoluendi eos, qui restituere non poterant. Quæritur an prædicta, seu aliquam partem concedere dicta Episcopo expediat.

1 Quod annuendum sit oratori, facit quod Concil. Lateranēse,[a] quod hanc excommunicationē induxit, nemini reseruabit absolutionem: & in tempore Caietani casus episcopalis erat, ipso testante,[b] quinetiam hodie videtur episcopalis, nisi quod ad eos, qui rapuerint, aut scienter ipsi sibi acceperint, aut ab aliis rapta, aut accepta similiter sciente receperint: horum enim solam excommunicationem reseruat bulla.

a In c. excom. de raptor.
b Verbo excō munic. ca. 23. in fine.

2 Et consequenter, qui acceperunt bono animo seruandi ea quibus oporteret restitui, aut ignorantes ea esse rapta, aut ex naufragio accepta, aut fuisse naufragorum, licet nolint restituere, & sint in mora restituendi, & ob hoc sint excommunicati per Concilium Lateranense, non tamen excommunicantur per bullam Cœnæ: & fauorabile est rem redire ad suam pristinam naturam.[c]

c L. si vnus §. pactus, ne peteret. ff. de pa. c. ab exordio. 35. dist.

3 Quod autem non sit annuendum, facit primo, quod hęc reseruatio fuit facta ad reprimendam procacitatem, & crudelissimam cupiditatem habendi bona naufragorum valde miserandorum, & ad deterrendum omnes à tanta crudelitate: quæ deterritio, siue timoris incussio magis necessaria est quo ad inhabitantes littora marium, & insulas, quàm quo ad inhabitantes continentem, & loca mediterranea, quod hęc frequentius in illis, quàm in his contingunt: & ita aut quo ad omnes videretur relaxandus hic rigor, aut non quo ad illos, pro quibus petitur.

Secundo, quod eadem ratione, qua esset relaxanda prędicta bulla Cœnæ quo ad regiones in petitione contentas: esset relaxanda quod ad omnes alias similes terras Italiæ, Germaniæ, Belgiæ, Galliæ, & Hispaniæ, quod non videtur decere, stante prædicta bulla, quæ satis strictè, vt prædictum est, loquitur.

4 Tertio, quod orator non videtur petere potestatem absoluēdi, nisi pro iis, quibus nō suppetit facultas restituendi: & non minor, immo maior ratio suadere videtur, vt qui possent soluere, & actu soluerent, absoluerentur, cùm penitus tollāt culpam, quam qui solum promittunt, arg. l. *minus est habere actionem quàm rem.*[d]

d ff. de re. iur.

Quarto quod parum videtur decere, vt Sanctitas sua in sua solenni bulla decernat, ne incidentes in eam, absoluantur ab illo, quàm ipso, & in articulo mortis, nisi sufficienter cautione præstita: & quod nunc permitteret absolui extra mortis articulum cum sola promissione de restituendo, cùm suppeteret facultas, quod raro habebit effectum saltem in foro exteriori.

Quinto, quod fortè longe magis conueniret saluti animarum eorum, pro quorum fauore petitur hæc indulgentia, quod Sanctitas eius admoneret oratorem, & suos suffraganeos, vt præceptum illud grauissimum de publicanda sua bulla in omnibus ecclesiis, saltem semel in anno, sine vlla negligentia, & cura maiore obirent, & exequerentur, quo ad hanc clausulam, in locis maritimis, quàm in aliis, & quod curiones, & curati sæpe declararent in suis parochiis vim huius clausulæ.

Quare iustè, & æquè responderi posse videtur, vt ordinarius absoluat prædictos in omnibus casibus, in quibus per prædictum Concil. Lateran. incurritur, exceptis his paucis, quas prędicta bulla reseruauit Sedi Apostolicæ ob prædictā, crudelem, & immanem auaritiam ipsis Antropophagis horrendam, quod Deo, iuri, auctoritati bullæ cœnæ, & tam horrendis criminibus arcendis conuenire videtur mea sententia. Salua, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Denunciandi sunt complices ex vi verborum extrauag. Greg XII. principaliores verò tantùm ex mente legislatoris.*

2 *Denunciandi tantùm complices in culpa existentes, obligatio remißiuè.*

3 *Denunciandi non sunt complices absque fraterna correptione.*

3 *Principales rarò, vel nunquam tenentur alios denunciare.*

4 *Complices dantes pro gratia, non denunciantes, pœnam non incurrunt, quia non est extrauag. quo ad hoc recepta.*

4 *Lex noua per desuetudinem minorem decem annorum derogatur, quando legislator scit, & tolerat.*

## CONSILIVM XL.

QVidam petiit absolutionem à summo Pœnitentiario ab excommunicatione incursa ob transgressionem extrauagantis bo. me. Gregorij XIII. quæ incipit, *ab ipso.* & fit ei difficultas, eo quod non reuelat complices.

Primo quæritur, an teneatur reuelare illos.

Secundo, an esto ipse teneatur reuelare, etiā omnes scientes id facere teneantur.

Tertio, an, qui tenetur id facere, teneatur statim, atque interrogabitur, reuelare.

Pro parte negante primæ quæstionis facit primo, quod regulariter nemo est interrogandus de crimine aliorum, nec interrogato, & confesso est credendum, exceptis crimine læsæ maiestatis, & quibusdam aliis.[a] Secundo, quod pœnæ sunt restringendæ,[b] ergo & prædicta extrauagans est restringenda, quę non continet qualem qualem, sed maximam pœnam: at illa non videtur præcipere, vt quis denunciet complices: quia ibi solum statuitur impunitas reuelanti, ergo per illam nemo tenetur ad denunciandos illos. Tertio, quod non obstat finis eius, quatenus loquitur de denunciante complices: quia ibi solum statuitur impunitas reuelanti complices & non imponitur necessitas reuelandi eos, quod longè est diuersum, & à diuesis non fit illatio.[c]

a Ca. 1. de cō fess. & c. nemini. 15. quæst. 3.
b Ca. pœna de pœn. dist. 1.
c L. Papinianus. ff. de minorib.

2 Pro parte verò affirmante facit primò, quòd contextus extrauagantis præfatæ obligat ad denunciandum omnes, qui sciunt aliquem esse in culpa transgressionis illius. At petens præfatam absolutionem scit complices suos esse in culpa. ergo, &c. Secundo, quod prædicta extrauagans obligat innocentes ad denunciandos illos, qui peccauerunt: & qui peccauit, non debet esse melioris conditionis, quàm innocens,[d] ergo qui petit absolutionem, eo quod peccauerit, tenetur ad denunciandos participes sui peccati. Tertio, quod ad opposita responderi potest, concedendo quidem, quod regulariter non est interrogandus de se confessus, sed quod fallit in casibus expressis, de quibus vnus est in prædicta extrauagante: concedendo item, quod illa nullam de complicibus formaliter facit quod ad hoc mentionem, sed satis esse, quod faciat virtualiter, quatenus generaliter obligat ad denunciandum eum, qui scit aliquem esse in culpa transgressionis eius.

d Cap. 1. de postulat. prælato.

Per quæ omnia perpensa arbitror primo partem affirmatiuam esse de rigore iuris verbi extrauagantis conformiorem. Secundo, partem negatiuam videri conformiorem intentioni, & menti auctoris, quatenus videtur voluisse esse contentus notitia principalis transgressoris, eo quod non est vsus verbis obligantibus expressè ad denunciandum omnes, qui aliquo modo essent culpæ participes, sed solum indefinitè, & in singulari numero eum, quem in culpa esse scirent, significando se contentum iri notitia principalis auctoris: & quoniam mens & intentio auctoris magis est attendenda, quam verba, per cap. marcion[e] ibi, *Nec putemus euangelium esse in verbis scripturarum, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis.* & quia, cùm lex dupliciter aptè intelligi potest, benignior sensus est amplectendus,[f] & quia præfata extrauagans est maximè pœnalis, & ideo maximè restringenda: pars negatiua videtur magis amplectenda, scilicet, quod præfatus petēs absolutionē, si est principalis auctor trāsgressionis,

e 1. qu. 1. quod sumptum est ex D. Hiero. in ep. ad Gal.
f L. benignitas. ff. de legi.

eo quod

eo quod promisit, dedit, vel accepit pecuniam, vel donum, non tenetur omnes participes, & scientes denunciare, sed ad summum solos alios, qui fuerunt principales actores in dando, vel accipiendo.

AD SECVNDVM dubium respondeo id, quod scripsi in Commentario prædictæ extrauagantis [a] in illa verba, *Addo primo*, quæ ibi possunt videri.

3 AD TERTIVM dubium respondeo, quòd non tenetur indicare ante fraternam correptionem, vt, [b] scripsimus in illa verba. *Secundo quod dubitari potest*, vsque in finem illius numeri.

4 Ex qua responsione inferri potest, raro, vel numquam illum, qui fuerit principalis transgressor, obligatum iri ad denunciandos complices: raro enim, vel numquam contingit, quod principales, & adiutores transgressoris principalis non pœniteat adiuuisse illum, si moniti fuerint tam graue peccatum, & tam graues pœnas incurrisse, & quod oportet eos denunciari Papæ, si non pœnituerit tanti peccati, quando saltem sola contritione, & confessione, nulla facta restitutione, deleri posset eorum peccatum, & nulla ex eo vtilitas eis proueniet, quod ferè semper contingit in aliis omnibus, qui nihil ex participatione eius criminis acceperant.

Addi posset & quarta quæstio, an præfata extrauagans desiuerit iam obligare quemquam ad denunciandum: & videtur, quod sic. Tum quia lex non recepta moribus desinit obligare, [c] iuxta §. leges, & glossa recepta per omnes. [d] Tum quia nullibi, vt puto, legitur, quod extrauagās Bonifacij VIII. per hanc innouata fuerit vnquam recepta quo ad hoc, vt sciētes denunciarent. Tum quia etiam iam sextus annus agitur, posteaquam illa edita fuit, & nemo hactenus videtur fuisse, qui denunciauerit vllum transgressorem eius. Tum quia extrauagans 2. [e] qua parte iussum fuit, vt scientes aliquem admisisse simoniam in ordine, vel beneficio denūciarent illum, & antea non possent absolui, nusquam fuit quo ad hoc recepta, neque hodie ligat, vt nos diximus in Manua. Confess. [f] post D. Antoninum, Caietanum & Siluestrum ibidem citatos. Tum quia præceptum huiusmodi denunciandi peccatum iam præteritum, quod non vergit in læsionem diuinæ, vel humanæ maiestatis, vel Reipub. vel proximi, videtur durum, & parui effectus. Durum quidem, quia nouum & parum iure naturali, diuino, vel humano antiquo fulcitum, & quia est grande seminarium inimicitiarum inter huiusmodi denunciantes, & denunciatos. parui effectus autem: quia cùm, vt prædictum est, per illud præceptum humanum non possit tolli præceptum diuinum de correptione fraterna, & habente illa effectum, hoc non potest prosequi: quia, cùm sit humanum, cedit diuino maiori. Tum quia hoc certum esset, si iam essent elapsi decem anni ab eius editione secundū Antoninū, Cardinalem, & Imolam, [g] quos firma ratione corroborat Felinus: [h] considerando, quod aliud est dicendum de sublatione legis iam receptæ consuetudinis, quæ requirit 40. annos. [i] & aliud de impeditione obligationis legis nouæ nondum receptæ, [k] iuxta *§. leges*, quia tria requirit ad hoc, vt lex noua obliget, scilicet: quod sit constituta, promulgata, & recepta. Tum quia desuetudo minoris temporis, quàm decem annorum, sufficit ad impediendam obligationem nouæ legis, si legislator scit eam non seruari, & tolerat, vt clarè colligitur ex citatis ibidem per Felinum, & arbitror scire S.D.N. quod prædicta extrauagans non est quo ad hanc denunciationem seruata post eius editionem in his sex annis. Tum quia aut negandus est textus receptus ab omnibus Canonistis, [l] aut concedendum, quod lex, quæ à principio à nullis est recepta, non ligat, etiam si legislator id ignoret, quomodo §. ille expresè habet, non ligare legem, etiam constitutam, & publicatam, nisi fuerit recepta. Vnde Dominicus singulariter dicit ibi, quod omnis lex noua videtur quo ad effectum obligandi lata sub conditione, si moribus vtentium approbata fuerit: & compertum est, dispositionem cōditionalem non sortiri effectum, deficiente conditione. [m] Salua, &c.

a Num. 37.
b Vbi supra.
c §. leges. 4. d.
d In cap. 1. de treu. & pace.
e De simo.
f Cap. 27. nu. 106.
g In cap. 1 de treug. & pace.
h Ibid. nu. 13.
i Iuxta c. fi. de consuetu.
k Dist. 4.
l In d. §. leges 4. distinct.
m §. omnis & §. ex conditionali, Inst. de ver. obl. & c. si pro te de rescr. lib. 6.

### SVMMARIVM.

1 *Absoluere ab excommunicatione Papæ reseruata potest Episcopus pauperes mendicare non assuetos. & nu. 2.*

3 *Absolui qui propter impedimentum veniendi Romam potest à percussione clerici, poterit à quacunque alia excommunicatione reseruata.*

4 *Absolutus ab Episcopo propter impedimētum veniendi Romam non manet obligatus ad veniendum Romam.*

## CONSILIVM XLI.

QVædam mulier astu cuiusdam monachi introducta ducta fuit in cellam eius: vterque incurrit in excommunicationem extrauagantis Pij V. [a] & illa est castigata per Episcopum, & est pauper: quæritur, an possit absolui ab Episcopo?

1 Pro parte affirmante facit, quod mulieres percutientes clericum, [b] possunt absolui ab hac excommunicatione, quæ est reseruata Papæ, ab Episcopo propter fragilitatem: eadem autem ratio videtur suadere absolutionem etiam in hoc casu, quia mulier est, [c] quod nullæ mulieres cogi videntur per Sedem Apostolicam ad veniendum personaliter ad eam, nempe ad absolutionem quærendam, licet viros percussores clericorum quotidie ad id cogat.

2 Pro negante facit, quod concessa affirmatiua parte, consequeretur, nullam excommunicationem Papæ esse reseruatam quo ad mulieres, quod apud neminem legi: deinde, quod quotidie videmus eas mitti Romam pro absolutione excommunicationum Papę reseruatarum, etiam in casu proposito.

3 Rationibus vtriusque partis perpensis, respondeo primo, prædictam mulierem posse absolui ab Episcopo propter impedimentum paupertatis, quo impeditur venire ad vrbem. [d] Nec obstat c. *ea noscitur*, [e] quia illud habet locum in paupere mendicare assueto, qui potest prouidere sibi mendicando alibi per viam, sicut vbi degit, & non de paupere, qui viuit ex suo artificio, vel opera sine mendicatione, qualis hæc est. Secundo, quod longè maior est difficultas, an, sicut mulier percutiens clericum propter sexus fragilitatem potest absolui ab excommunicatione, [f] non imposito ei onere veniēdi ad Sedem Apostolicam, possit absolui ab excommunicatione ita simpliciter, vt non teneatur venire per se, vel saltem per alium ad Sedem Apostolicam pro mandato eius suscipiendo. Nam pro negante facit, quod alioqui nulla erit excommunicatio Papalis mulieribus, quod videtur iuxta ca. *mulieres*, [g] & sicut impubes percutiens clericum simili modo potest absolui. [h] Salua, &c.

a Quæ incipit regularium, & est 22. inter ipsius constit.
b Per c. si quis suadente. 16. quæst. 4.
c Ar. l. illud. ff ad l. Aquil. & c. dudum. 2. de electi.
d Arg. c. quod de his, & cap. quemuis de sententia ex com. & c. eos. eod. tit. lib. 6.
e Eod. tit.
f Cap. si quis suadente.
g De sen. exc.
h Iuxt. c. 1. eo. tit. & ca. vlt.

### SVMMARIVM.

1 *Episcopus excommunicatis declaratis, quando excommunicatio est reseruata, facultatem diuinis interessendi dare nulla via potest.*

## CONSILIVM XLII.

VTrum Episcopus, vel Vicarius generalis, qui declarauit aliquas mulieres incurrisse excommunicationem latam à Pio V. [i] ob ingressum monasteriorum regularium, possit facere illis facultatem audiendi missas & alia diuina officia, & communicandi cum aliis.

1 Respondetur partem negantem esse veram. Tum quia absolutio excommunicationis prædictæ est reseruata soli Papæ, vt habet præfata extrauagans Pij V. [k] cuius tenorem referimus nos in comment. 4. de regul. [l] & ita non potest ordinarius facere illis facultatem prædictam per viam absolutionis. Tum quia non potest etiam facere per viam suspensionis: quia licet aliæ censuræ, scilicet suspensionis, & interdicti, suspendi possint, etiam sine absolutione formali, excommunicatio tamen non potest suspendi: sed oportet, vt absolutio interueniat, [m] vt Ioannes Andreas, Panormitanus & alij, quos refert, & sequitur Decius, tenent. Tum quia sunt, qui dubitauerint, an etiam ipsemet Papa possit dispensare cum excommunicato, vt manens excommunicatus licitè communicare possit: tantùm abest, vt ordinario id concedatur. Tum quia ratio supra pro contraria parte adducta nihil valet: quoniam extrauagans *ad euitanda* Martini V. confirmata à Concilio Lateranensi sub Leone X. finito, cuius tenorem referimus in [n] Manual. Confess. per quam conceditur facultas cōmunicādi excōmunicato, donec denūcietur, nihil prodest ipsi excōmunicato: quia ille tenetur euitare cōmunionē alio-

rum,

i In bulla quæ incipit regularium, est quæ 22. inter ipsius const.
k Quæ incipit regularium. sub finem.
l Super c. statuimus. 19. q. 3. num. 62.
m Iox. ca. ad [illegible] de appel.
n Ca. 27. n. 35.

rum, etiam ante denunciationem,[a] per quod declaratur maius peccatum committere excommunicatum non vitando alios, quàm alios non vitando eum. Tum quia non obstat, ordinarios aliquos contrarium fecisse: quia id fecerunt per ignorantiam crassam veri intellectus prædictæ extrauagantis quæ habet expresse illā nihil prodesse excōmunicatis.

### SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus est percutiens clericum aliter, quam pro defensione propria, vel proximi, cum moderamine, &c.*
2 *Clerici percussio lapide, & magna sanguinis effusione, est enormis, & Papæ reseruata.*
3 *Impeditus venire Romam, vt ab ordinario absolui possit, quando sit minor ætas, patria potestas, vel paupertas.*

## CONSILIVM XLIII.

SVb patria potestate constitutus, & ætatis sexdecim annorum, & pauper, proximum suum defendere cupiens, clericum cum armis venientem lapide in capite percussit, & ex percussione magna sanguinis copia exiuit. Quæritur primo, an in excommunicationem reseruatam inciderit. Secūdo, an minor ætas, patria potestas, seu paupertas sit impedimentum iustum, vt possit ab ordinario in vtroque foro absolui.

1 Ad multa, quæ hic cumulatè quæruntur ex parte A. clerici, qui alterum clericum percussit lapide cum magna sanguinis effusione, respondetur primo, quod, si præfatus A. percussit aliter, quàm pro defensione propria, vel proximi, cum moderamine inculpatæ tutelæ, incidit in excommunicationem cap. *si quis suadente*.[b]

2 Secundo, quod videtur percussio prædicta grauis, & enormis: ita quod non pertinet absolutio excommunicationis inde exortæ ad Episcopum, per cap. *peruenit*,[c] & per extrauagantem quæ Pio II. ab aliquibus tribuitur, quam nos citamus in Manu. confess.[d] propter magnam effusionem sanguinis, & propter liuorem & maculam, quæ illa effecit.

3 Tertio, quod præfatus A. non excusatur à veniendo ad Papam pro absolutione propter ætatem: quia licet non sit maior 25. annis, est tamen maior impubere, qui solus videtur excusari.[e]

Quarto, quod ratione paupertatis videtur posse excusari: quia nihil videtur habere, quod sufficiat ei ad accedendū ad Sedem Apostolicam, & non tenetur mendicare: quia non est solitus id facere, vt diximus,[f] post Panormitanū[g]. Sed, si absoluatur ab episcopo propter hoc impedimentum temporarium, tenebitur præsentare se illi, cessante impedimēto.[h]

Quinto, quod etiam excusari posset ratione patriæ potestatis, si absque præiudicio patris venire non posset: quod an facere possit, nec ne, quæstio est facti, quæ per narrata decidi non potest: & cessante præiudicio, oportebit eum venire, nisi aliud eum excuset per prædicta.

[a] Iux. t. illud. de cleri. excō. minist.
[b] 17. quæst. 4.
[c] De sen. excomm.
[d] Cap. 27. nu. 90.
[e] Per ca. vlt. de senten. excommunicat.
[f] Vbi su. n. 88.
[g] In c. ea noscitur. de sent. excomm.
[h] Per c. quamuis. de sent. ex comm. & ca. eos. eo. tit. li. 6.

### SVMMARIVM.

1 *Licentia suscipiendi ordines per subsecutam excommunicationem non cessat.*
2 *Licentia excommunicato ab ordinario concessa, valida est. nu. 2. cum seq.*
5 *Surreptio vitiat gratiam concessam à Papa, non verò ab ordinario.*
6 *Rescripti appellatione regulariter venit rescriptum à Principe concessum.*
7 *Rescripta principum etiam quo ad alios faciunt ius, secus inferiorum.*
8 *Intellectus c. 1. de rescrip. in 6. nu. 2. vsque ad 9.*
10 *Interdictus ab officio, suspensus, & excommunicatus, minores ordines exercendo, an sit irregularis. nu. 10. cum seq.*
13 *Pœna posita in assumente, seu vtente ordine sacro, non semper ad minores ordines assumentem extenditur. nu. 12. cum seq.*
14 *Ordines minores sacramentalia, & non sacramenta sunt.*
15 *Minores ordines ante ætatem assumentes non sunt suspensi. nu. 15. & 17.*
16 *Excōmunicatus ingerens se diuinis est irregularis, sed non omnibus diuinis.*
16 *Excommunicatus minores ordines suscipiens non efficitur irregularis. nu. 2. & vsque ad 16.*
18 *Collatio beneficij à Papa facta ei, qui in excommunicatione primam tonsuram accepit, valida est.*
19 *Confessarius à censuris extra confessionis Sacramentum absoluere non valet.*
20 *Absolutio ad cautelam à vicario Vrbis facta ei, qui domicilium non habet, valida.*
21 *Clausula, Teque absoluentes ad effectum, &c. tollit tantum impedimenta ex censuris ecclesiasticis prouenientia.*

## CONSILIVM XLIIII.

N. Dum Romæ moraretur, nec tamen domicilium ibidem constituisset, innodatus censura ob clerici percussionem in patria contracta, à suo ordinario obtinuit licentiā. primam tonsuram, & ordines à quocunque antistite recipiēdi, sicque innodatus Romæ primam accepit tonsuram, & à Pontifice beneficium obtinuit cum clausula, *Téque absoluentes*. Postea in patria ingressus confraternitatem Sanctissimi nominis Iesu, cuius priuilegiis confratres possunt à confessariis certis diebus absolui ab omnibus censuris, fuit à quodam Sacerdote, cui cōfessus est solummodo dicta percussionem, absolutus à dicta censura, & Romam rediens ab Episcopo ad id à Cardinali Sabello deputato accepit minores ordines in quibus assumendis hoc accidit, videlicet, quia ordinandi prius fuerunt moniti, ne excommunicati accederent ad illorum assumptionem. Postea verò idem Episcopus ordinans ad cautelam de more absoluit omnes ordinandos ab omni vinculo excommunicationis. Dictus vero N. hæc audiens, credens se adhuc excommunicatum, ex quo inclinabat dictā absolutionē ei non prodesse, libenter recessisset, sed verecundia ductus perstitit in suo loco, & ordines minores accepit, & demum aliud beneficium à Pontifice obtinuit cum dicta clausula, *Absoluentes*, &c.

Dubitatur primo, an dicta excommunicatio vitiet dictam licentiam obtentam ab Episcopo, vt possit à quocunque ordinari, & tonsuram accipere.

Dubitatur secundo, an excommunicatus accipiens primā tonsuram contrahat aliquam irregularitatem, vel saltem aliquam inhabilitatem ad obtinenda beneficia, quæ ei obstet etiam post obtentam absolutionem à dicta excommunicatione.

Tertio, an impetratio à Pontifice de primo beneficio, vt præmittitur, obtenta, sit valida.

Quarto, an dicta absolutio obtenta virtute priuilegiorum dictæ confraternitatis sit valida, ex quo licet bona fide, & sciente ipso confessario, integram non fecit confessionem.

Quinto an dictus Episcopus pro Cardinali Sabello hic Romæ ordines conferens validè absoluerit ipsum N. qui licet Romæ commoraretur, tamen domicilium ibi non contraxerat, à dicta excommunicatione, maximè cum dicta absolutio non fuerit in sacramentali pœnitentiæ foro facta, sed extra Sacramentum.

Sexto, an d. N. accipiendo minores ordines in excommunicatione excusetur ab irregularitate, ex eo quod, quando accessit ad accipiendos minores ordines, nullam fecit reflexionem super dicta excommunicatione nisi postquam ante ordinantem cum cæteris ordinandis constitutus fuit, vt præmittitur, monitus.

Septimo, an dicta clausula Pontificis, *Téque absoluentes, &c.* licet non remoueat impedimentum procedens ab irregularitate, remoueat tamen aliud impedimentum procedens ex eo, quod quis malè ordinatus reperitur.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo primò, quod licentia assumendi ordines à quocunque voluerit, ab Episcopo concessa ante excommunicationem, non perimitur, nec perit per solam excommunicationem superuenientem ipso iure. Tum per c. *pia*,[a] & per glo. eius, & per glossam capitis 1.[b] Tum quod nulla pœna ipso iure incurritur, nisi aliquo iure id statuatur, iuxta glossam solemnem & receptam,[c] pro qua est aptus textus in capite *consuluisti*.[d] Cui consequens est, eum posse absolutione ab excommunicatione obtenta, vti licentia præfata Episcopi, licet non

[a] De exceptio. li. 6.
[b] De res. li. 6.
[c] In c. fi. de iure patronat.
[d] 1. q. 4. vel. 5.

posset antea iustè id facere: quia, quamuis licentia præfata non pereat per excommunicationem, tamen vsus eius impeditur, sicut & vsus alius cuiusque communicationis.[a]

2 Secundo, quod non memini vllam quæstionem fuisse mihi propositam tota ætate mea, neque quo ad scholas, neque quo ad palatia, quæ præsupponeret quæstionem illam à paucis vel nullis tractatam, an prædictum cap. 1.[b] habeat locum in rescriptis & gratijs ab Episcopis, & alijs ordinarijs concessis: à qua pendet decisio huius quæstionis. Si enim cap. illud non habet locum in eis, respondendum esset idem, quod responsum est de concessione præuenientе excommunicationem superuenientem. Si autem dixerimus illud cap. 1. habere locum in gratijs ordinariorum, sicut habet in gratijs Pontificum, & Imperatorum, videri potest respondendum affirmatiuè, scilicet præfatam licentiam impetratam per excommunicatum ab Episcopo, tempore quo erat excommunicatus, non valuisse ipso iure.

3 Pro qua parte primò faciunt verba ipsius cap. quæ generaliter disponunt de rescriptis, nulla distinctione facta inter rescripta Principum, & inferiorum: & verbum *rescriptum.* videtur genus ad vtrumque, vt sentit Felinus,[c] quatenus distinguit rescripta inferiorum à rescriptis Principum. Facit etiam glossa eiusdem cap. 1.[d] quatenus ait, processum excommunicati coram ordinario valere, & coram delegato ab eo non valere, sentiens delegatum impetratum per excommunicatum ab ordinario ipso iure non valere.

4 In contrariam autem partem inclino, scilicet, prædictum cap. 1. numquam habuisse locum in rescriptis ordinariorum, vel certè desiisse habere locum in illis per desuetudinem. Tum per clement. 2.[e] quatenus habet, impetrationem beneficij factam à Papa, vel legato eius, sine mentione beneficij prius obtenti, esse subreptitiam, & ipso iure nullam, non autem collationem ab ordinario factam.

5 Tum quia non videtur eadem ratio de impetratione rescripti à Papa facta, & de impetratione facta ab ordinario: quia facilius subripitur Papæ, & principi plurimis intentis, quàm ordinario paucioribus occupato.[f] Tum quia nec Ioannes Monachus, neque alij commentantes illud cap. 1.[g] faciunt mentionem vllam de nullitate gratiæ, vel rescripti impetrati ab ordinario propter excommunicationem. Tum quia de stylo Curiæ inferitur literis Apostolicis clausula illa, per quam absoluitur impetrans ab omnibus censuris ad effectum præsentium assequendum, per quam tollitur is effectus excommunicationis: & adeo quidem, quòd si non ponatur illa clausula, est subintelligenda, aut certè reformari possunt literæ cum illa inserta, vt tradit Petrus Rebuffus.[h]

6 Tum quod appellatione verbi rescripti generaliter in iure prolati solum Apostolicum, imperiale, siue regium includitur, vt colligere est ex tit. *de rescript.* tam Decretalium, quam Sexti, & Clementinarum & ex l. *rescripta.* & l. *quoties.*[i] cum alijs multis eorundem titulorum & aliorum multorum, præsertim cap. *nec damnosa*, & cap. *rescripta.*[k]

7 Tum quia rescripta Principum faciunt ius, etiam quo ad alios, quàm nominatos in rescriptis pro similibus casibus, non autem rescripta inferiorum, vt post Ioannem Andream tradit Felinus.[l] Tum quia saltem quo ad forum conscientiæ defendi potest prædictum cap. fin. non obstare. Tum per prædicta. Tum quia est pœnale: & lex pœnalis, etiam si ipso iure inducat pœnam, non tamen regulariter ligat quo ad forum conscientiæ, vt sæpe diximus, præsertim in Manual. confessarior.[m] sicuti glossam solemnem in cap. *fraternitas.*[n] & Sanctum Thomam,[o] & alios recentiores, quos ibidem citamus.

8 Tum denique, quod Archidiaconus,[p] tenet valde serio, quod illud cap. non comprehendit excommunicatum occultum, sed solùm publicum: quamuis contrarium ibidem teneat communis. Sed grandis eius auctoritas,[q] adiunctis prædictis rationibus, multum me mouet in contrariam partem.

9 Præsertim quod prædictis addi potest id, quod addidimus in Manual. confess.[r] posse vnam legem obligare quo ad vnam suam partem, & non quo ad aliam: eo quod sit recepta quo ad vnam, & non quo ad alteram: & quod prædictum caput 1. etiam si à principio inclusisset rescripta, & gratias inferiorum, postea tamen desiuit includere rescripta, & gratias inferiorum, de quibus nulli fere auctores meminerunt in illo capite, neque in aliis: & consequenter quod illud c. non annihilat nunc gratias inferiorum, saltem quo ad forum conscientiæ, & quo ad pœnæ executionem, saltem si excommunicatio est occulta.

a Ca. cum ex com. 11. q. 3. cũ simil.
b De rescr. li. 6.
c In rubr. de rescrip.
d De res. li. 6. in verbo processus.
e De offi. ord.
f Arg. c. quod dicitis. 16. dis. & c. quosdã, de præsump tio. Cardinalis in clemen. 2. de offi. ord. quæst. 17.
g De rescrip. lib. 6.
h In praxi bene. 1. parte, de declarat. bullæ nouæ prouisionis. §. teque absoluentes.
i Et l. vlt. C. de precib. Im. offer. & l. fin. Co. si contra ius vel vtil. pub.
k 25. quæst. 2.
l In rubr. de rescript. nu. 1.
m ca. 25. n. 66.
n 12. qu. 2.
o 2. 2. qu. 62. art. 3.
p In cap. 1.
q Super li. 6.
r Cap. 23. nu. 59. & seq.

10 AD SECVNDAM respondetur, quod pro parte illius affirmante, scilicet, quod excommunicatus suscipiens ordines minores fiat irregularis, facit, quod suspensus, & interdictus simpliciter ab officio, non solùm celebrando missam, sed etiam vtendo aliis minoribus ordinibus quo ad actus eis propriè deputatos, incurrit irregularitatem, vt notat Panormitanus per illum textum,[a] & latius in cap. fi.[b] & Archidiaconus[c] quod communiter teneri ait Angelus à Clauasio.[d] Siluester & Tabienna,[e] & multi alij, quos refert, & sequitur Francus,[f] & constat excommunicationem esse tam grandem, immo fortiorem, quàm sit interdictum, vel suspensio: ergo & excommunicatus vtens ordine minore ad actum propriè illi deputatum incurrit irregularitatem.

In partem verò contrariam cogunt me inclinare sequentia. Primùm, quod nullo corporis iuris loco inuenitur pœna irregularitatis huiusmodi culpæ imposita: & pœna irregularitatis in solis casibus expressis à iure imponitur.[g]

11 Secundo, quod iura, quibus mouetur communis opinio, id non probant efficaciter: nam caput 2.[h] ex quo Panormitanus sequutus alios, & receptus communiter colligit omnem interdictum, qui celebrat, vel vtitur aliis ordinibus, etiam minoribus quo ad actus propriè deputatos eis, esse irregularem: quod ipsum latius annotauit in capite vltimo,[i] non probat: quia contextus illius cap. nullam mentionem facit de assumptione minorum ordinum, neque de vsu eorum. Neque etiam caput vltimum[k] supra citatum eadem ratione id probat: quia nullam de assumptione, aut vsu minorum ordinum mentionem facit, licet Innocen. aliquantulam faciat. Nec capitulum primum,[l] nec aliud capitulum primum *de sententia excommunic.*[m] eadem ratione id probant: quia de assumptione, vel vsu ordinum minorum nulla in eis fit mentio. Nec cap. 1.[n] neque tria capitula[o] id probant: quia loquũtur de male promotis ad ordines sacros, & non de male promotis ad ordines minores. Et iura punientia illos non sunt extendenda ad hos. Tum quia longè minus peccant. Tũ quia sunt longè alia ab ordinibus sacris, eo quod non sunt verè sacramenta, vt mox dicam, sed sacramentalia: & pœnæ non sunt extendendæ ad alium casum, præsertim in quo est minor ratio puniendi.[p]

12 Tertio facit, quòd non omnis pœna, etiam censuræ, posita in male assumentem, vel vtentem ordine sacro extẽditur ad male assumentem, & vtentem minoribus: quia, licet suscipiens ordines sacros ante legitimam ætatem, vel sine literis dimissoriis, vel extra tempora iuris, incurrat suspensionem, &, si vtatur ordine, irregularitatem per extrauagantem Pij II.[q] quam referimus nos in Manual. Confess.[r] non tamen eas pœnas incurrit, qui minores ordines sic male suscipit, secundum communem sententiam, quam sequimur.[s]

13 Quarto, quod communis opinio supradicta loquitur de vtente ordine minore, & non de assumente illum: & ideo non videtur extendenda quo ad assumentem: quia aliud est assumere ordinem, & aliud est male vti ordine assumpto: ergo opinio loquens de male vtente non debet extendi ad male assumentem.[t]

14 Quinto, quod nobis semper visa est verior opinio Theologorum, quam Canonistarum, quæ habet, quatuor minores ordines non esse verè sacramenta, sed tantùm sacramentalia, vt tradimus in Manual. confess.[v] & ita non est tanta ratio, cur incurrat suspensionem, vel irregularitatem excommunicatus assumens ordines minores, ac assumens ordines sacros: & consequenter iura, quæ faciunt irregularem assumentem, vel vtentem ordine sacro, male extenduntur ad assumentem ordines minores.

a In cap. 2. de cler. excom. minist. nu. 3.
b De excess. prælat. nu. 5.
c In ca. si quis presbyter. 11. quæst. 3.
d In verbo irregularitas. §. 13.
e In eo. verb.
f In c. 1. §. cantant nu. 3. vsque ad finem, de sent. excõ. lib. 6.
g Cap. is qui. de sen. excom. lib. 6.
h De cleri. excom minist.
i De excess. prælat. nu. 5.
k De excess. prælat.
l De re iudic. li. 6.
m Eodem lib.
n De cle. per saltum prom.
o De eo, qui ord. fur. susc.
p Ar. c. pœna de pœn. dist. 1.
q Quæ incipit cum ex sacrorum.
r Ca. 25. n. 70.
s Vbi supr. & c. 17. nu. 155.
t Ar. c. pœna de pœn. dis. 1.
v Ca. 22. nu. 18.

15 Sexto, quod assumens ordines minores ante legitimam ætatem, non est ipso iure suspensus, sed suspendendus per sententiam, [a] per quod communis opinio Doctorum obtinuit in tota Hispania, & Gallia, ordinatos ante legitimam ætatem, etiam ad sacros ordines, non esse ipso iure suspensos, antequam nos Salmanticæ ante sexaginta annos publicaremus extrauagantem Pij II. supradictam: quæ tamen nõ includit assumentes minores, vt tradimus in dicto nostro Manual. [b]

a Ca. vel non est compos. de tempor. ord.

b Ca. 27. nu. 155.

16 Septimo, quod non obstant prædicta capitula prima, [c] quatenus generaliter disponunt suspensum incurrere irregularitatem, si diuinis se ingerat. At constat ordines minores esse res diuinas, & spirituales potestate diuinitus data constitutas, vt in definitione rei spiritualis data in nostro Manual. confessar. [d] Non, inquam, hoc obstat: quia communis, & recepta omnium fere sententia fatetur, non esse intelligenda de ingerente se omnibus diuinis: nam omnium fere vna est opinio, quod non habent locum in ingerentibus se diuinis extra diuina officia: qualis est benedictio mensæ, auditio missæ, concionis sacræ, & communicatio in orationibus priuatis: immo neque in ingerentibus se diuinis officijs, etiam in choro, cantando Psalmos, vel faciendo alia, quæ etiam laici solent facere. Vnde illa eadem ratione, qua communis opinio eximit ab irregularitate suspensos, qui ingerunt se canendis Psalmis, etiam in choro & diuinis officijs, quod videtur esse officium primæ tonsuræ, possunt etiam saluari qui primam tonsuram assumunt, vel ea vtuntur.

c De sent. & re iud. & sententia excõ.

d ca. 23. n. 99.

17 Octauo, quod qui contrariam sententiam tenuerint, obligantur ad fatendum innumeros esse irregulares in Ecclesia Christiana, etiam Romana: nam innumeri sunt, qui in pueritia, & adolescentia accipiunt ordines minores, præsertim primam tonsuram, cum parua cura faciendi confessionem sacramentalem cum legitima contritione, & omnium peccatorum ad memoriam reuocatione, ad hoc, vt absoluti ab excommunicationibus, suspensionibus, & interdictis, assumant primam tonsuram, & ordines minores & ideo credendum est, Pontifices Maximos & Concilia, præsertim œcumenica ideo nusquam expressisse, vt excommunicati, suspensi, & interdicti incurrerent ipso iure irregularitatem assumendo primam tonsuram, & alios ordines minores: & consequenter noluisse illos eam incurrere, cum expressum sit in dict. cap. *is qui*, [e] quod per nullum crimen incurratur irregularitas ipso iure, nisi per aliquod ius id fuerit expressum.

e De sen. excomm. lib. 6.

18 AD TERTIAM respondeo primo, collationem priorem, de qua loquitur, à Papa factam valuisse, etiam si facta fuisset absque illa clausula, *Téque absoluentes, &c. ad effectum præsentium assequendum.* tenendo opinionem, in qua me inclinare supradixi contra communem sententiam, scilicet, excommunicatum, accipiendo primam tonsuram, vel quatuor minores ordines, non fieri irregularem, neque inhabilem ipso iure ad assumendum beneficium. Secundo, quod etiam tenendo communem opinionem est respondendum, collationem prædictam cum prædicta clausula factam iudicandam validam, per ea, quæ tradit Rebuffus, [f] ita quod absolutus postea licitè poterit illa vti, & beneficio per eam obtento potiri tamquam suo.

f In praxi benefic. 1. parte in rub. de declarat. bullæ nou. prou. §. teque absoluentes per totum.

19 AD QVARTAM respondeo, absolutionem prædictam à Confessario electo virtute prædictæ bullæ nihil profuisse D. Consulenti. Tum quia non fuit facta ei virtute confessionis sacramentalis: quia, vt præsupponitur in facto, non fuit confessus sacramentaliter: & per prædictam, & similes bullas datur potestas absoluendi ei, qui electus audit bona fide sacramentaliter, vt aliàs respondimus.

20 AD QVINTAM respondetur, absolutionem illam à Vicario Sabelli datam ad cautelam æquè valuisse D. Consulenti, ac alijs coordinatis: quia per habitationem, quam habuit & habebat Romæ, licet in ea domicilium non contraxisset, tamen submissionem, qua se iurisdictioni Romanæ subiecerat, quæ fuit: attento quod non habebat domicilium propinquum, cuius iudici commodè subiiceretur, & quod consuetudo generalis orbis Christiani seruat, vt, qui causa studiorum, vel aliorum negotiorum, habitat

A in aliqua ciuitate à suo domicilio distante, possit agere, & conueniri sub iudice illius loci, tam circa spiritualia, quam temporalia, iuxta ea multa, quæ nos collegimus in cap. *placuit*, [a] quæ ibi possunt videri.

a Nu. 96. & seq. de pœnit. distinct. 6.

AD SEXTAM colligitur responsio ex responso ad secundam.

21 AD SEPTIMAM quæstionem respõdetur, quod prædicta clausula, *Téque absoluentes*, nullum aliud impedimentum, quod obstet collationi, aufert, nisi solum id, quod producunt solæ censuræ, scilicet excommunicatio, suspensio, & interdictum, vt satis colligitur ex eodem Rebuffo, [b] & B probatur irrefragabiliter per illa verba, *ad effectum præsentium tantum.*

b Vbi supra num. 15.

SVMMARIVM.

1 *Legatorum Apostolicorum facultas excommunicatos absoluendi qualis, de qua est eis credendum.*

2 *Episcopus iustè impeditos absoluere potest ab excommunicatione à iure, vel ab homine reseruata.*

3 *Celebratio excommunicati, nisi sit mortifera, non inducit irregularitatem, quæ sine dolo, & contemptu non incurritur.*

C

## CONSILIVM XLV.

QVidam ab Auditore Rotæ declaratus excommunicatus de consensu procuratoris aduersarij fuit absolutus à Nuncio Sedis Apostolicæ ad quatuor menses, deposita pecunia debita apud bancarium, eo quod creditor erat Romę, ne tamdiu maneret excommunicatus, faciendo quod in ipso erat, & soluit intra tempus à Nuncio præfixum, & Nuncius testatus fuit se habere potestatem ad illum absoluendum auctoritate Apostolica, & absolutus celebrauit.

Quæritur, an inciderit in irregularitatem, & fecerit fructus beneficij suos?

D 1 Respondeo, quòd non. Tum quia legati solent habere potestatem absoluendi, saltem ad tempus, in huiusmodi casibus, propter absentiam eius, ad quem pertinet absolutio, vt colligitur ex cap. *eos*, [c] quod etiam nos referimus in Manual. Confess. [d] Tum quia legatus præfatus asseruit in literis, se habere facultatem id faciendi, cui quo ad id credendum est: quoniam communiter habent ad id specialem facultatem ad ponendam illam clausulam, ne cogantur inserere facultates suas: & ideo creditur eis, donec contrarium probetur, iuxta notata in cap. *sicut.* [e]

c §. idem statuimus. de sent. excom. lib. 6.

d Ca. 27. nu. 46.

e De sen. excom. & c. nobilissimus 97. dist.

E 2 Tum quia etiam Episcopi possunt absoluere excommunicatum à iure, vel ab homine alij reseruata, propter morbum, vel impedimentum eundi ad quærendam absolutionem, vt colligitur ex principio d. cap. *eos*, & existens in Hispania habet impedimentum satis iustum maximi & periculosi itineris ad eundum Romam ad hoc, vt faciendo quod potest ad parendum, absoluatur ad tempus, quo eget tanto itinere faciendo, ne moriatur excommunicatus, quod iura horrent. [f]

f Ca. quæ frõte. de appell.

3 Tum quia auctoritas Legati dicentis se habere illam potestatem, & facientis facultatem celebrandi per tempus ab eo præfixum, dedit iustam causam credendi se bene absolutum, & vt bona fide celebraret, & excusauit ab omni malo dolo, & contemptu, sine quo non incurritur irregularitas, vt definit Panormitanus à quo ibi nemo recedit, [g] & F Dominicus, [h] pro quibus est ibi glossa memorabilis penult. Facit quod contraueniens Canoni, & legi dubiæ, & errans circa iuris subtilitates non peccat mortiferè, secundum Innocentium [i] per alia multa, quæ adducit Felinus, [k] & celebratio excommunicati, nisi sit mortifera, non inducit irregularitatem, sicut nec absque mortifero peccato non incurritur excommunicatio maior, [l] nec consequenter consulens incurrit illam: quandoquidem non peccasset mortiferè, credendo id sibi licere, etiam si Legatus errasset, qui tamen non errauit, immo piè, & eruditè in absoluendo se gessit, &c.

g Ca. pastoralis. §. verum. de appell.

h In ca. solet. de sententia excom. lib. 6.

i Ca. per tuas il 2. de simon.

k Ca. 1. de re. iur fallentia septima.

l Ca. nemo. c. nullus. 11. q. 3.

SVMMARIVM.

1 *Dispositio conditionalis ante impletam conditionem inefficax.*

2 *Paria sunt, duo fieri simul, vel per viam adiectionis.*
3 *Reintrusio est interlocutoria, quæ non appellando transit in iudicatum.*
4 *Fraus sua, & turpitudo nemini commodare debent.*
5 *Absolui ab excommunicatione, antequam satisfaciat, nequit, qui ob manifestam offensam incurrit irregularitatem.*

## CONSILIVM XLVI.

IVssus absolui data prius cautione de parendo iuri: & post moram in cauendo factam monitus, vt intra certum terminum præsentaret cautionem, non præsentauit eam intra illum, & accusata contumacia Iudex reintrusit in excommunicationem, qui postea data cautione absolutus fuit. Quæritur an absolutio valeat.

1 Videtur, quod non. primò, quòd dispositio conditionalis non est efficax, donec adimpleatur conditio, [a] & cautio non fuit præstita intra terminum, intra quem erat præstanda. Nec obstat dicendo, quod paruit conditioni, quia prius cauit, quàm absolueretur: quoniam non cauit intra terminum ad cauendum ei præfixum: nam per absolutionem datam sub conditione, si prius cauerit, adiuncta monitione, & citatione, vt intra certum terminum præsentaret cautionem, videtur Iudex absolutionem dedisse, si intra terminum ad præsentandam cautionem præfixum eam daret: alioquin enim fuisset elusoria huiusmodi conditio, cuius implementum potuisset differri vsque in infinitum. Tum quod prædicta monitio, & citatio tantùm operabantur, ex interuallo datæ, quantùm operatæ fuissent, si simul cum absolutione factæ fuissent: quia nihil mediauit inter illa, quod debilitaret earum virtutem, vt palam est: & regulariter paria sunt duo fieri eodem die, vel duobus interpellatis per viam adiectionis, & accessionis. [b] Tum quia regulariter eadem ratio suadet in vtrisque, & ita eodem iure sunt censenda, & lex ad omnia superiora refertur, cùm eadem ratio idem iuris suadeat in omnibus. [c] At absolutio prædicta conditionalis, & præfixio termini ad præsentandam cautionem sunt duo posita in duobus foliis papyri per viam adiectionis, & accessionis, in quibus eadem ratio militat, immo secundum est declaratio & limitatio absolutionis, quæ sine termino expresso lata fuit.

3 Secundo, quòd iudex post terminum præfixum ad præsentandum cautionem, & accusata contumacia non præsentantis eam, in illo reintrusit præfatum aduersarium, & ita cùm res non sit integra, non profuit ei præstatio cautionis post illam reintrusionem. Tum quia illa reintrusio fuit interlocutoria, quæ transiuit in rem iudicatam non appellando ab ea intra decendium, [d] tum quia per illam reintrusionem additum fuit nouum vinculum priori excommunicationi, & concedendo, vt absolueretur data prius cautione, non poterat intelligi à reintrusione, quæ nondum erat facta, vt palam est.

4 Tertio, quod nemini debent commodare sua fraus, & turpitudo. [e] At prædictus per fraudem, & turpitudinem se gessit pro absoluto, cùm nec absolutus esset, nec cautionem dedisset, vt patet ex actis, & non solùm gessit se publicè pro absoluto, cùm non absolutus esset, sed etiam auctorizando tamquam Prior & Rector Ecclesiæ parochialis insignis interfuit diuinis officiis, & fecit celebrare coram se, & toto populo Missas, & alia diuina officia, ob quod factus est irregularis.

5 Quarto, quod licet excommunicatus absolui possit ab excommunicatione manente ipso in irregularitate prius contracta, cùm sint diuersa: si tamen offensa, ob quam incurrit irregularitatem, esset manifesta, vt in hoc casu, non posset absolui regulariter ab excommunicatione etiam data cautione de parendo iuri, antequam satisfaceret pro illa offensa notoria, vel manifesta, iuxta cap. *ex parte 1.* [f] & tradunt Decius, & alij. [g]

Quare petitur, non solum illum non iudicari absolutum, sed esse irregularem, & priuatum, vel certè priuandum suis beneficiis, si quæ habet, & iure, quod malè prætendit se habere in prædicta Ecclesia parochiali. [h]

a §. omnis & §. ex conditionali, Inst. de verb. obl. ca si pro te. de rescrip. li. 6. cum iuribus ibi per glos. citatis.

b Arg. regulæ accessorium. de regulis iuris li. 6. & ca. de multa. sub finem de præ.

c Ca. secundo requiris. de appellatio. vbi gloss. & Doctores. maximè Panor. & Decius resoluunt.

d Iuxta ca. 1. de appell. l. 6.

e Ca. sedes Apost. de rescri. & ita, ne fullo de furtis.

f De verborũ significatione, & c. venerabilibus. §. porro, de sent. excomm. lib. 6.

g In cap. quia fronte, de appell.

h Iuxta c. clerici, & c. fraternitati. de cle excom. mi nist.

### SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus generaliter ab homine non denunciatus, sicut si à iure absolui potest.*
2 *Excommunicatus ab homine, & denunciatus, parte satisfacta, per priuilegium absolui potest.*
3 *Absolutio per Cruciatam in foro conscientiæ tantum consulit, nisi, &c.*
3 *Absolutio ab excommunicatione quo ad forum Dei quid operetur.*
4 *Absolutus, quo ad Deum ab excommunicatione, etiam in iudicio vitiari non debet, nisi id aduersarius petat.*
5 *Boni viri est nulli nocendo alicui prodesse, vel certè velle.*

## CONSILIVM XLVII.

AN mendicantes Religiosi ex priuilegiis suis, vel confessarij ordinarij ex priuilegio bullæ cruciatæ, possint absoluere ab excommunicatione imposita ab homine? Et quid possint cum pœnitente, qui esset denunciatus, vel notorius percussor clerici? Et si aliquis dictorum confessorum huiusmodi excommunicatos absolueret, quid operaretur talis absolutio, saltem in foro conscientiæ?

Secundo quæritur, cum quis incidit publicè in censuram aliquam Pontifici reseruatam, & satisfacit etiam publicè, an sufficiat tunc absolutio confessarij, qui aliàs habet facultatem absoluendi à tali censura: cum declaratione, quod talis pœnitens iam satisfecit, & absolutus est?

1 Respondeo primò, quòd excommunicatus generaliter ab homine, & nondum denunciatus, perinde potest absolui, ac excommunicatus à iure, per ea, quæ in hoc ipse cito in Manual. confess. [a]

2 Secundo, quod etiam excommunicatus specialiter ab homine, etiam denunciatus, & percussor notorius clerici, post iustam satisfactionem potest absolui per præfata priuilegia, & bullas quo ad forum conscientiæ tantùm: quia per præfatas bullas, & etiam, vt credo, per præfata priuilegia datur potestas generalis indefinita absoluendi excommunicatos à iure, vel ab homine, præuia satisfactione, absque ylla exceptione: & ita æquipollet vniuersali, iuxta glossam solennem, [b] & ita comprehendit omnes, [c] quia & nos credimus sufficere veram impotentiam satisfaciendi, præstita cautione sibi possibili, saltem iuratoria, iuxta ea quæ diximus in præfato cap. [d] quamuis Sotus contra teneat.

3 AD SECVNDAM respondeo, quod absolutio præfata non videtur prodesse, nisi quo ad forum conscientiæ tantùm, nisi cruciata, vel priuilegium expressè daret facultatem absoluendi quo ad vtrumque forum, per ea quæ diximus in dicto Manual. [e] Operabitur autem illa absolutio, vt possit diuina recipere Sacramenta, & beneficia sibi canonicè collata: & poterunt omnes, qui sunt certi de illa absolutione, licitè ei communicare quo ad forum conscientiæ.

4 Quin etiam, quod maius est, nec ab alio, quod sciam, satis proditum, Episcopus, & alij iudices fori exterioris possunt etiam quo ad forum exterius communicare eius factis, dictis, & conuersationi publicæ, & tractare ipsum quasi absolutum, & dissimulare eius excommunicationem, nisi aliquis aduersarius peteret eum arceri, & castigari tamquam peccantem in leges prohibentes excommunicatis illos actus exteriores. Tum quia hoc modo absolutus, non est verè excommunicatus: nec consequenter communicatur excommunicato. [f]

5 Tum quia boni viri est nemini nocendo, alicui prodesse, vel velle prodesse. [g] Tum quia hæc faciunt, vt priuatæ personæ, & vt tales sciunt ipsum esse absolutum: & ita nihil cõtra conscientiam faciunt, nec consequenter obuiant capiti si. [h] Tum quia non tenentur ad arcendum eum tamquam Iudices, & ex officio Iudicis nobilis, nulla parte petente: quia non interest Reip. vt id faciant, cùm verè tales absoluti non delinquant, eo quod iudices non tenentur ad vtilitatem priuatam, nisi parte petente, procedere. [i] Tum qui frequẽter sacra Pœnitentiaria committit absolutiones, & dispensationes in foro conscientiæ tantùm Episcopis, vt ipsimet absoluant, & dispensent: & ita scientes scientia priuata tales esse abso-

a Cap. 27. nu. 44.

b Ca. vt circa de elect. lib. 6.

c Cap. solitæ. sub fi. de maio. & obed. cũ concord.

d 27. num. 48.

e Ca. 26. n. 31. & c. 27. n. 150.

f Arg. l. in delicti. §. 1. ff. de noxalibus.

g Arg. c. 2. de postul.

h De præs[...]

i Leg. 4. §. hoc autem iudicium ff. de dã. infec.

lutos, vel dispensatos, non inquietent, neque castigent vt Iudices, ignorantes id scientia publica, quæ habetur per allegata, & probata, qua debent duci, quatenus sunt tales. [a] Salua, &c.

a Le. illicitas, §. veritas. ff. de officio præsid. c. pastoralis. §. quia vero. de offi. deleg.

SVMMARIVM.

1 *Absolutio virtute Cruciatæ iuuat in foro interiori, non in exteriori.*
2 *Absolui nominatim excommunicatus virtute Cruciatæ sine præcedente satisfactione non potest.*

## CONSILIVM XLVIII.

Lata sententia prima in Rotæ Auditorio in fauorem B. & odium A. super quodam beneficio litigantium, fuit appositum sequestrum super possessione, & fructibus illius, quod per quosdam annos sæpius violauit A. & percepit fructus: vnde incurrit excommunicationem, à qua nulla facta restitutione, fuit virtute bullæ Cruciatæ absolutus. Quæritur, an absolutio valeat, & quid ei faciendum sit.

1 Respondeo primò, quòd circa quæstionem hanc multa dicere posset is, cui satis temporis ad id faciendum esset. Secundo, quod præfatus D. Consulens non est censendus absolutus quo ad forum exterius: quoniam absolutio, quam habuit per bullam Cruciatæ sacramentalem, non potest probari, nec facit fidem quo ad forum exterius, cùm etiam absolutio data in foro sacræ Pœnitentiariæ non prosit quo ad forum exterius. Tertio, quod non est absolutus etiam quo ad forum interius. Tum quia non præcessit satisfactio, quam bulla Cruciatæ requirit. Tum quia excommunicatio præfata non potest dici tam posita à iure, quàm ab homine, cùm sit posita, & declarata ab Auditore Rotæ, à quo debebat absolui. Tum quia insorduit in excommunicatione, & quotannis incurrebat illam, etiam si absolutus fuisset absolutione valida semel. Quarto, quod qui absolutus est bene ab excommunicatione, debet absolui prius à peccato mortali, propter quod est excommunicatus: quamuis frequenter ipso iure valeat absolutio ab excommunicatione, licet absolutio à peccato non valeat.

2 Quinto, quod D. Consulens (quod dolenter dico) multa debet facere, vt sit tutus quo ad vtrumque forum. Primo quidem, quod eum pœniteat tot transgressionum sequestri, & tot retentionum fructuum sequestratorum. Deinde, quod restituat fructus male perceptos, qui sunt restituendi, vel obtineat remissionem, siue condonationem, aut legitimam compositionem, aut concordiam faciat cum eo, quem res tangit. Tertio, quod impetret absolutionem à præfato D. Auditore, aut ab eius successore. Quarto, quod obtineat dispensationem ab irregularitate, si manens in excommunicatione celebrauit, dolens plurimum de suo malo statu tanto tempore continuato, &c.

SVMMARIVM.

3 *Excommunicatus ab homine nominatim per cruciatam, parte non satisfacta, non potest absolui.*
4 *Excommunicatus beneficium, antequam absoluatur, acceptare non debet.*
5 *Excommunicatus ab homine à quo absolui possit.*
6 *Absolui à Legato Papæ vt possit excommunicatus, quando longè à Iudice competente distat.*
7 *Beneficium impetrare valet ab excommunicatione ad reincidentiam absolutus, saltem antequam reincidat.*

## CONSILIVM XLIX.

Qvidam in loco longissimo ab eo, in quo moratur, citatus à Scholastico iudice competenti non comparuit, & fuit excommunicatus, & absolutus à confessario virtute bullæ Cruciatæ, absque solutione debiti, & comparitione coram iudice.

A Quæritur primo, an præfata excommunicatio teneat. Secundo, an absolutio fuerit iuridica, & valida.

1 Respondetur primò, quòd ad certam determinationem eorum, quæ quæruntur, oportebat scire formam citationis, & etiam excommunicationis latæ ob contumaciam, & etiam clausulam bullæ Cruciatæ huc pertinentem.

Secundo, quòd præfatus Magister Scholasticus solet frequentissimè incipere iudicium ab executione cum dicta iustificatiua, præcipiendo citato, vt soluat sub excommunicatione latæ sententiæ, aut intra certum tempus compareat allegaturus causam, quare non debeat id facere: & interdum citat sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vel B ferendę, vt compareat responsurus petenti eum citari: & postea contumacem declarat incurrisse excommunicationem, vel excommunicat, prout requirit citatio precedens: & quocunque horum modorum citatus fuerit D. Consulēs, iustè fuit excommunicatus, quia non soluit, nec comparuit intra terminum ei præfixum.

3 Tertio, quod clausula bullæ Cruciatæ, de qua nos alibi meminimus, & etiam Sotus meminit, facit confessario facultatem absoluendi, præmissa satisfactione. & ideo præfatus D. Consulens non potuit absolui virtute illius bulle, quia non satisfecit parti aduersę, nec soluendo debitum, nec comparendo coram iudice: cui consequens est eum indigere C noua absolutione. Quandoquidem excommunicatio non tollitur, nisi per absolutionem à potente absoluere factam.

4 Quartò, quòd piè, prudentérque facit D. Consulens differendo acceptationem beneficij, donec absoluatur.

5 Quintò, quòd cùm ab excommunicatione specialiter ab homine lata non possit absoluere, nisi lator eius vel successor, vel superior, neque illi possunt id facere, nisi satisfacta, vel cōsentiente parte aduersa: nam neque Papa id facit, neque est facilè illam habere, siue impetrare ab alio, satisfactione non præmissa.

6 Sextò, quòd remedium facilius mihi nunc occurrens D est, quòd D. Consulens longissimè absens à loco, in quo fuit excommunicatus, adeat Episcopum, vel Legatum, & ob absentiam, & impedimentum adeundi excommunicatorem, vel successorem eius, petat absolutionem, ne moriatur in excommunicatione, [a] promittendo se, quàm citò cōmodè poterit per se, vel per alium petiturum ab excommunicatore absolutionem, & eius mandatis pariturum, iuxta ea, quæ nos scribimus in Manu. Confess. [b] & accepta absolutione huiusmodi illico, quàm optimo modo poterit, mittat, vel scribat Salmanticam, vt pareat iudici, & impetret absolutionem, vel ratificet eam, quam obtinuit in Italia ob im- E pedimentum comparendi coram illo, & hoc facto potest optimè acceptare beneficium, antequam nuncius, vel epistola perueniat Salmanticam: sed diligenter procurare debet, vt pareatur Iudici Salmanticensi.

a Iuxta cap. qua fronte. de appellat.
b Cap. 27. nu. 46.

7 Quia, nisi faciat id, quàm citò commodè poterit, reincidet in eandem excommunicationem, iuxta cap. *eos*, [c] & ea quæ diximus, [d] quamuis collatio beneficij, & acceptio facta post prædictam absolutionem, antequam reincidat, non desinent esse validæ propter reincidentiam subsequentem.

c De sen. excom.
d Vbi supra.

F AD SECVNDAM quæstionem respondetur, confessarium illum malè absoluisse præfatum D. Consulentem, ideóque debere ipsum curare, vt absoluatur ab ordinario, vel delegato modo supradicto, & adhibere diligentiam supradictam, ne reincidat in illam.

SVMMARIVM.

1 *Confessarius monere tenetur beneficiarium excommunicatum occultè, quod restituat distributiones.*
2 *Fructus ex beneficio in excommunicatione occulta perceptos beneficiarius absolutus restituere non tenetur.*

## CONSILIVM L.

Ad quæstionem propositam respondeo quòd confessarius debet monere beneficiarium excommunicatum

occultè

occultè, qui ob excommunicationem non quæſiuit ſibi diſtributiones quotidianas, vt reſtituat eas eis, quibus accreuerunt.

1 Tum quia certum eſt, eas acquiri alijs intereſſentibus, dum ipſi excommunicati negligunt petere abſolutionem, vt Cardinalis & Decius determinant,[a] ſuper gloſſa, quæ ibi determinat beneficiarium excommunicatum non quærere ſibi etiam alios fructus beneficij. Tum quia confeſſarius debet admonere confitentem ea, quæ ſunt neceſſaria ad remiſſionem peccati ſibi confeſſi,[b] & obligatio reſtituendi, quàm ſcire debet pœnitens, eſt de his, quæ ſunt ad ſalutem ei neceſſaria, vt palam eſt.

2 Quod autem excommunicatus, ſatis iuſtè poſſit retinere fructus alios à diſtributionibus quotidianis ſui beneficij receptos tempore excommunicationis, poſtquam fuerit abſolutus ab ea, ſatis patet, argumen. eorum, quæ præ omnibus alijs adducuntur à nobis in cap. *non liceat Papæ*,[c] tractando intellectum cap. *quia ſæpe.*[d]

a *In c. paſtoralis. §. verũ. de appella.*

b *Ar. c. penu. §. ſacerdos. de pœn. diſ. 6. & eorum, quæ ibi aliàs ſcripta ſunt.*

c *12. q. 2. §. 10. num. 12.*

d *De elect. li. 6. & c. præſenti, de officio ord. eodem li. & c. cum vos eod. tit.*

## DE SENTENTIA EXCOMMVNICATIONIS.

### SVMMARIVM.

1 *Excommunicari à ſolo notario. etiam eccleſiaſtico, quamuis ex pacto proceſſerit, nemo poteſt.*

2 *Laici coram Iudice eccleſiaſtico competente conueniri poſſunt. vbi per legem non prohibentur renunciare ſuo foro. num. 2. & 3.*

4 *Hiſpani laici non poſſunt ſuo foro renunciare, nec iurare contractus, qui ad ſuum valorem iuramentum non requirunt.*

5 *Lex prohibens laicos foro ſuo renunciare eſt iuſta, & libertati eccleſiaſticæ non contraria.*

6 *Reges iuſtè laicos defendent, ne per tales contractus excommunicari poßint.*

## CONSILIVM LI.

QVÆRITVR, an laici in regnis Luſitaniæ, Caſtellæ, Nauarræ, præſertim in Ciuitate Dolæ, poſſint ſuos contractus inire, adiecta clauſula, vt, niſi contenta intra conſtitutum diem adimpleuerint, excommunicari poſſint.

1 Reſpondeo primò, quòd non, etiam inter clericos coram ſolo tabellione, ſiue notario etiam eccleſiaſtico: quia excommunicatio ferri non poteſt in aliquem ſine iuriſdictione eccleſiaſtica ſecundum omnes,[e] & notarius etiam eccleſiaſticus, quatenus eſt talis, non eſt iudex; nec vllam habet iuriſdictionem, argumento legis *priuatorum*,[f] & ita nec abſolutè, nec ſub conditione, ſi vſque ad talem diem non ſoluerit, poteſt debitorem excommunicare: quò fit, vt obligatio in forma Cameræ cum huiuſmodi excommunicatione conditionali, etiam in vrbe fieri non poſſit coram ſolo notario, vt Antonius Maſſæus Galleſius in libello formulæ cameralis,[g] tradit.

2 Secundo, quod fieri poteſt etiam inter laicos coram iudice eccleſiaſtico competenti iure communi, vel per iuſtam renunciationem proprij fori, & iuſtam ſubmiſſionem, qua ſe debitores ſubmittunt illi, quod paſſim fit in vrbe, partibus renunciantibus ſuis foris, & ſubmittentibus ſe quibuſcunque iudicibus eccleſiaſticis, & confitentibus debitum, & obligantibus ſe ad ſoluendum in certum diem, ſuſcipiendo ſponte præceptum iudicis iubentis, vt impleant promiſſionem ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, vt concludit Panormitanus contra communem.[h]

3 Tertio, quod hoc fieri non poteſt inter laicos in regnis, in quibus non permittuntur laici renunciare foro ſæculari, nec ſubmittere ſe eccleſiaſtico. Quoniam non poteſt fieri niſi coram iudice eccleſiaſtico competenti, vt dictum eſt,[i] & iudex eccleſiaſticus non eſt competens ſuper contractibus eorum iure communi, & in illis regnis non poteſt fieri per renunciationem fori ſæcularis, nec per ſubmiſſionem, qua ſe debitores ſubmittunt eccleſiaſtico, cùm nullatenus illa in præfatis regnis permittantur laicis.

e *Ca. L. & G. de officio delegati.*

f *C. de iuriſd. omnium iud.*

g *Obl. 2. p. ad 3. particulã. quæſt. 3.*

h *In ca. P. & G. n. 6. de officio deleg.*

i *In 2. dicto.*

4 Quarto huic eſſe conſequens, non poſſe hoc fieri in Regnis Caſtellæ, Luſitaniæ, & Nauarræ à 60. circiter annis: quoniam lege Regia cautum eſt, ne quis laicus poſſit renunciare foro ſuo ſæculari, nec ſubmittere ſe eccleſiaſtico, immo nec iurare contractum, qui ad ſui valorem vtroque iure non requirit iuramentum: quæ lex, vt puto conſtituta fuit primum in Caſtella, deinde in Luſitania ex aliqua lege, vel conſuetudine, quæ viſa eſt in eis iuſtificari à neceſſitate tollendi fraudem, quia iuriſdictio ſæcularis fraudabatur ex eo, quòd ratione renunciationis, & ſubmiſſionis, omnes fere cauſæ contractuum laicorum deferebantur ad curias eccleſiaſticas, quibus renunciato foro ſuo debitores ſe ſubmittebant, immo & iurabant, vt ratione iuramenti, de quo vti de re ſpirituali iudex eccleſiaſticus debet cognoſcere,[a] conuenirentur coram eccleſiaſtico, vt conueniebantur, adeo quidem, quod ab hinc 70. annis frequentior erat litigatoribus curia Epiſcopalis Pampilonenſis, quàm tota curia regia: nunc autem, prohibitis renunciatione, & ſubmiſſione prædictis, & iuramenti adiectione, cùm vix vlla cauſa laicorum ad eam deferatur, quod adeo rigidè ſeruatur, vt nullum inſtrumentum à notario eccleſiaſtico inter laicos factum, quidquam fidei faciat in foro ſæculari, & qui notarius regius addiderit contractui laicorum iuramentum, vel ſubmiſſionem partium ad forum eccleſiaſticum, caſtigetur, & deponatur ab officio: quamuis in Regnis Aragoniæ, & Valentiæ mos ille antiquus etiam nunc, vt audio, ſeruetur, & ita in illis poſſint fieri contractus propoſiti: quin, vt audio, fiunt aliqui fere ſimiles illis, per quos eccleſiaſtici iudices laicos non ſoluentes ad ſtatutum diem, excommunicant, monitione tamen præmiſſa.

a *Iuxt. c. cum C. de foro cõpet.*

5 Quinto, quòd ſi lege regia ſtatutum eſt in Comitatu Burgundiæ, in quo videtur eſſe Dola, quòd laici non poſſint renunciare ſuo foro ſæculari, & ſe ſubmittere eccleſiaſtico: quod eſſe ſtatutum ſuſpicor, eo quod ſubiacet Regi Catholico, in cuius Regnorum bona parte, vt dictum eſt, id ſeruatur: ſi inquam id ſtatutum eſt, non poterunt huiuſmodi contractus fieri inter laicos: quia non poterunt ſe ſubmittere eccleſiaſtico, ſine qua ſubmiſſione huiuſmodi excommunicatio fieri non poteſt, vt prædictum eſt.

Sexto, quod maioris quæſtionis eſt, an iuſtæ ſint huiuſmodi leges ſæculares vetantes huiuſmodi renunciationes, ſubmiſſiones, & iuramenti adiectiones.

Ad quod reſpondetur, eas videri iuſtas in prædictis Regnis Caſtellæ, Luſitaniæ, & Nauarræ, ratione fraudis præfatæ vitandæ regibus, & conſiliis regiis eorum, & difficile eas ſublatum iri: quin, licèt pro contraria parte faciat, quod libertati eccleſiaſticæ videantur obuiare, pro eis tamen facit, quod Eccleſia eſt cultrix iuſtitiæ, & non debet aliena iactura locupletari, nec velle, vt iuriſdictio ſæcularis defraudetur,[b] & quod Papa non intendit iuriſdictioni Regum præiudicare,[c] & quod fraus ſua nemini debet prodeſſe.[d]

6 Septimo, quod qui reges, vel populi tenuerint præfatas leges eſſe iuſtas, à fortiori defendent non poſſe laicos in ſuis terris contractus præfatos excommunicationis vallo munitos efficere: & quod Concilium Tridentinum,[e] & ratio eius neruosè in ſuam partem induci poſſet: ſed quia non proponitur in quæſtione de huiuſmodi legibus, an ſint, vel non ſint, neque ſi ſint, quales ſint, ſufficiat præfata dixiſſe latius, quàm putaram, ſed tumultuario ſtudio. Salua Domini mei iubentis cenſura.

b *Ar. c. licet. cum gl. de foro compet.*

c *Cap. nouit. de iudicijs.*

d *Ca. ſedis de reſc. cum alijs ſimilibus.*

e *De quo in c. 3. de reform. ſeſſ. 25.*

### SVMMARIVM.

1 *In ius vocare, vel excommunicare animalia irrationalia, vanum. & num. 2. & 3.*

3 *Excommunicatio in ſolos fertur Chriſtianos. & numero 5.*

4 *In veteri testamento per anathema non intelligitur excommunicatio.*
5 *Anathema duo significat, actum, scilicet faciendi, & rem iam factam.*
6 *Maledici, & anathematizare an differant.*
7 *Sententiæ latæ à quibusdam contra animalia irrationalia principia habuerunt laude digna, fines tamen superstitiosos.*
8 *Superstitionis species quatuor, & quæ illa sint.*
9 *Adiurare Deum, Diabolum vt inimicum, homines vt amicos, licet, non tamen irrationalem creaturam.*
10 *Adiuratio, vel incantatio irrationalis creaturæ, cui admiscetur aliquid falsum, est tacita dæmonis inuocatio.*
11 *Modus exercendi exorcismos contra irrationalem creaturam qualis. & num. 13.*
12 *Sententiæ contra animalia liberant potius virtute malorum Angelorum, quàm bonorum.*
14 *Sacerdos adiuraturus animalia irrationalia, quid faciet, & num. 15. & 16.*
15 *Orationis magna vis, & quatuor cum comitibus sæpe impetrat. & num. 16.*

## CONSILIVM LII.

QVid iure fieri potest aduersus pisces grandes, quos Terones vocant Surrentini, & à paucis annis in eorum maris Hadriatici districtu inferentes multa damna retibus, & alijs rebus piscatorum, &, vt aiunt, in personas eorum.

1 Ad quæstiones ex hoc facto resultantes dico primo, legisse me, vel certe audiuisse alio legente omnia, quæ Bartholomæus Cassaneus, vir quidem eruditus, scripsit,[a] quo integrius, & aptius parerem iubenti mihi iure suo respondere.

[a] In quindecim folijs magni marginis. in cons. 1.

Secundo, inuenisse me in eis multa laboriosè quidem, & prolixè exarata, sed parum mea sententia rei, quæ quærebatur, necessaria, sed digna, quæ confutarentur, ne male decipiant, & in superstitiones ducant ea legentes. Primo enim disputat de nomine, quo vocabantur animalia illa nocentia, contra quæ remedium petebatur. Secundo, an deberent in ius vocari, siue citari. Tertio, an sufficeret citare procuratores eorum, & possent procuratores comparere.

2 Quarto, quis esset Iudex ad id competens. Quæ omnia potuerant omitti, considerando vanum esse in ius vocare vel citare, excommunicare, vel anathematizare animalia irrationalia propter proprium actum. Tum quod, vt ait S. Thomas,[b] praua res est etiam adiurare creaturam irrationalem ad agendum proprium actum: quia, cùm illa non moueatur à se ipsa, sed à Deo, vel permissu eius à diabolo ad nocendum homini, adiurandus est diabolus, iuxta illud.[c] *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.*

[b] 2.2. q. 90. a. 3.
[c] Lucæ 10.

3 Tum quod, vt nos post alios resoluimus paucis in Manual. nostro Confessar.[d] nemo excommunicari potest, nisi homo baptizatus, mortalis, habens superiorem. Itaque vanum erat quærere, quo nomine vocarentur animalia præfata, de quibus rogatus fuit Cassaneus, & an citari poterant, & tenerentur personaliter citari, vel comparere, & quis esset Iudex competens, vel incompetens, quia quocumque nomine vocarentur, & siue citarentur, vel non citarentur, siue personaliter, siue verbaliter, siue à Iudice competente, siue ab incompetente, nullatenus poterant excommunicari, vel anathematizari, vt prædictum est: & probatur irrefragabiliter, eo quod solus Christianus est capax excommunicationis passiuæ,[e] omissis, quod excommunicatio in hac materia est eiectio alicuius ab ecclesia Christiana, & eius communione, vt patet ex definitione excommunicationis data ab omnibus,[f] & à nostris,[g] & quod nulla irrationabilia animalia, nec rationalia, præter baptizata, sunt intra ecclesiam Christi, nec participant communionem illius præsertim sacramentalem.

[d] Ca. 27. n. 13.
[e] Cap. omnis Christianus. 11 quæst. 3.
[f] Li. 4. sen. d. 18.
[g] In rubr. de sen. excom.

A 4 Nec obstat, quod legamus in libro Iosue,[a] multa irrationabilia fuisse anathemata, siue anathematizata: quia non est intelligendum illud de anathemate, prout accipitur à iuribus canonicis, & ab eorum peritis, sed pro rebus separatis à communi consortio aliarum similium, vt palam dicit S. Thomas receptus,[b] vt etiam accipitur in omnibus locis veteris Testamenti, in cuius tempore nondum erant inuentæ tres illæ censuræ, de quibus in cap. *quærenti*,[c] quarum maxima est excommunicatio, præsertim maior, quæ vocatur anathematizatio, de qua in hac quæstione agitur. Et ita nullatenus est dicendum montes Gelboë à Dauid fuisse excommunicatos: licet potuissent dici separati à dono diuino aliis montibus coniunctis donato.

[a] Cap. 6.
[b] In cap. 2. ad Galat.
[c] De ver. sig.

B 5 Tertio principaliter dico, quod etiam illa, quæ ad probandum irrationabilia non posse anathematizari latè adducit, satius fuisset omittere: quoniam etiam ipse cum communi præsupponit, anathematizationem esse excommunicationem: &, cùm nemo possit excommunicari, nisi homo baptizatus, &c. vt prædictum est, consequenter palam erat non posse irrationabilia anathematizari, cùm non possint excommunicari, iuxta supradicta, & alia, quæ nos partitius, & resolutius scripsimus in commentario extrauagantis *ab ipso S. D. N.*[d] scilicet, quod verbum, *Anathema*, Canonum peritis C duo significat. Alterum est actus faciendi, siue separandi Christianum à Christianorum communione, vt probatur efficaciter in capit. nemo,[e] ibi, *Anathema est mortis æternæ damnatio. &c.* Alterum, quod significat, est Christianus sic separatus: quod efficaciter probatur per sexdecim cap. Concilij Gangrensis,[f] qua parte habent, vt, qui illud, aut illud fecerit, sit anathema: in qua significatione etiam accipitur Iosue,[g] ad Romanos,[h] ad Galatas,[i] & alibi sæpe.

[d] Gregorij XIII. & illa est 28. inter ipsius const. not. 4. num. 10.
[e] 11. quæst. 3.
[f] Posita in di. 30.
[g] Cap. 6.
[h] Cap. 9.
[i] Cap. 1.

6 Quarto, quod etiam poterat Cassaneus omittere illa, quæ multiplicauit de dictione *Maledicere*: quia ipse asserit in sua materia, & quæstione, *Maledicere*, accipi pro anathe- D matizare: &, cùm ipse magis concludat irrationabilia non posse anathematizari, quam quòd possint, licet aliquot rationes adducat in contrariam partem parum neruosas, absque alia frustranea probatione poterat concludere, *Ergo neque maledici, & anathematizari*, adducendo in hoc textus, & iura Bibliorum, & aliorum librorum, quæ non loquuntur de anathemate, de quo iura Pontificia loquuntur, sed de rebus separatis à quibusdam commerciis, honoribus, & priuilegiis, quibus communiter alia similia gaudent, vt dictum est.

7 Quinto, quod quatuor exempla, quæ Cassaneus refert, sententiarum latarum solemniter à Vicariis, & E prouisoribus quarumdam diœcesum Gallicanarum contra quædam animalia irrationalia, licet habeant exordia laude digna, fines tamen habent superstitiosos, quibus excommunicant, & anathematizant ea. Quarum similes audiuimus fuisse latas etiam in Hispaniis contra mures, sorices, & locustas, & quædam alia animalia destruentia segetes, & alia virentia: præsertim illam, quam tulit quidam episcopus ex quodam summo promontorio, per quam iussit muribus exire terras, quas habitabant, intra tres horas, intra quas maximus eorum numerus exiuit natando per mare Oceanum in quandam insulam sterilem, quo per excommunicationem & anathematizationem iussi fuerant exire.

F 8 Cùm etiam omnes prædicti intenderent verè excommunicare, & anathematizare animalia irrationalia, quæ incapacia erant talium pœnarum, certum est eos ad expulsionem eorum accepisse media, & remedia, quæ nec naturaliter, siue naturali ratione, nec supernaturaliter, siue supernaturali reuelatione, neque vlla Ecclesiæ Christianæ Romanæ institutione habebant virtutem expellendi ea eo modo: & ita censenda sunt superstitiosa aliqua specie superstitionis illarum quatuor, quas post alios referimus nos in nostro Manuale confessariorum,[k] vel inuocationis tacitæ Dæmonum: quæ vt referimus ibidem,[l] toties fiunt, quoties aliquis enititur efficere aliquid per causas, quæ nec virtute sua naturali, nec

[k] Ca. 11 n. 23.
[l] Num. 25.

ex diuina, aut ecclesiastica dispositione possunt illud efficere, aut sunt ad illud ordinatæ, vel quando huiusmodi causæ tamquam necessariè adiunguntur alijs, quæ possunt talem effectum producere, iuxta mentem S. Thomæ,[a] cuius definitionis exempla possunt esse quidam rami, quos posuit Caietanus,[b] præsertim vsus causæ naturalis ad effectum supernaturalem, vel miscere falsa veris, veluti dicendo Christum habuisse febres: in prædictis enim exemplis assumũtur excommunicatio, & anathematizatio, quæ nulla dispositione supernaturali, nec Ecclesiastica Christiana Romana possunt operari effectus illos supernaturales expellendi, vel occidendi subito prædicta irrationalia, & miscent veris, & sanctis institutis ecclesiæ exorcismis, adiurationibus, & coniurationibus aliqua falsa, & vana, scilicet citationes, responsiones, & allegationes eorum fictas, & monitiones, excommunicationes, & anathematizationes factas contra ea illarum incapacia.

a 2.2.q.96.a.1. & in multis art.qu.95.
b In summa ver. incantatio.

9 Quæ infirmantur ex eo, quod S. Thomas posteaquam,[c] concludit licere adiurare Deum, & hominem, & amicos, & [d] licere etiam Dæmonem adiurare tamquam hostem ad compellendum, vel expellendum, iuxta illud iam dictum. [e] *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* non tamen vt amicum, vel socium ad habendum ab eo aliquod adiutorium, vel bonum postea, [f] determinat vanum esse adiurare irrationalem creaturam ad aliquem actum, tanquam procedentem ab ipsa: quia non est eius domina, sed eius, qui mouet eam, scilicet Dei, cuius dispositione omnia reguntur, & mouentur, vel Dæmonis, quatenus permissu eius vtitur ea ad nocendum nobis.

c In 2. 2. qu. 30. art. 1.
d In 2. art.
e Lucæ 10.
f In art. 3.

10 Et cum omnis adiuratio & incantatio irrationalis creaturæ, cui miscetur aliquid vanum, falsum, vel apocryphum, censeatur tacita inuocatio Dæmonis, vti amici & socij: consequitur, omnem adiurationem, vel coniurationem, per quam adiuratur, vel coniuratur creatura irrationalis, esse superstitionem, & vanitatem, & consequenter peccatum etiam mortale, si fiat scienter: quod vitandum est omnino ab exorcismis, adiurationibus, & coniurationibus Christianorum.

11 Sexto, quod ex prædictis infertur, S.D.N. nec vllum alium Pontificem, vel sacerdotem debere consulere, vel mandare, vel vti processibus, & finibus sententiarum relatarum à præfato Cassaneo, nec aliarum similium latarum in Hispanijs, sed sic coniurationibus, & adiurationibus, & alijs remedijs ecclesiasticis ab omni sorde superstitionis, & inuocationis Dæmonum, & falsitate mundis, & alienis, iuxta S. Thomam,[g] dicentem, coniurationem, vel adiurationem huiusmodi non esse faciendam, referendo illam ad irrationalia nocentia, sed ad ipsum Deum, qui ea mouet, humillimè obsecrando eum, vt dignetur ea compescere aliquo modo suæ diuinæ Maiestati grato, vel referendo ad diabolum, & præcipiendo ei potestate præfata à Deo tradita Ecclesiæ, vt cesset à mouendo, & ducendo, & dirigendo illa contra nos: nihil tamen amicè, vel socialiter petendo, vel accipiendo ab eo, etiam si ipse, vel alius spiritu eius afflatus promitteret certo liberationem, quæ percupitur.

g In d. a. 3. in corp.

12 Nec obstat, quod præfatæ sententiæ operatæ fuerint liberationem à vexatione prædictorum animalium: quia illa non prouenit ex bonitate, & virtute sententiarum, sed ex potestate Diaboli, qui abstulit illa animalia de terris, quibus nocebant, vel occidit ea etiam subito in eis ad persuadendum cupientibus illam liberationem prouenire ex bonitate præfatorum processuum, & sententiarum, & sic continere & manu tenere confidentes in eis in peruersis superstitionibus, & inuocationibus, & amicitia Dæmonum, qui plurimum cupiunt haberi, & adorari pro dijs, & benefactoribus, cùm tamen sint malefactores maximi. pro quo facit, quod plures incantationes superstitiosæ sortiuntur effectum, quàm bonæ, procurante Diabolo magis vt malæ sortiantur effectum ad nos decipiendum, quàm Angelo bono ad nos adiuuandum, eo quod aliqua de causa occulta non conuenit nobis earum effectus.

Septimo, quod sancta, & bona coniuratio contra præfatos pisces posset confici. Primo quidem consulendo, & iubendo, vt fiat aliquod ieiunium vnius, vel plurimum dierum à prædicto populo Surrentino, & vicis seu pagis eius. Deinde consulendo, vt pœniteat eos verè peccatorum omnium suorum saltem mortalium & confiteantur illa sacerdotibus idoneis, & approbatis. Tertio etiam consulendo, vt satagant precibus, & supplicationibus humillimis augere suam fidem Catholicam, & spem sanctam perueniendi ad gloriam æternam, & caritatem in Deum, & proximos necessariam.

14 Quarto, quod coniurator, vel adiurator, qui coniuraturus est præfatos pisces, siue cacodæmones eis in nocumentum præfatæ ciuitatis, & pagorum eius vtentes, faciat id vestitus sacris, & præ cæteris mundet fidem suam ab omni sorde superstitionum, credendo actu, & recitando firmiter, & deuote symbolum Athanasij, & præmissa oratione Dominica, & salutatione Angelica, obsecret ex animo Deum omnipotentem, vt propter semetipsum, & infinitam bonitatem suam, & per sanctissimam incarnationem, natiuitatem, passionem, mortem, & resurrectionem suam dignetur concedere sibi, & præfatis populis id, quod postulant, & iuuet eum ad præcipiendum, vt præcipit, durè, ac rigidè, virtute potestatis præfatæ à D.N. Iesv Christo accepta, præfatis cacodæmonibus piscibus prædictis in præfatum nocumentum vtentibus, vt abstineant à tali vsu damnoso, & permittant pisces illos redire in loca, vnde venerunt, & fugiant à facie sacrosanctæ Crucis, quæ ostendatur eis, & virtute eius iubeantur fugere, & relinquere sua maleficia ad gloriam eiusdem D.N. Iesv Christi, &c. quæ desumi possunt ex præfatarum sententiarum exordijs, & alijs partibus earum, omissa tamen mentione excommunicationis, & anathematizationis, quarum nec pisces, nec ipsi Dæmones capaces sunt, vt prædictum est in secundo principali dicto.

15 Quinto, quod, si primæ coniurationi non paruerint, repetatur, donec paruerint, cum firma fide, quod oratio est magnæ virtutis, magnarumque virium, vt probauimus in Enchir. de oratio,[a] vbi citamus B. Hieronymum,[b] asserentem, Deum ipsum per eam quadamtenus cogi, & vinci, & D. Bernard. [c] affirmantem ex duobus vnum orantem indubitanter sperare debere, scilicet quod obtinebit quod petit, aut quod ei fuerit vtilius.

16 Quin etiam in ca. 19. eiusdem Enchir.[d] dicimus post S. Thomam, [e] orationem etiam peccatoris semper impetrare, quoties eam quatuor comitantur, scilicet vt orans petat pro se bono fine necessaria ad suam salutem, & cùm perseuerantia debita, ponendo fiduciam in illo Euangelij, [f] *quæcunque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam.* & illo. [g] *Quodcumque petieritis patrem.* Quæ omnia, & singula supradicta, quæ multis prolixa videri possunt, sed reuera pro dignitate materiæ sunt pauca, subiicimus in primis emunctissimæ S.D.N. censuræ, & deinde cuiuslibet alius melius sentientis iudicio, In gloriam D.N. Iesv Christi, qui nos omnes saluet. Amen.

a Cap. 1. nu. 5.
b In epist. 58. ad Damasũ & habetur de pœnit. d. 1. cap. importuna.
c Meditatio ca. 6. & habet gloss. sing. cle. 1. de reliquijs & vener.
d Num. 162.
e 2.2.q.83.a.15. ad 2.
f Ioan. 16.
g Ioan. 14.

*SVMMARIVM.*

6 *Prædicare possunt suspensi, & interdicti.*
6 *Suspensi, & interdicti simpliciter, non sunt prohibiti prædicare.*
6 *Missam audientes à suspenso vel interdicto denunciato peccant.*

## CONSILIVM LIII.

CVm teneamur vitare suspensum nominatim denunciatum, & pariter interdictum personaliter, dubium occurrit, in quibus tales sint euitandi: & in particulari est quæstio, an peccatum sit interesse concioni illius, qui cùm suspensus sit à prædicando, concionatur, & ita an præcisè ex vi interessentiæ peccatum detur, quod scilicet talis suspensus non vitetur: & pariter an peccatum sit audire sacrum eius, qui postquam personaliter interdictus, ac nominatim denunciatus est, illud facit.

5 AD HANC quæstionem respondetur primò, quod interdicti & suspensi sunt vitandi in illis actionibus, à quibus eis interdicitur, vel à quibus suspenduntur, & non in alijs: quia pœnæ non debent extendi extra casus proprios.[h] Secundo, quod non sunt vitandi, nisi fuerint nominatim denunciati pro interdictis, & suspensis ab illis

h C. pœna de pœnis. distip. 1. & reg. odia de reg. iur. li. 6.

actionibus eis interdictis, vel ab eis suspensis, sed sic, si sunt denunciati, vt habet extrauagans *ad euitanda*. relata à nobis post alios in nostro Manuali.[a]

6 Tertio, quod interdicti, & suspensi simpliciter non sunt prohibiti prædicare, vt nos tradidimus in dict. Manual.[b] saltem si expressè non interdicandi, vel suspendantur ab officio prædicandi: & ideo possunt audiri prædicantes: quia prædicatio non est de numero officiorum diuinorum, quæ interdicuntur interdicto personali, vel suspenso ab officio diuino, vt nos tradimus.[c] Quarto quòd, quę dicantur officia diuina, à quibus interdicti simpliciter debent abstinere, & quæ illa, à quibus suspensus à diuinis debet abstinere, declaratur in prædicto Manual.[d] per eorum definitiones. Quinto quod non potest quis audire missam interdicti denunciati plusquam denunciati, & suspensi à missando, vel diuinis officijs excommunicati, per prædictam extrauagantem, *ad euitanda*.

a Ca.29.nu.35.
b Cap.27.nu.176.& seq.
c In d.ca.27.nu.176.& sequen.
d Ca. 27.nu.172.& num.151.

SVMMARIVM.

1 *Missam simoniaci non denunciati audiens non peccat.*
1 *Communicans cum excommunicato, specialiter, seu nominatim non denunciato, non peccat.*
2 *Accusatus de simonia, ac de excommunicatione diffamatus olim erat vitandus, modo non.*
3 *Fama excommunicationis cum denunciatione sufficit ad hoc, quod denunciatos excommunicatos euitare teneamur.*

## CONSILIVM LIIII.

AN peccet mortaliter audiens Missam eius, quem scit esse simoniacum, & per consequens excommunicatum.[e]

1 Respondetur, quod non, si nondum erat denunciatus excommunicatus. nam, licèt iure antiquo sciens aliquem esse excommunicatum tenebatur illum vitare etiam ante denunciationem,[f] etiam si sciret excommunicatum per solam famam,[g] iure tamen nouo per extrauagantem *ad euitanda scandala*. Martini V. renouatam in Concilio Lateranensi sub Leone X. nemo tenetur vitare excommunicatum generaliter ante denunciationem, nec etiam excommunicatum specialiter ab homine nondum denunciatum: quod nos confirmamus in cap. 1.[h] vbi inserimus tenorem illius extrauagantis quem Butrius, & Felinus non habuerunt, vt etiam retulimus in Manual.[i]

2 Non obstat cap. *accusatum*.[k] vbi habetur, accusatum de simonia prohibendum esse à celebrando: quia procedit secundum iura antiqua, secundum quæ etiam infamatus de excommunicatione erat vitandus, vt prædictum est,

3 Addo tamen, quod, sicut olim fama sufficiebat de iure antiquo ad euitandum excommunicatum,[l] item nunc de iure nouo videtur sufficere fama de excommunicatione cum denunciatione: quia eadem ratio, & æquitas in vtroque casu mouere videtur, & ideo idem ius,[m] &c.

e Per extrau. 2. de simon.
f Ca. cum nō ab homine de sententia. excommu.
g Ca. illud de cleric. excom. minist.
h §. laborat. de pœni. d 6. nu.2.
i Cap.27.nu.35.
k De simo.
l Dist. cap. illud de cleric. excommu.
m Le. illud, ff. ad l. Aquill. ca. dudum. 2. de electione.

SVMMARIVM.

1 *Communicans cum suspenso ab oratione nullam incurrit, excommunicationem.*
2 *Suspensus ab officio est suspensus ab oratione.*
3 *Suspendi ab oratione potest homo ob peccatum veniale.*
4 *Suspensus à Confessore ministrando non efficitur irregularis.*

## CONSILIVM LV.

1 DVbitatum est à quibusdam eruditis, an sit verum id, quod sentire videtur Ioannes Cassianus,[n] nempe communicantem suspenso ab oratione propter delictum incurrere excommunicationem, saltem minorem, ait enim per eiusmodi communionem videri communicare cum tradito Sathanæ, quo nomine Apostolus vocat excommunicatum maiore excommunicatione,[o] & constat communicantem excommunicato excommunicatione maiore regulariter incurrere minorem, & frequenter maiorem.[p] Sed contrarium est tenendum, quia

n Lib. 2. c 16 de canonica. nocturnarum oratit. & psalmido.
o Ad Corint. 5.
p Cap. nuper & ca. concubinis. de sent. excommu. & cap. cum excommunicato, & ca quoniam multos 11. quæst. 3.

A nemo vllam pœnam incurrit ipso iure, nisi expressio iure id caueatur, iuxta glossam solennem receptam,[a] & nullo iure talis excommunicatio fertur.

2 Tum quod omnis ecclesiasticus suspensus ab officio, est suspensus ab oratione per definitionem suspensionis à nobis post alios traditam in Manual. Confess.[b] at nemo hactenus dixit communicantem suspenso ab officio excommunicari. Ergo non est dicendum.[c]

3 Tum denique quod suspendi potest quis ab oratione ob peccatum, quod tantùm est veniale, vt tradimus nos,[d] & per tale peccatum veniale non traditur quis Sathanæ, nec perdit caritatem, siue gratiam gratum facientem.[e]

B 4 Addo, quod suspensus ab oratione per confessarium non incurrit irregularitatem. Quibus est consequens regulariter communicantem eiusmodi suspenso, cum nullo iure id caueatur, non incurrere irregularitatem: & irregularitas non contrahitur, nisi in casibus à iure expressis, iuxta caput *is qui*.[f] per cuius textum, & rationem glossa memorabilis[g] ait suspensum ab officio, vel communione à confessario, contraueniendo ei, non incurrere irregularitatem.

a In ca. fin. de iust. patro.
b Cap.27.nu.151.
c 2. q. 4. cap. consuluisti, & §. consideremus Auth. de trien. & semiss. col. 3.
d Ind. ca. 27. num. 159.
e Cap. vnum. §. criminis. 25. dist.
f De sent. excommu. lib. 6.
g In verb. iure.

SVMMARIVM.

C
1 *Suspensio vt valida, vel inualida declaretur, quæ explicanda.*
2 *Sententia excommunicationis, vel suspensionis iniusta, lata à iudice competente, valida est.*
3 *Suspensio sine præcedente correctione lata, est valida, nisi procedatur per viam denunciationis.*
4 *Excommunicati, suspensi, vel interdicti, ante denunciationem non sunt euitandi, & gesta per eos valida sunt.*
5 *Appellatio, licet non suspendat excommunicationem latam, suspendit tamen declarationem.*

## CONSILIVM LVI.

D IN quodam ordine regulari est constitutio, vt, si Prælatus delinquerit, possit, correctione fraterna præuia, suspendi: fuit suspensus Prælatus.

Quæritur primo, an huiusmodi suspensio teneat.

Secundo, an acta per Prælatum sic suspensum valeant.

1 AD QVÆSTIONEM primam vix responderi potest, nisi declaretur, quis suspendit, qua auctoritate fungebatur, & quomodo sciebat defectus, ob quos suspendit, an cognitione priuata, an publica, & an notorietate, vel infamia, vel denunciatione, & an procederet per viam accusationis, denunciationis, vel inquisitionis: & qualis est tenor constitutionis, quę iubet suspendere Pręlatum post correctionem, an habeat clausulam irritantem.

E 2 Secundo, quòd iure communi excommunicatio, & suspensio à iudice competente lata, etiamsi sit iniusta regulariter valet, & est seruanda saltem in foro exteriori: nisi in quinque, vel sex casibus, quos nos summatim referimus in Manual. Confessar.[h] Et in propositione casus præsentis non narratur aliquid, ob quod suspensio prædicta debeat iudicari ipso iure nulla, quamuis esset iniusta: & ita habet locum cap. primum,[i] quod iuncta glossa probat censuram timendam esse, ac seruandam, etiamsi sit iniusta, modo non sit nulla, sed valida.

3 Et nullo iure cauetur, quod censura lata à iudice sit nulla ipso iure propter omissam correctionem fraternam, nisi cum proceditur per viam denunciationis Euangelicæ,[k] &, vt prædictum est non narratur in casu, qualis esset iudex suspendens, nec quali via procederet, neque quis defectus fuit factus in processu, neque quales clausulæ irritantes habeantur in constitutione ordinis, quæ hac de re disponit.

F 4 AD SECVNDAM respondetur, quod non solùm suspensus, sed etiam excommunicatus, & interdictus potest exercere iurisdictionem, quam habet publicam: & valét ea, quæ facit vt iudex, donec denuncietur, & declaretur excommunicatus, suspensus, vel interdictus: & non potest, nec debet euitari, donec fuerit declaratus: & denunciatus per extrauagantem cuius initium est, *ad euitanda*, relatam à nobis plenius, quàm ab alijs,[l] per quam

h Cap.27.nu.4.
i 11. quæst. 3.
k Iuxta ca. super his, de accusat.
l Dict. ca. 27. num. 35.

limitantur

limitantur omnia iura antiqua, tam Decreti, quàm Decretalium, Sexti, & Clementinarum: & omnium extrauagantium impressarum, & non impressarum: adeo quod Illustrissimum pretorium Rotæ ita hoc seruat, quod numquam pronunciat acta, quæ fiunt per Episcopos, & alios Prelatos, & iudices, esse inualida, & nulla, propterea quod fuerunt facta ab excommunicato etiam per Auditorem Rotæ, si fuerint facta, ante quam per Rotam fuisset declaratus excommunicatus, vel suspensus, vt etiam Felinus qui fuit Auditor Rotæ, expresit, [a] cuius verba aptissima huic negotio non transferimus hic ob festinantiam interrogantis, & quia videri possunt apud eum ibi.

5 Cui addo id, quod proposito plurimùm seruit, quod licèt excommunicatio, & aliæ censuræ latæ sine monitione valeant ipso iure secundum receptiorem opinionem, & appellatio, quæ ab eis fit, non suspendat eas, nec earum effectum, licet deuoluat iurisdictionem ad superiorem, per ea, quæ habentur in cap. *pastoralis*. [b] declaratio tamen, quod aliquis incurrit in illas, non potest fieri absque citatione eius, & antequam audiatur, vel contumax iudicetur: & si fiat declaratio absque illa citatione, & auditione, est ipso iure nulla, & nullum impedimentum facit, quo minus facta per ligatum censuris valeant, per glossam, [c] & multa, quæ ipsemet Felinus cumulat, & congerit, [d] &c.

a In c. ad probandum, de re iudica. n. 6.

b §. verum de appella. & in c. ad reprimendum. de offic. ord.

c In c. cupientes. §. quod si per de electio. lib. 6.

d In c. Rodulphus. nu. 9. de rescrip.

SVMMARIVM.

1 *Collationes beneficiorum factæ à Capitulo suspenso & non declarato validæ sunt.*
1 *Declaratio legitima requiritur ad incurrendum pœnas ipso iure positas.*
2 *Citatio legitima est parti ante declarationem intimanda.*
3 *Gesta à Capitulo suspenso, vt à persona publica valent.*

## CONSILIVM LVII.

AN stante suspensione, Capitulum posit conferre beneficia suæ præbendæ in tali Ecclesia?

1 Quæstio hæc est nimis generaliter proposita, vt categorica responsio ei aptetur: sed credo, quòd collationes beneficiorum factæ à capitulo non iudicabuntur inualidæ siue nullæ: attento quòd requiritur legitima declaratio ad incurrendas pœnas, etiam ipso iure incursas, iuxta glossam singularem & receptam, [e] quam, & alia plurima citat in hoc Felinus. [f]

2 Attento item, quod citatio debet legitimè intimari parti, & quod contra hanc declarationem poterunt allegari aliqua notata in clem. 1. [g] & adducta per Felinum, [h] & per eundem in cap. *ad probandum*. [i]

4 Attento item quòd cùm sit vniuersitas, & non singularis persona: vna, vel alia de causa excusabitur collatio ab eo facta, eo quòd illam fecit, vt publica persona, cuius gesta valent, donec toleratur. [k] & difficile prætorium celeberrimum Rotæ iudicabit illud Capitulum non esse tolerandum propter hanc solam intimationem suspensionis, si eruditissimi causarum Patroni Romanæ curiæ suscipiant defensionem eius, & illius, cui beneficium fuit collatum. Quare consulo, ne quis facile moueat litem aduersus eum, qui possederit beneficium collatum à prædicto Capitulo, fundando se solum super præfata suspensione. Salua, &c.

e Clem. 1. de ce.

f In c. Rodulphus. n. 41. de rescript.

g De iudi. & ele. causam. §. verum. de elect.

h Ca. quoniã §. porro. n. 13. vt lit. nõ contest.

i Nu. 6. de re. iud.

k L. Barbarius. ff. de officio præt. & c. ad probandum. de re iu.

SVMMARIVM.

1 *Suspensio ab officio generalior est, quàm suspensio à diuinis.*

## CONSILIVM LVIII.

AN suspensio à diuinis æquipolleat suspensioni ab officio.

1 Respondeo primo, de suspensione à diuinis agere textum cap. 1. [l] Secundo, quod Innocentius, glossa, & alij omnes senserunt hanc difficultatem, quæ certè non est parua: & communiter videtur recepta opinio Innocentij, [m] vt latè refert Francus, [n] & sequimur nos in Manual. Confess. a Tertio, quod omnibus his perpensis, potest categoricè huic quæstioni responderi, quod suspensio ab officio est generalior, quam suspensio à diuinis: & consequenter quod suspensus à diuinis, interessendo diuinis, non incurrit irregularitatem plus quàm suspensus ab officio.

l De sent. excom. li. 6.

m In c. fin. de excess. prælatorum.

n In d. c. 1. §. caueat. nu. 3.

a Ca. 27. nu. 163.

## DE VERBORVM SIGNIFICATIONE.

SVMMARIVM.

1 *Insigne dicitur, quod præ aliis sui ordinis aliquid habet præcipuum.*
2 *Locus insignis dicitur, qui in ordine locorum quiddam habet præcipuum.*
3 *Locus insignis etiam dicitur locus non mutatus.*
4 *Locus insignis dicitur, quando vulgo pro tali habetur.*

## CONSILIVM I.

VTrum Fonseca diœcesis Toletanæ posit appellari locus insignis, ad hoc, vt non vitietur dispensatio matrimonialis, in qua sic appellata fuit.

1 Respondeo, quod sic. Tum quia insigne dicitur id, quod præ aliis sui ordinis habet aliquid præcipuum, iuxta illud. [b] *Ostroque insignis & auro Stat sonipes*, & alia multa, quæ in hoc citant eruditi latini: & Fonseca licet non sit locus cinctus muris, habet tamen 800. municipes, quod est quiddam pręcipuum in ordine locorum Hispaniæ non muratorum siue muris non cinctorum. Tum quia habet iurisdictionem magnam, etiam mero & mixto imperio insignitam.

2 Tum quia non requiritur, quod sit muris cinctus, vel muratus locus, ad hoc, vt dicatur insignis, vt probatur in cap. *statutum*, adiuncta glossa. [c] Nam textus habet, delegatum Sedis Apostolicę posse cognoscere de causa sibi delegata in ciuitate, vel loco insigni: & glossa recepta intelligit per ciuitatem locum muris cinctum, & consequenter probat, locum insignem posse esse etiam non muratum, & muris cinctum.

3 Tum quia is, cui committebatur potestas dispensandi, accepit informationem de contentis in commissione: & consequenter de loco illo, an esset insignis: & testes, qui vt par est credere, fuerunt Hispani, & potuerunt testari verbis Hispanis, dicendo, *que era lugar signalado:* quod Hispanis significat idem, quod Latinis verbum insignis, vt palam est.

4 Tum denique, quod, vt ait Ioannes Monachus, [d] locus insignis dicitur, qui vulgo habetur pro tali, [e] & constat prefatum locum de Fonseca haberi à vulgo pro *signalado*, & consequenter pro insigni cum idem significent insignis, & *signalado*. &c.

b Virg. 4. Æneid.

c In ver. tiuitas. de ref. l. 6.

d In d. c. statutũ in princ.

e Arg. l. Labeo. ff. de ap. pel. re. & Co. ex literis. de sponsalib.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum Papæ in dubio, vt verba sonant, interpretandum.*
2 *Fortunam pinguiorem sortitur, qui deducto ne egeat, soluere potest.*
2 *Fortunam ad pinguiorem venisse, & posse soluere, deducto ne egeat, paria.*
3 *Sustentatio honesta ex personæ qualitate consideranda.*

## CONSILIVM II.

PApa sub pœna suspensionis precepit quibusdam fratribus, vt cum peruenirent ad pinguiorem fortunam, tenerentur dimidium redituum, siue fructuum conuertere in ædificationem, vel immobilium emptionem.

Quæritur, ad quid obligentur.

Secundo, quando ipsi fratres iudicandi sint peruenisse ad pinguiorem fortunam.

1 AD PRIOREM QVÆSTIONEM respondeo, quod censura siue præceptum illud Papæ ponit prædictis fratribus obligationem illam, quàm verba sonant, nempe, quod cùm venerint ad pinguiorem fortunam, dimidium fructuum impendant ædificationi,

vel immobilium emptioni; quia in dubio non est recedendum à verbis dispositionis.[a]

2 AD POSTERIOREM quæstionem respondeo, tunc prædictos fratres iudicandos esse peruenisse ad pinguiorem fortunam, quando peruenient ad eum statum, in quo poterunt se honestè sustentare de bonis suis: quia debitorem peruenire ad pinguiorem fortunam idem est, quod peruenire ad statum, in quo, deducto eo quo indiget ad se decenter sustentandum, potest soluere, vt colligitur ex l. inter eos, & l. miles,[b] vbi Iason bis, vel ter æquiparat, venire quem ad pinguiorem fortunam, & posse soluere, deducto ne egeat. Tunc autem dicitur quis habere tantum, vt posit soluere deducto ne egeat, quando habet tantum, quod posit soluere, retento eo, quod sufficiat ei ad commodè, & honestè viuendum, vt dicit gloss. memorabilis,[c] quam sequitur Philippus Decius.[d]

3 Honesta verò & commoda sustentatio debet considerari secundum qualitatem personæ, secundum Bald.[e] & tradit Alexander.[f] Porro non sunt hæc intelligenda, vt quidam dicebat, vt qui peruenit ad pinguiorem fortunam, debeat soluere debitum de omnibus, quæ habet, sed tantùm de his, quæ supersunt ei, retenta sibi commoda, & honesta sustentatione, vt ex prædictis ll. & eis adnotat. facile colligas. &c.

a Le. non aliter ff. de le. 1. c. tua de spons.

b ff. de re iud. in l. diuus, & l. in condemnatione. ff. de reg. iur. §. sed etsi quis. Inst. de act.

c In d. l. in condemnatione.

d In d. l. diuus nu. 7.

e In leg. 2. in princ. ff. quod met. caus.

f In l. si maritus in fi ff. sol. mat.

### SVMMARIVM.

1 *Verbum, non suffragetur, positum in Concil. Trid. cap. 12. sess. 24. cum sit negatiuum, & destruat quidquid post se inuenit, recipit exceptionem.*

2 *Beneficiatus, fidem profiteri recusans, an præsumatur hæreticus, & vt talis priuandus.*

2 *Concil. non præsumit hæreticos professionem fidei non emittentes, sed punit pœna debita inobedientiæ.*

3 *Pœnæ sunt restringendæ, & legum correctio vitanda.*

3 *Verbum, non suffragetur, si extendatur ad titulum, corrigitur regula de trien. possess. & num. 4.*

4 *Verbum, non suffragetur, intelligendum de adiutorio, quod dat possessio ad quærendos, vel non perdendos fructus, & non quo ad titulum.*

5 *Pœnæ canonum, præsertim Conciliorum, solent esse moderatæ, ita quod non excedant pœnam delicti.*

## CONSILIVM III.

AN illa verba,[g] Concilij Trident. *Nec illis possessio suffragetur,* excludant prouisum, etiam quo ad titulum, ita quod neque quo ad fructuum perceptionem, neque quo ad proprietatem suffragetur.

1 Pro parte affirmante facit, quod negatio totum, quod post se inuenit, destruit, & contrarium eius ponit, vt ait glossa singularis & recepta,[h] ad quod facit illud Dialecticorum, *Nullus est aptior modus contradicendi, quàm præponendo negatiuam.* at clausulæ prædictæ præponitur negatiua verbo *suffragetur*, ergo tollit omne suffragium, & consequenter tam illud, quod est datum ad legitimandum, siue canonizandum titulum, quam ad quærendos fructus.

2 Secundo, quod hæreticus perdit omnia iura sibi competentia.[i] At qui prouisus de beneficio respuit profiteri fidem, videtur hæreticus: ergo perdit omnia iura, & consequenter ipsammet possessionem, iuxta glossam singularem;[k] & ita ad nihilum potest illa sibi prodesse.

3 Pro parte autem negante facit primo, quod pœnæ sunt restringendæ.[l] Secundo, quod correctio iurium vitanda est.[m] At intelligendo prædicta verba de suffragio quo ad titulum, corrigitur lex illa vtilissima de triennali possessione, & intelligendo de suffragio quo ad fructus, conciliantur cum illa: ergo sunt intelligenda quo ad fructus tantùm. Tertio, quod intelligentia dictorum ex caussis est sumenda dicendi,[n] & verba secundum materiam subiectam sunt intelligenda, etiam impropriando ea,[o] at materia, in qua proferuntur prædicta verba, est materia acquisitionis, vel amissionis fructuum beneficij, & non tituli eius: ergo intelligenda sunt de suffragio, & adiutorio, quod dat possessio ad quærendum, vel ad non perdendum fructus, & non quod conuenit ad quærendum, vel non perdendum titulum.

g In cap. 12. sessio. 24.

h In c. cum dilectus de consuetud.

i Ca. cum secūdum leges, cum similib. de hæret. li. 6.

k In c. quo iure. 8. distinct.

l Ca. pœna. de pœn. d. 1. cum similib.

m Ca. cū ex pediat. de electio. li. 6. & l. 1. C. de in officio. testa.

n Ca. intelligētia de verborum signif.

o Le. si vna. ff. locati.

4 Quarto, quod pœna priuationis alicuius iuris non est dicenda cuipiam imposita, nisi eam lex expressè ponat, iuxta glossam solennem & receptam quæ vltima est.[a] At prouisus, simul ac possessionem cum titulo colorato accepit, quæsiuit ius fruēdi fructu prædictæ regulæ de trien. ergo non debet censeri priuatus illo, nisi per legem, quæ id exprimat, vel nisi aliter nō posset esse fructuosa, at prædicta verba prædicti canonis possunt esse valde fructuosa, intelligendo ea quo ad perditionem fructuum tantum: ergo quo ad eam tantum sunt intelligenda.

5 Quinto, quod pœnæ canonum, præsertim Conciliorum œcumenicorum, solent esse temperatæ, & moderatæ, ita quod non excedant mensuram delicti, iuxta illud,[b] *iuxta mensuram delicti sit & plagarum modus.*[c] At culpa non faciendi prædictam professionem vt plurimum prouenit ex ignorantia, inaduertentia, & negligentia, & est quædam omissio facilè supplebilis: ergo pro ea non est imponenda eam omittenti pœna perditionis beneficij, vel iuris, quo illud sibi defendere potest: immo satis superque fuit priuare eum iure quærendi fructus, & ita credendum est, sacrum Concilium voluisse quidem illum priuare iure fructuum, non autem iure tangente titulum.

Non obstant opposita: ad prius enim respondetur, quod tum demum negatiua vniuersalis est vniuersaliter intelligenda, quando nulla lege speciali, vel efficaci ratione esset limitanda in aliqua specie: nulla enim est regula tam generalis, quæ aliquam non patiatur exceptionem, præter illam, quæ ponitur, cap. licet,[d] at plurimæ sunt regulæ vtriusque iuris vniuersaliter, & negatiuè conceptæ, per verba *nullus*, *nemo*, *non præstat*, *nihil*, & id genus alia, quæ tamen multas habent limitationes, & ita regula illa negatiua, quæ tacitè colligitur ex prædictis verbis, scilicet, *non suffragetur possessio prouiso*, *qui intra duos menses non fecerit professionem fidei*, iure limitatur, vt solùm procedat quo ad suffragium acquirendorum fructuum, & non quo ad id, quod pertinet ad titulum, de quo per dictam regulam de triennali statuitur contrarium.

Ad posterius respondetur, concedendo, hæreticum priuari omnibus iuribus ipso iure, negando tamen, quod ex eo solo, quòd prouisus omittat profiteri fidem intra duos menses, præsumatur hæreticus, nec suspectus de hæresi, & quod Concilium non intendebat ponere pœnam debitam hæresi, sed debitam inobedientiæ: si enim id intendisset, apposuisset pœnam priuationis beneficij, vt palam est.

a Ca. vlti. de iure patron.

b Deuter. 16.

c Ca. nō offeramus. 4. q. 1.

d De regul.

### SVMMARIVM.

1 *Parochus pensione constituta super sua parochiali ea lege, vt 50. sibi libera remaneant, ordinaria onera subire debet.*

## CONSILIVM IIII.

COnstituta certa pensione vni super fructibus parochiæ alteri collatæ ea lege, vt 50. scuta libera remaneant parocho. Quæritur an debeant illa remanere libera ei ab onere habendi clericum, qui eum iuuet in diuinis faciendis, & ab impensa candelarum, quæ sunt necessariæ ad Missarum parochialium celebrationem, & cereorum, qui sunt necessarij ad portandum sacramentum infirmis, & ab impensa olei necessarij ad sustentādam lampadem ardentem coram sanctissimo Sacramento, & cereorum, qui de Ecclesiæ more debent distribui aliquibus personis, & ramorum palmarum, oliuarum, & aliarum arborum, quæ necessario benedici debent in dominica Palmarum?

1 Respondeo multa posse pro vtraque parte adduci, sed contendentibus super his consulendum videri, vt conuenirent, ita quòd onus habendi clericum adiutorem, & candelas necessarias ad celebrationem, & cereos ad portandum Sacramentum, debeat subire parochus. Impensam autem olei necessarij ad sustentandam prædictam lampadem, & cereorum, qui de more debent distribui, vltra necessarias candelas ad ordinarium cultum, subeat pensionarius: ea ratione diuersitatis,

quòd

quod hæ non videntur accessoria necessaria officio parochi, illa verò sic: & quòd pro his nihil de consuetudine rependitur communiter parocho, pro illis autem sic, etiam si parocho accessisset aliquis reditus ex aliqua Capellania, cui ipse deberet inseruire: attento quòd pensio prædicta non creuit propter eam Capellaniam, cuius reditus non augent valorem fructuum plusquam oblationes, distributiones, & alia mortuaria, & anniuersaria, iuxta latè adducta per Felinū. [a] Salua &c.

[a] In ca. ad aures de rescri.

*SVMMARIVM.*

1. *Canonici regulares separatas domus habere possunt.*
2. *Canonici regulares mulieres honestis de causis domos suas separatas ingredi permittentes pœnam nullam incurrunt.*
3. *Mulieres non prohibentur ingredi regularium alias domos quàm monasteria.*
4. *Copulatiuè, ac, &, sumuntur, impropriè inter verba diuersa idem signantia.*
5. *Dictio, seu, vel, siue, accipitur expositiuè, ita vt verba, & non sensum disiungat.*

## CONSILIVM V.

Capitulum, & Canonici regulares Ecclesiæ Pampilonensis habent singuli quasdam domunculas extra claustrum positas, in quibus solet morari ancilla, & recipi cognati, amici, & alij hospites vtriusque sexus, qui prædictos Canonicos visunt, vel caritatis officium eisdem impendunt.

Quæritur, an præfati Canonici excommunicationem, vel aliam pœnam incurrant, propter aduentum, vel ingressum mulierum in præfatas domos, propter extrauagantem Pij V.

1 Præsuppono primo decisionem alterius quęstionis, quàm præsupponit hæc proposita, scilicet quod prædictis Canonicis regularibus licet habere prædictas domos, seu domunculas, quam in specie esse iuridicam, nos tradimus in Comment. 3. [b] quæ probatur ibidem, [c] per irrefragabilia fundamenta, quæ prius adducuntur in quæst. 4. & sequentibus vsque ad nonam, & in ipsa nona.

2 Ad hanc autem quæstionem hic propositam respondeo, quòd nullam censuram, neque aliam pœnam, neque vllum peccatum incurrunt prædicti Canonici, eo quòd consentiant ingredi in prædictas domos aliquas mulieres honestas, ob causas honestas: quoniam nullo iure naturali, nec diuino nec humano Canonico id prohibetur, vt defensum, & monstratum est in prædictis quæstionibus, ex quarum decisionibus fluit, & infertur decisio præfata.

3 Secundo, quòd non obstat extrauagans prædicta Pij V. quæ incipit *Regularium*: relata à nobis in commentar. 4. [d] quatenus prohibet, ne mulieres vllæ ingrediantur monasteria, & domos vllorum Regularium: quia vt ibidem declarauimus verbum *domos*, in ea positum, non accipitur pro quacumque domo regularium, sed pro monasterijs clausis eorundem in hæc verba. *Coniunctiones illæ copulatiuæ, ac, & &, positæ inter illa verba monasteria, & domos non sumuntur in significatu proprio, secundum quem ponuntur inter verba diuersa significantia diuersa, iuxta glossam memorabilem, [e] sed accipiuntur impropriè pro seu, vel siue, quæ ponuntur inter diuersa verba idem significantia, iuxta Panormitanū receptū. [f] Tū per prædictam extrauagantem circa. ibi, monasteria, siue domos, vt ibi annotauimus.*

4 Quod autem sic propriè debeant capi in hac extrauagante probatur primo per aliam extrauagantem eiusdem Pij V. quæ incipit circa: cuius tenorem retulimus in eodem Comment. [g] vbi [h] sic scripsimus. *Dictio, seu, capitur hic expositiuè secundum propriam significationem quæ sicut & dictio, siue, verba, & non sensum disiungit secundum Panormitanum receptum, [i] quamuis & aliquando secundum subiectam materiam, vtraque earum vel alternet, vel copulet, per latius ibi allegata, [k] per Felinum. Verbum enim domibus, inter quod, & verbum, monasterijs hic ponitur, idem significant, scilicet ædificium monachis dicatum, & septum, vel necessario sepiendum, &c.* Tertio, quòd absurdum esset dicere per prædictam extrauagantem ab omnibus domibus vrbanis, & rusticis, & villis omnium monasteriorum omnes mulieres arceri, & ita non dicendum. [a] Quarto, quòd eædem rationes, quæ concludunt verbum *sine*, positum in prædicta extrauagante circa poni propriè pro seu, siue, coniunctione expositum, illæ eædem concludunt, quod in prædicta extrauagante *regularium* copulatiuæ, ac, & ante exponuntur è contrario pro exposita. Salua, &c.

[b] De re. super c. nullā. n. 35.
[c] Sub qu. 9.
[d] Super c. statuimus. n. 62.
[e] In rub ff. de iuris. & facti ignorā. & gl. c. querelam, de simo.
[f] In cap. inter cæteras de rescri.
[g] Super c. statuimus. n. 39.
[h] Num. 44.
[i] In d. c. inter cæteras. de rescripto n. 4.
[k] Numer. 3.
[a] Ca. dudum 2. de præb. lib 6. l. nā quod absurdum. ff. bo. lib.

*SVMMARIVM.*

1. *Priuatus voce actiua, & passiua, quibus priuatus censeatur.*

## CONSILIVM VI.

Priuatus voce actiua & passiua iuxta [b] Concilium Tridentinum an censeatur priuatus voce capitulari, an voce electiua ad officia.

1 Respondetur, quòd censetur priuatus iure dandi vocem capitulariter, vel vt alij habent in negotijs occurrentibus expediendis per voces capitularium collegialiter, vt satis colligitur ex glossa, [c] & ex eis, quę addunt ei Cardinalis & Bonifacius, & ex eisdem in clementi. *vt ij qui.* [d] & ex eo quod lex generaliter loquens, generaliter intelligenda est, [e] & præfatum caput generaliter priuat præfatum religiosum voce actiua, & passiua, & ita generaliter debet intelligi de omni iure dandi vocem ad aliquem actum faciendum in Capitulo, & iure patiendi vocem datam de ipso à Capitulo, conuentu, vel collegio quoad ea; quæ sunt ipsi honori & præeminentię: quamuis non iure patiendi ea, quę sibi sunt oneri, & pœnę, vt satis exprimunt prefatus Cardinalis & Bonifacius. Salua, &c.

[b] Ca. 2. de regular. sess. 25.
[c] Verb. inibi. cle. 1. de regu.
[d] De ætat. & qualit.
[e] Le. 1. §. caute. ff. de alea lus. & aleat.

*SVMMARIVM.*

1. *Socius capitale restituere tenetur: si equus punctus, calce sociū necauit.*

## CONSILIVM VII.

Titius, qui dederat pecuniam alteri, ea lege, vt quotannis certum quid solueretur ei, & si durante societate moreretur morte naturali, pecunia esset accipientis, & postea obijt mortem percussus calce cuiusdam equi, ad cuius clunes ascendere volebat, eo quod is, qui sellæ insidebat, calcaribus punxit equum. Quęritur, an mortuus fuerit morte naturali.

1 Videtur dicendum non fuisse mortuum morte naturali, sed violenta, & consequenter hęredem eius posse illam pecuniam repetere, vel iam repetitam retinere. Tum qui communiter, & vulgariter non reputatur naturalis. Tum quia instrumentum societatis inter exempla mortis violentę, & ab alio illatę, ponit mortem obuenientem pręgnanti ex partu vel pręgnatione, quę magis videtur accedere ad mortem naturalem, quàm mors de qua proponitur quęstio: & consequēter posse hęredem Titij iustè in foro Dei repetere pecuniam prędictam, vel repetitam retinere. Salua, &c.

*SVMMARIVM.*

1. *Concilium Prouinciale qui congregare possit.*
2. *Concilium Prouinciale quando congregari possit.*
3. *Concilium Prouinciale est conuentus Episcoporum coactus ab habente potestatem congregandi, vocatis vocandis.*

## CONSILIVM VIII.

An conuentus, vel congregatio Episcoporum Prouincię, facta per visitatorum auctoritatem, dicatur Concilium prouinciale?

Respondeo primo, quod ad soluendam clarè hāc quęstionem expediebat declarare, cuius est, vel à quo missus visitator pręfatus: & an esset missus ad casum particularem, vel aliquos casus particulares tractandos cum Episcopis, an vt faceret Concilium Prouinciale cum eis.

1 Secundo, quod Concilium Prouinciale congregari potest à Papa, & Patriarcha, qui superior esset Archiepiscopi totius Prouincię, vel ab ipsomet Archiepiscopo,

& Metropolitano, vt docet Cardinalis,[a] & est textus Isidori.[b]

2 Tertio, quod si visitator non est missus ab aliquo prædictorum trium, conuentus Episcoporum coadunatus ab illo visitatore non est Concilium Prouinciale: neque si ab eis, vel aliquo illorum sit missus absque speciali facultate congregandi Concilium Prouinciale: neque si est tantum missus ad aliquem, vel aliquos actus particulares: quia, vt aliquis conuentus Episcoporum sit Concilium Prouinciale, oportet, vt congregetur ab eo, qui habet auctoritatem congregandi illud.[c] Quamuis Concilium Prouinciale congregari possit ad aliquas particulares causas in congregatione ipsius expressas, ex mente Innocentij[d].

3 Quarto, quod conuentus Episcoporum Prouinciæ coactus à visitatore, vocatis vocandis de iure, vel consuetudine habente potestatem cogendi Consilium prouinciale ad celebrandum Concilium, edit Concilium Prouinciale: quia omnia, quæ sunt necessaria ad substantiam Concilij Prouincialis, habebat in numero vocandorum, porro etiam ipsummet Metropolitanum, qui per se, vel per alium debet interesse ipsi Concilio per iura præcitata, etiamsi visitator esset deputatus à Papa, esto quod visitator primum locum teneret propter repræsentationem Papæ: quia in dubio Papa nemini præiudicat.[e]

a In cle prima §. quod & interdictis, de sent. excom.
b Isid. li. 6. ety mol. ca. 16. in can. regula §. porro. 3. dist.
c Arg. c. quoniam quidē, & c. placuit. 18. dist.
d In c. graue. nu. 7. de præb.
e Cap. super eos. de offic. de leg. l. 2. §. si quis à principe. ff. ne quid in loco pub.

SVMMARIVM.

1 *Prohibitio ab ingressu Ecclesiæ, interdictum, & suspensio diuersis respectibus appellatur.*
2 *Res eadem diuersis nominibus ex diuerso respectu appellatur.*
3 *Censuræ ecclesiasticæ in multis conueniunt, & in multis differunt.*

## CONSILIVM IX.

AN casus, in quibus quis in iure suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, potius reducendi sint ad interdictum personale speciale, vt significat Manuale confessariorum,[f] quam ad propriam suspensionem, ad quam tamen esse reducendos significat cap. 27.[g]

1 AD Antinomiā respondetur primo, quod prohibitio ab ingressu Ecclesiæ dicitur interdictum in capit. *sacro.*[h] ibi, *ingressum Ecclesiæ per mensem vnum nouerit sibi interdictum*, & in cap. 1.[i] appellatur suspensio ibi, *Per mensem vnum ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officijs nouerit se suspensum.* & vtrobique. Secundo, quod ex hoc infertur, eandem prohibitionem ab ingressu Ecclesię posse appellari suspensionem, & interdictū, cum Summus Pontifex eam in vno loco appellet interdictū, & in alio suspēsionem: cui consequēs est, eodem modo posse defendi nostrum Manuale, quatenus in vno loco significat prohibitionem ab ingressu Ecclesiæ appellari posse interdictum, & in altero appellat suspensionem, allegando in id textus expressos summi Pontificis.

2 Tertio, ex his resultare dubium notabile, scilicet qua ratione potest defendi Papa appellando in vno interdictum, & in altero suspensionem, vt eadem ratione defendi possit etiam Manuale. Ad quod respondetur, quod eadem res vno respectu proprie potest appellari vno modo, & alio respectu altero: exemplum est in lege *si quando.*[k] per quam ibi Bartholus receptus ab omnibus dicit posse appellari à Rege, quatenus est Dux, ad Superiorem, licet non quatenus est Rex: & quotidie appellatur ab Episcopo, quatenus est Episcopus, ad Archiepiscopum, & quatenus est delegatus Papæ, ad Papam: & ab vno & codē iudice, quatenus est ordinarius ecclesiasticus, appellatur ad Papam, & quatenus est iudex sæcularis, appellatur ad Regem.[l]

3 Et ita eadem censura potest vna ratione appellari suspensio, & altera interdictum speciale: eo quod omnes censuræ conueniunt in multis, & differunt in multis, quæ ponūtur in præ dicto Manuali.[m] Ex quo sequitur, quod nulla prohibitio ab ingressu Ecclesiæ potest appellari suspensio, si ob culpam alienam fiat, interdictum autem sic, siue fiat ob culpam propriam, siue alienam.

f Cap. 27. nu. 170.
g Nu. 156.
h De sen. excom.
i Eod tit. l. 6. ca. si quis autem.
k Co. de appellati.
l Cap. si duobus. §. denique de appellatio.
m Ca. 27. nu. 164.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi procedere non possunt contra Officiales, vel Nuncios Papæ.*
1 *Officiales Papæ appellantur rectores ciuitatum in terris Ecclesiæ sed non sunt. num. 2. & 9.*
3 *Officialis vnde dicitur, & quid significet.*
4 *Officialis verbum generale, & restringitur per adiectionem genitiuorum, & aliorum æquipollentium.*
5 *Officialis est, qui immediatè alicui in officio seruit.*
6 *Officialis Papæ non est institutus ab eo Potestas, seu Gubernator, etiam si sit perpetuò institutus.*
8 *Officiales Papæ non sunt legati, seu subdelegati ad cognoscendum de causis instituti.*
9 *Rectores seu Potestates à ciuitatibus dicti, & à Papa confirmati, non sunt Officiales Papæ.*
10 *Officialis Papæ est, qui ei immediatè seruit, non qui à Papa instituitur, vt alijs præsit.*
11 *Officiale Papæ non sunt, qui à Papa in ministerio Cardinalis, vel Principis ponuntur.*

## CONSILIVM X.

AN Episcopus possit ferre sententiam excommunicationis aliqua iusta de causa, seruatis seruandis, in Potestatem, siue Rectorem positum in sua ciuitate à Sede Apostolica.

1 Pro parte negante facit extrauagans. *cum Matthæus,*[a] qua vetatur omnibus ordinarijs, ne procedant contra Officiales, & Nuncios Sedis Apost. sine illius licentia, nec vllam in eos ferant censuram: & huiusmodi Potestates videntur esse officiales Sedis Apostolicæ.

2 Secundo facit extrauagans *ad regimen*[b] quæ inter officiales Sedis Apostolicæ connumerat Rectores ciuitatum, & locorum; & potestates prædicti appellantur rectores.[c]

3 Tertio, quod verbum Officialis, est latum, descendens à verbo Officium, & significat omnes, qui seruiunt alicui in aliquo officio tamquam iudices, vel executores, vel ministri alius generis ministerij.[d]

4 Pro parte vero affirmante facit primo, quod verbum *Officialis* quamuis latè pateat, vt prędictum est, & sit genus habens sub se multas species restringitur tamē per additionem genitiuorum, vel aliorum nominum æquipollentium vt cùm dicimus Officialis Papæ, Cardinalis, Cancellarij, vel Vicecancellarij, Datarij, Magistri, vel cum dicimus Officialis Regis, Ducis, Comitis, Prætoris.

5 Et videtur definiri posse, quod Officialis alicuius dicatur esse; qui seruit ei immediatè in aliquo officio: & quod Potestates prædicti non videntur seruire immediatè Papę, sed ciuitatibus, vel locis, vel Reipub. quibus pręficiuntur.

6 Secundo, quòd hi Potestates habent iurisdictionem ordinariam à lege.[e] Tertio, quòd ad hoc, vt dicatur officialis Papæ, non videtur sufficere, quod instituatur ab ipso: alioquin omnes Episcopi, & Archiepiscopi appellarentur eius officiales, immo & omnes, quibus ipse confert beneficia Ecclesiastaca; quod videtur absurdum, & ita non dicendū,[f] quin etiam omnes confessarij, & prædicatores, quibus ille facit facultatem audiendi confessiones, & prædicandi vbique terrarum, vel in illo aut illo Episcopatu: quod videtur absurdum.

7 Quarto, quòd delegati, & subdelegati Papæ dati ad cognoscendum de causis, nō dicuntur officiales eius: nam omnia beneficia illorum essent reseruata ei,[g] quod tamen non est verum, nec seruatur. At non potest negari, eos seruire Papę in aliquo officio: qui dicuntur habere officium per rubri. de officio delegati, & digestis de officio eius cui mandata est iurisdictio.

Sed quia non seruiunt immediatè suæ Sanctitati, sed causis partium, quibus dantur iudices, non dicuntur officiales Papæ.

Ergo neque potestates terrarum, qui non seruiunt immediatè Papæ, sed rebus pub. ad quarum gubernationem præficiuntur, non videntur dici officiales eius.

8 His pro vtraque parte consideratis videtur dicendum primò, quod si Potestates eligerentur ab ipsis ciuitatibus, & confirmarentur à Papa, non censerentur officiales eius

a De haret. inter cōmunes.
b De præb. inter cōmunes.
c In l. 1. Co. si rector prouinciæ, & multis alijs locis.
d Arg. clemē. 2. de rescr. & c. 2. de off. vicarij. ca. 3. de sen. excomm. & c. cum parati, de appel.
e Iuxta l. fin. de iurisd. omnium iudicū. c. cum ad ecclesiam. de officio ord.
f Le. nā quod absurdum. ff. de bonis libe.
g Per dic. extraua. ad regimen.

eius: & minus si per solam electionem sine alia confirmatione possent administrare. Secundo, quòd etiam Potestates, qui instituuntur perpetui, quemadmodum regulariter instituuntur beneficiarij ecclesiasticorum beneficiorum, non viderentur dici officiales.

9 Tertio, quòd etiam, qui à solo Papa ponuntur, & reuocantur pro sua sola voluntate, & arbitrio, ea ratione videri possunt non esse Officiales Papæ, quòd non videntur ei seruire immediatè, & quod non facit eos Potestates principaliter propter seruitium suum, sed propter seruitium, quod præstaturi sunt illis Rebuspublicis, quibus eos præfecit: & finis principalis & primarius est attendendus.[a]

10 Et quod hac ratione delegati Papæ non videntur dici officiales eius, vt suprà tactum est: & quod is, quem Papa daret alicui Cardinali, vel alteri nobili sæculari, vel ecclesiastico, vt seruiret ei, non diceretur officialis Papæ, si aliàs non seruiret ipsi, quamuis aliquod seruitium per quamdam rei consequentiam ad S. Sanctitatem inde perueniret, &c.

a Leg. etsi non sint. §. perueniamus ff. de auro. & arg. leg.

### SVMMARIVM.

1 *Accessus, & regressus differunt & de vno ad alium non infertur.*

1 *Accessus de iure quærendo, regressus de antiquo seruando agit.*

1 *Regressus ad pristinam ius valde fauorabilis.*

## CONSILIVM XI.

1 QVæritur in quo accessus, & regressus non æquentur? Nouum est, & maximum dubium, quod postea quam ipse appuli Romam, controuersum fuit, super quodam regressu omnino, & integraliter expedito, concesso cuidam illegitimo: & audiui, quòd licet illa omnia, quæ nos de accessu prædicto scripsimus Pontifici Maximo placuissent: visum tamen ei fuisse, non esse illa ad regressus aliàs iuridicos extendenda, ea ratione diuersitatis, quòd habẽs accessum agit de iure omnino nouo quærendo, habens autem regressum iuridicum de iure ante habito recuperando: & quòd per renunciationem reseruato regressu factam videntur reliquiæ iuris antiqui manere, & quadamtenus magis suspendi, quàm omnino extingui, & quod regressus in pristinum ius sit valde fauorabilis.[b] Quamuis hodie per Concilium Tridentinum,[c] parificari videantur. Salua &c.

b Cap. ab exordio. 35. dis. & le. si vnus §. pactus ne peteret. ff. de pactis, vbi Iason. num. 5. & ante illum Felin. in ca. cum omnes, nu. 8. de constitut. pluribus illud ornant.

c Sess. 25. cap. 7. de reform.

## *DE SIMONIA.*

Hoc consilium M.S. missum ad nos fuit, cũ iam omnia Consilia huius tituli impressissemus. Ne tamen illud à nostro opere abesset ei postremum locum in hoc nostro opere dedimus.

### SVMMARIVM.

1 *Simoniacè ignoranter de beneficio prouisus, habita illius notitia tenetur dimittere, non obstante quòd Papa illum ad cõpositionem fructuum male perceptorũ admiserit cum clausula. (ius eidem competens in eo non auferendo, nec confirmando.)*

2 *Expressio fructuum facta non secundum verum valorem, sed secundum taxam Cancellariæ sufficit quoad validitatem tituli, sed non quo ad compositionem fructuum ex eo male perceptorum.*

## CONSILIVM XCVI.

## DE SIMONIA.

CLericus qui bona fide, ignarus de simonia per mediatorem commissa, beneficium impetrauerat, & post habitã notitiam de simonia illud per 10. annos retinuerat, fructusq; ex eo perceperat à Sanctiss. Pio V. petiit condonationem dictorum fructuum, quam idem Sanctis soluta certa compositione, & nec ius auferẽdo, nec concedendo in dicto beneficio concessit. Sed quia valorem beneficij iuxta taxam in Cancellaria exposuit, cum plures percepisset fructus, dubitauit vtrũ in conscientia esset tutus.

1 Respondeo primo, quod D. Consulens præsupponit se iuste potuisse detinere beneficium præfatum, non obstante simonia contracta per tertium se ignorante; eo quod Pius V. respondisset se non auferre neque conferre beneficiũ præfatũ ipsi: quod tamen non est verũ, quia eguit noua collatione.[a]

2 Secundo respondetur, quod expressio valoris secundum taxam Cancellariæ sufficit ad hoc, vt prouisio valuisset: vt tradit Felinus.[b] Tertio, quod non videtur satisfecisse compositioni per expressionem valoris taxati: quia ipse tenebatur restituere fructus perceptos verè coram Deo, qui erant maiores, quam taxati, &c.

a Cap. quicũque & c præsertim 1. qu. 5. & c. de simonia. & c. de regularibus. de simon.

b In c. ad aures. in cõclus. 11. & 16. de rescrip.

*Prima parte lib. 1. de tempor. ordin. conf. 29. in fine addatur sequẽs annot.*

*Loquitur auctor de vltramontanis secundum opinionem glossæ & aliorum. nam text. habet de sacris enim, vt sit suspensus, & non de minoribus ordinibus, vt infra cons. 1.*

*Secunda Parte lib. 4. Tit. de cogna spirit. cons. 6. in fine addatur sequens annotat.*

*Aduertatur quod Congregatio sacri Concilij tenuit contrarium, videlicet cognationem spiritualem contrahi per procuratorem & ipsum procuratorem eã non contrahere, sed mandantem.*

## CONSILIORVM ET RESPONSORVM D. Nauarri finis.

*DEO IESV CHRISTO ET SAPIENTISSIMO Consultori, vnde ab Isaia Consiliarius nominatus, & fidelissimo legum auctori, & propterea legifero ab eodem nuncupato gloria & honor in perpetuum.*

# INDEX
# RERVM OMNIVM, QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR,
## COPIOSISSIMVS, GENERALIA, MAXIME VTRIVSQVE IVRIS QVASI AXIOMATA, ET communes tum Theologorum, tum Iurisconsultorum sententias complectens.

*IN QVO ILLVD OBSERVANDVM, EAS, QVAE HAC nota * seu asterisco notantur sententias, cum iis quæ sequuntur, vsque ad initialem seu capitalem litteram, ad secundum huius operis tomum pertinere, quæ verò nullam notam habent, eas ad primum tomum spectare.*

IVRIS PORRO VTRIVSQVE REGVLAS, ET DEFINITIOnes littera Italica notauimus, quia ea præcipuè memoriæ commendanda arbitramur: numerum autem primum paginam, alterum columnam, & litteram paruulam columnæ partem denotare notum est. Quando verò litteræ paruæ A maiusculum adiungitur, hoc est ex Annotationibus Consilijs additis desumptum.

## A

### ABBAS, ABBATIA, ABBATISSA.



### ABIVRATIO, ABIVRARE.

# INDEX.

## CANONISTÆ.



## CANTOR.



## CAPELLANVS, CAPELLANIA.



## CAPITVLVM.



## CAPSARIVS.



## CARDINALIS.



## CAROLVS.



## CARTHVSIANVS.

## CITATIO, CITARI.



## CIVITAS.



## CLAVSVLA.



## CLAVSVRA.



## CLERICVS.



## COADIVTOR, COADIVTORIA.



## CÆCVS.



## COEMETERIVM.



## COGNATIO CARNALIS, SPIRITUALIS, legalis.

## DISPOSITIO.



## DISTRIBVTIONES.



## DIVERSA, DIVORTIVM.



## DOCTOR.



## DOLVS.



## DOMICILIVM.



## DOMINICANI.



## DOMINIVM.



## DONATIO.

FISCVS.



FOEMINA.



FORMVLA.



FORNICARI, FORNICATIO.



FORTVNA.



FORVM.



D. FRANCISCVS A PAVLA, D. Franciscus, & alij.



FRANCIGENÆ, FRANCI.



FRAVDATOR.



FRATRES.



FRVCTVS BENEFICII, Fructus.

## H

### HABITVS RELIGIONIS.



### HÆRES.



### HÆRESIS, HÆRETICVS.



### HERMAPHRODITVS.



### HIEROSOLYMA.



### HISPANIA.



### HOMICIDIVM, HOMICIDA.



### HOMO.



### HONORIVS.



### HORÆ.



### HOSPITALARII, HOSPITALE, Hoſpitalitas.



### HVMANÆ.



### HYPERBOLICA.

# I

## ID QVOD.



## IEIVNIVM, IEIVNARE.



## IGNORANTIA, IGNORANS.



## ILLEGITIMVS.



## IMPEDIMENTVM.



## IMPVBERES.



## INCESTVS.



## INDICIA.



## INDVLGENTIA.



## INFAMIS.

## IVDEX SÆCVLARIS, ET Eccleſiaſticus.



## IVDICANDI OFFICIVM, IVDICIVM.



## IVRAMENTVM.



## IVS, IVS PATRONATVS, Ius ciuile.

### LIBRI HÆRETICORVM ET mercatorum.



### LIBERTAS.



### LIBIDO.



### LICENTIA.



### LIS.



### LITTERÆ TESTIMONIALES & aliæ.



### LOCANS, LOCATIO, LOCARE.



### LOCVPLETARI.

### LVCRVM.



### LVDVS.



### LVTHERANI.



## M

### MAGISTRATVS.



### MAGNVM.



### MAIORATVS.



### MALEFICIVM.



### MALVM.



### MANDANS, MANDATVM.



### MARIA VIRGO.



### MARITVS.



### MATER.



### MATRIMONIVM.

MAVRI.



MEDIATOR SIMONIÆ.

OPINIO.



ORATIO.



ORDINATVS, ORDINARIVS, ORDO.

Procurator

Religiosorum

RELIQVIÆ.



REMISSIO.



RENVNCIATIO BENEFICII.

apocham

T

TVTOR.



V

VASALLVS.



VENDENS, VENDERE, VENDITIO.



VERBA.



VERISIMILIA.



VEXATIO.



VIA.



VICARIVS EPISCOPI, VEL alterius, vicariatus.

FINIS.

*Deo Iesu Christo æterni Dei æterno filio laus & gloria.*

L V G D V N I,
EX TYPOGRAPHIA PETRI
Rolandi, Anno ſalutis.

1 5 9 4.

...castidad i pobreza: *Elias Profeta sanctissimus sacrum Carmelitarum Ordinem in tribus omnibus Religionis substantialibus punctis voluntaria paupertate, obediẽtia, & castitate, imò & virginitate sua, & Elisæi, aliorumque filiorum Prophetarum, instituit.* Ya digimos que no son puntos sustanciales de Religion, obediẽcia, castidad i pobreza sino son con votos. Frai Tomas de Aquino reconoce en el santisimo Patriarca quanto pide la essencia i sustãcia del estado religioso en sentencia de todos para serlo, i no calla los votos: *Sanctissimus Propheta Elias, omnia, quæ essentiam Religionis constituunt, & ad eam omnium assensu, & consensu pertinent, sequutus est: ita vt voto, promissione se obligaverit.* El doctisimo Padre Frai Tomas de Iesus lo prueba mui de proposito con erudicion i acierto, aprobado de varones gravisimos de fuera de la Religion (especialmẽte del Padre Saliano que le llama ilustre en dotrina i virtud: *Doctrina, & pietate clarus*) que han seguido la luz que èl descubrio en la obscuridad de tãtos siglos: i concluye que tiene por mui cõforme a la Escritura Sagrada, i a la raçon el decir que aquellos antiguos Monges, hijos de Profetas professaron el instituto Monastico con los tres votos, i que Elias como su Fũdador les enseñò a hazelos i guardarlos. *Existimo Scripturæ, rationique valdè consentaneum esse viros illos divina luce ductos, institutum Monasticum tribus votis firmasse.* (I mas abajo) *Hactenus constat Eliam Profetam institutorem fuisse Monasticæ professionis, docuisseque trium votorum, ex quibus Religio constat, cultu, & observantiam.* Pedro Tomas Sarraceno depone que los Teologos de nuestra Religion, defienden acerrimamente cõtra los hereges, que la professión Monastica con los tres votos sustanciales, no es invencion nueva, sino tan antigua que trae su corriẽte de nuestro Padre San Elias, i especialmente nonbra al Padre Maestro Frai Pedro Cornejo, espejo de Religion, tesoro de sabiduria, oraculo de Teologia en la insigne Vniversidad de Salamanca, donde tuvo la Catedra de Durando, i en la estimacion i aplauso comun no solo la de Prima, sino l[o]s mayores puestos que las letras, i virtud i pruden-

Lib. 1. de Patriarch. Eliæ 3. part. sect. 1.

In comment. super Regul. primit. Carm.

...con que nuestra sentecia no solo no queda enflaquecida, sino mas corroborada i esforçada.

49 De que se infiere que ès mucho mas cierto que el Angelico Dotor Santo Tomas està por nuestra parte, que por la contraria. Porque aquella sentencia le tendra mas en su favor que dejando sus testimonios mas intactos, salvare mayor formalidad en los terminos con que el Santo arguye, i en su discurso, i los indugere con mas legitimas consecuencias: i de lo dicho consta que la nuestra lleva en esto mucha ventaja, porque concediendo todos los testimonios que del santo Dotor se presentan contra ella, en la forma que nos los dejò, sin interpretarlos, ni alterarlos, sino como suenan, mostramos como no se sigue de ellos la consecuencia de que no vbo en aquella lei verdadero Monacato. Los que nosotros traemos del Santo Dotor para probar que le vbo, es necessario para que no lo prueben sacarlos de su legitima formalidad, contexto i fuerça; pues segun ella es evidente que sintio lo que defendemos, como en el numero quarenta i vno hasta el quarenta i cinco queda ponderado: luego manifiesta es la ventaja de testimonios a testimonios, i de induciõ à inducion en favor de nuestro intento.

50 Para que no quede cosa à que no satisfagamos, responderemos à otros inconvenientes que dice el Padre Maestro Araùjo se siguen de nuẽstra sentencia. El primero es, que si en la lei escrita se dio verdadero Monacato, vbo tanbien verdadero Apostolado, i consecuentemente varones tan perfetos como en la lei de gracia, pues no ai mas raçon de vno que de otro. Respondo que no se sigue bien. Porque el Apostolado incluye potestad de claves en toda su plenitud i perfecion, administracion de Sacramentos instituidos por Cristo, i otras excelencias i preeminencias que no cupieron, ni pudieron caber en la inperfecion de la lei escrita, quedandose la misma que de hecho quiso Dios que fuesse. Mas al cõtrario en el verdadero Monacato segun su sustancia i essencia no ài cosa de que a[…]lla lei no fuesse capaz, aun quedandose la inperfecion […] en
[…] inperfecion […] eficaz i manifiestamente auemos

N 2 pro-


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm